JUS CANONICUM UNIVERSUM

CLARA METHODO
JUXTA TITULOS
QUINQUE LIBRORUM
DECRETALIUM
In Quæstiones distributum, solidisque Responsionibus, & Objectionum Solutionibus dilucidatum.

AUTHORE

R. P. F. ANACLETO
REIFFENSTUEL,
Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum Provinciæ Bavariæ Lectore Jubilato.

TOMUS TERTIUS.

VENETIIS, M. DCCXXVI.
Apud Antonium Bortoli.
In via Mercatoria sub Signo Educationis.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

R. 6455

Licentia & Approbatio Ordinis.

FR. Matthæus à Sancto Stephano, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, ac Totius Ordinis S. P. N. Francisci Minister Generalis, & Servus: Dilecto Nobis in Christo R. P. F. Anacleto Reisenstuel, Lectori Jubilato & Concionatori nostræ Reformatæ Provinciæ Bavariæ salutem, & omne bonum.

CUm juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones, per idoneos Censores, revisum fuerit opus quoddam à Te compositum, cujus Titulus est: *Jus Canonicum juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quæstiones distributum &c.* Tenore præsentium, ad Salutaris Obedientiæ meritum, facultatem Tibi impertimur, quatenus servatis servandis illud Typis mandare valeas.

Datis Romæ, Die 10. Aprilis 1706.

Fr. Matthæus à S. Stephano Minister Generalis.

De Mandato S. P. Reverendissimæ
Fr. Petrus ab Urbino
Secretarius Generalis.

Facultas Admodum Reverendi Patris Ministri Provincialis.

CUm à R. P. Anacleto Reiffenstuel, Ord. Min. Sancti Francisci Reformatorum Provinciæ Bavariæ Ex-Custode, Lectore Jubilato, opus quoddam, cui Titulus, *Jus Canonicum juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quæstiones distributum*, sit compositum: illudque à duobus Theologis jamjam sit revisum & approbatum, plurimumque recommendatum, & omnia, quæ de Jure in Editione Librorum sunt servanda, sint observata: tenore præsentium facultatem impertior, ut laudatissimi hujus operis Tomus quartus pro utilitate publica Typis mandari possit. Actum Monachii 1. Septemb. 1706.

Fr. David VVinther, Ord. Min. S. Francisci
Reformat. Lector Jubilatus, Minister
Provincialis.

Cenſura Theologica Prima.

CUm Tertius Juris Canonici Tomus R. P. Anacleti Reiffenſtuel, Ord. Minorum S. Franciſci Reformatorum, Lectoris Jubilati à primo & ſecundo, in nullo degeneret, ſed eandem Cenſuram idemque Encomium mereatur, hinc Cenſuram pro Secundo & Tertio Torno à me datam, pro hoc repetitam Volo, eumque prælo dignißimum cenſeo Monachii 1705.

Fr. Fortunatus Hueber, Totius Ordinis S. Franciſci & Provinciæ Bavariæ Pater.

Cenſura Theologica Secunda.

JUris Canonici Tomum Primum & Secundum Rev. P. Anacleti Reiffenſtuel Ord. S. Franciſci Reform. Lectoris Jubilati ſequitur hic Tertius Tomus; qui, quia continet in ſe materias nobiliſſimas ſtatum præcipuè Clericorum tum ſæcularium tum Regularium concernentes, de Eorum Beneficiis, Eccleſiis, Contractibus, Peculio, Teſtamentis ac Decimis &c. Et quantum ad Stylum, methodum, doctrinæ perſpicuitatem, ſoliditatemque à prioribus in nullo degenerat, ſed illis ſimillimus extat; atque inſuper Orthodoxæ fidei, bonis moribus, ſacris Canonibus, œcumenicis Conciliis, ſummorum Pontificum Conſtitutionibus, ac ſacrarum Congregationum Decretis & Declarationibus per omnia conſonat, nec conſcientias vel ſententias laxat, aut laxitates fovet. Ideo dignißimum cenſui, ut ad communem Omnium, ſingulariter in foro Eccleſiaſtico verſantium, juriſque Sacro operam navantium commoditatem in lucem prodeat, juriſque publici fiat. Datum Landshuti die 27. Julii Anno 1706.

F. Floridus Moſmiller, Ord. Min. S. Franciſci Reform. Lector Jubilatus & Provinciæ Cuſtos Actualis.

PRÆFATIO

Auctoris ad Lectorem.

ECce benevole Lector, Juvante Deo, in lucem publicam prodit Tertius Juris Canonici Tomus, in quo eundem modum, ordinem, ſtylum, claritatem, brevitatem, ac Doctrinæ ſecuritatem, quam in primis duobus, quantum licuit, obſervare ſtudui. Hinc repeto quæ in præfationibus primi, & ſecundi Tomi te monitum volui, additis humillimis precibus, ut ſi forſan plures errores orthographicos, aut typographicos, in eo repereris, eos ob temporis brevitatem, & concurrentium aliorum negotiorum copiam, quæ reviſionem, & Correcturam typi è prælo venientis prohibuerunt, benignè excuſare, & ipſemet emendare digneris. Cæterum etiam Tertium hunc Tomum quoad omnia & ſingula ſancto Eccleſiæ Judicio, cenſuræ & correctioni humillime ſubjicio.



ELENCHUS

Titulorum, Paragraphorum, & Quæſtionum in Tomo Tertio Juris Canonici Univerſi Contentorum.

TITULUS I.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

§. I.

De Nomine, & Dignitate Clericorum.

Quæſtio I. Unde Clerici ſic dicantur: & quæ ſit dignitas Clericatus? fol. 2
II. Quot modis *Clericorum* nomen accipiatur, quisque eo comprehendantur? 3
III. Utrùm Ecclæſiæ veniant nomine Clericorum? 4

§. II.

De Honeſtate vitæ Clericalis in genere, & quand ſumenda in ſpecie.

Quæſtio I. Ad quam generalem vitæ, morumque honeſtatem Clerici obligentur? 5
II. Sub qua obligatione Clerici teneantur caſſe vivere? 6
III. Qua ratione ſit prohibitus, præſertim Clericis, acceſſus ad Meniales alloquendas? 7
IV. Quæliter, quibuſque ſub pœnis Clerici abſtinere teneantur à crapula, & ebrietate? ib.
V. Quid Sacri Canones ſtatuant circa avaritiam, præſertim Clericis fugiendam? 8

§. III.

De Obligatione Clericum deferendi Habitum, & Tonſuram, hujuſque forma.

Quæſtio I. An, & ſub qua obligatione Clerici teneantur deferre habitum, & tonſuram Clericalem? 9
II. Utrùm Clerici Minoriſtæ non deferentes habitum & tonſuram, gaudeant privilegio Fori, & Canonis? 10
III. Quid dicendum de Tonſura Clericorum, formaque ipſius? 12

§. IV.

De qualitate Habitus Clericalis, & quinam non non differantur.

Quæſtio I. Qualem habitum Jura præſcribant, vel prohibeant Clericis? 13
II. Quæ requirantur ad conferendam debitam qualitatem, five decentiam veſtium Clericalium? 14
III. Quo fine pœnæ Clericorum non deferentium habitum, & tonſuram Clericalem? ib.

§. V.

Qualiter prohibitum ſit Clericis, geſtare arma, & exercere negotiationes, Ludoſque Theatrales.

Quæſtio I. An, & quo ratione Clericis ſit prohibitum arma geſtare? 16
II. An, & ſub quibus pœnis prohibitum ſit Clericis exercere negotiationes ſæculares? 17
III. Utrùm Clericis liceat exercere Ludos Theatrales, aut eiſdem intereſſe? 18

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.

§. I.

De vitando Clericis cohabitatione Mulierum, & concubitu, ſubjuſque probatione.

Quæſtio I. Quæliter, & quibuſcum mulieribus, probibita ſit Clericis cohabitatio? 19
II. Quid ſit Concubinatus, & quomodo probetur, hæreve notorius? 20
III. Quomodo procedendum ſit contra Clericos, qui publicè dicuntur habere concubinas, ſed citati, atque examinati, id negant? 21

§. II.

De pœnis Clericorum concubinariorum, aut ſimpliciter fornicariorum convictorum.

Quæſtio I. Quæ ſint pœnæ Clericorum concubinariorum, aut ſuſpectam cum muliere ſibi converſantem habentium? 22
II. An Clericus concubinarius ſit ſuſpenſus, ſimulque ab actibus vitandis in Divinis? 24
III. An denuò ſine adhibe Clericorum concubinariorum pœnæ? 25
IV. Quali pœna puniendus ſit Clericus, in Sacris Ordinibus conſtitutus reperiens ſimilem fornicationem abſque qualitate concubinatus? ib.

TITULUS III.

De Clericis conjugatis.

§. I.

De contractu matrimoniali Clericorum; & amiſſione Beneficiorum inde ſecuta.

Quæſtio I. Quinam Clerici poſſint, vel non poſſint, matrimonium contrahere? 27
II. Utrùm Clerici contrahendo matrimonium perdant Beneficia prius habita, & quomodo? 27

§. II.

De Privilegiis Clericorum conjugatorum.

Quæſtio I. Utrùm Clerici conjugati, in Ordinibus minoribus conſtituti, gaudeant privilegiis Clericalibus? 29
II. An Clericus Conjugatus ad ulteriores Ordines promoveri valeat? 30
III. Utrùm Clerici conjugati poſſint habere beneficium Eccleſiaſticum? 31

TITULUS IV.

De Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel Præbenda.

§. I.

Præmittuntur generalia de reſidentia Clericorum Beneficiariorum.

Quæſtio I. Quid ſit Reſidere in Eccleſia, vel Præbenda quibuſque modis contingat? 33
II. Utrùm omnia beneficia reſidentiam exigant, & quo jure. 34
III. Quomodo intelligendum ſit juramentum, de continua perſonali reſidentia præſtitum. 35
IV. Quæ ſpectato jure communi ſint pœnæ Clericorum in ſuis Beneficiis debitè non reſidentium, & quomodo contra eos ſit procedendum. ib.

§. II.

De reſidentia Epiſcoporum.

Quæſtio I. Ubi, & qualiter Epiſcopi reſidere teneantur. 37
II. Utrum aliquando, & quanto tempore liceat Epiſcopis abeſſe à ſua Eccleſia. 38
III. Quid ſint cauſæ legitimæ, excuſantes Epiſcopos à reſidentia corporali. ib.
IV. Quæ ſint pœnæ Epiſcoporum non reſidentium. 39

§. III.

De Reſidentia Parochorum, aliorumque Curatorum.

Quæſtio I. Quidnam generatim circa reſidentiam Parochorum, aliorumque Curatorum inferiorum, & non reſidentium pœnas ſtatuerit Concilium Tridentinum 41
II. Utrum Parochus, vel alius Curatus poſſit abeſſe à ſua Parochia cum vel ſine licentia ſui Epiſcopi, & quanto tempore. 42
III. Utrum Parochi præcepto reſidentiæ perſonalis ſatisfaciant, ſtudioſque ſiciant ſuos, qui reſidere quidem in Parochiali, non tamen per ſe exercent Officium Parochiale, ſed ſolummodò per Capellanos, ſive cooperatores ſuos. 44
IV. Ex quibus cauſis poſſit Parochus abeſſe, ſuæque Eccleſiæ deſervire per Vicarium. 45
V. An præter poſſe ſignificatum, vel hoſtilem incurſum excuſetur Parochus à reſidentia perſonali. 46

§. IV.

De Reſidentia Canonicorum, & Clericorum ſimplex Beneficium habentium.

Quæſtio I. Qua ratione Canonici Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum reſidere teneantur. 47
II. An & quibus liceat Canonicis per ſingulos annos triennii abeſſe. 48
III. Quæ ſint cauſæ Canonicos à perſonali reſidentia excuſantes, quæque pœnæ debito tempore non reſidentium. 48
IV. Quid dicendum de reſidentia Clericorum, ſimplex dantaxat beneficium habentium. 49

§. V.

Utrum Beneficiorum ratione Studiorum, vel ob ſervitium Epiſcopi, aut ubicunque alibi exercendum, excuſentur reſidentiæ.

Quæſtio I. Utrùm ratione Studiorum liceat Clericis abeſſe à ſuis Beneficiis, atque interim horum fructibus gaudere. 50
II. An, & qualiter Canonici, aliique Clerici in ſervitio Epiſcopi conſtituti, excuſentur à reſidentia. 52
III. Utrum conſtitutio contraria cavetur à reſidentia in Beneficiis ejuſque obligationem collat. 53

§. VI.

De Diſtributionibus quotidianis, earumque Conſtitutione, ac licita percipiendi.

Quæſtio I. Quid intelligatur nomine Diſtributionum quotidianarum, & unde ſint deducendæ, & cur. 54
II. Quinam Canonici valide & licitè percipere poſſint præſentias, ſeu diſtributiones quotidianas. ib.
III. Ad quos ſpectent diſtributiones quotidianæ, ſumiſſæ per Canonicos non intereſſentes Officiis Divinis. 55

TITULUS V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

§. I.

De Natura Præbendæ, ac Beneficii Eccleſiaſtici deijuſque requiſitis.

Quæſtio I. Quid nomine *Præbendæ* intelligatur, præſertim in Rubrica hujus tituli. 60
II. Quid ſit Beneficium Eccleſiaſticum. ib.
III. Quæ ſint requiſita, ſeu qualitates, ex quibus cognoſcantur beneficia Eccleſiaſtica. 61

§. II.

De multiplici diviſione beneficiorum: ubi plura de beneficio manuali.

Quæſtio I. Quotuplex ſit Beneficium Eccleſiaſticum. 62
II. Quid ſit dicendum de Beneficiis manualibus, & an ſint beneficia propriè dicta. 64

§. III.

Quid ſit Canonicus, Vicarius, Commendæ, Præſimonium, & Penſio: & an hæc teneant nomine beneficii Eccleſiaſtici.

Quæſtio I. Quid ſit Canonia, & an veniat nomine beneficii. 67
II. Quid dicendum ſit de Vicaria, & Capellania, & an ſit beneficium propriè dictum. 68
III. Quid ſit *Commenda*, & an beneficium propriè dictum ſubſit. ib.
IV. Quid ſit Præſimonium, & an ceuſeatur eſſe beneficium. 69
V. Quid, & quotuplex ſit Penſio, & an veniat nomine beneficii Eccleſiaſtici. 69

§. IV.

De reſtitui beneficiorum, nec non qualitatibus in hiſmine fundatitiumin appoſitis.

Quæſtio I. Quæ requirantur ad reſtituendum beneficii Eccleſiaſtici. 71
II. Quid dicendum ſit de qualitatibus, five conditionibus, in limine fundationis beneficii per fundatorem appoſitis. 71
III. Utrum per clauſulas generales derogatorias, in literis Apoſtolicis contentas, *Non obſtantibus ſtatutis* deroceatur derogatum qualitatibus in limine fundationis requiſitis. 72

§. V.

De collatione beneficiorum ubi plura de collatione Beneficiorum Parochialium per concurſum.

Quæſtio I. Quibus modis generaliter conferantur beneficia Eccleſiaſtica. 73
II. Quæ requirantur ad legitimam proviſionem, ſeu collationem beneficiorum. 74
III. Quibus conferenda ſint beneficia Eccleſiaſtica. ib.
IV. Quid dicendum de collativæ parochialium Eccleſiarum per formam concurſus. 74

§. VI.

De potestate conferendi beneficia respectu Papæ, ejusque Legati: ubi & de Mandatis Apostolicis de providendo.

Quæstio I. An, & quibus modis Papa possit, ac soleat conferre beneficia? 76
II. An, & qualiter potestas conferendi beneficia vacantia, devolvatur ab inferioribus ad Papam? 77
III. Quid & quotuplex sit *Mandatum Apostolicum* super collatione Beneficiorum? 78
IV. Utrùm Legatus Sedis Apostolicæ, putà, Legatus à latere, vel etiam Nuntius Apostolicus possit conferre beneficia, quæ in Provincia sibi decreta tempore suæ legationis vacant; aut impostcrum vacatura, suæ valeat reservare collationi? ib.

§. VII

De potestate conferendi Beneficia respectu Episcoporum, Capituli Sede vacante, Vicarii Generalis, & Collegii.

Quæstio I. An & qualiter Episcopo competat collatio Beneficiorum? 79
II. Utrùm Capitulum sede vacante possit conferre beneficia? ib.
III. An Capitulum sede vacante possit recipere resignationes beneficiorum. 80
IV. Quid Juris competat Vicario Generali Episcopi circa collationem Beneficiorum? 81
V. Quid *Juris*, quando præsentatio spectat ad Ecclesiam aliquam Collegiatam? ib.

§. VIII.

De pluralitate, & incompatibilitate Beneficiorum.

Quæstio I. Utrùm pluralitas beneficiorum sit prohibita, & cur? 82
II. In quibus casibus plura beneficia Ecclesiastica simul licite retineantur? ib.
III. Unde generatim consurgat incompatibilitas beneficiorum? 83
IV. Utrùm quis ratione longævæ consuetudinis, vel dispositionis, possit obtinere, atque retinere plura beneficia, haud obstante, quod unum eorum jam sufficiat ad honestam ipsius sustentationem, ibid.
V. Quodnam beneficium censeatur sufficiens ad honestam Clerici sustentationem, sicque inducat incompatibilitatem cum alio beneficio obtinendo? 84
VI. Quæ beneficia censeantur de se compatibilia, vel incompatibilia? 85
VII. Quænam beneficia intelligantur esse sub eodem tecto, simulque uniformia & incompatibilia? 86

§. IX.

De dispensatione, & consuetudine circa pluralitatem Beneficiorum.

Quæstio I. Utrùm Papa, quibusque ex causis, possit dispensare in pluralitate beneficiorum? 87
II. Quomodo intelligi debeat dispensatio facta super beneficiis, ac præsertim super pluralitate ipsorum? 88
III. Utrùm Episcopus possit dispensare in pluralitate beneficiorum? ib.
IV. An Episcopus habenti duo Beneficia, etiam simplicia, & ad honestam Clerici sustentationem non sufficientia, possit sua authoritate ordinaria conferre tertium? 89
V. Utrùm per longævam consuetudinem induci possit, ut quis plura simul beneficia obtinere, atque retinere valeat? 90

§. X.

De vacatione Beneficiorum per assecutionem alterius incompatibilis.

Quæstio I. Qua ratione à Sacris Canonibus successive statutum fuerit, ut per receptionem secundi beneficii incompatibilis vacaret prius? 91
II Utrùm collatio secundi beneficii incompatibilis sit valida? 92
III. An & quomodo receptio beneficii incompatibilis inducat vacationem prioris? 93
IV. An per receptionem tertii Beneficii incompatibilis vacent omnia priora, quæ quis ex legitima dispensatione antea obtinebat? 94
V. Utrùm is, qui secundum beneficium una cum primo incompatibili simul retinere præsumpserit, privetur utroque? 95

§. XI.

De requisitis ad vacationem ipso jure beneficiorum incompatibilium, horumque dimissione, & collatione.

Quæstio I. Utrùm facta assecutione, vel saltem collatione secundi incompatibilis, illicò vacet ipso jure præhabitum beneficium; vel quæ alia ad hoc requirantur. 96
II. Quomodo post assecutionem posterioris beneficii incompatibilis, sit dimittendum prius beneficium? 97
III. Qualiter, & sub qua obligatione conferendum sit beneficium vacans ob assecutionem alterius incompatibilis? ib.

§. XII.

De variis modis, quibus Beneficia ipso jure vacare dignoscuntur, ubi & de vacatione ipsorum per sententiam.

Quæstio I. Quibus modis generatim beneficia Ecclesiastica ipso jure vacare dignoscantur? 99
II. Quid dicendum de vacatione beneficiorum per sententiam, & qualiter hæc differat à vacatione eorundem ipso jure? 101

§ XIII.

De Reservatione Beneficiorum in genere.

Quæstio I. Quid & quotuplex sit Reservatio beneficiorum? 102
II. Cur Reservatio quorundam beneficiorum facta fuerit? 103
III. Utrùm Reservatio beneficiorum sit favorabilis, vel odiosa? ib.
IV. An dentur aliqua beneficia, quæ sub reservationibus etiam generalibus, nulla de ipsis facta mentione speciali non comprehenduntur? 104

§. XIV.

De Beneficiis affectis, & Appositione manus Papæ.

Quæstio I. Quæ beneficia censeantur affecta; & an differant à reservatis? 106
II. Quid sit Appositio manus Pontificiæ, causans affectionem beneficiorum, quibusque modis contingat? 107
III. Utrùm ex appositione manus Papæ inducatur affectio, quando exinde resultaret præjudicium Concordatorum v. g. Germaniæ, Franciæ? 108
IV. An etiam loquendo de beneficiis, quæ juxta Concordata, præsertim Germaniæ vacant in mensibus Pontificiis, ac per Papam ob vitium subreptionis, vel inhabilitatem Provisi, invalide collata fuerunt, cesset affectio beneficiorum; adeo ut appositio manus Pontificiæ non obstet, quo minus post tempus in Concordatis præfixum (puta, post lapsum unius trimestris, loquendo de Concordatis Germaniæ) talia beneficia per Collatores inferiores licitè, ac validè conferri possint. ib.

§. XV.

De Beneficiis apud Sedem Apostolicam seu in Curia vacantibus; aliisque collationi Papæ specialiter reservatis.

Quæstio I An idem sit, *Beneficium vacare apud Sedem Apostolicam, vel in curia?* 110
II. Unde, & cur reservatio beneficiorum apud Sedem Apostolicam, seu in curia vacantium, fuerit Introducta. 111
III. Utrum post lapsum unius mensis, beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia possint conferri per inferiores? ib
IV. Quid dicendum de reservatione beneficiorum vacantium in curia juxta c. *Præsent. de Præbend. in 6.* 112
V. Ubinam Curia Romana in ordine ad colligendam exinde reservationem beneficiorum censeatur existere? ib.
VI. Quæ alia beneficia spectato jure communi specialiter collationi Papæ sint reservata? 112
VII. An dentur aliqua alia beneficia ad collationem solius Papæ pertinentia? 113

§. XVI.

De regulis Cancellariæ, ac Tenore modernorum.

Quæstio I. Quid sint Regulæ Cancellariæ, cur sic dicantur, quo tempore ortum habuerint? 114
II. A quo tempore Regulæ Cancellariæ obligare incipiant & quamdiu obligent? 115
III. Cujus tenoris esse soleant modernæ Regulæ Cancellariæ? 134

REGULÆ,

Ordinationes, & Constitutiones Cancellariæ Apostolicæ novissimæ. 116

§. XVII.

Solvuntur varia dubia circa Regulas Cancellariæ: ubi & de Intrusis in Beneficio.

Quæstio I. An & qualiter in judicio producendæ sint regulæ Cancellariæ? 125
II. Utrùm per clausulam generalem, *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis*, censeatur derogatum Regulis Cancellariæ? 126
III. Qualiter juxta *Reg. 9. Cancell.* initium mensium sit computandum, præsertim incidente vacatione beneficii in noctem ultimam mensis? 126
IV. Utrùm beneficium vacans in mense Ordinarii, possit per hunc conferri stante illius vacatura in mense Pontificio? 127
V. Quis censeatur *Intrusus in beneficio*, qualesque sint effectus intrusionis? 127

§. XVIII.

De Concordatis Germaniæ.

Tenor Concordatorum Germaniæ. 130

§. XIX.

Solvuntur variæ quæstiones circa Concordata Germaniæ.

Quæstio I. Utrùm Concordata Germaniæ quoad reservationes beneficiorum favorabiliora sint Germanis seu horum collatoribus ordinariis, quàm Regulæ Cancellariæ? 132
II. Utrùm Concordata Germaniæ ex toto derogent Regulis Cancellariæ? 133
III. Utrùm Concordatis Germaniæ possit opponi præscriptio, aut exceptio de non usu ipsorum? 133
IV. Quæ beneficia cadant sub reservatione Pontificia vi Concordatorum Germaniæ? 134
V. Quænam beneficia sub memorata alternativa mensium in Concordatis Germaniæ comprehendantur? 134
VI. Quid Juris, si beneficio vacante in mense Pontificio, eidem intra tres menses non provideatur per Papam. 135

§. XX.

De primis precibus Imperatoris.

Quæstio I. An & qualem potestatem porrigendi Primas preces ad beneficia habeat Imperator? 137
II. Utrùm Neo-Electus Imperator jam ante approbationem Papæ possit uti Indulto interponendi Primas preces pro assecutione beneficiorum? 137
III. Ad quæ beneficia virtute Indulti Apostolici possit Imperator Neo-Electus Primas preces, seu nominationes porrigere? 137
IV. An Imperator eandem personam, porrectis Primis Precibus possit nominare ad plura beneficia? 138
V. Infra quod tempus teneatur Precista acceptare beneficium vacans: & quid, si intra illud negligat illud accipere? 139
VI. An Precista post acceptatum semel beneficium possit variare, & ab illa acceptatione tacitè vel etiam expressè resiliendo, petere secundum beneficium vacans, nullique adhuc debitum? 139
VII. Quid dicendum de Executoribus Primarum Precum per Imperatorem deputandis? 140

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

§. I.

Solvuntur varia dubia de Clericis ægrotantibus, ubi & de Salario famulorum infirmorum.

Quæstio I. Utrùm Clericus Beneficiatus, qui ob perpetuam infirmitatem munera sui beneficii peragere nequit, beneficio aut fructibus ipsius privari possit? 140
II. Utrùm reverà famulis infirmis Salarium sit præstandum pro eo tempore quo ægrotant? 141
III. An Clerici ob infirmitatem incurabilem possint compelli ad Coadjutorem admittendum, vel etiam ad cedendum beneficio, si idcircò nequeant amplius fungi officio suo? 142
IV. Utrum perpetuò ægrotantes, aut alias debilitati, possint ad Sacros ordines promoveri, aut in ordinibus jam susceptis ministrare? 143

§. II.

De Coadjutoribus Clericorum ægrotantium.

Quæstio I Quid & quotuplex sit Coadjutor, & Coadjutoria? 143
II Quis dari possit Coadjutor. 144
III. Ex quibus causis dandus sit Coadjutor? 144
IV. A quo dari possit Coadjutor? 145
V. Quid sit Officium Coadjutoris, & quæ potestas ipsius? 146
VI. Cujus expensis alendus sit Coadjutor? 146
VII. Quando expiret Officium Coadjutoris? 147

TITULUS VII.

De Institutionibus.

§. I.

De Divisione Institutionis ut sic, ejusque requisitis: ubi & de examine Instituendorum in beneficiis.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Institutio? 148
II. Quæ requirantur ad Institutionem Canonicam? 148
III. Utrùm præsentatus à Patrono sit necessariò instituendus in beneficio? 149
IV. An præsentati à Patronis, aliisque instituendis in beneficiis, anteà debeant examinari? 149

§. II.

De illis quibus competit Institutio collativa auctorizabilis, & corporalis Beneficiorum.

Quæstio I. Quibus competat Institutio collativa beneficii? 150
II. Ad quem pertineat Institutio auctorizabilis, atque an hæc præscriptione acquiri possit? 151
III. Ad quem pertineat Institutio corporalis in beneficiis? 152
IV. Qui soleant esse ritus Institutionis corporalis, seu investituræ in beneficiis? 152
V. Utrùm institutus quoad titulum in beneficio possit possessionem ejus propria authoritate apprehendere. 153

De instituendis beneficiis, jureque eorum per institutionem acquisito: ubi & de institutione, ac Dispensatione sui ipsius.

Quæstio I. Quinam sint instituendi in beneficiis? 154
II. Quot sint instituendi in Collegiis Clericorum, aut in Monasteriis Regularium recipiendi? 155
III. Intra quod tempus debeat fieri institutio præsentatorum in beneficio? 155
IV. Quale jus acquiratur præsentatis, atque institutis in beneficio Ecclesiastico? 155
V. Utrum is, ad quem spectat collatio beneficii possit se ipsum instituere? 156

TITULUS VIII.

De concessione Prahendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

§. I.

De triplici vacatione Beneficiorum, & ab quam ipsorum Beneficia conferri possint ac debeant.

Quæstio I. Quotuis modis generatim intelligatur vacare beneficia Ecclesiastica? 158
II. Qualiter opportet vacare beneficia, ut alijs conferri possint ac debeant? 158
III. An beneficium de jure dumtaxat vacans imperatoris à Papa, teneatur facere mentionem de possessione alterius? 159

§. II.

De concessione, aut permissione beneficiorum non vacantium: ubi & de Canonicis Supernumerariis.

Quæstio I. An beneficium nondum vacans concedi vel sibi permitti valeat? 160
II. An & quibus per præmissa non obstantibus, possint recipi Canonici supernumerarium expectatione fruturi Prahendæ? 162
III. Utrum Canonici supernumerarij debeant habere Psalmum Chori, vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas? 162

§. III.

De Gratijs expectativis, Reservationibus mentalibus, & nonnullis aliis.

Quæstio I. Quid sint gratiæ expectativæ, atque Reservationes mentales, & quotuplex prohibeat. 162
II. Utrum in Ecclesijs non numerata vacatio Prahendarum, atque devolutio potestatis easdem conferendi ad Superiorem? 165
III. Utrum Collator Ordinarius, seu habens potestatem conferendi, possit alteri tradere potestatem conferendi beneficium vacans, vel proxime vacaturum? 165

TITULUS IX.

De Sede vacante aliquid innovetur.

§. I.

De Sede vacante, absque duratione, atque intellectu præsentis Rubricæ.

Quæstio I. Quid intelligatur nomine *Sedis vacantis?* 166
II. Quamdiu duret vacatio Sedis Episcopalis, alterisque beneficij Ecclesiastici? 165
III. Quomodo intelligenda præsentis Rubricæ, *Ne Sede vacante aliquid innoveture*. 165

§. II.

De Jurisdictione Capituli Sede vacante.

Quæstio I. An & qualiter jurisdictio Episcopi mortui devolvatur ad Capitulum Sede vacante? 166
II. Qualiter intelligendum sit, quod Capitulum Sede vacante succedat in Jurisdictione Episcopi. 166
III. Quinam sint præcipui casus, per quos iter excepto, in quibus Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo? 168
IV. Utrum extra casus proximè dictos valeat contra Sede per Capitulum Sede vacante inieta se rebus Ecclesiæ vel Episcopatus? 168
V. Utrum quoad judicium habitum contra Ecclesiam vacantem? 168

§. III.

Salvantur alia decreta de jurisdictione Capituli Sede vacante.

Quæstio I. An Capitulum Sede vacante succedat Episcopo mortuo in illis, quæ huic jure speciali competebant? 169
II. Utrum, & quando Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in potestate dispensandi? 170
III. In quibus alijs casibus Capitulum Sede vacante succedat vel non succedat in Episcopali jurisdictione? 171
IV. An Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in dandis indulgentijs? 173

TITULUS X.

De his, quæ sunt à Prælatis sine consensu Capituli.

§. I.

De consensu, & Consilio Capituli; & quando requiratur ad alios Prælatorum.

Quæstio I. In quo differat consensus à consilio? 174
II. In quibus casibus, seu negotijs, generatim requiratur consensus Capituli? 174
III. In quibus casibus in facto de Jure communi requiratur consensus Capituli? 176
IV. Utrum in præmissis casibus valeat consensus non requirendi consensum Capituli? 175
V. Quamnam negotia per Episcopum expediri debeant Cum consilio Capituli? 176.

§. II.

Utrum Prælatus absque consensu, & Capituli possit repudiare Legatum factum Ecclesiæ, præsertim de rebus immobilibus? .

Quæstio unica. 177

TITULUS XI.

De his, quæ sunt à majori parte Capituli;

§. I.

De Capitulo, ejusque convocatione.

Quæstio I. Quid nomine *Capituli* intelligatur, quique ad illud spectare dignoscatur. 180
II. An Appellationes Capituli veniat Prælatus? 180
III. Ad quem spectet convocatio Capituli, quique ad illud sint vocandi? 180

§. II.

De actis Capitularibus, eorumque requisitis, & vitijs.

Quæstio I. Quamnam concurrere debeant, ut aliquid concludatur Capitulariter actum à toto Capitulo, firmitatemque obtineat. 181
II. Utrum ad valorem actuum Capitularium in omnibus præcisis casibus requiratur, atque sufficiat consensus majoris & famosioris partis capituli? 182
III. Quo ratione salveatur *illi positivus cap. sit. h. t.* 183
IV. An Capitulum possit ferre interdictum locale sine conferentia Episcopi? 184

TITULUS XII.

De Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

§. I.

De Diminutione Beneficiorum per impositionem oneris; ubi & de Annatis.

Quæstio I. Quot modis diminuatur beneficium Ecclesiasticum accidere possit? 184
II. Quomodo per imp ositionem oneris sat, seque illicita diminutio beneficiorum Ecclesiasticorum? 185
III. Utrum præmissionem obstantibus possit Episcopus, vel alius collator, reddivus vacantis beneficij sibi reservare? 185
IV. Utrum à novitere recepris, seu admissis ad possessionem Canonicatus, seu alterius beneficij, possit aliquid exigi, falsem exiftente fundo, vel consuetudine longæva? 186
V. Quid dicendum de Annatis, eorumque constitutione, & solutione. 186

§. II.

De Divisione, Dismembratione, & Suppressione Beneficiorum.

Quæstio I. Quid sit, & qualiter illicita exiftat Divisio Beneficiorum? 187
II. Quid sit dismembratio Beneficij, & an, & quomodo illicita? 187
III. Quid sit suppressio Beneficij, & quomodo illicita? 188

§. III.

De unione Beneficiorum, & Conditionibus ad eam requisitis.

Quæstio I. Quid & quotuplex sit unio Beneficiorum, quibusque modis fiat? 189
II. A quo possint fieri unones Beneficiorum? 190
III. Quænam conditiones, sive solemnitates requirantur ad faciendam valonem Beneficiorum? 191
IV. Utrum ad valorem unionis beneficiorum etiam requiratur consensus Rectoris Ecclesiæ? 193

§. IV.

De pensionibus, earumque conditionibus.

Quæstio I. Utrum non obstante Rubrica præsentis Tituli, Pensiones in collatione beneficiorum relevari possint? 193
II. An Episcopus possit beneficio imponere Pensionem transmissibilem in Successorem, seu ad vitam ipsius Pensionarij? ib.
III. Utrum sit licitum reddnare Beneficium Ecclesiasticum, relevata annua pensione? 194

TITULUS XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

§. I.

De nomine alienationis, rebusque Ecclesiæ illi alienari prohibitis.

Quæstio I. Quid nomine *alienationis* intelligatur? fol. 196.
II. Quibus res Ecclesiarum prohibitum sit alienare? 196
III. Quinam contineantur *Res immobiles*, ita ut alienari prohibeantur? 197
IV. Quenam dicantur mobilia pretiosa, ita ut alienari nequeant? ib.

§. II.

De causis, & solemnitatibus Juris ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis.

Quæstio I. Quæ generatim requiratur ad legitimam alienationem rei immobilis, vel mobilis pretiosæ Ecclesiarum? 198
II. Quotuplex sit justa causa allenandi res Ecclesiasticas? 198.
III. Qualis solemnitas requiratur ad alienationes rerum Ecclesiasticarum? ib.
IV. An præditæ solemnitates requiranture in quarumcumque rerum Ecclesiasticarum alienatione? 199
V. An requiratur præstare solemnitates juris, si allenatio ab una Ecclesia fiat alteri Ecclesiæ. 200

§. III.

De nullitate, revocatione, adjunctis, præsumptione alienationis contra formam Juris attentatæ cum sequentibus.

Quæstio I. Qualiter alienatio rerum Ecclesiasticarum sit nulla? 201
II. Quid agendum, si Ecclesia per allenationem, seu quemcunque contractum, sit graviter læsa? 202
III. Quotuplex actio competat Ecclesiæ per illegitimam rerum suarum alienationem graviter læsæ. ib.
IV. Quæ sint ponæ malè alienantium bona immobilia, vel pretiosa Ecclesiarum. ib.

TITULUS XIV.

De Precarijs.

Quæstio I. Quot modis sumatur Precarium. 204
II. Quid sit Precarium, & quomodo differat à Donatione, & Commodato. ib.
III. Quid sint Precariæ, & quomodo differant à Precario. ib.
IV. Utrum ad concessionem Precariarum requiramur solemnitates juris, cæteroquin ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitæ. ib.
V. Quando expirec Precarium, vel Precaria. 205
VI. Qualis detur actio ex Precarijs. ib.

TITULUS XV.

De Commodato.

§. I.

De Natura Commodati, refusoque, quæ commodari possint, & obligationibus Commodatarij.

Quæstio I. Quid sit Commodatum, quomodo differat à cæteris contractibus. 206
II. Quæ res alijs Commodari possint. ib.
III. Quæ sint obligationes Commodatarij. ib.

§. II.

De divisione culpæ juridicæ, seu civilis: & ex qua tenetur Commodatarius.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit culpa juridica seu civilis. 207
II. Ex qua culpa teneatur Commodatarius. 208

§. III.

De obligatione Commodatarij ex casu fortuito: ubi etiam de allunitus Commodati.

Quæstio I. Utrum Commodatarius teneatur de casu fortuito, quo res commodata perijt. 208
II. Quid juris, si res Commodata, & remissa, perijt culpa, vel etiam dolo Nuntij. ib.
III. Quæ actiones oriantur ex Commodato. 209

TITULUS XVI.

De Depósito.

§. I.

De natura, & divisione Depositi, atque obligationibus Depositarij.

Quæstio I. Quid & quotuplex sit depositum. 210
II. Quæ sint obligationes Depositarij. ib.
III. An, & qualiter Depositarius teneatur repósceni depositum restituere absque mora. ib.
IV. Ex qua culpa Depositarius teneatur. 211

§. II.

De probatione dati, & alijs Depositum concernentibus.

Quæstio I. An, & quomodo dolus Depositarij, vel Commodatarij ex. probetur. 212
II. Utrum Depositarius, vel Commodatarius teneatur probare res Depositas, & Commodatas, quam proprias, quando utraque ob casum fortuitum, v. g. ob exortum incendium, salvare non posfit. ib.
III. Qualiter probetur Depositum, vel Commodatum casu fortuito fuisse amissum. 213
IV. Utrum Ecclesia, vel Monasterium teneatur ex depósito facto penes Clericum, seu Rectorem Ecclesiæ aut Monasterij, quod postmodum dolo, vel culpa illius perijt. ib.
V. Quotuplex actio oriatur ex Depósito. ib.

TITULUS XVII.

De Emptione & Venditione.

§. I.

De natura, seu substantia Emptionis, & Venditionis, ac requisitis ad eam.

Quæstio I. Quid sit Emptio, & Venditio? & an unum, vel duplicem importet contractum. 214
II. Quænam requirantur ad essentiam, seu substantiam Emptionis, & Venditionis. 215
III. An etiam Emptionis, & Venditionis, vel potius alius sit contractus, si Emptor partim pecuniam, partim aliam certam rem loco integri pretii pro merce paciscitur. ib.

§. II.

De iis, qui emere & vendere: item de rebus quæ emi, vendique possunt, aut debent.

Quæstio I. Quinam emere, & vendere possint, vel non possint. 216
II. An aliquando emere, vel vendere quis etiam debeat, & ad id invitus cogi possint. 217
III. Quænam res emi, vendique possint. 218

§. III.

De quibusdam Venditionibus in specie: officiorum videlicet, Nominum, ac hæreditatis.

Quæstio I. An, & quomodo vendi emique possint officia publica? v. g. Præfecti, Cancellarii, Vicedomini &c. 219
II. An & quomodo emi vendique queant Nomina. 219
III. Utrum Nomina v. g. debita, aut Chirographa certa mille florenorum post annum solvendorum, de præsenti emi possint minori pretio v. g. octingentis, aut nongentis florenis. ib.
IV. An & qualis hæreditas vendi, & emi possit. 221
V. Quænam nomine hæreditatis venditæ veniant, ita ut ad emptorem transeant. ib.

§. IV.

De venditione rei alienæ præsertim furtivæ.

Quæstio I. An & qualiter vendi, emique valeat res aliena. 222
II. Quos effectus pariat valida venditio rei alienæ. ib.
III. An, quid, & cui restituere debeat emptor, si in notitiam venit, rem à se emptam esse alienam. 223
IV. Quid juris, si fur pecunia furtiva, vel quis alius pecuniis alienis rem aliquam, equum v. g. domum &c. emat. 224

§. V.

De pretio rerum venalium.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit pretium rerum venalium. 225
II. An licitum sit, quolibet pretio, pro libitu vendere, & emere. ib.
III. An & qualis sit obligatio servandi pretium legitimum seu taxatum. 227

§. VI.

De circumstantiis & causis, ob quas pretium augeri, vel minui, ipseque res carius vendi vel vilius emi possunt.

Quæstio I. Quæ sint causæ, vel circumstantiæ: ob quas pretium rei taxatum, vel vulgare augere, eamque carius vendere licet. 228
II. An dilatio solutionis sit sufficiens causa carius vendendi? sive an ex eo, quod quis credito vendat, pretium licité augere possit. 229
III. Ob quas causas, vel circumstantias pretium rerum venalium minuere, easque minus pretio infimo emere liceat. 230
IV. An liceat minoris emere ob anticipatam solutionem. 231.

§. VII.

De venditione rerum vitio laborantium: ubi etiam de dolis, & fraudibus, quæ in Emptione, & Venditione committuntur.

Quæstio I. An & quales teneatur venditor detegere defectus, vel vitia mercis. 231
II. An, & quantum restituere teneatur, qui merces vitio affectas vendit. 232
III. Quid Juris si venditor rei propriæ substantiam, vel qualitates ignorans, unam pro alia, bonam pro mala, gemmam pro vitro &c. vendat. 233
IV. An quis fundum, agrum, domum, vel aliud terræ spatium, ubi ingentem scit latere thesaurum, vel venam metalli, lapicidinas &c. validé ac licité emere possit, absque hoc, quod desuper moneat venditorem, vel saltem pretium augeat. ib.
V. An dolosé, & iniqué, an veró licité agat, qui rem currente pretio justo emit, vel vendit, si scit, pretium pauló post minuendum fore vel augendum. ib.

§. VIII.

De periculo, & commodo, seu fructibus rei venditæ.

Quæstio I. Ad quem pertineat periculum rei venditæ. 235.
II. Ad quem pertineat commodum, & fructus rei venditæ. 237
III. Quid Juris, si una eademque res pluribus successivé in solidum vendatur. 238

§. IX.

De Pactis, quæ Emptioni, Venditioni subinde apponuntur; in specie de Pacto Legis Commissoriæ, Addictionis in diem, Retrovendendi, & Mohatræ; ubi etiam de Arrhis.

Quæstio I. An contractui Emptionis, Venditionis, validé, & licité apponi possint à contrahentibus pacta specialia, vel conditiones. 240
II. Quid sit, & quos effectus pariat pactum legis commissoriæ. ib.
III. Quid sit, & quos effectus habeat pactum addictionis in diem. 242
IV. Quid sit, & quos effectus producat pactum retrovendendi. 243
V. An utroque Jure licita sit emptio venditio cum pacto retrovendendi. ib.
VI. Quid sit, & an liceat contractus Mohatræ. 244
VII. Quid sit Arrha, & quid Juris circa eam. ib.

§. X.

De Actionibus ex empto, & vendito; ac in specie de Actione redhibitoria, & æstimatoria, seu quanti minoris.

Quæstio I. Quid sit, & quæ detur actio venditi, seu quod idem est ex vendito. 245
II. Quid sit, & quæ detur Actio ex empto, seu empti. ibid.
III. Quid sit Actio redhibitoria, & Æstimatoria, seu quanti minoris, quando, & qualiter, quibus, & contra quos serviant. ib.
IV. Quantum tempus concedatur à Jure ad intentatas Actiones redhibitorias, & quanti minoris. 246
V. An Emptio Venditio toties pro invalida habenda, & consequenter contra eam actio redhibitoria admittenda sit, quoties venditor tali vitio affectam rem scienter vendit, quod, si scivisset emptor non emisset. ib.

§. XI.

De Læsione ultra dimidiam, & actione ob illa competente.

Quæstio I. An cuivis qualitercunque in pretio læso succurrant Jura, actionemque contra lædentem admittant. 247
II. An tam Emptori, quàm Venditori ultra dimidium læso concedatur actio. 248
III. Quomodo læsio ultra dimidium sit computanda. ib.
IV. Qualis sit actio læso ultra dimidium justi pretii competens. 249
V. An vi legis 2. *C. de rescind. vend.* universaliter omni & soli læso ultra dimidium justi pretii in quocunque casu sine ulla limitatione competat actio. 250

§. XII.

De Evictionibus.

Quæstio I. Quid sit evictio. 252
II. An, & ad quid teneatur venditor ratione evictionis, antequam res actu sit evicta. ib.
III. An, & ad quid Emptori teneatur venditor, postquam res fuit evicta. 253
IV. An aliquando, & quibus in casibus venditor emptori de Evictione non teneatur. ib.

§. XIII.

De Jure Retractus.

Quæstio I. Quid & quotuplex sit Retractus, seu Jus Retractus? 254
II. An de Jure communi hodie adhuc locum habeat Retractus? 255
III. Quænam res, & quomodo retrahi possint? 255
IV. Quibus, & quo ordine competat *Retractus ratione Sanguinis?* 256
V. An, & quomodo possit quis renuntiare Retractui? 256
VI. An locum habeat Retractus, casu quo contractus ex aliqua ratione v. g. ob defectum requisitæ solemnitatis sit nullus? 256

§. XIV.

De Resolutione seu Dissolutione Emptionis Venditionis, & aliis quibusdam quæsitis contractum hunc concernentibus.

Quæstio I. An, & quomodo Emptio Venditio dissolvi possit mutuo contrahentium consensu? 257
II. An Emptione Venditione utriusque consensu jam perfecta teneatur venditor ad tradendam rem vel satisfaciat præstando interesse? 258
III. An deputatus ab alio, ut rem aliquam certo pretio emat, vel vendat, retinere possit excessum pretii, si rem pluris vendat, vel minoris emat? 258
IV. An liceat exteris, & peregrinis rem cariùs vendere quam indigenis? 259

TITULUS XVIII.

De Locato, & Conducto.

§. I.

De Natura Locationis, Conductionis, & iis, qui locare aut conducere, rebusque, quæ locari, vel conduci possunt.

Quæstio I. Quid sit Locatio, Conductio? an, & in quo potissimum differat ab emptione. & venditione? 260
II. Quinam locare, & conducere possint? 261
III. Quænam res locari, & conduci possint? 261

§. II.

De obligationibus, & Juribus locatoris rerum.

Quæstio I. Quæ sint obligationes locatoris rerum? 263
II. An locator teneatur remittere mercedem seu pretium, quando ob sterilitatem, aut alium casum fortuitum absque culpa conductoris supervenientem, v. g. Ob grandines, inundationem aquarum, nives, vermes, hostilem veincursionem segetes depopulantem &c. conductor non percipit fructus ex re locata frugifera. 264
III. Quæ jura, & actiones competant locatori rerum adversùm conductorem. 265
IV. An, & quando, & quomodo locatori competat jus expellendi colonum, vel inquilinum etiam invitum, vel privandi eundem usu, fructuve rei locatæ ante tempus Locationis finitum. 265
V. An ex causis præfatis Locator propria authoritate possit conductorem ante tempus conventum privare re conducta, an veró requiratur authoritas Judicis. 266

§. III.

De Obligationibus, & Juribus Conductoris rerum.

Quæstio I. Quæ sint obligationes conductoris rerum? 266
II. An conductor teneatur solvere mercedem, casu quo uti non potest re locata. 268
III. An Conductor teneatur augere mercedem, si tempore ubertatis, ac fertilitatis majores solito fructus percipit ex conducta re frugifera, agro v. g. vel vinea, &c. Sicut tenetur locator eidem remittere mercedem, si ob sterilitatem defectum in fructibus patiatur. 268
IV. Quæ Jura, & actiones competant conductori? 268
V. An conductor & hæredes ejus habeant etiam jus, & actionem contra Successorem Prælatum Ecclesiæ, casu quo antecessor ipsius locationem fecit? seu quod idem est, an teneatur Successor stare locationi factæ à prædecessore. 269
VI. An jura, & obligationes Conductoris transeant ad hæredes ejus. 269

§. IV.

De Obligationibus, & Juribus Locatoris Operarum, & Conductoris earundem, seu de Obligationibus, & Juribus Famulorum, Operariorum, Officialium &c. ac Dominorum.

Quæstio I. Quæ sint obligationes locatorum operarum, seu illorum, qui se ipsos vel potiùs operas, & labores suos alteri locant? cujusmodi sunt servi, famuli, officiales &c. 269
II. Ad quid obligentur Conductores alienarum operarum id est, illi qui pro mercede concedunt operas, & labores officialium, famulorum, operariorum? &c. 270
III. An conductor alienarum operarum solvere debeat integram mercedem, casu quo non potest uti opera personæ conductæ. 270
IV. An famuli, & famulæ possint occulté aliqua sibi surripere de bonis dominorum suorum, si judicant mercedem seu salarium eorum esse minùs justo. 272
V. Quodnam censendum sit justum stipendium, merces, vel salarium famulorum, officialium, & aliorum pro mercede servientium. 272

DE EMPHYTEUSI.

§. V.

De natura, & divisione Emphyteusis, ac de iis, qui in Emphyteusin dare, & accipere, rebusque, quæ in Emphyteusin venire possunt.

Quæstio I. Unde proveniat, quid, & quotuplex sit Emphyteusis? 273
II. An Scriptura, seu erectio scripti instrumenti sit de substantia Emphyteusis. 275
III. Quinam dare, & accipere possint in Emphyteusin. 275
IV. Quænam res in Emphyteusin dare queant. 276

§. VI.

De Obligationibus, & Juribus Emphyteutæ.

Quæstio I. An, & quomodo Emphyteuta obligetur servare pacta conventa. 276
II. An, & quomodo teneatur Emphyteuta rem in Emphyteusin concessam colere, & conservare. 277
III. An, & qualiter teneatur Emphyteuta dare pensionem seu canonem annuum. 277
IV. An Emphyteuta teneatur solvere integrum canonem annuum, casu quo res Emphyteutica ex toto vel ex parte perit? item quando ob sterilitatem, hostium incursiones, vel alium casum fortuitum absque culpa ipsius contingentem nullos vel modicos percipit fructus. 278
V. An, & quale jus competat Emphyteutæ utendi re Emphyteutica, & percipiendi ex ea fructus. 279
VI. Ad quem pertineant melioramenta, seu meliorationes, quas in re Emphyteutica facit Emphyteuta. 280
VII. An, & quale jus competat Emphyteutæ alienandi rem Emphyteuticam, vel per alios contractus disponendi de ea pro libitu, v. g. vendendi, donandi, legandi, oppignorandi. 280

§. VII.

De Obligationibus, & Juribus Domini directi: præsertim de causis, ob quas expellere potest Emphyteutam: ubi etiam discutitur, an, & quando possit augere canonem, & Laudemium.

Quæstio I. Quæ sit obligatio domini directi respectu Emphyteutæ? 281
II. An Dominus directus habeat jus Emphyteutam pro libitu expellendi, saltem si eidem refundat pretium, & alias ratione Emphyteusis factas expensas, v. gr. laudemium? 282
III. Qui sint legitimæ causæ Emphyteutam invitum privandi Emphyteusi etiam perpetua, vel vitalitia,

vel alia in jure communi locum habentes. 282
IV. An, & quomodo Emphyteuta per Dominum privari possit Emphyteusi ob non solutum canonem. ib.
V. Utrum Emphyteuta canone intra tempus debitum non soluto, habeat facultatem se purgandi, sicque evadendi pœnam commissi. 283
VI. An Dominus directus possit augere canonem vel alias præstationes annuas, saltem in casu, quo bonum emphyteuticum notabiliter est melioratum, & augmentatum? vel si fructuum ex eo perceptorum valor notabiliter crescit. 283
VII. An & quando ob alienationem Emphyteusis, Emphyteuta perdat jus emphyteuticum, ita ut eo per dominum privari queat. ib.
VIII. An, & quando Emphyteuta expelli possit ob deteriorationem rei emphyteuticæ. 284
IX. Quid juris domino directo competat ratione Laudemii. ib.
X. Utrum Dominus possit augere Laudemium, casu quo augetur valor rei Emphyteuticæ. ib.

§. VIII.

De Successione in Emphyteusi, ubi etiam specialiter de Emphyteusi Ecclesiastica.

Quæstio I. Quisnam succedat in Emphyteusi, seu ad quos transeat Emphyteusis. 289
II. An in Emphyteusi succedant etiam fœminæ. 290
III. An etiam illegitimi succedant in Emphyteusi. 291
IV. Quid juris circa successionem Emphyteusis, si hæres alias legitimus Monasterium ingrediatur. 291
V. An possit Pater alicui ex liberis, vel extraneo Emphyteusin prælegare, aut donare. ib.
VI. Utrum filius, vel alius in Emphyteusi succedens teneatur de Emphyteusi satisfacere creditoribus Emphyteutæ defuncti. ib.
VII. An etiam in Emphyteusi ex pacto, & providentia succedat Monasterium, quod intravit alias legitimè succedens. ib.
VIII. An, & quomodo à Prælatis, seu Rectoribus Ecclesiæ in Emphyteusin concedi possint res Ecclesiarum. ib.

TITULUS XIX.

De Rerum Permutatione.

Quæstio I. Quid sit Permutatio. 293
II. Quænam res ad invicem permutari valeant. 294
III. An permutari etiam valeant res spirituales. ib.
IV. An etiam bona Ecclesiastica permutari queant. ib.
V. An duæ Ecclesiæ, quarum una habet pinguiores redditus, possint invicem ita permutari, ut habens Ecclesiam seu Beneficium cum minoribus redditibus, possit pecunia recompensare possessiones pinguiores alterius Beneficii, germanicè Auffgeben. 295
VI. An pariter in permutatione duarum Præbendarum, seu Beneficiorum quoad titulum; quorum unum pinguiores habet redditus, quam alterum, excessus unius in redditibus suppleri possit pecunia, aut alia re temporali, sicut fieri posse diximus in permutatione eorundem quoad proprietatem possessorum. ibid.
VII. Quinam permutare possint. 296

TITULUS XX.

De Feudis.

§. I.

De Origine, Natura, & divisione Feudi.

Quæstio I Unde originem trahat, & derivetur Feudum. 297.
II. Quid sit Feudum. ib.
III. Quotuplex sit Feudum, & quomodo dividatur. ib.
IV. An libri Feudorum seu scriptæ, corporique Juris insertæ feudorum consuetudines, sint authentici, habeantque vim legis. 299

§. II.

Quinam, quid, & quomodo in Feudum dare, & accipere possint.

Quæstio I. Quinam dare possint Feuda. 300
II. Quinam in Feudum accipere possint. 301
III. An etiam Clerici, & Religiosi in Feudum accipere quid possint. 302
IV. Quidnam in Feudum dari & accipi possit. ib.
V. Quomodo seu quibus modis acquiratur Feudum. ib.

§. III.

De Successione Feudi.

Quæstio I. An, & qualiter Feudum acquiratur Successione. 303
II. Quo ordine in Feudo fiat successio ab intestato. ib.
III. An & quando in Feudis succedant fœminæ. 305
IV. An, & quando Clerici ac Religiosi in Feudis succedant? vel prius acquisitum retinere valeant. ib.
V. An muti, surdi, cæci, claudi, vel alias imperfecti, in Feudis succedant. 306

§. IV.

De Juribus, & Obligationibus, quas ratione Feudi tam Dominus, quam Vassallus habent, item de causis, ob quas amittitur Feudum.

Quæstio I. Quale jus competat Domino Feudi. 307
II. Quale jus competat vasallo ratione Feudi. ib.
III. A & qualiter vasallo competat jus aut potestas Feudum alienandi. 308
IV. Quibus de causis amittatur Feudum vel finiatur. ib.
V. Quis sit Judex oriente lite in causa Feudali. 311

TITULUS. XXI.

De Pignoribus, & aliis Cautionibus.

§. I.

De Natura, ac divisione Pignoris.

Quæstio I Quid sit Pignus? an & quomodo differat ab Hypotheca. 311
II. Quotuplex sit Pignus, & Hypotheca. 312
III. Quinam aliquid in Pignus dare valeant. 313

§. II.

De rebus, quæ oppignorari, vel hypothecari possunt, & fructibus earum; ubi etiam de pacto Antichriseos & Legis commissoriæ.

Quæstio I. Quænam res Pignori, aut Hypothecæ subjici queant. 314
II. An creditor uti possit Pignore sibi à creditore in securitatem traditæ. 315
III. Quid Juris de fructibus rei oppignoratæ, vel hypothecatæ. ib.
IV. Quid sit, & an validum, licitumque sit pactum Antichriseos Pignori adiectum. ib.
V. Quid sit, & an liceat pactum Legis commissoriæ in contractu Pignoris. 316

§. III.

De Iuribus, Obligationibus, & Actionibus; qua ratione Pignoris, aut Hypothecæ tam ex parte creditoris, quam debitoris.

Quæstio I. Quid Juris creditori competat ratione Pignoris aut Hypothecæ eidem pro securitate debiti constitutæ. 317
II. Quæ sint Obligationes creditoris habentis Pignus. 619
III. Quid Juris competat debitori ratione Pignoris. ib.
IV. Quæ sint Obligationes debitoris rem suam Pignori, vel Hypothecæ subjicientis. ib.
V. Quid, & quotuplex sit Cautio. ib.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus.

§. I.

De natura & divisione Fidejussoris, & Fidejussionis.

Quæstio I. Quid sit Fidejussor, & Fideiussio. 320
II. Quotuplex sit Fideiussio. ib.
III. Quomodo, & in qua causa fieri possit, ac debeat Fideiussio. 321
IV. Quinam Fideiubere possint. ib.

§. II.

De effectibus Fidejussionis, videlicet, de Obligationibus, & favoribus Fidejussoris: ubi etiam de Actionibus ex Fidejussione resultantibus.

Quæstio I. Quæ sint obligationes Fidejussoris? 324
II. Quales favores, & beneficia de Jure competant Fidejussori? & quid importent? 325

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

§. I.

De Natura Solutionis: ac iis, qui solvere possint, & debeant: nec non de illis, quibus solvi possit, ac debeat.

Quæstio I. Quid sit Solutio. 328
II. Quinam solvere teneantur, & possint? 328
III. An Successor in Episcopatu, Prælatura, aut Beneficio solvere teneatur debita ab Antecessore facta. 329
IV. Cuinam fieri debeat, aut possit Solutio? ibid.

§. II.

De eo, quod solvi, modoque, quo debitum solvi debet, ubi etiam de compensatione occulta.

Quæritur I. Quid solvi debeat? 330
II. Qualiter, seu quo modo fieri debeat Solutio? 332
III. Utrùm etiam per compensationem ritè fieri possit Solutio, & debitum expungi? 333

§. III.

De ordine inter creditores in solvendis debitis servando, dum debitor nimis obæratus moritur, aut cedit bonis: ubi etiam de condictione indebiti.

Quæstio I. Quid sit condictio indebiti & quando locum habeat? 334
II. Quo ordine Solutio facienda sit, seu cui ex creditoribus Solutio prius præstanda, vel restitutio facienda sit, casu quo debitoris media non amplius sufficiunt ad cuncta debita solvenda, aut debitor moriatur, aut cedat bonis? 335

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

§. I.

De natura, ac Divisione Donationis: item de requisitis ad eam, & effectus ejusdem.

Quæstio I. Quid sit donatio? 337
II. Quotuplex sit donatio? ibid.
III. Quænam requirantur ad hoc, ut donatio de Jure subsistat? ibid.
IV. An, & in quibus casibus ad donationem requiratur insinuatio apud Judicem? 338
V. Quid donari possit? ibid.
VI. Quinam donare possint? ibid.
VII. Quid sit effectus donationis? 339

§. II.

De Donationibus Episcoporum, Prælatorum, ac Rectorum Ecclesiarum, Clericorum, Religiosorum: ubi etiam de Revocatione Donationis.

Quæstio I. An, & quid Episcopi, aliique Prælati, ac Ecclesiarum Rectores donare possint de redditibus, & proventibus, vel aliis bonis, ac rebus Ecclesiæ, Monasterii? &c. 340
II. An, & quid donare possint Religiosi privati. 341
III. An, & quando, per quem, & à quo donatio iterum revocari possit? 342

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

§. I.

De Natura, ac Divisione bonorum, seu Peculii Clericorum, eorumque Dominio.

Quæstio I. Quid sit, ac significet Peculium Clericorum. 344

II. Quotuplicia sint bona Clericorum? ibid.
III. An Clerici bonorum præfatorum habeant Dominium 345

§. II.

De Clericorum bonis Ecclesiasticis superfluis, sive illis, quæ ad eorum honestam sustentationem necessaria non sunt.

Quæstio I. An Clerici bonorum Ecclesiasticorum superfluorum dominium habeant? 346

§. III.

De Clericorum obligatione erogandi bona Ecclesiastica superflua in pias causas, pauperes præsertim: ubi etiam de honesta sustentatione Clerici.

Quæstio I. An & quo Jure teneantur Clerici, bona superflua Ecclesiastica erogare in pias causas? 350
II. An ex virtute justitiæ teneantur Clerici bona superflua erogare in causas pias, ita ut in causam profanam expendentes teneantur ad restitutionem? 351
III. Quid nomine causarum piarum veniat, & quo ordine in eas bona superflua erogare teneantur Clerici? 352
IV. Quænam sit, ac dicatur, & quomodo dijudicari debeat honesta sustentatio Clerici? 354

TITULUS XXVI.

De Testamentis, & Ultimis Voluntatibus.

§. I.

De Natura & Divisione Testamentorum.

Quæstio I. Quid sit Testamentum? 395
II. Quotuplex sit Testamentum? 396

§. II.

De Testamento solemni Scripto, seu clauso, & solemnitatibus ad illud de Jure Civili requisitis.

Quæstio Quid sit, & quas de Jure Civili solemnitates requirat Testamentum solemne Scriptum? 397

§. III.

De Testamento solemni Nuncupativo, & solemnitatibus ad illud de Jure Civili requisitis.

Quæstio I. Quid sit, & quales requirat solemnitates Testamentum solemne Nuncupativum, *zuinem von Mund ausgesproechnem zieltuchen* Testament? 361
II. An valeat Testamentum Nuncupativum, in quo Testator remittit se ad schedam, vel scripturam aliquam &c. 362
III. An valeat Testamentum Nuncupativum factum ad interrogationem alterius? 363
IV. An Testamentum scriptum ex defectu alicujus solemnitatis invalidum, valeat saltem in vim Nuncupativi? 364

§. IV.

De necessitate Solemnitatum in foro externo.

Quæstio I. Qualiter Testamentorum solemnitates à Jure Civili præscriptæ sint necessariæ pro foro externo? 365

§. V.

De necessitate solemnitatum pro foro interno; ubi etiam de solemnitatibus de Jure Canonico requisitis.

Quæstio I. An etiam pro foro interno necessariæ sint solemnitates à Jure Civili ad Testamentum requisitæ, ita ut sine illis Testamentum factum non subsistat? 368
II. Quænam solemnitates de Jure Canonico requirantur in Testamento ad causam profanam? 372
III. Quid Juris ergo circa numerum testium? ibid.

§. VI.

De Testamentis Privilegiatis ad pias causas.

Quæstio I. Quid, & an Privilegiatum sit Testamentum ad pias causas. 373
II. An, & qualis ergo de Jure Canonico requiratur solemnitas in testamentis ad pias causas? 374
III. An testamentum absque solemnitate Civili ad causas pias conditum, valeat etiam quoad legata profana eidem inserta? 376
IV. An testamentum imperfectum, sive aliquo modo

cæptum, sed non perfectum, vel absolutum valeat quantum ad pias causas? 376
V. An valeat Testamentum ad causam piam sine institutione hæredis factum? 378

§. VII.
De Privilegiatis Testamentis parentum inter liberos.
Quæstio I. Quid, & qualiter privilegiatum sit Testamentum inter liberos? ib.
II. An Testamento parentum inter liberos minus solemni subsistente, valeant, & subsistant etiam dispositiones quoad extraneos eidem insertæ? 381
III. An Testamentum parentum minùs solemne valeat etiam inter liberos naturales & spurios. ibid.

§. VIII.
De Privilegiatis Testamentis Militum, Rusticorum, & tempore pestis factis.
Quæstio I. Quid sit Testamentum militis? quando? & quomodo privilegiatum? 382
II. An & quomodo Privilegiatum sit Testamentum Rustici. 383
III. An & qualiter privilegiatum sit Testamentum tempore pestis confectum? ibid.

§. IX.
De Privilegiatis Testamentis, videlicet, Principi oblatis, seu coram Principe factis: & ad acta datis, vel coram Actis factis.
Quæstio I. Quid sit Testamentum Principi oblatum, seu coram Principe factum? 385
II. Qualiter privilegiatum sit? & quomodo fieri possit, ac debeat Testamentum Principi oblatum, vel coram eo factum? ibid.
III. Quid, & qualiter privilegiatum sit Testamentum *ad Acta datum*, seu *apud Acta factum*? 386
IV. Utrùm etiam per nuntium, vel procuratorem liceat mittere Testamentum ad Acta? vel quod idem est; An sit, & dici possit Testamentum ad acta, quando quis illud domi conscripsit, & claudit, sicque clausum per tertium aliquem ad Judicem mittit, eique coram duobus Testibus tradi facit, rogans, ut id sumere velit ad Acta? 388

§. X.
De Iis, qui possunt, & iis qui non possunt facere Testamentum.
Quæstio I. Quinam, & quo Jure facere possint Testamentum? 390
II. Quinam ab ipsa natura à faciendo Testamentum arceantur? ibid.
III. Quinam de Jure naturæ capaces, per Legem Civilem vel Canonicam sine respectu ad culpam, vel delictum sint incapaces ad faciendum Testamentum? 392
IV. Quinam per Leges ob defectum morum, vel ob culpam, & delictum sint incapaces faciendi Testamentum? ibid.
V. An hucusque recensiti ad testandum inhabiles, etiam ad causas pias Testamentum facere nequeant? 394

§. XI.
De Testamentis Clericorum tam Regularium, quam Sæcularium: tam Majorum, quam Inferiorum.
Quæstio I. An, & de quibus bonis Clerici sæculares facere possint Testamentum? 395
II. An non saltem vi consuetudinis Clerici de bonis Ecclesiasticis superfluis pro libitu tam ad profanam quam piam causam testari valeant? 396
III. An Religiosi facere possint Testamentum? 397

§. XII.
De Testamentis præsertim reciprocis, seu mutuis conjugum.
Quæstio I. Quid sit, & quomodo fieri possit, ac debeat Testamentum reciprocum inter conjuges? *ein* Testament, *welches dies Eheleuth gegeneinander aufrichtem?* 400
II. Quomodo intelligenda sit dispositio conjugis mariti v. g. qui absque clausula illa relinquit? 401
III. An cuivis conjugum liceat Testamentum reciprocum iterum pro libitu revocare? 402
IV. An sit aliqua obligatio faciendi Testamentum? 404

§. XIII.
De Hæredibus, & eorum institutione, variisque modis instituendi.
Quæstio I. Quid & quotuplex sit hæres? 404
II. Quinam possint esse hæredes? 405
III. An, & quinam sint hæredes *necessarii*, ita ut necessariò institui debeant hæredes? ibid.
IV. An etiam liberi illegitimi necessariò institui debeant hæredes? 406
V. An, & quando *necessarii hæredes* sint parentes? item fratres & sorores? 407
VI. Quomodo fieri possit, & debeat hæredis institutio? præsertim an quis in re certa? item an quis incertus institui possit hæres? ibid.
VII. An & quomodo fieri possit institutio hæredis sub conditione? 410

§. XIV.
De Legitima, Falcidia, & Trebellianica.
Quæstio I. Quid sit Legitima, quibus, qualiter; & quanta relinqui debeat. 411
II. Ex quibus bonis debeatur, & computari debeat legitima? 412
III. Quid sit Falcidia, & Trebellianica? 413
IV. Ex quibus bonis & quomodo deducatur, ac computetur Falcidia, & Trebellianica? ibid.
V. An liberi fideicommisso universali, aut nimiis legatis gravati possint præter legitimam etiam *Falcidiam*, vel *Trebellianicam* detrahere? ibid.

§. XV.
De Exhæredatione Hæredum necessariorum.
Quæstio I. Quid sit Exhæredatio Hæredum necessariorum? 414
II. Quomodo fieri debeat Exhæredatio descendentium? ibid.
III. Quænam sint legitimæ causæ exhæredandi descendentes? ibid.
IV. Quænam sint causæ, ob quas licet liberis exhæredare parentes, vel alios ascendentes? 416
V. Quæ sint causæ exhæredandi fratres in casu, quo turpis persona instituta est hæres? ibid.

§. XVI.
De Jure deliberandi; de Inventario; de Petitione, Aditione; Repudiatione; Abstentione; & Renuntiatione hæreditatis.
Quæstio I. Quid sit, ad quid, & quamdiu concedatur jus deliberandi? 417
II. Quid, & cujus effectus sit inventarium? ibid.
III. Quinam, & quando teneantur conficere Inventarium? ibid.
IV. Quando, & quomodo fieri possit, ac debeat Inventarium. 418
V. Quid sit hæreditatis petitio? ibid.
VI. Quid sit adire hæreditatem, & quomodo aditio hæreditatis fiat? ibid.
VII. Quinam *adire hæreditatem* possint, & quid requirant ad hoc ut ritè adeatur? ibid.
VIII. Quosnam pariat effectus *aditio hæreditatis*? ibid.
IX. Quid sit repudiare hæreditatem, & abstinere ab ea: vel quid sit repudiatio hæreditatis, vel abstentio ab ea; & à quo fieri possit? 419

§. XVII.
De Renuntiatione Hæreditatis: & Jure accrescendi.
Quæstio I. Quid sit Renuntiatio hæreditatis? an & quomodo fieri possit. 419
II. An, & quando valida sit Renuntiatio præsertim jurata hæreditatis futuræ, alicujus adhuc viventis. 420
III. An Renuntiatio, qua filia accepta ritè, & validè renuntiat, noceat liberis ex tali filia natis, vel generandis? 421
IV. Quomodo sit interpretanda Renuntiatio? ibid.
V. Quid sit, & quibus competat *Jus accrescendi*? ibid.

§. XVIII.
De Substitutionibus.
Quæstio I. Quid & quotuplex sit Substitutio? 422
II. Quid sit, & quos effectus habeat *Substitutio Vulgaris*? ibid.
III. Quandonam exspiret *Substitutio Vulgaris*? 423
IV. Quid, & quotuplex sit *Substitutio Pupillaris*? 424

V. Qui

V. Qui sint effectus *Substitutionis Pupillaris*? 424
VI. Quandonam exspiret *Substitutio Pupillaris*? 424
VII. An exspirante ob pubertatem advenientem *Substitutione Pupillari*, exspiret etiam *tacita vulgaris* comprehensa in *expressa pupillari*? 425
VIII. Quin sit Substitutio *exemplaris*, à quo, cui, & quomodo fieri possit? 425
IX. Qui sint effectus *Substitutionis exemplaris*, & quando exspiret? 426
X. Quid sit Substitutio *reciproca*, seu *breviloqua*? quomodò fiat? quos effectus habeat, & quando exspiret? 426
XI. Quid sit Substitutio *compendiosa*? 426

§. XIX.
De Substitutione indirecta, seu Fideicommissoria, & de Fideicommissis.
Quæstio I. Quid sit *Substitutio Fideicommissoria*, & quomodò facienda? 427
II. Quid, & quotuplex sit Fideicommissum? 427
III. Quis, quem, & quomodò *Fideicommisso* præsertim *universali* gravare possit? 427
IV. Qui sint effectus Fideicommissi? 428
V. Quomodò interpretanda sint Fideicommissa, quibus parens liberos gravat; præsertim addita conditione *si sine liberis discedant*? 429
VI. Quandonam exspiret *Fideicommissum*. 429

§. XX.
De Legatis, & Fideicommissis particularibus.
Quæstio I. Quid sit *Legatum*? à quo, & cui fieri possit? 430
II. Quotuplex sit, & quomodo fieri possit Legatum. 431
III. Quid Juris de Legatis conditionatis, *si nupserit, vel non nupserit*. Item *si Religionem ingrediatur vel non: si Ordines suscipiat vel non*? 432
IV. Quid sit? & quomodo fiat, & quomodò valeat *Legatum sub, seu ex certa causa*? 433
V. Quæ forma, & solemnitas requiratur ad Legatum? 434
VI. Quænam res, presertim an aliena Legari possit. 434
VII. Quandonam legatarius acquirat dominium, & fructus legati sibi facti? 435
VIII. An legatarius propria authoritate capere possit Legatum? 436

§. XXI.
De Donationibus mortis causa: Item de Codicillis, & Clausula Codicillari.
Quæstio I. Quid sit? quomodò, & quando fieri possit donatio mortis causa? 436
II. Quinam, & cui donare mortis causa possit? 437
III. An, & quomodò donatio mortis causa revocari possit? Item quandonam ipso Jure expiret? 437
IV. In quibus differat donatio mortis causa à legato, & Donatione inter vivos? 438
V. Quænam solemnitas requiratur ad Donationem mortis causa? 438
VI. Quid sit Codicillus? ad quid serviat? à quo, & quomodò fieri debeat? 438
VII. Quid, & cujus effectus sit clausula Codicillaris. 439

§. XXII.
De Irritatione, Destitutione, Ruptione, Revocatione, ac Mutatione Testamentorum, ac aliarum ultimarum Voluntatum.
Quæstio I. Quid sit *irritari* Testamentum, & quomodò irritetur? 440
II. Quid sit *destitui*, & quomodò destituatur Testamentum? 441
III. Quid sit *rumpi*, & quomodò rumpatur Testamentum? 441
IV. An, & quomodò Testator possit suum revocare aut mutare Testamentum? 441
V. An, & quomodò revocari possit verbis? 442
VI. An, & quomodò *facto* revocetur Testamentum? 443
VII. An, & quomodò *facto* revocetur Testamentum per confectionem alterius. 443
VIII. An, & quomodò revocari possint, & quando revocata censeantur aliæ ultimæ voluntates, donationes nempe mortis causa, Legata, & Codicilli. 444

§. XXIII.
De Executoribus, & Executione Testamentorum, & aliarum Ultimarum Voluntatum.
Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Executor Testamenti, vel alterius ultimæ voluntatis? 445
II. Quinam de Jure sint Executores? 445
III. Quinam possint deputari, & esse Executores ultimarum voluntatum? 445
IV. An Executor in Testamento deputatus cogi possit ad exequendam ultimam defuncti voluntatem? 446
V. Quandonam Executores teneantur exequi ultimam voluntatem defuncti, & à quo negligentes compelli possint, ac quibus pœnis subjaceant debito tempore non exequentes? 447
VI. Quomodò adimpleri, seu Executioni mandari debeat ultima voluntas defuncti? 448
VII. An Executores possint mutare ultimam defuncti voluntatem ad pias causas, in alium usum pium, saltem in casu, quo legatum ad designatum pium usum non sufficit, vel applicari non potest? 448
VIII. An possit Executor, vel in ejus defectu Episcopus relicta ad causam piam, pro libitu, vel pauperi, cui vult etiam uni soli erogare: si Testator in genere, ac sine ulla determinatione dicit? 449
IX. Quomodò habere se debeant Executores, si Testator dicit: *Volo, ut hæc impendantur pro salute animæ meæ* vel *pro DEI Gloria*? 449

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab intestato.

§. I.
De Natura, & Divisione Successionis ab intestato: ubi etiam de computatione consanguinitatis graduum in ea observanda.
Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Successio ab intestato? 450
II. Quinam, & quo ordine ab intestato succedant? 450
III. Quomodò computentur gradus consanguinitatis in ordine ad dignoscendum, quis sit gradu proximior consanguineus defuncti? 450

§. II.
De Successione descendentium, liberorum nempe, nepotum, ac pronepotum.
Quæstio I. Quinam liberi, & quomodò succedant ab intestato? 451
II. Quinam, & quomodò succedant nepotes ab intestato? 452

§. III.
De Successione Ascendentium. & Collateralium, fratrum nempe, & aliorum Sanguine junctorum.
Quæstio I. Quomodo succedant parentes, & alii ascendentes, casu quo nulli extent descendentes defuncti? 453
II. Quando, & quomodò ab intestato succedant Collaterales? 454
III. Quomodò legitimi tantum seu adoptivi, & illegitimi Collaterales succedant? 456

§. IV.
De Successione Conjugum. & fisci; ubi etiam specialiter de Successione in bona Clericorum.
Quæstio I. Quomodò, & quando sibi invicem succedant conjuges? 456
II. An, & quomodò ab intestato succedat fiscus? 457
III. Quinam succedat in bona Clericorum? 457

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

§. I.

De Natura, Loco, & Jure Sepulturæ.

Quæstio I. Quid sit Sepultura? 459
II. Ubinam, & quæ loca deputari, & servire possint pro Sepultura. 459
III. Ubinam quivis, seu in quo Cœmeterio, vel Ecclesia sepeliri debeat? 460
IV. Ubinam sepeliendi sint Clerici sæculares? 461
V. Ubi sepeliendi sint Religiosi, eorum Novitii, & reliqui famuli aut domestici? 461
VI. Ubinam sepeliri debeat uxor seu vidua, sive actu adhuc ligata? 461
VII. Ubi sepeliri debeant viatores transeuntes, hospites, peregrini, & advenæ. 462
VIII. Quibus locis competat jus Sepulturæ ad hoc, ut defunctorum cadavera ibidem sepeliri possint, ac debeant? 462
IX. Quænam observanda circa Sepulturam, casu quo quis eam apud Regulares eligit. 462

§. II.

De Electione Sepulturæ, ac Portione Canonica: ubi etiam de eo, quod peti, & accipi potest pro Sepultura.

Quæstio I. Quinam, & ubi eligere sibi possint Sepulturam? 463
II. Quid Juris, & emolumenti Parochus defuncti habeat casu quo aliquis in aliena Parochia Sepulturam eligit, vel in Sepultura Majorum extra propriam Parochiam existente sepelitur? 464
III. Quid, & quotuplex, & quanta sit portio Canonica? 464
IV. De quibus rebus, & à quibus locis solvi debeat Portio Canonica Parochialis. 465
V. Quinam, & quæ loca teneantur solvere Portionem Canonicam, seu Quartam Parochialem, sive funeralium? 465
VI. Quid, & quanta sit, à quo, & cui debeatur portio Canonica Episcopalis? 466
VII Num aliquid peti possit pro Sepultura? 466
VIII. An Clerici aliquid exigere possint pro actu, & officio sepulturæ, pro Exequiis, & deductione funeris? 467

§. III.

De iis, quibus Sepultura Sacra concedi, vel negari debeat.

Quæstio I. Quinam in loco Sacro sepeliri possint, ac debeant? 468
II. Quid Juris, si quis juxta SS. Canones, Sepultura indignus sepeliatur in loco Sacro? an nempe, & quando iterum exhumari, & locus reconciliari debeat? 470
III. Quas pœnas incurrant, qui indignos in loco Sacro sepeliunt? 470

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

Quæstio I. Quid sit Parochia? 471
II. Quænam sint Jura Parochialia, Ecclesiæ, & Parocho competentia? 472
III. Quinam sint, & dicantur proprii, & alieni Parochiani? 472
IV. An quis pro libitu domicilium, consequenter etiam Parochiam mutare valeat? 472

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

§. I.

De Natura, & divisione decimarum, ubi etiam de Jure, quo introductæ sunt, & debentur.

Quæstio I. Quid, & quotuplices sint decimæ? 473
II. Quo Jure sint introductæ, & debeantur decimæ? 473
III. Quomodo peccet, & quibus pœnis subjaceat Decimas defraudans, vel non solvens? 475

§. II.

De Rebus, ex quibus debentur decimæ, Item de modo, tempore, & loco, quo solvi debeant.

Quæstio I. Ex quibus rebus solvendæ sint decimæ? 476
II. Quomodo solvendæ sint decimæ? 476
III. Quandonam, & quoties solvi debeant decimæ? 477.
IV. Ubinam, seu in quo loco solvendæ sint decimæ? 477
V. An in casu, quo Parochianus injustè recusat dare decimas, vel eas non integrè vel non debito loco, tempore, vel modo solvit, possit eum Parochus per vim compellere, aut vi eripere, & extorquere Decimas, vel saltem propterea negare Sacramenta, & alia divina? 477

§. III.

De Personis, quæ tenentur ad solvendas Decimas.

Quæstio I. Quinam obligentur solvere decimas? 478
II. Et quidem specialiter, an Clerici sæculares teneantur ad decimas? 478
III Num etiam Religiosi teneantur ad Decimas. 479
IV. An etiam pauperes teneantur solvere Decimas? 479
V. An dominus, vel conductor teneatur ad Decimas, casu quo quis prædium, vel alium fundum proprium alteri elocavit? 480

§. IV.

De modis, quibus quis eximitur a solvendis Decimis; præcipuè de Privilegiis.

Quæstio I. An possit aliquis privilegio eximi à solvendis Decimis? 481
II. An aliqui, & quinam hodie privilegio seu impropria hujusmodi dispensatione Pontificia, seu remissione Juris Divini sint exempti à solvendis Decimis. 481
III. Quomodò interpretanda, ac intelligenda sint tam communia, Jurique communi inserta, quàm specialia privilegia exemptionis à solvendis Decimis? 482
IV. An per consuetudinem, vel præscriptionem, quis eximi possit à solvendis Decimis? 484

§. V.

De Personis, quibus Decimæ sunt solvendæ.

Quæstio I. Cuinam solvendæ sint Decimæ? 485
II. An & quando hodierno Jure communi etiam Episcopis solvi debeant Decimæ? 487
III. An etiam, & quando aliis Clericis præter Episcopum, & Parochum de Jure solvendæ sint decimæ? 487

§. VI.

De variis modis, quibus Clerici Jus Decimandi acquirere possunt.

Quæstio unica. Quibus modis Clerici acquirere valeant jus Decimandi, quod alias ipso jure eis non competeret? 488

§. VII.

De decimis, quas Laici habent: Item de Decimis Novalium.

Quæstio I. An etiam, & quomodo Laici acquirere possint jus Decimandi? 490
II. An Laici *Præscriptione, & consuetudine* saltem immemoriali acquirere possint jus Decimandi, prout acquirere valent Clerici? 491
III. An ergo damnandi sint Laici percipientes hodie decimas, quas percipiendi nullum titulum, quam tempus immemoriale allegare, & probare valent. 491
IV. An Laici jus Decimandi, quod ex Legitimo, vel salem præsumpto titulo juxta dicta possident, possint per venditionem, donationem, mutationem, vel per alium contractum in alios transferre Laicos? 492
V. Quibus debeantur Decimæ Novalium? 492
VI. An privilegium percipiendi, vel non solvendi decimas extendatur etiam ad Novalia? 493

§. VIII.

De Judice causæ decimarum. Item de Actione instituenda in causis decimarum.

Quæstio I. Quis sit Judex in causa decimarum? 494
II. An in *Possessorio*, in quo sola movetur quæstio facti, reo existente Laico, in causa Decimarum Laicus solus debeat esse Judex, ita ut privativè procedat, omnemque Judicem Ecclesiasticum excludat, sicut Judex Ecclesiasticus in *Petitorio* ejusdem causę privativè excluso socio Judice procedit? 494
III. Quænam actio pro Decimis instituenda, & quomodo tractanda. Item an detur appellatio in causa decimarum? 495

§. IX.

De Primitiis, & Oblationibus.

Quæstio I. Quid sint, an, quo Jure, & cui debeantur Primitiæ? 496
II Quid sint oblationes, an, & cui debeantur? 496
III. Ad quem pertineant oblationes in, vel extra Ecclesiam factæ? 497
IV. Ad quem pertineant oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium? 498

TITULUS XXXI.

De Regularibus & Transeuntibus ad Religionem.

§. I.

De Natura, & Origine Religionum, ac Religiosorum seu Regularium.

Quæstio I. Quid sit Religio, & quid Religiosus? 499
II. An, & quo jure tria vota, Paupertatis nempe, Obedientiæ, & Castitatis perpetuæ sint de essentia Religionis? 500
III. Utrum ad substantiam Religionis requiratur, ut tria vota sint solemnia? An sufficiant simplicia? 500
IV. Quo tempore, & à quo institutus fuerit status Religionis? 500

§. II.

De Diversitate, ac Numero Religionum, nec non de perfectione, & utilitate earum tam absoluta, quam respectiva.

Quæstio I. An, & qualis sit diversitas Religionum? 501
II. Quot numero sint Religiones in specie, quando item & à quo quævis instituta, ac approbata? 502
III. Utrùm expediens, & utile fuerit, ac etiamnum Ecclesiæ Dei, quòd institutæ in ea fuerint, & adhuc sint Religiones, præsertim tot, & tam diversæ? 506
IV. Quænam Religio inter tot, & tantas sit perfectior? 506
V. Cùm multæ hodie dentur Religiones mixtę, quęnam illarum in specie sit perfectior? 507
VI. Utrùm usque ad finem mundi duraturus sit status Religiosus? 507

§. III.

De Recipiendis ad Religionem: Item de Novitiis, eorumque Magistro, & anno Novitiatus.

Quæstio I. An quilibet Religionem ingredi, & in eam recipi possit? 508
II. An circa qualitates de Jure communi, & Constitutionibus Pontificiis requisitas, necessariò debeat fieri indagatio, seu informatio, antequam suscipiatur quis ad Religionem? 509
III. An, & qualis esse debeat Novitiorum Magister? 510
IV. Qualiter eos educare, & in quibus præcipuè illos instruere debeat? 510
V. Quanto tempore debeat receptus in Novitiatu manere in ordine ad hoc, ut Professionem emittere valeat? 511
VI. Utrum annus Novitiatus seu probationis debeat necessariò esse completus de momento in momentum? 511
VII. Utrum annus Novitiatus seu probationis necessario debeat esse continuus, ac sine interruptione? 512

§. IV.

De Libertate, Juribus, Privilegiis, & Obligationibus Novitiorum.

Quæstio I. Utrùm Novitii intra annum probationis pro libitu Religionem deserere, & ad sæculum redire valeant? Item an egredientes teneantur ad expensas: item quæ eis sint restituenda? 513
II. An Novitius etiam invitus è Monasterio expelli possit? 514
III. Quibus Juribus, ac Privilegiis gaudeant Novitii. 514
IV. An aliquid, & quidnam Novitio sponte egredienti, vel ex causa ejecto restitui debeat? 515
V. Quæ sint obligationes Novitiorum? an videlicet teneantur ad tria vota, præcepta Regulæ, & statuta; Item an egrediens teneatur solvere expensas quas pro victu, & vestitu, morbis, ac aliis necessariis Novitii fecit Monasterium? 515

§. V.

De Renuntiationibus, Testamentis, & aliis dispositionibus Novitiorum & Ingressurorum Ordinem.

Quæstio I. Quinam actus comprehendantur nomine *Renuntiationis, & Obligationis*, ita ut vi hujus Decreti sint irriti, nisi fiant juxta formam præscriptam? 516
II. Quinam actus, obligationes, aut dispositiones non subsit sæpè citato Decreto Tridentino? 517
III. Quas personas comprehendat Decretum Tridentinum? 517
IV. Quænam solemnitates requirantur ad hoc, ut Renuntiationes, & obligationes ingredientium Religionem subsistant? 519
V. Quænam requirantur ad hoc, ut ritè fiat, & subsistat Renuntiatio, qua ingrediens Religionem renuntiat hæreditati futuræ paternæ, maternę, fraternę, sororum, consanguineorum? Item quomodo interpretanda? 519

§. VI.

De Professione Religiosa expressa, & tacita: Item de requisitis ad eam, & variis modis eandem faciendi.

Quęstio I. Quid & quotuplex sit Professio Religiosa? 520
II. Quęnam ad valorem Professionis Religiosę requirantur? 520
III. Qua forma, ac quibus modis fieri possit Professio Religiosa expressa. 521
IV. Quibus modis olim fiebat, & an adhuc hodie post Concilium Tridentinum fieri possit *Professio tacita*? 522
V. Utrùm Professio differri possit ultra annum? 522
VI. An etiam aliquando ante finitum probationis annum validè fieri possit Professio, & quem effectum habeat talis professio? 522
VII. An, & quid speciale circa Professionem Monialium? 523

§. VII

De effectibus Professionis Religiosæ; Item de Professione invalidè facta: ac de Reclamatione contra eam: nec non de ratificatione ejusdem.

Quæstio I. Quinam sint effectus, vel quænam prærogativa Professionis Religiosæ? 524
II. Quid Juris in casu, quo Professio ex defectu alicujus ex dictis requisitis, vel ex alia causa invalida, an nempe? quando? & quomodo contra eam reclamare, eaque non obstante Religionem deserere possit nulliter professus? 524
III. Specialiter, an non dentur casus, in quibus etiam post quinquennium contra nullitatem Professionis legitimè reclamare possit, & audiendus sit nulliter professus? præcipuè an non in casu, quo ignoravit nullitatem Professionis, aut alias impeditus fuit ad reclamandum intra quinquennium? 525
IV. Quid faciendum nulliter Professo, qui coram Deo, & in conscientia saltem certò scit, quòd ejus professio sit nulla, eò quòd v. g. tantum fictè, ac sine animo sese obligandi eam emiserit, vel gravi metu injustè incusso professus sit, vel aliud essentiale requisitum, v. g. ætatem Legitimam non habuerit &c. & tamen in foro externo id probare non potest, vel ultra quinquennium nullitatem ignorans, primùm post elapsum quinquennii illam cognoscit; aut ea prius cognita, usque ad lapsum quinquennii impedimentum reclamandi patitur? 526
V. Quid Juris, si nulliter professus dubitat, an non tacitè, vel expressè ratificaverit Professionem, postquam jam scivit eam esse nullam? 526
VI. An, & quomodò Professionem ratificare possit, aut debeat nulliter professus? & quæ requirantur ad validam ratificationem? 526
VII. An ad valorem ratificationis requiratur novus consensus, & acceptatio illius, cujus est suscipere ad Professionem: consequenter, an necesse sit, ut eidem etiam priùs manifestetur, & notum fiat, Professionem primam fuisse invalidam? 527

§. VIII.

De potestate ejiciendi Religiosos professos, ubi etiam de ipsis Ejectis: item de fugitivis, & Apostatis, eorumque obligatione.

Quæstio I. An, & ob quas causas, quando & quinam Religiosi jam professi ex Ordine ejici possint? 528
II. A quibus Superioribus possint ejici incorrigibiles? 529
III. An? & quando, & quomodò possit Religio expellere nulliter professum? 529
IV. Quid Juris de Ejectis? 529
V. An Religiosus ejectus teneatur se corrigere ad hunc finem, ut iterum ad Religionem redire possit, & debeat? 530
VI. An Religio Religiosum emendatum, petentemque suscipi teneatur iterùm suscipere? & non petentem, vel venientem quærere? 530
VII. Quinam sint, & vocentur Religiosi fugitivi, & Apostatæ? Item quid Juris de iis? 531
VIII. Quæ sint obligationes *Apostatarum*, & *Fugitivorum* 531
IX. Quæ sint pœnæ *Fugitivorum*, & *Apostatarum*? 531
X. An, & qualiter peccent? quibusque pœnis subjaceant recipientes, retinentes, aut occultantes *Apostatam* vel *Fugitivum*? 531
XI. Quæ sit potestas, & obligatio Religionis erga *Apostatas*, & *Fugitivos*? 531

§. IX.

De Transeuntibus ad aliam Religionem.

Quæstio I. An Religiosi legitimè professi possint de una Religione ad aliam transire, & quæ conditiones ad talem transitum requirantur? 532
II. An expediat à Religione minùs stricta ad strictiorem transire, & *Transeuntes* recipere? 533

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

Quæstio I. An, & quando Conjuges ingredi possint Religionem? 534
II. An, & quando Conjuges intrare possint Religionem post matrimonium jam consummatum. 535
III. An, & quomodò Conjuges Religionem intrare, vel etiam Ordines suscipere valeant, casu quo unus eorum committeret adulterium Carnale, vel spirituale labendo in hæresim, vel infidelitatem. 537

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

Quæstio unica. Quid Juris de Matrimonio infidelium & prolibus eorum, casu quo unus illorum, vel ambo convertuntur ad finem? an nempe, & quando separari possint, aut debeant? 538

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

Quæstio I. An hæres teneatur exequi vota defunctorum? 539
II. Quid sit Redemptio Voti, & quot modis fieri queat? 540
III. Quid sit Irritatio voti, & à quo fieri possit? 540
IV. Quid sit dispensatio voti, ex quibus causis, & à quo fieri possit? 541
V. Quid sit commutatio voti, & à quo fieri possit? 543
VI. An etiam, & à quo fieri possit, *Irritatio, dispensatio, & commutatio votorum*, in favorem tertii, v. g. Ecclesiæ, Monasterii, pauperis, emissorum? 544

TITULUS XXXV.

De statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

§. I.

De Peculio, & Paupertate Religiosorum.

Quæstio I. An, & quomodo prohibitum sit, vel concessum Monachis, & aliis Religiosis habere peculium, vel proprium? 544
II. Quæ sit pœna proprietarii? 546
III. Quid Juris in casu quo aliquid alicui Religioso in particulari legatur, aut donatur hac conditione, ut ad eum, & non ad Monasterium pertineat? 546

§. II.

De Clausura Regularium, tam virorum, quam Monialium.

Quæstio I. Quid sit *Clausura Monasterii* Regularium tam virorum, quam Monialium? 547
II. An, & quanta sit obligatio *Clausuræ* Monialium quoad egressum? 547
III. Ob quas causas, & per quas dari possit Monialibus licentia exeundi è *Clausura*? 548
IV. In quo consistat, & quantùm se extendat obligatio *Clausuræ Monialium*? 549
V. Ob quas causas personis alias intrare *Clausuram* prohibitis licitum sit ingredi *Clausuram Monialium*? 550

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

Quæstio I. Quid ad præsens sit *Domus Religiosa*, & quid requiratur ad eam? 554
II. Cui subjectæ sint *Domus Religiosæ*, seu *loca Religiosa*? 555
III. Quid Juris pariat Episcopo hæc subjectio *locorum Religiosorum*? 555
IV. Quid Juris competat Episcopo *in loca pia* authoritate Episcopi non erecta, consequenter non *Religiosa*? 555
V. Utrum Episcopus vi Jurisdictionis suæ possit *Religiosa*, aut saltem *pia loca*, fundationes, & instituta ad certum pium usum erecta, vel deputata, in alium usum pium transferre? 555

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

Quæstio I. Cui competat jus præficiendi Rectorem in Ecclesiis Monasterio incorporatis, & qualis præfici debeat? 556
II. An, & qualem jurisdictionem habeat Episcopus in Regulares existentes in Parochiis Monasterio incorporatis? 557
III. Quid Juris de *congrua portione* assignanda Vicariis Ecclesiarum Monasterio (vel etiam Collegio, Capitulo, Universitati &c.) incorporatarum, à quo nempe, qualis, quanta, & de quibus redditibus constitui, & assignare debeat. 557

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus.

§. I.

De Natura Jurispatronatus: Item de causis & modis, quibus acquiritur, & quis Patronus efficitur.

Quæstio I. Quid sit *Juspatronatus* ad propositum? 559
II. Ex quibus causis, seu quibus modis acquiratur *Juspatronatus*, & efficiatur quis Patronus? 559

§. II.

De Modis, quibus Juspatronatus jam semel acquisitum in alios transferri, consequenter Translatione acquiri possint: ubi etiam de iis, qui capaces sunt Jurispatronatus.

Quæstio I. An, & quomodo transferatur in alium *Juspatronatus* per successionem hæreditariam? 561
II. An, & quomodò *Juspatronatus* per *Donationem* in alium transferri possit? 562
III. An, & quomodò *Permutatione* in alium transferri queat Juspatronatus? 563
IV. An, & quomodò vendi possit *Juspatronatus*? 563
V. An Juspatronatus etiam cum Feudo, Emphyteusi, Hypotheca, & Dote transeat? 563
VI. Quinam sint capaces *Jurispatronatus*. 563
VII. Num etiam Judæi, Pagani, & Hæretici sint capaces *Jurispatronatus*? 564

§. III.

De Divisione Jurispatronatus, præsertim in Ecclesiasticum & Laicale: & differentia inter utrumque.

Quæstio I. Quomodò dividatur, seu quotuplex sit Juspatronatus? 565
II. Quibus differant inter se *Juspatronatus Ecclesiasticum & Laicale*. 565

§. IV.

De Jure præsentandi; ac de ipsa Præsentatione; ubi etiam de casu, quo litigant, aut discordant Patroni.

Quæstio I. Qualiter *Patrono* competat Jus præsentandi? 567
II. Quos præsentare *Patronus* possit, & debeat, præsertim an etiam se ipsum præsentare valeat? 567
III. An *Patroni* teneantur præsentare digniorem, vel sufficiat præsentare dignum? 568
IV. Quid Juris, si Patroni præsentant omninò indignum aut inhabilem? 569
V. Quomodò fieri debeat præsentatio, & cujus præferenda sit, si plures sint Patroni, & plures ab eis præsententur? 569
VI. Quid Juris, si *Patroni* in præsentando, vel circa ipsum Juspatronatus discordent, & litigent? 570
VII. Quid Juris, si lis vel controversia non est inter ipsos *Patronos*, sed inter *Patronum* & Episcopum, vel Ecclesiam, hac contendente se liberam: vel inter *Patronum*, & Præsentatos, aut inter præsentatos ipsos? 571
VIII. Quid Juris, & quis institui debeat aut possit, si plures ab unico Patrono præsententur? 571

§. V.

De aliis Juribus Patrono competentibus: ubi etiam de Oneribus: ac de causis, ob quas iterum amittitur seu extinguitur juspatronatus.

Quæstio I. In quo consistat, & quomodò competat patrono *honor* indicatus in versiculis citatis per verba *honos*, & præsit? 571
II. Quæ sint onera, & munera *Patroni*. 572
III. An Patroni præter præfata à *num.* 110. duo jura, habeant etiam jus aliquod, vel potestatem in Ecclesiam, vel bona ipsius, vel Rectorem ejusdem, ita ut possint Ecclesiis, & Beneficiis onus aliquod, aut pensionem imponere, aut à Beneficiato exigere, aut de bonis illius disponere, aut beneficiatum amovere, &c. 572
IV. Quibus de causis, & quibus modis *juspatronatus* amittatur, & penitus extinguatur? 573

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

§. I.

De Censibus: ubi in specie de Cathedratico.

Quæstio I. Quid ad præsens, & quotuplex sit *Census*? 574
II. Quinam, & qua de causa censum imponere possit quibusvis Ecclesiis, aut beneficiis. 574
III. Quid sit *Cathedraticum*, & à quo præsertim, an etiam à Monasteriis, & Ecclesiis Regularium solvi debeat. 575
IV. In qua quantitate, & quali moneta, ac quando solvi debeat *Cathedraticum*? 575

§. II.

De Exactionibus Ecclesiasticis: principaliter de Subsidio Charitativo: & Subsidio ad Seminarium.

Quæstio I. Quid sit *Subsidium Charitativum*, quinam & à quibus illud exigere possint? 576
II. An, & qualis requiratur, an sufficiat causa ad exigendum *Subsidium Charitativum*. 577
III. In qua quantitate, & qualiter, & quoties exigi valeat *Subsidium Charitativum*. 577
IV. Quid Juris, si dubium & controversia est, an causa adsit sufficiens, vel quantitas petita sit excessiva. 578
V. Quid Juris de Subsidio ad *Seminarium* contribuendo, & an *Census*, vel *Exactio* dici debeat. 578

§. III.

§. III.

De Exactionibus, Tributis, Gabellis, Vectigalibus, Perdonis, Quadragiis, Tallitis &c. Laicalibus.

Quæstio I. Quis possit imponere, & exigere *Tributa, Exactiones, Vectigalia?* 579
II. An sempes, & pro libitu Superens Principes imponere possint nova *Tributa, Exactiones, Vectigalia,* 579
III. An *Tributa, Exactiones, Gabellæ, & Vectigalia* imposita obligent in conscientia, ita ut defraudantes peccent graviter, & ad restitutionem teneantur? 579

§. IV.

De procuratoribus, ubi etiam de Visitatoribus.

Quæstio I. Quid sit ad propositum *procuratio*, & quinam ad eam teneantur? 581
II. Quinam comprehendantur sub *procuratione*, & quomodo exigi possit, ac præstari debeat? 581
III. An consuetudine aut præscriptione abrogari possint *procurationes*, ita ut Ecclesiæ visitatæ ad nullas expensas pro visitu Visitatoris solvendas teneantur? 582
IV. Quid sit *Visitatio*, seu visitare, ratione cujus debeatur *procuratio*? à quibus, circa quæ, quare, & quomodo fieri possit, vel debeat? 583

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

§. I.

De Consecratione Ecclesiæ, & Cæmeterii: ubi etiam de Exercratione, & Violatione seu pollutione; ac de Reconciliatione utriusque.

Quæstio I. Quid sit Consecratio Ecclesiæ, à quo, quando, & quomodò fieri possit, ac debeat? 584
II. Quid juris, si ignoratur, & dubitatur, Ecclesiam esse consecratam. 587
III. In quibus casibus Ecclesiæ dellruatur, & reædificatæ ac amplificatæ exercentur, seu consecrationem amittant, ita ut denuò consecrari debeant? 585
IV. An, & in quibus casibus polluatur, seu violetur Ecclesia ita ut reconciliatione indigeat? 587
V. An in præfatis casibus pollutæ Ecclesiæ, fi sunt sacrosancti? 586
VI. Quid importet? Item quid agendum, & præstitum quomodò & à quo reconciliatio fieri debeat, & Ecclesia uno ex dictis modis polluatur. 586
VII. Quid juris de Consecratione, & Pollutione Cæmeterii: ac Reconciliatione ejusdem. 587

§. II.

De Consecratione, & Exhumatione Altaris: ubi etiam de Consecratione, & Benedictione Calicis, Campanæ, Vestium, Paramentorum, & Ornamentorum, ad Ecclesiam, vel Missam spectantium.

Quæstio I. Quid juris de Consecratione, & Exercratione Altaris? 587
II. Quibus modis polluatur, & Exercretur Altare, ita ut nova consecratione indigeat? Et an polluto, vel exercrato Ecclesiæ, etiam exercretur, & polluatur altare ac econtra? 588
III. Quid juris de Consecratione, & Exercratione Calicis, Patenæ, & Campanarum? 589
IV. Quid juris de Consecratione, seu Benedictione, & Exercratione Paramentorum, & Vestium ad Missam pertinentium, Corporalis v. g. Purificatorii, Pallæ, Amictus, Albæ, Cinguli, Manipuli, Stolæ, Casulæ &c. 589
V. An ab Episcopo aliis committi, vel consuetudine acquiri possit potestas benedicendi paramenta. 590
VI. Incidentaliter, quid juris de tactu, lotione, & rejectione vasorum, & Paramentorum Sacrorum? 590

TITULUS XLI.

De Celebratione Missæ, Sacramento Eucharistiæ, & Divinis officiis.

Quæstio I. Ubinam, seu quo loco Missæ celebrari possint, ac debeant, præsertim, an in domibus sæcularibus, aut oratoriis privatis celebrari valeant? 594
II. An, quoties, & quo jure Parochi teneantur applicare Missam pro suis Parochianis, ita ut ad aliam intentionem, vel pro Stipendio Missam vocivam v. g. celebrare nequeant? 595

TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus effectu.

Non habet Quæstiones. 598

TITULUS XLIII.

De Presbytero non Baptizato.

Non habet Quæstiones. 598

TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

Non habet Quæstiones. 599

TITULUS XLV.

De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.

§. I.

De Ventilatione, & Cultu Sanctorum, Beatorum, ac cum simul Sanctitatis Declaratorum: utique de Canonizatione, & Beatificatione Exruendem.

Quæstio I. Quinam sint, & dici valeant Sancti? Item, quid sit Canonizatio, & Beatificatio, ac in quo differant? 600
II. An solus Papa *Canonizare*, & *Beatificare* possit. Item an in Sanctorum *Canonizatione*, & *Beatificatione* exrare possit? 600
III. An Papa in *Canonizatione*, aut *Beatificatione* Sanctorum possit errare, & an de Fide sit, quòd errare in hoc non valeat? 600
IV. Quinam requisiti rint ad *Canonizationem*, vel *Beatificationem*, alicujus, quomodò, & à quo fieri possit, ac debeat? 600

§. II.

De Veneratione Reliquiarum, & approbatione earundem: ubi etiam de Miraculis, Examinatione, & Approbatione eorundem.

Quæstio I. Quid sint Reliquiæ Sanctorum, & quid de cultu, ac Veneratione earum? 604
II. Utrum Episcopus absque licentia Papæ transferre possit corpora, aut alias Reliquias Sanctorum? 604
III. Quid fit Miraculum, & quæ requirantur ad illud? 604
IV. An ex *Miraculis* fit unum majus alterò, & qui denuò gradus inter ea? 605
V. An verum *Miraculum* fieri debeat in instanti? 605
VI. Cui competat potestas examinandi, & recognoscendi *Miracula*, & quomodò recognosci debeant? 606

§. II.

De Jure, seu Immunitate Asyli, ac de locis, quibus competit.

Quæstio I. Quid sit *Immunitas* seu *Jus Asyli*, & quo jure introdustum habeatur. 619
II. Quinam loca gaudeant *Immunitate*, seu *Jure Asyli*. 620.

§. III.

De Personis, quæ gaudeant Jure Asyli.

Quæstio I. An Laici Catholici omnes gaudeant *Jure Asyli*. 623.
II. An etiam Clerici, & Religiosi gaudeant jure Asyli, ita ut delinquentes è loco sacro extrahi, vel in illo, aut extra punitri non possint. 624
III. An Judæi, Paganes, ac cæteri infideles, qui in Christum non credunt, gaudeant Asylo. 625

§. IV.

De Criminibus, quæ gaudeat, vel non gaudeant Jure Asyli: In specie de latrone, grassatore, depopulatore agrorum, & Occidente, vel Violatente in Ecclesia vel Cæmeterio.

Quæstio I. An Bulla Gregorii XIV. omnes & ubique obligeat. 628
II. Quinam Crimina gaudeant *Immunitate* & quæ non. ibid.
III. Quis fit, & dicat sit ad præfens *publicus latro*, ac vulgum Grassator, ad hoc ut *Asylo* privetur. ib.
IV. Quinam ad propositum fint, & dicantur Depopulatores agrorum. 629
V. Quando quis dicatur homicidium, vel mutilationem in Ecclesia, vel Cæmeterio committere, ad hoc ut Indigeus existatur Asyli. 630
VI. An Illi gaudeant Asylo, qui prope Ecclesiam v. g. in atrio, in portico, in fcalis Ecclesiæ, vel intra ad. & eo passus ab Ecclesia, vel intra Monasteriorum occidunt vel mutilant. 630
VII. An etiam proprietarium, vel alia Criminalia in Ecclesiis, vel cœmeteriis commissa privetur quis *Immunitate Asyli*. 631

§. V.

De reliquis Criminibus Asylo privandibus, videlicet Homicidio proditorio, crimine offuffuli, Hæresi, falsæ Monetæ: ubi etiam de delictis criminibus; Item de fugitivibus exorcer, aut manibus fatellitum.

Quæstio I. Quid ad propositum fit homicidium proditorium. 631
II. Quid fit, & dicatur Assassinium, quinam veniant nomine Assassinorum. Item quæ requirantur ad hoc ut Asylo priventur. ib.
III. Quandonam quis dicatur committere crimen *falsæ Monetæ* in ordine ad privandum *Asylo*. Item quinam ad propositum nomine *Principis* veniant? 634
IV. Utrum etiam propter alia crimina in Bulla Gregorii XIV. non exprella, ea tamen exorbitantia, vel illorum maiora, enormia, & atrocissima quis privetur *Jure Asyli*. 636
V. An reflem *Asylo* gaudeant Rei è carceribus, aut manibus fatellitum fugientes, dum ducuntur ad carceres, vel inde ad fupplicium. ib.

§. VI.

De Effectibus, Fervoribus, & Perniciosis Immunitatis Asyli.

Quæstio I. Quonam effectus, favores, aut privilegia *Jus Asyli* pariat, reis confugientibus ad Ecclesias, vel alia loca facra. 636

§. VII.

De Custodia & Extractione confugentium ad Ecclesiam, Modoque custodiendi & extrahendi reflem: ubi etiam de refitutione male extractorum.

Quæstio I. An, à quo, & quando custodiri possint ac debeant Rei ad Ecclesiam confugientes, ne elabantur, donec ab Episcopo cognoscatur, num gaudeant *Immunitate*, nec ne. 638
II. An, quando, & à quo Curiæ seculari extradi possint ac debeant Rei ad loca facra confugientes. 639
III. An necessaria sit licentia Episcopi ad hoc, ut Reus Criminis excepti tradi possit curiæ seculari eiusve requirenti. 640

IV. An quando & quomodo Potestas sæcularis capere, aut extrahere possit Reum in loco Asyli existentem? 640

§. VIII.

De malè extractorum, aut extraditorum restitutione: Ubi de aliis pœnis violantium Ius Asyli, & Absolutione ab iisdem.

Quæstio I. An, à quo, cui, & quomodo restituendus sit malè extractus, aut extraditus. 643

II. Quænam aliæ pœnæ sint statutæ in violatores *Immunitatis Asyli*, &c. 644

III. Quinam dicantur violare *Immunitatem Iuris Asyli*, ad hoc ut pœnas Juris præsertim Excommunicationem incurrant. 645

IV. Quis, & quando absolvere possit ab Excommunicatione contracta ob violatam Immunitatem Iuris Asyli. ib.

§. IX.

De Immunitate Reali, & Personali.

Quæstio I. Quid sit, & in quo consistat *Immunitas Realis*, & *Personalis*, seu rerum & Personarum Ecclesiasticarum. 646

II. Quænam res seu bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum gaudeant hac *Immunitate Reali*. ibid.

III. Quænam *loca* nomine Ecclesiæ, & quænam personæ nomine Ecclesiasticarum personarum in præsenti veniant ad hoc, ut ipsa & bona earum gaudeant Immunitate. 647

IV. Quo Jure Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ earumque bona gaudeant immunitate reali, & personali. 648

§. X.

De Oneribus, Præstationibus, & Exactionibus, à quibus Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ, & bona ipsarum vi Immunitatis realis, & personalis sunt exemptæ: Ubi in specie de Ordinariis oneribus, ac Tributis, Vectigalibus, Gabellis, & exactionibus tempore communis necessitatis.

Quæstio I. A quibus Oneribus, Exactionibus &c. Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ per Immunitatem realem, & personalem sint liberæ. 648

II. Quo Titulo, & qua conscientia Domini territoriales de Clericis hodie tributa, & alia exigant. 653

§. XI.

De violatoribus Immunitatis, & de pœnis violantium Immunitatem realem, aut Personalem; ac de absolutione ab eisdem; ubi etiam de statutis, & legibus contra Immunitatem Ecclesiasticam.

Quæstio I. Quas pœnas incurrant violatores *Immunitatis Realis*, & *Personalis*, & quinam sint ac dicantur Immunitatis violatores, pœnam incurrentes. 657

II. Quisnam à dictis pœnis absolvere possit. 659

III. Quid Juris de Principum & Dominorum sæcularium statutis, ordinationibus, constitutionibus, pragmaticis, &c. Decretis contra immunitatem Ecclesiasticam factis. ib.

TITULUS L.

Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit *Negotium sæculare* Clericis prohibitum. 660

II. Quænam *Negotia sæcularia* in specie Clericis, & Monachis sint prohibita. ib.

III. Quas pœnas incurrant Clerici aliquod ex recensitis *Negotium sæculare* exercentes. 662

JURIS

JURIS CANONICI UNIVERSI CLARA METHODO JUXTA TITULOS QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM

In quæstiones distributi, solidisque responsionibus, & objectionum solutionibus dilucidati,

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

Postquam in primo Libro Decretalium, præmissis quatuor Titulis, tum de Sa[illegible] TRINITATE, utpote Fonte, atque origine omnis Sapientiæ, & Justitiæ, tum de Constitutionibus, Rescriptis, & Consuetudine, veluti generalibus Juris principiis, actum fuisset de Prælatis, & Judicibus Ecclesiasticis, eorumque institutione, & authoritate; in secundo Libro de Judiciis, quibus præsunt, seu de Processu judiciario, ipsumque concernentibus: subnect[illegible] alii Libri, in quibus tractantur materiæ, & causæ, quæ in Ecclesiasticis judiciis tractari, & agitari solent [illegible] aut criminales sunt; de quibus agitur in quinto [illegible] agendo de vitiis, & pœnis eorum: aut [illegible] comprehenduntur etiam causæ spirituales, atque Ecclesiasticæ; in quibus non criminaliter, seu ad publicam vindictam ob crimen infligendam; sed civiliter, atque ad privatum interesse super re, vel jure aliquo contenditur. Hujusmodi verò causæ vel concernunt personas Ecclesiasticas, eorumque res, aut Ecclesias; & de his tractat iste tertius Liber: aut personas sæculares, seu Laicas; uti sunt Sponsalia, & Matrimonium, eorum statui proprium, de quibus in quarto Libro agitur.

Igitur in hoc Tertio Decretalium Libro tractatur de Clericis, horumque obligationibus, & rebus, [illegible] Beneficiis, Decimis, ac hujusmodi, simul [illegible] Ecclesiis, atque pertinentibus ad istas. E[illegible] in genere, alii sunt sæculares, alii regulares [illegible] Clericis sæcularibus incipit præsens Liber [illegible], & varia, quæ ipsos, nec non & Beneficia, atque Ecclesiasticas eorum [illegible] commo[illegible] concernunt, per priores 30. Titulos [illegible] Clericis autem Regularibus à 31. Titulo [illegible]: atque circa finem à Titulo 40. & dein[illegible] ea, quæ Ecclesiarum consecrationem, Sacramentorum administrationem, venerationem Sanctorum, jejuniorum observantiam, immunitatem Ecclesiarum, & alia hujusmodi concernunt, prout amplius tum in textu Juris, tum in progressu patebit. Unde pergendo IN NOMINE DOMINI, sit

TITULUS I.

De Vita & Honestate Clericorum.

1 *Ratio præcedentiæ præsentis Tituli.*

1 TRactaturus Compilator Juris Canonici in hoc Libro de Clericis, ante omnia præmittendam censuit Rubricam, *De vita & honestate Clericorum*, utpote quæ potissimum in clericis requiritur; cum hi, veluti lucernæ positæ super candelabrum, toti populo, vel maximè vitæ, morumque honestate prælucere, necesse habeant. Quod ut melius intelligatur, sit

§. I.

De Nomine, & Dignitate Clericorum.

S U M M A R I U M.

2 *Clerici, unde sic dicantur?*
3 *Et qui sint?*
Duo sunt genera Christianorum, & quæ? Ib.
4 *Clericatus est dignitas, & honor.*
5 *Clerici specialibus meritò supra Laicos privilegiis, & prærogativis honorantur.*
6 *Clerici, ac præsertim Sacerdotes, sunt Patres, & Magistri populi.*
Imò & ipsorum Regum, ac principum. Ib.
Constantini Magni notabile dictum pro Sacerdotibus & Monachis, ib.
7 *Clericorum dignitati nulla sæcularis est similis:*
Sacerdotes in S. Scriptura aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur, ib.
8 *Et in quo sensu appellentur Dii.*
9 *Populus debet esse divisus à Clero, quando celebrantur Divina Mysteria.*
10 *Clericorum nomen bifariam accipitur; & quomodo? Et num. seq.*
11 *In materia favorabili nomen Clericorum sumitur generaliter; ac prout comprehendit etiam prima Tonsura initiatos, & Episcopos.*
12 *Imo & Monachos, atque Moniales.*
13 *Appellatione tamen Monachorum non veniunt Clerici sæculares; & [illegible]*
Sicut & appellatione Monasteriorum, nunquam veniunt Ecclesiæ sæculares. Ib.
14 *[illegible] odiosa Clericorum nomine soli inferiores Clerici sæculares comprehenduntur, non autem episcopi, Canonici [illegible]*
15 *Idque probatur [illegible]*
16 *Atque declaratur [illegible] num. 18.*
Episcopi non comprehenduntur [illegible] sententia Suspensionis, aut Interdicti, nisi [illegible]untur, numer. 16.
Secus dicendum de pœna excommunicationis; [illegible]?
[illegible] Canonici, & alii in Dignitate Ecclesiastica constituti, [illegible] Clericorum in materia odiosa non comprehenduntur.
19 *Neque Religiosi utriusque sexus: nisi exprimantur, &c.*
20 *Eremitæ, an veniant nomine clericorum, & n. seqq.*
Eremitæ, [illegible] antiquitus. Ib. & n. 22.
21 *Anachoretæ, &*
22 *Cœnobitæ; ac cœnobium, quid?*
23 *Eremitæ præsentis temporis, sunt in triplici differentia.*
24 *Eremitæ quandam Religionem professi &c. veniunt nomine clericorum.*
25 *Idem dicendum de Eremitis, qui de manu Episcopi receperunt habitum Eremiticum pro servitio alicujus Ecclesiæ &c.*
26 *Hujusmodi vita Eremitica, non est mere laicalis, sed Ecclesiastica.*
27 *Idem dicendum de Tertiariis Religionum, quando sub obedientia Prælatorum inserviunt Ordini, aut Ecclesiæ.*
28 *Secus dicendum de Eremitis, qui sine authoritate Prælatorum, voluntariè deferunt habitum Eremiticum.*
29 *Nisi alicubi vigeret contraria consuetudo.*

QUæritur I. Unde Clerici sic dicantur; & quæ sit dignitas Clericatus? Resp. I. *Clerici*, juxta Isidorum, relatum in *can. 1. dist. 21.* sic appellantur à græca voce: Κλῆρος; & *Sors latinè, seu hæreditas dicitur. Et propterea dicti sunt clerici, quia de sorte Domini sunt vel quia Domini partem habent* Hæc ibi. Voluit enim Deus ex toto Populo fideli aliquos sibi specialiter eligere, qui essent sors, seu pars, ac hæreditas ipsius peculiaris, quæ abjectis curis sæcularibus uni Deo prorsus vacaret, ejusque servitio ac cultui penitius intenderet. 2

Unde Clerici benè describuntur, dicendo: *clerici* sunt homines Christiani, qui à negotiis, curisque sæcularibus remoti, servitio cultuique Divino specialiter sunt deputati. Nam, ut *can. duo sunt genera*, 12. q. 1. legitur „ Duo „ sunt genera christianorum Est autem unum genus, „ quod mancipatum Divino officio, & deditum contem- „ plationi, & orationi, ab omni strepitu temporalium „ cessare convenit -- Aliud vero genus est Christianorum „ ut sunt Laici. *Laos* enim græcè, est populus latinè. „ His licet temporalia habere, sed non nisi ad usum (*Id* „ *est, non ad abusum, ut explicat Gl. ib.*) Nihil enim mi- „ serius est, quàm propter nummum, Deum offendere. „ His concessum est uxorem ducere, terram colere, in- „ ter virum & virum judicare, causas agere, oblationes „ super Altari apponere, decimas reddere; & ita salvari „ poterunt, si vitia tamen benefaciendo evitaverint. *Hæc ibi.* 3

Resp. II. Clericatus est dignitas, & honor Textus est in *can. denique dist. 4.* ibi: *Sacerdotes, & Diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas Ecclesiastici gradus exornat.* Concor[illegible] *can. admittuntur. dist. 54. & can. [illegible] 1. q. 1.* cum similibus: fateturque Imperator in *l. [illegible], C. de episc. & cler.* illis verbis: *Ad clericatus honorum [illegible]*. Idipsum habetur *l. [illegible], [illegible] injuriis*, ibi: *cum esse in Sacerdotio, & dignitatis habitum & ornamenta præferre*: cum similibus. Ratio est: quia Clerici specialiter in sortem Domini vocantur; Divinisque ministeriis per susceptionem Sacrorum ordinum deputati existunt: adeò, ut soli in Altari ministrare, atque jurisdictionem Ecclesiasticam ligandi, & solvendi, à Christo Domino Ecclesiæ [illegible] concessam, *Mat 18. & Jo 20.* exercere valeant. Qua de causa Clerici, ad differentiam Laicorum, *de Sorte [illegible]* esse dicuntur in Synodo [illegible], *c. 13.* ac refertur *can. Quoniam*, [illegible] 4

Resp. III. Clerici[illegible], ac personæ Ecclesiasticæ, utpote Divinis [illegible] specialiter mancipati, & in Dominio [illegible] positi, specialibus meritò supra Laicos privilegiis, ac prærogativis honorantur. Patet illud non solùm ex Sacris Paginis utriusque Testamenti, verum etiam ex utroque Jure; varia idirco privilegia, & prærogativas Clericis impertiente: ut *l. Omnis à Clericis*. & *seqq. C. de Episcop. & Cleric.* & *can. Generaliter 16. qu. 1.* cum innumeris concordantiis. Quia enim Clerici præ Laicis in sortem Domini vocantur, & potestatem celebrandi Officia Divina, ministrandique in Altari, per receptionem Sacrorum Ordinum divinitus acceperunt, *Matth. 18. & Joann. 20.* quis negèt, eos præ Laicis esse reverendos? Cum etiam Gentiles, quantumvis veræ Fidei lumine destituti, [illegible] Sacerdotibus [illegible] esse præstandum censuerint: ut *Genes. cap. 47. & can. Sacerdotibus 11. quæst. 1. & cap. non minus, de immun. Eccl.* & alibi. 5

Accedit, quod Clerici, ac præsertim Sacerdotes, dicantur, 6

tur, & sint Patres, & Magistri populi, *can. Sacerdotes 9. q. 1. & can. Nolite, dist. 21.* Imo, & ipsorum Regum, ac Principum, *can. Quis dubitet, dist. 96.* Ubi Gregorius VII. ita cuipiam rescripsisse legitur: *Quis dubitet, Sacerdotes Christi, Regum, & Principum, omniumque fidelium patres & magistros censeri.* Concordat textus in *canon. In scripturis, ead. dist. 96.* ubi idcirco Constantinus Magnus Imperator dixisse refertur: *Verè, si propriis oculis vidissem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui Monastico habitu circum amicti sunt, peccantem, clamydem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.* Hæc Imperator.

7 Quinimo ratione suæ potestatis divinitus acceptæ, ea est Clericorum, ac præsertim Sacerdotum dignitas, atque præstantia, ut nulla sæcularis ei similis existat, *can. Duo sunt quippe, dist. 96.* Ubi Sacra Authoritas Pontificum, regali potestati comparata, longius hanc excedere legitur, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem comparetur. Quinimò in ipsis *Sacris Eloquiis Sacerdotes aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur*; prout habetur, ac pluribus ostenditur *can. Sacerdotibus, 21. qu. 1. & can. 1. dist. 17.*

8 Porro Sacerdotes appellantur *Dii* participativè solùm seu quatenus participant aliquid Divinitatis per excellentiam virtutis, atque potestatis sibi à Deo communicatæ. In quo sensu *Exod. c. 7.* dictum fuit Moysi: *Ego constitui te Deum Pharaonis.* Concordant dicta superius *lib. 1. tit. 1. de Summa Trinitate §. 5. n. 84.*

9 Unde, quod Populus debeat esse divisus à Clero, quando celebrantur Divina Mysteria, neque tempore Missæ celebrandæ Laicis permissum sit, in loco Clericorum (quod *Presbyterium* nuncupatur) consistere: textus est *in can. Sacerdotum, de consecr. dist. 9. & c. 1. h. t.* Adeò, ut Sanctus Ambrosius Episcopus Theodosium Imperatorem, intra cancellos Altaris communicare volentem, inde excluserit, dicens: *Purpuram Imperatores, non Sacerdotes efficere.* Nicephorus *lib. 12. Histor. Ecclesi. cap. 41.* & alii.

10 Quæritur II. Quot modis *Clericorum* nomen accipiatur quique eo comprehendantur? Resp. I. *Clericorum* nomen bifariam accipitur, largè videlicet, seu generaliter, & strictè, seu specialiter, magisque propriè. Ita Barbosa *lib. 1. jur. Ecclesiast. univ. cap. 39. num. 1. & seqq.* & communis; idque patet declarando terminos Et quidem largè, seu generaliter loquendo, *Clericorum* nomine veniunt omnes omnino personæ, quæ in sortem Domini vocatæ, atque Divinis Officiis obeundis, verique Dei cultui ac servitio specialiter sunt deputatæ, sive de in talis deputatio fiat per susceptionem Sacrorum Ordinum, sive per professionem religiosam, *arg. can. Si quis suadente, 17. qu. 4.* ibi: *In Clericum, vel Monachum, violentas manus injecerit.* Atque in hoc sensu etiam Moniales, & Religiosi conversi (quos alii appellant *Fratres laicos*) Clericorum nomine intelliguntur. Posteriori modo, seu magis specialiter, & propriè loquendo, Clerici sunt, atque dicuntur illi soli, qui Ordine aliquo Ecclesiastico, vel saltem prima Tonsura sunt initiati; sicque specialiter Divinis ministeriis deputati, *arg. can. Cleros dist. 21.*

11 Resp II. In materia favorabili nomen *Clericorum* sumitur generaliter; ac prout comprehendit non solùm prima Tonsura, aut Ordinibus Sacris initiatos; sed etiam Monachos, & regulares, imò, & Moniales cujuscunque religionis ab Ecclesia approbatæ. Ita Abbas *cap. 1. num 9. de jurament. calum.* Card. Tuschus *litt. C. concl. 377. num. 2. & seqq.* Barbosa *lib. 1. jur. Ecclesiast. univ. cap. 39. num. 2. & seqq.* & communis aliorum. Prior pars liquet ex *can. Cleros, dist. 21. & c. cum contingat, 11. de ætate & qualitat. præficiend.* ubi non solum in Sacris Ordinibus existentes, sed etiam prima Tonsura initiati, *Clericorum* appellatione veniunt. Quia igitur favores sunt ampliandi non est, ut quis eorum à tali favore excludatur, sive sit simplex Clericus, sive Curatus, aut Canonicus, vel Episcopus; ut *can. Si quis suadente 17. q. 4.* cum similibus. Dummodo materia subjecta eisdem singulis sit adaptabilis, neque aliunde de contraria dispositione, seu alia mente Legislatoris pateat.

12 Altera pars, asserens, in materia favorabili nomine

Clericorum venire Monachos, imo & Moniales; desumitur ex *cit. can. Si quis suadente. 17. q. 4.* ubi Clerici, & Monachi, in materia favorabili, totumque statum Ecclesiasticum respiciente, æquiparantur. Et cum ibidem expressa mentio de Monialibus facta non fuisset, nihilominus Canonem illum etiam in Monialibus procedere, posteà declaratum fuit *c. de Monialibus, 33. de sentent. excommunicat.* & consequenter in materia favorabili, suoque statui adaptabili, etiam Moniales nomine *Clericorum* veniunt. Idipsum desumitur ex *c. 1. de juram. calumn.* ubi prior Constitutio, qua cavebatur, ut *nullus Clericus jurare præsumat* (præstando videlicet juramentum calumniæ sine licentia Superioris) per posteriorem Constitutionem, quæ est interpretativa, seu declarativa prioris, intelligitur etiam de Abbatibus, Monachis & Sanctimonialibus, & consequenter hæ personæ veniunt nomine *Clericorum* in materia favorabili, sibique adaptabili. Accedit ratio, desumpta ex nominis etymologia: quia *Clericus* dicitur à *Cleros*, quod est sors; seu, quia Clerici sunt in sortem Domini electi, *can. duo sunt genera, 12. qu. 1.* Atqui etiam Monachi, & Sanctimoniales, per assumptionem religionis ab Ecclesia approbatæ, specialiter eliguntur in sortem, seu partem Domini; ergo. Abbas *cit. n. 9.*

Dices. Appellatione *Monachorum* non veniunt Clerici sæculares, ne quidem in materia favorabili; ut notat Abbas *c. 1. n. 9. de juram. calum.* Sylvester *V. Clericus, 1. num 2.* Bellettus *Disquis. clerical. p. 1. §. 2. n. 9.* & alii: ergo nec vicissim nomine *Clericorum* venire debent Monachi, quamvis materia sit favorabilis. Resp. Concesso antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia Monachis competit etymologia nominis *Clericorum*, ut proximè dictum, econtra verò Clericis sæcularibus non competit etymologia vocabuli *Monachus*; uti liquet ex *can. Placuit, 16. quæst. 1.* ubi legitur, quod juxta nominis interpretationem *dicitur Monachus, id est, unus tristis.* Unde eadem ratione (subdit Abbas *citat. numer. 9.*) appellatione *Monasteriorum* nunquam veniunt in Ecclesiæ sæculares. 13

Resp. III. Nihilominus in materia odiosa; sive strictæ interpretationis, nomine *Clericorum* soli inferiores Clerici sæculares comprehenduntur; non autem Episcopi, neque Canonici, aut alii in Dignitate ecclesiastica constituti; nisi secùs exprimatur, vel aliunde de opposito constet. Ita Barbosa *cit. lib. 1. jur. Eccl. univ. c. 39. nu. 6. & seqq.* Bellettus *d. §. 2. n. 4. 5. & seqq.* Card. Tuschus *litt. C. concl. 377. num. 4. & seqq.* Fagnanus *cap. Bonæ memoriæ, il 1. nu. 12 de postulat. prælat.* & alii. Concordant dicta superiùs *lib. 1. Tit 2. de Constitutionibus §. 17. nu. 427. & seq. & num. 435. & 436.* ubi plura huc pertinentia videri possunt. 14

Conclusio hæc desumitur ex illa vulgata reg. 15. jur. in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Item ex reg. 49. eod. in 6. *In pœnis benignior interpretatio est facienda*: cum concordantiis. Accedit ratio: quia in materia restringibili, ubicunque species ponit aliquid ultra genus suum, tunc appellatione generis non venit illa species; atqui in Episcopis, canonicis, & aliis in Dignitate Ecclesiastica constitutis ponitur; seu reperitur aliquid ultra genus suum; nempe qualitas superioritatis, præcellentiæ, seu dignitatis supra simplicem Clericum; ergo. Major est Abbatis, & Fagnani, ubi suprà: atque desumitur tum ex *cap. in generali 81. de regul. jur. in 6.* tum etiam ex *leg. Item apud, §. Hoc edictum, ff. de injuriis*, ubi ea, quæ speciali nota digna sunt: nisi exprimantur, censentur omissa de industria. 15

Idipsum probatur, atque declaratur inductione. Sic imprimis Episcopos, eorumque Superiores in materia odiosa, seu pœnali; non comprehendi nomine Clericorum, clare desumitur ex *c. quia periculosum, 4. de sent. excommun. in 6.* ubi expressè declaratur, Episcopos, & alios superiores Prælatos, puta Archiepiscopos, Patriarchas & Primates, non comprehendi sub ulla sententia Suspensionis, aut interdicti, nisi de ipsis expressa mentio habeatur, & hæc *propter executionem Pontificalis Officii, quod frequenter incumbit*; prout loquitur Pontifex *ibidem*. 16

17 Fatendum tamen, quod *cit. c. quia periculosum de sent. excommun. in 6.* procedat quidem in pœna Suspensionis, & interdicti, de qua loquitur: non item in pœna excommunicationis; prout notat Gl. *ib. V. Suspensionis*, & Ancharanus *nu. 1.* post Innocentium, Hostiensem, Joan. Andream. Pirhing. *eod. tit. num.* 196. & alii. Unde Episcopi non sunt liberi a pœna excommunicationis generaliter lata à Canone, vel alias: ac proinde etiam ipsi comprehenduntur sub pœna excommunicationis ipso jure inflicta percussoribus Clericorum, *can. Si quis suadente*, 17. *quæst.* 4. & *cap.* 1. juncta Glossa *vers. Prælatus, de homicid. in 6. & cap. Sciant cuncti, 12. de election. in 6.* cum similibus. Ratio disparitatis est: quia, licet excommunicatio pluribus bonis privet, quam Suspensio vel interdictum: nihilominus *excommunicatio est medicinalis, non mortalis; disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat*, uti loquitur textus *cap. 1. de sentent. excommunic. in 6.* ac proinde nunquam infligitur ad certum tempus; sed præstita satisfactione, atque emenda, protinus relaxari, seu absolvi debet. Secus accidit in Suspensione, quæ nonnunquam infligitur ad certum tempus, putà, ad triennium; ut *cap. 1. §. final. de election. in 6. & cap. Cupientes, 16. §. Cæterum, eodem in 6.* cum similibus. Atque idcircò, quod Papa noluerit privilegiare Episcopos etiam quoad pœnam excommunicationis in *citat. cap. Quia periculosum, ... de sentent. excommunic. in 6.* quinimò ex littera ipsius subtrahendum censuerit ly, *Excommunicationis*, quod in prima editione jam fuerat positum: notat Glossa *ibidem V. de Episcopis* & Joan. Andreas in *d. cap. Quia periculosum*; citans Hostiensem.

18 Deinde, quod Canonici, & alii in Dignitate Ecclesiastica constituti, nomine *Clericorum* absolutè posito, & in materia odiosa, non comprehendantur, probat Fagnanus *cit. n. 12.* ex *c. Sedes Apostolica, 15. de rescriptis*: ubi dicitur, quod *Majores & digniores personæ sub generali clausula non intelligantur includi*: & amplius declarat Gl. *ib. V. Majores*, accedit alius textus valde notabilis in *cap. Statutum 22. de election. in 6.* ubi in materia pœnali & odiosa, appellatione Ecclesiæ Parochialis, & assumptorum ad eam, non veniunt Ecclesia Collegiata, & assumpti ad ipsius regimen (id est, Canonici ejus) etiamsi sit Parochialis: ... propter eminentiam, quam habent Canonici supra alios clericos, & quia Canonici habent ... curam, ut addit Abbas *ad rubr. h. t. num. 12.*

19 Resp. ... materia odiosa nomine *Cleri* non comprehenduntur Religiosi utriusque sexus: nisi istud exprimatur, vel ex subjecta materia, aliisque circumstantiis secus appareat. ... Abbas *cap. non amplius, n. 3.* & Fagnanus *ib. nu. ... de inst.* quia asserunt, quod nomine *Clericorum* ... Ecclesiarum, non veniant Monachi, seu ipsi ... materia, in stricta materia, alias secùs. Suarez *disp. ... de Censuris, sect. 2. num.* 17 Laymann *lib. 1. Theolog. Moral. ... part. 4. cap. 4. num. 3.* cum aliis docens, quod interdicto Clero non ... intelliguntur interdicti Religiosi utriusque sexus, nisi exprimantur, vel ex materia subjecta, vel causa ferendi, aliisque circumstantiis contrarium appareat: contra Navarrum ... *Manual. num.* 167. & Covarruviam *cap. Alma ... V. Quinto his addendum*, qui volunt, ... dictum Cleri comprehendere Religiosos. Ratio Conclusionis est: quia in Jure Canonico passim ista ponuntur, tanquam diversa: ut *can. Si quis suadente* 17. *quæst. 4. & cap. Super specula 10. ne Clerici vel Monachi &c.* juncta Rubrica *ibid.* Quod ipsum alibi sæpius contingit, ac præsertim Libro III. Decretalium, ubi ista clarè ponuntur tanquam diversa, agendo in prioribus Titulis *de Clericis*, & Tit. 31. ac seqq. specialiter tractando *de Regularibus*: Ergo in materia, saltem odiosa, nomine Clericorum non veniunt Religiosi, nisi exprimantur, vel ex subjecta materia secus appareat. Cæterum, qui omnes nomine *Regularium* comprehendantur, commodius dicetur infrà *Tit. 30. de Regularibus, & transeunt. ... ad Religionem*, inscripto: solummodo de Eremitis remanet specialis difficultas, unde

20 Quæritur III. Utrum Eremitæ veniant nomine Clericorum? Ubi prænotandum, quod antiquitus *Eremitæ* dicebantur, qui primò in solitudine ... eremo habitabant, ibique duriter, ... & ... asperitate corpus exercendo, sub obedientia Episcoporum virtuosæ vitæ studebant. Et horum vita commendatur in Concilio Chalcedonensi, ... in *can. qui verè, 16. q. 1.* illis verbis *Qui verè, pureque solitariam eligunt vitam digni sunt convenienti honore.*

Atque hujusmodi Eremitæ differebant ab Anachoretis, & Cœnobitis. Nam *Anachoretæ* propriè erant illi, qui sine certa habitatione per deserta vagantes, ne à populis inviserentur, ibi quiescebant; ubi nox ipsos invenisset. De quibus fit mentio in *Auth. de Monachis, §. Cogitandum*, juncta Gl. *V. Anachoretas, collat. 1.* ibi: *Quos vocare Anachoretas, id est, ...; & Hesychastas, id est, quiescentes, consueverunt.* 21

Porrò *Cœnobitæ* appellabantur illi, qui simul viventes in Cœnobiis, seu Monasteriis, Monachalem vitam ducebant. Et dicebantur *Cœnobitæ*, id est, simul viventes: unde originem traxit ly *Cœnobium*, sive locus Religiosorum communem vitam ducentium; de quo fit mentio *c. 2. §. 1. de ordin. cognit.* Et hi omnes generali nomine vocabantur *Monachi*, idest, soli: quamvis magis propriè istud nomen sortirentur, qui in eremis, seu solitudinibus habitarunt; ut *can. 1. caus. 16. q. 1. & can. Si cupis, & can. placuit communi 16. qu. 1.* Barbosa *lib. 1. jur. Ecclesiast. univ. cap. 41. num. 13. & seqq.* Atque ista procedunt juxta antiqua tempora. 22

Verùm loquendo pro statu præsentis temporis, est distinguendum inter Eremitas. Nam aliqui horum emittunt tria vota substantialia cujuspiam Religionis ab Ecclesia approbatæ: & de his fit mentio *in c. un. §. fin.* juncta Gl. *V. Licentia, de excess. prælat. in 6.* ubi permittitur Religiosis Mendicantibus, quod de licentia Prælatorum suorum possint vitam Eremiticam eligere. Alii verò, quamvis non sint Professi alicujus Religionis per emissionem trium votorum substantialium: tamen authoritate Episcopi fuerunt deputati pro servitio alicujus Ecclesiæ, vel Oratorii, atque de manibus Episcopi susceperunt habitum Eremiticum; & ... obedientia vivunt, prout multos se vidisse in Statu Ecclesiastico, & alibi, refert Fagnanus *cap. Nullus, num. 61. de Foro compet.* Tandem nonnulli sunt Eremitæ, qui non sunt deputati servitio cujuspiam Ecclesiæ authoritate Prælati Ecclesiastici, sed voluntariè suscipiunt, atque pro libitu suo deferunt habitum Eremiticum. Quibus prænotatis 23

Resp. I. Certum est, quod Eremitæ quandam religionem ab Ecclesia approbatam sub emissione trium votorum substantialium professi, in materia favorabili veniant nomine Clericorum; sicque gaudeant privilegio Fori, & Canonis, cum similibus. Ratio est clara; quia tales Eremitæ sunt veri, & propriè dicti Religiosi; ut *cit. c. un. de excess. prælat. in 6. & cap. privilegium 4. de verb. signif. in 6.* In quo posteriori loco Monachi, sive Fratres in cellis ad Monasterium aliquod spectantibus residentes (*hoc est, Loca secreta & solitaria, quæ ab hominum separata convictu, sunt ad contemplandum, & Deo vacandum specialiter deputata*, inhabitantes) non solum reputantur veri Religiosi, sed etiam singulari donantur privilegio exemptionis. 24

Resp. II. Illi etiam Eremitæ, qui licèt non sint professi cujuspiam Religionis, tamen de manu Episcopi receperunt habitum Eremiticum, atque sub ejus obedientia vivunt deputati pro servitio alicujus Ecclesiæ, vel Oratorii, censentur personæ Ecclesiasticæ; sicque in favorabilibus veniunt nomine Clericorum. Ita Glossa *can. Qui verè 16. quæst. 1. V. Verò*, asserens, quod Eremitæ privilegium Clericorum habent, licèt non renuncient propriis. Fagnanus *cit. cap. Nullus, nu. 61. de foro comp.* post Cardinal. in *Clem. per litteras num. 9. de præbend.* Anton. de Butrio *consil. 19 num. 19. V. Unde ex hoc*, & alios. Idem tradit Innocentius *cap. Cum Monasterium, 13. de election.* dicens, quod, *licet Eremitæ possint habere proprium quia non abrenunciant, tamen Ecclesiasticæ personæ sunt &c.* Quod ipsum tradit Jo. Andreas *cap. cum Monasterium, num. 22. de election.* & Aloys. Riccius in *praxi part. 2. resolut. 149. numer.* 1. allegans plurimos alios; atque asserens, esse communem Doctorum, quod hujusmodi Eremitæ gaudeant privilegio Fori; & si delinquant, remittendi sint ad Judicem Ecclesiasticum. 25

26 Conclusio hæc desumitur ex *cit. can. Qui verè, 16. qu. 1.* Ubi dicitur, quod veri Eremitæ (ut putà, recepti authoritate Episcopi &c.) *Digni sunt convenienti honore*: sicque præferuntur personis merè Laicalibus. Accedit, quod *can. ult. §. item Joannes 2. q. 7.* dicatur, S. Joannem Baptistam duxisse vitam Eremiticam; ergo hæc non est vita mere laicalis, sed Ecclesiastica. Idem amplius probatur ex *can. duo sunt genera 12. q. 1.* Ubi illud Christianorum genus reputatur inter Clericos. *Quod mancipatum Divino officio, & deditum contemplationi, & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit.* Atqui his annumerantur Eremitæ, recepti authoritate Episcopi loci ad servitium cujuspiam Ecclesiæ, vel Oratorii; ergo

27 Et quæ hactenus dicta sunt de Eremitis, è manibus Episcopi habitum Eremiticum recipientibus, atque sub ejusdem obedientia servitio cujuspiam Ecclesiæ, vel Oratorii incumbentibus: procedunt pariter de Tertiariis, seu de illis, qui habitum tertiæ Regulæ cujuspiam ordinis de manu Prælatorum regularium, ad hoc authoritate Pontificia facultatem habentium recipientes, sub ejusdem vel Episcopi loci obedientia vivunt, atque Ordini, vel alteri Ecclesiæ inserviunt; quamvis tria vota substantialia religionis non emittant, atque idcircò proprium habere possint. Ratio est, quæ supra. Accedit, quod tales Eremitæ, etsi non sint propriè religiosi, ob defectum votorum substantialium, profiteantur nihilominùs aliquem vivendi modum ab Ecclesia permissum, imò & approbatum: ergo, cum deferant habitum Eremiticum, legitima authoritate à Prælatis Ordinis sibi concessum, atque à sæcularium vestibus patenter distinctum; simulque Ordini, vel Ecclesiæ inservientes, Divinis Officiis specialiter sint mancipati, nequeunt censeri esse professionis merè laicalis; sicque in materia favorabili veniunt nomine Clericorum, gaudentque privilegio cum Fori, tum Canonis.

28 Resp. III. Econtra Eremitæ illi, qui non sunt professi quandam religionem, neque deputati Ecclesiæ servitio authoritate Prælati Ecclesiastici, sed voluntariè suscipiunt, atque ad libitum dejerunt habitum Eremiticum, neutiquam sunt personæ Ecclesiasticæ; nec ullo modo gaudent privilegio Clericali. Ita Jo. de Lignano *in Clem. per litteras, de præb.* asserens, quod sicuti Eremitæ (hujusmodi videlicet) ex utero matris exierunt laici; ita perseverent laici, sub potestate Imperatoris. Cardinalis in *ead. Clem. per litteras, nu. 9.* Riccius *cit. ref. 149. nu. 9.* Fagnanus *d. c. Nullus, n. 63. de Foro comp.* citans alios; atque asserens, in hoc convenire Doctores. Ratio est: cum quia tales non sunt astricti ulli regulæ, nec subsunt speciali ratione præ Laicis Episcopo loci, vel alicui Superiori regulari; neque ad ullum usum pium, sive Ecclesiasticum authoritate Ecclesiæ, hoc est, Prælati facultatem habentis, sunt deputati. Quinimò vivunt sicuti locustæ sine rege, ut inquit Gl. *can. qui verè 16. q. 1. V. verò*, vagantes hinc inde sine certo duce, atque etiam ad libitum recedentes: unde nihil eis supervenit, ex quo desinant esse meri Laici, atque eripiantur à jurisdictione Imperatoris. Tum quia absurdum foret, quod tales pro sola voluntate sua possent se eximere à jurisdictione sæculari. Abbas *c. nullus, n. 10.* & Fagnanus *ib. n. 63. de foro compet.* cum aliis.

29 Fatendum tamen, quod si alicubi vigeret consuetudo, ut tales etiam Eremitæ gauderent privilegio Fori, aut hujusmodi, dicta consuetudo foret observanda: cum neque sit contraria Legi Divinæ, aut bonis moribus: nec aliunde irrationabilis, vel à Jure communi reprobata inveniatur. Fagnanus *loc. cit. n. 64.* allegans alios, atque *n. 70.* Declarationem Cardinalium S. Conc. Trid. Interpretum desuper factam adducens.

§. II.

De honestate vitæ Clericalis in genere, & quoad nonnulla in specie.

SUMMARIUM.

30 *Duplex in Clericis requiritur vitæ honestas, interior & exterior.*
31 *Debentque quoad utramque Laicos antecellere. Et num. seq.*
32 33 & 34 *Afferuntur notabiles textus quoad hoc.*
35 *Vitæ honestas Episcoporum describitur à D. Apostolo* c. 1. ad Titum.
36 *Quæ suomodo etiam in Clericis inferioribus desideratur.*
37 *Ea in exterioribus quoque Clericorum moribus elucescere debet.*
38 *Clerici, etiam Minoristæ, tenentur castè vivere: alioquin per judicem Ecclesiasticum sunt puniendi.*
Dictio, Præsertim, *est implicativa. Ib.*
39 *Differunt tamen Minoristæ à Clericis in Sacris Ordinibus constitutis, quoad obligationem servandi castitatem. Et n. seqq.*
40 *Clericis in Sacris constituti, tum illicitè, tum invalidè contrahunt matrimonium.*
41 *Tenenturque servare perpetuam continentiam, non solum ex motivo Castitatis, sed etiam ex virtute Religionis.*
42 *Infertur Corollarium practicum.*
43 *Accessus ad moniales alloquendas est prohibitus, præsertim Clericis. Et n. seqq.*
44 & 45 *Frequentare Monasteria Monialium, quis censeatur?*
Duæ vices in criminalibus, inducunt consuetudinem; & quando secùs? Ib.
46 *Crapula, quid, & quam nociva? Et n. seq.*
47 *Ebrietas, & ebrius, quis?*
48 *Clericis à crapula, & ebrietate abstinendum est: alioquin, si moniti non abstineant, ab officio, vel beneficio suspendendi sunt.*
49 *Et ratio tam rigidæ probationis. Et n. 49. & 47.*
50 *Dicta pœna suspensionis ab officio, vel beneficio, non est latæ sententiæ.*
51 *Simulque relinquitur arbitrio Judicis, quæ harum suspensio sit infligenda.*
52 *In pœnis alternativis quandoque datur optio Reo, quandoque Judici: idque declaratur.*
53 *Clericis est prohibitum, edendi, & bibendi causa ingredi tabernas cauponarias, extra necessitatem itineris.*
54 *A vitio avaritiæ cumprimis Clericos oportet esse alienos. Et n. seq.*
55 *Et hujus ratio specialis.*
56 *Clerici prohibentur exercere officia, vel commercia sæcularia.*
57 *Eisdem prohibitus est alearum, seu taxillorum lusus.*
58 *Et qualiter sic ludentes peccent?*
59 *Judices Ecclesiastici debent gratis judicare.*
60 *Clerici tenentur bona Ecclesiastica superflua in pias causas erogare.*
Nec possunt de ipsis per testamentum disponere; & cur? Ibid.
61 *In Clericis, præsertim Beneficiariis, requiritur hospitalitas, veluti debita.*
62 *Idque fit pluribus de causis.*

Quæritur I. Ad quam generatim vitæ, morumque honestatem Clerici obligentur? Resp. I. Generatim loquendo, duplex in Clericis requiritur vitæ honestas, interior videlicet, ac exterior. Harum prior consistit in munditia cordis, atque interno cælestium virtutum exercitio: nam Clericos, utpote specialiter in sortem Domini vocatos, atque Divino Officio mancipatos, *convenit cessare ab omni strepitu temporalium, & deditos esse contemplationi, & orationi*, juxta textum *can. Duo sunt genera, 12. qu. 1.* Concordat illud Propheticum Isaiæ cap. 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini,* 30

cum similibus. Exterior autem honestas Clericorum consistit præcipuè in tribus; videlicet in recta probitate morum, ac honesta conversatione, in honesto, ac decenti habitu; atque in debito, convenientique exercitio officiorum, & negotiorum statui suo convenientium, fugaque non convenientium: de quibus plura singillatim in progressu.

31 Resp. II. Clerici, utpotè specialiter vocati in sortem Domini, atque Divinis obsequiis mancipati, & in Castris Dominicis suprà alios positi, debent quoad utramque memoratam vitæ, morumque honestatem Laicos antecellere. Textus est in *can. Beatus Petrus*, *§. Infantes*, 6. *qu.* 1. ubi Sanctus Petrus, Apostolorum Princeps, præcepisse legitur, *Cunctorum Sacerdotum vitam superiorem, sanctioremque, ac discretam à sæcularibus, & laicis hominibus, esse*. Idipsum atque universaliter de omni gradu Clericorum loquendo, habetur, *c. qualis enim* 8. *q.* 1. illis verbis, „Unde non solum Episcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui „præsident, conversatione, sermone & scientia præcedant: verum etiam, & inferior gradus, Exorcistæ, „Lectores, Æditui, Acolythi, & omnes omninò, qui „domui Dei inserviunt: Quia vehementer Ecclesiam „Christi destruit, meliores Laicos esse, quam clericos: cum similibus.

32 Hinc Concil. Tridentinum *Sess.* 22. *c.* 1. *de ref.* saluberrime decrevit in hæc verba „Nihil est quod alios magis ad „pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quam eorum „vita, & exemplum, qui se Divino ministerio dedica„runt; cum à rebus sæculi in altiorem sublati locum con„spiciantur, in eos tanquam speculum reliqui oculos con„jiciunt, ex eisque sumunt, quod imitentur. Quapro„pter sic decet omnino Clericos, in sortem Domini voca„tos, vitam, moresque suos omnes componere: ut ha„bitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus re„bus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum, „præseferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima „essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant ve„nerationem. Hactenus Concilium: quibus similia habet *Sess.* 25. *c.* 1. *de ref.* & alibi.

33 Atque hæc procedunt non solum de Clericis inferioribus, sed vel maximè in Episcopis, aliisque Prælatis Ecclesiasticis. Nam, ut idem Oecumenicum Concilium *Sess.* 25. *c.* 1. *de ref.* observat: *Totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inveniatur in capite*. Etenim Prælati debent esse Duces gregis, & Pastores, *can. Sciscitaris* 7. *q.* 1. Atqui vita Pastoris debet esse exemplar subditis, *can. cum pastoris* 2. *q.* 7 Unde, qui præsunt, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debent, *can. nos qui præsumus*, *dist.* 40. *& l. si quempiam C. de Episc. & Cleric.* Alioquin *Vilissimus computandus est, nisi præcellat scientia, & sanctitate, qui est honore præstantior*; prout inquit Symmachus Papa, relatus *can. Symmachus* 1. *q.* 1.

34 Pulchrè ad propositum S. Gregorius Papa *Homil.* 7. *in Luc* 10. sic loquitur „Nullum puto, Fratres charissimi, „ab aliis majus præjudicium, quam à Sacerdotibus, to„lerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctio„nem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit quan„do ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus: „nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie „studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam „gloriam intenta mente captamus &c. Hæc ille, pluribus in progressu deplorans miserandam quorundam Pastorum malitiam, qui quærentes quæ sua sunt, non quæ JESU Christi, Mercenarium agunt veniente lupo fugientem; non Pastorem, oves sibi commissas in necessitate defendentem. Unde idem S. Gregorius Papa *Homil.* 14 *in Evang.* sic ait „Non Pastor, sed mercenarius vo„catur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed „ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe „est, qui locum quidem pastoris tenet: sed lucra anima„rum non quærit: terrenis commodis inhiat, honore „Prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, im„pensa sibi ab hominibus reverentia lætatur; cum similibus. Atque istud *maximæ malitiæ genus est, & plurimorum causa malorum*, teste S. Chrysostomo *homil.* 59. *in Ioan.* Qua de causa æternum Væ talibus impiis, atque indignis Pastoribus, imprecatur Dominus apud Ezechiel, *c.* 34. dicens: *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur?*

35 Resp. III. Integritatem vitæ, morumque honestatem, præsertim in Episcopis requisitam, paucis complectitur S. Apostolus *c.* 1. *ad Titum*, scribens, „Oportet enim E„piscopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non „superbum, non iracundum, non vinolentum, non per„cussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, be„nignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, „amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fide„lem sermonem &c. Atque de hisce virtutum prærogativis ad longum, & ex professo, agitur in *Decreto Gratiani*, *dist.* 40. 41. *& seqq.* singulas hasce qualitates, specialiter in Episcopis requisitas, pluribus Conciliorum, atq: SS. Patrum authoritatibus exornando, & declarando.

36 Resp. IV. Prædicta virtutum ornamenta, licèt specialiter requirantur in Episcopis, veluti perfectionis Magistris, suo tamen modo etiam in Clericis inferioribus desiderantur. Ita communis. Unde idem Apostolus, *c. c.* 1. *ad Titum* scribens, præcepit quidem, constitui per ipsum Presbyteros, sed non nisi probos, omnique crimine carentes: „Ut constituas (*inquit*) per civitates Presbyte„ros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est „&c. *Idem* 1. Timoth. c. 3. loquens de Diaconis, ait: O„portet Diaconos similiter esse pudicos, non bilingues, „non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, „habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi au„tem probentur primum: & sic ministrent, nullum cri„men habentes. Idipsum requirunt passim Sacri Canones, ac novissimè Concil. Tridentinum *sess.* 14. *in proœm. de ref. & sess.* 22. *c.* 1. *de refor. & sess.* 23. *c.* 5. *& seq. de reform.* & alibi.

37 Resp. V. Honestas vitæ Clericalis etiam in exterioribus Clericorum moribus elucescere debet. Sic quippe *can. Clericus dist.* 41. in Concilio Carthaginensi IV. *c* 45. refertur statutum: *Clericus professionem suam & habitu, & incessu probet*. Unde, ut *ib. §. sicut*, subjungitur, *In incessu debet esse Sacerdos ornatus, ut gravitate itineris mentis maturitatem ostendat. Incompositio enim corporis (ut Augustinus Epist.* 109. *ait) inæqualitatem indicat mentis*. Huc facit illud Æternæ Sapientiæ, *Ecclesiastici cap.* 19. generaliter de omnibus pronunciatum: *Ex visu cognoscitur vir & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo*. Patet proinde, quam necessaria sit Clericis gravitas morum, atque honestas vitæ etiam exterioris: ne fortè (quod absit (verificetur in ipsis illud Propheticum Isaiæ *c.* 59. *Non est Judicium in gressibus eorum*. Sed potius, juxta monitum Apostoli 1. *Corinth.* 14. per ipsos Clericos *omnia honestè, & secundum ordinem fiant*. Verum descendendo ad specialiora

38 Quæritur II. Sub qua obligatione Clerici teneantur castè vivere? Resp. I Clerici non solum in Sacris Ordinibus constituti, sed etiam Minoristæ, tenentur ab omni libidinis vitio abstinere, casteque vivere: alioquin per Iudicem Ecclesiasticum pro meritò culpæ sunt puniendi. Textus est in *cap. Ut Clericorum* 13. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Generali, seu Lateranensi, celebrato sub Innocentio III. & sic inter alia loquitur: „Clerici continenter, & castè vivere studeant universi, „præsertim in Sacris Ordinibus constituti: ab omni libi„dinis vitio præcaventes &c. *Et infrà*: Statuimus, ut „qui comprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, „prout magis aut minùs peccaverint, puniantur. Ubi Abbas *num.* 2. ponderando ly, *præsertim in Sacris Ordinibus*, rectè notat textum illum etiam procedere in Clericis Minoristis: nam dictio, *Præsertim*, est implicativa; atque ex propria vi, & natura implicat, idem esse in casu contrario (putà, quamvis Clericus non sit constitutus in Sacris) licèt in illo fortior militet ratio, *Leg.* 1. *§. Si ex dodrante. ff. de solution.* Everardus *loc.* 110. *à Natura Dictionum implicativarum*, *num.* 1. *& seqq.* Barbosa *tract. de Dictionibus*, *diction.* 277. *num.* 1. *& seqq.* & alii.

39 Resp. II. Nihilominùs quoad obligationem servandi castitatem, est notabilis differentia inter Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, & inter Clericos Minoristas. Ita Abbas *cit. cap. Ut Clericorum num.* 2. *h. t.* & communis Theologorum, atque Canonistarum. Siquidem Clerici Mino-

Minoristæ licitè possunt, si voluerint, matrimonium inire, uxoremque ducere, *c.* 1. *& c. quod à te* 3. *de Clericis conjug.* & alibi: secùs est in Clericis constitutis in Sacris. Deinde differunt in quantitate delicti: nam minùs peccant (cæteris paribus) Clerici Minoristæ extra matrimonium violantes castitatem, quam Clerici in Sacris Ordinibus jam constituti: eo quod illi peccent contra solam virtutem Castitatis; hi verò etiam peccent contra virtutem Religionis, ob annexum Sacris Ordinibus votum continentiæ. Quod ut melius intelligatur

40 Resp. III. Clerici in Sacris Ordinibus constituti tenentur ad servandam perpetuam continentiam, seu castitatem: adeò, ut non solùm illicitè, sed etiam invalidè contrahant matrimonium. Ita communis; idque patet ex *can. Presbyteri*, *dist.* 27. *& can. Nullum facere*, *ac seq. dist.* 28. *& c.* 1. *& 4. de Clericis conjug.* cum concordantiis, juncto Concilio Tridentino *Sess.* 24. *can.* 9. oppositum damnante sub anathemate. Quinimò, si Clericus in Sacris constitutus præsumeret matrimonium contrahere; præter hujus nullitatem, aliasque pœnas idcircò debitas, etiam ipso facto excommunicationis sententiam incurreret, *Cod. Eos qui, de consanguinita. & affinitat.* Verum de hoc plura inferius *Tit.* 3. *De clericis conjugatis*.

41 Resp. IV. Clericis in Sacris ordinibus constituti tenentur ad servandam perpetuam continentiam non solùm ex motivo Castitatis, ut cæteri homines extra legitimum matrimonium: sed etiam ex virtute religionis, ratione voti Castitatis Jure Ecclesiastico Sacris Ordinibus annexi. Ita Glossa *c. cum olim* 6. *V. votum continentiæ de Clericis conjugat.* Istud, argumento à sensu contrario desumpto, probans per textum *ibid.* dicentem: *Nos attendentes quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit*. Glossa sequitur Abbas *ib. num.* 4. asserens, eam quotidie allegari in materia. Barbosa *p.* 2. *de offic. & potest. Episc. allegat.* 15. *num.* 2. citans alios, eandemque sententiam in terminis tradit Scotus 4. *dist.* 25. *quæst.* 2. *§. Hic breviter*, inquiens: *Quia susceptioni ordinis Sacri annexum est votum continentiæ, ut habetur extrà, cap. A multis de ætat. & qualitat.* Atque contra nonnullos alios, Doctorem subtilem in contrariam sententiam trahere conantes, soluto horum Fundamento, egometipse ex professo ostendi *in Theolog. Moral. tract.* 14. *distin.* 12. *numer.* 27. 28. *&* 29.

42 Infertur proinde, quod Clerici in Sacris constituti, ratione voti Castitatis teneantur abstinere ab omni deliberata delectatione venerea, actuque tum interno, tum externo, qui militat contra virtutem Castitatis: uti sunt, non solum fornicatio, aut alius actus venereus; sed etiam cogitationes venereæ, delectationes morosæ, aspectus impudici, vel tactus obsceni &c. Unde, quidquid in sæcularibus extra legitimum matrimonium, est aliquo modo peccatum contra Castitatem: idipsum in memoratis Clericis est etiam sacrilegium, ratione voti, adeoque habet duplicem malitiam: ita tamen, ut malitia Sacrilegii sit mortalis in illis actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis; venialis vero, in quibus illa est venialis, prout non rarò contingit ratione inadvertentiæ, & imperfecti consensus. Lessius *l.* 1. *de just. & jur. c.* 41. *n.* 78. cum aliis, & iam dixi *in Theol. mor. tract.* 5. *dist.* 3. *num.* 15.

43 Quæritur III. Qua ratione sit prohibitus, præsertim Clericis, accessus ad Moniales alloquendas? Resp. De hoc extat peculiaris Constitutio *in c. Monasteria* 8. *h. t.* Ubi pro meliori observantia castitatis ex utraque parte Deo promissæ, specialiter prohibetur, ne *Monasteria Sanctimonialium quisquam Clericus sine manifesta & rationabili causa frequentare præsumat*: alioquin *per Episcopum arceatur, & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis. Si Laici* hoc ipsum facere præsumpserint, *excommunicationi subdantur, & à cœtu Fidelium fiant penitus alieni*. Ita Concilium Generale, seu Lateranense sub Innocentio III. *cap.* 11. quod refertur *d. cap. Monasteria*, 8. *h. t.*

44 Circa quem textum ponderandum est ly, *frequentare*, siquidem in præsenti Capitulo sola frequentia reprobatur, uti notat Glossa *ib. V. frequentare*. Subjungit tamen eadem Glossa, quod hujusmodi frequentatio videatur induci ex duabus vicibus, seu binis accessibus ad dicta Monasteria Monialium, harumque allocutionibus, *arg. can. Ita nos* 25. *quæstion.* 2. juncta Glossa *ibid. V. Usum*, inde inferente, quod *duæ vices in criminalibus inducant consuetudinem*. Idipsum tenet Stephan. Gratianus *Disceptat. forens.* 393. *num.* 17. cum nonnullis aliis, quos pro hac sententia allegat Barbosa *in Collect. ad cit. c. Monasteria*, *num.* 7. *&* 8. *hoc tit.*

45 Verùm, licet cæteroquin in criminalibus geminatio actus criminosi censeatur inducere consuetudinem, talem videlicet, quæ sufficit ad graviorem ejus punitionem ut jam dictum suprà *lib.* 1. *tit.* 4. *de consuetudine §.* 5. *n.* 121. *&* 124. nihilominùs in proposito casu videtur meliùs dici, istius frequentiæ declarationem esse relinquendam arbitrio Judicis, qui id dijudicabit pensatis aliis circumstantiis. Potest enim contingere, quod quis decem vicibus alloquantur Monialem, & tamen non censeatur frequentare ejus alloquium; putà, si id fiat spatio trium, vel plurium annorum, semper interpolatim spatio trium, vel plurium mensium: econtra verò ille censeretur frequentare, qui tribus vicibus, diebus continuis, absque ulla manifesta & rationabili causa eam alloqueretur. Ludov. Miranda *tract. de Sacris Monialibus quæst.* 4. *art.* 1. *concl.* 1. Barbosa *ubi suprà*, *num.* 8. *& par.* 3. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 102. *num.* 70. post Navarrum *in can. Cum consideret. num.* 23. *de pœnitent. dist.* 5. Pirhing *h. tit. num.* 3. allegans Sanchezium *l.* 6. *in Decalog. cap.* 16. *num.* 100 & alios. Verum de hoc alibi: nam *in cap.* 1. *§.* 1. *de statu Regul. in* 6. sub pari prohibitione etiam statuitur, ut *nulli aliquatenus inhonestæ personæ, vel etiam honestæ (nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus, vel accessus pateat ad easdem Moniales &c.* Estque hæc Constitutio novissimè innovata per Concilium Tridentinum *sess.* 25. *c.* 5. *de regul.*

46 Quæritur IV. Qualiter, quibusque sub pœnis, Clerici abstinere teneantur à crapula, & ebrietate? Ubi prænotandum, quod quidem hodie *Crapula* accipi soleat pro excessu in potu, minore tamen, quam sit ebrietas: propriè tamen, ac in sensu à SS. Canonibus intento, sicut ebrietas excessum in potu, ita crapula excessum in cibis significat. Hinc Gl. 1. *in c. a crapula*, & Abbas *ib. n.* 1. *h. t.* inquit, quod *Crapula*, dicitur immoderata voracitas ciborum. Et dicitur *Crapula*, quasi *Cruda epula*, quia homines ita voraciter epulantes, nimiamque ciborum superfluitatem assumentes, perfectè non digerunt, sed materiam indigestam emittunt. Et hanc ciborum immoderantiam pluribus præstringit S. Hieronymus, relatus *can. Ne tales*, *& can. legimus*, *de consecr. d.* 5. Nec immeritò: nam quid fœdius, quam hominem à brutis animalibus naturali quadam frugalitate contentis superari, dum ventris sui quasi mancipium agit, dum bona sua dissipat, valetudinem lædit, morbos accersit, ac vitam ipsam abrumpit, juxta illud Ecclesiastici *c.* 37. *In multis escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam*, cum similibus.

47 Cæterum Ebrietas refertur ad superfluitatem potus; & dicitur *Ebrietas* ab *e*, quod est *sine*, & *bria*, quod est mensura: sicque est potus immoderatus causa voluptatis. Unde *Ebrius* dicitur, qui sine mensura bibit, hoc est, usque ad privationem usus rationis. Gl. *lec. cit.* Et ab hac nos revocare volens Salvator, *Lucæ c.* 21. præcepit, dicens: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra à crapula, & ebrietate*. Et D. Apostolus ad Eph. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*; cum concordantiis. Idque præcipuè esse observandum Clericis, utpote in sortem Domini specialiter vocatis, patet ex Sacris Canonibus, gravissimas pœnas in transgressores statuentibus; uti patet ex *can.* 41. *Apostolorum*, *& can. ult. dist.* 35. & alibi. Quo prænotato

48 Resp. I. Adeò Clericis à crapula, & ebrietate abstinendum est, ut si quis eorum transgressor fuerit, & monitus non desistat, ab officio, vel beneficio, per superiorem suspendendus sit. Textus est *in c. A crapula*, 14. *h. t.* ubi relatum Concilium Generale penetranter sic præcipit: *A crapula, & ebrietate, omnes Clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent & se a vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitus* decer-

decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales, suo modo se obligant potatores: & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à superiore commonitus satisfecerit, ab officio, vel beneficio suspendatur. Hæc ibi. Quibus similia habentur can. Episcopus, dist. 35. ubi ex Canonibus Apostolorum statuitur: Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. Concordat novissime Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. de Reform sub eisdem pœnis per antiquos Canones statutis, vel etiam majoribus, arbitrio Ordinarii infligendis, decentem vitæ morumque compositionem, simulque abstinentiam à luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, seriosè injungens.

49 Cæterùm ratio tam rigidæ, sæpiusque repetitæ in Jure prohibitionis, est imprimis gravissima Dei offensa, propter quam ebriosi regnum Dei non possidebunt 1. Corinth. 6. Utpote, quorum Deus venter est, teste Apostolo ad Philipp. cap. 4. Accedit, quod ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum, juxta textum proxime allegatum ex c. A crapula, h. t. Siquidem luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: omnis qui cum his miscetur, non erit sapiens; uti legitur can. Luxuriosa, dist. 35. Quinimò ebrietas omnium vitiorum fomes, ac nutrix est; uti testatur Concilium Agathense relatum can. Ante omnia, dist. 35. cum concordantiis.

50 Resp. II. Memorata pœna suspensionis ab officio, vel beneficio, in Clericos ebriosos statuta, non est latæ, sed ferendæ primùm sententiæ: simulque relinquitur arbitrio Judicis, an Clericus taliter delinquens, atque post monitionem non abstinens, potiùs sit suspendendus ab officio, vel à beneficio. Prior pars liquet ex eo. Tum quia ad incurrendam ejusmodi pœnam suspensionis requiritur prævia monitio Superioris, sive Judicis; & consequenter non incurritur ipso jure. Tum quia ly, suspendatur, importat actionem Judicis: ac proinde signum est, hujusmodi pœnam esse ferendæ sententiæ; sicque post præviam monitionem à Judice primùm infligendam, conformiter dictis suprà Lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 9. nu. 211.

51 Altera pars est Glossæ fin. cit. c. A crapula, & Abbatis ibid. n. 4. & Barbosæ in 6. h. t. Menochii de Arbitrar. Judic. lib. 2. cas. 404. n. 4. & communis aliorum. Siquidem in relato c. A crapula, h. t. apertè relinquitur arbitrio Superioris, seu Judicis, non solùm, quando Clericus ebriosus post monitionem pœna suspensionis sit afficiendus; sed etiam, an in pœnam sui excessus suspendendus sit ab officio, vel potiùs à beneficio: hoc enim importat alternativa illa, ab officio, vel beneficio suspendatur. Judicis enim est videre, quænam pœna pro qualitate excessus magis expediat, arg. cap. Quoniam §. fin. Ut lite non contestata, & cap. Latores 4. de Cleric. excommunic. ministran. cum similibus.

52 Nec obstat textus in l. Quicunque, §. 1. C. de Servis fugitiv. ubi in pœnis alternativis optio datur Reo, quam pœnam maluerit sustinere. Resp. enim cum Bartolo ibid. n. 4. & Abbate cit. c. A crapula n. 4. h. t. istud procedere, quando verba pœnam imponentia diriguntur ad Reum: quia tunc electio pœnæ est ipsius Rei, ut est casus in cit. l. Quocunque. Secùs dicendum, quando verba pœnam imponentia diriguntur ad Judicem; vel saltem absolutè & impersonaliter proferuntur, v. gr. dicendo: Puniatur hoc, vel illo modo; Suspendatur ab officio, vel beneficio. Tunc enim electio est Judicis, qui pensata gravitate delicti, & qualitate personarum, aliisque circumstantiis, prudenti judicio alterutram pœnam taxabit; ut casu cit. c. A crapula, h. t.

53 Resp. III. Insuper ad magis evitandum ebrietatis periculum, Clerici omnes generaliter prohibentur, edendi, vel bibendi causa, ingredi tabernas cauponarias; nisi itineris necessitate compellantur. Textus est in c. Clerici 15. h. t. & can. Non oportet. & can. Clerici; dist. 44. juncto can. Nulli ead. dist. 44. ubi Clericus jubetur deponi, qui tabernam habere, vel etiam ingredi; non cessaverit. Concordat can. 53. Apostolorum, ubi dicitur: Si quis Clericus in caupona cibum capere deprehensus fuerit, à communione excludatur; excepto tamen eo, qui necessariò in itinere in commune diverterit hospitium. In praxi tamen attendantur salutares singularum Diœcesium Constitutiones, seu consuetudines, pœnæque per eas transgressoribus statutæ.

Quæritur V. Quid Sacri Canones statuant circa avari- 54
tiam, præcipuè Clericis fugiendam? Resp. I. Inter alia, quæ vitam, honestatemque Clericorum vel maxime commaculant, est vitium avaritiæ, à quo proinde cum primis Clericos oportet esse alienos. Textus est in can. His igitur dist. 23. & can. Quæro ergo 6. q. 1. ubi avaritia hæresi æquiparatur. Quinimò ea etiam Idolorum servitus ab Apostolo nominatur, ad Ephes. cap. 5. & Coloss. cap. 3. Unde & can. cùm omnis 1. q. 1. dicitur: Cùm omnis avaritia idolorum sit servitus, quisquis hanc, & maxime in dandis Ecclesiasticis honoribus, vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiamsi tenere fidem, quam negligit, videatur: cum similibus.

Accedit ratio. Tum quia avaro nihil est scelestius, uti 55
legitur Ecclesiastici cap. 10. cum similibus. Tum quia Clerici, utpote in sortem Domini vocati, ex redditibus Ecclesiasticis (vel saltem ex bonis patrimonialibus, ad quæ fuerunt ordinati) jam habent, unde honeste vivant ac proinde sibi peculiariter dictum intelligant ab Apostolo 1. ad Timoth. 6. scribentes: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli; & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem &c.

Resp. II. Ut Clerici à detestando avaritiæ vitio eò 56
magis reddantur alieni, plura per Sacros Canones eisdem prohibentur, quæ vel ex avaritia proficisci, vel ad eam inducere solent. Sic imprimis prohibentur Clerici officia, vel commercia sæcularia exercere, maxime inhonesta. Textus est in cap. Clerici h. t. quod est desumptum ex Concilio Generali, seu Lateranensi celebrato sub Innocentio III. Concordant ea, quæ habentur toto Tit. Ne Clerici, vel Monachi &c. Nam, ut inquit D. Apostolus 2. Timoth. cap. 2. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Verùm de hoc plura inferiùs §. 5. num. 126. & seqq.

Deinde Clericis severissime prohibitus est alearum, 57
seu taxillorum lusus (id est, omnis ille lusus, qui magis fortuna, quam arte, vel industria ludentium regitur) ut liquet ex can. 41 & 42. Apostolorum: ubi in transgressores, nisi desinant, statuitur pœna depositionis, aut excommunicationis: Concordat can. Episcopus, dist. 35. cujus verba num. 48 relata sunt. Est textus expressus in c. Clericis 15. h. t. ibi Ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi lusibus intersint: juncto Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 1. de Reform. pœnas antiquorum Canonum desuper innovante.

Unde ex tam multiplici rigida prohibitione, simul- 58
que adjunctis pœnis, non nisi pro peccato mortali imponi solitis; communiter colligunt Doctores, ac præsertim Navarrus cap. 20. Manual. n. 9. Sylvester vers. Ludus, quæst. 4. Layman lib. 3. Theolog. Moral. tract. 4. cap. 21. n. 1. & alii ab his relati, quod Clericus lucri gratia, & pro magna quantitate taliter ludens, peccet mortaliter: præsertim, si frequenter, aut publice cum scandalo aliorum id fiat. Secùs foret dicendum, si solius recreationis causa, distractionis vel charitatis ergò, Clericus ex bonis patrimonialibus (vel etiam ex Ecclesiasticis, sed in modica duntaxat quantitate spectato statu suo) sine aliorum scandalo, privatim semel, aut bis, vel ad breve tempus ita luderet: nam Canones relati loquuntur de illis, qui aleæ, atque ebrietati deserviunt; id est, crebrò, & per longum tempus ludunt, seu lusui ejusmodi valdè serviunt: ut explicat Glossa cit. can. Episcopus, dist. 35. vers. Deserviens. Layman loc. cit. Lessius lib. 2. de just. & jur. cap. 26. dubit. 1. n. 5. & 6. & alii; ac dixi ego ipsemet Tract. 8. Theolog. Moral. dist. 4. n. 110. & 111.

Ulteriùs ad tollendam quoque avaritiæ speciem, præ- 59
cipitur c. cùm ab omni 10. h. t. Ecclesiasticis Judicibus, ut gratis judicare debeant; nec exigere possint decimam, vel aliam quotam litis; haud obstante quacunque consuetudine in contrarium. Idque meritò: cùm nec justum judicium Judici vendere liceat, simulque ad hoc Clericis sint Ecclesiastici redditus deputati, ut ex ipsis honeste vivere, ac proinde vigorem judiciarium gratis litigantibus impertiri debeant: prout argumentatur Pontifex ibid.

60 Resp. III. Ad removendum eò ampliùs avaritiæ fomitem, nonnulla etiam Sacri Canones Clericis facienda præcipiunt. Et primò quidem, ut bona superflua, atque intuitu Ecclesiæ acquisita, vel in pauperes, aliasve pias causas erogare teneantur, can. quia tua 12. qu. 1. & can. Res Ecclesiæ, & can. Clericus, ead. caus. 12. q. 1. & can. quoniam quidquid 16. q. 1. cum similibus. Vel saltem Ecclesiæ suæ, cui inservierunt, relinquere debeant, c. Inquirendum 4. & c. Si quis sane 5. de Peculio Cleric. Non autem de ipsis per testamentum, vel alio modo mortis causa disponere valeant, cap. 1. & c. cùm in officiis 7. & c. Quia nos 9. de Testament. & alibi. Idque saluberrime per Sacros Canones constitutum fuit, ut Clerici hac ratione absterreantur à congregandis copiosis, & sæpe superfluis bonis Ecclesiasticis; promptioresque reddantur ad eadem, majori cum merito, in vivis eroganda in pias causas, dum norunt, nullam sibi potestatem superesse de ipsis post mortem disponendi. Navarrus Tract. de Redditibus Ecclesiast. quæst. 3. monit. 1. num. 2. Quidquid sit de consuetudine testandi ad pias causas, alicubi Clericis concessa, de qua alibi.

61 Deinde Sacri Canones hospitalitatem in Clericis, præsertim Beneficiariis, requirunt veluti debitam. Unde dist. 42. §. 1. legitur. Hospitalem oportet esse Sacerdotem, ne sit in numero eorum, quibus in judicio dicetur, Matth. 15. Hospes eram, & non collegistis me. Qui enim Apostolum secutus, alios ad hospitalitatem debet invitare, quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? Hæc ibi, plura de hospitalitate Clericorum, præsertim Episcoporum, nervosius subjungendo. Unde S. Hieronymus, relatus can. Quoniam 16. qu. 1. notanter inquit: Quoniam quidquid habent Clerici, pauperum est; & domus illorum omnibus debent esse communes; susceptioni peregrinorum & hospitum, invigilare debent &c.

62 Idque fit pluribus de causis, quas enumerat Hostiensis in Summa, tit. de Temporib. Ordinat. numer. 20. vers. Septima. Primo siquidem non potest esse hospitalitatis exhortator, qui domum suam hospitibus claudit, cit. dist. 42. §. 1 Deinde, pietas hospitalitatis remuneratur temporaliter, & æternaliter; juxta illud Apostoli 1. Timoth. 4. Exerce te ipsum ad pietatem: nam corporalis quidem exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem utilis est ad omnia, habens promissionem vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Tandem hospitalitas ita placet Deo, ut quidam Angelos hospitio recepisse legantur, can. Quiescamus, dist. 42. Imò & Dominum Angelorum; ut factum refertur in pluribus Historiis, & concordat illud Salvatoris, quodnam in die extremi judicii ad Electos suos dicturi, Matth. 25. Hospes eram, & collegistis me. Et hinc, quòd ob pluralitatem Beneficiorum, simul à nonnullis retentorum, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non observetur; deplorat inter alia Pontifex in Extravag. Execrabilis, §. 1. de Præbend. inter Communes; unde ponderando in relatis verbis ly, debita, patet, hospitalitatem in Clericis, præsertim Beneficiariis, esse debitam.

§. III.

De obligatione Clericorum deferendi Habitum & Tonsuram; hujusque forma.

SUMMARIUM.

63 *Clerici tenentur deferre habitum, tonsuramque suo statui congruentem.*
64 *Hæc obligatio concernit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, ac etiam clericos inferiores, si beneficium Ecclesiasticum obtineant.*
65 *Aut saltem jus in Beneficio, vel ad illud habeant.*
66 *Rigor Constitutionis Sixti V.* Cùm Sacrosanctum, *non est ubique usu receptus. Et n. 64. ac 65.*
67 *Estque per aliam Bullam ab eodem Pontifice non nonnihil temperata.*
68 *Clerici non sunt obligati ad portandas duas vestes longas.*
69 *Clerici in minoribus Ordinibus constituti, & Beneficium non habentes, non tenentur ad deferendum habitum, & tonsuram Clericalem.*
70 *Defactò tamen non gaudent privilegio Fori, nisi habeant unam ex conditionibus à Concilio Triden. præscriptis.*
71 *Quicquid olim fuerit spectato Jure communi.*
72 *Clericus Minorista, si dimittat habitum, sicque non gaudeat privilegio Fori, post reassumptum habitum recuperat illud.*
73 *Episcopus non prohibetur procedere contra Clericos Minoristas delinquentes, etsi nullam habeant conditionem ex requisitis à Concil. Trid.*
74 *Refertur quoad hoc Declaratio Sacræ Congregationis.*
75 *Dummodò Clerici illi permaneant Clerici: idque declaratur.*
76 *Sufficit quælibet trium conditionum à Concilio Tridentino præscriptarum, ut Clericus gaudeat privilegio Fori.*
77 *Adeò, ut habens Beneficium, etsi non deferat habitum, eodem privilegio gaudeat.*
78 *An autem ad hoc sufficiat habere Titulum Beneficii, vel requiratur possessio hujus, variant Doctores. Et num. seq.*
Refertur sententia negantium, sufficere solum titulum. Ibid.
79 *Affirmativa sententia est probabilior &c.*
80 *Clerici Minoristæ, spectato Jure communi, gaudent privilegio Canonis, etsi nullam habeant conditionem à Concilio Tridentino præscriptam.*
81 *Idque probatur.*
82 *Solvitur instantia.*
Differentia notabilis inter privilegium Fori, & Canonis. Ibid.
83 *Secùs potest accidere de speciali locorum consuetudine.*
84 *Tonsuram Clericorum nullus deferre debet, nisi eam ab Episcopo acceperit &c.*
85 *Ea antiquitus fiebat raso desuper, ac inferius capite in modum sphæræ: & hujus mystica significatio.*
86 *Et qualiter hodie fiat?*
87 *Clericis Beneficiatis, aut existentibus in sacris Ordinibus, etiam prohibitum est laxare comam.*
88 *Adeò, ut transgressores peccent, possintque excommunicari.*
89 *Nisi subsit justa causa comam nutriendi, seu relaxandi.*
90 *Potest excusari praxis Clericorum gestantium comam fictitiam, seu Peruccam.*
91 *Missam verò celebrare cum coma fictitia, absque legitima dispensatione, est prohibitum.*
92 *Et quis possit talem dispensationem concedere?*
93 *Refertur edictum, de Mandato Innocentii XII. in Diœcesi Frisingensi desuper publicatum.*

Quæritur I. An, & sub qua obligatione Clerici teneantur deferre habitum, & tonsuram Clericalem? Resp. I. Ad honestatem vitæ Clericorum inter alia pertinet, ut ipsi deferant habitum, & tonsuram suo Ordini, statuique congruentem. Textus est in can. ult. dist. 41. & c. Clerici officia 15. h. t. ubi in Concilio Generali legitur Clericis præceptum in hæc verba; Coronam, & tonsuram habeant competentem--clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda &c. plura protinus subjungendo, quæ veluti repugnantia statui suo, Clericis in vestitu sunt evitanda. Concordat clem. Quoniam 2. h. t. plura pariter statuens circa habitum, tonsuramque Clericorum, & transgressoribus certas pœnas imponens. Hancque additis aliis pœnis, innovavit Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 9. de Reform. optimam hujus reddens rationem, illis verbis: Etsi habitus non faciat Monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. 63

Resp.

64 Resp. II. Hujusmodi obligatio deferendi habitum, & tonsuram, non solùm concernit Clericos in sacris ordinibus constitutos; sed etiam Clericos inferiores, si beneficium Ecclesiasticum habeant. Ita communis; estque expresse, & quidem sub gravissimis pœnis, statutum *in cit. Clem. quoniam 2. h. t.* & Concilio Tridentino *d. Sess. 14. cap. 6. de Reform.* cujus verba inferius *n.* 106. referentur, explicando simul pœnas transgressoribus statutas. Accedit Constitutio 92. Sixti V. quæ incipit, *cùm sacrosanctum* (& refertur *Tom. 2. Bullar. Romani*) in qua idem Pontifex quibuslibet Clericis, etiam Clericali tantum Tonsura insignitis, ac Beneficium, vel etiam pensionem duntaxat Ecclesiasticam habentibus, sub pœna privationis horum ipso facto incurrenda præcipit, ut *Tonsuram & habitum clericalem, vestes scilicet talares deferant*; eo addito, ut *in futurum non nisi aliis clericis in habitu clericali, & tonsura incedentibus, quæcunque Ecclesiastica, etiam simplicia beneficia, conferantur &c.* Quod ipsum Pontifex ibidem extendit ad Milites, sub aliqua approbata Regula viventes, & pensionem vel Beneficium Ecclesiasticum habentes; nisi incedant in habitu militari suæ Militiæ proprio; prout uberius continetur in memorata Bulla.

65 Quinimò citata Constitutio Sixtina obligat Clericos quoscunque ad deferendum habitum, non solùm, quando jam *obtinent beneficia ecclesiastica qualiacunque, etiam simplicia* (percipiendo videlicet fructus eorum) sed etiam, quando *in illis, vel ad ea jus habent*; adeò, ut si secùs fiat, eos Pontifex *sine ulla alia monitione, citatione, Judicis Decreto, aut ministerio, ipso facto privatos declaret; ac tam beneficia ipsa per privationem hujusmodi vacare, & libere aliis conferri posse, quam etiam pensiones cassatas &c.* decernat, ac eorundem collationem Romano Pontifici reservet. Nec mirum: Siquidem Clericus Minorista habens jus ad Beneficium, putà, jus Canoniæ cum expectatione Præbendæ; jam reputatur pro Beneficiato, *arg. cap. In nostra* 33. juncta Glossa *fin. & DD. ibid. de Rescript.*

66 Veruntamen, quod rigor citatæ Constitutionis Sixtinæ non sit ubique usu receptus, saltem quoad hoc, ut non deferentes habitum, & tonsuram, absque ulteriori monitione, sint ipso facto privati Beneficiis: notat Nicol. Garcias *par. 7. de Beneficiis, cap. 1. n. 23.* Ludov. Engel *h. t. nu.* 8. & Barbosa *par. 2. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 9. n. 14.* citans alios.

67 Illud est certum, quod eadem Bulla Sixti V. *Cùm sacrosanctum*, per aliam Bullam, quæ incipit, *Pastoralis*, atque in Bullario Romano priorem immediate sequitur, ab eodem Pontifice non nihil fuerit temperata: declarando videlicet, quod ipsa non arctet certos Clericos Papæ familiares, atque officiales Curiæ Romanæ, quatenus *in habitu Laicali sua munia promptius, expeditiusque obire valeant*; uti loquitur Pontifex. Neque etiam procedat in illis, *qui pensiones, seu fructus, aut prædia, vel bona Ecclesiastica, sibi in una vel pluribus vicibus reservata, & concessa, summam seu valorem annuum sexaginta ducatorum auri de Camera insimul non excedentes, seu excedentia percipiunt, aut percipient in futurum*: Aut si excedunt, non aliter Clerici pensionarii ad gerendum habitum Clericalem teneantur, *nisi postquam pensiones, fructus, & alia præfata cum effectu exigere aut percipere cœperint, vel per eos steterit, quo minùs exigant, vel percipiant*: prout inter alia loquitur memorata Bulla, *Pastoralis*.

68 Notant tamen Doctores, & signanter Garcias, *part. 7. de Beneficiis, cap. 1. n. 23.* & Barbosa *lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 40. n.* 30. allegans alios; quod per dictas Constitutiones Clerici non sint obligati ad portandas duas vestes longas; sed sufficiat, quod exterior sit talaris, *can. penult. dist.* 23.

69 Resp. III. Cæteri Clerici in minoribus Ordinibus constituti, & beneficium Ecclesiasticum, seu jus ad illud nondum habentes, ad deferendum habitum & tonsuram Clericalem neutiquam tenentur. Ita communis. Nam *cit. Clem. Quoniam 2 h. t.* sicut & Constitutio Sixtina, atque Concilium Tridentinum *loc. cit.* dum Clericis imponunt obligationem clericaliter incedendi, expresse loquuntur de Clericis in Sacris, vel beneficium Ecclesiasticum, aut saltem jus ad istud habentibus; sicque ipso facto interpretantur, atque declarant, antiquiores Canones, qui videntur generaliter omnibus Clericis præcipere, ut coronam & tonsuram habeant congruentem, *c. 4. & cap. penult. h. t.* cum similibus, de istis duntaxat esse intelligendos, non autem de Clericis Minoristis nullum Beneficium habentibus: quamquam tales de facto non amplius sint gavisuri privilegio Fori. Quod ultimum ut melius intelligatur

70 Quæritur II. Utrùm Clerici Minoristæ, non deferentes habitum & tonsuram, gaudeant privilegi Fori, & Canonis? Resp. I. Etsi tales Clerici, si beneficium Ecclesiasticum non habeant, ad deferendum habitum & tonsuram Clericalem non teneantur, ut dictum: nihilominùs ipsi de facto non gaudent privilegio Fori, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas Concilium Tridentinum *Sess. 23. cap. 6. de Reform.* præscripsit, in hæc verba noviter statuendo: *Is etiam* (videlicet prima Tonsura initiatus, aut in minoribus Ordinibus constitutus) *Fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ, ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos, versetur.* Hæc Concilium.

71 Ex quibus verbis adeò claris manifeste patet, quod de facto Clericus nullam dictarum trium conditionum habens, privilegio Fori non gaudeat: sicque non possit declinare jurisdictionem Judicis sæcularis. Quidquid olim fuerit spectato Jure communi: nam huic quoad propositum, derogatum est per relatum Concilium Tridentinum. Aloys. Riccius *part. 1. Praxi Fori Ecclesiast. resol.* 540. *n. 4. & resol. 541. n.* 2. Navarrus *Consil 25. de Privileg.* & alii.

72 Notat tamen Bellettus *Disquisit. Cleric. part. 1. de Favore Clericor. personal. §. 2. numer. 29. & §. 8. numer.* 15. & Card de Luca *in Annot. ad Concil. Trident. Discurs. 24. nu. 35. & 36.* quod si Clericus Minorista, deserviens v. gr. ex mandato Episcopi cuipiam Ecclesiæ, dimittat habitum, sicque non gaudeat privilegio Fori: nihilominùs, si postea is reassumat habitum & tonsuram Clericalem, recuperet privilegium Fori: Ratio est: quia huic privilegio non potest Clericus renunciare, nisi facto ipso: atqui factum ejusmodi jam tollitur per reassumptionem habitus; ergo; Sequitur proinde, quod si Clericus Minorista tempore commissi delicti non gesserit habitum, modo autem post delictum, & ante condemnationem, atque capturam eundem reassumat, recuperet privilegium Fori. Glossa *in Clem. 1. vers. Quamdiu h. t.* Sanchez *lib. 7. de Matrimon. disp. 46. numer.* 29. Covarruvias *Pract. Quæst. cap. 31. nu.* 8. Alexander *Consil. 8. n. 4. vol.* 1. Julius Clarus *§. 5. quæst. 36. num.* 15. Bellettus *cit. §. 8. num. 15. & 16.* sed istud limitans, dummodò reassumptio habitus non fuerit facta in fraudem. Verum de hoc posteriori videantur ea, quæ superiùs *L. 2. Tit. 2. De Foro compet. §. 10. n. 262. & 267. ac seqq.* fusius, atque ex professo dicta sunt.

73 Notat ulteriùs Garcias *par. 2. de Beneficiis, cap. 2 nu. 16. & seqq.* & novissime Card. de Luca *de Jurisdiction. Discurs. 55. n. 5. & seqq.* allegans in terminis Declarationem Sacr. Congregationis Concilii, *in causa Leodiens. die 12. Novemb.* 1630. quod quidem Clerici Minoristæ, nullam præmissarum conditionum habentes, non gaudeant privilegio Fori, & ita ipsi non possint declinare jurisdictionem sæcularis Judicis: non tamen idcircò prohibeatur Episcopus, quin contra eos delinquentes possit procedere, illosque punire, quandiu ipsi adhuc Clerici permaneant. Ratio est: Quia dictum Decretum Concilii Tridentini recte quidem procedit in odium ipsius Clerici, nullam dictarum conditionum adimplentis, ne scilicet Forum laicale declinare possit: non autem ad ejus favorem, seu ut sibi sub hoc prætextu liceat declinare jurisdictionem Episcopi sui: utpote quæ huic ab antiquo competebat in Clericos tonsuratos, neque per Concilium Tridentinum revocata intelligitur.

74 Hinc in facti contingentia, cùm quidam Lælius Clericus, defectum debitarum conditionum patiens, per Curiam sæcularem incarceratus fuisset, postea obtinuit remitti ad Episcopum suum; sed cum tractu temporis,

ob rerum statum immutatum, agnosceret sibi magis expedire, habere Judicem laicum, quam Ecclesiasticum, isto volente in causa procedere, appellavit, causa tamen introducta in Rota succubuit; uti refert Card. de Luca *cit. Discurs.* 55. in fine ejusdem referens citatam Declarationem Sacr. Congregationis, quam Sanctitas sua approbavit, videlicet: ut „Clerici, etiam non habentes requisita cap. 6. Sess. 23. de Reform. licet ipsi, „tanquam contravenientes ordinationi S. Concilii, non „possint pro se allegare privilegium Fori, nihilominùs „subsint jurisdictioni Episcoporum, seu Ordinariorum, „& illorum jurisdictioni, nedum in causis, in quibus „non prævenerunt, sed illos è manibus judicis laici repetent, quando iidem Clerici adhuc Clerici permaneant; videlicet, si neque à jure neque ab homine per „declarationem ser. ser. factam privilegiis Clericalibus „denudati, seu privati sint. „ Hæc ille, *sub discurs. 24. in Annot. ad S. Concilium Trid. n.* 41. idipsum docens; videlicet, quod ejusmodi Clericus *in ejus odium utrique Foro subjectus remanebit, ut pluries declaravit hæc Sacr. Congregatio, ac etiam Rota.* Ita Card. de Luca.

75 Additur notanter in relata Declaratione Sacr. Congregationis, *quando iidem Clerici adhuc Clerici permaneant &c.* Tum ad excludendos Clericos bigamos, utpote qui *ipso jure* omnibus Clericalibus privilegiis denudati sunt, & coërtioni Fori sæcularis astricti, *cap. un. de Bigamis in 6.* Tum propter Clericos conjugatos, qui non habent requisita *c. 1. de Cleric. conjug. in 6.* juncto Concilio Tridentino *Sess. 23. c 6. de Reform.* Nam etiam tales ipso jure privati sunt privilegiis Clericalibus, per Jura proxime relata; adeoque non censentur permanere Clerici; ita ut nec retineant privilegium Canonis, *can. Si quis suadente 17. q. 4.* Garcias *cit. c. 2. nu.* 18. Sanch *lib. 7. de matrim. disp. 46. n. 1. & 2.* & alii. Tacentur Clerici degradati, & Curiæ sæculari traditi; & nonnulli alii, qui prævia debita monitione, ac subsecuta declaratione Judicis Ecclesiastici, sicque ab homine omne privilegium Clericale amiserunt, de quibus alibi.

76 Resp. II. Cùm Concilium Tridentinum *Sess. 23. cap. 6. de Reform.* loquatur sub disjunctione, *Aut, vel*, uti liquet ex verbis ejusdem *num.* 70. relatis: hinc passim fatentur Doctores, quod sufficiat quælibet illarum trium conditionum à Concilio præscriptarum, ut Clericus tonsura Clericali insignitus, vel etiam in Ordinibus minoribus constitutus privilegio Fori gaudeat. Nam, ut *Reg. 70. jur. in 6.* loquitur: *In alternativis sufficit alterum impleri*, cum concordantiis.

77 Et hoc adeò procedit, ut Clericus habens beneficium Ecclesiasticum, etiamsi non deferat habitum & tonsuram Clericalem; nihilominùs gaudeat privilegio Fori. Quia licet peccet, possitque idcircò puniri; nihilominùs in ordine ad participandum privilegium Fori, Concilium Tridentinum in habentibus Beneficium non requirit dictam delationem habitus, & tonsuræ: sed hanc duntaxat expostulat in inservientibus alicui Ecclesiæ, vel in Seminario Clericorum, Schola seu universitate versantibus; uti liquet ex relatis verbis ejusdem Concilii. Ita Nicol. Garcias *part. 2. de Beneficiis cap. 2. nu.* 4. Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 5. nu.* 6. Farinacius *in Praxi Criminali, lib. 1. quæst. 8. n.* 70. Aloys. Riccius *part. 1. Praxis Fori Eccles. resol. 541. nu.* 2. Bellettus *par. 1. Disquisit. Clerical. tit. de Favore Clericor. personal. §. 8. num.* 8. Barb. *l. 1. Jur. Ecclesiastic. univ. c. 39. §. 2. nu.* 13. citans plurimos alios.

78 Controvertunt tamen Doctores, utrùm ad participandum privilegium Fori sufficiat habere titulum Beneficii, seu jus in re respectu illius, vel insuper requiratur possessio illius: adeò, ut si Clericus non incedens in habitu & tonsura Clericali, capiatur à Judice sæculari, & ipse petat se remitti ad Judicem Ecclesiasticum, sufficiat docere de solo titulo Beneficii, vel etiam requiratur, ut doceat de obtenta possessione ejus? Et quidem non sufficere solum titulum, sed insuper requiri, quod Clericus Minorista ad participandum privilegium Fori probet possessionem, seu quasi possessionem Beneficii; adeoque, si non incedat in habitu Clericali, capiaturque ob delictum à Judice sæculari, non sit remittendus ad Judicem Ecclesiasticum: tenet Card. Tuschus *Litt. B. Concl. 78. n.* 8. Julius Clarus *in Practic. Criminal. §. fin. quæst. 36. nu. 21. vers. Illi tamen* Farinacius *lib. 1. Praxis Criminal. quæst. 8. n.* 70. Scaccia *tract. de Judiciis, cap. 11. n.* 82. ac novissime Card. de Luca *in Annotat. ad S. Concil. Trident. Discurs. 24. n.* 16. Ratio hujus sententiæ esse potest, quam affert Garcias *par. 2. de Beneficiis, c. 2. n. 11. 12. & seqq.* Quia (inquit) decentia, quæ consideratur in proposito, ut habens Beneficium non debeat per Judicem sæcularem judicari, non tam apparet ex titulo quam ex possessione Beneficii.

79 Oppositam sententiam, videlicet sufficere solum titulum, tenet Flaminius Parisius *lib. 7. de Resignat. Benefic. quæst. 1. n. 46 & 47.* asserens, quod fuerit resolutum in Sacra Congregatione Concilii *die 16. Julii* 1587. Beneficiatum gaudere privilegio Fori ante adeptam possessionem. Et hanc Sacræ Congregationis Declarationem, asserentem, quod Clericus primæ Tonsuræ, habens jus in Beneficio ex provisione Papali, in suis causis civilibus gaudeat privilegio Fori, verbatim refert Garcias *loc. cit. num.* 14. licet eam postea intelligat de Clerico incedente in habitu Clericali, de quo tamen dicta Declaratio nullam facit mentionem. Eandem sententiam sequitur Gigas *de Pensionib. quæst. 94. nu.* 12. Bonacina *Tom. 2. disp. 10. in Decalogo quæst. 2. punct. 1. §. 4. nu.* 13. Diana *Resol. Moral. par. 1. tr. 3. resol.* 29. Lezana *in Summa tom. 3. vers. Clericus* & Barbosa *lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 39. §. 2. n.* 14. hanc sententiam appellans probabiliorem, & pro ipsa allegans plures alios. Et certè, si Declaratio Sacræ Congregationis jam relata afferatur in forma authentica, isthæc sententia non solum erit probabilior: sed certa & indubitata; conformiter dictis suprà *in Proœmio Libri I. Decretalium, §. 8. n. 126. 130. & seqq.* Accedit ratio: quia in Beneficialibus non attenditur principaliter possessio sed titulus, *arg. c. Ex frequentibus 3. de Institutionib.* juncta *Reg. 1. juris in 6.* Quinimò in possessione non est aliquid spiritualitatis; uti loquitur Abbas *c. Quod in dubiis n. 8. de Renunciat.*

80 Resp. III. Quamvis Clerici Minoristæ non habentes beneficium Ecclesiasticum, aut alias qualitates à Concilio Tridentino *cit. Sess. 23. cap. 6. de Reform.* requisitas, Fori privilegio non gaudeant, ut dictum nihilominùs spectato Jure communi, & seclusa speciali locorum consuetudine, iidem privilegio Canonis non sunt privati. Ita Aloys. Riccius *par. 1. Praxis Fori Ecclesiast. resol. 541. num.* 3. asserens, quod ita censuerit Sacra Congregatio ad *d. cap. 6.* illis verbis *Clerici, qui in hoc decreto Concilii privilegio Fori privantur, privilegio tamen Canonis non intelliguntur privati.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancel. gloss. 5. § 5. num.* 7. eandem Declarationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, & sub iisdem verbis referens, Diana *par. 3. tract. 5. resol.* 82. dictam Sacræ Congregationis Declarationem allegans: atque inde concludens, quod percutiens ejusmodi Clericum, incidat in excommunicationem. Fagnanus *c. 1. Si quis n. 72. de foro compet.* Garcias *de Beneficiis, part. 2. cap. 2. num.* 10. Bellettus *Disquisit. Clerical. part. 1. tit. De favore Clericor. person. §. 8. num.* 22. Barbosa *part. 2. de offic. & potest. Episcop. allegat. 12. num. 32. & lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 39. §. 2. num.* 3. allegans plures alios contra Felicianum *de Censib. lib. 2. cap. ult. num.* 14. Layman *lib. 1. Theolog. Moral. tract. 5. part. 2. cap. 5. num.* 3. Suarez *in tom. 5. de Censuris, disp. 22. sect. 1. nu.* 11. Bannes *2. 2. qu. 12. art. 1. circa fin.* Coninch. *de Sacrament. disp. 14. dub. 15. num.* 163. & nonnullos alios.

81 Ratio Conclusionis est: quia de Jure communi omnes Clerici gaudent privilegio Canonis, *can. Si quis suadente 17. qu.* 4. simulque quoad istud privilegium, Concilium Tridentinum *loc. cit.* nihil innovavit: neque Juri communi derogavit; ergo neque nostrum est, hujusmodi innovationem inducere, sive Decretum Concilii Generalis de solo privilegio Fori loquens; ad privilegium Canonis extendere. Probatur consequentia. Tum quia non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori, *l. Præcipimus, cap. de Appellat. & l. Si vero, §. De viro ff. Soluto matrim.* Ubi Summarium ex Bartolo sic habet: *Provisio legis contra Jus commune non extenditur ultra id, quod lex exprimit, licet eadem sit ratio.* Tum quia, si Concilium voluisset in casu *cit. cap. 6.* comprehendere etiam privilegium Canonis, præter privilegium Fori, potuisset etiam illud expressisse:

pro-

prout in simili argumentatur Pontifex *cap. Inter corporalia, §. Sed neque, de transl. Episc.* & *cap. Ad audientiam 12. de Decimis.* Tum tandem: quia correctio legum, veluti odiosa, quantum fieri potest, evitanda est, *cap. cùm expediat. 29. de Election. in 6.* ac proinde per tacitos, & subauditos intellectus non inducenda, neque asserenda. Glossa singularis *in c. Cupientes 5. Quod si per viginti, vers. Petere, de Election. in 6.* estque ampliùs dictum supra *Lib. 1. Tit. 2. De Constitutionibus nu. 419. & nu. 500. & 501. ac seq.*

82 Dices cum Authoribus oppositæ sententiæ. Privilegium Canonis faciliùs amittitur, quam privilegium Fori; juxta Abbatem *cap. 1. num. 6. de Apostat.* Angelum *vers. Excommunicatio 5. numer. 23.* & alios, istud probantes ex eo; quia privilegium Canonis provenit ex Jure duntaxat humano, privilegium Fori autem ex Jure Divino, prout alibi jam dictum: ergo, licet Concilium Tridentin. *cit. Sess. 23. cap. 6.* expresse solùm faciat mentionem de privilegio Fori; necessariò tamen, ob identitatem, imò & majoritatem rationis, inde colligitur, idem sensisse de privilegio Canonis. Resp. neg. consequent. Quia ad privationem privilegii Fori, non ritè infertur privatio privilegii Canonis: nam à diversis non fit illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de Minorib.* Barbosa *Axiomat. 118.* citans alios. Hæc autem sunt valde diversa privilegia: etenim priùs, sive privilegium Fori, lædit jurisdictionem Judicum sæcularium: sicque propter horum querelas, simulque ad coercendam insolentiam quorundam Clericorum, in Ordinibus minoribus duntaxat constitutorum, & nullam ex requisitis conditionibus habentium, rationabiliter per Concilium Tridentinum sublatum fuisse dignoscitur. Secùs dicendum de privilegio Canonis: istud enim nullius jurisdictionem lædit, sed refrænat solummodò Laicos ab injuriis Clericis inferendis, quibus sunt infensi Fagnanus *cit. c. Si quis num. 73. de Foro compet.* Accedunt rationes *nu. præced* allatæ, juncta Declaratione Cardinalium in Conclusione relata: quæ si afferatur in forma authentica, Conclusionem nostram reddet certam & indubitatam, ut proxime dictum.

83 Atque hæc procedunt; *spectato Jure communi, & seclusa speciali locorum consuetudine*, prout benè limitat data *num. 80.* Conclusio. Quia enim privilegium Canonis solo Jure Ecclesiastico introducta fuit, simulque non desunt Doctores oppositam sententiam tenentes: hinc negari vix poterit, quin per contrariam, & legitimè præscriptam consuetudinem, ex hac parte rigori Juris communis, seù privilegio Canonis quoad Clericos Minoristas, nullamque ex suprà memoratis conditionibus habentes, derogari possit; atque in nonnullis locis, præsertim in nostris partibus, actualiter derogatum fuerit, juxta *cap. ult. de Consuetud.* cum similibus: adeò, ut ejusmodi Clericum, habituque Clericali non incedentem percutiens, excommunicationem latæ sententiæ non incurrat. Atque in hoc casu locum habebit contraria quorundam Doctorum opinio; eò præsertim, quia tales Clerici, seclusis singulis conditionibus à Concilio Tridentino, *ubi suprà*, requisitis, vix amplius à Laicis dignosci valent.

84 Quæritur III. Quid dicendum de Tonsura Clericorum, formaque ipsius? Resp. I. Tonsuram Clericalem nullus deferre debet, nisi eam priùs ab Episcopo acceperit. Ita habetur constitutum in 7. Synodo, *cap. 14.* ac refertur *can. 1. dist. 69.* Quamquam per hoc non negetur, quin etiam Abbates, si Presbyteri sint, & ab Episcopo benedicti, possint suis Monachis primam Tonsuram conferre, *cit. can. 1. dist. 69. & cap. cùm contingat. 11. de Ætate & qualit. præficiend.* cum concordantiis. Ut taceatur Tonsura Regularis Monachorum, aliorumque Religiosorum, etiam Novitiorum, quam juxta præscriptum, seu laudabilem cònsuetudinem propriæ Religionis, à Superioribus suis recipiunt: hæc enim non est Tonsura Clericalis, de qua impræsentiarum est sermo.

85 Resp. II. Tonsura Clericorum antiquitus fiebat raso desuper capite in modum sphæræ, & inferiùs quoque, ita, ut patentibus auribus, sola capillorum corona circa caput remaneret, *can. Prohibete, & can. penult. dist. 23.* Ad eum videlicet modum, quo hodie Monachi, & Regulares, capita sua radere consueverunt. Barbosa *lib. 1. jur. Ecclesiast. univ. cap. 40. n. 7.* Hujus autem mystica significatio declaratur in *can. Duo sunt genera 12. q. 1.* illis verbis: *Hi namque* (Clerici) *sunt Reges, id est, se & alios in virtutibus regentes: & ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite; Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum Regni, quod in Christo expectatur, Rasio verò capitis, est temporalium omnium depositio.* Hæc ibi; quod ipsum ampliùs declarat Glossa in *Clem. 2. V. Et tonsuram h. t.* Aliam adhuc rationem assignat Ven. Beda *lib. 4 Histor. cap. 22.* dicens, *Clericos in memoriam spineæ coronæ Domini capillos in formam coronæ detonsos gestare.*

Additur tamen in conclusione. *Tonsura Clericorum antiquitus fiebat &c.* Quia licet olim tonsura Clericorum fuerit talis, ut totum caput raderetur, solo relicto crinium circulo in medio, ut dictum; tractu tamen temporis introductum fuit, atque hodie ab Ecclesia generaliter receptum, ut memorata corona capillorum à Monachis, aliisque Regularibus; nec non Romano Pontifice retenta, reliqui Clerici sæculares loco ejusdem coronæ solummodò circulum aliquem modicum in superiori parte capitis abrasum gerant. Barbosa *cit. cap. 40 num. 7.* Et de tali corona procedit textus *in c. Clerici 15. h. t.* ubi loquendo de Clericis sæcularibus, dicitur; *Coronam, & tonsuram habeant congruentem*, nempe talem, ut videantur differre à Monachis, prout explicat Glossa *ibid. vers. Congruentem.* Nisi dicere velis, in memorato textu requiri *Coronam, & Tonsuram congruentem* cujuslibet statui, & Ordini: nam minorem ejusmodi coronam; seu circulum solent deferre Clerici in Ordinibus minoribus constituti, majorem Sacerdotes, atque adhuc ampliorem Episcopi usque ad Summum Pontificem, qui etiamnum retinet coronam à primordiis Ecclesiæ usitatam. 86

Resp. II. Præter coronam in capite gestandam, Sacri Canones prohibent etiam Clericis beneficium Ecclesiasticum habentibus, aut existentibus in sacris Ordinibus, laxare comam: alioquin peccant. Ita communis; & patet ex *can. Si quis ex Clericis, dist. 23. & cap. 4. h. t.* ubi cavetur; *Si quis ex Clericis comam laxaverit, anathema sit.* Concordant *can. penult. dist. 23.* ubi jubentur Clerici non nisi *attonso capite, patentibus auribus, &c. ministrare.* Atque etiam *cap. 5 h. t.* ubi mandatur: *Clericus neque comam nutriat, neque barbam.* Adeò, ut Clerici, qui comam nutriunt, etiam inviti à suis Archidiaconis, seu Superioribus tonderi jubeantur, *can. Clerici qui comam, dist. 23. & cap. clerici 7. h. t.* cum similibus. Atque istud merito constitutum fuit, juxta illud D. Apostoli 1. Corinth. cap. 11. *Vir, si comam nutriat, ignominia est illi.* 87

Patet proinde, quod Clerici nutrientes comam peccent; cum sint transgressores præcepti à tam multiplicibus Sacris Canonibus impositi. Adeò quidem, ut etiam possint excommunicari, juxta illud ex *cap 4. h. t.* jam allegatum, *Anathema sit*: hoc est, fiat, seu excommunicetur. Non enim est excommunicatus ipso jure, uti notat Glossa *fin. cit. cap. 4.* & Abbas *ibid. n. 1.* & Barbosa *n. 2. & 5. h. t.* Quinimò ex gravitate hujus pœnæ colligunt Doctores, quod Clericus relaxans comam, peccet mortaliter; ac proinde absolutio Sacramentalis eidem sit deneganda, vel differenda, donec comam deposuerit: aliquin enim dignus est anathemate seu excommunicatione, qualis pœna non nisi pro peccato mortali imponi solet. Barbosa *lib. 1. Jur Ecclesiast. univ. cap. 40. num. 11.* allegans alios; atque istud intelligens, quando quis monitus generaliter, vel specialiter, in relaxanda coma perseverat: tunc enim propter inobedientiam dignus est excommunicari, & peccat mortaliter, ut advertit Sayrus *in Clavi Regia, l. 3. cap. 7. n. 25.* 88

Limitatur tamen data Conclusio, quando subest justa causa comam nutriendi, seu relaxandi: puta, ut hac ratione tutiùs quis Romam ire, vel aliud iter necessarium perficere queat. Glossa *cap. 4. vers. Relaxaverit, h. t.* & alia Glossa *cap. penult vers causa, eod.* juncto textu *ibid.* Qua de causa etiam Fratres Minores in partibus Turcicis degentes, barbam nutrire coguntur, ne Turcarum offensam incurrant, atque à locis sacris Terræ Sanctæ penitus expellantur: ut taceatur privilegium Apo- 89

stolicum gestandi barbam, nonnullis Religionibus specialiter concessum.

90 Et hac ratione etiam excusari poterit praxis quorundam Clericorum gestantium comam fictitiam, seu Peruccam: dummodò hanc non gerant ex inani gloria, vanaque quadam ostentatione, sed ob debilitatem capitis, aut aliam hujusmodi rationabilem causam.

91 Celebrare autem Tremendum Missæ Sacrificium cum coma fictitia, seu Perucca, absque legitima dispensatione, licitum non est. Siquidem per ejusmodi comam fictitiam, sive Peruccam, caput velari, seu cooperiri, manifestum est: atqui Zacharias Papa *in Synodo Romana, cap. 13. & 14.* ac refertur *can. Nullus Episcopus, de consecrat. dist. 1.* sub pœna excommunicationis prohibuit, ne quis velato capite Altari assisteret, illis verbis: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, ad Solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei assistere: quoniam & Apostolus prohibet* (1. Corinth. 11.) *viros velatos capite orare in Ecclesia: & qui temerè præsumpserit, communione privetur.* Hæc ibi. Concordant Rubricæ Missalis, quæ *Tit. 10. De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*; inter alios ejusmodi defectus (in quibus ut plurimùm accidit peccatum mortale, prout notat Barthol. Gavantus *ibid. n. 1. vers. Numerantur*) etiam ponitur sequens, videlicet: *Si celebret capite cooperto sine dispensatione.*

92 Et talem dispensationem non nisi à Sede Apostolica concedi posse, censuit Sacra Rituum Congregatio *31. Jan. 1626. & 24. April. eod. an.* prout refert Gavantus *in Comment. in Rubric. Missal. part. 2. tit. 2. num. 2. vers. Verum, & seqq.* addita ea ratione; Quia, cùm citatus *can. Nullus Episcopus, de Consecr. dist. 1.* non solùm Presbyteris, sed etiam Episcopis prohibeat, velato capite Altari assistere: ergo hoc ipso nequit Episcopus dispensare. Nam iste non dispensat contra Canones, ipsi etiam Episcopo legem imponentes, nisi in quantum reperitur concessum; *arg. c. Dilectus 15. de Temporib. Ordinat.* Estque notabile dictum Jo: Andreæ *in c. 1. nu. 3. de Supplend. neglig. Prælat. in 6.* & Hostiensis *ibid.* ac notat Sylvester *V. Dispensatio q. 13.* & Gavantus *loc. cit.* contra alios; qui quidem asserunt (inquit) dispensationem hanc fieri posse, sed non probant.

93 Huc accedit novissimum Mandatum S. D. N. Innocentii Papæ XII volentis, ut per suos Nuntios moneantur Ordinarii locorum, ut contra abusum celebrandi cum coma fictitia congrua adhibeant remedia: ratione cujus in Diœcesi Frisingensi, ubi hæc scribo, sequens Edictum publicatum fuit.

Nos Josephus Clemens, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopus Coloniensis, S. R. Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, & Elector, Sacræ Apostolicæ Sedis Legatus natus, Episcopus Frisingensis & Ratisbonensis, Administrator Berchtesgadensis, utriusque Bavariæ, & Superioris Palatinatus, nec non Vvestphaliæ, & Angariæ Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergicus.

Cùm non sine scandalo tam Hæreticorum, quam etiam Catholicorum, abusus detestandus in Germaniæ Diœcesibus, & etiam in nostra irrepserit, ut aliqui Sacerdotes tam in Dignitatibus majoribus, quam minoribus constituti, ut & alii non vererentur Sacrosanctum, & tremendum Missæ Sacrificium absque Sacerdotali Reverentia (quæ soli Deo omnium maxima debetur) cum coma fictitia Deo offerre; ita Sanctissimus Noster Divina Providentia Innocentius Papa, hujus Nominis XII. commotus fuerit, Ordinarios locorum per suos Nuntios monere, ut contra dictum abusum congrua adhibeant remedia: prout desuper in litteris ab Illustrissimo, & Reverendissimo Nuntio Apostolico Viennensi sub die 7. Sept. An. 1692. requisiti fuimus.

Quocirca adimplentes mandatum Sanctæ Sedis, Vobis Abbatibus, Præpositis, Decanis, Rectoribus, Guardianis, Prioribus, & Plebanis, cæterisque Clericis tam Sæcularibus, quàm Regularibus Diœcesis nostræ Frisingensis præcipimus, & mandamus in virtute Sanctæ Obedientiæ, qua Sanctæ Sedi, & Nobis adstricti exsistitis, ne imposterum aliquis Vestrum præsumat, cum coma fictitia (sub quacunque etiam licentia, nisi Apostolica sit) Sacrificium Deo offerre, & Missas legere, vel alicui (cujuscunque etiam Dignitatis existat) in vestris Ecclesiis concedere, quò minùs noveritis actualem suspensionem ab officio, & beneficio incursuros. Datum Frisingæ, die 18. Septembris 1692.

L. S.

Joannes Sigismundus Zeller, L. B. Coadministrator in Spiritualibus, &c. Vicarius Generalis.

§. IV.

De qualitate Habitus Clericalis; & pœnis eum non deferentium.

S U M M A R I U M.

94 *Qualem habitum Jura præscribant, vel prohibeant Clericis? Et nu. seqq.*
Oportet Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre. Ibid.
95 *Clerici clausa debent. deferre indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda.*
96 *Atque induere vestem talarem &c.*
97 *Quid intelligatur per Vestem talarem.*
98 *Quoad alia habitus Clericorum non reperitur in Jure determinatus &c.*
Intelligendo istud, affirmativè: secùs negativè. Ibid.
99 *Vestes Clericorum nec sint pomposæ, nec sordidæ, sed inter utrumque præseferant medium.*
100 *Earum decentia comprobatur ex eo, si sint conformes consuetudini Provinciarum, in qua Clerici commorantur. Idque declaratur.*
Romæ non de facili distinctio habitus Clericalis haberi potest: & cur? Ibid.
101 *Clericis prohibitum est uti publice pannis rubeis, aut viridibus &c.*
102 *Exceptis Cardinalibus, qui utuntur Galero rubeo: & Episcopis, quibus permittitur color viridis.*
103 *Estque prohibitum Clericis, uti vestibus fulgidis aut variatis, virgatis, partitis, aut diffibulatis.*
104 *Vel frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, corrigiisque auri vel argenti ornatum habentibus &c.*
105 *Quæ sint pœnæ Clericorum non deferentium habitum, & tonsuram Clericalem? Et n. seq.*
Hæc quæstio non habet locum in Clericis Minoristis, nullum Beneficium habentibus. Ibid.
106 *Referuntur pœnæ in Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 6.* de Reform. *contra Clericos non deferentes habitum Clericalem statutæ.*
107 *Et alia* in Clem. 2. h. t. *contentæ.*
108 *Vestis virgata, vel partita, quæ?*
109 *Epithegium, seu Tabardum foderatum; quod?*
110 *Aliæ pœnæ. Remissive.*
111 *Dantur nihilominus plures casus, in quibus ejusmodi pœna locum non habet.*
112 *Ut si Clericus absque habitu, & tonsura, incedat ex justa causa timoris.*
113 *Vel propter infirmitatem, aut paupertatem.*
114 *Clerico itineranti, vel peregrinanti, licitum est habere vestes breviores.*
115 *Propter unicam dimissionem habitus, non incurrit Clericus pœnas illas.*
116 *Idem dicendum de Clerico, qui domi suæ, atque in occulto habitum Clericalem dimittit.*
117 *Religiosi diversarum Religionum, missi ad prædicandum Evangelium, possunt, atque debent eundem habitum assumere, ne apud Neophytos scandalum oriatur; & quomodo?*

Quæritur I. Qualem habitum Jura præscribant, vel prohibeant Clericis? Resp. I. *Etsi habitus non faciat Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.* 94 Verba sunt Concilii Tridentini *Sess. 14. c. 6. de Reform.* gravissimas pœnas in transgressores subjungentis; de qui-

quibus in progressu. Concordat can. clerici, dist. 23. ubi dicitur: Vestimenta etiam vel calceamenta eis (Clericis) nisi quæ religionem deceant uti, aut habere non liceat; cum similibus, quanquam hujusmodi obligatio solummodò concernat Clericos in ordinibus Sacris constitutos, aut beneficium Ecclesiasticum habentes, juxta dicta n. 69.

95 Resp. II. Specialiter autem Clericis injungitur, ut clausula deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Textus est in c. clerici officia 15. h. t. quod est desumptum ex Concilio Generali, seu Lateranensi, sub Innocentio III. celebrato. Ubi loquendo de Episcopis, subjungitur: Pontifices autem in publico, & in Ecclesia, superindumentis lineis omnes utantur: nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem. Palliis diffibulatis non utantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus hinc inde connexis. Hæc ibi.

96 Deinde in Concilio Martini Papæ; quod refertur can. penult. dist. 23. jubentur Clerici secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ornato. Quod ipsum posteà præcipit Sixtus V. in sua Constitutione 92. quæ incipit, cùm Sacrosanctum; sub gravissimis pœnis statuens, ut Clerici beneficium Ecclesiasticum, seu pensionem habentes, Tonsuram & habitum clericalem, vestes scilicet talares deferant: ut jam dictum suprà num. 64. & seqq.

97 Porrò per Talarem vestem in rigore intelligitur illa, quæ pertingit usque ad talos, scilicet hominem usque ad imam partem pedum teg[illegible] Garcias part. 2. de Beneficiis, cap. 1. n. 21. & 22. cum aliis notat, ex epicheja & æquitate, etiam illas judicari vestes talares, quæ juxta consuetudinem locorum Clericis sunt decentes, quamvis non sint nimis longe, neque ad pedes descendant.

98 Resp. III. Quantum ad alia habitus Clericorum non reperitur in Jure determinatus, ac proinde erit attendenda consuetudo locorum, in qua commorantur. Ita Glossa in Clem. 1. vers. Sæcularis, de Election. & alia Glossa c. Clerici officia vers. Deauratis, & Abbas ibid. nu. 17. h. t. Alexander Consil. 8. nu. 4. vol. 1. Jul. Clarus lib. 5. Practic. Criminal. §. fin. quæst. 36. n. 14 asserens hanc esse veram Conclusionem, si affirmative intelligatur, scilicet, quod Sacri Canones non constituant specialiter Clericis certum habitum; sed negativè non sit vera, cum multi habitus Clericis prohibeantur, juxta dicenda in progressu, Barbosa lib. 1. Jur. Eccles. univ. cap. 40. n. 20 Bellettus par. 1. §. 16. de Disciplin. Clerical. nu. 12. & alii. Ratio est: quia nullibi potest assignari, certum habitum pro Clericis sæcularibus in Jure fuisse præscriptum, saltem affirmative, seu quem portare teneantur. Unde etiam novissime Concilium Tridentinum hujusmodi Clericis determinatum habitum non præscripsit; sed Sess. 14. cap. 6. de Reform. verbis duntaxat generalibus asseruit, quod oportet Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre. Idemque repetit Sess. 24. c. 12. circa fin. de reform. inter alia præcipiendo, ut Clerici vestitu insuper decenti tam in Ecclesia, quam extra, assidue utantur. Quod ut melius intelligatur

99 Quæritur II. Quæ requirantur ad conservandam debitam qualitatem, sive decentiam vestium Clericalium? Resp. I. Ut vestes Clericorum censeantur decentes, requiritur imprimis, ut nec sint pomposæ, aut vanam jactantiam redolentes, can. Parsimoniam, dist. 41. & can. Omnis jactantia, ac seqq. 21. q. 4. cum similibus, nec sordidæ, vel laceratæ, ne vilescat Dignitas Clericalis: sed inter utrumque præseferant medium aliquod, uniuscujusque statui & Ordini conveniens. Ita Abbas cap. Clerici officia 15. num. 17. h. t. Bellettus cit. §. 15. numer. 18. & seqq. & communis aliorum. Unde S. Hieronymus in Epist. ad Nepotianum; cap. 1. sic scribit: Vestes pullas æque devita ut candida: ornatus, ut sordes pari modo fugiendæ sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.

100 Resp. II. Decentia vestium Clericalium comprobatur ex eo, si sint conformes communi usui proborum Clericorum, seu consuetudini Provinciarum, in qua Clerici commorantur: nam consuetudo est optima legum interpres, cap. cum dilectus 8. de Consuetud. & l. Si de interpretatione, ff. de Legib. Glossa cit. c. Clerici officia, vers. Deauratis, h. t. Bellettus, ubi suprà num. 12. Farinacius lib. 1. Praxis Criminal. quæst. 8. nu. 69. & alii. Undo Card. de Luca in Annotat. ad S. Concilium Trident. Discurs. 24. n. 22. ac 23. & 30. & 31. inter alia dicit, quod quidem vestis Clericalis, ex Sacrorum Canonum præscripto, verè ac propriè illa sit, quæ est inter genua & talos: varius tamen sit locorum, ac respectivè personarum usus. Quoniam in Civitatibus, aliisque locis civilibus, in quibus cum decore vivitur, vestes Clericales sunt longæ ultra talos: in parvis autem, vel obscuris locis, ob Clericorum paupertatem, vix ad genua ascendunt; ita tamen, ut ob diversum usum à sæcularium vestibus adhuc distinguantur, attendendo simul ad diversitatem Regionum, vel personarum varios usus. Etenim in Urbe (inquit citatus Author) & Statu Ecclesiastico, aliisque forsan Italiæ partibus, non de facili certa distinctio habitus Clericalis haberi potest, eò quòd antiquus retineatur usus Togæ in aliquarum scientiarum Professoribus, seu gradum Doctoratus habentibus, ipso ad amussim modo, quo utuntur Clerici. Plura de hoc Card. de Luca, ubi suprà.

101 Resp. III. Ad conservandum decentiam vestium Clericalium nonnulli reperiuntur, quæ quoad formam, & colorem habitus, per sacros Canones specialiter sunt Clericis interdicta. Ita communis; & patet inductione. Sic quippe vestitum rubeum, aut viridem, expressè prohibet Clericis Concilium Generale, relatum, c. Clerici officia 15. h. t. illis verbis: Pannis rubeis, aut viridibus, nec non manicis, aut socularibus consutitiis — non utantur. Concordat Clem. 2. in fin. h. t. ubi pariter præcipitur, ut Clerici, præsertim Beneficiati, caligis scaccatis, rubeis, aut viridibus publice non utantur: haud obstante, quod istis coloribus locus sit in Missæ Sacrificio.

102 Excipiuntur Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quibus (nisi fuerint Religiosi) uti licet vestibus purpureis, ac præsertim Galero rubeo, quo Cardinales uti voluit omnium primus Innocentius IV. prout in ejus vita scribit Platina; & notat Menochius lib. 2. de arbitr. Jud. cas. 392. n. 6. & seqq. & Barbosa lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 40. n. 22. citans alios; atque hinc etiam excipiens Episcopos, quibus permittitur color viridis.

103 Deinde Clericis prohibitum est, uti vestibus fulgidis, aut variatis ex sericis texturis, vel variorum colorum ornamentis; prout in septima Synodo statutum fuit, atque refertur can. Omnis 21. q. 4. præmissa illa ratione. Quia omnis jactantia, & ornatura corporalis (quæ fit causa voluptatis, ut explicat Glossa ibidem) à sacrato Ordine aliena est. Concordat can. Præcipuum, ead. caus. 21. qu. 4. Insuper prohibetur eisdem Clericis, ne unguentis inunguantur: intellige non propter ægritudinem; sed ut melius redoleant causa voluptatis. Textus, & Glossa vers. qui unguenti, [illegible] can. Omnis. Item ne utantur vestibus fucatis, seu virgatis, aut partitis (hoc est, cum scissuris vanitatem redolentibus) neque diffibulatis, aut quandam superfluitatem præseferentibus, can. Præcipimus 21. q. 4. & cap. Clerici officiis 15. h. t. & Clem. 2. eod. Ubi etiam diversæ pœnæ statuuntur illis, qui hujusmodi prohibitis vestibus publice utuntur: nisi forsan subsit rationabilis causa transformandi habitum, puta, ad occultandum statum Clericalem ex timore aliorum gravium incommodorum; prout ibidem limitatur, & inferiùs ex professo dicetur.

104 Rursus prohibitum est Clericis, ne frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus, utantur — Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri, vel argenti ornatum habentes: sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio Dignitatis. Ita inter alia decrevit Concilium Generale, relatum d. cap. Clerici officia 15. h. t. Nec immeritò: quia Clerici non debent in vestibus, vel calceamentis decorem quærere, sed honestatem, can. Clerici dist. 41. Quinimò, ut proxime dictum est, omnis jactantia, & ornatura corporalis, atque superfluitas ab Ordine sacrato penitùs debet esse aliena, can. Omnis, & can. Præcipimus 21. quæst. 4. & cap. 1. Ne clerici vel Monachi &c. Tacentur similia, de quibus Bellettus cit. part. 1. §. 16. de Disciplin. clerical. numer. 4. ac seqq. & Barbosa d. cap. 40. numer. 17. & seqq. aliique passim.

105 Quæritur III. Quæ sint pœnæ Clericorum non deferentium habitum, & tonsuram Clericalem? Hæc quæstio procedit duntaxat de Clericis constitutis in Ordinibus

bus Sacris, aut beneficium Ecclesiasticum obtinentibus: nam quod Clerici Minoristæ, ac nullum Beneficium habentes, ad delationem habitus & tonsuræ Clericalis non teneantur, sicque ex omissione istius nullam pœnam mereantur, nisi quod non gaudeant privilegio Fori, jam dictum est suprà §. præced. n. 69. & seqq. Verùm loquendo de cæteris

106 Resp. I. Clerici habitum Ordini, & Dignitati convenientem non deferentes, si moniti ab Episcopo, etiam per Edictum publicum, resipiscere noluerint, imprimis puniendi sunt per suspensionem ab Ordinibus, officio, & beneficio: quod si semel moniti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum coerceri possunt ac debent. Textus est in Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 6. de Reform. ubi in hæc verba statutum habetur: Propterea omnes Ecclesiasticæ personæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut Dignitates, Personatus, officia, aut beneficia qualiacunque Ecclesiastica obtinuerint, si, postquam ab Episcopo suo, etiam per Edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum Ordini ac Dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus, redditibus, & proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correpti denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum hujusmodi coerceri possint, & debeant: Constitutione Clementis Quinti, in Concilio Viennensi edita, quæ incipit, Quoniam, innovando, & ampliando. Hæc ibi: quamquam, uti colligitur ex allegatis verbis; præfatæ pœnæ sint duntaxat ferendæ sententiæ.

107 Cæterum memorata Constitutio Clementis V. quæ incipit, Quoniam, atque per relatum Concilium Tridentinum non solùm innovatur, verùm etiam ampliatur, gravioribus videlicet pœnis in transgressores superadditis, [illegible] 2. h. t. Ubi clerici virgatæ, vel partitæ [illegible], pro diversitate Ordinis, & Dignitatis suæ, diversis pœnis subjiciuntur. Nam alia pœna imponitur Clericis Beneficiatis, nempe suspensio à perceptione fructuum per sex menses: alia Subdiaconis, & Diaconis non beneficiatis, qui per idem tempus redduntur eo ipso inhabiles ad Ecclesiasticum beneficium obtinendum: & aliis habentibus Dignitatem, Personatum, vel Beneficium curatum, qui per annum eo ipso decernuntur suspensi à perceptione fructuum, & aliis cæteris Sacerdotibus, nempe inhabilitas [illegible] annale ad quodcunque beneficium [illegible] obtinendum. Prohibendo simul quibus[illegible] seu tabardo foderato [illegible], quod vestis inferior [illegible] atque sub gravibus pœnis, atque apposita obligatione, vestem hujusmodi intra mensem dandi pauperibus, prout ampliùs ibidem continetur.

108 Porrò per vestem virgatam, vel partitam, intelligitur vestis diversi coloris, aut diversarum partium superinductione notabilis, [illegible] can. [illegible] 20 q. 1. & notat Glossa in cit. clem. Quoniam, V. Partitæ, & Barbosa ibid. nu. 2. & Bonacina Tom. 3. de Censuris, disp. 3. quæst. 6. punct. 6. n. 1. asserens, nomine Vestis virgatæ, vel partitæ, intelligi vestem habentem diversos colores intextos cum ipso panno, vel artificiose superinductos, seu super impositos.

109 Epithogium verò est genus pallii, quod supra togam ferebatur, ut Calepinus vers. Epithogium, ex Quintil. lib. 1. [illegible] docet. Idemque importat Tabardum; quod tunc demum [illegible] prohibitum, atque jussum dari pauperibus, quando [illegible] ad oram est foderatum (id est, serico, aut panno, vel alia re suffultum) simulque ita breve, quod vestis inferior notabiliter videatur. [illegible] pugnat contra can. Omnis, & can. Præcipimus 21. qu. 4. ubi prohibetur omnis jactantia, & superfluitas in vestibus Clericorum; & contra can. penult. dist. 23. ubi superior vestis Clericorum jubetur esse talaris, seu pertingens usque ad talos: & contra c. clerici officia 15. h. t. ubi Clericis mandatur, ut clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Hinc Glossa in cit. clem. Quoniam vers. Videatur & Imola ibid. circa fin. h. t. respondet, Clementinam hanc non habere locum in tabardo brevi non foderato, cum casus pœnalis, sicque non extendenda ultra proprietatem verborum, cap. Statutum 22. de Election. in 6. & c. odia restringi 15. de Reg. jur. in 6. cum concordantiis.

110 Tacentur pœnæ privationis beneficiorum, & inhabilitatis ad ea imposterum obtinenda, quæ post Concilium Tridentinum per Constitutionem 92. Sixti V. Cùm Sacrosanctum, statuuntur contra Clericos beneficium Ecclesiasticum, aut pensionem valorem sexaginta ducatorum auri excedentem obtinentes, nisi intra certum tempus detulerint tonsuram, & habitum convenientem: nam de ista Constitutione Sixtina, uberiùs jam dictum est suprà §. præced. n. 64 65. & seqq.

111 Resp. II. Dantur nihilominùs plures casus, in quibus memoratæ Constitutiones, earumque pœnæ, locum non habent. Ita Barbosa lib. 1. jur. Ecclesiast. univ. cap. 40. n. 33. & seqq & communis aliorum; idque probatur inductione, enumerando tales casus.

112 Sic imprimis Clericus absque habitu, & tonsura incedens, præfatas pœnas non incurrit, quando ex causa rationabili id facit, juxta sæpe cit. Clem. 2. h. t. Sive: quando justa causa timoris exegerit habitum transformari, prout loquitur Concilium Generale, relatum in c. Cleric. officia 15. h. t. Quamobrem excusatur, qui vestibus non Clericalibus utitur, dum transiturus est per loca Infidelium, vel Hæreticorum, cùm periculo [illegible] ob metum servitutis, verberum, vel alterius gravis [illegible]. Barbosa in Clem. Quoniam n. 2. h. t. Bonacina tom. 3. de Censuris, disp. 3. quæst. 6 punct. 6. n. 2. post Glossam in c. Clericus 5. V. Relaxaverit, h. t. id declarans exemplo Clerici, qui à Papa reprehensus, quod sine tonsura, habituque Clericali Romam accessisset, illis versiculis sese excusavit.

Tutiùs ut peterem latui sub imagine Romam,
Fas fuit, ut fingam [illegible] Romam.

113 Deinde, atque ob eandem rationem, seu ex causa rationabili, excusatur Clericus non deferens Tonsuram propter infirmitatem. Bellettus par. 1. Disquisit. Clerical. tit. de Discipl. Cleric. §. 13. n. 9. Barbosa par. 2. de Offic. & potest. Episc. alleg. 9. n. 17. & alii. Idemque dicendum de Clerico, qui ratione paupertatis, habitum proprio Ordini congruentem deferre non potest. Barbosa lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 40. n. 33. allegans alios.

114 Similiter Clerico itineranti, vel peregrinanti, licitum est deferre vestes breviores, arg. can. Episcopi 21. q. 4. Bellettus loc. cit. §. 16. n. 14 Barbosa d. cap. 40. nu. 37. citans alios; atque referens, ita Sacram congregationem Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium præpositorum, rescripsisse Archiepiscopo Ulyssbonensi, sub die 18. Octobr. 1589. Nam etiam hic subintrat causa rationabilis, commodioris videlicet itinerationis, in Clem. 2. h. t. ponderata.

115 [illegible] pœnas suprà enumeratas non incurrit Clericus propter unicam dimissionem habitus. Ita Farinacius lib. 1. Praxis Criminal. quæst. 8. num. 78. asserens, quod unica dimissio habitus non privet Clericum privilegio Clericali; sed necessaria est talis perseverentia, ut publice existimetur laicus. Barbosa cit. cap. 40. nu. 23. post Aloys. Riccium in Collect. Decis. par. 4. collect. 956. limit. 4. Ugolinum de Offic. Episcop. cap. 12. §. 6. n. 3. & alios. Card. de Luca in Annot. ad concil. Trident. discurs. 24. n. 32. asserens, delationem habitus moraliter, non autem physice intelligendam esse. Et [illegible] in l. Quidquid [illegible] ff. de Reg. Jur. ubi in brevi reversa uxor, divertisse non videtur. Paulus Piasecius par. [illegible] Praxis Episcop. cap. 3. art. 2. nu. 30. ubi addit, quod in aliis indecentiis, non expressis in Constitutione Sixti V. Cùm Sacrosanctum, ultra frequentationem actus, puta, dimissionem habitus Clericalis, etiam requiratur monitio præcedens ad incurrendas pœnas præscriptas. Atque hoc ultimum confirmatur ex verbis Concilii Tridentini suprà numer. 106. relatis.

116 Insuper non incurrit pœnas hactenus declaratas clericus, qui domi suæ, atque in occulto, habitum Clericalem dimittit. Glossa Clem. 2. V. Publice, Ancharanus ibid. n. 2. Barbosa in Collect. n. 2. h. t. & Bonacina de Censuris, disp. 3. quæst. 6. punct. 6. n. 1. allegans communem. Siquidem cit. Clem. quoniam 2. h. t. expresse loquitur de Clericis publice deferentibus vestes ibidem prohibitas: secùs ergo dicendum, quando deferuntur solummodo domi, atque in occulto. Accedit, quod tunc cesset ratio in

in Concilio Tridentino *Sess. 14. cap. 6. de Reform.* ponderata; nempe, ut Clerici *per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant*: atque (ut loquitur Sixtus V. in citata Constitutione sua) *singulari aliquo signo, à reliquo populo distinguantur*. Talia enim non congruunt occultæ, seu domesticæ dimissioni habitus: nam domus denotat rem secretam, & non publicam, *arg. can. Ex merito 6. q. 1.* juncta Glossa *fin. ibid.* referente illum Juvenalis versiculum.

Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.

117 Tandem Religiosi diversarum Religionum, atque ad prædicandum Infidelibus Sanctum Evangelium missi, ne propter habituum diversitatem in populo, aut Neophytis scandalum oriatur; possunt, atque debent unum eundemque habitum Evangelii Prædicatoribus convenientem assumere: sicque habitum suæ Religionis deponere, *arg. c. Deus qui 12. h. t.* Vel saltem, aliis vestibus superinductis, occultare. Glossa *fin. ibid.* & alia Glossa *can. In nona 16. q. 7. vers. Ne habitu.* Abbas *cit. cap. Deus qui num. 4. h. t.* asserens, dictum Glossæ communiter approbari. Tum quia plus est, habitum omnino deponere, quam occultare. Tum quia, licet textus ibidem videatur indistinctè loqui, tamen conformitatem in habitu solummodò permittit Religiosis diversorum Ordinum ratione scandali evitandi; [illegible] hæc ratio urget duntaxat in exteriori gestatione [illegible] habitus diversi, non autem, si iste aliis [illegible] superinductis occultetur; ergo.

§. V.

Qualiter prohibitum sit Clericis, gestare arma, & exercere negotiationes, Ludosque Theatrales?

S U M M A R I U M.

118 *Clerici sub pœna excommunicationis prohibitum est arma portare.*

Nulla pœna major est in Ecclesia, quam excommunicatio. Ibid.

119 *Clericatus officium Clericos reddit inhabiles ad pugnandum.*

Clericorum arma sunt Orationes. Ibid.

Magis religione, seu orationibus, quam labore [illegible] Respublica continetur. Ibid.

120 *Pœna excommunicationis in Clericos arma gerentes non est latæ sententiæ.*

121 *Loquendo de Clericis sæcularibus; secus de [illegible] gerentibus arma intra septa Monasterii sine licentia [illegible].*

122 *[illegible] tamen possunt Clerici arma portare: [illegible] suas defendendas.*

123 *Item, si Clerici [illegible] periculosum ingrediantur &c.*

124 *Clericus Minoristа [illegible] operam dederit, excluditur à Clericatu.*

Ac censetur [illegible] ipso facto, [illegible] Beneficio, quod obtinet [illegible].

An [illegible] ipso jure [illegible] beneficio præ[illegible].

125 *Limitatur [illegible].*

126 *Clericis est prohibitum, exercere [illegible] vel commercia [illegible].*

127 *[illegible] inhonesta, & quæ sint talia.*

128 *Specialiter Clericis prohibitum est negotiatorem agere.*

129 *Negotiatio [illegible] peccati [illegible].*

130 *Possunt tamen Clerici [illegible] artificio, vel agricultura, victum sibi conquirere: [illegible].*

131 *Negotiatio [illegible].*

132 *Artificium, [illegible] Clericis permissum, non autem negotiatio?*

133 *Clerici in Sacris &c. exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter; possuntque [illegible] excommunicari &c.*

134 *Nisi excuset paupertas [illegible].*

135 *Referuntur etiam [illegible], in quibus Clerici non incurrunt reatum illicitæ negotiationis.*

136 *Et, si tertiò moniti à negotiationibus sæcularibus non abstinuerint, perdunt interim quoad bona sua privilegium clericale.*

137 *Requiritur tamen ad hoc trina monitio; & quidem specifica.*

138 *Et perdunt quidem interim ipso facto privilegium clericale quoad bona sua.*

Non verò quoad bona Ecclesiæ. Ibid.

139 *Nec etiam quoad personam suam, sed gaudent privilegio Canonis, & Fori.*

140 *An Clericis liceat exercere Ludos Theatrales, aut eisdem interesse?*

Et num. seq.

Si hi fuerint inhonesti, scurriles aut profani, non debent fieri in Templo, nec ubicunque per Clericos, non obstante quacunque consuetudine. Ibid.

141 *Secùs dicendum de Ludis Theatralibus, seu Repræsentationibus sacris.*

142 *Clerici mimis, joculatoribus, & histrionibus non intendant. Non spectaculis, [illegible] pompis intersint &c.*

Nuptiarumque evitent convivia: [illegible] choreis, vel saltationibus misceantur &c. Ibid.

143 *Clericus joculatoriam artem exercens, qualiter puniatur.*

144 *Larvæ dæmonum sunt clericis probibitæ.*

QUæritur I. An, & qua ratione Clericis sit prohibitum, arma gestare? Resp. I. Clericis sub pœna excommunicationis prohibitum est, arma gestare. Textus est *in cap. 2. h. t.* ibi: *clerici arma portantes, & usurarii, excommunicentur*. Ideoque, ut infert Abbas *ibid num.* [illegible] peccant mortaliter arma prohibita deferendo: quia excommunicatio non fertur, nisi pro gravi crimine, *can. Nemo Episcoporum, & can. Nullus Sacerdotum 11. q. 3.* Siquidem nulla pœna major est in Ecclesia, quam excommunicatio. *can. corripiantur 24. q. 3.* 118

Accedit ratio. Quia *Clericatus officium Clericos reddit inhabiles ad pugnandum*; ut dicitur *c. ex multa 9. §. fin. de Voto.* Non enim possunt simul Deo, & sæculo servire, *can. Quicunque ex Clero 23. quæstion. 8.* Unde [illegible] arma, & [illegible] debent [illegible] *can. Convenior. §. Quia ergo 23. quæst. 8.* Exemplo Moysis, qui orando vicit Amalechitas, *Exod cap. 17.* ac refertur *can. Si quis vult. dist. 36.* Nam magis religione, seu orationibus, quam labore corporis, vel sudore Rempublicam contineri; ultrò confessi sunt Constantius, & Constans Imp. ut refertur, *can. In qualibet 23. quæst. 8.* Quinimò Clerici, si in quacunque seditione arma volentes sumpserint, tanquam Sacrorum Canonum contemptores, & Ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, amisso sui Ordinis gradu in Monasterium pœnitentiæ tradi jubentur, *can. Clerici qui, & can. [illegible] ex Clero 23. quæst. 8.* 119

Resp. II Pœna excommunicationis in Clericos, arma prohibita gerentes, *cit. cap. 2. h. t.* statuta, non est latæ sententiæ, sed primùm ferendæ per judicem, si Clerici admoniti non deponant arma, sicque contumaciæ [illegible]. Ita desumitur ex textu *cit. cap. 2. h. t.* dum [illegible], *Excommunicentur*: an notat Abbas *ibid. n.* [illegible] Barbosa *in Collect. n. 3.* Pirhing *b. t. n. 2*[illegible] 120

Atque istud procedit in Clericis sæcularibus. Nam Monachi gerentes arma intra septa Monasterii sine licentia Superioris, ipso facto sunt excommunicati; *Clem. Ne in agro 1. §. Quia [illegible] de Statu Monach.* juncta Glossa *vers.* [illegible] & Abbate *ibid. nu. 20* Siquidem locus sacer aggravat delictum, *c. [illegible] dignum 6. §. 1. de Hom.* [illegible] Bellettus *Disquis. Cleric. part. 2. §. 49. de pœnis C*[illegible] *m. 4.* Quinimò [illegible] *cap. 2. num. 8 b. t.* istud [illegible] de [illegible] Religiosis, quamvis textus [illegible] de Monachis duntaxat facit mentionem: [illegible] idcircò Glossa [illegible] *Monachos*, hinc excipiendos arbitretur Canonicos Regulares. 121

Resp. III. Ex justa tamen causa, puta, ad se vel proximum, propriasque vel alienas res contra invasorem defendendas, licitum est Clericis arma portare. Ita Glossa *in cit. cap. 2. vers. Clerici arma*, & Abbas *ibid.* [illegible] & Barbosam *num. 5. h. t.* Bellettus *part. 1. Disquis.* [illegible] *§. 17. de Discipl. Clerical. num. 14. ac seqq.* [illegible] patet ex *cap. Di*[illegible] *6. de Sentent. excommun.* [illegible] hoc ipsum amplius declaratur addita ea ratione [illegible] omnes 122

Le-

Leges, omniaque jura, vim vi repellere; cunctisque se defensare permittunt. Hoc autem non verificaretur in Clericis; si ipsos nullo modo arma gestare liceret.

123 Infertur proinde, quod, si Clerici iter periculosum ingrediuntur, possint ad terrorem latronum, sive hostium, secum portare arma nedum defensiva, sed etiam offensiva. Glossa *cit. cap. 2. vers. Clerici arma*; & Abbas *ibid. num. 8. hoc. tit.* Possunt etiam secum ducere familiares armatos, *can. Maximinianus, 23. q. 3.* Bellettus *[illegible] §. 17. nu. 14.* Imò consuetudine jam receptum, ut Clerici iter facientes arma defensoria secum [illegible]rant. Pirhing. *b. t. n. 22.*

124 Resp. IV. Quod si Clericus in Ordinibus minoribus constitutus, non solùm arma deferat, sed etiam militiæ operam dederit, tunc is à Clericatu excluditur, *can. Si quis post remissionem, dist. 50. & can. Aliquantos, ac seqq. dist. 51.* Bellettus *Disquis. Cleric. p. 1. §. 11. de Discipl. clericali* [illegible]. Nam [illegible] quod sæcularem militiam assumat, videtur Clericali militiæ renunciasse: qui non potest simul Deo, & sæculo servire, *can. Quicunque ex Clero, 23. q. 8. & c. Ex multa* [illegible] *de Voto.* Abbas [illegible] *Ut consultationis*, seu *cap. ult. num.* [illegible] *de Clericis non residentibus.* Julius Clarus *lib.* [illegible] *quæst.* [illegible] *num. 6.* Atque ideò ex[illegible] pensio Ecclesiastica ob assumptionem militiæ sæcularis, utpote incompatibilis cum Clericatu. Card. de Luca *de Pensionib. Discurs. 47. num. 3.* Simulque Clericus, qui effectus est miles sæcularis, tacitè, seu ipso facto renunciare videtur beneficio Ecclesiastico, quod obtinet. Glossa *in cap. ult. vers. Redierint. de cler. non resid.* Flaminius Parisius *de resignat. Benef.* [illegible] *quæst. 1. num. 22.* [illegible] *Feramen Crimin. Lib.* [illegible] 4. Gonzalez [illegible] [illegible]

[illegible]

cedere. Verum idem Barbosa [illegible] *num.* [illegible] *de Cleric. conjugat.* requirit ad hoc declarationem [illegible] enim post Ant. Ricciulum *de jure personarum* [illegible] *mium Eccles. existent. lib. 7 cap.* [illegible] Clericum miles effectus [illegible]

[illegible]

125 [illegible]

126 [illegible] Ars, & quibus poni prohibitum [illegible]

[illegible]

127 [illegible]

sonaliter exercere, *cit. Clement. 1. h. t.* Vel, quæ reputantur esse officia sordida, ac proinde dedecent Clericos, utpote in sortem Domini specialiter vocatos, atque ad obeunda ministeria Ecclesiastica deputatos: ut est, publicè agere fabrum, pelles vel coria parare, aut alia hujusmodi vilia & immunda exercere. Speculator *tit. de Clericis conjugat. num. 6. & 7.* & Abbas *cap. ult. n. 16. h. t.* asserens, Doctores quoad hoc punctum sese remittere ad notata per citatum Speculatorem.

Resp. II. Specialiter verò Clericis prohibitum est, negotiatorem agere, seu cupiditatis, ac turpis lucri gratia negotiis sæcularibus sese immiscere. Patet hoc ex *can. consequens & can. Ejiciens dist. 88. & cap. 1. Ne Clerici vel Monachi &c. c. Secundum 6. eod.* cum similibus. Idque meritò, quia, ut D. Apostolus 2. *ad Timoth. cap. 2.* inquit: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Quinimo Salvator legitur etiam à Templo ejecisse negotiatores; seu vendentes & ementes, *Matth. cap. 21. Marc. cap. 11. Lucæ cap. 19 & Joann. cap. 2.* addita [illegible], Ne Domus orationis fieret spelunca latronum [illegible]. 128

Negociatio [illegible] periculo peccati non exercetur *can. Qualitas de pœnit.* [illegible] ad Rusticum Episcopum scripsisse [illegible] *vendentisque commercium* [illegible] at Glossa *fin. ibid.* observat, [illegible] Quia est, sese invicem decipere, *l. In caus.* [illegible] *de Minorib. & l. Item si pretio §. Quemadmodum ff.* [illegible] 129

Nec obstat, quòd Clericis sit permissum, imò [illegible] junctum, ut honesto quopiam artificio, vel agricultura, victum sibi conquirant; dummodo id fiat absque detrimento officii sui Ecclesiastici, *can. Clericus victum dist.* [illegible] ubi quatenus Concilium Carthaginense hic statuisse [illegible] 130

[illegible] 131

[illegible] 132

Resp. II. [illegible] 133

[illegible] imò & excommunicari, & [illegible] resi-

TITULUS I.

De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.

Canones concedunt, matrem, amitam & sororem: quia instigante Diabolo & in illis scelus perpetratum reperitur, aut in pedisequis earum. Sed si qua de his necessitatem habuerit, Presbyteri habeant in vico, aut in villa domum longè à sua conversatione, & ibi [illegible] *quæ sunt necessaria, subministrent. Probibendum* [illegible]*, ut nulla femina ad Altare præsumat accedere, aut infra cancellis stare, sive sedere.* Unde ad præcavendum omni sinistræ [illegible] optimè faciunt Clerici illi, qui vel penitus nullam feminam in domos suas [illegible], sed necessaria ministeria per [illegible] sibi fieri [illegible]: vel saltem intra sua hospitiola, seu interiores partes domus, [illegible] remanere consueverunt, feminas ingredi non patiuntur.

4 [illegible] Clerici non tantùm à domo propria removere [illegible] mulieres, sed etiam in domibus alienis [illegible] accedere, aut suspectam cum ipsis conversationem ubivis locorum habere prohibentur. Ita communis; estque clarè decisum [illegible] *Clericus solus & can. In* [illegible] *& can. Clerici vel* [illegible] *continentes dist. 81.* cum con[illegible]. Accedit ratio: quia Clerici qui populum exemplo & doctrina pascere, ac instruere debent, ita in omni conversatione sese gerere tenentur, ut irreprehensibiles [illegible]. Atque juxta monitum Apostoli *1. Corinth. 6.* [illegible]

[illegible]

suspicio mali: sicque cum Clericis pro necessario servitio, aut earum honesta sustentatione, manere permittuntur.

Resp. III. Præter illas feminas non suspectas, quas 8
Canones nominatim concedunt, etiam licitum est Clericis domi retinere alias, de quibus nulla prudens suspicio fœdi criminis concipi potest. Textus est *in cit. can. Interdixit dist. 32.* ubi Synodus Nicæna præter matrem, aut amitam, *etiam eas idoneas personas, quæ fugiunt suspiciones*, Clericis habere permisit: juncta Glossa *ibid. vers. Idoneas*, istud exemplificante in uxoribus servorum suorum, *can. Cum omnibus dist. 81.* Quibus addi possunt mulieres, quæ sunt provectæ ætatis, simulque probatæ virtutis ac pietatis, *arg. c. Cùm in juventute 15. de Præsumpt.*

Resp. IV. Nihilominus pro possibili Clericus obser- 9
vare debet, ne solus cum sola confabuletur, nec in tenebris, aut occultis locis; sed sociatus aliis, vel saltem in conspectu aliorum in publicis honestisque locis, necessariò cum mulieribus loquatur. Ita habetur *can. In omnibus dist. 81.* ubi & hujus ratio redditur, illis verbis: *Ut excludatur omnis nefanda suspicio. Certè solum, & ad solam accedere, nulla religionis ratio permittit.* [illegible]

[illegible]

Quæritur II. Quid sit Concubinatus, & quomodo 11
[illegible]

[illegible]

quirat consuetudinem, seu repetitos concubitus, alioquin pœnæ Concubinatus non producuntur, Farinacius *cit. par. 5. seu de Delictis carnis quæst. 138. num. 9.* citans alios. Sufficiunt tamen duo actus fornicarii, seu concubitus, Navarrus *Consil. 2. n. 2. h. t.* Pirhing *eod. n. 13.* & alii. Nam in criminibus duæ vices consuetudinem faciunt, *can. Ita nos 25. q. 2.* juncta Glossa *v. Usum*, & *l. Nemo deinceps, C. de Episcopal audient* juncta Glossa *fin, ibid.* estque jam dictum supra *Tit. præced. n. 44 & 45.*

14 Dicitur tandem, *in domo sua, vel alibi*. Quia licet de Jure Civili ad effectum concubinatus videatur requiri, quòd concubina fuerit retenta in domo viri, juxta Glossam *in l. Concubinam* & Bartolum *ibid. ff. de Concubinat.* nihilominùs requisitum istud procedit solùm de Jure Civili: secus de Jure Canonico. Farinacius *cit. q. 138. nu. 10. & 12.* Ac proinde Clericus retinens mulierem in domo, vel extrà, cum qua habet consuetudinem carnalem, censetur concubinarius, quando de consuetudine constat. Farinacius *cit. n. 12* Belletus *p. 1. §. 15. de Discipl. Cleric. n. 59.* & alii. Idemque patet ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 14. de Reform.* ibi: *In domo, vel extrà detineant.*

15 Resp. III Concubinatus Clericorum fit notorius pluribus modis; videlicet, *per sententiam* (diffinitivam, ut explicat Glossa) *seu, per confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit.* Ita textus *in cap. ult. h. t.* Concordat *c. Vestra 7.* juncta Glos. *vers. Notorium eod.* Quinimò Rebuffus *in Concordat. Franciæ tit. De publicis concubinariis §. Publicè* asserit, quatuor modis Concubinarios dici publicos: nempe, quando eorum concubinatus patet per sententiam, aut confessionem in Jure factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla possit tergiversatione celari, ut proximè dictum: atque etiam, *qui mulierem de incontinentia suspectam, & diffamatam tenent, & per suum Superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt.* Quod ipsum ut meliùs intelligatur

16 Notandum est cum Glossa *cit. c. Vestra vers. Notorium h. t.* & Glossa *in can. Manifesta 2. q. 1.* ac Fagnano *cap. Vestra num. 69 & seqq. h. t.* & aliis communiter, quòd Notorium sit triplex; videlicet, aliud juris, aliud facti, & aliud præsumptionis. *Notorium juris* est, de quo aliquis in judicio condemnatus, aut in Jure confessus est: ut *c. ult. h. t.* Quamquam si negetur, talem condemnationem, aut confessionem esse factam, opus sit ejus probatione, *c. Sicut nobis 16. de Sentent. & re judic.*

17 *Notorium facti* est, quod nulla tergiversatione celari potest. Atque istud adhuc triplex est, sicut & factum, nempe, *Notorium facti permanentis*, quod continuò se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari: unde non indiget aliqua probatione, nisi inspectione oculari. *Notorium facti statim transeuntis*: ut si quis in conspectu populi fuit occisus, aut hujusmodi. Et *Notorium facti interpolati*, quòd fit publicè quidem, non tamen continuò, sed sæpius per intervalla iteratur: ut fit in usurario publico, aut meretrice notoria; quia nec ille continuò mutuat ad usuram, nec ista continuò peccat, sed interpolatim. Et hujusmodi Notorium facti, tum transeuntis, tùm interpolati, cùm non habet facti perseverantiam, si subesse negatur, indiget probatione. Nam, ut notavit Pontifex *in c. Consuluit. 14. de Appellat.* multa dicuntur notoria, quæ non sunt: unde providendum est Judici, ne quod dubium est, pro notorio videatur habere.

18 *Notorium præsumptionis*, seu *Notorium præsumptum*, est dictum, vel factum, ex publicis circumstantiis à Jure pro veritate acceptum, ut est paternitas, & filiatio. Nam quòd aliquis sit alterius pater, vel filius, non potest verè probari, *l. Lucius 82. ff. de Condition. & demonstrat.* Sed Jus præsumit vehementer, eum esse filium, qui natus est de nuptiis, *l. filium ff. De iis qui sunt sui, vel alieni juris*: vel quia publicè pro Filio habitus, & nominatus, atque alitus fuit, Glossa *can. Quoniam vers. Consliterit de Filiis Presbyt.* Idem solet explicari in Infamato, cui indicta est purgatio canonica, & deficit: præsumitur enim esse reus criminis; ut *c. Insinuatum 13. de Simonia*, cum similibus. Atque istud Notorium præsumptum, alio nomine dicitur, *Præsumptio juris, & de jure*: in quo sensu, juxta Rebuffum, *ubi suprà*, verificatur quartus modus notorietatis de concubinatu Clericorum, *qui mulierem de incontinentia suspectam, & diffamatam tenent, & per suum Superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt.* Concordat Hostiensis *in Summa num. 4. h. t.* dicens, quod si Clericus conversetur cum femina suspecta, & post trinam admonitionem inveniatur cum ea fabulari, vel aliquo modo conversari, factus est concubinarius notorius juris & de jure, & ideò condemnandus, juxta *c. 2 & c. Clericos 3. & c. Si autem 6. h. t.* juncto Concilio Tridentino *sess. 25. c. 14. de Reform.* & ampliùs in progressu dicetur.

Quæritur III. Quomodo procedendum sit contra Cle- 19
ricos, qui publicè dicuntur habere concubinas, sed citati, atque examinati, id negant? Resp. I. Quando crimen concubinatus est notorium, ut dictum, tunc potest Judex procedere ad pœnam imponendam sine accusatore, & teste: Ita textus *in c. Tua nos 8.* juncta Glossa *vers. Celari & vers. Ex evidentia & DD. ibid. h. t.* Accedit ratio: quia in notoriis non est necesse, juris ordinem usquequaque servare, *can. De manifesta. 12. quæst. 1. & c. Ad nostram, 21. de jurejurando, & can. Evidentia, 9. de accusat.* ubi super notorio procedit Judex sine accusatore.

Nec obstat, quòd ejusmodi Clericus neget crimen; 20
atque, ut dicitur *l. 3. C. Quibus ad libertat. proclam. non licet*, per negationem res efficiatur dubia. Resp. enim, Conclusionem procedere in casu concubinatus notorii: sive dein is existat notorius per evidentiam rei; ut putà, quia Clericus publicè in domo detinet suspectam mulierem, quam ut uxorem tractat; & maximè, si prolem ex ea susceptam publicè alat (nam filius est argumentum incontinentiæ paternæ, ambulans super terram, *can. Priusquam, dist. 28.* ac notat Abbas *d. c. tua nos, num. 7. h. t.*) sive notorietate præsumpta, utpote inducente præsumptionem juris & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium, *c. Is, qui fidem. 30. de Sponsalib.* Stante enim tali notorietate, negatio illa non proderit, *l. Qui sententiam, C. de pœnis, & leg. Illud quoque, §. penult. ff. de tribut. action.* Neque per ejusmodi negationem res efficitur dubia. Glossa *cit. c. Tua nos, vers. Celari, & vers. Ex evidentia*, & Abbas *ibid. n. 4. & 7. h. t.*

Resp. II. Quando crimen Clerici non est notorium 21
modo præfato, sed publicum duntaxat ex fama; tunc Clerico negante se esse concubinarium, opus est legitima probatione per testes, aut hujusmodi, ad ipsum condemnandum. Ita textus, & DD. *in cit. c. Tua nos 8. h. t.* addita illa ratione: *Cùm non sit testimoniis, sed testibus judicandum.* Quasi diceretur: Non testimoniis, quæ dantur per scripturam, aut per testes extrajudicialiter, & sine juramento loquentes, vel ex fama, seu auditu alieno deponentes (talia enim non sufficiunt ad condemnandum) sed testibus legitimè citatis, atque de scientia, seu de proprio sensu judicialiter deponentibus, judicandum est: prout superius *lib. 2. Tit. 20. de testibus, §. 11. & 12. & seqq.* ex professo dictum est, allegato *ibid. n. 363.* notabili casu, quo octoginta rustici contra Pastorem de fornicatione diffamatum deposuerunt; nec tamen aliquid probarunt, eò quòd fuerint duntaxat testes ex auditu alieno. Accedit, quòd fama, etiam publica, sine aliis adminiculis plenè non probet, *c. Tam litteris, 33.* juncta Glossa *v. de auditu, de Testib.* Nam, ut *c. Cùm in juventute, 12. de purgat. canon.* dicitur: *Dictum unius facilè sequitur multitudo.*

Resp. III. Quòd si de Clerico in Sacris constituto ta- 22
lis habeatur suspicio incontinentiæ, ita, ut ex ea scandalum oriatur in populo; tunc ipsi indicenda est Canonica purgatio: quam si præstare noluerit, vel in ea præstanda defecerit, puniendus est secundùm Canones veluti convictus. Ita textus in *c. Tua nos, §. fin. h. t. & c. Inter 10. de purgat. canon.* cum similibus.

§. II.

De pœnis Clericorum concubinariorum, aut simplicem fornicationem committentium.

SUMMARIUM.

23 *Quæ sint pœnæ Clericorum concubinariorum, aut suspectam cum mulieribus conversationem habentium? Et n. seqq.*

Delictum, putà, concubinatus, quandoque est notorium, quandoque occultum, quandoque penè occultum, Ibid.

24 *Concubinatus Clericorum omninò occultus non habet vindictam in judicio humano.*

Ecclesia non judicat de occultis. Ibid.

25 *Concubinatus notorius Clericorum, secundùm Canones, pęna depositionis punitur.*

26 *Potest tamen judex, si sibi ita videbitur, mitiorem pęnam imponere.*

27 *Si concubinatus Clerici sit penè occultus, tunc est distinguendum: ac vel clerico indicenda purgatio canonica; vel is monendus, ne ullatenus conversetur cum femina suspecta &c.*

Quòd si post trinam admonitionem cum ea conversari reperiatur, factus est notorius concubinarius; estque tandem excommunicandus, Ibid.

28 *Femina verò canonicè judicanda, seu punienda,*

29 *Et quomodo?*

30 *Clerici in Sacris, ac de concubinatu suspecti, si post monitionem fornicarias non dimittant, debent suspendi &c.*

31 *Idemque dicendum de aliis Clericis Beneficium, seu pensionem habentibus.*

32 *Refertur Decretum Concilii Trident.* sess. 25. c. 14. de *reform. diversas successivè pænas statuentis contra clericos, qui concubinas, aut alias mulieres suspectas detinent.*

33 *Circa dictum decretum plura dubia declaravit Sac. Congr. Concilii, & quæ?*

34 *Quid dicendum de pęna privationis fructuum, juxta citatum Concilii Decretum ipso facto incurrenda.*

35 *Clericus concubinarius an sit suspensus, atque ab aliis vitandus in Divinis. Et n. seqq.*

Dupliciter potest intelligi, Clericum criminosum esse suspensum: videlicet quoad se, & quoad alios, Ibid.

36 *Certum est, ejusmodi clericum esse suspensum quoad se.*

37 *Tamen hujusmodi suspensio quoad se, non est suspensio propriè dicta, seu quæ est censura Ecclesiastica.*

38 *Clericus concubinarius notorius olim, seu spectato Jure antiquo, fuit suspensus etiam quoad alios.*

39 *Non item de facto.*

40 *Suspensio quoad alios clerici notorii concubinarii, an sit propriè dicta [illegible], & censura Ecclesiastica, variant Doctores. Et n. seqq.*

Referuntur Doctores, & rationes sententiæ affirmativæ. Ibid.

41 *Sententia negativa ponitur, ejusque fundamenta.*

42 *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.*

43 *Dantur aliæ adhuc clericorum concubinariorum pęnæ, & n. seqq.*

44 *Sunt enim per suspensionis, & interdicti sententiam arctius cogendi, ut concubinas à se removeant &c.*

Non tamen debent cogi ad istas abjurandas. Ibid.

45 *Et si clerici in Sacris, aut Religiosi matrimonium contrahere attentarint, ipso facto sunt excommunicati.*

46 *Clerici concubinarii redduntur infames &c.*

47 *Ac repelluntur à promotione Ordinum.*

Sunt pauperes, ac miseri: surdi, non audientes monita Sapientum; omnibusque ludibrio, & scandalo, &c. Ibid.

48 *Quali pęna puniendus sit clericus propter simplicem fornicationem, absque qualitate concubinatus? Et num. seqq.*

Enumerantur variæ pęnæ contra eum in Jure statutæ. Ibid.

49 *Pro simplici fornicatione punitur clericus arbitrio Judicis.*

Et num. seqq.

50 *Diversitas pęnarum a jure statutarum, dat optionem Judici. Et n. 29.*

Melius est, redargui de misericordia, quàm de severitate. Ibid.

51 *Pro simplici fornicatione Clericus regulariter deponendus non est.*

52 *Benè tamen concurrentibus certis circumstantiis. Et n. præcd.*

53 *Aut si fornicatio sit qualificata.*

54 *Solvitur notabilis instantia.*

55 *Triplex monitio quando debeat præmitti, antequam Clericus puniatur de concubinatu?*

QUæritur I. Quæ sint pęnæ Clericorum concubinariorum, aut suspectam cum mulieribus conversationem habentium? Ubi prænotandum conformiter textui in *c. Vestra*, 7. *h. t.* ac notat Fagnanus *ibid. n.* 9. quòd delictum, v. g. concubinatus, quandoque est notorium, quandoque occultum, quandoque penè occultum; putà quia extat suspicio de eo, sed nondum plenè constat. Quo prænotato 23

Resp. I. Concubinatus Clericorum omnino occultus 24 non habet vindictam in judicio humano, sed relinquitur judicio Divino, ac per veram pęnitentiam coram Deo actam tollitur. Ita desumitur ex *can. Erubescant. dist.* 32. cujus verba *n. seq.* referentur: nam, ut inquit Glossa *ibid. v. Secretorum*, Ecclesia non judicat de occultis, *can. Christiana*, 32. *q.* 5. cum similibus. Concordat *c. ult. de Tempor. Ordinat.* ubi occultus criminosus, putà, reus adulterii, perjurii, aut hujusmodi (præter reum homicidii) post pęnitentiam permittitur in susceptis ordinibus ministrare, atque ad superiores ascendere. Accedit ratio: quia nullibi reperitur aliqua pęna, in occultum concubinarium à Jure statuta: haud obstante, quòd occultus homicida fiat irregularis, *capit. Inquisitionis*, 21. § 1. *de Accusat.* Nam istud reperitur in Jure statutum, non illud.

Resp. II. Concubinatus notorius Clericorum, in Sacris Ordinibus constitutorum, secundùm Sacros Canones pęna depositionis punitur. 25 Ita Farinacius *q.* 138. *de delictis carnis, n.* 37. & 39. Menochius *l.* 2. *de Arbitr. jud. cas.* 418. *n.* 2. & alii. Idque patet ex *can. Erubescant. dist.* 32. & *c. A multis*, 9. *de ætate & qualitat. præficiend.* ubi dicitur: *Erubescant impii, & apertè intelligant, judicio Spiritus Sancti eos, qui in Sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi, nisi mulieres abjecerint, & castè vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate. De manifestis quidem loquimur: secretorum autem & cognitor Deus, & judex est.* Hæc ibi Concordat *can. Decernimus. dist.* 28. illis verbis: *Decernimus, ut ii, qui in Ordine Subdiaconatus, & suprà, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque Ecclesiastico beneficio careant. Cùm enim ipsi templum, vasa Domini, & Sacrarium Spiritus Sancti debeant esse, & dici: indignum est, eos cubilibus, & immunditiis deservire.* Ubi tamen Glossa unica, ad infligendam hujusmodi pęnam, requirit præviam admonitionem.

Fatendum tamen, quòd Abbas *c. At si Clerici, n.* 35. & 26 36. *de judiciis*. Menochius *l. c. n.* 5. & Farinacius *cit. n.* 39. allegans alios, istud intelligendum censeant cum aliquo temperamento: ita videlicet, ut non per hoc sint ligatæ manus judicis, imponere etiam, si ita sibi videbitur, juxta facti, & personarum qualitatem, mitiorem pęnam; ut putà suspensionem, aut aliquam aliam ex proximè enumerandis.

Resp. III. Si concubinatus Clerici sit penè occultus 27 (hoc est, gravis quidem de eo subsit suspicio, necdum tamen existat manifestus, sive notorius) tunc est distinguendum. Quia vel ex suspicione illa oritur scandalum, & tunc potest Clerico delictum neganti indici Canonica purgatio, quam si non præstiterit, vel in ea præstanda defecerit, punitur ut convictus, *c. Tua nos*, 8. *in fin. h. t.* & *c. Inter*, 10. *de purgat. canonic.* Hostiensis *in Summa h. t. n.* 4. & alii; estque jam dictum proximè *num.* 22. Vel non est subortum ex illa suspicione scandalum, & tunc monendus est Clericus, ne aliquatenus conversetur cum femina suspecta. Quòd si post trinam admonitionem adhuc inve-

inveniatur cum ea confabulari, vel aliquo modo conversari, factus est concubinarius notorius præsumptione juris & de jure, atque ideò ipse est excommunicandus, fęmina verò canonicè judicanda, seu punienda. Ita habetur *can. Si quispiam, dist.* 81. & *c.* 2. *h. t.* & clariùs tradit Hostiensis *cit. n.* 4. cum communi. Accedit ratio: quia post præviam suspicionem concubinatus rationabiliter conceptam, & secutam trinam admonitionem de dimittenda fęmina suspecta, si huic non paretur, inducitur præsumptio magna contra inobedientem; & talis, quam Jura habent pro veritate, & Doctores appellant *præsumptionem juris & de jure*: sicque ratione hujus præsumptionis, simul & scandalosæ inobedientiæ, tandem frustrà adhibitis aliis remediis, atque punitionibus in progressu enumerandis, poterit excommunicari, *c. c.* 2. *h. t.* juncto Concilio Tridentino *sess.* 25. *c.* 14. *de ref.* ordinem pęnarum successivè infligendarum referente, ac ultimo loco ponente excommunicationem; uti patet ex verbis ejusdem, infrà *n.* 32. *v. Quòd si*, referendis.

28 Additur notanter in data Conclusione, *Fœmina verò canonicè judicanda*. Quia enim fęmina carnaliter peccans cum Clerico, committit sacrilegium, vel quasi sacrilegium; simulque peccat in Ecclesiam, Clerico turpiter adhęrendo: hinc ea meritò subjicitur Foro Ecclesiastico, ab eoque punitur. Abbas *c.* 2. *n.* 3. *h. t.* Bellettus *Disquisit. Clerical p.* 1. §. 4. *de favore cleric. reali. n.* 53. & alii. Quamvis Layman *lib.* 4. *Theolog. Moral. tr* 9. *c.* 4. *nu.* 10. & Pirhing *h. t. n.* 6. notent, istud in praxi non observari; cùm passim Judices sæculares contra mulieres suspectas, & concubinas delinquentes cum Clericis, procedere soleant. Verùm spectato rigore Juris concubina Clerici puniri debet per solum Judicem Ecclesiasticum, quidquid sit de aliis criminibus per Clericum unà cum Laico commissis, juxta dicta superiùs *lib.* 2. *Tit.* 1. *de judiciis*, §. 4. *n.* 100. & 103. *ac seqq.*

29 Cæterùm fęmina, quæ cum Clerico fornicata est, aut suspectam cum eo conversationem habuit, debet per Judicem Ecclesiasticum expelli de domo Clerici; addita inhibitione sub pęna fustium, aut aliis pęnis, de non ampliùs habitando, vel conversando cum ipso. Bellettus *cit. num* 53. Atque olim mancipabatur servituti, *arg. can. Eos qui, dist.* 32. Aut cuipiam Monasterio ad agendam pęnitentiam tradebatur, *can. Fraternitatis, dist.* 34. juncta Glossa *fin. ibid.* Imò etiam excommunicari poterat excommunicatione majori, *arg. c. Si concubinæ*, 55. *de sentent. excommunicat.* Sed, quia Jura variè in hoc puncto loquuntur, meliùs dicitur cum Innocentio, Hostiensi, & Abbate *cit. cap.* 2. *num.* 5 *h. t.* quòd quidem ejusmodi concubina Clerici per Judicem Ecclesiasticum sit cogenda agere pęnitentiam; tamen in arbitrio Judicis sit, quam pęnam debeat injungere. Quandocunque enim Jura varias pęnas injungunt, optio datur Judici: imposita tamen una pęna, Judex non potest transire ad aliam. Abbas *loc. cit.* & alii.

30 Resp. IV. Ulteriùs Clerici de concubinatu suspecti, ac in Sacris Ordinibus constituti, si post monitionem, ut suprà, jam factam fornicarias, sive concubinas non dimittant, *debent suspendi ab Ecclesiasticis beneficiis usque ad satisfactionem congruam: & si eas suspensi præsumpserint detinere, ab eisdem beneficiis perpetuò removeri.* Textus est *in c. Sicut* 4. *h. t.* ubi Glossa *fin.* hujus posterioris partis rationem assignat, dicens: Quia crescente contumacia crescere debet & pęna, *c. ult.* §. *fin Ut lite non contestata &c.* & *l. Relegati ff. de pænis.*

31 Deinde in *c. Si autem*, 6. *h. t.* ampliatur dicta pęna ad quoslibet Clericos, sive in Sacris Ordinibus, sive in minoribus constitutos, ac Beneficium, seu pensionem Ecclesiasticam habentes; statuendo, ut nisi fornicarias, seu concubinas suas ad secundam, vel tertiam commonitionem à se dimiserint, easdem de cætero contempturi, possit ipsos Episcopus ultra officii interdictionem Ecclesiis, vel earum portionibus, appellatione postposita, spoliare, hoc est, in perpetuum privare; prout explicat Glossa *fin. ib.* Concordat *can. Decernimus, dist.* 28 ubi Innocentius II. in Concilio Romano decrevisse legitur, *ut ii, qui in Ordine Subdiaconatus, aut supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque Ecclesiastico beneficio careant.* Quibus similia habentur *can. De iis*, & *can. Presbyter. ead. dist.* 28. & *can. Erubescant dist.* 32. &

can. Habuisse, dist 33. cum concordantiis.

Resp. V. Novissimè concilium Tridentinum *sess.* 25. 32 *c.* 14. *de ref.* non solùm pęnas à Sacr. Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum contra Clericos concubinarios antiquitus latas innovavit, verùm etiam easdem ampliavit: ac distinguendo inter Clericos Beneficiatos, & alios beneficium Ecclesiasticum non habentes, atque inter Episcopos, præmissa gravissima Præfatione, decrevit in hęc verba. ,, Caput XIV. Quàm turpe, ac Clericorum nomine, qui se Divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitię sordibus, immundoque concubinatu versari, satis res ipsa, communi Fidelium omnium offensione, summoque Clericalis militię dedecore, testatur. Ut igitur ad eam, quam decet continentiam, ac vitæ integritatem Ministri Ecclesiæ revocentur, populusque hinc eos magis discat revereri, quò illos vita honestiores cognoverit. (*Hactenus Præfatio*) Prohibet S. Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detineant, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pęnis, à Sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum impositis, puniantur,,, En! innovatio antiquorum Canonum, seu pęnarum in ipsis, imò & in Statutis particularium Ecclesiarum contentarum; sequuntur novæ pęnæ, vel priorum pęnarum ampliatio; incipiendo à Clericis Beneficiatis, dum illicò subjungit citatum Concilium.

,, Quòd si à Superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint: tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumq; & pensionum ipso facto sint privati; quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem cum eadem, vel alia fęmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint non tantùm fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur, sed etiam à Beneficiorum ipsorum administratione, quoad ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur: &, si ita suspensi; nihilominùs eas non expellant, aut cum iis etiam versentur; tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis imposterùm reddantur; donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eos semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut aliàs hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint; præter prędictas pęnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat: supradictorumque omnium cognitio, non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, & figura judicii, & sola facti veritate inspecta, procedere possint,, *Hæc ibi:* sic statim subjungendo pęnas, Clericis non Beneficiatis, aut etiam Episcopis, sic (quod absit) delinquentibus imponendas, in hæc verba.

,, Clerici verò beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, & contumaciæ perseverantiam, & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pęna, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisque modis, juxta Sacros Canones, puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo Provinciali admoniti, se non emendaverint: ipso facto sint suspensi, & si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferentur; qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.,, *Hactenus Concilium Tridentinum.*

Circa quod Decretum Concilii refert Nicolaus Garcias *part.* 11. *de Beneficiis, cap.* 10. *num.* 185. plura per Sacram Congregationem fuisse declarata, quorum quatuordecim puncta enumerat: Et primò quidem censuit Sacra Congregatio, quòd istud Decretum de concubinatu, & impudicitiæ sordibus Clericorum, non procedat in simplici incontinentia *absque qualitate concubinatus*. 33

Secundò, quòd habet locum etiamsi Clericus modò cum una, modò cum alia deprehendatur. Tertiò, quòd illud, *Si à Superioribus moniti &c.* intelligatur de monitione *specialiter*, *non autem generaliter*, *puta per Edictum facta*. Quartò, quòd monitiones, ex eodem Decreto faciendæ, non tantùm in visitatione, sed aliis quoque temporibus fieri possint. Quintò, quòd tempus, quod inter unam & aliam monitionem intercedere debet arbitrio Episcopi relinquatur. Sextò, quòd pęna, de qua in *vers. Quòd si à Superioribus moniti*, non habeat locum in Clericis, qui primò delinquerint, etiamsi Edicta generalia ordinaria præcesserunt; sed incurratur, ubi Clericus secundò deliquit; in primo enim puniri debet aliis pænis à Sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum impositis; & demum, si monitus fuerit, & quidem speciali monitione, & secundò delinquat, privatus est tertia parte fructuum, non tamen distributionibus quotidianis, quas ratione Canonicatus, vel Prębendæ Divinis interressendo, percepit præter fructus Præbendæ distinctæ. Septimò, quòd ea pęna censeatur repetita in *vers. Sin verò in delicto eodem*, si secundæ monitioni non paruerit, qui suspendendus est ab administratione beneficiorum, & cùm non possit interesse Choro, amittit etiam distributiones quotidianas. Octavò, quòd Episcopus possit procedere per denunciationem, inquisitionem ex officio, vel quo alio sibi videbitur modo. Tacentur cætera sex puncta dictę Decisionis Sacrę Congregationis, apud Garciam, ubi supra, videnda.

34 Addit idem Garcias *cit. par. 11. cap. 10. num. 190.* quòd pœna privationis fructuum, quæ *ipso facto*, seu *eo ipso* imponitur à Concilio Tridentino Clericis *cit. sess. 25. cap. 14. de reformat.* non videatur recepta in conscientia ante condemnationem. *Nunquam enim* (inquit) *vidimus, audivimus, aut intelleximus, aliquem Clericorum concubinarium* (aut suspectas mulieres domi, vel alibi retinentem) *cùm sint multi semel, bis, & pluries moniti, eos restituere: & ideò tamquam non recepta, non videtur obligare in conscientia, quamvis deberent Judices nihilominus eam exequi &c.* Hæc ille. Atque huc applicari poterunt ea, quæ superiùs *Lib. 1. Tit. 2. de Constitutionibus, §. 10. num. 227. & seqq.* dicta fuerunt; videlicet, quòd pœnas etiam ipso jure impositas, quæ externam executionem requirunt, ante sententiam declaratoriam Judicis subire Reus in conscientia non teneatur, *arg. c. Cùm secundùm, de hæretic. in 6.* Nisi Lex appositam habeat clausulam, *Alia etiam declaratione non secuta*: prout uberiùs ibi declaratur; atque probatur.

35 Quæritur II. An Clericus concubinarius sit suspensus, simulque ab aliis vitandus in Divinis? Ubi prænotandum, quòd impræsentiarum, & juxta *cap. ult. b. t.* cum similibus, dupliciter possit intelligi, Clericum criminosum, putà, concubinarium, esse suspensum. Primò enim potest ejusmodi Clericus dici suspensus quoad se tantùm, [illegible] hoc modo quilibet Clericus pro quocunque peccato mortali censetur; eò quòd non possit licitè in tali statu Missam celebrare, nec alia Sacramenta administrare. Secundò potest Clericus intelligi suspensus quantùm ad se, & quantùm ad alios: ita videlicet, ut non solùm ipse peccet Missam celebrando, vel Sacramenta administrando; sed etiam alii audientes Missam ejus, vel de manu ipsius Sacramenta recipientes. His addi potest Suspensio propriè dicta, seu quæ est censura Ecclesiastica, & cujus violatio inducit irregularitatem, de qua alibi. Hæc prænotato.

36 Resp. I. Certum est, quòd Clericus concubinarius, seu fornicator, sit suspensus quoad se, adeòque graviter peccet, sicut & quilibet alius existens in peccato mortali, celebrando Missam, vel administrando Sacramenta. Textus in *cap. ult. b. t.* juncta *can. Quotidie, de consecr. dist. 2. & c. de homine, 7. de celebr. Missar.*

37 Fatendum tamen cum Innocentio *in c. Si celebrat. n. 2. de cleric. excommunic. ministrant.* & Abbate *cap. ult. nu. 2. b. t.* Fagnano *c. Vestra, num. 12. eod.* Engel *b. t. num. 6.* & aliis, quòd hujusmodi Suspensio quoad se, non sit Suspensio propriè dicta, seu quæ est censura Ecclesiastica, juxta *c. Quærenti, 20. de verb. signif.* & cujus violatio inducit irregularitatem. Idque desumitur ex *cit. cap. ult. b. t.* ibi: *Priusquam pœnituerit*: sicque, argumento à sensu contrario, inferre licet, quòd hujusmodi suspensio post actam pœnitentiam illicò cesset, & Clericus incontinenti recuperet executionem officii sui. Abbas *cit. num. 2.* Idipsum clariùs habetur *cap. ult. de temp. ordinat.* ubi criminosus occultus, v. g. adulter, perjurus, falsarius &c. propter mortale peccatum suspensus quoad se, post peractam pœnitentiam, & absque alia absolutione (excepto homicida) potest celebrare Missam; atque in jam susceptis Ordinibus ministrare, aut nondum susceptos accipere. Istud enim absque prævia absolutione fieri non posset, si suspensio quoad se, foret suspensio propriè dicta, atque censura Ecclesiastica.

Resp. II. Clericus concubinarius notorius, olim, seu 38 spectato Jure antiquo, fuit suspensus etiam quoad alios: ita videlicet, ut peccassent audientes Missam, aliaque Officia Divina ipsius, vel recipientes ab eo Ecclesiastica Sacramenta, (excepto Sacramento Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ in mortis articulo) priusquàm constitisset de ejus pęnitentia. Secùs dicendum de Clerico concubinario non notorio, & adhuc ab Ecclesia tolerato. Textus est *in can. Nullus, & can. Præter hoc, dist. 32. & cap. ult. b. t.* juncto Summario, & DD. *ibid.* expressè dicentibus, quòd Clericus concubinarius in Officiis Divinis vitandus non est, nisi sit notorius. Hunc enim ab aliis vitandum esse in Divinis, statuerunt citati antiqui Canones, uti is à populo sese contemptum videns, rubore verecundiæ faciliùs ad pœnitentiam provocaretur; prout notavit Gratianus *in dict. can. Præter hoc, dist. 32 §. Prohibentur.*

Additur notanter, *Olim, seu spectato jure antiquo*. 39 Nam defactò, sive post Extravag. Martini V. *Ad vitanda*, & in Concilio Constantiensi pro evitandis scandalis, multisque conscientiarum timoratarum periculis editam, non tenentur ampliùs Fideles à Sacerdotis concubinarii, etiam notorii, Missa abstinere, aut ipsum in aliis Divinis Officiis evitare: nisi nominatim, ac publicè denunciatus fuerit esse excommunicatus, suspensus, vel interdictus, aut sit notorius percussor Clerici. Fagnanus *in c. Vestra, n. 17. b. t.* Pirhing *eod. n. 8.* Sannig. *cap. un. n. 10.* Engel *eod. in fin.* Barbosa *cap. ult. n. 3. b. t.* citans plurimos alios; estque communis.

Resp. III. Num suspensio quoad alios Clerici notorii 40 concubinarii sit suspensio propriè dicta, seu directa, & talis, quæ sit censura Ecclesiastica, variant Doctores. Et quidem sententiam affirmativam tenet Abbas *c. Vestra, n. 7. b. t.* Rebuffus *in Concordatis Franciæ tit. De publicis concubinariis, vers. primò, & vers. Tertia.* Bellettus *Disquisit. Clerical. part. 1. §. 5. de disciplin. cleric. n. 52. & part. 2. §. 3. de pœnis Cleric. n. 1.* Farinacius *de delictis carnis, quæst. 138. n. 55. & seqq.* Julius Clarus *lib. 5. §. fin. q. 73. n. 3.* Sylvester *versic. concubinarius, n. 4.* pluresque alii, quos citat Garcias *part. 7. de Beneficiis, cap. 14. num. 8.* docentes, quòd Clerici concubinarii notorii ipso jure sint suspensi ab officio, & beneficio: ita, ut collatio beneficii ipsius facta, sit nulla; & si celebrent, fiant irregulares. Probant hanc sententiam ex *can. ultim. dist. 33. & can. Erubescant, dist. 32.* ac prę-sertim ex *can. Præter hoc, dist. 32.* ubi Clerico publicè concubinario, *ex parte Omnipotentis Dei, & authoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli præcipitur, & omnino interdicitur, ut Missas non cantet, nec Evangelium, aut Epistolam ad Missam legat &c.* Non enim (inquit Abbas *loc. cit.*) videtur esse differentia inter hæc verba; *Suspendo te ab officio*: & illa, *Interdico tibi officium*. Sed per prima verba infligitur suspensio propriè dicta, adeò quòd celebrans efficiatur irregularis; ut *cap. 1. de sentent. & re judicat. in 6. & cap. 1. de sentent. excommun. in 6.* ergo & per posteriora verba: quia non refert, quid per æquipollentia fiat; *l. certum, ff. de rebus creditis*. Accedit Declaratio Sacræ Congregationis Concilii Tridentini super *cap. 14. sess. 25.* quam refert Belletus, ubi suprà, & Garcias *cit. cap. 14. num. 11.* & sic sonat: *Clerici concubinarii notorii sunt etiam hodie ipso jure à Divinis suspensi, prout in veteri Jure sunt.*

Negativam econtrà sententiam, hoc est, asserentem, 41 Clericos concubinarios notorios non esse suspensos verâ, seu (ut loquuntur) directa suspensione, quæ sit censura, nec in ea celebrantes reddi irregulares; tenet In-

nocen-

nocentius *in c. Si celebret, num. 3.* & Jo: Andreas *ibid. n. 4. de cleric. excommunic. ministrant.* Covarruvias *clem. Si furiosus, part. 1. §. 1. num. 5. de homicid.* Garcias *cit. part. 7. cap. 14. num. 19. & seqq.* Pirhing *b. t. num. 18.* Barbosa *cap. ult. n. 4. eod.* allegans alios: ac novissimè Fagnanus *c. Quæsitum, n. 22. b. t.* indistinctè existimans, opinionem Innocentii hodie esse indubitatam. Ratio est: quia suspensio quoad se Clerici concubinarii, non est suspensio propriè dicta, nec inducit irregularitatem, ut dictum *n. 37.* Suspensio quoad alios verò hodie est sublata, juncta dicta *n. 39.* Accedit: quia nullibi in Jure reperitur expressa hujusmodi suspensio, seu inducens irregularitatem, si quis in ea celebret; ergo non est asserenda; nam irregularitas non inducitur, nisi in casibus à Jure expressis, *c. Is qui, 18. de sentent. excomm. in 6.*

42 Nec urget *can. Prætor hoc, dist. 32.* per Abbatem allegatus. Non enim sequitur, *Interdico tibi officium*: ergo es suspensus ab officio suspensione propriè dicta, seu directa, ac inducente irregularitatem. Tum quia ly, *Interdico*, sonat quidem prohibitionem, non verò censuram. Tum quia in pœnis benignior est interpretatio facienda, juxta *Reg. 49. jur. in 6.* Simulque interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potiùs, quàm exasperandæ, *l. Interpretatione, ff. de Pœnis*, cum similibus. Ad Declarationem Sacræ Congregationis non oportet respondere, donec de ejus veritate constet, atque afferatur in forma authentica. Eò præsertim, quia, ut hic allegatur, probaret etiam, quòd Clerici notoriè concubinarii defactò essent suspensi in Divinis quoad alios, prout fuerunt in veteri Jure, quod tamen est contra Bullam Martini Quinti *Ad evitanda*, & Doctores communiter.

43 Quæritur III. An dentur aliæ adhuc Clericorum concubinariorum pœnæ? Resp. Affirmativè: uti videre est apud Farinacium *tom. 5. Praxis criminal. seu de delictis carnis, quæst. 138. num. 35. & seqq.* & Rebuffum *in Tract. Concordatorum Regni Franciæ, tit. de publicis concubinariis*, ubi triginta tales pœnas enumerat, quamvis alii, & præsertim Farinacius *cit. num. 35.* adnotarint, plerasque earum potiùs incommoda, quàm pœnas, verè dici posse. Probatur Conclusio inductione, enumerando complures hujusmodi pœnas.

44 Sic quippe Clerici concubinarii per suspensionis, & interdicti sententiam, sunt arctiùs cogendi, ut concubinas à se removeant: & si ad ipsas redire, vel alias accipere fortè præsumpserint, posteà sunt excommunicandi, donec resipiscant. Textus est *in c. Clericos, 3. b. t.* juncta Glossa *ibid. vers. Perpetuam.* Concordat Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 14. de reform. vers. Sed si postquam*, estque ampliùs dictum suprà *num. 27.* Non tamen debet Prælatus Clericos ejusmodi cogere ad abjurandas concubinas. *Ne in eandem fornicationem instinctu diabolicæ fraudis redeuntes, perjurii reatum incurrant*; prout loquitur Pontifex *cit. c. Clericos, 3. b. t.*

45 Quod si verò Clerici in Sacris Ordinibus constituti (idem dicendum de Religiosis, & Monialibus professis) matrimonium contrahere attentarint; præter nullitatem contractus, ipso facto sunt excommunicati, *Clem. un. de Consanguinit. & affinit.* estque jam dictum *Tit. præced. n. 40.*

46 Deinde Clerici concubinarii efficiuntur infames, *can. Infames, 6. q. 1.* ac notat Farinacius *cit. quæst. 138. num. 54.* & Rebuffus *ubi suprà; vers. Tertia Pœna*: Unde, si moniti non resipiscant, non tantùm suspenduntur à suis officiis, atque beneficiis, privanturque horum fructibus, ac successivè ipsius quoque beneficiis, per Jura *num. 30. & seqq.* allegata, sed etiam, antequam cum eis fuerit dispensatum, non possunt obtinere honores, dignitates, beneficia, nec officia. Concilium Tridentinum *cit. cap. 14. vers. Et si ita.* Nam, ut habet Reg. 87. Jur. in 6. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Quòd si verò Clerici suspensi, ut suprà, ante obtentam absolutionem celebrent Divina, efficiuntur irregulares, *c. Is cui, 20. de sent. excom. in 6.*

47 Insuper Concubinarii à promotione Ordinum repelluntur, *arg. can. 1. & seqq. dist. 27.* Sunt pauperes, ac miserei, *Ecclesiastici cap. 9. vers. 6.* Sunt surdi, non audientes monita Sapientum, sed ægrè ferentes eos, à quibus corripiuntur, *Ecclesiast. cap. 21. vers. 18.* ibi: *Audivit luxuriosus, & displicebit ei, & projiciet illud post dorsum suum.* Semperque tristes incedunt, *Apocal. c. 2. vers. 21. & 22.* Et sunt omnibus ludibrio, & scandalo, *Naum, c. 3.* Tacentur aliæ hujusmodi pœnæ, atque incommoda concubinariorum, utpote qui bibunt velut aquam iniquitatem, *Job. cap. 15.*

Quæritur IV. Quali pœna puniendus sit Clericus, in 48 Sacris Ordinibus constitutus, propter simplicem fornicationem absque qualitate concubinatus? Resp. I. Quando hujusmodi Clericus de actuali lapsu carnis, sive ante, sive post monitionem convictus fuerit, variæ contra eum reperiuntur pœnæ in Jure statutæ. Ita communis, & patet inductione. Nam Presbyter, aut Diaconus in fornicatione deprehensus, jubetur deponi, *can. 24. Apostolorum, & can. Presbyter & Diaconus, dist. 81. & can. Si quis Episcopus ead. dist. 81.* Aut à Sacerdotali removeri officio; *can. Sacerdotes, dist. 50. & can. Maximinianus, dist. 81.* Econtrà *can. Presbyter si, dist. 82.* jubetur Presbyter de fornicatione convictus, sed in vitio non perseverans, agere pœnitentiam decem annis, modo ibidem præscripto. Alibi interdicitur ipsi ingressus Ecclesiæ, usque dum pœniteat, & se emendet, *can. Si qui sunt, dist. 81.* Vel post præmissam monitionem non emendatus, ab Ecclesiasticis beneficiis suspenditur, *can. Sicut, 4. & c. Si autem, 6. b. t.* Aut prout magis vel minùs peccaverit, jubetur puniri secundùm Canonicas Sanctiones, *c. Clericorum, 13. de vita & honest. Cleric.* Et quia Clericus in Sacris Ordinibus constitutus fornicando, sicque violando votum continentiæ, committit sacrilegium, etiam pœna carceris, aut exilio perpetuæ deportationis, puniri potest, *can. Attendendum, 17. qu. 4.* juncto Tridentino, *cit. sess. 25. cap. 14. de reform. §. Clerici autem*: ubi nonnullæ aliæ Clericorum incontinentium pœnæ referuntur.

Resp. II. Pro unica simplici fornicatione punitur Cle- 49 ricus, etiam in Sacris Ordinibus constitutus, arbitrio Judicis, juxta qualitatem personæ, & circumstantiarum, infligendo hanc vel illam pœnam, Ita Glossa *can. Presbyter, dist. 82. v. Decem annis*, asserens, quòd varietas delicti inducat varietatem pœnæ; sicque Judex possit Clerico fornicanti mitigare pęnam pro quantitate criminis, & qualitate personæ, aliarumque circumstantiarum; *can. Tempora, 26. q. 7.* Abbas *c. At si Clerici, nu. 36. de judiciis.* Farinacius *q. 137. de delictis carnis, nu. 17.* Menochius *lib. 2. de arbitr. judic. cas. 418. num. 3 & 5.* Belletus *disquisit. clerical. p. 2. §. 2. de pęnis clericor. n. 4.* Julius Clarus *in practica criminali, §. Fornicatio, n. 3.* attestans de communi. Engel *b. t. n. 6.* & alii. Conclusio desumitur ex *cit. can. Tempora, 26. q. 7. & can. Ut Clericorum, 13. de vita & honestate cleric.* cum similibus; juncta *l. Absentem, & l. Respiciendum, ff. de pęnis.*

Accedit ratio. Quia, cum Jura tam antiqua, quàm 50 nova, non unam eandemque, sed variam Clerico fornicanti assignent pęnam, modò acerbam, modò mitem, ut dictum *num. 48.* hoc ipso videntur relinquere in arbitrio Judicis, ut pensatis circumstantiis, putà, qualitate personæ, gravitate scandali, consuetudine patriæ, ac hujusmodi, imponat pęnam quandoque depositionis, quandoque suspensionis, quandoque privationis Beneficii: quandoque priùs moneat, dum nondum plenè constat de delicto, gravis tamen subest hujus suspicio; quandoque sine monitione privet, seu puniat, ex quo constat de delicto. Nam, ut inquit Glossa *can. Fraternitatis, dist. 34. vers. Professura*, & Abbas *c. n. 36.* diversitas pęnarum à Jure statutarum, dat optionem Episcopo, ut *c. De causis, 4.* juncta Gl. *ib. v. Certa, de offic. deleg.* Ac proinde, cùm in proposito diversæ pęnę sint statutę, potest judex infligere, quam magis viderit expedire, *arg. c. ult. §. fin. Ut lite non contestata &c.* & notanter *caus. 21. q. 2. in Summa*. Ita tamen, ut semper in isto delicto Judex declinet ad mitiorem partem: quia pauci sine vitio incontinentiæ reperiuntur; ut inquit D. Gregorius Papa, relatur *can. Quia sanctitas, dist. 50.* Et quia melius est, redargui de misericordia, quàm de severitate, *can. alligant, 26. q. 7.*

Resp. III. Etsi pro simplici fornicatione Clericus re- 51 gulariter deponendus non sit, nec beneficio Ecclesiastico privandus: nihilominus concurrentibus certis circumstantiis, & si ita expedire judicaverit, poterit Ju-

dex

dex etiam pęnam depositionis imponere. Ita Glossa *can. Maximianus. dist. 81. vers. Removeantur*: asserens, communiter teneri, quòd pro simplici fornicatione Clericus deponi non debeat. Et alia Glossa *can. Lator. 2. q. 7. v. In corporali*. Abbas *c. At si Clerici n* 36. & 27. ac Felinus *ib. num.* 13. & 14. *de judiciis*. Julius Clarus *lib.* 5. §. *Fornicatio n.* 3. Farinacius *cit. q.* 137. *n.* 17. & 18. & alii.
Prior pars patet ex proximè dictis *num. præced.*

52 Altera pars declaratur inductione. Sic imprimis propter fornicationem Clerici notoriam, & scandalosam, posse imponi pęnam depositionis, arbitrio Judicis, tradit Abbas *c. c. At si Clerici, n.* 35. & 36. *de judiciis*, & Farinacius *d. q.* 137. *n.* 21. allegans complures alios: quamvis nonnulli apud eundem *n.* 22. allegati contradicant, volentes, pro fornicatione etiam notoria non imponi pęnam depositionis; sed suspensionis.

53 Deinde, si Clericus incontinens committat fornicationem qualificatam, v. gr. peccatum stupri, adulterii, sacrilegii, incestus, sodomiæ &c. extra controversiam est, ob jura clarissima, quòd talis fornicatio, ob annexam illam qualitatem, possit puniri pęna depositionis, seu perpetuæ privationis Beneficiorum. Atque ita habetur statutum, si fornicatio Clerici committatur cum Sanctimoniali, *can. Si quis Episcopus*, 27. *qu.* 1. Aut cum filia spirituali, ea scilicet, quam vel in Sacro Baptismatis fonte recepit, vel ejus Confessionem audivit, *can. Si quis Sacerdos*, & *can. Non debet*, 30. *q.* 1. ut cum consanguinea, vel conjugata, *arg. can. Lator*. 2. *q.* 7. juncta Glossa *vers. In corporali*, & *can. Si quis Clericus*, *dist.* 81. Abbas *c. c. At si Clerici*, *n.* 35. *de judiciis*. Farinacius *d. q.* 137 *n.* 23. & *seqq.* allegans alios. Tacetur nefandum crimen Sodomiæ, contra quam extat terribilis Constitutio 5. B. Pii V. *Cùm primum* & Constitutio 72. ejusdem, *Horrendum* (ac refertur *Tom. 2. Bullarii Romani*) vi cujus Clericus sodomita non tantùm omni Beneficio, verùm etiam omni privilegio Clericali privatur, degradatur, traditurque curiæ sæculari ulteriùs puniendus.

54 Objicies contra proximè dicta. Concubinatus Clericorum est longè gravius crimen, quàm simplex fornicatio: atqui propter concubinatum non potest Clericus illicò puniri pęna privationis Beneficii, aut depositionis; sed debet procedere monitio, suspensio, ac hujusmodi, juxta *c. Clericos*, 3. & *c. Sicut*. 4. *h. t.* & Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 14. *de Reform.* ergo idem, & quidem à fortiori, videtur dicendum de simplici fornicatione. Resp. primò, instantiam hanc solùm procedere de simplici fornicatione, conformiter dictis *num.* 49 & 50. non verò de fornicatione qualificata. Resp. Secundò negand. min. si constet de concubinatu, seu repetita fornicatione. Nam Concilium Tridentinum *l. c.* non revocat pęnas Jure antiquo statutas; imo istas innovat, addendo tamen ipsis alias: quia igitur Jure antiquo, propter fornicationem qualificatam, riteque probatam, poterat Clericus puniri pęna privationis Beneficii, ac depositionis absque alia prævia monitione, per Jura proximè allegata, idem dicendum etiam pro nunc de Clerico concubinario, quando notoriè constat de actuali multiplicata fornicatione ipsius.

55 Nec obstat *c. c. Clericos*, & *c. Sicut h. t.* Quia loquuntur in casu, quo nondum notoriè constat de concubinatu Clerici, sed solùm habetur gravis suspicio illius: tunc enim debet præmitti triplex monitio, antequam Judex procedere valeat ad infligendas pęnas ibidem statutas, atque in eodem sensu loquitur, præviamque requirit monitionem Concilium Tridentinum *c. sess.* 25. *cap.* 14. *de Reform.* Uti patet ex illis verbis ipsius: *Prohibet Sancta Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis, à Sacris Canonibus vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quòd, si à Superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum ipso facto sint privati &c.* Ubi ponderandum ly, *de quibus possit haberi suspicio*: item, quòd monitio solùm requiratur ad incurrendam ipso facto privationem tertiæ partis fructuum &c. non verò ad pęnas à Sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum antiquitus impositas.

TITULUS III.

De Clericis Conjugatis.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 Visum est Titulo præcedenti de cohabitatione Clericorum & mulierum illicita; videndum nunc restat de cohabitatione ipsorum licita, quæ oritur ex legitimo matrimonio. Circa quod, nec non circa privilegia Clericis conjugatis competentia, vel non competentia, plures occurrunt difficultates; unde sit

§. I.

De Contractu matrimoniali Clericorum, & amissione Beneficiorum inde secuta.

SUMMARIUM.

2 *Clerici in minoribus Ordinibus validè, ac licitè, matrimonium contrahere possunt.*
3 *Non verò Clerici in Sacris Ordinibus constituti.*
4 *Et cur?*
5 *Cur votum simplex Castitatis non dirimat matrimonium posteà contractum, benè tamen solemne?*
6 & 7 *Cur Ecclesia voluerit Clericos, in Sacris Ordinibus constitutos, illegitimare ad contrahendum matrimonium?*
8 *Clericis Græcis in Sacris Ordinibus constitutis non licet matrimonium contrahere, sed solùm anteà contracto uti.*
9 *Clerici in ordinibus minoribus contrahendo matrimonium, ipso facto perdunt Beneficium præhabitum. Et n. seq.*
10 *Plus est factis demonstrare, quam verbis dicere.*
11 *Quomodo hujusmodi Clerici dicantur privandi suis Beneficiis?*
12 *Solvitur alia instantia.*
13 *Vacatio ista Beneficii ipso jure inducta, procedit etiam in matrimonio rato necdum consummato: non verò in sponsalibus de futuro. Et num.* 16.
14 *Clericus Beneficiarius post contractum matrimonium non recuperat Beneficium, licèt uxor ipsius necdum cognita moriatur, aut Religionem ingrediatur.*
15 *Neque is potest retinere priora Beneficia &c.*
16 *Cur per sponsalia de futuro non vacet Beneficium præhabitum?*
17 *An Clerici invalidè contrahentes matrimonium, ipso facto perdant Beneficium præhabitum? Et n. seq. Affirmatur, quando impedimentum fuit occultum, atque à Clerico contrahente ignoratum. Ibid.*
18 *In matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attenditur.*
19 20 & 21 *Et quid, si Clericus beneficiarius scienter matrimonium invalidè contraxit.*

Quæ-

2 Quæritur I. Quinam Clerici possint, vel non possint, matrimonium contrahere? Respondetur primo. Clerici in minoribus duntaxat Ordinibus constituti, validè ac licitè matrimonium contrahere possunt. Ita communis; idque patet ex *c. Placuit.* & *c. Seriatim*, *dist.* 32. In quo tamen posteriori loco excipiuntur Clerici habentes votum continentiæ: nam hi ratione voti illicitè contraherent. Concordat *c.* 1. & *c.* 3. *h. t.* ubi Conclusio ampliatur ad Clericos Minoristas, beneficium Ecclesiasticum habentes, quamvis isto postmodum priventur, juxta inferiùs dicenda.

3 Resp. II. Clericus in Sacris Ordinibus constituti, nec licite; nec validè matrimonium contrahere possunt. Ita communis Catholicorum: atque patet ex *can. Presbyterum*, *dist.* 28. *c.* 1. *h. t.* ubi talia matrimonia, veluti invalida, separari jubentur; & clerici sic contrahentes ad agendum de commissis pęnitentiam per suspensionis, atque excommunicationis sententiam compelluntur. Quinimò juxta *Clem. Eos qui, de consanguinitat. & affinit.* ipso facto excommunicantur. Concordat Concilium Tridentinum *sess.* 24. *can.* 9. sic definiens: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto --- anathema sit.*

4 Accedit ratio: quia Ecclesia Clericos in Sacris Ordinibus constitutos (sicut & Religiosos solemniter professos) inhabilitavit ad contrahendum matrimonium; uti constat ex *c. un. de Voto in* 6. junctis Juribus hactenus allegatis. Unde, sicut consanguinitas, vel affinitas usque ad quartum gradum, cum similibus, Jure Ecclesiastico impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: ita etiam dicendum est de voto, quod solemnizatum fuit per susceptionem Sacri Ordinis, aut solemnem professionem Religionis ab Ecclesia approbatæ, juxta *d. c. un. de Voto in* 6.

5 Nec obstat, quòd votum simplex castitatis solummodò impediat matrimonium contrahendum non verò dirimat contractum. Resp. enim cum Scoto *in* 4. *dist.* 30. *in fin.* disparitatem esse: quia Ecclesia habentes votum solemne Castitatis illegitimavit ad contrahendum matrimonium; non autem habentes votum duntaxat simplex. Et hoc rationabiliter factum fuit: quia habens votum solemne castitatis, posuit se in potestate Ecclesiæ, quantùm ad oppositum ejus, ad quod est contractus matrimonii; non verò alter habens solummodò votum simplex. Et hinc noluit Ecclesia hunc illegitimare ad contrahendum matrimonium, sed eum relinquit judicio Divino: benè tamen illum.

6 Et si petas, quare Ecclesia voluerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos illegitimare ad contrahendum matrimonium? Respon. Causas hujusmodi esse multiplices, & graves. Prima desumitur ex doctrina S. Pauli Apostoli 1. *Corinth.* 7. ipsis conjugibus suadentis, ut ex consensu ad tempus abstineant ab actu conjugali, ut possint vacare orationi. Undè *can Si laicus*, *dist.* 31. notanter dicitur: *Si laicus, & quicunque fidelis orare non possit, nisi careat officio conjugali; Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergo semper matrimonio carendum.* Hæc ibi. Secunda habetur *can. Decernimus*, *dist.* 28. illis verbis expressa: *Cùm enim ipsi* (Clerici in Ordinibus Sacris Constituti) *templum, vasa Domini, & sacrarium Spiritus Sancti debeant esse, & dici: indignum est, eos cubilibus & immunditiis deservire.* Tertia, & cum præcedentibus in re concordans, continetur *in c. Quod à te.* 3. *h. t. Clerici simul voluptatibus & carnalibus desideriis ac Divinis & Ecclesiasticis obsequiis, vacare non valent.* Quod ipsum aliis verbis, & quidem clarioribus, declaratur *c. Diversis*. 5. *h. t.* dicendo, quod *in Clericorum conversatione Cithara cum Psalterio malè concordet: cumque vir cogitet, quomodo placere possit uxori, ideò minus quæ Dei sunt valeat cogitare &c.*

7 Accedit quarta ratio. Siquidem uxoratus est divisus in duo, cogitatque quæ sunt mundi, & quomodo placeat uxori suæ, 1. *Corinth.* 7. Unde plenam sui non habet potestatem, ut ei, a quo stipendium recipit (putà, Ecclesiæ suæ) pleniùs famuletur, *c. c. Diversis*. 5. *h. t.* Ubi & alia, seu quinta hujus ratio subjungitur: quia videlicet *rerum Ecclesiasticarum substantia per tales* (Clericos uxoratos) *solet deperire*, propter necessitatem alendi propriam uxorem, atque liberos, *can. De Syracusanæ*, *dist.* 28. Per quod etiam diminuitur hospitalitas, quam Sacri Canones in Clericis, præsertim Beneficiariis, requirunt veluti debitam, juxta dicta *Tit.* 1. *De Vita & honestat. Cleric.* §. 2. *n.* 61. & 62. Simulque redditus Ecclesiastici, qui ex primæva Ecclesiæ, ac Fundatorum intentione, ad pios, pauperumque usus sint destinati, in uxorem & liberos, aliosque profanos usus expenderentur. Quin etiam subintraret periculum hæreditariæ successionis in Beneficiis, quàm Ecclesia Dei semper detestatur. *can. Apostolica*. 8. *quæst.* 1. & *cap. Ex transmissa*, 7. *de Filiis Presbyt.* cum similibus. Atque vilesceret dignitas Sacerdotum: nec majori in reverentia haberentur isti à populo, si ipsos sibi similes, neque speciali vitæ puritate, atque perfectione nitentes conspicerent, contra *can. Beatus Petrus*. §. *Infamis*, 6. *q.* 1. & *can. Qualis enim*, 8. *q.* 1. cum concordantiis.

8 Dices. Clerici Ecclesiæ Orientalis, sive Græci Sacerdotes, de facto vivunt uxorati, non obstantibus præmissis causis; ergo allata conclusio non videtur subsistere. Resp. negan. consequent. Quia neque Græcis in Sacro Ordine constitutis unquam licuit, aut de facto licet uxorem ducere, *can. Si quis eorum*, *dist.* 32. juncta Glossa *un. ibid.* sed solum eisdem permissum est, uxore, quam virginem in Ordinibus Minoribus constituti duxerant, posteà in majoribus adhuc uti, *can. Nicæna*, *dist.* 31. & *c. Cùm olim*, 6. *h. t.* Ubi Pontifex, hujus rationem reddens, sic loquitur: *Nos igitur attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit: quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio jam contracto &c.* Quomodo autem Sacerdotes Græci præcaveant memoratis inconvenientiis, non est hujus loci investigare: saltem non sunt in tanta æstimatione, atque reverentia coram populo, quantam habere solent Sacerdotes Latini, atque in perpetua continentia viventes.

9 Quæritur II. Utrùm Clerici contrahendo matrimonium perdant Beneficia priùs habita, & quomodo? Resp. I. Si Clericus in Ordinibus minoribus constitutus contrahat matrimonium, ipso facto perdit Beneficium præhabitum, etiam ante aliam Judicis sententiam: adeò, ut statim à momento contractus validè initi, possit Beneficium alteri conferri. Ita Glossa *cap.* 1. *vers. Relinquenda*, & Abbas *ibid. num.* 5. & Barbosa *num.* 2. *h. t.* Covarruvias *de Matrim. part* 2. *cap.* 6. §. 3. *num.* 5. Navarrus *cap.* 25. *Manual. num.* 120. Angelus *in Summa vers. Clericus*, 5. *num.* 1. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 15. *num.* 43. & 44. Garcias *part.* 11. *de Beneficiis*, *cap.* 8. *numer.* 1. allegans Rotam *Decis.* 1. *h. t. in novis*. Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disp.* 42. *numer.* 4. citans plurimos alios, atque asserens, istud esse certissimum. Conclusio hæc desumitur *ex cap.* 1. *h. t.* ubi Clerici in minoribus contrahentes matrimonium, districtione Ecclesiastica compelluntur *ad relinquenda beneficia Ecclesiastica*. Quasi diceretur: quia Beneficia ipso jure jam vacant, meritò coguntur Clerici ad eadem relinquenda. Accedit ratio: quia beneficium, & matrimonium, de Jure sunt duo incompatibilia, *cap.* 3. & 5. *h. t.* cum concordantiis, & consequenter, qui matrimonium eligit, seu contrahit, beneficio tacitè, atque ipso facto renunciare censetur.

10 Nec obstat, quòd resignatio beneficii Ecclesiastici non valeat, nisi interveniente authoritate Ordinarii, talem resignationem acceptantis, *can. Si quis verò*, & *can. Si quis Presbyter*. 7. *q.* 1. & *c. Admonet*. 4. *de Renunciat.* cum similibus. Resp. enim, hujusmodi Canones procedere de renunciatione expressa, quæ fit per verba, vel scripturam: secùs dicendum de renunciatione tacita, quæ fit per facta illa, quibus positis ex ipsius Juris constitutione beneficium amittitur, seu retineri nequit. Nam, ut *c. Dilecti*, 52 *de Appell.* dicitur: *Plus est facto provocare* (resignare) *quàm verbo.* Sive, ut Glossa *un. ibid.* loquitur, *Plus est factis demonstrare, quàm verbis dicere.* Et hinc in simili, Clericus per annum exercens artem ignominiosam histrionum, ipso jure perdit privilegium Clericale, *cap. un. de vita & honestat. Clericor. in* 6. quamvis hujus verbis renuncia-

re

re non possit, *c. Si diligenti, 12. de foro competent.* Unde Glossa *cap. ult. vers. Cùm facto, de vita & honestat. Cleric.* rectè notat, quòd, quàmvis Clericus non possit verbo renunciare privilegio Clericali, possit tamen eidem renunciare facto, quatenus se reddit ipso indignum.

11 Dices. *In can. Quod ad te, 3. & can. Diversis, 5. h.t.* dicitur, Clericos matrimonium contrahentes, esse privandos Ecclesiasticis beneficiis; ergo non sunt ipso jure privati, sed opus est sententia Judicis. Resp. negand. consequent. Nam hujusmodi Jura loquuntur de privatione possessionis, ac fructuum beneficii, facienda per actualem expulsionem, casu quo Clericus conjugatus violenter eos retinere vellet: non verò de privatione juris, ac tituli, quem Clericus anteà habuerat, sed per contractum matrimonialem ipso facto jam amiserat. Et istud est, quod voluit Glossa *cap. 1. vers. Relinquenda, h.t.* dicens, quòd hujusmodi privatio, sive compulsio Clericorum conjugatorum ad relinquenda Beneficia præhabita, retorqueatur quoad factum solùm; sive possessionem; quia vacare intelliguntur ipso jure.

12 Urgebis. Pœnæ externam executionem requirentes, non obligant in conscientia ante sententiam judicis, *arg. can. Cùm secundùm, 19. de hæret. in 6.* ubi bona Hæreticorum ipso jure confiscata, non possunt apprehendi ante sententiam declaratoriam Judicis super crimine commisso; ergo idem dicendum de Beneficio Clerici uxorati. Respond. negand. conseq. Quia istud, quod Beneficium Clerici matrimonium contrahentis statim vacet ipso jure, non est statutum in pœnam delicti, ut super eo commisso requiratur sententia declaratoria judicis (nam Clericus Minorista contrahens matrimonium non peccat, sicque nulla pœna dignus est) sed id provenit ex incompatibilitate status conjugalis cum beneficio; ut proinde Clericus eundem spontaneè eligens, censeatur tacitè, ipsoque facto beneficium resignare, atque dimittere, Sanchez *cit. lib. 7. disp. 42. n. 4.* Engel *h. t. n. 2.* & alii.

13 Resp. II. Præmissa Conclusio, seu vacatio beneficii ipso jure inducta, procedit etiam in matrimonio rato necdum consummato: non autem in sponsalibus de futuro. Ita Abbas *cit. cap. 1. numer. 5. h. t.* Navarrus *cap. 25. Manual. numer.* 120. Angelus *in Summa, vers. Clericus. 5. numer.* 1. Gonzalez *cit. gloss. 15. numer.* 43. Garcias, *ubi suprà, cap. 8. numer. 1.* Sanchez *cit. disput. 42. num. 5.* Pirhing. *h. t. numer.* 13. & alii. Ratio prioris partis est, quæ suprà: quia videlicet verè jam assumptus est status incompatibilis cum Beneficio, ac proinde huic tacitè, atque ipso facto renunciatum; quod proinde ipso jure vacare dignoscitur. Ex quo

14 Infertur primò, quòd si Clericus Minorista Beneficiarius contraxerit matrimonium de præsenti, & uxor ipsius nondum cognita moriatur, aut Religionem ingrediatur, non idcircò Clericus ille beneficium recuperet. Abbas *cap. 1. numer. 5.* & Barbosa *ibid. numer. 5. & 6. h. t.* Covarruvias *cit. par. 2. de matr. cap. 6. §. 3. num. 5.* Garcias *d. part. 11. cap. 8. num. 2.* Sanchez *cit. numer. 5* Navarrus, & Angelus, *ubi supra*, Pirhing *h. t. numer. 13* & alii passim. Revera enim per assumptionem status matrimonialis, utpote incompatibilis cum Beneficio, huic ipso facto renunciatum fuit; sicque vacavit Beneficium: unde absque nova canonica institutione non potest recuperari, *cap. 2. & cap. 3. de renunciat.* juncta *Reg. 1. Juris in 6.* Siquidem jus semel extinctum non reviviscit, licèt cesset causa extinctionis, *c. Quàm periculosum, 7. q. 1.* junctis concordantiis ibidem per Glossam allegatis.

15 Infertur ulteriùs, quòd ejusmodi Clericus post contractum matrimonium nullatenùs possit retinere priora Beneficia, sed statim teneatur ea dimittere, eò quòd ipso jure vacent, alioquin quippe peccaret mortaliter, ac teneretur restituere omnes fructus, utpote ex re non sua perceptos. Barbosa *citat. capit. 1. numer 2. h. t.* Navarrus, & Angelus, ubi supra. Sanchez *dict. disp. 42. n. 10. & seqq.* citans alios, ac plura similia Corollaria subinferens.

16 Altera verò pars datæ Conclusionis, loquens de Sponsalibus de futuro, est Abbatis *cit. cap. 1. num. 5.* & Barbosa *ibid. num. 11. h. t.* allegantis Rotam *decis. 772. numer. 2. part. 2. recent.* Garciæ *d. cap. 8. num. 19.* citantis plures alios; atque asserentis, certum esse, quòd per Sponsalia de futuro non vacet Beneficium Clerici. Accedit ratio: tum quia sponsalia de futuro multis modis possunt dissolvi, sicque statum plenè incompatibilem non inducunt; prout argumentatur Abbas *consil. 62. n. 18. part. 2.* Tum quia per adeptionem posterioris Beneficii incompatibilis, prius neutiquam vacat, donec quis plenam posterioris possessionem acquisierit, percipiendo fructus ipsius, *c. Si tibi concesso, 26. de præbend. in 6.* Idem ergo dicendum de sponsalibus de futuro, utpote plenum jus non tribuentibus.

17 Resp. III. An Clerici invalidè contrahentes matrimonium, ipso facto perdant Beneficium præhabitum, variant Doctores; prout videre est apud Sanchez *citat. lib. 7. de matrimon. disp. 43. numer. 1. & seqq.* & Garciam *dict. part. 11. de Beneficiis, cap. 8. num. 4 & 5. ac seqq.* diversas Doctorum sententias referentem. Breviter tamen dicendum, quòd si Clerici in minoribus Ordinibus constituti, vero nubendi animo invalidè contrahunt matrimonium ob occultum aliquod impedimentum, quod ignorant, ipso jure perdant præhabitum Beneficium, istudque vacet: nam ejusmodi Clericus veram, atque efficacem habuit intentionem nubendi, sicque eligendi statum beneficio incompatibilem; & consequenter huic tacitè, atque ipso facto renunciandi. Et hanc sententiam esse communem verè omnium, asserit Sanchez *cit. disp. 43. n. 5* plurimos pro eadem Authores allegans, quamvis ipse posteà aliam opinionem sequatur, requirendo ad hoc sententiam Judicis.

18 Nec obstat, quòd ejusmodi matrimonium sit nullum ob occultum, & ignoratum anteà impedimentum; sicque videatur subintrare Reg. 53. Juris in 6. *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.* Resp. enim, per dictum occultum impedimentum vitiari quidem matrimonium, atque reddi invalidum; non verò destrui veram præhabitam intentionem nubendi, sicque beneficium tacitè, ipsoque facto resignandi. Nec urget allegata Regula: nam præter alias etiam fallentias, specialiter ipsa limitatur in matrimonio: cùm in matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attendatur; prout habetur *c. Nuper. 4. de bigamis non ordinand.* Ubi idcircò decisum legitur, quòd is, qui mortua uxore promotus ad Ordines Sacros fuit & posteà cum secunda de facto contraxit, hancque cognovit, bigamiæ pœnam incurrat, haud obstante invaliditate posterioris matrimonii: prout etiam secundùm Leges infamiam contrahit, qui duas simul habet uxores, *c. c. Nuper., & l. eum qui C. ad leg. Jul. de adulter.*

19 Quòd si verò talis Clericus beneficiarius cognoscat impedimentum dirimens, & sic scienter matrimonium invalidè, seu de facto duntaxat contrahat; ut putà, quia est constitutus in Sacris Ordinibus, aut contrahit cum consanguinea, vel impubere &c. tunc plures Doctores volunt, ejusmodi Clericum non ipso jure perdidisse præhabitum Beneficium, sed ad hoc esse necessariam sententiam Judicis, qui in pœnam delicti ipsum privet beneficio. Rationem dant: quia scienter contrahens matrimonium invalidè, non assumit statum incompatibilem cum beneficio; novit enim, se nulliter agere: sola autem voluntas dimittendi beneficium non sufficit ad hujus vacaturam, nisi fiat resignatio ipsius in manus Superioris, *c. Admonet, 4. de renunc.* cum similibus. Atque ita videtur tenere Glossa *fin. c. 1. h. t.* pro se allegans *can. Presbyterum, dist. 28.* Idipsum expressè tenet Barbosa *c. 1. n. 7. h. t.* Mascardus *de probat. concl. 183. n. 5. & 6.* asserens, hanc Conclusionem esse communiorem. Sanchez *c. t. lib. 7. disp. 43 n. 3. & 4.* citans plures alios, hancque appellans probabiliorem.

20 Oppositum tamen, videlicet in tali etiam casu perdi Beneficium ipso jure, tenet Abbas *c. 1. n. 7. h. t.* Covarruvias *p. 2. de matrim. c. 6. §. 3. n. 5.* Navarrus *c. 25 Manual. n. 120* Flamin. Parisius *lib. 1. de resignat. beneficior. q. 1. n. 11.* Sylvester *v. Clericus, 2 n. 2.* Angelus *in Summa v. Cleric. 5. n. 1.* Gonzalez *ad Reg. 8 Cancell. gloss. 15. n. 44.* citans Rotam *dec. 1. & 2. de Sponsal. in antiq.* Garcias *p. 11. de beneficiis, c. 8. n. 4* allegans plurimos alios. Ratio est: quia contrahens matrimonium, etiam scienter cum impedi-

men-

mento dirimente, quantum in ipso fuit, assumpsit statum cum beneficio incompatibilem; sicque tacitè, atque ipso facto, huic renunciavit.

21 Nec obstat, quòd scienter contraxerit invalidè; sicque nihil egisse, imò nec intentionem contrahendi habuisse videatur. Resp. enim, in matrimoniis contrahendis non juris effectum, sed animi destinationem attendi, ut [illegible] dictum est *n. 18* ac proinde in proposito induci [illegible]uram Beneficii ipso jure, non quidem propter [illegible], seu valorem matrimonii; sed propter affectum [illegible] otionis cum opere subsecuto: prout in simili [illegible] Pontifex *c. Nuper, 4. de Bigamis non ordinand.* Quòd autem in scienter contrahente matrimonium cum impedimento dirimente, hoc ipso deficiat intentio contrahendi, falsum est; uti loquitur Covarruvias *cit. n. 5.* & patet ex *Clem. un. de consang. & affinit.* cum similibus.

§. II.

De privilegiis Clericorum conjugatorum.

S U M M A R I U M.

22 *Cle[illegible] conjugati in Minoribus existentes, gaudent privilegio Canonis, & Fori.*

23 *Dummodò habeant tres conditiones ad hoc requisitas [illegible]*

[illegible] *privilegio Clericali. Ibid.*

[illegible] *privilegii in bonis.*

[illegible]

27 *Possuntque* [illegible] *vit &c.*

28 *Neque gaudent ullo alio privilegio Clericali, numer. 43.*

29 *Solvitur notabilis instantia, ex cap.* [illegible] *desumpta.*

30 *An Clericus conjugatus* [illegible]

[illegible]

33 [illegible]

34 *Nisi* [illegible]

35 *Et cur* [illegible]

[illegible]

39 *Maritus* [illegible] *licentia uxoris ad Ordines sacros promotus* [illegible] *ad consortium conjugale* [illegible]

40 [illegible]

41 [illegible]

42 *Nisi* [illegible], *pariterque* [illegible] *perpetuam.*

43 [illegible] *exceptiva &c. Ibid.* [illegible]

Clericus conjugatus, præter privilegium Canonis & Fori, habetur pro mero Laico &c. ibid. & num. 28.

44 *An possit obtinere Pensionem.*

45 *Clericus conjugatus, castitatem perpetuam non vovens, qualecunque beneficium obtineat, requiritur dispensatio Summi Pontificis.*

46 *Nec sufficit dispensatio Episcopi, etiam quoad beneficium simplex.*

Et n. præced.

47 *Episcopus dispensat in beneficio simplici cum homicida, ejusque irregularitate; non verò cum clerico conjugato, cur?*

Quæritur I. Utrùm Clerici conjugati, in Ordinibus minoribus constituti, gaudeant privilegiis Clericalibus? Resp. I. Hujusmodi Clerici conjugati, si observent tres conditiones *n. seqq.* declarandas, gaudent privilegio Canonis, *Si quis suadente, 17. q. 4.* simulque privilegio Fori in causis criminalibus: *adeo ut hujusmodi* [illegible] *pro commissis ab eis excessibus, vel delictis* [illegible] *criminaliter, aut civiliter ad judicium* [illegible] *ab ipsis sæcularibus Judicibus debeant personaliter* [illegible] *pecuniariter (ne per unam viam concedatur eisdem,* [illegible] *denegatur) ullatenus condemnari.* Ita textus [illegible] *cap. un. h. t. in 6.* Idque novissimè confirmatum, [illegible] innovatum fuit in Concil. Trident. *Sess. 23. c. 6* [illegible] clausula illa derogatoria: *Nemini quoad hoc,* [illegible] *consuetudine, etiam immemorabili suffragante.* 22

Porrò conditiones ad hoc requisitæ, sunt tres, [illegible]rùm priores duæ habentur *cit. cap. un. h. t. in 6.* Tertia verò novissimè addita fuit in Concilio Tridentino *l. c.* 23 Prima est: Ut ejusmodi Clerici *cum unica, & virgine contraxerint:* Alioquin enim forent bigami, qui sunt nudati omni privilegio Clericali, [illegible] *un. de Bigamis, in 6.* Secunda est: *Ut deferant tonsuram, & vestes Clericales.* Tertia tandem [illegible] Concilio Tridentino novissimè a[illegible], *Ut tales Clerici alicujus Ecclesiæ servitio* [illegible] *ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ* [illegible] *ministrent.* Et harum trium conditionum [illegible] deficiente, Clerici conjugati nullo [illegible] privilegio Clericali [illegible] tres conditiones [illegible]untur in ipsis copulativè ad participandum privilegium Canonis, & Fori, modo prædicto; uti [illegible] *cit. can. un.* [illegible] *in 6.* juncto Concilio Tridentino *cit. sess. 23. c. 6. de ref.*

Resp. II. Nihilominus ejusmodi Clerici conjugati nullo gaudent [illegible] 24 [illegible] *hoc est,* [illegible] Idipsum [illegible] Jo. Andreas, [illegible] *Pract. Quæst. cap.* [illegible] *matrimon. disp. 46. num.* [illegible] & communiter.

[illegible] probabilius est, hujusmodi Clericos [illegible] privilegio Fori gaudere duntaxat in criminalibus, non autem in civilibus. [illegible] Engel *h. t. n.* [illegible] & nonnullos alios [illegible] Conclusionem [illegible] ubi post concessum illis [illegible] Canonis, & Fori [illegible] Clericali privilegio. 25

Infertur primò, quòd ejusmodi Clericus conjugatus [illegible] conveniendus sit coram Judice [illegible] opponere exceptionem [illegible] non gaudet privilegio Fori in causis merè civilibus. 26

Inter-

27 Infertur ulterius, quòd talis Clericus pro debito civili, seu pro executione causæ merè civilis, per Judicem sæcularem possit capi, atque in carcerem mitti; absque eo, quod Judex incidat in excommunicationem Canonis. Licitè enim, ac neutiquam suadente diabolo, id facit: neque injicit ejusmodi Clerico conjugato manus violentas, sed justas, ipsum v. g. de fuga suspectum capiendo, & incarcerando. Covarruvias *cit. cap. 13. numer. 7.* Barbosa, ubi supra *numer. 9. & 10* Sanchez *d. disp. 46. num. 23.* allegans alios: quidquid nonnulli de hoc dubitarint, imò & hanc incarcerandi potestatem Judici sæculari penitùs abnegaverint; uti videre est apud Sanchez *loc. cit.*

28 Infertur tertiò, quòd Clericus conjugatus, præter privilegium Canonis, & Fori, ut supra, nullo alio gaudeat privilegio Clericali: utputà, privilegio *cap. Odoardus, de solution.* & hujusmodi. Belletus *disquisit. clerical. part. 7. §. 8. de favor. clerical. personal. num. 11.* Aloys. Riccius *in Praxi, part. 1. resol. 265. num. 2.* Franchus *cap. unic. de Clericis conjugat. in 6.* Covarruvias *Pract. q. c. 31.* [illegible] Farinacius *lib. 1. praxis crimin. q. 8. n. 9.* cum aliis. Unde nec est capax beneficii Ecclesiastici obtinendi absque legitima Papæ dispensatione: nam præter enumerata duo privilegia, habetur in reliquis pro mero Laico, nulloque privilegio Clericali gaudet. Covarruvias *l. c.* [illegible] *gloss. 2. n. 68. & 69.* [illegible] *n. 43.*

29 Objicies contra [illegible] pro favore oppositæ [illegible] dicitur, Clericos [illegible] servantes conditiones præscriptas [illegible] non posse *criminaliter, aut civiliter adjudicari* [illegible] ergo etiam in causis civilibus gaudet privilegio Fori [illegible] quia [illegible] post Concilium Tridentinum [illegible] Ecclesiæ servitio ab Episcopo [illegible] Resp. neg. anteced. [illegible] *cap. un.* [illegible] *in 6.* [illegible] omissis videlicet [illegible] verbis [illegible] *non posse &c.* [illegible]

[illegible]

30 [illegible] II. [illegible]

31 [illegible]

[illegible] *nisi ab antea* [illegible] Concordat *can. Seriatim dist.* [illegible] *& can.* [illegible]

ctionem, dist. 77. ubi ad talem ordinationem consensus uxoris expressè requiritur: quæ quidem uxor vel debet Religionem ingredi, vel in sæculo manens castitatem vovere, simulque omni sinistra suspicione incontinentiæ carere, *cap. Uxoratus, 8. de Convers. conjugat.* Unde in Extravag. *Antiquæ* Joannis XXII. de Voto, *authoritate Apostolica districtiùs inhibetur, ne quispiam durante matrimonio, nondum etiam consummato, aliquem de Sacris ordinibus præsumat suscipere, nisi prout Sacris Canonibus noverit convenire.* Ubi Gl. *v. Noverit convenire*, relatis conditionibus hic jam allegatis, amplius istud declarat.

Limitatur istud in casu, quo vir legitimam divortii causam habens, v. g. ob notorium, aut legitimè probatum adulterium uxoris, ad Ordines Sacros promoveri desiderat. Tunc enim non est necessarius recursus ad uxorem, aut consensus ejusdem quia ob talem causam Jure Divino, *Matt. cap. 19.* & quidem in perpetuum, *c. Significasti 4. de Divortiis*, potest vir imposterùm continens, dimittere uxorem suam quoad coabitationem: sicque ipsa etiam invita, & reclamante, ad Sacros Ordines promoveri; cùm conjux adultera omni jure conjugali destituatur. Idipsum patet ex *c. Conquestus, 15.* ubi Glossa *vers. Ad gradum Sacerdotii*, & Innocentius, & Abbas *numer. 5. de Convers. conjugat.* Sanchez *lib. 10. de Matrimon. disp. 11. num. 16* citans plurimos alios; estque communis. 32

Resp. II. Conjugatus etiam ad primam Tonsuram promoveri non potest: aut, si hanc anteà jam recepisset, nequit is ad Ordines minores promoveri, nisi de consensu uxoris, voventis continentiam, ut suprà. Ita Glossa in *c. Conjugatus* [illegible] *Ad Sacer.* & Jo: Andreas *ibid.* [illegible] 33

[illegible]

Et notandum [illegible] Nam, quamvis conjugatus valeat promoveri ad primam Tonsuram, vel Ordines minores, præter consensum suæ conjugis Religionem ingredientis, aut in sæculo castitatem voventis [illegible] Episcopus ab ipso exigere [illegible] Glossa *can. Episcopus* [illegible] Jo. Andreas *c. Conjugatus* [illegible] *de Conversion. conjugat.* [illegible] 34

[illegible] continentiæ. 35

[illegible] Cælibe, seu non uxorato [illegible] Tonsuram, vel Ordines minores [illegible] non exigatur [illegible]

[illegible] 36

[illegible] nim, quod [illegible] Sacros Ordines, ibidem [illegible]

neraliter, ut comprehendat omnes Ordines, etiam minores: nam & hi possunt dici *Ordines Sacri*, quatenus sunt Sacramentum novæ Legis, dignèque recipientibus conferunt gratiam, ac specialem potestatem ministrandi in Ecclesia Dei. Verùm melius dicitur cum Barbosa [illegible] *5.* & Sanchez *dict. disp. 38. n. 6.* quòd [illegible] *capit.* [illegible] *hoc. tit.* interdicatur uxoratis promotio duntaxat ad Ordines Sacros, sive majores: at verò in *cap. ultim. de Tempor. Ordinat. in 6.* eisdem etiam prohibetur ad primam Tonsuram, Ordinesque minores. Accedit ratio hujus posterioris prohibitionis: quia Ordines minores non nisi sub respectu ad majores conferendi sunt, *cit. cap. ult. de Tempori. Ordinat. in 6.* [illegible] Concilio Tridentino *sess. 23. cap.* [illegible] Ministrorum Ordines [illegible] esse distributos, *ut qui jam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Unde etiam prima Tonsura non est conferenda illis, *de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii* [illegible] *sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ Clericalis genus elegisse*: prout loquitur Concilium Tridentinum *cit. sess. 23. cap. 4. de Reform.* Talis autem probabilis conjectura nequit haberi de Clericis uxoratis [illegible] Ordines etiam [illegible]

[illegible] Concilium Tridentinum [illegible] Ordinum minorum [illegible]

[illegible] fuit assignat [illegible] *Quod si ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cælibes præsto non erunt* [illegible] *possint etiam conjugati* [illegible] *bigami* [illegible]

[illegible]

[illegible] Glossa [illegible] Doctoribus passim.

Resp. [illegible] absque licentia uxoris [illegible] Sacros Ordines [illegible]

[illegible] Sanchez *lib.* [illegible] *de Matrimon.*

disput. 38. numer. 20. 21. & sequent. & alii. Ratio prioris partis est: quia vir per susceptionem Ordinis Sacri non potuit præjudicare juri, quod habuit uxor in corpus ipsius, juxta Apostolum *1. Corinth.* Etiamsi bona fide assumpsisset Sacros Ordines, putans conjugem jam fuisse mortuam, Glossa *canon. Si quis pecunia distinct. 79. vers. Non Apostolus*: istud intelligens, nisi conjux induci possit ad continentiam observandam. Sanchez *cit. lib. 7. disput. 38. num. 12.* allegans alios.

Altera pars ex eo probatur. Quia vir per receptionem Ordinis Sacri, obstrinxit se voto Castitatis, annexo Sacris Ordinibus: ac proinde tenetur istud servare, in quantum lex matrimonii permittit; videlicet debitum conjugale non exigendo, licèt illud reddere [illegible] teneatur. Et quia hujusmodi votum [illegible] hinc illud impedit matrimonium [illegible] contrahendum, ac dirimit contractum [illegible] *de Voto in 6.* 40

Quæritur III. [illegible] Clerici conjugati, possint habere beneficium [illegible] Respond. I. Clericus conjugatus [illegible] obtinere beneficium, quantumvis [illegible] absque legitima dispensatione: nisi [illegible] eamque virginem duxerit (hoc est, non bigamus) simulque eadem consentiente, uterque vovente castitatem voverit perpetuam [illegible] expressè decisum [illegible] *Provideas* [illegible] 41

[illegible] 42

[illegible] Clericus conjugatus [illegible] Ordines, etiam Sacros [illegible]

[illegible] Clericus 43 conjugatus [illegible] pro mero Laico, nulloque privilegio Clericali [illegible] *capit. unic. vers.* [illegible] ac proinde nec beneficium Ecclesiasticum obtinere potest. Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 2. numer. 62.*

poſt Joan. de Selva *part. 1. de Beneficiis quæſt. 7. numer. 17. & part. 3. quæſt. 3. quæſt. 7. numer. 17. & part. 3. quæſt. 3. numer. 19.* Tum quis Clerico in Ordinibus minoribus conſtituto, & matrimonio contrahentibus, vacans eius prædictum Beneficio ipſo facente, vacans eius prædictum Beneficio ipſo facente, *capit. 1. de capit. Quod ad te 3. & capit. Diuersis 5. hoc titul.* ergo nec impoſterum talia ipſi ſunt collerenda, propter incompatibilitatem ſimul cum Beneficio, *capit. Diuersis 5. hoc titul.* ergo nec poſterum talia ipſi ſunt collerenda, propter incompatibilitatem ſimul cum Beneficio, *capit. Diuersis 5. hoc titul.* ergo nec poſterum

Dicas in *contra*, *ſupponi* *hoc titul.* Pontifex decidit, Clericum conjugatum non eſſe cogendum ad deferendam tonſuram Clericalem, *quamvis nullum percipiat beneficium*, ergo ſupponit Pontifex; poſſe Clericum ex diſpenſatione Epiſcopi habere aliquod Beneficium ſaltem ſimplex. Reſpondens Gloſſa *in dictum* & DD. paſſim, capitulum illud verificari ex diſpenſatione Papæ; non autem ex diſpenſatione Epiſcopi. Num Pontifex decidit, Clericum conjugatum non eſſe cogendum ad deferendam tonſuram Clericalem, *quamvis nullum percipiat beneficium*, ergo ſupponit Pontifex; poſſe Clericum ex diſpenſatione Epiſcopi habere aliquod Beneficium ſaltem ſimplex. Reſpondens Gloſſa *in dictum* & DD. paſſim, capitulum illud verificari ex diſpenſatione Papæ; non autem ex diſpenſatione Epiſcopi. Num

numer. 17. Ratio Concluſionis eſt, quia Epiſcopus non diſpenſat contra jus commune, niſi in caſibus ſibi à Jure conceſſis; ut *can. imputatis 28. 25. quæſt. 1.* junctâ Gloſſa *fin. ibidem & canon. Diuersas 4.* ubi Gloſſa *verſ. Permutare, de temporis ordinat.* cum ſimilibus. Atqui talis diſpenſatio, etiam quoad Beneficium ſimplex, nullibi reperitur Epiſcopo concedi, imò potiùs videtur ipſi prohibita *in capit. 2. & capit. Diuersis 5. hoc titul.* ergo

Dicas in *contra*, *ſupponi* *hoc titul.* Pontifex decidit, Clericum conjugatum non eſſe cogendum ad deferendam tonſuram Clericalem, *quamvis nullum percipiat beneficium*, ergo ſupponit Pontifex; poſſe Clericum ex diſpenſatione Epiſcopi habere aliquod Beneficium ſaltem ſimplex. Reſpondens Gloſſa *in dictum* & DD. paſſim, capitulum illud verificari ex diſpenſatione Papæ; non autem ex diſpenſatione Epiſcopi. Num Pontifex decidit, Clericum conjugatum non eſſe cogendum ad deferendam tonſuram Clericalem, *quamvis nullum percipiat beneficium*, ergo ſupponit Pontifex; poſſe Clericum ex diſpenſatione Epiſcopi habere aliquod Beneficium ſaltem ſimplex. Reſpondens Gloſſa *in dictum* & DD. paſſim, capitulum illud verificari ex diſpenſatione Papæ; non autem ex diſpenſatione Epiſcopi. Num

Dicas in *contra*, *ſupponi* *hoc titul.* Pontifex decidit, Clericum conjugatum non eſſe cogendum ad deferendam tonſuram Clericalem, *quamvis nullum percipiat beneficium*, ergo ſupponit Pontifex; poſſe Clericum ex diſpenſatione Epiſcopi habere aliquod Beneficium ſaltem ſimplex. Reſpondens Gloſſa *in dictum* & DD. paſſim, capitulum illud verificari ex diſpenſatione Papæ; non autem ex diſpenſatione Epiſcopi. Num

TITULUS IV.

De Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel Præbenda.

1 Reſtio continuationis Rubricarum.

Cum Beneficium Eccleſiaſticum detur propter Officium, ut dicitur *cap. ultim. de Inſtitut.* in 6. non ſufficit, Clericus vitæ honeſtate fulgere, multiumque conſortia vitare, niſi etiam ſuum præſtet officium ratione recepti beneficii ſubiacumbens. Quia igitur illud præſtare non valent, niſi reſideant in Eccleſia, vel Præbenda, ad quam aſſumpti fuerunt, meritò præſens Titulus prioribus ſubnectitur: pro cujus clariori intelligentia ſit

§. I.

Præmittuntur generalia de Reſidentia Clericorum Beneficiariorum.

SUMMARIUM.

2 Reſidere in Eccleſia, vel Præbenda, quid? Et unde dict.

3 Officium nihil aliud eſt, quam deſervire Eccleſiæ in ſpiritualibus. Ibidem.

4 Officium, ſeu obligatio reſidendi, quid? Et quotuplex? numer. prac.

5 Beneficium datur propter Officium; nec eſt confercendum, nec reſpectivè.

Reſidentia debet eſſe laborioſa, non otioſa. ibid.

6 In beneficiis Eccleſiaſticis non habet locum regula, Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum, &c.

7 Reſidentia duplex, vera, & fictitia. ibid.

8 Spectatis Jure communi, omnia beneficia, etiam ſimplicia, & non reſidentialia.

Ubi ſtatutis, vel conſuetudine, beneficia ſimplicia non obtinentur cum, nisi fundatur oppoſitum ſuperſtitioſe. &c.

9 Beneficium, etiam ſimplex, non quivis ecclaſticus habere poteſt, nisi habeat ordines, & quos requirit beneficium.

11 Illud tempus, in quo dignitas per Conſtitutiones Synodales ſunt ſuſpenſa, non cenſetur abeſſe à Choro.

12 Abſens potest gratis ſuo impetrare, & quando?

13 Poſſe Jure communi abſentare à choro, nemine gravatum, ſed ſolum de gravi.

Quidam obligationes, quæ ſunt de ſtatutis, conſuetudine, etiam ad venialem, non ſunt ſub gravi ſecundum. ibid.

14 Canonicus non curatus, Jure communi Eccleſiaſtico exiſtens in loco, ex ſua diſcretione.

15 Dignitas non ſimplex Parochus, quæ ad reſidentiam non tenetur.

16 Inſtituti non tenuantur, etiam Beneficiati non curati, ad reſidendum, ſed ſolum ad ſervandum ſtatuta ſuæ Religionis.

17 Juramentum non tenetur perſonaliter reſidentiæ, quoniam non intelligitur.

18 Non obligat tenuitas, Jure communi exceptis, ſalvo exceptis Decretis.

19 Quæ poſſeſſio Jure communi ſit parum de Clericorum, in ſuis beneficiis debita reſidentiam.

Multi ſtatuta de Diſpenſatione Reſidentiæ, ut plures Eccleſiæ Parochiales ſunt exonerate de ſuis tenuis, pauperibus, & egenis. ibid.

20 Quinimò, doctores modo non reſidentiæ impetrant per Superiores ſunt citandi, ſui nomine ut reſidendo.

21 Si ſpectetur tempus, nullum eſſe impoſitionem, non Jus Canon. Anal. Reiff. Tom III.

22 Citatio debet fieri non reſidentis, debet fieri perſonaliter, quando ſciatur, ubi ſit.

23 Aliquin in Eccleſia, ubi Beneficium exiſtit, debet publicari Edictum trine citationis: & quomodo?

Non ſufficit unum peremptorium. ibid.

24 Sufficeret tamen unica citatio perſonalis: idque ampliatur

Beneficiati propter longiorem abſentiam privantur beneficio, ſi poſt edictum probaverit juſtam abſentiæ causam, & reſidentiam.

Unde Superior non debet ad hoc procedere ad privationem beneficii. &c. ibid.

26 Parum ordinaria Clericorum non reſidentium, eſt privatio beneficii.

Poteſt tamen Superior alio modo contra eos procedere: videlicet per cenſuram ſuſpenſionis, & excommunicationis.

27 Non verò per panam degradationis.

28 Hoſtiensis dicit, poſſibilem præcidere ſpeſtato Jure communi antiquo.

Et quid poſt Concilium Tridentinum? Reſolvitur. ibidem.

Quæritur I. Quid ſit, Reſidere in Eccleſia, vel in Præbenda, quibuſque modis contingat? Reſp. cum communi: *Reſidere* hoc loco dicitur is, qui ſerme continuò commoratur, in loco Beneficii ſui, cauſa debiti ſeu ſervitii Eccleſiaſtici, perficiendi, inter præſtandi. Dicitur imprimis, *ſerme continuo commorare in loco Beneficii.* Nam, qui *aliquantiſper tantùm, aliquoties, ac ſæpius Canonicæ ſervitiis non videtur abeſſe*, quia *ſatius reverſus fuit*: prout loquitur Sacrilegium Synodus Tridentina *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.* Idemque definiunt ex eam *31 cap. 6. ſeſſ. 25. cap. 1.* cum ſimilibus ſuis.

Dicitur ſecundò, *cauſa debiti, ſeu ſervitii Eccleſiaſtici* &c. Quia onus reſidentiæ, Clericis Beneficiis incumbens, eſt intelligendum *cum onere Reformandi*, *c. 1. Quicumque, ne potest. in Comprehenſis, num. 36. & 1. c. Cap. Licet, de Præbend.* Reſidere nihil aliud eſt, quam ſatisfacere Eccleſiæ in officiis Divinis ſervando Tramitem *Cap. Conqueruere, de Inſt.* Dic: *vel quod eam Eccleſiæ non deſeruiat.* Unde, ſi Clericus ſpecialiter quidem exiſtat ſuo Beneficio, ſed Beneficium ſuum non ſervet, prout *c. gratia, & Conqueruere*, cæteroquin præſens in loco Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ubique ſervando ad Chorum, & Capitulum) non cenſetur reſidere, *Pirhing lib. III. num. 1.* Quid enim abſolvit Clericum Eccleſiæ in loco, ex ſua diſcretione ſtante? Quidnam ſunt Beneficiati Curati? *Gloſſa cap. an. verſ. Presbiteri, 3. b. 1. q. 6.*

Nihil dicere velis cum *Barboſa ad Rubric. lib. 3. num. 8.* talem reſidere duntaxat numerariam, quatenus corporale eſt, in loco Beneficiato, non verò formaliter, cum non manifeſtet in loco Beneficiato effectus, honeſt, cum exercitio poteſt ſe occupare, ad quod ipſa reſidentia curata eſt, & de eſt ſupra de ſtatutis Ecclſiæ.

Dicitur tertiò, *perſonaliter præſentis*. Siquidem ſi nullus ad beneficium Eccleſiaſticum aſſumendus eſt niſi qui *reſidere in loco, & curam ejus per ſeipſum tueatur*, juxta *cap. 1. de ætate, & qualit. &c. 5. & 11.* Quia enim Beneficium datur propter officium, *cap. ultim. de Reſcript. in 6.* hinc reſidentia accipienda eſt in eam ſenſum, ut ſit laboriosa, non otioſa. Ignavi *non cap. ex parte num. 13. b. 1.* Atque ideirco *canon.* & ſæpiùs Beneficiati, ſpectato Jure communi, irreſidentes

C tur

tur ad residentiam personalem; id est, ad personale ministerium in loco Beneficii præstandum.

6 Neque impræsentiarum locum habet Regula 68. Juris in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*. Patitur enim Regula hæc exceptionem, seu fallentiam, quoties electa est industria, & fides personæ, cui quidpiam committitur: ut *cap. ult.* §. *Is autem, de Offic. Judic. Delegat. & cap. Is cui 12. eod. in 6.* Sic autem in beneficiis Ecclesiasticis censetur electa industria, fidesque personæ, cui aliquod ipsorum confertur, *cap. Quia nonnulli 3. h. t.* juncto *can. Metropolitano, dist. 64 & can. Licet 8. quæst. 1.* & Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 1. de reform.* ubi non nisi digniores, & Ecclesiæ magis utiles judicati, ad Beneficia curata promoveri jubentur. Unde consequens est, quod non possit quis per alium residere in Beneficio; sicut etiam nequit Clericus recitare Breviarium per alium, una cum similibus. Accedit, quod is, qui accipit aliquod officium, obliget suam personam ad proprias illius officii functiones; taciteque promittat, se illas obiturum, quantum res feret: & nisi putaretur id facturus, non ei daretur officium. Idem ergo dicendum de Clerico, cui datur beneficium propter officium; sicque tacite sese obligavit ad officium suum personaliter præstandum quantum res feret: hoc est, regulariter loquendo, ac nisi causa majoris momenti cogat ipsum ad tempus abesse à beneficio.

7 Resp. II. Residentia, de qua agitur hoc Titulo, sive Residentia formaliter considerata, est duplex; vera videlicet, & ficta. Ita Barbosa *ad Rubric. h. t. num. 9.* Pirhing *eod. numer. 2.* & in re communis. Siquidem *Residentia vera* dicitur illa, qua beneficiarius verè ac realiter præsens est in loco beneficii, hujusque onera seu officia per semetipsum exercet. *Residentia ficta* censetur illa, quæ ex Juris dispositione est inducta: dum videlicet beneficiarius ex legitima causa absens, habetur ex quadam juris fictione pro præsenti, saltem ad lucrandos fructus grossos; ut *cap. Ad audientiam 15. & cap. De cætero 7. h. t.* ubi duo Canonici absentes in servitio Episcopi, hac ratione censentur præsentes, seu residentes. Vel etiam ad lucrandas distributiones quotidianas, *cap. un. h. t. in 6.* ac suo loco amplius dicetur. Et hoc modo etiam in beneficiis curatis intelligitur residere, qui ex legitima causa absens, deservit beneficio suo per Vicarium; ut *cap. Extirpandæ 30. §. Qui verò de præbend.*

8 Quæritur II. Utrùm omnia beneficia residentiam exigant, & quo jure. Resp. I. Spectato Jure communi omnia beneficia, etiam simplicia, postulant residentiam. Ita Abbas *cap. Extirpanda, in Repetit. §. Qui verò, num. 30. de Præbend.* asserens, quod beneficium, quodcunque minimum, de Jure communi requirat residentiam. Federicus de Senis *consil. 246. à principio.* Fagnanus *cap.* [illegible] *num. 14. de constitut.* & communiter [illegible] *cap. ex parte 8. & cap. Inter quatuor 10. h. t.* ubi Clerici, qui Ecclesias, vel Præbendas sibi concessas, sine justa causa deserunt, sicque in ipsis non resident, privatione earundem puniuntur. Concordat *cap.* [illegible] *cap. ultim. h. t. & cap. Super inordinata* [illegible] *Præbend. & cap. Ad hæc 13. eod.* ubi dicitur, quod [illegible] *in ecclesiis assiduitatem exigant personarum*, cum similibus. Et loquendo etiam de beneficiis simplicibus, idipsum patet ex *can. Eleutherius, & can. Clericus, dist. 91. & can. ultim. dist. 92. & can. Si quis in Clero 7. quæst. 1.* juncta Glossa *V. Solemnibus*. Accedit *cap. Conquerente 6. h. t.* ubi Summarium ex Abbate, Jo. Andrea desumptum, sic habet: *Qui non residet in Beneficio, etiam monitus, ab illo privatur*. Ex quo liquet, quod spectato Jure communi habentes beneficium simplex, quantumvis modicum, residere teneantur.

9 Additur notanter, *spectato jure communi*. Nam ex generali consuetudine totius Ecclesiæ, beneficia simplicia residentiam personalem non requirunt, adeoque potest quis per Substitutum eisdem deservire: nisi Fundator disertis verbis oppositum expresserit. Felinus *cap. Dilectus il 2. numer. 1. de Rescript.* Abbas *cap. cum omnes numer. 1.* & Fagnanus *ibid. numer. 4. & seqq. de Constitut.* citans Rotam apud Cardin. Seraphinum. *Decis. 639. numer. 5.* & alios Vallensis *h. tit. numer. 3. & 4.* Garcias *de Beneficiis, part. 3. cap. 2. numer. 3. & 11. ac seqq.* Zerola *part. 1. Praxis episcopal. vers. Beneficium, §. Ad septimum vers. Octava conclusio*, allegans Declarationem Sacræ Congregationis in hæc verba: *Obtinens beneficium, quod sit simplex, & sine cura animarum, & extra ecclesiam Collegiatam, nec personalem residentiam ob aliam causam requirens, non tenetur in eo residere, sed ad inserviendum illi per alium, qui probatus sit ab Ordinario*. Ubi clausula illa, *ob aliam causam &c.* manifeste probat posteriorem partem datæ limitationis: nam si Fundator disertis verbis obligarit beneficiarium ad residentiam personalem (idemque dicendum, si statuto, vel consuetudine particularis alicujus Ecclesiæ, talis obligatio inducta fuerit) procul dubio tenebitur quis residere in loco beneficii simplicis, atque per semetipsum injuncta servitia Ecclesiastica præstare, prout per Rotam fuisse resolutum *in una Calagurritana, Beneficii de Navarrete 10. Junii 1588. coram D. Pamphilio, & in una Cesaraugustana Fructuum 4. Junii 1600. coram D. Corduba*, refert Garcias *cit. c. 2. nu. 11. & 12.*

10 Resp. II. Episcopi, aliique beneficiati curam animarum habentes, tenentur ad residentiam personalem non solùm de Jure Canonico, sed etiam Jure Divino, & naturali. Ita Garcias *tract. 3. de Beneficiis, cap. 2. numer. 16.* Fagnanus *cap. ex parte, num. 25. h. tit.* asserens, hanc sententiam teneri ferme ab universa Schola Theologorum. Navarrus *cap. 29. Manual. numer. 121. vers. ex quo obiter.* Pirhing *h. tit. num. 11.* Vallensis *eod. numer. 1.* Zoesius *numer. 2.* Barbosa *part. 3. de Offic. & potest. episc. allegat. 53. numer. 2.* Bernard. Sannig *h. t. cap. 1. numer. 4.* Lessius *lib. 2. de just. & jur. cap. 24. dubit. 29. numer. 153.* & plurimi alii, contra Ambros. Catharinum *in Opusculo de residentia*, & paucos alios. Probatur Conclusio ex Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 1. de reform.* ubi dicitur: „Cùm præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut Divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant &c." Ex quibus verbis sic argumentari licet. Episcopi, & cæteri Curati tenentur Jure Divino *oves suas agnoscere*, aliaque à Concilio specificata munera obire: atqui hæc præstare nequeunt illi, *qui gregi suo non assistunt*; id est, personaliter non resident, uti fatetur idem Concilium: ergo.

11 Notandum tamen cum Fagnano *in cit. cap. ex parte, numer. 18. & 19.* & Pirhing *num. 12. h. tit.* quod Concilium Tridentinum *loc. citat.* noluerit definire hunc articulum, tanquam dogma Fidei: alioquin enim disertis verbis eundem posuisse inter Canones ad Dogmata Fidei pertinentes, prout moris est; non autem inter Decreta Reformationis. Unde si quis defacto affirmaret, etiam pertinaciter, præceptum residentiæ Pastorum esse tantùm de Jure positivo Ecclesiastico, ipse non condemnaretur ut hæreticus.

12 Objicies majoris claritatis gratia, contra dictam Conclusionem. Sufficit, quod Episcopus, aut quivis Curatus, per alium sua munia pastoralia præstet; atque ipse, licet alibi existens, gregi suo invigilet, juxta illud Apost. 2. Corinth. 18. dicentis: *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum*: haud obstante, quod D. Paulus apud has omnes Ecclesias simul residere non potuerit, sed duntaxat absens ipsarum omnium sollicitudinem gerens, eis-

dem invigilaverit; ergo. Resp. Antecedens duntaxat procedere in casu legitimæ absentiæ, seu quando causa majoris momenti cogit Clericum ad tempus à Beneficio abesse: prout abfuit D. Paulus, ubi supra. Alias, secùs.

13 Accedit ratio, desumpta ex natura, & officio Pastoris. Siquidem Pastor Jure naturæ, atque vi sui officii, tenetur gregi suo invigilare, eumque adinstar Mercenarii neutiquam deserere: quod ipsum jure Divino præcipitur Pastoribus Ecclesiasticis, *Ezechiel. cap. 3. Actor. cap. 20.* cum concordantiis; ergo etiam Jure naturali, ac Divino, tenetur Pastor animarum ad residentiam personalem, utpote sine qua, juxta allegatum Concilium Tridentinum, munia pastoralia nequaquam præstari, & impleri possunt. Eadem enim obligatione, qua quis teneatur ad finem, tenetur etiam ad medium, sine quo finis obtineri non potest, *l. Nam ut ait 12. ff. de legib.* D. Thomas *par. 1. qu. 19. art. 3.* Fagnanus *loc. cit. nu. 30* Idque eò magis urget: quia in Beneficiariis, præsertim curatis censetur electa industria personæ, conformiter dictis *nu. 6.* Unde non mirum, quod cessante legitima absentiæ causa, non possint per alium residere, sicque obligationi suæ satisfacere, *arg. cap. ult. §. Is autem, de offic. judic. delegat.*

14 Resp. III. Beneficia non curata, jure duntaxat Ecclesiastico, atque ex primæva Fundatorum intentione, per Sacros Canones approbata, exigunt residentiam. Ita Fagnanus *c. Extirpandæ, §. Qui verò nu. 28. de Præbend.* Vallensis *h. t. n. 2.* Zoesius *eod. nu. 2.* Pirhing *n. 16.* Sannig *cit. cap. 1. nu. 5.* & alii. Ratio est: quia Beneficia curam animarum non requirentia, solummodo per Ecclesiam propter cultum Divinum sunt instituta, neque in istis urget ratio proximè allata; cùm careant officio pastorali, curaque animarum: ergo non nisi jure Ecclesiastico exigunt residentiam.

15 Accedit, quod dentur aliqua Beneficia, quæ tantùm ad Horarum Canonicarum recitationem obligant, non etiam ad residentiam, uti sunt Præstimonia, seu Præstimoniales portiones, quæ à redditibus Ecclesiasticis abstractæ, designantur aliquibus in vitæ subsidium, vel ad studia peragenda. Zoesius *cit. num. 2.* Ad idem facit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 2. de reform.* decernens, ut obtinentes *beneficia Ecclesiastica personalem residentiam de jure, sive consuetudine exigentia*, cogantur residere: nam frustra fecisset mentionem eorum, quæ exigunt residentiam personalem, nisi darentur aliqua Beneficia, quæ ipsam non exigunt; uti sunt Beneficia quædam simplicia.

16 Dices. Quilibet Jure naturali, & Divino, tenetur præstare ea, quæ sunt sui officii, & ad quæ præstanda per hujus acceptationem tacite, seu quasi ex contractu, sese obligaverit; ergo etiam Beneficiarii non curati tenentur Jure naturali Divino ad residendum in proprio Beneficio: nam per hujus acceptationem tacitè se obligarunt ad residendum, eò quòd sine personali residentia nequeant præstare onera, atque officia suo Beneficio annexa. Resp. negando consequentiam cum sua probatione, vel potiùs suppositum ejus. Licèt enim Beneficiarii post acceptatum Beneficium, etiam non curatum, teneantur vi pacti tacitè præstiti, seu quasi contractus, adeoque Jure naturali Divino præstare ea, quæ sunt sui officii, exequendo videlicet onera suo Beneficio annexa, & consequenter etiam residendo personaliter in eo, ubi opus fuerit; non tamen hinc sequitur, omnia illius Beneficii onera, ipsamque residentiam, eidem esse annexa Jure naturali Divino. Quin potiùs talia onera, plura vel pauciora, specificantur, atque erecto Beneficio annectuntur ex pia Fundatorum intentione, atque constitutione Ecclesiæ dictam Fundatorum intentionem approbantis: uti patet in obligatione legendi certas Missas, assistendi Choro, ministrandi ad Altare &c. Quis enim dicet, talia onera Beneficiis simplicibus jure naturali Divino esse annexa, cùm in pluribus eorum non adsint? quin etiam de generali consuetudine sufficiat, Beneficiis simplicibus deservire per substitutum, nisi Fundator oppositum expresserit, juxta dicta *num. 9.* Unde magna est disparitas inter Beneficia curata, & non curata: priora enim exigunt personalem residentiam ex sua natura, seu vi Pastoralis officii, quod habent annexum, sicque jure naturali Divino: secùs dicendum de Beneficiis non curatis, utpote carentibus officio Pastorali, curaque animarum: haud obstante, quod tam ista, quam illa, postquam sunt acceptata, vi pacti tacitè initi, seu quasi contractus (imò quandoque etiam ratione præstiti juramenti) sicque jure naturali Divino, obligent Beneficiarium ad præstanda fideliter onera eisdem annexa.

17 Quæritur III. Quomodo intelligendum sit juramentum, de continua personali residentia præstitum? Resp. breviter. Juramentum hujusmodi, utpote præstitum circa materiam juris, interpretandum est secundùm dispositionem juris communis; ac proinde non obligat in casibus Jure communi exceptis. Ita Abbas *cap. Ex parte 13. h. t.* Pirhing *eod. numer. 44.* & alii; atque concordant dicta superiùs *Lib. 2. Tit. 24. de jurejurando, §. 2. numer. 25. & seqq.* ubi fuse de interpretatione juramenti præstiti circa materiam juris dictum fuit.

18 Probatur, simulque exemplificatur eadem Conclusio. Sic imprimis Præpositus, qui à principio receptæ Præpositurae juraverat continue residere, pro servitiis suæ Ecclesiæ, sive pro juribus & rationibus ipsius Præpositurae prosequendis, licite se absentat; ac sine fraude taliter se absentando, perjurium non incurrit. Textus est *in cap. ex parte tua 13. h. t.* ubi omnes Doctores. Siquidem ipsummet jus commune permittit Clericis, abesse ob evidentem Ecclesiæ suæ utilitatem, *cap. unic. h. t. in 6.* cum concordantiis: unde casus iste non comprehenditur sub ejusmodi juramento. Idemque dicendum de duobus Canonicis licite absentibus in servitio Episcopi, haud obstante prævio juramento de residendo, juxta *cap. Ad audientiam 15. h. t.* Ac de Beneficiariis absentibus ex causa infirmitatis, *cap. un. h. tit in 6.* cum similibus. Nam quod in omni juramento promissorio, quantumvis absolute facto, quædam tacitè subintelligantur conditiones, eæque ipso jure insint; nempe, *Si potero, Salvo jure Superioris, si res in eodem statu permanserint &c.* tradit Glossa *in cap. Quemadmodum 25. vers. Conditio*, & Abbas *ibid. §. Illud autem numer. 8. de jurejur.* estque jam declaratum supra *cit. lib. 2. Tit. 24. §. 2. num. 51. 52. & seq.*

19 Quæritur IV. Quæ spectato Jure communi sint pœnæ Clericorum, in suis Beneficiis debite non residentium, & quomodo contra eos sit procedendum? Resp. I. Districtius imprimis est prohibitum in Concilio Lateranensi, sub Alexandro III. celebrato, ac relato in *c. Quia nonnulli 3. h. t.* ne cuipiam diversæ Dignitates Ecclesiasticæ, aut plures Ecclesiæ Parochiales conferantur: *Quod si aliter factum fuerit, & qui acceperit, quod contra Sacros Ordines accepit, amittat: & qui dederit, largiendi potestate privetur*. Ita textus expressus *in d. cap. Quia nonnulli 3. h. tit.* Quamquam hæc pœna non fuerit latæ sententiæ pro tempore Concilii Lateranensis, celebrati sub Alexandro III. prout liquet ex ly, *privetur*, & notat Abbas *ibid. numer. 4.* Idque quoad dantem, seu conferentem, procedit etiamnum: adeò, ut non sit ipso jure privatus ea vice potestate conferendi, qui beneficium curatum, vel Dignitatem contulit non valenti residere personaliter, sed privandus: prout observat idem Abbas *numer. 8.* Verùm quoad recipientem plura Beneficia, Capitulum istud posteà fuit immutatum per *cap. De multa 28. de præbend.* juncto Concilio Tridentino *sess. 7. cap. 4. de reform.* atque ex professo dicetur *tit. seq. §. 10. num. 280. & seqq.*

20 Resp. II. Beneficiarii debito modo non residentes, imprimis per Superiorem sunt citandi, seu monendi ut resideant: & si præfixo tempore, juxta arbitrium Superioris, non redeant ad debitam residentiam, neque justam excusationem ostendant, proceditur contra eos appellatione remota. Ita communis, juxta expressos textus Juris: Et quidem prior pars constat ex *c. ex parte vestra 8. & c. Inter quatuor 10. & cap. ult. h. t.* cum similibus. Qualiter autem hæc citatio debeat fieri, dicebitur *concl. seqq.*

21 Altera pars habetur c. *Relatum* 4. *b. t.* ubi tales reside- se nolentes, dicuntur à suis Beneficiis *posse amoveri; Ni- si forte de licentia suorum Prælatorum, vel studio litterarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse: nec patroci- nari debet eis appellationis diffugium, si contra hujusmodi intentionem Decreti fuerit interjectum.* Ubi ponderandum ly, *Nec patrocinari debet eis appellationis diffugium &c.* Idque meritò fuit statutum: nam contra claram Juris dispositionem non admittitur appellatio, *cap. Ad nostram* 3. *& cap. Consuluit.* 29. Juncta Glossa *fin. de Appellation.* Abbas *cit. cap. Relatum num.* 3. *b. t.* estque jam dictum su- pra *Lib.* 2. *Tit* 28. *de Appellationibus*, §. 11. *numer.* 308. Atqui contra claram juris dispositionem fieret appella- tio, si Clericus habens Beneficium curatum, vel etiam simplex, ex speciali tamen constitutione, fundatione, aut propria promissione requirens personalem residen- tiam, appellaret, ne teneatur in eo residere, simulque non posset aliam rationabilem causam excusantem alle- gare; ergo.

22 Resp. II. Citatio Beneficiarii non residentis, ante- quam contra eum per impositionem pœnarum, putà pri- vationis Beneficii, possit procedi, debet fieri personali- ter, quando scitur, ubi sit: ita videlicet, ut Episcopus privaturus Clericum Beneficio ob non residentiam, teneatur eum priùs monere, ut resideat, vel citando ipsum in persona coram legitimis testibus per internun- tium, vel per litteras compellendo eum ad residentiam sub pœna privationis, nisi intra terminum sibi præfixum, atque arbitrio Episcopi taxandum, in suo Beneficio re- sederit: sola autem citatio Edictalis non sufficiat, quan- do scitur ubi sit. Ita desumitur ex c. *Ex parte vestra* 8. & notat Abbas *ibid. n.* 3. & Barbosa *n.* 3. *b. t.* Bellettus *part.* 2. *disquisit. Clerical.* §. 34. *de pœnis clericor. nu.* 15. Garcias *par.* 3. *de beneficiis cap.* 2. *n.* 156. Pirhing *b. t. n.* 57. Fagna- nus *c. Ex tuæ n.* 4. *& 9. eod.* Ubi tamen istud *n.* 31. de facto limitandum censet in Parochis, aliisque Curatis inferio- ribus, quos post Concilium Tridentinum *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* arbitratur, posse indistinctè citari per Edictum, quamvis sciatur, ubi sint, juxta dicenda inferius §. 3. *numer.* 61.

23 Quod si verò ignoretur, ubinam sit Clericus non resi- dens, vel is tam longe, seu taliter absit, ut ad eum ci- tatio personalis commodè pervenire non valeat: tunc in Ecclesia, ubi Beneficium existit, debet publicari Edi- ctum trinæ citationis, hoc est, per tria Edicta in loco Beneficii, seu Ecclesiæ successivè facta: adeò, ut non sufficiat unica peremptoria, *c. Ex tuæ* 11. ubi Abbas *nu.* 1. *& seqq.* & Barbosa *n.* 3. *b. t.* Garcias *par.* 3. *cap* 2. *n.* 155. *& 156. & seqq.* allegans multiplicem Decisionem Rotæ in terminis. Bellettus *loc. cit. nu.* 15. subjungens, quod hujusmodi trinæ citationes non debeant nimis festinan- ter fieri. Post ultimam verò citationem debet expectari per sex menses, antequam deveniatur ad privationem: si verò Beneficiarius post lapsum sex mensium, ab ulti- ma citatione Edictali numerandorum, non redierit, ne- que residere curaverit; tunc juxta Canonicas Sanctiones meritò debet Beneficio privari, atque istud alteri con- ferri, *cit. c. Ex tuæ h. t.* Abbas, Barbosa, Garcias, Bel- lettus, *ubi supra*, & alii.

24 Cæterùm loquendo de citatione personali, passim fa- tentur Doctores, sufficere unicam, nec requiri, ut illa solemniter publicetur, neque ulteriùs requiri, ut post eam tempus sex mensium expectetur, sed sufficere ar- bitrarium; adeò, ut Clericus illicò possit privari Bene- ficio, si tempore juxta arbitrium Episcopi per citatio- nem personalem determinato non redierit, neque rese- derit, Barbosa *par.* 1. *de Offic. Parochi cap.* 8. *n.* 75. Gar- cias *d. nu.* 155. *& seqq.* Bellettus *cit.* §. 34 *n.* 16. Pirhing *b. t. n* 51. & alii. Quinimò, Jo. Andreas *d. c. Ex parte vestra* 8. *num.* 4. *b. t.* istud ampliat ad eum casum, quo Beneficiarius licentiam obtinuit abessendi ad certum tempus, simulque in datione licentiæ monitus fuit sub pœna privationis redire in termino: nam si ultra illud tempus abfuerit, privari potest, nisi justam causam al- leget, *arg. cap ult. b. t.* Tunc enim dies interpellat pro homine, *c. Potuit de Locato.*

25 Quod si verò Beneficiatius, propter longiorem absen- tiam privatus Beneficio, postea redierit, justamque ab- sentiæ suæ causam allegaverit, & probaverit; tunc is restituendus est, *arg. can. Præsentium* 3. *q* 1. *& c. cùm Ber- tholdus* 18. *de Sentent. & re judic.* Pirhing *b. t. num.* 51. Qui proinde *nu.* 53. inter alia notandum ait, quod Superior non debeat statim procedere ad privandum Beneficio, ac deponendum eum, qui abest, seu non residet; sed prudenter faciat, si etiam, postquam absens monitus est, ut redeat, adhuc expectet aliquandiu, donec clarè appareat, quod contumaciter ac temerariè absit, vel quod Beneficium pro derelicto habeat, eique tacitè re- nunciet, *arg. c. Qualiter* 9. *b. t.* Idipsum tradit Barbosa *c. Clericos* 17. seu *cap. ult. b. t.* asserens, ideò Clericum non residentem ante omnia monendum esse personaliter ad residentiam, ut ita verè constet de delicto, & pateat, nullam ei competere excusationem.

Resp. IV. Etsi pœna ordinaria Clericorum non resi- 26 dentium sit privatio Beneficii, uti patet ex *cap.* 2. *& seqq. b. t.* junctis hactenus dictis: potest nihilominùs Superior alio modo procedere contra Clericos non residentes, eosque compellere ad residendum, videlicet per censu- ras medicinales suspensionis, & excommunicationis, præmissa trina monitione infligendas. Ita textus *in c. Ex tuæ devotionis* 11. §. *Contra eos b. t.* ubi Abbas *nu.* 6. hunc modum procedendi censet adhibendum contra eos Cleri- cos, qui sunt utiles suæ Ecclesiæ: quamvis Glossa *ibid. vers. Ut ipsos*, censeat, Capitulum istud loqui de Præla- tis tantùm. Verum Barbosa *in Collectan. ad cit. cap. nu.* 6. post Manticam *decis.* 67. *num.* 6. dispositionem illius Decretalis generaliùs intelligens, inquit, in electione, sive arbitrio Episcopi relictum esse, an prius per suspen- sionem, atque excommunicationem, procedendum sit contra Clericum Beneficiarium contumaciter absentem, necne: adeò, ut si absque hisce præmissis censuris pro- cedat Episcopus ad privationem beneficii, illa ritè facta censeatur.

Notandum tamen, quod Pontifex in *cit. c. Ex tuæ de-* 27 *votionis* §. *Contra eos b. t.* subjungat, quod *si nec sic* (id est, per suspensionis, & excommunicationis sententiam) *eo- rum*, Beneficiariorum contumaciter absentium, *mali- tia poterit emolliri, eos Superior à spiritualium administra- tione removeat, & quibus præsunt Ecclesiis, de personis ido- neis faciat provideri, & Sed. in eos degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer (si expediat) fac- lius agi possit*, hæc ibi. Unde consequens est, in Benefi- ciarios debitè non residentes posse quidem procedi tum ad memoratas censuras Ecclesiasticas, tum ad privatio- nem ipsorum Beneficiorum; non verò ad pœnam De- gradationis.

Et hæc potissimum procedunt spectato Jure communi 28 antiquo: nam per Sacrosanctam Synodum Tridentinam quoad pœnas Episcoporum, & Parochorum, nec non Canonicorum debitè non residentium nonnulla specialia fuerunt constituta, & disposita: de quibus singillatim commodiùs agetur in tribus sequentibus Paragraphis. Unde sit

§. II.

De Residentia Episcoporum.

S U M M A R I U M.

29 *Residentia Episcoporum facienda est in loco, ubi est ipsius Ecclesia Cathedralis.*
30 *Episcopi, aliique Beneficiarii, præcepto residentiæ non satisfaciunt, nisi etiam munera sua peragant.*
31 *Residentia Episcoporum, in quo consistere debeat?*
32 *Quæ munera Episcopis, aliisque Curatis, Jure Divi- no, ac vi debitæ residentiæ incumbant?*
33 *Tenentur specialem pauperum, & miserabilium persona- rum curam habere, juxta apertos Sacros Canones..*
34 *Episcopi possunt per singulos annos duobus, aut tribus mensibus abesse, & quomodo? Et n. seqq.*
35 *Possuntque tunc abesse sine alia Superioris approbatione.*
36 *Etiam causa relaxandi animum.*
37 *Non tamen trimestre unius anni, conjungendo cum tri- mestri sequentis anni, & cur?*
38 *Ultra tres menses non possunt Episcopi abesse, nisi ex le- gitimis causis &c.*

39 *Et accedente approbatione Papæ, vel Metropolitani.*
40 *Quinimò de facto non amplius sufficit approbatio Metro- politani.*
41 *Propter munus tamen, vel officium Reipublicæ Episco- patibus annexum possunt iidem abesse sine alia appro- batione Papæ &c. Et n.* 38.
42 *Causæ excusantes Episcopum à residentia corporali quæ? Et num. seqq.*
43 *Nomine* Christianæ charitatis, *quid intelligatur?*
44 Urgens necessitas, *excusans Episcopum à residentia corporali, quæ?*
45 *Et quando reverâ ipsum excuset?*
46 Debita obedientia *excusat Episcopos à residentia cor- porali.*
Tempore Anni Sancti possunt Episcopi Romam peregri- nari, & quamdiu tunc abesse valeant? Ibid.
47 Evidens Ecclesiæ utilitas, *atque*
48 Evidens Reipublicæ utilitas, *excusans Episcopum à residentia corporali, quando intervenire intelli- gatur?*
49 *Episcopi ratione servitiorum in Curia Regum &c. præ- standorum, nequeunt discedere à suis Ecclesiis, nisi obtenta priùs in scriptis Papæ licentia.*
50 *Pœnæ Episcoporum non residentium, quæ? Et n. seqq. Episcopus non residens, pro rata temporis absentiæ fru- ctus Episcopatus non facit suos, ibid.*
51 *Teneturque ipsos in Foro conscientiæ, & ante aliam sen- tentiam Judicis restituere, & cur?*
Idque declaratur exemplo Beneficiarii non recitantis Ho- ras Canonicas, ibid.
52 *Alia pœna Episcopi non residentis est, ut si debitè moni- tus non resederit, privetur Episcopatu.*
Causæ Episcoporum, præsertim criminales graviores contra eos, de facto solùm à Papa cognoscendæ, & terminandæ sunt, ibid.
53 *Unde de facto Episcopus non residens nequit privari E- piscopatu, nisi authoritate Papæ, ac servata forma Concilii Tridentini.*
54 *Pœna Concilii Tridentini* Sess. 6. cap. 1. de Reform. *contra Episcopos non residentes decreta, aggravata fuit per aliud Decretum ejusdem Concilii* Sess. 23. cap. 1. de Reform.
55 *Responsio aliorum Authorum pro concordia horum Decre- torum Concilii refertur, ac rejicitur.*
56 *Aliæ pœnæ Episcopis non residentibus taxatæ. Remissive.*

29 QUæritur I. Ubi, & qualiter Episcopi residere te- neantur? Resp. I. Residentia Episcoporum fa- cienda est in loco, ubi est ipsorum Ecclesia Ca- thedralis. Ita desumitur ex *can. Placuit ut nemini* 7. *qu.* 1. *& can. Episcopus si de consecrat. dist.* 3. juncta Glossa *un. & can. Episcopus autem dist.* 41. ac notat Barbosa *part.* 3. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 53. *num.* 3. post Marc. Anto- nium Genuensem *in Manual. Pastor. cap.* 31. *nu.* 6. & Fa- gnanus *c. Qualiter nu.* 27 *&* 34. *b. t. & c. Canonum statuta num.* 101. *de Constitut.* asserens, quod Sacra Congregatio Concilii declaraverit, Episcopos teneri apud suam Ca- thedralem Ecclesiam residere; nec satis esse, ut in Diœcesi resideant: haud obstante, quod Concilium Tri- dentinum *Sess.* 23. *cap.* 1. *vers. Eosdem interim admonet. de Reform.* utatur verbo illo, *Admonet*: quia obligatio resi- dendi juxta Cathedralem Ecclesiam consurgit ex dispo- sitione antiquorum Canonum, quos Concilium non su- stulit, sed solùm moderabatur. Idipsum probatur à si- mili: quia pariter Abbas in suo Monasterio, Parochus in loco Ecclesiæ Parochialis, aliique Beneficiati in loco beneficii, ad obeunda ritè munera sua residere tenentur. Accedit, quod Episcopus sit sponsus Ecclesiæ suæ, huic- que vinculo spiritualis conjugii alligatus, *c. Quanto* 3. *& c. Licet in tantum* 4. *de Translat. Episcop.* Atqui sponsum se non ostenderet, quin potiùs Ecclesiam viduatam relin- queret, nisi juxta eam resideret, cessantibus justis ab- sentiæ causis; ergo.

30 Resp. II. Episcopi, aliique beneficiarii, præcepto re- sidentiæ non satisfaciunt ex eo, quod corporaliter præ- sentes sint in loco beneficii; nisi etiam munera ratione officii sibi incumbentia peragant. Ita certa, & commu- nis, ac signanter tradit Barbosa *par.* 3. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 53. *nu.* 20. & Garcias *par.* 3. *de Beneficiis*, *c.* 2. *nu.* 53. citans Ugolinum *de offic. Episc. cap.* 4. §. 13. *nu.* 1. *& cap.* 15. § 3. *nu.* 2. *&* 3. & alios. Ratio est clara: quia verbum *Residere*, significat Ecclesiæ deservire: de- bet enim accipi cum effectu, *c. Relatum* 4. *b. t.* Alioquin parum esset residere, nisi cura haberetur de beneficio, præstando personaliter munia sibi incumbentia.

Per hoc tamen non negatur, quin Episcopus possit 31 constituere Vicarium Generalem. Nam propter multi- tudinem negotiorum Episcopus, etsi diligentissimus sit, plerumque non sufficit ad omnia negotia se solo expedien- da; simulque decet, ut sua onera partiatur cum aliis, *arg. c. Ut singula de Offic. Archipresbyt.* estque jam dictum suprà *lib.* 1. *tit.* 28. *de Officio Vicarii* §. 3 *nu* 64. 65. *& seqq.* Unde residentia Episcoporum non solùm in assidua cor- poris præsentia, sed potiùs in mentis solicitudine, & charitatis studio consistere debet: solicitè nimirum at- tendendo, simul & procurando, ut debita munia Pasto- ralia per universam Diœcesim ritè peragantur, subditi doceantur vitia fugere, sectarique virtutes, extirpentur hæreses, corrigantur rei criminum, foveantur atque de- fendantur pii, Sacramentorum ministerium ovibus con- creditis exhibeatur: atque in hunc finem, sive per se, sive per alios, Diœcesis crebrò visitetur, *arg. c. Si Epi- scopus* 6. *& c. cùm Episcopus* 7. *de Offic. Ordinar. in* 6. Alio- quin *non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor ignorat*; prout loquitur *reg.* 10. *Juris* atque *can. Si rector dist.* 43. & Concilium Tridentin. *Sess.* 6. *cap.* 1. *de reformat.*

Resp. III. Munera illa, quæ Episcopis, aliisque cu- 32 ram animarum habentibus ex præcepto Divino incum- bunt, atque ab ipsis vi debitæ residentiæ præstari debent, potissimùm sunt illa, quæ in Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* enumerantur, sequentibus verbis: videlicet, *Oves suas agnoscere; pro his Sacrificium offer- re; verbique Divini prædicatione, Sacramentorum admi- nistratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliorumque miserabilium personarum curam pa- ternam gerere &c.* Concordat *can. Sicut vir* §. *Episcopum* 7. *quæst.* 1. *& can. Qui episcopatum* 8. *quæst.* 1. *& can. Si quis vult dist.* 36. cum similibus. Et quamvis de facto E- piscopi, sive ob multitudinem negotiorum, sive ob alia legitima impedimenta, verbi Divini prædicationem, Sacramentorumque administrationem (excepto Sa- cramento Confirmationis, & Ordinis) personaliter ex- ercere rariùs soleant, atque ad istud teste longæva con- suetudine, quæ est optima legum interpres, regulariter non teneantur: nihilominùs eisdem incumbit, perso- naliter esse solicitos atque vigiles, ut per deputatos vi- ros qualificatos, ac præsertim per Parochos, idipsum debitè præstetur: ita tamen, ut ipsemet Episcopi non intermittant personaliter pro ovibus suis Sacrificium offerre, easque bono exemplo instruere, atque spe- cialem pauperum, & miserabilium personarum cu- ram habere, juxta præscriptum Sacri Concilii Tri- dentini *loc. cit.*

Et hoc ultimum, præter Concilium Tridentinum 33 specialissimè ab Episcopo requirunt Sacri Canones anti- qui. Sic quippe *can.* 1. *dist.* 82. habetur *Episcopus pau- peribus, vel infirmis, qui debilitate faciente, non possunt suis manibus laborare, victum, & vestitum (in quantum sibi possibile fuerit) largiatur.* Concordat *can.* 1. *&* 2. *dist.* 87. ubi istud refunditur in Jus Divinum, juxta illud Isaiæ cap. 58. *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagos- que induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Idque præsertim E- piscopis, & Clericis Beneficiariis incumbere, vel ex eo patet quia ipsi vivunt de bonis Ecclesiæ: atqui *res Ecclesiæ vota esse Fidelium, pretia peccatorum, & patri- monia pauperum*, textus est *in can. Quia juxta* 16. *q.* 1. cum similibus. Pulchrè ad propositum S. Hieronymus, relatus *can. Gloria Episcopi* 12. *q.* 2. sic loquitur: *Gloria Episcopi est, pauperum inopiæ providere; ignominia Sacer- dotis est, propriis studere divitiis.* Et infrà: *Amico quid- piam rapere, furtum est: Ecclesiam fraudare, sacrilegium est. Accepisse, quod pauperibus erogandum sit, & esurienti- bus plurimis, vel cautum esse* (expectando nimirum ma- jorem necessitatem) *vel timidum* (timendo videlicet, ne sibi deficiat) *aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.*

His accedunt dicta superiùs *Tit. 1. de Vita & honest. Cleric. §. 2. n. 60. & 61.*

34 Quæritur II. Utrùm aliquando, & quanto tempore, liceat Episcopis abesse à sua Ecclesia? Resp. I. Etsi Jure Divino, & sub peccato mortali, aliisque pœnis in progressu enumerandis, teneantur Episcopi residere: possunt nihilominus iidem per singulos annos duobus, aut ad summum tribus mensibus, conjunctim vel interpolatim, à suis Ecclesiis abesse: dummodò id fiat absque ullo gregis detrimento, simulque ipsi non absint tempore Adventus, Quadragesimæ, aut in Festis solemnioribus, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos aliò trahant. Ita communis; habeturque expressè decisum in Concilio Tridentino *Sess. 23 cap. 1. de Reform.* ubi post declaratam omnium Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum, atque Episcoporum obligationem residendi personaliter in suis Ecclesiis, subjungitur in hæc verba: *Quoniam autem, qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; Sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem, ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam, & timoratam fore; cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos aliò vocent.* Hactenus Concilium.

35 Ex quibus verbis colligitur, posse Episcopum spatio duorum, vel trium mensium, abesse à sua Ecclesia sine alia Superioris approbatione; quia Jus ipsum hoc permittit, & approbat. Lessius *lib. 2. de just. & jur. cap. 34. dubit. 29. n. 155.* Barbosa *in Collectan. ad cit. c. 1. sess. 23. n. 25.* Sanctarelius *var. resolut. lib. 1. quæst. 4. n. 5.* Fagnanus *c. Qualiter n. 38. & 39. h. t.* istud intelligens etiam de absentia Episcopi extra Diœcesin, eò quod Concilium Tridentinum *citat. Sess. 23. cap. 1. V. Ne verò ea*, sub disjunctione loquatur, dicendo, Episcopus *obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi residentiam; nisi in causis, & modis infrà scriptis*. Nam inter hasce causas reperitur ibi etiam memorata brevitas temporis absentiæ duorum, vel trium mensium.

36 Colligitur ulteriùs, quod istud absentiæ tempus possit ab Episcopis adhiberi causa relaxandi animum; nam etiam hæc censetur æqua causa ad modicum tempus abessendi, ne Episcopus continuis laboribus, curis & sollicitudinibus Pastoralibus exhaustus, citiùs succumbat, sicque gregi sibi commisso uberiùs prodesse nequeat. Azorius *par. 2. lib. 7. cap. 4. [illegible]* Sanctarellus *cit. n. 5.* Barbosa, *ubi suprà num. 16.* Dummodò istud fiat absque ullo commissi sibi gregis Dominici detrimento: quod an ita fiat, Concilium allegatum relinquit conscientiæ Episcopi discessuri.

37 Est tamen hic notandum conformiter Declarationi Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quam refert Fagnanus *c. Qualiter nu. 40. & seqq. h. t.* Quod non possit Episcopus absentiam trimestrem unius anni conjungere cum trimestri absentia sequentis anni: puta, quod pro hoc anno absit à sua Ecclesia mensibus Octobris, Novembris & Decembris, ac pro sequenti anno absit mensibus Januarii, Februarii & Martii. Nam imprimis hujusmodi semestris absentia includeret tempus Adventus, ac Nativitatis Domini, unà cum Quadragesima, quo non licet Episcopis abesse à sua Cathedrali (nisi ob munia Episcopalia alibi peragenda) multò minus à Diœcesi; per textum Concilii Tridentini *numer. 34.* relatum. Deinde in eo, qui abest continuò sex mensibus, non verificatur illa dictio, *Aliquantisper*, quo utitur idem textus sacri Concilii: imò talis absentia reputatur longa, & pœnis Ecclesiasticis punienda; juxta hoc ipsum Concilium Tridentinum *Sess. 6. cap. 1. de Reformat.* Accedit, quod ex hujusmodi longa absentia Episcoporum magis relaxari possit nervus Ecclesiasticæ disciplinæ; majusque damnum in spiritualibus, & temporalibus, inferri Ecclesiæ, non facilè reparandum, ac alias fieri posset.

38 Resp. II. Præter memoratum tempus duorum, vel trium mensium, non possunt Episcopi à sua Ecclesia, vel Diœcesi abesse nisi ex legitimis causis, *quæst. seqq.* enumerandis: ita tamen, ut anteà has ipsas absentiæ causas, *à Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel, eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas* his ipsis verbis decreverit Concilium Tridentinum *cit. Sess. 23. cap. 1. de Reformat.* Ea tamen addita limitatione: *Nisi cùm absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium, Episcopatibus adjunctum; cujus quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit.* Ita Concilium Tridentinum *ibid.*

39 Et quidem prior pars, requirens approbationem Papæ, vel Metropolitani, merito decreta fuit propter quorundam Episcoporum temeritatem, qui olim (ut idem Concilium Tridentinum *Sess. 6. cap. 1. de Reform.* deploravit) propriæ salutis immemores, terrenaque Cœlestibus, ac Divinis humana præferentes, in diversis Curiis vagabantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, Ovili derelicto, atque ovium suarum cura neglecta, se detinuerunt occupatos. Unde, ne idem imposterum prætextu alicujus legitimæ causæ passim contingeret, merito legitimitas allegatæ causæ antea per Papam, vel Metropolitanum, in scriptis approbanda censebatur.

40 Quinimò de facto, & spectata Constitutione 139. Urbani VIII. quæ incipit, *Sancta Synodus* (habeturque *Tom. 4. Bullar. Roman.*) non ampliùs videtur sufficere approbatio legitimitatis causæ absentiæ Episcopi facta per Metropolitanum: nam Pontifex *ibid. §. 8. 9. & 10.* prohibet omnibus Episcopis, sub pœnis, & censuris eo ipso incurrendis, ne à suis Ecclesiis discedant, nisi *obtenta priùs à Nobis, & Romano Pontifice licentia*. Idque (ait Fagnanus *c. Qualiter n. 12. 13. & seqq. h. t.*) optimo consilio statutum fuit: quia Episcopis prætextu causarum, in Concilio enumeratarum, & proxime allegandarum difficile non fuisset, à Metropolitano licentiam abscedendi extorquere, sicque Lex illa de Residentia Episcoporum foret ludibrio exposita.

41 Altera verò pars, hinc excipiens absentiam Episcopi propter aliquod munus, vel officium Reipublicæ Episcopatibus annexum, inde meritò statuta fuit: quia notorium est, ad talia Episcopum teneri, vi sui officii; unde superfluum foret, aliam desuper licentiam, atque approbationem Papæ, vel Metropolitani, in scriptis dandam exigere. Exemplum hujus refert Lessius *lib. 2. de just. & jur. cap. 34. n. 156.* de Episcopis illis, qui ex vi officii sui in Belgio, & in Germania, debent interesse Comitiis Ordinum, in quibus ipsi primum locum tenent. Huc accedunt consecrationes Ecclesiarum, visitationes Clericorum, & alia hujusmodi munia Episcopalia, quibus ex officio tenetur Episcopus satisfacere, ipsumque sæpiùs derepente vocant ad alia loca suæ Diœcesis; ac proinde non indigent speciali Papæ, vel Metropolitani approbatione. Verùm occasione prioris partis datæ Conclusionis

42 Quæritur III. Quæ sint causæ legitimæ, excusantes Episcopos à residentia corporali? Resp. I. Præter modicitatem temporis absentiæ, juxta proximè dicta absque detrimento gregis Dominici [illegible], quatuor generatim sunt causæ, ob quas Episcopi corporaliter possunt abesse ab Ecclesiis suis: videlicet, *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*: dummodò *interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant*. Ita textus expressus Concilii Tridentini *Sess. 23. cap. 1. de reform.* Unde declarando duntaxat breviter allegatas absentiæ causas

43 Resp. II. Nomine *Christianæ Charitatis*, intelligitur proximorum utilitas. Et talis v. gr. intervenit, quando aliqua alia Ecclesia versatur in magno periculo hæresis, & talis Episcopi prædicatione posset eidem subveniri: item, si Episcopus abesse debeat ad pacem inter Magnates componendam, aut hujusmodi, dummodò istud fieri possit absque magno propriæ Ecclesiæ detrimento, atque interim suis ovibus ita Episcopus discessuros per Vicarios idoneos providere studeat, ut nullum damnum patiantur, juxta Concilium Tridentinum proximè relatum: alioquin enim ageret is contra charitatis ordinem, quo plus sibi, suisque, quam alteri tenetur. Toletus *lib. 5. Summa, c. 4. n. 3.* Barbosa *par. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 53. n. 6.* citans alios.

44 *Urgens necessitas* censetur adesse, quando Episcopus residendo grave periculum vitæ incurreret: puta; quia gravi morbo affectus est, atque indiget mutatione aeris, vel thermis; vel quia propter aliquam persecutionem Infidelium, aut populi furorem declinandum, sive infesti Principis insidias effugiendas, non nihil discedendum est. Quod ipsum comprobatur exemplo Salvatoris, qui abscondit se, & exivit de Templo, quando Judæi lapides tulerunt, ut jacerent in eum, *Joan. cap. 8.* Item exemplo S. Athanasii Episcopi Alexandrini; & S. Thomæ Canthuariensis, Sanctique Bennonis Misnensis Episcopi, ac plurium aliorum, tempore persecutionis contra eorum personam excitatæ, providè ac licitè aufugientium, suamque Ecclesiam ad tempus deserentium, ut eidem, aliorum curæ ad interim commissæ, imposterùm magis prodesse valerent.

45 Atque istud duntaxat procedit, quando Episcopi præsentia corporalis, vel ob communem subditorum malitiam, vel ob odium Tyrannorum erga ipsum conceptum, ovibus concreditis ampliùs prodesse non potest, quin potiùs Tyrannorum iram ampliùs erga ipsas exacerbaret: juxta quod D. Augustinus *Psalm. 54* relatus *can. Adversitas 5. Hoc tunc 7. qu. 1.* inquit, quod Christus vitabat [illegible] ut occasionem iræ demeret: & [illegible]. [illegible] quando persecutio oritur contra [illegible] contra Ecclesiam, vel oves [illegible] alioquin enim fugere ad instar Mercenarii Episcopus non posset, sed veluti bonus Pastor lupo venienti fortiter resistere, atque animam suam pro ovibus suis ponere teneretur, *Joan. c. 10. & can. Suggestum, & c. Scisitaris 7. qu. 1.* Pulchrè ad propositum habetur *cit. c. Adversitas, §. Hoc tunc 7. qu. 1.* ubi dicitur „ Hoc tunc servandum intelligitur (nempe, „ quod tempore persecutionis non fugiat Episcopus) quan„ do inter subditos aliqui inveniuntur, Prælatorum vita „ proficia[illegible] quando nec specialiter Prælatus quæritur, „ nec [illegible] est esse Ecclesiæ salus; ne si dese„ rere [illegible] prodesse potest, dicatur de eo; „ Merce[illegible] autem, & [illegible] non est pastor, cujus non „ sunt oves [illegible], videt lupum venientem, & deserit „ oves, & fugit. Cùm verò specialiter quæritur, fu„ giat exemplo Christi, qui à facie Herodis fugit in Æ„ gyptum: fugiat exemplo Pauli, qui à fratribus per „ murum submissus est in sporta &c. „ Hæc ibi, plura & ad propositum validè accommodata, subjungendo.

46 *Debita obedientia* excusat etiam Episcopos à residentia corporali, quando quis eorum à Summo Pontifice ac[illegible] ad tempus pro ministerio quopiam, ad bonum [illegible] universalis, seu Reipublicæ Christianæ peragendum [illegible] tamen, ut expedito ministerio redeat ad pro[illegible]. Barbosa *par. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. [illegible] 10. & seqq.* inter alia docens, quod Episcopi [illegible] Anni Sancti possint absque licentia speciali peregrinari [illegible] Romam, Jubilæi adipiscendi gratia: [illegible] Papa in B[illegible] Anni Sancti videtur omnibus Episcopis talem [illegible] concedere. Huc pertinet obligatio Episcopor[illegible] limina SS. Apostolorum Petri & Pauli, in [illegible] Urbani VIII. in Bulla, *Sancta Synodus* ([illegible] *Tom. 4. Bullarii* [illegible]) [illegible] *Constit. 139. dicti Pauli* [illegible] Episcopis existentibus ultra Montes [illegible] quatuor absint mensibus [illegible] non divertant [illegible].

47 [illegible] *Ecclesiæ utilitas* intervenit, intelligitur, quando [illegible] abest ad defendendum [illegible] [illegible] quando [illegible] *Tom. II.* abest in utilitatem Ecclesiæ universalis: ut, cùm Concilium Generale, vel Provinciale celebratur, quandiu istud durat. Azorius *par. 2. lib. 7. cap. 4. quæst. 4.* Barbosa *cit. alleg. 5. nu. 14.* Toletus *lib. 5. cap. 4. nu. 3. V. Quarta*, istud extendens ad causam, quo quis fungitur legatione in utilitatem ipsius Ecclesiæ, quæ non ita bene, nisi per Episcopum, fieri potest: & alii.

48 Tamen *evidens Reipublicæ utilitas* adesse dicitur, quando episcopus in manifestam totius Regni, vel Reipublicæ utilitatem temporalem abest; & quidem ex necessitate, sive quando aliter, quam per Episcopum, negotium Regni, aut Reipublicæ ita bene expediri nequit. Toletus, *ubi suprà, vers. Tertia.* Barbosa *loc. cit. numer. 15.* & alii. Sic Episcopus exigente evidenti Reipublicæ utilitate potest esse Legatus, sive Orator Principis sæcularis, *arg. can. Si Episcopus*, juncta Glossa *V. Regia, dist. 18. & cap. cùm parati 19. de Appellat.* Toletus *loc. cit.* istud intelligens, quando aliter, quam per Episcopum, nequit legatio expediri: alias non potest licitè Episcopus abesse. [illegible] tales rigidè perstringuntur S. Concilio Tridentino *Sess. 6. cap. 1. de Reform.* illis verbis: „ Quia „ nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tem„ pore reperiuntur, qui [illegible] etiam salutis immemo„ res, terrenaque Cœlestibus, ac Divinis humana præfe„ rentes, in diversis Curiis vagantur, aut in negotio„ rum temporalium solicitudine, Ovili derelicto, atque „ ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent oc„ cupatos; placuit Sacrosanctæ Synodo, antiquos Cano„ nes, qui temporum, atque hominum injuria pene in „ desuetudinem abierunt, adversus non residentes pro„ mulgatos innovare &c. *Hæc Concilium.*

49 Unde notat Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 4. quæst. 6.* & Diana *par. 2. tract. 1. resol. 5. in fin.* Barbosa *d. alleg. 53. n. 17.* atque Garcias *par. 3. de Beneficiis cap. 2. n. 389.* quod Episcopi in Curia Regum, aut aliorum Principum sæcularium, fungentes officio Regii Præsidis, vel Consiliarii, aut Proregis, non eximantur à residentia suorum Episcopatuum, nec possint horum fructus percipere in absentia: nisi forsan sit defectus hominum, nec alii repeitantur satis idonei ad præstanda talia munia Reipublicæ, simulque accedat consensus Romani Pontificis, juxta Constitutionem 139. Urbani VIII. quæ incipit, *Sancta Synodus*, suprà *nu. 46.* jam citatam. Ibi quippe *§. 8. & 9.* Pontifex, sub gravissimis pœnis, prohibet omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis &c. ne à suis Ecclesiis discedant, *nisi obtenta priùs Romani Pontificis pro tempore existentis per breve, seu Litteras missivas licentia.* Addo, ut ab earum pœnarum incursu (sub [illegible] §. 10.) nullus se excusare possit, *prætextu, & ratione cujuscunque servitii, quomodolibet præstiti, [illegible] & tractandis negotiis quorum[illegible] etiam Imperatoris, & Regum, ac Rerum[illegible] Regnorum ac Provinciarum, nec ratione [illegible] vel mandati eorum, vel earum, quandocunque [illegible] faciendi &c.* prout ampliùs in eadem Bulla continetur, & notat Fagnanus *in c. Qualiter nu. [illegible] & seqq. h. t.*

50 Quæritur IV. Quæ sint pœnæ Episcoporum non residentium? Resp. I. Præter reatum culpæ mortalis, quem incurrit, Episcopus non residens, ut suprà, pro rata temporis absentiæ fructus Episcopatus non facit suos; sed tenetur ipsos restituere Ecclesiæ, vel pauperibus, & quidem ante omnem aliam sententiam Judicis. Textus est apertus in Concilio Tridentino *Sess. 23. c. 1. V. Si quis autem [illegible]* ubi loquendo cum primis de Episcopis [illegible] Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus Decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes [illegible] Paulo III. impositas, „ & innovatas, [illegible] reatum, quem in„ currit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos „ non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declara„ tione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri, „ aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum illos „ fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare: „ prohibita quacunque conventione, vel compositione, „ [illegible] perceptis appellatur, ex qua etiam præ„ [illegible] totum, aut pro parte ei remitterentur, „ non obstantibus quibuscunque privilegiis cuicunque „ loco, aut fabricæ concessis. *Hæc ibi.*

51 Ex quibus verbis patet, Episcopum ultra trimestre, ac cessante alia legitima causa absentem à sua Ecclesia, teneri etiam in Foro conscientiæ, & ante aliam sententiam declaratoriam superioris Judicis, restituere fructus Episcopales: non minùs, ac Clericus Beneficiarius ob omissionem recitationis Horarum Canonicarum, pro rata temporis, tenetur fructus sui Beneficii restituere. Siquidem tum Episcopus non residens, ut suprà, tum Beneficiarius non recitans Horas Canonicas, per Leges Ecclesiasticas factus est inhabilis ad acquirendos ejusmodi fructus; eò quòd Sacri Canones impediant acquisitionem fructuum Beneficialium, nisi ponatur conditio personalis residentiæ, aut recitationis Horarum Canonicarum. Unde & privatio fructuum Beneficialium, atque obligatio eosdem restituendi ante omnem sententiam Judicis, non est pœna propriè dicta, seu talis, qua quis privatur re sua, sibique jam acquisita: sed potiùs imponitur ut conditio quædam, sive modus necessariò observandus, nisi ponatur præfata residentia personalis, aut recitatio Horarum Canonicarum. Sicut in simili contingit, quando Testator relinquit cuipiam Legatum sub conditione, sive onere, ut aliquid faciat, alias perdat Legatum. Navarrus *cap. 25. Manual. n. 118.* post Abbatem *c. Raynaldus num. 25. vers. in Glossa in vers. Adjiciens de Testament.* & alii. Concordant dicta superius *lib. 1. tit. 2. De Constitutionibus, §. 10. n. 226. & seqq.* ac præsertim *nu. 235.*

52 Resp. II. Alia pœna Episcopi non residentis est, ut si debite monitus ad Ecclesiam suam non redierit, neque Sacerdotali more resederit, privetur Episcopatu. Textus est *in can. Pervenit. 7. q. 1. & c. Qualiter 9. h. t.* ubi specialiter sermo est de Episcopis non residentibus, atque idcircò sua Ecclesia privandis. Quamquam de facto, sive post Concilium Tridentinum *Sess. 13 cap. 8. de Reform. & sess. 24. cap. 5. de Reform.* causæ Episcoporum, & præsertim causæ criminales graviores contra eos, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt; ab ipso tantùm Summo Pontifice sint cognoscendæ, & terminandæ. Unde conformitur his, & aliis à memorato Concilio Oecumenico salubriter statutis.

53 Resp. III. De facto Episcopus non residens nequit privari suo Episcopatu, nisi authoritate Romani Pontificis, ac servatis iis, quæ in Concilio Tridentino *Sess. 6. de reform.* statuuntur in hæc verba; „ Si quis à Patriarchali, Primitiali, Metropolitana, seu Cathedrali Ec„clesia, sibi quocunque titulo, causa, nomine, seu ju„re commissa, quacunque ille dignitate, gradu, & „præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, seu „justis & rationabilibus causis cessantibus, sex mensi„bus continuis extra suam [illegible] in morando abfuerit; „[illegible] partis fructuum [illegible] anni, fabricæ Ecclesiæ, „[illegible] loci per Superiorem Ecclesiasticum [illegible] „[illegible] ipso jure incurrat. Quod si per „alios sex me[illegible] ejusmodi absentia perseveraverit, „aliam [illegible] fructuum, similiter applican„dam, eo ipso amittat [illegible] verò contumacia, ut „severiori Sacrorum Canonum [illegible] subjiciatur, „Metropolitanus [illegible] entes, Me„tropolitanum verò [illegible] Episcopus „antiquior residens [illegible] Ec„clesiæ eo ipso incurre[illegible] „[illegible] seu nuncia[illegible] Romano Pontifici [illegible] „[illegible] ipsos absentes [illegible] „[illegible] minor contumacia [illegible] „thoritate animadvertere [illegible] „[illegible] utilioribus pro[illegible] „[illegible] salubriter [illegible] Concilium [illegible] „dentinum [illegible] Paulo [illegible]

54 Cæterùm [illegible] Synodi [illegible] trahi poterat [illegible] nos, acsi nimirum [illegible] que mensibus continuis [illegible] Concilium [illegible] de reform. [illegible] sub Paulo III. [illegible] Episcopi [illegible] possunt abesse [illegible] vel ad summum [illegible] nas, sub Paulo III. impositas, & [illegible] citatum Concilium, [illegible] pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciat, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos detinere possit, juxta dicta *numer. 50. & 51.* Et quia istud posset videri contradicere priori Decreto, quod habetur *cit. Sess. 6. cap. 1. de reform.* ubi Episcopus sex mensibus absens perdit duntaxat quartam partem fructuum unius anni, uti liquet ex verbis ipsius *num. præced.* relatis: hinc pro concordia inquit Lessius *lib. 2. de just. & jur. cap. 34. dubit. 29. num. 157.* quod per Concilium Trident. *Sess. 23. cap. 1. de reform.* imponens obligationem restituendi omnes fructus pro rata temporis absentiæ, alia etiam declaratione non secuta; aggravata, seu aucta fuerit illa pœna, quam memoratum Concilium *citat. Sess. 6. cap. 1. de reform.* sub Paulo III. statuerat de amittenda duntaxat quarta parte fructuum unius anni propter absentiam sex mensium.

55 Fatendum quidem, quod Castro Palao *tractat. 13. de Beneficiis, disp. 5. punct. 3. n. 2.* Pirhing *h. t. n. 74.* Engel *eod. n. 4.* aliquam aliam dent responsionem pro concordia citatorum duorum Decretorum Concilii Tridentini; illum asserunt, quod Concilium Tridentinum *Sess. 23. c. 1. de reform.* loquatur de fructibus temporis illegitimæ absentiæ correspondentibus; idem verò Concilium *Sess. 6. cap. 1. de reform.* sub Paulo III. celebrata, agat de restituenda quarta parte fructuum tempore factæ residentiæ legitime perceptorum. Verùm hæc responsio est captu difficilis: quia enim, juxta relatum textum Concilii Tridentini *Sess. 6. cap. 1. de Reform.* Episcopus sex mensibus illegitime absens, pœnam amissionis quartæ partis fructuum unius anni ipso jure incurrit; & si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum eo ipso amittit: quo modo ista posterior pœna (idem servata proportione dicendum de priori) intelligi poterit de quarta parte fructuum, tempore factæ legitimæ residentiæ perceptorum; cùm tamen Episcopus prioribus sex mensibus illegitimè absens; & posteà aliis sex mensibus perseverans in ejusmodi absentia, supponatur toto anno nunquam resedisse? Placet igitur inhærere responsioni per Lessium sibi suprà, datæ; nam novum non est, etiam in eadem Compilatione Juris, & absque ulla inde sequente antinomia, seu contrarietate Legum, reperiri diversas pœnas transgressoribus statutas, quarum priores, ob hominum malitiam minùs proficientes, aggravantur per posteriores, *arg. can. 1. & seqq. dist. 29.*

56 Aliæ nonnullæ pœnæ episcopis non residentibus taxatæ, sicut & gratiæ, seu privilegia residentibus concessa, habentur in Constitutione 10. Pii V. quæ incipit; *De salute*, & constitutione 91. ejusmodi Pontificis, *In suprema*, quarum utraque refertur *Tom. 2. Bullarii Romani*. Item in Constitutione 139. Urbani VIII. *Sancta Synodus* atque refertur *Tom. 4. ejusdem Bullarii Romani*: ubi si placet, videri poterunt; nam veluti longiores, consultò hic omittuntur.

§. III.

De Residentia Parochorum, aliorumque Clericorum.

SUMMARIUM.

57 Quidnam generatim circa residentiam Parochorum, aliorumque Clericorum inferiorum, & non residentium [illegible], statuerit Concilium Tridentinum.
58 [illegible] Jure Divino [illegible]
[illegible] strictior obligatio residentiæ [illegible] Ibid.
59 Parochi, aliique Curati non residentes, præter peccatum mortale, fructus pro rata temporis absentiæ non [illegible]
60 61 62 Per Decretum Concilii Tridentini dispositio Juris communis adversus Parochos [illegible] residentes [illegible]
63 An parochi non residentes [illegible] Concilii Tridentini [illegible] Doctores [illegible] sententia [illegible]
64 Opposita sententia videtur tenenda.

65 Solvitur notabilis instantia.
66 Parochus non residens, an sit ipso jure privatus beneficio.
67 De facto Parochi, aliique Curati inferiores, non possunt abesse per duos menses absque licentia Episcopi. Et num. seqq.
68 Et quidem in scriptis, gratisque concedenda.
69 Proponuntur rationes oppositæ sententiæ.
70 71 72 & 73 Atque respondetur ad eas.
74 Ad absentiam Parochi per bimestre non sufficit licentia petita, nisi etiam fuerit obtenta, & in scriptis data.
75 Nisi occurrat causa gravis subito abscedendi, non patiens dilationem, & quid tunc agendum.
Sola autem distantia ab Episcopo ad id non sufficit. Ibid
76 & 77 Quanto tempore possit Parochus abesse de licentia Episcopi.
78 Potest Parochus ex causa, quæ sibi legitima videtur, abesse per unum vel alterum diem sine licentia Ordinarii, relicto interim idoneo Vicario.
79 Imò & per sex, aut septem dies, non vero per hebdomadam.
80 Idque confirmatur ex sententia S. Congr.
81 Sine ulla rationabili causa Parochus absens graviter peccat.
82 Parochus justa de causa absens, tenetur relinquere idoneum Vicarium.
83 Et quid, si absit duntaxat per unum, vel alterum diem non Festum.
84 Episcopus potest Parochis prohibere sub pœna pecuniaria, ne ultra biduum à propriis Ecclesiis absint sine sua licentia.
85 Parochi præcepto residentiæ personalis non satisfaciunt, qui existunt quidem in parochiali, non tamen per se exercent munera Pastoralia, sed solummodo per Capellanos.
86 [illegible] Parochus unum, vel plures habere Cooperatores [illegible] &c.
87 Quod si [illegible] Cooperatores, peccat; sed non videtur teneri ad restitutionem fructuum, neque incidit in alias pœnas non residentium.
88 Ex quibus causis possit Parochus abesse, suæque ecclesiæ deservire per Vicarium? & n. seqq.
Generaliter loquendo, ut Clericus licitè se absentet à beneficio, requiritur causa honesta, & licentia Episcopi. Ib.
Residentia parochorum debet intelligi humano modo. Ib.
89 Quæ causæ in specie excusent parochum à residentia. Et num. seqq.
90 Christiana charitas, &c.
91 Urgens [illegible] excuset parochum à residentia personali, & quando?
92 Quando [illegible] capitales inimicitias possit parochus abesse.
93 Quando debita obedientia excuset parochum à residentia. Et n. seqq.
94 Episcopus non potest uti opera parochi in visitatione, vel servitio suæ Ecclesiæ, nisi pro duobus mensibus.
95 Neque potest uti opera Curati pro Secretario, Vicario &c. ultra bimestre [illegible]
[illegible] ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas, quando excuset Parochum à residentia.
97 [illegible] nonnulli alii casus, in quibus Ecclesiæ parochiales [illegible] deserviri per Vicarium, & n. seqq.
[illegible] ecclesia parochialis [illegible] Monasterio, Capitulo [illegible] Ib.
98 Vel quando ecclesia parochialis accessoriè unita est Dignitati, [illegible] &c. & n. 100
99 & 100 [illegible] dispensatione Apostolica habet quis [illegible] Parochialem, [illegible] Canonicatum, vel Dignitatem [illegible] tenetur residere in parochiali.
101 Quando quis habet [illegible] parochias, in qua debeat residere?
102 An propter pestem grassantem [illegible] excusetur parochus à residentia personali. Et num. seqq.
Refertur sententia affirmativa [illegible]
[illegible] Parochus tempore pestis [illegible] residere [illegible] gravis [illegible] & quibus [illegible]
104 Et quomodo contra parochos tunc absentes sit procedendum.
105 Cur Parochus possit discedere causa curandæ infirmitatis, & non tempore pestis, aut belli.
106 Cautelæ tempore pestis à parochis eorumque Vicariis observandæ.

57 QUæritur I. Quidnam generatim circa residentiam Parochorum, aliorumque Curatorum inferiorum, & non residentium pœnas statuerit Concilium Tridentinum? Resp. I. ista potissimum habentur in dicto Concilio Tridentino *sess. 23. c. 1. §. Eadem omnino, de ref.* sequentibus verbis; *Eadem omnino* (quæ de residentia episcoporum ibidem præmittebantur), „ etiam quoad culpam „ amissionem fructuum, & pœnis de Curatis inferiori„bus, & aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod „ Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, „ Sacrosancta Synodus declarat, & decernit: ita tamen, „ ut quandocunque eos causa prius per Episcopum cogni„ta, & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum, „ ab ipso Ordinario approbandum, cum debitæ mercedis „ assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam „ in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre „ tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. Quod si per „ Edictum citati, etiam non personaliter, contumaces „ fuerint, liberum esse vult Ordinariis per censuras Ec„clesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fru„ctuum; aliaque juris remedia etiam usque ad privatio„nem compellere; nec executionem hanc, quolibet pri„vilegio, licentia — suspendi posse. *Hæc ibi.*

58 Ex quibus verbis infertur primò, quod Parochi, aliique Curati, Jure Divino teneantur residere; nam ipsum Pastorale officium exigit hoc in parochis, cæterisque Curatis, sicut & in Episcopis, conformiter dictis suprà, *§. 1. n. 10. & seqq.* Unde consequens est, quod non omnes causæ, quæ excusant Canonicos à residentia personali, æquè excusent obtinentes Beneficia curata: nam in his residentiæ obligatio oritur ex Jure Divino naturali, sicque est multo strictior & arctior præ illa, quæ ex solo Jure Ecclesiastico provenit. Fagnanus *c. Clericos n. 8. & 15. h. t.* & hinc possunt quidem abesse duo Canonici ob servitium episcopi, *c. d. cætero 7. h. t.* non tamen parochi, aliique Curati, nisi ad duos duntaxat menses; juxta *nu. 94. & 95.*

59 Infertur secundò, quod parochi, aliique Curati non residentes, præter peccatum mortale, quod incurrunt (nisi modicitas temporis absentiæ eos excuset, uti limitat Fagnanus *c. Relatum nu. 41. h. t.*) pro rata temporis absentiæ fructus non faciant suos; nec eos tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, retinere valeant. Nam hoc ipsum statuit Concilium Tridentinum [illegible] ibidem [illegible] episcopis, quibus *quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas,* æquiparavit Curatos inferiores; uti liquet ex proximè relato [illegible] redeunt dicta superius *§. præc. n. 50.* [illegible]

60 Resp. II. Per allegatum Decretum Concilii Tridentini [illegible] dispositio Juris communis adversus parochos, aliosque Curatos non residentes, in multis [illegible] immutata, & alterata. Ita Fagnanus [illegible] 29. *30. & seqq. h. t.* idque probatur inductione [illegible] enim parochus non residens, de Jure communi non perdit fructus ipso jure. Abbas *c. 1. de* [illegible] *nu. 8.* quamvis nonnulli contradixerint. Nunc autem parochus, aliusque Curatus non residens, pro rata temporis absentiæ perdit fructus ipso jure, ut dictum *n. præc.*

61 Deinde [illegible] tato Jure communi, Beneficiarius non residens, [illegible] ubi sint [illegible] non potest per edictum, [illegible] citari debet personaliter [illegible] *8. h. t.* estque jam dictum supra [illegible] 22. At [illegible] juxta Conc. Trid potest citari per Edictum; *etiam non personaliter*; & si contumax fuerit privari beneficio; uti liquet ex verbis ejusdem Concilii *n. [illegible] relatis.*

62 Tertio, de Jure communi Beneficiarius non residens, si [illegible], seu ignoratur, ubi sit, citari debet tribus Edictis, ac post ultimum Edictum debet expectari per sex menses, antequam privetur beneficio, *cap. ex tuæ 11. h. t.* [illegible] hoc est, post Conc. Tridentinum, sufficit [illegible] quod Parochus, aliusque Curatus non residens, citetur unico edicto peremptorio, cum com-

competenti termino ad redeundum: quo elapso statim privari poterit. Siquidem Concilium Tridentinum, ubi suprà simpliciter dicit, *Si per edictum citati -- contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis -- etiam usque ad privationem compellere.* Fagnanus *loc. cit. n. 20. & num. 32. & seqq.* nonnullas alias differentias inter Jus commune, & Concilium Tridentinum, quoad propositum subjungens.

63 Resp. III. Utrum Parochi, aliique Curati; qui sive personaliter, sive per edictum citati, contumaciter adhuc absunt, sint compellendi ad residentiam juxta ordinem pœnarum in Concilio Tridentino *cit. sess. 23. c. 1. §. Eadem omnino* enumeratarum, variant DD. Affirmat Barbosa *p. 3. de offic. & potest. episc. alleg. 53. nu. 105.* citans decisionem Rotæ *in una Salamantina, die 5. Decemb. 1567. coram Card. Seraphino*, inter hujus impressas *dec. 27.* Idem tenet Ugolinus *de offic. Episc. c. 15. §. 4. n. 4.* ac videtur declarasse S. Congregatio Concilii, *die 6. Decemb. 1576.* dum asseruit, quod contra Parochos tempore pestis non residentes, præmisso Edicto, seu monitione, sit procedendum, prout Concilium mandat *sess. 23. c. 1. de refor.* Nempe prius per censuras; secundo per sequestrationem, & subtractionem fructuum; posteà, si hæc remedia non prosint, possit contra eos procedi per privationem: prout refert Fagnanus *capit. Clericus numer. 41. hoc. tit.*

64 Oppositam sententiam, videlicet ad privationem Parochi ob non residentiam non esse necessarium, ut prius procedatur per alias pœnas, nempe per censuras Ecclesiasticas, & per sequestrationem ac subtractionem fructuum, tenet Garcias *p. 3. de benef. c. 2. n. 139.* Castro Palao *tr. 13. de benef. disp. 5. punct. 3. n. 10.* Flamin. Parisius *lib. [illegible] resignat. benef. c. 10. n. 61.* & Fagnanus *c. Ex tuæ, n. 18.* Qui istud desumunt ex verbis citati Concilii Tridentini, ponderando illa verba: *Liberum esse vult Ordinariis*: & consequenter Episcopus procedens contra Curatum non residentem, non arctatur præcisè ad observandum ordinem illarum pœnarum.

65 Nec obstat Declaratio S. Congregationis *n. 63.* relata. Nam loquitur in casu speciali; seu de Parochis non residentibus tempore pestis, quia cùm olim fuerat controversum inter Theologos & Canonistas, an eo tempore Parochi personaliter residere teneantur, de quo inferius *n. 102. & seqq.* voluit S. Congregatio, etiam contra absentes procedi posse per privationem Beneficii, nisi prius aliæ pœnæ per ordinem præmitterentur. Verum extra illud tempus generaliter consulta eadem S. Congr. An sit arbitrium Episcopi, qua via, & quo remedio uti voluerit contra non residentes [illegible] vel sequestratione & subtractione fructuum, vel privatione? Respondit, ita esse. Fagnanus *cit. cap. Ex tuæ numer. [illegible] h. tit.*

66 Dices: Parochus non residens ipso jure est privatus Beneficio [illegible] hæc quæstio movetur [illegible] fructibus, Concilium Tridentinum *loc. cit.* decrevit, [illegible] Antecedens patet ex *c. [illegible] de [illegible] benef.* ponderando illa verba [illegible] Ecclesia Parochiali [illegible] liberè alii conferenda. Respondeo, [illegible] Garcias *c. 2. n. 139.* & Castro Palao *ubi suprà n.* [illegible] ipso jure [illegible] desuetudinem [illegible] hodie videtur cessare [illegible] est [illegible] Decreto Sacri Concilii Tridentini.

67 Quæritur II. Utrum Parochi, aliique Curati, possint abesse à sua Parochia cum [illegible] licentia Episcopi, & quanto tempore? Resp. I. De jure Parochi, vel alii Curati inferiores, [illegible] Parochialium [illegible] perpetui, non possunt abesse à suis Parochiis [illegible] per duos menses, nisi ex legitima causa per Ordinarium [illegible] & accedente [illegible] moraliter, simulque fructus [illegible] faciunt suos. Ita Barbosa [illegible] allegat [illegible] num [illegible] Garcias [illegible] Quidquid [illegible] tionem [illegible] duos menses, [illegible] hebdomadam [illegible] licentia

Episcopi; quæ causa cognita, & in scriptis concedenda est. Eandem Conclusionem tenent Piasecius *part. 2. praxis Episcopal. cap. 3. artic. 3. num. 35.* Lessius *lib. 2. de just. & jur. cap. 34. dubit. 29. num. 159.* & alii contra Navarrum *cap. 25. Manual. num. 121. V. Et quamvis*; ubi arbitratur, etiam post Concilium Tridentinum posse Parochum abesse duos menses absque licentia scripta, cum causa, quæ videtur ei justa: cujus sententiam probabilem censet Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 4. qu. 10.* & Castro Palao *tr. 13. de beneficiis, disp. 5. punct. 5. n. 3.* cum nonnullis, quos citat.

Ratio Conclusionis desumitur, imprimis ex *can. Si quis in Clero, 7. quæstion. 1.* in quo Presbyter, si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, triennio à communione suspenditur. Ubi Glossa *V. per tres*, istud intelligit, nisi absit de licentia Superiorum. Confirmatur, atque probatur eadem conclusio, ex verbis Concilii Tridentini *num. 57.* relatis ibi: *Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant &c.* ponderando ly: *Discedendi licentiam in scriptis*. Nam hæc verba satis indicant, etiam pro primo bimestri Parochos non posse abesse sine licentia Episcopi. Idipsum declarasse Sacram Congregationem Concilii Tridentini *ad cit. cap. 1. sess. 23.* refert Garcias *dict. part. 3. cap. 2. numer. 23.* Et aliam talem declarationem ejusdem refert idem Garcias *part. 9. de beneficiis, cap. 2. num. 295.* Nam cum Episcopus Abulensis, de anno 1593. dictam Sacram Congregationem inter alia consuluisset: *Secundum, An Parochi possint abesse duos menses absque Ordinarii licentia ex causa, quæ sibi videtur justa, ut tradit Navarrus in Manual. cap. 25. num. 121.* Respondit. *Ad secundum de licentia Parochorum, censuit Congregatio; eos minimè abesse posse absque Amplitudinis tuæ* (sive Episcopi) *licentia.* Hæc ibi. 68

Dices cum Navarro, *ubi suprà*. Ante Concilium Tridentinum poterat Parochus abesse per duos menses absque alia licentia, ex causa quæ sibi justa videbatur, *can. præsentium 7. q. 1.* ergo idem licebit post Tridentinum. Præsertim, cum verba hujus, *n. 57.* relata, in utramque partem flecti possint: simulque à Jure antiquo non sit recedendum sine Jure novo expresso, *c. Præcipimus c. de appellationibus*. Accedit, quod Episcopus, qui magis residere tenetur, possit sine alia licentia per duos, vel tres menses abesse; ergo idem dicendum de Parocho. Probatur consequentia: tum à majoritate rationis. Tum quia Concilium Tridentinum *citat. capit. 1. Sess. 23.* generaliter fatetur, eos qui aliquantisper tantum absunt, putà per duos vel tres menses; non videri abesse, quia statim reversuri sunt. Tum tandem; quia idem Concilium *loc. citat. §. Eadem omnino*; decernit, dicta ibidem de Episcopis, pariter locum habere in Curatis inferioribus. 69

Ad has Navarri, & sequacium rationes, & imprimis ad priorem ipsarum, negatur Antecedens: nam istud non esse verum, pluribus juribus firmat Garcias *p. 3. de Benef. cap. 2. num. 22. & num. 80. ac 97.* Neque urget canon *præsentium, 7. qu. 1.* Quia huic opponitur alius Canon, videlicet *canon. Si quis in Clero*, [illegible] *quæstion. 1.* juncto *capit. relatum, 4.* & Glossa [illegible] *Prælatorum*. Accedit, quod Ad[illegible] per duos menses absunt [illegible] licentia Superioris [illegible] ex illis verbis [illegible] Adeò [illegible] *Quantum [illegible] in loc. [illegible] pro [illegible] laxatum &c.* Ubi [illegible] neque Canon ille potius [illegible] contra eum. Prout etiam [illegible] Garcias [illegible] asserens [illegible] esse [illegible] Canone, quando presbyter abest [illegible] Superioris [illegible] 70

Ad alterum, neempe ad majoritatem rationis [illegible] Quid [illegible] sit de [illegible] tenetur, [illegible] Parochus [illegible] Jure communi [illegible] Vicario [illegible] propter [illegible] Generalem [illegible] negotia melius expedire, [illegible] parochus [illegible] 71

ex dictis supra *n. 10. & seq. & n. 57. & 58.* quod non solum Episcopus, verum etiam Parochus, aliusque Curatus, Jure Divino & naturali, atque vi sui officii Pastoralis obstrictus sit, in loco Beneficii residere. Accedit, quod Concilium Tridentinum, declarans obligationem Juris Divini & naturalis, Episcopis expressè concesserit absentiam duorum, vel trium mensium, per anni decursum: non item Curatis inferioribus. Istis enim per relatum *num. 57.* textum, etiam absentiam per bimestre denegavit, non obtenta justis ex causis licentia Superioris, & substituto idoneo Vicario, per Episcopum approbando.

72 Neque urget, quod Concilium Tridentinum *cit. sess. 23. c. 1. §. quoniam autem de reform.* absentiam duorum, vel trium mensium reputet modicam. Resp. enim, hanc quidem reputari ibidem modicam respectu Episcopi; non autem respectu Parochi, ut clarè patet ex *cit. cap. 1. §. Eadem omnino*. Siquidem pro diversitate status, & conditionis personarum, temperari regulas Sacrorum Canonum, textus est in *can. 1. dist. 29.* Quanta autem sit diversitas Dignitatis, status seu conditionis Episcoporum, mole negotiorum spiritualium totius Diœcesis gravatorum, atque ideircò, Jure ipso concedente, habentium proprium Vicarium Generalem, per quem junctis aliis Consiliariis in corporali absentia sua possint omnia necessaria commode expediri, & inter Parochum, cujus fides & industria personalis de Jure requiritur, ac præsertim in administratione Sacramentorum infirmitatis tempore parochianis necessaria est, quis non videt.

73 Ad ultimum patet ex verbis ejusdem Conc. *cit. n. 57.* relatis, quod parochi æquiparentur Episcopis *quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas*, nisi resederint: non verò quoad tempus licitæ absentiæ. Atque istud posterius verisimiliter contingit ex eo: quia præter diversitatem Dignitatis, seu status personarum, Sacrosancta Synodus Tridentina cognovit, plura ovium commissarum damna, vel pericula ex absentia parochi oriri posse, præcipuè ob defectum legitimæ administrationis Sacramentorum, quam ex personali absentia Episcopi; idque ob rationes proximè dictas.

74 Resp. II. Adeò ad absentiam parochi, seu alterius Curati per bimestre, requiritur licentia Episcopi, ut non sufficiat, hanc ex rationabili causa fuisse petitam: nisi etiam fuerit obtenta, atque in scriptis data. Ita Abbas *c. Relatum n. 5.* & Fagnanus *ib. n. 12. & 13. h. t.* subjungens tamen, quod si Clerico postulanti prælatus renueret licentiam impertiri, possit haberi recursus ad Superiorem illius prælati, & subsistente rationabili causa, possit idem Superior compellere prælatum inferiorem ad eam licentiam concedendam; prout censuit Sacra Congregatio Concilii. Idipsum tradit Garcias *cit. p. 3. cap. 2. num. 37. & seqq.* allegans Declarationem Sacr. Congregationis Concilii. & Barbosa *cit. allegat 53. num. 95. 96. & seqq.* & alii. Ratio Conclusionis desumitur ex verbis Concilii Tridentini *cit. Sess. 23 cap. 1. de reform.* ibi: *Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam &c:* ac proinde non sufficit, licentiam illam duntaxat peti; sed oportet eam etiam concedi, & quidem in scriptis.

75 Limitatur tamen data Conclusio, nisi occurrat causa gravis, & necessaria subitò abscedendi, quæ tantam celeritatem requirit, ut non patiatur dilationem, sed sit periculum in mora petendi licentiam. Tunc enim Curatus, relicto idoneo Vicario, poterit discedere absque præhabita licentia Ordinarii: nam necessitas non habet legem, *cap. 4. de reg. jur.* Ita tamen, ut hujusmodi Curatus, quamprimum fieri poterit, teneatur certiorare Ordinarium de discessu, atque necessitate occurrente, ut is de causa cognoscat, detque licentiam, nisi in brevi sit reversurus, Abbas *c. relatum in 6.* & Fagnanus *ib. n. 14. & 33. & 45. h. t.* Garcias, *ubi suprà n. 34.* citans alios. Sola autem distantia loci ab Episcopo, etiam cum necessitate discedendi, non excusat parochum, ut possit abesse à sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi concurrat memorata necessitas moram non patiens, Fagnanus *cit. num. 27. & 33.* Garcias *cit. n. 34.* ubi refert Declarationem Sacræ Congregationis Concilii in terminis sic loquentem.

Et si petas, quanto tempore possit parochus de licentia Episcopi abesse à sua parochia ex gravi causa? Respondet Navarrus *Consil. 15. n. 2. de Cleric. non resident.* ex justa causa posse sic parochum abesse, etiam ad multum tempus: ut facilè (inquit) colligitur ex Concilio Trid. *sess. 23. cap. 1. de reform.* juncto *cap. relatum hoc tit.* Verum hæc sententia passim relinquitur ab Authoribus: uti videre est apud Garciam *loc. cit. num. 43.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancellar. Gloss. 6. num. 259.* Zerolam *in Praxi Episcopal. part. 5. vers. Parochus §. 6.* & alios quin etiam Apostilla *ad citat. Consil. 15. Navarri*, ex Declaratione Sacræ Congregationis, rejicit illam sententiam. 76

Alii itaque volunt, Episcopum causa cognita, & approbata, posse parochis dare licentiam abessendi a parochia ad duos, vel (vel gravi tamen de causa) tres menses Fagnanus *c. relatum n. 21. & 29. h. t.* Barbosa *p. 1. de offic. Parochi n. 58. 59. & seqq.* Garcias *p. 3. de beneficiis c. 2. n. 22.* asserens, quod ad bimestre tempus absentiæ sufficiat quæcunque justa causa, veluti recreationis, aut visendi amicos, & hujusmodi: ultra bimestre autem requiratur gravis causa, & quæ talis Episcopi arbitrio reputetur, juxta Conc. Trid. *c. c. 1.* ibi: *Discedendi autem licentiam -- ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.* Et quamvis idem Garcias *d. c. 2. n. 43.* referat quandam Declarationem Sacræ Congregationis Concilii, qua dicitur Episcopum posse pro visitatione uti parocho ad quatuor menses, constituto interim idoneo Vicario: tamen hanc ipsam Declarationem fuisse revocatam per aliam, quam allegat, censet ibidem Garcias *num. 43. & 44.* 77

Resp. III. Præmissis non obstantibus, potest parochus ex causa, quæ sibi legitima videtur, per unum, vel alterum diem. Imò & per sex, aut septem dies abesse sine alia licentia Ordinarii: dummodo interim idoneum Vicarium ab Ordinario approbatum relinquat, neque obstet specialis constitutio episcopi. Prior pars, loquens de uno, vel altero die, videtur certa: nam, ut inquit Castro Palao *tr. 13. de beneficiis disp. 5. punct. [illegible] num. 2.* universalis consuetudo istud declarat, quæ est optima legum interpres, *can. cum dilectus 8. de Consuetudin.* cum similibus. Nec immeritò; nam qui paulisper tantum abest, non videtur abesse; uti fatetur Conc. Trid. *cit. sess. 23. c. 1. de ref.* Unde in simili *brevi reversa uxor, nec divertisse videtur*, juxta textum expressum *l. quidquid in calore ff. de Regul. Jur.* 78

Altera pars, loquens de sex vel septem diebus est majoris difficultatis. Etsi enim Castro Palao *cit. n. 2.* & Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 53. n. 106.* citans [illegible] *de offic. Curati c. 1. n. 13. & seqq.* doceat, parochum posse abesse ex causa, quæ sibi legitima videtur, etiam per hebdomadam, sive per octo dies, relicto tamen idoneo Vicario, absque alia licentia Ordinarii: nihilominus ut refert Garcias [illegible] *cap. 2. num. 23.* & Fagnanus *cap. relatum [illegible] 1.* Sacra Congregatio Concilii super *cap. 1. sess. 23. de ref.* inter alia declaravit, quod parochus *nec possit per hebdomadam abesse, non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo, ab ipso ordinario approbato.* Quia tamen hæc ipsa Declaratio excipit duntaxat integram hebdomadam, videtur oppositum sensisse de sex, vel septem diebus, *arg. leg. Quæsitum §. Denique ff. de fundo instructo, & can. Nonne 5. de Præsumption.* cum similibus. Neque enim ex tam modica absentia parochi, constituentis interim idoneum Vicarium, morale aliquod concreditarum ovium, seu parochianorum, periculum oriri censetur. 79

Accedit, quod Sacra congregatio interrogata per parochum Oriensem, an liceret sibi ab ecclesia, sex, aut septem diebus, abesse causa invisendi suos parentes senes, & pauperes? Responderit, id licere: prout refert Fagnanus *cit. c. relatum, n. 25. & 26. h. t.* Nec obstat, quod idem Fagnanus *loc. cit.* dicat, Sacram Congregationem hac sua responsione solummodò declarasse, quod visitatio parentum senum, & pauperum, sit sufficiens causa, ob quam episcopus possit parocho concedere licentiam discedendi ad sex, vel septem dies. Nam, cum nulla super justitia hujus causæ possit oriri, aut orta fuerit controversia (Filii quippe Jure naturali, & Divino, debent paren- 80

paren-

parentibus reverentiam, & pietatem) verisimile non est, vel Parochum Oriliensem desuper interrogare, vel Sacr. Congregationem respondere voluisse; sed solum, an id liceat Parocho, nimirum absque alia Episcopi licentia.

81 Additur tamen in dicta Conclusione, *ex causa, quæ sibi* (hoc est, Parocho absque alia Episcopi licentia, sicque sine hujus judicio super æquitate causæ, discessuro) *legitima videtur*. Nam sine ulla causa rationabili, ac mero vagandi animo, Parochus à suis ovibus sese absentans, graviter peccat; cum faciat contra naturalem justitiam, qua ipsemet ex suscepto officio tenetur ovium Christi sibi commissarum curam gerere, sicque residere: adeo, ut cessante alia justa causa, non sufficiat istud præstare per constitutum Vicarium, cum fuerit electa fides, atque industria personæ ipsius. Barbosa *citat. allegation.* 53. *num.* 106. & *part.* 1. *de Offic. Parochi*, *cap.* 8. *num.* 40. cum aliis.

82 Additur ulterius in Conclusione, *dummodò interim idoneum Vicarium &c.* Quia, ubi Parochus, vel alius Curatus abest justa de causa, sive cum licentia Superioris, sive absque ea per aliquot dies, semper tenetur relinquere idoneum Vicarium, seu Clericum substitutum, atque in suo Episcopatu admissum pro administratione Sacramentorum, qui interim pro se populo inserviat. Et decrevit Concilium Tridentinum *cit. cap.* 1. *sess.* 23. §. *Eadem omnino*, ibi: *Quando [illegible] abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita [illegible] assignatione relinquant*. Barbosa *d. alleg.* 53. *num.* 106. [illegible] Palao *cit. punct.* 5. *n.* 2. & alii.

83 [illegible] quidem, non deesse Doctores istud limitantes, quando nullum subest morale periculum necessitatis [illegible] aliquem Vicarium, putà, quia nullus est in Parochia infirmus. Nam quod tunc per unum, vel alterum diem non Festum, licitè possit abesse Curatus nullo interim constituto Vicario, censet Castro Palao *cit. num.* 2. & Barbosa *d. alleg.* 53. *num.* 106. asserens, etiam per tres dies posse Curatum sic abesse. Verum hæc sententia, præsertim biduum, aut triduum talis absentiæ concedens, in praxi est difficilis, nec facile toleranda per Superiores; eo quod ob millenos casus, quibus exposita est vita, salusque spiritualis Parochianorum, vix unquam cognita valeat, hic & nunc nullum subesse morale periculum Parochianorum, etiamsi nullus in Parochia reperiatur actualiter infirmus. Unde idem Barbosa *part.* 1. *de Offic. Parochi*, *cap.* 8. *num.* 44. rigidius incedit, ubi talem parochi absentiam, nullo constituto Vicario, permittit quidem ad aliquot horas, sed illicò subjungit, „ Abesse verò [illegible] quando nullus in- [illegible] itur, raro in anno, nec laudo, nec vituper[illegible] [illegible] autem per duos, vel tres [illegible] nullo infirm[illegible] „ [illegible] alia causa justific[illegible] habet valde [illegible] „ [illegible] mortale, prop[illegible], quæ possunt eo te[illegible] [illegible] venire, maximè in villis, ubi non est alius Sacer[illegible] [illegible] pro hac sententia Lu[illegible] de S. Joanne, [illegible] *n.* 8. & Possevinum *de off. Curati*, *c.* 1. *n.* 4.

84 Deinde limitatur dicta Conclusio, quando adest Constitutio Episcopi, prohibens Parochis, ne ultra biduum sine sua licentia à propriis Ecclesiis absint: tunc enim Parochi, etiam stante causa rationabili, & constituto idoneo Vicario, non possunt ultra biduum, & consequenter nec per hebdomadam abesse sine licentia Ordinarii. Et quidem, quod valeat Episcopus prohibere Parochis sub pœna pecuniaria arbitraria, quæ tamen dimidiam non excedat, ne ultra biduum à sua Ecclesia possint abesse, non vero sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; fuisse declaratum à Sacra Congregatione Concilii Tridentini *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* refert Garcias *cit. part.* 3. *de beneficiis capit.* 2. *numer.* 23. & Barbosa *part.* 1. *de Offic. Parochi*, *capit.* 8. *numer.* 45. allegans insuper Declarationem Sacræ Congregationis Concilii *in una Terracinen.* 11. *Februar.* 1628. & *in Montispolitana*, 16. *Decembr.* 1628.

85 Quæritur III. Utrum Parochi præcepto residentiæ personalis satisfaciant, fructusque faciant suos, qui resident quidem in Parochiali, non tamen per se exercent Officium Parochiale, sed solummodò per Capellanos, sive cooperatores suos? Resp. I. Parochi nequaquam satisfaciunt residentiæ præcepto suæque conscientiæ, qui licet in parochiali personaliter existant, nunquam tamen, aut fermè nunquam, cessante justo impedimento, Sacramentorum administrationem, aliave munera Pastoralia per seipsos exercent: sed omnia ista relinquunt Capellanis, & cooperatoribus suis. Ita Barbosa *part.* 1. *de Offic. Parochi*, *capit.* 8. *num.* 41. allegans Possevinum *de offic. Curati*, *cap.* 1. *num.* 10. pluresque alios. Engel *hoc tit. num.* 15. Garcias *part.* 3. *de beneficiis*, *cap.* 2. *num.* 53. citans Congregationem Concilii, quæ *in una nullius*, 3. *Julii* 1591. censuit, cogendos esse Curatos ad subeunda per seipsos, & non per subditos ea munera, ad quæ tenentur &c. Accedit ratio: quia residere, est Ecclesiæ deservire per seipsum, *cap.* 3. & 4. *h. t.* estque uberius dictum supra §. 1. *num.* 3 & 5. Atqui istud non præstat Parochus, omnia munera Parochialia exercens duntaxat per suos Capellanos; & consequenter cessante alio legitimo impedimento, peccat, neque satisfacit præcepto residentiæ. Eò præsertim, quia in Parochis censetur electa industria personæ; sicque majorem erga ipsos confidentiam solent parochiani concipere, quam erga Capellanos, seu cooperatores suos, qui cum plerumque sint Sacerdotes minùs practici, vel saltem inopes & egentes, minoris etiam existimationis esse solent. Unde in *cap. Extirpandæ*, 30. §. *Qui verò de præbend.* notanter dicitur: *Qui vero parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium* (Capellanum, sive cooperatorem) *sed per seipsum illi deserviat, in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit*.

Per hoc tamen non negatur, quin parochus pro meliori curæ animarum, atque officiorum parochialium executione, nec non & aliquali sua quiete possit unum, vel plures cooperatores habere etiam relinquendo ipsi, aut ipsis, munera magis ardua; veluti ire de nocte ad infirmos, peragere Divina officia in Ecclesiis filiabus distantibus, Confessiones multas audire, ac hujusmodi. Nam hoc ipsum probat recepta consuetudo, quæ est optima legum interpres; imò subinde expostulat ipsa multitudo parochialium onerum, per solum parochum non facilè expendiendorum. Dummodo tamen ejusmodi cooperatore parochus discrete utatur, videlicet ut socio laboris, & non ut homine, qui solus portet onus diei & æstus: simulque ipsemet parochus, cessante justo impedimento, aliqua etiam munia Pastoralia, præsertim principaliora, personaliter præstare non intermittat: atque, ubi is ob specialem quandoque erga eum conceptam confidentiam nominatim vocatur, & expectatur; non recuset venire, curamque & Sacramenta per semetipsum administrare: nec non in maiori v. gr. copia confitentium, ad minus sese præsentem in Ecclesia exhibeat ut Parochiani, si velint, possint ipsum eligere Sacramentorum administratorem, sive confessarium. Barbosa *d. part.* 1. *de offic. Paroch. cap.* 8. *num.* 41. citans alios. 86

Resp. II. Et si Parochus in Parochia personaliter 87
existens, sed munia parochialia solummodo exercens per suos Capellanos & cooperatores, cessante justo impedimento graviter peccet, ut dictum: nihilominus non videtur is teneri ad restitutionem fructuum, neque incidit in alias pœnas non residentium. Ita Garcias *d. part.* 3. *cap.* 2. *numer.* 53. *V. Nihilominùs* post Ugolinum *de Offic. Episcop. cap.* 15. §. 3. *num.* 3. ac ex parte favet Engel. *hoc tit. num.* 16. contra Sylvestrum *V. Residentia*, *num.* 1. & 6. Joan. Sancium *in Selectis*, *disputat.* 47. & Jacobum de Grassis *in Decis. aur. lib.* 2. *cap.* 92. *num.* 57. Ratio Conclusionis est: quia hujusmodi parochus residet corporaliter; simulque constituendo, suisque sumptibus alendo idoneos Capellanos seu cooperatores, curam gerit ut munia parochialia ritè peragantur: ergo in toto rigore juris non potest dici abesse, & non residere ad effectum amissionis fructuum: haud obstante quod Officium suum, prout deberet, per semetipsum non exerceat, sicque suæ obligationi in Foro conscientiæ non satisfaciat. Probatur consequentia: tum quia pœnæ non sunt exasperandæ, sed potius restringendæ, *cap. Odia restringi*, 15. *c. In pœnis*, 49. *de reg. jur. in* 6. cum concordantiis. Tum quia in tali casu adhuc obtinetur finis præcepti, videlicet cura animarum, residetque gubernatio parochianorum; etsi non eo modo, quo deberet: unde licet talis parochus peccet, male officium suum peragendo; non tamen videtur amittere fructus ipso jure, cum illud quoad substantiam adhuc adimpleat.

88 Quæritur IV. Ex quibus causis possit parochus abesse, suæque Ecclesiæ deservire per Vicarium? Resp. I. Hujusmodi causas esse multiplices: adeò, ut Joannes de Selva *Tractatuum Tom.* 15. *tract. de beneficio*, *quæst.* 6. viginti quinque earum enumeret. Et quidem generatim loquendo, quæcunque honesta causa, quæ Episcopi arbitrio justa reputatur, sufficit ad bimestre tempus absentiæ parochi cum licentia Episcopi, & constituto interim idoneo Vicario. Ita Abbas *cap. Relatum*, *num.* 1. *h. t.* & Jo: de Selva *cit. cap.* 6. *num.* 37. & alii, asserentes, ut Clericus licitè se absentet à suo Beneficio, duo requiri, videlicet causam honestam, & licentiam Episcopi; sicque generatim quævis causa honesta, per Ordinarium approbata, censetur sufficiens, Garcias *part.* 3. *de beneficiis cap.* 2. *num.* 22. & 97. istud exemplificans in causa recreationis, & visitandi amicos, seu propinquos, & hujusmodi. Accedit ratio: quia residentia parochorum debet intelligi humano modo: neque enim quasi compedibus alligati, tenentur semper esse præsentes suæ Ecclesiæ, sed debet dari aliqua vacatio. Eò præsertim, quia qui parum abest, non censetur abesse, utpote brevi reversurus, juxta dicta superius *n.* 2.

89 Resp. II. Loquendo de ejusmodi causis in specie, principaliores causæ excusantes parochum ad tempus à residentia personali cum licentia Ordinarii, sunt illæ quatuor, quas Concilium Tridentinum *sess.* 23. *c.* 1. *de ref.* enumerat; videlicet, *Christiana charitas*, *urgens necessitas*, *debita obedientia*, *ac evidens Ecclesiæ*, *vel Reipublicæ utilitas*: atque (servata proportione) debent intelligi conformiter dictis supra §. *præced. num.* 42. 43. & *seqq.* Et quidem

90 *Christiana charitas* nonnunquam postulat parochum abesse, quando abest ad juvandam aliam privatam Ecclesiam, vel ad dirimendas lites, aut sedanda odia; quæ inter quosdam suborta fuerunt, & hujusmodi; dummodo ex tali sua absentia non oriatur notabile damnum in propria Ecclesia. Barbosa *p.* 1 *de Offic. Parochi*, *cap* 8. *nu.* 49. Azorius *p.* 2 *lib.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 4. Jo: de Selva *cit. q.* 6. *n.* 9. & 13. & alii.

91 *Urgens necessitas* excusat parochum à residentia personali, quando ad tempus abest ob morbum suum curandum; vel ad devitandas capitales inimicitias, contra ejus personam subortas; aut ob aliud vitæ, vel salutis, sive libertatis periculum ad tempus declinandum. Dummodo id fiat de licentia Episcopi, simulque constituto idoneo Vicario non immineat ex sua absentia detrimentum ovium suarum in spiritualibus: nam si istud subesset, ex nulla causa posset abesse; quia bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis, *Joan. cap.* 10. Barbosa *loc. cit. num.* 47. cum aliis; concordant dicta superius §. *præc. num.* 34. & 45.

92 Et quidem, quod attinet capitales inimicitias, posse Prælatum vel parochum abesse, patet ex *can. pastoralis*, 7. *q.* 1. cum similibus. Circa quod tamen notandum cum Fagnano in *cap. Clericos*, *num.* 25. & 26. *hoc tit.* quod in tali casu Sacra Congregatio Concilii consueverit litteras dare ad Episcopum loci ut si veræ sint & graves inimicitiæ, & absque parochi culpa subortæ, licentiam huic det manendi in alio tutiori ac viciniori loco, sed durantibus duntaxat inimicitiis, dum tamen non ultra sex menses durent: interim verò constituat idoneum Vicarium, suasque partes interponat, ut parochus tutò residere possit. Quod si intra sex menses necdum sedatæ fuerint inimicitiæ, rescribit Episcopo, ut det illi sex mensium prorogationem, sed sine spe ulterioris prorogationis: posteà enim, ut consulatur curæ animarum, inducendus est parochus ad resignandum, vel permutandum suum Beneficium, *arg. c. Ad supplicationem*, 9. *de Renunciation.*

93 *Debita obedientia* excusat parochum à residentia, quando ipse abest, ut pareat mandato Papæ, vel ejus Legati, aut Episcopi, justum obsequium, aut debitum officium impetrantis: quale esset, visitare Provinciam, vel Diœcesin, aut certam partem illius; vel eidem præsentialiter assistere in certo negotio, ac hujusmodi.

Verum circa hoc est sciendum, quod Episcopus non 94
possit uti opera parochi in visitatione, vel alio servitio suæ Ecclesiæ, nisi pro tempore duorum mensium, à Concilio Trident. *sess.* 23. *c.* 1. *de ref.* permissorum; ac tunc idoneus Vicarius deputetur. Et ita à Sacra Congregatione super *c. c.* 1. fuisse declaratum, refert Garcias *p.* 3. *de beneficiis c.* 2. *n.* 40. & 42. Barbosa *p.* 3. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 53. *n.* 86. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 6. *n.* 258. allegans in terminis ipsam Declarationem. Jacob. Pignatellus *Consult. Canonicar. Tom.* 7. *consult.* 4. *num.* 3. & 4. & alii.

Insuper non potest Episcopus pro Cathedralis Ecclesiæ 95
servitio, & item suo, aliquem ex Curatis suæ Diœcesis ab ipsorum ecclesiis avocare, atque constituto in illis idoneo Vicario, ad certa negotia adhibere; neque potest uti opera ipsius Curati pro Secretario, vel Vicario, Visitatore, Fiscali, &c. Pignatelus *loc. cit.* Garcias, *ubi suprà*, Barbosa *n.* 86. & 87. Gonzalez *d. nu.* 258. referens Declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Addit idem Gonzalez *ibid num.* 265. & Barbosa *num.* 87. eandem Sacram Congregationem censuisse, quod *Inquisitoris officium exercens*, *à residentia Parochialis non excusatur*. Idem dicendum de similibus, quando parochus abest ultra duos menses à loco beneficii, de quo plura citati Authores.

Evidens tandem *Ecclesiæ*, *vel Reipublicæ utilitas* excu- 96
sat parochum à residentia, quando ritè ac legitimè citatus, accessit Synodum Generalem, vel provincialem, aut Diœcesanum; sicque, constituto interim idoneo Vicario, abest à sua parochia. Idemque dicendum, quando Curatus abest pro lite ecclesiæ suæ, vel pro obtinenda à Superiore reformatione in variis emergentibus. Barbosa *p.* 1. *de offic. parochi*, *c.* 8. *n.* 49.

Resp. III. Extra prædictas quatuor causas dantur non- 97
nulli alii casus, in quibus, Jure sic disponente, ecclesiæ parochiali potest deserviri per Vicarium. Sic imprimis fit, quando ecclesia parochialis est unita cuipiam Monasterio, Capitulo, aliique pio Loco: quia tunc in ipsa constituendus est idoneus Vicarius cum fructuum assignatione; ut *c. de Monachis*, 12. *h. t.* & *c.* 3. *eod. in* 6. juncto Conc. Trid. *sess.* 7. *c.* 7. *de ref.*

Deinde idipsum contingit, quando ecclesia parochia- 98
lis accessoriè unita est Dignitati, vel præbendæ Canonicali in ecclesia Cathedrali, vel collegiata. Tunc enim is, qui talem Dignitatem, vel Canonicatum habet, tenetur residere in Dignitate, vel Canonicatu; eique per se ipsum deservire: in parochiali vero ecclesia debet constitui Vicarius perpetuus. Textus est in *c. Extirpandæ*, 30 §. *qui verò hoc tit.* addita ea ratione. *Cum oporteat eum in maiori Ecclesia deservire*.

Ubi tamen notandum, quod B. Pius V. in sua Consti- 99
tutione 65. quæ incipit, *Cupientes pro nostri* (& habetur *Tom.* 2. *Bull. Rom.*) Motu proprio decreverit, ut quacunque dispensatione Apostolica habentes ecclesiam parochialem, & Canonicatum, aut Dignitatem, etiam post Pontificalem majorem, teneantur residere in ecclesia parochiali: *Cum prima* (inquit Pontifex) *& præcipua debeat esse cura animarum*. Ita tamen, quod sic residentes in ecclesiis parochialibus lucrentur fructus sui Canonicatus, vel Dignitatis, exceptis distributionibus quotidianis prout expressè habetur in citata Bulla B. Pii V. cujus etiam meminerunt Gonzalez *d. Gloss.* 6. *nu.* 269. & *seqq.* Garcias *c. p.* 3. *c.* 2. *n.* 179. *V. Septima*. Fagnanus *c. Quia in tantum*, *num.* 25. *de præbend.* & alii. Quamquam hoc ipsum patiatur aliquam exceptionem quoad carentiam distributionum, juxta dicenda inferius §. 7. *num.* 209.

Verum hæc Bulla B. Pii V. non loquitur de ecclesiis pa- 100
rochialibus, quæ accessoriè, ac in perpetuum unitæ sunt alicui Canonicatui, aut Dignitati; sed duntaxat de ecclesiis parochialibus per se stantibus, quæ tamen ex dispensatione Apostolica obtinentur una cum Canonicatu, vel Dignitate quapiam. Alioquin enim ecclesia accessoriè, ac in perpetuum unita Dignitati, vel Canonicatui, induit quasi naturam hujus, & sortitur proprietates ipsius dignitatis, seu Canonicatus simplicis, cui tanquam principali fuit accessoriè unita, atque efficitur ipsius prædium. Et hoc respectu *in cit.* §. *qui vero h. t.* Dignitas, vel Canonicatus, censetur maior ecclesia parochiali; atque juxta dictum paragraphum oportet residere in ecclesia Di-

Dignitatis, aut præbendæ, veluti in majori, constituto interim in Ecclesia Parochiali idoneo Vicario. Fagnanus *cap. Extirpandæ, cit. §. qui vera, num. 29. de præbend.* & alii.

101 Tertio id contingit, quando quis habet duas Parochias invicem perpetuo unitas æquè principaliter, & non una earum alteri unita accessoriè: idemque dicendum, quando quis simul habet duas parochiales ecclesias ex legitima dispensatione Apostolica. Tunc enim hoc ipso, quod non possit replicari, seu se dividere in duos, serviet alteri Ecclesiæ per Vicarium, *arg. c. cap. Extirpandæ, 30. §. qui verò, h. t.* Ita tamen, ut resideat in digniori: vel, si ambæ sint pares, adeò ut neutra sit dignior, vel principalior altera, possit residere, in qua maluerit. Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. gloss. 6. num. 268. & 269.* Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 53. num. 82.* Garcias *cit. part. 3. cap. 2. numer. 179. V. Decimasexta*, asserens Sacram Congregationem Concilii ita declarasse, atque rescripsisse episcopo Abulensi, *15. Martii*, 1575. ubi etiam universim viginti septem Declarationes ejusdem S. Congr. huc facientes allegat.

102 Quæritur V. An propter pestem grassantem, vel hostilem incursum, excusetur parochus à residentia personali? Resp. I. Et si non pauci Doctores *ad urgentem necessitatem*, quæ excusat Curatum à residentia personali, reducant bellum, sive hostilem incursum, ac pestem sævientem, ut Azorius *part. 2. lib. 7. capit. 4. quæstion. 4.* Pirhing. *hoc t. num. 23.* & alii: nihilominus hæc doctrina sic universaliter tradita non subsistit, nisi benignè, ac modo sequenti intelligatur, juxta Declarationem Sacræ Congregationis, quam refert Fagnanus *in c. Clericos, n. 38. & seqq. h. t.*

103 Imprimis enim Sacra Congregatio Concilii Tridentini ad dubia, instante S. Carolo Borromæo, Archiepiscopo Mediolanensi, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale proposita, 1576. *die 11. Octobr.* respondens declaravit, parochos tempore pestis teneri in parochialibus residere. Quod ipsum ob paritatem rationis intelligendum est de tempore belli, seu hostilis incursus; ne tempore tam periculoso destituantur Oves spirituali auxilio pastoris sui; contra illud Salvatoris, Ioannis capit. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Deinde eadem Congregatio censuit parochum teneri eodem tempore parochianis suis peste laborantibus ministrare duntaxat duo Sacramenta, nempe Baptismum, & Pœnitentiam, seu Confessionem: posse tamen ea ministrare vel per se, vel per alium (cæteroquin idoneum) ea potissimum ratione, ut parochus possit audire Confessiones sanorum qui aliàs eum reformidarent, si viderent ipsum accedere ad pestilentes, sicque nollent ipsi confiteri, veriti contagionem: utque etiam ipsemet parochus conservata sanitate officio hortandi, prædicandi, consolandique suos parochianos uberiùs, & pleniùs fungi valeat: Ita Fagnanus *cit. cap. Clericos, num. 38. & 39. hoc tit.* posteà referens nonnullas alias Sacræ Congregationis Declarationes, & quidem approbatas à Sanctissimo, quæ omnes tendunt in idipsum, videlicet, parochos tempore pestis teneri residere, atque memorata Sacramenta omnino ministrare vel per se, vel per alium idoneum Substitutum.

104 Insuper dicta Sacra Congregatio Concilii declaravit, parochos contumaces non ideo statim privandos esse suis beneficiis, quod tempore pestis absint à ipsis ecclesiis, sed agendum prius bonis verbis, & piis cohortationibus, atque admonitionibus, ac postmodum præmisso Edicto, seu monitionibus, contra eos procedendum esse sicuti Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 1. de reform.* mandavit: videlicet, primò per censuras ecclesiasticas, secundo per sequestrationem, & subtractionem fructuum, ac tandem per alia Juris remedia, etiam usque ad privationem beneficii. Fagnanus *loc. cit. n. 41.* Adde dicta superius *n. 63 & 65.*

105 Objicies autem contra priorem Declarationem Sacræ Congregationis. Potest parochus de licentia episcopi, ac substituto idoneo Vicario, discedere à loco beneficii causa curandæ infirmitatis, pergendo, v. gr. ad thermas &c. aut causa declinandarum capitalium inimicitiarum, juxta dicta *num. 91. & 92.* Ergo eadem ratione poterit recedere tempore belli, aut pestis grassantis: ne alioquin sani fugerent parochos, simulque parochi omnes brevi morerentur, aut ab hostibus occiderentur, cum magna jactura Reipublicæ Christianæ. Resp. neg. consequent. cum sua probatione. Quia exinde ad summum sequitur, quod parochus tempore pestis possit Sacramenta per alium ministrare hoc morbo laborantibus: non autem, quod possit à sua parochia recedere, atque personali residentia excusetur, ob dicta *nu. 103.* Neque urget adducta instantia de parocho infirmo, ad thermas v. gr. discedente, vel capitales inimicitias declinante. Disparitas enim est inter casum, quo solius parochi vita periclitatur ob contractum morbum adhuc curabilem, vel ob capitales inimicitias ejus particulari personæ imminentes, & inter casum, quo omnibus parochianis communiter tale periculum imminet; ut tempore pestis, belli, ac hujusmodi. In priori enim casu benè potest parochus cum licentia episcopi, & constituto idoneo Vicario recedere, quia ex suo discessu nullum; cum vita duntaxat sua privata periclitetur, simulque per constitutum Vicarium æquè possit esse tuta salus parochianorum. Secùs dicendum in altero casu, ubi commune periculum subest, atque parochus residens adhuc potest prodesse sanis, ipsosque exhortando, consolando, verbum Dei proponendo ac Sacramenta administrando, in via mandatorum Divinorum corroborare. Adde dicta superiùs §. *præc. n. 44. & 45.*

106 Resp. II. Notandum tamen est parochis, atque constitutis ipsorum Vicariis, ut tempore pestis in administrandis Sacramentis cautè se gerant; ne ex ipsorum præmatura morte plures alii spirituale damnum patiantur. In quem finem plures regulæ, seu cautelæ, dari solent à Medicis, atque Theologis: uti sunt, ex præscripto Medici habere ad manum bona præservativa contra pestem: ægrotos non visitare jejuno stomacho; aut, si necessitas urgeat (nam morbus hic dilationem non patitur) apponere ad nares parum Theriacæ, aut strophiolum aceto tinctum, vel aliud hujusmodi præservativum. Salivam, utpote vehiculum malignitatis, apud tales infirmos non deglutire, sed semper expuere. Limonibus, aut eorum corticibus, ante accessum infirmorum vesci, quod esse saluberrimum remedium docuit experientia: aut alio tali præservativo cor contra venenatum aerem præmunire. Insuper excepturus Confessionem ægri peste laborantis, audiat eum à longe, & si fieri potest, curet, ut accedat ad fenestram, vel januam: sin minùs, jubeat, ut in cubiculo decumbentis fiat fumus salutaris contra pestem, atque ægrotus vertat faciem ad alteram partem, tegumenta quoque lectuli non moveat, ne venenatus ejus halitus, aut aer e lectulo egrediens apprehendant Confessarium, ipsumque pariter inficiat. Tacentur aliæ tales cautelæ, simulque modus in administratione Sacramentorum tunc observandus, de quo, præter propria Ritualia Diœcesana, videri poterit Layman *lib. 5. tr. 6. c. 13. n. 4.* Engel *h. t. nu. 19.* Jo: Chapeaville *in Tractatu De necessitate & modo ministrandi Sacramenta tempore pestis.*

§. IV.

De Residentia Canonicorum, & Clericorum simplex Beneficium habentium.

SUMMARIUM.

107 *Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, tenentur residere; adeo, ut non possint ultra tres menses singulis annis abesse.*

108 *Nec satisfaciunt suæ obligationi, nisi cantent in Choro, cæteraque officia personaliter peragant.*

Notabilis admonitio Sancti Caroli Borromæi quoad hoc Ibid.

109 *Rigor ille Juris Communis non ubique est usu receptus.*

110 *Valetque contraria consuetudo.*

De

111 *De Jure communi tenentur Canonici omnibus Horis, singulisque diebus interesse, excepto trimestri.*

112 *Et an valeat contraria consuetudo?*

113 *Canonici possunt singulis annis per tres menses abesse, dummodo &c.*

Pro eo tamen tempore non lucrantur distributiones. Ibid.

114 *Mensis ejusmodi debet continere triginta dies, sive continuos, sive interpolatos.*

115 *Extra tamen Natale, & Pascha Domini, aliasque Solemnitates majores.*

116 *Ad absentiam trium mensium non requiritur allegatio causæ, vel petitio licentiæ.*

Possuntque Canonici tunc abesse etiam ex causa recreationis. Ib.

117 *Dummodò non omnes Canonici simul absint. Et num. 114.*

118 *Potest Episcopus ob legitimam causam dare canonicis licentiam, ut abesse valeant quatuor mensibus.*

119 *Si per specialem Ecclesiarum constitutionem, aut consuetudinem, longius servitii tempus requiratur, non est licitum Canonicis per tres menses abesse.*

120 *Alioquin non residentes constituto tempore, incidunt in pœnas Concilii Tridentini.*

121 *Et quid, si constitutio, vel consuetudo alicujus Ecclesiæ, requirit servitium totius anni?*

122 *Quæ sint causæ Canonicos excusantes à residentia personali.*

123 *Canonici ex justa causa absentes, non tenentur relinquere Substitutum.*

124 *Pœnæ Canonicorum non residentium, quæ? Et nu seq.*

125 *Canonicus illicitè absens, non tenetur fructus restituere ante sententiam condemnatoriam Judicis; etsi secùs sit in episcopis, aliisque Curatis.*

126 *Ad incurrendam à Canonico non residente pœnam privationis fructuum, non est opus prævia monitione, ut resideat.*

127 *Fructus illi, quibus Canonici non residentes privantur, cui debeant applicari.*

128 *Hujusmodi pœnam non potest episcopus remittere in totum: benè tamen ante sententiam minuere, vel augere.*

129 *Crescente contumacia, contra Canonicos non residentes procedendum est juxta Sacrorum Canonum constitutiones.*

130 *Unde hodie non possunt statim privari suis beneficiis, etsi intra terminum sibi præfixum non redierint: quidquid olim fuerit.*

131 *Sed expectandus est lapsus trium annorum, ac servandi gradus pœnarum à Concilio Tridentino præscripti. Et num. seq.*

132 *In quo consistant constitutiones Sacrorum Canonum, juxta quas contra Canonicos, contumaciter triennio absentes, procedendum est.*

133 *Quid dicendum de residentia clericorum, simplex duntaxat beneficium habentium.*

107 Quæritur I. Qua ratione Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, residere teneantur? Resp. I. Omnes isti tenentur residere in Ecclesiis suis: adeo, ut non liceat ipsis ultra tres menses ab eisdem quolibet anno abesse: salvis tamen earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt; sicque absentiam trium mensium non concedunt. Textus est in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 12. de ref. §. præterea*, ubi taliter statutum legitur: *Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Hæc ibi. Concordat *can. conquerente 6. & c. penult. h. t. & c. extirpandæ 30. §. Qui verò de præbend.* ubi satis indicatur, Canonicos esse adstrictos ad personalem residentiam.

108 Resp. II. Quantum est de rigore Juris communis Canonici, cæterique proximè enumerati, non satisfaciunt suæ obligationi exhibendo duntaxat suam præsentiam in Choro, nisi etiam cantent, cæteraque consueta officia juxta ordinatam alternationem personaliter peragant. Ita Barbosa *c. 20. de canonicis nu. 13.* referens Declarationem Sacræ Congregationis Concilii; *sub die 20. Aprilis* 1602. respondentis, eos teneri omnino psallere; alioquin obligationi suæ non satisfacere, Fagnanus *c. Licet num. 89. de præbend.* asserens, articulo hoc diligenter discusso in Canonicis Basilicæ S. Petri de Urbe, ita declarasse S. Congregationem *die 12. Novembr.* 1592. Garcias *p. 3. de Beneficiis cap. 2. n. 324. 325. & seq.* allegans plures ejusmodi Declarationes. Idque clarè patet ex Concilio Tridentino *citat. sess. 24. cap. 12. §. Omnes verò de reformat.* in hæc verba statuente; *Omnes vero Divina per se, & non per substitutum, compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsistere, & inservire: atque in Choro, ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devoteque laudare.* Unde Sanctus Carolus Borromæus *in Monitionibus ad Canonicos*, per Barbosam *part. 3. de offic. & potest. Episcop. allegat. 53. post num. 181.* relatis, inter alia sic loquitur: *Vos, qui in Cathedrali ecclesia Dignitates obtinetis Canonici item --- attentè, studiosè, ritè, piè, religiosè Divinas laudes concelebrate, & psallite Deo in conspectu Angelorum, cantantes in cordibus vestris Domino. In Choro nemo privatim, nemo tacitè Officium recitet: sed omnes pariter, quicunque adestis, senes cum junioribus laudate nomen Domini in Psalmis, Hymnis, & Canticis.* Hæc ille. Accedit ratio; quia *Residere* nihil aliud est, quàm Ecclesiæ personaliter deservire in Divinis Officiis, *cap. conquerente 6. h. t.* cum similibus; estque jam dictum suprà *num. 3. & 4.*

109 Additur tamen in Conclusione, *Quantum est de rigore juris communis*. Fatendum enim est, quod rigor iste Juris Canonici, Sacrique Concilii Tridentini, non ubique sit usu receptus, vel saltem non nihil contraria consuetudine temperatus. Nam alicubi solent quidem Canonici alternis vicibus, saltem in Festis principalioribus, Officiatorem agere, atque Episcopo solemniter celebranti assistere, & ministrare, vel etiam Antiphonarum initia canendo inchoare: reliqua verò constitutis Musicis, vel Capellanis suis, cantu prosequenda, seu peragenda relinquere, atque interim meditando, sive privatim Horas Canonicas, aliasve preces recitando, Choro decenter atque reverentialiter assistere, idque sic permittente longæva consuetudine, *arg. cap. ult. de consuetudin.* cum similibus.

110 Et quidem hujusmodi consuetudinem valere, censet Gavantus *tom. 2. de rubr. Missal. sect. 1. c. 5 tit. 5. n. 4.* monens tamen Episcopos, ne fiat abusus, Azorius *p. 1. lib. 10. c. 11. quæst 5.* Lessius *lib. 2. de just. & jur. c. 34. dubit. 33. n. 185.* Garcias *p. 3. de benef. cap. 2. num. 517. ac seq.* Sanning *h. t. c. 4. num. 9* Castro Palao *p. 2. disp. 3. punct 3. num. 5.* pluresque alii ab his citati. Accedit ratio: quia talis consuetudo non est contra Jus naturale, vel Divinum, sed contra Ecclesiasticum duntaxat; ergo subintrat dispositio *c. ult. de consuetud.* Eo præsertim, quia hujusmodi consuetudo non est contra rationem, nec continet turpitudinem: quin potiùs videtur promovere decorem, atque splendorem ecclesiarum, hac ratione varios habentium Ministros ad cultum Divinum deputatos, per quos etiam Divinum Officium magnificentius & suavius decantari solet cùm Canonici sæpiùs voce, suavitate, vel peritia canendi careant.

111 Resp. III. De Jure communi tenentur ulteriùs Canonici omnibus Horis, singulisque diebus interesse, excepto trimestri proximè declarando. Ita Barbosa *par. 3. de offic. & potest episcop. alleg. 53. num. 133.* Garcias *c. cap. 2. num. 324. 325. & seqq.* id desumens ex verbis Concilii Tridentini *d. sess. 24. cap. 12.* atque allegans multiplicem Declarationem Sacræ Congregationis Concilii, quarum una sic habet: *Interessentia, de qua in hoc Decreto, debet esse in omnibus diebus, & horis officiis Divinis interesse, & inservire, præterquam in tribus mensibus singulorum annorum, nisi ecclesiæ constitutiones longius servitii tempus requirant.* Alia, & per Garciam *loc. cit. nu. 329.* post plures alios relata, sic ait: *Non valet Statutum, ut una hora, vel duabus interessentes lucrentur massam grossam, sive Præbendam, amissis distributionibus quotidianis.*

112 Addit Theodosius Rubeus *inter Disceptationes Forenses Stephani Gratiani, cap. 298. num. 20.* quem refert Barbo-

sa

fa cit. n. 133. quod Canonici non possint juvari aliqua consuetudine, quin teneantur omnibus septem Horis inservire. Verum Garcias *loc. cit. n.* 330. asserit, istud non servari, nec esse receptum in Hispania, in cujus ecclesiis communiter lucrifit grossa, seu præbenda, residendo una Hora: quæ consuetudo videtur valere. Cæsar de Graffis *Decis.* 116 *num.* 8. Et potest sustineri (inquit Garcias *cit. num.* 330.) saltem dum per Superiorem, aut Capitulum non sit aliud ordinatum. Concordant dicta superius *n.* 109.

113 Quæritur II. An, & qualiter liceat Canonicis per singulos annos trimestri abesse? Resp. I. Certum est, quod Canonici, juxta Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 12. de ref.* singulis annis per tres menses abesse valeant dummodo speciales ecclesiarum constitutiones longius servitii tempus non requirant. Patet istud ex verbis ejusdem Concilii, *n.* 107. relatis. Quamquam notent Doctores, quod Canonici licitè quidem absint tribus mensibus, non tamen pro eo tempore lucrentur distributiones quotidianas, sed solum fructus grossos. Gonzalez *ad reg. 8. Canc. §. 7. proœm. nu.* 182. allegans Declarationem Sacræ Congregationis 3. *Augusti*, 1586. Fagnanus *cap. Licèt, num.* 32. & 92. *de præbend.* allegans pariter Declarationem Sacræ Congregationis Concilii: & concordant dicenda inferius *num.* 175.

114 Resp. II. Hujusmodi mensis debet continere triginta dies, ac proinde tres menses constituunt nonaginta dies: & quia Concilium Tridentinum absolutè illos concedit, hinc dies illi possunt esse vel continui, vel interpolati, ita tamen, quod interpolati dies absentiæ non superent trimestre. Ita Garcias *cit. part. 3. c. 2. n* 306. allegans Rotam *in una Salamantina Canonicatus*, 20. *Junii*, 1572. Barbosa *p. 3. de offic. & potest. episc. alleg.* 53. *num.* 120. Fagnanus *cap. Licet, num.* 54. & 55. *de præbend.* allegans Declarationem Sacræ Congregationis, a Sanctissimo approbatam, sub hac tamen limitatione, videlicet: Ut non omnes Canonici possint abesse eodem tempore, ne ecclesia destituatur debito servitio; ac proinde tantum illa quota Canonicorum simul abesse valeat, quæ videbitur arbitrio Episcopi, & Capituli. Siquidem Concilium non dedit pro absentia tres menses Capitulo, sed Canonicis; scilicet, singulis, per vices.

115 Addit Zerola *p. 1. praxis episcopal. V. privatio, §. Tertium dubium, an omni tempore &c.* Garcias *c. p. 3. c. 2. num.* 317. Barbosa, *ubi suprà, num.* 119. allegans alios, quod Sacra Congregatio *Declarat.* 153. responderit, quod ejusmodi tres menses non debeant incurrere in Natale, aut Pascha Domini, vel alias tales maximas Solemnitates. Quod quidem æquissimum est, & idem Concilio Tridentino, *Sess. 23. capit. 1. de reformation.* ita expresse admonenti Episcopos, conforme: quamquam & istud non ubique servari, ultro fateatur Garcias *loc. cit. n.* 318.

116 Resp. III. Ad absentiam trium mensium, à Concilio Canonicis concessorum, non requiritur alia allegatio causæ, vel petitio licentiæ Superioris; dummodo non omnes Canonici simul absint. Ita Barbosa *cit. alleg.* 53. *n.* 118. Garcias *c. 2. n.* 314. & 315. allegans multiplicem Declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Fagnanus *c. cap. Licèt, num.* 52. *de Præbend.* pariter attestans, ita censuisse Sacram Congregationem. Nec immerito: quia, ubi non obstat specialis Ecclesiarum constitutio, aut consuetudo, ipsummet Jus commune, sive Concilium Tridentinum, tribuit Canonicis licentiam abessendi tribus mensibus, etiam ex causa recreationis, seu refocillationis animæ & corporis: quæ causa cum semper subesse dignoscatur opus non est, hanc vel aliam allegare.

117 Additur verò, *dummodo non omnes Canonici simul absint.* Tum ne ecclesia debito servitio destituatur, tum quia non Capitulo, sed Canonicis duntaxat, videlicet per vices, abesse licet; ut jam dictum *n.* 114. Unde quia illa solum quota Canonicorum eodem tempore abesse potest, quæ videbitur arbitrio Episcopi, vel Capituli, meritò Canonici discessuri apud Superiorem sese insinuant: quamvis remanentibus aliis, pro servitio Ecclesiæ sufficientibus, speciali licentia non indigeant, neque prohiberi possit.

118 Resp. IV. Potest episcopus ob legitimam causam dare Canonicis suis licentiam, ut abesse valeant quatuor mensibus. Ita Barbosa *loc. c. num.* 123. asserens ita fuisse decisum. Garcias, *ubi suprà nu.* 411. & 413. referens tales Declarationes. Fagnanus *d. c. Licèt n. 47. de præbend.* ubi refert, quod Sanctissimus, die 7. Octobris, 1580. audita relatione Congregationis, impertitus sit facultatem episcopo, ut possit singulis annis, si sibi justæ causæ dispensandi videbuntur, licentiam concedere Canonicis non residendi per alium mensem ultra tres: in eo tamen numero, qui episcopo visus fuerit, ne cultus Divinus deferatur. Hinc Archidiaconum ratione visitationis ei incumbentis posse abesse ultra tres menses: declaravit S. Congreg. Concilii, relata per Garciam *cit. part. 3. de beneficiis, c. 2. n.* 332.

119 Resp. V. Quod si per specialem Ecclesiarum constitutionem, aut consuetudinem, longius servitii tempus requiratur, tunc non est licitum Canonicis, per tres menses abesse: adeò, ut si non resederint constituto tempore, incidant in pœnas: de quibus Concilium Trident. *d. sess. 24. cap. 12.* loquitur. Prima pars est certa, & communis. Nam Concilium *cit. cap.* 12. non indulget Canonicis quarumcunque ecclesiarum absentiam trium mensium: quia non procedit concedendo, sed prohibendo, ut *non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses --- abesse.* Quinimò idipsum Concilium expresse præservat Constitutiones ecclesiarum, quæ longius servitii tempus requirunt, ibi: *Salvis nihilominus earum ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Unde notat Fagnanus *cit. cap. Licèt num. 51. de præbend.* quod Canonicis per constitutiones suarum ecclesiarum ad longius residentiæ tempus adstrictis, atque postulantibus ex gratia vacationem trium mensium, Sacra Congregatio suo tempore semper abnuerit.

120 Altera pars est Fagnani *loc. cit num.* 50. & Barbosæ *d. alleg. 53. num.* 146. & Garciæ *cit. cap. 2. numer.* 144 allegantis Declarationem Sacræ Congregationis. Nam proposito dubio. An Canonici, qui majori servitio Ecclesiæ, quam novem mensium sunt astricti, subjaceant, si non resederint, eisdem pœnis, de quibus *in dict. cap.* 12. Sacra Congregatio censuit, Subjacere.

121 Et hoc indubitate procedit, quando constitutiones, vel consuetudines Ecclesiarum requirunt longius servitii tempus citra totum annum; putà, decem vel undecim mensium. Quod si vero cujuspiam Ecclesiæ constitutio, aut consuetudo requirat servitium totius anni, tunc dubium oriri posset. Et quidem non esse tunc licitum Canonicis, abesse per tres menses, videntur convincere rationes pro prima parte Conclusionis *n.* 119. allatæ. Oppositum tamen, seu in tali casu locum habere absentiam trium mensium, censet Garcias *cit. part. 3. cap. 2. num.* 311. & 312. istud probans ex eo: tum quia residentia totius anni nimis dura videtur, maximè spectata fragilitate humana. Tum quia ita Sacra Congregatio censuit *in una Asloricen.* his verbis: *Decretum Concilii capit. 12. Sess. 24. concedit Canonicis absentiam trium mensium; si constitutiones Ecclesiæ servitium totius anni requirunt.*

122 Quæritur III. Quæ sint causæ Canonicos à personali residentia excusantes, quæque pœnæ debito tempore non residentium? Resp. I. Præter licitam absentiam trium mensium, modo proximè declarato, causæ Canonicos excusantes à residentia (prævia tamen Ordinarii approbatione, ac licentia) generatim sunt, *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas,* & si quæ aliæ huc revocari possunt, juxta Concilium Trid. *sess. 23. cap. 1. de refor.* estque jam dictum suprà *nu.* 42. *& seqq. at num.* 80. *& seqq.* Concordat *cap. fin. h. t. in* 6. ubi Canonici non solum abesse, sed etiam distributionibus quotidianis gaudere sinuntur, *quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas excusat:* de quo tamen plurà inferius §. 7. *n.* 186 *& seqq.*

123 Solum nota, quod Canonici ex justa causa absentes, non teneantur relinquere substitutum, ac per hunc interim deservire, non obstante immemoriali consuetudine, prout à Sacra Congregatione Concilii declaratum fuisse

fuisse, refert Garcias *d. p. 3. c. 2. n.* 197. Imo, ut inquit Fagnanus *cap. Nulla num. 73. de Concession. Præbend.* ita millies fuit resolutum. Siquidem Canonici solummodò tenentur per se deservire; atque uno, vel altero eorum ob justam causam absente, sufficit Divina Officia in Ecclesia à cæteris Collegialibus ritè persolvi: haud obstante, quòd Parochi legitimè absentes, propter curam animarum ipsis incumbentem, teneantur relinquere Vicarium. Et hæc, quantum ad primam partem propositæ quæstionis: nunc loquendo de altera

124 Resp. II. Pœnæ obtinentium in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, nec residentium, ut debent, enumerantur in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12. §. Præterea de Reform.*, sequentibus verbis: ,, Alioquin ,, primo anno privetur unusquisque (*non residens, ut supra*) dimidia parte fructuum, quos ratione etiam ,, Præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quòd si iterùm ,, eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fru- ,, ctibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente ,, verò contumacia, contra eos, juxta Sacrorum Ca- ,, nonum constitutiones, procedatur. *Hæc ibi.*

125 Ex quibus verbis infertur primò, quòd Canonicus illicitè absens, qui ob absentiam in pœnam privationis fructuum incidit, non teneatur istos ante sententiam condemnatoriam Judicis restituere: uti patet ex verbo, *Privetur*, quod non operatur ipso jure, sed per sententiam. Garcias *part. 3. de Beneficiis, cap. 2. num.* 151. & 152. post Rotam *in causa Caurien. Fructuum, coram D. Orano* 10. *Aprilis* 1592. Barbosa *cap. 20. de Canonicis, num.* 22. citans alios. Quamvis secùs sit dicendum de Episcopis, & Curatis inferioribus: hi enim, si debitè non resideant, ipso jure tenentur restituere fructus pro rata temporis absentiæ, utpote quos non fecerunt suos: adeò, *ut nec tuta conscientia, alià etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere possint;* prout expressis verbis decrevit Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 12. de Ref.* estque jam dictum suprà *n.* 50. & 51. & 59.

126 Infertur secundò, quòd ad prædictam pœnam privationis fructuum, à Canonico non residente incurrendam, non sit opus prævia monitione, ut resideat: prout satis deducitur ex allegatis verbis Concilii Tridentini, utpote nullam de præmittenda monitione mentionem facientibus; atque à Sacra Congregatione Concilii decisum fuisse, refert Garcias *c. c. 2. n.* 145. Eo tamen addito, ut Canonicus, qui ultra tres menses absuit, ante impositionem dictæ pœnæ citandus sit ad allegandam, si forsan possit, quare non debeat puniri secundùm istud Decretum Concilii.

127 Cæterum fructus illi, quibus Canonici non residentes privandi sunt, debent applicari in usum Ecclesiæ, & utilitatem, sive fabricam ipsius, quatenus indiget; aliàs alteri pio loco, arbitrio Ordinarii: prout decisum fuisse, refert Garcias *d. c. 2. n.* 146. & 147.

128 Atque hujusmodi pœnam non potest Episcopus remittere in totum, cùm non possit dispensare contra Generale Concilium: peccaretque Episcopus, si absque justa causa dissimularet Canonicum ultra tempus absentem punire. Navarrus *Consil. 3. de Cleric. non resident. num.* 1. & 2. Garcias sæpè *c. c. 2. n.* 149. & 151. Quamvis ante sententiam ex causa talem pœnam minuere, vel augere valeat. Barbosa *p. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat.* 53. *num.* 151. Garcias, *ubi suprà num.* 150. referens Declarationem Sacræ Congregationis, sequentibus verbis: ,, Fructus præbendæ, in quibus Canonici absen- ,, tes ultra tres menses mulctantur, sunt applicandi ,, Ecclesiæ, ad utilitatem ipsius: potest tamen Episco- ,, pus hanc pœnam ante sententiam minuere, vel auge- ,, re, sed non in totum tollere. Et hactenus dicta procedunt in Dignitatibus, & Canonicis, primo aut secundo anno debitè non residentibus; sicque privandis dimidia parte fructuum, aut omnibus fructibus unius anni: nunc loquendo de perseverantibus in tali negligentia residentiæ

129 Resp. III. *Crescente verò contumacia* (sive, quando Canonici primo, & secundo anno debitè non residentes, puniti sunt per privationem fructuum, ut suprà) *contra eos, juxta Sacrorum Canonum constitutiones, procedatur.* Textus est in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 12. de Ref.*

130 Ex quibus verbis infertur primo, quòd Dignitates, vel Canonici, seu Portionarii Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, si non resideant debito modo, non possint hodie statim privari suis Beneficiis: haud obstante, quòd fuissent moniti residere. Siquidem Concilium Tridentinum *loc. cit.* expressè decrevit, ut debitè non residens primo anno, seu prima vice, privetur duntaxat dimidia parte fructuum; secundo autem anno idipsum faciens, privetur omnibus fructibus illius anni: ac postmodum crescente contumacia, sive contra tertio etiam anno residere negligentem, *juxta Sacrorum Canonum constitutiones, procedatur*, videlicet, usque ad privationem Beneficii. Flaminius Parisius *lib. 1. de Resignation. Beneficiorum quæst.* 10. *num.* 63. Garcias *d. part. 3. cap. 2. num.* 140. citans alios; atque subjungens Declarationem Sacræ Congregationis Concilii, quæ ajebat: Redarguitur Episcopus, qui primo anno in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia non residentem privat. Fagnanus *c. Licèt, n. 26. de præbend.* asserens, quòd ita hodie correcta sit dispositio antiquorum Canonum, secundùm quam Canonicus absens privari poterat Beneficio, si infra congruum terminum sibi præfixum, ad residentiam non rediisset; uti habetur *c. Pervenit, 28. de Appellat. & c. Inter quatuor, 10. & cap. ult. h. t.*

131 Accedit Declaratio Sacræ Congregationis Concilii, quam idem Fagnanus *cit. num. 26 vers. Unde*, refert, videlicet (Cùm Episcopus Tarentinus olim petiisset declarari à S. Congregatione Concilii, an rectè processisset contra Subcantorem Canonicum Ecclesiæ suæ jam decem & octo menses absentem, cùm ei comminatus fuisset pœnam privationis, si intra mensem non rediret? Sacra Congregatio declaravit, Concilium clarè disposuisse, expectandum esse lapsum trium annorum, antequam ad privationem in totum procedatur; ut *in dict. cap. 12. Sess. 24. vers. Præterea obtinendus.* Nam in primo amittit non residens dimidiam, in secundo omnes fructus, in tertio privatur Titulo, & ita rescriptum fuit plurimis Episcopis.) Hactenus Fagnanus. Unde quòd necessariò servandi sint memorati gradus pœnarum, à Concilio Tridentino *loc. cit.* præscripti, antequam deveniatur ad privationem; adeò, ut hæc cæteroquin sit nulla: decisum fuisse in Rota Romana coram Illustr. Seraphino, in una Salamantina de Petroso, die 15. Decembris, 1576. & in una Oriolen. Canonicatus, 14. Martii, 1622. coram Rev. Navarro, inter alios refert Barbosa *p. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat.* 53. *n.* 148.

132 Resp. IV. Constitutiones Sacrorum Canonum, juxta quas contra obtinentes in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis Dignitates, Canonicatus, Præbendas aut Portiones, & contumaciter tertio anno non residentes, procedendum est etiam usque ad privationem, consistunt in sequentibus. Primò quidem, postquam privatio medietatis, aut omnium fructuum priorum duorum annorum præcessit, uti dictum; Canonicus ultrò contumaciter absens, seu cessante legitimo impedimento non residens, si sciatur, ubi existit, debet personaliter moneri, seu citari, ut redeat in termino, sibi arbitrio Episcopi præfigendo ad residendum; idque sub pœna privationis, nisi resipiscat, *c. Ex parte vestra*, 8. *& c. Clericos*; 17. *h. t.* Si verò ignoretur, ubi existit, tunc trinæ citationis Edictum, in valvis Ecclesiæ beneficiatæ affigendum, publicari debet; atque post ultimum per sex menses expectari, *c. Ex tuæ* 11. *h. t.* Deinde tempore isto elapso, si Canonicus cessante justo impedimento, legitimè allegato & probato, redire, atque residere contempserit, tunc *contra eum, juxta Sacrorum Canonum constitutiones procedendum est*; uti loquitur Concilium Tridentinum *dict. sess. 24. c. 12.* Ac proinde non amplius est privandus fructibus, sed beneficio, prout decisum refert Barbosa *cit. allegat. 53 num* 146. Nisi forsan contra contumaciter absentem arbitretur Episcopus, utendum esse pœnis medicinalibus suspensionis, ac excommunicationis, antequam ad actualem privationem deveniatur, juxta *c. Ex tuæ, 11. §. Contra eos, h. t.* estque jam dictum suprà §. 1. *n.* 26.

133 Quæritur IV. Quid dicendum de residentia Clericorum, simplex duntaxat beneficium habentium? Resp. breviter, circa horum residentiam non occurrere specia-

lem difficultatem. Nam beneficia simplicia vel ex generali consuetudine Ecclesiæ universalis personalem residentiam non requirunt; sed sufficit, impleri Officia Divina, Missas, aliasque obligationes per constitutum Vicarium. Vel si eadem beneficia simplicia ex fundatione, dotatione, consuetudine, aut qualibet alia ratione, personalem requirunt residentiam; contra contumaciter non residentes procedendum erit conformiter *c. Conquerente*, 6. & *c. Inter quatuor*, 10. & *cap. ultim. h. t.* estque uberiùs dictum suprà *§. 1. num. 20. ac seqq.* Siquidem de Clericis, simplex duntaxat beneficium obtinentibus, Concilium Tridentinum non reperitur aliquid speciale constituisse: sicque standum erit piæ Fundatorum intentioni, atque regulis ex Jure communi, vel generali Ecclesiæ universalis consuetudine desumptis. Vide etiam dicenda inferiùs *§. seq. num.* 160. & 161. quoad obligationem residendi ex Fundatione imposita, & longæva contraria consuetudine non observatam.

§. V.

Utrùm Beneficiarii ratione Studiorum, vel ob servitium Episcopi, aut vi consuetudinis, excusentur à residentia?

SUMMARIUM.

134 *Inter causas à residentia excusantes, communiter numeratur absentia studiorum causa; & cur?*

135 *Spectato Jure antiquo possunt Beneficiarii, etiam Curati, quinque annis abesse ratione Studii Theologiæ, vel Juris Canonici, & interim fructus percipere &c.*

Idemque dicendum de docentibus Theologiam, vel Jus Canonicum, quamdiu docuerint. Ibid.

136 *Tempus illud quinquennale posteà extensum fuit ad septennium, accedente dispensatione Episcopi.*

137 *Ut Clerici Beneficiarii studiorum causa sic possint abesse, plures requiruntur conditiones: nempe.*

138 *Ut beneficiarius studio vacaturus, non sit ultra triginta annos.*

139 *Atque accedat licentia Episcopi.*

140 *Et, si Parochus absit, interim constituatur idoneus Vicarius, per Episcopum approbandus, &c.*

141 *Sicque absens studeat in loco Studii Generalis; puta, in universitate &c.*

142 *Simulque assumat Studium Theologicum, vel Canonicum.*

Et quid de studio Philosophico, vel Juris civilis, aut Grammaticæ? ibid.

143 *Hactenus dicta potissimùm procedunt spectato jure antiquo.*

144 *Defactò privilegium percipiendi fructus beneficiorum in absentia ratione Studii, est sublatum quoad Ecclesias Parochiales.*

145 *Idque probatur. Et n. præc.*

146 *Solvitur instantia.*

147 *Refertur multiplex declaratio Sacræ Congregationis Concilii quoad hoc.*

148 *Secùs dicendum de Canonicatibus, atque beneficiis sine cura animarum residentiam exigentibus, & n. 144.*

Quod non mutatur, quare stare prohibetur? *n. 148.*

149 *Duo Canonici in servitio Episcopi constituti, integrè percipiunt fructus præbendarum in absentia, exceptis distributionibus quotidianis.*

Imò censentur esse præsentes: & quomodò? ibid.

150 *Etiamsi nunquam accedant ad Ecclesiam, sed semper in Episcopi servitio occupati existant.*

Episcopus in Ecclesia est, & Ecclesia in Episcopo. Ibid.

151 *Solvitur instantia.*

Lex generalis posterior limitatur per priorem specialiter loquentem. Ibid.

152 *Duo illi Canonici, etiam inviti, compelli valent ab Episcopo ad sibi inserviendum &c.*

153 *An illi duo Canonici, non solùm possint esse de ecclesia Cathedrali, sed etiam Collegiata? variant Doctores.*

Affirmativa sententia est probabilior, Jutique conformior. Ibid. Et n. seqq.

154 & 155 *Solvuntur contraria.*

156 *Idemque dicendum de clericis inferioribus, quando ex canonicis non adsunt æquè idonei ad servitium episcopi, exceptis tamen curatis.*

157 *Consuetudo contraria, an excuset à residentia in beneficiis? & n. seqq.*

Loquendo de beneficiis curatis, respondetur negativè. Ibid. & n. seqq.

158 *Consuetudo etiam immemorialis, inserviendi per Vicarium in Beneficio curato, fructusque in absentia percipiendi, non valet.*

159 *Consuetudo temporis immemorialis, an æquipolleat privilegio?*

160 *In beneficiis simplicibus valet consuetudo generalis excusans à residentia personali, nisi ex fundatione &c. oppositum habeatur.*

161 *Imò & data tali fundatione, potest per longævam consuetudinem obligatio residendi tolli.*

162 *Loquendo de dignitatibus non curatis, & Canonicatibus, valebat antiquitus consuetudo percipiendi fructus in absentia.*

163 *Hæc tamen consuetudo novissimè per Concilium Tridentinum sublata fuit.*

Quamvis hoc ipsum non ubique fuerit usu receptum. Ibid.

QUæritur I. Utrùm ratione Studiorum liceat Clericis abesse à suis beneficiis, atque interim horum fructibus gaudere? Resp. I. Inter causas legitimè excusantes à residentia personali beneficiariorum, etiam curatorum, communiter Doctores connumerant absentiam Studiorum causa; juxta textum expressum *c. Relatum*, 4. *h. t.* illis verbis: *Nisi fortè de licentia suorum Prælatorum, vel studio litterarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse*; cum concordantiis in progressu allegatis. Et hæc quidem causa solet reduci ad quartam ex enumeratis à Concilio Tridentino *Sess. 23. c. 1. de ref.* quæ est *Evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*. Siquidem totius Ecclesiæ universalis permaxime interest, ad sui regimen viros habere litteratos, *c. Cùm ex eo*, 34. *de election. in 6.* Qui cùm docti fuerint, in Dei Ecclesia veluti splendor fulgeant firmamenti; ac veluti stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire, *c. ult. de Magistris*. 134

Resp. II. Spectato Jure antiquo possunt beneficiarii, etiam Curati, quinque annis abesse, ut in universitate quapiam Theologiæ, vel Juri Canonico studere valeant, proventus suorum beneficiorum interim (exceptis distributionibus quotidianis) integrè percipiendo: quod ipsum est dicendum de docentibus Theologicam, aut canonicam facultatem, & quidem absque memorata temporis limitatione, sed quamdiu in Scholis docuerint. Ita habetur decisum in *cit. cap. ult. de Magistris*: ubi licèt expressa mentio fiat solùm de Theologia, idipsum tamen communiter Doctores extendunt ad Jus Canonicum, hujusque studium: nam sub Theologia etiam comprehendi Jus Canonicum, *arg. c. Super specula* juncto Abbate *n. 7 Ne Clerici vel Monachi &c.* uberiùs jam dictum est suprà *in Proœmio Lib. 1 §. 13. n. 231.* 135

Resp. III. Tempus istud quinquennale, beneficiariis concessum pro Studio Theologico (sive Canonico) posteà Bonifacius VIII. relatus *c. Cùm ex eo, 34. de elect. in 6.* extendit ad septennium, illis verbis: ,, Præsenti constitutione sancimus, ut Episcopi, eorumque Superiores cum his, qui hujusmodi subjectas sibi Ecclesias ,, obtinerent, vel obtinuerint in futurum, dispensare ,, possint liberè, ut usque ad septennium litterarum studio insistentes promoveri minimè teneantur, nisi ad ,, Ordinem Subdiaconatus duntaxat: ad quem infra prædictum annum recipiendum (ne, sicut à multis de Christi patrimonio sublimatis olim factum esse dignoscitur, ,, à Statu recedere valeant Clericali) omnino astringi ,, volumus, & nisi receperint, pœna contenta in dicto ,, Concilio (*privationis ipso jure*) eo ipso percelli. ,, Hæc Pontifex; subjuncta obligatione constituendi ad interim idoneum Vicarium, ex proventibus Ecclesiarum Parochialium congruè sustentandum. Ubi tamen Glos. *v. Septennium*, inter alia commendabile asserit, ut Episcopus à principio non statim det dispensativè totum septennium; sed experiatur, si Clerici ejusmodi in studiis prosperando Ecclesiæ utilitate proficiant: & tunc vel det ulterius tempus, vel deneget. 136

137 Resp. IV. Nihilominùs, ut Clerici beneficiarii studiorum causa possint abesse, atque excusentur à residentia personali, plures requiruntur conditiones, quæ tum in allegatis Juribus continentur; tum per diversas Declarationes Sacræ Congregationis Concilii, quas refert Garcias *p. 3. de beneficiis, c. 2. n.* 80. & 81. & Zerola *par. 1. praxis Episcopal. v. Studium n. 2. ac seqq.* ampliùs manifestantur, atque patebunt inductione.

138 Primò siquidem requiritur, ut Clericus Beneficiarius, studio vacaturus, non sit ultra triginta annos; nisi jam anteà studium incæpisset, & adhuc illud non absolvisset. Ita Sacra Congregatio apud Zerolam, & Garciam, ubi supra, declarans, quod si quis eorum sit ætatis annorum triginta, nulla facultas concedi debeat: ideoque etiam ætas sit exprimenda, nisi jam studia incæpisset, & illa nondum absolvisset. Accedit ratio: quia *cap. ult. de Magistris*, habetur, quòd ad Theologiæ professionis studium non nisi *Decibiles destinentur*. Atqui tales ordinariè non censentur, qui annorum triginta existunt, neque ante hæc studia incæperunt; ergo.

139 Secundò requiritur licentia Episcopi, vel alterius Prælati, *c. Relatum*, juncta Glossa *v. Prælatorum*, & Abbate *nu. 1.* & 5. & Barbosa *n. 7. ibid. h. t.* Concordat textus *c. Cùm ex eo, 34. de elect. in 6.* ac notat Pirhing *h. t. n. 35* Nec immeritò. Cùm enim non nisi decibiles, & habiles ad studia sint mittendi, *d. c. ult. de Magistr.* Superiorum erit priùs examinare, num tales existant studere volentes, ac probatis tandem licentiam concedere. Concordat Concilium Tridentinum *Sess. 23 c. 1. v. Eadem omnino, de reform.* ubi prohibet, ne Parochi, aliive Curati absint, nisi *causa priùs per Episcopum cognita & probata*, ejusque *licentia in scriptis obtenta*. Atque ideò hodie necessariam esse licentiam Episcopi, in scriptis redactam, ut Beneficiorum studiorum causa possit abesse: tenet etiam Zerola *cit. p 1 vers. Studium, n. 1.* & Garcias *d. p 3. c. 2. n. 74 75. & seqq. ac n. 87. & seqq* citans plures alios; atque subjungens, ita declarasse Pium IV. in quadam Constitutione. Quidquid olim in contrarium docuerit Glossa *c. ult. v. De licentia, de Magistr.* & Navarrus *c. 25. Manual n. 121* cum nonnullis aliis.

140 Tertiò requiritur, ut si Parochus, vel alius Curatus absit, interim constituatur idoneus Vicarius per Episcopum approbandus, atque de redditibus Ecclesiæ congruè sustentandus: per textum expressum *c. c. Cùm ex eo, §. Porrò, de election. in 6.* juncto Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 1. v. eadem omnino*. Secùs dicendum quoad alios Beneficiarios, putà, Canonicos; nam hi studiorum causa absentes, non tenentur constituere Vicarium, qui pro ipsis interim deserviat Ecclesiæ, conformiter dictis suprà *n. 123.*

141 Quartò, ut taliter absens studeat in loco Studii Generalis, putà, in Universitate, vel Academia, aut alio publico loco, per Principem, vel consuetudinem immemorialem, pro publico exercitio studiorum deputato, non autem in villa, vel Castello, ubi nullum est, aut minùs competens studiorum exercitium. Alloquin is non gauderet privilegio studientium, juxta textum apertum in *c. Tuæ fraternitatis* 12 *h. t.*

142 Quintò requiritur, ut assumatur Studium Theologicum, vel Canonicum, *c. ult. de Magistr.* Nam hæc duo Studia vel maximè necessaria sunt Ecclesiæ Dei, & Reipublicæ Christianæ, serviuntque ad cultum Divinum immediatiùs promovendum; quamvis *In c. Cùm ex eo. 33. de elect. in 6.* ubi cum obtinentibus Parochialem Ecclesiam potest Episcopus dispensare usque ad septennium, etiamsi videatur concessum Studium Philosophicum pro primo biennio, aut triennio, veluti prævium ad SS. Theologiam, vel Sacros Canones ritè intelligendos. Imò Glossa *c. c. Cùm ex eò; v. Septennium, & vers. Litterarum*, istud ampliat ad Jus Civile, atque Grammaticam; eò quod textus indistinctè loquatur, *Litterarum studio*; ac proinde videatur intelligendus generaliter. Verùm quia citata Decretalis requirit dispensationem Episcopi, hæc quoad alia Studia dari nequibit, nisi subsistente speciali, & legitima causa; alioquin enim dispensatio, contra Jus commune data ab inferiore, non valeret, ut aliundè notum.

Et hactenus dicta potissimùm procedunt spectato Jure antiquo, sive canonico, prout continetur in Quinque Decretalium Libris, juncto Sexto, Clementinis, atque Extravagantibus; unde *num. 135.* notanter additum fuit ly, *Spectato Jure antiquo*. Quidnam autem defactò, sive post Oecumenicum Concilium Tridentinum sit dicendum, restat breviter edicere: unde 143

Resp. V. Defactò privilegium percipiendi fructus Beneficiorum in absentia ratione Studii, est sublatum quoad Ecclesias Parochiales; adeò, ut cum obtinentibus eas non ampliùs possint ad septennium Episcopi dispensare: secùs dicendum de canonicatibus, atque Beneficiis sine cura animarum residentiam exigentibus. Ita Garcias *part. 3. de beneficiis, cap. 2. numer. 81. & 83. & 85. ac seqq.* allegans multiplicem Declarationem Sacræ Congregationis Concilii Barbosa *c. Relatum, num. 7. hoc tit. & part. 3 de offic. & potest. Episcop. num. 77.* Pirhing *h. t. num. 36.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 6. nu. 250. ac seq.* & alii. Quidquid quoad priorem partem in contrarium dicat Navarrus *cap 25. Manual. n. 118.* cum nonnullis antiquioribus: eamque dubiam esse censeat Zerola *cit. vers. Studium §. Ad septimum*. 144

Prior pars fundatur in Concilio Tridentino, ac multiplici Declaratione ipsius. Siquidem dictum Concilium *Sess. 23. cap. 1. §. Eadem omnino de reform.* decernit, ut curati inferiores non nisi causa priùs per episcopum cognita, & probata, abesse possint; simulque discendendi licentiam *ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant*. Unde facultas, olim Episcopis concessa dispensandi ad septennium ex causa studiorum *cit. c. Cùm ex eo, de elect. in 6.* videtur revocata: nam per posterius Decretum Concilii Generalis, tollitur prius eidem directè contrarium, quamvis istud fuisset corpori Juris Canonici insertum, nec eidem expressè derogetur *arg. cap. 1. de Constitut. in 6* Fagnanus *cap. Nonnulli, num. 31. & 42 ac seqq. de Rescript.* istud confirmans ex praxi, ac stylo Sacri Concilii Tridentini, eoque jam dictum suprà *Lib. 1. Tit. 2. De constit. n. 523. & 524.* 145

Nec obstat ly, *Nisi ex gravi causa*, in relatis Concilii Tridentini verbis contentum. Nam existente gravi causa potest quidem Episcopus concedere Parochis absentiam ultra bimestre, nempe ad tres menses, juxta dicta superiùs *num 77.* non verò ad quinque, vel septem annos; prout olim fieri poterat ex causa studiorum. Accedit, quòd defacto juxta Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 18. de Reform.* Ecclesiæ Parochiales debeant conferri per concursum; ac proinde is, qui veluti magis idoneus Parochialem Ecclesiam per concursum alios superando consecutus est, jam priùs ita studuisse præsupponatur. 146

Et hoc ipsum Sacra Congregatio Concilii declaravit, sequentibus verbis: *Obtinentibus Parochiales Ecclesias post Concilium Tridentinum studendi licentia, & in absentia studiorum causa fructus percipiendi, non datur*. Ita verbatim dictam Declarationem referunt Gonzalez *c. gloss. 6. num. 251.* & Garzias, *ubi supra, num. 84.* Addit idem Garcias *num. 81.* sex alias consimiles Declarationes; earumque quarta sic sonat: ,, Congregatio die 22. Februarii 1560. censuit, Parocho causa studiorum non ,, esse dandam licentiam, cùm hodie per Concilium ,, non admittantur, nisi qui per concursum magis idonei ,, fuerunt judicati. *Sexta verò sic loquitur*, 8. Junii 1595. ,, Congregatio Concilii censuit, non licere Parochis ,, causa studiorum à suis Parochialibus Ecclesiis post Concilium abesse, nec Episcopum licentias ad id concedere posse, easque si concessæ fuerint, non suffragari. *Hæc ibi*. 147

Altera pars datæ Conclusionis, seu quòd *secus sit dicendum de Canonicatibus &c.* ex professo docetur à Garcias *l. c. n. 85.* Siquidem circa canonicatus; & alia Beneficia sine cura animarum residentiam requirentia, nihil reperitur Jure novo Concilii Trid. quoad absentiam studiorum causa immutatum: inde subintrat illud vulgatum, & *l. Sancimus C. de Testament* contentum: *Quod non mutatur, quare stare prohibetur?* Juncta *l. Præcipimus, §. fin. C. de Appellation.* Accedunt diversæ Declarationes 148

Sacræ Congregationis desuper factæ, atque apud Garciam *loc. c.* videndæ. Quod intellige, nisi forsan alicubi per antiquam, ac legitimè præscriptam consuetudinem, contrarium obtinuerit; ut *capit. ult. de consuetud.* cum similibus.

149 Quæritur II. An, & qualiter Canonici, aliique Clerici in servitio Episcopi constituti excusentur à residentia? Resp. I. Episcopus potest uti opera, seu servitio duorum canonicorum, qui absentes cum Episcopo, seu in ejus servitio, integrè percipiunt fructus Præbendarum in absentia, exceptis distributionibus quotidianis. Ita communis Doctorum; atque habetur clarè decisum *cap. De cætero*, 7. *h. t.* illis verbis *Statuimus, ne Canonicis, donec in servitio tuo fuerint, quicquam subtrahi debeat, vel auferri, quod de communitatis sibi beneficio debetur: Nisi fortè sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi*. Concordant textus in *c. Ad audientiam*, 15. *h. t.* ubi hoc ipsum decrevit Pontifex, non obstante Constitutione Ecclesiæ, juramento, & authoritate Sedis Apostolicæ confirmata, ut Canonici, qui non resident, suarum priventur fructibus Præbendarum. *Cùm* (inquit Papa, rescribens Episcopo Meldensi) *absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo & ipsius ecclesiæ servitio commorantur*. Ubi ly, *Sed præsentes*, verificatur per fictionem juris, seu loquendo de residentia ficta, juncta dicta *§. 1. n. 7.*

150 Porrò hujusmodi duo Canonici, in Episcopi servitio constituti, excusantur à personali residentia, fructibusque Præbendæ gaudent, etiamsi nunquam accedant Ecclesiam, sive chorum, sed semper in Episcopi servitio occupati existant; ut purà, ipsum ad visitationem comitando &c. Barbosa *Tr. de Canonicis & dignitat. c. 25. n.* 5. allegans Declarationem Sacræ Congregationis. Et sufficit, quòd duo illi Canonici absint pro servitio Episcopi, quatenus Episcopus est, licèt directè utilitatem Ecclesiæ non prosequantur; *arg. c. c. De cætero*, ubi Fagnanus *n.* 4. & 12. *h. t.* Nam servitium Episcopi, quatenus Episcopus est, censetur quasi servitium Ecclesiæ, cui præsidet: siquidem *Episcopus in Ecclesia est, & ecclesia in Episcopo*, prout legitur *can. Scire debes, 7. q. 1.* Concordat *c. ad audientiam*, 15. *h. t.* non obstante, quòd à nonnullis in contrarium allegetur. Ibi quippe duo Canonici, qui anteà *in tuo* (sive Episcopi) *servitio existenter* dicebantur, censentur in fine capituli, *pro tuo* (seu Episcopi) *& ipsius ecclesiæ servotio commorantes*: ut proinde, qui est in servitio Episcopi, servire Ecclesiæ intelligatur, prout loquitur Glossa *fin. ibidem*. Solùm adde, quòd ultra duos canonicos Episcopus in suo servitio habere non possit, qui in absentia gaudeant fructibus Præbendæ. Fagnanus *c. c. De cætero, n. 7.* & 8. Barbosa *d. c. 15. de Canonic. & dignit. n.* 8. allegans Declarationem S. Congregationis, die 9. Septemb. 1628.

151 Objicies contra datam Conclusionem, majoris claritatis gratia. Citatis *c. de cætero, & c. ad audientiam, h. t.* derogatum fuit per Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 12. §. Præterea, de reform.* ubi canonicorum absentia ultra tres menses sub privatione fructuum, aliisque pœnis gravioribus, est prohibita; ergo nihil exinde probatur. Resp. neg. anteced. Siquidem Lex generalis posterior limitatur, ac determinatur per priorem specialiter loquentem; purà, Concilium Trident. *l. c.* generaliter loquens de canonicis, per *c. De cætero, & c. Ad audientiam, h. t.* specialiter de canonicis in servitio Episcopi constitutis loquentia *arg. l. Non est novum, & seqq. ff. de legib.* juncta Reg. 34. Juris in 6. *Generi per speciem derogatur*, cum concordantiis: atque ampliùs dictum est suprà *Lib. 1. Tit. 2. de constitutionibus, §. 19. n. 496. & 497.* Et ita tenet, atque a Sacra Congregatione Concilii sæpiùs fuisse declaratum, asserit Garcias *part. 3. de benefic. c. 2. n. 346. & 347.* Fagnanus *c. Licèt, n. 71. & 106. de Præbend.* & Pirhing *h. t. n. 49.* cum aliis.

152 Addunt Doctores; quòd illi duo canonici non solùm possint, verùm etiam inviti compelli valeant ab Episcopo, ad inserviendum ipsi in his, quæ respiciunt ipsius, & Ecclesiæ utilitatem. Glossa *c. Ad audientiam, v. Ut duo, h. t.* ibi: *Ultra duos non posset cogere &c.* ac notat Abbas *ibid. num.* 3. & Innocentius *c. De cætero*, & Fagnanus *ibid. n. 15. eod.* ac Jo. Gutierez *Canonic. quæst. lib. 1. c. 1. n. 149.* & alii. Unde causa absentiæ pro servitio Episcopi, ut Episcopi, non solùm est justa & probabilis, verùm etiam necessaria: cùm sit justificata, & approbata à Jure, atque includat necessitatem obsequendi, prout subdit Fagnanus *n. 16.*

Resp. II. An duo illi canonici Episcopo inservientes, 153
non solùm possint esse de Ecclesia cathedrali, sed etiam de Ecclesia collegiata, variant Doctores: sententia tamen affirmativa est probabilior, Jurique conformior. Ita Fagnanus *d. c. De cætero, nu. 11. & 14. h. t.* Navarrus *c. 25. Manual. n. 121.* Rebuffus *in Praxi benefic. tit. Dispensatio de non residendo, n. 35. & 36.* Barbosa *De canonicis & dignit. c. 25. n.* 8. asserens, se non semel vidisse in dubium revocari, an idem sit dicendum, si Episcopus in sui servitium velit habere duos canonicos ex collegiata; sed affirmativam esse veriorem: pro qua citat etiam Monetam *de distribut. quotid. p. 2. q. 8. n. 6.* & Lotterium *lib. 3. de re beneficiar. q. 26. n. 190.* Idipsum (subdit Barbosa) fuit decisum à S. Congregatione Concilii die 9. Septemb. 1628. Quæ proposito sibi hoc dubio, censuit, *Episcopum posse uti opera duorum Canonicorum, sive de Cathedrali, sive de Collegiata Ecclesia.*

Dices cum Pirhing *h. t. n.* 30. oppositum tenente *In c. De cætero. 7. & cap. Ad audientiam. 15. h. t.* unde prior conclusio desumitur, sermo duntaxat est de Canonicis Ecclesiarum Cathedralium; ergo dispositio in eisdem facta, non est extendenda ad canonicos Ecclesiarum collegiatarum, atque Clericos inferiores. Probatur consequentia. Tum quia non est tanta unio inter istos & Episcopum, quanta est inter Episcopum & canonicos cathedrales, qui constituunt unum corpus, cujus ille caput, & isti membra esse noscuntur, *c. Novit. 4. De his, quæ fiunt à Prælatis &c.* Tum quia memorata dispositio, ut duo Canonici cathedrales in servitio Episcopi gaudeant fructibus suæ Præbendæ, est exorbitans à Regula communi, vi cujus non nisi præsentes fruuntur istis fructibus, sicque non debet extendi ad casus alios, præsertim disparatos. Resp. neg. anteced. Quia, ut notat Fagnanus *in cit. c. De cætero, n. 2. h. t.* textus hujus Decretalis loquitur simpliciter de *Canonicis donec in servitio tuo fuerint*, statuendo, ut suprà: neque colligitur ex superscriptione, cui, & de quibus canonicis, Ecclesiarum, collegiatarum, vel cathedralium duntaxat, Decretalis eadem loquatur. Atqui, *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus*, ut loquitur Summarium *in l. De pretio, ff. de publiciana in rem action.* cum similibus. 154

Nec urget: quòd non sit tanta unio inter Episcopum 155
& Beneficiarios inferiores, quanta est inter Episcopum & capitulum cathedrale, ejusque canonicos. Etenim in citatis canonibus, ac præsertim *c. Ad audientiam, h. t.* pro ratione fundamentali, atque finali relatæ dispositionis, non affertur major unio, sed præstitum servitium, ibi: *Cùm absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo, & ipsius ecclesiæ servitio commorantur*: atqui hæc ratio æquè militat in canonicis Ecclesiarum collegiatarum, non minùs, ac cathedralium. Tum quia eadem Decretales emanarunt principaliter ad bonum Ecclesiarum, atque servitium Episcopis præstandum, in quibus est Ecclesia, *c. c. Scire debes, 7. q. 1.* Unde, veluti Ecclesiis favorabiles, potiùs sunt ampliandæ, quàm restringendæ: nam, ubi favor & odium ab invicem nequeunt separari, lex principaliter lata in favorem alicujus (purà, Episcopi, seu Ecclesiæ, ut hic) censetur omnino favorabilis, sicque latè interpretanda, juxta Glossam. *Statutum, vers. Numerandum, de præbend. in 6.* estque ex professo declaratum suprà *Lib. 1. Tit. 2. de Constitutionibus, § 17. n. 437. 439. ac seqq.* Ac per hoc patet responsio ad alterum probationem consequentiæ, *n. præc.* allatam. Negatur enim Assumptum, sive quòd dispositio *c. c. De cætero, & c. Ad audientiam, h. t.* sit exorbitans à regula communi: cùm potiùs hanc favorabiliter limitet, ad bonum commune Ecclesiarum.

Et hæc ratio tam fortior stringit, ut allatam conclusionem secundam etiam de quibusvis talis ejusdem Ecclesiæ Clericis procedere, asserat Fagnanus *c. c. De cætero, n. 11. & 14.* & Navarrus *c. 25. Manual. n. 121.* etsi dissentiant Barbosa *d. cap. 25. de Canonic. & dignitat. n. 8. vers. Cùm ergo Jura*. Eandemque conclusionem pariter in Clericis inferioribus admittendam esse, saltem quando ex canonicis Cathedralibus æquè idonei haberi non 156

non possunt ad tale servitium Episcopo præstandum: censet Abbas *c. Ad audientiam, n. 8. h. t.* Layman *lib. 4. Theolog. Moral. tr. 2. c. 6.* ac ipsemet Pirhing *cit. n. 30. v. Excipi h. t.* Dummodò hinc excipiantur Parochi, aliique Curati, juxta dicta superiùs *§. 3. n. 94. & 95.*

157 Quæritur III. Utrùm consuetudo contraria excuset à residentia in Beneficiis, ejusque obligationem tollat? Resp. I. Loquendo de beneficiis curatis, nulla consuetudine, etiam immemoriali induci potest, ut Rector Ecclesiæ in ipsa non resideat, neque idoneum Vicarium pro se constituat. Ita Abbas *c. Extirpandæ, in repetit. §. Qui verò, n. 36. de præbend.* & communis. Ratio est clara: quia talis consuetudo esset irrationabilis. Cederet enim in magnum damnum Ecclesiarum, suo Rectore penitùs destitutarum: certumque contineret periculum animarum Parochialium, cùm nemo adesset, qui ipsis indigentibus Sacramenta Ecclesiæ ministraret, atque in cæteris curam animarum gereret: quia, ut hæc Conclusio supponit, neque idoneus Vicarius relinqueretur.

158 Resp. II. Consuetudo etiam immemorialis, inserviendi per Vicarium in Beneficio curato, sicque fructus in absentia percipiendi, non valet. Ita Abbas *c. n.* 36. Jo. de Selva *Tractatuum tom. 15. tract. de beneficio, p. 4. q. 2. n. 1.* Fagnanus *c. ex parte, n. 27. h. t.* citans alios; quamvis non desint oppositum tenentes, loquendo tamen de consuetudine immemoriali, ac signanter Navarrus *consil. 21. num. 4. & seqq. de Cleric. non resid* & Pirhing *h. t. nu.* 14. Ratio conclusionis est: quia etiam talis consuetudo est irrationabilis; cùm sit periculosa animabus Parochianorum, eò quòd in commissione curæ animarum eligatur industria personæ; atque ideò non est rationabile, quòd talis persona electa, possit curam animarum, suæ industriæ specialiter commissam, in perpetuum relinquere, aliisque committere. Accedit, quòd residentia Beneficiariorum curatorum sit de Jure Divino, ut dictum *num.* 10. Atqui Juri Divino nulla contraria consuetudine derogari potest, etiamsi sit immemorialis; cùm veriùs sit corruptela, *c. ult. de consuetudine.* ergo. Et huic sententiæ concordat Concilium Tridentinum *Sess. 23. c. 1. § Eadem omnino, de reform.* ejusmodi consuetudinem appellans corruptelam, illis verbis; *Consuetudine, etiam immemoriali, quæ potiùs corruptela censenda est.*

159 Dices. Consuetudo temporis immemorialis æquipollet privilegio, ita ut quidquid induci potest per privilegium, possit etiam per talem consuetudinem, *l. Hoc jure, §. Aquæ ductus; ff. de Aqua quotidian. & æstiv. & c. Super quibusdam, 26. §. Præterea, de verb. signific.* Sed per privilegium Papæ induci potest, ut Rector ecclesiæ Parochialis non teneatur exercere curam animarum per seipsum, sed duntaxat per alium; sicuti Jure communi statutum est, ut istud fiat per Vicarios perpetuos; ergo id ipsum induci potest per consuetudinem, saltem immemorialem. Resp. cum Fagnano *c. Cùm contingat, n. 8. & 11. de foro compet.* dictum illud, in Majori allegatum, non procedere universaliter; ac præsertim tunc, quando consuetudo est à Jure reprobata (prout sit in proposito, dum Concilium Tridentinum eam potiùs *corruptelam censendam* asserit) quia talis nullo modo habet vim privilegii, *c. Cùm instantia, 17. de censib.* Vide plura de hoc superiùs *Lib. 1. Tit. 4. De consuet. §. 5. n. 65.*

160 Resp. III. Loquendo de Beneficiis non curatis, est distinguendum: Quia aut est sermo de Beneficiis simplicibus: & valere generalem consuetudinem, quod quis non teneatur personaliter residere, sed per Substitutum possit satisfacere suæ obligationi, nisi ex Fundatione, Statuto, aut consuetudine particularis Ecclesiæ, ad residentiam personalem astringatur, patet ex dictis suprà *num. 9*

161 Atque istud ampliatur, etiamsi in Fundatione fuerit imposita obligatio personaliter residendi. Adhuc enim per longævam, & legitimè præscriptam consuetudinem, hujusmodi obligatio tolli potest, *arg. c. Cùm omnes*, juncta Glossa *fin. de Const.* ac notat Abbas *ib. n. 10.* istud intelligens, dummodò non fiat præjudicium magnum Ecclesiæ. Felinus *c. Cùm omnes, n. 35. v. In Gl. fin.* Navarrus *consil. 6. de Clericis non resid. n. 1. & seq.* Jo. de Selva *c. tr. de Beneficio, p. 4. q. 2. n. 1. & seqq.* González *ad reg. 8. cancellar. gloss. 5. n. 107.* citans alios; atque asserens, ita fuisse declaratum per Sac. Congregationem Concilii.

Aut est sermo de Dignitatibus non curatis, & canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium, vel collegiatarum, 162
& tunc antiquitus valebat consuetudo, quòd quis in absentia potuerit percipere Beneficium, ubi talis consuetudo vigebat, *arg. can. Cùm omnes*, juncta Glossa *final. de const.* Dummodò Ecclesia non indiguisset Servitoribus, sive Ministris, eo quòd multi fuissent Beneficiati in Ecclesia, qui tenebantur residere, & non nisi pauci eorum sese absentare solebat; sicque consuetudo illa non intulisset gravamen Ecclesiis. Aliàs secùs: ut *c. 1. ac consuet. & c. ult. de rescr. in 6.* ac notat Abbas *c. c. Extirpandæ, in repetit. §. Qui verò, n. 31. de præbend.* & Fagnanus *c. Cùm omnes, n. 18. de const.* post Innocentium, Hostiensem, Io. Andream, & alios *ibid.*

Additur notanter, *& tunc antiquitus &c.* Nam hujusmodi consuetudo percipiendi fructus in absentia in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis, novissimè per Concilium Trident. *Sess. 24. cap. 12. v. præterea de reform.* 163
sublata fuit, atque cassata, sequentibus verbis: *Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse &c.* Atque, ut notat Fagnanus *c. cùm omnes, n. 21. & 22. de constit.* & Garzias *p. 3. de benef. c. 2. num* 197. ex sententia Sacræ Congregationis, per allegatum Decretum Concilii sublata fuit consuetudo etiam immemorialis, secundùm quam ex quavis causa, & ultra tres menses, quolibet anno ab eisdem Ecclesiis abesse licuerat; prout ampliùs patet ex Declarationibus dictæ Sacræ Congregationis, quas verbatim adducit Garcias *c. n.* 197. Veruntamen, quòd præfata constitutio Concilii Tridentini in multis locis, ac (præsertim Germaniæ) ecclesiis, non fuerit usu recepta, inter alios observat Pirhing *h. t. n.* 6. & 15. Sannig *eod. c. 3. n. 9.*

§. VI.

De Distributionibus quotidianis, earumque constitutione, ac licita perceptione.

S U M M A R I U M.

164 *In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, collectio omnium fructuum annuorum, appellatur* Mensa communis.

165 *Fructus annui, seu grossi, qui?*
Vocantur etiam Fructus Præbendæ: *vel absolutè* Præbenda.

166 *Distributiones quotidianæ, seu præsentiæ, quæ?*
Dicuntur etiam Victualia, & Manualia beneficia. *Ibid.*

167 *Hæc vel sunt constitutæ ab antiquo per pias fundationes, vel debent constitui deducendo tertiam partem fructuum Mensæ Capitularis.*

168 *Et hoc posterius declaratur.*

169 *Distributiones quotidianæ principaliter institutæ sunt ad promovendum cultum Divinum.*

170 *Aliud est*, Residere in loco Beneficii: *aliud*, Interesse Divinis.

171 *Simoniacum non est, dare distributiones quotidianas iis, qui intersunt Officiis Divinis: & cur?*

172 *Regula est, quòd distributiones solùm debeantur præsentibus & interessentibus, non obstante quocunque statuto, vel consuetudine; & aliter eas recipiens, rerum sic receptarum dominium non acquirit &c.*
Refertur quoad hoc textus c. un. h. t. in 6. *& Concilii Tridentini. Ibid.*

173 *Consuetudo percipiendi distributiones in absentia non valet, sive introducta fuerit ante Constitutionem Bonifacianam, sive post.*

174 *Etiamsi speciali cujuspiam Ecclesiæ Statuto confirmata sit.*

175 *Canonici non gaudent distributionibus, dum duobus aut tribus mensibus à Concilio permissis absunt.*

176 *Quamvis interim inserviant per Substitutum.*

177 *Excipiuntur casus, in quibus de Jure dubium est, an distributiones debeantur absentibus: tunc enim consuetudo easdem concedens, censetur valida.*

178 *Sic valida est consuetudo, qua Canonicis tempore pestis absentibus dantur distributiones.*

179 *Similiter valida videtur consuetudo, ut Canonicus ob negotia Ecclesiæ suæ absens, post reditum, vel ante discessum suum, per duos vel tres dies lucretur distributiones, etsi non intersit Divinis.*

180 *Quoad distributiones, quas absentes non fuerunt lucrati, nulla valet remissio.*

181 *Et si secùs fiat, debet Episcopus eas in pœnam fraudis applicare fabricæ ecclesiæ &c.*

182 *Distributiones quotidianæ ordinariæ, amissæ per non interessentes, accrescunt Clericis interessentibus, & num. seq.*

183 *Secus, quando pro distributionibus datur certa quantitas.*

184 *Concordatur Decretum Concilii Tridentini* sess. 22. c. 3. de reform. *cum alio ejusdem Decreto* sess. 21. c. 3. de reform.

164 Quæritur I. Quid intelligatur nomine Distributionum quotidianarum; & unde sint deducendæ, & cur? Resp. I. Prænotandum est, quòd in Ecclesiis tum Cathedralibus, tum Collegiatis, collectio omnium fructuum annuatim toti capitulo obvenientium, appelletur *Mensa communis*: ut est textum *in c. Cùm M. Ferrariensis, 9. de constit.* Et hujusmodi Mensa communis complectitur universos fructus totius Capituli, postmodùm dividendos in singulos canonicos, aliosque ejus Officiales, prout cujusque merita seu labores deposcunt. Deinde inter ipsosmet fructus, canonicis pro rata dividendos, est differentia; nam alii vocantur Fructus annui, seu grossi; alii verò, Distributiones quotidianæ. Et quidem

165 *Fructus annui*, seu *grossi*, sunt illi, qui dantur propter annuam residentiam in loco canonicatus. Atque isti non rarò dicuntur *Fructus præbendæ*; vel absolutè, *Præbenda* ut cit. c. c. *Cùm M. Ferrariensis, de const.* ibi: *Antiquis Canonicis præbendas cum integritate percipientibus*. Et c. *Dilectus, 19. de præbend* ibi: *Idem fructus præbendæ percipere non deberet*: cum similibus. Et hujusmodi redditus annuos, seu fructus grossos, sive præbendam lucrari etiam ab illis Canonicis, qui ex legitima, & à Superiore approbata causa absunt à loco Beneficii, certum est, atque hactenus in pluribus jam casibus declaratum; censentur enim esse residentes fictione juris, licèt verè ac realiter non resideant, juxta dicta superiùs §. 1. n. 7.

166 *Distributiones quotidianæ*, seu (ut vulgò appellantur) *Præsentiæ*, dicuntur illi Fructus Canonicales, qui propter singulas præsentias in Choro, sive Divino servitio, dantur Canonicis interessentibus; seu verè & actualiter præsentibus. Et hæc in *c. De cætero, 7. b. t.* alio nomine vocantur *Victualia*, illis verbis; *Nisi fortè sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi*. Imò *in c. un b. t. in 6.* etiam dicuntur *Manualia beneficia, seu victualia*. Atque de illis in præsenti Paragrapho specialiter fit sermo; unde

167 Resp. II. Distributiones quotidianæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, vel jam sint constitutæ ab antiquo per speciales pias Fundationes; vel si in eisdem non adsint, aut nimium tenues existant, pro eisdem constituendis tertia pars fructuum Mensæ Capitularis deduci debet. Ita novissimè decrevit Concilium Trid. *sess. 23 c. 3. de refor.* illis verbis; „ Statuit Sancta Synodus, in Ecclesiis tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcunque proventuum, & obventionum, tam Dignitatum, quàm Canonicatuum, Personatuum, portionum, & officiorum, separari debere, & in distributiones quotidianas converti, quæ inter Dignitates obtinentes, & ceteros Divinis interessentes, proportionaliter juxta divisionem ab Episcopo, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegato, in ipsa prima fructuum deductione facienda, deducatur; Salvis tamen &c. „ *Hæc ibi*.

168 Ex quibus Sacri Concilii verbis inter cetera patet, quòd illa tertia pars fructuum in distributiones convertenda, non possit deduci, nisi ex Canonicatibus & aliis Beneficiis, in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia existentibus, aut ipsis unitis; neque extra Ecclesiam Cathedralem, aut Collegiatam, hoc Decretum habere locum. Prout à Sacra Congregatione Concilii fuisse declaratum, refert Garzias *p. 3. de beneficiis, c. 2. n. 473. & 474. ac seqq.* apud quem plura de hoc.

Resp. III. Distributiones ejusmodi quotidianæ principaliter in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis institutæ, atque decretæ, fuerunt ad promovendum cultum Divinum; sive, ut Clerici eo libentiùs, atque studiosiùs, intersint officiis Divinis; si præsentes accipiant aliqualem remunerationem, eadem ceteroquin carituri. Textus est in Concilio Tridentino *cit. sess. 23. c. 3. de refor.* ubi à principio, & pro ratione motiva, seu finali, detrahendæ tertiæ partis fructuum, ut suprà, præmittitur sequens: *Cùm beneficia ad Divinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda sint constituta; ne qua in parte minuatur Divinus cultus, sed ei debitum in omnibus obsequium præstetur: statuit Sancta Synodus &c.* præcipiens, *ut suprà, num. 167* tertiam partem fructuum pro distributionibus quotidianis separandam esse. 169

Unde sciendum, quod aliud sit, *Residere in loco Beneficii*: & aliud, *Interesse Divinis Officiis*. Nam *Residere* censetur ille Clericus, qui in loco Beneficii, debito tempore commoratur, etiamsi ad modicum absit; putà, Canonicus ad duos vel tres menses. *Interesse* verò Divinis solummodò dicitur ille, qui obtinens Beneficium ipsis Officiis Divinis celebrandis actualiter præsens est (sive interest) & ministerium eorum celebrationi, ac Altari exhibet. Glossa *in c. un, v. Adfuerint. h. t. in 6.* Covarruvias *lib. 3. Var. Resol. c. 13. n. 3.* & alii. Atque istis interessentibus duntaxat debentur distributiones quotidianæ, ut hac ratione magis excitentur Canonici ad interessendum Officiis Divinis spe alicujus præsentaneæ remunerationis, qua cæteroquin carere cogerentur; sicque cultus Divinus promoveatur. 170

Neque ex dictis quis perperam inferat, istud esse simoniacum, dum distributiones quotidianæ, quæ sunt quid temporale, dantur pro actuali exercitio cultus Divini, sive ministerio merè spirituali. Resp enim, ejusmodi distributiones non dari pro ministeriis spiritualibus, ut pretium ex pacto; sed ut temporale stipendium pro honesta Clerici in Ecclesiastico servitio occupati sustentatione, juxta illud Salvatoris, Matth. c. 10. *Dignus est operarius cibo suo*, cum concordantiis. Simile quid contingit in celebratione Missarum pro consueto stipendio: imò & in fructibus grossis Præbendarum; nam etiam hi non dantur nisi Canonicis residentibus cum effectu, seu Ecclesiastica ministeria personaliter exequentibus. Quamquam Glossa magna *c. un. b. t. in 6. circa fin.* notet peccare Canonicum graviter, & simoniam mentalem committere, quando ad Horam Canonicam vadit principaliter propter denarium sive distributionem, *arg. cap. Tua nos, 34. & cap. ult. de Simonia*. Ubi tamen ponderandum ly, *principaliter propter denarium*. 171

Quæritur II. Quinam Canonici validè, ac licitè, percipere possint præsentias, seu distributiones quotidianas? Resp. I. Regula est, quod distributiones quotidianæ solùm præsentibus, seu Divinis Officiis interessentibus, dari debeant, non obstante quocunque statuto, aut consuetudine: & qui aliter illas receperint (exceptis casibus in Jure concessis) rerum sic receptarum dominium non acquirant, imò ad earum omnium restitutionem teneantur. Ita communis; estque per Bonifacium VIII. *cap. un. h. t. in 6.* expresè decretum illis verbis: *Consuetudinem, quæ in quibusdam partibus inolevit* (recipiendi videlicet distributiones quotidianas in absentia) *penitus improbantes: Statuimus, ut distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscunque rebus consistant, Canonicis, ac aliis Beneficiatis & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem Officiis in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur juxta Ecclesiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, seu etiam faciendam. Qui verò aliter de distribuentibus ipsis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas; imò ad omnium* 172

omnium restitutionem, quæ contra ejusmodi nostram Constitutionem receperit, teneatur. Atque hanc Constitutionem Bonifacianam Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de reform.* innovavit, & confirmavit, sequentibus verbis: *Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit, Consuetudinem: quod sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus.* Hactenus Concilium: unde

173 Resp. II. Adeò data Conclusio procedit, ut consuetudo percipiendi distributiones quotidianas in absentia non valeat, sive introducta fuerit ante relatam Constitutionem Bonifacianam, sive post. Ita Covarruvias *lib. 3. Variar. Resol. c. 13. n. 2. & seq.* Barbosa *c. un. n. 4. h. tit. n. 83.* Fagnanus *c. Licèt. n. 77. & 79. de Præbend.* asserens, Sacram Congregationem sæpiùs respondisse, quod citato Decreto Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 2.* etiam immemorialis consuetudo sublata fuerit. Ratio est: quia Constitutio Bonifacii VIII. *cap. un. h. t. in 6.* non solum simpliciter derogat consuetudini recipiendi distributiones in absentia: sed etiam ipsi resistit, eamque reprobat ut iniquam, & irrationabilem; prout liquet ex illis verbis: *Consuetudine, quæ in quibusdam partibus inolevit &c. penitus improbantes*. Atqui, ubi Jus resistit consuetudini, eamque penitus improbat, nempe ut irrationabilem & iniquam, censetur sublata consuetudo non tantum præterita, verùm & futura, imò & immemorialis, *c. Cùm venerabilis: 7. & c. ult. de Consuet.* estque jam dictum suprà *Lib. 1. Tit. 4. De Consuetudine, §. 2. n. 35. 37. & 45.*

174 Ampliatur Conclusio, ut non valeat consuetudo percipiendi distributiones quotidianas in absentia, etiamsi speciali cujuspiam Ecclesiæ Statuto confirmata sit. Hujusmodi enim statuta expresè sublata sunt per Concilium Tridentinum *cit. sess. 24. c. 12. de Reform.* ibi: *Non obstantibus quibuscumque statutis*. Accedit, quod Capitulum nequeat condere Statuta Juri communi contraria: atqui Statutum percipiendi distributiones in absentia, est contrarium communi; putà, *c. un. b. t. in 6.* & Concilio Tridentino *l. c.* ergo. Major patet ex eo: quia inferior nequit tollere legem Superioris, *can. Inferior. dist. 21. & Clem. Ne Romani, §. 1. de Election.* estque ex professo dictum suprà *lib. 1. tit. 2. De constitutionibus, §. 4. n. 85. & seqq.*

175 Ampliatur ulteriùs, ut distributionibus quotidianis non gaudeant Canonici, dum duobus, aut tribus mensibus, à Concilio Tridentino permissis absunt. Quia licèt eo tempore censeantur residere, utpote brevi reversuri; ac proinde possint percipere Præbendam, sive fructus grossos: non tamen pro tunc intelliguntur interesse Divinis Officiis, sicque non gaudent distributionibus; cùm casus iste non sit exceptus in allegata Constitutione Bonifacii VIII. confirmata per Concilium Tridentinum *l. c.* & concordant dicta superiùs *n. 113.*

176 Ampliatur rursus Conclusio, ut procedat, etiamsi Canonici absentes inserviant per Substitutum: quia nihilominùs distributiones quotidianas percipere non possunt, neque valet contraria consuetudo. Fagnanus *cit. c. Licèt n. 82. de Præbend.* plures alias consimiles ampliationes subjungens.

177 Fallit tamen data Conclusio in illis casibus, in quibus de Jure dubium est, an distributiones absentibus debeantur, néc ne. Tunc enim consuetudo easdem concedens, censetur esse valida, potestque Juris ambiguitatem interpretari, & declarare: uti notat Covarruvias *lib. 3. Var. Resolut. cap. 13. num. 3. vers. Prima sanè.* citans Baldum *inter Consilia Cardinal. consil. 53.* Decium *cap. Cùm omnes, in 1. lect. col. 1. de constit.* & alios, atque sequitur Fagnanus *l. c. n. 134. circa fin.* Accedit ratio: quia in tali casu nihil novum, aut Juri communi apertè contrarium inducitur; sed solummodò casus, de Jure dubius, longævo usu declaratur. Unde subintrat illud, quod *l. Si de interpretatione, 36. ff. de Legib* habetur: *Si de interpretatione legis quæratur, imprimis inspiciendum est, quo jure Civitas retro in hujusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpres consuetudo*: cum concordantiis.

178 Sic, quia dubium esse potest, utrùm Canonicis tempore pestis absentibus à loco Beneficii, de Jure debeantur distributiones quotidianæ (tale enim præsentaneum periculum mortis videtur justa causa abessendi, comprehensa sub rationabili corporali necessitate, de qua fit mentio *c. un. h. t. in 6.*) Hinc Sacra Congregatio censuit quidem, Canonicis, qui tempore pestis abfuerunt, non deberi distributiones: sed cum limitatione, nisi probaretur consuetudo legitima, quòd distributiones hujusmodi darentur absentibus ex justa causa. Atque ita decisum fuisse, refert Garcias *p. 3. de Beneficiis c. 2. num. 362.* & Fagnanus *c. c. Licèt, n. 95. de Præbend.* atque post Franciscum à Ripa *in tract. de Peste, p. 2. n. 145.* tradit etiam Covarruvias *cit. cap. 13. n. 8. v. Nemò*, & Babosa *part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 53. num. 170.* citans alios.

Deinde ex eadem ratione valida videtur consuetudo, ut Canonicus ob negotia Ecclesiæ suæ absens (secùs, si ob res suas privatas abfuisset) post suum reditum per duos, vel tres dies, distributiones lucretur, etsi Divinis Officiis personaliter non intersit: quia taliter fessus ex itinere, adhuc censetur agere negotia Ecclesiæ suæ; simulque post graviorem itinerum defatigationem nonnihil quiescendum esse, suadet rationabilis necessitas corporalis. Pirhing. *hoc tit. num. 84.* Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 7. quæst. 3. vers. Quæres secundò*, citans insuper Jo: Monachum *in cap. un. h. t. in 6.* Castro Palao *part. 2. disp. 3. de Oratione publica in choro; punct. 9. §. 12. num. 16.* allegans alios: atque istud amplians ad Canonicum profecturum in causa Ecclesiæ suæ, cui ex consuetudine pariter concedi possunt duo, vel tres dies, pro præparatione itineris, una cum distributionibus in absentia Chori: nam, qui se ad viam præparat, censetur in illa jam esse, *arg. l. Qui mittuntur* juncta Glossa *vers. Agere, ff. Ex quibus causis majores &c. & l. Legato, ff. de Lagation* 179

Resp. III. Conclusio *n. 172.* data ulteriùs urget in tantùm, ut quoad distributiones, quas absentes non fuerunt lucrati, nulla valeat remissio, mediante qua sibi invicem Canonici punctaturas absentiarum, sive carentiam distributionum, remittere possint. Ita communis. Obstat enim huic remissioni tam Juris communis dispositio, *c. c. un. b. t. in 6.* obligans receptores ad earum omnium restitutionem, quam Concilium Tridentinum *d. sess. 24. c. 12. de reform.* ibi: *Reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careat.* 180

Quinimò, si Canonici hujusmodi distributiones sibi invicem remitterent, tunc Episcopus deberet eas in pœnam fraudis applicare fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco: prout à Sacra Congregatione responsum fuisse, testatur Fagnanus, *ubi suprà nu. 91.* Haud obstante, quod Canonici interessentes Divinis, postquam portiones non residentium perceperunt, illas quibus placuerit dare valeant. 181

Quæritur III. Ad quos spectent distributiones quotidianæ, amissæ per Canonicos non interessentes Officiis Divinis? Resp. I. Distributiones quotidianæ ordinariæ, & propriè sumptæ, amissæ per non interessentes Divinis Officiis, accrescunt cæteris Clericis interessentibus. Ita Glossa *in Clem. 2. v. Pars dimidia, de Ætat. & qualit. &c.* istud inter alia probans *ex c. un. h. t. in 6.* Nisi (inquit) esset aliter ordinatum. Et alia Glossa in *Clem. 2 vers. Suspensus, de vita & honest. Cleric.* Covarruvias *lib. 3. var. Resol. c. 13. num. 7.* Navarrus *cap. 25. Manual. num. 123.* Barbosa *de Canonicis & Dignitat. cap. 22. num. 14.* Azorius *par. 2. lib. 7. cap. 7. quæst. 8. & 9.* Garcias *p. 3. de Beneficiis, cap. 2. n. 445. & 446.* citans plurimos alios, ac Rotam *in una Valentina Emolumentorum, coram Illust. Mantica, 14. Maii 1593.* Conclusio hæc fundatur in jure accrescendi: quia enim distributiones quotidianæ, & propriæ dictæ, constituuntur dividendæ inter Clericos præsentes, tanquam in mercedem & honorarium majoris diligentiæ; ac novissimè decrevit Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 3. de reform.* Hoc ipso, quod isti præsentes non inveniant alios, qui secum concurrant; soli utentur distributionibus in totum: prout in simili decisum habetur *l. 1. §. fin. ff. de Usufruct. accrescend. & §. Si eadem res. Instit. de Legats.* Concordat Declaratio secunda Sacræ Congregationis Concilii, relata per Garciam *loco citato n. 465.* 182

n. 465. asserens, quod portiones absentium accrescunt deservientibus, si ex Decreto Concilii *sess. 21. cap. 3.* separatæ sunt: secùs verò, si ex Decreto *c. 3. sess. 22.* tunc enim fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, vel alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicabuntur.

183 Additur notanter in Conclusione, *Distributiones quotidianæ ordinariæ, & propriè dictæ*. Quales censentur esse, si certa quantitas, seu portio earum, non est assignata singulis; sed omnibus ita relinquuntur, ut inter solos præsentes, ac Divinis Officiis interessentes, dividi debeant: tunc enim distributiones per absentes amissæ, jure accrescendi debentur cæteris. Secùs dicendum, quando pro distributionibus quotidianis certa quantitas, v. g. thalerus, aut determinata portio panis vel vini, assignata est: quia in hoc casu datur quidem cuilibet, Divinis Officiis interessenti, sua determinata portio panis, v. g. aut vini, vel pecuniæ; absentium verò portio non dividitur inter præsentes, sed pertinet ad Ecclesiam, atque in ejus utilitatem convertitur, vel remanet in Mensa communi. Cessat quippe in tali casu quævis conjunctio inter Canonicos absentes & interessentes, sicque etiam cessat jus accrescendi: nam interessentibus debetur solùm sua portio determinata, absentibus verò nihil. Garcias *cit. p. 3. c. 2. n. 443. & 444. ac seqq.* allegans multiplicem Declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Barbosa *d. cap. 22. num. 16.* Pirhing *h. t. n. 101.*

184 Dices Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 3. de Reform.* expressè decrevit, ut distributiones propter intermissum debitum personale servitium amissæ, *fabricæ Ecclesiæ, quatenus indiget, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii applicentur*: ergo hæ non accrescunt aliis Clericis præsentibus. Resp. Licèt in concordando isto Decreto Concilii Tridentini, cum alio ejusdem Concilii Decreto, quo *sess. 21. c. 3. de reform.* distributiones quotidianæ jubentur inter Divinis interessentes proportionaliter dividi, non nihil variant Doctores; uti videre est apud Barbosam *cap. 22. de Canonic. & Dignitat. num. 14. ac seqq.* Navarrum *Miscell. 59. de Ordinat. num. 9.* Garciam *d. p. 3. c. 2. n. 459. 460. & seqq.* Cæterùm tamen opinionibus dimissis, & conformiter diversis Declarationibus Sacræ Congregationis Concilii, speremus Garciam *l. c. n. 465.* relatis, videtur dicendum, quòd Concilium *d. Sess. 21. cap. 3. de Reformat* loquatur de distributionibus ordinariis, ac propriè dictis, quæ usque ad tertiam partem fructuum à Canonicatibus, & Portionibus, de necessitate detrahi debent, ubi nullæ, vel nimis tenues reperiuntur distributiones quotidianæ, prout ibidem præcipitur: tales enim distributiones, quæ amittuntur per absentes, accrescunt præsentibus, cùm sint constitutæ de communibus fructibus pro servitiis communiter obeundis ab omnibus. At verò *Sess. 22. cap. 3. de reform.* idem Concilium Tridentinum loquitur de distributionibus quotidianis extraordinariis, ac impropriis, quæ nimirum per Episcopum usque ad tertiam partem deductæ fuerunt ex particularibus Dignitatibus, personatibus, & Officiis, etiam non ex necessitate, sed in odium absentium; nimirum, ut ejusmodi Dignitates, Personatus, vel Officia obtinentes, si debitè Divinis Officiis non interessent, nec personaliter competens sibi servitium præstarent, per earum amissionem singulis vicibus plectentur. Et quia hæ distributiones non de fructibus communibus, ut priores; sed de redditibus particularibus Dignitatum, Personatuum, vel Officiorum constituuntur, lucri faciendæ ab illis solis, qui eas Dignitates, Personatus vel Officia obtinent, ac servitium sibi competens personaliter præstant; alias verò per eos amittendæ. Hinc cessat ratio, cur hæ cæteris Clericis interessentibus accrescant, eò quòd non sint detractæ de communibus fructibus: ac proinde, si per negligentium absentiam amittantur, meritò vel fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicari debent. His adde Declarationem Sacr. Congregation. Concilii *n. 182. in fin.* relatam.

§. VII.

De casibus, in quibus Canonici absentes lucrantur Distributiones quotidianas.

SUMMARIUM.

185 *Generatim loquendo, ut Canonici absentes lucrentur distributiones, requritur justa causa absentiæ; & licentia Ordinarii, seu Prælati.*

186 *Dantur nonnulli casus, in quibus Canonici sic absentes lucrantur distributiones quotidianas. Et n. seq.*

187 *Sic accidit ratione infirmitatis, & cur?*

188 *Adeò, ut tempus infirmitatis non sit computandum pro tempore vacantium, seu trium mensium.*
Et quid, si Canonicus, dum abest in tribus mensibus infirmetur? Ibid.

189 *Prædicta procedunt etiam nulla probata, vel existente consuetudine, dandi infirmis distributiones in absentia.*

190 *Dummodò non adsit consuetudo in contrarium: hæc enim valida foret.*
Idem dicendum de consuetudine legitimè præscripta non dandi distributiones absentibus ex cæteris causis, c. un. h. t. in 6. contenti. Ibid.

191 *Solum Statutum Capituli, seclusa consuetudine, non obstat, quò minùs absentibus ex causa infirmitatis &c. dandæ sint distributiones.*

192 *Tunc solum Canonico infirmo debentur distributiones, quando, cùm esset sanus, consueverat interesse Divinis: aliàs secùs.*

193 *Quæ infirmitas sit sufficiens ad effectum recipiendarum distributionum, Judicis arbitrio relinquitur.*
Enumerantur nonnullæ tales infirmitates, Ibid.

194 *Ratione infirmitatis lucratur Canonicus distributiones, licèt propria culpa in eam inciderit.*

195 *Canonicis absentibus debentur distributiones, quando eos justa & rationabilis corporalis necessitas excusat.*

196 *Et quid nomine* corporalis necessitatis *intelligatur, & n. præc.*

197 *An ad istud requiratur consuetudo, dandi absentibus ex justa causa distributiones quotidianas?*

198 *Canonicis absentibus ob evidentem ecclesiæ utilitatem debentur distributiones: secùs, si non sit evidens.*

199 *Evidens hæc utilitas debet esse illius Ecclesiæ in specie, de cujus distributionibus quæritur.*

200 *Atque istud variè probatur.*

201 *Distributiones quotidianas recipit Canonicus missus ad Concilium Generale, Provinciale, vel Synodum Diœcesanam.*

202 *Item Canonicus actu incumbens animarum curæ, quæ imminet suæ Dignitati, vel Canonicatui.*

203 *Pœnitentiarius quoque, quando actualiter audit Confessiones.*

204 *Et canonicus missus à capitulo pro aliquo servitio ecclesiæ, seu Capituli, v. g. ad prosequendas lites, procurandaque communia negotia, &c.*

205 *Concordatur* Cùm non deceat, de elect. in 6. cum c. un. h. t. in 6.

206 *Præter dictos tres casus dantur nonnulli alii, in quibus Canonici absentes possunt percipere distributiones, & n. seq.*

207 *Uti sit, quando universi redditus capituli in solis distributionibus quotidianis consistunt: nam tunc Canonicus legitimè absens lucratur duas partes, dempta tamen tertia.*

208 *Idque exemplificatur in duobus Canonicis, qui existunt in servitio Episcopi; aut, qui absunt Studiorum causa.*

209 *Habens ex legitima dispensatione Canonicatum, & Ecclesiam parochialem simul, si residet in Parochiali, lucratur distributiones integras, si canonicus solum in distributionibus consistat.*

210 *Canonicus absens ab Ecclesia sua ex privilegio Summi Pontificis, potest percipere distributiones.*

211 *Ut Auditores Rotæ Romanæ.*

212 Ia-

212 *Inquisitores Hæreticæ pravitatis; & quomodo?*
Collector Generalis Cameræ Apostolicæ, Subcollector &c. ibid.

213 *Canonici missi ab ipsorum Episcopo ad limina Apostolorum ejus nomine, vel comitantes Episcopum ad eadem, lucrantur distributiones.*

214 *Canonici absentes possunt percipere distributiones in absentia, quando eis ex Statuto ecclesiæ, per Sedem Apostolicam confirmato, indulgetur.*
Vel quando ad hoc habent indultum Apostolicum, ibid.

215 *Canonici obtinentes prædendam Theologalem lucrantur distributiones diebus illis, quibus actu legunt: quod tamen limitatur.*

185 QUæritur I. Utrùm aliquando, & præsertim ratione infirmitatis, Canonici à Choro absentes lucrentur distributiones quotidianas? Resp. I. Generatim loquendo, ut canonici absentes à personali servitio suæ Ecclesiæ lucrentur fructus, & distributiones quotidianas, duo copulativè requiruntur: videlicet, justa causa absentiæ, & licentia Ordinarii, seu Prælati, Ita Gl. *c. Relatum. v. prælatorum*, & Abbas *ibid. n. 1. hoc tit.* & notat Barbosa *part. 3. de offi. & potest. episc. allegat. 53. n. 153.* allegans Rotam in una Lecien. Fructuum, 22. Aprilis 1503. coram Card. Pamphilo. Angelus *in Summa, v. Clericus, 7. n. 3.* Garcias *p. 3. de beneficiis, cap. 2. 90.* & alii.

186 Resp. II. Dantur nonnulli casus, in quibus Canonici ex justa causa, ac de licentia Ordinarii, seu Prælati absentes licitè recipiunt, atque lucrantur distributiones quotidianas. Ita communis omnium, atque patebit inductione, enumerando hujusmodi casus. Et quidem spectato Jure communi, seu constitutione Bonifacii VIII. relata *cap. un. h. t. in 6.* & innovata per Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 12. de reform.* excipiuntur tres principales casus, in quibus Canonici absentes fruuntur distributionibus quotidianis; nempe illi, *quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas excusaret.* Hæc ibi. Et quidem loquendo de istis tribus casibus singillatim

187 Resp. III. Ratione infirmitatis debentur absentibus distributiones quotidianæ, quando infirmitas est talis, quæ à celebratione Divinorum Officiorum excusat, *arg. c. Significatum, 11. de prebend.* ac notat Glossa *cit. c. un. v. Infirmitas, b. t. in 6.* Quia enim afflicto non est addenda afflictio, *c. Ex parte, 4. de Clerico ægrotan.* Et alioquin, si ob supervenientem ægritudinem Clerici destituerentur victualibus, seu distributionibus quotidianis, ob hujus timorem fortè non posset, qui militaret Ecclesiæ, reperiri, *c. 1. eod.* Hinc meritò infirmitas excusat Canonicos ab interessentia Divinorum Officium, absque amissione distributionum quotidianarum.

188 Et hoc adeò procedit, ut tempus, quo Canonicus fuit infirmus, non sit computandum pro tempore vacationum (hoc est, duorum aut trium mensium, quibus juxta Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 12. de reform.* abesse potest) prout Sacram Congregationem declarasse, refert Fagnanus *c. Licèt, n. 140. de prebend.* Ita tamen, ut si canonicus, dum abest in tribus mensibus à Concilio permissis, in morbum incidat, distributiones illius temporis, sive trimestrales non lucretur: siquidem ægritudo tunc non esset causa non interessendi, cùm jam anteà vacasset à servitio Ecclesiæ. Quòd si verò ultra tres menses morbus perdurasset, ab eo tempore distributiones non forent ipsi subtrahendæ: quia, cùm antehàc solitus fuisset interesse Divinis, verisimiliter expletis tribus mensibus vacationis ad servitium Chori rediisset, nisi infirmitas fuisset causa non interessendi. Et hoc ipsum declarasse Sacram Congregationem Concilii, refert Fagnanus *l. c. n. 149.*

189 Cæterum data conclusio procedit non solùm stante, & probata consuetudine, dandi infirmis distributiones in absentia; sed etiam nulla probatâ, vel existente tali consuetudine: prout contra Philippum Franchum *c. c. un. h. t. in 6.* concludit Covarruvias *lib. 3. variar. resolut. c. 13. n. 8. v. Ergo contrariam*, & Fagnanus *c. Licèt, n. 136. & 137. de prebend.* asserens, ita servare curiam.

190 Intellige, dummodò non adsit consuetudo in contrarium. Nam hac stante se cùs foret dicendum. Sic quippe, ut refert Garcias *p. 3. de Beneficiis, c. 2. n. 361.* Sacra Congregatio Concilii declaravit, his verbis: *Consuetudo in aliqua Ecclesia introducta, ut Canonici infirmi fructus tantùm suæ prædendæ, non distributiones quotidianas percipiant, si legitimè præscripta sit, tollit Constitutionem*: illam videlicet, quæ habetur *cap. an h. t. in 6.* Atque ad hoc requiritur consuetudo, quadraginta annorum spatio præscripta: prout notat Garcias *cit. n. 361.* post Vegam *in Summa, p. 1. c. 128. cas. 19.* & Azevedo *consil. 21. n. 4. & Consil. 24. n. 31.* Et hoc ipsum est dicendum de consuetudine alicubi legitimè præscripta, & probata, secundùm quam absentes ob cæteras causas, *in c. un. h. t. in 6.* contentas, distributiones non percipiunt: valida quippe existit talis consuetudo, *arg. c. ult. de consuetud.* cum similibus; & rursum dicetur infra *n. 197.*

Solum verò Statutum capituli, seclusa videlicet consuetudine legitimè præscripta, non obstat, quò minùs absentibus ex causa infirmitatis, vel alia quacunque causa, dandæ sint distributiones. Præterquàm enim tale Statutum capituli, utpote factum contrà Jus commune, *c. un. h. t. in 6.* nullius sit roboris: illud etiam non esse confirmandum, cùm sit contra bonum Ecclesiæ, ob rationes *n. 187.* allatas, censuit Sacra Congregatio; prout refert Fagnanus *c. c. Licèt, n. 138. de Prebend.* Cur autem contra Jus commune, & Sacros canones valeat consuetudo, non item Statutum inferiorum, dictum est supra *lib. 1. tit. 4. de Consuetudine, §. 1. n. 11.* 191

Resp. IV. Nihilominùs proximè data conclusio tunc solùm procedit, quando canonicus infirmus, dum esset sanus, consueverat interesse Divinis Officiis: aliàs secùs. Ita Abbas *c. Ad audientiam, n. 5. h. t.* Covarruvias *lib. 3 Variar. Resol c. 13. n. 8. v. Sextò.* Felinus *c. Apostolicæ, n. 12. de Exception.* dicens, ita tenere omnes. Jo Gutierrez *Canonicar. Quæstion. lib. 1. c. 2. n. 138.* & 139. Ubi prolinde dictam conclusionem intelligit, quando infirmus est præsens in loco, ubi est Ecclesia: alloquin enim etiam sanus, hoc ipso, quòd sit absens, non interesset Divinis: quod tamen intelligo conformiter dictis *n. 188.* Fagnanus *cit. c. Licèt, n. 148. de prebend.* Barbosa *cap. un. n. 16. h. t. in 6. & c. 14. de Canonic. & Dignitat. n. 36. & p. 3. de Offic. & potest. episc. allegat. 53. n. 167.* aliique communiter. Ratio est: quia tunc demum infirmitas excusat absentem, præbetque justam causam percipiendi distributiones, quando tali causa non interessendi Divinis: atqui istud solummodò contingit in illo ægro canonico, qui dum sanus erat, solitus fuit interesse Divinis; alioquin enim, si nec sanus interesse solebat, infirmitas non præstaret impedimentum. Atque ita tenuisse Rotam in una Hispal. Distributionum, 2. Mali 1603. coram R. D. Coccino, refert Barbosa *cit. alleg. 53. n. 167.* 192

Resp. V. Quæ infirmitas sit dicenda sufficiens ad effectum recipiendarum distributionum sine absentiæ, Judicis arbitrio est relinquendum. Ita Menochius *lib. 2. de Arbit. Judic. cas. 60. n. 5.* Barbosa *d. c. 24. n. 28.* & alii. In quo quidem puncto oportet attendere, an infirmitas sit talis, quæ causet damnum, vel aggravet morbum, si infirmus exeat domo, atque Divinis interfit, nec ne. Sic excusantur, atque distributiones ratione infirmitatis percipiunt, qui vel omnino Ecclesiam accedere nequeunt; ut debilis cruribus, seu tibiis, laborans podagra, cæcus, & hujusmodi: vel saltem non possunt accedere chorum sine vitæ periculo, aut aggravatione morbi; circa quod multùm operatur judicium conscientiosi, & periti Medici. Item, si quis lepra, vel alio morbo contagioso correptus, non audeat chorum frequentare, vel etiam cogitur ab urbe discedere: aut si causa sanitatis ad balnea, vel alium locum de licentia Ordinarii se conferat. Barbosa, *ubi supra* Fagnanus *c. Licèt, nu. 141. & seq. de præbend.* & alii ab his citati. 193

Atque istud procedit, etiamsi quis propria culpa in morbum inciderit: nam etiam tali debentur distributiones, postquàm vera infirmitate præpeditus, Divinis personaliter interesse non potest. Tum quia *c. un. h. t. in 6.* indistinctè excipitur infirmitas. Tum quia in hoc etiam casu, morbi impedimentum à Deo provenire solet, *c. Cùm infirmitas, 13. de pœnitent. & remissione.* Atque, ut inquit S. Gregorius, *c. Cùm percussio 7. q. 1.* relatus: *Cùm percussio corporalis imminet, utrùm pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur,* 194

& idcò

& ideò non debet à nobis addi flagellatis afflictio. Et ita tenet Fagnanus d. c. Licèt n. 147. de Præbend. allegans Declarationem Sacræ Congregationis Concilii, atque approbationem Gregorii XIII Covarruvias citat. lib. 3. Variar. Resolut. cap. 13. n. 8. vers. Septimò distributiones. Barbosa cit. cap. un. n. 15. h. t. in 6. & allegat. 53. n. 168. Azorius p. 2. lib. 7. cap. 7. quæst. 11. ubi idem dicit de eo, qui ex culpa vulnus accepit, & alii; quidquid apud citatum Covarruviam contradixerit Philippus Probus c. un. num. 17. h. t. in 6.

195 Quæritur II. An, & quando canonicis, ob rationabilem corporalem necessitatem, vel evidentem Ecclesiæ utilitatem absentibus, debeantur distributiones quotidianæ? Resp. I. Secundus casus, in quo Canonicis absentibus debentur distributiones quotidianæ, est ille, si eos justa & rationabilis corporalis necessitas excusaret. Textus est in cit. can. un. h. t. in 6. Ubi nomine Corporalis necessitatis intelligunt Doctores varia. Primò si Canonicus potionem medicam, sive medicinam sumpsit, vel sanguine minutus est. Jo. Andreas ad cit. cap. un. n. 1. & Ancharanus ibid. n. 2. h. t. in 6. Fagnanus c. Licèt n. 150. de Præbend. asserens, istud sequi cæteros omnes.

196 Deinde nomine corporalis necessitatis intelligitur casus ille, quo quis injustè in carcerem mittitur; vel iniquè excommunicatus, posteà per sententiam absolvitur; aut si quis expulsus è civitate propter seditiones, absque sua culpa Divinis interesse non potest: talis enim integrè debet percipere distributiones quotidianas. Barbosa c. c. un. n. 17. h. t. in 6. Fagnanus lo. cit. n. 151. & 153. & alii. Quinimò Jo. Andreas cit. n. 1. vers. Vidi jam, istud ampliat ad eos qui propter partialitates in Ecclesiis, vel ipsarum Civitatibus, morari non audent: nam cùm necessitas proprii corporis tuendi illos teneat absentes, ex quo in culpa non sunt, satis videntur sub hac exceptione includi, ac proinde percipere distributiones in absentia.

197 Addit quidem Covarruvias lib. 3. Variar. Resolut. cap. 13 num. 8. vers. Decimò, istud verum esse, ubi consuetudo definivit, quòd absentibus ex justa causa, dentur distributiones quotidianæ. Verum meritò hanc limitationem reprobat Fagnanus lo. cit. n. 152. Quia (inquit) in cap. un. h. t. in 6. sub eodem contextu, ac unica verborum structura, excipitur infirmitas; seu justa & rationabilis corporalis necessitas aut evidens Ecclesiæ utilitas: ergo textus ille debet singulos hosce casus æqualiter determinare l. Quamvis C. de Impub. & l. Jam hoc jure ff. de Vulgari, & pupill. substitut. Atqui ex causa infirmitatis absentes lucrantur distributiones, etiamsi talis consuetudo non extiterit, neque probetur, dummodò non subsit contraria consuetudo legitimè præscripta, juxta dicta nu. 189. & 190. atque fatetur ipsemet Covarruvias cit. n. 8. vers. Ergo contrariam: idem igitur est dicendum in aliis duobus. Accedit ratio superiùs jam allata: quia afflicto non est addenda afflictio, c. Ex parte 4. de Cleric. ægrot. Atqui injustè incarceratus, excommunicatus, expulsus &c. jam hoc ipso afflictus est: ergo non est ipsi addenda afflictio per subtractionem distributionum quotidianarum, cùm per ipsum non steterit, quò minùs interesset Divinis.

198 Resp. II. Tertius tandem casus, ob quem juxta sæpè cit. cap. un. h. t. in 6. distributiones debentur Canonicis non interessentibus, est evidens Ecclesiæ utilitas. Et dicitur notanter, Evidens: nam occulta necessitas, seu utilitas, quam quis fingeret, simulando se ire, aut mitti ob causam occultam, arduam, nec revelandam, non sufficeret, arg. c. Monasteria, juncta Glossa v. Rationabili de Vita & honest. Cleric. ac notat Jo. Andreas cit. c. un. n. 3. v. Evidens h. t. in 6.

199 Additur verò in singulari, Ecclesiæ: hoc est, illius Ecclesiæ in specie, de cujus distributionibus quæritur; prout formalibus hisce verbis loquitur Jo. Andreas loc. cit. & sequitur Ancharanus d. c. un. n. 4. h. t. in 6. Fagnanus c. Licet nu. 160. de Præbend. subjungens, secùs esse dicendum, si absentia contingat ob utilitatem alterius Ecclesiæ particularis, vel etiam generalis.

200 Atqui hoc ultimum, sive quòd utilitas evidens Ecclesiæ, requisita ad lucrandas distributiones in absentia, debeat esse illius Ecclesiæ in specie, de cujus distributionibus quæritur, probatur ulteriùs ex eo. Tum quia distributiones quotidianæ, spectato Jure communi, non debentur Canonicis existentibus in servitio Papæ, arg. c. Cùm dilectus 14. h. t. ac notat Glossa ibid. vers. Fructus; quam Fagnanus cit. can. Licèt n. 99 & 160. sequitur, & asserit, omnium consensu esse approbatam, & tamen ipsi censentur servire Ecclesiæ universali, per textum cit. c. Cùm dilectus h. t. ibi: Familiares nostri, qui circa nos se obsequiales exhibent universis. Tum quia pariter duo Canonici, existentes in servitio Episcopi, non lucrantur distributiones, c. De cætero 7. & c. Ad audientiam 15. eod. haud obstantibus, quòd & hi censeantur inservire Ecclesiæ Generali, seu toti Diœcesi: cùm Episcopus sit in ecclesia, & ecclesia in episcopo, can. Scire debes 7. qu. 1. Tum tandem, quia absentes studiorum causa non percipiunt distributiones quotidianas, can. Licet. 32. de Præb. quamvis absint pro utilitate Ecclesiæ universalis, quæ ipsorum doctrina illuminatur, c. ult. de Magistris & alibi.

Conclusio sic declarata exemplificatur, simulque exemplificando probatur. 201 Sic imprimis Canonicus missus à Capitulo ad Concilium Generale, Provinciale, aut Synodum Diœcesanam, recipit distributiones quotidianas. Rebuffus in Praxi beneficior. tit. Dispensatio de non residendo n. 34. asserens, ita declaratum fuisse in Concilio Constantiensi pro præsentibus dicto Concilio. Barbosa p. 3 de Offic. & potest. Episc. n. 158. cum aliis. Præsertim, si canonicus tanquam Theologus, vel canonista interest, missus à capitulo: quia censetur abesse in utilitatem suæ ecclesiæ, ac rem ipsius utiliter gerere. Barbosa cit. n. 158. & c. 24. de Canonicis & Dignitatibus n. 8. & 10. citans plurimos alios; atque istud post Moneram de Distribut. quotid. p. 2. q. 11. n. 91. & Cenedo Pract. & Canon. Quæst. lib. 1. q. 1. n. 67. amplians ad eos qui à capitulo mittuntur in aliquo publico munere; putà, Magistratus, si Ecclesia habet jurisdictionem, vel saltem causa Legationis ad Papam, vel Principem.

Deinde canonicus incumbens animarum curæ, quæ 202 imminet suæ Dignitati, vel canonicatui, dum actu administrat Sacramenta, vel alia ad ipsius curam spectantia, habetur tanquam præsens in choro, sicque lucratur distributiones quotidianas. Garcias p. 3. de beneficiis, c. 2. n. 335. adducens Declarationem Sacræ Congregationis. Barbosa de Canonicis & dignitat. c. 24. n. 11. & 12. allegans alios, & Sacram Congregationem Cardinalium, negotiis episcoporum & Regularium Præpositorum, in una Laudensi 24. Novemb. 2617.

Pœnitentiarius quoque, dum confessiones in eccle- 203 sia audit, interim præsens in choro censetur, sicque distributiones acquirit, juxta Concilium Tridentinum sess. 24. c. 8. de Reform. Barbosa cit. alleg. 53. n. 160. & c. 24. de Canon. & Dignit. n. 6. Garcias p. 3. de beneficiis c. 4. num. 123. 124. & seqq. allegans diversas Declarationes Sacræ Congregationis. Quæ tamen notanter addunt, Pœnitentiarium tunc solummodò censeri præsentem in Choro, quando actualiter audit Confessiones: non autem pro eo tempore, quo residet quidem in Confessionali, sed non audit Confessiones, aliis in Choro Divina peragentibus. Ratio horum generalis est; quia Canonici exercentes curam animarum, suæ Dignitati, seu Canonicatui incumbentem, aut Pœnitentiarius actu excipiens Confessiones, hoc ipso censetur abesse ob evidentem Ecclesiæ suæ utilitatem, utpote cujus obligationi in exercenda cura animarum satisfaciunt.

Rursum Canonicus missus à Capitulo pro aliquo ser- 204 vitio ipsius Ecclesiæ, seu Capituli, putà ad prosequendas lites, vel procuranda communia negotia, percipit omnes fructus, ac distributiones quotidianas. Barbosa c. c. 24. n. 19. Idemque dicendum, si Canonicus mittatur Romam ad agenda negotia Ecclesiæ suæ; vel alibi existat pro defensione jurium Ecclesiæ, vel Beneficii sui: lucratur enim distributiones quotidianas in absentia, cùm adsit pro evidenti utilitate Ecclesiæ suæ, c. c. un. h. t. in 6. & c. Ex parte tua 13. h. t. Covarruvias lib. 3. Var. Res. c. 13. n. 8. v. Decimò. Garcias lib. 3 de beneficiis c. 2. n. 362. Barbosa p. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 53. n. 172. adducens multiplicem Decisionem Rotæ. Accedit ratio: quia præterquam, quòd talis Canonicus censeatur abesse pro evidenti Ecclesiæ suæ utilitate, ut dictum, non decet alicui suum Officium esse damnosum, prout loquitur Pontifex c. Cùm non deceat 30. de Election. in 6.

Dices. In hoc ipso cap. cùm non deceat de Election. in 6. 205 expressè traditur oppositum; statuendo videlicet, ut illi, qui Ecclesiarum suarum prosequuntur utilitatem, censeri quidem debeant residentes, sicque fructus Beneficiorum suorum integrè percipere, sed quotidianis distributionibus duntaxat exceptis: ergo. Ad hanc instantiam, & evitandam antinomiam inter c. un. h. t. in 6. & citatum c. cùm non deceat de Elect. in 6. variæ sunt responsiones Doctorum; uti videre est apud Gloss. c. c. un. v. Utilitas h. t. in 6. Fagnanum c. Licèt nu. 159. de Præbend. Pirhing h. t. n. 92. & alios. Dimissis tamen cæteris, breviter respondetur cum Fagnano l. c. vel potiùs cum Sacra Congregatione Concilii, quæ examinatis singulorum opinionibus, & articulo diligenter discusso, intellexit, textum in d. c. cùm non deceat de Election. in 6. loqui in eo casu, in quo ex consuetudine cujuspiam particularis loci, absentes ob Ecclesiæ utilitatem non percipiunt distributiones: talem enim consuetudinem valere, jam dictum est suprà n. 190. At verò non probata hujusmodi consuetudine, censuit eadem Congregatio, absentes ob evidentem Ecclesiæ utilitatem distributiones lucrari perinde, ac si Divinis interessent, juxta textum in c. c. un. h. t. in 6. Et Congregationis sententiam Sanctæ Memoriæ Paulus V. ad se relatam approbavit. Ita refert Fagnanus c. n. 159. v. Verùm.

206 Quæritur III. An præter dictos tres casus, c. un. h. t. in 6. expressos, dentur nonnulli alii, in quibus Canonici justa de causa absentes lucrentur distributiones quotidianas? Resp. Dantur nonnulli alii casus, in quibus sive spectato Jure communi, juncto Concilio Tridentino, sive ex privilegio Apostolico, aut novissimis Constitutionibus Pontificiis, Canonici absentes lucrantur distributiones quotidianas. Conclusio hæc probatur ex iis, quæ quoad propositum latè tradit Barbosa Tr. de Canonicis & Dignitatibus, c. 24. per totum, & Fagnanus c. Licèt. nu. 124. & seqq. de Præbend. atque declaratur inductione quoad singula membra; quamvis per hoc non negetur, unum vel alterum sequentium casuum posse reduci ad tertium, qui c. c. un. h. t. in 6. exprimitur sub ly: Aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret.

207 Imprimis quidem spectato Jure communi, juncto Concilio Tridentino, Canonici ex quacunque justa causa, obtenta tamen priùs legitima licentia absentes, percipiunt distributiones quotidianas, quando universi redditus Capituli in solis distributionibus quotidianis consistunt: Ita tamen, ut post Concilium Tridentinum sess. 21. c. 3. de Reform. solum modò duæ partes ipsarum Canonicis ita absentibus debeantur. Fagnanus c. c. Licèt num. 124. 125. & 126. allegans multiplicem Declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Accedit ratio: quia, ubi redditus omnes consistunt in distributionibus, tertia harum pars retinet naturam distributionum, juxta Concilium Tridentinum c. c. 3. reliquæ verò duæ succedunt in locum Præbendæ. Siquidem juxta Sacros Canones non datur Canonia sine Præbenda, c. Relatum 9. & c. Dilectus 19. de præbend. atqui Canonici legitimè absentes lucrantur Præbendam; sive fructus grossos, etsi non distributiones extra casus specialiter expressos, ergo.

208 Hinc, quando omnes redditus Capituli consistunt in solis distributionibus quotidianis, duo Canonici in servitio Episcopi existentes percipiunt distributiones ejusmodi: alioquin ipsis suum officium, atque privilegium Jure communi concessum, redderetur inutile: excepta tamen tertia parte, quę retinet naturam distributionum, ac proinde interessentibus accrescit. Garcias p. 3. de beneficiis c. 2. n. 351. & 353. allegans multiplicem Declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Idemque esse dicendum de Canonicis absentibus causâ Studiorum, tenet Garcias l. c. n. 353. allegans Declarationem dictæ Sacr. Congreg. die 13. Septem. 1595. Quod ipsum, ait, procedere in Canonico legente Sacr. Scripturam in publica Universitate, ex Declaratione ejusdem Sac. Congr. 2. Februar. 1597 & aliis hujusmodi casibus.

209 Hinc tamen excipitur casus, quo quis ex legitima dispensatione, Canonicatum & Ecclesiam Parochialem habens, residet in Parochiali, juxta præscriptum B. Pii V. Nam talis distributiones quotidianas lucratur integras, si Canonicatus consistat solùm in distributionibus, non habens Præbendam. prout declaravit eadem Sacra Congregatio, atque decrevit Papa, apud Garciam cit. cap. 2. num. 345. & num. 352. asserentem, esse speciale in hoc casu, quòd omnes tunc distributiones acquirantur, non deducta tertia parte, & hoc in favorem curæ animarum, & propter onus residentiæ Parochialis. Atque conformiter illis limitanda sunt dicta superiùs §. 3. n. 99.

Deinde ex privilegio Apostolico, aut novissimis con- 210 stitutionibus Apostolicis, plures gaudent distributionibus quotidianis. Et quidem generatim loquendo, Canonicus absens ab Ecclesia sua ex privilegio Summi Pontificis, potest percipere distributiones quotidianas. Barbosa de Canonic. & Dignitat. c. 24. n. 13. allegans Geminianum num. 4. & Franchum n. 3. in c. un. h. t. in 6. pluresque alios. Privilegium enim non residendi in aliquo Canonicatu à Papa concessum, idem operatur, ac si Canonicus verè resideret, arg. c. Cùm dilectus 24. & c. Ad audientiam 15. h. t. Barbosa cit. n. 13. & alii. Nam ad Romanum Pontificem pertinere plenariam Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositionem, textus est in c. Licèt Ecclesiarum 2. de Præbend. in 6. & Clem. 1. Ut lite pendente &c. Episcopus verò non potest aliquem excusare à residentia in Choro, nisi in casibus à Jure expressis. Garcias p. 3. de beneficiis: c. 2. n. 406. & 407 referens Declarationem Sac. Congregationis Concilii. Barbosa, ubi supra, & alii.

Hoc ipsum exemplificatur, atque declaratur loquen- 211 do de nonnullis in specie. Sic quippe Auditores Rotæ Romanæ percipiunt fructus, & distributiones suorum Beneficiorum in absentia, ac si actualiter interessent Officiis Divinis. Ita concessit eisdem Clemens VII. in sua Constitutione 13. quæ incipit; Convenit, & habetur tom. 1. Bullarii Romani. Idipsum tradit Barb. c. c. 24. n. 1. & p. 3. de Offic. & potest. episc. alleg. 53. n. 155 cum aliis.

Similiter Inquisitores Hæreticæ pravitatis habentur 212 in suis Præbendis, & Dignitatibus pro præsentibus, & interessentibus: non quidem spectato Jure communi, sed per specialia Indulta Apostolica, ab uno quinquennio ad aliud renovanda. Garcias c. p. 3. c. 2. n. 356. referens Declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Barbosa d. alleg 53. n. 159. allegans alios. Ubi pariter n. 157. subjungit aliam concessionem Sixti V. die 8. Maii 1590. factam, vi cujus Collector generalis Cameræ Apostolicæ, Subcollector, Advocati, Procuratores, Fiscales, & Notarii in causis spoliorum eorum officio durante, lucrantur distributiones quotidianas in absentia.

Rursum Canonici missi ab ipsorum Episcopis ad Li- 213 mina Apostolorum eorum nomine, vel comitantes ipsos episcopos ad eadem Limina, distributiones lucrantur ex Decreto S. D. N. Sixti V. Ita Declaratio Sacræ Congregationis Concilii, quam his ipsis verbis refert Garcias c. p. 3. c. 2. n. 349. Idemque docet Fagnanus c. Licèt, n. 134. v. Fallit sextò, de præbend. Barbos. d. alleg. 53. n. 159. & alii, quos citat.

Insuper Canonici possunt percipere distributiones in 214 absentia, quando eis ex Statuto Ecclesiæ per Sedem Apostolicam confirmato indulgetur, ut absentes in aliquo casu participent de distributionibus quotidianis. Idemque dicendum, si Canonici habeant Indultum Apostolicum vacandi à servitio Ecclesiæ, & nihilominùs percipiendi distributiones. Fagnanus d. c. Licèt, n. 132. & 133. de præbend. Accedit ratio; quia, licèt Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 12. §. Distributiones, de Reform. sustulerit quæcumque Statuta, & consuetudines percipiendi distributiones in absentia, contra Decretum Bonifacii VIII. relatum c. un. h. t. in 6. non tamen sustulit privilegia Apostolica per Sedem Apostolicam confirmata ex certa scientia, & cum causæ cognitione. Idque propter duplex vinculum: uti notat Glossa in Clem. Dudum, v. pacta, de sepult. citans Jo. Monachum, & Fagnanus c. c. Licèt, n. 59. & n. 132. ac seqq.

Tandem, ut nonnulli alii casus taceantur, de quibus 215 Doctores hactenus citati, Canonici obtinentes Præbendam Theologalem non solùm possunt percipere fructus grossos sui beneficii, quamdiu in Scholis docuerint, cap. ult. §. Docentes, de Magistris, juncta Declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Fagnanus d. c. Licèt, nu. 114. & 115. Sed etiam diebus illis, quibus actualiter legunt, habendi sunt sicut præsentes in Choro, & interessentes; sicque lucrantur distributiones quotidianas; prout decla-

declaravit Gregorius Decimus tertius, teste Fagnano *loc. cit. n.* 116. & 169. & Garcias *cit. part.* 3. *c.* 2. *n.* 120. & 121. Quamvis iste *n.* 122. subjungat, hanc gratiam non competere indiscriminatim omnibus (Jure enim communi spectato, oppositum foret dicendum, *arg. cap. ult.* juncta Glossa *v. Integrè, de Magistris*) sed illis duntaxat, qui ipsam à Sacra Congregatione specialiter petierint, atque impetraverint.

TITULUS V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 De bonis Clericorum internis tam animi, quam corporis, eorumque officio, tractarunt priores Tituli: nunc agendum restat de ipsorum bonis externis, nempe de Præbendis, & Dignitatibus, seu beneficiis Ecclesiasticis, ex quibus debitè residendo, seu eisdem deserviendo, honestam suam sustentationem habere valeant, juxta illud 1. Corinth. 9. *Qui altari deserviunt, cum altari participant*; ne alioquin in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare, vel negotiari cogantur. Quia verò præsens Titulus amplissimam continet materiam, de qua plenos libros quidam ediderunt, ne prolixitas ipsius confusionem pariat, operæ pretium erit, eundem in diversos Paragraphos dividere.

§. I.

De natura Præbendæ, ac Beneficii Ecclesiastici, hujusque Requisitis.

SUMMARIUM.

2. & 3 Præbendæ *nomen sumitur multipliciter.*
4 *Et quid sit propriè loquendo?*
5 *Præbenda, qualiter accipiatur in Rubrica hujus Tituli?*
6 *Beneficium Ecclesiasticum, quid, & n. seqq.*
7 *Est jus spirituale.*
8 *Et quidem perpetuum.*
Differt beneficium per hoc à pensione. Ibid.
9 *De essentia beneficii Ecclesiastici est, ut conferatur in perpetuum.*
Ly, perpetuum, *quomodò hìc sumatur? ibid.*
10 *In beneficio Ecclesiastico tria possunt distingui nempe, officium spirituale.*
11 *Jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis.*
12 *Et ipsi fructus percipiendi ex istis.*
13 *Beneficium debet conferri personæ ecclesiasticæ.*
Ejusque collatio in personam Laici facta; ipso jure est nulla, ibid.
14 *Beneficium debet erigi authoritate ecclesiæ. Et n. seqq.*
15 *Et ante consensum Episcopi non est beneficium, sed res stat in pendenti, &c.*
16 *Estque pium Legatum, atque laicale. Et n. præc.*
17 *Requisita, seu qualitates, ex quibus cognoscantur beneficia ecclesiastica, sunt sex; & quæ?*
18 *Uno eorum deficiente, beneficium dici non potest: secùs, si omnia concurrant, quocunque nomine appelletur.*
Non est vis in nomine, sed debet attendi natura rei, Ibid.

2 Quæritur I. Quid nomine *Præbendæ* intelligatur præsertim in rubrica hujus Tituli? Resp. I. Nomen *Præbendæ* sumitur multipliciter: uti notat Glossa *c. Cùm M. Ferrariensis, vers. receperint,* & Abbas *ib. nu.* 22. & Felinus *nu.* 13. *de constitution.* Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancel. gloss.* 5. §. 1. *n.* 1. *& seqq.* Vallensis *h. t.* §. 1. *n.* 1. & alii. Primò siquidem Præbenda potest singulariter considerari, ac prout est separata à jure spirituali ipsius Canoniæ, & hocmodo Præbenda consistit in mera temporalitate bonorum, quæ cuipiam debentur ex redditibus Ecclesiæ propter aliquod Officium. Unde in hac acceptione etiam Laicus, puta Advocatus, Procurator, vel Musicus Ecclesiæ, est capax Præbendæ; potestque dici Præbendatus, quamvis nequeat esse Canonicus. Glossa, Abbas, Felinus, ubi suprà. Gonzalez *n.* 6. Anton. Nebrissensis *in Vocabulario Juris, v. præbenda,* & alii. Verùm hæc acceptio non est ad nostrum propositum, ubi sermo est de Præbenda, prout est jus quoddam spirituale, atque individuum; uti appellatur *c. Dilecto filio,* 25. §. *præterea, h. t.* & alibi.

3 Secundò igitur Præbenda accipi solet pro Canonica portione, seu pro fructibus annuis, sive grossis qui de communi bonorum, proventuumque Ecclesiasticorum massa sumuntur, & propter spirituale ministerium, sive ratione annuæ residentiæ in loco Canonicatus, *præbentur* singulis Canonicis pro sua portione. Unde & *præbendæ* nomine indigitantur: atque non rarò etiam dicuntur *Fructus præbendæ*; vel absolutè *Præbenda.* Prout fit in *c. Dilectus filius* 19. *h. t.* ibi: *Idem fructus præbendæ percipere non deberet,* juncto *c. Cùm M.* 9. *de const.* ibi: *Antiquis Canonicis præbendas cum integritate percipientibus,* & alibi.

4 Tertiò, & propriè, magisque strictè loquendo, *præbenda* est jus ipsum spirituale, pro canonico institutum ad utendum, & fruendum rebus, atque juribus ad hoc deputatis, & recipiendum atque administrandum ea ratione Officii, seu Canoniæ. Ita Abbas *c. Cùm M. n.* 22. & Fagnanus *ib. n.* 27. *de constit.* & alii. Additur notanter, *ratione Officii, seu Canoniæ*: siquidem jus istud ex *Canonia* (quæ est jus quod provenit ex electione, seu receptione alicujus in fratrem, sive Canonicum) ejusque officio, descendit tanquam sequela, quia, ex quo aliquis habet Canoniam, seu Officium, debet habere præbendam, seu beneficium; prout dicitur *c. Relatum* 9. & *c. Dilectus,* 19. *h. t.* cum similibus.

5 Resp. II. Nihilominùs in proposito, atque in rubrica præsentis Tituli, *præbenda* sumitur non specificè pro sola Præbenda Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ: sed genericè pro omni beneficio Ecclesiastico, saltem inferiori. Ita Barbosa *ad Rubric. h. t. n.* 6. Pirhing. *h. t. num.* 1. Valensis *eod.* §. 1. *n.* 3. & alii. Idque patet ex *c. Referente,* 7. & *cap. Cùm non ignores,* 15. & *cap. tuis quæstionibus.* 23. *h. t.* cum similibus hoc Titulo passim occurrentibus, & in quibus de Beneficiis generaliter agitur. Accedit *can. si quis dator,* 1. *q.* 3. ubi indistinctè dicitur, quòd *Dei Ecclesias, vel Ecclesiastica beneficia, quidam præbendas vocant.* Concordat textus in *c. Quia in tantum* 5. *h. t.* & *c. Tua nobis* 32. *de verb. signif.* Quo tamen non obstante ly, *Præbenda*, prout accipitur in præsenti Rubrica, meritò restringitur ad inferiora Beneficia, ne altera ejusdem pars, nimirùm ly, *& Dignitatibus,* superfluere videatur. Occasione cujus

6 Quæritur II. Quid sit beneficium Ecclesiasticum? Resp. I. *beneficium Ecclesiasticum* est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod Officium spirituale, personæ Ecclesiasticæ authoritate Ecclesiæ constitutum. Ita Barbosa *lib.* 3. *jur. eccles. univ. c.* 4. *num.* 8. Vallensis *h. t.* §. 1. *num.* 3. Engel *eod. num.* 1. Zoesius *num* 2. Sannig. *cap.* 1. *numer.* 4. Layman *lib.* 4. *Theolog. Moral. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. & in re communis. Nisi quòd Navarrus *de redditib. ecclesiast. quæst.* 1. *monit.* 35. *num.* 4. addat ly, *Jus perpetuum in se, vel quoad recipientem*: alii verò, & signanter Garcias *part.* 1. *de beneficiis, cap.* 2. *numer.* 2. & 65. & Pyrrhus Corradus *in praxi beneficiaria, lib.* 1. *c.* 1. *n.* 1. omittant ly, *perpetuum*, juxta dicenda *n.* 8.

7 Dicitur imprimis, *Jus.* Quod intellige de jure spirituali, propter connexitatem, ac dependentiam à spirituali: quia nimirum præsupponit Clericatum, & datur propter Officium, seu ministerium sacrum. Alioquin enim jus percipiendi fructus, utpote res temporales, in se foret temporale quid; sed in proposito, veluti connexum spirituali, censetur spirituale. Concordant dicenda inferiùs *n.* 11.

8 Et additur, *perpetuum.* Quamvis enim nonnulli Authores hanc particulam omittant; ut Garcias *c. p.* 1. *de Beneficiis, c.* 2. *n.* 65. *ac seq.* asserens cum quibusdam aliis, à se citatis, quòd non sit de essentia Beneficii, esse perpetuum; tamen idem Garcias pauló inferiùs, seu *n.* 79. quandam in beneficio Ecclesiastico requirit perpetuitatem, saltem aptitudine. Cæteri verò Doctores passim tradunt, de natura, atque essentia beneficii Ecclesiastici esse, quòd sit perpetuum; idque meritò. Tum quia per hoc differt Beneficium essentialiter à Pensione; nam Pensio non confertur in perpetuum, sed solummodò ad vitam gravati, vel ad summum ad vitam Pensionarii; eoque mortuo cessat, & extinguitur. Econtra verò de natura beneficii Ecclesiastici est, ut semel legitimè institutum, perpetuò duret, unde obitu Beneficiarii non extinguitur, neque cessat; sed dicitur vacare, donec recursum alteri conferatur. Azorius *p.* 2. *lib.* 2. *quæst.* 2. §. *Ex his* & alii.

9 Deinde, quòd de essentia beneficii Ecclesiastici sit, ut non conferatur ad certum duntaxat tempus, sed in perpetuum (hoc est, ad totam vitam Beneficiati, *arg. l.* 1. *ff. pro socio,* ubi in simili dicitur, quod *societas coiri potest, vel in perpetuum: id est, dum vivimus &c.*) desumitur ex *can. Sanctorum dist.* 70. ibi: *In qua Ecclesia quilibet intitulatus est, in ea perpetuò perseveret.* Idipsum confirmat textus in *c. un.* juncta Gloss. *vers. perpetui de Capell. Monach. in* 6. atque tenet Abbas *consil.* 46. *n.* 1. *l.* 2. dicens, proprium esse beneficii Ecclesiastici, ut sit perpetuum quantùm ad eum, cui conferatur. Jo. de Selva *Tractatuum tom.* 15. *tr. de benefic. part.* 1. *q.* 1. *n.* 4. asserens, tale esse propriè beneficium Ecclesiasticum: atque fusissimè, & ex professo tradit Pyrrhus Corradus *lib.* 1. *Praxis benefic. c.* 6. *n.* 261. *& seqq.* Accedit ratio: quia inter Ecclesiam & Presbyterum, est matrimonium spirituale, *can. Sicut in unaquaque,* 22. *q.* 2. ubi Ecclesia dicitur *Sponsa vel uxor* Presbyteri: aut potiùs quasi matrimonium (nisi Presbyter ille sit Episcopus) prout latè probat Fagnanus in *c. Quanto, n.* 5. *&* 6. *de Translat. Episc.* Atqui matrimonium, ex sua natura est perpetuum: idem ergo dicendum de beneficio Ecclesiastico, utpote matrimonium, vel quasi matrimonium involvente.

10 Dicitur ulteriùs in data Beneficii definitione, *percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod Officium spirituale.* Quia, ut inter alios notat Vallensis *h. t.* §. 1. & Barbosa *lib.* 3. *Jur. ecclesiast. univ. c.* 4. *n.* 9. & 10. tria in beneficio Ecclesiastico distingui possunt. Primum est, *Officium aliquod spirituale*, putà, obligatio recitandi Horas Canonicas in choro, vel saltem extra illum; item obligatio deserviendi in Officiis spiritualibus cuipiam Ecclesiæ, celebrandi Missas, aut hujusmodi. Et istud est omnino spirituale; non tamen est beneficium, sed fundamentum & causa ipsius, hoc est, jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis: nam *propter Officium datur beneficium ecclesiasticum*, uti habetur *capit. ult. de rescript. in* 6.

11 Alterum est, *Jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis.* Et istud jus, propriè dicitur beneficium; estque spirituale, quia oritur ex spirituali Officio, ipsique connectitur, juxta *c. Cùm secundùm,* 16. *h. t.* ibi: *Cùm secundum, Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari &c.* junctis dictis suprà *n.* 7.

12 Tertium, sunt ipsi *Fructus percipiendi ex bonis ecclesiasticis*; id est, ex bonis Deo dicatis, & Ecclesiæ donatis. Et hi sunt quid temporale, ac proinde licitè venduntur absque labe simoniæ: uti patet in fructibus Decimarum. Et per hoc patet ad proximè relatas particulas dictæ definitionis Beneficii.

13 Rursus dicitur in eadem definitione, *personæ ecclesiasticæ*; id est, saltem prima Tonsura initiatæ. Nam aliàs quilibet, & ad quodlibet beneficium, inhabilis existit: adeò quidem, ut non sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari, *arg. c. Ex litteris* 6. *de transact.* & notat Glossa fin. & Abbas *ibid.* istud limitans, nisi forsan Papa dispensaverit cum Laico, ut possit beneficium recipere, & posteà primùm tonsurari. Alioquin verò collatio beneficii in personam Laici, seu necdum prima Tonsura initiati facta, ipso jure nulla est, & invalida; nam Laicus est incapax omnis juris Ecclesiastici, *c. Causam* 7. *de præscrip.* Idipsum patet ex *c. Cùm adeò,* 17. juncta Glossa *v. Nec Clericus, de rescrip.* & *c.* 2. *de institut.* estque jam dictum suprà *Lib.* 1. *tit.* 6. *de electione,* §. 9. *n.* 219.

Dicitur tandem in definitione beneficii, *authoritate Ecclesiæ constitutum.* Siquidem in beneficia Ecclesiastica, non nisi interveniente legitima authoritate Ecclesiæ (hoc est, approbatione Episcopi, vel alterius Prælati ad hoc potestatem habentis) constitui, seu erigi possunt; juncta Glossa *in Clem.* 2. *v. Si beneficiorum, in fin. de Decimis,* à contrario sensu istud inde desumentem: ac fusè tradit Pyrrhus Corradus *de beneficiis, lib.* 1. *c.* 2. *n.* 1. *& seq.* Adeò, ut antequam accedat authoritas Episcopi, non dicatur beneficium Ecclesiasticum; sed pia quædam donatio, seu Legatum pium. Rebuffus in *praxi benef. tit. Quare instituta sunt beneficia, n.* 10. Pyrrhus Corradus *cit. c.* 2. *n.* 28. & 29. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Canc. gloss.* 5. *n.* 20. Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles. univ. c.* 4. *n.* 6. *& seqq.* allegans Rotam *Decision.* 361. *n.* 3. *p.* 2. *Recentior.* & alii passim. 14

Quamdiù igitur deficit consensus Episcopi, non est beneficium, sed res stat in pendenti. Barbosa *cit. num.* 16. Neque fundator ipsius, acquirit jus patronatus ante approbationem Episcopi. Felinus *c. Ex parte II.* 2. *nu.* 2. *de rescript.* Quamvis ante memoratam Episcopi approbationem possit beneficium illud concedi à Fundatore cuipiam Sacerdoti, sed per modum simplicis duntaxat deputationis. Lotterius *de re benef. lib.* 1. *q.* 5. *n.* 57. Barbosa *l. c. n.* 18. & 19. subjungens cum aliis, quòd Capellaniæ, sub onere celebrandarum Missarum constitutæ sine authoritate episcopi, censeantur laicales. 15

Unde ulteriùs, si quis in aliqua Ecclesia certas Missas, vel etiam Anniversaria, sub competenti stipendio in perpetuum fundaverit, nisi approbatio Episcopi accesserit, non erit beneficium; sed solummodò pium Legatum, aut pia donatio. Rebuffus, Barbosa, ubi suprà. Zerola *in Praxi Episc. p.* 2. *v. Beneficium, v.* 10. Engel *h. t. n.* 1. Et quia tale Legatum caret erectione, seu institutione Ordinarii, sine qua beneficium ecclesiasticum esse suum non habet, erit quid laicale, & temporale. Barbosa *c. c.* 4. *n.* 20. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *n.* 20. Guido Papa *decis.* 187. *n.* 1. Pyrrhus Corradus *c. c.* 28. & 29. allegans alios, atque Rotam in una Monopolitan. Hebdomad. Vener. 14. Decembr. 1612. coram Manzanedo. Accedit ratio: quia nullus privatus sine Episcopi authoritate, potest locum sacrum, vel rem spiritualem constituere, *arg. c. Ad hoc,* 4. *de Religios. domib.* ac notat Gonzalez *cit. gloss.* 5. *n.* 7. 16

Quæritur III. Quæ sint Requisita, seu qualitates, ex quibus cognoscantur beneficia Ecclesiastica? Resp. Talia Requisita potissimùm esse sex, quæ enumerant. Abbas *Consil.* 47. *n.* 1. *lib.* 2. Card. Tuschus *Litt. B. Concl.* 54. *n.* 5. Barbosa *p.* 3. *de Offic. & potest. Episc. allegat.* 57. *num.* 141. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *num.* 6. *& seqq.* & Pyrrhus Corradus *d. lib.* 1. *praxis beneficiar. c.* 1. *n.* 12. per quinque sequentia Capita fusè de singulis differens. Primum Requisitum est, quòd beneficium Ecclesiasticum Episcopi Authoritate sit erectum: juxta proximè dicta. Secundum, quòd habeat aliquid spiritualitatis annexum; putà, quòd detur propter Divinum Officium: secùs, si pars redditu m Ecclesiasticorum daretur propter ministerium merè temporale, v. g. Cantori, Æditui, & hujusmodi, pro laboribus suis laicalibus. Tertium, quòd conferatur à persona Ecclesiastica: putà, à Papa, vel Episcopo; non verò à Laico: nam Laici non possunt conferre beneficia Ecclesiastica (haud obstante, quod juspatronatus eisdem competat, sicque idoneum Clericum ad Beneficium vacans præsentare valeant) sed ea conferunt soli Ecclesiæ Prælati, horumque Officiales, *c. Ex frequentibus.* 3. *de institut.* & *can. Si quis deinceps,* & *can. Si quis Clericus,* & *can. Nullus* 17

laico-

laicorum, 16. *q.* 7. Quartò, quòd conferantur Clerico, non Laico. Quintò, quòd sit perpetuum, juxta dicta in explicatione definitionis Beneficii. Sextò, quòd sibi non possit retineri, sed necessariò sit conferendum alteri, *c. ult. de instit.*

18 Porrò, si unum præmissorum Requisitorum deficiat, Beneficium Ecclesiasticum dici non potest: nam hæc omnia sunt substantialia in beneficio. Pyrrhus Corradus, ubi suprà. Gonzalez *d. gloss.* 5. *n.* 16. citans Rotam *dec.* 508. *n.* 3. & 4. *p.* 1 *Divers.* & alios. Siquidem, ubi plura requiruntur ad substantiam alicujus rei, uno deficiente, nihil censetur actum; ut *l. Si unus*, *Cod. de Testament.* Quòd si verò prædicta concurrant, non est curandum, quo nomine Beneficium appelletur, sive dicatur Beneficium, sive Officium, aut Præstimonium, vel Pensio: quia non est vis in nomine, sed potiùs attendi debet natura rei, *argum. l. Si uno anno*, *§.* 1. *ff. Locati* & *c. Ea quæ*, 16. *de Simonia*, Abbas *cit. consil.* 47. *nu.* 2. *p.* 2. Felinus *c. In nostra*, *n.* 9. *v. de quarto*, *de rescr.* Gonzalez *loc. cit. n.* 17.

§. II.

De multiplici divisione Beneficiorum: ubi plura de Beneficio manuali.

SUMMARIUM.

19 *Beneficium latissimè sumptum; & beneficium Principis propriè dictum, quid, Remissivè.*
20 *Beneficia Ecclesiastica alias sunt majora, alia minora.*
21 *Notabilis differentia inter hæc.*
Illa appellantur Culmina Dignitatum. *Ibid.*
22 *Beneficium regulare, & sæculare, quod?*
23 *Beneficia omnia censentur sæcularia, donec contrarium probetur.*
24 *Et qua ratione istud probari possit?*
In beneficiis (imò & in aliis causis) debet attendi ultimus status. Ibid.
25 *Beneficia in Monasteriis, seu ecclesiis Regularium fundata, in dubio præsumuntur regularia.*
26 Beneficia sæcularia Sæcularibus: & regularia Regularibus sunt conferenda: *quod limitatur.*
27 *Alia beneficiorum divisio ratione annexæ curæ animarum, administrationis, aliorumve jurium: & num. seq.*
28 *Beneficia curata, & non curata, quæ?*
In dubio beneficium censetur non curatum. Ibid.
29 *Beneficia curata sunt duplicis generis: nam quædam habent curam animarum in Foro externo; alia in foro interno, seu pœnitentiali.*
Hæc dicuntur propriè curata. Ibid.
30 *Ad beneficium propriè curatum, seu ad Ecclesiam Parochialem, quatuor requiruntur; & quæ?*
31 *Beneficia duplicia; quæ?*
Beneficia non curata, an rectè dicantur simplicia?
32 *Hæc vocabula*, Dignitas, Personatus, Officium, *quandoque sumuntur pro synonimis: strictè tamen differunt.*
33 *Dignitas strictè, quid?*
34 *Potest etiam oriri ex institutione, consuetudine, ac denominatione.*
35 *Personatus, &*
36 *Officium, quid?*
37 *Beneficia simplicia, quæ?*
Rescripta, ut cuipiam provideatur de beneficio simplici, qualiter sunt intelligenda? Ibid.
38 *Canonicatus plerumque non veniunt nomine beneficiorum; simplicium & cur?*
39 *Beneficia alia sunt electiva, alia patronata, alia collativa, seu libera.*
40 *Beneficia patrimonialia, & non patrimonialia, quæ?*
41 *Beneficium monoculum, & non monoculum, quod?*
42 *Beneficia Consistorialia, quæ?*
Beneficia Papæ reservata: & beneficia vacantia in Curia, Remissivè.
43 *Beneficia manualia, quæ?*
Appellantur etiam Revocabilia, *Ibid.*
44 *Possunt dari ex fundatione &c.*
Atque magis expedit, talia erigi in Capellaniis juris patronatus. Ibid.
45 *Beneficia manualia possunt revocari ad nutum conferentis; & qualiter?*
Ly, Ad nutum, *quid importet? Ibid.*
46 *In dubio beneficia sæcularia censentur perpetua: regularia verò manualia. Et n. seq.*
47 *Episcopus justa de causa, & cum consensu Patroni, potest beneficium simplex perpetuum efficere manuale.*
48 *Respectu Papæ omnia beneficia censentur manualia.*
Potest Papa beneficium manuale conferre in perpetuum, expressa tamen hujus manualitate. Ibid. & n. seq.
49 *Papa simpliciter conferendo, non censetur voluisse alterare naturam beneficii.*
50 *Statuto per Sedem Apostolicam approbato possunt beneficia sæcularia perpetua, fieri manualia.*
Imò & consuetudine legitimè præscripta, Ibid.
51 *Beneficia tamen manualia, de consuetudine non possunt fieri perpetua: & cur?*
52 *Beneficia manualia, verè & propriè beneficia non sunt.*
53 *Et quid dicendum de ecclesiis parochialibus, quæ Monasteriis, Capitulis &c. sunt incorporatæ, ac reguntur per vicarios temporales?*
54 *Dantur tamen nonnulli casus, in quibus nomine beneficii ecclesiastici veniunt beneficia manualia. Et num. 51.*
Sic contingit in materia favorabili. Ibid.
55 *Ac in dispositionibus editis ob publicam utilitatem.*
56 *De consuetudine, ac stylo curiæ Romanæ, in impetratione beneficii facienda est mentio præhabiti beneficii manualis, & cur?*

Quæritur I. Quotuplex sit beneficium Ecclesiasticum? Et additur notanter, *Ecclesiasticum*: quia hic non agitur de *Beneficio latissimè sumpto*, prout aliud non est, quàm benevola actio tribuens gaudium capienti. Neque de *Beneficio Principis propriè & strictè sumpto* ac prout contra distinguitur à Privilegio, & Rescripto: nec aliud est, quàm benevola actio, seu liberalitas quædam concessa sine alterius præjudicio, præter Jus commune, de quo jam dictum est suprà *lib.* 1. *Tit.* 2. *de constitutionibus*, *§.* 17. *n.* 444. & 445. Igitur impræsentiarum solùm agitur de beneficio Ecclesiastico proximè explicato; quo præn otato 19

20 Resp. I Beneficium Ecclesiasticum est multiplex, varieque dividitur. Et primò quidem ratione diversæ excellentiæ ipsorum. Beneficia alia dicuntur majora, alia minora. *Beneficia Ecclesiæ majora*, sunt Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, & Episcopatus, quibus Vallensis *h. tit.* §. 2. *n.* 1. Garcias *part.* 1 *de beneficiis.*, *cap.* 6. *n.* 2. & alii, etiam addunt Abbatiam. Cætera verò his inferiora, censentur *beneficia minora*.

21 Est autem notabilis differentia inter hæc. Siquidem Beneficia majora communi nomine *beneficii* nisi secùs exprimatur, in materia odiosa & pœnali non solent comprehendi; cùm sint *Culmina Dignitatum*, prout appellantur *c. penult.* seu *c. Venerabilis*, 37. *h. t.* Unde dispensatio impetrata ad omnia Beneficia, non extenditur ad Episcopatum, propter eminentiam Dignitatis, quæ est speciali nota digna. Pirhing *h. t. n.* 9. cum aliis. Nam dispensatio, tanquam vulnerans Jus commune, est odiosa, & strictè accipienda, *c.* 1. *de Filiis presbyt. in* 6 ac notat Fagnanus *c. Mandato n.* 33. *de Simonia*. Vallensis *h. t.* §. 2. *n.* 1. estque ex professo dictum suprà *l.* 1. *Tit.* 2. *de Constitutionibus*. §. 18. *n* 451. *ac seqq.*

22 Resp. II. Ratione diversi status hominum, quibus conferenda sunt, Beneficia ulteriùs dividuntur in regularia. *Beneficium regulare* est, quòd solis Regularibus competit. Sive dein id contingat ex primæva fundatione, seu institutione, ut Abbatia, Prioratus, & hujusmodi: sive ex consuetudine, seu legitima præscriptione, eo quòd per Regulares regi consueverit, & administrari, per quadraginta saltem annos, *c. Cùm de Beneficio*, 5. juncta *Gl. fin. de Præb. in* 6. Rebuffus *in Praxi Beneficiorum*, *tit. Regularia beneficia*, *n.* 1. *Garcias de Beneficiis*, *p.* 7. *c.* 10. *n.* 1. allegans alios. *Beneficium sæculare* econtrà dicitur, quod addictum, & debitum est sæcularibus Clericis; id est, illis, qui nullam sunt professi Regulam, sed in sæculo militant & serviunt Deo sub statu Clericali.

23 Ubi sciendum, quòd omnia Beneficia censeantur sæcularia, nisi contrarium probetur. Garcias *part.* 1. *de beneficiis*, *c.* 6. *nu.* 11. & 12. post Rotam *Dec.* 2. *de Præbend. aliàs* 32 *in novis*. Card. Tuschus *Litt. B. Concl.* 54. *num.* 4. Navarrus *Consil.* 3. *de Præbend. n.* 1. Zerola *par.* 2. *Praxis Epis. v. beneficium v. Decimo secundò*. Vallensis *h. t.* §. 2. *n.* 9. Rebuffus *in Praxi Benef. tit. Quotuplex sit beneficium*, *num.* 3. & Mascardus *de Probation. Concl.* 172. *num.* 1. asserens istud ab omnibus esse receptum. Quia (inquiunt) postquam D. Petrus fuit Clericus sæcularis, præsumitur, ita Beneficia fundata fuisse sequendo illum primum Patronum.

24 Additur notanter, *donec contrarium probetur*. Tunc quippe secùs erit dicendum; uti fit, si ex ipsamet Beneficii fundatione cautum habeatur, ut sit Regulare; vel illud ex legitima Superioris Institutione concessum, aut saltem ex longæva consuetudine, seu præscriptione quadraginta annorum obtentum fuerit, *cit. cap. Cùm de beneficio*, 5 *de Præbend. in* 6. Navarrus, Zerola, Vallensis, *ubi suprà*, aliique passim. Ubi etiam optimè notant Doctores quòd in Beneficialibus (imò & aliis caussis) attendendus sit ultimus status Beneficii; putà, an tempore vacationis proximè contingentis per obitum Beneficiarii, ipsum beneficium fuerit regulare, vel sæculare; curatum, vel non curatum; manuale, vel non manuale &c. Istam ratione possessionis, vel quasi possessionis, secundum hunc ultimum statum debet judicari, donec contrarium probetur. Felinus *c. Eam te*, *num.* 22. *de Rescrip.* Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 45. §. 2. *n.* 14. Mascardus *de Probation. Concl.* 572. *n.* 8. Garcias *part.* 7. *de Beneficiis*, *c.* 10. *n.* 34. post Rotam *Decis.* 2. *de Præben. in novis*. Pirhing *h. t. num.* 120. & alii, quos citant.

25 Limitatur quoque dictum illud, nempe quod *Beneficia censeantur sæcularia: nisi &c.* non procedat, si Capellæ, seu Beneficia sint fundata in Monasteriis, seu Ecclesiis Regularium. Etsi enim Beneficia hujusmodi non hoc ipso censeantur Regularia, quod sint fundata in Regularium Ecclesiis (pendet enim ex arbitrio Fundatorum, an pro Sæcularibus, vel Regularibus Beneficium erigere velint) nihilominùs in dubio, & quandiu non apparet de contraria Fundatorum intentione, Beneficium in Monasterio fundatum semper præsumitur Regulare. Rebuffus *cit. tit. Quotuplex sit beneficium*, *n.* 6. Mascardus *loc. cit. concl.* 172. *num.* 17. Engel *tit. de Capellis Monach. num.* 1. *vers. Porrò*, addita ea ratione: Quia non est verisimile, quòd ærigens Beneficium cum onere legendi Missas in Ecclesiis Regularium voluerit ab eo ipsos Regulares excludere; cum potiùs videamus, Religiosorum preces multum à devotis hominibus, ipsisque Fundatoribus desiderari.

26 Insuper notandum, quod de præfata Beneficii divisione loquatur vulgatum illud axioma Canonistarum: *Sæcularia beneficia Sæcularibus, & regularia Regularibus sunt conferenda*; prout desumitur ex *cap. Cùm ad nostram*, 37. & *c. Offic.* 38. *de elect.* juncto Tridentino Concilio *sess.* 14. *cap.* 10. *de reform.* & *sess.* 25. *cap.* 21. *de Regular.* Siquidem rationi non congruit, ut homines disparis professionis, vel habitus, simul in eadem Ecclesia socientur, atque deserviant, *Clem.* 1. *de Elect.* ac notat Garcias *part.* 7. *cap.* 10. *num.* 2. & 3. Vallensis *h. t.* § 2. *num.* 14. & alii. Intellige, nisi caussa necessitatis exigente, deque consensu Superioris, aliud fieri expediat: putà, quia alii idonei non reperiuntur, *arg. cap. Inter quatuor*, 5. *de Religios. Domib.* Garcias *d. cap.* 10 *num.* 16. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 8 *n.* 43. cum aliis.

27 Resp. III. Beneficia Ecclesiastica ratione annexæ curæ animarum, administrationis, aliorumve jurium, dividuntur in curata, & non curata: item in duplicia, & simplicia: ex quibus duplicia subdividuntur in Dignitates, Personatus, & Officia. Probatur istud inductione, seu potiùs explicatione terminorum. Et quidem

28 *Beneficia curata* dicuntur, quæ curam animarum habent annexam. *Beneficia non curata*, seu sine cura sunt, quibus nulla ejusmodi animarum cura est annexa. Et in dubio Beneficium censetur non curatum: nam de Jure nullum Beneficium habet curam, nisi habeat populum, seu Clerum; ac proinde asserenti curatum, incumbit hujus probatio; ut *l.* 2 *ff. de Probation.* ac notat Rebuffus *in Praxi benef. tit. Sæculare beneficium quotuplex*, *num.* 11. Menochius *lib.* 2. *de Arbitr. Jud. cas.* 201. *n.* 62. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 6. *num.* 91. post Bellameram *dec.* 676. *Si Impetrans*, & Rotam *Dec.* 17. *num.* 1. *part.* 1. *Divers.* Garcias *part.* 1. *de beneficiis*, *cap.* 6. *num.* 8. Vallensis *h. t.* §. 2. *num.* 2. & alii passim.

Porrò Beneficia curata sunt duplicis generis. Nam quædam habent curam animarum in Foro externo, seu contentioso, quatenus habent jurisdictionem spiritualem visitandi, corrigendi, excommunicandi, & alia hujusmodi præstandi, juxta textum notabilem in *cap. Dudum*, 54. §. *Sed cùm in jure*, *de Election.* Ubi proinde Abbas *num.* 8. notandum ait, quod Beneficium dicatur curatum, sive habeat curam Fori pænitentialis, sive Fori contentiosi: & concordat Garcias *part.* 1. *de beneficiis*, *cap.* 6. *num.* 7. & Barbosa *part.* 3. *de Offic. & potest. Episc. allegat.* 57. *num.* 163. citans alios. Quamvis Gomezius *ad regul. Cancell. De Idiomate*, *quæst.* 11. *nu.* 4. & Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 6. *num.* 60. & 61. pluresque alii asserant, quòd potestas Fori externi, seu contentiosi (qualis versatur circa exercitium jurisdictionis spiritualis, delinquentes suspendendo, excommunicando, interdicendo, Beneficiis privando, visitando, & alia hujusmodi ad correctionem morum spectantia peragendo) solùm largè, & impropriè dicatur *Cura animarum*; cùm etiam non Sacerdotibus, putà Archidiacono, convenire possit. Alia verò Beneficia habent curam animarum in Foro interno, seu animæ, quatenus habent potestatem ligandi, & solvendi in Foro pœnitentiali, simulque subditis suis administrandi Ecclesiastica Sacramenta in Foro interno, ac externo. Et talia censentur strictè, & propriè Beneficia curata: qualia habent Parochi. Garcias *loc. cit. num.* 5. & 6. Mascardus *de Probationibus*, *concl.* 469. *num.* 2. Gonzalez, *ubi suprà n.* 69. citans alios, atque Rotam *in una Coathen. Archipresbyteratus*, 29. *Januarii*, 1594. *coram R. D. Penna*. 29

Notant autem Doctores, & signanter Gomezius *loc. cit.* Gonzalez *d. gloss.* 6. *num.* 34. & *seqq.* Barbosa *cit. allegat.* 57. *num.* 159. Chokier *in reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 2. *num.* 1. & alii, ad hoc, ut aliquod propriè dicatur Beneficium curatum, seu Ecclesia Parochialis, plura requiri, ac præsertim quatuor sequentia. Primò, ut habeat annexam potestatem ligandi, & solvendi in Foro pænitentiali: & quidem ea officio suo, ita ut necessitate astringatur, Ecclesiastica ministrare Sacramenta: & Fideles subditi sint astricti, ut in istis ad eos recurrant. Glossa *in Clem. Dudum*, *vers. Impendant. de Sepultur.* Et hæc potestas ex Christi institutione non nisi Sacerdotibus convenire potest. Secundo requiritur, ut sit certa Parochia, vel locus determinatis limitibus constitutus, ac designatus, in quo populus alicui Ecclesiæ deputatus degit, *can. Ecclesias*, 14. *quæst.* 1. juncto Concilio Tridentino *sess.* 24 *cap.* 13. *de refor.* ibi: *Ubi Parochiales Ecclesiæ certos fines non habent &c.* Tertiò requiritur, ut possessor talis Beneficii curam animarum suo nomine, & non alieno exerceat. Et quartò, ut solus suo nomine illud regat: nam una Ecclesia non nisi unius Sacerdotis esse debet *cap. Cùm non ignores*, 15. *h. t.* Sicut & unum corpus nequit habere duo capita; alioquin foret monstrosum. Chokier, & alii, *qui suprà*. Nunc pergendo ad alia membra datæ divisionis. 30

Beneficia duplicia sunt ea omnia, quæ vel curam animarum habent annexam, vel quandam jurisdictionem, præcedentiam, sive administrationem; adjunctam continent; uti sunt Dignitates, Personatus, & Officia. Vallensis *h. t.* §. 2. *n.* 3. Lessius *lib.* 2. *de just. & jur. c.* 34. *dubit.* 2. *num.* 9. Garcias *part.* 1. *de Beneficiis*, *cap.* 6. *n.* 9. cum aliis. Et meritò talia *beneficia* dicuntur *duplicia*, quia præter recitationem Horarum Canonicarum, aliaque Beneficiariis omnibus communia, habent etiam adjunctam curam animarum, aut aliam administrationem, vel saltem præeminentiam quandam. Unde patet, quòd licet Beneficia non curata sæpiùs appellentur *simplicia*, tamen in rigore loquendo, atque indistinctè, 31

illud

istud non rectè dicatur; neque subsistat, nisi benignè interpretetur. Nam Personatus, v. g. vel Officium, curam animarum non habent annexam; nec tamen sunt Beneficia simplicia, sed duplicia, propter adjunctam eis administrationem, vel præeminentiam quandam. Quod ut meliùs intelligatur

32 Notandum est cum Glossa *in cap. 1. à princip. de Consuetud. in 6.* communiter recepta, quod hæc tria vocabula, videlicet *Dignitas*, *Personatus*, & *Officium*, quandoque sumantur pro synonimis; uti fit *cap. Cùm accessissent*, 8. *de Constitut.* ubi idem Primiceriatus imprimis appellatur *Personatus*, deinde *Dignitas*, & tandem *Officium*; ac proinde in horum vocabulorum usu attendendam esse locorum consuetudinem, passim observent Doctores; ut Pirhing *h. t. n.* 10. Vallensis *loc. cit. §. 2. num.* 7 & cum primis Abbas *cap. De multa num. 21. h. t.* inter alia dicens, quòd in multis locis Dignitas appelletur Personatus; & in aliquibus quodlibet Beneficium curatum dicatur Personatus; ideoque in istis debet attendi substantia rei magis, quam denominatio. Nihilominus strictè loquendo, prædicta inter se differunt in Jure; prout convincitur clare ex *cap. De multa*, 28. *de Præbend.* ubi textus de Dignitate, & Personatu, tanquam de diversis, apertè loquitur, dicens: *In eadem Ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat*. Idipsum constat ex *cap. 1. de Consuetud. in 6.* ibi; *Nisi unicum personatum, vel dignitatem aut officium perpetuum*, cum similibus. Etenim

33 *Dignitas* strictè sumpta, ac prout ab aliis distinguitur, est præcedentia cum jurisdictione. Glossa *cit. cap. 1. de Consuetud. in 6* Rebuffus *in Praxi Beneficiar. tit. Sæculare beneficium, quotuplex, nu 7.* Vallensis *h. t. §. 2. n. 4.* Unde ea Beneficia censentur esse Dignitates, quæ habent præminentiam, seu administrationem rerum Ecclesiasticarum cum imperio, ac jurisdictione: & quidem (ut notat Sylvester *vers. Dignitas, nu. 1.*) in Foro externo contentioso: ut Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, & hujusmodi.

34 Addunt tamen Doctores, & signanter Rebuffus *cit. num. 7.* Dignitatem enim oriri posse ex institutione, seu primæva fundatione, ut si in erectione certi Beneficii cautum fuerit, quòd sit Dignitas, etiamsi quandam jurisdictionem super alios non habeat. Item ex consuetudine: nam si de consuetudine Ecclesiæ aliqua reputetur Dignitas, licèt de jure non sit talis, tamen Dignitas censeri debet. Rebuffus *loc. cit.* Mascardus *de Probationibus, concl. 515. num 5.* allegans alios. Probatur insuper Dignitas ex denominatione, sive ex eo, quòd quis beneficium habeat, cujus nomen de Jure communi Dignitatem innuit; ut Archidiaconatus: nam Archidiaconatus Jure communi est nomen Dignitatis, imò prima Dignitas post Episcopalem, *cap. 1. & c. Ad hæc, de Offic. Archidiacon.* Unde, licèt Archidiaconus alicubi de consuetudine non habeat jurisdictionem, quia tamen Archidiaconatus de Jure communi est nomen Dignitatis, censetur ille esse in Dignitate, etiam non habita alia jurisdictione; dummodò quandam habeat prærogativam in Ecclesia sua, tam in Choro, quam in Capitulo. Mascardus *d. Concl. 515. numer. 2. & seqq.* citans Rotam *Decis. 442.* alias 17. *de Concess. Præbend. in novis*.

35 *Personatus* est præcedentia sine jurisdictione: qualem habere censetur ille, qui præ cæteris Canonicis sui ordinis locum magis honorificum in Choro, in Capitulo, in Processionibus, & hujusmodi obtinet. Unde Beneficium illud, cui talis præeminentia sedis, & aliorum, absque jurisdictione est annexa, dicitur esse *Personatus*: ut hic Frisingæ est Scolastria, alibi verò Primiceriatus, seu Cantoria, aut hujusmodi.

36 *Officium* denique dicitur administratio rerum Ecclesiasticarum sine alia speciali præcedentia, vel jurisdictione. Qualem administrationem habent Sacrista, Custos, Thesaurarius, & hujusmodi.

37 Porrò *beneficia simplicia* sunt ea, quæ neque curam animarum, neque Dignitatem, neque Personatum, neque Officium adjunctum habent: sed tantum sunt instituta ad preces Deo persolvendas, aliaque Divina Officia peragenda. Et de talibus intelligenda sunt Rescripta Papalia, quæ volunt cuipiam de Beneficio simplici provideri: nam si quid prædictorum Beneficio est annexum, illud erit non simplex; atque idcircò nullatenùs tali conferendum *arg. cap. Quamvis plenissima, 4. & c. Cùm in illis, 16. & c. Cum de non Sacerdotali, 27. de Præbend. in 6.* cum similibus. Tum quia fines Mandati Apostolici diligenter sunt observandi, *c. Cùm dilecta, 22. de Rescript.* Tum quia Litteræ super beneficiis Ecclesiasticis, cùm sint ambitiosæ, restringi debent; prout notavit Pontifex *cit. cap. Quamvis plenissima, 4. h. t. in 6.*

Excipe etiam Canonicatus. Hi enim, licèt curam animarum non habeant, neque propriè & simpliciter sint Dignitates, aut Personatus (modo proximè explicato) ac proinde Beneficiis simplicibus annumerari possent: quia tamen personalem residentiam defactò requirunt, ex Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 12. de reform.* simulque Canonici majorem præ cæteris Clericis præcedentiam habent, *cap. Statutum, 22. de Election. in 6.* adeò Canonicatus plerumque nomine Beneficiorum simplicium non veniunt. Engel *h. t. n. 5.* Unde dicta *Tit. præced. §. 1. n. 9.* de Beneficiis simplicibus, nempe quod de consuetudine generali residentiam personalem non requirant, non possunt applicari ad Canonicatus, juxta Concil. Trident. *cit cap. 12.* Nec vi provisionis Apostolicæ de conferendo Beneficio simplici, potest conferri Canonicatus, *arg. c. Cui de Præbend. in 6.* juncto *cap. Quamvis plenissima 4. eod. in 6.* 38

Resp. IV. Beneficia Ecclesiastica juxta triplicem modum, quo communiter conferri solent, dividuntur ulteriùs in collativa seu libera, patronata, & electiva. Atque ex his *Beneficia electiva* dicuntur, quæ conferuntur per electionem legitimè celebratam, atque à Superiore confirmatam, *Patronata* sunt, quæ ad Patroni præviam præsentationem, & subsecutam institutionem à Prælato factam, conferuntur; seu breviùs, quæ subsunt juri patronatus. Tandem *beneficia collativa, seu libera*, appellantur ea, quæ per liberam Superioris collationem sine prævia Capitulari electione, vel alterius præsentatione, conferuntur; quamquam hæc defacto, sive post Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 18. de Reform.* conferenda sint per Concursum, de quo infrà *§. 5. num. 134. 135. & seqq.* ex professo dicetur. 39

Resp. V. Juxta diversas alias qualitates, quibus subjacent, atque qualificantur, Beneficia dividuntur etiam in patrimonialia, & non patrimonialia, *beneficia patrimonialia* sic dicuntur, non quod patrimonii naturam, seu rationem habeant, sed quia non possunt conferri nisi Clericis ex tali patria, loco, vel familia oriundis, quando adsunt idonei. *Beneficia non patrimonialia* vicissim sunt, quæ cuilibet digno undecunque oriundo conferri possunt. 40

Deinde Beneficium aliud vocatur monoculum, aliud non monoculum. *Beneficium monoculum* dicitur, quando Prælatus illud solummodò habet ad conferendum. *Non monoculum* econtrà explicatur. Vallensis *h. t. §. 2. n. 18.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss 9. §. 4. n. 4. & 5.* 41

Rursus *beneficia* alia dicuntur *manualia*, seu ad nutum revocabilia. Alia *non manualia*, sive collata in perpetuum; de quibus ex professo agetur *quæst. seqq.* Accedunt *beneficia Consistorialia*; suntque illa, de quibus Papa disponit in Consistorio coram Cardinalibus: ut sunt Episcopatus, Abbatiæ, & nonnullæ aliæ dignitates, tam sæculares, quam regulares. Pyrrhus Corradus *in Praxi Dispensationum, lib. 6 nu. 45.* Flamin. Parisius *de Resignat. benefic. lib. 2. quæst. 2. num. 5. & 6.* citans alios. Tacentur *beneficia Papæ reservata*; nec non *beneficia apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacantia*; nam de his infrà *§. 13. n. 379. & §. 15. n. 433. & seqq.* ex professo agetur. 42

Quæritur II. Quid sit dicendum de Beneficiis manualibus, & an sint Beneficia propriè dicta? Resp. I. *Beneficia manualia* sunt, quæ non conferuntur alicui in perpetuum, sed ad nutum conferentis, vel alterius; ita ut Beneficiarius pro libitu ipsius amoveri possit. Ita Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 6. num. 2.* & in re communis. Et hujusmodi Beneficia manualia alio nomine appellantur *revocabilia*; quia videlicet ad nutum conferentis, seu alterius, cui talis facultas reservata est, revocari possunt. 43

Hujus-

44 Hujusmodi beneficium manuale foret, quando Fundator per suam ordinationem, ab Ordinario approbatam fundavit, sive dotavit beneficium, seu Capellaniam, voluitque, ac disposuit, ut eidem præficiatur Capellanus, seu beneficiarius, quem ipse, atque hæredes & successores sui, vel episcopus loci ad nutum amovere valeant. Pyrrhus Corradus *lib. 1. praxis benef. c. 6. nu. 269.* Garcias *p. 1. de beneficiis, c. 2. n. 72.* Gonzalez *cit. §. 6. num. 8.* & alii, concorditer docentes, quod beneficia sæcularia ex fundatione possint esse temporalia, seu manualia, & ad nutum revocabilia. Quinimo loquendo de Capellaniis jurispatronatus, magis expedire censet Navarrus *cons. 9. n. 2. de offic. ordinar.* & Card. de Luca *de Jure patron. discurs. 15. numer. 3.* quod erigantur manuales potiùs, quàm perpetuæ Capellaniæ: quia sic magis, ob timorem amotionis, compelluntur Capellani ad implenda debita onera, vitamque Clericalem agendam.

45 Additur notanter in data definitione, *ad nutum conferentis &c.* Hoc est, ad liberam ipsius & absolutam voluntatem, & non necessario regulatam: id enim importat ly, *ad nutum*. Garcias *cit. c. 2 n. 85.* Pyrrhus Corradus *d. c. 6. nu. 270. & seqq.* & alii; Unde, qui habet facultatem amovendi Capellanum ad nutum, non tenetur ad observantiam Juris. Felinus *c. 1. de Const. n. 51. V. Et si dicatur, committimus voluntati tuæ, &c.* citans alios. Potestque etiam absque causa amovere Capellanum (cessante tamen malitia) & alterum præsentare. Garcias *loc. cit. n. 85. & 88.* Pyrrhus Corradus *nu. 273.* Card de Luca *de beneficiis disc. 80. num. 5.* asserens, ita perpetuo tenuisse Rotam: ut *dec. 778. p. 2. Divers.* & alias sæpè Barbosa *par. 3. Jur. Eccl. univ. cap. 6. nu. 65.* hoc intelligens, quando non subest alia malitia, sive odium. Gonzalez *cit. gloss. 5. §. 6. num. 46. & 47.* istud limitans *num. 40. & seqq.* dummodo id non fiat cum præjudicio aliorum interesse habentium. Alioquin enim, licet taliter amotus non audiretur pro interesse suæ personæ (nam removens ipsum à beneficio ad nutum revocabili, utitur jure suo, sicque non facit ipsi injuriam, *Leg. injuriarum actio, §. 1. ff. de Injuriis, & leg. Nullus videtur, ff de reg. jur.*) adhuc tamen alii interesse habentes possent contradicere tali amotioni, ut puta, si ex tali amotione Capellani graviter læderetur locus, sive communitas, carens exinde bono Pastore animarum suarum; de quo plura Gonzalez *loc. cit.*

46 Resp. II. In dubio beneficia sæcularia censentur perpetua; beneficia regularia verò sunt manualia, & ad nutum Superiorum amovibilia, nisi sint electiva, vel curata. Ita Card. Tuschus *litt. B. concl. 55.* Fagnanus *c. Aures n. 19. de Temporib. ord* Card. de Luca *de beneficiis, disc. 97. num. 3. & 4.* Garcias *c. p. 1. de benef. c. 2. num. 66. & 70. & seqq.* Gonzalez *d. gloss. 5. §. 6. num. 6. & 7.* Pyrrhus Corradus, *ubi suprà, cap. 2. num. 262.* & alii. Et quidem, quod sæcularia beneficia ex sua natura sint perpetua, & consequenter in dubio, ac nisi secus probetur, præsumantur talia: desumitur ex *can. præcepta, dist. 55. & c. 1. ac seqq. de Clerico ægrotant* ubi Clerici debilitati nequeunt amoveri a beneficiis suis, ne fortè cæteris, tali Exemplo deterritis, amplius non reperirentur, qui militarent Ecclesiæ. Concordant dicta superius *§. 1. numer. 8. & 9.*

47 Additur tamen, *in dubio*. Nam quod beneficia sæcularia ex primæva Fundatorum intentione possint esse manualia, & ad nutum revocabilia, proximè, seu *nu. 44.* jam dictum est. Notat quoque Navarrus *consil. 9. nu. 1. & seqq. de offic. ordinar. & cons. 27. de Præb.* ac post ipsum Gonzalez *cit. gloss. 5. §. 7. num. 62.* & Pyrrhus Corradus *lib. 1. praxis beneficia. c. 6. n. 287.* quod Episcopus justa de causa & accedente consensu patroni, possit beneficium simplex perpetuum, puta Capellaniam, efficere manuale, & ad nutum ipsius Patroni revocabile.

48 Deinde, quod respectu Summi Pontificis omnia beneficia Ecclesiastica; etiam de sui natura perpetua, censeantur manualia; probat textus *in cap. Licèt Ecclesiarum, 2. de præbend. in 6. & Clementin. 1. §. final. Ut lite pendente &c.* ac notat Gonzalez *citat. §. 6 n. 24.* Card. de Luca *de beneficiis disc. 97 num. 24.* Fagnanus *cap. Quantò num. 38. de Translation. Episcop.* allegans quamplures alios. Unde beneficia perpetua sæcularia, possunt per Papam (non vero per inferiorem) ad tempus concedi, *cap. Si gratiosè, 5. de rescript. in 6.* Et econtra beneficia manualia, conferri in perpetuum; expressa tamen manualitate, Pyrrhus Corradus *c. cap. 6. num. 288. 289 & seqq.* Adeò, ut si Papa confirmaret provisionem factam alicui de beneficio manuali, aut ipsemet conferret, sciens esse manuale, tunc durante vita provisi non posset per inferiorem revocari. Io: Andreas *c. præsenti num. 3.* & Geminianus *ib. de offic. ordin. in 6.* Gonzalez *d. gloss. 5. §. 6 n. 29.* citans alios; & Pyrrhus Corradus, *ubi suprà n. 298.* istud notabili casu exemplificans.

Intellige, quando Papa in perpetuum contulit beneficium sæculare manuale, expressa hujusmodi manualitate, seu hac præcognita. Nam in quacunque dispositione de beneficio manuali sæculari, de hujus manualitate oportet facere mentionem, ut evitetur subreptio: alioquin enim hac non expressa, ac stante dubio, Papa simpliciter conferendo, non censetur voluisse alterare statum, naturamque beneficii, efficereque perpetuum, quod erat manuale. Pyrrhus Corradus *loc. c. n. 291. & 292.* allegans Lotter *lib. 1. q. 33. n. 58. & seqq.* ac usum Datariæ Apostolicæ. Gonzalez *d. § 6. n. 28.* cum aliis. 49

Ulterius ex privilegio, vel statuto per Sedem Apostolicam confirmato, possunt beneficia sæcularia perpetua fieri manualia. Gonzalez *d. reg. 8. Cancell. gloss. 5. § 6. n. 8. & 59.* citans alios. Idemque dicendum de consuetudine legitime præscripta: siquidem beneficium ex sua natura perpetuum, posse ex consuetudine legitimè præscripta fieri manuale, probat textus in *c. cum de beneficio 5. de præb. in 6.* ac notat Gonzalez *cit. gloss. 5. §. 6. num. 38.* cum aliis. 50

Nec obstat, quod beneficia manualia, de consuetudine non possint fieri perpetua: puta, quia Abbas priorem vel Episcopus Clericum, habentem duntaxat beneficium manuale, nunquam revocavit ultra quadraginta annos, non idcirco istud evadit perpetuum: prout notat Abbas *c. ad nostram n. 11.* & Decius *ib. n. 6. de confir. util.* Resp enim istud ex eo contingere; quia non revocare aliquem, aut eum à beneficio non removere, est actus meræ facultatis; atqui ex actibus meræ facultatis non potest induci consuetudo, *l. Qui jure familiaritatis ff. de Acquirend. possess.* cum similibus; ergo. 51

Resp. III. Etsi beneficia manualia, sed ad nutum revocabilia, verè, & propriè beneficia non sint, dantur tamen nonnulli casus, in quibus ista nomine beneficii ecclesiastici veniunt. Ita Fagnanus *c. Ad audientiam n. 118. de rescript.* dicens, quod in materia favorabili appellatione *beneficii* includuntur etiam beneficia manualia, quæ tamen vere & propriè non sunt beneficia; uti tenet Staphilæus *de Litteris gratiæ, nona forma Expectativ. nu. 94.* Gambara *de offic. legat. l. 4. rub. 1. n. 1.* Ludov. Gomez *de Expectativ. n. 94.* Duarenus *in tr. de beneficiis, lib. 2. c. 4.* & alii. Idipsum, quantum attinet primam partem datæ Conclusionis, tradit Navarrus *cons. 9. n 2. de offic ordin. & Cons. 27. n. 3. de præb.* inde inferens, quod Capellania desinat esse beneficium, si authoritate Ordinarii, ac de consensu patroni laici, ex perpetua fiat manualis, & ad nutum amovibilis. Quia (inquit) beneficium debet esse perpetuum. Concordat Barbosa *lib. 3. jur. Eccl. un. c. 6 nu. 38.* post Rotam *in Salamantina Vicariæ 15. Maii 1596. coram Card. Blanchetto*, & alios, docens, Vicariam temporalem non esse beneficium. Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 5. §. 3. n. 35. & cit. gloss. 5. §. 6. num. 21.* Vallensis *h. t. §. 2. n. 16.* & alii, asserentes, beneficia manualia, propriè beneficia non esse, qui non sunt jura perpetua, prout requiritur ad rationem beneficii propriè dicti, juxta dicta superius *§. 1. n. 8. & 9.* Quidquid in contrarium teneat Azorius *p. 2 lib. 3. c. 26. quæst. 12.* & Garcias *p. 1. de benef. c. 2. nu. 65. & 77. ac seqq.* qui cum nonnullis aliis volunt, beneficia manualia esse verè, propriè, ac simpliciter beneficia: neque de essentia Beneficii esse, quod sit perpetuum. 52

Dices. Dantur Ecclesiæ, etiam Parochiales, Monasteriis pleno jure incorporatæ, quæ non conferuntur in perpetuum, sed tantum Vicariis temporalibus, seu ad nutum amovibilibus, *Clement. 1.* juncta Glossa *V. Ad mensam in fin. de Excessib. prælat.* Danturque Ecclesiæ etiam Parochiales, perpetuò unitæ alicui Capitulo, 53

E vel

vel Dignitati, aut Prælaturæ, seu etiam episcopatui, quæ conferuntur Vicariis duntaxat temporalibus, ac per istos cura geritur animarum. Card. de Luca *de beneficiis disc. 80. n. 16.* Atqui tales ecclesiæ, præsertim Parochiales, sunt beneficia simpliciter, ac propriè dicta; ergo. Resp. majoris claritatis gratia, dist. Min. Atqui tales ecclesiæ &c. sunt beneficia simpliciter, ac propriè dicta: ratione suæ prioris perpetuæ collationis, seu incorporationis Monasterio, vel Capitulo &c. factæ, concedo. Alia ratione, sive ob constitutionem temporalis Vicarii curam animarum exercentis, neg. min. Siquidem, ut observat Card. de Luca *cit. disc. 80. de benef. n. 16.* & Ludov. Engel. *h. t. n. 1. V. dico 2.* in tali casu Rector principalis ecclesiæ dicitur ipsemet Episcopus, vel Capitulum, seu Dignitas, aut Abbas Monasterii, cujus vices constitutus Vicarius temporalis gerere dignoscitur: sicque talis ecclesia, incorporata Mensæ Episcopali, Capitulo, Monasterio &c. verè erit beneficium propriè dictum, utpote Rectori principali tribuens jus perpetuum. Vicarius temporalis vero in eodem constitutus, & ad nutum amovibilis, habet se ad instar Famuli conductitii (ut loquitur Card. de Luca *c. n. 16.*) sive Mercenarii, qui ab ecclesiæ Prælatis, sub assignatione congrui stipendii, ad tempus assumitur ad peragendum curam animarum, & alia officia spiritualia. Vide dicta superius *lib. 1. tit. 28. de offic. Vicarii §. 1. n. 45. §. 6.*

54 Altera pars conclusionis, nimirum beneficia manualia in nonnullis casibus nomine beneficii Ecclesiastici venire, probatur inductione. Sic quippe id contingit in materia favorabili. Fagnanus *c. c. ad audientiam, n. 118. de rescr.* posteà *n. 120* subjungens, quod distinctionem inter materiam odiosam, & favorabilem, in proposito sæpiùs probaverit S. Congregatio Cardinalium, Conc. Tr. Interpretum. Huius exemplum refertur *§. seqq. nu. 97. & 98.* loquens de pensione, estque applicabile ad beneficium manuale, quod habet Clericus Minorista, gavisurus proinde privilegio Fori.

55 Deinde, beneficia manualia continentur in dispositionibus editis ad publicam utilitatem; iuxta Decisionem Rotæ 26. *Januarii 1583. in una Aquil.* quam citat Flaminius Parisius *tr. de Confidentiis beneficialibus, q. 18. n. 18.* Unde, quod in illis committatur simonia confidentialis, sicut in cæteris beneficiis, eo quod confidentia fuerit prohibita ob publicam utilitatem; tradit idem Parisius *cit. n. 18.* & Pyrrhus Corradus *lib. 1. praxis benef. c. 6. n. 286.* Garcias *p. 1. de benef. c. 2. n. 69.*

56 Tandem, ut nonnulla alia his similia taceantur, licèt beneficia manualia non sint propriè dicta beneficia ecclesiastica, neque nomine *beneficii* veniant, saltem in materia odiosa: nihilominus de consuetudine, & stylo Curiæ Romanæ, praxique Cancellariæ Apostolicæ observatur, ut ad evitandas subreptiones Rescriptorum beneficialium, in impetratione cujuspiam beneficii, facienda sit mentio præhabiti beneficii manualis, sive amovibilis ad nutum Superioris. Felinus *c. In nostra, n. 18. de rescr.* post Galderinum *consil. 9. de rescr.* Menochius *de arbitr. Jud. lib. 2. cas. 201. n. 46* citans Rotam, referente Cassiodoro *dec. 4. de Præb.* Garcias *c. lt. 1. de benef. c. 2. n. 80* Pirrhus Corradus, *ut suprà, c. 6. n. 291.* Fagnanus *c. ad audientiam n. 94. & 116. de rescr.* citans plures alios, ac Rotam *in causa Seguntina, Thesaurariæ, 29. April. 1596. coram Orano.* Et ratio huius consuetudinis, seu styli Curiæ Romanæ, videtur esse. Quia non ita facile Papa provideret ei de beneficio, quem novit habere beneficium manuale, aut pensionem authoritate episcopi sibi constitutam; ac illi, qui nihil habet de fructibus Ecclesiasticis, *arg. c. postulasti, 27. & c. In nostra, 22. & c. Si proponente, 42. de rescr. & can. Clericos, & can. Pastor, 1. q. 2.* cum similibus.

§. III.

Quid sit Canonia, Vicariatus, Commenda, Præstimonium, ac Pensio: & an hæc veniant nomine Beneficii Ecclesiastici?

S U M M A R I U M.

57 *Canonia (vulgo Canonicatus) quid?*
Præbenda, & Canonicus præbendarius, quis? Ib.
58 *Jus, quod præbet Canonia, in quo consistat. Et n. seqq.*
59 *Canonico, quamprimum facultas se obtulerit, debet conferri præbenda.*
60 *Canonia sine præbenda, an, & quando dari possit?*
61 *Solvitur instantia contra simplicem Canoniam. Et num. præced.*
62 *Canoniam sub expectatione præbendæ consecutus, strictè loquendo non censetur habere beneficium.*
63 *Is tamen, si rescriptum pro assecutione beneficii alterius Ecclesiæ impetrare velit, tenetur mentionem facere præhabitæ Canoniæ: & cur. Et n. seq.*
64 *Simplex Canonia præbet jus ad beneficium posteà consequendum.*
65 *Injustè spoliatus suo beneficio, tenetur in impetratione alterius de eo facere mentionem.*
66 *Vicarius Ecclesiæ, quis.*
67 *Vicaria alia temporalis, alia perpetua: sicut & Vicarius Ecclesiæ.*
68 *Vicaria temporalis non est propriè dictum beneficium, benè tamen Vicaria perpetua.*
69 *Vicarii perpetui Ecclesiarum, in pluribus æquiparantur Parochis.*
70 *In beneficiis curatis, quæ sunt perpetuò unita Cathedrali, vel collegiatæ ecclesiæ, vel Monasterio, regulariter constituitur Vicarius perpetuus &c.*
Ex multiplici mutatione Rectorum, Ecclesia patitur detrimentum. Ib.
71 *Capellania, quid, & an veniat nomine beneficii.*
72 *Capellania erecta sine authoritate episcopi nullo modo est beneficium ecclesiasticum.*
Nec est quid spirituale, sed duntaxat temporale: adeo, ut pactum circa eam interveniens, non sit simoniacum. Ib.
73 *Commenda, & Commendatarius, quid?*
74 *Olim Commendæ dabantur ab Episcopis, & ad sex menses: nunc solent esse perpetuæ, & à solo Papa conferri.*
75 *Illæ principaliter fiebant in bonum Ecclesiæ; Commendæ moderne vero in bonum personæ.*
76 *Commendatarius olim fructus non faciebat suos: secus de facto; & cur.*
77 *Commendæ antiquæ non habebant rationem beneficii propriè dicti.*
78 *Atque olim uni poterant conferri duæ ecclesiæ, una in titulum, altera in commendam.*
79 *Commendæ perpetuæ nostri temporis, æquiparantur beneficiis propriè dictis.*
80 *Præstimonium, quid.*
81 *Præstimonia ex sua institutione nullum servitium in ecclesia habere solent &c.*
82 *Si dantur duntaxat ad certum tempus in vitæ subsidium, puta, pro tempore studiorum, non sunt beneficium propriè dictum.*
83 *Benè tamen, quando conferuntur in titulum, ac in perpetuum.*
84 *Pensio ut sic, quid?*
85 *Dividitur in Laicalem, & Clericalem seu Ecclesiasticam.*
86 *Pensio Clericalis est duplex: una, quæ assignatur in titulum beneficii.*
87 *Solvitur instantia contra hoc membrum.*
88 *Alia quæ simpliciter constituitur ad tempus de fructibus beneficii.*
Hæc nomine Pensionis (nisi secus exprimatur) communiter intelligitur. Ib.
89 *Clericus habens pensionem &c. tenetur recitare officium parvum B. M. Virginis.*
90 *Pensio cuipiam collata in titulum, est verum & propriè dictum beneficium. Et n. seq.*
91 *Non est vis in nomine, quando constat de re.*
92 *Pensiones constitutæ ad tempus, in materia odiosa non veniunt nomine beneficii: benè tamen in materia favorabili. Et n. seq.*
93 *Probatur, in materia odiosa nomine beneficii non venire Pensionem.*
94 *Præsertim ex stylo Concilii Tridentini.*
Beneficium ante decimumquartum ætatis annum acquiri non potest; benè tamen Pensio. Ib.
95 *Beneficia, & Pensiones, an inter se æquiparentur?*
Ly, Aliud, *non est repetitivum similium, quando per alia Jura sic declaratur. Ib.*
96 *Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur, quomodo intelligendum?*
97 *Pensionem in materia favorabili venire nomine beneficii, declaravit Gregorius XIII.*
98 *Et ratio hujus, Ac n. præc.*
Beneficia manualia in materia favorabili, includuntur nomine beneficii? Ib.

57 Quæritur I. Quid sit Canonia, & an veniat nomine beneficii? Resp. I. *Canonia* (vulgò *Canonicatus*) est jus spirituale, quod provenit ex electione, seu receptione alicujus in fratrem, sive Canonicum. Ita Innocentius *in c. cum M. §. Canonicos de Const.* Calvinus *in Lexico Jurid. V. Canonia*, & Nebrissensis *in Vocabular. Jur. eod. V. Canonia*, & alii. Nam, si quis simpliciter in Canonicum receptus fuerit, antequam redditus Canonicales eidem assignentur, sive conferantur, dicitur habere *Canoniam*, hoc est, Canonicatum; nondum verò *Præbendam*. Siquidem præbenda ulterius importat jus ad percipiendos fructus annuos Canoniæ, sive debitos ex titulo juris Canonicalis. Unde qui habet utrumque, *is Canonicus Præbendarius* appellatur, *can. Sanctorum, distin. 70*

58 Porrò jus illud spirituale, quod præbet Canonia, consistit imprimis in jure habendi in Choro sedem (vulgò; Stallum) & vocem in Capitulo. Quamquam vox in Capitulo, juxta Concil. Tridentinum *sess. 22. c. 4. de ref.* non concedatur, nisi habentibus Sacrum Ordinem Subdiaconatus: imo ex consuetudine plurium ecclesiarum, tum cathedralium, tum collegiatarum tunc primum concedi soleat, quando quis absolvit Residentiam primi anni. Engel *h. t. n. 1.* vel etiam actu jam habet præbendam, fruendo videlicet redditibus sui Canonicatus. Circa quod proinde attendantur particulares singularum ecclesiarum Constitutiones, & consuetudines laudabiles.

59 Deinde illud jus spirituale, importatum per Canoniam, consistit in hoc, ut quamprimum facultas sese obtulerit, Canonico eandem legitime obtinenti etiam conferatur Præbenda, seu competens portio fructuum Canonicalium. Textus est *in c. Relatum. 9. h. t.* ibi: *Quia non est congruum, ut præbenda* (vacante, vel proxime vacatura) *careat, qui in canonicum noscitur esse receptus.* Concordat *c. Dilectus, 19. eod. & c. cum M. 9. de constitut.* cum similibus.

60 Nec dicas. Si congruum non est; ut præbenda careat qui est receptus in Canonicum, ergo hoc ipso nequit dari simplex Canonia. Ut quid igitur de ipsa inutiliter fit mentio? Resp. neg. seq. saltem loquendo in casu, quo necdum suppetit facultas omnibus in Canonicos receptis conferendi præbendam; seu redditus Canonicales ob horum modicitatem: Tunc enim posse dari Canoniam sine præbenda, aperte convincunt Jura proxime citata, utpote de talibus casibus loquentia: dummodo cæteroquin cesset omnis fraus, atque pactio iniqua, vel simoniaca. Qualis simoniaca pactio foret, si quis ex cupiditate habendi Canonicatum, renunciaret juri petendi præbendam: sic enim remitteretur jus temporale sibi competens ad percipiendos redditus, ut obtineretur spirituale, nempe Canonicatus, quæ foret vera pactio simoniaca, ut *c. Per tuas nobis, 37. de Simonia.* Alioquin vero *Jus non impugnat, ut quis sit canonicus sine Præbenda, si aliàs potest sustentari, imò laudat*, prout loquitur Abbas *cap. cum M. num. 16. & 17. de constitution.* Ea addita ratione: quia utile est Ecclesiis, habere plures Consiliarios, & defensores, *arg. can. Obeuntibus. distin. 63.* Idipsum comprobat antiqua, receptaque praxis plurium Ecclesiarum, tum Cathedralium, tum Collegiatarum, in quibus dantur Canonici habentes solam Canoniam absque præbenda, & voce in Capitulo: prout simile quid antiquitus fuisse practicatum, legitur *in c. cum M. 9. de constit. & c. Relatum 9. de præb. & c. dilectus, 19 eod.*

61 Dices. Hæc praxis repugnat Concilio Generali; relato *in c. nulla, 2. de Concess. præb. & c. Detestanda, eod. in 6.* ubi reprobatur quævis collatio, vel promissio, beneficii vacaturi; ergo. Respondet Glossa *in c. Dilectus, 19. V. Illicito, in Addit. h. t.* ibi reprobari solummodo receptionem ad vacaturas (hoc est promissionem beneficiorum imposterum vacaturorum) non vero simplicem receptionem ad jus Canoniæ. Quod intellige, dummodo sic receptis ad jus Canoniæ, posteà conferatur etiam præbenda seu actuali fructuum perceptio, quamprimum se facultas obtulerit: prout amplius declaratur infrà *tit. 8. de concessione præb. §. 2. n. 23. 26. 28. & seqq.*

62 Resp. II. Canoniam sub expectatione præbendæ consecutus, propriè ac strictè loquendo non censetur habere beneficium. Ita Abbas *c. in nostra 32. n. 1.* & Layman *ib. n. 1. de rescr.* Engel *h. t. n. 1.* & alii, contra Lud. Romanum *consil. 447.* & Annotationem ad Abbatem *loc. cit. V. Ego putò* Conclusio nostra desumitur ex *c. c. In nostra, de rescrip.* ubi de receptis per Litteras Apostolicas in Canonicos, dum præbendam nondum habent, sed primum expectant, dicitur, quod *nondum in eis* (Ecclesiis) *Ecclesiasticum beneficium sint consecuti.* Idipsum confirmatur ex ipsomet beneficii Ecclesiastici definitione, qua dicitur esse *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale &c.* Quale jus nondum importat simplex canonia. Et sic potiùs (inquit Abbas *cit. n. 1.*) ipsa præbenda, quam jus canoniæ, vocatur *beneficium ecclesiasticum.* Quinimò canonicus sine præbenda, dicitur *canonicus in herba*; prout loquitur Additio ad Abbatem, *ubi suprà, V. Sine præbenda*, citans Jo: Andream *in c. Relatum 9. & c. dilectus 19. h. t.*

63 Resp. III. Nihilominus simpliciter receptus in canonicum cum expectatione præbendæ, si alias Litteras à Papa impetrare velit pro assecutione beneficii alterius ecclesiæ; tenetur in sua supplicatione expressam mentionem facere de præhabita simplici canonia sua: alioquin rescriptum nullam istius mentionem faciens censetur nullum, & subreptitium. Ita textus notabilis in *c. c. In nostra 32. de rescrip.* ubi Summarium breviter sic loquitur: *Receptus per litteras Apostolicas, licèt præbendam expectet, per alias litteras hoc supprimentes in alia ecclesia recipi non debet*: atque amplius tradit Glossa *ib. V. Mentionem*, & Abbas *n. 1. & 2.* & Barbosa *in collect. n. 1.* allegans alios; & sequitur Layman *d. c. In nostra, n. 2. & 3* & Pirhing. *n. 70. de rescr.* Accedit ratio: quia canonia præbet jus ad rem, respectu præbendæ imposterum percipiendæ; quinimò propter jus canoniæ, in brevi quis beneficium, ipsamque præbendam consecuturus est: ac proinde propter binas litteras Apostolicas canoniam conferentes, consequeretur quis in brevi duplex beneficium propriè dictum una cum præbenda seu fructibus utriusque. Atqui Papa non intendit ullo modo eidem providere de pluribus beneficiis, nisi istud exprimat, ut *c. cum adeò, 17. de rescr. & c. cum teneamus, 6. h. t.* Etiamsi priùs beneficium foret quantumcunque modicum, *cap. Si motu, 23. h. t. in 6.* ergo.

64 Unde non obstat, quod simplex canonia non sit beneficium strictè loquendo. Quia saltem præbet jus ad beneficium propriè dictum posteà consequendum: unde necessariò debet exprimi in impetratione rescripti ad aliud beneficium, ne alioquin quis consequeretur à Papa duplex beneficium non facta mentione de priori; contra Jura maximè allegata; & contra Reg. 84. Juris in 6. *cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*: putà ad acquisitionem secundi beneficii mediantibus litteris Apostolicis, non facta mentione de priori.

65 Addit Abbas *c. c. In nostra, n. 10.* & Layman *ib. nu. 3. de rescr.* quod etiam ille, qui injustè spoliatus fuit suo beneficio, teneatur in impetratione alterius de eo facere mentionem. Rationem dant. Tum quia per injustam spoliationem non perdit quis titulum beneficii, sed solummodò possessionem eius: ut *cap. Conquerente, 7. de restitut. spoliat.* juncta reg. 15. ff. de reg. jur. *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.* Tum quia juxta *cit. cap. In nostra, de rescript.* In impetratione litterarum Papalium ad beneficia, debet fieri mentio de jure quæsito ad rem respectu alterius Beneficii:

ergo etiam, & quidem à fortiori, debet fieri mentio de jure quæsito in re, seu in beneficio, quo posteà quis injustè fuit spoliatus.

66 Quæritur III. Quid dicendum sit de Vicaria, & Capellania; & an sit beneficium propriè dictum, ubi prænotandum, quod *Vicarius* Ecclesiæ dicatur Presbyter ille, qui vice principalis Rectoris deservit Ecclesiæ: ut si Ecclesia, seu Parochia (juxta formam Concilii Triden. *Sess. 7. c. 7. de ref. & sess. 24. c. 13. & 15. de ref.*) Ecclesiæ Cathedrali, Capitulo, Monasterio, aut aliis piis Locis perpetuo incorporata fuit, tunc Presbyter, qui una cum assignatione competentis portionis fructuum dicti beneficii, illuc ponitur ad peragendum necessarium Ecclesiæ, seu Parochiæ servitium Ecclesiasticum, propriè non dicitur *Parochus*, sed *Vicarius*: seu habere *Vicariam*. Quo prænotato

67 Resp. I. *Vicaria* alia est *temporalis*, quando nimirum Vicarii sunt solum ad certum tempus destinati, vel alias ad nutum amovibiles. Alia *Vicaria* est *perpetua*, quæ confertur cum canonica institutione, seu investitura, ac erectione tituli Vicariæ. Unde & *Vicarii* in eisdem instituti dicuntur *perpetui*, habentque verum titulum; atque idcirco semel canonicè instituti, nequeunt ampliùs amoveri, vel portione sua privari: nisi forsan aliquid committant dignum depositione, aut privatione beneficii, *c. Ad hæc 3. de offic. Vicarii*.

68 Resp. II. Vicariæ duntaxat temporales non sunt beneficia propriè dicta, seu de quibus Sacri Canones loqui solent; cum de natura beneficii proprie dicti sit ut institutum perpetuò duret, *can Sanctorum, dist. 70.* junctis dictis suprà §. 1. *n. 8. & 9.* atque canonicè collatum amplius auferri non possit, nisi in casibus à Jure permissis. Secùs dicendum de Vicariis perpetuis: hæ enim æquiparantur beneficiis, & appellatione beneficiorum veniunt, per textum expressum *in c. postulasti, 27. de rescriptis*, ibi: *Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ Vicariæ proventibus est provisum &c.* ac notat Glossa *ib. V. Beneficium*, & communis DD

69 Quinimò Vicarii perpetui Ecclesiarum Parochialium in pluribus æquiparantur ipsis Parochis, juxta textum expressum *in Clem. un. de offic. Vicarii*, ibi ,, Quæ de Ecclesiis curam animarum habentibus, per receptionem ,, aliarum similium amittendis; ac de ipsarum Rectoribus promovendis ad Sacerdotium; & de eorum ætate, ,, à Jure statuta noscuntur: in perpetuis Ecclesiarum Parochialium Vicariis, & assumptis ad eas, volumus observari. Hæc ibi. Verum de hoc vide dicta superius *lib. 1. tit. 14. de Ætate, & qualitate, & Ordine præficiendorum num. 29. 30. & seq.*

70 Porro in beneficiis ecclesiasticis curatis, quæ sunt perpetuò unita cuipiam Cathedrali, Collegiatæ, seu alteri Ecclesiæ, aut Monasterio, regulariter solet constitui Vicarius perpetuus cum assignatione congruæ portionis fructuum, pro animarum cura debitè peragenda: nam ex multiplici mutatione Rectorum, non modicum ecclesia recipit detrimentum Rota *dec. 24. n. 1. ante fin. de præb. in novis*. Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 6. n. 206.* Quod intellige conformiter Conc. Trid. *sess. 7. c. 7. de ref.* ubi istud limitatur illis verbis: *Nisi ipsis ordinariis, pro bono Ecclesiarum regimine, aliter expedire videbitur*. Insuper dari nonnullos casus, in quibus nequit Episcopus constituere Vicarium perpetuum, jam dictum est supra *cit. lib. 1. tit. 28. de officio Vicarii §. 2. n. 28.* in quo Paragrapho plura habentur de Vicariis perpetuis, ac temporalibus, ibidem videnda.

71 Resp. III. Loquendo nunc de Capellania (hoc est, de beneficio simplici fundato in Capella, seu Ecclesia quapiam cum authoritate, atque consensu Episcopi) si hæc fuerit perpetua; & concessa in titulum, venit nomine beneficii propriè dicti: alias secus; demptis nonnullis casibus, paulò superius *n. 54. 55. & 56.* jam expressis, atque servata proportione huc applicandis. Unde Fagnanus *c. Ad audientiam, n. 120. de rescr.* non immeritò dicit, *Capellaniam desinere esse beneficium, si ex perpetua fiat ad nutum amovibilis*.

72 Additur notanter, *cum authoritate, atque consensu Episcopi*. Nam si aliqua Capellania erigeretur, seu fundaretur sine authoritate Episcopi, vel alterius Superioris Ecclesiastici, nullo modo ea foret beneficium Ecclesiasticum; sed duntaxat pia quædam donatio, vel legatum pium, juxta dicta superiùs *n. 14. & seqq.* Adeo quidem, ut in talibus Capellaniis Episcopus non haberet jus instituendi, vel visitandi, nec aliud jus Diœcesanum. Gonzalez *ad reg. 8. Cancel. gloss. 5. n. 35.* post Parisium *cons. 34. n. 9. & 11. ac seqq. lib. 4.* Et si ratione talis Capellaniæ interveniat pactum absque authoritate Superioris, puta Papæ, istud non erit simoniacum: siquidem Capellania illa esset duntaxat quid laicale, & temporale, juxta superius dicta *nu. 15. & 16.* non vero beneficium Ecclesiasticum, neque aliquid spirituale authoritate Episcopi constitutum. Rota *dec 365. n. 2. p. 2. divers.* Gonzalez *cit. glos. 5. n. 25.* proposito referens notabilem casum, in cujus decisione per tres conformes sententias ita judicatum fuit.

73 Quæritur III. Quid sit *Commenda*, & an beneficium propriè dictum? Resp. I. cum Glossa *in c. nemo, V. Commendare, de elect. in 6.* quod *Commenda* sit custodia Ecclesiæ alicui commissa. Unde *Commendatarius* dicitur ille, qui accepit Ecclesiam in Commendam, seu custodiam ejusmodi.

74 Et olim quidem Commendæ ad sex menses, & non ultra, in ecclesiis curatis pro earundem evidenti necessitate (putà, quando vacarunt) aut utilitate fieri poterant ab ipsismet Ordinariis, juxta *c. c. nemo, de elect. in 6.* Veruntamen istud de facto, seu post Conc. Trid. amplius locum non habet; cum in Ecclesiis curatis vacantibus debeant deputari Vicarii, juxa formam à Trid. Conc. *sess. 24. c. 18. de ref.* assignatam; prout à Sacra Congregatione decisum refert Barbosa *in collect. ad c. c. 18. n. 36.* & Fagnanus *in c. dudum, il 2. n. 44. de elect.* Hodie etiam Commendæ solent esse perpetuæ: & non nisi à Papa conferuntur personis qualificatis, ac bene de Ecclesia meritis, ut ex fructibus beneficii commodius sustentari valeant.

75 Est insuper differentia inter commendas antiquas, seu olim ab episcopis ad sex menses concessas: & inter modernas, seu in perpetuum, & à solo Papa personis bene meritis, & qualificatis conferri solitas: quod illæ principaliter fiebant in bonum ecclesiæ, ut interim beneficium à Commendatario administraretur, donec Rector idoneus fuisset institutus: quod ipsum nunc per Vicarium, cum congrua fructuum portionis assignatione constitutum præstatur, juxta Decretum Concilii Tridentini *cit. sess. 24. c. 18. de reform.* Commendæ verò nostri temporis, solum à SS. Pontifice in perpetuum concessæ, non sunt principaliter in favorem ecclesiæ (quinimò hæ graviter lædunt Monasteria tam in temporalibus, quam spiritualibus, uti notat Fagnanus *c. cum ad nostram, nu. 14. de elect.*) sed conceduntur principaliter in favorem personæ, seu commendatarii, ut videlicet ex fructibus ejus commodius sustentari valeat.

76 Deinde Commendatarius olim fructus non faciebat suos: qu'a erat tantum custos ecclesiæ sibi commendatæ, bonorumque ipsius; unde non habebat jus in Ecclesia, neque in fructibus ejus, nisi ad colligendum, & gubernandum, & providendum sibi ac ministris, & quod supererat, in utilitatem ecclesiæ convertendum; uti notat Gl. *c. c. nemo, V. commendare, de elect. in 6.* Secùs est in Commendis modernis perpetuis, & à Papa concessis: hæ enim ideò inventæ sunt, ut ii, qui sunt inhabiles ad obtinenda beneficia ecclesiastica in titulum (qui est modus ordinarius, & legitimus obtinendi beneficia) efficerentur habiles intuitu meritorum suorum ad ea obtinenda per modum commendæ (quæ est via extraordinaria, & tacitè dispensativa) sicque ex eorum fructibus, quos faciunt suos, valeant commodius sustentari. Fagnanus *c. cum ad nostrum n. 5. & 6. de elect.*

77 Resp. II. Commendæ antiquæ, seu quæ olim de Iure communi fuerant temporales, atque per ordinarios locorum in ecclesiæ utilitatem principaliter concedebantur, non habebant rationem beneficii proprie dicti. Ita communis, & ratio est clara: quia commendæ antiquitus permissæ neque concedebantur in perpetuum, neque jus aliquod respectu ecclesiæ, aut redditu̇um ipsius præbebant, sed meram custodiam: ac proinde definitio beneficii proprie dicti, & *n. 6. ac seqq.* jam assignata, ipsis nequaquam convenit.

78 Unde & antiqui canones, non obstante, quod beneficiorum pluralitas eisdem semper fuerit invisa, permittebant, ut

ut uni possent conferri duæ Ecclesiæ, una in titulum, & altera in commendam. Textus est *in can. qui plures, 22. q. 1. & c. Dudum, 54. §. Suggessit, de elect.* ibi: *Cum nullus potuerit plures Ecclesias parochiales obtinere, nisi una penderet ex altera, vel unam intitulatam, & alteram commendatam haberet*, cum concordantiis.

79 Resp. III. Econtrà verò commendæ perpetuæ, quales nostro tempore per Papam dantur in utilitatem personæ, habent rationem & effectum tituli, atque æquiparantur beneficiis proprie dictis. Ita colligitur ex Concil. Trid. *Sess. 2. c. 2. & 4. & Sess. 24. c. 17. de reform* ubi prohibetur quis habere plura *Beneficia; etiam commendata*. Et hoc intellige, etiamsi unum haberet in titulum, & alterum in commendam; prout notat, atque decisum testatur Fagnanus *c. Dudum, il 2. n. 37. & seqq. de elect.* Accedit ratio: quia commendæ hodiernæ, ex una parte tribuunt jus percipiendi fructus Ecclesiasticos propter spirituale officium, sive ob custodiam Ecclesiæ exhibitam; conferunturque authoritate Ecclesiastica, nempe Papali, & quidem in perpetuum; ergo nihil ipsis deest, ad rationem beneficii propriè dicti requisitum.

80 Quæritur IV. Quid sit Præstimonium, & an censeatur esse beneficium? Resp. I. *Præstimonium* vi nominis idem est, ac *præstans munus*: uti notat Hostiensis *c. postulasti, de rescrip.* & Menochius *lib. 2. Arbitr. Iud cas. 201. n. 56.* cum aliis. In proposito tamen per *præstimonium*, seu *portionem præstimonialem*, intelligitur stipendium, quod ab ecclesiasticis redditibus abstractum dari solet canonicis, vel aliis Clericis in vitæ subsidium, præsertim ubi litteris, seu studiis operam impendunt. Menochius *cit. n. 56.* Layman *lib. 4. Theolog. Moral. tr. 2. cap. 5. num. 5. & 6.* cum aliis.

81 Cæterùm hujusmodi Præstimonia, ex sua institutione nullum servitium in ecclesia habere solent: quamvis si dentur in titulum perpetuum beneficii, habeant annexum onus spirituale, recitandi videlicet Horas Canonicas. Garcias *de beneficiis, part. 1. cap. 2. num. 117.* citans alios, & Azorius *part. 2. Institution. Moral. cap. 7. quæst. 1. V. In hac controvers.* dicens, quod *qui præstimonia nunc habent, liberi sint ab onere, obligatione, & præcepto residendi in ecclesia, quarum sunt præstimonia; ita, ut nec per se nec per alios in sui locum suffectos, inservire ullo jure cogantur: quod certè horum beneficiorum est proprium*. Hæc ille, posteà *q. 5.* amplius istud declarans.

82 Resp. II. Quando præstimonia, seu præstimoniales portiones, dantur duntaxat ad certum tempus in vitæ subsidium, v. g. durante tempore studiorum, non sunt beneficium Ecclesiasticum propriè dictum. Ita Menochius *cit. cas. 201. num. 57. & 60.* Layman *cit. c. 5. n. 5. & 6.* citans alios; atque subjungens, hujusmodi præstimoniales portiones non esse *beneficia ecclesiastica*, sed *mera stipendia*. Azorius, ubi suprà, asserens, in hoc convenire omnes. Ratio est, quæ suprà: quia videlicet de ratione beneficii ecclesiastici est, tribuere jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiæ &c. Atqui tale jus perpetuum non tribuitur per præstimonia temporalia, puta, ad tempus studiorum duntaxat concessa; ergo.

83 Resp. III. Quod si vero præstimonia conferantur in titulum, atque in perpetuum; ita, ut cum obitu ejus, qui accepit, vacent (prout in Hispaniis communiter dari præstimonia, notat Fagnanus *c. Ad audientiam, nu. 62. de rescr.* & Garcias *cit. p. 1. c. 2. n. 218.*) tunc ea connumerantur inter beneficia proprie dicta. Ita textus *c. ult. de concessione præb. in 6.* ubi Præstimonia apertè connumerantur inter beneficia, illis verbis: *Concessionis super canonicatibus, dignitatibus — præstimoniis, & aliis quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis*. Nam ista verba non nisi de præstimoniis datis in titulum; atque ad perpetuum, intelligi possunt, & debent Unde quod hujusmodi Præstimonia sint beneficia propriè dicta (eo præsertim, quod ipsis nihil deficiat ex requisitis ad beneficium Ecclesiasticum) tenet Menochius *d. lib. 2. de Arbitr. Jud. cas. 201. n. 58. & 59.* Azorius, ubi suprà, *d. c. 7. q. 2.* Garcias *c. c. 2. n. 117.* allegans plurimos alios: adeò, ut re ipsa hæc sit communis sententia. Et sub data distinctione Authores, qui prima fronte non nihil discordare videntur, facilè revocantur ad concordiam.

84 Quæritur V. Quid, & quotuplex sit pensio; & an veniat nomine beneficii ecclesiastici? Resp. I. *Pensio* ut sic est jus percipiendi partem fructuum ex alieno beneficio. Ita Zoesius *Tit. de Simonia, num. 46.* & in re communis. Vel, si Pensionem pro ipsamet parte fructuum acceptam describere velis, dicendum est: *pensio* est certa portio fructuum, ab aliquo beneficio, vel mensa, ex causa ad tempus, non verò in perpetuum separata. Ita Gulielmus de Monte Lauduno *in Repet. Clem. Quia regulares, num. 12. de Supplend. negligent. prælator.* Barbosa *part. 2. Jur. Ecclesiastic. univers. capit. 11. numer. 3.* subjungens, quod pensio dependeat à proprietate beneficii, sicut ususfructus dependet à proprietate rei.

85 Resp. II. Pensio dividitur in laicalem, & clericalem. Ita communis. Et quidem *pensio laicalis* est, quæ datur ob ministerium temporale, aut aliam temporalem causam; & Laico etiam convenire potest, v. g. Oeconomo Ecclesiæ, Cantori, Ædituo, & aliis hujusmodi. *Pensio Clericalis*, seu Ecclesiastica econtra est, quæ Clericis authoritate Superioris Ecclesiasticis justis de causis constituitur, ipsisque solis competere potest: atque de hac sola nunc sermo est, non de priori, seu laicali.

86 Resp. III. Pensio Clericalis subdividitur in duas species. Una est, quæ assignatur in titulum beneficii Ecclesiastici: prout accidit, quando ex beneficio pingui, quod caret sufficienti suffragio Ministrorum, authoritate Superioris detrahitur certa portio fructuum, & alicui Clerico ibidem ministranti conceditur in titulum beneficii perpetui, v. g. perpetuæ Vicariæ, *argum. can. Conquerente 6. de Cleric. non resident.* & notat Abbas *c. c. Conquerente num. 1. & 5.* & Fagnanus *c. Ad audientiam num. 41. de rescript.*

87 Nec obstat textus *in c. Extirpandæ 30. §. final. de præbend.* ubi dicitur: *Illud autem penitùs interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Ecclesiæ, quæ curam habere debet proprii Sacerdotis, pensionem alicui quasi pro beneficio conferre præsumat* Resp. enim cum Abbate, & Fagnano, *ubi suprà*, hic solùm prohiberi, ne in fraudem constituatur talis pensio: sed ubi ex causa licita & honesta, ac omni fraude cessante, constituitur pensio ad modum beneficii ex redditibus Ecclesiæ, tunc valet talis constitutio; sicque potest super uno beneficio creari aliud, dummodo primo Rectori remaneat tantum, unde honestè sustentari valeat.

88 Alia Pensio, & quæ nomine *Pensionis* (nisi secùs exprimatur) communiter intelligitur, ea est, quæ simpliciter constituitur ad tempus de fructibus beneficii, justaque de causa cuipiam assignatur authoritate Superioris. Et talis est, quæ authoritate Episcopi assignatur Parocho, ob senectutem resignanti, ad suæ vitæ sustentationem: vel quæ datur causa litis beneficiariæ componendæ, aut ob aliam similem causam rationabilem; de quo plura inferiùs *Titul. 12. Ut Ecclesiastica beneficia &c.*

89 Solum præmissis adde, *quod quicunque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas Clericus percipit, is ad dicendum officium parvum B. M. V. obligatus sit*; uti his ipsis verbis decrevit B. Pius V. in sua Constitutione 135. quæ incipit: *In proximo* (& habetur *Tom 2. Bullarii Romani.*) Ubi idem Pontifex addidit, ejusmodi Clericum non recitantem Officium parvum B. M. Virginis (intellige de Clerico Minorista; nam alius satisfacit recitando Breviarium) eo modo *pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium* esse, sicuti Clericus habens beneficium, & non recitans Breviarium.

90 Resp. IV. Certum est, quod quando Pensio cuipiam confertur priori modo, sive in titulum, ea sit verum & propriè dictum beneficium ecclesiasticum. Patet hoc ex *d. c. conquerente 6. de Cleric. non resid.* ubi talis Pensio, viginti scilicet solidorum, sæpiùs appellatur beneficium, & ut tale ibidem censetur. Accedit ratio: quia tali Pensioni, utpote datæ in titulum, atque tribuenti jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis &c. integrè convenit definitio beneficii, superiùs data.

91 Neque obstat, quod vocetur *Pensio*: quia non est vis in nomine, quando constat de re. Abbas *Cons. 47. n. 2. li. 2.*

Covarruvias *pract. qu. c. 36. n. 10. V. quarto quoties*, Fagnanus *c. ad audientiam n. 44. & seqq. de rescr.* citans alios; atque inde *n. 46.* cum aliis indubitanter inferens, quod de tali Pensione facienda sit mentio in rescriptis beneficialibus, perinde ac de beneficio.

92 Resp. V. Loquendo tamen de Pensionibus posterioris generis, seu quæ authoritate Superioris ex legitima causa cuipiam Clerico constituuntur ad tempus; major difficultas est, an veniant nomine beneficii; videtur tamen distinguendum, quod quidem hujusmodi Pensiones propriè beneficia Ecclesiastica dici non possint, neque appellatione beneficii in materia odiosa veniant; secùs tamen sit dicendum in materia favorabili. Ita Fagnanus *c. c. ad audientiam n. 117. de rescr.* ubi, cum fusissimè præmisisset contrarias Doctorum opiniones, tandem *n. 117. & seqq.* easdem hac ratione conciliat, & addit *num. 120.* & *134.* quod hanc distinctionem inter materiam odiosam, & favorabilem, sæpiùs probaverit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tr. Interpretum. Quod ipsum repetit *c. an cum in cunctis n. 103. de elect.*

93 Prima pars probatur ex eo; quia beneficium Ecclesiasticum ex sui natura debet esse perpetuum; ut *can. Scripsit mihi & can. quamvis triste 7. qu. 1. ex c. Ex parte tuæ 5. de Cleric. ægrot.* junctis dictis suprà §. 1. *n. 8.* & 9. Atqui Pensio illa non est perpetua, sed temporalis; ergo. Deinde *beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri*, juxta *Reg. 1. Juris in 6.* Secùs dicendum de hac specie Pensionis, utpote quæ non indiget tali institutione. Et hinc, ut plura alia taceantur, *in c. quamvis plenissima 4. de præbend. in 6.* clarè habetur, in materia odiosa, & strictè accipienda, appellatione beneficii non venire Pensionem, illis verbis: *Et non in pensione, sed in beneficiis Ecclesiasticis tantum volumus provideri*, & consequenter Pensio nomine beneficii non venit in materia odiosa, de qua ibidem est sermo.

94 Præsertim verò, quod ex stylo Concilii Tridentini appellatione beneficii non veniat Pensio, patet ex *sess. 21. c. 2. & sess. 23. c. 18. & sess. 25. c. 15. de ref.* ac notat Fagnanus *c. c. cum in cunctis n. 206. de elect.* Et hinc fit, quod Concil. Trid. *sess. 23. c. 6. de ref.* statuens, ut *nullus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere*, locum non habeat in Pensionibus; prout declaravit S. Congregatio ejusdem Concilii interpres, teste Fagnano *d. c. cum in cunctis n. 12. de elect.* Quia videlicet hæc materia, puta incapacitas recipiendi beneficium, est odiosa; ac proinde non debet ultra proprietatem vocabuli extendi ad Pensiones, quæ super fructibus beneficii cuipiam assignantur authoritate superioris duntaxat ad tempus; ac proin illæ non sunt beneficia propriè loquendo.

95 Dices. In *c. ad audientiam 31. de rescr.* beneficia, & Pensiones, inter se æquiparantur, illis verbis: *Recipientes annuas pensiones, seu alia beneficia*: nam ly *Alia*, vi suæ significationis stat implicativè, & est repetitivum similium, & consequenter etiam Pensiones erunt beneficia. Resp. cum Fagnano *in c. c. ad audientiam n. 56. de rescript.* neg. antec. cum sua probatione. Nam dictum illud, quod ly *Aliud* sit repetitivum similium, non verificatur, imò fallit, quando per alia Jura est declaratum, aliquid non esse simile: hoc autem fit in proposito per *cit. capit. Quamvis plenissima quarta de præbend. in 6.* cum similibus.

96 Urgebis. *Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur*, juxta textum, & Glossam *c. Ecclesia S. Mariæ 3. V. Successerunt ut lite pendente &c.* ac Everardum *in locis Legalibus loc. 122. A vi subrogationis n. 1. & seqq.* latè illud declarantem. Sed Pensio subrogatur in locum beneficii; ergo sapit naturam ejus, sicque est beneficium propriè. Resp. negando ultimam consequentiam: etsi enim Pensio sapiat naturam beneficii, non tamen est beneficium propriè, strictèque loquendo. Et generaliter, subrogatum sapit quidem naturam ejus, cui subrogatur; non tamen habet easdem semper qualitates, vel naturam cum ipso, imò hac ratione multipliciter solent differre: uti patet in S. Mathia Apostolo, subrogato in locum Judæ proditoris; unde inter plures alias limitationes dictæ Regulæ, Everardus, *ubi suprà n. 20.* ponit hanc, quod memorata regula, *Subrogatum &c.* procedat quidem quoad naturam primordialem (qua ratione etiam pensio sapit naturam beneficii, cum non minùs, ac istud, detur pro congrua sustentatione Clerici) non verò semper procedat quoad naturam accidentalem.

97 Altera pars datæ *n. 92.* Conclusionis, quod nempe in materia favorabili Pensio veniat nomine beneficii; probatur imprimis ex Declaratione Gregorii XIII. qui ad consultationem S. Congregationis, die 18. Decembris 1576. declaravit, Pensionarium censeri beneficiatum ad effectum gaudendi privilegio Fori Ecclesiastici, de quo loquitur Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 1. de refor.* idque duplici de causa. Primò, quia Cancellaria habet Pensionarium pro beneficiato; ideoque vult exprimi in bullis pensiones, sicut beneficia. Secundo, quia B. Pius V. coegit pensionarium ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis, ut dictum *n. 89.* Et rursum idem Sanctissimus, proposito sibi dubio à S. Congr. dixit in materia favorabili, ut est illa privilegii Fori, appellatione beneficii venire pensionem. Die 8. Augusti 1577. prout refert Fagnanus *cit. can. ad Audientiam il 2. num. 131. & 134. de rescript.*

98 Accedit ratio. Quia in materia favorabili, præsertim, ubi reditur ad Jus commune, debet fieri lata interpretatio; uti notat Gl. *c. cum dilectus V. Juri communi*, & Abbas *ib. nu. 21. de consuetud.* Sic enim facienda est interpretatio, ut nulli sit onerosa, & secundum Jus commune; ut *c. causam quæ 18. de rescript. & c. cum olim 6. de cons.* Atqui privilegium Fori v. g. est favorabile, simulque per istud reditur ad Jus commune, quo Clerici Jure Divino sunt exempti à jurisdictione sæculari, *can. Si Imperator. dist. 96. & c. quamquam de censib. in 6.* cum similibus; ergo est latè interpretandum. Unde fit, quod Pensio, si non ex proprietate vocis, saltem per interpretationem extensivam, possit intelligi; atque venire nomine beneficii, sicuti post Gigantem *qu. 58. n. 28.* loquitur Fagnanus *loc. cit. n. 117.* hoc ipsum *n. seqq.* amplians ad beneficia manualia: nam etiam hæc in materia favorabili (inquit) appellatione beneficii includuntur, quæ tamen verè & propriè non sunt beneficia: ut jam dictum suprà *§. præc. n. 52. 54. & seqq.*

§. IV.

De erectione Beneficiorum, nec non qualitatibus in limine fundationum appositis.

SUMMARIUM.

99 *Quæ requirantur ad erectionem beneficii Ecclesiastici? Et num. seq.*

Ea debet fieri ad cultum Divinum, sub onere præstandi officium spirituale. Ib.

100 *Ad beneficii erectionem requiritur etiam congruentia dotis.*

101 *Quæ una cum loco erectionis, debet examinari per episcopum.*

Non decet unum altare discooperire, ut aliud cooperiatur.

102 *Ad erectionem beneficii insuper requiritur consensus episcopi, & quidem expressus.*

103 *Ubi constat de consensu episcopi in limine fundationis adhibito, præsumuntur omnia per episcopum diligenter discussa &c.*

104 *Et vicissim, beneficio in forma debita cæteroquin erecto, præsumitur, consensum episcopi ab initio intervenisse.*

105 *Fundator Beneficii potest in limine fundationis adjicere quascunque qualitates, leges, & conditiones sibi benè visas, cæteroquin honestas &c. Et num. 350.*

106 *Quæ omnimodis erunt observandæ.*

Refertur textus notabilis Concilii Tridentini quoad hoc. Ibid.

107 *Idque exemplificatur in fundatione exprimente, ut beneficium vacaturum conferatur consanguineo Fundatoris &c.*

Et an valeant tunc collatio beneficii alteri facta? Ib.

Quæ-

108 *Qualitates seu conditiones turpes, aut impossibiles, appositæ in limine fundationis, habentur pro non adjectis.*

109 *Idque exemplificatur.*

Fundator beneficii, an, & qua ratione possit illud obtinere absque simonia? Ib.

110 *Qualitas, lex, aut conditio in limine fundationis apposita, si de se honesta sit & possibilis, est observanda, licèt sit contraria Juri communi: idque exemplificatur.*

111 *Fundatoris Successor non potest alterare, aut derogare qualitatibus in limine fundationis appositis &c.*

112 *Bene tamen Fundator ex justa causa, & cum consensu Episcopi, potest eas ex post facto alterare.*

113 *Sed non in præjudicium Ecclesiæ, aut juris tertio quæsiti.*

114 *Redditibus beneficii diminutis, an Missarum in fundatione impositarum numerum possit episcopus reducere? Et num. seq.*

115 *Missarum ex relictis Defunctorum impositarum, v. g. Anniversariorum reductionem, ob tenuitatem redditum, potest facere Episcopus. Et n. præc.*

116 *Et an duntaxat in Synodo Diœcesana.*

117 *Per clausulas generales derogatorias, an censeatur derogatum qualitatibus in limine fundationis appositis? Et num. seq.*

Clausula. Non obstantibus statutis & c. *unde desumpta sit? Ib.*

118 *Per clausulam hanc derogatur Statutis ecclesiarum generalibus.*

119 *Non tamen primævæ fundationi, seu qualitatibus in eadem requisitis pro consuetudine beneficii, absque expressa mentione fundationis. & n. seqq.*

120 *Istud intelligendo tum in fundationibus Laicorum, tum etiam Clericorum.*

121 *Per clausulam illam,* Non obstantibus fundationibus &c. *derogatur quidem fundationibus Clericorum; non verò Laicorum, nisi expressa de his fiat mentio.*

122 *Et quæ ratio disparitatis.*

99 QUæritur I. Quæ requirantur ad erectionem beneficii Ecclesiastici? Resp. I. Ad erectionem beneficii Ecclesiastici, cum primis requiritur, ut fiat ad cultum Divinum, sub onere præstandi quodpiam officium spirituale, sive ecclesiasticum. Siquidem beneficium datur propter officium, *c. ult. de rescr. in 6.*

100 Deinde requiritur congruentia dotis: sive, quod beneficium ejusmodi non solum in loco congruo erigatur, quidem absque præjudicio aliarum ecclesiarum, sive beneficiorum; sed etiam sufficientes reditus, pro decenti sustentatione Clerici beneficiarii, idem assignentur. Unde ad Episcopum pertinet, in limine fundationis ritè examinare locum erectionis, dotisque congruentiam, & futurum regimen, sive onera beneficio imposita. Barbosa *lib. 3. jur. eccl. univ. c. 4. n. 21.*

101 Et quidem locus erectionis debet examinari, an sit conveniens pro tali beneficio, nec hujus erectio tendat in præiudicium alterius. Quia *non decet unum Altare discooperire, ut aliud cooperiatur*: prout loquitur Abbas *c. pastoralis n. 3. de his quæ fiunt à Prælatis &c.* id probans ex *c. cum causam 36. h. t.* estque vulgatum canonistarum. Dotis verò congruentia, juxta qualitatem Beneficii, loci ac personarum, aliarumque circumstantiarum, examinari debet; ut videatur, an clericus inde honestè sustentari valeat: nam, ut Salvator inquit Matth. c. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* Atque secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debet de altari, *1. Corint. 9. & c. cum secundum Apostolum 16. h. t.* cum similibus.

102 Tandem ad erectionem beneficii ecclesiastici requiritur authoritas, sive consensus episcopi: adeò, ut non sufficiat consilium Episcopi, aut petitio sui consensus, sed requiratur consensus expressus, Barbosa *c. c. 4. n. 22.* post Lambertinum *de jur. patr. lib. 1. p. 1. n. 9. q. art. 2. n. 131.* & concordant dicta superiùs §. 1. *n. 14. & seqq.*

103 Resp. II. Ubi constat de consensu Episcopi in limine fundationis adhibito, præsumuntur omnia per eundem diligenter discussa, etiam circa congruentiam dotis. Ita Rota *dec. 521. n. 1. p. 2. recent.* apud Barbosam *loc. cit. n. 22.* Generaliter enim pro Judice judicialiter procedente, aliisque Viris litteratis, providis & honestis præsumitur, quod in suis negotiis ritè processerint, donec contrarium probetur, *can. nostra*, & Abbas *ibid. num. 3. de procur. & can. Cum dilectus 9. de Fide instrum.* estque uberius dictum suprà *Lib. 2. Titul. 23. De præsumptionibus* §. 4. *nu. 86. & seqq.*

104 Sicut & vicissim præsumitur, hanc Episcopi authoritatem ab initio intervenisse in erectione beneficii, si Ecclesia ædificata, aliudve beneficium, cæteroquin reperiatur in forma debita: habeatque dotem: atque Rectorem, Barbosa, *ubi suprà n. 23.* post Rotam *in Hipporegiensi Capellæ 13. Junii 1613. coram R. P. D. Pirovano*, & alios concordat Mascardus *de prob. Concl. 416. n. 4.* allegatis pluribus aliis docens, quod consensum Episcopi in fundatione Ecclesiæ intervenisse, præsumatur ex diuturnitate temporis, si in ea publicè sint celebrata Divina.

105 Quæritur II. Quid dicendum sit de qualitatibus, sive conditionibus, in limine fundationis beneficii per Fundatorem appositis? Resp. I. Fundator beneficii potest in limine fundationis adjicere quascunque voluerit qualitates, leges seu conditiones sibi benè visas, cæteroquin tamen possibiles, ac honestas, cum consensu Ordinarii. Ita desumitur ex *c. Significatum 11. de præbend. & c. præterea 23. de Jur. patr. & c. Quanto 16. de Censib.* Et inter alios tradit Gonzal. *ad Reg. 8. Cancel. gl. 5. n. 100. & seq.* allegans Rotam *dec. 1. de præb. in novis & dec. 2. de Test. in antiq.* atque, ut inquit Card. de Luca *de beneficiis, disc. 95. n. 10.* est regula generalis. Siquidem quilibet est moderator, & arbiter rerum suarum, *l. In re mandata ff. Mandati*: potestque de ipsis, sive in vita per pias, v. g. fundationes, sive mortis causa per testamentum, prout sibi bene visum est, disponere.

106 Unde & Jura ejusmodi qualitates, sive onera, & conditiones in limine fundationum adjectas, omnimodis observandas esse censuerunt: ut *Clem. cum contingat* §. 1. *de Relig. Domib.* ubi dicitur: *Ea quæ ad certum usum largitione sunt concessa Fidelium, ad illum debent, non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate) converti.* Concordat textus *in l. nulli licere C. de Episc. & Cler. & c. nos quidem 3. de Test.* cum similibus: ac novissimè Conc. Trid. *sess. 25. c. 5. de ref.* illis verbis: *Ratio postulat, ut illis, quæ benè constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur: quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta: in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur.* Et infrà *Aliter facta provisio, subreptitia censeatur.*

107 Sic, ubi Fundator in limine fundationis ordinavit, seu expressit, ut emergente vacatura Capellæ, seu beneficii a se erecti, istud conferatur cuipiam cæteroquin idoneo ex consanguineis descendentibus ex sua cognatione; hæc conditio, seu qualitas instituendi, omnino erit observanda. Rota *in una Cæsaraugustana, Capellaniæ 16. Martii 1587. coram Illustr. Seraphino.* Et aliter facta præsentatio, seu provisio de non habente dictam qualitatem consanguinitatis, est invalida; Garcias *de benef. p. 7. c. 15. nu. 6.* allegans alios. Dummodò adsit quispiam habilis ex consanguineis illius Fundatoris, & quidem contradicens, atque opponens, sibique vi primævæ fundationis provisionem fieri postulans: alioquin enim, nemine opponente, sustineretur præsentatio, vel provisio, non minùs, ac si fieret spreto patrono, & tamen non contradicente. Pirrhus Corradus *lib. 2. prax. benef. c. 10. num. 67. & 69.* & Garcias *c. c. 15. num. 7. p. 3. c. 9. num. 231. & 232.* allegans alios, & multiplicem Decisionem Rotæ. Atque hoc ipsum, servata proportione, dicendum est de aliis similibus casibus.

108 Additur notanter in Conclusione, *cæteroquin tamen possibiles, ac honestas.* Nam qualitates, seu conditiones turpes, aut impossibiles appositæ in limine fundationis, ob favorem Religionis, habentur pro non adjectis, *arg. c. ult. de conditionibus apposit. &c.* ac notat Pyrrhus Corradus *cit. lib. 2. praxis beneficior. c. 10. n. 166.*

109 Hinc reprobatur illa fundatio Beneficii, quæ fit cum pacto, & conditione, ut fundatori bona sua temporalia Ecclesiæ conferenti, postmodum liceat beneficium illud retinere. Nam talis pactio, sive conditio apposita, est turpis, atque simoniaca, juxta textum expressum *in c. tua nos 34. de Simonia*: cum in talibus, sive in beneficiis Ecclesia-

 sticis,

ficiis, omnis pactio, ac conventio cessare debeat juxta Canonicas Sanctiones, *c. c. Tua nos & c. quæsitum 5. de rerum permut.* Si tamen purè ac simpliciter quis erigat beneficium; & roget solummodò humiliter, ut illud sibi conferatur, poterit istud fieri absque ulla labe simoniæ, *c. c. Tua nos §. Si vero de Simonia.*

110 Quod si verò qualitas, sive lex, aut conditio in limine fundationis adiecta, de se sit honesta & possibilis, tunc ea est observanda; haud obstante, quod sit contraria Juri communi. Glossa communiter approbata *in c. cum dilectus ℣. Consistitum ℣. satis tamen credo de consuetud.* Card. de Luca *de beneficiis disc. 95. num. 10.* Fagnanus *can. cum in cunctis n. 72. & 73. de elect.* asserens, sic tenuisse Sacram Congregationem; quam secuta fuit Rota *dec. 194. nu. 1. p. 2. recent.* Atque istud exemplificat Fagnanus *ibid.* in Canonicatu, qui potest conferri ante ætatem à Jure communi, vel Concilio Tridentino præscriptam, si ita cautum fuerit in ejusdem fundatione. Et talem conditionem in erectione beneficii etiam Episcopus admittere potest.

111 Resp. II. Leges, conditiones, seu qualitates in limine fundationis appositas, non potest Patronus hæres, sive fundatoris successor alterare, aut eisdem derogare, etiam cum consensu Episcopi. Ita conformiter Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 5. de reform.* (cujus verba *n. 106.* relata sunt) Card. de Luca *de beneficiis, discurs. 96. num. 6. & 7.* citans Rotam *in Alexandrina Decanatus 12. Junii 1598. coram Orano*, & aliam Rotam *dec. 296. num. 9. p. 1. recent.* Pyrrhus Corradus *in praxi beneficiorum lib. 2. c. 10. n. 145. & seqq.* ubi sub *n. 152.* refert Declarationem Sacræ Congregationis Concilii, quæ cum inter alia interrogaretur: *Quartò, An de consensu patroni possit dispensari cum minori viginti quinque annorum ad Cappellaniam simplicem obtinendum, ad quam ex fundatione est præsentandus Sacerdos?* Respondit: *Ad quartum, hanc dispensandi facultatem Episcopis post Concilium non competere.* Hæc ibi. Concordat Fagnanus *in c. Conquerente n. 24. de Cleric. non resident.* pariter asserens, Sacram Congregationem censuisse, quod hodie ex Decreto Concilii Tridentini *cit. sess. 25. cap. 5 de reform.* non sit in facultate Ordinarii, derogare qualitatibus in fundatione appositis, etiam de consensu Patronorum. Garcias *p. 7. de beneficiis c. 1. n. 107. & 111. ac seqq.* Quidquid olim Felinus *can. cum accessissent nu. 19 de const.* & nonnulli alii, apud eundem Garciam *n. 105. & 106.* in oppositum tenuerint, asserentes, posse Episcopum cum consensu Patroni successoris Fundatoris pro una, vel altera vice alterare qualitates, seu conditiones in fundatione requisitas, ac dispensando contra eas, conferre beneficium non habenti dictas qualitates. Nam hæc opinio satis rejicitur ex verbis Concilii Tridentini jam relatis, juncta præsertim Declaratione Sacræ Congregationis Concilii, ac tam multiplici Decisione Rotæ.

112 Additur notanter in Conclusione. *Patronatus hæres, sive Fundatoris successor &c.* Nam, quod Patronus fundator adhuc vivens ex justa causa, & cum consensu Episcopi, possint tollere, seu alterare conditiones, sive qualitates tempore fundationis appositas, etiam ex post facto, censet Garcias *cit. part. 7. cap. 1. num. 103.* post Felinum *c. cum accessissent num. 19.* & Decium *n. 51. de Constitution.* Rochum de Curte *De Jurepatron. ℣. pro eo quod quæst. 14. num. 30.* & alios, quos citat, asserens, istud videri clarum.

113 Fatendum tamen, quod oppositum teneat Pyrrhus Corradus *cit. lib. 2. praxis benef. c. 10. nu. 157. & seqq.* Quia (inquit) Concilium Tridentinum, *ubi suprà*, ac Declarationes Sacræ Congregationis non distinguunt inter patronum viventem, & defunctum; ergo neque nos distinguere oportet, *l. De pretio ff. de publician. in rem action.* Eo præsertim: quia per fundationem ab Episcopo authentizatam, jam est jus Ecclesiæ acquisitum: quod proinde ex post facto non amplius potest Fundator eidem auferre, minuere, aut per novas conditiones infringere. Et hæc posterior sententia locum habere videtur, quando patronus ex intervallo vellet qualitates fundationis mutare in præjudicium Ecclesiæ, Card. de Luca *discurs. 60. de Jurepatronat. nu. 16.* Aut in præjudicium tertii, tollendo jus ipsi jam quæsitum. Card. de Luca *discurs. 16. de Jurepatronat. num. 2. & 3.* post Rotam *dec. 37. n. 1. & seqq. part. 7. recent.* & alibi sæpiùs. Alioquin secus. Idem Card. de Luca *disc. 18. de jure patronat. num. 4.* citans alios.

114 Limitatur etiam à nonnullis data conclusio in casu, quo redditus ipsius beneficii posteà ob temporum injuriam sunt diminuti, atque insufficientes reperiuntur ad supportanda onera in limine fundationis imposita, legendi v. g. tot vel tot Missas. Tunc enim posse Episcopum cum consensu patroni, imo etiam isto invito, onera imposita, seu Missas v. g. legendas moderari, & reducere ad minorem numerum juxta quantitatem redituum Beneficii, tradit Garcias *cit. p. 7. c. 1. n. 134. 135. & seqq.* post Felinum *in c. cum accessissent num. 19. de Constit.* ubi ait, quod cessantibus redditibus cessare debet ordinatio testatoris. Concordat Azorius *p. 2. lib. 6. cap. 24. quæst. 6.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. quæst. 41. art. 24. ℣. Sed revera*, pluresque alii à Garcia, *ubi suprà*, relati. Accedit ratio: quia alioquin non facilè reperiretur, qui sub redditibus adeò tenuibus, atque diminutis, vellet antiqua onera sustinere; sicque piæ Fundatorum voluntates penitùs deperirent, nisi ob urgentem hanc diminutionis redituum causam Episcopali authoritate temperari, atque ex parte saltem, quantum fieri potest, sustineri valerent, *arg. cap. Cum accessissent 8. & cap. Ex part. 12. de const.* & quæ ibidem notant Doctores. Quinimò ob hanc ipsam causam Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 4. de reform.* facultatem dedit Episcopis, ut in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ut in Capitulis Generalibus, re diligenter inspecta, possint pro sua conscientia reducere ad minorem numerum onera Missarum, ex variis Defunctorum relictis imposita rum, quando eleemosynæ pro illis celebrandis adeò sunt tenues, ut non facilè inveniatur, qui huic sese muneri subjicere velit.

115 Verum loquendo de oneribus Missarum celebrandarum in Fundatione appositis (sicut & de impositis post dictum Concilium Tridentinum) contrariam sententiam tenent Gavantus *in Manual. Episcop. ℣. Missarum num. 55. & 56.* Fagnanus *c. Significatum num. 15. de præbend.* Tamburinus *lib. 3. de Sacrificio Missæ, cap. 1. § 2. num. 1. & 2.* Diana *p. 2. tract. 14. resol. 1.* allegans Homobonum *in Exam. Eccl. part. 1. tract. 4. cap. 14. quæst. 129.* pluresque alios, qui asserunt, reductionem talium Missarum non posse fieri per Episcopum, sed pro ea obtinenda recurrendum esse ad Papam. Rationem dant; quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* concedens Episcopis facultatem reducendi onera Missarum ad minorem numerum, loquitur solum *de Magno Missarum celebrandarum numero ex variis defunctorum relictis imposito*; uti sunt Missæ, & Anniversaria Defunctorum: non autem de Missis impositis beneficio, seu capellaniæ, in limine fundationis: ac proinde inferunt memorati Auctores, pro harum reductione recurrendum esse ad Summum Pontificem. Accedit, quod ita novissime decreverit Urban. VIII. in sua 45. constitutione, *Cùm sæpè contingat* (atque alio nomine, *Decretum de Celebratione Missarum*, appellatur) ubi *§. 1. districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur &c.* idque sub nullitate actus in contrarium gesti. Quod ipsum ampliùs habetur in Declarationibus Sacræ Congregationis Concilii, eidem Decreto in citato Bullario subjunctis, respondendo ad primum Dubium, quod non obstante tenuitate Legatorum, *pro reductione onerum Sedes Apostolica sit audienda, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit.*

116 Ubi pariter notandum est, quod Concilium Tridentinum *cit. Sess. 25. cap. 4. de reform.* expressè addiderit, memoratam Missarum ex variis defunctorum relictis impositarum reductionem, ab Episcopo esse faciendam *in Synodo Diœcesana*: adeoque, spectato rigore ejusdem Concilii, id fieri non posse extra memoratam Synodum. Attamen, quod istud Decretum in aliquibus Episcopatibus non sit usu receptum, utpote in quibus reductiones non solùm Missarum Capellaniarum, sed etiam Anniversariorum, & donationum Ecclesiarum fiunt extra Synodum; refert Garcias *dist. par. 7. cap. 1. numer. 136.* Addit etiam Navarrus *cap. 25. Manual. num. 138.* illud quod Concilium Tridentinum *cit. Sess. 25. cap. 4. de Reform.* concessit, videri quidem *Jus novum quoad Abbates & Generales, sed non quoad Episcopos, qui possunt hoc facere, etiam sine Synodo, Jure antiquo, arg. cap. cùm accessissent, &c. Ex parte, de Constitutionibus quod non videtur per hoc sublatum, cùm fuisset additum ad augendum.* Hæc Navarrus.

117 Quæritur III. Utrùm per clausulas generales derogatorias, in Litteris Apostolicis contentas, *Non obstantibus statutis & cap.* censeatur derogatum qualitatibus in limine Fundationis requisitis? Ubi sciendum, quod clausula illa, *Non obstantibus ejusdem Ecclesiæ privilegiis, consuetudinibus, vel statutis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis*, quæ communiter in Rescriptis ad beneficia Ecclesiastica, & Præbendas Ecclesiarum Cathedralium, seu Collegiatarum apponi solet (non verò in aliis beneficiis, ut inquit Garcias *par. 7. de beneficiis, cap. 1. nu. 123.*) desumpta sit ex *cap. cùm aliquibus 4. de Rescript. in 6.* De cujus etiam intellectu, præter alios Doctores, plura congerit Barbosa *in Tractat. de Clausulis usu frequent. Clausul. 84* per totum. Quo prænotato

118 Resp. I. Etsi per clausulas ejusmodi generales derogetur Statutis Ecclesiarum generalibus, seu omnia beneficia cujuspiam ecclesiæ respicientibus: non tamen per ipsas censetur derogatum primævæ fundationi, seu qualitatibus in eadem pro consecutione certi cujuspiam Beneficii requisitis, nisi expressa fiat mentio ipsiusmet fundationis. Ita Felinus *cap. Nonnulli nu. 22. de rescript.* Garcias *cit. par. 7. cap. 1. nu. 116. 117. & 118.* & Barbosa *cit. Clausul. 84 n. 5. & 6. & 11.* allegans alios, & multiplicem Decisionem Rotæ. Prior pars ex eo liquet: quia Papæ nec deest potestas derogandi statutis Ecclesiarum, *cap. 1. de Constit. in 6. & cap. Licet Ecclesiarum 2. de Præb. in 6.* cum similibus. Nec voluntas, stante clausula illa: hæc quippe expressis verbis continet claram intentionem Papæ, volentis pro ea vice derogare statutis Ecclesiæ; cui Rescriptum porrigi debet.

119 Altera verò pars desumitur ex *cap. cùm dilectus 28.* juncta Glossa ℣. *Quempiam præsentare, circa fin. de Jurepatronat.* Siquidem Papa per clausulas generales non intendit præjudicare, nec derogare piis fundationibus, seu legibus in earum limine appositis, ne Fideles retrahantur à fundationibus, & ordinationibus Beneficiorum. Glossa *loc. cit.* Garcias *cit. cap. 1 nu. 118.* allegans Rotam *in Forolivien. Capellaniæ 10. Maii 1589 coram Dom. Seraphino*, & alios.

120 Atque istud procedit non solùm in fundationibus Laicorum, de proprio patrimonio fundantibus Ecclesias, aliaque beneficia Ecclesiastica; sed etiam in fundationibus Clericorum, jus patronatus duntaxat Ecclesiasticum habentium: prout contra nonnullos alios, tenet Felinus *cit. cap. Nonnulli num. 23. de Rescript.* & Garcias *d. par. 7. cap. 2 num. 120. & 121.* Accedit ratio: tum quia etiam fundatio Clerici facta ex bonis Ecclesiasticis, est multum favorabilis; sicque non censetur ipsi derogatum, nisi de fundatione fiat expressa mentio. Tum quia primæva fundatio, sive ordinatio in eadem posita, propriè non solet dici *Statutum*; sicque sub generali derogatione Statutorum non venit, prout argumentatur Garcias *cit. n. 121.*

121 Resp. II. Quando in clausulis derogatoriis etiam apponitur ly, *Non obstantibus fundationibus &c.* derogatur quidem fundationibus Clericorum, atque qualitatibus, seu requisitis ipsarum; non verò fundationibus Laicorum, seu factis ex bonis patrimonialibus, nisi de iis fiat expressa mentio. Ita Glossa *c. cùm Dilectus ℣. Quempiam præsentare, de Jure patronat.* & alia Glossa *in Clem. 2. vers. Apostolicis, de Præbend.* Garcias *loc. cit. numer. 122.* Fagnanus *capit. Quoniam, numer. 10. & 11. de Jurepatron.* cum aliis generaliter docens, quod Papa non censeatur velle derogare juripatronatus Laicorum, nisi hoc exprimat.

122 Accedit ratio, simulque disparitas inter utramque partem Conclusionis. Quia Laici acquirunt juspatronatus ratione proprii patrimonii, quo fundaverunt, construxerunt, vel dotarunt Ecclesiam, aut Beneficium: unde, ne alii retrahantur à faciendis similibus piis fundationibus, neque consultum est, neque Papa præsumitur velle eisdem quoquo modo derogare, nisi illud clarè exprimat. Secùs dicendum de Clerico, seu Patrono Ecclesiastico, qui beneficium fundavit non ex proprio patrimonio, sed ex bonis suæ Ecclesiæ, cæteroquin jurisdictioni Papæ specialiter jam subjectis. Verùm de Jurepatronatus, & qualiter acquiratur, plura inferiùs in proprio *Tit. 38. De Jurepatronatus.*

§. V.

De collatione Beneficiorum: ubi plura de collatione Ecclesiarum Parochialium per concursum.

SUMMARIUM.

123 *Beneficia Ecclesiastica tribus potissimum modis conferuntur.*
124 *Acquiruntur etiam nonnullis aliis modis: & quibus?*
125 *Quæ requirantur ad legitimam provisionem, seu collationem beneficii? Et n. seqq.*
Provisio est nomen latum, comprehendens sub se omnes modos providendi Ecclesiis &c. Ibid.
Provisio idem est, ac collatio. Ibid.
126 *Collatio beneficii debet esse canonica.*
127 *Ac celebrata juxta formam à Jure communi, statuto, aut consuetudine &c. præscriptam.*
Forma dat esse rei. Ibid.
128 *Collatio beneficii debet fieri gratis: alioquin erit simoniaca, & invalida.*
129 *Debet etiam fieri pure: hoc est, sine pacto, conditione &c.*
130 *Et non esse obtenta subreptitiè.*
131 *Debetque fieri intra debitum tempus; & quale?*
132 & 133 *Quibus conferenda sint beneficia Ecclesiastica? Remissivè.*
134 *Quid dicendum de collatione Ecclesiarum Parochialium, per formam Concursus. Et n. seqq.*
135 *Forma Concursus non habet locum in Beneficiis simplicibus, benè tamen in Ecclesiis Parochialibus.*
136 *His vacantibus debet constitui idoneus Vicarius, si opus fuerit.*
137 138 139 & 140 *Et quæ alia quoad formam Concursus præscripserit Concilium Tridentinum?*
141 *Dantur nonnullæ Ecclesiæ, etiam Parochiales, in quarum provisione non requiritur forma examinis per Concursum. Et n. seqq.*
Ut si Ecclesiæ Parochiales sint omnino pauperes; vel timeantur factiones, &c. Ibid.
142 *Item Vicariæ perpetuæ Parochialium unitarum Ecclesiis, Collegiis &c.*
143 *Aut Monasterii Regularium: ubi de iis nonnulla specialia habentur.*
144 *Item Dignitates curam animarum habentes in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis.*
145 *Ac Beneficium curatum, quod verè Dignitas est.*
146 *Sicut & in permutationibus Parochialium ecclesiarum non requiritur examen per formam concursus.*
Et an aliud examen permutantium tunc requiratur? Ib.
147 *Ecclesiæ Parochiales jurispatronatus Laicorum, etiam non conferuntur per formam concursus. Et n. 138.*
Alii casus, in quibus cessat necessitas examinis per formam concursus. Remissivè. Ibid.
148 *Provisiones, præter & contra formam præscriptam factæ, nullius sunt roboris, ex Constitutione B. Pii V.* In conferendis.
149 *Et in quibus Diœcesibus hæc Constitutio locum habeat?*

123 Quæritur I. Quibus modis generatim conferantur beneficia Ecclesiastica? Resp. breviter, id fieri potissimum tribus modis. Primò, per Electionem canonicam, seu legitime celebratam à Capitulo, vel aliis, quorum interest, atque à Superiore confirmatam: & de hac dici solet, atque ex professo jam dictum est suprà *lib. 1. tit. 6. De electione*, per totum. Secundò, per

per Præsentationem præviam, & institutionem in beneficio factam à Prælato: de quo modo conferendi beneficia Ecclesiastica, dicetur inferiùs partim *tit. 7. De Institutionibus*, partim *tit. 38. De Jurepatronatus*. Tertiò, per Collationem liberam: quando videlicet beneficium solo jure Prælati liberè, seu absque prævia Capitulari electione, vel alterius præsentatione, cuipiam idoneo Clerico confertur: & de hoc agitur impræsentiarum, junctis dicendis infrà *cit. tit. 7. De Institutionibus*, & *tit. 8. De Concessione præbendæ &c.*

124 Dicitur notanter in Conclusione, *tribus potissimum modis*. Quamvis enim hi tres sint communiores; & præcipue usitati modi, quibus beneficia Ecclesiastica conferri, obtinerique solent: unde hac de causa communiter Beneficia dividuntur in electiva, patronata, & collativa seu libera, ut jam superiùs *n. 39.* dictum est, nihilominùs Beneficia etiam acquiri possunt, & quandoque acquiruntur aliis modis: utputà, per Postulationem, de qua dictum est suprà *lib. 1. tit. 5. De Postulatione Prælatorum*, per totum. Item, per Resignationem, secuta Beneficii resignati collatione per Ordinarium alteri facta; de qua, & qualiter fieri debeat, pariter *cit. lib. 1. tit. 9. De Renunciation.* ex professo tractatum fuit. Item mediante Beneficiorum permutatione, juxta dicenda inferius *tit. 19. De Rerum permutatione*. Tacetur specialis modus acquirendi Episcopatum per Translationem; de quo superiùs *lib. 1. titulo 7. De Translatione Episcopi*, fusius actum est: nec non modus acquirendi Beneficia ad Primas preces Imperatoris & hujusmodi. Nisi placuerit hos ipsos conferendi beneficia modos reducere ad unum priorum trium, conformiter dictis supra, *lib. 1. tit. 6. de electione num. 9.*

125 Quæritur II. Quæ requirantur ad legitimam provisionem, seu collationem Beneficiorum? Ubi prænotandum cum Glossa *in Clem. ult. vers. Provisioni, de Election.* quod *Provisio* sit nomen satis latum, & veluti genus comprehendat sub se omnes modos; per quos providetur cuipiam de Beneficio, ipsique Ecclesiæ de idoneo Rectore: unde complectitur sub se Nominationem, Postulationem, Præsentationem, Collationem; estque ampliùs dictum suprà *lib. 1. tit. 6. De Electione, nu. 16.* Atque in hoc sensu Glossa *cap. Eum cui, in Casu, de Præbend. in 6.* asserit, quod *idem est Provisio, quod Collatio*; juxta textum ibidem, quo Canonicatus cuipiam à Sede Apostolica *collatus*, postea *provisionis* ordine dicitur ipsi concessus. Idem tradit Glossa *in Clem. un. ℣. Conferantur. de Rerum permutat.* passim recepta. Quo prænotato

126 Resp. I. Generatim loquendo ad legitimam provisionem, seu collationem beneficii Ecclesiastici, requiritur, quod sit *Canonica*; hoc est, facta juxta præscriptum Sacrorum Canonum; videlicet, sine vitio conferentis, recipientis, & formæ. Ita Jo. Andreas *c. Constitutus nu. 2. de Filiis Presbyter.* & alii. Siquidem, ut habet Reg. 1. Jur. *in 6. beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri*: juncta Reg. 64. eod. in 6. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, cum concordantiis.

127 Resp. II. Deinde in collatione, seu quacunque provisione Beneficiorum, oportet observare formam à Jure communi, vel statuto, aut consuetudine, vel fundatione præscriptam: alioquin nulla erit. Ita communis; ac signanter Garcias *par. 9. de Beneficiis, cap. 1. nu. 1.* post Puteum *Decis.* 338. *lib. 1.* & alios. Siquidem forma dat esse rei, *l. Julianus, §. Si quis rem ff. Ad exibendum*. At forma non servata, corruit actus, *cap. Quia propter 42. §. Aliter de Election. & can. Sine exceptione 12. quæst. 2. & cap. cùm dilecta 22. de Rescript.* cum similibus; & latè tradit Everardus *in Loco. A defectus formæ numer. 2. & 3. ac seqq.* Garcias *cit. part. 9. cap. 1. num. 1.* & alii. Cæterum, quænam forma in specie sit observanda in provisione Beneficiorum per viam electionis, postulationis, renunciationis, seu permutationis, ac hujusmodi, in propriis locis, imò & sub specialibus Titulis, commodius explicari solet. Generatim autem loquendo

128 Resp. III. Ad quamcunque provisionem, seu collationem beneficii Ecclesiastici, vel maxime requiritur, ut fiat gratis: hoc est, non pretio, pecunia, seu mercede temporali interveniente, *can. Si quis dator. & can. Si quis objecerit & can. Salvat. 1. quæst. 3.* cum innumeris concordantiis. Alioquin quippe contraheretur simonia, qua provisio Beneficii vitiatur, ipsoque jure invalida existit ejus acquisitio, *can. Ea quæ 1. qu. 3. & Extravag. cùm detestabile, de Simon. inter Commun.* cum similibus; atque amplius dici solet *Tit. de Simonia.*

129 Insuper requiritur, ut collatio, & quævis provisio beneficii Ecclesiastici, fiat purè: id est, sine pacto, conditione ac modo, privata partium conventione adjecto: alioquin pariter censeretur simoniaca, & nulla, *c. Super eo 7. de Transact. & c. cùm pridem 4. & c. cùm Clerici 6. de Pactis*, cum concordantiis. Nam, ut *c. Quæsitum 5. de Rerum permutat.* legitur, *Pactio, circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ.* Ac proinde meritò *cap. ult. de Pactis*, dicitur: *Pactiones factæ pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cùm in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti.* Videantur plura de hoc superiùs *lib. 1. tit. 9. De Renunciatione, §. 4. numer. 75. & seqq.* ubi hoc ipsum exemplificatur, simulque *num. 81. & seq.* declaratur clausula illa, *privata partium conventione adjecta.*

130 Ulteriùs requiritur, ut collatio Beneficii non sit obtenta subreptitie; hoc est, per expressionem falsitatis, aut suppressionem veritatis de jure exprimendæ: alioquin ipsa non tenet, ac nullius existit momenti, *c. cùm adeò 17.* juncta Glossa *℣. De præbenda, & ℣. Nec Clericus, de rescript. & c. ad audientiam 13. eod. & Clem. de Præbend.* cum similibus estque ex professo dictum suprà *lib. 1. tit. 3. de Rescriptis, §. 7. n. 70. & 71. ac seqq.*

131 Resp. IV. Ad validam provisionem, seu collationem Beneficii etiam requiritur, ut fiat intra debitum tempus: hoc est, intra tres menses, loquendo de Ecclesiis Cathedralibus, & Regularibus Prælato perpetuo vacantibus: vel intra semestre, à die notæ vacationis computandum, loquendo de cæteris Prælaturis, & Dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis. Textus est *in c. Ne pro defectu 41. de Election. & c. Nulla 2. & c. quia diversitatem 5. §. fin. de Concesson. Præbend.* juncto *cap. Licet 3. de Supplend. negligent. Prælat.* estque uberius dictum suprà *lib. 1. tit. 6. de electione, §. 11. n. 278. usque ad nu. 282. & tit. 10. De supplenda negligentia Prælatorum num. 22. 23. & 24.* ibi videatur.

132 Quæritur III. Quibus conferenda sint Beneficia Ecclesiastica? Resp. I. Generatim loquendo, talibus Clericis conferenda sunt Beneficia, præsertim curata, quos commendat *ætatis maturitas, gravitas morum, & litterarum scientia*, juxta textum expressum *c. cùm in cunctis 7. §. 1. de Elect.* Et qui *digne possint Dominica Sacramenta tractare: melius est enim Domini Sacerdoti, paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles*, prout habetur *can. Tales, dist. 23* Quique personaliter residere in loco beneficii, & curam ejus per seipsos valeant exercere, *c. Quia nonnulli 3. de Clericis non resident.* cum concordantiis.

133 Resp. II. Loquendo magis in specie, quænam ex parte promovendorum ad beneficia Ecclesiastica, tum curata, tum non curata (puta, ad obtinendos Episcopatus, Ecclesias Parochiales, vel Vicariatus perpetuos, sive ad Dignitates, Personatus, Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, ipsaque beneficia simplicia) requirantur, in propriis locis jam dictum est. Præsertim verò de his copiose, simulque ex professo, actum fuit suprà *lib. 1. tit. 6. de Electione, §. 9. De qualitatibus Eligendorum*, per totum; & *tit. 14. de Ætat. Qualitate, & ordine Præficiendorum*, pariter per totum: ubi proinde videri poterit.

134 Quæritur IV. Quid dicendum de collatione Parochialium Ecclesiarum per formam Concursus. Resp. I. Cùm maximè expediat animarum saluti, eas à dignis & idoneis Parochis gubernari; hinc ut istud diligentius ac rectius perficiatur, Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 18. de Reform.* pro assumendis ad regimen Parochialium Ecclesiarum, novam formam examinis *per concursum* (sic vocant) præscripsit, consistentem in sequentibus.

135 Et primò, quidem Sancta Synodus statuit, ut examen hujusmodi servetur in omnibus Ecclesiis Parochialibus, etiamsi cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dica-

catur, aut per unum vel plures administrentur, per obitum, vel resignationem vacantibus: *etiamsi ipsa Parochiali Ecclesia reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter &c.* Secùs dicendum de Beneficiis simplicibus; nam horum collatio non indiget prævio examine per concursum: unde nec ipsorum meminit Concilium præfatum. Aloys. Riccius *par. 1. Praxis Fori Ecclesiast. resol. 362.* Barbosa *par. 3. de offic. & potest. Episcop. alleg. 60. nu. 36.* citans Rotam *in una Calaguritana reduction. Motus proprii 29 Martii 1592. coram Illustriss. Seraphino inter hujus impressas decis. 942. n. 6. & 7.*

136 Secundò statuit, ut occurrente Parochialis Ecclesiæ vacatione *debeat Episcopus statim, habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur.* Ita Concilium Ubi ly, *si opus fuerit*, additum fuit ad excludendum casum quo in eadem Ecclesia adessent alii Ministri Sacramentorum, qui intereà curam illam, quæ ad defunctum spectabant, exercerent &c. Garcias *par. 9. de beneficiis, cap. 2. nu. 13.* allegans Declarationem Sacræ Congregationis Concilii.

137 Tertiò idem Concilium statuit, „ ut Episcopus, & qui juspatronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus, ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet, aut pro regionis more, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab episcopo, sive eo impedito, ab ejus Vicario Generali, atque aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus &c. „ in Synodo Diœcesana proponendis, & approbandis, atque habilitatis juxta præscriptum citati Concilii Tridentini.

138 Quartò statuit, ut *peracto examine renuncientur quicunque ab iis idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, ex hisque episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri collatio ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.*

139 Quintò præscripsit Concilium, quid observandum sit, quando Ecclesia Parochialis est jurispatronatus Ecclesiastici, vel Laicalis, illis verbis. „ Si verò jurispatronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad episcopum, & non ad alium pertineat, is quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cùm verò institutio ab alio, quam ab episcopo, erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si juspatronatus Laicorum fuerit, debeat qui à patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti. „ Hæc ibi. Unde patet notabile discrimen inter juspatronatus Ecclesiasticum, & Laicale; nam in illo præmittendum est examen plurium, seu per formam concursus; secùs in isto, ubi solus ille, qui à Patrono laico præsentatus est, examinari debet, atque admitti, si dignus repertus fuerit. Ratio hujus disparitatis habetur suprà *n. 121. & 122.*

140 Sextò statuit Concilium, ut in *omnibus supra dictis casibus non cuiquam alteri, quam uni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis, juxta suprà dictam regulam provideatur*: atque Examinatorum relationem nulla devolutio, vel appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam impediat, aut suspendat &c. *Alias provisiones omnes, seu institutiones, præter suprà dictam formam factæ, subreptitiæ esse censeantur: non obstantibus &c.* prout ampliùs, & quidem fusissime, allegatis pluribus Sacræ Congregationis Declarationibus, & Rotæ Decisionibus, atque Constitutione 33. B. Pii V. quæ incipit, *In conferendis*; edita 1566. 15. Cal. April. declarat Nicol. Garcias *part. 9 de Beneficiis, cap. 2. per totum*, & Barbosa *part. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 60. num. 13. & seqq. & par. 1. de Offic. Parochi, cap. 2. per totum*, citans alios. His adde dicenda inferiùs *n. 148. & 149.*

141 Resp. II. Dantur nihilominùs quædam ecclesiæ, etiam Parochiales, in quarum provisione, seu collatione, non requiritur forma examinis per concursum. Ita communis, & patet Inductione. Imprimis enim Concilium Tridentinum *cit. Sess. 24. cap. 18. circa fin. de reform.* hinc excipit Ecclesias Parochiales pauperes, aut factionibus, dissidiis, vel gravioribus rixis, aut tumultibus expositas, illis verbis: „ Si tamen adeò exigui redditus dictæ Parochialis fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant; aut nemo sit, qui se examini quærat subjicere; aut ob apertas factiones, seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixæ, ac tumultus possint excitari: poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen, cæteris tamen, ut suprà, servatis, adhibere. *Hæc ibi.*

142 Deinde à præfato Concursu exceptæ sunt Vicariæ perpetuæ Parochialium unitarum, seu incorporatarum aliis ecclesiis, Monasteriis, Beneficiis, Collegiis, vel Locis piis, in quibus non propriè Parochus, sed Vicarius ponendus est. Hujusmodi quippe Vicariæ non conferuntur per concursum; sed solùm ad nominationem, seu præsentationem illorum quorum Dignitati, ecclesiæ, vel Monasterio &c. Parochialis unita est, Vicarii, prævio Ordinarii examine, sunt instituendi. Ita Garcias *cit. par. 9. cap. 2. n. 289. & seqq* Barbosa *part. de Offic. & potest. Episcop. alleg 60. nu. 31. & 32.* citans plurimos alios; estque communis. Sic quippe voluit, ac mandavit B. Pius V. in Constitut. 47. *Ad exequendum* (quæ refertur Tomo 2. Bullarii Romani) ubi §. 4. sic loquitur; *Volumus insuper, & ita mandamus, quod dicti Vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum, seu unitis eorum Vicariorum prævio examine, & approbatione deputentur* Hæc ibi.

143 Et specialiter de Regularibus loquendo, subjungit Pontifex *ib. §. 5* in hæc verba: „ Et si dictæ Parochiales unitæ erunt Monasteriis Regularium mendicantium, possint à Superioribus dictorum Monasteriorum nominari ex ipsis Mendicantibus, quos si Ordinarii prævio examine per se, aut eorum Vicarios faciendo idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, & ita pro idoneis approbaverint, teneantur in Vicarios, ad nutum tamen Superiorum suorum amovibiles, deputare. Idemque etiam servetur in Regularibus Monachis tantùm, dummodo in ea Parochiali, in qua unus ex Monachis fuerit, servata forma prædicta, Vicarius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis Monachis. „ Hactenus Pontifex, apertè præmissis verbis determinando, quod in collatione Parochialium unitarum aliis ecclesiis, Collegiis, Monasteriis &c. non requiratur forma examinis per concursum. Nec immeritò: nam propter unionem perpetuo factam ecclesia Parochialis censetur accessoria alteri ecclesiæ, Collegio, Monasterio &c *c. Extirpandæ 30. §. qui verò, h. t.* Atque per se nunquam censetur vacare juxta *Clem. un. §. Quidam etiam Ecclesias de Excessib. Prælat.* Sed assumit naturam, consuetudines & privilegia principalis, cui est annexa. Glos. *cap. un. ℣. Uniendo. Ne Sede vacante &c.* Simulque in ea tantùm attenditur qualitas, & natura Beneficii principalis; non autem accessorii, *arg. Clem per litteras de præbend.* juncta Reg. 42. Juris in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*; & amplius dicetur infrà *tit. 12. ut Ecclesiastica beneficia &c. § 3. n. 44. 45. & seqq.* Sicque Concilium Tridentinum, requirens formam concursus in collatione ecclesiarum Parochialium, non habet locum in ecclesiis hujusmodi, postquam perpetuo & accessoriè, fuerunt unitæ aliis Ecclesiis, Collegiis, Monasteriis &c. horumque naturam & qualitates assumpserunt.

143 Tertiò, Dignitates curam animarum habentes in cathedralibus, vel Collegiatis ecclesiis, pro sua collatione non requirunt formam examinis per concursum, à Concilio Tridentino *cit. sess. 24. cap. 18. de refor.* præscriptam. Siquidem Concilium *loc. cit.* non loquitur de Dignitatibus, & ecclesiis Collegiatis, neque harum expressam mentionem facit: prout fecit alibi, ubi voluit, Fagnanus *c. cùm sit ars n. 19. & 22. ac seqq. de Ætat. & qualit. &c.* asserens, ita sensisse Sacram Congregationem Concilii, hujusque sententiam à Sanctissimo fuisse approbatam.

Si-

145 Similiter Beneficium curatum, quod verè Dignitas est, non esse conferendum per concursum: tradit, at- que decisum refert Barbosa *cit. par. 3. de Offic. & potest E- pisc. alleg. 60. n. 20.* Idemque dicendum de Dignitate, quæ Parochialem sibi perpetuò accessoriè unitam habet. Barbosa *loc. cit. n. 25. & seqq.* casus allegans. Garcias *d. par. 9. cap 2. n. 193.* referens declarationem Sacræ Con- gregationis: & concordant dicta *n. 142. & 143.*

146 Quartò, in permutationibus ecclesiarum Parochia- lium non requiritur examen per formam concursus: non enim possunt conferri, nisi permutare volentibus, *Clem. un. de rerum permutat.* Imò, quod in permutationibus ec- clesiarum Parochialium non requiratur aliquod examen, decisum esse à Sacra Congregatione, refert Garcias *cit. cap. 2. n 165. V. quarta*, & Barbosa, *ubi suprà n. 23.* Ea tamen adjecta limitatione; ut si adsit magna inæquali- tas numeri Parochianorum, vel permutantes non fuis- sent examinati eo tempore, quo Parochiales Ecclesia adepti sunt, tunc examinandi sint, sed absque concur- su; ac similiter, si fiat permutatio cum beneficio simpli- ci, tunc necessarium sit examen, sed absque concursu.

147 Tacentur Ecclesiæ Parochiales, quæ sunt jurispatro- natus Laicorum; nam has non conferri per concursum, ultro decrevit Concilium Tridentinum *loc. cit.* estque jam dictum supra *n. 139.* Taceanturque nonnulli alii casus, in quibus cessat necessitas examinis per formam concursus, quorum universim enumerat novemdecim Barbosa *d par. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 69. à nu. 18. usque ad n. 39.* Nam cæteri vel commodè reducuntur ad unum præmis- sorum, vel sint minùs notabiles.

148 Pro coronide hujus Quæstionis sciendum est, quòd B. Pius V Constitut. 33. quæ incipit, *In conferendis* (atque refertur *Tom. 2. Bullarii Romani*) auctoritate Apostolica; *omnes & singulas collationes, provisiones præter & contra for- mam à Concilio Tridentino, præsertim in examine per con- cursum faciendo, præscriptam factas aut in futurum facien- das, nullas, irritas, ac nullius roboris vel momenti fore & esse, nullumque provisis jus, aut titulum etiam coloratum possidendi præbere, & Parochiales Ecclesias hujusmodi, ut priùs ante collationes hujusmodi vacabant, ex nunc vacare sta- tuerit, decreverit, & declaraverit &c.* easque sic vacantes Sedis Apostolicæ dispositioni reservaverit: pront pate- bit legentibus citatam Constitutionem §. 3.

149 Sciendum tamen: quod Gregorius XIII. (prout re- fert Garcias sæpe *cit. par. 6. c. 2. n 4.*) audita relatione Congreg. responderit, dictam Constitutionem B. Pii V. non habere locum nisi in his Diœcesibus, in quibus fuit coacta Synodus Diœcesana: & in eis juxta formam *cap. 18. sess. 24.* fuerunt deputati Examinatores.

§. VI.

De potestate conferendi Beneficia respectu Papæ, ejusque Legati: ubi & de Mandatis Apostolicis de providendo.

S U M M A R I U M.

150 *Papa de Jure communi habet potestatem conferendi om- nia beneficia ecclesiastica totius Mundi.*
Horumque omnium plenaria dispositio pertinet ad Pa- pam, ibid.
151 *Papa tribus potissimum modis solet conferre beneficia. Et n. seqq.*
152 *I. Jure præventionis, concedendo cuipiam Gratiam ex- pectativam.*
153 *Atque istud est speciale in Papa.*
154 *II. Jure concursus.*
155 *Et quid si tam Papa, quam Collator ordinarius, di- versis contulerunt idem beneficium?*
156 *Origo concordatorum Germaniæ.*
157 *III. Jure devolutionis.*
158 & 159 *Potestas conferendi Beneficia vacantia devol- vitur ab inferioribus, propter eorum negligentiam, regulariter ad proximum Superiorem, & gradatim ad Papam: & cur?*
160 *Limitatur istud in nonnullis casibus. Et n. seqq.*
161 *Sic, ubi collatio beneficii spectat ad Episcopum, isto ne- gligente conferre, devolvitur collatio illius ad Capi- tulum, non ad superiorem.*
162 *Restringendo istud ad Beneficia, quæ pertinent ad col- lationem episcopi jure proprio; non ex privilegio, de- legatione, seu jure devolutionis? & cur?*
163 *Si Canonici ecclesiæ Cathedralis scienter eligant indi- gnum in episcopum, aut non servata debita forma &c. electio non devolvitur ad proximum Superiorem, sed immediatè ad Papam.*
164 *Secùs dicendum in ecclesiis inferioribus.*
165 *Imò & priùs limitatur, quando aliqui de Canonicis Ca- thedralibus contradixerunt electioni indigni in Epi- scopum &c.*
166 *Ab episcopo exempto non devolvitur potestas conferendi beneficia ad Archiepiscopum, sed immediatè ad Pa- pam.*
167 *Mandatum Apostolicum super collatione beneficiorum, quid, & quotuplex? Et n. seq.*
Vocatur alio nomine, Mandatum de providendo *ibid.*
168 *Continet quandoque* Gratiam factam, *quandoque* Gratiam faciendam: *quando dicitur* Gratia expe- ctativa.
169 *Mandata Apostolica de providendo, quædam dantur in* Forma pauperum, *seu in* Forma communi; *& an hæc sint Rescripta justitiæ, vel gratiæ?*
170 *Alia expediuntur* in Forma, Dignum; *vel:* Rationi congruit: *vel in* Forma gratiosa; *& quæ?*
171 *Huc accedit* Motus proprius.
172 *Litteræ Apostolicæ super beneficiis litigiosis, aliæ dicun- tur,* Si alteri, *aliæ,* Si neutri, *aliæ,* Si nulli: *& quæ?*
173 *Litteræ Apostolicæ,* Perinde valere, *quæ?*
174 *Legatus Sedis Apostolicæ an possit conferre beneficia va- cantia in sua Provincia, vel imposterùm vacatura suæ collationi reservare? Remissivè.*

Quæritur I. An, & quibus modis Papa possit, ac so- leat conferre beneficia Ecclesiastica? Resp. I. Pa- pa, sive Pontifex Romanus, de Jure communi habet potestatem conferendi omnia Beneficia totius Mundi. Ita communis Canonistarum, & Theologo- rum. atque habetur expressum *c. 2. de præbend. in 6.* illis verbis: *Licet ecclesiarum, personatuum, dignitatum, alio- rumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Ro- manum noscatur Pontificem pertinere, ita quod non solùm ip- sa cùm vacant, potest de jure conferre, verùm etiam jus in ip- sis tribuere vacaturis &c.* Concordat *Clem. un. §. fin. ut lite pendente &c.* ubi pariter ad Romanum Pontificem *Eccle- siarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque beneficio- rum ecclesiasticorum plena & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine, noscitur pertinere.* Unde receptum dictum Glossæ *in c. cùm nullus, V. In eadem, de Tempor. Ordin. in 6.* quod Papa sit *Ordinarius Ordinariorum*; habens concur- rentem potestatem cum omnibus Ordinariis, *can Cuncta per mundum 9. quæst. 3. & cap. ultim. de Foro compet.* cum similibus. 150

Resp. II. Tribus potissimum modis Papa solet conferre beneficia; videlicet, jure præventionis, jure concur- sus, & jure devolutionis. Ita Rebuffus *in Praxi benefi- ciorum, tit. de devolution. n. 46. 47. & seqq.* Laym. *lib. 4. Theolog. Moral. tract. 2. cap. 10.* Sannig *h. t. cap. 5. nu. 4.* & alii. Et quidem 151

Jure præventionis id contingit, quando Papa cuipiam confert Gratiam expectativam ad beneficium primò va- caturum: ut *cit cap. 2. præbend. in 6.* ubi dicitur, quod Romanus Pontifex possit *etiam jus in ipsis* (Beneficiis) *tribuere vacaturis*: prout & factum esse, legitur *in c. Du- dum 14. h. t. in 6* cum similibus. Cæterùm ad præfatum modum conferendi Beneficia jure præventionis, redu- cuntur diversæ reservationes collationis certorum Bene- ficiorum, quæ tum in Jure communi, tum in Regulis Cancellariæ, aliisque Constitutionibus Apostolicis con- tinentur; prout infrà §. 13. & 15. & 16. *per totum*, ex professo dicetur. 152

Atque istud, seu posse conferre beneficium Ecclesia- sticum jure præventionis, est speciale privilegium Papæ competens ob plenitudinem suæ potestatis; neque alteri cui- 153

cuipiam concessum est, beneficium, seu præbendam nondum vacantem certæ personæ promittere, & ad eam jus dare, *c. Relatum, & Ex tenore, de concession. præ- bend. & c. Detestandæ, eod. in 6.* juncto Concilio Triden- tino *Sess. 24. cap. 19. de reform.*

154 *Jure concursus* Papa confert Beneficium, quando illud confert concurrendo cum aliis Collatoribus præter desi- diam ipsorum: hoc est, quando ideò alicui providet de Beneficio, eò quòd concurrentem cum quolibet Ordina- rio, seu Collatore inferiore, potestatem conferendi ha- beat, per Jura *n. 150.* allegata. Unde Summus Ponti- fex potest quælibet totius Orbis beneficia Ecclesiastica pro suæ potestatis plenitudine conferre, etiamsi nulla in- terveniat negligentia inferioris Collatoris Ordinarii. Quamvis enim huic Papa potestatem conferendi Benefi- cia dederit, sibi tamen majorem reservavit, *c. Dudum 14. §. Nos igitur, de Præbend in 6.* ubi Pontifex sic loqui- tur: *Etsi memorato Episcopo prædictam concessimus potesta- tem, penes Nos tamen nihilominùs remansit major.*

155 Unde sciendum conformiter *c. Si à Sede 31 de præbend. in 6.* quod inter Papam, & inferiores Collatores ordina- rios, detur locus præventioni ita, ut qui prior tempore contulit, ejus collatio rata sit, juxta *Reg. 54. Jur. in 6.* cum concordantiis. Quod si idem Beneficium à Papa uni, & ab ordinario Collatore alteri eodem die sit colla- tum, nec appareat, quæ collatio fuit primò facta, erit potior conditio possidentis: aut si neuter possideat, præ- fertur is, cui Papa, vel ejus Legatus contulit benefi- cium; idque propter conferentis ampliorem prærogati- vam. Textus est *in cit. c. Si à Sede h. t. in 6.*

156 Quia verò occasione horum frequentes olim in Germa- nia suboriebantur controversiæ, seu difficultates, dum Papa uni, collator ordinarius, adhuc ignarus collatio- nis Papalis, idem Beneficium contulit alteri: hinc, ad evitandas ulteriores ejusmodi difficultates, inter Nico- laum Papam V. ex una, & Fridericum Imperatorem, Inclytamque Nationem Germanicam ex altera partibus 1447. erecta sunt *Concordata Germaniæ*, certa Beneficia collationi Sedis Apostolicæ reservantia, cætera vero li- beræ collationi ordinariorum collatorum relinquentia: quæ referuntur *tom. 1. Bullarii Romani, Constitut. 1. dicti Pontificis*, quæ incipit, *Ad Sacram Petri Sedem*, atque infra §. 18. allegabuntur.

157 *Jure devolutionis* tandem beneficia Ecclesiastica confe- runtur à Papa, quando propter negligentiam collatorum inferiorum, intra debitum tempus beneficium vacans non conferentium, vel ob moram eligendi ad illud, ta- lis potestas ab inferioribus devolvitur ad Summum Pon- tificem. Quod ut melius intelligatur

158 Quæritur II. An, & qualiter potestas conferendi Be- neficia vacantia, devolvatur ab inferioribus ad Papam? Resp. I. Certum est, quod propter negligentiam confe- rendi, vel moram eligendi, talis potestas ab inferiori- bus devolvatur ad Summum Pontificem. Patet enim hoc ex *c. cùm accessissent 8. §. 1. de Constitut.* ubi Pontifex sic loquitur, *Cùm Canonici nostris auribus intimassent, quod Primiceriatus in Tullensi Ecclesia tanto tempore vacavisset, quod ad manus nostras illius personatus esset donatio devoluta*, Concordat *c. quamquam 18. de Election. in 6.* ibi: *Non ad dictum Superiorem sed ad Romanum Pontificem potestas ea- dem devolvetur.*

159 Accedit ratio. Quia juxta Concilium Generale, re- latum *cap. Ne pro defectu 41. de Election.* Ecclesiæ Cathe- drales, & Regulares, ultra tres menses vacare, seu Præ- lato carere non debent: alia verò beneficia inferiora in- tra sex menses, à die notæ vacationis computandos, conferenda sunt, juxta Concilium Lateranense, rela- tum *in c. Nulla, De Concession Præbend.* Et hinc fit, quod si ordinarii Electores, vel Collatores, aliquem intra præfatum tempus eligere, aut ei beneficium vacans con- ferre negligant, seu eligant, & conferant illud indigno; ad evitandam damnificationem Ecclesiarum, eo diutur- niori vacatura impendente: simulque castigandum ne- gligentiam Electorum, seu Collatorum ordinariorum, jus eligendi, sive conferendi beneficium regulariter de- volvatur ad proximum Superiorem, v. g. ad Episcopum, qui habebit aliud trimestre, vel semestre, & Episcopo etiam negligente intra tale tempus conferre, devolvetur jus eligendi, vel conferendi ad Archiepiscopum; & ab hoc ad Patriarcham, cui subest; & tandem gradatim ad Summum Pontificem, per Jura proximè allegata: atque ampliùs declarat Abbas *in c. Nulla Ecclesiastica nu. 1. & 7. de Concession. Præbend.* estque communis aliorum. Et tunc censetur Papa ejusmodi beneficium vacans con- ferre jure devolutionis.

Resp. II. Etsi propter negligentiam inferiorum Colla- torum, vel Electorum, intra debitum tempus ecclesiæ, vel beneficio vacanti non providentium, regulariter jus eligendi, vel conferendi devolvatur ad proximum Supe- riorem, & gradatim ad Summum Pontificem; hoc ip- sum tamen fallit in nonnullis casibus, in quibus vel ad Inferiorem, nempe ab Episcopo ad Capitulum, vel im- mediate ad Papam talis potestas devolvitur. Ita commu- nis: & patet inductione. 160

Sic imprimis, quando ad Episcopum spectat collatio beneficii, & ipse ultra debitum tempus conferre distulit; tunc non ad Superiorem, sed ad Capitulum, devolvitur collatio illius beneficii: prout habetur *cap. Nulla 2. §. fin. de Concession. Præbend.* Idque meritò statutum fuit pro- pter communionem, quæ est inter Episcopum & Capi- tulum; tanquam inter caput & membra ejusdem corpo- ris mystici, *cap. novit. 4. De his quæ fiunt à Prælatis, &c. & cap. Requisisti, §. Secus autem, de testament.* 161

Istud tamen restringi debet ad beneficia, quæ pertinent ad collationem Episcopi jure proprio: non autem ex pri- vilegio, delegatione, seu jure devolutionis ob negligen- tiam inferioris Collatoris. In his enim casibus non fit de- volutio ab episcopo ad Capitulum, sed proximum Supe- riorem; uti notat Abbas *c. Nulla Ecclesiastica n. 6. de Con- cession. Præb.* Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. de Devolutioni- bus n. 22.* Garcias *par. 10. de beneficiis, c. 3. n. 34.* Barbo- sa *par. 3. de offic. & potest. Episc alleg. 126. n. 78.* & alii. Nec immeritò: quia in his non est tanta communio inter episcopum & Capitulum, sicut in spectantibus ad episco- pum jure proprio: estque jam dictum suprà *lib. 1. tit. 10. De supplenda negligentia prælatorum, §. 2. n. 22.* 162

Deinde fallit superiùs data regula, atque immediate ad Papam devolvitur potestas eligendi, quando Canoni- ci Ecclesiæ Cathedralis scienter eligunt indignum in epi- scopum, sicque ipso jure privati existunt potestate eli- gendi; vel quando eorum electio per sententiam infirma- tur, ob canonicam electionis formam non servatam. Tunc enim novi Episcopi electio, non ad Metropolita- num, sed statim ad Romanum Pontificem devolvitur; ut est textus expressus in *c. quamquam 18. de Election. in 6.* 163

Solùm nota, quod istud duntaxat procedat in ecclesia Cathedrali, seu in electione episcopi. Nam, ut in *cit. c. quamquam, in fin. de Election. in 6.* expressis verbis sub- jungitur; *Secùs in inferioribus Ecclesiis est dicendum.* Un- de in istis cassata, vel neglecta electione, seu collatione Beneficii, etiamnum fit devolutio gradatim ad proxi- mum Superiorem. 164

Quin etiam in priori casu notanda est singularis limita- tio; videlicet, nisi pars Canonicorum, etsi minor, contradixerit. Nam quando aliqui de Capitulo, quam- vis pauciores, contradixerunt electioni indigni in Epi- scopum: tunc penes illos pauciores remanet jus eligendi, *c. Gratum 2. de Postulation. prælat.* juncta Glossa *V. paucio- res*, & Abbate *ibid. nu. 5.* Layman *lib. 4. Theolog. Moral. tract. 2. cap. 11 n. 6.* estque jam dictum suprà *lib. 1. tit. 6. de Electione §. 11 n. 160. & 161.* Ac proinde tunc non de- volvitur ad Papam potestas eligendi Episcopum. 165

Fallit ulteriùs dicta regula in Episcopo exempto. Nam, si Episcopus exemptus neglexerit intra debitum tẽpus conferre Beneficium, non devolvitur potestas istud conferendi ad Archiepiscopum; sed immediate ad Sum- mum Pontificem, *arg. cap. Licet, de Supplend. negligent. prælat.* ac notat Abbas *cit. cap. Nulla Ecclesiastica nu. 7. de Concession. præbend.* Rebuffus *in praxi Benefic tit. de Devo- lutionibus n. 36.* post Romanum *Consil. 361.* Barbos. *par. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 126. n. 79.* Garcias *par. 10. de Beneficiis, cap. 3. n. 3.* citans Rotam *in una Toletana por- tionis 9. Decembr. 1559. coram Illust. Mantica* Pirhing *tit. de Concession. Præbend n. 34.* Nec immeritò: quia ille, qui non est superior (prout Archiepiscopus non est superior respectu Episcopi exempti) non potest supplere negligen- tiam alterius: ut *cit. cap. Licet & cap. Sicut, de Supplend. negligent. Prælat.* Excepto Capitulo, quod supplet ne- 166

gli-

gligentiam Episcopi, in collatione Beneficiorum com-
missam: non quidem ratione superioritatis (talem enim
non babet respectu Episcopi) sed propter communio-
nem, quæ est inter Episcopum & Capitulum, juxta
paulò superius dicta; & notat Abbas *loc. cit. n.* 8. Quini-
mò nonnulli volunt, ut Barbosa, & Pirhing, *ubi supra*,
quod in casu Episcopi exempti, & negligentis conferre
intra debitum tempus beneficia, potestas ista conferendi
non ad Capitulum, sed immediatè ad Papam devolvatur.

167 Quæritur III. Quid, & quotuplex sit *Mandatum Apo-*
stolicum super collatione Beneficiorum? Resp. I. *Manda-*
tum Apostolicum, prout impræsentiarum de eo agitur, est
omne Rescriptum, quo Summus Pontifex jubet benefi-
cium Ecclesiasticum cuipiam conferri. Textus est *in*
cap. Mandatum 38. *de Rescript.* ac notat Azorius *par.* 2. *lib.*
6. *cap.* 32. *in princip.* & Pirhing *h. t. nu.* 234. Atque istud
alio nomine appellatur *Mandatum Apostolicum de provi-*
dendo, utpote vi cujus mandat Papa cuipiam provideri
de beneficio.

168 Porrò istud potest variè fieri. Nam quandoque Ponti-
fex actu confert cuipiam beneficium, & solùm mandat
alteri, ut suam collationem exequatur: quandoque au-
tem Papa non confert beneficium, sed alteri committit
potestatem, datque mandatum id conferendi, si expe-
dire judicaverit, vel si supplicans videbitur dignus &c.
Si igitur per sedem Apostolicam cuipiam jam collatum
est beneficium, ac vi talis Mandati Apostolici solùm de-
putantur Executores, tunc illud censetur continere *Gra-*
tiam factam: neque expirat morte Papæ concedentis,
cap. Si super gratia 9. *de Offic. Delegat. in* 6. Si verò non-
dum Papa contulit beneficium, sed istud primùm confer-
ri mandat stante hac, vel illa conditione, tunc manda-
tum ejusmodi censetur continere *Gratiam faciendam*:
qualis expirat morte concedentis, *cap. Si cui nulla* 36. §.
fin. de præbend. in 6. estque jam dictum suprà *lib.* 1. *tit.* 3. *de*
Rescriptis, §. 10. *nu.* 130. *& seqq.* Quod si tandem bene-
ficium Ecclesiasticum, super quo Papa dedit cuipiam
Mandatum de providendo, necdum vacat, sed primum
imposterum est vacaturum: tunc istud censetur contine-
re *Gratiam expectativam*, imò & tali nomine passim ap-
pellatur.

169 Resp. II. Mandata Apostolica, seu Litteræ benefi-
ciales, quæ expediuntur pro beneficiis vacantibus; sunt
in multiplici differentia. Imprimis enim quædam dan-
tur in *Forma pauperum*, seu in *Forma communi*, quibus
nimirum alicui, paupertate ipsius allegata, de beneficio
per Papam providetur. Et hujusmodi Litteræ beneficia-
les, juxta nonnullos (quos sequitur Pirhing *h. t. numer.*
234.) dicuntur *Rescripta justitiæ*: quia videlicet æquum
& justum est, ut pauperi Clerico, & ad Ordines promo-
to, beneficium conferatur, gratis tamen ac liberaliter.
Verius tamen est; eas censeri Litteras gratiosas, haud
obstante, quod procedant de justitia Gloss. *In Extravag.*
Sedes, *Joannis XXII.* ℣. *Gratiæ*, *de Concession. præbend.*
& Rebuffum *in praxi benefic. tit. de rescripto in Forma com-*
muni num. 6.

170 Aliæ Litteræ beneficiales dantur nulla allegata pau-
pertate supplicantis, sicque recensentur inter rescripta
gratiæ. Et hæ vel expediuntur *in Forma*, *Dignum*: dum
videlicet Pontifex litteras suas sic ordiens, *Dignum arbi-*
tramur, mandat, ut alicui beneficium conferatur, si
post diligentem examinationem dignus, seu idoneus re-
periatur. Vel vocantur, *Rationi congruit*, quia tale ini-
tium habent: quales solent dari, quando Papa succes-
sor expediat litteras super collatione beneficiorum, quas
ejus Antecessor voluit, sed morte præventus non potuit
expedire. Azorius *cit. cap.* 32. *quæst.* 5. ℣. *Aliæ litteræ*
appellantur. Vel dantur *in Forma gratiosa*, quando ni-
mirum supponitur, provisum ad Beneficium obtinen-
dum dignum esse, atque idoneum.

171 Huc accedit *Motus proprius*, per quem intelliguntur
Litteræ Apostolicæ, in quibus hæc clausula; *Motu*
proprio, inserta habetur; juxta textum *cap. Si motu*
proprio 23. *de præbend. in* 6. Atque hujusmodi clau-
sula tollit vitium subreptionis, ex taciturnitate ve-
ri alioquin de jure exprimendi proveniens: adeò,
ut valeat provisio de beneficio cuipiam facta per Pa-
pam *Motu proprio*; etiamsi non habeatur mentio de
prioribus beneficiis per ipsum anteà obtentis, prout
cit. cap. Si motu proprio, expresse deciditur.

Resp. III. Insuper Litteræ Apostolicæ super Beneficiis 172
litigiosis obtentæ variis nominibus nuncupantur; idque
fit ratione diversarum clausularum, quas continet, pu-
tà Litteræ, vel Rescripta: *Si alteri*, *Si neutri*, *Si nulli*.
Et quidem, ubi inter duos lite orta super beneficio Ec-
clesiastico, alter illorum à Papa litteras impetrat, ut si-
bi beneficium conferatur, ea conditione, si alteri liti-
ganti jus in beneficio quæsitum non sit, dicuntur *Litte-*
ræ, *Si alteri*. Quod si verò duobus litigantibus, ter-
tius à Papa impetrat litteras, ea conditione, ut si neu-
tri litigantium jus competat, sibi beneficium conferatur:
tunc is dicitur impetrasse *Litteras*, *Si neutri*. Si tandem
tres litigent de beneficio, & alius à Papa litteras obti-
neat, ut si nulli litigantium sit jus in beneficio acquisi-
tum, istud ipsi conferatur, tunc appellantur *Litteræ*,
Si nulli.

His accedunt *Litteræ Apostolicæ*, *perinde valere*: qua- 173
les dantur, quando Papa gratiam à se concessam, v. gr.
factam collationem beneficii, sed aliqua ex causa irritam
(v. g. ob taciturnitatem beneficii anteà obtenti) valere
decernit. Barbosa *tract. de Clausulis*, *claus.* 100. *n.* 4. *ac*
seqq. citans alios; atque subjungens, quod hujusmodi
Litteræ retrotrahantur, & efficiant concessionem vale-
re, quæ subreptitia fuerat. Cætera, quæ concernunt
Mandata Apostolica de providendo, sunt intelligenda
conformiter dictis *lib.* 1. *tit.* 3. *de rescriptis*, *per tot.* nam
etiam ipsa nomine *Rescriptorum* veniunt.

Quæritur III. Utrùm Legatus Sedis Apostolicæ, pu- 17[illegible]
tà, Legatus à Latere, vel etiam Nuntius Apostolicus,
possit conferre Beneficia, quæ in Provincia sibi decreta
tempore suæ Legationis vacant: aut imposterum vaca-
tura, suæ valeat reservare collationi. Resp. De hoc ex
professo jam dictum est suprà *lib.* 1. *tit.* 30. *de officio Legati*,
n. 31. & 33. *ac seqq.* Ibi videatur.

§. VII.

De potestate conferendi Beneficia respectu Episcopi, Capituli Sede vacante, Vicarii Generalis, & Collegii.

S U M M A R I U M.

175 *Post Papam ordinarius collator Beneficiorum suæ Diœcesis, est Episcopus.*

176 *Et quid, si aliquis episcopus fundet beneficium in Diœcesi alterius?*

177 *Episcopus habet fundatam intentionem super institutione, & destitutione Clericorum, in Beneficiis suæ Diœcesis.*

178 *Exceptis beneficiis electivis ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, atque Abbatiis &c.*

179 *Capitulum Sede vacante, an possit conferre beneficium? Et nu. seqq.*

Nequit conferre beneficia libera, quorum collatio pertinet ad solum Episcopum. Ibid.

180 *Collatio beneficii Ecclesiastici est quædam liberalitas, & donatio.*

181 *Neque Capitulum succedit Episcopo in præsentatione, vel electione ad Beneficia, quando hæc pertinet ad episcopum, dum vivit.*

182 *Capitulum episcopo negligente confert beneficia, non verò Sede vacante, & quæ disparitas?*

183 *Periculo ecclesiarum vacantium quomodo tunc sit subveniendum?*

184 *Beneficia devoluta ad Episcopum ratione negligentiæ, vel delicti inferioris, non confert capitulum Sede vacante.*

185 *Solvitur instantia.*

186 *Quando collatio beneficii communiter pertinet ad Episcopum, & Capitulum, mortuo Episcopo (vel effecto inhabili) confert illud Capitulum.*

187 *Et vicissim Capitulo reddito inhabili ad conferendum, confert solus episcopus.*

188 *Secùs, quando collatio beneficii spectat ad solum episcopum; ita tamen, ut is teneatur requirere consilium, vel consensum capituli.*

189 Ca-

189 *Capitulum Sede vacante potest confirmare, aut infirmare electiones, ac præsentatos à Patronis ad beneficia instituere.*

190 *Disparitas inter potestatem instituendi in beneficiis præsentatos, atque confirmandi electos; & inter collationem liberam beneficii.*

Confirmatio, & institutio, sunt jurisdictionis necessariæ: non sic libera collatio. Ibid.

191 *Capitulum Sede vacante, an possit recipere resignationes beneficiorum? Et n. seqq.*

Sententia affirmativa, ejusque fundamentum refertur. Ibid.

192 *Negativa, hujusque rationes adducuntur.*

193 *Solvitur fundamentum affirmativæ.*

A diversis non valet illatio. *Ibid.*

194 *Refertur sententia media, procedens sub distinctione.*

195 *Capitulum Sede vacante potest recipere resignationes beneficiorum, quorum collatio spectat ad capitulum, &c.*

196 *Item resignationes ex causa necessaria; non autem libere ac simpliciter.*

197 *Vicarius Generalis nequit conferre Beneficia ad collationem Episcopi pertinentia, nisi ipsi specialiter fuerit concessum.*

198 *Potest tamen à Patronis præsentatos, vi mandati generalis, & in beneficiis instituere.*

199 *Si jus præsentandi spectet ad Collegium, præsentabit Prælatus de consensu Capituli: alioquin, deficiente hujus consensu, irrita est præsentatio.*

200 *Istud tamen limitatur in certis casibus.*

In pertinentibus ad Prælatum & Collegium simul, sufficit tacitus consensus Collegii. Ibid.

174 QUæritur I. An, & qualiter Episcopo competat collatio Beneficiorum? Resp. I. Post Papam ordinarius collator Beneficiorum in sua Diœcesi, est Episcopus. Ita communis: & patet ex *can. Regenda* 20. *quæst.* 1. & *can. Omnes Basilicæ* 16. *quæst.* 7. & *can. Nullus omnino*, *ead. caus.* 16. *quæst.* 7. ubi Sanctis Canonibus constitutum dicitur, ut *animarum cura in Episcopi potestate permaneat*. Concordat *cap.* 1. *de Capell. Monach.* & *cap. Conquerente* 16. §. *Nos autem*, *de Offic. Ordinar.* & *cap. cùm ex injuncto* 12. §. *fin. de Hæretic.* In quo posteriori loco sic habetur: *Ad cujus* (Episcopi videlicet) *Officium tam institutio, quam destitutio Sacerdotum, noscitur pertinere.*

176 His adde, quod institutio Sacerdotum pertineat ad Episcopum loci etiam in eo casu, quo quis Episcoporum in aliena Diœcesis territorio Ecclesiam ædificavit. Siquidem *omnis Ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum* (Episcopum) *in cujus Civitatis territorio Ecclesia surrexit, pertinebit*, juxta textum expressum *can. Si quis Episcoporum* 16 *qu.* 5. Episcopo autem ædificatori competit solum jus patronatus respectu Ecclesiæ à se ædificatæ, nempe facultas præsentandi idoneum Clericum ad ipsam: sicuti istud competit unicuique Patrono privato. Abbas *c. cùm Ecclesia Vulterana* 31. *n* 8. *de Election.*

177 Resp. II. Adeò ad Episcopum loci de Jure communi spectat collatio Beneficiorum, ut is fundatam intentionem habeat super institutione, & destitutione Sacerdotum, aliorumque Clericorum in Beneficiis suæ Diœcesis: &, si alios illud sibi vendicet, probare debeat, jure speciali id sibi competere. Ita habetur per Jura proximè allegata, ex quibus patet, collationem Beneficiorum suæ Diœcesis, quantum est de Jure communi, pertinere ad Episcopum: ac notat Glossa *in c. quamquam* 18. *vers. Devolvatur*, *de election. in* 6. Abbas *c. cùm ex injuncto nu.* 2. *de hæretic.* & *c. cùm ecclesia Vulterana num* 8. *de election* Jo: de Selva *Tom.* 15. *Tractatuum tract. de beneficiis*, *par.* 2. *quæst.* 22. *n.* 1. & 41. & Garcias *par.* 5. *de Beneficiis cap.* 2. *n.* 235. cum aliis.

178 Hinc tamen oportet excipere Beneficia Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, quæ spectato Jure communi sunt electiva; sicque non per collationem, aut aliam provisionem Episcopi, sed duntaxat per canonicam electionem obtineri possunt: ut *cap.* 1. *de Election.* & *cap. Quia propter* 42. *eod.* cum similibus. Idem dicendum de Abbatiis, juxta *can. Congregatio* 16. *quæst.* 7. *cap. Ne pro defectu* 41. *de Election.* Tacentur nonnulla alia Beneficia, quorum collatio an Jure communi pertineat ad Episcopum, fuse disputant Authores proximè allegati.

Quæritur II. Utrùm Capitulum Sede vacante possit conferre Beneficia? Resp. I. Capitulum vacante Sede Episcopali, non potest conferre Beneficia libera, quorum collatio ad solum Episcopum pertinet. Ita communis; estque clarè decisum *in c. Illa* 2. *Ne Sede vacante* &c. Ubi ejusmodi collatio beneficii, Sede vacante per Capitulum facta, reprobatur, atque irrita declaratur, ea addita ratione: *Cùm nusquam inveniatur cautum in Jure, quod Capitulum vacante Sede, fungatur vice Episcopi in collationibus Prebendarum &c.* Concordat *cap.* 1. *de Instit. in* 6. expressis verbis pronuncians, quod *Capitulum Sede vacante Beneficia, quę ad collationem episcopi pertinent, conferre non possit.* 179

Nec immeritò sic statutum fuit: Siquidem collatio Beneficii Ecclesiastici est quædam liberalitas, & donatio, *c. Relatum* 9. *h. t.* & *c. ult. de Offic. Vicarii in* 6. & *cap. cùm accessissent* 8. *de Constitut.* ibi: *Ad manus nostras illius personatus esset donatio devoluta*: juncto *c. De multa* 28. §. *Is quoque*, *h. t.* & *c. un.* §. *Porrò cum donatio. Ut Ecclesiastica beneficia &c.* Atqui donare de bonis, & juribus Episcopo competentibus, non potest Capitulum Sede vacante; sed tenetur illa Episcopo successori fideliter reservare, *can. Hæc hujus placiti* 2. *qu.* 2. & *c. cùm vos* 4. *de offic. ordin.* & *cap. Quia sæpe* 40. *de election. in* 6. & *Clem. Statutum* 7. *eod.* cum similibus. 180

Atque eadem de causa non succedit Capitulum Sede vacante in præsentatione, seu electione ad beneficia, ubi præsentatio, sive electio pertinet ad Episcopum: ac proinde illud non potest præsentare ad talia beneficia, quando jus præsentandi pertinet ad Episcopum, dum vivit. Glossa *in Clem. un. vers. Conferantur*, *de Rerum permutat.* Joan. Andreas *cap. un. nu.* 2. *de Majorit. & obed. in* 6. Rebuffus *in Praxi benefic. tit. de Devolutionibus numer.* 70. Azorius *par.* 2. *lib.* 3 *cap.* 38. *quæst.* 10. Garcias *part.* 5 *de Benefic. cap.* 7 *nu.* 52. & alii. Nam Verbum *Collatio*, comprehendit etiam *Præsentationem*, juxta Glossam *loc. cit.* & aliam Glossam *c. Eum cui in casu de Præb. in* 6 estque jam dictum suprà §. 5. *nu.* 125. Simulque præsentatio est in fructu, sicut collatio, juxta Glossam *cap. cùm olim* ℣. *Capitulum*, *circa fin. de Majorit. & obed.* Fructus autem beneficii debent reservari futuro Successori, per iura *n. præced.* allegata. 181

Nec obstat primò, quod Capitulum, Episcopo negligente, conferat beneficia ad hujus collationem spectantia, *cap. Nulla* 2. § *Si autem*, *de Concession. Præbend.* Resp. enim, istud procedere duntaxat in casu negligentiæ; sive, quando *Episcopus conferre distulerit*, uti loquitur textus *cit. c. Nulla*. Secùs dicendum in casu Sedis vacantis: tunc enim nulla potest notari negligentia episcopi, Beneficia conferre differentis; hoc ipso, quod *non adsit ibi Superior*, sive episcopus, qui ea posset de facto, vel de jure conferre, prout respondet Pontifex *d. c. Nulla*, *in fin. Ne Sede vacante &c.* 182

Nec obstat secundò periculum Ecclesiarum, quod Sede episcopali diutiùs vacante ipsis immineret, si de novo conferri non possent per Capitulum regnans. Resp. enim, huic periculo alia ratione competenter tunc subveniri posse, ac debere. Siquidem, ubi Beneficium pertinens ad collationem episcopi, Sede vacante contigerit vacare, tenetur Capitulum, seu Vicarius Capitularis ipsius, statim habita notitia vacationis ecclesiæ, idoneum in ea Vicarium, si opus fuerit, cum congrua fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat; donec electo novo episcopo, eidem de idoneo Rectore provideatur: prout in simili casu novissime decrevit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.* Huc quadrat, quod anteà docuit Abbas *cit. cap. Illa num.* 2. & 4. *Ne Sede vacante &c* asserens, in tali casu posse Capitulum interim constituere Oeconomum in ecclesia vacante, vel hanc cuipiam dare in Commendam, prout antiquitus fieri poterat, *can. Qui plures* 21. *quæst.* 1. *c. Nemo deinceps* 15. *de Election. in* 6. donec eligatur novus episcopus: aut si hoc fieri non possit ob certas circumstancias, putà, ob diuturniorem vacaturam, recurrendum esse ad Dominum Papam, veluti Ordinarium omnium. 183

Resp. II. Etiam Beneficia devoluta ad Episcopum ratio- 184

tio-

tione negligentiæ, vel delicti inferiores, non potest conferre Capitulum Sede vacante. Ita Abbas *c. cùm olim nu. 2. vers. Mihi plus placet de Majorit. & obed.* Baldus *c. Ne pro defectu num. 7. de Election.* Rebuffus *in praxi benefic. tit. de Devolutionibus num.* 93. Garcias *par. 5. de beneficiis, cap. 7. num.* 53. Barbosa *tract. de Canonicis, cap. 42. num. 110. § Verùm.* Anton. Flamin Marchettus *in praxi Vicarii Capitularis, par. 2. tit 32. nu. 6. & seqq.* Diana *par. 8. tract. 4. resol. 27.* Azorius *par. 2. lib. 3. cap. 38. quæst.* 6. asserens, hanc opinionem esse recipiendam, eamque videri communem: quamvis oppositum teneat Jo: Andreas *c. Quamquam nu. 1. & 2. de Election. in 6.* ac etiam Abbas, sibi contrarius, *in c. Illa num. 3. Ne Sede vacante &c.* Zerola *in Praxi Episcop. par. 1. vers. Capitulum.* Valensis *tit. Ne Sede vacante num* 4. & nonnulli alii. Ratio Conclusionis est: Tum quia regula stat negative; videlicet, Capitulum Sede vacante non posse conferre beneficia ad collationem Episcopi pertinentia, *cap. Illa 3. Ne Sede vacante &c. & cap. un. §. Cùm verò, eod. in* 6. Nullibi autem ab hac regula reperiuntur excepta Beneficia, quorum collatio spectat ad Episcopum jure devolutionis ob negligentiam, vel delictum inferioris. Tum quia eadem ratio, quæ militat de Beneficiis jure proprio pertinentibus ad collationem Episcopi, pariter urget de Beneficiis devolutis: nam etiam horum collatio sapit aliquam donationem.

185 Dices. Devolutio collationis beneficii ob negligentiam, vel delictum inferioris, pertinet ad jurisdictionem ordinariam episcopi: sed in jurisdictione ordinaria episcopi succedit Capitulum Sede vacante; ergo. Resp. Minorem variè esse limitandam, prout ex professo dicetur infrà *tit. 9. Ne Sede vacante &c. §. 2. & 3.* fermè per totum. Præcipuè verò eadem Minor limitatur in illis, quæ sapiunt gratiam, & alienationem bonorum, seu jurium Episcopalium: uti est collatio beneficiorum, etiam jure devolutionis ad episcopum pertinentium, *arg. c. ult. de Offic. Vicar. in* 6. cum similibus.

186 Resp. III. Nihilominus, quando collatio Beneficii simul & communiter pertinet ad episcopum & Capitulum, mortuo episcopo (imò & aliter effecto inhabili, potest Capitulum Sede vacante conferre ejusmodi beneficium. Ita communis omnium, juxta textum expressum *cap. un. Ne Sede vacante &c. in* 6. ubi dicitur: *Si ad episcopum & Capitulum communiter pertineat collatio Præbendarum, mortuo episcopo, vel à beneficiorum collatione suspenso, poterit Capitulum vacantes conferre præbendas, etiamsi episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi, ut Prælatus.* Hæc ibi. Accedit ratio, quam dat Glossa *ibid. V. etiamsi, in Addit.* & Viviadus *in Rational. Jur. Canon.* Quia Capitulum, & Episcopus, censentur unum corpus quoad ea, quæ eis conveniunt communiter facienda *c. Novit. 4. De his quæ fiunt à Prælatis &c.* ac proinde uno ipsorum effecto inhabili, succedit alterum. Nam jura corporis mystici, seu Universitatis, conservantur in uno, *l. Sicut, §. fin. ff. Quod cujusque universit. nomin.*

187 Unde & vicissim, si collatione beneficii communiter ad episcopum & Capitulum pertinente, Capitulum reddatur inhabile ad conferendum (puta, quia est suspensum à collatione, vel singulariter omnes de Capitulo sunt excommunicati) tunc vicissim solus episcopus poterit illud conferre, *text. clar. cit. cap. un. Ne Sede vacante &c. in* 6. Et ratio est, quæ suprà.

188 Secùs dicendum, quando collatio beneficii spectat ad solum episcopum; ita tamen ut is teneatur requirere consilium, vel consensum Capituli. Tunc enim mortuo episcopo, nequit Capitulum conferre ejusmodi beneficium vacans. Idemque dicendum, si Episcopus est suspensus: nisi forsan episcopus fuerit in mora petendi relaxationem suspensionis. Textus est *in cap. un. §. cùm verò Ne Sede vacante &c. in 6.*

189 Resp. IV. Insuper potest Capitulum Sede episcopali vacante, confirmare electiones ad beneficia celebratas, aut eas justa exigente causa infirmare; prout habetur *c. cùm olim 14. de Majorit. & obed.* Potest etiam præsentatos à Patronis ad Beneficia instituere. Textus est expressus *in cap. 1. de Institut. in 6.* illis verbis: *Etsi Capitulum Sede vacante beneficia, quæ ad collationem episcopi pertinent, conferre non possit: præsentatos tamen à patronis potest admittere, si sint idonei, & eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint præsentati: Licet ad episcopum (si superesset) admissio, vel institutio hujusmodi pertineret.* Hæc ibi.

190 Ratio autem diversitatis, & cur Jura voluerint, Capitulo Sede vacante competere potestatem instituendi in Beneficiis præsentatos, & confirmandi electos; non autem conferendi ipsa beneficia: hæc est: quia collatio libera beneficii Ecclesiastici, est quædam liberalitas, & donatio, per Jura *nu.* 180. allegata. Licèt enim Superior teneatur conferre Beneficium vacans, tamen non tenetur illud conferre huic determinatæ personæ, præsertim in concursu æque digni: ac proinde huic illud conferendo, facit ipsi gratiam, & liberalitatem quandam. Glossa *in cap. relatum 9. vers. Liberaliter, h. t.* E contrà verò confirmatio electi, vel institutio præsentati, non est donatio: imò est necessaria, & debita tali personæ, si electus, vel præsentatus est idoneus; ut *cap. Postquam 3. de Election. & can. Decernimus 16. qu. 7.* cum similibus. Et hinc fit, quod confirmatio, & institutio, sint jurisdictionis necessariæ, in qua succedit Capitulum Sede vacante: non sic libera collatio beneficii. Imò si hæc competeret Capitulo, posset magnum fieri præjudicium Episcopo futuro. Abbas *in cap. Illa num. 6. Ne Sede vacante &c.* & alii.

191 Quæritur III. An Capitulum Sede vacante possit recipere resignationes beneficiorum? Resp. In resolutione hujus Quæstionis variant Doctores. Et quidem affirmat Abbas *c. cùm olim nu. 2. V. Sexto dubitatur, de Majorit. & obed.* asserens, Dominos de Rota fuisse in hoc varios, sed majorem horum partem ita censuisse. Federicus de Senis *Tom. 15. Tractatuum, tract. de Permutat. benefic. quæst. 36. nu.* 6. & Felinus *cit. cap. cùm olim nu. 4. de Majorit. & obed.* cum aliis asserentes, posse Capitulum Sede vacante recipere beneficiorum resignationes, non tamen ea conferre, quando ipsorum collatio ad solum Episcopum pertinet; sed hanc futuro Episcopo esse reservandam, atque interim Oeconomum, seu Vicarium in beneficio constituendum. Rationem dant: quia capitulum Sede vacante potest aliquem ex causa legitima privare beneficio; ergo etiam ex pari causa ejus resignationem admittere. Nam regula est, quod is possit recipere resignationem, qui potest destituere; ut inquiunt Innocentius, & alii, *in cap. quod in dubiis, de Renunciat.*

192 Negativam econtra sententiam tenet Glossa *in Clem. un. vers. Conferantur de rerum permutat.* Flamin. Parisius *lib. 7. de Resignat. Beneficior. quæst. 23. nu. 37. & 38.* hanc opinionem appellans veriorem, & communem, quam etiam tenuit Rota *in una Illerden. die 6. Novemb. 1545. coram Reum* Pirbing *tit. de Majorit. & obed. nu.* 57. & alii. Rationem afferunt: Tum quia resignationes beneficiorum, ad collationem solius episcopi spectantium recipere, nullibi reperitur in Jure concessum Capitulo Sede vacante: ergo subintrat regula negativa, quæ habetur *c. Illa 2. Ne Sede vacante &c.* Tum quia hoc ipsum videtur Capitulo expressè denegatum *cap. un. §. Cùm verò, eod. in* 6. ubi absolutè dicitur, quod si *ad solum episcopum Præbendarum spectat collatio, defuncto Episcopo Capitulum se non possit intromittere de eisdem.* Atqui Capitulum eisdem se intromitteret; si talium Præbendarum, seu Beneficiorum reciperet resignationem; ergo. Tum tandem, quia admissio resignationis, absolutè & liberè factæ, importat gratiam atque liberalitatem; per eam quippe remittitur resignanti onus, atque obligatio inserviendi Ecclesiæ: atqui in his, quæ sunt gratiæ & liberalitatis, Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo; ergo.

193 Nec urget (inquiunt) ratio prioris sententiæ. Nam à diversis non valet illatio, *l. Papinianus, ff. de Minorib.* Atqui valdè diversa sunt, Capitulum ex causa privare posse Clericum beneficio, & posse ejus resignationem admittere: istud quippe sapit gratiam & liberalitatem, atque pertinet ad jurisdictionem voluntariam; illud verò spectat ad justitiam atque jurisdictionem contentiosam. Hanc autem competere Capitulo Sede vacante, patet ex *c. His quæ 11.* juncta Glossa *fin. de Major. & obed.* licet prior, sive jurisdictio voluntaria, respectu jurium Episcopalium eidem minimè competat.

194 Tertiam tandem, mediamque sententiam, tenet Rebuffus *in Praxi benefic. tit. de Devolutionib. nu.* 95. Garcias *par. 5. de Beneficiis, cap. 7. n.* 72. Layman *lib. 4. Theolog. Moral. tract. 2. cap. 10. nu.* 5. Ant. Flaminius Marchettus *in praxi Vicarii Capitularis, par 2. tit. 32. nu.* 18. & Diana *par. 8. tract. resol.* 29. Atque hæc opinio asserit, Capitulum Sede vacante non posse recipere resignationes liberas, seu simpliciter factas beneficiorum ad collationem solius episcopi pertinentium: benè tamen resignationes ex justa causa permutationis factas, vi cujus beneficia resignata necessariò sunt conferenda Clericis resignantibus post admissam ipsorum resignationem *Clem. un. de Rerum permutat.* sicque reddit ratio *n.* 190. allegata.

195 In hac sententiarum varietate cumprimis dicendum est post Glossam *cit. Clem. un. V. Conferatur, de Rerum permutat.* communiter receptam, quod Capitulum Sede vacante possit recipere, atque authorizare resignationes beneficiorum, quando horum collatio spectat ad solum Capitulum, vel ad Episcopum & Capitulum simul. Quia enim tunc potestas conferendi Beneficia pertinet ad Capitulum Sede vacante, *cap. un. Ne Sede vacante &c. in* 6. nihil obstat, quin eorum etiam resignationem recipere possit, quasi jure quodam accrescendi. Barbosa *par. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 69. nu.* 8. cum aliis, quos citat.

196 Deinde capitulum Sede vacante potest recipere resignationes ex causa necessaria, non autem libere ac simpliciter loquendo. Barbosa *cit. num.* 8. & alii. Illud contingit, quando fit resignatio beneficii ratione delicti commissi, atque in pœnam ipsius resignantis: quia tunc nulla intervenit gratia, seu liberalitas huic facta, sed debita ejus punitio. Flamin Parisius *cit. lib. 7. quæst. 23. num.* 35. Marchettus, *d. tit 32. num.* 21. & alii. Idemque dicendum, quando resignatio fit ob inhabilitatem personæ resignantis, sicque in utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ: nam Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in illis, quæ sunt contentiosæ jurisdictionis, aut quæ instante necessitate, vel justitia, sunt expedienda. Flamin. Parisius *d. lib. 7. de resignat. Benefic. quæst. 23. num. 35. & seqq.* Pirhing, *ubi suprà num.* 57. Quaranta *in Summa Bullarii, vers. Capitulum Sede vacante, quæst.* 9. & alii. In cæteris verò casibus, seu libere ac simpliciter loquendo, atque in gratiam sive favorem ipsius resignantis, nequit Capitulum Sede vacante recipere resignationes beneficiorum spectantium ad collationem solius Episcopi, per rationes *nu.* 192. & 193. relatas; & concordant dicta superiùs *lib. 1. tit. 9. de renunciat. §. 1. n. 7.*

197 Quæritur IV. Quid juris competat Vicario Generali episcopi circa collationem beneficiorum? Resp. I. Vicarius Generalis Episcopi habens mandatum Generale, non potest idcircò conferre beneficia, quorum collatio pertinet ad Episcopum: nisi eorum collatio fuerit ipsi specialiter concessa. Ita habetur expressè decisum *cap. ultim. de Offic. Vicarii, in* 6. ea addita ratione: *Quia in generali concessione nequaquam illa veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus: nec regulariter donare valet is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa.* Hæc ibi.

198 Resp. II. Possunt nihilominùs Vicarii Generales Episcoporum (alias *Officiales* dicti, *cap. ult. de Offic. Vicarii in* 6.) per commissionem Officii generaliter sibi factam, à patronis præsentatos instituere in beneficiis. Ita habetur *c. ex frequentibus 3. de Institut.* Et ratio disparitatis inter institutionem, & collationem beneficii, patet ex dictis *num* 190. Institutio enim præsentati in beneficio est necessitatis, ipsique debita, si cæteroquin sit habilis seu dignus: non sic collatio beneficii, utpote quæ respectu talis personæ libere fit, sicque habet rationem liberalitatis, & donationis cujuspiam.

199 Quæritur V. Quid juris, quando præsentatio spectat ad Ecclesiam aliquam Collegiatam? Resp. I. Si jus præsentandi spectet ad collegium, seu Ecclesiam collegiatam, præsentabit Prælatus ejusdem de consensu Capituli, vel majoris partis ipsius: alioquin, si consensus Capituli non adfuisset, irrita foret præsentatio à solo Prælato facta, & inde secuta institutio Clerici in beneficio. Textus est *in c. Novit, de his quæ fiunt à prælatis &c.* juncta Glossa *vers. Carere,* & Abbate *ibid. num.* 8. asserentibus, has ipso jure esse irritas: quod intellige sub limitationibus *num. seqq.* ponendis. Concordat *cap. Ea noscitur 6. eod.*

200 Resp. II. Limitari tamen debet data Conclusio, nisi ex antiqua consuetudine, vel privilegio competat Prælato, ut possit solus, & absque consensu Capituli quempiam præsentare; prout habetur *cit. cap. Ea noscitur 6. §. fin. De his quæ fiunt à Prælatis &c.* Vel nisi tacitus saltem consensus capituli, utpote scientis, & non reclamantis, accesserit; nam in illis, quæ pertinent ad Prælatum & Collegium simul, sufficere tacitum collegii consensum, textus est *in c. Continebatur 2. eod.*

§. VIII.

De pluralitate, & incompatibilitate Beneficiorum.

S U M M A R I U M.

201 *Utrùm pluralitas beneficiorum sit prohibita; & cur. Et num. seqq.*
Beneficia singula singulis sunt conferenda. Ibid.
202 *Enumerantur inconvenientia, quæ ex pluralitate beneficiorum ab eodem detentorum proveniunt.*
203 *Dantur aliqui casus, in quibus plura beneficia simul retinere, peccatum non est.*
204 *Dummodò id fiat cum recta intentione.*
205 *In quibus casibus plura beneficia simul licitè retineantur? & num. seq.*
206 *Istud accidit, quando beneficia de se non sunt incompatibilia, simulque unum eorum non sufficit ad honestam Clerici sustentationem.*
Ultra duo tamen non possunt eidem per Episcopum conferri. Ibid.
207 *Quando ecclesia cathedralis, vel collegiata, tenues habet Præbendas, potest ipsi per episcopum uniri beneficium simplex.*
208 *Talis unio beneficiorum, etiam curatorum fieri potest cum curatis, propter eorum paupertatem.*
209 *An possint plura beneficia simul retineri, quando unum datur in titulum, alterum in commendam?*
210 *Potest quis ex consuetudine in eadem ecclesia una cum Canonicatu obtinere Dignitatem, Personatum &c.*
211 *Non tamen potest quis esse triplex in eadem ecclesia absque dispensatione Papali.*
212 *Beneficiorum incompatibilitas generatim ex duplici capite oritur; videlicet.*
213 *Si vel ipsa beneficiorum institutio non permittit, plura ab eodem administrari; idque exemplificatur, & nu. præced.*
214 *Vel quando unum eorum ad honestam Clerici sustentationem sufficit, & nu. 212.*
215 *Atque istud multipliciter probatur, & n. præced.*
216 *Consuetudo, etiam immemorialis, non excusat coram Deo retinentes plura beneficia, quorum unum sufficit ad honestam sustentationem.*
Licèt excusare possit à pœnis temporalibus. Ibid.
217 *Et cur nihilominùs plura beneficia passim acquirantur, retineantur, & conferantur, quibus placuerit?*
218 *Neque per dispensationem; etiam Papalem potest Clericus post obtentum beneficium ad suam sustentationem sufficiens, adhuc aliud recipere, & retinere, & n. seq.*
219 *Nisi subsit justa causa sic dispensandi; & qualis sufficiat? Et nu. præced.*
220 *Papa habet plenariam dispositionem de Beneficiis, & quomodo?*
221 *Quodnam beneficium generatim censeatur sufficiens ad honestam Clerici sustentationem? Et nu. seq.*
222 *Beneficiarius potest ex redditibus ecclesiasticis sustentare parentes, fratres, consanguineos pauperes; non verò augere.*
223 *Quodnam beneficium in specie censeri debeat sufficiens pro sustentatione Clerici, Judicis arbitrio relinquitur pro foro externo.*
224 *Et hujus multiplex ratio. Ac n. præced.*
225 *Pro Foro interno relinquitur id cujuslibet conscientiæ.*
226 *Ad effectum dijudicandi sufficientiam beneficii, etiam computandæ sunt distributiones quotidianæ.*
227 *Non autem bona patrimonialia Clericorum.*
228 *Beneficia de se compatibilia, quæ?*

229 & 230 *Referuntur horum exempla, & nu. præced. Canonicatus Germaniæ, qui ex antiquissima consuetudine non requirunt residentiam majoris partis anni, de se non sunt beneficia incompatibilia n. 229.*
231 & 232 *Beneficia de se incompatibilia, quæ? Et horum exempla.*
233 *Beneficia sub eodem tecto, quæ dicantur?*
234 *Beneficia uniformia sub eodem tecto, quæ?*
235 *Et an talia sint duæ Capellaniæ in eadem ecclesia? & num. seq.*
236 *Ad uniformitatem beneficii sub eodem tecto, non sufficit identitas nominis.*
237 *Beneficia difformia, seu dissimilia sub eodem tecto, quæ?*
238 *Horum duo possunt absque dispensatione Apostolica simul retineri, quando unum non sufficit ad honestam sustentationem Clerici.*
Et an ad hoc requiratur dispensatio episcopi &c. Ibid.
239 *Probatur, duo beneficia difformia sub eodem tecto posse simul retineri &c.*
240 *Secùs dicendum de duobus beneficiis uniformibus sub eodem tecto.*
241 *Et quæ ratio disparitatis?*
242 *Non valet consuetudo retinendi duo beneficia uniformia sub eodem tecto, etiam immemorialis.*
243 *Neque in his simul habendis potest dispensare Episcopus.*
244 *Et dispensatus per Papam ad habenda simul duo beneficia, nequit duo uniformia obtinere in eadem Ecclesia &c.*
Jura magis abhorrent, ut quis in eadem Ecclesia obtineat duo beneficia uniformia, quam in diversis. Ibid.

201 Quæritur I. Utrùm pluralitas beneficiorum sit prohibita; & cur? Resp. I. Regula est, Quod beneficia singula singulis sint conferenda, non plura uni. Patet istud ex *can. Sanctorum, dist. 70. & can. Singula, dist. 89.* In quo posteriori loco notanter dicitur: *singula ecclesiastici juris Officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus*: idque exemplo corporis humani, in quo indecorum est, alterum membrum fungi alterius officio, cùm omnia non eundem actum habeant. Concordat *can. Clericus cum seqq. 21. quæst. 1. & cap. Quia in tantùm 5. h. t.* ubi pluralitatem Ecclesiarum simul *certum continere periculum animarum*, asseritur. Et Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 7. de reform.* pluralitatem Beneficiorum ex professo reprobans, atque inter alia inquiens, quod *Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium Officia occupat Clericorum*; & quod *improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non Deum decipiant, qui ea, quæ benè constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt.*

202 Accedit, quod ex pluralitate Beneficiorum per execrabilem, atque insatiabilem, & plus semper ambientem ambitionem ab eodem simul detentorum, atque importuna petentium improbitate à Romanis Pontificibus extortorum potiùs, quam obtentorum, plura noscantur inconvenientia oriri, quæ deplorat Joannes Papa XXII. *in Extravag. execrabilis, h. t.* quæ etiam reperitur inter *extravag. Commun. eod.* sequentibus verbis: *Unde inter cætera inconvenientia, subscripta nascuntur, quod videlicet interdum unus, qui unum, quamvis modicum vix officium implere sufficeret, plurimorum sibi vendicet stipendia, quæ multis litteratis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere, æqua distributione collata. Habentibus ipsa paratur vagandi materia, Divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur. Et dum non sunt sui in unaquaque Regione Rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis, & bonari: quæ currentes censorum auxilio in juribus suis, & libertatibus, multipliciter collabuntur; & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat decessorum. Et (quod amariùs est dolendum) animarum cura negligitur; & vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur.* Hæc Pontifex, misera experientia ampliùs comprobata; quæ meritò quemlibet, suæ salutis memorem, deterrere valerent à solicitanda beneficiorum pluralitate, ne & ipse certum incurrat animæ suæ periculum; sitque in numero eorum, de quibus dicit D. Apostolus ad Philipp. 2. *Omnes, quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt JESU Christi.*

Resp. III. Dantur nihilominùs aliqui casus, in quibus plura beneficia Ecclesiastica simul retinere, peccatum non est; dummodò id fiat cum recta intentione. Ita D. Thomas *Quodlibet. 9. art. 15.* Fagnanus *cap. Quia in tantùm numer. 11. de Præbend.* & communis. Ratio est: tum quia habere plura beneficia Ecclesiastica non est intrinsece malum: ut est mentiri, fornicari &c. Sed quamvis habeat quandam mali speciem, ob inconvenientia inde nasci solita, & proxime enumerata: nihilominùs hæc ipsa concurrentibus certis circumstantiis excusari, atque cohonestari possunt. Tum quia dantur aliqua beneficia, quæ inter se non sunt incompatibilia, sed compatibilia: prout præsumitur ex *c. Gratia 7. de rescript. in 6.* dum dicitur: *Si talia sint beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri.* Ubi proinde Glossa *vers. De jure teneri*, plura enumerat Beneficia, quæ simul retineri possunt. Quod ipsum manifeste supponit Concilium Tridentinum *Sess. 7. cap. 4. de reform.* illis verbis: *Plura curata, vel alias incompatibilia beneficia.* Frustra enim adderetur ly, *vel alias incompatibilia*, nisi darentur quædam Beneficia inter se compatibilia. 203

Additur tamen, *dummodò id fiat cum recta intentione*: utputà, ob majus bonum Ecclesiarum, sufficienti Clericorum ministerio destitutarum, vel ob veram insufficientiam prioris beneficii pro honesta Clerici sustentatione, aut hujusmodi. Nam si quis ea intentione plura recipiat Beneficia, ut ditior evadat, ut lautiùs vivat, ut faciliùs ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum, ubi Beneficium habet &c. non tolluntur suprà memoratæ deformitates, sed augentur: quia cum tali intentione, utpote ex radice avaritiæ, gulæ, vel ambitionis procedente, etiam unicum habere Beneficium, illicitum est, & peccaminosum. D. Thomas *loc. cit.* Fagnanus *d. n. 11.* & alii. Verùm occasione præmissorum, ac supposita bona intentione 204

Quæritur II. In quibus casibus plura beneficia Ecclesiastica simul licitè retineantur? Resp. Istud contingere potissimum in sequentibus casibus. Primò, per legitimam dispensationem, ex causa rationabili factam; de qua ex professo agetur inferiùs *§. seqq. per totum*, quærendo simul, an istud pariter fieri possit vi longævæ consuetudinis. 205

Secundò id accidit, & quidem sine dispensatione quoties ipsa Beneficia de se non sunt incompatibilia, simulque unum eorum non sufficit ad honestam Clerici sustentationem. Patet hoc ex Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 17. de reform.* ubi partim antiquos Canones innovando, partim de novo decernendo, *statuitur, ut imposterum unicum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre &c.* Hæc ibi. Plura verò beneficia duobus, etiamsi hæc ad honestam Clerici sustentationem non sufficerent, non posse conferri per Episcopum absque dispensatione Apostolica, fuisse decisum à Sacra Congregatione Concilii, refert Garcias *par. 11. de beneficiis, cap. 5. nu. 310.* Fagnanus *c. cùm jam dudum nu. 71. de Præbend.* Barbosa *par. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 62. num. 6.* atque amplius dicetur infrà *n. 211. & n. 268. & seqq.* 206

Tertiò idipsum contingit, quando Ecclesia Cathedralis, vel Collegiata insignis, adeò tenues habet Præbendas, ut unà cum distributionibus quotidianis non sufficiant decenti Canonicorum sustentationi. Tunc enim licitum est Episcopo, cum consensu Capituli aliqua simplicia beneficia, non tamen Regularia, eisdem unire, quæ proinde simul cum Præbendis illis retineri possunt, juxta Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 15. de reform.* Quanquam, si istud non sufficiat, possint etiam servatis servandis aliquæ dictarum Præbendarum supprimi, prout concedit idem Concilium *loc. cit.* 207

Similiter possunt Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, *facere uniones perpetuas quarumcunque Ecclesiarum Parochialium, & Baptismalium, & aliorum Beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem, & in cæteris casibus de jure permissis.* Textus est in Concilio Tridentino *Sess. 21. cap. 5. de reform.* Unde facta tali unione, possunt illa beneficia simul retineri: quia beneficium perpetuò, & accessorie unitum alteri, censetur unum cum illo, & naturam ejus induit etiamsi fuerit simplex, imò & prædium ejus reputatur, ut proinde hoc casu magis unicum beneficium obtineatur, quam plura. Vallensis *h. t. §. 4. nu. 14. V. Tertiò* Sannig *eod. cap. 2. num. 3.* & amplius dicetur infra *Tit. 12. Ut Ecclesiastica Beneficia &c. §. 3. num. 45. 46. & 47.* 208

209 Quartò, spectato Jure communi possunt plura beneficia simul retineri, quando unum datur in titulum, & alterum in commendam ad tempus, putà, ad sex menses: quia Commenda temporalis, etiamsi sit de Ecclesia Parochiali, non inducit incompatibilitatem *canon. Qui plures 21. q. 1. & c. Nemo deinceps 15. de Election. in 6.* Vallensis *loc. cit. V. Quartò* Piasecius *part. 2. Praxis Episc. c. 5. nu. 76.* & alii. Secùs dicendum de commendis perpetuis, quales defacto solent concedi, & quidem per Papam duntaxat, juxta dicta superiùs *n. 36. 40. & 41.* nisi accesserit legitima dispensatio Papæ.

210 Quintò, potest quis accedente authoritate Episcopi, statuto, vel consuetudine Ecclesiæ, in eadem Ecclesia unà cum Canonicatu obtinere Dignitatem. Personatum, vel Officium: putà, quod quis sit Præpositus, Decanus, Scholasticus, aut Custos, & simul Canonicus. Glossa *in c. 1. V. Nisi unicum de Consuetud. in 6.* & Barbosa *ibid. n. 4.* & Franchus *n. 7.* Pirhing *tit. de Consuet. n. 97.* Garcias *de beneficiis, par. 11. c. 5. nu. 246. & 247.* asserens, quod Sacra Congregatio *in una Valentina* 1593. censuerit, consuetudini permittenti, quod in eadem Ecclesia Dignitates cum Præbendis Canonicalibus teneantur, non esse derogatum à Concilio Tridentino *Sess. 25. c. 17. de reform.* Videtur enim (inquit Garcias *loc. cit. num. 248.*) hujusmodi consuetudo esse rationabilis, & introducta, ut obtinentes Dignitates decentiùs sustententur.

211 Addit tamen Garcias *cit. par. 11. cap. 5. nu. 238.* cum pluribus aliis, quod in eadem Ecclesia nullo modo possit quis esse triplex, absque dispensatione speciali; neque valeat consuetudo, vel statutum in contrarium juxta *cit. cap. 1. de Consuetud. in 6.* & notat Dominicus *ibid. n. 5. & 12.* & Franchus *n. 7.* pluresque alii apud eundem Garciam. Concordat Glossa *fin. in Clem. ult. de Præbend.* dicens, quod nemo potest esse triplex in Ecclesia sine dispensatione Papali, nec valet in hoc consuetudo, *cit. c. 1. de Consuetud. in 6.* Idipsum, seu quod nemo possit esse triplex in eadem Ecclesia, censuit Sacra Congregatio Concilii, relata per Garciam, *ubi suprà numer. 249. 8. Januar.* 1594. Accedunt dicenda inferiùs *numer. 267. & 168. & seqq.*

212 Quæritur III. Unde generatim consurgat incompatibilitas Beneficiorum? Resp. I. Generatim loquendo, pluralitas Beneficiorum, ab eodem simul retentorum, ex duplici capite inordinationem continet, sicque oritur incompatibilitas eorum: videlicet, si vel ipsa Beneficiorum institutio non permittit, ut plura ab eodem administrentur: vel quando unum eorum ad honestam Beneficiati sustentationem sufficit; nam tunc plura Beneficia, licet cæteroquin compatibilia, simul retineri nequeunt. Ita Layman *lib. 4. Theol. Moral. tract. 2. cap. 8. n. 2.* Pirhing *h. t. n. 124.* & in re communis.

213 Et quidem prior pars de se patet: soletque exemplificari in Beneficiis, personalem residentiam requirentibus; utputà, in duobus Episcopatibus, duabus Parochiis, aliisque Beneficiis curatis, utpote Jure naturali, ac Divino, personalem residentiam continuam postulantibus. Idemque dicendum de cæteris Beneficiis, quæ vel Jure Ecclesiastico requirunt perpetuam residentiam; ut Dignitates, Canonicatus, Personatus &c. Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, juxta Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 12. de reform.* juncto *c. Quia nonnulli 3. & c. Inter quatuor 10. de Cleric. non resident.* & alibi. Vel saltem ex primæva fundatione, statuto, aut consuetudine, continuam residentiam expostulant. Quia enim nullus in duobus locis simul existere, atque personaliter residere potest: clarum est, beneficia illa, quorum quodlibet continuam requirit residentiam personalem, hoc ipso esse incompatibilia; ac proinde simul obtineri, & retineri non posse.

214 Altera verò pars, seu quod incompatibilitas Beneficiorum etiam ex eo consurgat, quod unum ipsorum ad honestam Clerici sustentationem sufficiat, licet alioquin, seu quantùm est ex se, incompatibilia non forent: est Glossæ *in c. Dudum il 2. vers. Retinere de Election.* dicentis, quod *qui habet plura beneficia, quorum alterum per se sufficeret, non potest sine mortali peccato retinere aliud &c.* Eandem Glossam approbat Abbas *ibid. nu. 36. & c. Extirpandæ in Repetit. §. Qui verò num. 34. & seq. h. t.* S. Bernardus *Epist. 271. ad Comitem Theobaldum; & lib. 3. de Consider. ad Eugenium Papam, cap. 6.* Navarrus *cap. 25. Manual. n. 125.* Azorius *par. 2. lib. 6. cap. 10. quæst. 2. & 7.* asserens pluralitatem beneficiorum, quorum unum honestæ Clerici sustentationi sufficit, Jure etiam naturali damnatam esse. Sylvester *vers. Beneficium cap. 4. q. 1. in fin.* Layman *d. lib. 4. tract. 2. cap. 8. nu. 2.* Alfons. Hojeda *Tractatuum tom. 15. par. 1. tract. de benefic. incompatibilit. c. 19. n. 1.* Flamin. Parisius *lib. 5. de resignat. benefic. quæst. 6. n. 115. & seqq.* Piasecius *in Praxi Episcopali, par. 2. cap. 5. art. 3. n. 83.* Sannig *h. t. cap. 2. n. 1.* Barbosa *par. 3. de offic. & potest. Episcop. alleg. 62. nu. 6.* cum plurimis aliis, quos citant: adeò, ut hæc sit communis sententia.

Atque ista pars Conclusionis desumitur imprimis ex *can. Sanctorum dist. 70. & can. Clericus 21. q. 1.* cum similibus, pluralitatem beneficiorum abhorrentibus. Concordante *c. Conquerente 6. de Cler. non resident. & c. cùm tentamur 6. h. t.* ubi habetur, etiam ad mandatum Papæ non esse providendum illi de beneficio: *qui aliud Beneficium habeat, de quo valeat commode, sustentari* nisi hoc ipsum fuerit expressum. Idque clariùs probatur ex Concilio Trid. *Sess. 24. cap. 17. de reform.* ubi præmissa illa generali ratione, quod *Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurimorum officia occupat Clericorum*: statuitur, *ut imposterum unum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur*; & si istud ad honeste sustentandam vitam beneficiarii non sufficiat, tunc primùm liceat aliud simplex beneficium eidem conferre. Accedit ratio: quia repugnat lumini naturali, ut quis plura simul non necessaria beneficia occupando, defraudet alios idoneos Clericos à consecutione competentium beneficiorum, quibus commode sustentari possent. Hoc enim non solùm pugnat contra primævam Fundatorum intentionem, ab Ecclesia acceptatam, & approbatam, sed etiam contra illud Jure naturæ notum, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* His adde inconvenientia, quæ ex pluralitate beneficiorum, ab eodem quandoque detentorum, oriri solent, juxta dicta superiùs *nu. 201. & 202.* Occasione horum, atque pro meliori intelligentia hujus secundæ partis datæ Conclusionis 215

Quæritur IV. Utrùm quis ratione longævæ consuetudinis, vel dispensationis, possit obtinere, atque retinere plura beneficia, haud obstante, quod unum eorum jam sufficiat ad honestam ipsius sustentationem? Resp. I. Adeò incompatibilitas beneficiorum ex secundo capite proxime allegato consurgit, ut passim fateantur Doctores, quod consuetudo in contrarium, etiam immemorialis, non excuset coram Deo retinentes plura Beneficia, quorum unum ad honestam eorum sustentationem sufficit. Foret enim irrationabilis illa consuetudo, utpote pugnans contra lumen naturale, juxta proxime dicta: essetque nutritiva peccati; cùm inducat vagationis, & ambitionis materiam, unà cum aliis incommodis, & damnis Ecclesiarum, in *Extrav. Execrabilis Joan. XXII. & h. tit. inter Commun.* enumeratis. Unde & hujusmodi consuetudinem, *corruptelam (cùm sacris sit inimica Canonibus, & de ambitionis radice processerit) meritò reputans* Pontifex, *cap. 1. de Consuetud. in 6.* eam authoritate Apostolica reprobavit: quæ proinde nullo unquam tempore induci poterit, *cap. cùm venerabilis 7. & capit. ultim. de Consuetud.* cum similibus. Atque ita tenet Abbas *cap. Extirpandæ, in repetit. §. Qui verò numer. 36. h. t.* allegatis pluribus rationibus contrariam consuetudinem appellans *corruptelam*: irrationabilem, & impræscriptibilem. Idemque tenet Hojeda *cit. par. 1. tract. de incompatibilit. benefic. cap. 19. numer 9.* & Fagnanus, *cap. Quia in tantùm nu. 17. & 18. de Præbend.* asserens, consuetudinem obtinendi plura beneficia simplicia, etiam personalem residentiam non requirentia, si unum sit sufficiens, esse corruptelam, & ideò impræscriptibilem. Flaminius Parisius *d. lib. 5. de Resignat. benefic. quæst. 6. num.* 216

num. 115. *& seqq.* Piasecius *cit. cap.* 5. *art.* 3. *nu.* 83. Barbosa *part.* 3. *de Offic. & potest. Episc. allegat.* 62. *num.* 9. asferens cum Authoribus proxime enumeratis, quod opposita consuetudo (quam in Hispaniis vigere, iidem referunt post Garciam *d. cap.* 5. *num.* 323.) sit contraria Juri naturali: neque excuset à peccato mortali, pœnisque æternis, licet excusare possit à pœnis temporalibus. Garcias *cit. part.* 11. *cap.* 5. *numer.* 270. Pirhing *h. tit nu.* 127. Sannig *eod. cap.* 2. *numer.* 1. pluresque alii ab his allegati.

217 Neque urget, quod passim acquirantur, atque retineantur plura beneficia, saltem de se compatibilia, & imò & per collatores ordinarios conferantur, quibus placuerit, nulla habita ratione, an prius beneficium sit pingue, atque ad honestam sustentationem Clerici sufficiens, nec ne. Resp. enim cum Garcias *d. part.* 11 *de beneficiis c.* 5. *n.* 330. allegante Zechium *de Republic. Ecclesiast. c. de beneficiatis nu.* 4. istud per Superiores fieri ex eo, quia relinquunt conscientiæ cujusque: cùm non possit dari certa regula, quantum cuilibet beneficiario sufficiat ad honeste vivendum pro statu suo; sed istud dependeat à qualitate personarum, variisque aliis circumstantiis, juxta proximè dicenda *quæst. seqq.*

218 Resp. II. Neque per dispensationem etiam Papalem fieri potest, ut Clericus post obtentum unum, vel alterum beneficium sufficiens ad suam honestam sustentationem, aliud adhuc recipere, & retinere valeat: nisi subsit justa, & rationabilis causa sic dispensandi. Ita Abbas *c. cùm conquerente nu.* 2. *de Cleric. non residente*, asserens, quod sine peccato mortali non potest quis tenere plura Beneficia, quando alterum per se sufficit; nisi subsit justa causa sic dispensandi. Et idem Abbas *c. Quia in tantum nu.* 2. *de Præbend.* istud probans ex eo: quia secundùm S. Bernardum, ubi non est legitima causa dispensandi, ibi non est dispensatio, sed dissipatio. Fagnanus *cit. cap. Quia in tantum* 14. *&* 15. *ac seqq.* istud intelligens de dispensatione tum Episcopali, tum Papali, si facta fuerit sine causa. Azorius *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 12. *quæst.* 7. Pirhing *h. t. num.* 127. & alii; nonnullis tamen exceptis, qui volunt, Papam solo nutu, & voluntate, posse plura beneficia eidem Clerico conferre. Ratio est: quia Juri naturali repugnat, ut Clericus habeat plura Beneficia, quorum unum ad honestam ejus sustentationem sufficit, uti proxime dictum. Atqui contra Jus naturale non potest Papa dispensare, nisi subsistente gravi, ac legitima causa; prout liquet in dispensatione votorum, ac juramenti, & hujusmodi (talis enim esset invalida, neque excusaret hominem quoad Deum, nisi subesset justa causa dispensandi) ergo

219 Additur tamen, *nisi subsit justa, & rationabilis causa sic dispensandi.* Qualis foret juxta Abbatem *cit. nu.* 2. & Innocentium *c. cùm jam dudum circa fin. h. t.* si dispensatio in tali beneficiorum pluralitate fiat, non ratione personæ Clerici, seu principaliter ad honorem ipsius: sed propter utilitatem Ecclesiarum, sive beneficiorum; putà, quia Clericus ille est persona bona, & industria, ac literata, bonæque famæ, & conscientiæ, quæ melius sciret, ac posset regere duas Ecclesias, vel decem, quam alius unàm. Tunc enim communis utilitas Ecclesiæ præferri poterit privatæ, *can. Mutationes* 7. *q.* 1. Ita tamen, ut fructus beneficiales superflui, per sic dispensatum in pluralitate beneficiorum; non nisi in causas pias licite erogentur, juxta dicenda inferiùs *tit.* 25. *de Peculio Clericorum.*

220 Nec obstat, quod Papa plenariam habeat dispositionem de beneficiis, *c. Licet* 2. *h. t. in* 6. Ac proinde sola ejus voluntas stet pro ratione: nam de factis ejus judicare non licet, *c. Nemini* 17. *q.* 4. Resp. enim cum Abbate *cap. De multa n.* 9. *de Præb.* & Fagnano, *ubi suprà nu.* 16. citante alios, dictum istud procedere quoad Ecclesiam militantem, eò quòd nulli liceat de factis Papæ judicare: secùs quoad Deum; quia non debet sine causa relaxare Jus commune, ne sit dissipator potiùs, quam dispensator. Concordant dicenda inferiùs §. *seq. n.* 246. *& seq.*

221 Quæritur V. Quodnam Beneficium censeatur sufficiens ad honestam Clerici sustentationem, sicque inducat incompatibilitatem cum alio beneficio obtinendo? Resp. I. Generatim loquendo, illud beneficium censetur taliter sufficiens, ex cujus redditibus Clericus pro statu sui conditione, & se, & familiam suam, honeste valet sustentare, juraque Episcopalia persolvere, atque hospitalitatem servare. Ita Glossa *in can. Clericos* 21. *qu.* 1. ℣. *Necessitatem*: & alia Glossa *c. Conquerente*, ℣. *Sufficientia, de Clericis non resident.* & in re communis. Idque desumitur partim ex *can. Ex his autem* 12. *qu.* 1. *& c. cùm secundùm* 16. *h. t.* ubi dicitur, quod secundum Apostolum 1. Corinth. 9. *Qui altari servit, vivere debet de altari*, cum similibus, partim ex *c. De Monachis* 12. *h. t.* ubi prohibetur in Ecclesia Parochiali ad præsentationem Religiosorum Clericus institui, *nisi tantum ei de proventibus Ecclesiæ fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem*: ac simul *hospitalitatem tenere* valeat. Nam ut inquit Glossa *ibid. vers. Hospitalitatem*, ad hanc Clerici præcipue tenentur: Idemque patet ex *can. Volumus, dist* 69. *can. Quoniam quidquid* 16. *q.* 1. *& Extravag. Execrabilis* §. 1. *h. t. Inter Commun.* ubi etiam *Hospitalitas in beneficiis debita* censetur; junctis concordantiis à Glossa *vers. Debita*, relatis. Unde non mirum, quod sumptus ad charitativam hospitum, seu peregrinorum Fratrum receptionem necessarii, computari debeant in massa honestæ sustentationis Clericorum, *cit. can. Ex his autem* 12. *q.* 1. atque tenet Glossa, *ubi suprà*, & communis.

Addit Vallensis *tit. de Concession. Præbend.* §. 4. *nu.* 10. 222
post Zypæum *de Jure Benefic. lib.* 3. *de Cleric. non residen.* & alios, quod ad honestam Clerici sustentationem, etiam revocandi, atque in ea computandi sint parentes, fratres, & consanguinei egentes ipsius. Nam & hos potest Beneficiarius ex redditibus Ecclesiasticis honeste pro statu suo sustentare, non verò augere: prout desumitur tum ex *can.* 37. *Apostolorum*; tum ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *c.* 1. *de reform.* Quo utroque in loco prohibetur Beneficiariis, ne *res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent*; *sed, si pauperes sint, iis, ut pauperibus, distribuant*: & consequenter, si pro statu suo verè indigeant, potest ipsis Clericus ex bonis ecclesiasticis subvenire, non minùs ac aliis pauperibus; imò magis, quam illis, ob adjunctum fœdus naturale sanguinis, virtutemque amicitiæ, qua specialiter præ aliis astringuntur consanguineis suis.

Resp. II. Quodnam Beneficium in specie debeat cense- 223
ri sufficiens pro honesta Clerici beneficiarii sustentatione, nullibi in Jure reperitur definitum, neque ob diversitatem casuum una certa regula statui potest: ac proinde istud pro Foro externo relinqui debet arbitrio Judicis, paulò plus, vel minus æstimandum, consideratis tamen considerandis; videlicet, qualitate personarum, conditione locorum, temporumque diversitate. Ita Merechius *de Arbitr. Judic. lib.* 2. *cas.* 216. *n.* 12. *& seqq.* Barbosa *par.* 3. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 62. *nu* 11. *& lib.* 3. *Jur. Ecclesiast. un. cap.* 13. *nu.* 183. Flamin. Parisius *de resign. benefic. lib.* 5. *q.* 6. *n.* 131. Gonzalez *ad reg.* 8 *Cancell. gloss.* 15. *nu.* 39. Alfons. Hojeda *Tractatu* … 15. … *de Incompatibilit. benefic. par.* 1. *c.* 19. *n.* 22. Piasecius *par.* 2. *Praxis Episcop. cap.* 5. *art.* 3. *n.* 85. & alii. Ratio est: quia illa, quæ nec à Jure definita sunt, neque ob diversitatem personarum, temporum, & locorum, aliarumque circumstantiarum, certa lege definiri possunt, non nisi prudenti Judicis arbitrio relinquenda sunt, *arg. can.* 1. *& seqq. dist.* 29. juncto textu aperto *in l.* 1. *ff. de Jure de liberand. & l. Continuus* § *Cùm ita ff. de Verbor. obligat.* cum concordantiis. Sic autem fit in proposito; ergo.

Accedit: quia, ut inquit Glossa *in c. Conquerente vers. Sufficientia de Cleric non resident.* plura in hac sufficientia considerantur: puta, nobilitas, & scientia personæ; quia tales personæ majoribus redditibus sunt honorandæ, *c. De multa* 28. §. *fin h. t.* Dignitas etiam consideranda est, ut *l. Sed & si quid* § 1. *ff. de Us. fruct.* ubi dicitur, sufficienter quemplam ali, & vestiri debere secundùm ordinem, & dignitatem suam. Item attendi debet, ut Clericus possit sufficere sibi & suis: atque insuper valeat hospitalitatem servare, & jura Episcopalia solvere, *cit. cap. De Monachis h. t.* Talia enim plurimum variantur juxta diversitatem personarum, locorum, ipsorumque Beneficiorum: ac non rarò sufficit uni, quod non sufficit alteri, *can. Non cogantur dist.* 41. Minùsque sufficit manenti extra vias communes, quam in viis publicis, ubi copia major Hospitum, seu peregrinorum Fratrum advenire solet. Glossa *in can. Clericus* 21. *q.* 1. ℣. *Necessitatem in fin.* His adde, quod debeat haberi ratio consuetudinis patriæ, seu loci, in una enim Regione potest videri beneficium sufficiens, quod in altera censeretur tenue, juxta varietatem pretii rerum ad victum necessariarum. Menochius *c. cas.* 216. *nu.* 3. *&* 14. Piasecius, *ubi suprà n.* 86. Atque hoc ipsum est ampliandum ad diversitatem temporum, putà, abundantiæ vel caritatis, belli vel pacis, ac hujusmodi. Nam de his omnibus, ac similibus, nequit dari certa regula; ac proinde non nisi Judicis arbitrio erit determinandum, saltem pro Foro externo.

225 Et additur, *pro Foro externo.* Nam pro Foro interno relinquitur cujuslibet conscientiæ, ut Deum præ oculis habendo judicet, an ipsi unum Beneficium sufficiat; recto corde advertens, quod Deum omnia inspicientem fallere non possit. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gl.* 15. *nu.* 39. Piasecius *d. c.* 5. *art.* 3. *n.* 84. post Zecchium *de benefic. cap.* 5. & alios: quamvis addat, quod tutior & communior sententia sit, ut istud remaneat Judicis arbitrio.

226 Existimat tamen Garcias *par.* 11. *de beneficiis, c.* 5. *n.* 321. cum aliis, ad effectum dijudicandi sufficientiam beneficii pro honesta Clerici sustentatione, etiam computandas esse distributiones quotidianas: quidquid Caputaquen. *decis.* 65. *n.* 3. *par.* 1. & Flamin. Parisius *de resignat. benefic. lib.* 5. *q.* 6. *n.* 131. in oppositum sentire videantur.

227 Cæterùm in hujusmodi sufficientia judicanda, non debere haberi rationem bonorum patrimonialium Clerici Beneficiarii; meritò censet Barbosa *cit. allegat.* 61. *nu.* 11 & Piasecius *d. part.* 2. *Praxis Episcopal. cap.* 5. *art.* 3. *n.* 86. allegans alios. Etenim potest Clericus habens beneficium, & patrimonium, vivere de redditibus beneficii, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 9. *Qui altari deserviunt, cum altari participant*, cum similibus: atque patrimonium suum, fructusque ejus sibi reservare. Nam *quis militat stipendiis suis unquam*, uti loquitur idem D. Apostolus *cit. cap.* 9. & late probat Covarruvias *cap.* 1. *de Testament. n.* 2. *& seq.* solvens contraria, & esse communem Doctorum sententiam, inquit Piasecius *cit. nu.* 86. allegans alios.

228 Quæritur VI. Quæ beneficia censeantur de se compatibilia, vel incompatibilia? Resp. I. Illa Beneficia censentur de se compatibilia, quæ vel ex Jure communi, vel ex antiqua consuetudine, aut particulari statuto, seu fundatione, simul obtineri, atque retineri possunt. Talia imprimis sunt beneficia simplicia, non requirentia personalem residentiam; vel quorum unum requirit residentiam, alterum verò non. Atque istud procedit indistinctè, sive Beneficia talia simplicia existant in diversis Ecclesiis, sive in eadem: dummodò cæteroquin non sint uniformia, seu ejusdem omnino rationis, & obligationis personalis.

229 Deinde beneficia de se compatibilia censentur, quæ in diversis Ecclesiis existunt, & nullam, vel saltem non incompatibilem residentiam exigunt, Layman *lib.* 4. *Theol. Moral. tract.* 2. *cap.* 8. *n.* 6 *&* 7. Ubi proinde is *cit. nu.* 6. & post ipsum Pirhing *h. t. nu.* 132. advertit, quod quidem duo Canonicatus diversarum Ecclesiarum, in quibus observatur Decretum Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* injungens Canonicis perpetuam residentiam, demptis duobus, aut tribus mensibus cujuslibet anni, de se sint incompatibiles: quia tamen in nonnullis Germaniæ Cathedralibus Ecclesiis, ex immemoriali consuetudine hactenus retenta, non requiritur residentia totius anni, nec majoris partis ipsius, sed sufficit residentia sex, quinque, aut quatuor, vel trium saltem mensium; tales Canonicatus, seu Præbendæ memoratarum Ecclesiarum inter beneficia de se incompatibilia non debeant computari; cùm non requirant residentiam incompatibilem, sed talem duntaxat, cui utrique satisfieri potest, residendo præscriptis mensibus in singulis Ecclesiis. Additur tamen, *inter beneficia de se incompatibilia &c.* Nam si alter Canonicatus se solo sufficeret ad honestam Canonici sustentationem, … consurgeret ipsorum incompatibilitas, conformiter dictis suprà *nu.* 214. *& seqq.*

230 Tertiò Beneficia compatibilia in eadem Ecclesia censentur, quæ difformia sunt; utputà, Præpositura, & simplex Canonicatus. Qualia proinde, … simul servīri valeat, etiam simul retineri possunt, *arg. c.* 1. *de Consuetud in* 6. junctis dictis suprà *n.* 210. Nisi forsan alicujus Ecclesiæ specialis constitutio, aut consuetudo repugnet. Layman *loc. cit. n.* 7. …

Resp. II. Beneficia de se incompatibilia … (id est, ab- 231
strahendo ab eo, quod unum eorum ad honestam Clerici sustentationem sufficiat) sunt illa, quæ vel ex Jure naturali, Divino, aut Ecclesiastico, vel saltem ex consuetudine, statuto, sive fundatione continuam, vel aliunde incompatibilem residentiam personalem postulant. Talia sunt duo Episcopatus, duæ Abbatiæ, duæ perpetuæ Vicariæ, & cætera beneficia curata; utpote quæ Jure naturali, Divino, ac Ecclesiastico obligant ad perpetuam residentiam, juxta dicta superiùs *Tit. præc.* §. 3. *nu.* 57. *& seqq.*

Deinde inter beneficia de se incompatibilia, spectato 232
rigore Juris communis (quod additur ob dicta *nu.* 229.) comprehenduntur duæ dignitates, personatus, Canonicatus, aut duo officia; utpote spectato Jure Canonico perpetuam personalem residentiam requirentia, sicque incompatibilia, *c. ad hæc* 13. *& c præterea* 14. *& c. cum non ignores* 15. *& c. de multa* 28. *h. t.* juncto Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de ref.* Idemque dicendum de aliis beneficiis, etiam simplicibus, quæ existunt in diversis Ecclesiis, atque ex consuetudine, statuto, aut fundatione speciali, personalem residentiam requirunt: nam hoc ipso, quod nemo possit simul in distinctis locis existere, ibique residere, seu inservire; necesse est, talia beneficia de se esse incompatibilia. Tandem beneficia uniformia sub eodem tecto, censentur de se incompatibilia. Quod ultimum ut melius intelligatur

Quæritur VII. Quænam beneficia intelligantur esse 233
sub eodem tecto, simulque uniformia, & incompatibilia? Resp. I. *Beneficia sub eodem tecto* dicuntur ea, quæ existunt intra eandem Ecclesiam: hoc est, vel in ipsa Ecclesia, atque intra parietes ipsius sunt; vel saltem intra claustrum, aut cæmeterium contiguum ipsius continentur. Ita Barbosa *p.* 3. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 62. *n.* 15. Garcias *p.* 11. *c.* 5. *nu.* 259. Pirhing *h. t. n.* 24. Qui tamen addunt, secus esse dicendum, quando beneficium est situm in Capella, vel Cæmeterio non contiguo principali Ecclesiæ, sed extra; tunc enim non censetur esse sub eodem tecto Ecclesiæ principalis, *arg. c. un. de consecr. Eccl. in* 6. ubi polluta Ecclesia polluitur Cæmeterium illi contiguum, sed non remotum.

Resp. II. Beneficia sub eodem tecto alia dicuntur uni- 234
formia, seu similia: alia difformia, seu dissimilia. Et quidem *Beneficia uniformia sub eodem tecto* dicuntur illa, quæ in eadem Ecclesia sunt instituta ad eundem finem; adeò, ut habeant idem prorsus onus & officium, eodem tempore peragendum. Ita Piasecius *p.* 2. *praxis episc. c.* 5. *art* 3. *n.* 73. Pirhing. *h. t. n.* 24. Talia sunt duo Canonicatus, duæ Portiones, duo Personatus, duo præstimonia, duæ Capellaniæ; prout exemplificat Azorius *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 11. *quæst.* 1.

Intellige tamen istud ultimum de duabus Capellaniis, 235
quæ sunt ejusdem prorsus rationis, & obligationis personalis. Alioquin enim, si fuerint diversæ rationis, distinctique oneris (prout sunt duæ Capellaniæ in duobus Altaribus ejusdem Ecclesiæ fundatæ cum onere, ut in uno Altari bis v. g. in hebdomada celebretur, in altero ter aliis distinctis diebus) tunc eæ non forent beneficia uniformia sub eodem tecto, nec proinde incompatibilia. Navarrus *Cons.* 6 *de præb.* Garcias *p.* 11. *de benef. c.* 5. *n.* 225. *&* 229. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gl.* 10. *n.* 33. *&* 35. allegans plures alios, ac multiplices Decisiones Rotæ. Flam. Parisius *lib.* 3. *de resignat. benef. …* 1. *n.* 128. Layman *cit. lib.* 4. *tr.* 2. *cap.* 8. *num.* 7. & alii. Ratio est: quia, licet uno nomine generali *Capellaniæ* appellentur, cùm tamen habeant distincta onera, seu officia in diversis Altaribus peragenda, … ipsa non sunt Beneficia uniformia sub eodem tecto, sed difformia.

Nec obstat identitas nominis, seu quod simul nomine 236
Capellaniæ appellentur. Resp. enim, ad hoc, ut aliqua Beneficia dicantur uniformia sub eodem tecto, non sufficere, quod uno nomine generali appellentur: alioquin enim omnia Beneficia simplicia forent uniformia, quia eodem nomine *Beneficii simplicis* nominantur. Nam ad uniformitatem Beneficiorum interiùs requiritur, ut eorum mu-

munera, atque onera naturalia sint uniformia, & similia. Navarrus *cit. Consil.* 16. *de Præbend. n.* 2. & alii proxime allegati.

237 Resp. III. *Beneficia difformia, seu dissimilia sub eodem tecto*, contrario modo declarantur; nempe, quod quidem intra parietes ejusdem Ecclesiæ consistant, non tamen ad eundem finem, sive officium eodem tempore peragendum ordinentur: ut sunt juxta Azorium, *ubi supra*, unus Canonicatus & Portio, Dignitas aliqua & Canonicatus, Personatus & Beneficium curatum, ac hujusmodi.

238 Resp. IV. Duo beneficia difformia sub eodem tecto, quando ad honestam Clerici sustentationem unum non sufficit, possunt absque dispensatione Apostolica simul obtineri, & retineri. Ita communis Doctorum: cum hoc tamen discrimine, quod nonnulli eorum velint, ad istud saltem requiri dispensationem Episcopi, vel Statutum, aut consuetudinem illius Ecclesiæ, in qua existunt talia Beneficia difformia; cæteri verò arbitrentur, ejusmodi Beneficia esse compatibilia de Jure communi: prout videre est apud Garciam *par.* 11. *de benefic. cap.* 5. *nu.* 231. *& seqq.* Ubi, postquam pro priori opinione allegasset Glossam *in cap.* 1. ℣. *Nisi unicum, de Consuetud. in* 6. pluresque alios; tandem *nu.* 235. post Abbatem *consil.* 96 *par.* 2. Navarrum *consil.* 28. *de Præbend.* Rotam *in Cesenaten. Canonicatus* 19. *Februar.* 1590. *coram Gipsio*. Rebuffum, pluresque alios concludit, Beneficia hujusmodi de Jure communi esse compatibilia, nisi alias sint sibi repugnantia ratione residentiæ, seu servitii. Nam non videō (inquit Garcias *ibid. nu.* 237.) textum aliquem, ex quo contraria sententia probetur. Atque huic posteriori sententiæ etiam favet Fagnanus *c. cùm jam dudum n.* 49. *h. t.* & Pirhing *eodem n.* 186.

239 Et quidem duo beneficia difformia sub eodem tecto posse simul obtineri, atque retineri, ubi unum non sufficit ad honestam Clerici sustentationem; etiam sine dispensatione Papæ (quidquid sit de necessitate dispensationis Episcopalis, statuti, aut consuetudinis Ecclesiæ, circa quod controvertunt Doctores, ut proxime dictum.) desumitur ex *c. Eam te* 7. *de rescript.* ubi absolute dicitur, quod aliquis fuerit *Archidiaconus, & Canonicus ejusdem Ecclesiæ*, nulla facta mentione dispensationis Apostolicæ, sive Episcopalis, aut statuti, vel consuetudinis Ecclesiæ. Idipsum, & quidem fortiùs, probatur ex *c.* 1. *de Consuetud. in* 6. ubi circa finem decernitur, quod „ nulli „ liceat de cætero, nisi unum Personatum, vel Digni„ tatem, aut Præposituram, sive administrationem, vel „ Officium perpetuum, quocunque nomine censeantur, „ cum Præbenda in simul absque dispensatione Sedis A„ postolicæ in eadem Ecclesia obtinere, vel jam obten„ ta retinere. Unde ponderando ly, *nisi unum*, & quia exceptio firmat regulam in oppositum, *l. Quæsitum §. Denique ff. de Fundo instructo*, cum similibus: inferre licet, quod una cum Præbenda, sive Canonicatu, possit in eadem Ecclesia, etiam absque alia dispensatione Sedis Apostolicæ, simul obtineri unus Personatus, Dignitas, aut Præpositura &c. dummodò ita requiratur ad honestam sustentationem Clerici.

240 Resp. V. Duo tamen beneficia uniformia sub eodem tecto, putà, duos Canonicatus, duas Portiones, aut alia duo uniformia beneficia, etiam simplicia, in eadem Ecclesia nemo potest simul obtinere, atque retinere. Ita Garcias *par.* 11 *de benefic. cap.* 5. *nu.* 182. Azorius *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 11. *quæst.* 1. Flamin. Parisius *lib.* 2. *de Resignat. Benefic. quæst.* 1. *n.* 121. & 128. Card. Tuschus *litt. B. concl.* 66. *n.* 9. & 10. Pirhing *h. t. n.* 131. & communis aliorum. Idque desumitur ex *cap. De multa* 28. *§. Hoc idem de Præbend.* ubi in Concilio Generali statutum legitur: *Hoc idem in personatibus esse decernimus observandum; addentes, ut in eadem Ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum.* Concordat *c. Litteras* 9. *de Concession. Præbend.* ubi rejicitur allegata consuetudo generalis, quod unus in eadem Ecclesia plures habeat Præbendas; atque per assecutionem secundæ Præbendæ, prior ipso jure vacare dignoscitur; prout amplius declarant Glossa, & Doctores *ibid.* Accedit *Clem. ult. h. t.* ubi virtute Mandati Apostolici adeptus in Ecclesia Dignitatem quampiam, putà, Archidiaconatum, habentem annexam Præbendam, perdit primam Præbendam, quam habebat in eadem Ecclesia, veluti vacantem ipso jure.

Accedit ratio, simulque disparitas inter hanc, & 241 priorem Conclusionem. Quia, si quis haberet duo Beneficia uniformia sub eodem tecto, v. g. duos Canonicatus, minueretur numerus Ministrorum Ecclesiæ, simulque cultus Divinus: nam unus, idemque, non posset stare loco duorum, v. g. Canonicorum in Choro, vel Capitulo; sicque detraheretur & numero ministrantium, & cultui Divino, ut patet. Secùs accidit in Beneficiis difformibus; putà, si quis habet in eadem Ecclesia simul Canonicatum, & Dignitatem: nam, quia ipse ista habet diverso jure, rectè inter Dignitates supplet numerum Dignitatum & inter Canonicos numerum Canonicorum; potestque modo hujus, modò illius negotia rerumque administrando, utrique obligationi suæ satisfacere, neque indiget Substituto aliquo. Abbas *c. cùm olim n.* 6. *de Sentent. & re judic.* Garcias *par.* 11. *de beneficiis cap.* 5. *nu.* 245. Idemque (servata proportione) accidit in aliis Beneficiis difformibus, vel non difformibus sub eodem tecto; uti patebit consideranti.

Ampliatur primò data Conclusio, ut non valeat con- 242 suetudo contraria; videlicet, retinendi duo Beneficia uniformia sub eodem tecto, etiam immemorialis, *cit. c. Litteras de Concession. Præbend.* ac notat Glossa *ibid.* ℣. *Ex consuetudine*, asserens, quod hæc consuetudo potius censenda sit corruptela. Abbas *c. Extirpandæ in Repetit. §. Qui verò n.* 41. *h. t.* Flamin. Parisius *lib.* 3. *de resign. benefic. qu.* 1. *n.* 124. Azorius *cit. c.* 11. *qu.* 1. Garcias *d. par.* 11. *c.* 5. *n.* 180. cum pluribus aliis, quos citat.

Ampliatur secundò, ut Episcopus in duobus Beneficiis 243 uniformibus, v. gr. duabus Canoniis ejusdem Ecclesiæ simul habendis, dispensare non valeat. Glossa *fin. in Clement. ult. h. t.* Jo. Andreas *c. Litteras n.* 3. & Abbas *n.* 2. & 3. *de Concession. Præbend.* juncto textu *ibid.* Barbosa *par.* 3. *de Offic. & potest. Episc. allegat.* 62. *nu.* 22. Azorius *cit. cap.* 11. *qu.* 4. Flamin. Parisius *loc. cit. n.* 123. Garcias *n.* 185. allegans alios. Quia Episcopus non potest dispensare contra Sacros Canones, nisi in casibus sibi à Jure concessis, *c. Dilectus* 15. juncta Glossa ℣. *Permisso*, & Abbate *ibid. n.* 6. *Tempor. Ordinat.*

Ampliatur tertiò, ut etiam per Papam dispensatus ad habenda simul duo Beneficia, nequaquam censeatur dispensatus, ut duo uniformia, v. gr. duos Canonicatus, obtineat in eadem Ecclesia: nisi istud expressum fuerit. Abbas *c. De multa nu.* 4. *h. t.* Azorius *cit. cap.* 11. *quæst.* 1. Pirhing *h. t. n.* 131. Barbosa *par.* 3. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 62. *n.* 15 & 16. Flamin. Parisius *d. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 125. allegans Petrum de Ancharano *can. permittimus de Ætate & qualit.* Cardinalem *consil.* 53. & alios, cum communi. Siquidem Jura magis abhorrent, ut in eadem Ecclesia, & sic sub eodem tecto, quis obtineat duo Beneficia uniformia, v. g. duas Præbendas, quam in Ecclesiis diversis; ut patet ex Juribus *n.* 240. allegatis, ac notat Glossa *fin. in Clem. ult. h. t.* Abbas *c. Litteras n.* 2. & Fagnanus *ibid. n.* 6. & 7. *de Concession. præb.* Garcias *d. c.* 5. *n.* 190. citans Rotam *in Toletana Capellaniæ de Baraja* 15. *Februar.* 1591. *coram Tom. Pamphilio* Flamin. Parisius *cit. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 121. Barbosa, Azorius, *ubi suprà*, & alii.

§. IX.

De dispensatione, & consuetudine circa pluralitatem Beneficiorum.

S U M M A R I U M.

245 *Papam posse dispensare in pluralitate beneficiorum, cùm id ratio postulaverit, certum est.*

246 *Quando Papa dispensat* Motu proprio, *præsumitur subesse justam causam dispensandi: aliàs secus.*

247 *Causæ legitimæ dispensandi in pluralitate Beneficiorum sunt tres.*

248 *Et quæ?*

249. *Justa causa dispensandi in pluralitate Beneficiorum ultra necessariam sustentationem, non est, propositum erogandi superfluos redditus in pias causas.*

250 *Rescripta, atque dispensationes super beneficiis Ecclesiasticis obtinendis, strictè interpretari debent. Et num. seqq.*

Dispensatio est vulnus Juris. Ibid.

251 *Dispensatus super defectu, ut possit ad beneficium promoveri, non potest nisi unicum Beneficium, vi talis dispensationis, obtinere. Adeò, ut nec successive possit duo consequi. Ibid.*

252 *Dispensatio, ut possit quis duo beneficia curata recipere, ac simul retinere, intelligitur solùm de primis duobus Beneficiis postea ei collatis.*

253 *Et si talis postea obtineat aliam dispensationem, ut plura beneficia simul obtinere possit, tacito illo defectu, non valet dispensatio*

Dispensatio addita dispensationi non valet, nisi in secunda fiat mentio de prima. Ibid.

254 *Provisus de beneficio sub clausula:* Non obstante, quod aliud beneficium obtinere noscaris, *non potest primum beneficium retinere cum secundo.*

255 *Secùs, si istud exprimatur.*

256 *Dispensatus super pluralitate beneficiorum, censetur etiam dispensatus super residentia, & aliis connexis, ac necessariò consecutivis;*

257 *Taciturnitas beneficii præhabiti, quantumcunque modici, vitiat dispensationem super pluralitate beneficiorum.*

Imò & cætera Rescripta ad beneficia. Ibid.

258 *Utrùm Episcopus possit dispensare in pluralitate beneficiorum? Et nu. seqq.*

Olim is poterat dispensare in duabus ecclesiis curatis simul retinendis; non item in duobus Canonicatibus. Ibid.

259 *Et quæ ratio disparitatis?*

260 *Defacto nequit episcopus dispensare circa plura beneficia curata, vel Dignitates, aut personatus.*

261 *Idque probatur. Et nu.* 263.

262 *Cur episcopis fuerit adempta potestas dispensandi in pluralitate beneficiorum curatorum? Et n. præced.*

Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Ibid.

263 *Episcopus nequit dispensare contra Jus commune, nisi in casibus sibi à Jure concessis &c.*

264 *An is possit dispensare in pluralitate beneficiorum occurrente casu magnæ necessitatis?*

265 *Episcopus potest dispensare, ob tenuitatem v. gr. redditivum, ut quis una cum Præbenda Canonicali obtineat Personatum, vel dignitatem &c.*

266 *Vel ut quis habeat duo beneficia simplicia, aut curatum cum simplici &c.*

267 *An Episcopus habenti duo beneficia, etiam simplicia, sed ad honestam sustentationem Clerici non sufficientia, possit conferre tertium? Et n. seqq.*

Antiquitus id licitum fuit. Ibid.

268 *Secùs de facto, sive post Concilium Trident.*

269 *Idemque probatur ex eodem Concilio, junctis Declarationibus Sacræ Congregationis, Et n. præced.*

270 *Afferuntur Authores, & rationes oppositæ sententiæ.*

271 *Atque solvuntur. Et n. præced.*

272 *Quid, si alicubi vigeat consuetudo, ut episcopus possit eidem conferre tria beneficia ad honestam ejus sustentationem?*

273 *Vel si Episcopus conferat tertium, non ad effectum retentionis, sed ut unum ex prioribus dimittatur?*

274 *Utrùm per longævam consuetudinem induci possit, ut quis plura simul beneficia obtinere, & retinere possit? Et nu. seqq.*

Loquendo de Beneficiis curatis, non valet ejusmodi consuetudo, etiam immemorialis; & cur?

275 *Idem dicendum de consuetudine obtinendi, præter Canonicatum, duos Personatus, Dignitates &c. in eadem ecclesia.*

276 *Nulla consuetudine, etiam immemoriali, potest induci, ut quis licite retineat plura Beneficia, quando unum eorum sufficit ad honestam ipsius sustentationem.*

Quid dicendum de nonnullis aliis talibus consuetudinibus? Remissive. Ibid.

245 QUæritur I. Utrùm Papa quibusque ex causis, possit dispensare in pluralitate beneficiorum? Resp. I. Certum est, quod ex causa rationabili, & legitima, possit Papa dispensare super pluralitate beneficiorum simul retinendorum, etiamsi ea cæteroquin forent incompatibilia. Textus est *in c. De multa* 28. *§. fin. h. t.* ubi dicitur: *Circa sublimes tamen & litteratas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari.* Accedit ratio: quia Papa in beneficiis plenissimam habet potestatem, plenariamque dispositionem, *cap.* 2. *de Præbend. in* 6. & *Clem. un. §. fin. Ut lite pendente &c.* Eò quòd beneficia de Jure positivo Ecclesiastico sint introducta, & singulæ Ecclesiæ singulis Presbyteris divisæ, *can. Ecclesias* 13. *q.* 1. Unde, quia Papa secundùm plenitudinem potestatis, de jure potest suprà jus dispensare, *cap. proposuit.* 4. *de Concession. præbend.* dubium non est, quin circa pluralitatem beneficiorum, cum ratio postulaverit, dispensare valeat.

Additur notanter, *cùm ratio postulaverit.* Licet enim 246 in illis, quæ sunt Juris positivi humani, Papa possit valide dispensare, etiam sine causa, quia tamen dispensatio facta sine causa, non meretur dici dispensatio, sed potiùs dissipatio, ut inquit S. Bernardus *lib.* 3. *de Considerat. paulò ante fin.* Hinc, quando Papa dispensat *Motu proprio*, semper præsumitur, quod subsit justa causa dispensandi, atque ex legitima causa dispensaverit Pontifex, *can. Si Papa dist.* 50. ac notat Abbas *cap. In causis, num.* 2. *de Sentent. & re judicat.* Felinus *c. Ad aures, numer.* 7. *de Rescript.* Piasecius *part.* 2. *Praxis Episcopal. cap.* 5. *art.* 3. *n.* 79. & alii. Secus dicendum, quando Papa dispensaret ad instantiam partis: quia tunc subintelligeretur conditio illa: *Si preces veritate nitantur*, juxta textum expressum *c. Ex par.* 2. *de rescript.* ac proinde non subsistente causa rationabili per Supplicantem allegata, nec subsisteret dispensatio Pontificia, veluti sub aut obrepititie obtenta, *c. Sedes* 15. & *cap. Super litteris* 20. *de rescript.* cum concordantiis. His adde dicta superiùs *§. præced. n.* 218. 219. & 220.

Resp. II. Causa legitima dispensandi in pluralitate be- 247 neficiorum communiter triplex assignari solet; videlicet, necessitas Ecclesiæ, utilitas Ecclesiæ, ac evidens prærogativa meritorum. Ita Abbas *in c. De multa num.* 7. *h. t.* & *c. Extirpandæ in repetit. §. Qui verò n.* 34. *eod.* Azorius *par.* 2. *lib.* 6. *c.* 12. *nu.* 6. Layman *lib.* 4. *Theol. Moral. tract.* 2. *c.* 8. *n.* 2 & alii. Idque desumitur ex *can. Tali corjuglo* 1. *q.* 7 ubi in simili habetur, quosdam Ecclesiasticis Ordinibus non esse applicandos, *nisi fortè eos aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet.*

Et quidem *Ecclesiæ necessitas* quandoque postulat, ut 248 uni plura beneficia conferantur, si est penuria Sacerdotum, aut aliorum idoneorum ministrorum Ecclesiæ; putà in locis hæresi infectis. *Utilitas* verò quando Clericus sua prudentia, authoritate, seu potentia, plus communi Reipublicæ Christianæ bono, atque Ecclesiarum commodis profuturus videtur, quam plures alii. Tandem *evidens meritorum prærogativa* beneficiatum, utpote doctrina, consiliis, scripturis, aut hujusmodi, de Ecclesia valdè meritum, promovere potest ad plurium Beneficiorum emolumenta tum spiritualia, tum temporalia dispensative recipienda; juxta illud Apostoli 1 ad Timoth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur* (id est, munerum largitione, ut interpretatur S. Hieronymus cap. 15. Math.) *maxime, qui laborant in verbo, & doctrina.* Unde & *c. De multa* 28. *§. fin. h. t.* dicitur, *quod sublimes & literatæ personæ majoribus sunt beneficiis honorandæ &c.*

Resp. III Nihilominùs justa causa dispensandi in plu- 249 ralitate Beneficiorum, ac præsertim hæc simul retinendi ultra necessariam vitæ sustentationem, non est, quod Clericus propositum habeat redditus superfluos in pias causas erogandi. Ita Azorius *par.* 2. *lib.* 6. *c.* 12. *quæst.* 3. & Layman *lib.* 4. *tract.* 2 *cap.* 8 *n.* 2. ℣. *Illud verò*, allegans communem, contra Cardinalem *in Clem. Gratiæ de Rescript.* & Navarrum *c.* 25. *Manual. nu.* 128. Ratio est: quia, ut justa subsit causa dispensandi, atque retinendi pluralitatem beneficiorum, præsertim ultra necessariam vitæ sustentationem, etiam requiritur, ut aliæ deformitates tollantur, vel saltem æquali utilitate publica cohonestentur; videlicet, subtractio alimentationis respectu aliorum Clericorum, Ecclesiæ damnum ob

absentiam Beneficiarii, cultusque Divini diminutio ac hujusmodi; & notat Layman *loc. cit.* Tales autem deformitates non tolluntur, neque cohonestantur per solum propositum dandi superflua in pias causas, nisi subsit alia gravior causa, præsertim publica. Et hinc S. Carolus Borromæus ab Ecclesia universali piè laudatur, quod Ecclesiasticos proventus, quibus à Pio IV. avunculo suo copiosè fuerat cumulatus, sponte dimiserit; nonnullis retentis, quibus ad proprios usus, & egenorum necessitatem utebatur; uti habetur *in lectionibus Breviarii Romani, die Festo ipsius, seu quarto Novembris.*

250 Quæritur II. Quomodo intelligi debeat dispensatio facta super beneficiis, ac præsertim super pluralitate ipsorum? Resp. I. Rescripta, seu Litteræ Apostolicæ, atque dispensationes super Beneficiis Ecclesiasticis obtinendis, strictè interpretari debent, nec extendi ultra proprietatem verborum. Ita communis. Tum quia generaliter loquendo, istud procedit de cæteris Rescriptis ad Beneficia, per textum expressum *in cap. Quamvis plenissima 4. de Præbend. in* 6. ibi; *Quamvis plenissima sit alias in beneficiis interpretatio facienda; Litteræ tamen super obtinendis beneficiis debent, cùm sint ambitiosæ, restringi;* estque ex professo dictum suprà *lib. 1. tit. 3. De rescriptis §. 5. num. 126. 128. & 129.* Tum quia dispensatio, est vulnus juris: Siquidem per eam Jus commune vulneratur, *can. Ipsa pietas 23. quæst.* 4. Barbosa *par. 2. de offic. & potest. Episcop. alleg. 33. nu. 7.* & alii. Cùm igitur omnis recessus à Jure censeatur odiosus, & nequaquam trahendus ad consequentiam, juxta *reg. 28. Jur. in 6.* etiam dispensationes, v. gr. super beneficiis, eorumque pluralitate, sunt odiosæ, ac strictè interpretandæ; ut *c. 1. §. fin. de Filiis Presbyter. in 6.* Ubi loquendo de dispensatione facta cum illegitimo ad obtinendum beneficium; dicitur: *Quam exorbitantem à Jure oportet, veluti odiosam, restringi,* cum similibus: Proinde

251 Resp. II. Si cum aliquo dispensatum fuerit, quod non obstante defectu aliquo, v. g. Natalium, possit ad Beneficium, etiamsi curam habeat animarum, promoveri; non potest is, prætextu talis dispensationis, nisi unicum Beneficium obtinere. Textus est expressus *in cit. c. 1. §. fin. de Filiis Presbyter. in 6.* addita ratione proxime relata: Quia nimirum talis dispensatio est à Jure exorbitans, sicque debet veluti odiosa restringi; ac proinde virtute ipsius, non potest quis duo Beneficia in simul obtinere, prout loquitur Summarium *ibid.* Quinimò, ut notat Ancharanus *ibid. nu. 3. vers. Quæro igitur,* post Archidiaconum, Barbosa *par. 2. de Offic. & potest. Episcop. alleg. 45. nu. 26.* post Cardos. *in Praxi Judicium, V. Dispensatio nu.* 19. Pirhing *tit. de Filiis Presbyt. n.* 24. dispensatus à Papa, ut possit habere unum Beneficium curatum, non poterit vi talis dispensationis etiam successive obtinere duo; adeò, ut si unum fuerit consecutus, non possit eo dimisso obtinere secundum. Siquidem per adeptionem primi Beneficii curati, dispensatio jam est sortita suum effectum, ac proinde, veluti odiosa, non debet extendi ad aliud Beneficium, *arg. cap. Non potest. 21. h. t. in 6.* mox allegando: quamvis Jo: Andreas *h. t. n. 4.* asserat, istud durum valde videri, ac proinde teneat oppositum.

252 Deinde dispensatio Apostolica cuipiam facta, ut possit duo beneficia curata recipere, ac simul licite retinere: intelligitur solùm de primis duobus beneficiis, quæ post dictum Indultum Apostolicum ipsi collata fuerunt. Textus est *in cap. Non potest. 21. § Illud autem, h. t. in 6.* Cujus rationem affert Vivianus *in Rationali, ibid.* Quia, quamprimum taliter dispensatus recepit duo prima beneficia, adimpleta est gratia dispensationis, *arg. l. Boves, §. Hoc sermone, ff. de verb. signif.* atque ideò, cùm dispensatio illa, veluti odiosa, restringi debeat, non potest extendi ad alia, seu tertia vel quarta vice vacatura beneficia.

253 Ulteriùs, si quis post obtentam à Sede Apostolica, dispensationem super defectu, v. g. Natalium, & beneficium exinde impetratum, tacito defectu ejusmodi obtineat aliam à Sede præfata dispensationem, ut duo vel plura beneficia simul obtinere possit, non valet dispensatio; sed veluti per subreptionem obtenta; nullius penitus est momenti. Ita textus, Glossa, & DD. *in c. 2. de Filiis Presbyter. in 6.* Accedit ratio: quia non est verisimile, quod Papa dispensasset in pluralitate beneficiorum cum eo, qui patitur talem defectum, v. g. Natalium, si hoc ei fuisset expressum, prout loquitur Pontifex *ibid.* Unde notat Vivianus *in Rationali, ad cit. c. Si is 2. de Filiis Presbyt. in 6.* post Decium *in l. Libros, c. de Collationib.* quod dispensatio addita dispensationi non valet, nisi in dispensatione secunda fiat mentio de prima.

254 Resp III. Si cuipiam per Papam provideatur de beneficio, addita clausula illa, *Non obstante, quod aliud beneficium obtinere noscaris:* per hoc non censetur cum ipso dispensatum, ut primum beneficium cum secundo retinere valeat; sed id solummodò clausula illa operatur, quod facta ei gratia nequeat subreptitia judicari. Ita rursus textus expressus *in cit. c. Non potest. §. fin. h. t. in 6.* Et ratio est: quia dispensationes, veluti odiosæ, atque exorbitantes à Jure communi, strictè sunt intelligendæ, atque restringendæ, ut dictum: unde cùm præfata clausula modo prædicto jam suum consequatur effectum, id sufficit. Neque enim de primo beneficio simul retinendo (contra claram Juris dispositionem) Papa cogitasse videtur; cùm in ipsa dispensatione id non expresserit. Vivianus *in Ration. ibid.*

255 Secus foret dicendum, si Pontifex in Litteris dispensationis dixisset: *Liceatque tibi beneficium istud cum priori retinere.* Tunc enim verba forent clara, sicque juxta ea oporteret judicare; ut *c. Porrò 7. de Privileg. & l. Licet Imperator ff. de Legat.* I. & alibi. Nam verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam. Abbas *Consil. 97. lib.* 1. Barbosa *Axiomat. 222. num.* 32. & communis; estque amplius dictum suprà *lib. 1. tit. 2. de Constitutionib. §. 16. n. 384. & 385.*

Ampliatur istud, ut dispensatus super pluralitate Beneficiorum simul retinendorum, censeatur etiam dispensatus super accessoriis, connexis, & necessariò consecutivis ex tali dispensatione; putà, super residentia; & hujusmodi. Glossa *can. Si quis in Clero 7. quæst. 1. vers. Solemnibus:* & alia Glossa *c. quia in tantum, vers. Plures &* ibi *Abbas n.* 3. & Fagnanus *n. 23. de Præbend.* Pirhing *h. t. n.* 198. & alii; estque pariter dictum *suprà lib. 1. tit. 2. De Constitutionibus § 18, n. 451.*

Resp. IV. Taciturnitas Beneficii præhabiti, quantumvis modici, vitiat dispensationem super pluralitate Beneficiorum simul retinendorum. Textus est *in c. Non potest 21. §. 1. h. t. in* 6. Ubi Glossa *V. Modicum,* hujus rationem reddit: quia si in impetratione beneficii, sive Rescriptis ad Beneficia, istud habet locum, ut taciturnitas beneficii præhabiti, quantumcunque modici, vitiet Rescriptum impetratum ad novum beneficium, si fuerit concessum Motu proprio; *c. Si proponente 42. de rescript. & c. Si motu 23. h. t. in* 6. estque jam dictum suprà *lib. 1. tit. 3. de rescriptis, §. 7. n. 167. & 170. ac seqq.* Multò potius illud in dispensatione ad plura beneficia locum habere debet; cùm etiam tales dispensationes sint ambitiosæ, ac restringendæ, *c. quamvis plenissima 4. h. t. in 6.* junct. *2. de Filiis presbyt. in 6.* cum similibus.

Quæritur III. Utrùm Episcopus possit dispensare in pluralitate Beneficiorum? Resp I. Spectato Jure antiquo poterat Episcopus dispensare in duabus Ecclesiis curatis simul retinendis, non item in duobus Canonicatibus. Textus est *in can. Sanctorum dist.* 70. ubi in Concilio Urbani II. sic statutum legitur: *Omnino autem in duabus ecclesiis aliquem titulari non liceat; sed unusquisque in qua titulatus est, in ea tantùm Canonicus habeatur. Licet enim episcopi dispositione, unus diversis præesse possit ecclesiis; Canonicus tamen Præbendarius nisi unius ecclesiæ, in qua conscriptus est, esse non debet.* Hæc ibi.

Nec dicas, esse mirabile, quod concedatur Episcopis facultas dispensandi in duabus Ecclesiis, seu Parochiis simul retinendis, & non in duabus Præbendis; cùm tamen hæ non habeant annexam curam cum Abbate *in c. cùm jam dudum n. 9. h. t.* istud non esse mirandum: quia dispensatio quoad diversas Ecclesias fieret propter publicam utilitatem, ut nempe populus per idoneos, magisque qualificatos Pastores regeretur, quando ita Episcopo videretur expediens: vel ob defectum Ministrorum omninò necessarium foret. At verò dispensatio quoad diversas Præbendas, fieret duntaxat propter privatam utilitatem: Nam Præbenda datur Canonico, ut vivat; Ecclesia verò principaliter datur, ut quis populum regat.

Resp.

260 Resp. II. Defacto nequit Episcopus dispensare circa plura beneficia curam animarum habentia; neque etiam circa plures Dignitates, aut personatus ab eodem obtinendos, etiamsi curam non habeant animarum. Ita desumitur ex *c. de multa,* 28. juncta Gloss. *fin.* & Barbosa *in Collect. ib. n 22. h. t.* Abbas *in c. Extirpanda in Rep. §. qui verò. n 38. eod.* Azorius *p. 2. lib. 6. c. 12 q. 6.* Garcias *p. 11. de beneficiis, c 5. n. 337.* allegans plurimos alios, & Rotam *dec. 4. de offic. Legati, in novis,* aliàs 286. Alfons. Hoieda *tractatuum tom 15 tract. de incompatibilit. beneficio. p. 2. cap. 12. num. 17.* Pirhing *hoc tit. num. 185.* contra nonnullos alios, ab eodem Hojeda *num. 16.* & Garcias *n. 138.* in oppositum citatos.

261 Ratio Conclusionis est. Quia, licet antiquitus potuerint Episcopi dispensare quoad pluralitatem ecclesiarum, seu beneficiorum curatorum, *cit. can. Sanctorum, dist,* 70. nihilominùs hæc potestas episcopis adempta fuit in Concilio Generali, relato *in d. c. de multa 28 §. fin. h. t.* illis verbis: *Cum ratio postulaverit; per Sedem Apostolicam poterit dispensari.* Nam ut argumentatur Glossa *fin.* & Barbosa *ib. n. 22* ex eo, quod dicit, *per Sedem Apostolicam,* patet a contrario sensu, quod per alios Papa inferiores in talibus non possit dispensari: quia, quod de uno conceditur, de altero negatur, *l. Marius citra;* juncta Gl. *fin. c. de procuratorib.* Barbosa *Axioma, 196 num.* 20. Sicut econtra, quod de uno negatur, de altero concessum intelligitur, *can. Qualis, dist. 25. & c Nonne, de præs.* cum concordantiis.

262 Unde non obstat *cit. can Sanctorum dist.* 70. Nam, ut notat Gloss. *fin. in d. c. de multa* & Abbas *cit. rep. §. qui vero n. 40.* propter indiscretas, & stultas episcoporum dispensationes, virtute illius Canonis olim factas, potestas imposterum taliter dispensandi meritò episcopis subtracta fuit. Siquidem *privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate,* juxta textum expressum *can. privilegium, 11. q. 3. & can. ubi ista, dist. 74. & c. ut privilegia de privileg.* cum similibus.

263 Confirmatur data Conclusio ex *c. ordinarii locorum 3. §. Si vero de offic. ordin. in 6* juncta Gl. *V. Sui beneficii,* exinde inferente, quod solus Papa possit dispensare in pluribus Curatis. Accedit Conc. Tr. *Sess. 24. c. 17. de ref.* statuens, quod „ imposterum unum tantum beneficium ecclesiasti- „ cum singulis conferatur: quod quidem, si ad vitam ejus „ cui conferetur honestè sustentandam non sufficiat, li- „ ceat nihilominùs aliud simplex sufficiens — eidem con- „ ferri. Et consequenter, ponderando Iy, *aliud simplex* nequit habenti beneficium curatum, per episcopum conferri aliud curatum. Neque enim episcopus potest dispensare contra Jus commune, nisi in casibus sibi à Jure concessis, *c. dilectus 15.* juncta Gl. *V. permissa de temporib. Ordin.* cum similibus.

264 Excipitur tamen casus magnæ necessitatis, vel utilitatis, in quo Papa consuli, atque dispensatio ab eo peti non potest. Tunc enim episcopum posse dispensare in pluralitate beneficiorum curatorum, docet Abbas *c. c. Extirpandæ, in repetit §. qui verò n. 38 h. t.* Hojeda, *ubi suprà, num 22* Rebuffus *in praxi benef. tit. de dispensatione ad plura beneficia, num. 30.* citans Archidiaconum *in c. Licèt can. de elect. lib 6.* Layman *lib. 4. Theol. Moral. tract. 2. cap. 7. nu.* 9 Pirhing. *h. t. n. n* 185. & alii. Qui tamen post Garciam *c. p. 11. c. 5. nu.* 340. & alios, notant, rarissime talem casum accidere posse: commodè enim necessitatibus Ecclesiarum subveniri poterit per constitutum Vicarium temporalem, qui interim regat Ecclesiam vacantem donec dispensatio Apostolica adveniat.

265 Resp. III. Potest tamen episcopus ex justa causa, ut puta, ob insufficientiam redditumm pro honesta sustentatione Clerici, dispensare, ut quis in eadem Ecclesia una cum præbenda Canonicali possit obtinere unum personatum, vel Dignitatem, aut præposituram, sive administrationem, vel officium perpetuum. Textus, Gl *vers. nisi unicum,* & DD communiter, *cap. un. de consuetud. in 6.* Idipsum admittunt DD. de Statuto, vel consuetudine ecclesiæ, juxta Glossam proxime citatam. Quinimò plures volunt, nulla hodie opus esse dispensatione, etiam episcopali, ad talia beneficia (utpote disformia sub eodem tecto) simul obtinenda, ac retinenda cum Jus ipsum istud concedat, dummodo beneficiarius, spectato statu suo, eisdem vere indigeat pro sua honesta sustentatione. Rebuffus *c. tit. de dispensatione ad plura beneficia, n.* 29. Layman *cit. n. 9.* allegans alios; & concordant dicta superiùs *n. 210 & n. 238. & 239.*

Hoc ipsum ampliatur ad duo beneficia simplicia, quorum neutrum, vel saltem non utrumque, personalem residentiam requirit. Item ad beneficium curatum tenue, cui proinde ad honestam Clerici sustentationem potest per episcopum adjungi aliud beneficium simplex sufficiens, personalem tamen residentiam non requirens; juxta textum expressum in Conc. Trid. *Sess. 24. c. 16. de ref.* cujus verba *n. 263.* jam sunt allegata. Quod tamen intellige, dummodo episcopus nulli conferat duo beneficia uniformia, etiam simplicia, sub eodem tecto: conformiter dictis suprà *§. præced. num. 240. & seqq.* Simulque ultra duo nulli conferat. Quod ultimum ut magis intelligatur 266

Quæritur IV. An episcopus habenti duo beneficia, etiam simplicia, & ad honestam Clerici sustentationem non sufficientia, possit sua authoritate ordinaria conferre tertium? Resp. I. Antiquitus, sive ante Conc. Trid. licitum fuit, ex dispensatione episcopi plura beneficia, alias tamen compatibilia, simul retinere, etiam ultra duo, usque ad congruam sustentationem. Ita Abbas *c. cum jam dudum, n. 8. & c. extirpandæ, in repet. §. qui verò h. t.* Alfons. Hojeda *Tractatuum tom 15. tr. de beneficior. incompatibil. p. 2. c. 1. n. 1; & 35.* Navarrus *cons 19. n. 2* asserens, sententiam Abbatis communiter esse receptam. Pirhing *h. t. n. 187.* Garcias *p. 11. de beneficiis, c. 5. n. 306.* citans alios Ratio est: quia nullo Jure antiquo istud reperitur prohibitum. 267

Resp. II. Defactò, sive post Conc. Trid. *Sess 24. c. 17. de ref.* potest quidem Ordinarius habenti beneficium tenue, seu non sufficiens ad ejus honestam sustentationem, conferre secundum; sed non ultra duo ad effectum retentionis. Ita Garcias *p. 11 de beneficiis, c. 5 nu. 310. & seqq.* ubi plures refert Declarationes S. Congregationis Conc. Trid. quarum secunda, quam allegat, sic habet: *Episcopus potest conferre secundum beneficium, si primum non sufficit ad sustentationem: sed si duo non sufficerent, non posset conferri tertium absque dispensatione Apostolica.* Cæteræ plures Declarationes, per eundem Garciam adductæ, tradunt hoc ipsum. Concordat Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episcop. alleg 62. num. 6 & lib. 3 Jur. Eccles. unico cap. 13 num 180* citans pariter Declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Pirhing. *hoc tit num 187.* idipsum probans ex Declaratione Sacræ Congregationis Concilii *in cap. 17. Sess. 24.* quæ verbatim concordat cum priori per Garciam relata. 268

Eandem sententiam, ex professo à se examinatam, tenet Fagnanus *in c. cum jam dudum, n. 31. & seqq. de præb.* eamque distinctim, refutatis pluribus antiquorum opinionibus, probat ex novissimo Decreto Concilii Tridentini *Sess 24. c. 17. de ref.* ubi (omissis nunc prioribus ejusdem verbis) „ Statuit, ut imposterum unum tantum „ beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod „ quidem, si ad vitam eius, cui confertur, honestè su- „ stentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud „ simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem „ residentiam non requirat, eidem conferri. Siquidem Sacra Synodus verbis, *Statuit, ut imposterum &c* induxit Jus novum, juxta notata per Glossam *in Clem. Eos qui V. Deinceps de Regularib.* Deinde illis verbis: *Unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur,* junctis sequentibus verbis illis, *aliud simplex,* Concilium constituit regulam, ut unum tantum beneficium singulis conferatur: & permittit secundum in eo solum casu, in quo primum est insufficiens. Atque hanc esse mentem Sacri Concilii Tridentini, patet ex Declarationibus Sacræ Congregationis, quæ teste eodem Fagnano *cit. c. cum jam dudum n. 71. h. t.* sæpiùs in casibus contingentibus respondit, „ Episcopum habenti unum simplex beneficium, quod „ non sufficiat ad ejus sustentationem, posse aliud simi- „ le conferre, sed non posse ultra duo absque dispensa- „ tione Sedis Apostolicæ, etiamsi omnia simul ad illius „ sustentationem non sufficiant. Hæc Fagnanus, olim eidem S. Congregationi à Secretis, sicque pleniori de præmissis cognitione præditus. 269

Nec obstat, quod oppositam sententiam teneant Navarrus 270

varrus *Consil. 10. de præb.* Flamin. Parisius *lib. 3. de resignat. benef. c. 1. n. 141.* Alfons. Hojeda *cit. p. 2. de Incompatibili-tat. benef. c. 1. n. 25. & seqq.* ac præsertim *n. 36.* ubi asserit, hanc opinionem esse receptam, & approbatam à stylo Curiæ Romanæ: Nam videmus (inquit) quod post pu-blicationem Concilii Trid., & ejus confirmationem, Romani Pontifices, nempe Pius IV Pius V. & Grego-rius XIII. concesserunt sæpius, & sæpissimè uni benefi-ciario multa beneficia simplicia residentiam non requi-rentia simul. Addunt rationem: quia habere plura be-neficia cæteroquin compatibilia, quando duo ad hone-stam sustentationem non suffecerant, licebat Jure antiquo: juxta dicta *Concl. præc.* & istud non est mutatum per Concilium Tridentinum *loc. cit.* ergo ita dicendum de-facto, *l. Præcipimus C. de Appell.* cum similibus, Resp. enim, Stylum Curiæ Romanæ procedere duntaxat re-spectu authoritatis Pontificiæ, per quam posse obtineri, simulque retineri plura beneficia usque ad congruam su-stentationem, nemo negat: secus loquendo de authori-tate, & dispensatione Episcopali; prout liquet ex De-clarationibus S. Congregationis Concilii *nu. 268. & 269.* relatis.

271 Ad alterum negatur assumptum. Nam, quod Conc. Tridentinum, *ubi suprà*, statuendo Jus novum, quan-dam circa hoc mutationem induxerit, patet ex dictis *nu. 261. & seqq.* Et dato, quod verba dicti Concilii nonnul-lam continerent obscuritatem, neque adeò clarè istud expressissent: nihilominus ejusdem Concilii interpreta-tio non pertinebit ad privatos Authores, puta, Navar-rum, Parisium & Hojedam, ob expressam prohibitio-nem Pii IV. sed duntaxat ad S. Congr. Conc. quæ hacte-nus ita sensit, intellexit, declaravitque memoratum Concilium. Porro, quod hujus Declarationes, si affe-rantur in debita forma (prout, si opus fuerit, facile ha-beri poterunt) sint authoritativæ, vimque obligandi in utroque foro habeant, ex professo dictum est suprà *in pro-œmio Lib. 1. Decretal n. 130. & seq.*

272 Et hæc procedunt spectato Jure communi. Nam, si alicubi vigeret consuetudo recepta atque legitimè præ-scripta, ut si duo beneficia honestæ Clerici sustentationi non sufficiant, aliud simplex conferatur etiam episcopi authoritate, non videtur negandum, quin id sola episco-pi voluntate fieri possit: prout notat Azorius *p. 2. lib. 6. c. 31. q. 8. in fin.* Idque probatur per vulgata Iuris principia: tum quia consuetudo rationabilis, & legitime præscripta derogat Iuri positivo humano, *c. ult. de consuet.* cum simi-libus. Tum quia consuetudo legitime præscripta tribuit jurisdictionem, *c. duo simul 9. de offic. ord. & c. cum contingat. 13.* juncta Gl. *fin. de Foro comp.* Adeo, ut virtute ejusdem possit Episcopus justa de causa dispensare quoad Sacros Canones, juxta dicta superius *lib. 1. tit. 2. de const. §. 18. nu. 471.* Quamquam consuetudinem esse difficilis probatio-nis, ac proinde non illico asserendam passim notent DD. cum Gl. *fin. c. dilecti de consuetud.* Simulque hinc excipi de-beant tria beneficia sub eodem tecto, conformiter di-ctis paulò superius *n. 211.*

273 Additur tamen in data *nu. 268.* Conclusione, *sed non ultra duo ad effectum retentionis*. Nam secus dicendum quando Ordinarius habenti duo beneficia, ad honestam ejus sustentationem insufficientia, confert tertium, non ut is omnia tria simul retineat; sed ut adepta pacifica possessione tertii beneficii, forsan pinguioris, unum ex prioribus dimittat: talis enim Collatio tertii esset valida. Barbosa *p. 3. de offic. & potest. episc. alleg. 62. nu. 6.* citans alios ac Nicol. Garcias *cit. p. 11. de benef. c. 5. n. 10.* referens plu-res quoad propositum S. Congregationis Declarationes, ac præsertim sequentem. Nam proposita dubitatione, „primò, an si ordinarius conferat tertium beneficium „habenti iam duo beneficia simplicia, & dicta duo non „sufficiant ad sustentationem, talis provisio tertii bene-„ficii sit valida, vel potius nulla, vel per assecutionem „tertii vacent omnia dicta priora jam alias obtenta, aut „quodnam illorum? S. Congr. censuit, respondendo „ad primum, Collationem tertii beneficii esse validam „sed si tertium sit sufficiens, vacare illa duo priora be-„neficia: sin minus, teneri provisum dimittere alterum „ex ipsis. Hæc ibi. Concordant dicenda inferius *§. seq. num. 287. & 300.*

274 Quæritur V. Utrum per longævam consuetudinem in-duci possit, ut quis plura simul beneficia obtinere, atque retinere valeat? Resp. I. Loquendo cumprimis de bene-ficiis curatis, non valet consuetudo, etiam immemoria-lis, obtinendi plures ecclesias Parochiales, seu alia be-neficia curata in diversis Ecclesiis. Ita Abbas *in c. Extir-pandæ in repet. § qui verò n. 36. h. t.* Jo: de Selva *Tractatum tom. 15. tr. de benef. p. 4. q. 3. nu. 1.* Rebuffus *in praxi benef. tit. dispensatio de non residendo n. 66.* & alii passim: nisi quod Navarrus *cons. 21. de Cleric. non resid.* Pirhing. *h. t. n. 141.* & alii quidam hinc excipiant consuetudinem immemoria-lem. Ratio Conclusionis est: quia ejusmodi consuetu-do foret irrationabilis; cum sit damnosa ecclesiis, & pe-riculosa animabus parochianorum utpote suo proprio Re-ctore atque Pastore, cujus industria personalis pro me-liori earundem regimine eligebatur, in perpetuum, vel saltem ad longum tempus destitutis. Foret insuper irra-tionabilis consuetudo, eo quod pugnet contra præceptum Divinum; juxta Concilium Tridentinum *Sess. 23. c. 1. de ref.* imò & contra Jus naturale, quod Rector ecclesiæ te-netur personaliter residere, ac vi suscepti officii Pastora-lis, gerere curam commissarum sibi ovium Christi: istud enim præstari non posset, stante consuetudine retinendi plura beneficia curata in diversis Ecclesiis. Atqui con-suetudo irrationabilis, & pugnans contra Jus naturale & Divinum, nullo unquam tempore, etiam immemorabi-li, induci potest, *c. ult. de consuet.* cum similibus; ergo. Concordant dicta superius *tit. præc. § 5. n. 158. & 159.* ubi & fundamentum Navarri, atque aliorum, consuetudi-nem immemorialem admittentium diluitur.

Resp. II. Loquendo de beneficiis curam animarum non habentibus, nulla pariter consuetudine, etiam im-memoriali, fieri potest, ut *Canonici duos Personatus, aut duas Dignitates, vel præposituras, seu administrationes, aut duo officia* (perpetua) *vel eorum alterum cum reliquo* (pu-ta, Dignitatem cum Personatu, vel Præposituram cum officio perpetuo &c.) *possit in eadem Ecclesia licitè ab-sque dispensatione Sedis Apostolicæ obtinere*. Ita Textus Gloss & DD. *in c. 1 de consuet. in 6.* Ubi Pontifex ejusmo-di consuetudinem *Corruptelam (cum sacris sit inimica Ca-nonibus, & de ambitionis radice processerit) reputans, tam authoritate Apostolica reprobavit*: sicque veluti irrationabi-lis & cui Jus ipsum resistit, nullo unquam tempore intro-duci potest, *c. cum venerabilis 7 & c. ult. de consuetud.* estque amplius dictum supra *lib. 1. tit 4. de consuet. §. 2. n. 36. 37. & 45.* Cæterum, quod his non obstantibus, de consuetudi-ne possit quis in eadem Ecclesia præter Canonicatum, obtinere præposituram, vel dignitatem &c. dictum est suprà *§. præc. n. 210. & n. 238. & 239.* 275

Resp. III. Nulla consuetudine, etiam immemoria-li, potest induci, ut quis licitè recipere, simulque reti-nere valeat plura beneficia, quando unum eorum ab ho-nestam talis beneficiarii sustentationem sufficit. Patet istud ex dictis supra *§. 8. n. 214 215. 216. & seqq.* Quod ip-sum ampliatur ad consuetudinem retinendi duos Canoni-catus diversarum Ecclesiarum Germaniæ, juxta dicta superius *n. 229.* 276

Tacentur nonnulli alii casus, in quibus valere con-suetudinem quoad pluralitatem beneficiorum, nec ne, dubitari posset: nam de his, vel in propriis locis videri poterit, ut paulò superiùs *n. 210. & 211. ac seqq & cit. n. 229. & n. 242.* & alibi. Vel recurrendum erit ad genera-lia principia Juris, quæ quo ad propositum tradi solent, atque supra *lib. 1. tit. 4. de consuetudine, per totum*, ex pro-fesso tradita fuerunt: quamquam principaliora eorum ex proximè dictis satis colligi, atque ad alios consimiles casus applicari valeant.

§. X.

De vacatione Beneficiorum per assecutionem alterius incompatibilis.

S U M M A R I U M.

277 *Qua ratione successivè statutum fuerit, ut per receptionem secundi beneficii incompatibilis vacaret prius? Et num. seqq.*
Concorda tempora, & concordabis Jura. *Ib.*

Quin-

278 *Quinque tempora quoad propositum sunt distinguenda, Et num. seqq.*
279 *Primum tempus, erat ante Concilium Lateranense.*
280 *Secundum ejusdem Concilii Lateranensis sub Alexandro III.*
281 *Tertium, Concilii Generalis, seu alterius Lateranensis sub Innocentio III. Et quid tunc statutum fuerit quoad vacationem beneficiorum incompatibilium?*
282 *Cur* c. Referente & c. Præterea de præb. *non superfluant in Libris Decretalium?*
283 *Et an defacto adhuc locum habeant.*
284 *Quartum tempus est* Extrav. Execrabilis Jo: XXII. *Et quid in hoc sit constitutum circa vacationem beneficiorum incompatibilium.*
285 *Quintum tempus est Concilii Tridentini: & quid in isto fuerit decretum quoad eandem vacationem.*
286 *Beneficia incompatibilia primi generis; & beneficia incompatibilia secundi generis, quæ?*
287 *Collatio secundi beneficii incompatibilis, est valida.*
288 *Solvuntur instantiæ. Et n seq.*
289 *Collatio secundi beneficii est prohibita duntaxat quoad effectum retinendi utrumque: alias secùs.*
290 *Alia instantia. Remissivè.*
291 *Ante Concilium Tridentinum receptio secundi beneficii incompatibilis non inducebat vacationem prioris ipso jure &c.*
292 *Nisi utrumque fuisset beneficium curatum, Dignitas, personatus, aut officium.*
293 *Defacto, sive post Concilium Tridentinum, per receptionem secundi quomodolibet incompatibilis, vacat prius beneficium ipso jure. Et n. seqq.*
294 *Idque probatur ex verbis ejusdem Concilii.*
295 Beneficia alias incompatibilia *juxta mentem Concilii Tridentini, quæ?*
296 *Idipsum probatur multiplici Declaratione S. Congr. Conc. Et n. præc. ac n seqq.*
297 *Beneficium sufficiens ad honestam Clerici sustentationem, vacat per pacificam adeptionem alterius; etiam de se insufficientis.*
298 *Secùs, si primum est insufficiens, licet alterum de se sit sufficiens; & cur?*
299 & 300 *Referuntur aliæ Declarationes S. Congr.*
301 *Et Authores dictam sententiam tenentes.*
302 *Afferuntur rationes in oppositum.*
303 *Una cum Authoribus contrariam sententiam tenentibus.*
304 *Atque solvuntur.*
305 *Per receptionem tertii beneficii incompatibilis vacant ipso jure omnia priora, quæ quis ex dispensatione antea obtinebat. Et n. seqq.*
306 *Idque procedit in obtinente plures Dignitates, Personatus, vel beneficia curata &c.*
307 *Et defacto ampliatur ad alia beneficia quomodolibet incompatibilia.*
308 *Nisi dispensatio super illis simul retinendis legitimè fuerit obtenta.*
309 *Ratio ulterior præmissorum affertur.*
310 & 311 *Objectio notabilis ex* c. Ordinarii 3. de Offic. Ordinar. in 6. *ejusque solutio.*
312 Per cit c. Ordinarii, *non est revocatum* c. de multa h. t. *Et cur?*
313 *Multum interest aut collatio beneficii sit valida, nec ne: & quid?*
314 *Retinens secundum beneficium una cum primo incompatibili; an privetur utroque? Et n. seqq.*
Olim privatio secundi incompatibilis non inducebatur ipso jure; sed opus erat sententia Judicis. Ib.
315 *Et hæc privatio potuerit infligi licèt quis in jure noluerit contentiosè secundum retinere cum primo.*
316 *Defacto plura incompatibilia beneficia contra S. Canones simul retinens, ipso jure utriusque privatus existit.*
317 *Idque probatur multipliciter. Et n. præc.*

277 QUæritur I. Qua ratione à S. Canonibus successivè statutum fuerit, ut per receptionem secundi bene-ficii incompatibilis vacaret prius? Et additur notanter, *successivè*: nam impræsentiarum specialiter si-bi locum vendicat illud vulgatum, *Concorda tempora, & concordabis Jura*; quod desumitur ex *can. Si peccaverit 2. q. 1.* juncta Gl. *can. Si Ecclesia 23. q. 4. V. Temporibus*. Siquidem pro temporum varietate, atque exigentia, diversæ de-super emanarunt Decretales, atque Constitutiones Apo-stolicæ, quarum posteriores semper aggravarunt rigorem priorum; sicque à præcedentibus non nihil discordant. Unde

Notandum est cum Abbate *c. quia nonnulli n. 4. de Cleric. non resid.* Garcia *p. 11. de beneficiis, c. 5. n. 1. & seqq* Fagna-no *in c. referente n. 6. h. t.* & aliis communiter, quod pro re-cta intelligentia, & conciliatione, seu concordia SS. Ca-nonum, quantum ad propositum, quatuor tempora sint distinguenda ante Conc. Trid. quibus defactò oportet ad-dere quintum tempus, videlicet tempus post memora-tum Tridentinum. 278

Et quidem primum tempus erat ante Concilium Late-ranense, celebratum sub Alexandro III. anno Domini 1179. quo tempore habens duas Ecclesias Parochiales, vel Dignitates, compellebatur quidem alteram dimittere, sed data optione quam maluerat eligendi, atque retinen-di; sicque neutra vacaverat ipso jure. Et pro hoc tem-pore procedit *c. referente 7. & c. præterea 14. h. t.* quorum utrumque fuit editum ab Alexandro III. ante memora-tum Lateranense Concilium; prout desumitur ex Super-scriptione ipsorum, & notat Abbas *cit. n. 4.* Veruntamen dispositio horum Capitulorum successu temporis fuit im-mutata; & an defacto locum adhuc habeat in uno, vel altero casu, dicetur infrà *n. 282. & 283.* 279

Secundum tempus est dicti Concilii Lateranensis, sub Alexandro III. celebrati. In hoc siquidem Concilio *c. 13.* statutum fuit, ut uni plures Dignitates, vel Ecclesiæ Parochiales non conferantur; sed, „Cum Ecclesia vel „Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad „hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam „ejus per seipsam valeat exercere. Quod si aliter actum „fuerit, & qui receperit, quod contra S. Ordines acce-„pit, amittat: & qui dederit, largiendi potestate pri-„vetur. Hæc ibi: atque refertur *c. quia nonnulli 3. de Cle-ric. non resid.* Quod proinde intelligendum est pro hoc se-cundo tempore, ubi recipiens plures Dignitates, vel Pa-rochias, privabatur posterius accepta (non quidem ipso jure, sed per sententiam Judicis) prout judicat ly, *ami-tat*, atque notat Abbas *in c. c. quia nonnulli n. 4.* Fagnanus *ubi suprà n. 7.* simulque ita illicite conferens, in pœnam sui excessus privari debebat potestate conferendi pro ea vice. Verum etiam istud Capitulum successu temporis quoad priorem suam partem immutatum fuit, etsi re-manserit incorrectum quoad posteriorem; estque jam di-ctum suprà *tit. præc. §. 1. n. 19.* 280

Tertium tempus est Concilii Generalis: id est, La-teranensis alterius, sub Innocent III. celebrati an. 1216. quodque per antonomasiam appellatur *Concilium Generale*, juxta dicta superiùs *in Proœmio Libri Decretalium n. 112.* In hoc siquidem Generali Concilio, cum priores Constitutiones propter præsumptiones, & cupiditates quorundam, minùs proficuæ reperirentur, expressius providendo statutum fuit, „ut quicumque receperit ali-„quod beneficium curam habens animarum annexam, si „prius tale beneficium habebat eo sit ipso jure privatus: & „si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. „Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post „receptionem alterius liberè conferat &c. Hactenus Concilium Generale: idque paulo inferius decernit, hoc ipsum esse observandum in Dignitatibus, & Personati-bus ejusdem Ecclesiæ, etiamsi curam non habeant ani-marum; uti patet ex *c. de multa 28. h. t.* quod est desum-ptum ex præfato Concilio Generali, sicque intelligen-dum pro statu tertii temporis prææallegati. Unde pro hoc tempore non amplius relinquitur optio retinendi unum ex duobus beneficiis curatis, Dignitatibus, vel Perso-natibus, quæ quis recepit; neque alterutro eorum solum per sententiam Judicis privari debet: sed prius per rece-ptionem secundi vacat ipso jure: ita ut statim alteri con-ferri valeat; prout liquet ex allegatis verbis. Quamquam illud solummodo locum habeat in beneficiis curatis, Di-gnitatibus & Personatibus, utpote de quibus tantum ibi-dem fit mentio; atque uberiùs dicetur in progressu. 281

Hinc si contra præmissa objicias. Stante *c. De multa 28. h. t.* nihil amplius operatur *c. referente 7. & c. præterea 14. de præbend.* Ergo frustra hæc duo Capitula posita fuerunt 282

in

In Compilatione quinque Librorum Decretalium Gregorii IX. contra dicta in Proœmio eorundem, ibi: *Resecatis superfluis*. Resp. cum Abbate *in d.c. referente n.3.b.t.* Pirhing. *eod. n.* 146. & aliis, neg. antec. Quia enim relatum *c. de multa h.t.* solum loquitur de pluribus beneficiis curatis, ac Dignitatibus & Personatibus simul receptis, quorum primum decrevit ipso jure vacare per receptionem posterioris: hinc alia memorata duo Capitula post tempus *c.c. de multa h.t.* & quando fiebat compilatio quinque Librorum Decretalium Gregorii Papæ IX non superfluebant, sed locum habebant in cæteris beneficiis; nam in his adhuc Provisio relinquebatur optio plura habenti, ut eligeret retinendum, alterum vero dimitteret, vel eodem privaretur; putà, in beneficiis non curatis, nec Dignitatem vel Personatum habentibus, v.g. in duobus Canonicatibus, aut duobus beneficiis simplicibus personalem residentiam requirentibus; itemque in uno curato, & altero simplici residentiam requirente. Siquidem correctio Jurium, quantum fieri potest, est evitanda, *c. cum expediat 29. de elect. in 6.* Nec censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori, *l. præcipimus de Appell.* cum similibus.

283 Addit Fagnanus *in c. referente n.9. h.t.* & Pirhing. *cit. n* 146. dispositionem illius Decretalis etiam de facto, atque post ipsum Concilium Tridentinum adhuc procedere quando plura beneficia incompatibilia simul conferuntur eorumque possessio simul acquiritur, ita ut constare non possit, cujus possessio prius fuerit acquisita. Nam tunc etiamnum datur optio eligendi unum ex ipsis, alterumque dimittendi: quia casus iste non est decisus in cæteris posterioribus Juribus (hæc enim solùm loquuntur de pluribus beneficiis incompatibilibus successivè acquisitis) ac proinde is remanet sub dispositione Juris communis antiqui; atque expressi *in c.c. referente 7.h.t.*

284 Quartum tempus, ipsumque Concilium Tridentinum pariter præcedens, est tempus Constitutionis, seu extravagantis Ioannis XXII. quæ incipit, *Execrabilis* atque refertur tum inter *Extravagantes Communes h. t.* sed sub diversis Glossis. In qua imprimis Pontifex, post enumerata incommoda, ex pluralitate receptorum beneficiorum provenientia, §. *Statuimus ergo*, multa statuit circa dimissionem plurium beneficiorum, quæ *nunc* (id est, tempore publicationis dictæ Extravagantis) vel ex dispensatione legitima, vel sine ulla dispensatione nonnulli habuerunt. Deinde Pontifex, volens providere malis in futurum ex eorum pluralitate proventuris, §. *qui verò deinceps*, decrevit, ut si „qui deinceps receperint dignitatem, vel personatum, seu officium, aut „aliud beneficium animarum curam habens annexam, „si anteà simile beneficium obtinebant, illud (quo ipso „jure, postquam secundi possessionem habuerint, vel „[illegible] omni dolo, & fraude cessantibus, quo minus „[illegible] absque mora „[illegible] manibus dimittere debeant „[illegible] ex tunc sint ipso jure secundo pri„[illegible] Ordines, quin „[illegible] beneficium ec„[illegible] Unde [illegible]

285 [illegible] „[illegible] sive „[illegible] „[illegible] „sacrorum Canonum, & præter [illegible]

„centii III. quæ incipit, *de multa*, recipere, ac simul „retinere præsumpserit, beneficiis ipsis, juxta ipsius „Constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam præ„sentis Canonis vigore, privatus existat. *Hæc ibi.*

Et conformiter præmissis potest intelligi illa vulgata divisio beneficiorum incompatibilium, videlicet primi, & secundi generis; cujus meminerunt Navarrus *Cons. 24. num 2. & 3. de præb.* Garcias *p.11. de beneficiis, c. 5. n. 67.* Vallensis *tit de Concession. præb. §. 4. nu. 3. & 5.* Pirhing. *h t. n.* 124. Sannig. *eod. c. 2. n. 7.* & alii. Siquidem *beneficia incompatibilia primi generis* dicuntur ea, quæ simpliciter sunt incompatibilia; ita ut per pacificam receptionem secundi, vacet prius ipso jure. Et talia, juxta sæpè *cit. c. de multa h. t.* sunt duo beneficia curata, duæ Dignitates aut duo Personatus. Item duo beneficia uniformia sub eodem tecto, *c. Litteras, 9. de Concession. præb. & c. 1.* juncta Glossa *V. vel jam obtenta, de consuetud. in 6.* & alia hujusmodi, quæ ita sunt incompatibilia, ut per receptionem posterioris illico excludatur prius, atque istud vacet ipso jure. *Beneficia incompatibilia secundi generis* vicissim censentur ea, quæ quidem sunt incompatibilia quoad retentionem, adeo ut simul retineri non possint; non tamen per receptionem secundi vacat prius ipso jure, sed datur optio habendi; ut eligat retinendum, & alterum dimittat: alioquin verò per Iudicem isto privetur, juxta textum apertum *in c. referente 7. h. t.* Verum de facto, sive post Concilium Tridentinum, rarius locum habet istud posterius membrum datæ distinctionis, dummodo excipias casum *n.* 283. relatum, alioquin enim, si beneficia quomodocunque incompatibilia simul recipiantur, semper posterius inducit vacationem prioris ipso jure, juxta Concil. Tr. *Sess. 7. c. 4. de ref.* atque ex professo dicetur *num.* 293. *& seqq.* 286

Quæritur II. Utrum collatio secundi beneficii incompatibilis sit valida? Resp. I. Collatio secundi beneficii, etiam cæteroquin incompatibilis, ex hoc capite non est nulla, sed valida: quamvis adepta effectualiter pacifica possessione posterioris vacet primum, modo proximè declarando. Ita quoad priorem partem Gloss. *fin. in c. ordinarii, 3. de off. ordinar. in 6.* Fagnanus *c. Super inordinata, n. 9. h. t. & c. cum jam dudum, n. 43. eod.* istud inter alia probans ex eo, quia nullum Ius ostendi potest, quo dicitur invalida collatio secundi beneficii incompatibilis. Accedit *c. de multa*, 28. *h. t.* ubi recepto secundo beneficio incompatibili, dicitur vacare prius ipso jure: nam si valida non esset collatio secundi, sequeretur, quod talis careret utroque beneficio. Primum enim vacaret ipso jure, collatio autem secundi foret invalida, sicque nullum tribueret jus quod est contra expressum textum *c. c. de multa h.t.* suprà *n.* 281. relatum, ubi tunc primum jubetur quis spoliari secundo, quando simul cum eo primum beneficium retinere contenderit. Concordant dicta superius §. *præced. n.* 273. 287

Nec obstat textus in *c. quia nonnulli, 3. de Cleric. non residen.* ubi loquendo de Clericis, plures dignitates, aut ecclesias Parochiales recipientibus, statutum legitur: *Quod si aliqualiter* (sive contra prohibitionem illius Capituli) *alium fuerit, & qui receperit, quod contra Sacros ordines recepit, amittat*, videlicet posterius beneficium. Re. enim cum Fagnano *in c. c. quia nonnulli, nu.* 8. istud Capitulum hodie esse correctum per Decretalem, *de multa h. t.* ubi recipiens secundam dignitatem, aut beneficium curatum, non est privatus ipso iure, nec privandus posteriori (nisi forsan istud simul cum priori retinere contenderit) sed ipso jure privatus est priori, uti patet ex proximè distinctis diversis temporibus. 288

Neque rursus obstat, quod Conc. Trid. *Sess. 24. c. 17. de ref.* (argumento à sensu contrario) prohibeat collationem secundi beneficii, etiam simplicis, quando primum est sufficiens ad honestam sustentationem Clerici. Resp. enim cum Fagnano *c. cum jam dudum, n. 70 h. t.* quod illo non obstante S. Congreg. Concilii sæpiùs declaraverit, collationem secundi non esse irritam. Siquidem Concilii recipit interpretationem à jure communi: ita videlicet, ut quamvis simpliciter prohibeat collationem secundi, istud tamen intelligi debeat ad effectum retinendi [illegible] 289

Alia instantia proponetur, ac solvetur infra *n.* [illegible] *seqq.* [illegible] ostendendo *n.* 319. quid intersit, quod collatio bene- 290

beneficii sit valida, nec ne. Altera vero pars datæ *n.* 287. Conclusionis indiget speciali discussione, & quæstione: Unde

291 Quæritur III. An, quomodo receptio secundi beneficii incompatibilis, inducat vacationem prioris? Resp. I. Ante tempus Concil. Trid. receptio secundi beneficii incompatibilis non inducebat vacationem prioris ipso jure, sed dabatur optio eligendi alterutrum, quod quis maluerat, altero dimisso, vel per Judicem ablato: nisi utrumque fuisset beneficium curatum, aut dignitas, vel Personatus, sive Officium perpetuum. Ita communis Doctorum; atque patet ex distinctione quatuor temporum proximè relata, & communiter recepta. Et quidem prior pars desumitur ex *c. referente 7. & c. præterea, 14. h. t.* Hæ enim duæ Decretales ante tempus Concil. Tr. non fuerunt correctæ, nisi quoad beneficia curata, Dignitates, Personatus, & Officia: unde quoad alia beneficia remanserunt in suo vigore. Nam quia correctio jurium, si fieri potest, evitanda est, *c. cum expediat 29. de elect. in 6.* non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori, *l. præcipimus, c. de appell.* Accedunt dicta *n.* 282.

292 Altera pars Conclusionis patet imprimis ex *c. c. de multa 28. h. t.* ubi loquendo de beneficiis curatis, nec non de dignitatibus, & Personatibus ejusdem Ecclesiæ, etiam curam animarum non habentibus, in Concilio Generali, celebrato sub Innocentio III. (sicque longe ante Tridentinum) jam statutum fuerat, ut per receptionem secundi, illicò beneficiarius ipso jure sit privatus priori ejusmodi beneficio: ac notat Glossa *ib. in Casu*, & Abbas *num. 1. & seqq.* & Barbosa *in Collect. num.* 1. citans alios, estque jam dictum *num.* 281. Concordat *Extrav. Execrabilis Jo: XXII. §. qui vero deinceps h. t.* id ipsum statuens, nisi quod Dignitatibus, Personatibus & beneficiis curatis, addiderit *Officium* (nempe perpetuum, *arg. c. 1. de consuet. in 6.* & quia Officia temporalia non sunt propriè dicta beneficia) simulque decreverit, ut prius beneficium incompatibile verbo, & facto, in manibus Ordinarii absque moræ dispendio dimitteretur: alloquin ex tunc ipso jure vacaret utrumque, & provisus efficeretur inhabilis ad ordines sacros, & quæcunque beneficia; uti liquet ex verbis ejusdem *n* 284. relatis.

293 Resp. II. De facto, sive post tempus Concilii Trid. quicunque plura beneficia curata, sive alias quomodolibet incompatibilia, simul receperit, per adeptionem secundi pacificè, atque effectualiter possessi, mox priore beneficio est ipso jure privatus; sicque istud vacat. Ita S. Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum. Rota & DD. proximè citandi: quidquid spectato Jure communi in oppositum teneat Navarrus *Cons. 17. de præbend.* cum nonnullis aliis, quorum fundamentum loco objectionum ponetur.

294 Ratio conclusionis est. Quia de facto, sive per Concilium Tridentinum *Sess. 7. c. 4. de ref.* rigor antiquorum Canonum est multum exaggeratus: & cum isti, inducendo vacationem ipso jure prioris beneficii per receptionem alterius, *In c. c. de multa h. t. Extrav. execrabilis eod.* loquerentur duntaxat de beneficiis curatis, dignitatibus, personatibus & officiis, ut dictum Concilium Tridentinum *loc cit.* idipsum extendit ad quæcunque *alias incompatibilia beneficia ecclesiastica*, prout loquitur textus ejusdem *n.* 285. relatus. Hisce enim verbis, ut observat Rota *dec. 483. n. 4. p. 1. divers.* & Fagnanus *c. de multa n. 3 h. t.* citans alios, memoratum Decretum Concilii Tridentini loquitur generaliter de quibuscunque beneficiis incompatibilibus vigore quorumcunque Canonum: nec se restringit ad textum *cit. c. de multa eod.* cum opposuerit ly, *Præsertim*, quæ est dictio implicativa; atque implicat, sive denotat, idem esse dicendum in cæteris casibus incompatibilitatis beneficiorum, putà, in beneficiis *aliàs incompatibilibus*: licet fortior ratio militet in expressis, nempe in illis beneficiis de quibus fit mentio in sæpè *cit. c. de multa h. t.*

295 Porrò inter *Beneficia alias incompatibilia*, juxta mentem citati Concilii, connumerantur imprimis duo simplices Canonicatus diversarum Ecclesiarum: nam hi, utpote spectato Jure communi requirentes perpetuam residentiam, demptis duobus aut tribus mensibus, juxta Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 12. de ref.* censentur beneficia incompatibilia, licet non sint curata, nec dignitates, nec personatus. Deinde idipsum procedit de Canonicatu & Ecclesia Parochiali, dummodo hæc non sit unita Canonicatui: quia seclusa tali unione quodlibet ipsorum requirit personalem residentiam, qualis ab eodem in diversis locis præstari nequit. Item duo beneficia simplicia, si quodlibet horum personalem residentiam requirat: vel si primum eorum sit sufficiens ad honestam Clerici sustentationem: nam & ista sunt incompatibilia, ut dictum superiùs *n.* 213. 214. *& seqq.* sicque per assecutionem posterioris vacat prius ipso jure: prout exemplificat Fagnanus *cit. c. de multa num. 3. & seqq. h. t.* asserens inter alia, quod *primum beneficium simplex, si sit sufficiens per receptionem alterius similis, & similiter primum personalem residentiam requirens, licet non curatum, nec sufficiens, per receptionem secundi similis, vacant ipso jure: ut per Rotam Dec. 497. nu. 1. p. 1. Recent. Et ita sæpius fuit responsum à S. Congregatione Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum.* Hæc ille.

Confirmatur, simulque exemplificatur Conclusio multiplici Declaratione ejusdem S. Congr. Aliquando enim censuit, habenti beneficium sufficiens posse quidem conferri aliud, sed habita possessione secundi, vacare primum sufficiens; prout refert Fagnanus *loc. cit. n.* 4. 296

Atque istud ampliatur ad eum casum, quo secundum beneficium de se foret insufficiens ad honestam Clerici sustentationem. Quia enim juxta Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 17. de ref.* unum duntaxat beneficium Ecclesiasticum singulis conferri debet, nisi illud sit insufficiens: hoc ipso, si quis habeat unum sufficiens, nequit idem conferri aliud beneficium etiam de se insufficiens, sicque illud censetur incompatibile cum priori; ac proinde prius, per pacificam alterius adeptionem, vacat ipso jure. Garcias *p. 11. de benefic. c. 5. n. 300. & 301.* Pirhing. *h. t. num.* 186. Fagnanus *c. cum jam dudum, num. 43. & nu. 69. eod.* referens, quod S. Congregatio sæpius responderit, per adeptionem secundi beneficii, etiam insufficientis, vacare primum sufficiens ipso jure, ex *cap. 4. Concilii, Sess. 7.* 297

Aliud videtur dicendum in casu converso: videlicet, quando habens primum beneficium insufficiens ad suam honestam sustentationem, acquirit secundum de se sufficiens: quia non obstante hujus sufficientia, potest simul retinere primum insufficiens. Fagn *c. c. cum jam dudum n 56. & seqq. h. t.* asserens; hanc quæstionem in Congregatione publica, votis tamen hinc inde variantibus, latè discussam fuisse, ac postea *nu. 57. & 58.* istam sententiam tenens: & sequitur Pirhing. *cit num.* 186. etsi dissentiat Garcias *cit. p. 11. c. 5. n. 303. & 304.* Accedit ratio disparitatis: siquidem habens primum sufficiens, cum jam habeat congruam sustentationem, videtur ad impetrationem secundi, licet de se insufficientis, moveri ex avaritia, & ambitione; quæ sunt præcipuæ causæ, cur pluralitas beneficiorum prohibita fuerit. Econtrà ille, qui habet primum non sufficiens, justè appetit secundum ad suam honestam sustentationem: & quamvis per accidens contingat, quod istud de se sufficiat, non tamen idcirco debet incidere in pœnam privationis primi insufficientis: quia appetendo secundum non peccat, imò istud facit authoritate Legis, sive Conc. Trid. *Sess. 24. c. 17. de ref.* nec ullibi reperitur talis pœna privationis imposita. 298

Deinde S. Congregatio Concilii censuit, eum qui retinere præsumit plura beneficia incompatibilia ratione residentiæ post Concilium, incidere in Decretum Concilii *Sess. 7 c. 4.* prout refert Fagnanus *c. de multa n. 4. & 5. h. t.* illicò subjungens aliam ejusdem Declarationem, qua generaliter censuit, in omnibus beneficiis residentiam requirentibus, aut alias quomodocunque incompatibilibus, etiamsi Canonicatus sint, aut Portiones, induci vacationem ipso jure primi per adeptionem secundi pacifice possessi, ex *c. c. 4. Sess. 7* & juxta dispositionem *c. De multa, de præb.* 299

Aliam, eamque nobilem Declarationem S Congregationis, refert Garcias *d. p. 11. de beneficiis, c. 5. num. 310. V. Septima* & Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 62. num. 6.* citans alios: videlicet, quod si Ordinarius conferat tertium beneficium habenti jam duo beneficia simplicia, sed tamen insufficientia ad sustentationem; colla- 300

collatio tertii valida quidem existat, sed si tertium sit sufficiens, vacent illa duo priora beneficia: sin minùs, teneatur provisus unum ex illis dimittere: & si continuaverit possessionem amborum, recipiendo ex eis fructus, utrumque beneficium vacare censeatur. Tacentur nonnullæ aliæ Declarationes S. Congr. Conc. nam relatæ sufficiunt tum in probationem Conclusionis, tum ad removendum omne dubium de veritate talium Declarationum, ut pote per tam graves Authores allegatarum; quamquam cæteroqnin plena fides eisdem non debeatur, donec in forma authentica exhibeantur, ut jam sæpiùs dictum.

301 Atque ideo datam *n. 293* Conclusionem tenet Fagnanus, *ubi suprà*. Alfonsus Hojeda *Tractatuum tom. 25 tr. de Incompatibilit. benef. p. 1. cap. 9. num. 5.* Barbosa *cap. de multa, num. 7. h. t. & p. 3. de offic. & potest. Episcop. alleg. 57. num. 6.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. gloss. 15. num. 16.* allegans Declarationem Sac. Congregationis Concilii Tridentini *super 4. c. Sess. 7.* in hæc verba: *Quod de incompatibilibus beneficiis dicitur in hoc c. 4. idem intelligendum est de omnibus beneficiis residentiam requirentibus, vel duobus Canonicatibus, vel Canonicatu cum Parochiali.* Hæc ille, mox subjungens aliam Declarationem ejusdem Sacræ Congregationis, adhuc generalius loquentem. Quinimò hanc sententiam esse indubitanter tenendam, ipsamque practicari in Dataria, & Cancellaria Apostolica, & jam teneri in Rota, asserit Nicol. Garcias *cit. part. 11. de beneficiis, c. 5. num. 84. 85.* & *86.* allegans insuper complures alias Declarationes Sacræ Congregationis Concilii.

302 Dices: Jura juribus concordanda sunt, eorumque correctio evitanda, si fieri potest, *c. cum expediat 29. de elect. in 6.* Atqui istud in proposito fieri potest: ergo Concilium Tridentinum *c. c. 4. Sess. 7. de reform.* ita intelligendum est, ut non corrigat dispositionem *d. c. de multa h. t.* neque extendatur ad duo simplicia beneficia personalem residentiam requirentia, vel quorum unum sufficit ad honestam Clerici sustentationem. Minor probatur. Tum quia spectato Jure Canonico antiquo beneficia, etiam incompatibilia propter requisitam in ipsis personalem residentiam ipso Jure non vacant, nisi sint Curata, Dignitates, vel Personatus, de quibus fit mentio *in c. c. de multa h. t.* neque Concilium Tridentinum *loc. cit.* expresse contrarium decrevit. Tum quia verba illa relati Concilii Tridentini, *aut alias incompatibilia*, sufficienter, & absque ulla jurium correctione salvantur, si placeat illa intelligere de Dignitate & personatu non curatis, de quibus pariter loquitur *c. de multa h. t.* ibidem allegatum. Tum tandem, quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* verbis illis: *etiam præsentis Canonis vigore*, satis indicasse videtur, quod noluerit novam vacationem ipso jure inducere; sed duntaxat veterem confirmare: statuendo videlicet, ut beneficia illa, quæ per Jus antiquum, & præsertim per dispositionem *cit. cap. de multa, hoc tit.* forsan alicubi non exacte observatam, etiam per illud novum vacent ipso jure.

303 Atque idcircò, quantum est spectato Jure communi, & nisi authoritas Sacræ Congregationis obstaret, contrariam sententiam fore tenendam, censuit Navarrus *consil. 17. de præb* quod incipit, *An per adeptionem*: eandemque contrariam sententiam tenet Flamin. Parisius *lib. 3. de resignat. benef. q. 1. num. 132.* exinde cum pluribus aliis inferens, quod obtinens beneficium simplex residentiam requirens, si postea obtineat aliud beneficium simplex pariter residentiam requirens, non vacet primum ipso jure; sed detur optio eligendi, quod maluerit; & alterum dimittendi. Quam sententiam esse valde probabilem, & in praxi tutam, saltem ubi Decretum Concilii Tridentini *cit. Sess. 7. capit. 4. de Reformation.* in eo sensu, & rigore receptum non est, asserit etiam Pirhing. *hoc tit. num. 149. & 154. V. Ex dictis.*

304 Verum, quidquid sit de contraria consuetudine, seu Concilio Tridentino in tanto rigore alicubi non recepto, sententia Navarri spectato Jure communi sustineri non potest, ob fundamenta *n. 294. & seqq.* relata Nec urgent rationes ejusdem. Navarri, in oppositum allatæ: negatur enim Minor principalis. Ad cujus primam probationem, negatur Assumptum quoad alteram partem. Ad secundam probationem rursus negatur Assumptum, ob dicta *n. 294.* Ad tertiam, eamque ultimam probationem, pariter negatur Assumptum: nam Dictio illa, *Etiam præsentis Canonis vigore*, generaliter perstringit, & afficit omnia beneficia superiùs enumerata: hoc est, tam curata, quam *alias incompatibilia beneficia*, utpote de quibus omnibus sermo est sub eodem contextu verborum: & hinc vigore illius Canonis æqualiter vacant ipso iure tam plura beneficia curata, quam alias incompatibilia, *arg. l. Jam hoc iure, ff. de Vulgar. & pupill. substit.* Unde corruit relata Navarri interpretatio: præsertim, cum talis sit prohibita privatis Autboribus respectu Concilii Tridentini; illa vero, ac pluries repetita Declaratio S. Congr. Concilii, emanaverit legitima cum authoritate Romani Pontificis, sicque à principio conditæ Legis, seu Canonis à Concilio Tridentino promulgati, eidem insuisse noscatur, iuxta *Authent. de Raptis mulierib. §. fin. Coll. 9.* estque amplius dictum supra *in Proæmio lib. 1. §. 8. nu. 131. & 132.*

305 Quæritur IV. An per receptionem tertii beneficii incompatibilis vacent omnia priora, quæ quis ex legitima dispensatione antea obtinebat? Resp. I. In illis casibus, in quibus vacat unum beneficium Ecclesiasticum per receptionem, atque pacificam possessionem alterius, vacant etiam plura per receptionē, pacificamq; possessionem tertii: adeoq; ex dispensatione obtinens duas v. g. Dignitates, Personatus, aut Beneficia curata, si aliam Dignitatem, vel Personatum &c. recipiat, adepta effectualiter hujus possessione pacifica, vacant ambæ Dignitates &c. prius habitæ ipso iure. Ita textus expressus *in Clem. Si plures 3. de præb.* authoritate Clementis V. in Concilio Viennensi sic statuens: *Si plures obtinens dignitates aliam dignitatem, aut beneficium curam animarum habens acceptet, dispensatione super hoc legitimè non obtenta, ejus possessione adepta pacificè, dignitates; quas prius habebat, ipso facto vacare censemus. Sicut si dignitatem unicam obtinenti alia similis conferretur, ejus pacifica possessione habita, prima de jure vacaret.* Ubi Glossa, Abbas, Vivianus *in Rationali*, Azorius *part. 3. lib. 6. cap. 13. quæstion. 10.* Pirhing. *h. t. nu. 172.* & alii.

306 Dicitur imprimis in relata Clementina; *Si plures obtinens Dignitates.* Quod cum Gl *ib. V. Dignitates* Azorius *loc. cit.* & Pirhing. *cit. n. 172* ampliatur ad obtinentem plures Personatus, vel beneficia curata: aut alterum cum altero, v. g. dignitatem cum personatu, vel hunc cum beneficio curato: cum sit eadem ratio.

307 Quin etiam defacto istud ampliatur ad alia beneficia quomodolibet incompatibilia; prout notat Fagnanus *c. cum jam dudum, n. 69. h. t.* & innuit Garcias *p. 11. de benef. cap. 5. num. 299.* Etenim Concilium Tridentinum *Sess. 7. c. 4. de Ref.* innovans priores Sacros Canones, ac præsertim *cap. De multa, h. t.* ampliavit omnia Jura antiqua, sicque etiam allegatam *Clem. si plures eodem* ad quamcunque speciem incompatibilitatis: hoc est, non solum ad plura curata, sed etiam ad omnia *alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica*, iuxta dicta paulò superius *n. 294. & seqq.*

308 Deinde dicitur in eadem Clementina, *dispensatione super hoc legitimè non obtenta*: videlicet super retinenda illa tertia Dignitate, vel beneficio curato, una cum pluribus illis dignitatibus &c. antea iam obtentis; ut explicat glossa *ib. V. Super hoc.* Et additur *ejus possessione adepta pacificè*, ob dicenda *n. 318. & seqq.*

309 Ultimo dicitur, *Dignitates, quas prius habebat, ipso facto vacare censemus: sicut si dignitatem unicam obtinenti alia similis conferretur &c.* Quia plures illæ dignitates, propter dispensationem habentur loco unius beneficii, ut notat Vivianus *in rational. ib.* Unde meritò, imò, & à fortiori, vacant duæ præhabitæ dignitates per adeptam pacificam possessionem tertiæ (nisi super hac pariter extiterit dispensatum) cum Jus commune plus abhorreat tres dignitates simul retinere, quam duas: ipsæque dispensationes sint odiosæ, ac restringendæ, præsertim circa pluralitatem beneficiorum, veluti ambitiosam, *c. Quamvis pleníssima 4. h. t. in 6.* cum similibus. Concordat *c. Non potest 21. de præb. in 6.* ubi dispensatio Apostolica, ut quis duo beneficia curata, simul recipere, ac retinere licitè valeat, restringenda, & intelligenda dicitur de duobus primis beneficiis, post Indultum, illud receptis: sicque tertium in locum primi, vel secundi, subrogare non licet: glossa *in cit. Clem. Si plures 3. V. Vacare h. t.*

310 Obicies contra datam Conclusionem, maioris claritatis gratia. Data dispensatione super retinendis duobus beneficiis incompatibilibus, collatio tertii incompatibilis est invalida; ergo non potest inducere ipso facto vacationem duorum priorum beneficiorum, per legitimam dispensationem antea possessorum. Consequentia patet: quia *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.* Juxta Reg. 52. Jur. in 6. Antecedens vero probatur ex *c. Ordinarii 3. §. fin. de offic. ordinar. in 6.* ubi dicitur: quod habenti plura beneficia incompatibilia etiam ex legitima dispensatione, non possit aliud tale conferri, nisi dispensatio ad illud se extendat, aut nisi provisus illa priora *libere ac sponte resignet: alter autem de beneficiis talibus facta collatio nullius penitus sit momenti.* Resp. Quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam, vel potius suppositum eius. Nam *in cit. Clem. Si plures de præb.* sicut & in Conclusione nostra, non dicitur, quod in dato casu vacatio priorum beneficiorum, ex dispensatione possessorum, ipso facto inducatur per collationem tertii (revera enim collatio tertii est invalida, sicque non præstat impedimentum, sed solummodo dicitur, quod post adeptam possessionem pacificam tertii, vacent ipso iure priora illa beneficia per dispensationem habita. Tali enim vitiosa possessione secuta (ea nempe; quæ est facta non resignatis spontè prioribus beneficiis, ad quæ simul retinenda dispensatio sese non extendebat) meritò vacant ipso iure priora beneficia; juxta *cit. Clem. Si plures h. t.* cum etiam propter huiusmodi possessionem justam seu validam, inducatur vacatio ipso jure præhabiti beneficii, juxta *c. de multa 28. h. t.* Neque enim decet: ut stultus, sive injustus possessor, melioris conditionis existat, quam peritus, sive justus; prout in simili casu beneficii injustè occupati statuit, atque argumentatur Pontifex *in c. Eum qui 18. h. t. in 6.* Gl. *cit. Clem. Si plures V. vacare in fin. h. t.* Garcias *cit. p. 11. c. 5. n. 171.* & alii.

311 Additur notanter in responsione. *Quidquid sit de Antecedenti.* Licet enim in dato casu collatio tertii beneficii revera sit invalida, juxta *c. c. Ordinarii, §. fin. de offic. ordin. in 6.* idem tamen juris quoad vacationem ipso facto beneficiorum præhabitorum fuisset, etiamsi valida extitisset. Nam etiam in hoc posteriori casu beneficium prius non vacat ipso jure per nudam collationem alterius incompatibilis; sed duntaxat per hujus receptionem, seu obtentam pacificam possessionem, *arg. d. c. de multa h. t.* atque ampliùs *n. 318.* dicetur.

312 Quod si petas, an per *c. c. ordinarii §. fin. de offic ordinar. in 6.* revocatum fuerit *c. de multa 28. h. t.* juxta quod collatio posterioris beneficii valida existit, conformiter dictis suprà *n. 287.* Resp. Negativè. Quia, ut notat Glossa *in cl. §. fin. V. nullius* & Fagnanus *cum jam dudum n. 70 h. t.* Decretales istæ loquuntur de diversis casibus. Siquidem decretalis *de multa*, loquitur de eo, qui unum tantummodo beneficium obtinebat; quod est de Jure communi, nec inducit inhabilitatem ad aliud beneficium etiam incompatibile obtinendum: haud obstante, quod istud cum priori simul retineri non possit. At verò decretalis *ordinarii §. fin.* loquitur de illo, qui anteà obtinebat plura beneficia incompatibilia dispensative; quod est contra Jus commune; redditque idcirco hominem inhabilem ad aliud beneficium obtinendum absque dispensatione Papæ vel prævia spontanea resignatione priorum incompatibilium. Unde non mirum, quod hac utraque deficiente collatio tertii beneficii incompatibilis existat invalida, & nullius penitus momenti; cum sit facta contra S. Canones & personæ inhabili.

313 Porrò multum interest, an collatio beneficii sit valida, nec ne. Nam si ea existat valida: potest virtute ipsius postea recipi secundum beneficium, ejusque possessio pacifica una cum fructibus: ita tamen, ut hac obtenta beneficiarius teneatur statim dimittere prius beneficium incompatibile. Secus dicendum, quando collatio est invalida: nam, qui hæc nullius prorsus est momenti, nequit præbere justum titulum obtinendi aliud beneficium; sicque istud virtute talis collationis, utpote invalidæ, apprehendi non poterit. Interim tamen per factam beneficii, sic invalidè collati, acceptionem non vacant ipso jure præhabita beneficia; ac proinde beneficiarius potest eadem retinere, dummodo saniori usus consilio, ac videns factam collationem non tenere, illius possessionem non apprehendat. Quod si vero possessionem ultimi, ac invalide collati beneficii apprehendere præsumpserit, vacabunt ipso jure præhabita beneficia ex tam vitiosa possessione: simulque ultimum (seclusa alia sufficienti dispensatione) illicitè, ac invalide detinebitur. Gl. *in cit. Clem. si plures V. vacare h. t.* juncto textu *ib. & c. cum qui 18. eod. in 6.*

314 Quæritur V. Utrum is, qui secundum beneficium una cum primo incompatibili simul retinere præsumpserit, privetur utroque? Resp. I. Spectato Jure antiquo, atque relato *in c. de multa 28. h. t.* privatio secundi beneficii incompatibilis cum primo, non inducebatur ipso iure; sed opus erat sententia Judicis privantis secundo beneficio illum, qui primum una cum secundo retinere contenderat. Ita colligitur ex verbis *c. c. de multa h. t.* ibi: *Et si fortè illud* (primum, ac ipso iure vacans beneficium curatum &c.) *retinere contenderit, etiam alio spolietur.* Nam ly, *spolietur*, actionem Judicis importat: sicque sensum facit: *etiam alio spolietur, scilicet per sententiam*; prout loquitur Innocentius *ib. V. Contenderit.* Garcias *p. 11. de benef. c. 5. n. 7. & 94.* & Pirhing. *h. t. n. 150.*

315 Addit Glossa *in c. c. de multa V. contenderet h. t.* ad hoc, ut quis secundo etiam beneficio spoliari potuerit, fuisse requisitum, quod quis primum beneficium cum secundo retinere contenderit: id est *in jure contentiosè retinere voluerit. Si enim,* (Subjungit eadem Glossa) talis *ante litem contestatam destiterit, non privabitur utroque: sicut & in aliis Statutis sub pœna, l. Hoc amplius ff. Rem ratam haberi.* Verum Innocentius *cit. c. de multa n. 2. vers. Vel dic.* & nonnulli alii, quos refert Fagnanus *ib. n. 6. h. t.* oppositum tenuerunt, dicentes, quod ex sola retentione primi beneficii cum secundo incompatibili beneficiarius potuerit privari utroque, etiamsi quando incœpit conveniri, voluisset dimittere prius, utpote ipso jure vacans, Quia (aiunt) satis manifesta causa privandi aderat, ex quo quis non obtemperabat Canoni sic præcipienti: simulque, quia beneficiarius furtum committebat, percipiendo fructus prioris beneficii, quo privatus erat ipso jure. Hæc tamen difficultas sublata fuit ex post facto, uti notat Abbas *in d. c. de multa n. 10.* & Fagnanus *ib. n. 7. h. t.* allegans alios: unde

316 Resp. II. Si quis de facto plura curata, vel aliàs incompatibilia beneficia, quocunque modo contra formam Sacrorum Canonum recipere, ac simul retinere præsumpserit: non solum primo juxta hactenus dicta, sed etiam secundo, ipso jure privatus existit. Ita Gl. *fin. in Clem. Si plures h. t.* Abbas *in c. Quia nonnulli num. 4. de Cleric. non resident. & cap. de multa num. 10. h. t.* hanc Conclusionem probans ex *Extravag. Execrabilis. Joann. XXII. h. t.* ubi Pontifex, *§ qui verò deinceps*, decrevit, quod recipiens secundam Dignitatem, Personatum, seu Officium (intellige, perpetuum, juxta dicta superiùs *nu. 292.*) aut aliud beneficium curam animarum habens annexam, teneatur prius beneficium (utpote, quo privatus est ipso iure) absque moræ dispendio in manibus Ordinariorum dimittere: & si id non fecerit, ex tunc sit ipso jure etiam secundo privatus; simulque efficiatur inhabilis ad beneficia, & ordines: prout liquet ex verbis ejusdem extravagantis, suprà *n. 284.* relatis. Verum quia citata *Extravagant. execrabilis*, non loquitur generaliter de quibuscunque beneficiis incompatibilibus, sed solummodo de Dignitatibus, Personatibus, Officiis, atque beneficiis curatis.

317 Hinc eandem Conclusionem pro moderno tempore, ac generaliter loquentem, tenet Garcias *p. 11. de benef. c. 5. n. 94. & 95. & n. 381.* allegans declarationem S. Congregationis Concilii. Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 54. num. 32. & alleg. 62. n. 29.* Fagnanus *c. c. de multa num. 7. & 8. & c. Super inordinata n. 9. h. t.* illud præter allegatam *extrav. Execrabilis, Joan. XXII.* probans ex Concilio Trid. *Sess. 8. c. 4. de refor.* ac suprà *n. 285.* iam relato, ponderando verba illa: *Recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore, privatus existat.* Nam locutio in plurali, *beneficiis ipsis*; utrumque beneficium retentum complectitur; sicque vacationem utriusque ipso iure inductam, clare demonstrat.

§. XI.

§. XI.

De requisitis ad vacationem ipso jure Beneficiorum incompatibilium, horumque dimissione, & collatione.

SUMMARIUM.

318 *Ad inducendam ipso jure vacationem prioris beneficii incompatibilis, non sufficit sola assecuratio de consequendo alio, neque hujus collatio: sed requiritur vera ejus assecutio, atque possessio.*

319 *Et quidem possessio pacifica.*

320 *Possessio pacifica posterioris beneficii, quando censeatur acquisita.*

Quæ incontinenti fiunt, inesse videntur. Ib.

321 *Prius beneficium non vacat per receptionem secundi, quando fructus istius ex causa alius percipit. Et nu. seqq.*

322 *Secus, si per provisum steterit, quo minùs possessionem, aut fructus ejusdem habeat.*

323 *Beneficia prius habita, quando vacent per promotionem ad Episcopatum? & n. seq.*

324 *Et quid dicendum spectato stylo Curiæ?*

325 *Ac loquendo de episcopis Titularibus.*

326 *Post assecutionem pacificam secundi beneficii incompatibilis, dimissio prioris debet fieri statim, & incontinenti.*

327 *Intelligendo ly* Statim, & incontinenti, *cum aliquo temperamento.*

328 *Refertur, ac rejicitur sententia, concedens mensem pro dimissione prioris beneficii incompatibilis.*

329 *Dimissio illa prioris beneficii, respicit solum factum.*

330 *Debetque fieri purè, ac simpliciter: non verò ex causa permutationis, neque in favorem tertii &c.*

331 *Et ratio istius.*

332 *In casu recepti pacificè secundi beneficii incompatibilis, Collator prioris liberè istud potest, ac debet conferre intra sex menses &c.*

333 *Verbum,* Liberè conferat, *quid importet.*

334 & 335 *Collator ejusmodi, si conferre distulerit, incurrit duplicem pœnam; & quam?*

336 *Licet tunc prius beneficium liberè conferri possit, non tamen in hujus possessionem potest induci is, cui collatum est, priore possessore irrequisito.*

337 *Et hujus ratio.*

338 *Privatio, seu vacatio ipso jure, prioris beneficii per pacificam receptionem alterius incompatibilis, est intelligenda quoad titulum, non quoad possessionem.*

339 *In praxi quid agendum illi, cui prius beneficium ipso jure vacans collatum fuit?*

340 *Hactenus dicta procedunt etiam in aliis casibus, in quibus beneficium præhabitum ipso jure vacat.*

318 Quæritur I. Utrum facta assecuratione, vel saltem collatione secundi incompatibilis, illicò vacet ipso iure præhabitum beneficium; vel quæ alia ad hoc requirantur? Resp. I. ad inducendam ipso iure vacationem prioris beneficii incompatibilis non sufficit sola assecuratio de consequendo altero beneficio; neque etiam sola huius collatio, & acceptatio, sed ulterius requiritur istius posterioris vèra assecutio, atque possessio pacifica. Ita Glossa *cap. de multa vers. Post receptionem* & Abbas *ib. num. 16.* & Fagnanus *num. 9.* & Barbosa *num. 8. h. t.* Flamin. Parisius *de resignation. benef. lib. 3. cap. 1. num. 129.* allegans Rotam *in una Florentin. Canonicatus & Præbendæ, coram Card. S. Crucis die 11. Martii 1558. & in una Panorm. beneficiorum, coram D. Fabio Accorambono 9. Januar. 1548.* Card. de Luca *de benef. disc. 56. num. 5.* Garcias *p. 11. de benef. c. 5. num. 100. & seq.* citans plures alios. Accedit ratio: tum quia istud importat verbum, *Recipere*, contentum in Conc. Tridentin. *Sess. 7. cap. 4. de reform.* ac verbum illud, *post receptionem alterius*, videlicet corporalem, positum *in d. c. de multa*; ac notat Glossa *ib.* istud probans ex *can. Si quis jam translatus 21. q. 2.* Concordat textus, & Glossa *in can. Si quis episcopi dist. 92. vers. ubi prior* illis verbis: *Si habuerit corporalem possessionem per se, vel per alium ejus Ecclesiæ.* Tum quia in Jure *verba accipienda sunt cum effectu*, ut dicitur *c. relatum 4. de Cleric. non resid.* iunctis concordantiis per Glossa *ib. v. cum effectu*, allegatis: sicque sola assecuratio de consequendo posteriori beneficio incompatibili, non sufficiat ad inducendam ipso iure vacationem prioris nisi secutus fuerit etiam effectus corporalis possessionis, & quidem pacificæ.

319 Additur notanter, *pacificæ*. Nam, ut vacet priùs beneficium post collationem, atque receptionem alterius incompatibilis, requiritur, ut provisus *huius possessionem pacificam habuerit, vel per eum steterit quo minus haberet eandem*, iuxta textum notabilem *in c. licet episcopus 28. h. t. in 6.* Quidquid olim in contrarium tenuerit Innocentius *c. de multa n. 2. & 4. h. t.* Nam eius opinio hodie correcta est, per *c. licet Episcopus eod. in 6.* ac notat Fagnanus *in d. c. de multa n. 10. h. t.* Idemque merito: quia incertus est litis eventus, *l. quod debetur ff. de Peculio*: neque tenetur quis se exponere periculo, ut careat utroque beneficio, dimittendo videlicet prius ante obtentam pacificam possessionem posterioris.

320 Cæterum *possessio pacifica* posterioris beneficii censetur acquisita, quando ea non est litigiosa; sed absque controversia iuris, vel facti, iudiciali & extraiudiciali, obtinetur. Garcias *d. p. 11. c. 5. n. 105.* citans plurimos alios. Sive, ut alii loquuntur, talis *possessio pacifica* habetur, quando quis beneficii possessionem nactus, in ista incontinenti non turbatur: hoc est nullam patitur iuris, vel facti controversiam: Et additur primò, *vel facti*: quia ad tollendam pacificam possessionem sufficiunt extraiudiciales molestiæ, Card. de Luca *cit. disc. 56. de benef. n. 5.* allegans *dec. 1254. Rotæ apud Seraphinum.* Additur ulterius *incontinenti*: nam secùs, si vel in ipsamet apprehensione secundi beneficii lis sibi moveatur, *l. Si post perfectam C. de evictionib.* vel saltem incontinenti post, arbitrio boni viri, *arg. c. officii 38. de elect.* Gl. *c. commissa ver. pacificam de elect. in 6.* Flam. Parisius *lib. 3. de resig. benef. c. 1. n. 131.* & alii. Siquidem, quæ incontinenti fiunt, inesse videntur, *l. Lecta ff. Si certum petatur.* Unde possessio non censetur pacifica fuisse, quæ non duravit, *c. nam & ego de verb. signif.* iunctis concordantiis à Gl. *fin. ib.* adductis. Si autem possessio pacifica semel acquisita fuit, non desinit esse talis, licet ex post facto (puta, post mensem, aut duos menses, vel post libere administratam aliquandiu curam animarum) desuper controversia moveatur Gl. *c. c. commissa §. pacificam de elect. in 6.* estque iam dictum supra *lib. 1. ... de causa poss. &c. §. 1. n. 23.*

Resp. II. Insuper non censetur prius beneficium ipso iure vacare per receptionem secundi incompatibilis, quando fructus istius ex causa etiamnum alius percipit. Ita Abbas *c. de multa n. 16. h. t.* estque clarè decisum *cap. Si tibi concesso 26. h. t. in 6.* ac notat Glossa, Ancharanus, Vivianus, Barbosa *ib.* & communis. Accedit ratio: quia talis nondum adeptus est plene, atque effectualiter secundum beneficium. Licet enim istud iam obtinuerit, atque pacificè possideat, fructus tamen eius habet: sicque cum effectu nondum censetur id recipisse, ac proinde tenetur dicta *n. 318.* Confirmatur idipsum: quia alioquin sequeretur, quod talis cogeretur mendicare; cum fructus a secundo beneficio non haberet, primo autem privatus existeret: quod utique foret absurdum.

Additur notanter, *ex causa alius percipit*: putà quia Papa concessit Episcopo, ut fructus beneficiorum proxime vacaturorum, ad certum tempus pro solvendis debitis percipere valeat; prout est casus in *c. Si propter 10. de rescript. in 6. & cit. cap. Si tibi concesso h. t. n. 6.* Nam secus dicendum, si per provisum steterit, quo minùs possessionem, aut fructus secundi beneficii habeat: hæc enim limitatio expressè habetur *in cap. Licèt Episcopus 28. h. tit. in 6. & cap. Commissa 35. §. 1. de elect. in 6.* ubi possessio pacifica beneficii adepta, & mora eam percipiendi, æquiparantur illis verbis: *Possessionem ejus pacificam habuisti, vel per te stetit, quo minùs haberes eandem.* Simile quid habetur *in Extravag. Execrabilis. Joan. XXII. §. Qui verò deinceps h. t.* Idque salubriter statutum fuit ad præcavendum fraudibus nonnullorum, sub hoc prætextu plura beneficia occupantium: nam fraus, & dolus, alicui patrocinari non debent, *c. Ex tenore 16. de Rescript.* & alii.

323 Resp. III. Limitatur quoque data *num. 318.* Conclusio quoad alteram partem in Episcopatibus. Siquidem beneficia Ecclesiastica priùs habita non vacant per solam promotionem ad Episcopatum, atque obtentam ejus pacificam possessionem: sed primùm post secutam consecrationem, aut saltem, postquam elapsum est tempus ad obtinendam consecrationem à Sacris Canonibus præfixum; quod cessante inevitabili necessitate, est spatium trium mensium post confirmationem numerandorum, *can. 2. dist. 75. & can. Quoniam dist. 100.* juncto Concilio Tridentino *sess. 7. cap. 9. & sess. 23. cap. 2. de Reform.* Conclusio hæc, seu præmissorum limitatio, habetur clarè ex *c. Cùm in injunctis. §. Cùm verò de Election.* & notat ibi Glossa *V. Tempore.* Abbas *n. 3.* & Barbosa *ibid. n. 29. & part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 57. n. 67.* cum pluribus aliis, quos allegat.

324 Atque istud procedit spectato Jure communi. Siquidem in provisis de Episcopatu per Summum Pontificem, istud de stylo Curiæ non servatur; ut inquit Barbosa *cit. c. Cùm in cunctis, n. 29. de Election.* & Flamin. Parisius *lib. 3. de Resignat. benefic. cap. 77. & 78.* cum aliis, quos citat. Idque solet accidere ex eo: quia Papa in promotione ad Episcopatus consistorialiter facta, consuevit decernere, beneficia præhabita vacare eo ipso à die promotionis. Rota *Caputaquens. s. Abbatiæ 16. Maii 1620. coram Dunozzetto.* Aliàs verò, ubi non adest expressum Decretum vacationis præhabitorum Beneficiorum, standum erit Juri communi. Barbosa *cit. n. 29.* allegans Rotam *coram Card. Seraphino decis. 110.* & Garcias *part. 11. de beneficiis, cap. 6. n. 9.* citans aliam Rotam *in una Pharens. Pensionis, coram SS. Clemente VIII.* quæ est *1. part. divers. decis. 233.* Quod ipsum, quidem à fortiori, ac juxta formam Rescripti Pontificii, intelligendum est, quando promotus ad Episcopatum à Papa obtinuit prorogationem, vel retentionem præhabitorum beneficiorum: de quo plura Barbosa *part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 57. n. 69. & 70.*

325 Veruntamen proximè dicta non procedunt in Episcopis Titularibus, seu promotis ad Episcopatus in terris Infidelium existentes. Nam hoc ipso, quòd tales non acquiserint pacificam suorum Episcopatuum possessionem, fructusque ipsorum, nec per eos stet istos acquirere, non censentur vacare præhabita ipsorum beneficia. Navarrus *Consil. 14. n. 3. de Election.* Garcias *part. 11. de Benefic. cap. 6. n. 24.* Barbosa *d. allegat. 57. n. 74.* cum aliis, quos citant.

326 Quæritur II. Quomodo post assecutionem posterioris beneficii incompatibilis, sit dimittendum prius beneficium; Resp. I. Post receptum secundum beneficium incompatibile, & acquisitam hujus pacificam possessionem una cum perceptione fructuum, ut suprà, dimissio prioris beneficii Ecclesiastici debet fieri statim, & incontinenti. Ita Abbas *can. De multa n. 10. h. t. & can. Quia nonnulli n. 4. de Cleric. non resident.* Pirhing *h. t. n. 55.* Garcias *part. 11. de Benefic. cap. 5. n. 36. & seqq.* allegans alios. Ratio est: quia tunc ipso jure jam vacat prius beneficium; ac proinde, nisi illud statim & incontinenti dimitteretur, inciperet quis retinere alienum: quod est illicitum, ac injustum.

327 Notant tamen memorati Authores, & alii, quòd prædictum ly *statim, & incontinenti*, sit intelligendum cum aliquo temperamento, seu temporis spatio: donec nimirum certò constet haberi pacificam, simulque frugiferam posterioris beneficii possessionem, juxta arbitrium boni viri, *arg. l. Ratum & l. Quod dicimus ff. de Solutionib.*

328 Fatendum quidem est, quod Hojeda *cit. part. 11. de Incompatibilit. benefic. cap. 9. nu. 6. in fin.* Zerola *part. 1. Praxis Episcop. vers. beneficia. §. Ad tertium circa fin.* & nonnulli alii, quos citat Garcias, *ubi suprà, num. 25.* satis esse asserant, si intra mensem à tempore assecutionis secundi beneficii incompatibilis realiter, cum effectu dimittatur prius, *arg. cit. Extravag. execrabilis. Joan. XXII. h. t.* Veruntamen hæc sententia non caret difficultate: nam *in cit. extravag. §. Statuimus*, conceditur mensis solummodò ad eligendum unum ex pluribus beneficiis, quæ tunc per legitimam dispensationem à quibusdam obtinebantur. At verò in posteriori *§. Si verò deinceps*, ubi agitur de prohibita pluralitate beneficiorum imposterùm obtinendorum, non ampliùs conceditur mensis pro dimissione prioris post receptum secundum beneficium incompatibile: sed expressè præcipitur, ut post pacificam possessionem alterius (aut si per beneficiarium steterit, quò minùs istam habeat) prius beneficium absque moræ dispendio in Ordinariorum manibus dimittatur pari modo. Nec obstat istud appositum ly, *pari modo*. Hoc enim nequit denotare concessionem mensis, pro facienda dimissione prioris beneficii (nam istud repugnaret præcedentibus verbis, *absque moræ dispendio*) sed duntaxat vult beneficium præhabitum esse dimittendum in manibus Ordinarii *pari modo*, idest, verbo & facto, & sine fraude, cum effectu, & sub testimonio publico, ut suprà ibidem statuebatur: simulque, ut id fiat non expectata sententia privatoria facti, vel litis contestatione, prout explicat Glossa ibid. Alioquin verò ex tunc ipso jure inducatur privatio secundi beneficii, una cum inhabilitate ad Sacros Ordines suscipiendos, & habendum quodcumque beneficium Ecclesiasticum.

Resp. II. Ejusmodi dimissio prioris Beneficii, utpote vacantis ipso jure post assecutionem alterius incompatibilis, respicit solum factum. Ita Glossa *in d. Extravag. execrabilis. Joan. XXII. vers. Dimittere*; & in re communis. Siquidem Clericus jure, in tali beneficio sibi quondam competente, jam est privatus ipso facto per receptionem alterius incompatibilis: ac proinde jus illud amplius dimittere non potest, etsi beneficium præhabitum dimittere valeat quoad factum, videlicet, istud *coram Ordinario, sub testimonio publico, verbaliter, & realiter cum effectu dimittendo*; sicque relinquendo possessionem ipsius, & abstinendo penitùs à perceptione obventionem ejusdem; prout habetur *cit. extravag. execrabilis*, juncta Glossa *V. Sub testimonio, & seqq. ibid.* Quamquam ex recepta, & approbata jam consuetudine, sufficiat, sola realis & cum effectu, ac sine fraude facta prioris beneficii dimissio, etsi hęc non fiat coram Ordinario, sub publico testimonio, ac verbaliter. Zerola, *ubi suprà.* Garcias *cit. p. 11. c. 5. n. 40.* Pirhing *h. t. n. 154.* & alii. 329

Resp. III. Prius beneficium adepto altero incompatibili debet purè, ac simpliciter dimitti: adeoque non potest resignari ex causa permutationis, v. g. cum alio simplici; neque in favorem tertii (nisi cum expressione hujus circumstantiæ, seu vacationis ipso jure, coram Summo Pontifice) neque cum reservatione pensionis, aut hujusmodi. Ita Rebuffus *in Praxi benefic. tit. de Dispensatione ratione ætatis. V. Quoad vixeris, n. 8. & 9.* citans multiplicem Rotam. Hojeda, *ubi suprà, part. 1. cap. 4. n. 11. & cap. 13. n. 62.* Flamin. Parisius *lib. 3. de Resignat. benefic. c. 1. n. 50. & seqq.* Garcias *d. c. 5. n. 58.* asserens, ita fuisse resolutum in *una Illerden. Portionis, ann. 1593. coram Illust. D. Pamphilio* Pirhing *h. t. n. 154.* & alii. 330

Accedit ratio. Quia, qui nullum jus habet in beneficio, non potest illud resignare, aut permutare: atqui Clericus post adeptam pacificam possessionem secundi incompatibilis, nullum jus habet in priori beneficio, utpote quod ipso jure vacat, juxta hactenùs dicta; ergo. Majorem tradit Flamin. Parisius *cit. cap. 1. nu. 51. & 79. & 80.* citans plurimos alios, & communem. Et ratio clara est: quia *nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*, prout loquitur Reg. 79. Jur. in 6. cum concordantiis: ergo cum beneficio privatus ipso jure, nullum ampliùs in eo jus habeat, hoc ipso tale jus per resignationem, aut permutationem ampliùs transferre non potest. 331

Quæritur III. Qualiter, & sub qua obligatione, conferendum sit beneficium vacans ob assecutionem alterius incompatibilis? Resp. I. In casu recepti pacificè secundi beneficii incompatibilis, Collator prioris liberè potest, simulque debet istud conferre intra sex menses: alioquin ipse punitur. Ita textus expressus *in c. De multa 28. h. t.* illis verbis: *Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius liberè conferat,* 332

cui meritò viderit conferendum: & si ultra sex menses conferre distulerit, non solùm ad alios secundum Lateranensis Concilii statutum ejus collatio devolvatur, verùm & tantum de suis cogatur proventibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus est illud beneficium, assignare, quantùm a tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. Hæc ibi: atque ampliùs declarant Glossa, Jo. Andreas, Abbas, Fagnanus, Barbosa *in Collect. an. ibid.* aliique passim.

333 Dicitur imprimis, *liberè conferat*. Tum quia Collator ordinarius potest ejusmodi beneficium, utpote post pacificam adeptionem alterius ipso jure vacans, conferre *liberè*; hoc est; sine requisitione alterius, adeò, ut non teneatur vocare possessorem, aut ipsum præmonere, seu citare; neque etiam cogatur expectare licentiam Episcopi. Hoc enim importat dictio *Liberè*; quia non esset libertas, si alium deberet requirere. Abbas *cit. c. De multa n. 3.* & Fagnanus *ibid n. 15.* & Barbosa *n. 9. h. t.* cum communi. Tum quia Collator intra sex menses, a die habitæ notitiæ, quòd Clericus obtinuerit pacificam alterius incompatibilis beneficii possessionem, computandos, non solùm potest, sed etiam tenetur illud, utpote ipso jure vacans, alteri conferre; prout denotatur per ly, *conferat*, quod importat præceptum: juncta duplici pœna illicò apposita, si illud intra memoratum tempus conferre prætermittat. Unde

334 Dicitur ulteriùs, *Et si conferre distulerit &c.* Quibus verbis signatur duplex pœna, quam Collator beneficii, v. g. Episcopus, negligens conferre beneficium per assecutionem alterius ipso jure vacans, incurrit. Prima est, ut jus conferendi devolvatur ad alios: nempe gradatim ad proximum Superiorem, vel ab Episcopo ad Capitulum, juxta Constitutionem Concilii Lateranensis, sub Alexandro III. celebrati, quæ refertur *in c. Nulla 2. de Concession. Præbend.* estque amplius dictum suprà §. 6. *n. 161 & seqq.*

335 Altera pœna est, quòd ejusmodi negligens Collator tantum de suis proventibus cogatur in utilitatem Ecclesiæ, cujus est beneficium non collatum assignare, quantùm à tempore vacationis ex fructibus ipsius constiterit esse perceptum: prout liquet ex allegato textu *cit. c. de multa h. t.* Idque meritò: quia *delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare*, uti loquitur Reg 76. Jur. in 6. juncto *can. Si Episcopum*, 16. *quæst.* 6 Unde Collator, v. g. Episcopus, ex propriis proventibus cogitur refundere Ecclesiæ, quantum ex fructibus ejus, tempore vacationis, perceptum fuisse, constiterit: nempe, *constiterit*, facta fide coram Judice per juramentum Rectoris Ecclesiæ, vel Syndici ipsius, præmissa taxatione, juxta *c. ult. De iis, quæ vi metusve causa &c* ac notat Jo. Andreas *in cit. c. De multa, n. 11.* & Fagnanus *ibid, n. 19. h. t.* allegans alios. Et si collator proprios proventus non habeat, puniendus est alia pœna ad arbitrium Judicis. Glossa *cit. c. De multa vers Proventibus*. Jo. Andreas, Fagnanus, *ubi suprà*; & alii. Qui addunt, istud fieri non solùm propter negligentiam, sed etiam propter delictum Collatoris: quia differendo collationem, præsumitur favere detentori beneficii jam vacantis ipso jure, atque vitium ejus palliare; sicque hac altera pœna punitur.

336 Resp. II. Quamvis posteriori Beneficio pacificè, atque effectualiter adepto, prius incompatibile liberè conferri possit, ut dictum: non tamen in hujus possessionem potest Episcopus inducere eum, cui collatum est, priore possessore irrequisito, seu non vocato. Ita communis omnium; estque clarè decisum *in c. Licèt Episcopus 28. h. t. in 6* illis verbis: „ Licèt Episcopus beneficium,
„ quod cum animarum cura tenebas (postquam aliud re-
„ cepisti consimile, ac ipsius possessionem pacificam ha-
„ buisti, vel per te stetit, quo minùs haberes eandē) possit
„ alteri de jure conferre: illum tamen, cui contulerit, non
„ debebit te non vocato (cùm tibi forsan jus possit com-
„ petere retinendi) in possessionem ipsius inducere cor-
„ poralem. Ita Pontifex, rescribens pro declaratione *c. de multa 28. h. t.* cuipiam super hoc eum consulenti.

337 Accedit ratio. Quia potest contingere, ut assecutus secundum beneficium, de se incompatibile cum priori, adhuc possit prius retinere: ut putà, quia secum legitimè fuit dispensatum; vel quia ex causa justa nondum percipit fructus secundi Beneficii, aut hujusmodi; prout innuit textus allegatus, juncta Glossa *fin.* & DD. *ibid.* Quinimò generale est, quòd nemo inauditus, ac sine causæ cognitione, privandus sit sua possessione, vel quasi possessione, *can. Quia res, 11. quæst. 1.* Et si quis vi, vel clam spolietur sua possessione, plura extant Remedia recuperandæ possessionis in Jure prodita; de quibus ex professo actum fuit suprà *lib. 2. Tit. 13. De Restitutione Spoliatorum, §. 2. num. 25. & seqq.* Adeò, ut etiam prædo; si spolietur rebus à se possessis: secundum rigorem Juris sit restituendus, *cap. In litteris 5. de restitut. spoliat.*

Dices. Vacatio prioris beneficii ipso jure inducta fuit per receptionem, atque pacificam possessionem alterius incompatibilis; ergo nihil obstare videtur, quò minùs is, cui liberè illud collatum est, etiam liberè in ejus possessionem inducatur: nam, ut ex Physicis patet, forma (sive jus ad beneficium) ejusque privatio, simul consistere nequeunt, Resp. neg. consequent. cum sua probatione. Nam privatio, seu potiùs vacatio illa prioris beneficii propter incompatibilitatem alterius, intelligenda est duntaxat quoad titulum, seu jus retinendi beneficium; non verò quoad possessionem: hac enim Clericus possessor privari non potest, nisi eo citato, & causa cognita: atque intellecto, quòd nullum jus retinendi possessionem beneficii ampliùs sibi competat, ut dictum. Hoc ipsum patet ex *cap. Cùm nostris 7. de Concession. Præbend.* ubi Præpositura de jure vacans propter adeptum Episcopatum, censetur non vacasse de facto: eò quòd possideretur adhuc ab Episcopo, unde mandavit Pontifex, ut vel ostenderet Episcopus justam causam retentæ Præpositurae, ac possessionis ipsius: vel ad resignationem hujus compelleretur. 338

Resp. III. Quantum ad praxin attinet, ille, cui prius beneficium, per pacificam alterius beneficii adeptionem ipso jure vacans, a Collatore Ordinario collatum fuit, adeat Episcopum, sive Ordinarium loci: atque exhibito factæ sibi collationis legitimo testimonio, coram ipso agat, instetque, ut sibi possessio ejusdem beneficii realiter, & cum effectu tradatur: quo facto in causa summariter procedendum est, citato tamen, & audito priore possessore. Ita desumitur ex *cit. c. Licèt Episcopus*, ac notat Vivianus *in Rational. ibid. §. fin. h. t. in 6.* cum aliis: concordat *c. Tum ex litteris, 5. De in integrum restitut.* ubi in simili casu Papam sic processisse legitur. 339

Et quæ hactenus dicta sunt de collatione prioris beneficii, per pacificam adeptam possessionem alterius incompatibilis ipso jure vacantis, non sunt quid speciale, seu in casu sæpè dicti *cap. De multa, h. t.* ex indulgentia illius Decretalis duntaxat concessum: sed procedunt generaliter in aliis etiam casibus, in quibus beneficium præhabitum ipso jure vacat. Innocentius *in cit. c. De multa, n. 3. vers. Nos quantum ad hoc* & Fagnanus *ibid. n. 16.* Quod ultimum ut meliùs intelligatur, sit 340

§. XII.

De variis modis, quibus Beneficia ipso jure vacare dignoscuntur: ubi & de vacatione ipsorum per sententiam.

S U M M A R I U M.

341 *Beneficia Ecclesiastica, quibus modis generatim vacare dignoscantur? Et n. seq.*
342 *Nullus casus, nullumque crimen inducit privationem beneficii ipso jure, nisi istud reperiatur Jure expressum.*
In pœnis benignior est interpretatio facienda. Ibid.
343 344 Usque ad n. 367. *Enumerantur triginta, vel plures modi in quibus beneficia ipso jure vacant.*
Mors omnia solvit num. 343.
Paria sunt, non esse; & non apparere n. 348.
Obtinentes plura incompatibilia beneficia tenentur Ordinariis locorum, id postulantibus, exhibere dispensationes suas, n. 348. 349.
Recipientes plura incompatibilia beneficia non excusantur ex longa possessione, n. 349.
Regula Cancellariæ, De Triennali, *non excludit Ordinarium inquirentem de justo Titulo beneficii. Ib.*
Fundator potest in fundatione beneficii ponere certas leges, & conditiones &c. n. 350.
Prima vacatio beneficii, vel Prælaturæ, durat usque ad confirmationem alterius Prælati, n. 352.
Simonia realis, & confidentialis commissa in beneficiis quas inducat? n. 361. & 362.
Sodomiæ crimen nefandum, qualiter puniatur? n. 367.
368 *Privatio, seu vacatio beneficiorum ipso jure, in pœnam commissi criminis statuta, regulariter non obligat in Foro conscientiæ, ante sententiam declaratoriam.*
Refertur contraria quorundam sententia. Remissivè. Ibid.
369 *Per sententiam amittitur beneficium, quando sententia privationis (condemnatoriam videlicet) requiritur post crimen &c.*
370 *Privatio beneficiorum nunquam est imponenda, nisi in casibus à jure expressis.*
371 *Vacatio beneficii ipso jure, & vacatio seu privatio ejus per sententiam, differunt multipliciter quoad suos effectus. Et n. seq.*
372 *Beneficium vacans ipso jure, vacat in puncto contracti, v. g. matrimonii, vel commissi criminis: secùs dicendum de privatione, seu vacatione beneficii per sententiam.*
373 *Data vacatione beneficii ipso jure, statim potest illud alteri conferri: secùs, quando quis primum est eo privandus per sententiam.*
374 *Beneficiarius, cujus beneficium vacat ipso jure absque crimine, v. g. ob contractum matrimonium, tenetur statim dimittere beneficium; & alioquin fructus non facit suos &c.*
375 *Idemque dicendum, quando ob crimen quis incurrit privationem beneficii ipso jure, ac secuta est sententia declaratoria super crimine admisso. Secùs quando per sententiam condemnatoriam quis privatur beneficio.*
376 *Beneficiarius ipso jure privatus beneficio, non potest illud resignare, permutare &c. Secùs, si eodem venit privandus per sententiam.*
377 *Aliæ differentiæ. Remissivè.*

341 Quæritur I. Quibus modis generatim beneficia Ecclesiastica ipso jure vacare dignoscantur? Resp. Pluribus modis id accidere: prout videre est apud Nicol. Garciam *part. 11. de beneficiis, a cap. 2. usque ad c. 10.* fusissimè de hoc disserentem. Concordat Barb. *p. 3 de Offic. & potest. Episc. allegat. 57. n. 199. & seqq* quadraginta tales vacationum modos enumerans. Rebuff. *in Praxi benefic. tit. de modis amittendi beneficia.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 15. a n. 3. usque ad n. 133.* per ordinem recensens quinquaginta duos modos, quibus beneficia Ecclesiastica ipso jure vacant: & alii.

342 Solummodò nota pro regula, quòd nullus casus, nullumque crimen, etiam privatione beneficii dignum, inducat privationem hujus ipso Jure, nisi istud reperiatur Jure expressum. Nam pœna tam gravis asserenda non est absque Jure claro: Siquidem *interpretatione Legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ, ut dicitur L. 52. ff. de Pœnis*: ac proinde in dubio præsumitur quis per sententiam beneficio privandus, non autem ipso jure privatus; cum odia sint restringenda, atque in pœnis benignior sit interpretatio facienda, juxta *Reg. 15. & 49. Juris in 6.* Gonzalez, *ubi suprà, n. 153.* Garzias *cit. part. 11. cap. 10. num. 15.* Barbosa *d. allegat. 57. n. 252.* & alii, quos citant. Inducitur autem ejusmodi vacatio beneficiorum ipso jure, partim per diversos Sacros Canones in Corpore Juris Canonici clausos, sive in pœnam graviorum criminum, sive ob alias causas: partim per varias Constitutiones Apostolicas, extra Corpus Juris Canonici vagantes, ac præsertim in Bullario Romano reperiendas: prout amplius patebit ex dicendis. Unde

343 Resp. II. Juxta Sacros Canones in Corpore Juris clausos, beneficia vacant in primis ipso facto per obitum, seu mortem naturalem beneficiati eorum possessoris; prout liquet ex *c. Susceptum 6. de Rescript. in 6.* Nam mors omnia solvit *Auth. de Nuptiis §. Deinceps Collat. 4.* II. Per renunciationem: de qua ex professo dictum est suprà *lib. 1. tit. 9. De Renunciatione, per totum*. III. Per assecutionem pacificam alterius beneficii incompatibilis, juxta proximè dicta. IV. Per translationem Episcopi ad aliam Ecclesiam, vacat prior Episcopatus: & à quo die is vacare incipiat ex professo dictum est suprà *lib. 1. tit. 7. De Translatione Episcopi §. 3. n. 34. 35. & seqq.* V. per Matrimonium contractum de præsenti, non verò per sponsalia; prout ampliùs declaratum est suprà *tit. 3. De Clericis conjugatis §. 1. n. 9. & seqq.*

VI. Vacat ipso jure beneficium præhabitum per ingressum Religionis, professione secuta; *c. beneficium 4. de Regularib. in 6.* de quo videantur dicta superiùs *lib. 1. tit. 9. De Renunciatione §. 1. n. 21. 22. & seqq.* VII. Per Militiam sæcularem, à Clerico Minorista beneficiato assumptam; prout ampliùs dictum est suprà *tit. 1. De Vita & honestate Clericorum §. 5. n. 125.* VIII. Per non promotionem ad Sacerdotium intra annum, vacat ipso jure Ecclesia Parochialis, quam Clericus necdum Sacerdos assecutus fuit, & intra annum Sacerdotio initiari neglexit *c. Licèt can. 14. de Election. in 6.* estque pariter uberius declaratum *Lib. 1. tit. 14. de Ætate & Qualitate &c. n. 29. 30. & seqq.* IX. Per promotionem ad Episcopatum, post obtentam possessionem ipsius, & secutam Consecrationem: vel saltem post lapsum temporis ad petendam Consecrationem præfixi, vacant ipso jure præhabita beneficia, *can. Cùm in Cunctis 7. §. Cùm verò de Election.* junctis dictis suprà *§. præced. n. 323. 324. & 325.* 344

Objiciens quidpiam in persona Electi, atque in probatione deficiens, cessante causa rationabili, quæ ipsum excusat, triennio à beneficiis Ecclesiasticis, quæ in Ecclesia celebratæ electionis obtinebat, ipso facto suspensus est: & si stante tali suspensione sese eorum administrationi ingerere præsumpserit, eisdem ipso jure perpetuò privatus existit. Ita textus *in cap. 1. §. fin.* juncta glossa, & DD. *de Election. in 6.* Concordat *can. Cupientes 16. §. Cæterùm eodem in 6.* ubi eligentes, si electionem à se factam Electo infra octo dies culpabiliter præsentare distulerint; primum quidem triennio dicuntur eo ipso suspensi à beneficiis, quæ in Ecclesia celebratæ electionis obtinent: deinde verò, si infra illud tempus ad dicta beneficia se propria temeritate ingesserint, illis ipso jure perpetuò privati dicuntur. 345

XI. Qui beneficium curatum vi occupat, aut se scienter injustè intrudit in eo, ipso jure privatus est priori beneficio curato, si quod habebat. Simulque qui violenter authoritate, seu veriùs temeritate propria, occupare Dignitates, Personatus, aut alia quæcunque Ecclesiastica beneficia non verentur, eo ipso amittunt jus, si quod in beneficiis taliter occupatis, vel ad ea ipsis forsan competebant. Textus quoad utramque partem expressus est *in c. Eum qui 18. h. t. in 6.* & concordat Jus Civile *l. Si quis in tantam. C. Unde vi.* 436

XII. Si quis sequestrationem fructuum beneficii litigiosi, quæ post latam unam contra possessionem diffinitivam sententiam, apud Sedem Apostolicam duntaxat, per Ordinarium loci fieri debet impedire, aut fructus sequestratos quoquo modo occupare præsumpserit: non solùm ipso facto excommunicationis sententiam incurrit; verum etiam, si de litigantibus fuerit, hoc ipso amittit jus, si quod in hujusmodi beneficio; vel ad illud habuisset. Patet istud ex *Clem. un. de Sequestrat. possess.* juncta glossa, & DD. *ibid.* & amplius declarat Gonzalez *cit. gloss. 15. n. 59. ac seq.* Barbosa *part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 57. n. 221.* 347

XIII. Obtinentes plura curata, vel aliàs incompatibilia beneficia Ecclesiastica, tenentur Ordinariis locorum, id postulantibus, exhibere dispensationes suas: & si, justo cessante impedimento, istud non fecerint intra tempus arbitrio Ordinarii moderandum, possunt ipsorum beneficia liberè conferri personis idoneis per eos, ad quos ipsorum collatio pertinet. Ita habetur *can. Ordinarii 3. de Offic. Ordinar. in 6.* juncto Concilio Tridentino *Sess 7. cap. 5. de Reform.* quod innovavit memoratum *cap. Ordinarii*, illudque, loquens solum de Dignitatibus, Personatibus & Beneficiis curatis, ampliavit ad quæcunque beneficia *alias incompatibilia.* Accedit ratio in *c. can. Ordinarii*, allegata. Quia, *si justo impedimento cessante nullam dispensationem* super pluralitate beneficiorum, *infra idem tempus* (præfixum videlicet) *con-* 348

tigerit exhiberi: tunc beneficia illa *sine dispensatione ali- qua eo ipsa illicitè detineri constabit*. (Nam paria sunt, non esse, & non apparere, datam v. g. fuisse dispen- sationem, *In lege ff. de contrahend. emption. & can. Solte mnitates, il 1. de consecrat. dist. 1.* cum similibus (ac proinde *per eos, ad quos eorum collatio pertinet, liberè personis idoneis conferuntur*. Vacant enim ipso jure; ut inquit Barbosa *ibid. n. 9.* & Gonzalez *ad Gloss. 15. num. 62.* vel potiùs sic vacare præsumuntur ex eorum incompati- bilitate, & non ostensione tituli, seu legitimæ dispen- sationis, intra tempus ab Ordinario præfixum. Quam- quam notet Glossa *ibid vers. Liberè*, quòd si post lapsum dicti temporis prævenerit Clericus episcopum, vel alium Collatorem, ostendendo legitimam dispensationem; iste posteà conferre non valeret.

349 Neque præmissis obstat diuturnitas possessionis plu- rium Beneficiorum, cæteroquin incompatibilium, aut Regula 36. Cancellariæ *De Triennali*. Nam imprimis recipientes plura incompatibilia Beneficia Ecclesiastica non excusantur ex longa possessione, *cap. Ex frequenti- bus 3. de Institution.* ubi excommunicantur illi, qui ex longæva consuetudine (quam Papa *pravam & iniquam* appellat) contra Sanctorum Patrum Constitutiones be- neficia Ecclesiastica sine Canonica institutione recepe- runt, aut retinuerunt, non obstante antiqua possessio- ne. Ubi proinde Glossa *vers. Desinent*, advertit, quòd tales nullam possunt habere excusationem, quanto- cunque tempore ea tenuerint: quia diuturnitas tempo- ris peccatum non minuit, sed auget, *cap. Non satis 8. de Simonia. & cap. ult. de Consuetud.* cum similibus. Un- de, quòd Ordinarius possessorem plurium Beneficiorum incompatibilium compellere possit ad ostendendum Ti- tulum, seu legitimam dispensationem; non obstante longa possessione; atque Regula 36. Cancellariæ, *De Triennali*, notat Barbosa *part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 57. n. 224.* Idemque cum aliis repetit Barbosa *in Collectan. ad cap. Ordinarii, n. 4. & seqq. de Offic. Ordi nar. in 6.* addita ea ratione: quia per Regulam, *De Triennali* possessore, excluditur quidem tertius, inquie- tans possessorem in beneficio: non tamen per eam ex- cluditur Ordinarius, utpote ad dictam inquisitionem extrajudicialem procedens ex officio, & vi muneris sui Pastoralis.

350 XIV. Vacat Beneficium ipso facto in omnibus casi- bus, in quibus Fundator ipsius in limine fundationis ita disposuit: putà, ut ipso facto vacet beneficium ob non residentiam Clerici, vel ob assecutionem alterius benefi- cii simplicis, aut hujusmodi. Gonzalez *ad Reg. 8. Can- cellar. cit. gloss 15. n. 130.* post Caputaquens. *Decis 290. n. 1. & 2. part. 2.* Nam, quòd Fundator possit in funda- tione beneficii ponere certas leges, & conditiones cæ- teroquin honestas, quas voluerit, desumitur ex *cap. Prætereà quoniam, 23 de Jurepatronat. & cap. Quanto, 16. de Censib.* ac tenuit Rota *Decis. 1. de Præbend. in no- vis*, estque dictum suprà §. 4. *n. 205. & seqq.*

351 XV. Vacat ipso jure beneficium per alienationem re- rum immobilium, aut pretiosarum Ecclesiæ, seu ipsius beneficii, factam sine debitis solemnitatibus juris. Tex- tus est apertus in *Extravag. Ambitiosæ, §. Inferiores ve- rò De Eccles. non alienand. inter Communes*. His accedit multiplex privatio beneficiorum, ob nonnulla crimina atrociora ipso jure inducta, de quibus speciatim dicetur *num. 361. & seqq.*

352 Resp. III. Juxta Sacros Canones dantur etiam plures modi vacationum impropriè dicti: id est, tales, quibus non de novo vacat beneficium, sed prima vacatio, putà per mortem beneficiarii inducta, etiamnum durat. Sic ac- cidit XVI. Quando Electus non consentit electioni de se factæ, vel post consensum antequam obtinuerit confir- mationem Superioris, renunciat juri suo, vel moritur, *c. Si electio 26. de Election. in 6.* estque jam dictum suprà *Lib. 1. Tit. 6. de Electione, §. 2. n. 33. & 34.* addita illa ra tione: Quia prima vacatio beneficii, vel Prælaturæ, durat usque ad confirmationem alterius Prælati, *arg. c. Quam sit Ecclesiis 6. eod. in 6.* ac notat Glossa *in Clem. 1. vers. Collato*, & Abbas *ibid. n. 1. Ut lite pendente &c.*

353 Hoc ipsum fit, quando Electus ad Prælaturam, seu Beneficium, intra mensem à tempore electionis sibi præ- sentatæ computandum, consensum electioni suæ præ- stare distulerit, *cap. Quam sit Ecclesiis, 6 §. Electus, de Election. in 6.* Item, si Electus intra tres menses post concessum electioni præstitum, non petierit confirma- tionem, *cit. cap. Quam sit Ecclesiis, §. Cæterùm de Ele- ction in 6.* Aut (si eadem confirmatio ad Sedem Aposto- licam pertineat) Electus per se, vel per suum Procura- torem legitimè instructum, intra unum mensem post consensum, ad Sedem Apostolicam iter arripere negle- xerit, *cap. Cupientes 16. de Election. in 6.* estque jam di- ctum suprà *Lib. 1. Tit. 6. De Electione, §. 13. n. 313. & seqq. & n. 319. ac seqq.*

354 XVII. Simile quid contingit, quando Electus ante ob- tentam confirmationem sese administrationi immiscere præsumpserit: nam ipso facto privatus existit jure sibi ex electione quæsito, *arg. cap. Avaritiæ 5. de Elect. in 6.* juncta Glossa *ibid. vers. Privatus*: estque ex professo di- ctum suprà *cit. lib. 1. tit. 6. De Election. § 2. n. 40. & seqq.*

355 Idipsum dicendum est de cassatione electionis: ut *cap. Consideravimus, 10. de Election. & cap. Si electio 26. eod. in 6.* Ac de repulsione factæ Postulationis, *cap. 1. & 2. de Postulat. Prælat. & Extravag. Ex debito, §. Hujusmo- di, de Election. inter Commun.* Quamvis, ut dictum, ac notat Gonzalez *ad Reg. 8 Cancell. gloss. 15. n. 52 & 57.* isti non sint propriè dicti modi vacationum, eò quòd prior vacatio adhuc duret, & quidem usque ad confir- mationem alterius Prælati: qualis confirmatio in pro- ximè relatis casibus non intervenit, ut patet.

356 Resp. IV. Spectando varias Constitutiones Apostoli- cas, & extra Corpus Juris Canonici repertas ulteriùs, & XVIII. Vacat ipso jure Beneficium, imò & Pensio Clerici, Tonsuram, & habitum Clericalem, vestes sci- licet Talares, non deferentis. Patet hoc ex Constitu- tione 92. Sixti V *Cum Sacrosanctum*, ac notat cum aliis Barbosa *part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 57. n. 217.* estque ampliùs declaratum suprà *tit. 1. De Vita & honestate Clericorum, §. 3. num 64. & seqq.*

357 XIX. Vacant ipso facto beneficia resignata, seu cessa, non servata forma publicationis, in Constitutione 85. Gregorii XIII. *Humano vix judicio*: præscripta: estque jam dictum suprà *lib. 1. tit. 9. de Renunciatione, §. 6. nu. 129. seqq.* ac notat Barbosa *d. allegat. 57. n. 244.* citans alios. Idemque dicendum de beneficiis Parochialium Ec- clesiarum, per Concursum conferendis juxta Concil. Trident. *Sess. 24 cap. 18. de Reform.* quando in eorum col- latione non fuit servata forma præscripta in *Constitut. 33. B. Pii V.* quæ incipit: *In conferendis*: de qua paulò su- periùs dictum est, nempe §. 5. *n. 148. & 149.*

358 XX. Vacant ipso jure omnia beneficia illorum; qui pro obtinendis per alios beneficiis seipsos fraudulenter pro illis examini supponunt, &c. juxta Constitutionem 12. Pauli IV. quæ incipit: *Inter cæteras*: ac refertur *Tom. 1. Bullarii Romani*.

359 XXI. Vacant ipso jure beneficia retinentium indebi- tè Scripturas spectantes ad Cameram Apostolicam, illasque non restituentium, nec non scientium, & non revelantium: ex Constitut. Julii III. *die ultima Aprilis, 1552.* ut inquit Barbosa *cit. allegation. 57. n 249.* vel po- tiùs ex Constitut. 56. Sixti V. quæ incipit: *Non sine ma- xima*: ac refertur *Tom. 2. Bullarii Romani*.

360 XXII. Vacat Beneficium Ecclesiasticum ipso jure sive per obitum (& non per resignationem) quando illud resignans, non supervixit viginti diebus, prout constat ex Regula 19 Cancellariæ, quæ inscribitur, *Regula de viginti*: ac fusius declaratur suprà *lib. 1. tit. 9 De Renun- ciatione, §. 3. n. 67. 68 & seqq.* Tacentur nonnulli alii consimiles casus, de quibus extant speciales Constitu- tiones Apostolicæ, partim in Bullario Romano, par- tim in sæpè citato Barbosa, & Gonzalez videndæ.

361 Resp. V. Insuper ob complura crimina atrociora tum per Sacros Canones, tum per Constitutiones Apostoli- cas, reperitur inflicta privatio beneficiorum ipso jure. Sic cumprimis, atque XXIII. Vacat ipso jure beneficium ob crimen Simoniæ realis, in ejusdem consecutione com- missum: adeò quidem, ut præter pœnam excommunica- tionis, ipso facto contractæ, & Papæ reservatæ, quælibet provisiones, & collationes beneficiorum, quas Simoniaca contigerit labe fieri, viribus omnino careant; & *aliquo eis cuipiam jus nullatenùs acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutio- nem*

nem suo animæ sine periculo sit adstrictus. Ita textus ex- pressus *in Extravag. Cùm detestabile, de Simonia, inter Communes*; de qua ex professo alibi.

362 XXIV. Huc accedit Simonia confidentialis (quam *Confidentiam beneficiorum* appellant) qua quis cuipiam beneficium Ecclesiasticum procurat eligendo, præsen- tando, resignando, confirmando, aut alia ratione, sub certa confidentia, seu pacto expresso, aut tacito, ut is, qui beneficium accepturus est, illud ipsum sibi pro- curanti, aut alteri v. g. fratri, vel nepoti suo, cum fructibus, sive aliqua horum portione suo tempore ce- dat. Nam quæcunque Beneficia, per hujusmodi Simo- niam confidentialem quoquo modo recepta, aut impo- sterum recipienda, ipso jure à die receptionis vacasse, & vacare decrevit, atque declaravit Pius IV. in sua Con- stitutione 85. *Romanum Pontificem*: quam innovavit B. Pius V. In Constitutione 85. quæ incipit, *Intolerabilis*: atque una cum priori habetur *Tom. 2. Bullarii Romani*.

363 XXV. Vacat ipso jure Beneficium propter crimen Hæresis, *arg. c. Ut commissi, 12. de Hæretic. in 6.* ibi: *Vel privatos nunciandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Ecclesiasticis*: juncta Constitutione 29. B. Pii V. quæ in- cipit: *Cùm ex Apostolatus*: & habetur *Tom. 2. Bullarii Romani*: ac notat Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellar gloss. 15. num. 65.* Flamin Parisius *lib. 3. de Resignat. benefic. qu. 1. num. 31. 32.* Garcias *part. 11. de benefic. c. 10. num. 60. & 66.* citans plurimos alios, & Rotam *in una Mutinens. Capellæ, 19. Junii 1562. coram D. Paleotto*, hancque appellans communem sententiam. Quamvis contrarium teneat Barbosa *cit. allegation. 57. n. 228. vers. Sed contra- rium*, cum nonnullis aliis.

364 XXVI. Vacant ipso Jure beneficia Falsariorum fal- sificantium Literas Apostolicas, *c. Ad falsariorum 6. de Crimin. falsi*, ibi, *Clerici, qui falsarii fuerint deprehensi, omnibus Officiis & beneficiis Ecclesiasticis perpetuo fiant pri- vati*. Gonzalez *d. gloss. 15. num. 73.* Garcias *cit. part. 11. n. 270.* Barbosa *ead. allegat. 57. n. 234.* & alii.

365 XXVII. Vacat ipso Jure beneficium percutientis, aut capientis &c. Cardinalem S. R. Ecclesiæ, *c. Felicis §. Si quis verò, de Pœnis in 6.* Aut Episcopum, loquen- do tamen de Beneficiis in hujus Ecclesia obtentis, *Clem. de Pœnis*. Barbosa, *ubi suprà, n. 235. & 237.* Gonza- lez *n. 74. & 75.* cum aliis. Atque istud etiam procedit in beneficiariis occidentibus, vel mutilantibus Rectorem, aut alium Clericum suæ Ecclesiæ, *arg. c. In quibusdam, 12. §. Sacri de Pœnis*. Barbosa *loc. cit. n. 239. & 240.* istud tamen intelligens de beneficiis illius Ecclesiæ, in quam deliquit percutiendo Rectorem vel Clericum illius; non autem de beneficiis in alia Ecclesia obtentis.

366 XXVIII. Vacant ipso Jure Beneficia Clerici ob cri- men Assassinii, per ipsum procurati, vel mandati &c. Textus est expressus *in cap. 1. de Homicid. in 6.* XXIX. Vacant ipso jure Beneficia Clericorum inferiorum, qui carcerant, captumque tenent Clericum, donec resi- gnaverit suum beneficium; aut, ne citari ad Sedem Apostolicam venire possint, *Clem Multorum, §. Quod si Inferiores, de Pœnis*. Similiter vacant ipso jure Benefi- cia offendentium litigantes in Romana Curia, eorum- que Judices, Advocatos, Procuratores, Notarios, testesque, & alios; ex Constitutione 11. Alexandri VI. *In eminenti §. 4.* ac refertur *Tom. 1. Bullarii Romani*.

367 XXX. Vacant ipso jure beneficia committentium ne- fandum crimen Sodomiæ: ex Constitutione 72. B. Pii V. *Horrendum illud*, §. 3. Imò tantum crimen perpetran- tes jubentur degradari, ac Curiæ sæculari tradi ad sup- plicium: ex Constitutione 5. B Pii V. quæ incipit, *Cùm primum* §. 11. & citata Constitutione 72. ejusdem; qua- rum utraque refertur *Tom. 2. Bullarii Romani*. Tacentur nonnulli alii casus, privationem beneficiorum Ecclesia- sticorum ipso jure inducentes, & apud Auctores hacte- nus citatos videndi.

368 Solummodò nota, quod privatio, seu vacatio benefi- ciorum ipso jure in pœnam commissi criminis statuta, regulariter non obliget in Foro conscientiæ ante senten- tiam declaratoriam Judicis super crimine admisso: eo quòd requirat externam executionem, sicque subintret dispositio *c. Cùm secundùm, 19. de Hæretic. in 6.* atque citatis pluribus Authoribus (quibus impræsentiarum addi potest Azorius *part. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8* Pirhing *cit. de Concession Præbend. n. 25 § Porrò* Covarruvias *de Matrimon. part. 2. cap. 6. §. 8. n. 9.* Zerola *in Praxi Episcop. part. 1. vers. Privatio §. Ad quintum omissis &c.* allegans plures alios) ex professo dictum est suprà *lib. 1. tit. 2. De Constitutionibus, §. 10. n 227. 229. & seqq.* solvendo con- traria; ubi simul pro declaratione additi ly, *Regulariter*, referuntur casus, in quibus data Regula fallit. Quibus adde casum Simoniæ realis, in assecutione beneficii Ec- clesiastici commissæ: talis enim simoniaca receptio be- neficii plenissimè infirmatur per Sacros Canones, ac præ- sertim per citatam *n. 361. Extravag. Cum detestabile, de Simonia, inter Commun.* Fatendum tamen, quòd pluri- mis Authoribus pro- & contra relatis, ac loquendo de bonis communibus (qualia sunt Beneficia, & Officia pu- blica) Garcias *part. 11. de Benefic. cap. 10. n. 7. & 8. ac n. 18. 20. & seqq.* oppositum teneat, asserens, quòd com- mittens delictum, propter quod ipso jure privatur be- neficiis, teneatur in conscientia dimittere illa ante sen- tentiam: quem proinde, fusius de hac materia disseren- tem, Benevolus Lector videre poterit.

369 Quæritur II. Quid dicendum de vacatione beneficio- rum per sententiam; & qualiter hæc differat à vacatio- ne eorundem ipso Jure? Resp. I. Per sententiam amit- titur Beneficium, quando sententia privationis (con- demnatoria videlicet) requiritur post crimen, vel aliam causam. Ita Rebuffus *in Praxi benefic. tit. de modis amit- tendi beneficia, n. 50.* cum communi. Quo modo, si Cle- ricus Judicium sanguinis exerceat, per sententiam suo est beneficio privandus, *c. Clericis 5. Ne Clerici, vel Mo- nachi &c.* ibi: *Si quis tale quid fecerit, Honore privetur, & loco*. Idemque dicendum de homicida, sacrilego, in- cendiario, perjuro, & aliis Clericis hujusmodi gravia crimina perpetrantibus.

370 Cæterùm privatio Beneficiorum Ecclesiasticorum nunquam est imponenda, nisi in casibus à Jure expressis, *arg. can. Apostolus, dist. 81.* juncta Glossa *fin. ibid.* Joan. de Selva *Tractatuum tom. 15 tract. de beneficio, part. 3. q. 2. n. 26.* Rebuffus *loc. cit. n. 62.* Gonzalez *in Reg. 8. Can- cell. gloss. 15. n. 136.* citans alios, etsi non desint tenentes, quod quandocunque delictum est grave, possit Clericus beneficio privari *arg. can. Satis perversum dist. 56. & can. Inventum est 16. quæst. 7.* Et pro hac sententia plures alle- gat Gonzalez, *ubi suprà, n. 138.* posteà tamen horum sententiam intelligens in casibus à Jure expressis; alias non. Nam, quod odia restringi, simulque in pœnis be- nignior sit interpretatio facienda, patet ex *Reg. 15. & Reg 49. Juris in 6.* cum concordantiis.

371 Resp. II. Vacatio beneficii Ecclesiastici ipso jure, & Vacatio seu privatio Beneficii per sententiam, quoad effectus suos multipliciter differunt, Ita Barbosa *p. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 57. n. 253.* Alfons. Hoje- da *Tractatuum tom. 15. tract. de Benefic. incompatibilit. part. 1. cap. 13. num. 59. & seqq.* Gonzalez *dict. Gloss. 15. n. 140. & seqq.* enumerans complures tales effectus. Ra- tio hujus desumitur ex dictis suprà *lib. 1. tit. 2. De consti- tutionibus § 10. n 230. 231. & seqq.* ubi ex professo osten- sum est, quod ad incurrendam pœnam ferendæ senten- tiæ, v. g. privationis beneficii, requiratur sententia condemnatoria Judicis, ac debeatur pœna solùm à tem- pore latæ sententiæ. Econtrà verò, ut debeantur pœnæ ipso jure impositæ: sufficiat sententia declaratoria Judi- cis super crimine admisso, quæ per quandam juris Fictio- nem retrotrahitur ad tempus commissi sceleris, cui pœna ipso jure imposita fuit; adeoque facta per Judicem exe- cutione, debeatur pœna illa jam à die commissi criminis: prout ampliùs ibidem declaratur. Unde applicando eandem doctrinam ad casus, seu effectus speciales quoad propositum.

372 Differt imprimis privatio, seu vacatio beneficii Ec- clesiastici ipso jure inducta, ab ejusdem privatione per sententiam condemnatoriam Judicis: quod si vacat Be- neficium ipso jure, ratione alicujus capitis *quæst. præced.* enumerati, vacet illud in puncto contracti, v. gr. ma- trimonii, aut emissæ Professionis Religiosæ, vel com- missi criminis &c. sicque ad dignoscendum, an benefi- cium vacaverit in mense Pontificio, nec ne, inspicien- dum sit tempus vacationis ipso jure, non autem actua- lis amotionis ab injusta ejus perceptione, seu posses- sione. Secùs dicendum de privatione, seu vacatione

beneficii per sententiam Judicis: hic enim inspicitur tempus latæ sententiæ privationis per Judicem factæ, Gonzalez, *ubi suprà, n.* 141. & 142. Barb *cit. n.* 253. & alii.

373 Secundo differunt: quia data vacatione Beneficii ipso jure, etiam in pœnam delicti, statim potest illud conferri alteri, etiam non expectata sententia Judicis, nec vocato possessore ipsius; quamvis, ut ille, cui id collatum fuit, possit in talis beneficii possessionem induci, requiratur prævia citatio prioris possessoris, *can. Licèt Episcopus* 28. *h. t. in* 6. Ubi Glossa *vers. Te non vocato*, dispositionem illius Decretalis intelligendam censet in omni eo casu, in quo quis beneficio privatus est ipso jure. Gonzalez *loc. cit. n.* 148. Hojeda, *ubi suprà, n.* 60. Barbosa *n.* 255. allegans alios: atque concordant dicta superiùs *n.* 336. *& seqq* Secùs dicendum, quando quis primum est privandus beneficio per sententiam: tunc ante hujus prolationem neque vacat beneficium, neque alteri conferri potest.

374 Tertiò differunt: quia beneficiarius, cujus beneficium vacat ipso jure absque crimine, v. g. ob matrimonium contractum, vel assecutionem alterius beneficii incompatibilis &c. ex tunc tenetur statim, etiam in Foro Poli dimittere prius beneficium: & si secus attentare præsumpserit, non facit fructus suos, sed ad illorum restitutionem tenetur etiam in Foro conscientiæ, Hojeda *loc. cit. n.* 61. Gonzalez *cit. gloss.* 15. *n.* 150. Flamin. Parisius *lib.* 3. *de Resignat. Benefic. quæst.* 1. *n.* 58. loquens de vacatione prioris beneficii pro jure propter assecutionem alterius incompatibilis; atque citatis aliis subjungens, hanc esse communem opinionem. Accedit ratio: quia talis vacatio ipso jure non est statuta in pœnam delicti, ut opus sit prævia sententia declaratoria super ejus admissione (non enim peccat Clericus Minorista matrimonium contrahendo; vel aliud beneficium incompatibile recipiendo, dummodò prius dimittat &c.) sed vacatio illa ipso jure inducta est propter assumptionem status matrimonialis, qui est incompatibilis cum Clericatu; vel ob receptionem alterius beneficii incompatibilis cum priori &c. sicque ipso facto incurritur, ad evitanda plura cæteroquin secutura incommoda &c.

375 Atque hoc ipsum dicendum est, quando in pœnam commissi delicti quis incurrit privationem beneficii ipso jure, & secuta est sententia declaratoria Judicis super crimine admisso, nam quia hæc retrotrahitur ad tempus commissi delicti, jam ab eodem tempore debetur pœna privationis beneficii ipso jure, sicque omnes fructus abinde percepti, restituendi sunt; prout ampliùs suprà *cit. Lib.* 1. *Tit.* 2. *n.* 230. 231. *& seqq.* declaratum fuit. Secùs dicendum, si quis per sententiam condemnatoriam Judicis privatur suo beneficio: nam tunc pœna solùm debetur à tempore latæ sententiæ, sicque possunt retineri omnes fructus antea percepti.

376 Quartò differunt: quia Beneficiarius ipso jure privatus suo beneficio, non potest illud resignare in favorem alterius, nec alia ratione de eodem disponere, v. g. permutando, aut hujusmodi: & si secùs attentetur resignatio, vel permutatio est invalida; saltem secuta sententia declaratoria Judicis, si vacatio ipso jure inducta fuit ob commissum crimen. Ratio est: quia nemo potest dare, v. g. resignando, permutando &c. quod non habet: Glossa *in can. Gratia* 1. *quæst.* 2. *vers. possunt*. Simulque *nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*, prout loquitur *Reg.* 79. *jur. in* 6. Econtrà beneficiarius, qui venit privandus suo beneficio per sententiam, potest resignare, permutare &c. beneficium ante secutam privationem ipsius.

377 Tacentur aliæ consimiles differentiæ quoad diversos effectus inter privationem, seu vacationem beneficii ipso jure, & per sententiam, assignabiles: nam earum centum & quatuor accumulat Tiraquellus *in l. Si unquam vers. Revertatur nu.* 168. *C. de Revocand. donation.* teste Gonzalez, *ubi supra, n.* 152.

§. XIII.

De Reservatione Beneficiorum in genere.

SUMMARIUM.

378 *Reservatio beneficiorum.*
379 *Et beneficium reservatum, quid?*
380 *Reservatio beneficiorum, quotuplex? Et n. seq.*
381 *Reservationes beneficiorum generales, & speciales, quæ? Et n. præced.*
382 *Reservatio beneficiorum alia fit apposito Decreto irritante: alia fit simpliciter sine tali Decreto.*
383 *Harum quælibet ligat manus inferioris Collatoris: sed cum discrimine. Et n. seqq.*
384 *Illa afficit etiam ignorantes, non ista.*
385 *Illa inficit non solùm titulum, sed etiam possessionem &c. Ista annullat solùm collationē in contrarium factam.*
386 & 387 *Reservationis collationis quorundam Beneficiorum respectu Papæ, cur facta fuerit?*
388 *Reservatio beneficiorum an sit favorabilis, vel odiosa? Et n. seqq.*
389 *Probatur, eam esse odiosam, sicque restringendam. Et n. præced.*
390 *Refertur contraria quorundam sententia, loquendo de reservationibus generalibus.*
391 *Prior sententia est communior inter Doctores, simulque probabilior.*
392 *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.*
393 *Dantur tamen Beneficia aliqua, quæ sub reservationibus, etiam generalibus, absque speciali eorum mentione non comprehenduntur. Et n. seq.*
394 *Uti sunt benef. manualia, seu ad nutum revocabilia.*
395 *Item Benef. juris patronatus Laicorum, vel mixti, ex fundatione, ædificatione, vel dotatione acquisiti. Tali juripatronatus Laicorum Papa derogare non solet. Ibid.*
396 *Secùs dicendum de Beneficiis juris patronatus Ecclesiastici; aut Laicalis ex consuetudine, præscriptione, vel privilegio acquisiti.*
397 *Beneficia vacantia ex causa permutationis, non continetur sub reservationibus.*
398 *Sicut beneficia de Mensa. Beneficia de Mensa, quid? Ibid.*
399 *Idipsum procedit de beneficiis accessoriè alteri unitis.*
400 *Reservationes beneficiorum ultra eas, quæ habentur in propriis Concordatis, cessant in Gallia, & Germania,*
401 *Sub reservatione* c. Licèt 2. de Præbend. in 6. *non comprehenduntur Episcopatus.*
402 *An hoc ipsum extendatur ad Abbatias? Defactò cessat data limitatio, controversia; & cur. Ibid.*
403 *Beneficia electiva non comprehenduntur in reservationibus, factis sub justa forma*: Reservamus beneficia ad cujuscunque collationem, provisionem, præsentationem, seu dispositionem spectantia. *Intelligendo istud de beneficiis propriè electivis: & quæ sint talia? Ibid.*
404 *Beneficia electiva sunt speciali nota digna. Et num. præced. Electio non includitur sub verbo* Provisionis, vel Dispositionis. *Ibid.*
405 *Beneficia, quæ ex consuetudine Magistris, & Doctoribus sunt conferenda, an comprehendantur sub reservationibus?*
406 *Quid dicendum de beneficiis Regularibus? Et de beneficio monoculo? Ibid.*

378 QUæritur I. Quid, & quotuplex sit Reservatio beneficiorum? Respond. I. *Reservatio*, quantùm ad propositum, est alicujus Ecclesiastici beneficii vacaturi, per habentem ad istud potestatem, ad se facta vocatio. Ita Æneas de Falconibus *tom.* 15. *tractatuum; part* 1. *tract. de Reservatione benefic. quæst.* 1. *princ. n.* 1. Jo. Chokier *in Reg.* 1. *Cancell. n.* 12. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancellar. glos.* 5. *n.* 19. Azorius *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 34. *q.* 1. Pirhing

Pirhing *h. t. nu.* 317. Sannig *eod. c.* 4. *n.* 1. & aliis. Dicitur, *avocatio*: quæ particula stat loco generis; reliqua verò adducuntur per modum differentiæ. Dicitur ulterius; *per habentem ad istud potestatem*: qualis est Papa, utpote plenariam circa omnia totius mundi beneficia Ecclesiastica dispositionem habens, *c.* 2. *h. t. in* 6. cum similibus. Deinde Legatus à Latere: nam & iste potest beneficia, quæ in Provincia sibi decreta tempore suæ Legationis vacaverint, suæ collationi reservare; sub certis tamen limitationibus, quæ habentur in *c. Præsenti* 3. *de Offic. Legat. in* 6.

379 Et conformiter dictis intelligendum est, quid sit *beneficium reservatum*: nam tale dicitur illud, cujus collationem Superior v. g. Papa, sibi propriam vendicat, ut ab aliis Collatoribus ordinariis conferri non possit. Laym. *lib.* 4. *Theol. Moral. tract.* 2. *c.* 11. *n.* 1. & communis.

380 Resp. II. Reservatio beneficiorum est duplex, generalis videlicet, ac specialis. Ita Garcias *de beneficiis, p.* 5. *c.* 1. *n.* 56. *& seqq.* Azorius *p.* 2. *lib.* 6. *c.* 34. *q.* 3. Pirhing *h. t. n.* 318. & alii. Quamvis posteà non nihil variant in explicatione horum terminorum. Siquidem Felinus *c. In nostra Coroll.* 5. *n.* 15. *de Rescr.* & Milis *in Repert. v. Reservatio vers.* 2. ac non pauci alii, per *Reservationes generales beneficiorum* intelligunt illas, quæ sunt introductæ à Jure communi: per *speciales* verò, quæ habentur per Regulas Cancellariæ, aut Concordata, vel hujusmodi, ultra dispositionem Juris communis.

381 Verius tamen videtur, quòd *Reservationes generales* censeantur illæ, quibus reservantur plura Beneficia in communi: ut putà, beneficia in Curia vacantia, vel beneficia devoluta, aut quæcumque beneficia eorum, qui promoventur ad Episcopatus, & hujusmodi. *Reservationes speciales* econtrà dicuntur illæ, quæ fiunt de certis beneficiis: hoc est, de talibus beneficiis, quæ sunt determinata, seu specialia vel ratione loci, reservanda v. g. omnia beneficia certæ Ecclesiæ: vel ratione ipsiusmet beneficii, ut cùm certa Dignitas reservatur: vel ratione personæ, ut dum Papa jubet beneficium primò vacaturum in Ecclesia N. conferri Titio Clerico. Ita Rota *Decis.* 28. *de præbend. in antiq. & Decis.* 3. *de Restit. spol.* Garcias *cit. part.* 5. *cap.* 1. *n.* 58. *&* 60. Azorius, & Pirhing. *ubi suprà* Flaminius Parisius *de Resignat. benefic. lib.* 2. *q.* 6. *n.* 16. *& seqq.* & alii.

382 Resp. III. Ulteriùs Reservatio beneficiorum alia est, quæ fit apposito Decreto irritante; hoc est, decernendo irritum & inane, si quid secùs attentatum fuerit; quale Decretum plerumque reservationibus à Papa factis apponi solet; ut *c. Si beneficia* 20. *h. t. in* 6. Alia reservatio est, quæ fit simpliciter, & absolutè, nullo opposito tali Decreto.

383 Est autem notabilis differentia inter Reservationem opposito Decreto; & inter eam, in qua istud non apponitur. Licèt enim quælibet Reservatio liget manus Collatoris inferioris, adeò, ut beneficium, Papæ v. g. reservatum, validè conferre non possit, hoc ipso, quòd Papa de sua majori potestate illud sibi, suæque collationi reservarit: nihilominùs istud contingit cum discrimine. Siquidem

384 Reservatio beneficii facta opposito Decreto irritante, afficit etiam ignorantem: adeò, ut invalida sit collatio beneficii taliter reservati, etiamsi ordinarius Collator ignorasset, reservationem ejusdem à Papa priùs factum fuisse, *arg. cit. c. Si beneficia* 20. *h. t. in* 6. ac notat Ancharanus, *ibid. not.* 2. & Franchus *n.* 1. Pirhing *h. t. n.* 320. & Garcias *d. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 408. *& seqq.* allegans alios. Econtrà verò Reservatio beneficii, nullo apposito Decreto irritante facta, solùm ligat manus Collatoris inferioris post notificationem, non verò afficit ignorantem: unde Collator ordinarius validè confert beneficium sine apposito Decreto reservatum, si reverà factam reservationem ignoravit. Tum quia ignorantibus venia non negatur, *c. Proposuisti dist.* 82. Tum quia *cit. c. Si beneficia h. t. in* 6. ad inducendam invaliditatem factæ bona fide collationis beneficii reservati, utrumque copulativè requiritur; videlicet, tam reservatio, quàm oppositio Decreti irritantis, illis verbis: *Aut decreto interposito reservantur*: ac notant Authores proximè citati.

385 Est & alia differentia. Nam Reservatio beneficii cum Decreto, inficit non solùm titulum, quatenus collatio ejus per inferiorem postmodum facta non tenet: sed etiam viciat possessionem, & omnia, quæ inde consequuntur, *cap. Si eo tempore* 45. *de Election. in* 6. Garcias *cit. part.* 5. *cap.* 1. *n.* 410. *&* 428. post Rotam *Decis.* 24. *n.* 5. *& Decis.* 156. *part.* 2. *divers.* & alios. Adeò, ut collatio Ordinarii nihil omnino præstet, ne quidem titulum coloratum; & si is, qui ejusmodi beneficium obtinet, isto spolietur, non possit agere de spolio. Chokier *in regul.* 1. *Cancell. n.* 18. citans Rotam *Decis.* 16. *in novis* Pirhing. *h. t. n.* 322. Idque fit propter prægnantiam, amplitudinem, & generalitatem verborum Decreti, quo dicitur; *Decernentes irritum & inane, quidquid secùs scienter, vel ignoranter contigerit attentari*: de quo plura Barbosa *in tract. de Clausulis, Claus.* 40. Econtrà verò Reservatio beneficii sine Decreto, solùm annullat collationem in contrarium factam: non verò videatur discolorare titulum neque possessionem inficere. Garcias *loc. cit. n.* 420. citans Simonetam *de Reservatione quæst.* 40.

Quæritur II. Cur reservatio quorundam beneficiorum facta fuerit? 386 Resp. Cur reservatio collationis aliquorum beneficiorum Ecclesiasticorum, præsertim respectu Romani Pontificis, Christi in terris Vicarii introducta fuerit, multiplex posset assignari ratio congruentiæ, potissimæ tamen sunt sequentes. Imprimis enim Sancta Romana Ecclesia cæterarum Ecclesiarum primatum tenet, *can.* 1. *dist.* 22. atque ad ipsum Romanum Pontificem ab initio pertinebat collatio omnium Beneficiorum totius Urbis, & Orbis, *c.* 2. *h. t. in* 6 cum similibus, & quamvis ipse posteà concesserit Episcopis potestatem conferendi Beneficia suarum Ecclesiarum, *can. Regenda* 10. *q.* 1. & alibi, ut tamen intelligeretur, majorem penes se remansisse potestatem, *c. dudum* 14. §. *Nos igitur de Præbend. in* 6. Ipsisque Episcopis cumulativè solùm non autem privativè, potestatem conferendi beneficia fuisse concessam: cùm sint vocati duntaxat in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, *can qui se scit* 2. *q.* 6. Haud immeritò Papa quorundam beneficiorum collationem expresè sibi reservandam censuit.

Aliam reservationum causam ponit Chokier *in reg.* 8. 387 *Cancell. circa init. n.* 9. & Pirhing. *h. t. n.* 319. Siquidem ad Sedem Apostolicam confluunt undecunque Clerici indigentes, & etiam de Ecclesia benè meriti, quibus paterna provisione Papa subvenire tenetur: unde justum fuit, imò & necessarium, ut quorundam beneficiorum, talibus Clericis dato tempore conferendorum, collationem sibi reservaret. Atque hæc ratio habetur etiam in Reg. 8. Cancellariæ illis verbis; *Item cupiens SS. D. PP. pauperibus Clericis, & aliis benè meritis personis providere &c.* Accedit, quòd hac ratione conservetur major communicatio, & conjunctio inferiorum Ecclesiarum, atque Clericorum, per totum Orbem cum Ecclesia Romana Matre sua, dum ab ipsa non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus seu redditibus Ecclesiasticis dependent, atque adjuvantur.

Quæritur III. Utrùm Reservatio beneficiorum sit 388 favorabilis, vel odiosa? Resp. I. Reservatio beneficiorum est odiosa, atque restringenda: nec inducitur, nisi in casibus expressis. Ita Glos. *in c. Præsenti vers. finitur legatio de offic. Legat. in* 6. asserens, reservationes beneficiorum esse odiosas propter duo: quia per eas datur via ad vacaturas: & quia præjudicant ordinariæ potestati. Navarrus *in c. Accepta de Restitut. spoliat. in oppositionis decimæ solutione, n.* 42. dictam Glossam appellans memorabilem, eamque procedere asserens non solùm speciali reservatione (putà, si Papa reservet Beneficium primo vacaturum in Ecclesia A. conferendum Cajo) sed etiam in generali. *arg. c. Mandatum* 38. *de Rescript.* Garcias *part.* 5. *de benefic. cap.* 1. *num.* 67. præter plures alios citans Bellameram *de Permutat. Benefic. p.* 3. *quæst.* 1. *& Consil.* 34. cum Collectario dicentem, quòd reservationes Papæ, etiam generales, & Motu proprio factæ, sint odiosæ, & restringendæ: quia Ordinariis auferunt jura sua. Cassadorus *decis.* 3. *n.* 5. *de reservationib.* eandem Glossam approbans. Barbosa *p.* 3. *de Offic. & potest. Episc. allegat.* 57. *n.* 18. citans Bisignanum *decis.* 2. *in fin. de Præbend.* & Simonetam *de reservat. q.* 5. Rotam in Seguntina *Archidiaconatus &*

Canonicatus 19. Martii, 1601. coram Cardinale Lancelloto jun. Castro Palao p.2. tract. 13. de beneficiis, disp.2. punct.15. n.5. Flamin. Parisius lib. 7. de Resignat. benefic. qu. 11. n. 33. Joan. Chokier ad Reg. 8. Cancellar. n.5. Petrus de Murga tract. de beneficiis, c.3. n.259. Farinacius decis. 691. nu.2. His accedunt alii, quos pro hac sententia citat Gonzalez ad reg.8. Cancellar. § 6. Procem. nu.6. generaliter docentes, quòd reservatio dicatur odiosa; ut Rota decis.1. nu. fin. de Præbend. in antiq. Calderinus consil.10. in fin. de Præbend. Geminianus Consil.136. n.2. Decisus cap.2. n.6. de Election. Parisius Consil.19. n.4. l.4. Gambarus de Legato, lib.3. n. 194. aliique plures, junctis citandis infrà n. 391.

389 Accedit ratio, per Glossam, ubi suprà, jam insinuata. Quia videlicet reservatio detrahit jurisdictioni ordinariæ, quæ dicitur favorabilis, & naturalis, Glossa in Clem. ult. v. Nolumus, de Offic. Ordin. Atqui omnis dispositio, quæ est derogatoria potestati Ordinarii, est odiosa. Abbas cap. si quis contra, n.4. de Foro compet. Sicque, veluti lædens jus alterius, est restrigenda, arg. c. Super eo 15. de Offic. delegat. Et hinc Pontifex in Extrav. Ad regim. h. t. inter Commun. sicut & in Regulis Cancellariæ multum enucleatè solet specificare Beneficia illa, quæ reservare intendit, ne alioquin censeri possint non reservata.

390 Fatendum tamen, quod Æneas de Falconibus cit. tr. de Reserv. benefic. Prælud. 3. n.1. atque Gonzalez d. §. 6. Procem. n.25. & seqq. & præsertim n. 74. allatam doctrinam intelligendam censeant solùm de reservationibus specialibus, seu particularibus, atque factis ad favorem certarum personarum, vel ratione Expectativarum ad beneficia viventium; nam tales etiam ipsi concedunt esse odiosas, sicque restringendas. At verò reservationes generales, v. g. illas, quæ habentur in Regulis Cancellariæ, asserunt esse favorabiles, sicque extendendas. Rationes ipsorum præcipuæ sunt: tum quia ab initio omnis potestas conferendi beneficia residebat penes solum Papam arg. can. 1. & 2. dist. 22. cum similibus: ac proinde per reservationes generales nihil præjudiciale innovatur, sed res reducitur ad suum primævum statum: quod est favorabile, cùm res de facili revertatur ad naturam suam, & primævum statum, can. Ab exordio, dist. 35. Glossa cap. Statutum vers. Numerandum, h. t. in 6. Barbosa Axiomat. 199. n. 13. Tum quia reservationes generales beneficiorum principaliter fiunt pro favore Ecclesiarum, atque procuranda earundem utilitate, & sublevanda Clericorum benè de Ecclesia meritorum indigentia, ut dictum nu. 386. & 387. Atque ex fine primario, seu principali oportet dignoscere; an dispositio aliqua sit favorabilis, nec ne; ergo.

391 Verùm his non obstantibus prior sententia communior inter Doctores, simulque probabilior, etiam loquendo de reservationibus generalibus, & factis per viam legis: ut est illa, quæ habetur in cap. Licèt, 2. h. t. in 6. Hanc enim esse odiosam, eò quòd detrahat jurisdictioni ordinariæ; notat Glossa ibid. vers. dignitatum, dum asserit, quòd sub reservatione ibidem promulgata non comprehendantur Episcopatus. Istud quippe foret falsum, si reservatio facta per viam legis generalis foret favorabilis: nam Episcopatum in materia favorabili venire nomine beneficiorum, præter communem aliorum, concedit ipsemet Gonzalez, ubi suprà, Gloss.9. n.36. & 37. Accedit, quòd idem Gonzalez §. 5. Procem. n. 139. asserat, quòd Constitutio cap. Si Apostolica 35. h. t. in 6. sit favorabilis; quia (inquit) restringit reservationem cap.2. eod. tit. in 6. ac reducit, quoad illum casum, materiam ad Jus commune: ergo hoc ipso concedere cogitur, reservationem in cit. cap. 2. h. t. in 6. esse odiosam atque restringendam; haud obstante, quòd sit lata per viam legis generalis, simulque clausa in corpore Juris Canonici. Atque idipsum, nempe memoratam reservationem citati cap.2. h. t. in 6. esse odiosam, tenet Geminianus ibid. n. 9. & Franchus n. 6. & Simonetta de reservation. qu.5. n.27. 28. & 29. apud Gonzalez §. Procem. n.12. Unde Navarrus, ubi suprà, n.42. in specie carpit Æneam de Falconibus, contrarium tenentem, quasi immemor fuisset illius Glossæ, quæ habetur cap. Præsenti, vers. Finitur legatio de off. Legat. in 6.

392 Nec obstant rationes n. 390. in oppositum allatæ. Non prima; nam si quid probaret sequeretur, quòd etiam reservationes speciales, & particulares, dicendæ forent favorabiles: cùm etiam per istas reducatur res ad pristinum statum, seu ad primævam potestatem Papalem conferendi beneficia Ecclesiastica: hoc autem nec Gonzalez, nec Æneas de Falconibus concedit. Sequeretur pariter, quòd jurisdictio delegata foret favorabilis, utpote per quam similiter reditur ad primævum statum: sive ad eam jurisdictionem, quam Papa, Christi in terris Vicarius, in persona Sancti Petri Apostoli Matth. cap.16. & Joan. c.21. immediatè à Deo recepit; Atqui istud est contra Glossam in cap.1. vers. Processus, de Rescript. in 6. & communem Doctorum; unde patet imbecillitas primæ rationis. Quinimò, cùm Pontifex ex singulari benignitate sua, potestatem conferendi beneficia Ecclesiastica, etiam Ordinariis locorum de Jure communi concedere dignatus fuerit, uti habetur c. Ex frequentibus, 3. de Institut. Beneficium autem propriè dictum, contra Principem concedentem sit interpretandum largissimè, c. Olim 16. de Verb. signif. & alibi: consequens est, ut eidem contraria dispositio, puta, reservatio beneficiorum Ecclesiasticorum ab Ordinariis conferendorum, censenda sit odiosa, & strictè interpretanda. Neque urget altera cit. num. 390. allata ratio: quia non obstante, quod omnes Leges ferantur ex causa favorabili, seu pro communi bono Reipublicæ, can. Erit autem lex dist. 4. dantur nihilominùs Leges quædam pœnales, strictèque interpretandæ: eò quòd primario respiciant punitionem criminum (qualis est odiosa, sicque quantùm fieri potest restringenda) quamvis ultimatè etiam respiciant bonum commune Reipublicæ, juxta dicta superiùs lib. 1. tit. 2. de Constitutionibus, §.17. n.442. Idem ergo, servata proportione, dicendum est in proposito: ac proinde neganda consequentia.

Quæritur IV. An dentur aliqua Beneficia; quæ sub 393
reservationibus, etiam generalibus, nulla de ipsis facta mentione speciali; non comprehenduntur? Resp. Affirmativè, adeo, ut Æneas de Falconibus cit. tract. de Reservat. benefic. quæst. 3. principal. viginti sex hujusmodi beneficia enumeret; etsi de nonnullis eorum dubitet, præsertim loquendo in ordine ad reservationes generales, uti notat ibid. n. 33. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. n. 22. & ead. gloss. 5. §. 1. n. 2. & seqq. ex professo declarans beneficia, quæ cadunt, vel non cadunt; sub illis verbis Regulæ VIII. (nunc IX.) Cancellariæ, collationi Papæ reservantibus Omnia beneficia Ecclesiastica. Garcias part. 5. c. 1. §. 1. & seqq. fusissimè agens de reservatione Beneficiorum in specie. Barbosa part. 3. de offic. & potest. Episc. allegat. 57. n. 27. & seqq. & n. 142. & seq. & alii. Idque declaratur inductione, adducendo tales casus cæteris certiores, simul & notabiliores.

Sic imprimis reservatio generalis beneficiorum solum- 394
modò complectitur beneficia perpetua, seu propria dicta, non autem beneficia manualia; hoc est, ad nutum revocabilia, sive sint sæcularia, sive regularia. Hæc enim sub reservationibus generalibus non comprehenduntur, cùm nec sint beneficia propriè dicta: simulque Papa reservando sibi collationem beneficiorum, loqui videatur de collatione perpetua, nec intendat mutare naturam beneficiorum, nisi istud exprimat. Glossa in Clem. un. vers. Revocari circa fin. de Supplend. negligent. Prælat. Æneas de Falconibus d. tract. de Reservation. benefic. q. 3. principal. n.25. Barbosa cit. alleg. 57. n. 146. & 147. & 152. Layman l. 4. Th. Mor. tr. 2. cap. 11. n. 1. Garcias part. 5. de beneficiis, cap. 1. n. 510. citans Calderinum Consil. 26. de Præb. & Rotam decis. 639. n.8. part. 1. divers. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 5. §. 6. n. 9. & seqq. allegans plurimos alios: atque subjungens, ita fuisse decisum die 10. Decembris, 1603. coram R. D. Litta;

Deinde sub reservationibus Papalibus non compre- 395
henduntur Beneficia, quæ sunt juris patronatus Laicorum, ex fundatione, ædificatione, vel dotatione acquisiti, absque expressa hujus mentione. Glossa cap. 2. vers. Collatio, h. t. in 6. Covarruvias Practic. qu. c. 36. n. 1. & 4. Azorius part. 2. lib. 6. c. 34. quæst. 7. Rebuffus in Praxi benefic. tit. Tertia pars Signaturæ, vers. Nec non jurispatronatus, nu. 23. & 64. Barbosa cit. part. 3. de offic. & potest. Episcop. allegation. 57. nu. 25. 26. & num. 144. istud etiam intelligens de Jurepatronatus mixto; hoc est, partim spectante ad Ecclesiasticos, & partim ad Laicos,

Pithing

Pithing h. t. n. 325. & alii. Siquidem Papa, licèt possit, non tamen solet, neque sine expressa mentione intendit derogare tali juripatronatus Laicorum, ne à fundandis, ædificandis, vel dotandis Ecclesiis quoquomodo retrahantur.

396 Secùs dicendum de beneficiis spectantibus ad juspatronatus Ecclesiasticum: nam huic, utpote ex bonis Ecclesiasticis originem trahenti, facilè per clausulas generales derogatur. Idemque dicendum de jurepatronatus Laicis competente non ex fundatione, ædificatione, vel dotatione, sed solùm ex consuetudine, præscriptione, aut privilegio Apostolico: nam quia hic cessat ratio superiùs allegata, beneficia tali juripatronatus subjecta comprehendi sub generali reservatione, fatentur DD. proximè allegati cum communi aliorum.

397 Tertiò, beneficia, quæ vacant ex causa permutationis, non continentur sub reservationibus generalibus; quia non nisi ipsis permutare volentibus conferenda sunt juxta Clem. un. de rerum permutat. Æneas de Falconibus cit. tract. de Reservat. benefic. quæst. 3. principal. nu. 5. Layman d. lib. 4. Theol. Mor. tract. 2. c. 11. n. 2. Pithing h. t. n. 325.

398 Quartò, Beneficia de Mensa non cadunt sub reservatione generali, Barbosa cit. alleg. 57. nu. 155. Gonzalez ad reg. 8. Canc. gl. 5. §. 6. n. 63. & 64. allegans Rotam in una Tarvisina Parochialis, 10. Decemb. 1603. coram R. D. Litta. Ubi sciendum, quod beneficium de Mensa dicatur illud, quòd est perpetuò incorporatum Mensæ Episcopali, aut Capitulari, vel Abbatiali: ita ut fructus ipsius pertineant ad eam Ecclesiam seu Collegium, cui facta est incorporatio, possintque converti in proprios usus ipsius, Glos. in Clem. un. vers. Ad mensam, & Abbas ibid. n. 16. de Excessibus Prælat. Barbosa, & Gonzalez, ubi suprà & alii. Accedit ratio; quia Ecclesia sic unita Mensæ Episcopali &c. non dicitur unquam vacare; juxta textum notabilem in cit. Clem. un. §. quidam etiam Ecclesias, ibi; Quamquam ipsæ propter hoc (seu Clericis decedentibus) ecclesiæ in veritate non vacant: ac præter Authores proximè relatos, notat etiam Glossa in Clem. 1. v. De mensa, de Supplend. neglig. Prælat. Nam Sedes Episcopalis, Capitulum, seu Abbatia, veluti Rector principalis ejusdem Beneficii suæ Mensæ uniti nunquam moritur. Atqui reservationes generales solummodò respiciunt beneficia vacantia: ergo.

399 Et quòd proximè dictum est de Beneficiis Mensæ, pariter procedit de beneficiis perpetuo, & accessoriè unitis alteri. Nam quòd hujusmodi Beneficia; puta, Vicariæ perpetuæ, solummodò conferri debeant ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponendi sunt Vicarii perpetui, decrevit B. Pius V. in sua Constitutione 47. Ad exequendum, quam superiùs n. 142. & 143. citatam reperies: sicque in eis non est locus reservationi. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 3. n. 48. & 49. Garcias p. 9. de benef. c. 2. n. 304. & 308. & seq. referens multiplicem Decisionem Rotæ. Barb. lib. 3. Jur. Eccles. univ. c. 6. n. 45. & alii. Accedit ratio: quia beneficium accessoriè, & per viam subjectionis unitum alteri, desinit esse beneficium, perditque titulum beneficii mediante tali unione. Rota. Dec. 11. n. 1. de Rebus Eccl. non alienand. in antiq. Et assumit naturam, consuetudines & privilegia principalis, cui est annexum accessoriè. Glossa c. un. v. Uniendo: Ne Sede vacante &c. Atque efficitur prædium illius, cui taliter est unitum. Gonzalez cit. gloss. 5. §. 7. n. 2. & 5. & seqq. Barbosa d. allegation. 57. n. 158. & alii, atque ampliùs dicetur infrà Tit. 12. Ut Ecclesiastica beneficia &c. §. 3. n. 44. 45. & seqq. Unde non mirum, quòd Beneficium accessoriè, & per viam subjectionis unitum alteri, non cadat sub reservatione generali, cùm nec ampliùs existat beneficium, quod conferri aut reservari possit: haud obstante, quòd beneficium principale, sive illud, cui facta fuit accessoriè unio alterius, cadat sub reservatione, sicque mediante illo etiam beneficium accessoriè unitum veluti prædium alterius (etsi non per se) sub reservatione includatur. Gonzal. c. gloss. 5. §. 7. n. 37. & 39.

400 Quintò, Reservationes beneficiorum ultra eas, quæ habentur in propriis concordatis, cessant in Gallia, & Germania. Chokier ad Reg. 1. Cancellar. n. 22. Siquidem Pontifex in iis Concordantiis expressè cavit, quòd ultrà Reservationes in ipsis expressas, per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma factam vel faciendam nolit impedire, quò minùs Collatores ordinarii possint conferre beneficia vacatura; prout patet ex Concordatis Germaniæ Concordant dicenda inferiùs §. seqq. n. 425. 426. & seqq.

Sextò, sub illa reservatione generali, qua in c. Licèt, 401
2. de Præbend. in 6. collationi Papæ reservantur Ecclesiæ, Dignitates, personatus, & beneficia, quæ apud Sedem Apostolicam deinceps vacare contigerit, non comprehenduntur Episcopatus. Ita Glossa in c. c. Licèt, vers. Dignitatum, & Barbosa ibid n. 19. Garcias p. 5. de benef. c. 1. n. 113. citans plures alios, asserentes, Glossam præfatam esse communiter approbatam. Accedit ratio: quia Episcopatus sunt specialia nota digni, cùm non tam Dignitates sint, vel beneficia, quam Culmina Dignitatum, prout appellantur in c. Venerabilis. 37. h. t. Atqui ea, quæ speciali nota digna sunt, nisi specialiter notentur, neglecta intelliguntur, l. Item apud, §. Hoc edictum. ff. de Injuriis. Idque procedit vel maximè in materia odiosa, qualis juxta communiorem Doctorum, est reservatio beneficiorum: cum notissimi juris sit, odia esse restringenda, juxta reg. 15. Juris in 6. cum concordantiis.

Atque hoc ipsum multi Doctores extendunt ad Ab- 402
batias: quamvis nonnulli contradicant, volentes, quòd Abbatiæ comprehendantur sub nomine Dignitatum; uti videre est apud Glossam l. c. juncta Additione ib. & Garciam c. c. 1. n. 114. Sed quidquid sit de Abbatiis, de facto per Extravag. Ad regimen. inter Commun. h. t. quæ in Regula 1. Cancellariæ per singulos Pontifices innovari consuevit; sub expressis verbis reservantur collationi Papæ omnes Archiepiscopatus, Episcopatus, & Monasteria, seu Abbatiæ apud Sedem Apostolicam vacantes: unde hodie cessat præsens controversia, simul & limitatio de Episcopatibus, Abbatiis, spectando Regulas Cancellariæ, imò & Concordata Germaniæ in casibus ib. expressis.

Septimò, in reservationibus factis sub illa forma, Re- 403
servamus beneficia ad cuiuscunque collationem, provisionem, præsentationem, seu dispensationem spectantia, non comprehenduntur beneficia electiva, hoc est, illa, ad quæ per electionem, confirmatione Superioris indigentem, promovendi assumi debent. Ita tradit Æneas de Falconibus c. q. 3. princ. n. 21. post Cardinal. Cons. 103. col. 2. Et favet Ludovic. Gomez in Reg. Cancell. De Annali possessore, q. 11. n. 3. in fin. asserens, quòd beneficia electiva sint speciali nota digna; & si non exprimuntur, non comprehendantur. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 19. n. 6. 7. & 8. citans alios; etsi posteà illud intelligendum censeat in Rescriptis, non in reservatione per modum legis generalis Henricus Wagnereck in Commentar. Exegetic. SS. Canonum, c. Is cui, 19. § 2. v. Consueverint per election. de Præbend. in 6. Qui tamen istud intelligit, non de beneficiis quomodocunque electivis (qualia etiam sunt Canonicatus, dum per majora vota Capituli cuipiam conferuntur, nec tamen indigent confirmatione Superioris; sicque potius censentur beneficia collativa) sed solùm de beneficiis propriè electivis; seu in quibus proceditur per electionem Capituli, aut Conventus, à Superiore confirmandam, juxta Glossam in Clem. quia contingit. v. elect. de Relig. Domib. atque paucis verbis innuitur circa initium hujus Numeri. Nam grande, & speciale præjudicium est, derogare juri electionis, quod Capitula, Conventus, aut alii habent; ideoque opus est speciali expressione, juxta Clem. 1. § fin. h. t.

Eadem limitatio desumitur ex c. Cum in illis, 16. § Il- 404
lis verò, h. t. in 6. ubi loquendo de consimili casu expressè rescribitur, quòd nequeat illi provideri de beneficio electivo; cui Pontifex provideri mandat de beneficiis, etiamsi curam habeant animarum, ad collationem, provisionem, præsentationem, vel dispositionem, spectantibus quorumcunque. Quia (inquit Glossa ib. v. electionem) sub verbo provisionis, vel dispositionis, non includitur Electio, cùm inter ista tria sit differentia. Concordat Clem. 1. § fin. h. t. ubi consimili Decisio reperitur, addita ea ratione: cùm nullam de electione fecerimus mentionem. Nam beneficia electiva, sunt speciali nota digna. Felinus c. in nostra, n. 25. Coroll. 31. de Reser. Gomez, ubi suprà, Gonzal. cit. gloss. 19. n. 6. allegans alios: sicque non comprehenduntur sub generali reservatione, sed opus est speciali eorum mentione.

ne. Et talem etiam facere consueverunt Romani Pontifices, quando beneficia electiva reservare intenderunt; uti patet ex *extravag. Ad regimen. b. t. inter Commun.* ibi: *etiamsi ad illa personæ consueverint, vel debuerint per electionem, seu quemvis alium modum providendi assumi.* Idipsum liquet ex *extrav. Ad Romani eod. inter commun.* ubi pariter fit expressa mentio beneficiorum electivorum.

405 His addi possent nonnulli alii casus, de quibus Authores præsertim *n. 393.* citati fusiùs tractant: verùm præmissi sunt cæteris scitu utiliores, plures autem ex aliis sunt admodùm controversi inter Doctores. Sic, quamvis Glossa *fin. in c. cùm in Ecclesia tua 17. de Præb. in 6.* & post ipsam Æneas de Falconibus *ubi suprà q. 3. princip. n. 22.* asserat, quòd beneficia, quæ ex consuetudine Magistris, aut Doctoribus sunt conferenda, non comprehendantur sub reservationibus, nec sub Litteris Apostolicis, quæ *Expectativæ* dicuntur, tamen Covarr. *Pract. q. c. 36. n. 4.* & Pirhing. *h. t. n. 325. in fin.* non immeritò de hoc dubitant.

406 Insuper, quòd in generali reservatione beneficiorum non censeantur reservata Beneficia regularia, nisi specialiter exprimantur, tradit Æneas de Falconibus *c. q. 3. princ. n. 39.* id probans per textum, Glossam, & notat *in c. cùm de benef. 5. h. t. in 6.* Barbosa *d. alleg. 57. n. 28.* Et pro hac sententia plures alios allegat Gonzalez *ubi suprà, gl. 8. n. 1. & seqq.* eò, quòd beneficia regularia regulariter non sint perpetua, sed ad nutum revocabilia, *c. cùm ad Monasterium §. Tales de Statu Monach.* simulque non nisi Regularibus sint conferenda *Clem. 1. de Supplend. negligent. Prælat.* juncto Concilio Tridentino *Sess. 14. c. 10. de Ref.* Oppositum tamen ex mente propria, tenet Gonzalez *l. c. 18. 19. & seqq.* Rursus Beneficium monoculum, seu quod unicum duntaxat habet Prælatus, aliusque Collator ad conferendum, non comprehendi sub reservatione generali, tradit Gl. *in Clem. 1. v. Id certa b. t.* Æneas de Falconibus *l. c. n. 32.* Et pro hac sententia plures aliós Authores, atque rationes, adducit Gonz. *l. c. gl. 9. §. 4. n. 1. & seqq.* Quamvis hic ipse *n. 15.* contrarium verius esse putet. Taceantur brevitatis causa nonnulli alii consimiles casus,

§. X.

De Beneficiis affectis, & Appositione manus Papæ.

S U M M A R I U M.

407 *Beneficia affecta, quæ?*
408 *In effectu parum, aut nihil differunt à reservatis.*
409 *Strictè tamen, ac propriè loquendo; differunt ab istis.*
410 411 & 412 *Et in quibus?*
De natura dictionis Vel *est, quòd ponatur inter diversa. n. 409.*
Affectio beneficiorum est majoris efficaciæ, quàm simplex reservatio. Num. 412
413 *Apposita manus Pontificiæ, quid?*
414 *Per eam ligantur manus inferiorum. Et n 410. & 413.*
Plus est, factis demonstrare, quàm verbis dicere. n. 413.
415 *Appositio manus Pontificiæ, inducens affectionem beneficiorum, multis modis contingit. Et n. seq. ac n. 410.*
416 *Papa censetur manum apponere, sicque beneficium reddi affectum, quando istud cuipiam dat in Commendam, vel in eo ponit Administratorem.*
417 *Vel quando concedit alicui Mandatum de providendo super certo beneficio &c.*
Aut prohibet Electoribus, ne procedant ad electionem. Ibid.
418 *Vel quando apponit Decretum de dimittendo beneficio in manibus ejus.*
Aut mandat aliquem privari suo beneficio. Ibid.
419 *Item, quandò Papa recipit renunciationem alicujus Beneficii.*
420 *Sive, quando v. g. jure præventionis &c. concedit alicui Beneficium, sed invalidè. Et n. 410.*
Dantur alii tales casus. Remissivè. Ibid.
421 *Regula illa, quòd* Appositio manus Papæ ligat manus *inferiorum, plures patitur limitationes. Et n. seqq.*
422 *Nempe, quando Papa apposuit manum ad alium effectum, quàm conferendi beneficium.*
Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. Ibid.
423 *Vel quando Papa apposuit manum super collatione beneficii, quod narrabatur esse reservatum, & non erat reservatum.*
424 *Limitatur quoque in beneficiis jurispatronatus Laicalis ex fundatione &c.*
425 *Utrum ex appositione manus Papæ inducatur affectio, quando inde resultaret præjudicium Concordatorum, v.g. Germaniæ? Et n. seqq.*
Sententia negativa est recepta. Ibid.
426 *Hæc procedit etiam in Concordatis Germaniæ. Et n. seqq.*
Saltem loquendo de Beneficiis vacantibus in mensibus Ordinariorum. Ibid.
427 *An ea etiam procedat in beneficiis, quæ vacant in mensibus Pontificiis, ac invalidè per Papam collata fuerant, post lapsum trium mensium; Et n. seqq.*
428 *Affertur ratio dubitandi, atque sententiam affirmativam tenendi. Et n præc.*
429 *Et respondetur ad objectiones.*
430 *Sententia negativa non solùm videtur probabilior, sed vera, & in praxi meritò tenenda. Et n. seqq.*
431 *Solvuntur contraria.*
432 *Eadem sententia confirmatur ex Bulla Gregorii XIII. authoritate Practicorum, & Stylo Curiæ Romanæ.*
Dicto, non obstantibus quibuscunque, *est universalis. Num. 426.*
Non refert, an aliquid non fiat, vel minùs benè *fiat; & quando? Num. 428. & 431.*

407 QUæritur I. Quæ beneficia censeantur affecta; & an differant à reservatis? Resp. I. *Beneficia affecta* idem sunt, ac beneficia per appositionem manus Papæ impedita, quò minùs ab inferiore Collatore ordinario conferri possit. Pirhing. *h. t. n. 321.* Nam Papa apponendo manum, censetur tacitè, atque ipso facto, collationem beneficii ad se revocare: sicque sub nullitate actus ligare manus inferioris, ne ampliùs pro ea vice possit ejus collationi se immiscere, *arg. c. Ut nostrum 36. de Appellation.* atque ampliùs patebit ex dicendis.

408 Resp. II. Quamvis in effectu parum, aut nihil differant Beneficia affecta à reservatis: nihilominùs strictè, ac propriè loquendo; differunt ab istis. Ita Æneas de Falconibus *Tractatuum tom. 15. p. 1. de Reserv. benef. Præl. 3. n. 1. & seqq.* Azorius *p. 2. lib. 6. c. 34. q. 5.* Barbosa *p. 3. Juris Ecclesiast. univ. c. 13. n. 43. & 90.* Gonzalez *ad Reg. 8. Canc. gloss. 52. n. 2. & seqq.* Pirhing. *h. t. n. 317.* & alii. Ratio prioris partis est: quia, si beneficia collationi Papæ reservata, non possunt conferri per inferiorem, ita nec beneficia affecta, ac proinde, quantùm attinet affectum à reservato, rectè existimat Azorius *l. c.*

409 Altera verò pars probatur ex *Extrav. Ad Romani h. t. inter Commun.* ibi: *Reservata, vel affecta remanserint.* Similia habentur *in Reg. 8. Cancell.* ubi pariter Beneficia affecta clarè secernuntur à reservatis, dum dicitur: *Dummodò aliàs dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint.* Et infra: *Reservatorum, vel affectorum.* Nam de natura illius dictionis, *Vel*, est, quòd ponatur inter diversa; ut *Rubr. ff. de Acquirend. & amittend. poss.* ac notat Baldus *in l. Filiæ Cod. de Collat.* Barbosa *de Dictionib. usufrequent. Diction. 415. n. 1.* & alii.

410 Resp. II. Beneficia affecta differunt imprimis à reservatis ex eo; quia Reservatio respicit actum verbalem, atque expressum: ut, si Papa per Bullam, aut etiam solo verbo dicat, *Reservamus nobis &c.* appellatur *Reservatio*, Econtrà Affectio respicit actum realem, & factum aliquod, ex quo Papa demonstrat, se velle providere: sicque ipso facto, atque suprema sua auctoritate ligantur manus Collatoris inferioris circa disponendum de ejusmodi beneficio: unde oritur tacita hujus reservatio. Sic contingit, quando Papa apposuit manum supes collatione alicujus beneficii: tunc enim, non obstante, quòd collatio illa ob aliquod impedimentum non fuerit valida, nec sortita effectum, adhuc beneficium dicitur affectum, adeò, ut pro ea vice nequeat conferri per inferiorem, juxta textum notabilem *in Extrav. Ad Romani §. Nos qui, & §. Romani h. t. inter Commun.* Æneas de Falconibus *cit. Prælud.*

Prælud. 3. n. 3. & 4. Barbosa *lib. 3. Juris Ecclesiast. univ. cap. 13. n. 43.* & 90. Gonzalez *ad reg. 8 Canc. gloss. 52.* Pirhing. *h. t. n. 317.* Idipsum patet ex pluribus casibus, *n. 416. ac seq. referendis.*

411 Secundò differunt; quia Beneficium reservatum nunquam ampliùs potest conferri ab inferiore; Beneficium affectum verò, licèt pro ea vice, qua Pontifex manum apposuit super ejus provisione nequeat ab inferiore aliquo conferri, potest tamen ita conferri pro alia vice postquam provisio Papæ suum effectum consecuta fuit. Unde affectio non adimit inferiori potestatem conferendi in perpetuum, sed solùm pro una vice; benè tamen Reservatio, nisi revocetur.

412 Tertiò differunt: quia Affectio beneficiorum seu appositio manus Papæ in illis, est majoris efficaciæ, quàm simplex Reservatio. Nam illa afficit etiam ignorantes, juxta *c. Extrav. ne Romani h. t.* non verò simplex reservatio absque Decreto irritante, ut dictum, Æneas de Falconibus *l. c. Prælud. 3. n. 4. & q. 4. principal. Effect. 1. num. 4.* Gonzalez *cit. gloss. 52. n. 9.* Chokier *in Reg. 9.* (aliàs 8.) *Canc. n. 11.* Rebuff. *in Praxi Benef. tit. de Ref. n. 34.* & alii.

413 Quæritur II. Quid sit Appositio manus Pontificiæ, causans Affectionem Beneficiorum, quibusque modis contingat? Resp. I. *appositio manus Pontificiæ;* quantùm ad propositum, aliud non est, quàm quòd Papa aliter non reservans de Beneficium, intromittat se circa illius dispositionem. Ita Æneas de Falconibus *c. Præl. 3. n. 4.* & in re communis. Quia enim plus est factis demonstrare, quàm verbis dicere, Gloss. *in c. Dilect. 52.* juncto textu *ibid. de Appell.* Hinc Papa, semel intromittens se dispositioni cujuspiam Beneficii, censetur ipso facto, sua suprema potestate, ejus collationem ad se revocare, sicque ligantur manus inferiorum, ut nihil ampliùs per istos circa illius beneficii collationem validè fieri possit, *arg. c. Ut nostrum 56. de Appell.* Concordat *c. 1. & 2. de Confirm. util.* ubi, postquam Papa manum apposuit, confirmando jura cujuspiam, nequit judex inferior de iisdem cognoscere. Et *c. si com... 35. de election in 6.* ubi Papa manum apponente, papa reservante sibi electionem, vel saltem inhibente, ne Electores ad electionem procedant, omnia carere censentur effectu, si quæ postmodùm subsequuntur.

414 Idipsum clariùs habetur expressum in *cap. Extrav. Ad Romani. § Romani. h. t. inter commun.* Ubi Paulus Papa II. in hæc verba decrevit,, Romani quoque Pontificis
,, manus appositionem prædictam tantæ efficaciæ tan-
,, tæque virtutis existere, ut etsi Litteræ Apostolicæ
,, super provisionibus beneficiorum aut de providendo
,, Mandatis in quibus decretum & reservatio hujusmo
,, di apponuntur ex aliqua causa suum debitum non sor-
,, tiantur effectum, facultatem tamen providendi de be-
,, neficiis taliter reservatis, quibuscumque aliis fuisse
,, ademptam hujus perpetuæ, & irrefragabilis Consti-
,, tutionis edicto, de venerabilium fratrum nostrorum
,, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, om-
,, nia, & singula beneficia Ecclesiastica per hujusmo-
,, di reservationem, & decretum remansisse, & rema-
,, nere semper affecta, nullumque de illis (cùm primum
,, vacare contigerit) præter eundem Romanum Pontifi-
,, cem ea vice quovis modo disponere potuisse, sive
,, posse, harum serie decernimus, & pariter declara-
,, mus -- Decernentes ex nunc irritum, & inane si secùs
,, super his à quoquam quavis authoritate, scienter,
,, vel ignoranter, contigerit attentari: *Hæc ibi.*

415 Resp. II. Appositio manus Pontificiæ, inducens affectionem beneficiorum, multis modis contingit, Ita Æneas de Falconibus *c. Præl. 3. n. 4.* Rebuffus *d. tit. de Reser. n. 30. & seqq.* Barbosa *l. 3. Jur. Eccl. univ. c. 13. n. 90. & seqq.* Gonzalez *cit. gloss. 52. n. 11. & seqq.* & alii, plures ejusmodi modos referentes.

416 Idipsum, videlicet appositionem manus Pontificiæ multis modis contingere, probatur inductione. Sic enim imprimis censetur Papa manum apponere, ac proinde beneficium reddi affectum, quando Papa cuipiam beneficium dat in Commendam, vel in eo ponit Administratorem; tunc enim ex appositione manus Papæ adeo beneficium remanet affectum, ut cessante Commenda, vel Administratione, nequeat conferri per alium Papa inferiorem, donec de eo Papa plenè & perfectè disponat. Garcias *p. 4. de beneficiis c. 4. n. 68. & seqq.* Barbosa *c. lib. 3. c. 13. n. 90.* Æneas de Falconibus *cit. n. 4. & q. 4. princip. effect. 38* Chokier *c. n. 11* Card. de Luca *disc. 4. de benef. n. 9.* allegans communem beneficialistarum propositionem, quòd ex commenda resultet reservatio, donec provideatur in titulum Gonzalez *d. gloss. 52. n. 11. & gloss. 5. §. 8. n. 61.* allegans plurimos alios.

417 Secundò, beneficium remanet affectum ex eo: quia Papa concedit alicui Mandatum de providendo pro certo beneficio, etiamsi illud nondum vacaverit, nec aliàs sit reservatum. Barbosa *c. n. 90.* Gonzalez *d. gloss. 52. n. 13.* & alii: estque expressum *in c. Extrav. Ad Romani §. Romani. h. t. inter Commun.* Idemque dicendum, quando Papa prohibet Electoribus, ne procedant ad electionem, *c. si eo tempore. 45. de election. in 6* Æneas de Falconibus *d. prælud. 3. n. 4.* Rebuffus, *ubi suprà, n. 32.*

418 Tertiò, si Papa apponat Decretum alicui de dimittendo beneficio in manibus ejus. Barbosa *l. c.* Gonzalez *d. gloss. 52. n. 14.* allegans Rotam *dec. 14. de rerum permut. in antiq.* idque intelligens, etiamsi alter non dimitteret beneficium, quia adhuc solus Papa posset conferre pro ea vice. Idemque procedit, quando Papa mandat aliquem privari suo beneficio: nam secuta privatione, utpote jussu & authoritate Papæ facta, beneficium remanet affectum, atque collationi Papæ reservatum, juxta *Extrav. Ad regimen §. Præmissorum. V. vel privationem h. t. inter Commun.* Æneas de Falconib. *cit. Prælud. 3. n. 4.*

419 Quartò contingit appositio manus Pontificiæ, quando Papa recipit renunciationem alicujus beneficii, in manibus suis factam, etiam in mense Ordinarii: tunc enim beneficium ita remanet affectum, ut nullus inferior possit de illo providere, quamvis à Papa nondum fuerit collatum. Gonz *cit. gloss. 52. n. 16* Barbosa *lib. 3. jur. Eccl. univ. c. 13. n. 90.* Pirhing *h. t. n. 317.* & alii.

420 Ulterius intervenit appositio manus Pontificiæ quando Papa, v.g. jure præventionis, aut prævenire intendens, concedit alicui beneficium, sed invalidè: quia nimirum collatio non tenet ex aliquo defectu impetrantis, putà, ob hujus inhabilitatem, vel commissum vitium subreptionis, quia nihilominus beneficium manet affectum, neque Inferior ejus collationi sese intromittere valet. Nam ex quo Papa manus apposuit, remanent ligatæ manus Collatoris Ordinarii inferioris. Barbosa *c. n. 90.* Gonzalez *d. gloss. 52. n. 14. 15. & seqq.* allegans alios: atque universim viginti duos casus referens, in quibus beneficia ex appositione manus Papæ remanent affecta, adeò, ut nullus inferior de ipsis disponere valeat.

421 Resp. III. Nihilominùs regula illa, videlicet, quòd *Appositio manus Papæ ligat manus omnium inferiorum*, plures patitur limitationes: juxta illud vulgatum, *Nulla regula sine exceptione.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancel. c. gloss. 52. n. 38 & seqq.* plures tales casus ibi enumerans.

422 Et primò quidem dicta regula limitatur, quando Papa apposuit manum ad alium effectum, quàm conferendi beneficium. Tunc enim non remanent ligatæ manus Collatoris inferioris, ne beneficium vacans conferre possit: nam appositio manus non operatur ultra intentionem Papæ, juxta illud; *Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum*, quod deducitur *ex l. non omnis. ff. si certum petatur.* Barbos. *Axiomat. 12. n. 7.* citans alios. Sic, quando Papa super beneficio aliquo reservat pensionem ad favorem resignantis, non propterea Collator ordinarius impeditur, quò minùs beneficium illud, dum vacat possit conferre, quia manus appositio quoad unum effectum, v. g. reservatæ pensionis, non operatur quoad alium, v. g. reservatæ collationis, contra intentionem agentis *can. Quia intentionis, 29. de Privil. cum similibus.* Rota *decis. 14. num. 3. & decis. 15. num. 2. de Concess. præbend. in novis*, & alia Rota *in Romana Clericatus S. Petri, 27. Nov. 1602. coram Illustr. D. Card. Pamphilio,* Gonzal. *cit. gloss. 52. n. 38. & 40. ac seq.* Quidquid nonnulli de hoc dubitaverint.

423 Deinde fallit data regula, quando Papa apposuit manum super collatione beneficii, quod narrabatur esse reservatum, & reverà non erat reservatum: nam stante falsitate talis causæ naturæ, cessat ex parte Summi Pontificis intentio apponendi manum, sicque nulla causatur affectio. Æneas de Falconibus *ubi suprà, quæst. 5. principal. effect. 16. nu. 2.* Gonzalez *cit. gloss. 52. num. 45.* & alii. Atque istud generaliter esse intelligendum,

dum, ita videlicet, ut ubi appositio manus Pontificiæ sequeretur ex falso præsupposito, affectio non teneat, tradit Card. de Luca *disc. 23. de benefic. n. 8.* citans Rotam *dec. 25. p. 10. Recent. n. 31. & 32.* hisce specialibus terminis loquentem.

424 Tertio limitatur eadem regula in Beneficiis jurispatronatus Laicalis, aut mixti, quod competit ex fundatione, ædificatione, aut dotatione. Quia enim in his non solet dari expressa reservatio, cùm Papa non soleat, neque etiam sine expressa mentione intendat derogare jurispatronatus, Laicorum, nec à piis fundationibus, ædificationibus, aut dotationibus, Ecclesiarum retrahantur, ut dictum paulò superius *n. 395* multò minus intrabit tacita reservatio per appositionem manus Pontificiæ. Petrus de Murga *tract. de beneficiis, q. 3. n. 359.* Gonzalez *cit. gloss. 52. n. 54.* post Rotam *in una Firmana beneficii 13. Maii 1596. coram Illust. D. Pamphilio*, & aliàs sæpè. Taceantur nonnullæ consimiles limitationes, quarum universim decem enumerat Gonzal. *c. gloss. 25. n. 38. & seqq.* quæ apud eundem videri possunt. Verùm occasione horum

425 Quæritur III. Utrum ex appositione manus Papæ inducatur Affectio, quando exinde resultaret præjudicium Concordatorum, v. g. Germaniæ, & Franciæ? Resp. I. Sententia negativa est recepta inter Doctores asserentes quòd si ex tali appositione manus Pontificiæ resultaret præjudicium Concordatorum, data hactenus regula sit limitanda: quia tunc nulla inducitur affectio. Siquidem Papa in concordatis expressè solet dicere, atque declarare, se nolle imposterum aliqua beneficia suæ collationi quoquomodo reservare præter ea, quæ sunt expressa in Concordatis. Ita Puteus *dec. 266. In una Germana.* Gonzalez *cit. reg. 8. Cancell. gloss. 42. n. 51.* istud limitans, nisi aliud ex Papæ intentione constaret. Rebuffus *in Praxi benef. tit. de Reservationib. n. 35.* asserens, quod in Francia, quamvis Papa apponat manum, semper Ordinarius conferat, si non valet prima Papæ collatio, nisi in Mandatario, cui affectum est beneficium, per Concordata Franciæ. Quod ipsum, atque fusiùs tradit idem Rebuffus *in Concordatis Franciæ, tit. de Mandatis Apostolicis, §. Declarantes, v. jure præventionis, v. Item per Collationem* Garcias *par. 4. de Beneficiis, c. 4. n. 70* allegans insuper Probum *can. Nemo n. 32. de Election. in 6.* & Corrasium *p. 1. de Beneficiis, c. 6. ad fin.* quibus accedunt Murga, & Pax Jordanus, proximè citandi.

426 Resp. II. Hoc ipsum procedere in Concordatis Germaniæ, per Nicolaum V. confirmatis, in terminis docet Petrus de Murga *tract. de Beneficiis, quæst. 3. n. 360. & 382.* & Pax Jordanus *tom. 2. de re beneficiar. l. 10. tit. 2. de Beneficiis affectis, nu. 66. & 67.* cum aliis, quos citant. Accedit ratio, ex tenore concordatorum Germaniæ desumpta: in illis quippe Pontifex §. 4. expressis verbis declaravit, sibi placere *quod per quamcumque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut aliam dispositionem sub quacunque verborum -- forma factam, vel faciendam*, nolit impedire, quò minùs ordinarii Collatores vacantia in mensibus suis beneficia possint liberè conferre; *reservatione, aliave quavis dispositione, authoritate nostra factis, vel faciendis non obstantibus quibuscumque.* Si ergò per expressam reservationem, sub quibuscunque verbis factam, vel faciendam, Papa non intendit derogare Concordantis Germaniæ: idem, & quidem à fortiori, dicendum de derogatione tacita, qualis solet fieri per appositionem manus Pontificiæ. Ponderando præsertim additum ly, *aliavè quavis dispositione*: atque subjunctam illam Dictionem universalem, *Non obstantibus quibuscumque.* Nam ista Dictio comprehendit omnia, & propter suam universalitatem ad casus etiam improprios trahitur. Barbosa *tract. de Diction. usu frequentiorib. dict. 317. n. 3. & seqq.* allegans plurimos alios.

427 Et hæc quidem loquendo de beneficiis, quæ vacant in mensibus collationi Ordinariorum per Concordata Germaniæ concessis, videntur certa, nisi forsan aliquando Summus Pontifex de potestate sua absoluta, & urgentibus gravibus causis expressè vellet derogare quoad hoc Concordatis Germaniæ; juxta dicenda inferiùs §. 19. *num 537.* Alioquin verò non est verisimile, Sanctissimum Patrem voluisse Germanis illudere, promittendo, quòd nolit eorum collationes in mensibus alternis suæ collationi concessis impedire per expressas reservationes: benè tamen per tacitas, seu per appositionem manus suæ, contra Reg. 84. Juris in 6: *Cùm quod una via prohibetur alicui, ad id alia non debeat admitti*, cum concordantiis. Majus dubium esse potest de appositione manus Papæ ad beneficia in mensibus Pontificiis vacantia, & per Sanctissimum, sive ob vitium subreptionis, sive ob inhabilitatem Provisi, invalidè collata; Unde

428 Quæritur IV. An etiam loquendo de beneficiis, quæ juxta Concordata, præsertim Germaniæ, vacant in mensibus Pontificiis, ac per Papam ob vitium subreptionis, vel inhabilitatem Provisi, invalidè collata fuerunt, cesset affectio beneficiorum: adeò, ut appositio manus Pontificiæ non obstet, quò minùs post tempus in Concordatis præfixum (puta, post lapsum unius trimestris, loquendo de Concordatis Germaniæ) talia beneficia per Collatores inferiores licitè, ac validè conferri possint? Ratio dubitandi, atque affirmativam tenendi, desumitur imprimis ex authoritate Doctorum. Nam quòd in casu, quo Papa mandavit conferri beneficium certæ personæ, & collatio non tenuit, potestas conferendi redeat ad Ordinarium: docet Abbas *c. Inter dilectos n. 10. de excessib. Prælat.* citans Jo. Andream, & Compostellanum, Accedit Rebuffus in *Praxi benefic. tit. de reservation. tam gener. quàm special. n. 35.* ubi loquens de concordatis Galliæ, inquit *sed non utimur in Francia; nam quamvis Papa apponat manum semper ordinarius confert, si non valet Prima Papæ collatio, nisi in Mandatario: cui effectum est beneficiorum per Concordata Franciæ.* Et infrà *nu. 38.* subiungit. *Sed istæ omnes reservationes, & manus appositiones fuere in Consilio Basil. sublatæ: & hoc in Gallia servamus ut non recipiamus reservationes nec manus appositiones &c.* Quod ipsum repetit idem Rebuffus *in tract. Concordator. Franciæ, tit. de Mandatis Apostolicis. §. declarantes, versic. jure præventionis, vers. Item per collationem*, dicens, quòd *per collationem nullam non dicitur Papa prævenire Ordinarium quoad hoc, ut collatio Ordinarii non valeat obstante collatione per Papam facta, quæ nullo modo potest obstare ratione reservationis quæ in Regno non habet locum, &c.* Hæc ille, probans inter alia istud à simili ex eo: quia pariter citatio nulla, non inducit præventionem, *l. Si pater.* & ibi Glossa, *c. Ne de statu defunctor.* & Glossa *ult. in c. Si plures, de Offic. Delegat. in 6. &c.* Quod ipsum de Concordatis Germaniæ, nonnulli alii Authores, ac signanter Pax Jordanus, & Murga, *ubi suprà*, sensisse videntur; eò quòd vel pro se citent Rebuffum, in hoc casu expressè loquentem; vel saltem absolutè doceant, ex appositione manus Papæ non induci affectionem beneficiorum, quando inde resultaret præjudicium Concordatorum.

Accedit ratio desumpta ex tenore Concordatorum Germaniæ. Siquidem in illis, §. 4. sic habetur: *Quoties verò aliquo vacante beneficio in Januarii -- mensibus specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerit infra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quòd alicui de illo Apostolica authoritate provisum fuerit, ex tunc & non anteà Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit.* Hæc ibi. Atqui stante invaliditate collationis Papalis, ob vitium subreptionis, vel inhabilitatem illius, cui facta est, non apparet, fuisse alicui de tali beneficio provisum authoritate Apostolica infra tres menses: ergo ex tunc, vi dictorum Concordatorum, potest illud conferri per ordinarium Collatorem.

429 Minor probatur. Tum quia collatio invalida, & nulla æquiparantur: siquidem *non refert, an aliquid non fiat, vel minùs benè fiat.* Glossa *in l. Quoties, ff. Qui satis dare cogantur.* Simulque ejusmodi collatio invalida, habetur pro infecta, *can. Imperiali, 23 q. 2.* juncta *Reg. 64. Jur. in 6.* Tum quia, quod nullum est, nullum producit effectum, *cap. Illud, 8. de Jurepatron.* Barbosa *Axiomat. 164. num. 1.* citans alios; sicque per collationem invalidam, non censetur cuipiam provisum de beneficio. Atqui relata Concordata Germaniæ expressè concedunt Collatoribus ordinariis, conferre Beneficia in mensibus Pontificiis vacantia, quando de illis infra tres menses necdum *provisum fuerit.* Ubi ponderandum est ly, *Provisum*: nam quòd in Jure *verba cum effectu accipienda sint*; textus est expressus *in c. Relatum, 4. de Cleric. non resident.*

resident. junctis concordantiis à Glossa *ibid. vers. Cùm effectu*, relatis.

430 Quòd si quis contra hanc sententiam objiciat, *Omnia, & singula beneficia Ecclesiastica*, per appositionem manus Pontificiæ remanent semper affecta, juxta *Extravag. Ad Romani h. t. inter Commun.* cujus verba *num. 114.* referuntur: ergo hoc ipsum procedit de beneficiis, quæ vacant in mensibus Pontificiis, juxta Concordata Germaniæ, eisque Papa manum apponit per collationem invalidam: nam istud convincere videtur Dictio illa universalis, *Omnia & singula beneficia &c.* Responderi potest primo, retorquendo argumentum. Quia, si quid probaret data instantia, pariter sequeretur, quòd Papa liberè, ac de sua potentia ordinaria, salvisque Concordatis Germaniæ, possit tacitè, sive per solam appositionem manus suæ, reservare sibi *omnia, & singula beneficia*, etjam in mensibus Collatorum Inferiorum, putà Februarii, Aprilis &c. vacantia: idque propter dictionem illam universalem, *Omnia & singula &c.* Atqui istud repugnat Concordatis Germaniæ, juxta dicta *num. 426.* Responderi potest secundò neg. seq. Quia notissimi juris est, quòd Legi generali (putà, *cit. Extravag. Ad Romani, h. t.*) derogetur per specialem (putà, per Concordata Germaniæ) hæcque illam limitet, atque distinguat. Nam *in toto Jure generi per speciem derogatur: & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est; prout dicitur l. In toto jure ff. de reg. jur. & c. Generi eod. in 6.* cum concordantiis.

431 Et si ulteriùs quis objiciat. Quando Papa nulliter confert beneficium in mensibus sibi per Regulas Cancellariæ reservatum; ita afficitur beneficium illud per dictam manus Papæ appositionem, ut nullus Collator ordinarius in mensibus subsequentibus possit illud conferre: Beneficium enim semel affectum, semper remanet affectum, *cit. Extravag. Ad Romani, h. t. Inter Commun.* Ergo pariter, si Papa nulliter conferat Beneficium in mense sibi per Concordata Germaniæ reservato, tale beneficium ob appositionem manus Papæ manebit semper affectum; sicque illud in mensibus subsequentibus, nunquam poterit per Collatorem inferiorem conferri. Responderi poterit, transmisso Antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Quia beneficia vacantia in mense Pontificio juxta Concordata Germaniæ, sunt reservata duntaxat ad certum tempus, videlicet ad trimestre; posteà enim concedi videtur expressa Collatoribus inferioribus facultas eadem conferendi, conformiter hactenus dictis. Econtrà verò Beneficia vacantia in mense Pontificio juxta Regulas Cancellariæ, sunt perpetuò reservata: nullibi enim Papa concedit in eisdem Collatori inferiori facultatem, ut possit illa post certum tempum elapsum conferre. Verùm is non obstantibus

432 Resp. I. Opposita sententia, videlicet negans, in dicto casu cessare Affectionem beneficiorum ex appositione manus Pontificiæ, juxta Concordata Germaniæ, non solùm videtur probabilior, sed etiam vera, atque in praxi meritò retinenda. Ratio fundamentalis desumitur ex sæpe *cit. Extrav. Ad Romani. h. t. inter Commun.* ubi universaliter habetur, quod *Beneficium semel affectum, semper manet affectum.* Atqui ab hac regula nullibi reperiuntur excepta beneficia, in mensibus Pontificiis juxta Concordata Germaniæ vacantia, & per Papam intra trimestre nulliter collata; ergo. Minor, in qua sola potest esse difficultas, probatur refutando singillatim rationes prioris sententiæ. Imprimis enim, quantùm attinet authoritatem Doctorum, Rebuffus, *ubi suprà*, non facit ad rem: quia non loquitur de Concordatis Germaniæ, sed de consuetudine Galliæ, uti patet ex relatis *num. 427.* verbis ipsius: *Sed non utimur in Gallia &c. Et hoc in Gallia servamus &c. Quæ in Regno non habent locum &c.* Hæc enim consuetudo deinde confirmata fuit per Concordata Galliæ, teste citato Rebuffo: quod tamen nequit cum fundamento dici de Concordatis Germaniæ. Unde nec probant Pax Iordanus, & Murga, *ubi suprà*, utpote minus cautè secuti Rebuffum: nisi placeat istos intelligere de beneficiis vacantibus in mensibus Ordinariorum, juxta dicta *num. 425. & 426.* nam de aliis expressam mentionem non faciunt. Quod si de aliis quoque beneficiis intelligendi forent, aut quidam alii Authores contrariam sententiam expressè tenerent, opponeretur ipsis Stylus Curiæ, atque authoritas Doctissimorum, & in materia Concordatorum Germaniæ Practicorum Virorum Romæ degentium, & pro hac posteriori sententia stantium, juxta dicenda *num. 432.* ubi simul adducitur Declaratio Gregorii Papæ XIII.

433 Neque urget ratio *num. 428.* in contrarium allata: negatur enim Minor. Ad cujus probationem, seu quòd collatio invalida, & nulla (seu non facta) æquiparentur; & quòd collatio invalida, habeatur pro infecta, cum similibus: respondetur, hujusmodi axiomata non procedere universaliter, sed plures pati limitationes, atque instantias. Sic quippe, ubi electio ad beneficium vacans intra trimestre, vel respectivè semestre, nulla sit, devolvitur potestas eligendi ad Superiorem, *c. Ne pro defectu, 41. de Election. & c. Nulla 2. de Concession. Præbend.* cum similibus: Secus, si electio fiat, sed invalidè ob occultum vitium, tunc enim habebunt Electores novum tempus ad eligendum, *text. clar. c. Si electio 26. de Election. in 6.* Similiter, quando nulla præcessit electio, liberè potest celebrari electio: secùs, quando facta est electio: sed talis, de cujus valore dubitatur; tunc enim non valet posterior electio celebrata ex intervallo, etiamsi prior postmodum declaretur fuisse irrita, & invalida. *c. Auditis, 29.* juncta Glossa *v. Irritandum, de Election.* Ulterius matrimonium inter consanguineos, vel voto solemni Castitatis adstrictos scienter contractum, etsi nulliter ac invalide, ipso facto inducit excommunicationem, *Clem. un. de Consanguinit. & affinit.* Secùs, si non fiat tale matrimonium. Idemque dicendum de pluribus aliis casibus, in quibus factum invalidè, neutiquam æquiparatur non facto; & res invalidè gesta, non habetur pro re infecta, imò varias inducit pœnas, vel inhabilitates, aut alios effectus, v. g. Affectionem Beneficii, loquendo quoad casum propositum.

Itaque in forma respondendo ad allata Axiomata, opus est distinctione. Quia vel omnimoda paritas intervenit in non facto, & in nulliter seu invalidè facto; & procedunt præfata Axiomata: vel diversa militat ratio in uno, aut altero eorum; & non habent locum. Card. de Luca *Litt. P. Concl. 87. n. 14.* post Castrensem *Consil. 161. lib. 1.* & alii. Atqui quantùm attinet ad propositum, diversissima ratio militat inter casum, quo non apparet infra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo Apostolica auctoritate provisum fuerit: & inter casum, quo apparet, taliter cuipiam provisum fuisse, sed invalidè. Hic quippe apparet, Papam apposuisse manum collationi talis beneficii; sicque subintrat dispositio Juris communis, *c. Ut nostrum. 56. de Appellation. & c. Si eo tempore 45. de Election. in 6. & cit. Extravag. Ad Romani. h. t. inter Commun.* Ibi econtrà nullatenùs apparet de tali appositione manus Pontificiæ, quinimò constat, talem non esse factam. Unde patet imbecillitas datæ probationis: nam quod argumentum à simili, vel pari, fragile sit, atque infirmum, & prosternatur una adducta dissimilitudine, jam dictum est suprà *Lib. 1. tit. 2. De Constitutionibus. §. 16. n. 414.*

Accedit Constitutio 41. Gregorii XIII. *Quæ in Ecclesiam* (& habetur *Tom. 2. Bullar. Roman.*) ubi idem Pontifex §. 2. declarat, quòd Collatores Ordinarii Germaniæ, virtute concessionis Nicolai Papæ V. post lapsum trium mensium à die notæ vacationis, non possint conferre beneficia vacantia, vel vacatura, *de quibus intra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem, ad dictam Sedem* (Apostolicam) *qualiscunque gratia, vel dispositio, aut concessio facta fuerit.* Ubi ponderandum est ly, *Qualiscunque*: nam hæc dictio est universalis, atque comprehendit omnem modum (sicque etiam dispositionem Papæ invalidam ob subreptionem, vel inhabilitatem impetrantis) non minùs, ac dictio illa, *Quoquomodo*: pro ut notat Barbosa *tr. de Diction. usufrequent. Dict. 299. & 300. n. 2.* citans alios; atque istud desumens ex *l. Peues. ff. de Verb. signif.* Et hinc mirandum non est, quòd in facti contingentia (de qua mihi benè constat) super præsenti quæstione consultus Illustrissimus, & Reverendissimus D.D. Columna Decanus Cancellariæ Apostolicæ, in favorem hujus posterioris sententiæ responderit: quod ipsum senserunt duo Primarii Advocati Romani Concor-

cordat orum Germaniæ apprimè gnari. Concordat Stylus Curiæ Romanæ: nam in allegata facti contingentia, cùm Præbendam in mense Pontificio vacantem Papa infra trimestre cuipiam contulisset, sed invalidè ob canonicum defectum recipientis: non obstante collatione postmodum per inferiorem Collatorem alicui alteri facta, & mota desuper lite, Papa eandem Præbendam denuò contulit, & quidem addita ea clausula, quòd ipsam nemo præter Romanum Pontificem ea vice conferre potuerit. Quod ipsum in aliis quoque casibus observatum fuisse intellexi, ut proinde de veritate posterioris, seu negativæ sententiæ in Conclusione contentæ, vix amplius remaneat dubitandi locus: nam ad alias rationes, nec non Objectionum solutiones prioris sententiæ, promptum est respondere conformiter hactenus dictis.

§. XV.

De Beneficiis apud Sedem Apostolicam seu in Curia vacantibus, aliisque collationi Papæ specialiter reservatis.

SUMMARIUM.

433 *An idem sit*, Beneficium vacare apud Sedem Apostolicam, *vel in Curia? Et n. seqq.*
Ista solent pro synonimis haberi. Ibid.
434 *Propriè tamen loquendo differunt: & in quo?*
435 *Vacatio apud Sedem potest dupliciter intelligi propriè, & impropriè.*
439 *Reservatio beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium, est antiquissima.*
437 *Atque olim mera consuetudine observabatur.*
438 *Et cur?*
436 *Beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, post lapsum unius mensis possunt conferri per inferiores.*
440 *Mensis iste est computandus à die vacationis, non notitiæ.*
441 *Solvitur instantia contra hoc ultimum.*
442 *Potest Papa etiam post mensem conferre beneficia apud Sedem vacantia, dummodò res adhuc sit integra.*
443 *In aliis beneficiis collationi Papæ reservatis, nullum tempus est à Jure præfixum Papæ ad conferendum.*
444 *Exceptis duobus casibus*, in c. Si Apostolica 34. de Præbend. in 6. *expressis.*
445 *An* c. Statutum. 3. de Præbend. in 6. *sit revocatum per* Extrav. Piæ sollicitudinis. eod. inter Commun. *variant Doctores.*
446 *Utrum illud saltem fuerit revocatum per* Extrav. Ad regimen. eod. inter Communes?
447 *Beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, & collationi Papæ reservata juxta* c. Præsenti. 34. de Præbend. in 6. *quæ? Et n. seqq.*
Loca vicina Curiæ Romanæ, quæ? Ibid.
448 *Quid juris, si Curia de loco in locum mutetur?*
449 *Curialium beneficia censentur vacare in Curia, dummodò eorum curialitas fuerit continuata usque ad mortem &c.*
450 *Etiamsi translata Curia moriantur in itinere, vel infirmi remanserint &c.*
451 *Curia Romana, ubinam censeatur existere?*
452 *Quid, si solus Papa aliorsum proficiscatur, relicta Romæ Cancellaria?*
453 *Dieta Legalis, quæ?*
454 *Quæ alia beneficia, spectato jure communi, sint Papæ reservata? Et n. seqq.*
Extrav., Ex debito de Election. inter Commun. *fuit solummodò temporalis. Ibid.*
455 & 556 *Per* Extravag. Execrab. Joan. XXII. *Quæ beneficia reserventur?*
457 Extrav. Ad regimen. de Præbend. inter Commun. *fuit solùm temporalis; sed innovari solet in Regula 1.*
458 459 460 461 462 & 463 *Enumerantur beneficia, quæ in c.* Extrav. Ad regimen. *Papæ reservatur.*
464 *Quid contineant cæteræ* Extrav. inter Communes.
465 *Ad collationem solius Papæ spectant beneficia Urbis. Is appellatur* Episcopus Romanus *Ibid.*
466 *Exceptis beneficiis, quæ subsunt Titulis Cardinalium residentium.*
467 *Collationem quorundam beneficiorum Papa sibi reservavit virtute diversarum Constitutionum Apostolicarum. Et n. seqq.*
Sic reservata sunt Papæ beneficia vacantia propter Simoniam confidentialem; & quidem omnia. Ibid.
468 *Item Ecclesiæ Parochiales, non servata forma Concilii Tridentini collatæ.*
469 *Et beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis.*
470 *Aut propter crimen Hæresis.*
471 *Item beneficia vacantia propter delictum offendentium litigantes in Curia Romana, eorumve Judices, Advocatos &c.*
472 *Ac beneficia eorum, qui se pro aliis ad obtinendum illis beneficium examini subjiciunt &c.*
473 *Alii tales casus. Remissivè.*

Quæritur I. An idem sit, *Beneficium vacare apud Sedem Apostolicam*, vel *in Curia?* Resp. I. Licèt vacationes beneficiorum *apud Sedem Apostolicam*, & *in Curia*, pro synonimis haberi soleant, ac promiscuè unum proalio dici, præsertim in materia reservationum: strictè tamen, ac propriè loquendo, non nihil differunt. Priorem partem tradit Glossa in *c. Statutum. 3. ∇. In curia. b. t. in 6.* asserens, quòd *idem est dicere, in Curia; quod apud Sedem Apostolicam.* Garcias *p. 3. de benef. c. 1. n. 68. 69. & seqq.* citans plures alios. Card. de Luca post *disc. 100. de beneficiis, seu in beneficiorum Summa. §. 4. n. 34.* dicens, quòd pro synonimis ad omnes verè effectus hujusmodi vacationes *in Curia*, & *apud Sedem*, haberi soleant; atque simul confundi, præsertim verò quoad effectum reservationis Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 13. n. 63.* dicens, ita habere communem modum loquendi, & alii, idque desumitur ex *cap. 2 de Præbend in 6.* ubi Pontifex *beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia*, in progressu appellat beneficia *in Curia Romana vacantia.* 433

Alteram verò partem, seu quòd propriè loquendo non nihil differant, tradit Ludovic. Gomez *in Regulas Cancellariæ, reg. De triennali possessore, q. 31. circa princ.* Covarruvias *Pract. q. c. 36. n. 4. v. Cæterùm.* Barbosa *p. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 57. n. 24.* Gonzalez *c. gl. 13. n. 48. & seqq.* Engel *b. t. n. 9.* & alii. Ratio est: quia latiùs patet, *Beneficia vacare in Curia*, quàm *vacare apud Sedem*: omnia enim beneficia vacantia apud Sedem, censentur etiam vacare in Curia; non tamen econtrà. Siquidem, ut notat Covarruvias, & Gomez, *ubi suprà*, & Barbosa *c. c. 24. circ. fin.* illa beneficia propriè dicuntur vacare apud Sedem Apostolicam, quæ vacant per verum obitum beneficiarii, contingentem vel in ipsa Curia Romana, juxta *c. 2. b. t. in 6.* vel saltem inter duas dietas, juxta *c. Præsenti. 34. eod. in 6.* Econtra vacatio beneficiorum in Curia, non solùm comprehendit beneficia per verum obitum vacantia apud Sedem Apostolicam, ut dictum; sed etiam illa, quæ vacant apud eandem fictè: putà, per renunciationem à Papa, vel ejusdem authoritate admissam; item per depositionem, privationem, vel translationem &c. authoritate Papæ factam; & aliis hujusmodi modis, de quibus fit mentio *in Extrav. Ex debito. de election. inter commun. & extrav. Ad regim. b. t. inter Commen.* & alibi. 434

Fatendum tamen, quòd hæc ipsa differentia gravem patiatur instantiam ex *cit. Extrav. Ex debito §. Hujusmodi*: Ibi quippe Pontifex ex professo declarat, quod *Beneficia Ecclesiastica per mortem, vel depositionem, ac privationem eorum, qui ea obtinerent, per electionum cassationum, postulationum repulsionem, renunciationem quorumlibet canonicè vacare apud Sedem intelligantur præfatam*, seu Apostolicam: & tamen in horum posterioribus modis non intervenit vacatio per verum obitum, seu mortem naturalem; Verùm de terminis non expedit multum disputare. Aut si placet, dicatur conformiter Gomezio, *ubi suprà, v. Et ideò* quòd *Vacatio apud Sedem* possit intelligi dupliciter. Primo modo, propriè: & tunc Vacatio apud Sedem intelligitur de illa, quæ fit per obitum, juxta *c. 2. b. t. in 6.* Secundò modo, impropriè; & tunc Vacatio apud Sedem capitur pro quacunque vacatione in Curia: sicque Vacatio apud Sedem, & Vacatio in Curia pro eodem capiuntur. 435

Quæ-

436 Quæritur II. Unde, & cur reservatio Beneficiorum apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacantium, fuerit introducta? Resp. I. Inter Beneficia Ecclesiastica, peculiariter collationi solius Papæ reservata; præcipua simulque antiquissima reservatio est eorum beneficiorum, quæ apud Sedem Apostolicam vacant per obitum, seu mortem naturalem Beneficiariorum ibidem decedentium. Ità communis; & habetur clarè expressum in *c. Licèt 2. b. t. in 6.* illis verbis: „ Licèt Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur „ Pontificem pertinere; ita quòd non solùm ipsa, cùm vacant, potest de jure conferre, verùm etiam jus in ipsis „ tribuere vacaturis: collationem tamen Ecclesiarum, „ Personatuum, Dignitatum, & Beneficiorum apud Se„ dem Apostolicam vacantium, specialiùs cæteris anti„ qua consuetudo Romanis Pontificibus reservavit. Nos „ itaque &c. „ subjungendo expressam omnium beneficiorum, apud Sedem eandem imposterùm vacaturorum reservationem; & quidem sub clausula irritante, si secùs à quoquam actum, seu attentatum fuerit; *Nisi ei sit super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus specialis, & expressa ab ipso Pont. Sum. auctoritas attributa.* Hæc ibi.

437 Additur notanter in data Conclusione, *simulque antiquissima*, sive, ut Clemens IV. in relato textu, pro suo jam tempore loquens, ajebat: *Antiqua consuetudo;* Olim quippe non extabat Jus scriptum de tali reservatione, sed ante emanatam illam Decretalem, seu promulgationem memorati *c. Licèt 2. b. t. in 6.* mera antiqua consuetudine observabatur, ut Beneficia, apud Sedem Apostolicam per obitum vacantia, conferrentur à solo Romano Pontifice. Nunc autem successit Jus scriptum sub dicta tamen limitatione *specialis, atque expressæ concessionis Pontificiæ.* Glos. *c. ult. v. Vacant. de Consuet. in 6.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 13. n. 30.* & alii.

438 Resp. II. Congruentia dictæ antiquissimæ consuetudinis, sicut & reservationis beneficiorum in Curia vacantium, videtur esse, quam refert Æneas de Falc. *c. tr. de Reserv. Benef. q. 4. princ. effect. 6. n. 4.* Quia videlicet Beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam, seu in curia, sunt de Foro proprio Papæ, & ideò speciali quadam prærogativa sibi reservata: cùm ratione rerum ibidem expediendarum, atque personarum pro suis negotiis Curiam accedentium, aut in ea existentium, specialis quædam acquiratur jurisdictio, & subjectio *arg. c. ult. §. 1. Petit. de Off. Archid. & c. Postulasti 14. & c. ult. de Foro compet.*

439 Quæritur III. Utrùm post lapsum unius mensis, Beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, possint conferri per inferiores? Resp. I. Præmissis non obstantibus, si Romanus Pontifex ejusmodi beneficia Ecclesiastica apud Sedem præfatam vacantia, intra mensem, à die vacationis computandum, non contulerit: tunc Ordinarii, ad quos cæteroquin illorum collatio pertinet, poterunt ea conferre; sed tantummodò per seipsos, aut ipsis absentibus per suos Vicarios Generales speciale mandatum ad illud habentes. Ita textus expressus in *c. Statutum 3. b. t. in 6.* ubi Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunensi ita moderandam decrevit Decretalem Clementis IV. quæ habetur *c. c. Licèt 2. eod. in 6.* Idque factum est, ne alioquin beneficia Ecclesiastica (forte, ob ignorantiam subjectorum qualificatorum quibus ea per Papam conferenda forent) diutiùs vacarent; & carentes legitimo Administratore, in spiritualibus, ac temporalibus rebus interim paterentur detrimentum. Vivianus *in Rational. ibid.* Quamquàm de revocatione hujus Capituli controvertant Doctores, juxtà dicenda in Objectione.

440 Dicitur autem, *Intra mensem, à die vacationis computandum:* sive, ut ibidem sonat textus, *Demum post mensem à die, quo dignitates, seu beneficia ipsa vacaverint, numerandum, ea conferre valeant.* Siquidem illud fuit statutum in favorem Ecclesiarum, ne diutiùs vacarent; non verò odium, sive ob negligentiam Papæ omittentis conferre beneficium vacans. Unde, si toto mense non sciret Papa, vacare beneficium aliquod apud Sedem suam, adhuc elapso mense posset illud conferri per Collatorem inferiorem:

441 Nec obstat *c. Licèt 3. de Suppl. negl. Præl. & c. 2. de Concess. Præb. & c. Quia diversitatem 5. eod.* ubi tempus semestre, quòd de Jure concessum est ad collationem beneficiorum inferiorum, *non à vacatione, sed à notitia* computandum dicitur. Resp. enim, disparitatem esse: quia ibi tempus semestre principaliter est præfixum in odium negligentium conferre; unde meritò computandum dicitur à die notitiæ de vacatione beneficii, cum ignorans alicujus desidiæ, seu negligentiæ argui non possit: nam is, qui nescit, potestatem experiendi non habet. *l. Annus ff. de Calumn. & l. cùm sex menses de Ædilitio Edicto.* Secùs in casu nostræ Conclusionis: ubi tempus unius mensis ad conferendum, non in odium Papæ, seu ad puniendam ejus negligentiam, sed ob favorem Ecclesiarum statutum fuit, ut dictum; ac notat Gl. *in c. c. Statutum ∇. Numerandum b. t. in 6* & Vivianus, *ubi suprà.* Eò præsertim, quia hic Papa statuens, contra se statuit: & si voluisset, potuisset expressisse tempus notitiæ, non vacationis.

Resp II. Nihilominùs præfata restrictio ad mensem non omnino excludit Papam, quò minùs post mensem possit conferre beneficium vacans apud Sedem Apostolicam, dummodò res sit integra; hoc est, dummodò beneficium illud necdum per inferiorem fuerit alicui collatum. Ita Barb. *in Collect. ad c. c. Statutum n. 7. b. t. in 6. & p. 3. de Off. & potest. Episc. alleg. 57. n. 24.* post Massobrium *in praxi habendi Concursum, requis. 7 dub. 49.* Unde post elapsum mensem à die vacationis (constantem triginta diebus, diem tamen vacationis non computando in mense, propter additum ly *à die;* ac notat Gl. *ib. v. Numerandum*) potest quidem Collator inferior ejusmodi beneficium conferre; sed ita, ut re integra etiam Papa illud conferre valeat, sicque detur locus præventioni, *arg. c. Si à sede 31.* juncta Glossa *v. Nec appareat b. t. in 6.* 442

Porrò eo, quæ nunc dicta sunt de lapsu unius mensis, procedunt solummodò de Beneficiis apud Sedem Apostolicam vacantibus; non autem de Beneficiis alio modo, sive ex alia causa reservatis collationi Papæ: hæc enim quocumque tempore à Papa conferri, cùm ipsi nullum tempus à Jure reperiatur determinatum. Barbosa, *ubi sup.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancel. §. 5. Proœm. n. 143.* Garcias *de Beneficiis. p. 5. c. 1. n. 97.* citans alios. Unde ad conferenda alia Beneficia Papæ reservata nullo unquam tempore Collator inferior poterit sese intromittere, nisi id in Jure reperiatur expressum. 443

Eo additur, *nisi id in jure reperiatur expressum.* Nam præter casum jam relatum ex *c. Statutum 3. b. t. in 6.* dantur duo alii casus Jure expressi, in quibus Collator inferior potest conferre beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia. Primus est: quando Sede Apostolica vacante contingit vacare Ecclesias aliquas Parochiales: tunc enim, ne diuturna ipsarum vacatio periculum valeat animabus afferre, concessum est Collatoribus Ordinariis easdem conferre, per textum expressum *in c. Si Apostolica. 35 b. t. in 6.* Secundus est, quando eædem Parochiales Ecclesiæ vacant vivente Papa, qui tamen de ipsis ante obitum suum nihil ordinavit: tunc enim post mortem ejus statim per Collatorem inferiorem conferri possunt, etiam necdum elapso primo mense. Text. & Gl. *fin. c. c. Si Apostolica eod. in 6.* Tacentur Concordata Germaniæ, vi quorum Collatores inferiores possunt conferre beneficia Papæ reservata, si de his intra trimestre nulli per Papam fuerit provisum: verum hæc non sunt Jure communi. 444

Objicies contra secundam Conclusionem. *Sæpè citatum c. Statutum. 3 b. t. in 6.* est revocatum per *Extrav. Piæ sollicitudinis. b. t. inter commun.* ergo nulla Conclusio. Resp. Antecedens probabiliùs esse negandum. Licèt enim Jo. Andreas *in eod. c. Statutum. n. 1. v. Valeant.* Gomez *in Reg. de Triennali possessore. q. 31 circa princ.* Gonzalez. *ad Reg. 8. Cancell. §. 5. Proœm. n. 148 & 152.* citans Rotam *dec. 12. ante n. 1. de Præb. in novis.* & plures alios, teneant, quòd citatum *c. Statutum. b. t. in 6.* fuerit revocatum per dictam *Extrav. Piæ sollicitudinis. eod. inter Commun.* Meritò tamen de tali revocatione dubitant Æneas de Falconib. *in d. tr. de Reserv. benef. q. 4. princ. effect. 6. n. 2.* Garcias *p. 5. de benef. c. 1. n. 99.* Barb. *in Collect. ad c. c. Statutum. n. 2. b. t. in 6.* Pirhing *b. t. n. 332.* & alii Plures, quos allegat. Accedit ratio: quia dicta *Extrav. Piæ sollicitudinis*, edita fuit à Bonifacio VIII. & quidem primo anno sui Pontificatus, *3. Non. Maii*, uti patet in Data dictæ Extrav. Unde, quia idem Bonifacius VIII. posteà primùm, sive anno quarto Pontificatus sui, *Non. Maii*, edidit Compilationem Sexti Decretalium, nec tamen eidem inseruit citatam 445

tam *Extrav. Piæ sollicitudinis*: signum est, ipsum noluisse istam Extravagantem habere vim aliquam contra sæpè dictum *c. Statutum. 3. h. t. in 6.* utpote editum in Conc. Generali Lugdunensi: alioquin procul dubio eandem memoratæ suæ Compilationi inseruisset. Confirmatur hoc ipsum ex eo, quòd idem Pontifex *in Proœmio Sexti Decretalium*, juncta Glossa V. *Refutari*, imposterum refutandas dicat Decretales suorum Prædecessorum, quæ dicto Sexto Decretalium non reperiuntur insertæ.

446 Dices cum Garcia *d. p. 5. c. 1. n. 100.* & aliis, quos citat, memoratum *c. Statutum h. t. in 6.* saltem posteà fuisse revocatum per *Extrav. Ad regimen. 13. h. t. inter Comm.* quæ fuit edita per Benedictum XI. anno Domini 1335. atque in Regulis Cancellariæ, Reg. 1. per Summos Pontifices innovari consuevit; eò quod in ipsa reserventur collationi solius Romani Pontificis omnia, & singula beneficia Ecclesiastica, apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacantia; addito Decreto irritante, & clausula illa generali: *Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus editis, quatenus obsistere possent &c.* Resp. Etiam de hac revocatione sufficienter non constare: quin potiùs, ut notat Vivianus *in Rational. ibid.* & Pirhing. *h. t. num. 332.* dicta Extravagans est intelligenda, atque limitanda secundum restrictionem, seu declarationem factam in prioribus Decretalibus (hoc est, *in c. Statutum. 3. & c. Si Apostolica. 35. hoc tit. in 6.*) non verò censetur eas revocare. Tum, ut evitetur correctio jurium, quantum fieri potest, juxta *c. Cùm expediat. 29. de Election. in 6.* Tum quia *in cit. Extravag. Ad regimen*, reservantur quidem collationi Papæ beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, sed generaliter solùm: non verò ibidem in specie negatur, eadem post mensem, atque in duobus casibus *num. 444.* jam expressis, posse conferri per Collatores ordinarios; ne alioquin Ecclesiæ ex diuturniori vacantia detrimentum patiantur, Unde, quia hic agitur de favore Ecclesiarum, neque iste reperitur clarè revocatus; non oportet asserere, quòd dicta Extravagans, *Ad regimen* revocaverit priores Decretales; sed potius ea videtur limitanda juxta *cit. Statutum. & c. Si apostolica. h. t. in 6.* Nam, quod lex posterior generalis limitetur per priorem specialiter loquentem, probat Reg. 34. Jur. in 6. *Generi per speciem derogatur*: estque ex professo dictum suprà *Lib. 1. tit. 2. De Constitutionibus. §. 19. n. 496. & 497.*

447 Quæritur IV. Quid dicendum de reservatione beneficiorum vacantium in Curia, juxta *c. Præsenti de Præbend. in 6.* Resp. Inter beneficia Ecclesiastica apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacantia, & proinde collationi solius Romani Pontificis reservata, potissimum numerantur ea, quæ referuntur *in c. Præsenti 34. h. t. in 6.* edito ad declarationem *c. Licèt. 2. eod. in 6.* & sunt sequentia. Primò, collationi Papæ reservantur *beneficia, quæ Legati, aut Nuncii Sedis Apostolicæ, vel quivis alii* (sive Curiales fuerint, sive non; ut explicat Glossa *ibid. vers. Alii*, communiter recepta) *ad Romanam Curiam venientes, vel etiam recedentes ab ipsa, obtinere noscuntur, si eos in locis vicinis ipsi Curiæ mori contingat: quemadmodum si in loco, ubi eadem Curia residet, morerentur.* Hæc ibi: paulò post, sive §. *Loca*, subjungendo, quòd *Loca intelligantur vicina eidem Curiæ in præmissis quæ remota ultra duas dietas Legales à loco, ubi moratur ipsa Curia, non existunt.*

448 Additur in relato textu, *ad Romanam Curiam venientes, vel recedentes ab ipsa*: quod intellige, ratione negotiorum ibidem tractandorum, vel litis prosequendæ causa. Nam si quis aliis de causis Romam accesserit, aut existat in loco illo, ubi reperitur Curia, & ibi moriatur: putà, si Curia Romana de loco in locum mutetur, v. g. Avinionem in Gallia, Beneficia ibid. per obitum talis Clerici vacantia, non censebuntur reservata collationi Papę, nisi Clericus ille decedens *Curialis esset anteà, & ib. occasione Curiæ moraretur*: prout expressè declaratur *in c. c. Præsenti. §. Sanè h. t. in 6.* Nec immeritò: alioquin enim nimis grave præjudicium inferretur loco, ubi degit Curia, si omnia beneficia ibidem vacantia possent per solum Papam conferri, atque ob nudam Curię suę præsentiam collationi Papę reservarentur: prout notat Glossa *ib. v. Moraretur.* Pirhing. *h. t. n. 333.* & alii.

Deinde inter Beneficia vacantia in Curia, veniunt beneficia Curialium, seu qui Papæ, aut Cardinalibus, sive Officialibus Romanæ Curiæ inserviunt: dummodò horum Curialitas fuerit continuata usque ad mortem; prout præsumitur continuata, nisi probetur mutata. Barbosa *c. c. Præsenti. n. 4. h. t. in 6.* cum aliis. Siquidem Curialium beneficia non solum censentur vacare in Curia, quando in actuali ejus servitio moriuntur: sed insuper id contingit, si quis ipsorum (*etiam Ecclesia Romana vacante*) *peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quavis causa, ad locum Curiæ secedens, in hujusmodi loco vicino decedat: dummodò ibi (etiamsi erat ad ipsam Curiam reversurus) ejus domicilium, seu domus propria non existat.* Ita textus *in d. c. Præsenti. h. t. in 6.* 449

Tandem hoc ipsum *c. c. Præsenti. §. Porrò. h. t. in 6.* extenditur ad beneficia Curialium, qui translata Curia eam sequentes, in itinere moriuntur; aut qui in loco, unde recessit Curia, remanserunt infirmi, ac postmodum decedunt: nam horum beneficia censentur pariter vacare in Curia, nec nisi per Papam conferri possunt. Sic enim loquitur textus ibidem: *Porrò, cum Curiam de loco ad locum transferri contigerit: si Curiales in itinere (dum Curiam sequuntur eandem) vel in loco, unde recedit Curia, remanentes infirmi rebus inibi eximuntur humanis, præmissum Statutum (quantuncunque locus, ubi decedunt ab ipsa Curia sit remotus) ad illorum beneficia se extendit.* Hæc ibi. Quod ut meliùs intelligatur 450

Quæritur V. Ubinam Curia Romana, in ordine ad colligendam exinde reservationem beneficiorum, censeatur existere? Resp. I. Curia Romana, quantùm ad propositum, ibi censetur esse, ubi est Papa cum Cancellaria, & Tribunalibus, & Officialibus suis, quos ad regimen Ecclesiæ adhibet. Ita Covarr. *Pract. qu. c. 4. n. 10.* Garcias *p. 5. de benef. c. 1. n. 391. & seqq.* Pirhing. *h. t. n. 334.* Engel. *eod. n. 10.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 13. §. 1. n. 2.* citans plures alios. 451

Resp. II. Quòd si solus Papa aliorsum proficiscatur, relicta Romæ Cancellaria, & Tribunalibus (prout Clemens VIII. anno 1598. Ferrariam profectus fuerat) non dicitur transferri Curia, *arg. Clem. Ne Romani. §. Sanè cùm. v. Eo tamen adjecto. de election.* Garcias *l. c. n. 392.* Nihilominùs quoad effectum reservationum beneficiorum, tunc in utroque loco dicitur esse Curia, Ferrariæ quidem in suo capite, & Romæ in suo corpore: adeoque beneficia venientium ad Curiam, & morientium in uno dictorum locorum, vel intra duas dietas Legales ab eo, juxta *c. Præsenti. 34. h. t. in 6.* censentur vacare in Curia; suntque collationi solius Papę reservata. Et ita in facti contingentia declaravit altè memoratus Clem. VIII. in sua Constitutione 54. quæ incipit, *Cùm ob nonnullas*: atque refertur *Tom. 3. Bullarii Romani* Garcias, & Pirhing. *ubi suprà*, & alii: quamquàm quod hoc esse attendendum stylum Curiæ, & Cancellariæ Apostolicę, qui pro diversitate temporum nonnunquam variatur, moneat Engel *h. t. n. 10.* 452

Cæterùm per *Dietam Legalem*, de qua proximè facta est mentio, intelligitur iter unius diei, computando viginti milliaria Italica pro die, *l. Vicena millia ff. si quis cautionibus &c.* Glossa *in cit. c. Præsenti. V. Legales. h. t. in 6.* Engel *h. t. n. 10.* asserens, quòd viginti milliaria Italica faciant quatuor, vel ad summum quinque milliaria Germanica: ac proinde duæ Dietæ Legales constituant quadraginta milliaria Italica, seu octo, aut decē Germanica. 453

Quæritur VI. Quæ alia beneficia, spectato Jure communi, specialiter collationi Papæ sint reservata? Resp. I. Etsi in *Extrav. ex debito. de elect. inter Commun.* plura beneficia suæ collationi reservaverit Joannes Papa XXII. tamen dicta Extravagans fuit solummodò temporalis, atque cum suo Conditore expiravit. Ita patet ex verbis ejusdem Papæ, ibidem reservatis sibi beneficia. *Donec Christi dignatio Nos dignabitur universalis Ecclesiæ sponsæ suæ regimini præsidere*: ac notat Barb. *in collect. ib. n. 2.* & Garcias *p. 5 de benef. c. 1. n. 85.* citans alios. Unde de hac superfluum foret plura dicere. 454

Resp. II. Per *Extravag. Execrabilis Joan. XXII.* quæ refertur cum inter *Extravagantes ejusdem Joann. XXII.* tum *inter Commun.* sed sub diversis Glossis, reservantur circa finem ipsius, sive *in §. Qui verò deinceps*, quædam beneficia collationi Papæ: videlicet ea, quæ post præ- 455

habi-

habitam Dignitatem, Personatum, Officium, aut aliud beneficium recipiuntur, nec tamen prius beneficium (quod ipso jure per pacificam receptionem posterioris vacare dignoscitur) absque moræ dispendio, in manibus ordinariorum dimittitur. Tunc enim, qui præsumpserint retinere primum cum secundo, ipso jure etiam secundo privati existunt; atque ad Sacros Ordines suscipiendos, & ad habendum quodcunque beneficium inhabiles reputantur: simulque *omnia & singula beneficia vacatura, ut præmittitur* (hoc est, vacatura ipso jure ex Constitutione illius Constitutionis, ut explicat Gl. V. *Vacatura*; videlicet, vacatura propter illicitam retentionem alterius prioris beneficii incompatibilis) *Sedis Apostolicæ dispositioni reservantur.*

456 Dicitur notanter in data explicatione Glossæ, *videlicet, vacatura propter illicitam retentionem alterius prioris beneficii incompatibilis.* Nam in *cit. extrav. execrabilis Jo: XXII* non reservatur collationi Papæ prius beneficium (hoc enim foret contra *c. de multa 28. hoc t.* ubi ejusmodi beneficium, per receptionem posterioris ipso jure vacans, jubetur à Collatore ordinario intra legitimum tempus conferri) sed in *cit. extrav. execrabilis*, solummodo posterius beneficium reservatur collationi Papæ; utpote quod indebitè retentum cum priori, ipso jure virtute illius extravagantis vacare, sicque collationi Papæ reservari dignoscitur. Et ita notat Gl. *ib. V. ut præmittitur.* Barb. *in Coll. ib. n. 10.* subjungens, hoc modo pariter intelligendam esse Regulam I Cancellariæ, in qua reservantur beneficia quæ per Constitutionem *execrabilis* vacant, vel vacabunt Garcias *p. 11. de benef. c. 5. n. 45.* citans plures alios, & sequitur Pirhing. *h. t. n. 154.*

457 Resp. III. Extravagans Benedicti XI. quæ incipit, *Ad regimen h. t. inter commun.* fuit quidem temporalis solummodo, & cum Conditore suo expiravit; prout desumitur ex illis verbis istius: *Donec Miserationis Divinæ Clementiæ Nos universalis Ecclesiæ regimini præsidere concesserit— reservamus &c.* ac notat Barb. *ib in Collect. n. 2.* Garcias *p. 5. de benef. c. 1. n. 85.* Quia tamen eadem Extravagans per singulos Pontifices innovari solet in *reg. 1. Cancel.* operæ pretium esse videtur, breviter examinare beneficia ibidem reservata collationi Papæ.

458 Imprimis itaque reservantur ibi collationi Papæ omnes Ecclesiæ Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales, atque etiam Monasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus, & Officia, nec non Canonicatus, Præbendæ, & Ecclesiæ, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, sæcularia, & regularia quæcunque & qualiacunque fuerint: etiamsi ad illa personæ consueverint, vel debuerint per electionem, vel quemvis alium modum assumi, si quando apud Sedem Apostolicam vacant, vel imposterum vacabunt.

459 Deinde reservantur beneficia vacantia, vel imposterum vacatura per depositionem, vel privationem, seu translationem, aut muneris consecrationis suspensionem authoritate Papæ factam, vel faciendam. Nec non si forsan aliqui electi, vel postulati fuerint, vel imposterum eligantur, vel postulentur in concordia, aut discordia, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renunciatio, & per Papam admissa fuerit; aut in anteà cassari, repelli, vel admitti contigerit apud Sedem Apostolicam, vel alibi ubicunque.

460 Tertiò reservantur beneficia vacantia per obitum Cardinalium S. R. E. ac Officialium dictæ Sedis: videlicet, Camerarii, Vicecancellarii, Notariorum, Auditorum litterarum contradictarum, & Apostolici Palatii causarum Auditorum, Correctorum, & Scriptorum litterarum Apostolicarum, ac Pœnitentiarii præfatæ Sedis, & Abbreviatorum, nec non Commensalium, & aliorum quorumlibet Capellanorum Sedis ejusdem: & etiam quorumcunque Legatorum, sive Nuntiorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ Rectorum & Thesaurariorum, per Papam specialiter deputatorum, seu missorum, vel deputandorum, seu mittendorum imposterum, ubicunque dictos Legatos, vel Nuntios, seu Rectores, aut Thesaurarios antequam ad Romanam Curiam redierint, seu venerint rebus eximi contigerit humanis.

461 Quartò reservantur beneficia vacantia per obitum quorumlibet, pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta Curia ultra duas dietas Legales non distantibus moriantur. Item beneficia vacantia per obitum quorumcunque Curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quacunque causa ad quævis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam Curiam redierint in locis ultra duas dietas ab eadem Curia (ut præmittitur) non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem, mori contigerit.

Quintò reservantur Monasteria, Prioratus, Decanatus, Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, Canonicatus, Præbendæ, & Ecclesiæ, cæteraque beneficia Ecclesiastica, sæcularia & oegularia, cum cura, vel sine cura: quæcunque, vel qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, & debuerint per electionem aut quemvis alium modum assumi; quæ promoti qer Papam ad Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias, nec non Monasteriorum regimina, obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, sicque vacant, seu imposterum vacabunt. 462

Sextò denique reservantur quæcunque beneficia, quæ per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, & Præbendarum, Ecclesiarum, & Beneficiorum aliorum, per Papam collatorum, vel conferendorum imposterum, nunc vacant, & in antea vacabunt; Decernendo ex tunc irritum, & inane, si secus super præmissis, & quolibet eorum, per quoscunque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. 463

Resp. IV. De reliquis Extravagantibus hujus Tituli inter Communes, nonnullorum beneficiorum reservationem continentibus, nihil restat notabile dicendum: quia agunt solum de beneficiis certarum provinciarum, putà, provinciæ Burdegalensis, ut *extrav. Et si in temporalium.* Aut loquuntur de erectione Ecclesiæ Tholosanæ in novam Metropolim; ut *extrav. Salvator. cum seqq.* Aut continent aliam materiam huc non pertinentem; præter *extrav. piæ sollicitudinis, & extrav. ad Romani*, de quibus jam est dictum superius. 464

Quæritur VII. An dentur aliqua alia beneficia ad collationem solius Papæ pertinentia? Resp. I. Ad collationem solius Papæ ulterius spectant beneficia Urbis, seu quæ Romæ existunt: nam horum collatio pertinet ad Papam, tanquam Episcopum Romanum; prout is appellatur *in c. Si quis Episcopus 2. q. 6.* cum similibus. Ita Æneas de Falcon. *cit. tr. de reserv. benef. q. 2. principal. n. 9.* Chokier *in reg. Cancell. n. 23. V. secunda reservatio.* Gonzal. *ad 8. Cancell. gloss. 13. n. 3. & 4.* allegans alios. Quamquam Æneas de Falconib. *d. n. 9.* & Gonzalez *loc. cit. n. 7. & 8. ac seq.* cæterique Auctores notent, beneficia in Urbe existentia solum impropriè dici reservata (haud obstante, quod pro maiori cautela per *reg. 7. Cancellariæ* expressè reserventur eo quod Papa jure proprio, seu ordinario, veluti Episcopus Romanus, eadem conferat; nullusque alius adsit, qui ita conferre, Papamque conferendo beneficia Urbis vacantia prævenire valeat. Nam reservatio propriè fit propter timorem præventionis, seu ne inferior ordinarius Collator possit Papam in conferendo prævenire. 465

Fatendum tamen, quod beneficia Urbis, quæ subsunt Titulis Cardinalium, *arg. c. His qu. 11. de Majorit. & obed.* conferantur per istos, quando hujusmodi Cardinales sunt in Urbe: secus, quando absunt, juxta *reg. 7. Cancellariæ.* Licet enim horum beneficiorum collatio jure ordinario pertineat ad Papam, veluti Episcopum Urbis, ut dictum: nihilominus, ut Summi Pontifices ostendant, Cardinales sibi conjunctissimos, & verè Fratres existere, simulque magis eos suorum Titulorum per residentiam personalem studiosos reddant; pleniorem istis, dummodo in Urbe resideant, consueverunt dare potestatem conferendi beneficia vacantia. Chokier *ad reg. 1. Cancell. n. 22. vers. Secunda* cum aliis. 466

Resp. II. Insuper collationem quorundam beneficiorum Ecclesiasticorum Papa sibi reservavit virtute diversarum Constitutionum Apostolicarum, quæ non continentur in corpore Juris Canonici. Sic quippe ipso jure vacant, atque reservata sunt Sedi Apostolicæ beneficia, quę fuerunt recepta *in confidentiam*: hoc est per Simoniam confidentialem; ex Constitutione 85. Pii IV. *Romanum Pontificem §. 5.* Quam etiam innovavit B. Pius V. in sua Const. 85. *Intolerabilis*: ita tamen, ut hanc suam Constitutionem, 467

H ac

ac reservationem, decrevit procedere, atque intelligendam esse non solum de beneficiis, in quibus commissa est Simonia confidentialis, sed etiam de omnibus aliis, quæ obtinebat Confidentiarius; prout liquet ex eadem Bulla B. Pii V. §. 8. *Sed nequisquam*: & notat Barb. *cit. alleg. 57. n. 42.* Utraque dictarum Constitutionum refertur *Tom. 2. Bullarii Romani.*

468 Deinde dispositioni Sedis Apostolicæ reservantur Ecclesiæ Parochiales, quæ non servata forma Concilii Tr. collatæ fuerunt, vel conferentur imposterum: ex Constitutione 33. B. Pii V. *In conferendis* §. 3. ac refertur *cit. tom. 2. Bullarii Romani.* Ad dicta superius *§. 5. n. 148.*

469 Tertiò, beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis, reservata sunt collationi Sedis Apostolicæ: ex Constitutione 85. Gregorii XIII. *Humano vix judicio* §. 5. & refertur pariter *tom. 2. Bullarii Romani.*

470 Quartò, beneficia vacantia propter crimen Hæresis, reservantur collationi Sedis Apostolicæ: ex Constitutione 29. B. Pii V. *Cum ex Apostolatus* §. 1. referturque cit. Tom. 2. Bullarii.

471 Quintò, beneficia ipso jure vacantia propter delictum offendentium litigantes in Curia Romana, eorumque Judices, Advocatos, Procuratores, Notarios, testesque & alios hujusmodi, reservantur dispositioni Sedis Apostolicæ: ex Constitutione 11. Alexandri VI. *In eminenti Sedis* §. 4. quæ habetur *tom. 1. Bullarii Romani.*

472 Sextò, beneficia eorum, qui se pro aliis, in ordine ad obtinendum pro eis beneficium, examini subjiciunt vel quia annuas pensiones offerunt pro consequendis beneficiis &c. non solum ipso jure vacant, sed etiam collationi Romani Pontificis reservantur: ex Constitutione 12. Paulii IV. *Inter cæteras* §. 2. & 3. ac refertur *cit. t. 1. Bullarii.*

473 Tacentur nonnulli alii casus, in quibus collatio quorundam beneficiorum reservatur Sedi Apostolicæ, quorum universim triginta quinque enumerat Hieron. Gonzalez ad *reg. 8. Cancellariæ gl. 51. per totum*: verum præmissi sunt cæteris notabiliores. Superest, ut de Regulis Cancellariæ, & Concordatis Germaniæ, aliquid dicatur, nam hisce pariter certa beneficia Ecclesiastica collationi Sedis Apostolicæ reservantur.

§. XVI.

De Regulis Cancellariæ, ac tenore modernarum.

SUMMARIUM.

474 *Regulæ Cancellariæ, quid & quot sint?*
475 *Et cur sic dicantur.*
476 *Obligant non solum Officiales Cancellariæ Apostolicæ, sed etiam alios, exceptis Cardinalibus.*
477 *Cancellaria Apostolica efformat speciem magni Tribunalis.*
Dicitur Organum Papæ; *& cur. Ib.*
478 *Regulæ Cancellariæ à Joanne XXII circa annum Domini 1330. initium habent.*
479 *Haud obstante, quod Cancellaria Apostolica jam anteà extiterit.*
480 *Regulæ Cancellariæ defactò statim obligant ab eo tempore, quo à Neo-electo Papa reassumuntur.*
481 *Licet nondum fuerint publicatæ: & solvitur instantia.*
482 *Quomodo obligent ante suam publicationem?*
483 *Durant tantum ad vitam Papæ eas facientis, & in morte ejus expirant.*
484 *Unde vacante Sede Apostolica, cessant reservationes beneficiorum in eisdem duntaxat contentæ.*
Et quid dicendum de reservationibus clausis in corpore Juris. Ib.
485 *Sede Papali vacante potest Collator ordinarius conferre beneficia, cæteroquin reservata solum per regulas Cancellariæ.*
486 *Antequam Neo-electus Papa fecerit novas regulas: secus postea.*
487 *Regulæ Cancellariæ successu temporis in pluribus sunt mutatæ.*
488 *Tenor Regularum Cancellariæ SS. D. N. D. Clementis Papæ XI.*

Quæritur I. Quid sint Regulæ Cancellariæ, cur sic dicantur, quo tempore ortum habuerint? Resp. I. *Regulæ Cancellariæ* sunt certæ Constitutiones Apostolicæ, quas singuli Pontifices à principio sui regiminis circa causas beneficiales, & judiciales facere, vel à Prædecessoribus suis jam factas renovare augere, vel minuere consueverunt. Earum defactò solent esse septuaginta duæ: totidem enim novissimè publicavit SS. D. N. D. Clemens Divina Providentia Papa XI. Quamvis præter nonnullas alias differentias olim pauciores fuerint, prout patet ex eo, quod Urbanus VIII. anno 1623. solummodo septuaginta & unam fecerit, quæ referuntur *to. 4. Bullar. Rom. Const. 7.* dicti Pontificis: simulque ex eo, quod Regula *reservationis mensium Apostolicorum*, quæ olim *Octava* fuerat & in quam, veluti *Ad regulam VIII. Cancel.* Hieronymus Gonzalez integrum Tractatum conscripsit nunc *Nona* existat. Earum priores tractant de reservationibus Apostolicis, tum generalibus, tum specialibus beneficiorum, quorum collationem Papa sibi reservare intendit, posteriores agunt de Litteris Apostolicis expediendis, ac forma, seu clausulis in earum expeditione observandis, nec non de dispensationibus; atque Indulgentiis obtinendis, & hujusmodi; prout amplius patebit ex tenore earundem Regularum Cancellariæ proximè allegando. 474

Resp. II. *Regulæ Cancellariæ* sic dicuntur, non quod solam Cancellariam Apost. seu Officiales ipsius obligent: sed quia magna ipsarum pars concernit expeditionem Litterarum Apostolicarum, in Cancellaria Papæ faciendam, quatenus tradunt certam formam in ipsarum expeditione observandam; simulque, quia regulæ illæ in Cancellaria Apostolica publicari consueverunt, & Regestis ejus inseri. Ita Rebuffus *in praxi benef. tit. Additiones in regul. Cancell. V. Cancellariæ.* Jo: Chokier *Comment. in rubr. regular. cancell. n. 16. & 17.* 475

Accedit alia ratio. Siquidem regulæ Cancellariæ sunt Ordinationes; seu Constitutiones generales; atque ex persona Conditoris sui, sive SS. Domini Papæ, easdem sub initio Pontificatus sui pro meliore regimine facientis, obligant non solum Officiales Cancellariæ Apostolicæ, sed etiam in materia ipsis adaptabili, astringunt omnes alios: exceptis duntaxat S. R. E. Cardinalibus, qui ob speciales prærogativas, atque privilegia sibi competentia expressè excipiuntur per Regulam 70. Cancellariæ. 476

Porrò in Cancellaria Apostolica præter Cardinalem Vice-Cancellarium, plures alii Officiales, tum Prælati, tum non Prælati, & quidem in valde copioso numero adesse solent; adeò, ut species magni, & qualificati Tribunalis efformari videatur. Card. de Luca *in relatione Curiæ Romanæ, discursus 10. num. 9. 11. & 12.* Estque tantæ authoritatis, atque excellentiæ Cancellaria Apostolica, ut Organum Papæ dicatur. Card. de Luca *loc. cit. disc. 9. n. 28.* Chokier *in reg. 43. Cancell. n. 42. V. difficultat.* Sive, ut Gonzalez *ad reg 8 cancell. glos. 13 n. 12.* post Cassadorum *dec. 3. n. 3. de reserv.* loquitur, *Cancellaria Apostolica* est organum mentis, & vocis Papæ. Unde quidquid facit Cancellaria, videtur factum à Papa, utpote cujus ipsa est organum. Chokier *cit. n. 42.* Nec immeritò: nam in Romanum etiam Pontificem cadit illud effatum Imperatoris *l. 1. Sed neque C. de veteri jure enuclean.* Omnia nostra facimus, quibus authoritatem impertimur, *c. Si Apostolicæ 22 h. t. in 6.* Illud autem, *quod Principi placuit, legis habet vigorem*; prout dicitur *leg. 1. ff. de Constitution. Princip.* 477

Resp. III. Regulæ Cancellariæ à Joan: XXII. circa annum Domini 1330. initium, atque originem habuerunt. Ita Ludov. Gomez *qu. 1 proœmial. in reg. Cancell. à princip.* Card. de Luca *disc. 1. de beneficiis, n. 23.* Idque probat Gomezius *loc. citat.* ex eo qui in vetusto quodam membraneo Codice (quem Vulgares *Quinternum Cancellariæ Apostolicæ* vocant) primus omnium in ordine ponitur Joannes XXII. Regularum author: neque ante ipsum alius Summorum Pontificum invenitur, qui hoc anteà præstiterit, tradendo videlicet regulas Cancellariæ in scriptis. 478

Nec obstat, quod ipsamet Cancellaria Apostolica longè anteà extiterit: utpote cujus jam Lucius Papa III. (qui fuit electus anno Domini 1181.) meminit *In c. Ad hæc sumus, 10. de rescr.* illis verbis; *De Cancellaria nostra litteras recipisse &c.* Resp. enim cum Gomezio *loc. cit.* quod tunc temporis Cancellariæ negotia non Regulis, sed vivæ vocis mandato, & stylo fuerint directa: quia tamen sine aliquo certo ordine, sed eventualiter, & quodammodo fortuito processerant; meritò postmodum scriptis comprehensæ, atque in eadem Cancellaria publicatæ fuerunt certæ regulæ imposterum observandæ, quas nunc *regulas Cancellariæ* appellamus. 479

480 Quæritur II. A quo tempore regulæ Cancellariæ incipiant, & quamdiu obligent? Resp. I. Regulæ Cancellariæ cum primis illud habent speciale præ aliis Legibus, & Constitutionibus Apostolicis, quod defactò statim obligent ab eo tempore, quo à Neo-electo Pontifice Romano reassumuntur, licet nondum fuerint publicatæ. Ita liquet ex ipsarum Præfatione nunc usitata, & sic loquente: *Quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, & suo tempore duraturas, observari voluit*, videlicet Papa Neo-electus.

481 Nec obstat, quod Rebuffus *in Addition. ad regulas Cancellariæ Pauli Papæ III. § reservationes, V. Ex tunc* & Zerola *in praxi episcopali p. 2. V. regulæ Cancellariæ*, cum nonnullis aliis velint, Regulas Cancellariæ solum obligare à die promulgationis; utpote quæ est causa formalis legis sanctæ. Resp. enim, istud ex eo contigisse, quia tempore Rebuffi nondum Præfationi regularum Cancellariæ habebatur inserta clausula illa: *Licet nondum publicatas*: prout liquet ex tenore Regularum ab ipso relatarum. Alioquin verò leges etiam ad præterita facta trahi, quando *nominatim in eis de præteritis cavetur*; textus est *in c. ult. de Const. & l. 7. c. de legib.* ubi dicitur; *Leges non ad facta præterita revocari, nisi nominatim etiam de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis, cautum sit.*

482 Cæterum, quando Leges nominatim cavent de præteritis (prout obligant Regulæ Cancellariæ ante suam publicationem) tunc ipsæ pro tempore præterito solum obligant quoad nullitatem actus in contrarium gesti (puta quod invalida sit collatio beneficii contra Regulas Cancellariæ tunc facta) & quod ita Judices pronunciare debeant: non vero tunc obligant quoad culpam, vel pœnam incurrendam, donec debitè publicentur. Engel. *tit. de præb. n. 19.* estque jam dictum supra *l. 1. tit. de constitutionibus §. 5. n. 107. 108. & 109.*

483 Resp. III. Insuper Regulæ Cancellariæ istud habent speciale, quod tantum durent, seu obligent ad vitam Romani Pontificis eas facientis; & in morte ipsius illicò expirent. Patet hoc ex dicta Præfatione earundem Regularum, atque verbis jam allegatis: *Et suo tempore duraturas*; ac notat Rebuffus *in Addit. ad reg. Cacell. reg. 1. V. Suo tempore.* Garcias *p. 5. de beneficiis c. 1. n. 643.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. §. 5. proœm. n. 2. & seq. & gloss. 12. nu. 12. & seqq.* Card. de Luca *de benef. disc. 16. n. 8. & disc. 31. nu. 4. & 5.* Flamin. Parisius *lib. 11. de resign. benef. q. 2. n. 31.* Engel *h. t. n. 19.* & alii. Idque probatur ulterius ex eo: quia Papa Neo-electus in *reg. 1. Cancell. ac seqq.* Beneficia ibidem specificata *dispositioni suæ* reservare consuevit; sicque apertè innuit, quod ejusmodi reservatio sit personalis, & consequenter cum Conditore suo expiret; nam voluntas disponendi, sive beneplacitum Papæ, in morte ejusdem omninò extinguitur, *c. Si gratiosè 5. juncta Gl. V. Suæ de rescript. in 6.*

Infertur proinde primo, quod cum vacante Sede Apostolica cessent Regulæ Cancellariæ, pariter cessent reservationes beneficiorum in eisdem duntaxat contentæ. Et additur, *in eisdem duntaxat contentæ.* Nam secus est dicendum de reservationibus clausis in Corpore juris communis: ut est reservatio beneficiorum in Curia vacantium, juxta *c. 2. & c. Præsenti, 34 h. t. in 6.* Hæc enim reservatio tunc non cessat: quamquam si infra mensem non sequatur electio novi Pontificis, sicque collatio talium beneficiorum non fiat, subintret dispositio *c. Statutum, 3. & c. Si Apostolica, 35. eodem in 6.* conformiter dictis supra *n. 439 & 444. ac seqq.* 484

Infertur ulterius, quod Sede Papali vacante jus Ordinariorum revertatur ad primævos terminos juris communis, exceptis reservationibus clausis in corpore juris, & affectionibus personalibus; Card. de Luca *de beneficiis disc. 16. n. 7. & 8.* & communis. Unde Collator ordinarius poterit tunc conferre beneficia, cæteroquin reservata solum per Regulas Cancellariæ; ut puta, vacantia in mensibus Pontificiis; dummodò id fiat, antequam Papa noviter creatus alias Regulas constituat: hoc ipsum quippe importat relatum ly: *Et suo tempore duraturas.* Rebuffus *cit. reg. 1. Cancell. V. suo tempore*; post Dominicum *Cons. 93.* Gonzalez *d. §. 5. Proœm n. 46.* Zerola *p. 2. praxi Episcop. V. Regulæ Cancellariæ; & V. Beneficium, n. 1.* Layman *lib. 4. Theol. Moral. tr. 2. c. 11. n. 1. V. Denique.* Garcias *p. 5. de benef. c. 1. n. 645.* asserens, quod Sede Apostolica vacante omnes menses sint Ordinariorum: hique possint providere de beneficiis vacantibus in quolibet mense; antequam Neo-electus Papa fecerit novas Regulas Cancellariæ. 485

Et notanter additur; *antequam Neo-electus Papa fecerit novas regulas*: quas singuli Pontifices facere solent die immediatè sequenti post assumptionem suam ad Papatum. Nam regulis hisce jam factis non valet collatio beneficii; quod Sede Papali vacante in mense Pontificio vacaverat; & per Collatorem ordinarium antea collatum non fuerat; quia tunc jam obligant novæ Regulæ, etiam nondum publicatæ; quoad nullitatem actus in contrarium gesti, ut dictum *n. 482.* Quinimo per regulam 68. quæ inscribitur; *reservatio beneficiorum vacantium Sede Apostolica vacante*, Neo-electus Papa ejusmodi beneficia de quibus per quoscunque Ordinarios collatores tunc dispositum non fuerat seu minus validè dispositum erat; suæ provisioni, ac dispositioni expressè reservat: *Decernens irritum &c.* prout eadem regula inter alia loquitur. 486

Quæritur III. Cujus tenoris esse soleant modernæ Regulæ Cancellariæ? Resp. I. Etsi Regulæ Cancellariæ successu temporis in pluribus sint mutatæ, atque augmentatæ, vel magis declaratæ; prout patebit conferenti vetustiores Regulas Cancellariæ, repertas in Libris, cum modernis: tenor tamen novissimarum Regularum Cancellariæ, seu authoritate SS. in Christo Patris, ac D. N. D. Clementis Divina Providentia Papa XI. nunc Regnantis, publicatarum, juxta exemplar, Romæ in Typographia Rev. Cam. Apost. impressum: est talis; ut sequitur. 487

REGULÆ,
Ordinationes, & Constitutiones Cancellariæ Apostolicæ
SS. D. N. CLEMENTIS Divina Providentia Papæ XI.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster, Dominus CLEMENS Divina Providentia Papa XI. suorum Prædecessorum vestigiis inhærendo, normam, & ordinem rebus gerendis dare volens in crastinum suæ Assumptionis ad summi Apostolatus apicem, videlicet, die vigesima quarta mensis Novembris An. ab Incarnatione Domini millesimo septingentesimo, Reservationes, Constitutiones, & Regulas infrà scriptas fecit, quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, & suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Petrus S. Laurentii in Damaso Cardinalis Ottobonus, S. R. E. Vicecancellarius die decima quarta Decembris in Cancellaria Apostolica publicari fecimus.

Reservationes generales, & speciales.

1. In primis fecit easdem reservationes, quæ in Constitutione fel. rec. Benedicti PP. XII. quæ incipit, *Ad regimen*, continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamsi Officiales in eadem Constitutione expressi Apostolicæ Sedis Officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad beneficia, quæ tempore, quo Officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominus beneficia, quæ dictæ Sedis Officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis Notarii erant etiam dimissis ipsis officiis, & quandocunque assecuti fuerint, sub hujusmodi reservationibus comprehendi. Ac reservavit beneficia, quæ per constitutionem piæ mem. Jo. PP XXII. quæ incipit, *Execrabilis* vacant, vel vacare contigerint, quam Constitutionem, & reservationem S.S. tam in beneficia obtenta, quam alia quæcunque, de quibus ordinarii, & alii Collatores contra Conc. Tr. decreta disposuerunt, & disponent in futurum; extendit, & ampliavit, & etiam beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores contra ejusdem Concilii decretorum formam dispositum fuerit. Decernens irritum &c.

Reservatio Cathedralium, Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac de tempore vacationis Episcopatuum vacaturorum Beneficiorum.

2. Item reservavit generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, nec non omnia Monasteria Virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri communi extimatione excedentia, nunc quomodocunque vacantia, & imposterum vacatura. Et voluit, quod excessus hujusmodi in litteris exprimatur. Ac etiam reservavit dignitates, & beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcunque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, nec non Abbatum, ac aliorum quorumcunque Collatorum, & Collatricum sæcularium & regularium quomodolibet (non tamen ad Collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia) quæ post illorum obitum, aut ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem vel alias quomodocunque vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem ecclesias, aut Monasteria: vel dignitates Apostolica auctoritate faciendam & adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem quomodocunque vacaverint, & vacabunt in futurum. Decernens irritum, &c.

Extensio reservationis Beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum.

3. Item, si qui de beneficiis Ecclesiasticis præsertim curam animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant Apostolica auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum assecutionem alia cum eisdem incompatibilia beneficia ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis suæ resignarent, seu dimitterent, voluit, decrevit, & declaravit, quod si imposterum quibusvis personis de aliquibus beneficiis ecclesiasticis, tunc vacantibus, seu vacaturis per Sanctitatem suam, aut ejus auctoritate provideri, ipsosque providendos intra vacationis, & provisionis, seu assecutionis eorumdem beneficiorum tempora, quæcunque alia cum illis incompatibilia beneficia ecclesiastica sæcularia, vel quorumvis Ordinum, ac etiam Hospitalium, Regularia per eos tunc obtenta nulla speciali, & expressa de eisdem in provisionibus prædictis facta mentione, simpliciter, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in Sanctitatis suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Legatorum, vel Nunciorum dictæ Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum collatorum quorumcunque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes & singulæ concessiones, collationes, provisiones, & quævis aliæ dispositiones de beneficiis, seu juribus sic resignandis, dimittendis, & cedendis pro tempore faciendæ cum inde secutis quibuscunque cassæ, & irritæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed beneficia, & jura, ut præfertur resignata, & dimissa, & cessa eo ipso vacent, ac sub reservatione prædicta, quam Sanctitas sua, etiam quoad hoc extendit, & ampliavit, comprehensa censeantur. Ita quod de illis per alium, quam per eandem Sanctitatem suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem nullatenus disponi possit, in omnibus, & per omnia perinde, ac si per pacificam assecutionem beneficiorum aliorum hujusmodi verè, ac realiter vacavissent. Ac ulterius voluit beneficium, de quo resignans fuerit auctoritate Apostolica provisus, ac per cujus assequutionem beneficia vacare debebant, ut priùs vacare, perinde, ac si collatio favore resignantis facta non fuisset, salvis tamen quibuscunque juribus competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio, etiam ex causa permutationis, summariè, simpliciter, & appellatione remota exercendis, decernens irritum, &c. attentari.

Reservatio Dignitatum, nec non suorum, & S.R.E. Cardinalium familiarium, beneficiorum,

4 Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates majores post Pontificales, in Cathedralibus etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, nec non valorem decem florenorum auri communi extimatione excedentes principales in Collegiatis Ecclesiis. Reservavit etiam Prioratus, Præposituras, Præpositatus, ac alias Dignitates Conventuales & Præceptorias generales Ordinum quorumcunque (sed non militiarum) ac quæcunque beneficia, quæ sui, etiam dum Cardinalatus fungebatur honore existentes, ac S.R.E. viventium nunc, & qui erunt pro tempore Cardinalium familiares continui commensales obtinent, & imposterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ jus eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem, vel alias recesserint. Declarans Dignitates, quæ in Cathedralibus etiam Metropolitanis post Pontificales non majores existunt, & quæ ex Ap. Sedis Indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut cōsuetudine præscripta, vel alias quovis modo in quibuscunq; Collegiatis ecclesiis principalem preeminentiam habere noscuntur, sub reservatione prædicta comprehendi debere. Decernens irritum, &c.

Reservatio Beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.

5. Item reservavit generaliter omnia, & singula beneficia ecclesiastica quorumcunque Collectorum & Subcollectorū, in quacunq; Civitate, vel Diœcesi, qui suo tempore Officia exercuerint, quorumcunque fructuum & proventuum Cameræ Apost. debitorum, illa videlicet beneficia duntaxat, quæ durante eorum officio obtinebant, & in quibus, seu ad quæ jus eis competebat. Decernens irritum. &c.

Reservatio beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur.

6. Item reservavit, omnia, & singula beneficia ecclesiastica quorumcunque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, quantumcunque etiam à dicta Curia remoto. Decernens irritum, &c.

Reservatio Beneficiorum Cubiculariorum, & Cursorum.

7. Item reservavit generaliter idem D.N.PP. dispositioni suæ omnia beneficia Cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, ac Cursorum suorum, declarans in Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservationis beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios honoris nuncupatos, etiam à die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritumque &c. attentari Decernens

Reservatio Beneficiorum Ecclesiarum S. Joannis Lateranen. & S. Petri, ac B. Mariæ Majoris de Urbe, & Beneficiorum Titulorum Cardinalium à Curia absentium.

8. Item reservavit dispositioni suæ generaliter quoscunque Canonicatus, & Præbendas, ac Dignitates, Personatus, & Officia in S. Jo. Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac B. Mariæ Majoris de Urbe Ecclesiis, nec non ad collationem, provisionem, & præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium à Romana Curia absentium ratione suorum Episcopatuum Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titulorum, & Diaconiarium spectantia, quandiu absentia hujusmodi duraverit, Canonicatus, & Præbendas, Dignitates, Personatus, Administrationes, & officia, cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura vacantia, ac in antea vacatura tam in eadem Urbe, quam in ecclesiis, Civitatibus, ac Diœcesibus dictorum Episcopatuum consistentia, ac decrevit irritum.

Reservatio mensium Apostolicorum, & Alternativa pro Episcopis residentibus.

9. Item cupiens SS. D. N. PP. pauperibus Clericis, & aliis bene meritis personis providere, omnia beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumvis ordinum regularia qualitercunque qualificata, & ubicunque existentia in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam alias, quam per resignationem quocunque modo vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem quorumcunque Collatorum, & Collatricum sæcularium, & quorumvis Ordinis regularium (non tamen S.R.E. Cardinalium; aut aliorum sub Concordatis inter Sedem Apostolicam, & quoscunque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & observare debuerant acceptatis, & observatis, quæ lædere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia dispositioni suæ generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam Motu proprio fient, de Mense, in quo vacaverint dispositivè mentionem fieri: alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines, etiam immemoriabiles optandi majores, & pinguiores Præbendas, nec non privilegia, etiam in limine erectionis concessa, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi beneficiis, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis; & fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis, quorum tenores pro expressis haberi, & latissimè extendi voluit quibusvis personis, & Collegiis, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus quomodolibet concessa adversus reservationem hujusmodi minime suffragari. Insuper Sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, ipsis quandiu apud ecclesias, aut Diœceses suas verè & personaliter resederint dumtaxat de omnibus, & quibuscunque beneficiis ecclesiasticis cum cura, & sine cura sæcularibus, & regularibus (ad liberam ipsorum duntaxat non autem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio vel consensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus) quæ in anteà in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris extra Curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni Apostolicæ reservata vel affecta non fuerint) libere disponendi facultatem tempore sui Pontificatus tantum duraturam concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, & Novem. vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, ut præfertur, reservavit) seu etiam aliorum, dispositioni suæ, & dictæ Sedi alias quomodolibet reservatorum, vel affectorum sese intromiserint, aut quo minùs provisiones, & gratiæ Sanctitatis Suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquomodo præstiterint, usu, & beneficio prædictæ facultatis, eo ipso privati existant, ac collationes & aliæ dispositiones de beneficiis illius prætextu deinceps faciendæ nullius sint roboris, vel momenti. Illi vero qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes litteras manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, & in sua quisque Civitate, vel Diœcesi datas declarare, & litteras ipsas huc ad Datarium Sanctitatis suæ transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, ac libro ad id deputato registratis, tunc demum, & non anteà uti incipiant gratia supradicta. Insuper declaravit quod si idem Episcopus pluribus Ecclesiis quomodocunque unitis ex Apostolica concessione, & dispensatione quomodocunque præsit, teneatur hujusmodi alternativæ gratiam quatenus ea potiri velit, utriusque ecclesiæ nomine explicitè acceptare, alias illi non suffragetur. Et post factam acceptationem, & admissionem in Dataria neutri parti liceat nisi concordi consensu ab ea recedere. Declarans præterea exceptionem positam in Regula favore S.R.E. Cardinalium, & indultum conferendi beneficia reservata concessum Cardinali Episcopo non suffragari Capitulo ratione communionis, & consortii juxta declarationem fel. recor. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris sui editam die decima Septembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, quam Sanctitas Sua in omnibus, & per omnia approbat. Decernens sic in præmissis omnibus per quoscunque &c. judicari debere ac irritum &c.

De litteris in forma, Rationi congruit, expediendis.

10. Item voluit idem D. N. Papa, quod concessa per fel. rec. Innocentium XII. Prædecessorem suum & de ejus mandato expediantur in forma *Rationi congruit &c.* sub die Coronationis suæ, ut moris est, & idem quoad concessa per piæ me. Alexandrum Octa-

vum etiam Prædecessorem suum ad sex menses duntaxat, ab ipso die Coronationis incipiendos observari voluit.

Declaratio reservationis Ecclesiarum, & Beneficiorum per Prædecessores reservatorum.

11. Item declaravit omnium, & singularum ecclesiarũ Cathedralium, & Monasteriorum provisiones, quas prædicti Prædecessores sui, ordinationi, & dispositioni eorum, nec non omnia, & singula beneficia ecclesiastica, quæ dicti Prædecessores etiam prædictæ dispositioni cum interpositione decreti reservaverant (quæ quidem ecclesiæ, Monasteria, nec non sic reservata beneficia tempore obitus eorundem Prædecessorum vacabũt aut ecclesiæ ipsæ, vel Monasteria hujusmodi, si commendata, vel eis administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, & remanere per hujusmodi reservationem, & Decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem ea vice se intromittere, vel disponere potuisse, sive posse, quoquo modo. Decernens irritum, & inane, si secus super illis attentatum forsan erat tunc, vel in posterum contigerit attentari.

Revalidatio Litterarum Prædecessoris: Gratiæ, vel Justitiæ infra annum concessarum.

12. Item [illegible] dictus D. N. omnes, & singulas ab Innocentio XII. Romano Pontifice prædecessore suo infra annum ante diem ejus obitus concessas Gratiæ vel Justitiæ litteras temporibus debitis earum executoribus, seu Judicibus non præsentatas omnino revalidavit, & in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenariè restituit, ac decrevit per executores, seu Judices prædictos, vel ab eis Subdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse, & debere juxta illarum formam.

Revocatio Unionum.

13. Item rationabilibus suadentibus causis ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes, & dismembrationes, etiam perpetuas, de quibusvis Cathedralibus, nec non aliis ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, & beneficiis ecclesiasticis, eorumve domibus, & prædiis, & locis per cessum, vel decessum aut aliam quamvis dimissionem, vel amissionem qualiacunque fuerint invicem, vel aliis Ecclesiis, [illegible] griis, & Mensis etiam Capitularibus, dignita[illegible] Personatibus, Officiis, Beneficiis, ac aliis Piis [illegible] Universitatibus etiam studiorum generalium, & Collegiis, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium, seu [illegible] nis, Monasteriis & beneficiis per eos obtentis quo[illegible] Apostolica, vel alia quavis, non tamen Con[illegible] auctoritate, nec non pro fundatione, [illegible] augmento, vel conservatione Collegio[illegible] & aliorum Piorum, & Religiosorum [illegible] ad [illegible] defensionem, & propagationem, bona[illegible] institutorum) factas, quæ suum [illegible] Ac quæcunque concessiones [illegible] Decernens irritum &c.

Res[illegible]

14. Item revocavit quascunque facultates Concessas quibusvis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, & Personis; nec non Apostolicæ Sedis Nunciis, ac fructuum, & proventuum Cameræ Ap. debitorum Collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super Matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, & ætatis defectibus, & de incompatibilibus beneficiis ecclesiasticis in simul retinendis, nec non de Notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, & alias à præmissis officia ipsorum Nunciorum & collectorum directè non concernentes, etiamsi in litteris desuper confectis sint clausuræ restitutoriæ, & derogatotiarum derogatoriæ, & aliæ efficaciores, quas pro expressis haberi voluit quoad omnia, in quibus facultates non sunt sortitæ effectum, etiamsi Nunciis eisdem, dictæ Sedis Legatis de Latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum, &c.

Revocatio facultatum conferendi beneficia reservata.

15. Item revocavit quascunque facultates, & litteras desuper confectas, per quas quicunque sui Prædecessores Romani Pontifices quibusvis personis ordinariam collationem, seu aliam dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum de jure, vel consuetudine habentibus, & quamvis etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, non tamen Cardinalatus honore fulgentibus quavis consideratione, vel intuitu etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis: ac irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis, concesserant ut quamdiu viverent, vel suis Ecclesiis seu Monasteriis præessent, aut ad aliud tempus de beneficiis Ecclesiasticis generaliter reservatis seu affectis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim spectantibus disponere liberè, & licitè valerent, aut etiam ad id per eosdem Prædecessores Vicarii perpetui, vel ad tempus constituti forent. Decernens irritum, & inane &c.

De Dictionibus numeralibus.

16. Item ut in Apostolicis litteris committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio, voluit, & ordinavit, quod dictiones numerales, quæ in dictis litteris ante Nonas, Idus, & Kalendas, immediatè poni consueverunt, per litteras, ac syllabas extensæ describantur, & illæ ex prædictis litteris, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad Bullariũ nullatenus mittantur.

De concurrentibus in data.

17. Item voluit, quod de concurrentibus in data ejusdem diei, super vacantibus, seu certo modo vacaturis beneficiis, illi, quibus gratiæ Motu proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias non habentibus, alias graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos priùs graduati, nec non colorato titulo possessores, non possessoribus, ac inter personas in Curia præsentes, absentibus ab ea, ac inter præsentes non beneficiati beneficiatis, & similiter absentes, cæteris paribus oriundus non oriundo, & Diœcesanus; in reliquis verò singuli, qui priùs Apostolicas desuper litteras eorum executoribus præsentaverint, [illegible] aliis in ipsorum de quibus agi contigerit, beneficiorum assecutione præferantur.

De non tollendo Jus quæsitum.

18. Item, ne per varias, quæ pro commissionibus, seu mandatis, & declarationibus habendis in causis plerumque fiunt suggestiones, [illegible] idem D. N. decrevit, & declaravit [illegible] fore, quod deinceps per quamcumque Signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel litteras Apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi Motu proprio, & ex certa scientia &c.

ac etiam ante motam litem à Sanctitate sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

Regula de Viginti.

19. Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia, sive extra illam aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit etiam vigore supplicationis; dum esset sanus signatæ, & posteà infrà viginti dies à die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium, quamvis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

De Idiomate.

20. Item voluit, quod si contingat tam in Curia, quam extra, alicui personæ de Parochiali Ecclesia, vel quovis alio beneficio exercitium curæ animarum Parochianorum quomodolibet habente, provideri: nisi ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi Ecclesia, vel beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu mandatum, & gratia desuper quoad Parochialem Ecclesiam, vel beneficium hujusmodi nullius sint roboris, vel momenti. Decernens irritum, &c.

De non impetrando Beneficium per obitum viventis.

21. Item si quis supplicaverit sibi de beneficio quocunque tanquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, & posteà per obitum ejus vacet: provisio, & quævis dispositio etiam vigore alterius novæ supplicationis, vel gratiæ dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuò faciendæ nullius sint roboris, vel momenti.

De unionibus, & unionum confirmatione.

22. Item voluit, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum annuum valorem secundum communem extimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, & semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest: Et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus, & applicationibus, etiam de quibuscunque fructibus, & bonis Ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi.

De Mendicantibus transferendis.

23. Item de Mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines transierint pro tempore, voluit Constitutionem fel. record. Martini Papæ V. Prædecessoris sui desuper factam, & in libro Cancellariæ Apostolicæ descriptam, quæ incipit, *Viam ambitiosæ cupiditatis &c.* firmiter observari.

De malè promotis.

24. Item de Clericis extra tempora à jure statuta, sive ante ætatem legitimam, aut absque Dimissoriis litteris ad Sacros Ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit Constitutionem piæ mem. Pii II. Similiter Prædecessoris sui desuper editam, & in d. Cancel. Apost. libros descriptam, quæ incipit: *Cum ex Sacrorum ordinum &c.* pari modo observari.

De Moneta.

25. Item declaravit idem D. N. quod libra Turonensium parvorum, & florenus auri de Camera pro æquali valore in concernentibus litteras & Cameram Ap. computari, & extimari debeant.

De Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

26. Item prædictus D. N. Papa voluit, decrevit, & ordinavit, quod quæcumque concessiones, gratiæ, & mandata etiam Motu proprio, & cum derogatione hujus Constitutionis, quæ ab eo pro quibusvis personis emanaverit de providendo eis de quibusvis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcumque ad Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, si hujusmodi concessiones, & mandata diem promotionis promovendorum ipsorum præcesserit: nec non quæcunque collationes, provisiones, & dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, & quibusvis aliis beneficiis Ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascumque Prælaturas, inter illarum vacationis, & hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis ubicumque resignari, vel alias dimitti contigerit cum inde sequutis pro tempore sint cassæ, & irritæ, nulliusque roboris, vel momenti.

De non judicando juxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.

27. Item cum ante confectionem litterarum gratia Apostolica sit informis, voluit, statuit, & ordinavit idem D. N. quod Judices in Romana Curia, & extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, causarum Palatii Apostolici Auditores, vel quicunque alii non juxta supplicationum signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta Curia duntaxat sint commissiones justitiam concernentes per Placet, vel per S. R. E. Vicecancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta litterarum super eisdem impetrationibus, & concessionibus confectarum tenores, & formas judicare debeant. Decernens irritum &c. Et si litteræ ipsæ per preoccupationem, vel alias minus benè expeditæ reperiantur ad illorum quorum interest instantiam; ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt per ejus Officiales, quibus hujusmodi tenores, & formas restringere convenit, ad formas debitas reducendæ.

De Regulis Cancellariæ producendis.

28. Item attendens D. N. Papa, quod super habendis de Cancellaria Apost. Regulis, & Constitutionibus inibi descriptis faciliter per eos, qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quod super earundem Regularum, & Constitutionum (quæ juxta varietatem concurrentium causarum, & negotiorum aliquoties immutari convenit) probando tenore, vel effectu testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium depositionibus stari deberet, voluit, statuit, ordinavit, quod deinceps quilibet ex Auditoribus causarum Palatii Apostolici, & aliis (etiamsi S. R. E. sint Cardinales) in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate Apostolica Judicibus, etiam in causis actu pendentibus super hujusmodi tenore, vel effectu probando duntaxat stet, fidemque adhibeat schedulæ, seu scripturæ desuper à duobus Majoris Præsidentiæ, quod danda sit à tergo signatæ, & etiam à duobus aliis litterarum Apostolicarum Abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, & Vicecancellarii, seu dictam Cancellariam Regentis manu subscriptæ, ut moris est; quidquid autem secus fieri contigerit, nullius sit roboris, vel momenti.

De Subrogandis Collitigantibus.

29. Item D. N. cupiens litium succidere anfractus, & ne novi collitigantibus adversarii dentur, providere, voluit, statuit, & ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis beneficio ecclesiastico collitigantem in jure, vel ad jus, si quod forsan ejus ad-

adversario in dicto beneficio competierit, subrogari contigerit (dummodo prædictus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum adversarium postquam illud per triennium pacificè possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso jure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit impetrationes etiam Motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi factæ nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominùs cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia illorum præsertim, quibus, aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum impetrant, ut illis decedentibus tanquam Collitigantes in eorum juribus facilius subrogentur; Voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus præmissis, vel similibus impetraverit aliquo modo subrogetur, ac subrogatio, vel gratia, si neutri, si nulli, seu Novæ provisionis, aut Perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragetur, quod etiam strictissimè observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem, & amotionem ex quibusvis criminibus, & excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad diffinitivam sententiam, quæ tamen in rem non transiverit judicatã, processum foret.

De verisimili notitia.

30. Item voluit, & ordinavit quod omnes gratiæ, quas de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura sæcularibus vel regularibus per obitum quarumcunque personarum vacantibus, in anteà fecerit, nullius roboris vel momenti sint, nisi post obitum, & ante Datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsæ de locis in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem S. D. N. verisimiliter potuerint pervenisse.

Non valeant Commissiones causarum, nisi Litteris expeditis.

31. Item quod omnes, & singulæ Commissiones causarum, quas in anteà fieri contigerit, obtentæ, vel occasione concessionum duntaxat Apostolicarum; de beneficiis Ecclesiasticis gratiarum, super quibus litteræ Apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi nullius sint roboris, vel momenti.

De impetrantibus beneficia per obitum familiarium Cardinalium.

32. Item voluit, quod impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicujus Cardinalis teneatur exprimere nomen, & titulum ipsius Cardinalis, ut si ille Curia fuerit, ipsius ad id accedat assensus, aliàs desuper gratia sit nulla, & idem servari voluit, si Cardinales quomodolibet ab ipsa Curia absentes, & ubilibet etiam in locis infra duas Dietas vicinis degentes, familiamque, & lares in eadem Curia retinentes ab ipsa Curia recesserint ad eamdem illico reversuri, & infra decem, vel ad summum quindecim dies verè, & personaliter reversi fuerint. Ita quod Cardinalibus alias quam, ut præfertur, ex quacunque causa quantumlibet necessaria & hic necessariò exprimenda absentibus facultas præstandi consensum hujusmodi, non competat, sed beneficia huiusmodi ad liberam Sanctitatis Suæ, & Sedis Apostolicæ provisionem, & dispositionem pertineat. Declarans Regulas, & Constitutiones suorum Prædecessorum, etiam à die earum editionis, & publicationis super assensu huiusmodi præstando sic intellectas, & intelligendas fuisse. Irritumque &c. attentari decernens. Quodque si prædicti familiares eorundem Cardinalium familiares esse desierint; seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transierint quoad beneficia, quæ familiaritate priori durante obtinuerint, & in quibus, vel ad quæ priori ipsa familiaritate durante ius eius eis competierit, Cardinales, quorum prius familiares fuerint suum habeant adhibere consensum. Declarans præsentem Constitutionem locum non habere in illis beneficiis quæ familiares ipsi, tempore obitus eorum in dicta Curia, vel extra eam obtinent aut antea obtinuissent, & ratione Officiorum per eos obtentorum dictæ dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuisse apparerent. Nec non illos quoad effectum dictæ Constitutionis familiares eorundem Cardinalium censeri, qui ipsorum Cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses, computato etiam tempore ante promotionem ad Cardinalatum, fuisse probarentur. Decernens irritum &c.

Super eadem familiaritate.

33. Item D. N. ad evitandas lites & contentiones, quæ ex præcedenti sua Constitutione exoriri possent vestigiis Prædecessorum suorum inhærendo; Voluit, statuit, & ordinavit, quod si beneficia, quæ per obitum familiarium, continuorum Commensalium eorundem Cardinalium, in futurum vacabunt, cessantibus Apostolicis reservationibus ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent; in dicta præcedenti Constitutione non comprehendantur, quoad hoc, ut in provisionibus talium beneficiorum super expeditione litterarum illius Cardinalis, cuius familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat. Sed beneficia huiusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem Cardinalis Ordinarii Collatoris, ut præfertur, liberè spectare censeantur. Et si apud Sedem Apostolicam beneficio huiusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint, tunc in provisione talium beneficiorum, super expeditione litterarum, illius Cardinalis exigatur consensus si in Romana Curia præsens fuerit, ad quem eorundem collatio, & dispositio ut præfertur pertinere deberet. Ita ut Cardinalis Ordinarius Collator, in concursu cum Cardinali Patrono semper præferri debeat, salvis tamen semper indultis concessis, & concedendis eisdem S. R. E. Cardinalibus. Decernens irritum.

Signatura per Fiat præferatur alteri per Concessum.

34. Item voluit idem D. N. quod concurrentibus eadem die super quocumque beneficio per Fiat, & Concessum signaturis, ex eis per Fiat etiam ut petitur habens alteri per Concessum etiam Motu proprio habenti præferatur etiamsi in illa per Concessum prægnantiores, & quantumlibet privilegiativæ essent clausulæ.

De Annali Possessore.

35. Item S. D. N. ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, & ordinavit, quod quicunque beneficium Ecclesiasticum tunc per annum immediatè præcedentem pacificè possessum, & quod certo modo vacare prætenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, & nobilitatem possessoris eiusdem, & quot annis ipse illud possederit, ac specificam, & determinatam, ex qua clarè poterit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio Jus competat, causam in huiusmodi impetratione exprimere, & infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium evocari facere, causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam inclusivè prosequi debeat, & teneatur. Alioquin impetratio prædicta, & quæcunque inde sequuta nullius existant firmitatis. Et idem impetrans de damnis, & interesse possessorem prædictum contingentibus ei satisfacere, & si possessorem ipsum injustè, frivolè, & indebitè molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus, nec alius quam præmissæ vacationis modus etiam per litteras si neutri, aut subrogationis alias sibi quoad hoc, ut beneficium huiusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudq; nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia Ecclesiastica cuiuscunq; qualitatis per privationem, & amotionem, vel alias propter commissa excessus, & crimina vacantia, vel vacatura, & similiter ad impetrantes beneficia tanquam vacantia per devolutionem.

De

De Triennali.

36. Item statuit, & ordinavit idem D. N. quod si quis quæcunque beneficia Ecclesiastica qualiacunque sint absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, Apostolica, vel Ordinaria collatione, aut electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possederit (dummodò in beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex reservatione generali in corpore Juris clausa reservata fuerint, se non intruserit) super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas, & inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.

De non appellando antè Sententiam diffinitivam.

37. Item idem D. N. ut finis litibus celeriùs imponatur, & litigantium parcatur sumptibus, & expensis, suorum Prædecessorum Constitutionibus & statutis inhærendo, statuit, & ordinavit, quod in causis pendentibus, & quas imposterum contigerit agitari, nulli ante diffinitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitivæ, vel à gravamine minime concernente negotium principale, quod non possit per appellationem à diffinitiva sententia reparari. Nullæque causæ appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quod interlocutoria vim diffinitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione à diffinitiva non valeat reparari. Alioquin appellationes, & commissiones imposterum, & quidquid inde sequutum fuerit, nullius sint roboris, vel momenti, commissionibus appellationum jam Judicibus præsentatis, & exhibitis in suo robore permansuris, in quibus latis super eisdem sententiis secundò, vel ulteriùs ab eis non liceat appellare. Appellantes verò, & appellationes etiam ab interlocutoriis, & gravaminibus hujusmodi suo vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, ultra expensas, & damna, ad quæ reficienda de iure condemnatus compellitur viginti florenorum auri pœna mulctetur.

Non stetur Commissioni post conclusionem.

38. Item statuit, & ordinavit, quod in Commissionibus de justitia, seu mandatis etiam Consistorialibus per eum, seu de ejus mandato, vel auctoritate in causis, in quibus conclusum existat, imposterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione hujusmodi implicite, vel explicite mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem hujusmodi Commissionis, eidem conclusioni, ac præsenti regulæ, derogetur expressè.

De litteris Religiosorum expediendis.

39. Idem voluit, & ordinavit, quod si aliqui Religiosi petunt aliquod Beneficium ad nutum amovibile cum clausula, quod exinde pro solo nutu Abbatis, vel Superioris amoveri non possint, litteræ quoad ipsam clausulam nullatenus expediantur nisi idem D. N. ponat in Signatura, quod non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

De clausula ponenda in litteris permutationis Beneficiorum.

40. Item si committatur alicui beneficii resignationis receptio, ponatur clausula; *Attento quoque provideas &c.* Et si ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula, *Quod neuter permutantium jus acquirat*, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.

De supplendis defectibus.

41. Voluit, quod si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus litteræ desuper concedantur, nisi in petitione desuper hujusmodi defectus exprimantur, vel per, *Fiat, ut petitur*, supplicatio signata fuerit.

De derogatione Jurispatronatus.

42. Item voluit, quod super quovis Beneficio Ecclesiastico de jurepatronatus laicorum non expediantur litteræ, nisi ponatur expressè, quod tale beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitime est devoluta, vel quia tempus Patronis laicis ad præsentandum à Jure præfixum lapsum existat, aut ad id Patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum Juripatronatus hujusmodi derogari contigerit, Jurispatronatus hujusmodi mentio, dispositive, ac specifice, & determinate, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat. Et si de hoc in litteris provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio, similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

De Commendis.

43. Item voluit, quod nulli sæculari de regulari, nec religioso de sæculari beneficiis Commenda detur, nisi in Signatura per clausulam ad partem super petitione Commendæ hujusmodi, de Commenda ipsa mentio fiat.

De Reformationibus.

44. Item voluit, statuit, & ordinavit, quod super quibuscunque Reformationibus signatis super impetrationibus quorumcunque beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod litteræ super prima Data expediri possint, si ex hujusmodi expeditione sub tali Data, cuiquam videatur posse fieri præjudicium, litteræ hujusmodi sub ipsa prima Data nullatenus expediantur, nisi Reformationes hujusmodi per Fiat sub prima Data signatæ fuerint.

De consensu in Resignationibus, & Pensionibus.

45. Item voluit, & ordinavit, quod super resignatione cujuscunque Beneficii Ecclesiastici, seu cessione Juris in eo, quam in manibus suis, vel in Cancellaria Apostolica fieri contigerit, Apostolicæ litteræ nullatenus expediantur, nisi Resignans, vel cedens, si præsens in Romana Curia fuerit personaliter, alioquin per Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eadem Cancellaria expressè consenserit, & juraverit, ut moris est. Et si ipsum Resignantem, seu Cedentem pluries super uno, & eodem beneficio in favorem diversarum personarum successive consentire contigerit. Voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus tenere debeat, & alii posteriores consensus, ac litteræ eorum prætextu etiam sub priori Data expeditæ pro tempore nullius sint roboris, vel momenti, nec litteræ reservationis, vel assignationis etiam Motu proprio cujusvis pensionis annuæ super alicujus beneficii fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc debebit.

In ingressu Religionis.

46. Item non dentur litteræ super beneficiis vacaturis per ingressum Religionis, nisi professio præcesserit Datam desuper petitionis.

Non valet impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

47. Item voluit, quod si petatur aliquod beneficium

,, va-

vacans per modum in Cancellaria Apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec litteræ desuper expediantur.

De executione facienda.

48. Item voluit, statuit, & ordinavit, quod quotiescunque per Signaturam suam, vel de ejus mandato factam, super exequendis aliquibus, cum adjectione proprii nominis, vel Dignitatis cujusvis, Judex datur, litteræ desuper expediantur cum expressione, quod idem Judex executionem faciat per seipsum.

De dispensationibus in gradibus Consanguinitatis.

49. Voluit, quod in litteris dispensationum super aliquo gradu Consanguinitatis, vel Affinitatis, aut alias prohibito, ponatur clausula, *Si mulier rapta non fuerit*. Et si scienter, ponatur clausula addita in quaterno.

Super defectu Natalium.

50. Voluit, quod in dispensationibus super defectu Natalium, quod possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula, *Quod non præjudicetur illis*, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat.

Super Dispensationibus.

51. Item, quod per quamcunque Signaturam in quavis gratia, nullatenus dispensatio veniat, nisi specialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur.

Nulli suffragetur dispensatio, nisi litteris confectis.

52. Item, cùm concessiones super gratiis Dispensationum quarumcumque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per Regulas Cancellariæ Apostolicæ sint provide limitatæ, licet aliquando in petitionibus super hujusmodi concessionibus oblatis, multa sint petita, ne quis talium concessionum prætextu, id dispensative tenere, aut facere præsumat, ad quod concessiones hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N. quod nulla talis dispensatio cuipiam in Judicio, vel extrà suffragetur, antequam super ea litteræ Apostolicæ sint confectæ.

De clausulis ponendis in litteris Indulgentiarum.

53. Item voluit, quod in litteris Indulgentiarum ponatur, quod si Ecclesiæ, vel Capellæ, aut alias aliqua Indulgentia fuerit concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit hujusmodi litteræ sint nullæ.

De Indulgentiis concessis ad instar.

54. Item voluit idem D. N. quod litteræ super Indulgentiis non expediantur ad Instar nisi specificentur.

De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus.

55. Item voluit, quod in gratiis, quas quibusvis personis, de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum, vel concessum, aut mandatum provideri, verus annuus valor per Marchas argenti, aut Sterligorum, vel libras Turonen. Parvorum, seu florenos auri, aut ducatos vel uncias auri, seu alia moneta secundùm communem extimationem exprimatur, nisi personæ prædictæ beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus eis competit, juxta ipsarum oblationes, aut alias dimittere teneantur, alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ; Et idem servetur in gratiis, quas à Sanctitate Sua Motu proprio emanare contigerit, quoad beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut alias disponitur, ac litteris per quas pro tempore ad Ecclesiarum Patriarchalium, & Cathedralium, ac Monasteriorum regimina promotis conceditur, ut Monasteria, & alia beneficia Ecclesiastica sæcularia, & regularia per eos obtenta, & in quibus, & ad quæ jus eis competit, retinere possint.

De clausulis in beneficiis vacantibus ponendis.

56. Voluit, & ordinavit, quod quando providet, seu mandat provideri alicui de beneficio Ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulæ si petantur, etiamsi illud quovis modo &c seu per Constitutionem *Execrabilis* vacet, & specialiter reservatum inter aliquos litigiosum sit, & ejus collatio devoluta fuerit, & si pro collitigante, vel subrogationem, aut *Si neutri*, vel *Si nulli &c.* petente, si tunc lis specifice exprimatur, nec detur aliqua generalis reservatio dispositive, nisi desuper in concessione speciali, & expressa, ac pure, & non sub conditione mentio fiat, & tunc reliquæ reservationes ibi contentæ veniant. Si verò tempore expeditionis inde litterarum generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut in Novis provisionibus, seu pro collitigantibus, *Si neutri*, vel *Si nulli &c.* sit expressum, quod ab aliquibus asseritur illum, cujus beneficium conceditur, Collectorem, vel unicum Subcollectorem, Abbreviatorem, vel familiarem, Notarium, aut dictæ Sedis Officialem fuisse; clausula ponatur etiamsi dictum beneficium ex eo quod talis Collector, vel unicus Collector, Abbreviator, vel familiaris, Notarius, aut dictæ Sedis Officialis fuit, dispositioni Apostolicæ generaliter reservatum existat. Dummodo non sit in eo alicui specialiter jus quæsitum. In reliquis verò nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex Fiat, signata sit, aut reservatio, vel alias specialiter habeatur.

De expressione qualitatum Beneficiorum in impetrationibus.

57. Item voluit, quod super beneficiis Ecclesiasticis de qualitatibus illorum, videlicet, an Dignitates, Personatus, vel Officia sint, eisque immineat cura animarum, & ad illa consueverint qui per electionem assumi mentio fiat, alias gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitates hujusmodi affirmative, vel conditionaliter non exprimantur, negativa expresse desuper fiat in beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere.

De Beneficiis vacantibus per contractum Matrimonii.

58. Item si reservetur beneficium per contractum Matrimonii, non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum, nisi sequatur matrimonium, sed in beneficiis per promotionem, aut ingressum Religionis, vel assecutionem vacaturis, ponatur clausula etiamsi non petatur, cùm beneficia hujusmodi præmisso, vel alias quovis modo &c. præterquam per obitum obtinentis vacare contigerit, etiamsi vacent. Decernens irritum &c.

De clausulis ponendis in litteris Religiosorum.

59. Item voluit, quod si petatur aliquem in Religionem recipi, & sibi de quovis beneficio Ecclesiastico provideri per simplicem signaturam Fiat, receptio hujusmodi duntaxat detur, adjecto, si petens idoneus sit, aut aliud canonicum non obsistat, & exprimatur si certus numerus Regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur, & si numerus iste non existat, ponatur. Dummodo receptionis locus hujusmodi nimium propterea non gravetur. Sintque Executores provisionis hujusmodi, ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno, procedere.

De translatione Religiosorum.

60. Item, si Regularis petat sibi de beneficio ab aliquo Monasterio, vel alio regulari loco dependente, provideri, & appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius Monasterii, vel loci Religiosus sit, licet ibi translatio non petatur, nihilominùs illa veniat.

De clausula, si est ita.

61. Item, quod in litteris super beneficiis per Constitutionem *Execrabilis*, vacantibus ponatur clausula, *Si est ita*, similiter de quibuscunque narratis informationem facti requirentibus.

Petenti provideri de vacaturo, dentur litteræ de vacanti.

62. Item petenti sibi provideri de Vacaturo, dentur litteræ de vacanti, prout expedierit impetranti.

Revocatio Decimarum, & aliarum impositionum.

63. Item revocavit quascunque Decimarum, nec non subsidiorum, vigesimæ, & aliorum onerum impositiones ex quavis causa emanatas, & quascunque facultates super Decimarum, vigesimæ, & onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus, & Apostolicæ Sedis Nunciis ab eisdem Prædecessoribus concessas: Suspendit quoque, ad Suæ Sanctitatis, & Sedis Apostolicæ beneplacitum quascunque plenarias Indulgentias ab eisdem Prædecessoribus ex quavis causa etiam expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ fidei Hostes, si quæ per Nuncios, vel quæstores deferebantur, nec non deputandi, & eligendi Confessores, qui plenariè absolvant, & alia faciant, ad earundem Indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates, ipsas indulgentias quomodolibet concernentes, præterquam quoad ea, in quibus Indulgentiæ, & facultates in aliqua sui parte sint sortitæ effectum. Ita ut illis, qui implentes injuncta eis in litteris Indulgentiarum hujusmodi jam consequuti sunt facultatem eligendi Confessores, qui absolvant eos plenariè in mortis articulo; per hujusmodi suspensionem non præjudicetur, quin facultate ipsa uti possint in futurum. Decrevit quoque irritum, & inane, quidquid facultatum revocatarum earundem prætextu, imposterum contigerit attentari.

Revocatio facultatum percipiendi pretium Officiorum.

64. Item revocavit, cassavit, & annullavit, ac irritas declaravit quascunque facultate percipiendi pretium Officiorum Romanæ Curiæ pro tempore vacantium in toto, vel in parte, & quasvis concessiones, & collationes, aliasque dispositiones per fel. recor. Innocentium XII. aliosque Prædecessores de dictis Officiis etiam ex die collationum, concessionum, & dispositionum earumdem in anteà vacaturis; in favorem quarumcunque personarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, piorum locorum, Collegiorum, seu eorum Mensarum, etiam [illegible], etiam in vim contractus, & ex titulo oneroso [illegible] sub quavis alia verborum forma, quam, & præmissorum [illegible] tenores pro expressis haberi voluit, concessas, & [illegible] quoad Officia, quæ post obitum dictorum Prædecessorum, vacarunt, & imposterum quomolibet vacabunt. Item revocavit quoque, cassavit, & annullavit ac irritas declaravit quascumque Infeudationes, Investituras, Gra[illegible] Concessiones quoquomodo etiam in Emphiteusim, ad tempus, seu in perpetuum, etiam Motu proprio, & de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis de[illegible] (extra tamen Consistorium, & sine S. R. E. Cardinalium Consilio, & consensu) à dicta Constitutione fel. recor. Pii V. PP. Prædecessoris sui super prohibitione alienandi & infeudandi Civitates & loca S. R. E. [illegible] Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto Kal. Aprilis, Pontificatus sui anno secundo usque in præsentem diem, per quoscunque Romanos Pontifices suos Prædecessores, aut mandato, vel auctoritate eorum, quomodocunque, vel qualitercumque, & quovis colore factas, & concessas de Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis S. R. E. & Sanctæ Sedi Apostolicæ, & tam mediate, quam immediate subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum Infeudationum, investiturarum, gratiarum, & concessionum nondum devolutis, nec non quascumque prorogationes, & extensiones quarumcumque infeudationum, investiturarum, gratiarum, & concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis, tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum, & extensionum nondum finitarum quibusvis personis, cujuscunque gradus, status, & conditionis, & præeminentiæ, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, aut alia quavis præfulgeant Dignitate, etiam in vim contractus, & ex quocunque titulo etiam oneroso, & per quascumque tam sub plumbo quam in forma Brevis sub annulo Piscatoris, aut etiam alias quomodocunque, & qualitercumque expeditas litteras, ac sub quavis verborum forma, quam, & præmissorum omnium tenores, Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, latissime extendendos.

Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore clausulæ.

65. Item, cùm nonnulli in impetrationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium, & certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus &c. certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquam obtineant à Sanctitate Sua, ut hujusmodi valorem annuum augere possint, ut verius possit in confectione litterarum, super hujusmodi impetrationibus summa, aut valor annuus exprimi aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis imposterum hæsitari contingat, Declaravit prætextu concessionis hujusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, & in prima, quæ desuper fiet litterarum expeditione duntaxat augeri posse, & eas quas litteris jam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento prædicto, denuò super expediri contigerit litteras, cum aliquo augmento valoris hujusmodi, nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi Motu proprio, beneficiales gratiæ, & dispositiones quæcunque, à Sanctitate Sua emanaverint.

De insordescentibus.

66. Item, ne personis, pro quibus litteræ Suæ Sanctitatis emanabunt ob generalem absolutionem à censuris Ecclesiasticis, quibus ligati forent ad eorum effectum indifferenter concedi & in litteris Apostolicis apponi solita, præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & insordescendi in illis, statuit, & ordinavit hujusmodi absolutionem, & clausulam in litteris, quas in futurum cum illa concedi continget, non suffragari non parentibus rei judicatæ, Incendiariis, Violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus litteras, & supplicationes Apostolicas, & illis utentibus, receptatoribus, & fautoribus eorum, ac res vetitas ad Infideles deferentibus, violatoribus Ecclesiasticæ libertatis, via facti ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuncios, vel Executores Apostolicæ Sedis, & ejus Officialium, ejus commissa exequentes impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint. Et generaliter quibuscunque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quam ut præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorduerint.

Officiales nihil exigant ultra debitum.

67. Item D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per Officiales

les Romanæ Curiæ, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio Officiorum, quæ obtinent, non contenti, ultra à prosequentibus negotiorum quorumdam expeditionem in eadem Curia exigere non verentur, obviare volens, districte præcipiendo inhibuit omnibus, & singulis quævis Officia in eadem Curia obtinentibus, ne de cætero quicquam prætextu Officiorum, quæ obtinent, quovis colore etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quæ eis incumbunt, malitiose differre, sub excommunicationis, & præter illam suspensionis à perceptione emolumentorum hujusmodi pro prima ad semestre, & pro secunda ad annum & pro tertia vicibus, quibus si excederent, privationis Officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint pœnis. Ac voluit, quod Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicancellarius, & Camerarius, excedentes ipsos respective, prout eis subsunt per subtractionem emolumentorum eorumdem, ac alias, ut præfertur compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contra eos per prædictas pœnas, & alias, prout melius expedire viderint, procedant.

Reservatio Beneficiorum vacantium Sede Apostolica vacante.

68. Item Sanctissimus D. N. provide considerans consuevisse quandoque Romanos Pontifices prædecessores suos beneficia, quæ vacante Sede Apostolica vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de beneficiis hujusmodi, tam Conclavistis, quam pauperibus Clericis, & aliis bene meritis personis providere, omnia, & singula beneficia per Regulas Cancellariæ Apostolicæ, aut quaslibet alias Apostolicas Constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, & ex quavis causa reservari solita, quæ à die obitus fel. rec. Innocentii XII. Prædecessoris sui, usque ad diem vigesima tertiam Novembris vacaverunt, & de quibus per quoscunque Ordinarios Collatores, tunc dispositum non fuerat, seu minus valide dispositum fuerat, suæ provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum, &c.

Revocatio Indultorum supervenientiæ.

69. Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit Prædecessores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum, vel diversis aliis prætextibus concessisse, & indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus [illegible] elocare, vel erga Creditores, aut quascunque [illegible] obligare, vel hypothecare, insolutum [illegible] quomodolibet de eis disponere licere [illegible] minimè restrictum, ad vitam supplicantium [illegible] successorum præjudicio, & Ecclesiarum detrimento: Ideo indemnitati Ecclesiarum, & successorum in beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens revocavit, cassavit, & annullavit omnia & singula indulta, & facultates in ea parte, qua needum vere, & realiter suum sortita sunt effectum, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores suos hactenus, ad favorem quarumcunque personarum concessas, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, & ex quavis causa, vel prætextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque quorumlibet beneficiorum per os obtentorum anticipatis solutionibus, ultra unicum annum elocare, arrendare, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcunque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, insolutum dare aut de eis quomodolibet, & ex quavis causa disponere pro tempore, ad vitam Beneficiatorum, & tempus, quo beneficia hujusmodi obtinuerint minime restricto, & coarctato illorum tenores &c. Decernens irritum, &c.

Quod Cardinales non comprehendantur sub Regulis faciendis.

70. Item, cùm S. R. E. Cardinales S. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prærogativis, & privilegiis gaudere, Idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, & declaravit, quod in quibuscumque Constitutionibus, & Regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur, neque comprehensi censeantur ipsi Cardinales, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel constitutiones edendæ de eorumdem Cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editæ fuerint, seu in eisdem Regulis, & Constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium expressa mentio.

Quod Regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus.

71. Item Sanctitas Sua statuit, & declaravit, quod præmissis, & quibusvis aliis Regulis Cancellariæ suo tempore edendis, ac publicandis, nunquam censeatur derogatum, in quibuscunque Constitutionibus, Litteris, Brevibus, Indultis, & aliis Ordinationibus Apostolicis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia emanatis, per quæcumque verba, & Decreta derogatoria, irritantia universalia, & amplissima, & clausulas quarumvis efficacissimas etiam derogatoriarum derogatorias, atque specialis, & individuæ expressionis vim habentes, & habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio, & non aliter, nec alio modo.

De potestate Reverendissimi Domini Vicecancellarii, & Cancellariam Regentis.

72. Primò, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in litteris Apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

Item, quod possit corrigere nomina, & cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratiæ, & concessiones fiunt, ac Beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

Item, quod possit omnes causas Beneficiales, etiam non devolutas committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

Item, quod processus Apostolica authoritate Decretos aggravare possit cum invocatione brachii sæcularis; & sententias executionis demandari facere contra intrusos, & intrudendos per litteras Apostolicas desuper conficiendas, & non alias.

Item, quod possit signare supplicationes manibus duorum Referendariorum signatas, de beneficiis Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus dispositioni Apost. generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonen. parvorum, seu totidem in alia moneta juxta communem æstimationem, valorem annuum non excedat.

Item, quod possit signare supplicationes etiam duorum Referendariorum manibus signatas de novis provisionibus, si neutri, & Subrogationibus pro collitigantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item, quod possit ad Ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis Ordinibus, usque ad proxima [illegible] tempore in quibus sic arctati successive ad ipsos Ordines promoveantur.

Placet, Publicentur, & Describantur I. F.

Lectæ, & publicatæ fuerunt suprascriptæ Regulæ, Ordinationes, & Constitutiones in Cancellaria Apostolica ab uno ex RR. PP. DD. Majoris Præsidentiæ Abbreviatoribus Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo, die verò decima quarta mensis Decembris Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Nostri CLEMENTIS XI. Anno Primo.

Joseph Maria Mimcettus Precustos.

§. XVII.

Solvuntur varia Dubia circa Regulas Cancellariæ: ubi & de Intrusis in Beneficio.

SUMMARIUM.

489 *Regulæ Cancellariæ, an, & qualiter in judicio sint producendæ?*
490 *Sententia lata Regulis non productis subsistit, quando pars adversa non excepit contra hoc.*
Quando Judex facit actum, qui potest esse præjudicialis parti, debet pars expresse contradicere: alias sibi præjudicat. Ibid.
491 *Regula 28.* De Regulis Cancellariæ producendis, *non procedit in illis, quæ aliunde sunt notæ, saltem loquendo extra Curiam Romanam.*
492 *Utrum per clausulam generalem,* Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, *derogetur Regulis Cancellariæ? Et ratio dubitandi.*
493 *Negativa sententia tenetur.*
494 *Estque de facto certa.*
495 *Qualiter juxta Regulam 9. Cancellariæ initium mensium sit computandum?*
Et num. seqq.
Mensis, quot dies contineat?
496 *Mensis Apostolicus, v. g. Januarii, incipit à media nocte primi diei, & terminatur in media nocte ultimi diei &c.*
497 *Hora obitus prioris possessoris beneficii bene est notanda, quando vacatio beneficii incidit in ultimam noctem mensis.*
498 & 499 *Quid agendum, quando obitus beneficiarii contigit circa ipsam mediam noctem ultimi diei mensis?*
500 *Si omnibus frustra tentatis non apparet, an beneficiatus obierit in mense Pontificio, vel Ordinario, tunc manente in possessionem beneficii existente, præsumendum est pro favore Collatoris Ordinarii.*
501 *Respondetur ad jura in contrarium allegata.*
502 *Istud à fortiori procedit, quando Collator ordinarius jam contulit beneficium vacans, hujusque possessionem provisus acquisivit.*
503 *Si Papa prius contulit beneficium, & provisus in hujus possessionem inductus fuit. Collatore ordinario postea primum id præstante, variant Doctores, cui beneficium sit adjudicandum.*
Et num seqq.
Prima sententia stat pro possessore, & contra Actorem. Ib.
504 *Altera stat pro collatione Papali.*
505 *Et tertia, cæterisque probabilior, pro collatione Ordinarii.*
506 & 507 *Solvuntur rationes aliarum sententiarum.*
508 *Beneficium vacans in mense Ordinarii, an possit conferri durante illius vacatura in Mense Pontificio?*
Et ratio dubitandi.
509 *Affirmativa sententia probatur.*
Et num. seqq.
510 *Ad inducendum reservationem beneficii, attenditur solum initium vacationis; non vero tempus, quo duravit.*
511 *Intrusus in beneficio, quis censentur?*
Et num. seqq.
De intrusis in beneficio, quæ regulæ Cancellariæ tractent? Ibid.
512 *Intrusus in beneficio, potest quis dici variis modis.*
513 *Generaliter loquendo, intrusus in beneficio dicitur, qui obtinet beneficium Ecclesiasticum sine authoritate illius, ad quem de jure spectat collatio. Et n. seqq.*
Et talis potest excommunicari. Ibid.
514 *Sive beneficio sese ingerat propria authoritate.*
515 *Sive id occupet authoritate Principis sæcularis, vel consanguineorum &c.*
516 *Qualis etiam subjacet pœnæ suspensionis, & excommunicationis &c. fitque ineligibilis.*
517 *Intrusus vel maximè censetur, qui beneficium vi occupat. Imò talis etiam dicitur* Invasor. *Ibid.*
518 *Intrusi in beneficio generaliter censentur omnes illi, qui recipiunt beneficium absque ullo titulo vero, vel colorato.*
Et num. seqq.
Puta, quia receperunt beneficium contra claram Constitutionem Concilii Generalis. Ibid.
519 *Vel à Superiore publice excommunicato, suspenso &c. Schismatico.*
Aut contra tenorem Concordatorum Germaniæ. Ibid.
520 *Item, qui scienter recipiunt beneficium alteri injuste ablatum &c.*
521 *Et qui beneficium retinent, postquam ab isto canonice amoti sunt per privationis, vel depositionis sententiam, à qua non appellarunt.*
522 *Dantur nonnulli casus, in quibus quis potest dici large* intrusus. *Et nu. seqq.*
523 *Qui commisit crimen dignum depositione an censeatur intrusus?*
524 *Intrusus dicitur, qui post electionem, sed ante confirmationem (extra casus à Jure permissos) beneficium administrare præsumpsit.*
525 *Et multò magis, qui sine electione canonica ingerit se beneficio.*
526 *Quoad effectum Regulæ 36 & 29 Cancellariæ, solummodo veniunt veri, & proprie intrusi.*
527 *Intrusio in beneficio, inter cæteros effectus, constituit Clericum scienter intrusum malæ fidei possessorem: adeoque iste tenetur cedere, fructusque illius restituere.*
528 *Et hujus ratio.*
529 *Alius intrusionis effectus est, quod in impetratione Rescripti ad beneficia debeat fieri mentio de præcedenti intrusione &c.*
530 *Istud tamen à nonnullis limitatur.*
531 *Ulterior illius effectus est, quod confirmatio Sedis Apostolicæ in forma communi, non purget vitium intrusionis in receptione beneficii commissum: secùs dicendum de confirmatione in forma speciali.*
532 *An valeat rescriptum tacita intrusione obtentum ad beneficium sub clausula, Motu proprio?*
533 *Alia Regulas Cancellariæ concernentia.*
Remissivè.

QUæritur I. An, & qualiter in judicio producendæ 489
sint Regulæ Cancellariæ? Resp. I. De hoc disponitur per proxime relatam Regulam 28. *De Regulis Cancellariæ producendis*, inscriptam. Quia enim juxta varietatem concurrentium causarum, & negotiorum aliquoties immutari convenit Regulas Cancellariæ: hinc super probando earum tenore jubet Pontifex, non esse standum dictis testium, utpote tenacem desuper memoriam plerumque non habentium: sed voluit, atque ordinavit, ut Judices in ipsa Curia authoritate Apostolica deputati, super hujusmodi tenore, & effectu probando duntaxat stent, fidemque adhibeant schedulæ, seu scripturæ, ad prævium indigentium supplicationem à duobus Majoris Præsidentiæ dandæ, & à tergo signatæ, & etiam à duobus aliis Litterarum Apostolicarum Abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, & Vicecancellarii manu subscriptæ. *Quidquid autem secùs fieri contigerit, nullius sit roboris, vel momenti*, inquit Pontifex in citata Regula 28. prout patebit eam legenti.

Resp. II. His tamen non obstantibus, sententia lata 490
Regulis non productis in forma præscripta subsistit, quando pars adversa non excepit contra hoc. Ita Joan. à Cokier *in reg. 26. (nunc 28.) Cancellariæ*, quæ inscribitur, *De Regulis Cancellariæ producendis*, *n.* 18. allegans plerosque omnes in dictam Regulam scribentes; atque Stylum Curiæ Romanæ, requirentem pro inducenda nullitate gestorum, quod excipiatur de Regula non legitime producta. Accedit ratio: quia Decretum illud irritans, in fine citatæ Regulæ appositum, habet tacitam conditionem; videlicet, si is, cujus favorem respicit, eadem uti voluerit, *arg. l. Et eleganter §. 1.* juncta Glossa *V. Nullam ff. de Dolo malo*. Quoties enim Judex facit actum, qui potest esse præjudicialis parti, debet pars expresse contradicere: alias sibi præjudicat, *arg. L. 1. C. de relationib.* ac notat Bartolus *Ibid. V. Ultimò nota*. Nam tacendo, juri suo tacitè renunciat, atque in actum Judicis consentire videtur; ut *cap. 2. de Accusationibus in 6.* ubi Glossa *vers. reclamante*, illud ulteriùs probat ex Reg. 43. Jur. in 6. *Qui tacet, consentire videtur.*

Addit Cokier *loc. cit. n. 20.* post Alphonsum *in Glossemat. cit. reg. n.* 8. quod prædicta Regula 28. *De regulis Can-* 491
cel-

cellariæ producendis inscripta, non procedat in illis Cancellariæ Regulis, quæ aliunde sunt notæ, & usitatæ, quæque vel per Practicos, vel per Codices Regularum in Urbe impressos comprobari possunt: saltem loquendo extra Curiam Romanam, seu in aliis Tribunalibus Orbis. Nam dicta Regula 28 seu *De regulis Cancellariæ producendis* inscripta, loquitur expresse *de Auditoribus causarum Palatii Apostolici, & aliis in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate Apostolica Judicibus*, uti patet ex textu. Simulque eadem Regula pro sua ratione istam allegat; Quia *faciliter per eos, qui in romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest*. Hæc enim ratio cessat in Tribunalibus extra Urbem existentibus, utpote in quibus non nisi difficulter, & majoribus cum sumptibus propter locorum distantiam, talis authentica productio Regulæ haberi poterit. Et hinc Placitum extat supremæ Curiæ Sabaudiæ, quo definitum fuit sufficere Regulas Cancellariæ allegare, licèt non proferantur sub plumbo: prout notat Cokier, *ubi suprà*, post Anton. Fabium *lib. 4. Definit. Forens. defin. 15.*

492 Quæritur II. Utrùm per clausulam generalem, *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, Apostolicis*, censeatur derogatum Regulis Cancellariæ? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi, est: quia Regulæ Cancellariæ appellantur *Ordinationes & Constitutiones* Apostolicæ, prout liquet ex earumdem Rubrica, & Proœmio: ergo pariter sub generali Constitutionum, & Ordinationum Apostolicarum derogatione videntur venire. Verùm his non obstantibus

493 Resp. I. Sub clausula illa generali, *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis*, Regularum Cancellariæ Constitutiones non comprehenduntur; neque istis censentur derogatum, nisi de his specialiter mentio fiat. Ita Ludov. Gomez, seu Gomezius *in Proœm. regular. Cancell. quæst. 5.* asserens; ita tenere stylum Cancellariæ, & Curiæ Romanæ, qui in hoc casu pro Lege habetur, ipsique standum est, *arg. c. Quam gravi 6. de Crimine falsi*, cum similibus. Atque pro hac sententia per eundem Gomezium allegatur Rota *in una Zamorens. Thesaurariæ, de mense Novembri 1533. coram Rev. Domino Nicolao Aragonia & in alia Romana, Pecuniaria, coram D. Joanne Paulo, decis. 20. Novembr.* 1536. In quibus Domini de Rota voluerunt, per ejusmodi clausulam non fuisse derogatum Regulæ Cancellariæ, *De exprimendo valore*: neque Regulæ 35. (nunc 37.) *De non appellando ante sententiam diffinitivam*.

494 Atque hæc sententia de factò est certa; & expresse decisa per modernam, ac superiùs jam relatam regulam 71. Cancellariæ, *Quod regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus* inscriptam: quæ tamen primùm addita fuit, neque reperitur inter Regulas Cancellariæ Urbani VIII. (relatas *Tom. IV. Bullarii romani, Constit. 7. dicti Pontificis*) aut alias antiquiores. Accedit ratio: quia Regulæ Cancellariæ continent clausulam derogatoriam voluntatis sequentis actus in contrarium; uti liquet ex earumdem Proœmio, ibi: *Et suo tempore duraturas observari voluit*: & post Petrum de Ancharano *in consil. 297. in princip.* notat Gomezius *loc. cit.* Atqui stante tali clausula non sufficit generalis, sed requiritur specialis derogatio, *arg. l. Si quis in principio ff. de Legat.* 3. & notat Bartolus *ibid. circa init.* Eò quòd clausula derogatoria voluntatis sequentis actus, habeat vim cujusdam protestationis præambulæ: qualis protestatio declarat, in sequenti actu voluntatem deesse, nisi expressa revocatio fiat; ut *l. At si quis §. Plerique ff. de religios. & sumpt. funer.* cum similibus, & ampliùs declarat Gomez, *ubi suprà*.

495 Quæritur III. Qualiter juxta *regul. 9. Cancell.* initium mensium sit computandum, præsertim incidente vacatione Beneficii in noctem ultimam mensis? Resp. I. Juxta prædictam Regulam Cancellariæ fit computatio mensium, prout isti collocantur, & jacent in vulgato Calendario per totum annum; sive dein mensis habeat triginta dies, sive plures, aut pauciores. Ita Glossa *in c. quam sit, V. Mensem de Elect. in 6.* Rebuffus *in concordatis Franciæ, tit. de Collationibus §. Præfatique V. Sequentibus mensibus*. Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 11 n. 7.* citans alios. Nec immeritò: quia licet alioquin, cùm absolute fit mentio mensis, intelligatur triginta spatium dierum, *L. ult. §. Sin autem dubius* juncto *§. Simili modo C. de Jure deliberand. & l. Si venditor* juncta *l. Ædiles ajunt ff. de Ædilit. edict.* Vel saltem *ubi Lex duorum mensium fecit mentionem, & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus sit*, juxta textum expressum in *l. Ubi lex ff. de reg. jur.* Nihilominùs istæ computationes dierum mensis impræsentiarum locum habere nequeunt, eò quòd Pontifex in memorata Regula nona Cancellariæ sibi reservaverit Beneficia vacantia nominatim in *singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, &c. mensibus*. ¶ Vel respectu Episcoporum apud Ecclesias suas personaliter residentium, beneficia vacantia in mensibus *Januarii, Martii, Maii, Julii, Septemb. & Novemb.* qui sex menses etiam in Concordatis Germaniæ collationi Papæ reservantur.

496 Itaque mensis Apostolicus, v. g. Januarii, incipit à media nocte primi diei hujus mensis, & terminatur in media nocte ultimi diei ejusdem mensis: sic enim primus dies memorati mensis Januarii more Romano incipit, ac definit ultimus, *l. More ff. de Feriis, & c. Consuluit. 24. de Offic. deleg.* Post mediam verò noctem ultimi diei dicti mensis incipit Februarius, qui (quoad Episcopos residentes, & Concordata Germaniæ) est mensis Ordinarii, ac proinde si beneficium primùm incipit vacare post mediam noctem ultimi diei ejusdem mensis Januarii, beneficiario tunc primùm defuncto, collatio ejus pertinebit ad Collatorem ordinarium: si verò vacaverit ante mediam illam noctem, spectabit collatio ad Papam, Garcias *par. 5. de Beneficiis cap. 1. n.* 523. citans Rotam *in una Aversana Parochialis 12. Martii 1562. coram Oradino* Barbosa *par. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 57. n.* 183. Gonzalez, *ubi suprà n. 9. & seqq.* citans alios Card. de Luca *discurs. 15. de Beneficiis n. 2. 3. & 4.* asserens, hoc esse receptum.

497 Unde in tali casu incidente vacatione beneficii in ultimam noctem mensis, bene notanda erit hora obitus prioris possessoris beneficii, testesque de ea, priusquam conferatur beneficium tunc vacans, exactè interrogandi, quam etiam horam consultè Notarius in ipso instrumento desuper confecto annotabit, ut sic evitetur omnis controversia super tempore vacationis, an videlicet contigerit in mense Apostolico, vel Ordinario. Gonzalez *cit. Gloss. 11. n. 10. & 11.* Garcias *par. 5. de Benefic. cap. 1. nu.* 512. Barbosa *cit. n.* 183.

498 Resp. II. In casu obitus Beneficiarii circa ipsam mediam noctem ultimi diei mensis, & ad dignoscendum, an is acciderit in mense Pontificio, vel Ordinario, imprimis attendere oportebit ad pulsum horologii, cæteroquin justi, si extet in loco: nam, ubi cœperit sonare horam duodecimam noctis, etiam ante finitos pulsus illius horæ, censetur media nox expleta. Garcias *cit. par. 5. c. 1. nu.* 524. Castro Palao *tract. 13. de beneficiis disput. 2. punct. 22. §. 2. n. 1.* & alii. Quod si in loco adsint plura horologia, standum erit horologio principali, veluti minùs suspecto; aut si plura adsint non suspecta, pulsui plurium horologiorum concordantium. Card. de Luca *de beneficiis discurs. 15. n. 1. & 7. ac seqq.* talem casum referens. Castropalao *loc. cit. §. 2. n. 1.* argumento desumpto à testibus, quibus numero pluribus, dignioribus, & magis verisimilia deponentibus, standum est, *c. In nostra 32. de Testib.* junctis concordantiis per Glossam *fin. ibid.* allegatis. Quamvis nonnulli apud Garciam *loc. cit. nu.* 525. arbitrentur, in hujusmodi casu standum esse horologio cæteroquin non suspecto, quod propitium est favori causæ piæ.

499 Resp. III. Quod si in loco non fuerit horologium, aut si probetur non fuisse bene ordinatum, vel saltem non sit auditum, tunc media nox dimetienda erit juxta prudens judicium hominum, præsertim habentium experientiam, & cognitionem circa hoc. Ita Garcias *d. par. 5. c. 1. nu.* 526. Gonzalez *cit. Gloss. 11. n. 16. 17. & seq.* ubi longius examinat quæstionem illam, utrùm ex gallicinio rectè probetur, mediam noctem esse elapsam (prout tenuit Rota *in una Aversana Parochial 12. Martii 1562. coram Oradino*) nec ne; cum galli etiam nocte ingrediente, ipsaque media nocte, seriùs aut citiùs, pro diversitate Regionum, ac temporis, cantare audiantur, etsi à media nocte in diem vergente frequentius cantare soleant: & tandem *n.* 25. arbitrio Judicis relinquendum censet, quantum huic gallicinio, pensatis circumstantiis, ac testium rationibus, aliisque verisimilitudinibus deferendum sit; prout in simili habetur *L. 3. § Tu magis ff. de Testib. & c. In præsentia 6. de renunciat.*

Resp.

500 Resp. IV. Quando istis omnibus frustra tentatis (seu quia beneficiarius, ultima nocte mensis obiit insperatò: ac nemine præsente) dubium adhuc remanet, utrùm, ante vel post mediam noctem illius ultimi diei mensis, sicque in mense Pontificio, vel Ordinario obierit: tunc nemine adhuc in possessione Beneficii existente, pro mense Episcopali, atque pro favore Collatoris Ordinarii præsumendum videtur. Ita Garcias *loc. cit. n.* 528. Castro Palao *d. tr. 13. punct. 21. §. 2. n. 3.* Engel *h. t. n.* 26. Pirhing *eod. n.* 354. Ratio est: quia Episcopus habet intentionem fundatam in Jure, quod collatio omnium Beneficiorum suæ Diœcesis ad ipsum spectat, *c. Ex frequentibus 3. de Institut.* cum concordantiis; nisi probentur spectare ad collationem alterius, putà, quia probantur esse reservata: atqui stante illo dubio, non constat de reservatione. Tum quia reservatio, veluti præjudicans ordinariæ collationi, & jurisdictioni, est odiosa; sicque restringenda, juxta dicta *n. 388. & 389.*

501 Nec obstat textus in *c. Si à Sede 31. h. t. in 6.* ubi in dubio, an Papa, vel Collator ordinarius priùs contulerit idem Beneficium, quod uterque eodem die, sed diversis personis contulit dicitur præferenda collatio Papæ; idque *propter conferentis ampliorem prærogativam*, Cui simile quid habetur in *Clem. 1. §. Neutro Ut lite pendente &c.* Resp. enim, isthæc Jura loqui in diverso casu; videlicet, quando Papa jure ordinario (seu, quatenus habet concurrentem cum quolibet inferiori Ordinario potestatem conferendi quælibet Beneficia) concurrit in collatione beneficii cum inferiori, ac dubitatur, quis eorum priùs contulerit. Tunc enim, quia constat de potestate ordinaria Papæ sic conferendi, ac remanet duntaxat dubium facti, seu quis priùs contulerit beneficium vacans: nullo adhuc in possessione istius existente, meritò præferenda dicitur collatio Papæ propter suam ampliorem prærogativam, cùm sit Ordinarius Ordinariorum. At verò in præsenti casu sermo est de collatione Papæ facta, vel facienda duntaxat jure reservationis, quam reverà hic interveniré dubitatur: unde stante tali dubio, ac nisi probetur veritas reservationis, Papa non intendit Beneficium vacans conferre; sed Collator inferior remanet in possessione juris conferendi, cùm respectu hujus habeat intentionem fundatam in Jure communi. Garcias, *ubi suprà nu.* 533. Castro Palao *d. §. 2. n. 3 & 6.*

502 Additur tamen in data *n.* 500. Conclusione, *nemine adhuc in possessione beneficii existente*. Nam imprimis, si in casu prædicti dubii Collator ordinarius, per fundamenta proximè relata, jam contulit cuipiam beneficium taliter vacans, atque provisus possessionem illius acquisivit; tunc à fortiori procedit eadem Conclusio, juxta vulgatum illud: *In dubio melior est conditio possidentis* c. In pari 65. de Reg. Jur. in 6. cum concordantiis.

503 Quod si verò Papa priùs contulit ejusmodi beneficium; ac provisus in hujus possessionem jam inductus fuit, Collatore ordinario posteà primùm id præstante, magna inter Doctores controversia existit, cui provisorum mota desuper lite beneficium sit adjudicandum; atque is in sua possessione manutenendus? Et quidem prima sententia asserit, in tali casu possessorem semper victurum, & Actorem succubiturum, sive is fuerit provisus à Papa, sive ab Ordinario. Ratio hujus sententiæ est: quia in dubio melior est conditio possidentis, juxta *reg. 65. jur. in 6.* Simulque Actore non probante Reus est absolvendus, etiamsi nihil præstiterit, *c. cùm Ecclesia § fin. de Causa possess. & l. Qui accusare. C. de Edend.* cum similibus. Atqui in casu posito, & juxta hypothesin, nequit probari quacunque adhibita diligentia, quod obitus Beneficiarii acciderit in mense Apostolico, vel Ordinario; ergo. Ita Gonzalez *cit. gloss. 11. nu. 27. 28. & seqq.* citans Puteum *decis. 207. & 266. lib. 3.* & alios.

504 Altera sententia tenet, in tali casu prævalituram collationem Papæ, quando is priùs cuipiam contulit beneficium, atque provisus ejus possessionem prior acquisivit, vel saltem non constat, provisum ab Ordinario anteà illius possessionem obtinuisse: per textum *in C. Si à Sede 31. h. t.* junctis dictis suprà *n.* 501.

505 Tertia tandem sententia, & cæteris probabilior, docet stante tali dubio, & post diligentem inquisitionem non resolubili, collationem Ordinarii, atque possessionem beneficii virtute istius obtentam, fore validam, atque manutenendam, etiamsi sequatur primùm collationem Papæ, possessionemque inde acquisitam. Garcias *d. par. 5. c. 1. n. 530. & 532.* Castro Palao *cit. §. 2. n. 5.* Pirhing *h. t. n. 354. V. Notandum secundò*, Ratio hujus sententiæ est: quia stante tali dubio, præsumptio juris stat pro collatione Ordinarii, juxta dicta *n.* 500. ergo donec provisus per Papam probet reservationem (qualis tamen probatio, juxta hypothesin, in dato casu fieri nequit) standum erit collationi Ordinarii. Confirmatur: quia in dicto casu Papa non intendit conferre Beneficium, nisi jure reservationis duntaxat; ergo ista non subsistente, vel saltem non apparente, corruit ipsamet collatio. Paria enim sunt, non esse, & non apparere; *l. Duo sunt Titii ff. de Testament. tutel.* Barbosa *Axiomat. 174. n. 9.* & alii.

Nec urgeant rationes aliarum sententiarum. Non prima, seu *n.* 503. adducta. Nam imprimis Regula illa, *In pari causa &c.* fallit, quando pro Actore stat præsumptio contra possessorem, illeque intentionem suam habet in Jure communi fundatam, ut dictum suprà *Lib. 2. Tit. 12. De causa possessionis &c. §. 2. n. 41. & 42.* Deinde etiam altera Regula, *Actore non probante Reus absolvitur* fallit, seu limitatur in casu, quo pro Actore stat præsumptio juris: ut *c. 2. de restitut. spoliat. in 6.* estque pariter jam dictum suprà *lib. 2. tit. 19. De Probationibus §. 5. n. 126 & 127.* Atqui in casu posito stat præsumptio juris pro Collatore ordinario, ejusque collatione, ut proximè dictum; ergo. Porrò *ad c. Si à Sede h. t. in 6.* patet responsio ex dictis *n.* 501. 506

Neque proviso de beneficio per Papam, in tali casu suffragatur acquisita illius possessio: Tum quia præsumptio juris stat contra possessorem à Papa provisum, ut proximè dictum. Tum quia collatio beneficii per Papam facta, & tradita ejusdem possessio, fundatur in reservatione illius: unde hac non existente, vel saltem non apparente, sicque precibus veritate non nitentibus, corruit justus titulus possidendi: ac proinde non mirum, quod in casu memorati dubii, provisus per Ordinarium præferri debeat, ob assistentiam videlicet Juris communis. Et si quis objicere velit appositionem manus Pontificiæ: patet ex dictis suprà *n.* 423. appositionem manus Papæ nihil operari, quando narratur Beneficium esse reservatum, quod non est reservatum; seu (quod idem est) non apparet esse reservatū. 507

Quæritur IV. Utrùm beneficium vacans in mense Ordinarii, possit per hunc conferri stante illius vacatura in mense Pontificio? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, est: quia Pontifex Beneficia in mensibus Apostolicis, *quocunque modo vacatura* (ut loquitur Regula nona Cancellariæ) suæ dispositioni reservat: atqui Beneficium nondum collatum, aliquo modo vacat in mense Apostolico; ergo. Verùm hoc non obstante 508

Resp. breviter Episcopus, vel alius Collator inferior non amittit ius conferendi beneficium in suo mense vacans, etiam si istud eodem mense non contulerit, & sic vacatio ejus duraverit in mensem Apostolicum: neque prohibetur idem Collator inferior, ejusmodi beneficium conferre currente ipsomet mense Apostolico. Ita Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. Gloss. 11. à nu. 47. usque ad nu. 78.* fusius hanc quæstionem examinans. Garcias *par. 5. de Benefic. cap. 1. n.* 537. asserens; ita sine dubio tenendum esse. Engel *h. t. n. 26. vers. Illud quoque* & alii. 509

Ratio est: quia ad inducendam, vel non inducendam reservationem beneficii, attenditur solummodò initium vacationis; non autem tempus, quo duravit, atque continuata fuit vacatio beneficii: juxta Rotam *decis. 774. n. 3. & 10. lib. 3. par. 3. divers.* quam refert Gonzalez *loc. cit. n.* 66. sicque cessat ratio dubitandi. Et hanc fuisse mentem, atque intentionem Papæ, ex eo desumitur: quia Pontifex concedit Collatoribus ordinariis, putà Episcopis, quatuor vel sex menses, quatenùs beneficia extra Curiam in eisdem vacatura *liberè* conferre valeant; atqui *liberè* non possent conferre, si arctarentur ea conferre primo mense vacationis. Quinimò talis facultas conferendi foret propemodum inutilis; præsertim quando ultima die vel hora mensis, per obitum prioris possessoris inciperet vacatura Beneficii. Accedit quod Collator inferior habeat sex menses ad conferendum, *c. nulla 2. de Concession. Præb.* cum concordantiis, atqui hoc non subsisteret si beneficium in mense ordinario vacans, amplius conferri non posset in mense Apostolico sequente: ergo. Tacentur similia: nam res caret difficultate, adeò ut Gonzalez *loc. cit. nu.* 510

77. sub-

77. subjunxerit, se nunquam vidisse in Rota, nec audivisse disputari de simili casu, licet quotidie contingat.

511 Quæritur V. Quis censeatur *Intrusus in beneficio*, qualesque sint effectus intrusionis? Ubi recolendum ex dictis, quod in Regulis Cancellariæ bina vice fiat mentio de Intrusis. Primò, in *reg. 29. de subrogandis Collitigantibus*, inscripta illis verbis: *Dummodò prædictus collitigant in dicto beneficio intrusus non fuerit.* Secundò, *in reg. 36. de Triennali*, inscripta ibi: *Dummodò in beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex reservatione generali in Corpore juris clausula reservata fuerint, se non intruserint &c.* Quo prænotato

512 Resp. I. *Intrusus in beneficio*, de Jure communi potest quis dici variis modis, adeò, ut Fagnanus *c. nisi cùm pridem n. 27. & seq. de Renunc.* citans alios, quatuor Intrusorum species distinguat & Ludov. Gomezius *in reg. de Triennali possessore q. 41.* post Geminianum *in can. Propter dist. 19* asserat, quod Intrusus in Jure capiatur quinque modis. Alii verò, ut Felinus *c. In nostra n. 10. de rescript. & c. Veniens notab. 2. de Accusat.* Jo. de Selva *Tractatuum tom. 15. de Beneficio par. 3. q. 11. n. 10. 11.* Rebuffus *in Praxi benefic. tit. Regula, de Subrogand collitigant. glos. 4. n. 4. usque ad n. 22.* & Azorius *par. 2. lib. 7. c. 35. q. 10.* & Azorius *par. 2. lib. 7. c. 35. q. 10.* octo modos Intrusorum enumerent.

513 Resp. II. Generatim loquendo, *Intrusus in beneficio* dicitur ille, qui obtinet beneficium Ecclesiasticum sine authoritate illius, ad quem de jure spectat collatio. Ita Abbas *c. quia diversitatem n. 2. de concession. Præb* Gomez, Rebuffus, aliique *qui suprà*. Sive, Intrusus propriè dicitur, qui præter auctoritatem Superioris, ad quem pertinet collatio, Beneficium est ingressus. Fagnanus *c. quia diversitatem in 6.* & Barb. *n. 4. de concess. Præb.* juncto textu ibid. *Præter ejus auctoritatem intruserunt*: estque in re communis: Atque talis appellatur *Intrusus*: quia non intravit per ostium, sed aliunde ascendit, & quasi violenter in beneficium se injecit: sive per alios non habentes potestatem ad id injectus, sicque intrusus fuit. Unde indignus est, Pastoris nomine, vel prærogativa gaudere, *c. relatum est 21. de jure patronat.* cum concordantiis in progressu allegandis: potestque excommunicationis sententia feriri, *c. ex frequentibus 3. de Institut.*

514 Porrò talis injectio, seu intrusio in beneficium sine authoritate habentis legitimam potestatem conferendi, potest variis modis contingere: hincque non mirum quod diversos Intrusionis modos Doctores distinxerint. Sic imprimis censentur *Intrusi*, qui propria authoritate sese ingerunt beneficio Ecclesiastico: ut est textus notabilis *in c. ad aures 3. de excessib. Prael.* ibi: *ad aures nostras pervenit, quod quidam Archidiaconi tui in Ecclesias quæ in suis Archidiaconatibus vacant, authoritate propria intrudere non verentur.* Concordat *c. quia diversitatem 5. de concess. Præb.* ubi coram Papa conquerebatur Archiepiscopus quidam, quod *tempore suspensionis ipsius, & postmodum etiam quidam præter ejus authoritatem se intruserunt in ipsas* Ecclesias, in quibus collatio ad ipsum pertinebat. Unde Papa mandavit, quatenus illi, qui ejusmodi Ecclesias, vel Præbendas, præter dicti Archiepiscopi auctoritatem receperunt ad eas resignandas, monitione præmissa, per excommunicationis sententiam, & subtractionem aliorum beneficiorum compellantur.

515 Deinde idipsum est dicendum in eo casu, quo Clerici non sola sua, sed Principis sæcularis, vel consanguineorum suorum authoritate, præter authoritatem Superioris conferre valentis, Beneficium occupant, atque recipiunt. Nam etiam tales censentur Intrusi: hoc ipso, quod obtinuerint Beneficium à non habente potestatem illud conferendi, sicque non intraverint per ostium aperiente ostiario, sive Superiore legitimam conferendi potestatem habente, sed aliunde ascenderint atque ingesti fuerint. Gomez, & alii, *ubi suprà.* Ab. *c. 2. n. 4. de restit. in integr.* illicò subjungens post Innocentium *in c. qualiter il 2. de Accusat.* & Archidiaconum *can. Alienationes 12 q. 2.* quod gesta per Intrusum non valeant, quantumcunque dicatur toleratus, quia in Intruso non habet locum tolerantia, ex quo non habuit ingressum ab habente potestatem. Hæc Abbas.

516 Quinimò Clerici illi, qui à Laicis recipiunt beneficia Ecclesiastica, subjacent pœnæ suspensionis, atque excommunicationis, ipsis infligendæ, *can. si quis deinceps & can. quoniam 16. q. 7. & c. Prætereà quia 4. de jure patron.* Et si persisterint in retinendis Beneficiis taliter acquisitis, etiam à ministerio Ecclesiastico, & Ordine sunt deponendi, *can. si quis Episcopus & seqq. 61. q. 7. & cit. c. Prætereà quæ de jure patronat.* Simulque consentiendo electioni de se factæ per abusum Potestatis Laicalis, puta, Principis sæcularis, fiunt ineligibiles: adeò, ut absque dispensatione prævia ad aliquam nequeant eligi Dignitatem, *c. quisquis 43. de election.* atque rursus dicetur infrà *tit. 7. de Institutionibus §. 2. n. 35.*

517 Tertiò vel maximè dicitur Intrusus, quisquis vi occupat Beneficium. Quinimò talis non solùm dicitur *intrusus in beneficio*, sed etiam *invasor* ipsius, per textum expressum in *c. eum qui 18. de Præb. in 6.* Ubi proinde, ad refrænandam saltem pœnæ formidine tantæ temeritatis audaciam, *§. fin.* statuitur, ut *violenti, qui auctoritate (vel potius temeritate) propria occupare Dignitates, Personatus, aut alia quæcunque Ecclesiastica beneficia non verentur, eo ipso jus, si quod in Dignitatibus, Personatibus, & Beneficiis occupatis taliter, vel ad ipsis forsitan* (per nominationem, præsentationem, aut electionem de ipsorum persona factam) *competebat, amittant.* Simile quid habetur *can. Ordin. 9. q. 1.* ibi; *qui Catholicorum Episcoporum Sedes invaserunt &c.*

518 Quartò, & generaliter, *intrusi in beneficio* censentur omnes illi, qui recipiunt, atque occupant beneficium, non habentes ullum titulum verum, vel coloratum respectu illius. Gomez, Jo. de Selva, Rebuffus, Azorius, *ubi suprà*, cum aliis. Et additur, *generaliter*: nam iste modus intrusionis est generalis, & continet sub se plures alios. Sicque præter illos qui Beneficia occupare præsumunt absque authoritate valentis ea conferre, atque hoc ipso carent omni titulo (de quibus proximè dictum) *in c. cùm jam dudum 18. §. 1. h. t.* arguitur quis *intrusionis*, eò quòd post præhabitas plures Dignitates contra Lateranensis Concilii Statuta, ad obtinendam quandam Præposituram se ingesserit; licèt enim intervenisset ibidem authoritas Superioris, hæc tamen malè intervenerat, sicque defuerat omnis titulus verus, atque coloratus cum talis ingestio in Præposituram, claré repugnaverit Constitutioni Concilii Generalis, contra quod inferior Papa dispensare non potuit.

519 Similiter *Intrusus* dicitur, qui à Superiore publicè excommunicato, suspenso ab Officio, aut alias potestate conferendi notoriè privato beneficium adeptus est, illudque recepit: juxta textum *in c. ult. de Excessib. Prael.* Gomez *cit. quæst. 47. V. quarto* Rebuffus, *ubi suprà n. 12.* & alii. Idem dicendum de illis, quibus beneficia collata sunt per Schismaticos, *c. 1. de Schismat.* Fagnanus *c. nisi cùm pridem n. 27. & seq. de renunciat.* Item pro merè intrusis habendi sunt qui contra tenorem, & formam Concordatorum Germaniæ receperunt Beneficium: carent enim omni titulo, & colore tituli, ut expresse declaravit Clemens VII. in sua 41. Constitutione *Admonet nos*, quæ refertur *tom. 1. Bullar. Roman.*

520 Pari quoque ratione *Intrusus* censetur, qui scienter recepit beneficium, quod alteri fuit injustè ablatum tunc enim in conferente defuit potestas. Gomez Rebuffus *nu. 11.* Jo. de Selva, Azorius, *ubi suprà*, & alii, istud probantes ex *cit. c. ult. de Excessib. Prael.* juxta alium intellectum. Quod si verò ignoranter id accidisset, nesciendo videlicet injustitiam factæ per Superiorem privationis, tunc quidem recipiens ejusmodi beneficium, alteri injustè ablatum, excusaretur à vitio intrusionis, ratione ignorantiæ, bonæque fidei suæ: nihilominùs cognita rei veritate, atque injustitia privationis, tenetur illud dimittere, ut restitui possit priori legitimo possessori.

521 Dicitur etiam ille *Intrusus*, qui Beneficium adhuc retinet postquam ab isto canonice amotus fuit, per privationis, vel depositionis sententiam, à qua non appellavit, sicque sententia illa transiit in rem judicatam: secus, si appellasset. Innocentius *in c. qualiter il 2. n. 10 de Accusat.* Abbas *c. cùm jam dudum n. 4. de Præb.* Card. Tuschus *Litt. I Concl. 542. n. 2.* Gomez, aliique superiùs allegati. Quia, ut inquit Fagnanus *loc. c. n. 45.* post Petrum Brixiensem *in repert. V. Intrusus* paria sunt, intrudere se in beneficio & retinere beneficium, quo aliquis canonice est privatus.

522 Tandem dantur nonnulli casus, in quibus potest quis largè dici *intrusus*, seu *quasi intrusus*. Sic largè sumpto vocabulo potest dici Intrusus, qui licet authoritate legitimi Superioris fuerit positus in beneficio, habet tamen vitium, propter quod eodem deberet privari; prout in c. Ve-

Veniens 15. §. 1. de Accus. de quodam Episcopo legitur, quòd *cùm esset filius Sacerdotis, in Ecclesiam fuerat Prag. intrusus.*

523 Ulteriùs, si quis commisit crimen dignum depositione, potest dici *largè intrusus*. Gl. *in c. Cùm super 4. v. restituendum de causa poss. & propr.* asserens, quòd talis *quasi intrusus est*. Jo. de Selva, *ubi suprà, n. 11.* Rebuffus *n. 14.* Azorius. Qui tamen posteriores de hoc dubitant, neque istum intrusionis modum admittunt, nisi quis admisisset crimen propter quod fuisset ipso jure privatus, veluti hæresin, simoniam &c. Alioquin (inquiunt) habet quis titulum, donec beneficio privetur.

524 Huc accedit, atque intrusus dicitur, qui post electionem, sed ante confirmationem (extra casus à Jure permissos) beneficium administrare præsumpsit, *arg. c. cùm jam dudum 18. h. t.* & not. Abb *ib. n. 3. 4.* Passerin. *de elect. c. 33. n. 16.* Rebuff. *c. gl. 4. n. 7.* Jo. de Selva *d. q. 11. n. 11.* & alii, Talis etenim ipso jure privatus est beneficio sic administrato, *c. Avaritiæ 5. de elect. in 6.* estque ampliùs declaratum, suprà *lib. 1. tit. 6. de elect. §. 2. n. 36 & seqq.*

525 Et multo magis dicitur *intrusus*, qui sine electione canonica, putà, celebrata à minori parte Capituli, ingerit se Beneficio. Car. Tusc. *Lit. I Concl. 342. n. 6.* post Jo de Imola *Cons. 132. n. 7* Aut, qui nō obtenta confirmatione à Superiore, ex sola electione capit possessionem Beneficii, ad quod fuit electus. Card. Tusch *c. Concl 341. n. 5.* post Imolam *d. n. 7.* Tacentur nonnulli alii intrusionis modi, apud Authores hactenus citatos reperiendi, qui tamen commodè ad unum præmissorum reduci possunt nunc quantùm attinet alteram partem propositæ quæstionis.

526 Resp. III. Quoad effectum Regulæ 36. Cancellariæ *de Triennali* inscriptæ, solummodò veniunt veri, & propriè intrusi; idest, qui vel nullum habent titulum verum, aut coloratum respectu beneficii occupati; vel istum non habent ab eo, qui potestatem conferendi habuit. Ita Gom. *c. reg. de Triennali v. & ista omnia*, allegans Stylum Curiæ, & observationes Rotæ atque inde rejiciens contrariam sententiam quorumdam, veluti minus intelligentium præfatum Stylum Curiæ. Accedit ratio: quia constitutio dictæ Regulæ est pœnalis, ergo hoc ipso non includuntur in eam omnes species intrusionis, de quibus Authores mentionem fecerunt: sed solummodò veri, & propriè intrusi, *c. odia restringi 15. de reg. Jur. in 6.* cum similibus. Et hæc ratio etiam urget quoad effectum Regulæ 29. Cancellariæ, *de subrogandis collitigantibus* inscriptæ.

527 Resp. IV. Intrusio in beneficiis inter alios effectus etiam hunc habet, quòd Clericū scienter intrusum constituat malæ fidei possessorem: adeoque iste teneatur omnino cedere, vel potiùs recedere à beneficio, ejusque possessionem facti relinquere fructusque Beneficii, utpote malè perceptos restituere. Ita Gloss. *in c. nisi cùm pridem v. sed duntaxat de Renunc* inter alias dicens: *Satis posset hic dici, quòd intrusus omnino debet cedere; quia nec quantum ad opinionem, nec quantùm ad veritatem, titulum habet.* Idipsum tradit Abb. *in c. c. nisi cùm pridem n. 6.* & Bald. *n. 1.* & Fagn. *ib n. 27. 28. 40 & seqq* citans alios: cum hoc tamen discrimine, ut si intrusio sit notoria, debeat, ac possit quis cedere absque alia Superioris licentia: si verò non sit notoria; requiratur ad hoc authoritas Superioris. Concordat Card. Tusch *Litt. I Concl. 342. n. 16.* & in re commun.

528 Ratio Conclusionis clara est. Quia intrusi in beneficiis nullum habent titulum virtute cujus possent retinere Beneficium, quod occuparunt, fructusque ipsius lucrari. Quinimò non intrantes per ostium (hoc est per canonicam institutionem, authoritate legitimi Superioris factam) sed aliunde ascendentes, fures sunt, & latrones, *Jo. c. 10. & c. Ordinationes 1. q. 1.* Atque invasores, *c. Ordinat. 11. q. 1.* ibi: *Episcoporum sedes invaserunt.* Atqui ideò, quantò plus rem sive beneficium per intrusionem occupatum detinent, tantò plùs peccant, *c. ul. de Consuet.* Simulque fur semper est in mora restituendi, *l. si pro fure §. pen. ff. de Cond. furt.* Neque remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, juxta *reg 4 jur. in 6. & c. si res aliena 14. q 6.* Unde cōsequens est, Intrusum in beneficio teneri ad cedendum, vel potiùs recedendum ab eo, atque ad restituendos fructus, utpote malè perceptos. Verùm de restitutione taliū fructuū pluries superiùs *l. 2. t. 13 §. 5. n. 117. & seq. & n. 124.*

529 Resp. V. Alius intrusionis effectus est, quòd in impetratione Rescripti ad beneficia debeat fieri mentio de præcedenti intrusione atque illicita ejus possessione, alioquin

Rescriptum desuper obtentum non valet. Ita Gloss. *c. cum qui v. obtinebat v. & eadem ratione h. t. in 6.* Abbas *in c. cùm jam dudum n. 3. h. t.* ubi ex textu illius Capituli infert, quòd *intrudens se in beneficium, fortè authoritate Principis sæcularis, & posteà impetrans illud à Papa non facta mentione de intrusione, est repellendus, talis enim promotio fuit subreptitia; nam si Papa scivisset, de facili sibi non providisset propter ambitionis vitium, & quia ingessit se administrationi ante omnem provisionem &c.* Idipsum, atque ob eandem rationem, tradit Jo: de Selva *c. tr. de Benef. p. 3. q. 11. n. 7.* cum aliis. Ratio est: quia impetrans Rescriptum debet facere mentionem de illis, quæ Papam possent retrahere ab eo concedendo: *c. postulasti. 27. de rescr.* Atqui inter ea est intrusio in beneficio, utpote ratione suæ temeritatis, & vitiosi in istud ingressus, omnibus Juribus exosa: uti patet ex Juribus hactenus allegatis, & imposterum allegandis.

530 Fatendum tamen, quòd Felinus *in c. Postulasti circa fin. de rescr.* post Petrum de Ancharano *in Clem. Si Romanus n. 3. h. t.* & Card. *ib.* datam Conclusionem non concedat absolutè; sed tunc solùm, quando propter interventum Laicæ potestatis intrusio contingit, sicque Intrusus efficitur ineligibilis, & inhabilis ad beneficium, juxta *c. Quisquis 43. de Elect.* Alioquin autem, ista qualitate cessante, Felinus *ib. v. Primus est*, distinguendos ait duos casus. Primus est, quando intrusus in uno beneficio, impetrat Rescriptum super alio beneficio obtinendo, sola facta mentione præhabiti beneficii, non autem intrusionis in ejus assecutione commissæ: Et tunc (inquit) videtur valere impetratio; cùm talis impetrans non sit ineligibilis, eò quòd non intruserit ipsum Laicus; simulque per expressionem præhabiti beneficii satisfactum fuerit rigori Juris. Alter casus est, quando taliter intrusus, licèt sine interventu Laicorum, impetrat Rescriptum ad obtinendum illud ipsum beneficium, quod priùs illicitè, atque per intrusionem occupavit: Et tunc (ait) requiritur mentio de intrusione priùs commissa; nam tale beneficium Papa difficiliùs concederet, si novisset intrusionem. Rationem disparitatis assignat; quia Papa in hoc posteriori casu, seu concedendo illud ipsum beneficium, censeretur reformare integrum titulum, ita ut intrusus non posset ampliùs per Episcopum inquiri, atque molestari super fructibus beneficii anteà malè perceptis: quod tamen Papa non solet facere absque speciali mentione. Secùs fieret in priori casu, seu quando Papa concederet novum beneficium: quia tunc non reformaretur prior vitiosus titulus, sive præcedens intrusio; sed conferretur novus titulus, absque eo, quod Episcopus impediretur inquirere super fructibus anteà propter intrusionis vitium malè perceptis.

531 Resp. VI. Ulterior intrusionis effectus est, quòd confirmatio à Sede Apostolica obtenta in forma communi, non purget vitium intrusionis, in receptione Beneficii commissum. Ita textus expressus *in c. Quia diversitatem 5. §. Mandamus de Concess. Præb.* ubi omnes illi, qui tempore suspensionis Archiepiscopi Eboracensis præter ejus authoritatem se intruserant in Ecclesias ad ipsius Archiepiscopi collationem pertinentes, per excommunicationis sententiam, & subtractionem aliorum beneficiorum, jubentur ab eisdem amoveri: *non obstante confirmatione à Sede Apostolica obtenta sub forma communi, quæ confirmat beneficia & præbendas sicut justè, & pacificè possidentur;* jus novum autem in eis non tribuit. Secùs si talis confirmatio Apostolica data fuisset in forma speciali, seu subclausula, *ex certa scientia*; vel, *Supplentes omnes juris, & facti defectus &c.* prout ex professo dictum est *Lib. 2. Tit. 30. De confirmatione utili n. 4. 5. 7. & seqq.*

532 Et si petas, an valeat Rescriptum tacita intrusione obtentum ad beneficium sub clausula, *Motu proprio.* Resp. In resolutione hujus quæstionis Doctores variare; prout notat Jo. de Selva *c. q. 11. n. 7. circ. fin.* Et quòd valeat tale Rescriptum, tenet Calderinus *Cons. 11. de Præb. & Cons. 13. de rescr.* eò quòd Motus proprius purget vitium subreptionis in Rescriptis, *c. Si motu proprio 23. de Præb. in 6.* Oppositum tenet Milis in *Repertorio v. Gratia § 14.* idque ob defectum intentionis ex parte Papæ gratiam concedentis. Quia, ut patet ex dictis suprà *Lib. 1. Tit. 3. de Rescr. §. 8. n. 202. & 206. ac seqq.* clausula illa, *Motu proprio*, supplet quidem vitium subreptionis ex taciturnitate veri necessariò exprimendi proveniens, *c. c. Si Motu Proprio.*

non tamen firmat gratiam, quando est defectus voluntatis ex parte Principis gratiam concedentis; putà, quia fuit impetrata cum expressione causæ falsæ, vel tacita inhabilitate personæ, pro qua scribitur. Talis enim inhabilitas personæ videtur provenire ex vitio intrusionis, *c. Quisquis 43. de Elect.* ubi Intrusus, seu electioni per abusum potestatis Laicæ consentiens, efficitur ineligibilis ad Dignitatem. Et hæc posterior sententia videtur retinenda loquendo de intrusione, quæ fit mediante potestate Laica; eò quòd tunc intrusus reddatur ineligibilis, atque inhabilis ad beneficium, nisi dispensetur, juxta *c. c. Quisquis de Elect.* Prior verò sententia Calderini procedit, quando fit intrusio sine interventu Laicorum: quia tunc nulla reperitur contracta inhabilitas personæ; nisi forsan intrusus ob contumaciam in dimittendo beneficio, per intrusionem occupato commissam, excommunicatus fuerit, juxta *c. Ex frequentibus 3. de Institut.*

533 Plures dicere de Regulis Cancellariæ ad præsens propositum non attinet: nam præter ea, quæ hactenus tradita fuerunt, alia scitu magis necessaria in propriis locis explicantur; prout de *Regula de viginti* inscripta, ordine 19. ex professo dictum est suprà *Lib. 1. Tit. de Renunc. §. 3. nu. 68. 69. & seqq.* Cætera verò poterunt videri in Commentariis Ludovici Gomes (vulgò, Gomezii) *in Judiciales Cancellariæ*; & in Commentariis Jo: à Chokier, Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonici, in *Regulas Cancellariæ Apostolicæ*; nec non in Commentatione Hieronymi Gonzalez *ad Regul. 8. Cancellariæ*, aliisque Authoribus ex professo in Regulas Cancellariæ scribentibus.

§. XVIII.

De Concordatis Germaniæ.

SUMMARIUM.

534 *Concordata Germaniæ, quæ sint, & cur, & quando erecta?*

535 *Tenor Concordatorum Germaniæ refertur.*

534 QUæritur I. Quæ sint Concordata Germaniæ, & cur, & quando erecta? Resp. I. Per *Concordata Germaniæ* intelliguntur illa, quæ potissimùm super provisione beneficiorum Ecclesiasticorum in Germania vacantium, inter Sedem Apostolicam ex una, & Principes inclytæ Nationis Germaniæ ex altera partibus, pro firmiori unione, pace, & tranquillitate conservanda, hinc inde statuta, approbata, conclusa, & acceptata fuerunt. Atque hujusmodi Concordata Germaniæ vel maximè erecta, initaque sunt ad sopiendas difficultates, & controversias nonnunquam ortas ex eo, quòd Papa jure præventionis (puta, per Gratias expectativas) vel etiam jure concursus uni, & Collator ordinarius, provisionis Apostolicæ ignarus, alteri cuipiam idem Beneficium contulisset; sicque inter ipsosmet Provisos, vel etiam ipsorum Familias, variæ lites subortæ fuissent. Et hæc Concordatorum erectio contigit Anno Domini 1447. tempore Nicolai Papæ V. & Friderici Imperatoris; prout patet ex tenore eorundem Concordatorum, quæ habentur Tom. 1. Bullarii Romani; Constitutione prima Nicolai V. quæ incipit: *Ad sacri Petri Sedem*: atque etiam referuntur per Georgium Brandē in principio *Tractatus super Cōcordatis Germaniæ*, & Laurentium Nicolarts *in Proœmio Praxis Beneficiariæ ex Concordatis Germaniæ*, pluresque alios. Est autem talis.

Tenor Concordatorum Germaniæ.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

535 AD sacram Petri Sedem, divina dispositione sublimati, singulisque pro universalis Ecclesiæ unione, ac pace, & tranquillitate pro futura fore conspicimus, Apostolicæ providentiæ sollicitudine libenter intendimus, & ad felicem illorum prosecutionem, & consummationem, opem, & operam impendimus efficaces.

§. 1. Nuper siquidem Charissimus in Christo filius noster Federicus Romanorum Rex illustris, & nonnulli alii dilecti filii, Ecclesiastici, & sæculares Principes inclitæ Nationis Germanicæ ex una, ac dilectus filius noster, Joannes S. Angeli Diaconus Card. in partibus illis Apostolicæ Sedis de Latere Legatus, per nos ad dictas partes missus, sufficienti desuper à nobis, & Sede Apostolica auctoritate suffultus, ex alia partibus, Romanæ Ecclesiæ, & dictæ Nationis nominibus, pro ipsius Ecclesiæ unione, pace, & tranquillitate inter Ecclesiam, & Nationem prædictam, perpetuò solidandis, & conservandis, diversa rationabilia, & utilia ordinationes & statuta, à partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata, & concordata, fecerunt, ac ediderunt: Nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut illis pro firmiori eorum subsistentia, robur Apostolicæ firmitatis adjicere, nec non auctoritatem potiorem, & decretum interponere dignaremur.

§. 2. Nos itaque, qui statuta, ordinationes, & concordata prædicta, per nonnullos ex venerabilibus Fratribus nostris S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, magnarum maturitatis, auctoritatis & litteraturæ viros, diligenter examinari, & discuti fecimus; eaque rationabilia, & salubria tam Ecclesiæ, quàm Nationi præfatæ fore comperimus, de dictorum, & aliorum venerabilium fratrum nostrorum prædictæ Ecclesiæ Cardinalium, consilio & assensu, Apostolica auctoritate, & ex certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præsentatis scriptis patrocinio communimus, juxta modum, & formam subsequentes. Placet nobis super provisione Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque provisionibus, juris scripti reservationibus, & Execrabilis, ac Ad regimen, constitutionibus modificatis, ut sequitur. Ad regimen Ecclesiæ generalis, quamquam immeriti, superna dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quòd per nostræ diligentiæ studium, ad quarumlibet Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, & alia beneficia Ecclesiastica, juxta divinum beneplacitum, & nostræ Intentionis effectum, viri assumantur idonei, qui præsint, & prosint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis prælibatis. Præmissorum itaque consideratione inducti, & suadentibus nobis aliis rationabilibus causis nonnullorum Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias, & etiam Monasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus, & Officia, nec non Canonicatus, Præbendas, & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, sæcularia, & regularia quæcunque, & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, nunc apud Sedem Apostolicam quocunque modo vacantia, & imposterùm vacatura: nec non per depositionem, vel privationem, seu translationem per nos, seu auctoritate nostra factas, & in anteà faciendas ubilibet: nec non ad quæ aliqui in concordia vel discordia electi, sive postulati fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renunciatio, admissa auctoritate nostra extiterit, seu quorum electorum, vel postulatorum, & in anteà eligendorum, seu postulandorum electionem cassari, seu postulationē repelli, aut renunciationem admitti per nos, aut auctoritate nostra continget apud Sedē prædictam vel alibi ubicunque, & etiam per obitum Cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ, aut Officialium dictæ Sedis, quamdiu Officia actualiter tenebunt (videlicet, Vicecancellarii, Camerarii, septem Notariorum Auditoris litterarum contradictarum, & Apostolici Palatii causarum Auditorum, Correctorum, centum & unius Scriptorum litterarum Apostolicarum, & viginti quatuor Pœnitentiariæ præfatæ Sedis, & viginti quinque Abbreviatorum, nec non virorum Commensalium nostrorum, & aliorum viginti quatuor Capellanorum Sedis ejusdem in epitaphio descriptorum) & etiam

etiam quorumcumque Legatorum, seu Collectorum, ac in terris Romanæ Ecclesiæ Rectorum, ac Thesaurariorum deputatorum, seu missorū hactenus, vel deputandorum, aut mittēdorum imposterum, nunc vacantia, & in anteà vacatura, ubicunque dictos Legatos, vel Collectores, seu Rectores, & Thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint, seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta Curia ultra duas dietas legales non distantibus jam forsan obierint, vel eos in anteà ab hac luce transire contigerit; & etiam simili modo quorumcumque Curialium peregrinationis, infirmitatis, seu recreationis, vel alia quacunque causa ad quævis loca secedentium, si eos antequam ad dictam Curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem Curia, ut præmittitur, non remotis (dummodò eorum proprium domicilium non existat ibidem) jam forsan decesserint, vel imposterum eos contigerit de medio submoveri, etiam nunc per obitum hujusmodi vacantia, vel imposterùm vacatura. Rursus Monasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus, Decanatus, Administrationes, Officia, Canonicatus, Præbendas, & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, sæcularia, & regularia, cum cura vel sine cura, quæcunque, & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per nos, seu auctoritate nostra ad Patriarchalium, Archiepiscopalium, & Episcopalium Ecclesiarum, nec non Monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocunque modo vacantia, aut imposterùm vacatura; nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum, Ecclesiarum, aut beneficiorum aliorum, per nos seu auctoritate nostrarum litterarum immediatè collatorum, seu conferendorum imposterùm, præterquam si virtute gratiæ expectativæ assecutio fiet, nunc vacantia, & in anteà vacatura, plena super præmissis, omnibus, & singulis, cum fratribus nostris collatione, præhabita & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac provisioni nostræ de ipsorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica reservamus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super præmissis, & quolibet eorum, per quoscunque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 3. Item placet nobis, quòd in Metropolitanis, & Cathedralibus etiam immediatè non subjectis Ecclesiis, & Monasteriis immediatè subjectis Sedi Apostolicæ, fiant electiones canonicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus Const. fel. rec. Nicolai Papæ III. quæ incipit, Cupientes, expectabimus: & elapso dicto tempore, si non præsentatæ vel si præsentatæ, minùs canonicæ fuerint, providebimus, & si canonicæ fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili, & evidenti causa, de dictorum Fratrum consilio, de digniori, & utiliori persona duxerimus providendum, proviso, quòd confirmati prædicti, & per eos provisi, Metropolitanis suis, & aliis præstent debita juramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur. Et in Monasteriis dictæ Sedi immediatè non subjectis, & aliis regularibus beneficiis, super quibus pro confirmatione, vel provisione ad dictam Sedem non consuevit haberi recursus, electi, seu illi quibus providendum est, pro confirmatione, & provisione hujusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur, ipsaque regularia beneficia sub expectativis gratiis non cadant. Ubi autem pro Monasteriis ad dictam Curiam venire, seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus, vel providebimus, quàm superiùs de Cathedralibus Ecclesiis est expressum. Et de Monasteriis Monialium non disponemus, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes. De cæteris verò Dignitatibus, & beneficiis quibuscunque sæcularibus, & regularibus vacaturis, ultra reservationes prædictas (majoribus Dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis Ecclesiis exceptis) de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos aliàs pertinet.

§. 4. Placet etiam nobis, quòd per quamcunq; aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma, per nos, vel auctoritate nostra factam, vel faciendam, non impediemus nos, quò minùs de illis, cum vacabunt de Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus, libere disponantur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat: reservatione, aliave quavis dispositione, auctoritate nostra factis, vel faciendis, non obstantibus quibuscunq; Quoties verò aliquo vacante beneficio in Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, & Novembris mensibus, specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quòd alicui de illo Apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc, & non anteà Ordinarius, vel alius ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit. Et ad finem, ut hæc ordinatio collationum beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per dictam nationem publicari, & omnes qui ea gaudere voluerint; tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam Sedem à Kalendis Junii, proximè futuris ipsa currere incipiet, & durabit deinceps, nisi in futuro Concilio de consensu dictæ Nationis aliter fuerit ordinatum.

§. 5. Placet similiter nobis, quòd circa provisionem dictæ Sedis ordinandam, modus Annatarum hoc modo currat. De Ecclesiis Cathedralibus omnibus, & Monasteriis, virorum duntaxat, vacantibus & vacaturis, solvantur de fructibus primi anni à die vacationis Summæ pecuniarum in libris Cam. Apost. taxatæ, quæ Communia servitia nuncupantur: & si quæ excessivè taxatæ sint, retaxentur; & quod provideatur specialiter in gravatis Regionibus secundùm qualitatem rerum, temporum, & regionum, ne nimium prægraventur: ad quod petentibus dabimus Commissarios in partibus, qui diligenter inquirant, & retaxent. Taxæ autem prædicto pro media parte infra annum à die habitæ possessionis pacificæ totius, vel majoris partis, solvantur, & pro alia media parte infra annum sequentem: Et si infra annum bis, vel pluries vacaverint, semel tantùm solvantur, nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia, vel Monasterio transeat. De cæteris verò Dignitatibus, Personatibus, Officiis, & beneficiis sæcularibus ac regularibus quibuscunque, quæ auctoritate dictæ Sedis conferentur, vel de quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum expectativarum, aut causa permutationis) solvantur Annatæ, seu medii fructus juxta taxam solitam, à tempore possessionis intra annum; & debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat. Sed de beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur, duretque hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro Concilio de ipsius Nationis consensu contingat immutari.

§. 6. In aliis autem, quæ per fel. rec. Eugenium Papam quartum, etiam Prædecessorem nostrum, pro dicta Natione usque ad tempus futuri Generalis Concilii permissa, concessa, indulta, & decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa Concordiæ præsenti non obvient: ista vice nihil volumus esse immutatum, & per hoc quòd in Concordatis hujusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis litteris, propter compendiosiorem descriptionem, Alemania specialiter appellatur, natio ipsa censeri non debet à Germanica natione distincta, seu quomodolibet separata.

§. 7. Et præterea, quia difficile foret præsentes litteras ad singula, in quibus de eis forsitan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostolica auctoritate decernimus, quòd ipsorum transumpto Metropolitanorum dictæ Nationis sigillo munito, tanquam præsentibus si exiberentur litteris plena fides adhibeatur, & proinde stetur, ac si dictæ præsentes litteræ forent exhibitæ

bitæ vel ostensæ, & insuper quoque irritum & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, 1447. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno ....

§. XIX.

Solvuntur variæ Quæstiones cira concordata Germaniæ.

SUMMARIUM.

536 *Utrùm Concordata Germaniæ sint favorabiliora Collatoribus ordinariis Beneficiorum, quam Regulæ Cancellariæ? & n. seqq.*

Per Regulas Cancellariæ generaliter reservantur omnes Ecclesiæ Episcopales &c. Juxta Concordata conceditur de his fieri electio in partibus. Ibid.

537 *Papa non sic est alligatus electionibus Episcoporum juxta Concordata Germaniæ factis, quin ex causa possit aliter provideri.*

538 *Per regulas Cancellariæ reservantur octo menses collationi Pontificiæ juxta Concordata conceditur alternativa sex mensium.*

539 *Ibi Beneficia vacantia in mensibus reservatis perpetuò remanent reservata: non hîc.*

540 *Concordata Germaniæ non derogant ex toto Regulis Cancellariæ: idque ostenditur exemplis.*

541 *Concordatis Germaniæ nequit opponi præscriptio, aut exceptio de non usu ipsorum. Et n. seqq.*

Decretum irritans inficit ipsum titulum, & possessionem, non obstante ignorantia. Ibid.

542 *Romani Pontifices nunquam acquieverunt contraventionibus.*

543 *Idipsum clarissimè probat Bulla Clementis VII.* Admonet nos.

544 *Refertur citata Bulla.*

545 *Quid juris, si quis obtinuisset beneficium contra Concordata Germaniæ.*

546 *Quæ beneficia cadant sub reservatione Concordatorum Germaniæ? Et n. seqq.*

Sub his cadunt beneficia vacantia in Curia. Ibid.

547 *Item Beneficia Promotorum authoritate Apostolica ad Episcopatus, & Monasteria.*

548 & 549 *Aliàs in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis, atque Monasteriis, potest fieri electio: & à quo hæc sit confirmanda?*

550 *Majores Dignitates in Cathedralibus post Pontificales, & principales in Collegiatis, reservantur collationi Papæ.*

Et quæ sint tales. Ibid.

551 *Nonnullæ Ecclesiæ Cathedrales habent speciale privilegium, ut possint ad istas eligere.*

552 *In cæteris Dignitatibus, & Beneficiis quibuscunque, datur alternativa mensium.*

553 *Quænam Beneficia sub hac alternativa mensium in Concordatis Germaniæ comprehendantur? & n. seq.*

Sub alternativa mensium comprehendi quælibet beneficia, vel Officia, quæ dantur in titulum, passim tradunt Authores. Ibid.

554 *Et ratio hujus sententiæ. Et n. seqq.*

Dictio, Quicunque *propter suam generalitatem comprehendit omnia. Ibid.*

555 *Dictio*, Verò, *est adversativa præcedentium, in jure, & in facto.*

556 *Dantur tamen aliqua beneficia, quæ sub præfata alternativa mensium Concordatorum Germaniæ non comprehenduntur, Et numer. seqq.*

Ut Beneficia jurispatronatus Laicorum ex fundatione, ædificatione, aut dotatione. Ibid.

Secùs dicendum de beneficiis jurispatronatus Ecclesiastici. Ibid.

557 *Item beneficia vacantia per resignationem.*

558 *Atque beneficia alteri accessoriè unita.*

559 *Quid de beneficiis speciali nota dignis, ac nonnullis privilegiis Apostolicis? Remissivè.*

560 *Quid juris, si beneficio vacante in mense Pontificio, eidem intra tres menses non provideatur à Papa? Et num. seq.*

561 *Trimestre istud incipit currere à die notæ vacationis in loco beneficii.*

562 *Hi tres menses debent esse completi de momento ad momentum.*

Quando tempus debeat computari de momento in momentum? Ibid.

563 *Præfatum trimestre non est computandum à notitia vacationis beneficii per Papam acquisita.*

564 *Quinimò currit Papæ ignoranti.*

565 *Ac etiam Sede Apostolica vacante.*

566 *Solvitur instantia ex c.* Si Apostolica, de Præbend. *in 6. desumpta.*

567 *Sensus Concordatorum Germaniæ, ibi:* In loco beneficii &c. *declaratur per Gregorium XIII.*

568 *Post lapsum trium mensium non excluditur Papa à collatione beneficii, si istud Collator ordinarius nondum contulit.*

569 *Atque istud exemplificatur.*

QUæritur I. Utrùm Concordata Germaniæ quoad reservationes Beneficiorum favorabiliora sint Germaniæ, seu horum Collatoribus ordinariis, quàm Regulæ Cancellariæ? Resp. Affirmativè: prout benè notat Laur. Nicolarts *de Concordatis Germaniæ, tit. 3. dub. 1. §. 3.* Georg. Branden. *super Concord. Germ. q. 4. n. 43.* & Pirhing *h. t. n. 363. Not 5.* Qui reservationes Regularum Cancellariæ haud immeritò *ampliores & Ordinariis duriores* præ Concordatis Germaniæ pronunciant: idque facilè patebit ex differentiis eorundem. Primò enim juxta *Reg. 2. Canc.* reservantur *generaliter omnes Ecclesiæ Patriarcales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, nec non Monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia*, & vacantia, seu vacatura. Econtrà in Concordatis Germaniæ, si isthæc extra Curiam vacaverint &c. conceduntur detalibus fieri electiones canonicæ, in partibus (quæ reverà est insignis Benignitas Sanctæ Sedis erga Germanos) ita tamen, ut ejusmodi electiones posteà ad Sedem Apostolicam deferantur pro confirmatione prout latiùs habetur in relatis *Concordatis Germaniæ*, §. 3. 536

537 Notant tamen Doctores, ac signanter Branden *q. 6. super Concord. Germ. n. 3.* Papam non sic electionibus ejusmodi esse ligatum, quin ex evidenti causa, postposito Electo, possit Ecclesiæ de alio Prelato providere. Tum quia istud suadet suprema, & absoluta ejusdem potestas, quæ pro meliori Ecclesiæ gubernio, atque exigentibus justissimis causis, de jure potest supra Jus dispensare, *c. Proposuit, 4 de Concess. Præb.* Tum quia hoc ipsum declarant relata verba Concordatorum Germaniæ §. 3. ibi: *Et si canonicæ fuerint* (electiones) *eas confirmabimus; nisi ex rationabili, & evidenti causa de dictorum Fratrũ consilio, de digniori, & utiliori persona duxerimus providendum.* Hæc ibi.

538 Deinde juxta *Reg. 8.* (nunc 9.) *Cancell.* reservantur collationi Pontificiæ octo menses; videlicet mensis Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris: demptis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quibus ad gratificandum & quandiu apud suas Ecclesias personaliter resederint (sub certis tamen limitationibus) conceditur alternativa sex mensium. Econtrà Concordata Germaniæ quibusvis Collatoribus inferioribus indistinctè relinquunt alternativam sex mensium; pro collatione Beneficiorum in ipsis vacantium, præterquam expresè reservatorum in eisdem Concordatis §. 2. & 3.

539 Tertiò, juxta Regulas Cancellariæ Beneficia vacantia in mensibus reservatis, perpetuò remanent reservata, seu affecta; adeò, ut de illis nullus alius, præter Romanum Pontificem, ullo amplius tempore disponere, seu illà conferre valeat. Per Concordata verò Ger-

maniæ Sedes Apostolica adeò benignam Nationi Germanicæ sese exhibere dignatur, ut post lapsum unius trimestris à die notæ vacationis in loco beneficii, si nondum apparuerit de facta provisione Apostolica, concedat fieri collationem beneficii per Collatores inferiores: sicque quodammodò patiatur fieri devolutionem à Supremo Ecclesiæ Capite ad inferiorem, de quo plura inferius *n. 566. & seqq.*

540 Quæritur II. Utrùm Concordata Germaniæ ex toto derogent Regulis Cancellariæ? Resp. Negativè. Nam ut inquit Georg. Branden *super eisdem concordatis, q. 9. n. 8.* nemo dicere poterit, per Concordata hujusmodi sublatas, & irritas censeri omnes Regulas Cancellariæ: Siquidem Regulam Cancellariæ *De viginti*, seu de infirmis resignantibus: Item Regulas, *De malè promotis, De verisimili notitia, De annali possessore, De triennali*, ac hujusmodi, etiam in Germania, & circa hujus beneficia locum habere, indubitati juris est. Itaque Concordata Germaniæ solùm derogant Regulis Cancellariæ quoad ea, quæ circa reservationem Beneficiorum sibi propria continent, seu specialiter disponunt: junctis illis quæ circa modum Annatarum, Sedi Apostolicæ persolvendarum, eadem Concordata Germaniæ *§. 5. v. placet similiter*, ordinarunt. Verum de Annatis commodiùs alibi, videlicet *Lib. 5. Tit. 3. De Simonia.*

541 Quæritur III. Utrùm Concordatis Germaniæ possit opponi præscriptio, aut exceptio de non usu ipsorum? Resp. Negativè prout ex professo tradit Branden *q. 2. 3. & 4. super Concordat. German.* Chokier. *ad Reg. 8. Cancell. n. 7. & 8.* Nicolarts *tit. 3. super Concord. dub. 2. per totum.* Pirhing *h. t. n. 363.* & alii. Ratio est: tum quia Concordata illa solemniter erecta, & acceptata fuerunt per Papam, & Principes Germaniæ, totamque Nationem istam: sicque abierunt in pactum, quod omnimodis est observandum; cùm ejus obligatio sit de Jure naturali, & gentium, *c. 1. & 3. de Pactis & l. 1. ff. eod.* cum similibus. Tum quia volens declinare Concordata, allegando non usum illorum, incideret in Regulas Cancellariæ, harumque reservationes, quæ sunt Collatoribus ordinariis duriores, quibusque nihil opponi potest præter specialia Nationum Concordata. Branden *c. q. 4. n. 43.* Tum tandem, quia Concordata Germaniæ, in fine suæ confirmationis Apostolicæ, continent Decretum irritans, quo decernitur *irritum & inane, si secùs super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari*: sicque nunquam potest haberi bona fides, & titulus justus, atque possessio requisita ad legitimam præscriptionem. Etenim Decretum irritans inficit ipsum titulum, atque possessionem, non obstante ignorantia aliqua. Flamin. Parisius *de resign. benef. lib. 6. q. 5. nu 5.* Gonzalez *ad Reg 8. Cancell. gloss. 67. n. 29. & seqq.* Barbosa *tr. de Clausulis, Claus. 40. n. 23.* citans alios.

542 Atque idcircò Romani Pontifices nunquam acquieverunt contraventionibus, seu non usui Concordatorum; sed quacunque occasione data semper declararunt, atque Rota sæpiùs judicavit, omnes & quascunque provisiones contra Concordata ab Ordinariis attentata, fuisse nullas, & irritas: prout notat, atque adductis pluribus Decisionibus, ostendit Branden *cit. q. 4. n. 45.* & sequitur Pirhing *h. t. n. 363. Not. 5.*

543 Accedit, hoc ipsum clarissimè probat Bulla Clementis VII. quæ incipit, *Admonet nos*, & habetur *Tom. 1. Bullarii Romani, Const. 41. dicti Pontificis.* In qua imprimis Pontifex deplorat præsumptionem quorumdam Prælatorum Ecclesiæ, nec non Principum temporalium Germaniæ, qui post Romæ direptionem usurpant dispositionem Beneficiorum contra formam Concordatorum. Deinde subjungit, quamvis contra præsumptores hujusmodi sufficienter jam fuisset provisum per Bullam Cœnæ Domini; nihilominùs nonnullos Prælatos, ac Principes prædictos, à præmissis non desistere &c. Proinde, ac tertiò, dictus Pontifex declarat, collationes Beneficiorum contra formam Concordatorum Germaniæ factas vel imposterùm faciendas, irritas esse, nullumque exinde titulum illa Beneficia possidendi tribui, nec quemquam fructus ex eis perceptos, vel percipiendos, posse ullo unquam tempore facere suos, sed ad illorum restitutionem in utroque Foro efficaciter fore obligatos. Verba memoratæ Bullæ clariùs istud continent, & ita sonant.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Admonet nos incumbentis nobis pastoralis officii cura, ut non solum nobis, sed etiam cunctorum Christi Fidelium, & præsertim Ecclesiasticarum personarum profectibus diligenter intenti, illorum occurramus dispendiis, & quæ in cujusque ipsorum præjudicium, sive noxam quavis etiam authoritate prodiisse comperimus, salubriter reformemus.

§. 1. Sanè dudum ad nostram pervenit notitiam, qualiter nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi, ac Ecclesiarum Prælati, nonnulli etiam Principes, ac Domini temporales Inclytæ Nationis Germanicæ, post miserabilem Urbis direptionem, collationes, & dispositiones beneficiorum Ecclesiasticorum, nobis & Sedi Apostolicæ, etiam virtute Concordatorum inter Sedem & Nationem præfatam reservatorum, temere usurpare præsumpserunt, ac collationes, & dispositiones nostras, & dictæ Sedis de illis factas admittere contempserunt, nedum in nostrum & ipsius Sedis vilipendium, sed etiam in jurium nostrorũ, & ejusdem Sedis, ac illorum, quibus de ipsis beneficiis providimus, aut in quorum favorem aliàs disposuimus seu provideri & disponi mandavimus, grave præjudicium. Et quamvis contra præsumptores & contemptores hujusmodi in Bulla, quæ quotannis in Die Cœnæ Domini de more lecta fuit, declaraverimus, & protestati fuerimus, quòd in præmissis, & aliis quibuscunq; juribus dictæ Sedi, & S. R. E undecunq; & quomodocunque quæsitis seu quærendis, per quoscũque actus contrarios, aut quomodolibet præjudicantes, tacitos vel expressos, à nobis vel ab eadem Sede quomodolibet factos, vel faciendos, aut quemcunque temporis fluxum, vel patientiam, vel tolerantiam nostram, nobis aut eidem Sedi nullatenùs præjudicari debere, aut quomodolibet posse: tamen, sicut non sine animi nostri mœrore intelleximus, nonnulli ex Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Principibus, & Dominis prædictis, adhuc à præmissis desistere non curarunt, nec de præsenti curant: quinimò, quod deterius est, ne provisiones Apostolicæ admittantur, per sua mandata etiam pœnalia prohibere non verentur, in animarum suarum periculum, & aliorum Prælatorum, ac Principum Catholicorum dictæ Nationis perniciosum exemplum, & scandalum plurimorum.

§. 2. Nos igitur, qui à dictis Concordatis, quæ olim Romanæ Ecclesiæ, & dictæ Nationis hominibus, pro ipsius Ecclesiæ unione, ac pace, & tranquillitate inter Ecclesiam & Nationem prædictas, perpetuò solidandis, & conservandis laudata, conclusa, & acceptata fuerunt, nullatenùs recedere intendimus, ne dicti præsumptores, & contemptores, aut per eos in dictis Beneficiis intrusi ex hujusmodi temeraria præsũptione gloriari valeant, neve ipsi intrusi ex adulterinis eorũ titulis aliquem fructum reportent, nec illis quibus de beneficiis prædictis, per nos, aut dictam Sedem, seu ejus authoritate provisum extitit, & in futurum providebitur, per alicujus temporis fluxum, seu aliquam patientiam, vel tolerantiam præjudicium fiat, aut factum censeatur, ex Pastoralis Officii debito providere volentes, ac Cõcordatis prædictis firmiter inhærentes, Motu proprio, & ex nostra matura deliberatione, ac certa scientia, auctoritate Apostolica, de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium declaramus, prætensas collationes, & alias dispositiones de quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis, cum cura & sine cura, nobis & dictæ Sedi, ut præfertur, reservatis, per Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, ac sæculares Principes, & Dominos quoscunque dictæ Nationis, seu ad eorum præsentationem, vel nominationem, etiam per Ordinarios ipsorum beneficiorum collatores à tempore dictæ direptionis circa contra tenorem, & formam dictorum Concordatorum quomodolibet factas, vel imposte-

,, rùm faciendas, personis, quibus, aut in quarum favo-
,, rem factæ sunt, aut imposterùm fient, nisi sint per nos,
,, aut nostra, vel dictæ Sedis auctoritate approbatæ, nul-
,, lum titulum vel colorem ipsa beneficia possidendi tri-
,, buisse, aut in futurum tribuere; sed & illos pro malæ
,, fidei possessoribus, & merè intrusis ab omnibus habe-
,, ri, & censeri, ac fructus per eos ex beneficiis hujus-
,, modi perceptos, & percipiendos, nullo unquam tem-
,, pore suos facere, sed ad illorum restitutionem in utro-
,, que Foro efficaciter obligatos esse: & ad illorum resti-
,, tutionem, ad eorum quorum interest, seu etiam Fisci
,, nostri instantiam, omnibus, viis juris, & facti reme-
,, diis compelli posse, & debere; & eos nullo unquam
,, tempore beneficio Regularum, De annali, & trienna-
,, li pacifico possessore gaudere potuisse, aut posse.

§. 3. Illius verò, quibus eadem beneficia, per nos,
,, aut auctoritate nostra, vel dictæ Sedis tenore & forma
,, Concordatorum hujusmodi servatis collata sunt, aut
,, in futurum conferentur, vel commendabuntur, nec
,, non Ecclesiis & locis Ecclesiasticis, ac Collegiis, quibus
,, perpetuò, vel ad tempus eadem auctoritate unita sunt,
,, aut imposterum unientur, ac omnibus illis, qui in
,, executione litterarum Apostolicarum eis concessa-
,, rum per constitutiones seu mandata Archiepiscopo-
,, rum, Episcoporum, Prælatorum, Principum, vel
,, Dominorum prædictorum, hactenus quomodolibet
,, impediti fuerunt, aut imposterùm impedientur, dictas
,, regulas, & quemcunque temporis fluxum, seu patien-
,, tiam, vel tolerantiam minime obstare debere, quò
,, minùs contra dictos intrusos, & intrudendos, quocun-
,, que tempore judicialiter experiri valeant.

§. 4. Decernentes sic per quoscunque Judices &c.
,, (*Sequuntur Decretum irritans, clausulæ derogatoriæ,*
,, *Transumptorum fides, & Sanctio pœnalis,*) Datum
,, Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Do-
,, minicæ Millesimo quingentesimo trigesimo quarto.
,, Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno undecimo.

545 Infertur proinde, quòd si quis obtinuisset beneficium Ecclesiasticum contra Concordata Germaniæ, etiamsi id recepisset bona fide, & ex ignorantia Concordatorum: nihilominùs, cognito suo errore, teneatur Romam venire pro nova provisione, atque reformanda priori collatione, utpote nulliter facta, Revera enim talis censetur esse intrusus, caretque omni titulo, & colore tituli: estque habendus pro malæ fidei possessore, nec fructus ex tali beneficio perceptos, vel imposterùm percipiendos, ullo tempore facit suos, sed ad eorumdem restitutionem in utroque Foro efficaciter obligatus existit; uti patet ex allegata Bulla Clementis VII. Accedit, quòd Concordata Germaniæ in fine contineant Decretum irritans, quòd inficit tum titulum, tum etiam possessionem, juxta dicta *nu.* 541. adeòque taliter intrusus nunquam juvetur beneficio Regulæ, *De Triennali* pacifico possessore. Georg. Branden *super Concordat. German. qu.* 5. *n.* 9. *& seqq.* & præsertim *n.* 31. solvens contraria.

546 Quæritur IV. Quæ beneficia cadant sub reservatione Pontificia vi concordatorum Germaniæ? Resp. I. Beneficia quæcunque majora & minora, cum cura, & sine cura, sæcularia & regularia, quæ vacant apud Sedem Apostolicam, seu in Curia, indistinctè reservantur collationi Pontificiæ. Ita patet ex §. 2. *Concordatorum Germaniæ*: ubi ista omnia speciatim, & ad longum recensentur, conformiter reservationibus Juris communis, & Extravagantium *Execrabilis*, & *Ad Regimen*, prout liquet ex textu.

547 Atque hoc ipsum *cit.* §. 2. *Concordat. German.* ℣. *Rursus Monasteria*, ampliatur ad quæcunque Beneficia sæcularia & regularia, cum cura vel sine cura etiam electiva, Promotorum auctoritate Apostolica ad Episcopatus, vel Monasteriorum regimina. Omnia enim beneficia, quæ taliter promoti tempore suæ promotionis obtinent, sicque vacant, collationi Apostolicæ reservantur; prout liquet ex textu ibidem.

548 Resp. II. In Ecclesiis verò Metropolitanis, & Cathedralibus etiam immediatè non subjectis Ecclesiis, sicut & in Monasteriis immediatè subjectis Sedi Apostolicæ, quando extra Curiam vacaverint, permittuntur fieri electiones Canonicæ; Ita tamen, ut hæ posteà ad Sedem Apostolicam deferantur pro confirmatione; uti habetur in eisdem Concordatis. §. 3. Unde in tali casu cessat reservatio, quæ cæteroquin per *Regulam* 2. *Cancellariæ* induceretur, juxta dicta *num.* 536. Quamquam istud duntaxat locum habeat in vacatione dictarum Ecclesiarum per mortem naturalem prioris possessoris: nam cæteri revocationum modi, putà, per depositionem, vel privationem, vel translationem, vel electionis cassationem, seu postulationem, repulsam, aut renunciationem auctoritate Apostolica admissam, vel per promotionem ad Episcopatum &c. eadem auctoritate factam, jam *in* §. 2. *Concordat. German.* continentur, atque reservantur.

Porrò in Monasteriis dictæ Sedi immediatè non subjectis, & aliis Regularibus beneficiis extra Curiam vacantibus, non solum permittitur fieri electio canonica per eos, ad quos pertinet: sed nec opus est, pro confirmatione recurrere ad Sedem Apostolicam, ubi hactenus non consuevit haberi talis recursus. De Monasteriis quoque Monialium nihil se dispositurum promittit Pontifex, nisi sint exempta: & tunc per commissionem ad partes. 549

Resp. III. Ulteriùs collationi Papali reservantur *majores Dignitates post Pontificales in Cathedralibus; & principales Dignitates in Collegiatis Ecclesiis*, juxta textum expressum *in fin.* §. 3. *Concordatorum*. Et tales majores, seu principales Dignitates, apud nos solent esse Præposituræ dictarum Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum; uti notat Layman *lib.* 4. *Theol. Mor. tr.* 1. *c.* 11. *n.* 1. In quibusdam verò Ecclesiis ejusmodi major, seu principalis Dignitas, censetur esse Decanatus: nam, quæ dicenda sit major Dignitas in Ecclesia post Pontificalem, non nihil controvertunt Doctores; & quoad hoc standum esse consuetudini locorum, notat Glossa *c. Deliberationi, vers. Electionis, de Offic. Legati in* 6. & Chokier *ad Reg.* 3. *Cancellar. n.* 1. *&* 16. 550

Solùm adde, quòd non obstante prædicta reservatione Concordatorum, nonnullæ Ecclesiæ Cathedrales speciali privilegio Apostolico munitæ dicantur, vi cujus possunt eligere Præpositum: prout de Metropoli Salisburgensi refert Pirhing *h. t. n.* 362. De Cathedrali Augustana Layman *c. tr.* 2. *c.* 11. *n.* 1. & Branden *super Concord. Germ. q.* 12. *n.* 2. & de Leodiensi Laurent. Nicolarts *tit.* 1. *Concordat. German.* §. 12. & Chokier *ad Reg.* 3. *Cancell. n.* 16. referens Bullam Sixti V. 1585. Pontificatus sui anno primo datam: in qua Leodiensibus conceditur potestas eligendi Præpositum, aliosque inferiores, dummodò electio fiat intra triginta dies à die vacationis computandos, simulque infra sex menses, à die electionis numerandos, à Sancta Sede petatur confirmatio. 551

Resp. IV. *De cæteris verò Dignitatibus, & beneficiis quibuscunque sæcularibus, & Regularibus vacaturis, de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos aliàs, provideatur*: Concordata Germaniæ § 4. excludunt quamcunque aliam reservationem, & gratiam expectativam à Papa conficiendam, atque statuunt, seu concordant in alternativam mensium, illis Papæ verbis: *Placet etiam nobis, quòd per quamcumque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma, per nos, vel auctoritate nostra factam, vel faciendam, non impedie mus nos, quò minùs de illis, dum vacabunt, de Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus, liberè disponatur per illos, ad quos eorum provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat &c.* Et infrà: *Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, & Novembris mensibus, specialiter dictæ Sedi reservatis &c.* Hæc ibi. Verùm circa hunc textum dubitari solet, quænam complectatur beneficia, unde 552

Quæritur V. Quænam beneficia sub memorata alternativa mensium in Concordatis Germania comprehendantur? Resp. I. Quòd exceptis beneficiis, supra *n.* 546. 547. *& seqq.* relatis, utpote collationi Pontificię semper reservatis, Concordata Germanię sub alternativa mensium comprehendant quælibet beneficia, & Officia Ecclesiastica quæ in titulum dantur, quocunque nomine vocentur, passim tradunt Authores, ac præsertim Laurent. Nicolarts. *titul.* 1. *Concordat. German. dub.* 1. §. 14. 15. 16. *&* 22. *& dub.* 2. *§.* 2. *& dub.* 3. *ac seqq.* citans alios. 553

554 Ratio hujus sententiæ dari solet. Quia imprimis istud videtur apertè convincere Dictio illa universalis, qua *c.* §. 4. utuntur relata Concordata Germaniæ, *De Cæteris verò Dignitatibus, & beneficiis quibuscunque*: hæc enim dictio universalis. *Quicunque*, sive in Dativo, sive Ablativo *Quibuscunque* propter suam generalitatem comprehendit omnia; ut *c. Solitæ*, juncta Glossa ℣. *Quodcunque, de Majorit. & obedient.* Barbosa *tr. de Diction. usu frequent. Dict.* 317. *n.* 1. *&* 3. *ac seqq.* cum aliis.

555 Accedit, quòd hoc ipsum etiam importet Dictio illa, *In cæteris vero*: nam Dictio *Verè*, est adversativa præcedentium, in jure, & in facto, *l. Si verò, ff. Qui satisdare cogantur*; atque cum aliis notat Barbosa *l. c. dict.* 420. *n.* 1. Tandem in eisdem Concordatis illicò subjungitur mentio de Beneficiis, quorum *provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat* ad Collatores inferiores; unde signum est, omnia isthæc beneficia comprehendi sub alternativa mensium: & sicut hæc, si vacant in mensibus Ordinariorum, possunt liberè per istos conferri; ita econverso, si vacant in mensibus Pontificiis, non nisi per Papam, seu auctoritate ipsius conferri posse. Nam in Concordatis seu compositionibus ęqualitas servanda est, nisi quid specialiter reservetur, seu excipiatur.

556 Resp. II Nihilominùs præmissis non obstantibus dantur aliqua beneficia, etiam concessa in titulum, quæ sub præfata alternativa mensium Concordatorum Germaniæ non comprehenduntur, sed semper, & in quocunque mense vacaverint, per Collatores inferiores conferri possunt. Ita communis; & patet inductione; Sic quippe loquendo de beneficiis juris patronatus Laicorum, ex fundatione, ædificatione, aut dotatione acquisiti, fatentur omnes ea non comprehendi sub memorata alternativa mensium; & proinde Patronum laicum posse ad ea præsentare Clericum idoneum quocunq; tempore seu mense vacaverint. Glossa *c.* 2. *v. Collatio, h. t. in* 6. Nicolarts *d. tit.* 1. *dub.* 5 §. 8. *& seqq.* Barbosa *p.* 3. *de Offi. & potest. Episc. allegat.* 57. *n.* 25. *&* 26. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 18. *n.* 2. *& seqq.* allegans multiplicem Decisionem Rotæ, & plurimos Doctores. Secùs dicendum de jure patronatus Ecclesiastici, utpote cui facilè derogatur. Gonzalez *l. c. n.* 6. & Nicolarts, *ubi suprà*, citans alios: & concordant dicta superiùs *n.* 295. & 424.

557 Deinde, quòd sub præfata alternativa mensium non contineantur Beneficia, quæ vacant per resignationem, adeoque possint Episcopi in quocunque mense resignationes beneficiorum admittere, eaque sic resignata liberè conferre, non obstantibus Concordatis Germaniæ (dummodò illa sint talia, quæ ipsi aliàs in mensibus non reservatis per obitum vacantia conferre potuissent nec aliud obstet: prout prohibita est resignatio Promotorum, juxta dicta *n* 547.) docet Branden, *ubi suprà*, *q.* 12. *n.* 13. Chokier *ad Reg.* 8. *Cancell gloss.* 11. *n.* 29. Nicolarts *c. tit.* 1. *dub.* 9. §. 9. allegans alios. Quia (inquiunt) per reservationes horum Concordatorum, quæ specialiter in bonum pacis & tranquillitatis facta sunt, non videtur Pontifex voluisse duriorem facere conditionem Collatorum Germanorum, quàm fecerit conditionem aliarum Nationum per Regulas Cancellariæ. Atqui per Regulas Cancellariæ, quibus ligantur cęteri Collatores Ordinarii, excipitur modus vacationis per resignationem; neque hic comprehenditur sub alternativa mensium, juxta *Reg.* 8. (*n.* 9.) illis verbis: *Aliàs quàm per resignationem quocunque modo vacatura*: sicque possunt Collatores Ordinarii aliarum Nationum beneficia resignata in quolibet mense conferre; ergo hoc ipsum poterunt Collatores Germani non obstantibus Concordatis, horumque alternativa mensium.

558 Insuper, quòd Beneficia alteri accessoriè unita (ut puta, Vicariæ perpetuæ Parochialium unitarum Dignitatibus, Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, Monasteriis, aliisve piis locis) non cadant sub Concordatis Germaniæ, seu horum alternativa mensium, imò nec sub reservationibus Regularum Cancellariæ, ultrò fatentur Doctores: ut Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 3. *n* 59. *& seqq.* allegans Rotam *in una Tirasonensi Vicariæ*, 13 *Octob.* 1593. *coram R. D. Lita.* Garcias *p.* 9. *de Beneficiis*, *c* 2. *n.* 304. *&* 308. Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccl. univ. c.* 6. *n.* 45. Nicolarts *cit. tit.* 1. *dub.* 7. §. 9. & alii. Idque desumitur ex Constitutione, 47. B. Pii V. quæ incipit. *Ad exequendum*: unitis dictis suprà *nu.* 398. *&* 399. *ac seqq.* & dicendis infrà *tit.* 12. *Ut Ecclesiastica beneficia &c. n.* 43. 45. *& seqq.*

An verò ultrà prædicta dentur quædam alia beneficia, sub præfata alternativa mensium non comprehensa, utpotà illa, quæ censentur esse digna speciali nota, & quid dicendum de nonnullis privilegiis Apostolicis conferendi beneficia etiam in mensibus Apostolicis vacantia: meliori aliorum, ac prȩsertim in materia Concordatorum Germaniæ Practicorum judicio relinquitur. 559

Quæritur VI. Quid juris, si beneficio, vacante in mense Pontificio, eidem intra tres menses non provideatur per Papam? Resp. I. Quantùm ad propositum, in allegatis Concordatis Germaniæ § 4. sic reperitur conclusum: *Quoties verò aliquo vacante Beneficio in Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, & Novembris mensibus, specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quòd alicui de illo Apostolica authoritate provisum fuerit, ex tunc, & non anteà Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit.* 560

Ubi ponderando ly, *à die notæ vacationis in loco beneficii*, est sciendum, quòd trimestre illud non incipiat currere à die vacationis beneficii, nec à die notæ vacationis ipsius quomodocunque; sed primùm à die notæ vacationis in loco beneficii. Nam, ut declaravit Gregorius XIII. in sua Constitutione 41. *Quæ in Ecclesiam* (ac refertur *Tom.* 2. *Bullar. Rom.*) verba illa Concordatorum Germaniæ, *In loco beneficii*, conjunguntur cum verbis, *Notæ vacationis*, quæ proximè antecedunt. Et consequenter, si beneficiarius moriatur in loco distanti à beneficio, non illicò incipit currere trimestre illud: sed tunc primùm, quando vacatio illa innotuit in loco beneficii taliter vacantis, ut nimirum hac ratione illi, qui ad ejus consecutionem aspirarint, habeant tres integros menses pro illius impetratione. 561

Porrò hi tres menses debent esse completi de momento ad momentum: nam omne tempus currit regulariter de momento in momentum, ubi aliud à Jure non exprimitur. Jo. Andreas *c. Super eo*, 12. *n.* 10. & Abbas *ibid. n.* 12. *de Appell.* istam appellans regulam notabilem, quæ in hoc quotidie allegatur. Quamquam cæteroquin circa quęstionem illam, *An tempus computetur de momento in momentum*, multum variant Doctores; uti videre est apud Glossam *c. Cùm in cunctis, vers. Exegerit. de Election.* & Fagnanum *c. ad nostram n.* 31. *de Regul.* dicentes nihilominùs, frequentiorem esse opinionem, quòd ubi favor tantùm vertitur in causa, dies ultima cæpta habeatur pro impleta *ut l. Anniculus, in* 2. *ff. de Verb. signif.* & *l. In usucapione, ff de Divers. & temporal. præscript.* Aliàs secùs: *ut l. Denique ff de Minorib. & l. In omnibus ff. de Action. & oblig.* cùm concordantiis. Atque hoc ultimum censetur locum habere in proposito; ubi agitur de cessatione ordinariæ potestatis Summi Pontificis conferendi beneficia in mensibus alternis. Unde Rota *in una Augustana, Canonicatus*, 12. *Januarii*, 1703. resolvit, collationem Canonicatus, qui vacaverat die 6. Julii 1700. factam ab Ordinario loci die 6. Octobris ejusdem anni, esse nullam, eò quòd non fuisset elapsum integrum trimestre. 562

Illud præmissis est addendum, quòd præfatum tempus trium mensium, utpote incipiens currere *à die notæ vacationis in loco beneficii*, juxta tenorem Concordatorum Germaniæ, & citatam Constitutionem Gregorii XIII. *Quæ in Ecclesiam*; neutiquam sit computandum à notitia vacationis beneficii per Papam acquisita: alioquin enim, cùm plures dies intercedere necesse sit, donec vacatio beneficii post superatam per magnam distantiam viarum Sanctissimo legitimè denuncietur, non illicò post elapsum trimestre, atque ex tunc, Collator ordinarius illud conferre posset: prout tamen concedunt eadem Concordata, ubi non apparet, quòd alicui de illo Apostolica authoritate provisum fuerit. Unde 563

Infertur primò, quòd dictum trimestre currat Papę, etiam ignoranti: prout in simili habetur casus *in c. Statutum*, juncta Gl. *v. Numerandum, de Præbend. in* 6. Quia, ne beneficia diutiùs æquo vacarent, Pontifex in favorem Ecclesiarum, etiam contra seipsum statuendo vi Concordatorum ita decrevit: alioquin enim, si voluisset, expressisset tempus scientiæ suæ, & non vacationis beneficii, 564

arg. c. Ad Audientiam, 12. de Decimis; atque observatum legitur in c. Licèt, 4. de supplend. negligent. Prælat. & cap. t. Quia diversitatem, 5. §. fin. de Concession. Præb. Nam nota est Reg. 57. Jur in 6. Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda. Unde si toto trimestri Papa nihil sciret de vacatione beneficii (putà, quia nemo pro ejusdem consecutione Pontifici supplicaret) nihilominùs elapso trimestri posset Collator Ordinarius ejusmodi Beneficium conferre: hoc ipso, quòd non appareret intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quòd alicui de illo Apostolica auctoritate provisum fuerit; prout loquuntur Concordata Germaniæ, ex tunc concedentia Collatoribus ordinariis liberam de illo disponendi facultatem.

565 Infertur ulteriùs, quòd etiam sede Apostolica vacante, post elapsum trimestre à die notæ vacationis in loco beneficii, possit Collator ordinarius illud conferre: idque in vim eorumdem Concordatorum Germaniæ: atque confirmat consuetudo hactenus recepta. Nam rationes n. præc. allatæ, etiam urgent in casu Sedis Apostolicæ vacantis.

566 Nec obstat textus in c. Si Apostolica 35. juncta Glossa, & DD. ibid. de Præbend. in 6. asserentibus, quòd Sede Apostolica vacante possint quidem Collatores liberè conferre Parochiales Ecclesias tunc in Curia vacantes, non autem alia beneficia apud eandem tunc vacantia. Resp. enim, istud procedere de Beneficiis, quæ Sede Apostolica vacante contingit apud eandem Sedem vacare: in quo casu, loquendo de solis Parochialibus Ecclesiis (& sic tacitè cætera beneficia tunc vacantia in Curia excludendo: cùm exceptio firmet regulam in contrarium in casibus non exceptis, l. In iis quæ, ff. de Legib. juncta Glossa ibid. Barbosa Axiomat. 85. n. 4.) statuitur in c. c. Si Apostolica, de Præbend. in 6. quòd dictæ Parochiales Ecclesiæ possunt conferri Sede Apostolica vacante, ne ipsarum vacatio diuturna periculum valeat animabus afferre, prout loquitur Pontifex ibid. secùs est dicendum de Beneficiis vacantibus in mense Pontificio juxta Concordata Germaniæ, quia horum collatio indistinctè relinquitur Collatoribus inferioribus, quando non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quòd alicui de illo Apostolica auctoritate provisum fuerit; prout Sede Apostolica tàdiu vacante non apparet, neque apparere potest.

567 Resp. II. Cùm circa sensum dictorum verborum, Non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quæ Collatores ordinarii in præjudicium collationis Pontificiæ interpretabantur, plures successivè fuerint ortæ difficultates, Collatoribus ordinariis post lapsum trium mensium illicò conferentibus beneficium vacans, si is, cui Papa illud jam contulerat, quocunque casu in loco beneficii nondum apparuisset. Hinc Gregorius XIII. in citata sua Constitutione 41. Quæ in Ecclesiam, declaravit verba illa, In loco beneficii, conjungi cum verbis immediatè antecedentibus. Notæ vacationis, & ad illa duntaxat referri: sicque voluntatem concedentis, ac sensum dictorum verborum esse, ut dispositio beneficii intra tres menses à die notæ vacationis à Sede prædicta fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat: sive idem appareat in loco vacantis beneficii, sive Romæ, aut in loco, ubi existit Pontifex. Unde subjungit citatus Pontifex, declarando, quòd Ordinarii, aut alii Collatores, non possint post lapsum trium mensium ejusmodi vacantia beneficia conferre, si de illis intra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem ac dictam Sedem, qualiscunque gratia, vel dispositio, aut concessio facta fuerit. Voluit tamen Pontifex ibidem quòd taliter provisi de beneficiis, intra tres illos menses concessionem sibi factam Collatoribus ordinariis significare, vel in ipso beneficii loco publicare teneantur. Quod intellige, dummodò istud commodè fieri possit, & temporis angustia, vel alia impedimenta non obstent. Engel. tit. de Rescriptis, n. 23. Pirhing. h. t. num. 363. Georg. Branden super Concordatis Germaniæ q. 12. Notab. 2. Nicolarts in cit. Concordat. tit. 1. dub. 11. §. 1. & seqq. estque uberiùs dictum suprà lib. 1. tit. 3. De Rescriptis, §. 3. n. 68.

568 Resp. III. quamvis post lapsum trium mensium à die notæ vacationis in loco beneficii, si de hoc authoritate Apostolica nulli provisum fuerit, possit Collator ordinarius liberè de eodem disponere, ut dictum; non tamen idcircò excluditur ejus concursus Summi Pontificis, utpote concurrentem cum quolibet Ordinario jurisdictionem, atque potestatem conferendi beneficia habentis, c. Dudum, 14. de Præbend. in 6. cum similibus.

Unde si casus contingeret, quòd Papa post lapsum dictorum trium mensium conferat beneficium, antèquam 369
Collator ordinarius illud contulisset (putà, si dies factæ collationis Pontificiæ prior sit die collationis Ordinarii) non est dubium, quin provisus à Papa excludat provisum ab Ordinario, juxta textum expressum c. Si à Sede, 31. de Præb. in 6. juncta Glossa v. Nec appareat. Ita Branden in Concordantis Germaniæ, q. 6. n. 18. & infrà Notab. 1. n. 1. ac seqq. allegans Rotam in una Meten. Canonicatus, coram R.P.D. de Rubeis, 8. Nov. 1577. & Cassadorum Dec. 1. de Pactis, & Simmonettam lib. 1. Dec. 7. Nicolarts tit. 1. ad Concordat. German. §. 3. citans plurimos alios. Accedit ratio: quia, licèt Papa post lapsum trium mensium Collatoribus ordinariis concesserit potestatem liberè disponendi de beneficio vacante, non tamen hujusmodi facultatem à se abdicavit: quinimò majorem sibi reservasse dignoscitur, arg. c. c. Dudum, de Præbend. in 6. juncto relato textu Concordatorum, ubi de tali abdicatione nulla, vel minima mentio habetur.

§. XX.

De Primis Precibus Imperatoris.

SUMMARIUM.

570 Imperatori Romanorum Neo electo, ex authoritate Apostolica concedi solet speciale Indultum nominandi ad beneficia idoneas personas.
Nominatio hujusmodi nomine Primarum Precum denotatur. Ibid.
571 Indultum hujusmodi Apostolicum est ab antiquis temporibus usitatum.
572 & 573 Refertur tenor dicti Indulti Apostolici.
574 An Imperator Neo electus possit eodem uti ante approbationem Papæ?
Approbatio Imperatoris Neo electi spectat ad Papam. Ibid.
575 Ad quæ beneficia possit Imperator Primas Preces porrigere? Et n. seqq.
576 Istas solùm potest porrigere in Ecclesiis intra fines Sac. Rom. Imperii, prout nunc est, existentibus.
577 Quid, si Collator existat extra fines Imperii, Ecclesia verò intra illos: aut e contra?
578 Idem Collator non nisi semel potest per Primas Preces Imperatoris gravari.
579 Et quando Imperator censeatur eum gravasse.
580 Dantur plura Beneficia, quæ sub Primis Precibus Imperatoris non comprehenduntur Et n. seqq.
Ut Dignitates Pontificales, & Dignitates majores post eas in Cathedralibus, & principales in Collegiatis. Ibid.
581 Item Prælaturæ Regulares, imò & simplex Monachatus &c.
582 Beneficia Regularia alia sunt ex natura sua talia, alia solùm per accidens: & an cadant sub Primis Precibus?
583 Beneficia jurispatronatus Laicorum excipiuntur ab Indulto Primarum Precum: secùs dicendum de beneficiis jurispatronatus Ecclesiastici.
584 Primæ Preces locum non habent, nisi Collator ad minùs quatuor beneficia conferre possit.
585 Indultum primarum precum subsistit, etsi repugnet Juri communi, & Concordatis Germaniæ: & cur?
586 An Imperator eandem personam possit nominare ad plura beneficia: & quomodo?
487 Quid prosit talis nominatio ad plura Beneficia?
588 Etiam post adeptum prius beneficium, potest Imperator eidem precistæ novas preces primarias ad aliud beneficium porrigere.
589 Precista debet acceptare beneficium vacans intra mensem.
590 Mensis iste, quando currere incipiat?
591 Post elapsum mensem, & nulla facta insinuatione primarum precum, Collator ordinarius potest beneficium conferre.
592 Si tamen non contulerit, potest precista etiam post mensem preces insinuare &c.
593 An precista post acceptatum semel beneficium, possit variare? Et ratio dubitandi.
594 Negativè respondetur.
595 Solvitur ratio dubitandi; atque declaratur, qua ratione precistæ tribuatur facultas acceptandi primum beneficium vacans, si velit.
596 Limitatur dicta sententia negativa in certis casibus.
597 Quid dicendum de Executoribus primarum precum, per Imperatorem deputandis? Et n. seqq.
598 Executores hujusmodi, nec non eorum Sub executores, debent esse constituti in Dignitate Ecclesiastica &c.
599 Atque authoritate Apostolica, etiam per censuras, possunt exequi primas preces.

570 Quæritur I. An, & qualem potestatem porrigendi Primas Preces ad Beneficia, habeat Imperator? Resp. I Imperatori Romanorum Neo-electo, ex authoritate Apostolica, & antiquissima consuetudine, concedi solet speciale Indultum Apostolicum, ut in qualibet Ecclesia per S. Romanum Imperium, prout nunc est, ubicunque constituta, semel personam sibi gratam & acceptam, cæteroquin tamen idoneam, Collatori ordinario nominare possit, quam iste ad beneficium vacans omninò recipere teneatur. Et hujusmodi Nominatio per Romanorum Imperatorem facta, speciali nomine Primarum Precum Imperatoris denotatur.

571 Porrò harum Primarum Precum Imperatoris non solùm meminerunt recentiores Authores: ut Jo. Chokier in tr. Scholia in Primarias Preces Imperatoris, intitulato. Fagnanus c. Nulla, n. 9. & seqq. de Concess. Præb. Henric. Wagnereck in Comment. Exegetico SS. Canonum, c. Is cui, de Præb in 6. Pirhing h. t. n. 367. Engel eod. num. 70. & alii. Verùm etiam de eisdem mentionem faciunt antiqui Canonistæ, ut Jo. Andreas c. Is cui n. 1. de Præbend in 6. & Speculator tit. de Præb. §. Restat. num 7. asserens, quòd Imperator habet privilegium, quod ego (inquit) vidi Bullatum, quòd in qualibet Ecclesia Alemaniæ possit facere unum recipi. Unde patet de antiquissima consuetudine hujus privilegii, quòd Imperatori Neo-electo, & à Papa confirmato, idque postulanti, in scriptis concedi solet: adeò, ut Nauclerus in sua Chronolographia testetur Rodulphum I. qui anno Domini 1273. electus est, jam usum fuisse hoc privilegio sub nomine Primariarum Precum, ex antiqua, & approbata ab Antecessoribus ad se perducta consuetudine: sicque hanc dudum jam ante tempora Rudolphi I. viguisse appareat.

572 Exemplar talis Indulti Apostolici, per Paulum V. Ferdinando Romanorum Regi in Imperatorem electo, 1620. pridie Non. Junii concessum, per extensum refert: Scholiisque illustrat Joannes à Chokier in tr. Scholia in Primarias Preces Imperatoris, intitulato: ex cujus Indulti tenore simul colligi poterit, qua facultate porrigendi Primas Preces ad beneficia gaudeat Imperator. Quia tamen ejusmodi Indultum Apostolicum est longius, & apud memoratum Authorem, in quinque Sectiones divisum, videri potest: hinc dimissis cæteris, solummodò secundam, & tertiam Sectionem, utpote præ cæteris ad propositum facientem, huc adducere placuit; ubi Pontifex Indultum Primarum Precum interponendarum, sequentibus verbis Neo-electo Imperatori concessit.

573 Hinc est, quòd Tuæ Celsitudinis supplicationibus inclinati, dicta authoritate, præsentium serie eidem T.C. concedimus, & indulgemus quòd si per te quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum, sæcularium, & regularium, Ordinum quorumcunque per S.R. Imperium videlicet constitutorum, etiam si qui, vel si quæ ex illis Pontificali, seu alia quavis dignitate præfulgeant, seu Collegia, Capitula, & Conventus fuerint, super singulis beneficiis Ecclesiasticis; cum cura, vel sine cura sæcularibus, vel Ordinibus hujusmodi regularibus, in singulis Cathedralibus, Metropolitanis, vel Collegiatis, vel aliis quibusvis Ecclesiis etiamsi beneficia hujusmodi, Canonicatus, & Prebendæ, Dignitates, Personatus, Administrationes, vel Officia in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Collegiatis, & ipsæ Prebendæ in illis, & hujusmodi Ecclesiis, in quibus majores, & minores Prebendæ esse noscuntur, etiamsi majores fuerint, & ad Dignitates, Personatus, Administrationes, vel Officia hujusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodò Dignitates ipsæ in Cathedralibus, & Metropolitanis post Pontificales majores, aut Collegiatis hujusmodi principales non existant, ad eorundem Collatorum, & Collatricum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, communiter vel divisim pertinentibus singulis personis conferendis, seu super hoc, quòd personæ hujusmodi ad illa recipiantur, & admittantur, Preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujusmodi beneficia nominationes fieri contigerit primarias, iidem Collatores, & Collatrices (salvo, quòd singulæ Collationes, & singulæ Ecclesiæ, ex hoc ultrà quàm in uno beneficio non graventur; ac ipsi Collatores, & Collatrices saltem quatuor beneficia Ecclesiastica conferre habeant) hujusmodi precibus, & nominationibus parere, intendere, necnon personas ipsas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonicè provisum fuerit, juxta earundem Precum, aut nominationum tenorem, recipere, & admittere debeant, & etiam teneantur. Ita quòd Celsitudo tua unam & eandem personam suprà dictis Collatoribus, & Collatricibus simul, vel successivè nominare possit: Ita tamen, quòd quamprimùm Persona sic nominata de aliquo beneficio provisa fuerit, ejus nominatio quoad alios Collatores, vel Collatrices facta, ipso jure expiret; & quoad easdem Preces, Canonicatum & Prebendam, ac Dignitatem, seu Personatum; Administrationem, vel Officium in una Ecclesia pro unico duntaxat beneficio computari debere, declaramus &c. Hæc ibi: concedendo postmodùm eidem Neo-electo Imperatori potestatem deputandi Executores; qui authoritate Apostolica, etiam per censuras Ecclesiasticas, compellere possint ordinarios Collatores, vel Collatrices, ad executionem dictarum Primarum Precum: Non obstantibus quibuscunque &c. Pro cujus indulti Apostolici meliori intelligentia

Quæritur II. Utrùm Neo electus Imperator jam ante 174
approbationem Papæ, possit uti Indulto interponendi Primas Preces pro assecutione Beneficiorum? Resp. Etsi Romanus Pontifex non nisi prævia approbatione Imperatoris Neo-electi (quæ ad Papam de Jure spectat, c. Venerabilem, 34. de Elect. & Clem 1. de jurejurand.) ac specialibus desuper expeditis Litteris, Indultum Primarum Precum, ad prævium ejus petitionem concedere soleat; prout patet ex tenore relati Indulti Apostolici: nihilominùs videtur dicendum, quod Imperator Neo electus, nomine, & auctoritate Apostolica, potestatem nominandi, seu Primas Preces ad beneficia vacatura interponendi, vigore memorati Indulti concedi solitam, statim, ac concorditer electus fuit, erga personas bene meritas, exercere valeat, idque ob cognitam benignitatem Summorum Pontificum, qui memoratum Indultum litteris, etsi posteriùs datis, non dubitanter sunt concessuri, sicque ratihabituri nominationes ad beneficia authoritate ipsorum jam anteà factas; nam ratihabitionem retrotrahi, & mandata non est dubium comparari, juncta Reg. 10. Jur. in 6. Ita Henricus Wagnereck ubi suprà. §. 1. v. Quæres, & seqq. Pirhing. h. t. n. 371. Engel eod. n 70. in fin. qui ad istud adducunt recens exemplum Ferdinandi IV. Augustæ Vindelicorum post electionem suam, nemine improbante, sic practicantis: quamvis Jo. Chokier in Scholiis de Primis Precibus, sect. 2. q. 12. de hoc dubitet, istamque quæstionem relinquat indecisam.

Quæritur III. Ad quæ beneficia virtute Indulti Apo- 575
stolici possit Imperator Neo electus Primas preces, seu nominationes porrigere? Resp. I. Virtute memorati Indulti Apostolici potest Imperator in omnibus Ecclesiis, intra fines Sac. Rom. Imperii, prout nunc est, consistentibus etiam Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, & quibuscunque aliis, Primas preces, seu nominationes de personis idoneis porrigere, quas ordinarii Collatores, vel Collatrices, postquam illis sic provisum fuerit, omnino recipere, atque nominatos ad vacantia beneficia admittere tenentur: ita tamen, ut idem Collator, seu Collatrix non nisi semel, id est, pro unico tantum beneficio, graventur. Ita Authores, qui suprà, & patent singula ex tenore Indulti Apostolici proximè relati.

Di-

576 Dicitur notanter, *in omnibus Ecclesiis, intra fines Sac.*
Rom. Imperii, prout nunc est, existentibus. Quia Indul-
tum illud porrigendi Primas Preces solummodo conce-
ditur Imperatori per Romanum Imperium, prout nunc
est: non autem pro Provinciis, & Regnis olim ad id
pertinentibus, sed hactenus ab eodem avulsis. Siquidem
in istis nullam ampliùs jurisdictionem habet Imperator.

577 Quòd si verò Collator, vel Collatrix habitet extra Di-
tiones Sac. Rom. Imperii, sed intra illud habeat quæ-
dam Beneficia conferenda, saltem quatuor: tunc ipse, vel
ipsa, putà Abbas, vel Abbatissa, videtur teneri ad re-
cipiendas Primas Preces Imperatoris ratione dictorum
Beneficiorum, utpote consistentium intra fines Imperii.
Ratio hujus est: quia Pontifex concedens Indultum,
non respexit ad domicilium Collatorum, sed ad locum,
in quo Beneficia consistunt; uti desumitur ex illis verbis
relatis Indulti: *Per S. Romanum Imperium videlicet Con-*
stitutorum; Jo. Chokier *l.c. sect. 2. post q. 17. ℣. Per sacrum -*
Vvagnereck *d. cap. Is cui, §. 2. Not. 2. b. t. in 6.* Pirhing
eod. n. 367. Not. 2. Qui proin econtrà inferunt, secùs esse
dicendum, quando Collator habitat quidem in Imperio,
sed Beneficia conferenda consistunt extra illud: quia
tunc non tenetur Collator ille admittere Primas Preces
Imperatoris, argumento à sensu contrario desumpto.

578 Et additur, *ita tamen, ut idem Collator non nisi semel*
gravetur &c. Istud enim expresse habetur determinatum
in relato Indulto Apostolico, illis verbis: *Salvo, quod sin-*
gulæ collationes, & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultrà quam in
uno beneficio non graventur: Nec immeritò: tum quia alio-
quin non primæ, sed secundæ Preces fore censerentur.
Tum quia Papa nunquam intendit eundem Collatorem
super pluribus beneficiis, aut receptione duorum grava-
re, nisi istud exprimat, *c. Mandatum, 38. de Rescript.*
juncta Glossa *vers. Super receptione duorum*, & DD. *ibid.*
Unde consequens est, quòd nec Imperatori talem tribuat
facultatem, in præjudicium Collatorum ordinariorum,
quibus alias vix ampliùs super esset occasio conferendi.

579 Gravasse autem semel Collatorem censetur Impera-
tor, quando hujus Preces Primariæ ad effectum perve-
nerunt, atque Nominatus actu beneficium sibi præsen-
tatum obtinuit. Alioquin verò, si hic primis precibus
Imperatoris pro se factis renunciaverit, aut morte præ-
ventus, vel quocunque alio impedimento detentus be-
neficium illud non obtinuerit; nihil prohibet, quin Im-
perator novas preces pro alio ad eundem Collatorem di-
rigere valeat. Chokier, *ubi suprà, quæst. 5.* Pirhing
h. t. n. 373. Engel *eod. n. 70. vers. 2. potest.*

580 Resp. II. Dantur tamen plura Beneficia, quæ sub
primis precibus Imperatoris, seu potestate nominandi
ad ea, non comprehenduntur. Ita certa, & communis,
ac patet inductione. Sic imprimis hinc excipiuntur Di-
gnitates Pontificales; nec non Dignitates majores post
Pontificales in Cathedralibus, & principales in Colle-
giatis: uti patet ex tenore indulti Apostolici primarum
precum, *n. 573.* relati ibi: *Dummodò Dignitates ipsæ in*
Cathedralibus, & Metropolitanis post Pontificales majo-
res, aut Collegiatis hujusmodi principales non existant.
Quæ autem censeantur ejusmodi majores, vel principales
Dignitates, dictum est suprà *§. præced. n. 550.*

581 Deinde excipiuntur Prælaturæ Regulares, seu Di-
gnitates in Monasteriis: ut Abbatia, Decanatus, Prio-
ratus Conventuales. Talia enim beneficia ex natura sua
sunt Regularia, supponuntque professionem Religio-
sam: nam Abbas eligi non potest, nisi professus, *c. Cùm*
in magistrum 49. de Election. Idemque dicendum esse de
simplici Monachatu, vel Canonicatu Regulari, quòd
videlicet non cadat sub primis precibus Imperatoris, pro-
bat eadem ratio; simulque recepta consuetudo, quæ est
optima legum interpres, *cap. Cùm dilectus, 8. de Con-*
suetud. Alioquin certè multùm turbaretur pax Religio-
sa, bonumque regimen Monasteriorum.

582 Nec obstat tenor Indulti Apostolici Primarum Pre-
cum, ibi: *Super singulis beneficiis ecclesiasticis, sæcularibus,*
vel Ordinum hujusmodi Regularibus; Resp. enim cum
Henric. Vvagnereck *in cit. c. Is cui §. 2. vers. Beneficio-*
rum Ecclesiasticorum b. t. in 6. quòd beneficia Regularia
alia sint ex natura sua talia; ut sunt proximè dicta. Alia
verò per accidens solum, putà, quia sunt regularia ex
fundatione, vel legitima præscriptione: ut Parochiæ
per Regulares administrari solitæ, *c. Cùm de beneficio 5.*
b. t. in 6. atque de hisce beneficiis Regularibus posterio-
ris generis, procedunt relata verba Indulti Apostolici
Primarum Precum: quamvis prissimi Imperatores, ne
quoquo modo turbent disciplinam Regularem, etiam
horum beneficiorum Regularium dispositionem ple-
rumque soleant relinquere Prælatis, & Superioribus
Ordinum. Vvagnereck *loc. cit.* Nisi dicere placeat, istud
ex eo contingere, quòd Parochiæ, seu alia ejusmodi Be-
neficia Regularium, à potiori sint accessoriè unita ipso-
rum Monasteriis, sicque redeant dicta superiùs *n. 339.*

Tertiò, ab Indulto Primarum Precum excipiuntur 583
beneficia, quæ sunt juris patronatus Laicorum. Huic
enim Pontifex nunquam censetur derogare, nisi hoc
ipsum clarè exprimat; ne cæteroquin Laici quoquo mo-
do retrahantur à fundandis, ædificandis, vel dotandis Ec-
clesiis, aliisque Beneficiis. Glossa *c. Cùm dilectus 28. vers.*
Quemplam præsentare in fin. de Jure patronat. Chokier,
ubi suprà sect. 2 v. Præsentationem, citans alios. Secùs ta-
men est dicendum de beneficiis jurispatronatus Eccle-
siastici, utpote in quibus cessat allata ratio: simulque, quia
Indultum Primarum Precum inter aliam expressam
mentionem facit de beneficiis ad quorumvis *præsentatio-*
nem pertinentibus. Accedunt dicta superiùs *n. 395. & 424.*

Quartò, Primæ Preces Imperatoris locum non ha- 584
bent, nisi Collator ordinarius ad minùs quatuor benefi-
cia conferre possit: nam, si is unum duntaxat, vel al-
terum conferendum habeat, aut saltem non nisi tria be-
neficia conferre possit, non tenetur Collator hujusmodi
Primas Preces Imperatoris admittere. Quinimò hæc
clausula, *Salvo, quod ipsi Collatores, vel Collatrices, saltem*
quatuor beneficia Ecclesiastica conferre habeant, Indulto
Apostolico Primarum precum porrigendarum, Imperato-
ribus Neo-electis concedi solito, expressè inseri consue-
vit: ne alioquin facilè contingat, ut quis toto vitæ suæ tem-
pore impediatur ab usu juris liberæ suæ collationis. Tex-
tus memorati Indulti *n. 573.* relatus. Vvagnereck *ubi su-*
prà §. 2. vers. saltem quatuor. Pirhing *h. t. n. 370. limit. 3.* En-
gel *eod. n. 70.* ac præsertim Chokier *cit sect. 2. vers. Saltem*
quatuor beneficia: qui ibidem *vers. Super singulis beneficiis*
Ecclesiasticis, nonnullas alias limitationes adducit.

Dices. Indultum Primarum Precum repugnat & Juri 585
communi, & Concordatis Germaniæ; ergo non vide-
tur admittendum. Antecedens probatur. Tum quia
Primæ Preces sapiunt naturam Gratiarum expectativa-
rum, quæ cùm inducant votum captandæ mortis, etiam
Gentilibus exosæ fuerunt, eorumque Legibus prohibitæ;
ut legitur *cap. 2. de Concession. Præbend.* Tum quia in
Concordatis Germaniæ conceditur Collatoribus ordina-
riis libera collatio beneficii vacantis in mensibus alter-
nis: sed talis facultas impeditur per Primas Preces Im-
peratoris. Resp. neg. consequent. Quia enim Indultum
Primarum Precum conceditur authoritate solius Papæ
(qui de Jure potest suprà Jus dispensare, *c. Proposuit 4. de*
Concession. Præbend.) & quidem intuitu eximiorum me-
ritorum Imperatoris erga Ecclesiam, quam veluti Ma-
trem, & Dominam recognoscit, ejusque fidelem Advo-
catum, Pugilem, & Athletam adversus Schismaticos,
Hæreticos, Turcas, aliosque Fidei & Christi Nominis
hostes se profitetur atque exhibere consuevit: hinc neu-
trum allegatorum inconvenientium urget. Et quidem,
qua ratione Pontifex sua suprema potestate tollat defor-
mitatem, quam videntur continere Gratiæ expectativæ,
dicetur inferiùs *Tit. 8. De Conc. Præb. &c. §. 3. n. 43.* Ad
alterum patet ex eo: quia sæpè dictum Indultum Aposto-
licum quoad Primas Preces ab Imperatore interponen-
das expressè derogat Concordatis Germaniæ, ibi: *Non*
obstantibus - Concordatis Nationis Germanicæ, ac eorundem
Concordatorum confirmatione. Quia enim privilegium Pri-
marum Precum est longè antiquius Concordatis Ger-
maniæ, juxta dicta *nu. 571.* non sustinuisset Fridericus
Imperator, author Concordatorum, per hæc quidpiam
derogari suo, suorumque Successorum Imperatorum
tam eximio, speciali, simulque pervetusto privilegio.

Quæritur IV. An Imperator eandem personam, por- 586
rectis Primis Precibus, possit nominare ad plura Benefi-
cia? Resp. Affirmativè: ita tamen, ut quam primùm pro-
ejusmodi persona de aliquo dictorum beneficiorum pro-
visa fuerit, cesset nominatio ipsius quoad alia Beneficia.
Patet

Patet illud ex tenore Indulti Apostolici, suprà *n. 573.*
jam relati: *vers. Ita quod Celsitudo*: & ampliùs declarat
Chokier *ibid. in Schol.* asserens, id fieri posse vel *simul*;
putà, quia Cæsar per idem Diploma, atque sub unico
contextu verborum, quempiam nominat ad diversas Ec-
clesias, seu Canonicatus, Vel *successivè*, putà, hodie no-
minando Precistam ad Canonicatum Frisingensem pro-
ximè vacaturum, & cras per aliud diploma nominando
ipsum ad Canonicatū Augustanum, vel Ratisbonensem.

587 Proderit autem hujusmodi multiplicata ad plura be-
neficia nominatio, ut quis certiùs, citiusque consequa-
tur beneficium: nam citiùs solet contingere vacatio
quædam in pluribus, quam in una solummodò Ecclesia.
Quamvis hac eveniente, atque subsecuta collatione
beneficii, omnes aliæ gratiæ, seu nominationes ad alia
beneficia mediantibus Primis Precibus factæ, illicò ces-
sent: Ne videlicet præter intentionem concedentis quis
plura Beneficia consequatur, contra *c. Si de Multa 28.*
b. t. cum similibus, & contra *c. Si Clericus 11. eod. in 6.*
juncto textu memorati Indulti Apostolici, ibi: *Ita ta-*
men, quod quamprimum persona sic nominata, de aliquo
beneficio provisa fuerit, ejus nominatio quoad alios Colla-
tores, vel Collatrix facta, ipso jure expiret.

588 Per hoc tamen non negatur, quin etiam post adeptum
priùs beneficium, sicque consumptam priorem gratiam,
seu nominationem, possint eidem Precistæ per Impera-
torem novæ Preces Primariæ ad aliud beneficium porri-
gi. Tum quia per hoc nulli generatur præjudicium; eò
quòd quælibet Ecclesia, vel Collator non nisi semel per
interpositionem Precum Primariarum gravari valeat.
Tum quia vel posterius beneficium est compatibile cum
priori, & tunc Precista potest utrumque simul retinere:
vel illud est incōpatibile cum priori; & tunc per illius as-
secutionem pacificam vacat prius Beneficium ipso jure,
cit. c. De multa b. t. sicque rursus nullum oritur inconve-
niens, quamvis Precistæ subveniatur per collationem
posterioris beneficii, veluti pinguioris, aut alias sibi
magis proficui. Tum tandem, quia memorata clausula
Indulti Apostolici, *Ita tamen, quod quamprimum &c.*
solùm intelligenda est de cæteris Primis Precibus, quas
anteà obtinuit Precista pro diversis Ecclesiis ad citiùs
consequendum hac ratione beneficium: non autem tol-
lit Imperatori facultatem concedendi alias Primas Pre-
ces tali Precistæ post prioris gratiæ consumptionem. Ro-
ta *Decis. 738. apud Card. Seraphinum*, quam allegat, &
sequitur Chokier, *ubi suprà, Sect. 3. ℣. Ita tamen quòd.*

589 Quæritur V. Infra quod tempus teneatur Precista
acceptare Beneficium vacans; & quid, si intra illud negli-
gat istud acceptare? Resp. I. Ut Preces Primariæ Impe-
ratoris suum sortiantur effectum, tenetur Precista infra
mensem, postquam ipsi vacatio oblati Beneficii innotue-
rit, per se, vel per Procuratorem ad id speciale manda-
tum habentem, ejusmodi beneficium acceptare: sicque
ante elapsum mensem Collatori ordinario, v. g. Episco-
po, vel Capitulo capitulariter congregato, insinuare Re-
scriptum Precum Imperatoriarum. Ita Chokier *in Pre-*
ces Primarias, sect. 4. v. Intra mensem & v. Duxerint acce-
ptanda. Pirhing *h. t. n. 377.* Idque patet ex tenore indulti
Apostolici ab eadem relati, illis verbis: *Et quæ personæ,*
pro quibus Preces, seu Nominationes ad illa (Beneficia)
se extendant; infra mensem, postquam ipsis vacatio hujus-
modi beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda. Atque
istud meritò statutum fuit, eo quod diutina Ecclesiarum
vacatio, soleat eis esse dispendiosa, *c. Quam sit Eccle-*
siis; de election. in 6.

590 Resp. II. Mensis iste datus ad acceptandum Benefi-
cium incipit currere à die, quo ipsi Precistæ innotuit va-
catio illius beneficii. Textus est in citato indulto Apo-
stolico: illis verbis: *Infra mensem, postquam ipsis vacatio*
hujusmodi beneficiorum innotuerit. Atque talem notitiam
censetur Precista habere à tempore vacationis jam noto-
riæ in loco, vel Ecclesia beneficii vacantis: & alioquin is
imputet sibi, si in hoc casu, quo de ipsius commodo agitur
id quod per se, vel per alium scire poterat, ignoravit, jux-
ta textum notabilem in *Clem. un. §. fin. de conc. Præb.* Qua-
quam Chokier, *ubi sup* & post ipsum Pirhing *b. t. n. 378.*
illud intelligendum censeat, nisi Precista justam ignoran-
tiæ causam probaret: putà, quia longè distabat à loco va-
cantis beneficii, vel quia Procurator suus, quem habebat
in loco beneficii, interea mortuus fuerat, vel hujusmodi.
Gloss *in cit. Clem. un. vers. Nota erit de conc. Præb.*

Resp. III. Post elapsum mensem, ac nulla facta insi- 591
sinuatione Primarum Precum Imperatoriarum, Colla-
tor ordinarius potest conferre Beneficium vacans: si ta-
men non contulerit, tunc re adhuc integra, poterit Pre-
cista etiam post mensem, insinuando Preces Primarias
Imperatoris, acceptare beneficium. Ita Chokier *loc. cit.*
vers. Post mensem. Vvagnereck, *ubi suprà §. 3. vers.*
Quæres II. Pirhing *b. t. num. 378.* Prior pars probatur ex
eo: quia collator ordinarius nullo jure impeditur, quo
minùs conferat post mensem, postquam precista neglexit
eidem, ut debuerat, primas preces insinuare

Altera pars, spectato Jure communi, non caret diffi- 592
cultate. Siquidem fines Mandati, imò & indulti Apo-
stolici, diligenter sunt observandi, *c. Cùm dilecta, 22. de*
rescript. & l. Diligenter ff. Mandati, ergo, cum in indul-
to Apostolico pro insinuatione Primarum Precum assi-
gnetur spatium unius mensis, videtur dicendum, quod
post illud Precista nequeat ampliùs acceptare benefi-
cium, insinuando tunc primùm Preces Primarias. Ve-
rùm respondetur illud procedere ampliùs non integra,
secùs dicendum re adhuc integra, seu quando beneficium
necdum alteri collatum fuit. Tunc enim posse adhuc ac-
ceptari Beneficium post mensem, probatur ex clausula,
non obstantibus quæ indulto Apostolico *sect. 5. §. 1.* habe-
tur inserta, illis verbis: *de insinuatione, publicatione & di-*
ligentiis per acceptantes desuper faciendis. Nam per hanc
clausulam remittitur insinuatio, Publicatio, & diligen-
tia de insinuatione acceptationis beneficii intra mensem
necessariò facienda, ubi res adhuc existit integra; atque
hæc relinquitur arbitrio Nominati, qui proinde re inte-
gra etiam post mensem poterit insinuare Primas Preces,
Beneficiumque acceptare. Alioquin verò, si non esset
addita ista clausula derogatoria, existimat Chokier, *ubi*
suprà, vers. Intra mensem, quòd Precista excideret suis
Precibus, si intra mensem per se, vel per alium non ac-
ceptaret: cùm hoc ipso non censeretur observare for-
mam, qua non observata actus est nullus. Ac per hoc
probatur simul altera pars datæ Conclusionis.

Quæritur VI. An Precista post acceptatum semel Be- 593
neficium possit variare, & ab illa acceptatione tacitè,
vel etiam expressè resiliendo, petere secundum Benefi-
cium vacans, nullique adhuc debitum? Ratio dubitandi,
& Affirmativam tenendi, est: quia in indulto Apostolico
Primarum Precum *sect. 4.* videtur relictum opinioni ipso-
rum Precistarum, quod beneficium vacans ex pluribus sibi
oblatis velint acceptare: uti desumitur ex verbis illis *n.*
589. relatis: *Duxerint acceptanda*, Verùm his non ob-
stantibus

Resp. II. Precista post acceptum semel beneficium ne- 594
quit variare, nec posteà petere secundum vacans, si negli-
gens fuerit in acceptando primo beneficio. Ita Chokier,
ubi suprà, sect. 4. v. intra mensem v. Dubitatur ulterius,
& Pirhing *b. t. n. 379.* Ratio est. Tum quia Jura impro-
bant variationem: ut *l. Servi electione, §. 1. ff. de Legat. 1.*
ibi: *Servi Electione legata, semel duntaxat optare possu-*
mus: juncto *cap. unic. de Postulat. Prælat. in 6.* & Reg.
21. Jur. in 6. *Quod semel placuit, ampliùs displicere non po-*
test: cum concordantiis Tum quia juxta *c. Si Clericus, 11.*
§. 1. de Præb. in 6. quando Clericus, cui mandabatur pro-
videri de Præbenda primò vacatura, negligit eam sibi
debitam petere, aliam postmodùm prætextu ejusdem
Mandati petere nequibit: *Cùm facta ei gratia per ipsius*
negligentiam sit extincta; ut loquitur Pontifex ibidem.

Nec obstat ratio dubitandi *n. 593.* allata nam per clau- 595
sulam illam, *Duxerit acceptanda*, solummodò tribui-
tur precistæ facultas, ut possit acceptare primum Be-
neficium vacans, si velit, atque istud acceptandum duxe-
rit: sin aliter, possit expectare secundum vacaturum,
illudque acceptare, si nec istud, tertium, & sic de cæteris.
Non verò per clausulam illam tribuitur precistæ facul-
tas variandi, postquam semel primum vacans Benefi-
cium oblatis precibus primariis acceptavit. Quinimò
clausula illa satis apertè oppositum innuit, dum per-
mittit quidem libertatem de acceptando, non verò de
variando post factam semel acceptationem: junctis præ-
sertim juribus proximè allegatis. Chokier *loc. cit.* Vva-
gnereck, *ubi suprà, vers. Quæres III.* Pirhing *cit. n. 379.*
Resp. II.

596 Resp. II. Limitatur tamen data Conclusio in nonnullis casibus, in quibus post acceptatum prius Beneficium vacans, potest precista petere secundum. Sic quippe contingit, quando primus actus acceptationis fuit invalidus: tunc enim reiterandus est, reiterarique potest, *leg. Qui per salutem, ff. de Jurejurand.* Deinde idipsum contingit, quando precista acceptans Beneficium primò vacans, non potest consequi illud, quod acceptavit, *arg. leg 2. ff. de Optione legat. & l. Si maritus, §. fin. ff. Ad Leg. Jul. de Adulter.* Chokier *loc. cit.* allegans Hostiensem; *cap. Quia in cunctis, §. penult. de Concession. Præbend. in 6.* & duas alias limitationes subjungens, quæ tamen in re sub prioribus comprehenduntur; atque videri possunt apud ipsum, vel Pirhing, atque Vvagnereck, *ubi suprà.*

597 Quæritur VII. Quid dicendum de Executoribus Primarum Precum per Imperatorem deputandis? Resp. I. etsi nominatio ad Beneficium Ecclesiasticum virtute indulti Apostolici per Imperatorem, quantumvis Laicum facta, censeatur Papalis; cum is facere intelligatur, cujus auctoritate vel mandato actus fieri probatur, *cap. Mulieres, 6. §. fin. Sentent. excomm. & cap. Qui facit per alium 72. de Reg. jur. in 6.* cum similibus. Quia tamen facilè contingeret, ut Ordinarii collatores non parerent Imperatori noviter creato, ejusque primis precibus: hinc Pontifex eidem concedit Executores, qui per se, vel alium, seu alios compellant collatores ordinarios ad conferendum precistis Beneficia vacantia, juxta tenorem primarum precum Imperatoriarum. Patet istud ex textu Indulti Apostolici Imperatoribus Neo-electis concedi soliti, quòd verbatim refert Chokier, *ubi suprà, sect. 4.* Simile quid habetur *cap. Cùm nostris 6. de concession. Præbend. & cap. Constitutus, 19. de Rescription.* & alibi sæpè, ubi pariter pro executione Litterarum Apostolicarum ad beneficia, deputantur certi Executores.

Resp. II. Executores hujusmodi, nec non eorum Subexecutores, quos illi pro seipsis subdelegaverunt, debent habere qualitates illas, quæ ex parte Delegati Apostolici requirunt *in c. Statutum de Rescript. in 6.* nempe, ut sint in Dignitate Ecclesiastica constituti, vel Personatum obtineant, seu Cathedralium Ecclesiarum Canonici existant. Ita Chokier *cit. Sect. 4. vers. Quodque quicunque, & V. Per se vel alium,* post Rotam *Decis. 99. Nota per executor in Antiq.* & concordant dicta superius *Lib. 1. Tit. 29. de Officio & potestate Judicis Delegati §. 3. n. 70. & 73.* ubi & hujus ratio redditur. 598

Resp. III. Executores, ac Subexecutores memorati, authoritate Apostolica, etiam per censuras Ecclesiasticas, exequi possunt Primas Preces: habentque eadem authoritate Apostolica liberam facultatem præstandi ea omnia, quæ ad dictarum Precum, seu nominationum Imperatoriarum effectus consequendos opportuna fuerint. Ita textus expressus memorati Indulti Apostolici *Sess. 4.* & Chokier *ibid.* apud quem plura alia videri poterunt de Precibus Primariis Imperatoris, quamvis præmissa sint cæteris notabiliora, scituque magis necessaria. 599

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

1 Visum est suprà *Tit. 4.* de obligatione Clericorum beneficiatorum ad personaliter residendum in suis Beneficiis, & de non residentium pœnis: restat, ut post declaratam *Tit. præced.* naturam ipsorum Beneficiorum, mentio fiat de Clericis ægrotantibus, aut debilitatis, qui vel ob nimiam senectutem, vel ob lepram, aliumve morbum incurabilem, ampliùs residere, seu personaliter commissæ sibi Ecclesiæ deservire non valent; examinando videlicet, an etiam hi sint privandi Beneficiis suis, vel fructibus eorum, aut qua alia ratione cum ipsis sit procedendum. Unde sit

§. I.

Solvuntur varia Dubia de Clericis ægrotantibus: ubi & de salario Famulorum infirmorum.

SUMMARIUM.

1 *Ordo continuationis Rubricarum.*
2 *Clericus ob infirmitatem nequit Beneficio, aut fructibus ejus privari. Et n. seqq.*
3 *Atque oppositum turbaret statum Ecclesiasticum, nedum præsentem, sed & futurum.*
4 *Clericus etiam propria culpa in morbum incidens, nequit privari fructibus beneficii &c.*
5 *Dummodò, dum sanus esset, residere consueverit.*
6 *Canonici ob infirmitatem absentes, non tenentur inservire per Substitutum.*
7 *Beneficiatus, v. g. Capellanus infirmus ad breve tempus non videtur teneri ad suppletionem Missarum omissarum.*
8 *Nisi Litteræ Fundationis expressè aliud disponant.*
9 *Vel specialis Ecclesiæ constitutio, aut consuetudo aliud exigat.*
10 *An Famulis infirmis salarium sit præstandum, variant Doctores.*
Refertur sententia affirmativa, una cum rationibus suis. Ibid.
11 *Sententiæ negativæ fundamenta adducuntur. Et num. seqq.*
12 *Dominus contra Famulum infirmum agere non potest ad interesse: licèt possit petere exonerationem salarii.*
13 & 14 *Solvuntur rationes sententiæ affirmativæ.*
15 *Dantur tamen aliqui casus, in quibus Dominus suis expensis curare tenetur Famulum infirmum.*
16 *Teneturque huic subministrare cibaria, & in eo curando saltem modicas facere expensas.*
17 *Episcopi, Clerici curati, atque Beneficiati obligati ad celebrationem certarum Missarum, si infirmentur, tenentur pati, ut eis constituatur Coadjutor.*
18 *Dummodò eorum infirmitas sit incurabilis, & perpetua.*
Secùs, si hæc sit solùm temporalis: quia tunc possunt sibi ipsis constituere Vicarium temporalem. Ibid.
19 *Ad cedendum tamen beneficio non possunt cogi, etiam ob morbum perpetuum.*
20 *Intelligendo istud non solùm de Episcopis, sed etiam de aliis beneficiatis.*
21 *Perpetuò ægrotantes, aut debilitati, an possint ad Ordines promoveri, vel in jam susceptis ministrare? Remissivè.*

2 Quæritur I. Utrùm Clericus beneficiatus, qui ob perpetuam infirmitatem munera sui Beneficii peragere nequit: beneficio, aut fructibus ipsius privari possit? Resp. I. Nullus Clericus ob quamcunque infirmitatem impeditus, quo minus Officia Beneficii sui personaliter præstare valeat, idcircò potest beneficio, aut fructibus ejusdem privari: sed illis omnibus, imò & distributionibus quotidianis, licitè fruitur, dummodò, cùm sanus esset, residere consueverat. Ita communis; & habetur expressè decisum *c. 1. h. t.* ubi Summarium breviter sic habet: *Clericus infirmus integrè percipit fructus beneficii sui.* Accedit ratio ibidem in textu allata, & maximè ponderanda, illis verbis, *Quia, si alii ejus exemplo deterriti, forte non posset, qui militaret Ecclesiæ, reperiri.* Hæc ibi.

3 Quinimò ex relato Juris textu infert Abbas *ibid. n. 3.* quòd

quòd privare Clericos infirmos suis redditibus, videatur turbare statum Ecclesiasticum, nedum præsentem, sed & futurum: si enim Clerici ægrotantes tam inhumaniter tractarentur, cæteri deterrerentur à Clericatu. Accedit, quòd afflicto non sit addenda afflictio, *c. 5. h. t. & can. Cùm percussio 7. q. 1.* cum similibus. Et alioquin Clericus infirmus, atque per subtractionem fructuum Beneficialium denuò afflictus, haud immeritò gemebundus exclamaret ad Dominum, illis Prophetæ verbis *Ps. 68. Quoniam, quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

4 Dicitur imprimis in data Conclusione, *Clericus ob quamcunque infirmitatem impeditus.* Ad comprehendendum quoscunque Clericos verè infirmos, etiamsi propria culpa in morbum inciderint, *arg. can. Cùm percussio 7. q. 1.* ac notat Covarruvias *lib. 3. Variar. Resolut. c. 13. n. 8. vers. Septimo.* Barbosa *in cap. 1. n. 3. h. t.* citans alios, junctis dictis suprà *Tit. 4. De Clericis non residentibus §. 7. n. 194.* ubi etiam *n. 193* declaratur, quæ infirmitas censeatur sufficiens ad excusandum beneficiatum à residentia personali atque percipiendas distributiones in absentia. Et additur ly, *impeditus*, ad excludendos Clericos delicatulos: si enim infirmitas sit tam levis, ut judicio periti Medici, vel aliorum, quorum interest id dijudicare, Clericus non impediatur Chorum accedere, & alia Beneficii sui Officia peragere, is non excusatur à residentia, neque recipit licitè distributiones quotidianas in absentia.

5 Dicitur ulteriùs, *Dummodò, cùm sanus esset, residere consueverat.* Quia si nec sanus residere, atque Officiis Divinis interesse, cæterasque obligationes Beneficii sui personaliter peragere solitus fuisset, infirmitas superveniens non præstaret impedimentum: ac proinde non præberet justam causam percipiendi distributiones quotidianas in absentia, juxta dicta superiùs *cit. Tit. 4. De Clericis non residentibus &c. §. 7. n. 292.*

6 Resp. II. Adeò procedit data Conclusio, ut Canonici ob legitimum impedimentum infirmitatis absentes non teneantur sibi Coadjutorem adjungere, aut inservire per Substitutum. Ita desumitur ex *cap. un. de Cleric. non resident. in 6.* ac tradit Fagnanus *c. Nulla n. 73. de Concession. Præbend.* asserens, ita fuisse millies resolutum; & concordant dicta superiùs *Tit. 4. de Cleric. non resident. §. 4. n. 423.* Quinimò Canonicus absens ex causa infirmitatis, non solùm percipit distributiones quotidianas quomodocunque, sed etiam quoad portionem accrescentem: hoc est, quoad portionem earum distributionum, quæ ab aliis Canonicis, sine legitimo impedimento à Choro absentibus, amissæ fuerunt, sicque cæteris accrescunt. Fagnanus *c. Licèt n. 139. de Præbend.* allegans sententiam Sacræ Congregationis; quod ipsum repetit *in c. Cùm percussio n. 28. & seq. de Cleric. ægrotant.* Nec immeritò: tum quia Clericus infirmus quoad perceptionem distributionum quotidianarum, per juris fictionem habetur pro præsente, ac interessente, *cit. cap. un de Cleric. non resident. in 6.* Tum quia in materia juris accrescendi portio accrescit portioni, non personæ, *l. Cùm ex filio §. fin ff. de Vulgar. & pupil. substitut.* & notat Fagnanus *cit. c. Cùm percussio n. 32. h. t.* post Ripam *in l. Re conjuncti ff. de Legat. III.* & DD. *ibid.* Atqui Clerico infirmo debentur distributiones portionis principalis; ergo ei etiam debentur distributiones quoad partem portioni principali accrescentem.

7 Resp. III. Insuper Beneficiatus, puta, Capellanus, ex obligatione Fundationis ad certum Missarum numerum singulis hebdomadibus celebrandarum obstrictus, si ad breve tempus, infirmetur, putà, ad unam vel alteram hebdomadam (aut juxta Lugonem, & Laymanum mox citandum, ad unum mensem) non videtur teneri ad recompensationem, seu suppletionem Missarum tunc omissarum. Ita Petrus Navarrus *lib. 2. de Restitutione, c. 2. n. 210.* Layman *lib. 5. Theol. Mor. tr. 5. cap. 3. n. 7.* Lugo *disp. 21. de Eucharist. n. 49.* Bernard: Sannig *dist. 5. Missa q. 8. n. 5.* Ratio est: quia piè præsumendum est, Ecclesiam, vel Fundatorem, non intendisse tam arctam obligationem, ne alioquin Beneficiarius, à Deo infirmitate percussus, ampliùs affligatur; carendo videlicet necessariis vitæ subsidiis, si præter impensas Medicorum, etiam in recompensationem Missarum, tunc absque sua culpa omissarum, novas expensas facere cogeretur, contra *can. Cùm percussio 7. q. 1. & c. 5. h. t.* cum similibus. Accedit, quòd etiam Dominus temporalis, si pius est & benignus, non soleat detrahere de mercede Famuli sui infirmi, tametsi de jure detrahere posset, ut multi Doctores volunt, juxta proximè dicenda: quid ni pariter liceat piè præsumere de benignitate primorum Fundatorum, Sanctæque Matris Ecclesiæ, pias eorundem Fundationes materno affectu acceptantis, atque interpretantis.

Limitatur tamen istud, quando Litteræ Fundationis expressè aliud disponunt, atque exigunt: putà, quia volunt, ut Clericus quotidie vel præscriptis diebus, per se, aut per Substitutum celebret, quatenus hac occasione populus Missam audire valeat, aut in majori reverentia locus existat. Tunc enim, cùm verba Fundationis sint clara, non est locus interpretationi, seu præsumptioni in contrarium, ne quis nodum in scirpo quærere videatur: adeoque Clericus acceptans ejusmodi Beneficium, saltem per Substitutum suæ obligationi, huicque expressæ & speciali Fundatorum intentioni, satisfacere tenetur. 8

Limitatur idipsum in casu, quo specialis cujusque Ecclesiæ constitutio, vel recepta consuetudo, oppositum habet, talis enim est observanda. Nam explicare modum, atque rationem satisfaciendi Fundatorum intentioni, pertinet ad legitimum Superiorem, *arg. c. Significatum 11. de Præb.* ac notat Abbas *ibid n. 1.* & Layman, *ubi suprà.* Quod ipsum præstat recepta Ecclesiarum consuetudo, utpote quæ est optima legum, seu fundationum interpres, *c. Cùm dilectus 8 de Consuetud.* Verùm occasione rationis *n. 7.* de Famulo infirmo adductæ. 9

Quæritur II. Utrùm reverà Famulis infirmis salarium sit præstandum pro eo tempore, quo ægrotant? Resp. I. Circa hoc variare Doctores. Et quidem affirmativam sententiam tenet Glossa *in l. Arboribus V. Ægrotante ff. de Usufruct.* & Glossa marginalis *c. un. de Cleric. non resident. in 6.* Speculator *tit. de Locato §. Postquam n. 20.* Innocentius, Jo. Andreas, Hostiensis, & nonnulli alii, quos pro hac sententia citat Covarruvias *lib. 3. Variar. Resolut. cap. 13. n. 8.* Accedit ratio: quia, ut argumentatur Speculator *loc. cit.* servus etiam infirmus nobis servire intelligitur; ut *d. l. Arboribus §. De illo ff. de Usufruct.* ibi: *Nam sæpè & præsentibus servis, licèt non utamur, tamen usumfructum retinemus, puta, ægrotante servo.* Ad hoc ipsum facit textus expressus *in l. Cùm hæres §. Stichus si hæredi, ff. de Statu liberi,* ibi: *Sed si quibusdam diebus aut valetudo, aut alia justa causa impedimento fuerit, quo minùs serviat, & hi anno imputandi sunt: servire enim nobis intelliguntur etiam ii, quos curamus ægros, qui volentes nobis servire, propter adversam valetudinem impediuntur.* Hæc ibi. Confirmatur idipsum Quia per Famulum infirmum non stat, quo minùs Domino suo meliùs serviat: unde locum habere videtur Reg. 41. Jur. in 6. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum,* cum concordantiis. Unde, quòd ipsi debeatur salarium totius temporis, quo operas suas domino locavit, probat textus *in l. Qui operas ff. Locati,* illis verbis: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quo minùs operas suas præstaret. Advocati quoque, si per eos non steterit, quo minùs causam agant, honoraria reddere non debent.* Ad idem facit textus *in L. 1. §. Divus ff de Variis & extraordinar. cognition.* Atque exemplum Clericorum infirmorum, quibus præstantur fructus sui Beneficii, ne afflicto addatur afflictio, juxta proximè dicta. 10

Oppositam sententiam, videlicet Famulo infirmo non deberi salarium, tanquam veriorem amplectitur Abbas *in c. 1. n 9. h. t.* asserens, ita communiter teneri. Idipsum tradit. Ancharanus *c. Propter n. 17* & Imola *n. 10. de Locato.* Covarruvias *cit. lib. 3. Variar. resolut. c. 23. n. 8.* allegans Bartolum *in d. §. Divus, & in l. Operæ ff. de Usu & usufruct. legat.* ubi Dynus, Oldradus, & Albericus. Barbosa *c. 1. n. 5. h. t.* post Azorium *part. 3. lib. 8. c. 14. q. 3.* Dianam *part. 1. tract. de Contractibus, resolut. 86.* & alios. Atque pro hac sententia affertur primò textus ex *l. Si uno §. Item cum quidam ff. Locati* ubi casus contingens in persona illius, qui locabat operas suas, liberat Conductorem à præstatione mercedis. Sic v. g. ubi conduxit quis vecturam certa mercede præstita, alter autem morbo, vel alio fortuito casu impeditus vecturam non 11

præ-

præstitit, nihil ei debetur; imò, quod antea in hunc finem datum fuit, repetitur. Et mox ibidem subjungitur generaliter, *Quod hoc in omnibus personis similiter observandum est.* Unde huic textui non posse benè responderi, notat Jason *l. Defuncto n. 48. ff. de Offic. Assessor.* Ad idem inducitur textus in *l. Si pecuniam ff. de Conditione causa data*, cum concordantiis. Accedit ratio: quia reverà fit per Famulum, utpote infirmum, quo minùs operas suas præstet; ergo, cùm is deficiat in præstandis operis suis, quas Domino locaverat, vicissim Dominus, veluti conductor earundem operarum, poterit negare Famulo salarium.

12 Nec obstat, quòd Famulus non præstando operas præ infirmitate, non peccet, omnique culpa etiam civili careat. Resp. enim, hic solùm sequi, quòd Dominus non possit contra Famulum infirmum agere ad interesse (putà, ad recompensationem damni, quod propter morbum servi, atque intermissas idcircò operas ejus, Dominus incurrit) non autem, quin possit petere exonerationem salarii pro rata temporis intermissarum operarum. Huc facit textus notabilis *in cit. l. Si uno §. Ubicunque ff. Locati*, ubi in simili casu, absque culpa cujuspiam contingente, dicitur: *Ubicunque tamen remissionis ratio habetur ex causis suprà relatis non id, quod sua interest, conductor consequitur, sed mercedis exonerationem pro rata mercedis.* Unde pariter in proposito Dominus, veluti conductor operarum servi, istis absque culpa servi ægroti non præstitis, consequitur exonerationem mercedis, seu quod salarium pro rata temporis solvere non tenetur: licèt non consequatur id, quod sua interest; putà, recompensationem incommodi, quod ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, ob Famuli infirmitatem incurrit.

13 Ad alias rationes pro priori sententia *n. 10.* allatas respondet Covarruvias, *ubi suprà*. Imprimis enim non obstat textus ex *l. Arboribus ff. de Usufruct.* allegatus. Quia probat tantùm, quòd in servo ægrotante retineatur ususfructus: quod parum facit ad propositum, ubi agitur de salario præstando, non de usufructu retinendo. Ad *l. Cùm hæres ff. de Statu liber.* dicitur, ibi sermonem esse de casu speciali libertatis acquirendæ, si per annum quis servierit. Nam quia causa libertatis est favorabilis, *c. ult. de Sentent. & re judicat.* meritò ad eam, vi legati acquirendam, computantur in anno dies infirmitatis: secùs, respectu salarii obtinendi; utpote debiti duntaxat sub pacto operarum præstandarum. Siquidem locatio operarum, est contractus reciprocus: unde una parte non præstante operas promissas, neque altera tenetur præstare salarium, *cit. l. Si uno §. Item cùm quidam & §. Ubicunque ff. Locati.*

14 Ad Confirmationem, scilicet Regulam *Imputari &c.* respondetur negando Assumptum. Nam, ubi Famulus existit infirmus, sicque operari nequit, reverà per ipsum stat, quo minùs operas suas præstet: quamvis in hoc non peccet, neque id sibi imputari possit ad culpam, vel interesse exigendum. Ad *l. Qui operas ff. Locati*, & priorem ejus partem, patet per idem: quia militat incontrarium, cùm in proposito per servum infirmum stet, quò minùs operas suas Domino locatas præstet. Secùs foret dicendum, quando non per Famulum, sed per Dominum, seu Conductorem operarum staret, quò minùs istas præstet: tunc enim totius temporis mercedem accipere debebit, juxta textum allegatum; atque notat Glossa *in l. Si uno V. Personis vers. Cum autem quis ff. Locati.* Ad alteram partem *cit. l. Qui operas*, sicut & ad *L. 1. §. Divus ff. de Variis & extraord. cognit.* dicitur, ibi sermonem esse de Advocatis, uti ex textu patet: his enim ex speciali favore, atque privilegio, propter excellentiam Officii, & ingeniosam professionem suam, debetur promissum salarium: neque honoraria eisdem data repeti possunt, quamvis morbo, aut morte præpediti, totum servitium præstare nequiverint. Nec tandem urget assumpta paritas de Clericis beneficiatis, & Famulis: nam prioribus non tantùm propter laborem personalē, sed etiam propter eorum dignitatem, aliaq; onera Clericalia debentur distributiones quotidianæ, cæteriquè redditus Ecclesiastici: istud autem de infirmis Famulis nentiquam procedit, uti patet.

15 Resp. II. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus Dominus suis expensis curare tenetur Famulum infirmum. Et primò quidem id contingit, quando Famulus infirmus non habet, unde sibi ipsi subveniat: nec existit ibi, aut in propinquo Hospitale pro infirmis, ad quod remitti possit, Dominus autem benè habet, unde ei succurrat. Barbosa *cap. 1. n. 6 h. t.* post Rebellum *de oblig. justit. p. 2. lib. 14. q. 15. n. 2.* & alios. Siquidem tunc urget Lex naturalis de dilectione proximi, ut Dominus subveniat Famulo, veluti proximo suo extremè indigenti, *can. Pasce dist. 86.* ibi; *Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.* Quinimò proximus extremè indigens (ac præsertim Famulus respectu Domini ob majorem inter ipsos respectum) potest implorare Officium Judicis contra alium ut sibi subveniat, si est solvendo. Abbas *c. 1. n. 8. h. t.* Vel denunciare Ecclesiæ illum, qui non dat: & sic Ecclesia poterit eum cogere, ut det, *arg. can. Sicut dist. 47.* juncta Glossa *V. Commune & V. Esurientium*, ac notatis *ibid.*

16 Deinde, quamvis ad magnas impensas, pro Famulo infirmo præstandas, Dominus regulariter non teneatur, juxta hactenus dicta: notat tamen Glossa *in c. 1. V. Ægrotanti*, & Abb *ib. n. 8. h. t.* & Covarruvias *cit. lib. 3. var. Resolut. c. 13. n. 8.* post Bartolum *in l. Si cùm dotem §. fin autem ff. Soluto matrimon o*, & alios, quòd Dominus Famulo ægrotanti teneatur cibaria subministrare, in eoque curando saltem modicas & tenues expensas facere. Nec immeritò: tum quia Famuli ægri, quos curamus, nobis servire intelliguntur *l. Cùm hæres §. Stichus ff. de Statu liber.* Nam & tunc manet obligatio serviendi, licèt ob morbum aut aliud impedimentum, operæ non præstentur. Tùm quia hoc ipsum suadet textus *l. In rebus ff. Commodati*, ubi impendia ciborum, & modicas impensas in valetudine servi commodati factas, cōmodatarius facere cogitur, & factas non repetit: secùs in majoribus expensis, ut ibidē dicitur.

17 Quæritur III. An Clerici ob infirmitatem incurabilem possint compelli ad Coadjutorem admittendum, vel etiam ad cedendum Beneficio, si idcircò nequeant ampliùs fungi Officio suo? Resp. I. Episcopi, cæterique Clerici curati, sicut & simplices Beneficiati ad celebrationem certarum Missarum obligati, quamvis ob infirmitatem Beneficio privari non possint, tenentur tamen pati, ut eis constituatur Coadjutor, vel Vicarius ad peragendum debita Officia, quando eorum infirmitas est incurabilis, ac perpetua. Ita certa, & communis; atque patet ex *c. 3. 4. 5. & 6. h. t.* juncto *c. un. cod. in 6.* Ubi episcopis, Rectoribus Ecclesiarum, Archidiaconis, aliisque Beneficiatis, lepræ macula, vel alio incurabili morbo laborantibus, aut senio confectis, jubetur Coadjutor assignari, per quem debita Officia sub assignatione congruæ sustentationis præstentur; sicq; cura animarū, cultusq; Divinus non negligatur.

18 Additur notanter in Conclusione, *quando eorum infirmitas est incurabilis, & perpetua*: qualis esse solet lepra, cæcitas, morbus paralyticus, ac hujusmodi, de quibus loquuntur Jura proximè allegata: ac præsertim *c. Ex part. 5. cod.* ibi *Gravi, & incurabili morbo. fere per quadriennium laboraverit.* Nam, argumento à sensu contrario desumpto, secùs est dicendum de infirmitate solùm temporali, & adhùc naturaliter curabili, v. g. febri terriana. Tunc enim Clericus ægrotus non tenetur accipere Coadjutorem sibi constitutum; sed ipsemet poterit sibi Vicarium temporalem constituere, quamdiu morbus duraverit, vices suas suppleturum. Jo. Andreas *in c. Consultationibus n. 6.* & Fagnanus *ibid. n. 11. 12. & 13. h. t.* citans Hostiensem *in c. Clericos de Offic. Vicar.* & alios. Quod ipsum desumitur ex *can. Adjicimus 16. q. 1.* juncto Concil. Trid. *Sess. 21. cap. 1. de Reform.* ubi Rectores Ecclesiarum jubentur *sibi tot Sacerdotes ad munus Pastorale adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum.* Unde consequens est, ipsosmet Parochos morbo temporali, seu adhuc curabili laborantes, posse sibi deligere Vicarium (ab Ordinario tamen loci cæteroquin pro cura animarum approbatum) juxta Conc. Trid. *Sess. 23. cap. 1. vers. Eadem omnino & Sess. 25. cap. 11. vers. Nec ibid. de Reform.* cujus ministerio pro exercenda cura animarum ad tempus durantis morbi utatur. Quòd si alicubi de consuetudine, vel speciali ordinatione Episcopi, ad id requiratur, ut ejusmodi Vicarius deputetur ob Ordinario loci, vel consensus istius accedat, id omnimodis in praxi observandum erit, juxta *c. Si quis venerit 2. de Majorit. & obed.* cum similibus.

19 Resp. II. Nihilominùs ad cedendum Beneficio suo Episcopus, aut alius Beneficiatus, ob morbum perpetuum, seu naturaliter incurabilem, quo laborat, compelli non

potest: sed sufficit; si recipiat adjunctum sibi Coadjutorem, sive Vicarium, cum assignatione competentis portionis ad ejus sustentationem de redditibus beneficii. Patet hoc ex *c. 5. h. t.* ibi: *Verùm cum ipsum* (Episcopum gravi, & incurabili morbo laborantem) *ad cessionem compellere non possis, nec debeas ullo modo, ne afflicto afflictio sit addenda, mandamus, quatenus illi Coadjutorem associes virum providum, & honestum; per quem tam Episcopo, quam populo utiliter consulatur.* Hæc ibi.

20 Nec dicas, hoc esse speciale in Episcopis ob sublimitatem Officii, & spirituale conjugium, quod est propriè inter Episcopum, & Ecclesiam. Resp. enim, eandem esse rationem de inferioribus beneficiatis, præsertim curam animarum exercentibus, aut aliam administrationem sive Officium habentibus; prout Jura, & rationes *n. 2. & 3.* allatæ convincunt. Et hinc *cap. ult. h. t.* datur Coadjutor Archidiacono, qui morbo paralytico laborans Officium linguæ amiserat. Similiter *cap. 3. & 4. eod.* jubetur dari Coadjutor Rectoribus Ecclesiarum, lepræ macula infectis: atqui per Rectores Ecclesiarum, ex proprietate vocabuli, intelliguntur Parochi, aliique inferiores Curati, *arg. c. ult. de Præbend.* cum concordantiis; ac notat Fagnanus *In cap. De rectoribus n. 5. h. t.*

21 Quæritur IV. Utrùm perpetuò ægrotantes, aut alias debilitati, possint ad sacros Ordines promoveri, aut in Ordinibus jam susceptis ministrare? Resp. De hoc ex professo jam dictum est suprà *Lib. 1. Tit. 20. de corpore vitiatis ordinandis, vel non*, per totum, præsertim verò, & quantùm attinet alteram partem, *n. 8. 11. & 12. ac 19.* ibi videatur.

§. XII.

De Coadjutoribus Clericorum ægrotantium.

S U M M A R I U M.

22 Coadjutor, & Coadjutoria, quid?
23 Coadjutor propriè non dicitur Prælatus, seu Rector Ecclesiæ.
24 Habet curam animarum quoad exercitium; non quoad jus, & titulum. Et n. præced.
25 Administratores Episcoporum &c. in re vix differunt à Coadjutoribus.
26 Coadjutoria est duplex, perpetua videlicet, ac temporalis.
27 Inter has intercedit multiplex differentia; & quæ?
28 Quis dari possit Coadjutor? Et n. seqq.
Coadjutor debet habere omnes qualitates requisitas ad Officium, pro quo datur. Ibid.
29 Coadjutor Episcopo datus in spiritualibus, cujus ætatis esse debeat; & qualis.
30 Et quæ ætas sufficiat ad Coadjutorem Episcopi solùm in temporalibus.
31 Ex quibus causis dandus sit Coadjutor? Et n. seqq.
32 Quando Coadjutor Clerico dandus sit propter senium.
33 Vel propter imperitiam &c.
34 Coadjutor temporalis datur tum contemplatione Ecclesiæ, tum contemplatione Beneficiati coadjuti.
35 Prælatus, seu Parochus coadjutus, propter constitutum sibi coadjutorem non excusatur à residentia.
36 Neque etiam ab ea liberatur coadjutor propter residentiam coadjuti.
37 Coadjutor à quo dari possit? Et n. seqq.
Coadjutor perpetuus non nisi à Papa concedi potest: & & quando concedendus sit? Ibid. & n. seqq.
38 In beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sunt odiosa.
39 Episcopis coadjutorem etiam temporalem dare, ad solum Papam pertinet.
40 Solvitur instantia ex c. Ex parte h. t. desumpta.
41 Nihilominùs Episcopi à curia remoti possunt unum, vel duos coadjutores sibi assumere, cum consensu capituli. Aut ipsis dementibus capitulum assumere. Ibid. Et n. seqq.
42 Idque authoritate Apostolica.
43 An ad istud sufficiat consensus majoris partis capituli?
44 Plures duobus coadjutoribus nequit capitulum Episcopo dementi dare.
45 Episcopus compos rationis non potest à Capitulo cogi, ut sibi coadjutorem assumat.
Et quid Capitulum agere debeat in casu insufficientiæ Episcopi, nolentis sibi coadjutorem assumere? Ibid.
46 Parochis, & beneficiatis Episcopo inferioribus coadjutorem temporalem dare, pertinet ad proprium ipsorum Prælatum.
47 Coadjutoris Officium generatim loquendo, quale? Quænam in specie pertineant ad officium coadjutoris, colligendum est ex forma collationis coadjutoriæ, seu litteris ipsius. Ibid.
48 Coadjutoris simpliciter dati Officium est, tam coadjuti, quam Ecclesiæ curam gerere.
49 Et coadjutor simpliciter datus, potest omnia, quæ ipsemet Rector principalis posset &c.
50 Nisi quid in Jure specialiter exceptum sit.
51 Aut nisi Coadjutus sit invitus quoad aliquid, quod ipse potest, ac vult agere per seipsum. Et n. 49.
52 Coadjutor Episcopi simpliciter datus, an possit conferre beneficia?
Rationes dubitandi, ac negativam tenendi. Ibid.
53 Respondetur sub distinctione.
54 Ac solvuntur rationes dubitandi.
55 Coadjutor debet moderatè sustentari ex bonis Ecclesiæ, cujus prælato datus est.
56 Quid si bona Ecclesiæ non sufficiant pro alendo coadjutore, & coadiuto? Et n. seqq.
57 Tunc priùs est subveniendum ex bonis Ecclesiæ coadjuto, seu prælato infirmo.
58 Et qualiter providendum sit coadiutori.
59 Coadiutoris temporalis Officium expirat morte coadiuti, sive naturali, sive civili.
60 Item, quando cessat impedimentum coadiuti. Et nu. seqq.
61 Tenetur coadiutor reddere rationem gestæ coadiutoriæ.
62 Coadiutoris perpetui Officium, quatenus respicit favorem coadiuti, non expirat mortuo coadiuto, sed transit in jus plenum. Et n. seqq.
63 Clausula, Ex nunc prout ex tunc, quid operetur?

22 QUæritur I. Quid, & quotuplex sit Coadjutor, & Coadiutoria? Resp. I. Quamvis latè loquendo omnis ille sit, ac dici possit coadjutor, qui alium juvat, seu coadjuvat in peragendo suo officio: nã generatim loquendo, *coadiutor* dicitur *à coadiuvando*; sicut Tutor dicitur à tuendo, quasi Tuitor & defensor, *L. 1. ff. de Tutelis*. Nihilominùs specialiter loquendo, & quantum ad propositum, *coadiutor* est ille, qui datur ex causa juris, vel Judicis authoritate, ad coadiuvandum Officium Præsidentis, seu Ministri Ecclesiæ. Ita Jo. Andreas *in cap. ult. n. 3. & 4. h. t.* & Abbas *ibid. n. 1.* & in re communis. Unde *Coadiutoria* aliud non est, quam facultas ex causa authoritate juris, vel Judicis cuipiam concessa, adjuvandi Prælatum, vel alium Beneficiatum in Beneficii regimine. Castro Palao *part. 2. disp. 1. punct. 9. n. 1.* cum aliis.

23 Dicitur notanter in data Coadjutoris definitione, *ad coadiuvandum Officium &c.* Quia Coadiutor datus Prælato, seu Rectori Ecclesiæ, propriè non dicitur Prælatus, seu Rector Ecclesiæ: uti liquet ex ipso nomine *coadiutoris*? atque notat Abbas *c. De rectoribus n. 6. h. t.* quidquid dicat Glossa *ibid. v. Curam animarum.* Et hujusmodi Coadiutor censetur habere curam animarum quoad exercitium duntaxat, non autem quoad jus & habitum curæ: siquidem jus, possessio, ac titulus Beneficii adhuc remanet penes Rectorem, sive Prælatum infirmum; ac proinde iste non desinit esse Prælatus. Jo. Andreas *c. De rectoribus n. 1. eod.* & alii, contra Gl. *fin. ib.* Coadjutor verò nec jus, nec titulum habet in Beneficio, sed tantùm exercitii & administrationem illius juris, quod in coadjutore remanet. Hostiensis in *c. c. De rector. post princ.* Abbas *ib. n. 6.* Ancharanus *n. 3.* & Fagnanus *n. 6. & n. 35. & 36. h. t.* citans Rotam *decis. 410. n. 5 p. 4. recent.* & alios.

24 Nec obstat textus in *d. c. De rectoribus h. t.* ibi: *Eis dandus est coadiutor, qui curam habeat animarum.* Resp. enim, istud esse intelligendum de cura animarum quoad exercitium, seu quoad actum secundum ipsius curæ: non verò quoad jus, & titulum Beneficii hujusque possessionem, utpote

utpote adhuc residentem in Coadiuto. Siquidem ob morbum supervenientem, & absque culpa sua, nequit Clericus Coadiutore indigeus spoliari jure, ac titulo præhabiti Beneficii: alioquin afflicto adderetur afflictio, contra *cap. 1. & c. 5. h. t.* Et hinc tale jus, seu titulus Beneficii, non potest residere in Coadiutore, eidem Clerico infirmo assignato: nam *duo in simul eandem rem, & eodem modo, in solidum possidere non possunt*, uti habetur *c. Licèt causam 9. §. Ex præmissis de Probation.*

25 Ubi etiam breviter notandum, quòd à Coadiutore hactenus explicato: in re vix, aut nihil (seclusis specialibus prærogativis, seu facultatibus quandoque concessis) differant Administratores, qui tum in spiritualibus, tum temporalibus, à Sede Apostolica dari solent Episcopis à suo Episcopatu legitimè absentibus, vel Personis Principibus authoritate Apostolica dispensativè promoris ad Episcopatum ante legitimam ætatem, aut ipsis Ecclesiis Cathedralibus vacantibus: de quibus habetur mentio in *c. Iscut 42. de Electione. in §.* juncta Glossa, & DD. *ibid.* Quamquam illa, qui cuipiam Episcopo, aut alteri Prælato per se jam apto ad regendam Ecclesiam sibi commissam, nunc autem ab actuali exercitio muneris sui propter morbum perpetuum impedito, datur ad exequendum munus ipsius; speciali nomine, atque in Jure *cap. 3. & 5. & 6. h. t.* & alibi usurpato, dici soleat *Coadjutor*: veluti *coadiuvans* Rectorem principalem infirmum in peragendo Officio, & Pastorali munere suo.

26 Resp. II. Coadjutoria est duplex, alia perpetua, seu data cum jure succedendi in beneficio: alia temporalis, seu data sine tali jure succedendi. Ita communis. Et quidem *coadiutoria perpetua*, seu cum futura successione, dicitur illa per quam Coadjutori jus tribuitur, mortuo Coadiuto in ejus Officium, ac beneficium succedendi. *Coadiutoria temporalis* econtra est illa, per quam Prælato, seu Rectori Ecclesiæ, aut alii Beneficiario, propter infirmitatem, aliamve causam impedito ab exercitio sui muneris, datur coadiutor, quamdiu is vivit.

27 Porrò inter hanc duplicem Coadiutoriam multiplex intercedit differentia. Imprimis enim Coadiutoria perpetua, seu cum futura successione, non nisi à Summo Pontifice concedi potest: at verò Coadiutoria temporalis potest concedi etiam per Prælatos Papa inferiores, juxta dicenda *nu. 37. & 46.* Deinde Officium, atque potestas Coadiutoris temporalis finitur morte naturali, vel civili (videlicet renunciatione, vel depositione) illius Prælati, aut Rectoris Ecclesiastici, cui datus est Coadiutor: secùs dicendum in Coadiutore perpetuo, prout ampliùs dicetur infrà *num. 62. & 63.* Tandem Coadiutoria temporalis solùm respicit favorem Coadiuti, & Ecclesiæ sibi concreditæ, utpote cujus vices, officiaque Ecclesiastica tenetur Coadiutor supplere; ipsiusque Ecclesiæ curam gerere, absque eo, ut inde, præter congruam sustentationem, aliquid commodi reportet. At vera Coadiutoria perpetua respicit non solùm favorem Coadiuti, & Ecclesiæ sibi commissæ, ob rationem proximè dictam: sed etiam favorem Coadiutoris, utpote cui mediante illa jus confertur succedendi in Beneficio post obitum illius Coadiuti.

28 Quæritur II. Quis dari possit Coadiutor? Resp. I. Coadiutor Clerico ægrotanti deputandus, debet esse vir providus, & honestus, *cap. Ex parte 5. h. t. & c. Venerabilis 37. de Offic. Delegat.* Fidelis, vitæque probatæ, quæ ad regimen Ecclesiæ idonea sit, & talis, per quem tam Beneficiario infirmo, quam populo utiliter consulatur, *can. Quamvis triste, 7. q. 1. & clt. c. Ex parte h. t.* Unde generaliter loquendo, Coadiutor debet habere omnes qualitates de Jure requisitas ad illud Officium, pro quo datur, ut novissimè decrevit Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 7. de Ref.* & anteà jam notavit Abbas in *c. Consultationibus n. 1. h. t.* Ac proindè, si Coadiutor datur cuipiam in spiritualibus, putà, ad curam animarum; debet habere scientiam; qua sciat populum regere, animarumque commissarum saluti prospicere, & inquietos sub disciplinæ vinculo constringere, *clt. can. Quamvis triste, & can. Petitti & can. Quia frater 7. q. 1.* Et si datur in temporalibus Regi, aut alteri Domino temporali, debet esse magnanimus, potens, probus, & circumspectus, *c. Grandi 2. de Supplend. negligent. Prælat. in 6.* Ita Jo. Andreas *d. c. Consultationibus. n. 4.* & Abbas *ibid. n. 1. h. t.* & alii.

Infertur proinde, quòd Coadiutor Episcopo ægrotanti 29
datus in spiritualibus, debeat esse trigintà annorum completorum: nam ætatem hanc oportet habere ipsummet Abb. *c. c. Consultationibus n. 1.* Garcias *p. 4. de benefic. c. 3. n. 141. & part. 7. cap. 4. n. 90.* generaliter docens, quòd eadem ætas, & habilitas, quæ requiritur ad titulum Dignitatis, Præbendæ seu Beneficii, requiratur, & sufficiat ad Coadiutoriam ipsius; prout tenuit Rota *Decis. 347. n. 3. part. 3. Diversi.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. glossi. 5. §. 9. n. 6.* allegans alios. Concordat Conc. Trident. *Sess. 25. c. 7. de Reform.* requirens in Coadiutore Episcopi, cum futura successione dato, omnes qualitates, quæ à Jure requiruntur in Episcopis. Quod intelligo, nisi Papa specialiter dispensaverit super aliquo defectu. Requiritur etiam in Coadiutore Episcopi simpliciter dato quoad spiritualia, ut sit Episcopus consecratus: alioquin enim non posset exercere Pontificalia, sed dumtaxat jurisdictionem Episcopalem, *arg. c. Aqua de Consecrat. Eccles.*

Si verò deputetur quis Episcopo Coadiutor solùm in 30
temporalibus (putà, quia Episcopus est dilapidator) tunc in Coadiutore sufficiunt viginti quinque anni, quia ætas hæc censetur esse perfecta quoad administrationem temporalem: unde & in tali ætate potest quis esse Tutor, *L. ult. C. de Legitim. tutel.* atque Procurator etiam ad judicia, *c. Quigeneraliter §. fin. de Procuratorib. in 6.* Abbas, *ubi supra.* Pirhing *h. t. n 15.*

Quæritur III. Ex quibus causis dandus sit Coadjutor? 31
Resp. I. Plures sunt causæ, ob quas Coadiutor Clericis Beneficiatis dari potest, ac solet: uti videre est apud Jo: Andream *clt. cap. Consultationibus n. 6. h. t.* Gonzalez *d. gloss. 5. §. 9. n. 19. ac seqq.* & alios. Et primò quidem datur Coadiutor simpliciter, & sine futura successione, Clericis ægrotantibus, seu ob eorum infirmitatem: dummodò hæc sit perpetua, & tanta, ut propter eam Clericus munera Beneficii sui obire nequeat, *c. Ex parte 5. h. t. & cap. un. eod. in 6.* junctis dictis suprà *n. 18.* Deinde propter lepram: licèt etiam hæc non sit tanta infirmitas, quin Clericus leprosus quoquo modo possit præstare munera beneficii sui: quia tamen sine scandalo, & horrore populi id fieri nequit, hinc SS. Canones jubent Clerico leproso dari Coadiutorem, *c. 3. & 4. h. t.* Tertiò datur Beneficiario Coadiutor propter amissum usum linguæ; *c. ult. h. t.* ubi Papa respondit; quòd *Archidiacono, quem morbo paralytico laborantem Officium linguæ asserebatur amisisse, Coadjutor sit meritò adhibendus.* Quartò, datus est Coadiutor Clerico Beneficiario propter hujus amentiam, *arg. cap. unic. h. t. in 6.*

Quinto, dandus est coadiutor Clerico propter senium, 32
c. c. un. h. t. in 6. & can. Petitti 7. q. 1. Requiritur tamen ad istud, ut beneficiarius ob senectutem, atque ingravescentem ætatem, reddatur perpetuò inutilis ad executionem officiorum suorum, *arg. c. un. h. t. in 6.* ibi: *Episcopus senio, aut valetudine corporali gravatus, vel etiam aliàs adeò impeditus perpetuò, ut Officium suum nequeat exercere &c.* Alioquin enim coadjutorem acceptare non tenetur Clericus senex, conformiter dictis suprà *clt. n. 18.* Eò præsertim, quòd multi crescente ætate, crescant etiam prudentia, dexteritate, atque experientia rerum agendarum: sicque non rarò magis apti sint ad fælix, pacatum, prosperumque regimen Ecclesiarum præ pluribus junioribus.

Sextò, propter imperitiam, & Illiteraturam Rectorum Ecclesiarum Parochialium, propter quam minùs apti sunt Sacris peragendis Officiis: tunc enim possunt Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ejusmodi illiteratis & Imperitis Ecclesiarum Rectoribus si alias honestæ vitæ sint, Coadiutores, aut Vicarios pro tempore deputare, una cum assignatione sufficientis sustentationis. Textus expressus est in Conc. Trid. *Sess. 21. c. 6. de Reform.* Concordat *c. Quoniam in plerisque 14. §. Sed si propter de Offic. Ordinar.* ubi hoc ipsum statuitur de Prælule, seu Episcopo habente sub se Nationes diversarum linguarum quibus nescit per seipsum prædicare, atque Divina Officia pro diversitate rituum celebrare. 33

In istis, atque similibus casibus, quorum nonnullos 34
alios refert Gonzalez, *ubi suprà*, datur Coadiutor temporalis tum contemplatione Ecclesiæ, ne videlicet pro defectu Pastoris gregem Dominicum lupus rapax invadat, aut Ecclesia in facultatibus, vel juribus suis graviter dispendium patiatur, *cap. Nè pro defectu 42. de Electione.*

Tum

Tum etiam contemplatione personæ Prælati seu Beneficiati Coadjuti, ne cæteroquin, si ob infirmitatem, aut aliud hujusmodi impedimentum, veluti inutilis, beneficio cedere cogeretur, afflicto addatur afflictio; sed Officium suum, quod per se præstare nequit, saltem per deputatum sibi Coadjutorem exequi valeat.

35 Resp. II. His tamen non obstantibus Prælatus, seu Parochus Coadjutus, propter constitutum sibi Coadjutorem non excusatur à residentia. Ita censuit Sacra Congregatio Concilii Tridentini, quam refert Hieron. Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glss. 5. §. 9. n. 30.* & Castro Palao *tract. 13. disp. 1. de Beneficiis, punct. 9. n. 12.* sequentibus verbis: *Propter deputationem Coadjutoris, parochus, cui datur, non poterit abesse à residentia.* Hoc ipsum in Episcopo declarasse Sacram Congregationem negotiis Episcoporum, & Regularium præpositam io *Nicotenen. 7. Septemb. 1619.* refert Barbosa *lib. 1. Jur. Ecclesiast. un. c. 15. n. 53. & lib. 3. cap. 10. n. 29.*

36 Nec etiam per hoc, quod Coadjutus residere teneatur, Coadjutor liberatur à residentia. Quomodo enim hic, si non residerit in loco Beneficii, juvare poterit Coadjutum in ejusdem Officiis, sacrisque ministeriis exequendis? Atque ideircò, quod Coadjutor teneatur ad residentiam quemadmodum Rector principalis, decisum fuisse à Sacra Congregatione, refert Barbosa *par. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 63. n. 9. & lib. 3. Jur. Ecclesiast. un. c. 10. n. 31.* post Galetum *in Margarita Casuum conscientiæ, V. Residentia 1.* plures que alios.

37 Quæritur IV. A quo dari possit Coadjutor? Resp. I. Coadjutor perpetuus, seu cum futura successione, non nisi à Summo Pontifice dari potest: neque concedendus est, nisi in Ecclesiis Cathedralibus, vel Monasteriis, ob urgentem necessitatem, aut evidentem utilitatem, & causa prius diligenter per eundem cognita. Ita Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 7. de reform.* expresse statuens, ut præter dictas causas à Papa approbatas, Coadjutoriæ cum futura successione *nemini in quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis permittantur.* Ratio hujus est: quia omnis collatio, ac etiam promissio beneficii primùm vacaturi; penitus reprobatur à Jure; ut *c. 2. & 3. de Concession. Præb. & c. 2. eod. in 6.* Atqui per concessionem Coadjutoriæ perpetuæ; seu cum futura successione, fit promissio, imò & collatio Beneficii primùm vacaturi; ergo ea concedi non potest, nisi per Papam, utpote qui solùs secundùm plenitudinem potestatis de jure potest supra Jus dispensare, *c. propositi. 4. de Concession. præben.*

38 Accedit, quod in beneficiis Ecclesiasticis *ea, quæ hereditariæ successionis imaginem referunt, Sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum Decretis contraria*, prout loquitur Concilium Trid. *clt. c. 7.* atque liquet etiam ex *can. Apostolica 8. quæst. 1. & c. Ex transmissa 7. de App. Ad extirpandas successiones 11 de Filiis presbyt. & c. Consult. 15. de Jure patronat.* cum similibus. Talem autem imaginem futuræ successionis videntur habere Coadjutoriæ perpetuæ, dum mortuo Coadjuto statim Coadjutor hujusmodi succedit in Beneficio, juxta ampliùs dicenda *nu. 62. & 63.* ergo.

39 Resp. II. Episcopis, & Episcopo superioribus Prælatis, date Coadjutorem, etiam temporalem, est de majoribus causis Ecclesiæ; atque ad solum Papam pertinet, non obstante consuetudine contraria. Ita textus expressus in *c. un. h. t. in 6.* ubi proinde Glossa *V. Tantummodò*, notat, quod nec ab Archiepiscopo, nec à Patriarcha, vel Legato, possit dari Coadjutor Episcopo. Siquidem in generali concessione non veniunt ea, quæ in signum privilegii singularis sunt tantùm Summo Pontifici reservata, *c. Quod translationem 4. de Offic. Legat.*

40 Nec obstat *c. Ex parte 5. h. t.* ubi Innocentius III. mandavit Arelatensi Archiepiscopo, ut culpiam Episcopo Suffraganeo suo, jam per quadriennium incurabili morbo laboranti, Coadjutorem associet virum providum, & honestum. Resp. enim cum Glossa *in clt. c. un. V. Tantummodò, h. t. in 6.* istud contigisse de speciali authoritate, & mandato Domini Papæ: alioquin enim Metropolitanus ille non potuisset providere Suffraganeo de Coadjutore, cùm istud solummodò spectet ad Papam, *clt. c. un. h. t. in 6.* ac notat etiam Abbas *in d. c. Ex parte n. 3. h. t.*

41 Resp. III. Nihilominùs, ut consulatur indemnitati Ecclesiarum, præcipuè exiitentium in partibus à Curia Ro-

mana remotis, Pontifex *in d. c. un. h. t. in 6.* generali quadam Constitutione concessit, ac provide ordinavit; *ut Episcopus senio, aut valetudine corporali gravatus, vel etiam aliàs adeò impeditus perpetuò, ut Officium suum nequeat exercere; possit de sui consilio & assensu Capituli, vel majoris partis ipsius, unum, vel duos auctoritate Apostolica Coadjutores assumere, ad dictum Officium exequendum. Si verò Episcopus demens fuerit, & quid velit, aut nolit, exprimere nesciat, vel non possit, tunc ejus Capitulum, vel duæ ipsius partes, eadem auctoritate unum, aut duos Coadjutores assumant idoneos, qui ejus Officium exequantur.* Hæc ibi.

Circa quem textum inprimis notandum est Iy, *auctoritate Apostolica*. Siquidem dare Coadjutorem Episcopis, Prælatisque superioribus, est de majoribus Ecclesiæ causis, ac Sedi Apostolicæ specialiter reservatum, ut proximè dictum *n. 39.* conformiter *clt. c. un. h. t. in 6.* Et sicut solus Papa deponit Episcopos, horumque Superiores, aut eorum cessionem recipit, *c. Inter corporalia, §. Sicut enim de Translat. Episc.* ita & ipse solus potest istis Coadjutorem dare, Abbas *c. ult. n. 5. h. t.* Ac proinde, quod Episcopus in casu præmisso sibi Coadjutorem assumere, aut Capitulum eidem dementi talem assignare valeat, non nisi auctoritate Apostolica fieri potest: adeoque isti hac ex parte censentur esse Delegati Papæ. Glossa *clt. c. un. V. Auctoritate Apostolica h. t. in 6.* & Barbosa *ibid. n. 3.* 42

Notandum ulteriùs est Iy, *Capitulum, vel duæ ipsius partes*. Quia, licet alioquin regulariter ad validitatem gestorum Capituli sufficiat consensus majoris; & sanioris partis Capituli, *cap. 1. de his quæ fiunt à major. par. cap. & c. Quia propter 42. de elect.* cum concordantiis: id quo etiam procedat in proposito, quando ipsemet Episcopus *de sui consilio & assensu Capituli, vel majoris partis ipsius*, unum, vel duos Coadjutores sibi assumit: ut patet ex Iy; *vel majoris partis ipsius*: Secùs tamen dicendum est in casu, quo Capitulum Episcopo dementi vult assumere Coadjutorem: tunc enim habetur quid speciale, ac propter gravitatem negotii, periculumque inferendi Episcopo, aut Ecclesiæ præjudicii, Papa non concessit Capitulo facultatem, ut possit auctoritate Apostolica unum, vel duos Coadjutores assumere Episcopo amenti, nisi vel totum Capitulum, vel saltem duæ partes (hoc est, duæ tertiæ) ipsius consenserint. Glossa in *d. cap. un. V. Duæ ipsius partes h. t. in 6.* Pirhing *h. t. n. 14.* & alii. 43

Notandum quoque Iy, *unum, aut duos Coadjutores assumant*. Plures enim Coadjutores duobus negotiis Episcopus infirmus sibi assumere, nec Capitulum Episcopo dementi dare. Tum quia Episcopus infirmus, seu Capitulum, in assumendis, vel dandis Coadjutoribus non fungunturordinaria, sed delegata potestate: unde debent diligenter servare fines mandati Apostolici, *c. Cùm de non 27. de Præb. in 6. & c. cùm dilecta 22. de rescript.* Tale autem mandatum Apostolicum, *clt. c. un. h. t. in 6.* expressum, solummodò *unum, aut duos Coadjutores* admittit, & si Papa plures voluisset admittere istud expressisset; *c. Ad audientiam 12. de Decimis.* Tum quia potuit Papa ad hoc rationabiliter motus fuisse ex eo, ne alioquin per Coadjutores nimium graventur Ecclesiæ, utpote ex quarum proventibus alendi sunt. Glossa *c. t. cap. un. V. Aut duos*, & Franchus *ibid. §. Si verò nu. 3 h. t. in 6.* Jo. Andreas *c. Consultationibus n. 13. h. t. 4.* Pirhing *h. t. n. 14.* 44

Resp IV. Episcopus tamen compos adhuc rationis, nunquam poterit à Capitulo cogi, ut sibi Coadjutorem assumat, ita textus expressus *in clt. cap. un. §. Si autem h. t. in 6.* Illis verbis: *Si autem Episcopus senio, aut incurabili morbo gravatus, vel perpetuo impedimento detentus, ad sui executionem Officii reddatur inutilis, & Coadjutorem assumere, vel habere noluerit, licet à Capitulo requisitus proprio, se illius non indigere suffragio forsitan asserendo: tunc nil per Capitulum innovetur, sed hoc casu, & etiam proximo, idem Capitulum Episcopi & Ecclesiæ suæ conditionem, & statum, ac facti circumstantias universas, quam citò poterit fideliter & explicite referat ad notitiam dictæ sedis* (Apostolicæ) *recepturi humiliter, & efficaciter impetrari, quod super hoc per Sedem ipsam contigerit ordinari.* Hæc ibi. Ex quibus verbis patet Conclusio: nam capitulum non nisi auctoritate Apostolica posset dare coadjutorem Episcopo: hanc autem Episcopo nolente, seu contradicente, non solùm non habet, sed etiam expresse sibi denegatam agnoscit. 45

Resp. V. Parochis, & aliis Beneficiatis Episcopo In- 46

fe-

ferioribus, qui propter morbum incurabilem, aut aliud impedimentum perpetuum Officio suo fungi nequeunt, Coadjutorem temporalem dare, pertinet ad proprium ipsorum Prælatum, putà, ad Episcopum, qui eos potest destituere, seu beneficio privare, vel hujus cessionem admittere. Ita Jo Andreas *c. Consultationibus n. 7.* & Abbas *ib. n. 5 h. t.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 9. n. 36.* citans alios. Nam, qui potest instituere, ac destituere in beneficiis, potest etiam, & quidem à fortiori, Coadjutorem dare; uti notant præallegati Doctores.

47 Quæritur V. Quod sit Officium Coadjutoris, & quæ potestas ipsius? Resp. I. Generatim loquendo, Coadjutoris officium est, coadjuvare coadjutum, ejusque vices ac munia supplere in iis, ad quæ datur. Ita communis; & signanter Jo. Andreas *cit. cap. Consultationibus n. 8. h. t.* & Piasecius *in Praxi Episcopali Proœmio num. 27.* allegans alios. Porrò, quænam in specie sint illa, ad quæ quis alteri datur Coadjutor, colligendum est ex forma collationis Coadjutoriæ, seu ex Litteris dationis ejus; prout notant citati Authores. Unde si Clerico benè administranti spiritualia, sed dilapidanti temporalia, detur Coadjutor in temporalibus, tunc hujus Officium versatur circa sola temporalia: & econverso, si Beneficiatus solummodo inutilis sit in spiritualibus, aut in certo genere horum, v. gr. ob amputatam manum, Officium Coadjutoris erit, sola spiritualia, aut certum eorum genus peragere. Idipsum videre est in duobus constitutis Coadjutoribus, quorum unus in spiritualibus, alter verò in temporalibus Coadjuto datur.

48 Resp. II. Quando ex Literis datæ Coadjutoriæ non constat de certo genere agendorum (puta, quia simpliciter & absolutè, ac sine restrictione aliqua datur Coadjutor) tunc hujus Officium imprimis est, tam Coadjuti, seu Rectoris principalis, quam Ecclesiæ sibi commissæ, in omnibus, & per omnia curam gerere. Ita desumitur ex *c. Ex par. 5. h. t.* ibi: *Illi Coadjutorem associes, per quem tam Episcopo, quam populo utiliter consulatur.* Quod ipsum jam antea statutum fuerat *can. Scripsit mihi 7. quæst. 1.* juncta Glossa V. *Curam omnem*, Jo. Andreas *cit. c. Consultationibus n. 8. & 9. h. t.* Pirhing *h. t n* 16 & alii.

49 Resp. III. Insuper Coadjutor simpliciter datus, potest omnia, quæ ipsemet Rector principalis posset: nisi quid reperiatur in Jure specialiter exceptum, aut nisi Coadjutus, veluti rector principalis, sit invitus quoad aliquid eorum, quod ipsemet adhuc rectè potest, & vult agere per seipsum. Ita Navarrus *Consil. 3. n. 4. de Cler. ægrotant.* Garcias *par. 4 de Beneficiis cap. 5. n. 58. & 60.* Piasecius, *ubi suprà*, & alii. Prior pars sequitur ex proxime dictis: nam, si Coadjutor simpliciter datus non posset omnia, quæ rector principalis poterat; non benè per ejus deputationem provisum foret Rectori principali, atque Ecclesiæ, sive populo eidem commisso.

50 Altera pars, loquens de casibus in Jure specialiter exceptis, exemplificatur in alienatione, atque donatione rerum ipsius Prælati coadjuti, vel Ecclesiæ: hanc enim facere, specialiter est in Jure prohibitum Coadjutori, ut *cap. Is cui procuratio 42. de elect. in 6. & cap. un. §. fin.* juncta Glossa V. *Abstinentie h. t. in 6.* Nam regulariter donare non valet is, cui bonorum administratio concessa est, *cap ult. de Offic. Vicar. in* 6. Huc addi potest casus de collatione Beneficii, de quo proxime, seu *n. 52. ac seq* dicetur.

51 Tertia tandem pars desumitur ex *c. Pontifices 7. quæst. 1.* addita ea ratione: *Ne per necessitatis occasionem, præsumptionis pullulet ambitio.* Unde quod Rota *in una Eborensi. Distributionum 23. Octobris 1598. coram D. Corduba*, tenuerit, Coadjutorem non posse inservire invito Coadjuto, sed ipso petente: refert Garcias *par. 4. de Benefic. c. 5. n. 60.* citans Campegium *de Coadjutore Episcop. n. 9* atque istud probans ulteriùs ex *cap. un. h. t in 6. & can. Nihil contra §. Ecce 7. quæst. 1.*

52 Dubitant verò Doctores, an Coadjutor Episcopo simpliciter datus possit conferre Beneficia, ad liberam collationem Episcopi coadjuti cæteroquin spectantia? Et ratio dubitandi, ac negativam tenendi, est: quia in sæpè *cit. c. un. h. t in 6.* prohibetur Coadjutoribus Episcoporum omnis alienatio: atqui collatio Beneficii Ecclesiastici, saltem libera, est quædam donatio, sicque & alienatio, *c ult. de Offic. Vicarii in 6.* juncto *c. Nulli liceat 5 de rebus Eccl non alienand.* ergo Accedit, quod in generali concessione non veniant ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, juxta *reg. 81. jur. in 6. & cit. c. ult. de offic. Vicarii in 6.* Atque idcircò negativam sententiam tenet Jo. Monachus. & Archidiaconus *in d. c ult. h. t. in 6.* & nonnulli alii.

Meliùs tamen respondetur cum Jo. Andrea in *Consultationibus n. 9. h. t.* Jo. de Selva *Tractatuum tomi 15. tract. de Beneficio par. 2. quæst. 4. n. 2. & seqq.* Navarro *Consil. 3 n. 4. de Clerico ægrot.* & Pirhing *eod. nu. 18.* & aliis, sub distinctione. Quia vel Coadjutus, nempe Rector principalis infirmus, adhuc est sanæ mentis, & vult, potestque per seipsum conferre Beneficia: & tunc ad ipsum pertinet conferre Beneficium, cum consilio tamen, & consensu coadjutoris simpliciter dati ad spiritualia: solus autem coadjutor eo nolente nequit conferre Beneficia; ut probant rationes proxime allatæ. Vel coadjutor in spiritualibus datus fuit Rectori, v. g. Episcopo amenti, aut aliàs inhabili ad conferendum Beneficium, seu præstandum desuper consensum: & tunc Coadjutor ejusmodi confert solus Beneficia. Alioquin enim periculum foret, ne diutiùs vacarent Ecclesiæ; cùm ignoremus, quando Rector ille demens moriatur, aut resipiscat. 53

Neque urget *c. ult. de Offic. Vicar. in 6* cum aliis *nu. 52* adductis. Nam loquuntur de alienatione voluntaria: secùs dicendum de necessaria; ut *Leg. Alienationes, ff. Famil. hercifcun.* Talis quippe necessaria alienatio, seu collatio Beneficii, censeretur tunc fieri per coadjutorem, eò quòd reverà necesse foret conferri beneficium vacans, ne ex diuturna ejus vacatione grave periculum immineret Ecclesiis, utpote ob carentiam legitimi Rectoris facilè lædendis in spiritualibus, atque temporalibus.

Quæritur VI. Cujus expensis alendus sit coadjutor? Resp. I. Coadjutor debet habere congrua, & moderata alimenta de bonis, seu facultatibus Ecclesiæ, cujus Prælato, vel beneficiario datus est. Ita communis; atque patet ex *c. 3. h. t.* ubi de hujusmodi coadjutore statuitur, ut *de facultatibus Ecclesiæ ad sustentationem suam, congruam recipiat portionem.* Concordat textus expressus in *c. un §. Præterea, eod. in 6.* illis verbis: *Coadjutores hujusmodi de proventibus Prælatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos.* Quibus similia habentur in Concil. Trid. *Sess. 21. c. 6. de refor.* ac meritò: nam, ut Æterna Veritas *Matth. c. 10* asseruit, *Dignus est operarius cibo suo*. Similque nemo cogitur militare stipendiis suis 1. *Corinth.*

Atque in hoc conveniunt Doctores, quando redditus Ecclesiæ sufficiunt pro congrua sustentatione tam coadjutoris, quam coadjuti ægrotantis. Quid autem sit agendum, quando redditus illi non sufficiunt pro congrua utriusque sustentatione, non parum controvertunt Doctores; ut videre est apud Abbatem in *c. De rectoribus nu. 5. & 6.* & alios.

Resp. II. Etsi Glossa *fin in cit c. De rectoribus h. t.* velit, quod in casu dictæ insufficientiæ redditunm portio subveniendum ex bonis Ecclesiæ coadjutori, utpote operario, qui servit Ecclesiæ, ac proinde, dignus est mercede sua, Prælato infirmo autem postea provideat Episcopus, *can. 1. dist. 82.* hæc tamen sententia passim ab aliis relinquitur; prout contra eam tenet Vincentius, Cardinalis, & Abbas in *d. c. De rectoribus n. 5.* & Barbosa *ibid. n. 4.* & Fagnanus *n. 12. h. t.* Pirhing *eod. n. 8.* & Engel *n. 4* cum aliis. Ratio est: quia isthæc posterior sententia majori nititur æquitate & solidioribus fundamentis. Tum quia coadjutus infirmus adhuc remanet Prælatus, & Rector Ecclesiæ, saltem quoad jus, etsi non quoad exercitium, ergo illi primò subveniendum est de redditibus Ecclesiæ, tanquam proprio Prælato. Eò præsertim, quia is adhuc ut infirmus residere debet, sicque illi deservire censetur, meritò proinde ex ejus facultatibus sustentandus, *c. cùm secundùm 16. de Præb.* cum similibus. Tum quia inhumanum videtur, Beneficiatum infirmum, atque Coadjutore indigentem, in alimentis negligi, quibus vel maxime nunc indiget, & ad quæ ex titulo Beneficii, atque investituræ jus acquisivit, contra *c. 1. & cap. 5. h t.* addendo afflictionem afflicto. Neque obstat textus in *cit. can. 1. dist. 82.* loquitur de Beneficiatis ægrotantibus, sed generaliter de omnibus *pauperibus*, vel *infirmis*, quibus jubetur episcopus victum & vestitum largiri, sed sub clausula: *In quantum sibi possibile fuerit:* ac proinde Episcopo non valente subvenire, Clericus coadjutus nihil haberet, quo sustentaretur in sua infirmitate.

Tum

Tum tandem, quia in *c. De rectoribus 3 h. t.* statuitur, ut Coadjutor dandus *de facultatibus Ecclesiæ ad sustentationem suam, congruam recipiat portionem:* sive ut *cap. un. eod. in 6.* dicitur, *sumptus recipiat moderatos:* sive *partem fructuum*, uti loquitur Concilium Tridentinum *Sess. 21. cap. 6. de Reform.* Ergo satis innuitur, redditus Ecclesiasticos primò, ac principaliter spectare ad Coadjutum, veluti Rectorem Ecclesiæ; sicque ipsius necessitati priùs esse providendum, & postea primùm Coadjutori. Unde ad propositum dubium

58 Resp. III. Quando redditus Ecclesiæ non sufficiunt pro utroque, tunc ex eisdem primò subveniendum est Coadjuto infirmo, veluti Prælato, seu Rectori Ecclesiæ, prout indiget, juxta proximè dicta, deinde verò præter ea, quæ superfluunt indigentiæ Coadjuti, providebit Episcopus deputato Coadjutori, quantum poterit, *cit. can. 1. dist. 82.* Etiam per collationem alterius Beneficii simplicis, juxta Concilium Trid. *Sess. 24 cap. 17. de reform.* Aut prout *aliter providere* Coadjutori poterit; uti loquitur idem Concilium *Sess. 21. cap. 6. de reform.* Vel, si nullo modo id Episcopus præstare sufficiat tunc authoritate ejusdem Episcopi populus cogendus erit, constituto Coadjutori necessaria præbere, *arg. can. Omnis Christianus de consecr. dist. 1. & c. De his 4. de Consecr. Eccles.* ubi notatur, quod si Presbyter Ecclesiæ non potest congruè vivere de redditibus Ecclesiæ, Parochiani possint compelli ad subveniendum ipsi. Quod ipsum novissime quoad Parochias de novo ob multitudinem hominum erectas, habetur statutum in Concilio Trid. *Sess. 21. cap. 4. de refor.* Nec immeritò: quia, cujus est emolumentum, ejus debet esse & onus, juxta *Reg. 55. Jur. in 6.* cum concordantiis. Et ita tenet Abbas *in cit. c. De rectoribus n. 5. & 6.* & Barbosa *n. 4.* & Fagnanus *ibid. n. 12. & 13. h. t.* Azorius *par. 2. lib. 3. cap. 2. n. 9.* Pirhing *h. t. n. 8* & alii.

59 Quæritur VII. Quando expiret Officium Coadjutoris? Resp. I. Loquendo de Coadjutore temporali, de quo hactenus dicta potissimùm procedunt, ejus Officium atque potestas expirat, cessatque per mortem coadjuti: sive dein moriatur naturaliter, ac physivè; sive civiliter, nempe per renunciationem, aut depositionem, seu privationem beneficii legitime factam. Ita Jo. Andreas *c. Consultationibus n 8. h. t.* Abbas *ibid. n. 4.* & Fagnanus *c. Ex parte n. 9. & 10. eod.* allegans Rotam *decis. 456. nu. 5. par. 1. recent.* ubi ait, Coadjutoriam expirare cum omnibus ejus effectibus mortuo coadjuto. Pirhing *h. t. nu. 19.* Sannig *eod. c. 2. n. 2.* Engel *n. 9.* & alii. Idque desumitur ex *cap. Grand. in fin. de Supplend. negligent. Præl. in 6.* Accedit ratio, desumpta ex nominis etymologia: siquidem *coadjutor* dicitur à *coadjuvando*; sicut Tutor à tuendo, quasi tuitor & defensor, *l. 1. ff. de Tutel.* Atqui mortuo eo, cui datus est coadjutor: non adest amplius, quem ipse coadjuvet; ergo per mortem illius hoc ipso expirat Officium coadjutoris, atque jurisdictio, si qua competebat coadjuto, putà infirmo Episcopo, devolvitur jure ordinario ad Capitulum.

Resp. II. Insuper cessare debet Officium, atque potestas coadjutoris, quando impedimentum Rectoris principalis seu coadjuti, quod credebatur perpetuum cessavit; atque iste per se redditur habilis ad sua munia ritè peragenda. Siquidem cessante causa cessare debet effectus, *c. cùm cessante 60. de Appell.* 60

Hoc ipsum ampliatur ad eum casum, quo coadjutor sive Administrator cujuspiam Episcopi ex legitima causa absentis: vel ex speciali dispensatione Apostolica promoti ante legitimam ætatem, duntaxat ad certum tempus deputatus fuit: putà, donec Episcopus ille redierit, vel ad legitimam ætatem pervenerit. Nam eo redeunte, aut ætatem debitam attingente illicò cessat Officium Coadjutoris, seu Administratoris interim constituti, *d. c. de causis 4. de Offic. deleg.* Ita tamen, ut teneatur plenam gestæ Coadjutoriæ seu Administrationis suæ, rationem dare Rectori principali; putà, Episcopo redeunti vel ad legitimam ætatem pervenienti (si sanæ mentis extiterit) ac Capitulo ipsius, seu etiam Successori si antea id factum non est juxta textum expressum in *c. un. fin. h. t. in 6.* 61

Resp. III. Loquendo nunc de Coadjutore perpetuo seu authoritate Apostolica deputato cum futura successione, licèt hujusmodi coadjutoria, atque potestas per ipsam concessa, in quantum respicit favorem Coadjuti, expiret eo mortuo; neque enim potest ille coadjuvare defunctum. Nihilominùs, in quantum ea respicit favorem Coadjutoris, hæc per obitum Coadjuti non expirat quin potiùs transit in jus plenum, seu jus in re respectu Beneficii. Ita Fag. *c. ex parte n. 15. & 16. h. t.* post Puteum *decis. 98. l. 2.* 62

Accedit ratio hujus posterioris partis quia per Apostolicam concessionem Coadjutoriæ perpetuæ, acquiritur Coadjutori in Beneficio jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum Coadjuti efficitur jus plenum, ita quidem, ut non requiratur pro ejusmodi perpetuo Coadjutore nova collatio, sed absque alio ministerio illa gratia Coadjutoriæ ex primo jure sibi concesso sortiatur effectum. Siquidem in istis coadjutoriis perpetuis Papa sub clausula, *Ex nunc prout ex tunc*, facit collationem, uti post Rotam in *Tirasonens. Coadjutoriæ 8. Nov. 1599. cor. Penia* notat Fagnanus *cit. nu. 16.* Atqui præfata clausula id operatur, ut unum tempus videatur alteri inesse, futurum scilicet in præsenti; sicque actus postea factus, censeatur jam à principio factus. Barbosa in *Tract. de Clausulis usu frequent. Clausul. 61. nu. 1. & 6. ac seq.* citans alios. 63

TITULUS VII.

De Institutionibus.

1 *Ratio ordinis Rubricarum.*

1 HActenus dictum est de Clericorum obligationibus, ac beneficiis Ecclesiasticis restat nunc dicere de Institutionibus in eisdem. nempe in Beneficiis; non enim hic est sermo de institutione hæredum quoad Testamenta. Quo præmisso sit

§. I.

De divisione Institutionis ut sic, ejusque requisitis: ubi & de examine Instituendorum in Beneficiis.

SUMMARIUM.

2 Institutio, *seu* Instituere in Beneficiis, *dupliciter accipitur: nimirum late seu pro quocumque provisionis modo.*

Quomodo sumitur in Rubrica hujus Tituli. Ibid.

3 *Et propriè, seu specialiter: & quid sit?*

4 *Hæc differt à Collatione, & Præsentatione & qualiter?*

5 *Institutio est triplex; videlicet*

6 *Institutio collativa, seu verbalis.*

7 *Institutio auctorizabilis, &*

8 *Institutio corporalis, sive realis, quid?*

9 *Institutio corporalis, alio nomine dicitur* Investitura, Installatio &c.

10 *Institutio Canonica, quæ?*

11 *Et quæ ad hanc requirantur? Remissivè.*

12 *Præsentatus à Patrono an necessariò sit instituendus.*

Institutio Clerici non præsentati, non est ipso jure irrita, sed irritanda ad instantiam Patroni. Ibid.

13 *Præsentati à Patronis, aliique instituendi in Beneficiis, regulariter antea debent examinari. Et seq.*

14 *Verbum* admittere, & Instituere in beneficio, *differunt: & quomodo?*

15 *Refertur Decretum Concilii Tridentini* Sess. 7. c. 13. de Reform. *circa examen promovendorum*.
16 *Istud requiritur etiam in præsentatis per Patronos laicos; & quidem à fortiori*.
17 *Simulque in præsentatis ad quæcunque Beneficia, etiam simplicia*.
18 *Limitatur istud in præsentatis ab aliqua Universitate ad Beneficium simplex*.
19 *Secùs, quando Graduati petunt provideri de Ecclesia Parochiali: tales enim debent examinari*.
20 *Excipiuntur etiam à novo examine præsentati ad beneficium simplex, qui post prævium examen admissi sunt ad Ordines Sacros*.
Aut qui notoriè sunt litterati. Ibid. & n. seq.
21 *Examen requiritur pro forma solùm in Parochialibus, non verò in simplicibus Beneficiis*.

1 QUæritur I. Quid, & quotuplex sit Institutio? Resp. I. *Institutio* seu *Instituere de Beneficiis*, dupliciter in Jure accipitur: aliquando latè seu pro quocunque provisionis modo: aliquando propriè, seu specialiter. Et quidem Institutio latè accepta, comprehendit sub se quamlibet Provisionem canonicam, seu modum legitime acquirendi beneficium Ecclesiasticum; sive dein ea fiat per electionem ritè celebratam una cum confirmatione ejusdem: sive per Postulationem à Papa admissam: sive per Nominationem, seu Præsentationem factam à Patrono cum institutione secuta, sive per collationem liberam Beneficii, à Superiore valente conferre factam sive per permutationem unius Beneficii cum alio, interveniente authoritate Superioris peractam &c. Atque hac ratione, seu latè ac generaliter, pro quocunque scilicet provisionis modo, sumitur *Institutionis* nomen in Rubrica præsentis Tituli; uti notat Glossa magistralis *in rubr. h. t. in 6.* & Barb *par. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 72 n. 172.* cum aliis. Quo modo, seu late, pariter accipitur Institutionis nomen in *reg. 1. juris in 6.* ibi: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè absque institutione canonica obtineri* Barb. *l. c.* Vall. *h. t. §. 1. n. 3. & instituere*, in hoc sensu aliud non est, quam *jus canonicum in ecclesia, vel ecclesiastico beneficio tribuere* ut inquit Glossa *in cit. reg. 1. jur. in 6.*

3 Alio modo sumitur Institutio propriè, seu specialiter: nempe pro ea solummodò concessione Beneficii, quæ per Superiorem fit cuipiam ad præviam præsentationem Patroni; sicque definiri solet, dicendum: *Institutio, est concessio beneficii ad præsentationem patroni facta* Glossa *in rubr. h. t. n. 6.* Engel *h. t. n. 1.* Et hoc modo sumpta Institutio, est certa species provisionum de beneficio Ecclesiastico.

4 Porrò Institutio propriè, seu specialiter accepta, differt à Collatione, & Præsentatione; juxta textum expressum *c. cùm in illis 16 §. cùm autem de Præb. in 6.* ibi: *Cùm autem inter collationem, præsentationem, & institutionem differentia magna esse noscatur &c.* Siquidem *Institutio* est ipsius personæ, quæ instituitur: *Collatio* verò est beneficii, quod confertur. Zoesius *h. t. nu. 1.* Deinde *Collatio* propriè loquendo, est translatio libera juris in beneficio: quia habens facultatem conferendi beneficium, non tenetur conferre huic, vel illi; sed libere confert cui vult, dummodò sit idoneus. *Præsentatio* econtra proprie pertinet ad Patronum: hoc est, ad eum, cui competit jus patronatus, sicque potest Clericum idoneum præsentare Episcopo ad beneficium vacans. *Institutio* tandem sequitur præsentationem Patroni, mediante qua fit concessio Beneficii Clericò idoneo per Patronum præsentato: & hæc propriè dicitur *Institutio* Glossa *in rubr. h. t. in 6.* Abb. *c. Authoritate n. 7. h. t.* Barb *cit. par. 3. alleg. 72. n. 272.* & alii.

5 Resp. II. Institutio est triplex videlicet collativa tituli Beneficialis, authorizabilis, atque corporalis. Ita Glossa *in c. Beneficium circa med. de reg. Jur. in 6.* ubi ait: „ Dicendum, quod triplex est institutio. Quædam est institutio tituli collativa: alia est institutio auctorizabilis quoad commissionem curæ animarum: alia est institutio realis, & actualis, quæ vocatur investitura, seu inductio in possessionem realem, & corporalem. Hactenus Glossa. Idipsum tenet Abb. *in c. Auctoritate n. 7. & 8. h. t.* Joan de Selva *Tractatuum Tom. 15. tract. de benefic. par. 3. quæst. 1. nu. 20.* Fagnanus *c. cùm Ecclesia nu. 28 & seqq. de Causa possession.* Petrus de Murga *tract. de benefic. quæst. 3. n. 80. & seq.* & communis. Accedit ratio: quia ad omnem Institutionem canonicam in Beneficio, saltem curato, requiritur, ut beneficiario instituendo conferatur à legitimo Superiore titulus beneficii, item cura animarum, nec non actualis possessio illius beneficii: unde meritò juxta hosce tres actus, Institutio ut sic dividitur in tres species; videlicet in collativam, auctorizabilem, atque realem. Et quidem

6 *Institutio collativa* (quam nonnulli *verbalem* appellant) est ea, per quam titulus Beneficii Clerico promovendo confertur. Prout fit tum per electionem canonicam secuta confirmationem Superioris; aliisque hujusmodi modis providendi cuipiam de beneficio Ecclesiastico, qui pertinent ad Institutionem latè sumptam: tum præcipue per Institutionem propriè ac specialiter acceptam, qua legitimus Superior, putà Episcopus, aut ipsius Vicarius Generalis, præsentatum à Patrono, & per examen habilem repertum, instituit in beneficio, hoc est, verbis, aut litteris, confert ipsi titulum beneficii. Et de hac Institutione frequens fit mentio in Jure ac præsertim in præsenti Titulo: eaque omnibus ad beneficium Ecclesiasticum promovendis adeò est necessaria, ut si propria authoritate, vel saltem absque authoritate legitimi Superioris valentis conferre beneficium, istud occupent, censeantur *intrusi*; prout uberiùs dictum est supra *tit. 5. de Præbendis §. 17 n. 523. & seqq.*

7 *Institutio auctorizabilis* aliud non est, quam approbatio ad exercendam curam animarum: sive, commissio curæ animarum, ut inquit Glossa superiùs *n. 5.* relata. Et de hac Institutione auctorizabili, præter Doctores passim, mentionem facit Summarium in *c. cùm satis 4. de Offic. Archid.* illis verbis: *Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum; id est, non habet institutionem authorizabilem:* intellige activam, seu ut eam de jure alii committere valeat. Alioquin enim institutio authorizabilis, sive jurisdictio concessa ad curam animarum exercendam, est omnibus Curatis necessaria, atque in Parochialibus beneficiis omnem aliam institutionem præcedere solet: hoc ipso, quod sine tali jurisdictione curam animarum nemo exercere valeat; sicque quilibet ante quamvis aliam institutionem per prævium examen judicari, & approbari debeat, veluti sufficiens pro exercenda cura animarum.

8 Tandem *Institutio corporalis*, sive realis, aliud non est, quam inductio in actualem possessionem Beneficii: per quam videlicet datur vera, & realis possessio ipsius Beneficii, per legitimum Superiorem cuipiam collati. Et de hac fit mentio in *c. Ad hæc de Offic. Archid.* ibi: *Institutio corporalis, tam super beneficiis, quam etiam Dignitatibus, ad ipsum* (Archidiaconum) *debeat pertinere*.

9 Porrò Institutio corporalis alio nomine dicitur *intrusura, installatio, missio in actualem possessionem*. Neque enim quoad titulum institutus in beneficio, possessionem ejus propria authoritate sine licentia, seu introductione Superioris, apprehendere debet: alias pœna saltem arbitraria ab Episcopo puniendus est. Covarruvias *lib. 3. Variar. Resol. cap. 16. n. 8. ℣. Quod si juris*, citans alios; & sequitur Engel *h. t. n. 4.* atque ex professo dicetur infra *§. 2. nu. 52. & seqq.*

10 Quæritur II. Quæ requirantur ad Institutionem Canonicam? Resp. I. *Institutio canonica* est, quæ fit sine vitio conferentis, recipientis, & formæ. Ita Jo. Andr. *c. Constitutus n. 2.* & Fag. *ib. n. 10. de Filiis Presb.* cum aliis. Ac sensus datæ definitionis est; quod ad Institutionem canonicam requiratur, ut & conferens habeat potestatem conferendi, & recipiens non sit inhabilis ad beneficium, simulque serventur solemnitates à Jure præscriptæ.

11 Infertur proinde, quod generatim loquendo ad quamlibet Institutionem, etiam late sumptam, ac prout sub se comprehendit quoque Electionem, Postulationem, Renunciationem ex causa permutationis beneficiorū, aliosque providendi modos de beneficiis Ecclesiasticis, semper requirantur isthæc tria: videlicet potestas in conferente, eligente, postulante &c. habilitas in recipiente, puta, in electo, postulato &c. ac debita forma à Jure communi, vel consuetudine, aut peculiari locorum statuto præscripta: alioquin enim ex defectu unius horum, jam non foret amplius Institutio canonica. Verùm, quia de istis sub propriis Titulis (nimirum *L. 1. tit. 5. de Postulatione Prælatorum, & tit. 9. de renunciatione* ac præsertim *lib. 1. tit. 6. de* ele-

electione §. 7. & 9. & tit. 14. de Ætate, & qualitate, & Ordine præficiendorum nu. 2. & 3. ac seqq.) ex professo jam actum fuit, hinc eisdem suppositis, impræsentiarum solummodò tractatur de institutione propriè dicta, declarando ea, quæ ipsam specialiter concernunt. Unde

12 Quæritur III. Utrùm præsentatus à Patrono sit necessariò instituendus in Beneficio? Resp. I. Institutio propriè accepta, præter alia singulariter requirit, ut beneficium Ecclesiasticum vacans non nisi Clerico per Patronum præsentato, cæteroquin tamen idoneo, conferri possit, ac debeat, & si secùs attentetur, institutio alterius in eodem beneficio facta, ad instantiam Patroni annullanda sit, & postmodum Clericus contra præsentationem Patroni institutus debeat amoveri. Ita habetur *c. Ex insinuatione 14. de jure patr. & can. decernimus 16. q. 7.* Quamquam hujusmodi institutio Clerici non præsentati, non sit ipso jure nulla & irrita; sed solùm irritanda ad instantiam Patroni contradicentis, atque alium præsentantis. Barbosa *par. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 72. n. 170.* Nicol. Garcia *par. 5. de Benefic. cap 9. nu. 232.* citans plurimos alios. Verùm de hoc plura inferiùs *Tit. 38. de Jurepat.* declarando jura Patronis competentia, ubi etiam nonnullæ limitationes datæ Conclusionis afferuntur.

13 Quæritur IV. An præsentati à Patronis, aliique instituendi in Beneficiis, anteà debeant examinari? Resp. I. Præsentati à Patronis, aliique promovendi, regulariter admitti non debent, neque institui in beneficiis, nisi priùs ab Ordinariis locorum fuerint examinati, & idonei reperti. Ita communis; atque desumitur ex *c. 1. h. t. in 6.* ubi declaratur, quod Capitulum Sede vacante *Præsentatos à patronis potest admittere, si sint idonei, & eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint præsentati*. Ubi ponderando ly, *Si sint idonei*, satis indicatur necessitas præmittendi examinis, utpote sine quo constare nequit Capitulo, sive constituto ejus Vicario Capitulari, de idoneitate Præsentati.

14 Solùm pro meliori intelligentia relati textus notandum est cum Glossa *in Casu ib.* quod *Admittere*, & *instituere* in beneficio, differant. Nam, ut inquit Jo. Monachus, & Jo. Andreas in *cit. cap. 1. n. 1. h. t. in 6.* verbum *Admittere* est exponendum, pro *Confirmare, & approbare*, dando videlicet Titulum in beneficio: *instituere* verò, id est, in *possessionem mittere*, inducendo nempe Præsentatum in corporalem beneficii possessionem.

15 Conclusio proxime data etiam habetur decisa, & quidem clariùs, in Concilio Trid. *Sess. 7. c. 13. de refor.* illis notabilibus verbis: „ Præsentati, seu electi, vel nominati „ à quibuscunque Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quævis Ecclesiastica beneficia „ non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur „ etiam prætextu cujusvis privilegii, seu consuetudinis, „ etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, „ quo minùs examen subire teneatur. Præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu „ Collegiis generalium Studiorum exceptis. *Hæc ibi*.

16 Porrò, per illa verba, *Præsentati à quibuscunque Ecclesiasticis personis*, relatum Concilium non excludit neque ab examine subeundo eximit præsentatos à Laicis. Tum quia Jure communi jam tenentur quilibet instituendi in Beneficiis subire prævium examen, de idoneitate sua, *cit. c. 1. h. t. in 6.* atque etiam quoad præsentatos à Patronis, indistinctè tradit Concilium Trid. *Sess. 25. c. 11. ℣. Ad hæc de refor.* Tum quia quoad præsentatos à Laicis, utpote minùs valentibus dijudicare idoneitatem in Clericis Beneficiandis requisitam, majos periculum latet, quam circa præsentatos à personis Ecclesiasticis, præsertim Sedis Apostolicæ Nunciis: unde cùm Concilium circa istos requirat prævium examen, censetur supponere, istud à fortiori esse necessarium in præsentatis per Laicos. Pirhing *h. t. n. 3.* ibi: *Multo magis ergò à Laicis*.

17 Et dum *cit. Sess. 7. c. 13.* sæpè dictum Concilium addit ly, *ad quævis Ecclesiastica beneficia &c.* clare exprimit, quod præsentati ad Beneficia etiam simplicia, absque prævio examine Ordinarii loci, institui non possint ab illis, ad quos institutio spectat. Garcias *par. 9. de Beneficiis c. 4. n. 5. & n. 19. ℣. Secundò quæritur*. Ubi quoad propositum etiam adducit Declarationem Sacræ Congregationis sic *Jus Canon. Anacl. Reiff. Tom. III.* loquentem: *Congregatio Concilii respondit: Si de simplicibus beneficiis agatur, præsentatos absque prævio examine Episcopi institui non posse, juxta cap. 13. Sess. 7. Si autem de Parochialibus, servandam esse formam c. 18. Sess. 24.*

Resp. II. Etsi proxime data Conclusio procedat regulariter, dantur nihilominùs aliqui casus, in quibus ipsa fallit, estque limitanda saltem respectu instituendorum in Beneficiis simplicibus absque prævio examine. Patet hoc inductione. Sic quippe imprimis præsentati ab aliqua Universitate, seu Collegio Generalium Studiorum ad Beneficium simplex, excipiuntur à novo examine subeundo; juxta textum expressum *in cit. Concilio Tridentino Sess. 7. c. 13. de reform.* ibi: *Præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium Studiorum exceptis*. Hinc tamen Papa, quando pro Graduato scribit ad Beneficium simplex promovendo, nunquam de idoneitate impetrantis inquiri mandat, nec examinari; cum sit ab Universitate approbatus. Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. de rescripto in forma pauperum pro Graduatis n. 3. & 4.* 18

Atque hoc procedit loquendo de Beneficiis simplicibus: secùs dicendum, quando Graduati petunt provideri de aliqua Ecclesia Parochiali. Tunc enim etiam Doctores, aut Licentiatos in Theologia, vel Jure Canonico, & in publica Universitate graduatos, non excusari ab examine, resolvit Barbosa *par. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 60. n. 86* citans plures alios; atque ita à Sacra Congregatione Concilii decisum fuisse, refert Garcias *par. 9. de Benefic. c. 2. n. 103.* & Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 4 n. 90 & 91.* illis verbis: *Doctor, sive Licentiatus in Theologia, sive in Jure Canonico, & in publica Universitate graduatus, non excusatur ab examine, quando petit provideri de aliqua Ecclesia Parochiali*. 19

Excipiuntur quoque à novo examine sustinendo Præsentati ad Beneficium simplex, qui post prævium examen admissi fuerunt ad Sacros Ordines. Siquidem Episcopus *ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum* (saltem simplex) *debet idoneos reputare, quos ad Ordines suscepit*, juxta textum notabilem *in c. Accepimus 13. de Ætate & qualit.* atque cum aliis notat Gonzalez *cit. gloss. 4. n. 84.* Ubi is hoc ipsum *n. 86.* ampliat ad eos, qui sunt notoriè litterati, & habiles ad Beneficium simplex, *arg. can. Nullus ordinetur dist. 24.* juncta Glossa *un. ibid.* 20

Addit Barbosa *cit. alleg. 60 nu. 86.* quod, quamvis ex Concilio Trid. *Sess. 7. cap. 13. de refor.* necessarium sit examen in omnibus Beneficiis, pro forma tamen illud in solis Parochialibus requiri, receptissima sit scribentium resolutio. In aliis verò simplicibus cum residentia, vel sine residentia, non requiritur examen de necessitate, nec sit, si provisus sit persona insignis, & notoriè idonea: & ita vidi servari &c. Ita Barbosa *loc. cit. n. 87.* 21

§. II.

De illis, quibus competit Institutio collativa, auctorizabilis, & corporalis Beneficiorum.

SUMMARIUM.

22 *Institutio collativa, de Jure communi pertinet ad Episcopum loci, in quo situm est Beneficium*.
23 *Habetque Episcopus super hoc fundatam intentionem*.
24 *Etiam Vicarius Generalis, & capitulum Sede vacante, possunt instituere in Beneficiis præsentatos à Patronis*.
25 *Prælatis inferioribus potestas instituendi præsentatos in Beneficiis, de Jure communi non competit &c. Et num. seq.*
26 *Solvitur instantia, concedendo, istud posse ipsis competere ex Jure speciali. Et n. seq.*
27 *Videlicet ex privilegio. Et n. seq.*
28 *Atque ex fundatione, saltem ab antiquo facta*.
29 *Qualis tamen post Concilium Tridentinum amplius fieri non potest*.
30 *Item ex consuetudine*.
31 *Atque præscriptione: & an hæc debeat esse immemorialis?*
32 *Prælatis inferioribus, etiam Regularibus, compe-*

tit jus instituendi in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis.
33 *Ecclesiæ pleno jure subjectæ, quæ?*
34 *Laici nullo modo possunt propriè Clericum instituere in Beneficio.*
35 *Atque præsumentes sic instituere, jubentur excommunicari.*
Et Clerici de manu Laicorum investituram Ecclesiarum accipientes, subjacent pœnæ suspensionis, & excommunicationis &c. Et qualiter? Ibid.
36 *Institutio auctorizabilis de Jure communi pertinet ad Episcopum.*
Adeò, ut Archidiaconus non possit curam animarum committere sine licentia episcopi. Ibid.
Habetque episcopus super hoc fundatam intentionem, numer. 23.
37 *Excipitur Prælatus inferior habens jurisdictionem quasi episcopalem in Clerum, & populum, privative ad episcopum.*
Talis Prælatus venit nomine Diœcesani. *Ibid.*
38 *Institutio auctorizabilis nequit Archidiacono, vel aliis Prælatis episcopo subjectis, vi consuetudinis, vel præscriptionis competere. Et n. seqq.*
39 *Ubi in Jure fit mentio de consuetudine, denotatur completa, & præscripta.*
40 *Sententia illa negativa alteriùs probatur.*
41 *Ac solvuntur contraria. Et n. seqq.*
42 *Illa procedit solùm de Archidiacono, & Prælatis episcopo subjectis: non de exemptis.*
Prælati Regulares possunt præscribere jura episcopalia: adeo, ut certæ ecclesiæ remaneant ipsis pleno jure subjectæ. Ibid.
43 *Institutio corporalis in Beneficiis, spectato Jure communi, pertinet ad Archidiaconum.*
44 *Secùs de consuetudine multorum locorum.*
45 Cap. Licet Episcopus de Præbend. in 6. *in quo casu loquatur.*
46 *Investitura in Beneficiis, sicut & in Feudis, duplex est, verbalis nimirum, & realis.*
47 *Investituræ verbalis ritus, qui?*
48 *Hæc quandoque fit nulla præcedente electione, institutione &c. Quandoque ea præcedente, & quid operetur.*
49 *Si hæc fiat de re præsente, transfert actualem possessionem ejus &c.*
50 *Investituræ realis ritus solent esse varii; & quales?*
51 *An ea possit etiam Laico committi.*
52 *Institutus in Beneficio quoad titulum, non potest propria authoritate possessionem ejus apprehendere, licet vacua sit.*
53 *Benè tamen accedente consensu Superioris.*
Investitus verbaliter de Beneficio, potest ejus possessionem apprehendere propria authoritate. Ibid.
54 *Nisi specialis cujuspiam Ecclesiæ consuetudo, vel statutum, aliud exigat.*
55 *Possessionem vacuam Beneficii sibi collati propria authoritate apprehendens, potest puniri, saltem pœna arbitraria.*
56 *Non tamen idcircò privatus existit jure suo. Et n. seqq.*
57 *Collatio Beneficii, per Clericum acceptata, tribuit ei jus in re ante traditionem possessionis.*
Electus per confirmationem electionis ad Prælaturam, acquirit plenam administrationem. Ibid.
58 *Solvitur instantia.*
59 *Clericus violentia adhibita occupans Beneficium, eo ipso amittit jus, si quod in illo sibi competebat. Et n. 55.*
60 *Rem ab alio possessam propria authoritate apprehendens censetur prædo, teneturque rem ablatam ante omnia restituere.*

22 Quæritur I. Quibus competat Institutio collativa Beneficii? Resp. I. Institutio collativa, seu potestas quo ad titulum instituendi in Beneficiis præsentatos à Patronis, & per examen idoneos repertos, de Jure communi pertinet ad Episcopum loci, in quo situm est Beneficium. Ita communis; ac signanter Abbas *c. cùm Ecclesia Vulteran. n. 8. V. Tertiò, de elect.* Fagnanus *c. Eam te n. 6. de Ætat. & qualit. & c. Auditis nu. 2. de Præscript.* Barbosa *par. 3. de offic. & potest. Episcop. alleg. 72. nu. 175. & 176.* citans Rotam *decis. 85. n. 1. par. 2. recent.* & alios.

Idque patet ex *can. Omnes Basilicæ 16. quæst. 7.* ubi generaliter dicitur, quod omnes Basilicæ, secundùm priorum Canonum Regulam, *in ejus Episcopi potestate consistat, in cujus territorio positæ sunt.* Idipsum clarius habetur expressum in *cap. Ex frequentibus 3. h. t.* ubi proinde Summarium breviter sic loquitur: *Institutio beneficiorum spectat ad Episcopos, vel eorum Officiales.* Concordat *c. cùm ex injuncto 12. §. fin. de Hæretic.* cum similibus.

23 Atque idcircò Episcopus super hoc habet intentionem suam in Jure fundatam: uti conformiter Juris præallegatis, notat Abbas in *c. cùm venissent n. 2.* & Barbosa *ibid. n. 2. h. t.* istud intelligens nedum de institutione collativa, sed etiam de auctorizabili: & idem Barbosa *cit. alleg. 72. n. 175. & 176.* Fagnanus, *ubi suprà n. 6.* post Rotam *apud Card. Seraphinum decis. 776. n. 6.* Unde si lis inter Episcopum, & alium Prælatum inferiorem super jure instituendi in Beneficio oriatur, onus probandi pertinet ad inferiorem; eò quòd Episcopus fundet intentionem in *c. cùm Omnes Basilicæ 16 q. 7 & c. Ex frequentibus 3. h. t.* Atque in simili decisum habetur *c. 2 de restit. spoliat. in 6.* junctis dictis suprà *lib. 2. tit. 19. de Probationib. §. 5. n. 126. & 127.*

24 Resp. II. Etiam Vicarius Generalis Episcopi virtute Mandati generalis, sicut & Capitulum Sede Episcopali vacante, potest instituere in beneficiis præsentatos à Patronis. Ita quoad priorem partem Glossa *c. Ex frequentibus, V. Officialium* & Abbas *ibid. n. 7.* & Barbosa *n. 3. h. t.* Garcias *par. 5. de Beneficiis c. 8. n. 84. & 86.* citans alios; junctis dictis suprà *tit. 5. de Præb. §. 7. n. 190. & 197. & 198.* ubi etiam declaratur disparitas inter potestatem instituendi in Beneficiis præsentatos, & inter collationem liberam Beneficii. Posterior verò pars, loquens, de Capitulo Sede vacante, habetur in terminis decisa *c. un. h. t. in 6.* illis verbis. „ Etsi Capitulum Sede vacante beneficia, „ quæ ad collationem Episcopi pertinent, conferre non „ sit: Præsentatos tamen à patronis potest admittere, si „ sint idonei, & eos instituere in beneficiis ad quæ fuerint „ præsentati: Licet ad Episcopum (si superesset) „ admissio, & institutio hujusmodi pertineret. *Hæc illi.*

Resp. III. Prælatis inferioribus potestas instituendi in beneficiis Præsentatos, de Jure communi non competit: quamvis hæc ipsis ex Jure speciali (putà, ex privilegio, fundatione, consuetudine, aut præscriptione legitime completa) competere valeat. Ita Azorius *par. 2. lib. 6. c. 22. quæst. 2.* asserens, quod præfatam potestatem habeant Episcopi Jure communi; reliqui verò non nisi Jure speciali. Barbosa *par. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 72. n. 176. & 184.* Pirhing *h. t. n. 6.* & alii. Prima pars patet ex *cit. can. Omnes Basilicæ 16. quæst. 7. & c. Ex frequentibus 3. h. t.* Unde Episcopum habere intentionem fundatam in Jure super institutione Clericorum in beneficiis suæ Diœcesis, proxime jam dictum est.

Nec obstat *c. Super eo 15 de Offic. deleg.* ubi dicitur *Si Archipresbyter, vel Archidiaconus, vel Episcopus, ad quem institutio pertinet, appellaverit*: ac proinde sequi videtur non solùm Episcopo, verùm etiam Archipresbytero & Archidiacono, de Jure communi competere institutionem in Beneficiis. Resp. enim cum Glossa *ibid. V. Archidiacono.* Azorio, *ubi suprà*, & aliis, negando sequelam. Nam, ut concordentur jura juribus, dicendum est, quòd Episcopo competat facultas instituendi in beneficiis de Jure communi; Archipresbytero autem, vel Archidiacono, non nisi Jure speciali: videlicet, quando eis specialiter concessum est, instituere in beneficiis; ut *c. cùm satis 4. de Offic. Archidiac.* vel, cùm alias hoc obtinent de consuetudine, *arg. c. Dilecto 10. eod.* vel alio tali legitimo modo, *c. cùm venissent 6. h. t.* ubi etiam Archidiaconus, qui possidebat jus instituendi, pendente lite cum Diœcesano super ejus proprietate, defenditur in possessione; uti liquet ex textu *ibid. §. Nos igitur*, juncto Summario, & DD.

Altera pars datæ Conclusionis desumitur imprimis ex *cit. c. Super eo 15. de Offic. deleg.* junctis proxime dictis. Eadem pars, in quantum loquitur de privilegio, seu speciali concessione, præter Jura *n. præced.* allegata; patet ex *c. Ex insinuatione 3. h. t.* juncta Glossa *V. Officialium & c. cùm satis 4. de offic. Archid.* ibi: *Sine licentia & mandato Episcopi*: cum similibus.

Præterea, quod ex fundatione, saltem ab antiqua facta, possit aliis præter Episcopum personis Ecclesiasticis, vel

vel Capitulis, aut Monasteriis acquiri jus instituendi, quando nimirum in limine fundationis, ac de consensu Episcopi, apposita fuit qualitas illa seu conditio, ut institutio in ejusmodi Beneficio pertineat ad inferiorem: tradit Abbas *c. cùm dilectus n. 4. de Consuet.* Barbosa *lib. 3. Jur. Ecclesiast. un. c. 12. n. 208.* Pirhing *h. t. n. 6.* & alii, junctis dictis suprà *tit. 5. de Præbendis §. 4. n. 105. & seqq.*

29 Additur notanter, ex *fundatione saltem ab antiquo facta.* Nam de facto nova talis fundatio amplius locum non habet: eò quòd Concilium Trid. *Sess. 14. c. 12. de refor.* provide decreverit, ut *in casu fundationis, aut dotationis; hujusmodi institutio, Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.* Unde Sacra Congregatio ejusdem Concilii Interpres; consulta, an in juribus patronatus, quæ post Concilium acquiruntur, reservari possit institutio alteri, quam episcopo? Respondit, non posse in Ecclesiis etiam exemptis, nisi Rector illius ordinaria fungeretur jurisdictione: prout refert Fagnanus *c. cùm Ecclesia Vulteran. 35. de elect.*

30 Quod autem consuetudine possit cuipiam inferiori, putà, Abbati, Proposito vel Archidiacono, competere Institutio collativa in Beneficiis: tenet Glossa in *c. Super eo V. Archidiaconus, de Offic. Deleg.* istud probans ex *c. Dudum 54. §. Sed cùm in jure, de elect. & c. Dilecto 10. de Offic. Archidiac. & c. Ad hæc 2. de excessib. Præl.* Idipsum tradit Abbas *c. cùm satis §. Nota hanc causam, de Offic. Archid.* hoc ipsum probans ex *c. cùm venissent 6 h. t. & c. referente 7.* juncta Glossa *V. Assignato. de Præb.* Fagnanus *c. cum te n. 7. de ætate & qualit.* citans Seraphinum *decis. 306. n. 9.* Barbosa *cit. alleg. 72. n. 184.* allegans alios.

31 Hoc ipsum esse dicendum de præscriptione (*scilicet immemoriali*) notat Barbosa *d. alleg. 72. n. 184.* citans Marium Antonium *var. resol. lib. 1. resol. 47. n. 6.* & Lambertinum, *lib. 2. par. 2. q. 1. princ. art. 10.* Veruntamen Azorius *par. 2. lib. 6. c. 22. q. 3.* & Pirhing *h. t. n. 6.* istud concedunt absolute de præscriptione, & non necessariò requirunt immemorialem, ut Barbosa *loc. cit.* idque juxta generalia principia in materia præscriptionis tradi solita. Et huic posteriori sententiæ accedit Fagnanus in *c. Auditis n. 6 de Præscript.* ubi distinguendo plures casus, post Alexandrum de Nævo *ibid.* & Innocentium in *c. cum olim de restit. spoliat.* concludit, quod Prælatus inferior, si solus fuit usus jurisdictione, putà, quia solus instituit spatio quadraginta annorum, videatur præscripsisse excluso Episcopo.

32 Addunt Doctores, & signanter Barbosa *d. par. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 72. n. 184.* Fagnanus *c. cùm venissent n. 14. h. t.* & Pirhing *eod. n. 6.* quod Prælatis inferioribus, etiam Regularibus, competat jus instituendi in Ecclesiis sibi pleno jure subiectis. Idque colligitur ex *c. In Lateranensi 31. de Præb.* argumento à sensu contrario desumpto, ex illis verbis: *Statuentes nihilominùs, quatenus* Religiosi *in Ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, juxta ejusdem Concilii statuta, Episcopis instituendos Presbyteros repræsentent, ut illi de plebis cura respondeant.* Concordat *Clem. un. §. Quidam præterea Capellanos de Excessib. Prælat. & c. cum & plantare 3. §. In Ecclesiis, de Privileg.* ubi Glossa *V. Pleno jure*, infert, quod in Ecclesiis pleno jure ad Religiosos pertinentibus, nihil possit Episcopus attentare in illos: & ita institutio, & destitutio quoad temporalia, & spiritualia, ad ipsos pertineat, *c. Visis litteris 16. q. 2.*

33 Cæterùm Ecclesiæ *pleno jure* dicuntur ad aliquem pertinere, quando utroque jure, id est, in spiritualibus & temporalibus, eidem subiectæ sunt, Glossa, *in d. c. cùm & plantare 3. §. In Ecclesiis vers. Pleno jure; de Privileg.* & alia Glossa, *c. quoniam 21. eod.* ubi verba illa exponendo, dicit: *Pleno jure, scilicet in spiritualibus & temporalibus* Card. Tuschus *litt. P. concl. 364. n. 3.* Barbosa *par. 3. de Offic & potest. episc. alleg. 89. n. 4.* citans alios, ac novissime Ludov. Engel *de Privileg. Monasterior. Privileg. 46. §. De unione, pleno jure*, ubi ex professo de hoc tractat.

34 Resp. IV. Laici nullo modo possunt proprie instituere Clericum in aliquo Beneficio, Ita communis; & ratio est: quia potestas instituendi in Beneficiis, est spiritualis: cujus incapax est Laicus, *c. Decernimus 2. de Judiciis, & c. Causam quæ 7. de Præscript* cum similibus. Concordant dicta superiùs *lib. 1. tit. 6 De electione nu. 174. & 175. & nu. 219* ubi in simili dicitur, Laicos non posse eligere, vel eligi ad beneficia Ecclesiastica, nisi ex speciali dispensatione, seu privilegio Papæ; qua ratione ipsis etiam compe-

tit jus patronatus, seu jus præsentandi, vel nominandi Clericos idoneos ad beneficia Ecclesiastica vacantia: nam istud non est propriè instituere in Beneficiis.

35 Eadem Conclusio patet ex *c. Præterea quia 4. de Jure patronat.* ubi Laici, qui Clericos instituere, vel destituere præsumunt in Ecclesiis, etiam patronatus, jubentur anathemate feriri, seu excomunicari. Item ex *can. Si quis deinceps, & can. Quoniam 16. q. 7.* ubi Clericus non solùm pœnæ suspensionis, sed etiam excommunicationis subjacere decernitur, qui investituram Ecclesiarum, contra Statuta Sanctorum Patrum, de manu Imperatoris, vel Regis, aut alterius Laicæ personæ suscipere præsumpserit: nam, ut *cit. can. quoniam*, notatur, *ex eo plurimas perturbationes in ecclesia (imò ruinam sanctæ religionis) oriri cognovimus.* Quamquam de facto, sive post Concilium Lateranense, relatum, *cit. c. Præterea quia 4. de Jurepatr.* pœna illi suspensionis, atque excommunicationis, non sit latæ, sed ferendæ primùm sententiæ; uti notat Glossa *d. c. præterea quia V. Communione privetur*, & Abbas *ibid. n. 1. de Jurepatr.* ac sequitur Pirhing *eod. tit. n. 24.* Concordant dicta superiùs *tit. 5. de præbendis §. 17. n. 515. & 516.* ubi tales censentur *Intrusi*: &, si persisterint in Beneficio taliter suscepto, à ministerio Ecclesiastico, & Ordine deponendi, *cit. c. præterea quia 4. de Jurepatr.* & alibi: atque efficiuntur ineligibiles, *c. Quisquis 43. de elect.*

36 Quæritur II. Ad quem pertineat Institutio authorizabilis, atque an hæc præscriptione acquiri possit? Resp. I. Institutio auctorizabilis, sive potestas conferendi curam animarum, de Jure communi pertinet ad Episcopum: adeò, ut nec Archidiaconus sine licentia, & mandato episcopi, possit curam animarum committere. Ita textus apertus in *c. cùm satis 4 de Offic. Archid.* ubi Glossa *fin. & DD.* communiter. Concordat *can. Nullus omnino 16. quæst. 7.* ubi hoc ipsum expressis verbis sancitum legitur.

37 Excipe casum, quo Prælatus inferior jurisdictionem habet quasi Episcopalem in Clerum, & populum, privative ad Episcopum: putà, quia est nullius Diœcesis, Fagnanus *c. Eam te n. 4. de Ætate & qualit. & c. cùm contingat. n. 31. & 37. de Foro comp.* allegans sententiam Sac. Congregationis Concilii. Siquidem prælatus ejusmodi constituitur in proprio territorio; ita ut veniat nomine Diœcesani, juxta Glossam *in Clem. 1. V. Diœcesanis*, & Abbatem *ibid. n. 15 de Foro compet.* Et quia omnimodam habet jurisdictionem in Clerum, & populum privativè ad Episcopum, hoc ipso obtinet potestatem tradendi curam animarum, utpote quam alius præter Papam tribuere non posset.

38 Resp. II. Institutio auctorizabilis, seu jus tradendi curam animarum absque consensu episcopi, nequit Archidiacono, vel aliis Prælatis episcopo subjectis competere vi consuetudinis, seu præscriptionis. Ita Abbas *cap. cùm satis 4 not. 3 de Offic. Archid.* & Jo Andreas *ibid. n. 6. & 18.* Fagnanus *d. c. Eam te n. 3 de Ætate & qualit.* Layman *cit. c. cùm satis* post Azorium *par. 1. lib. 5. cap. 19. §. Consuetudo item* & Pirhing *eod. tit. de Offic. Archid. n. 13.* & alii: quamvis Barbosa *par. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 72. nu. 185.* cum nonnullis aliis à se allegatis, & post ipsum Engel *h. t. n. 8* oppositum teneant. Conclusio desumitur ex *d. cap. cùm satis de Offic. Archid.* ubi Alexander III. Elianensi Archidiacono (qui sine licentia Episcopi sui committebat curam animarum, dicens, hoc ex consuetudine sibi licere, prout refert Glossa in casu *ibid.*) rescripsit in hæc verba: *Quoniam igitur obtentu alicujus consuetudinis, non debes contra Sanctorum patrum constitutiones venire, & quod ad tuum non spectat Officium vendicare: Mandamus, ut nemini sine licentia, & mandato Episcopi, curam præsumas committere animarum.* Hæc ibi.

39 Nec sufficit cum Glossa *ibid. V. Consuetudinis*, relatum Capitulum intelligere de consuetudine non præscripta. Nam contrà est. Tum quia istud est divinare; cùm textus absolute id fieri prohibeat *obtentu alicujus consuetudinis*; quasi diceret: *Obtentu nullius consuetudinis id debes facere &c.* ut loquitur Jo. Andreas *cit. n. 18.* Tum quia, ubi in Jure fit mentio de consuetudine, denotatur completa & præscripta, *arg. c. Cumana 50.* & notat Abbas *ibid. nu. 4. de elect.* Jo. Andreas *d. n. 18.* Mascardus *de probat. concl. 172. n. 11.* & alii. Siquidem hæc sola, propriè & absolutè, dicitur *consuetudo*: alia verò non nisi *in facto* consistit.

40 Accedit ratio datæ Conclusionis. Quia irrationabilis, atque idcircò invalida est consuetudo, quæ est perniciosa

Ecclesiis, eisque grave damnum infert, *c. 1. de Consuet. & cap. 1. de his, quæ fiunt à major. part. cap.* estque jam dictum suprà *lib. 1 tit. 4. de Consuetudine* §. 3. *n.* 84. & 85. Atqui consuetudo illa, vi cujus Archidiaconus, vel alius Prælatus Episcopo subjectus, posset sine licentia Episcopi, sicque eo inscio, vel etiam invito, conferre curam animarum, atque instituere Curatos inferiores, foret perniciosa Ecclesiis; ergo. Minor patet ex eo: quia Episcopi est invigilare, ne indigni instituantur, atque promoveantur ad regimen animarum, *can. Regenda, & can. Quæcunque* 10. *q* 1. Hoc autem episcopus præstare nequiret, non absque gravi periculo animarum, si inferior vi consuetudinis obtinere valeret institutionem auctorizabilem; & sic absque examine episcopi, imò ipso inscio, vel saltem non consentiente, posset cæteris Clericis conferre curam animarum. Unde non immeritò Concilium Tridentinum *sess. 7. cap. 13. de reform.* contrariam consuetudinem, etiam immemorialem, reprobavit, verbis illis suprà *n.* 15. jam relatis.

41 Nec obstat ratio Barbosæ *cit. alleg. 72. n.* 185. desumpta tum ex generalibus principiis in materia consuetudinis, atque præscriptionis tradi solitis: tum ex eo, quod Religiosi possint via præscriptionis acquirere Ecclesiam pleno jure quoad omnimodam jurisdictionem: & consequenter etiam præscribere potestatem tradendi curam animarum, *arg. Clem. un. §. quidam præterea, de excessib. Prælat.* Resp. enim, generalia illa principia non procedere, ubi consuetudo est irrationabilis, seu perniciosa ecclesiis, qualis est hæc juxta proximè dicta.

42 Ad alterum dicitur, Conclusionem præmissam loqui de Archidiacono, & aliis Prælatis episcopo subjectis: nam de istis loquendo sequeretur pernicies, graveque damnum Ecclesiarum, si sine licentia episcopi, eoque inscio, vel etiam invito, possent committere curam animarum. Per hoc tamen non negatur, quin Religiosi, seu horum Prælati, possint præscribere jura Episcopalia, *c. cùm olim* 18. *de præscript.* vel etiam totum jus episcopale in certis ecclesiis Diœcesis; adeò, ut hæ Prælatis illis remaneant pleno jure subjectæ; per textum notabilem *in c. Auditis 15 §. quocirca*, juncta Glossa *V. Jus episcopale, eod.* sicque in consequentiam etiam valeant præscribere institutionem auctorizabilem, seu potestatem tradendi curam animarum pro memoratis ecclesiis: ex hoc enim non sequitur absurdum *n* 40. allegatum, hoc ipso, quod illarum ecclesiarum cura non amplius pertineret ad Episcopum. Secùs dicendum de Archidiacono, & aliis Prælatis episcopo adhuc subjectis, ob memoratum absurdum, & Jura talem consuetudinem meritò reprobantia. Unde Abbas *cit. c. cùm satis Nos. 3. de Offic. Archid.* notat quidem, quod institutio authorizabilis, scilicet cura animarum, consuetudine per Archidiaconum, vel inferiorem Prælatum ab episcopo quæri non possit: nihilominùs hoc non obstante, *in c. cùm non liceat n. 17. de præscript.* ex professo docet, quod Prælatus exemptus possit præscribere potestatem committendi curam animarum pro certa ecclesia: & tunc (inquit) *ipse Abbas*, seu Prælatus exemptus taliter præscribens, *visitabitur à suo Superiore, cùm sit exemptus.*

43 Quæritur III. Ad quem pertineat Institutio corporalis in beneficiis? Resp. I. Spectato Jure communi, Institutio corporalis in beneficiis (vulgò *Investitura*, seu *Installatio*) spectat ad Archidiaconum. Ita communis; estque textus expressus in *c. Ad hæc 7. §. In quadam de Offic. Archidiac* ibi: *Institutio corporalis, tam super beneficiis, quam etiam dignitatibus ad ipsum* (Archidiaconum) *debeat pertinere.* Quamquam hinc excipiendi sint Canonicatus: nam institutio corporalis in istis de Jure spectat ad Decanum; uti probat textus in *c. Post electionem 7. de Concession. præb.* illis verbis: *Per cujus* (Decani) *manum debebas in capitulo investiri:* juncta Glossa *ibid. V. Ordinationem.*

44 Additur tamen, *spectato Jure communi.* Nam de consuetudine, quæ hodie multis in locis obtinet adversus Archidiaconos, Institutio corporalis, seu investitura in beneficiis pertinet ad Episcopum, vel Delegatum ab eo *arg. c. Licet episcopus 28. de præb. in 6.* ubi de Episcopo dicitur, quod in casu ibidem expresso possit quidem conferre beneficium ab altero possessum, illum tamen, cui contulerit, non debeat, priore possessore non vocato, *in possessionem ipsius inducere corporalem.* Quibus posterioribus verbis argumento à sensu contrario desumpto satis indicatur, ad Episcopum, vel Delegatum ipsius, de facto spectare institutionem corporalem: idque vi consuetudinis, per quam Archidiaconi amiserunt jus, cæteroquin de Jure communi sibi competens, peragendi institutionem corporalem. Covarr. *l. 3. Var. Resol. c. 16. n. 7. V. Tertius casus.* Engel *h. t. n. 5.*

Fatendum quidem, quod citatum *c. Licet episcopus de Præb. in 6.* præcipuè loqui videatur in casu, quo Beneficium est litigiosum, atque ab alio occupatum, sive possessum. Tunc enim necesse est, ut Episcopus ipsum anteà citatum audiat, si fortè justam causam retinendi beneficium allegare possit: alioquin verò Episcopus per sententiam ipsum expellat, decernendo simul, quod alter, cui beneficium jam contulerat, in ejus possessionem corporalem inducendus sit; sicque ipsemet Episcopus eum inducere censeatur. Covarruvias, & Engel, *ubi suprà.* Verùmtamen per hoc non negatur, quin etiam de consuetudine possit institutio corporalis ad Episcopum vel Delegatum ipsius, pertinere: qualis consuetudo præsertim in amplioribus Diœcesibus, sicque Archidiaconis longius plerumque distantibus, invaluisse videtur. 45

Quæritur IV. Qui soleant esse ritus Institutionis corporalis, seu Investituræ in beneficiis? Ubi prænotandum est cum Engel *h. t. n. 5.* & Julio Claro *in §. Feudum quæst. 26. n. 1.* quod in beneficiis, sicut & in Feudo, duplex Investitura à Doctoribus distingui soleat: una verbalis, seu (ut Jul. Clarus loquitur) abusiva, quæ fit per verba cum traditione alicujus signi: putà, cum impositione Byrreti, vel (loquendo de Feudis) per traditionem annuli, vel ensis: altera realis, seu propriè dicta, quæ fit per actualem introductionem in possessionem beneficii, seu rei feudalis. Quo prænotato 46

Resp. I. Loquendo de Investitura verbali, quæ nonnunquam Investituræ reali præmittitur, solet in quibusdam locis investiendus coram Episcopo, aut Vicario Generali, vel Consilio Ecclesiastico ipsius, facere professionem Fidei, juxta præscriptum Concilii Trid. *sess. 24. c. 12. de reform.* & dicta superiùs *l. 1. tit. 1. de Summa Trinitate §. 8. n. 157. & seqq.* atque insuper Episcopo præstare juramentum obedientiæ & fidelitatis: & tunc imponitur ipsi annulus, vel Byrretum, adjunctis verbis investituram significantibus. 47

Porrò hujusmodi Investitura verbalis quandoque fit nulla præcedente electione, institutione, vel collatione: putà quia Superior capiendo annulum, vel Byrretum, dicit: *Investio te de tali beneficio &c.* & tunc ea habet vim collationis, atque per eam transfertur jus Beneficii in investitum, dummodò investiens potestatem habeat conferendi. Jo Andreas *c. Transmissam 13. de elect.* Abb. *c. auctoritate 9. h. t.* Pirhing *eod. n. 1.* Quandoque verò fit præcedente electione, institutione, vel collatione: & tunc, si fiat in absentia rei, putà beneficii Ecclesiastici, Investitura ejusmodi est quasi confirmatio juris præcedentis; atque inducit, non quidem actualem possessionem (seclusa speciali locorum consuetudine, *arg. c. ex litteris 2. de Consuet.*) sed obligationem duntaxat ad faciendam traditionem dictæ actualis possessionis; vel ad summum confert licentiam, propria authoritate vacuam possessionem occupandi. Abb. *cit. n. 9.* Engel *h. t. n. 5.* Jul. Clarus *in d. §. Feudum q. 26 n. 1.* Additur tamen ly, *Si fiat in absentia rei &c.* Nam si dicta Investitura fieret de re præsente, vel saltem existente in conspectu investientis, jam non esset mera Investitura verbalis, sed realis; atque transferret actualem possessionem beneficii vacui, seu in cujus possessione nullus alius existit. Jo. Andreas *cit. c. Transmissam n. 13. & 14. de elect.* Abb. *c. n. 9.* sic concordans Glossas, quæ alioquin videntur contrariæ: estque amplius dictum suprà *lib. 2. tit. 12. de causa Possessionis, & proprietatis n. 111. 112. 117. & seq. ac n. 140.* 48

Resp. II. Quantum attinet ritus Investituræ realis, seu corporalis, iidem solent esse varii, pro diversitate locorum prout notat Zoesius *h. t. n. 4.* Engel *eod. n. 5. & 6.* Pirhing *n. 1.* Sannig *eod. tit. c. 3. n. 4.* Unde in praxi expedit laudabiles cujuslibet loci consuetudines, ritusque investiendi realiter in Beneficiis ab antiquo usitatos, observare. Sic v. g. investiuntur per inductionem in templum, & collocationem in Sede; qua *investitura in spiritualibus* (ut vocant) peracta, alicubi sequitur *investitura in temporalibus*, deducendo novum Abbatem in ædes Abbatiales, atque claves eorundem &c. ipsi assignando. Canonici solent investiri per assignationem loci in Choro, & Capitulo. In Parochialibus beneficiis investitura fit per introductionem in Templum,

osculum Altaris summi, aspersionem Aquæ benedictæ; pulsum Campanæ &c. Alicubi verò tota Investitura verbalis, & realis, simul peragitur in ipso loco Parochiæ per Commissarium Episcopi; atque in die festo, dum parochiani ad Divina conveniunt, proponitur ipsis in Ecclesia novus Parochus, qui & ibidem publicè professionem Fidei, atque juramentum obedientiæ deponit, ac Insignia Parochialia recipit &c. de quo plura Engel *cit. n. 6*

50 Addit Zoesius *d. n. 4.* & Engel *n. 5.* quod Investitura realis, si nullam aliam cæremoniam Ecclesiasticam habeat annexam (putà, quia jam præcessit Investitura verbalis per traditionem Byrreti &c.) sed solummodo concernat actualem introductionem in locum beneficii una cum traditione clavium, & jurium, librorumque attinentium, etiam Laico committi possit: nam talis Investitura est meri facti.

51 Quæritur V. Utrum institutus quoad titulum in beneficio, possit possessionem ejus propria authoritate apprehendere? Resp. I. Institutus in beneficio quoad titulum, non potest propria authoritate possessionem ipsius apprehendere, etiamsi vacua fuerit. Ita Covarruvias *var. resol. l. 3. c. 16. n. 7. & 8.* ubi post relatas aliorum DD sententias, & distinctos diversos casus; tandem *V. quod si juris &c.* hanc opinionem, veluti justiorem, recipit; & paulo post subjungit, Auditores Rotæ passim observare, & pronunciare, quod nemini, etiam canonicum titulum habenti, liceat possessionem propria authoritate occupare. Rebuf. *in praxi benef. tit. de missione in poss. n. 24. & 25.* asserens inter alia: *Si ipsis ad ista evitandum non accipias possessionem in propria authoritate, sed facias te induci per alium juxta collationis formam* Eng. *h. t. n. 4.* & alii. Ratio est: quia SS. Canones Investituram, seu institutionem corporalem in beneficiis, indistinctè requirunt hoc ipso, quod eam specialiter attribuant Archidiacono, *c. ad hæc 7. de offic. Archid.* Frustrà enim talis institutio corporalis à jure fuisset adinventa, si cuivis liceret propria authoritate possessionem beneficii sibi collati apprehendere. Idque non immeritò statutum fuit: cum ne quis accipiat sibi honorem in ecclesia Dei, nisi vocatus à Deo sicut Aaron, *c. in scripturis 8. quæst. 1.* Tum ut Pastores animarum non intrent in ovile Christi, nisi per ostium, atque aperiente Ostiario etiam per Institutionem corporalem, *Jo. c. 10. & can. tres personæ 23. q. 4.* cum similibus.

52 Additur tamen in data conclusione, *non potest propria authoritate.* Nam quod accedente consensu, seu licentia legitimi Superioris, valentis tradere possessionem corporalem, possit quis ingredi possessionem vacuam beneficii, eamque capere nullo alio introducente, passim fatentur DD. eo quod jam interveniat authoritas Superioris. Unde quod de beneficio absente investitus verbaliter per traditionem annuli, aut Byrreti, vel hujusmodi, possit apprehendere possessionem illius propria authoritate; tenet Abbas *c. authoritate n. 9. h. t.* Covarruvias *c. c. 16. n. 7. V. primus etenim* Rebuf. *in praxi benef. tit. de Missione in poss. n. 6* Layman *in c. nosti n. 4. de elect.* Eng *h. t. n. 5.* Jul Clarus *d. § feudum q. 26. n. 1.* & Jason *l. Si ex stipulatione nu. 5. ff. de Acquir. possess.* & alii. Rationem dant, quia per ejusmodi Investituram verbalem, una cum traditione v. g. Byrreti factam, videtur Superior, quantum in eo est, illud beneficium in investitum transferre. Et quamvis per hoc non transferatur possessio corporalis respectu beneficii absentis, sed ad illius apprehensionem requiratur ipsum corpus beneficii, aut saltem, quod istud fit in conspectu tradentis annulum seu Byrretum, juxta dicta superius *li. 2. tit. 12. de causa poss. §. 4. n. 133. 117. 119. & seqq.* nihilominus existimant prælegati Authores, tacitam fuisse datam à Superiore, accipiendi vacuam possessionem ejus propria authoritate, quidquid contradicat Dynus in *reg. 1 beneficium num. 17. de reg. jur. in 6* cum nonnullis aliis.

53 Istud tamen limitandum est cum Layman *c. nosti n. 4. V. Dico 2. de elect.* Si specialis cujuspiam Ecclesiæ consuetudo vel Statutum vigeat, quod verbaliter institutus, provisus aut confirmatus, possessionem, quamvis vacantem, ipsemet capere non possit: sed solemniter & corporaliter introduci debeat in ejus possessionem. Tunc enim istud erit observandum: adeo, ut priusquam ea solemnitas peracta fuerit, non censeatur acquisita possessio. Abbas *c. cum super n. 16. & 17. de causa possess.* & Innoc *ib. in f.* & rursum Abbas *c. transmissam n. 6. V. conclude ergo de elect.* allegans DD communiter; idque probans ex *can. In his rebus d. 11.*

Resp. II. Etsi possessionem vacuam beneficii sibi collati propria authoritate apprehendens, possit per Superiorem puniri, pœna saltem arbitraria: non tamen idcirco privatus existit jure suo, qui taliter possessionem apprehenderit, nisi violentiam adhibeat. Prima pars sequitur ex dictis *n. 52.* eamque tradit Covarruvias *d. lib. 3. var. resol. c. 16. n. 7. ver. quod si juris* & Engel *h. t. n. 4.* Talis enim ageret contra apertam Juris communis dispositionem; sicque puniri meretur. 54

Alteram partem tenet Covarruvias *l. c.* asserens, quod etsi canonicum habens titulum, & propria authoritate vacuam beneficii possessionem apprehendens malè fecerit, non requirendo Superioris licentiam, canonico tamen titulo & justo possideat. Idipsum tradit Rebuf. *in praxi benef. tit. de missione in possess. n. 3.* post Jo. de Selva *tr. de benef. p. 2. c. 15.* & favet Abbas *in d. c. transmissam n. 3 de elect.* contra Dynum *cit. reg. 1 benef. n. 16. de reg. jur. in 6.* & nonnullos alios, quos in contrarium citat Abbas *ib.* Ratio hujus partis Conclusionis est: quia licèt Installatio, seu institutio corporalis in beneficio, de jure præmitti debeat, juxta dicta *n. 52.* nullibi tamen habetur, neque probatur, quod requiratur ad substantiam actus, ac proinde sufficit dicere, quod ea sit de solemnitate, non autem de substantia. Sicut in simili accidit in Judiciis, utpote in quibus nonnulla requiruntur ad substantiam, quando videlicet istud reperitur in jure expressum: alia vero solummodo pertinent ad solemnitatem; uti notat Glossa in *Summa vers. quod autem caus. 2. q. 1.* 55

Accedit, quod sola collatio canonica per Clericum acceptata, jam ante traditionem possessionis, eique apprehensione, jus in beneficio ecclesiastico, seu jus in re tribuat: *c. ult. de concession præb. in 6.* juncta glossa *penult. ver. Collatio de præb. in 6* atque amplius dicetur infrà *n. 77. & seqq.* Similiter, quod Electus per confirmationem suæ electionis ad beneficium ecclesiasticum, seu Prælaturam, acquirat plenam administrationem; probat textus notabilis in *c. Transmissam 15. §. respondemus de elect.* & tradit Gl. *in c. nosti ver. Confirmata eod.* & Innoc. *in d. c. transmissam n. 1.* & Jo: Andr. *ib. n. 6.* atq; Covarruvias *c. c. 16 n. 6.* asserens, quod fere communi omnium judicio receptum sit, ante apprehensionem corporalis possessionis, posse habentem justum titulum & canonicum, nemine possidente, propria authoritate ministrare ipsi beneficio, & ejus curam habere, atque exercere. Atqui hæc forent falsa, si administrans ante obtentam possessionem corporalem, sicque hanc ipso facto apprehendens privatus existeret jure suo; ergo 56

Nec obstat, quod electus, si ante obtentam confirmationem administrare præsumpserit, nulliter agat, *c. nosti 15 & c. qualiter 17. de elect.* imò etiam ipso facto privatus sit jure ex electione sibi quæsito. Resp enim, præfata Jura expressis verbis loqui de electo administrante ante obtentam confirmationem suæ electionis; non vero de electo post confirmationem administrante, quamvis id fiat ante apprehensionem corporalis possessionis, seu investituræ, utpote de qua nec minima ibidem fit mentio: prout liquet ex textu allegatorum Jurium, quæ proinde, argumento à sensu contrario, potiùs militant in oppositum, faventque nostræ Conclusioni. 57

Tertia tandem pars Conclusionis, loquens de violentia adhibita, per quam Clericus privetur jure suo, est communis; atque habetur expressè decisa in *c. cum qu. 18. §. Insuper de præb. in 6.* illis verbis: *Insuper ut violenti, qui authoritate (seu verius temeritate) propria occupare Dignitates, Personatus, aut alia quæcunque Ecclesiastica beneficia non verentur, etsi non virtutis amore, pœnæ saltem formidine à suæ temeritatis audacia refrænentur, eo ipso jus, si quod in dignitatibus, personatibus, & beneficiis occupatis taliter, vel ad ea ipsis forsitan competebat, amittat.* Hæc ibi. Et quidem rigor dictæ Decretalis innititur rigori Juris Civilis *l. Si quis in tantum C. Unde vi & can. placuit 16. q. 6* Accedit textus *in l. si ex stipulatione ff. de Acquir. possess.* ubi sine possessoris voluntate nactus possessionem rei stipulatæ, vel emptæ, censetur prædo, atque ut talis possidere, non ut emptor. 58

Generaliter enim rem ab alio possessam, sive justè possideat, sive injustè, nemo propria authoritate, atque sine judicis Decreto, apprehendere, & possidere potest: alioquin 59

quin

quin censetur prædo; *cit. l. Si ex stipulatione*: & rem alteri ablatam tenetur restituere, *l. Nec ex vera C. de acquir. poss.* Nam, quod spoliatus ante omnia sit restituendus, patet ex *c. ult. de ordine cognit.* cum concordantiis; estque ex professo dictum suprà *lib. 2. tit. 13. de rest. spol. §. 3. n. 48. & seqq.* Et propter ista in præmissis Conclusionibus notanter ac repetitis vicibus, additum fuit ly, *Vacuam possessionem beneficii*: quæ amplius confirmantur ex dictis suprà *cod. lib. 2. tit. 12. de causa possessionis &c. §. 4. n. 115. & 118.*

§. III.

De instituendis in beneficiis, jureque eorum per Institutionem acquisito: ubi & de Institutione ac dispensatione Sui ipsius.

SUMMARIUM.

61 *In beneficiis Ecclesiasticis Laici non possunt institui, sed soli Clerici.*

62 *Clerici possunt institui in beneficiis certum Ordinem sacrum requirentibus, licet istum nondum habeant.*

63 *Dummodò infra tempus à Jure statutum possint ad Ordinem requisitum promoveri.*

64 *Et aliàs sint idonei.*

65 *Regulariter in beneficiis non debent institui Clerici unius duntaxat originis, seu Nationis, sed viri litterati, & idonei, undecunque venientes.*

66 *Dummodo excipiantur beneficia patrimonialia.*

67 *Quot sint instituendi in Collegiis Clericorum, aut in Monasteriis Regularium recipiendi? Et n. seq.*
Numerus eorum debet constitui secundum facultates Ecclesiarum, vel Monasteriorum; nec plures admitti. Ib.

68 *Simulque tot recipi, quot ex consuetis redditibus sustentari valeant.*

69 *Intelligendo istud etiam de ecclesia numerata. Et n. seqq.*

70 *Si redditus ecclesiæ notabiliter decrescant, potest numerus Canonicorum, etiam taxatus, diminui.*

71 *Propter modicum tamen incrementum, vel decrementum non est recedendum à numero consueto &c.*

72 *Intra quod tempus debeat fieri institutio præsentatorum in beneficio, aut confirmatio electorum. Et n. seq.*
Tempus istud non est à Jure præfinitum, dummodo non diu differatur. Ib.

73 *Quid agendum, si institutio, vel confirmatio diutius æquo differatur.*

74 *Per præsentationem Clerico, cæteroquin idoneo, acquiritur jus ad rem respectu beneficii. Et n. seq.*

75 *Præcipuè loquendo de jurepatronatus ecclesiastico.*
Patronus ecclesiasticus nequit variare præsentando alterum, Ib. Præsentatio Patroni Ecclesiastici habet vim electionis &c. Ib.

76 *Quid dicendum de præsentatione per Patronum laicum facta.*

77 *Institutio verbalis, seu collatio canonica tribuit jus in re seu jus perfectum in beneficio, etiam ante traditionem possessionis.*

78 *Postquam tamen est acceptata.*

79 *Acceptatio hujusmodi potest fieri non tantum à clerico promoto, sed etiam ab alio ejus nomine.*

80 *Etiam à Laico.*

81 *Dummodò is habeat speciale mandatum ad acceptanda beneficia pro alio, licet certum horum non exprimatur.*

82 *Aliàs Clerico promoto immediatè non acquiritur jus in beneficio, donec sequatur ratihabitio prioris acceptationis per alterum factæ.*

83 *Nihilominus per collationem absenti factam, acquiritur huic jus ad rem respectu beneficii, etiam ante ejus acceptationem.*

84 *Neque collatio illa absenti facta potest revocari per Episcopum, nisi &c.*

85 *Cur donatio absenti facta possit semper revocari ante ejus acceptationem; non item collatio beneficii.*

86 *Per institutionem realem, seu corporalem (vulgo, investituram) confertur vera, & actualis possessio beneficii.*

87 *Is, ad quem spectat collatio beneficii non potest seipsum instituere.*

88 *Neque potest ab alio à se delegato institui.*

89 *Benè tamen à Papa, vel ab eo, in quem jus instituendi anteà absolutè transtulit.*

90 *Proponitur notabilis objectio, & quæstio, an possit Papa, vel alius Prælatus cum se ipso dispensare. Et n. seq.*

91 *Refertur sententia Canonistarum, negantium, posse Prælatum per se, & directè, secum ipso dispensare.*

92 *Et quomodo Prælati possint suis Confessariis committere, ut se absolvant, vel secum dispensent?*
Et quid dicendum de Papa? Ib.

93 *Proponitur sententia Theologorum, affirmantium, Papam, & alios Prælatos posse secum dispensare in iis, in quibus possunt dispensare cum subditis suis. Et n. seqq.*

94 & 95 *Atque horum responsio ad objectionem n. 90. propositam.*

96 *Papa potest secum dispensare in omni Jure positivo humano.*
Et an possit se à proprio juramento absolvere? Ib.

97 *Episcopi, aliique Prælati, possunt uti dispensatione generali, quam concedunt Civitati, vel toti Communitati.*

98 *Sententia Theologorum est probabilis: Canonistarum probabilior, Juri conformior, & tutior.*

Quæritur I. Quinam sint instituendi in beneficiis? 61
Resp. I. In beneficiis Ecclesiasticis Laici non possunt institui, sed soli Clerici. Ita communis; & patet ex *c. 2. h. t. ibi: C. Laici non debeant in Canonicorum numero computari*. Et hoc adeo verum est, ut seclusa speciali dispensatione Apostolica non sufficiat, si quis eorum primum post factam institutionem in beneficio, vel etiam collationem ipsius, fiat Clericus suscipiendo primam Tonsuram, *arg. c. ex litteris 6. de transactionib.* estque amplius dictum suprà *l. 1. tit. 6. de electio §. 9. n. 219.*

Resp. II. Nihilominus Clerici à Patronis præsentati, 62
possunt institui in beneficiis certum Ordinem Sacrum requirentibus, licet istum nondum habeant: dummodo infra tempus à Jure statutum possint ad requisitum Sacrum Ordinem promoveri, & aliàs sint idonei. Ita communis estque decisum *c. 2. h. t. in 6.* illis verbis: *Si is ad quem Rectoris præsentatio in aliqua Parochiali Ecclesia noscitur pertinere, quempiam non constitutum in Sacris præsentet ad eam, ipsum (dummodo alias sit idoneus, & infra tempus à Jure statutum ad ordines, quos ipsius ecclesiæ cura requirit, valeat promoveri) decernimus admittendum*. Hæc Pontifex.

Additur notanter in Conclusione, *Dummodo infra tempus à jure statutum possint ad requisitum Sacrum Ordinem promoveri*. Hoc enim expressè requiritur in præallegato textu, juncto *c. licet can. 14. de Elect. in 6.* ubi ecclesiam Parochialem recipiens, jubetur intra annum Sacerdos fieri. 63

Additur ulterius, *& alias sint idonei*. Nam, quod Clerici ad beneficia admittendi, debeant esse idonei, præter jus naturale, pariter liquet ex relato textu, & pluribus aliis concordantiis. Atque ideo v. g. Clericus Minorista, præsentatus per Patronum ad beneficium Parochiale, tempore præsentationis debet esse viginti quinque annorum, saltem inchoatorum: ista quippe ætas requiritur in promovendis ad beneficia curata, *c. cum in cunctis 7. §. inferiora de elect. & c. c. licet can. 14. eod. in 6.* & notat Pirhing. *h. t. n. 12.* citans alios. Idem, servata proportione, dicendum de reliquis qualitatibus, quæ requiruntur ex parte eligendorum, atque præficiendorum, sive instituendorum in beneficiis Ecclesiasticis; atque superiùs *lib. 1. tit. 6. de electione § 9. & tit. 14. de Ætate & qualitate &c. à n. 2. usque ad n. 22.* ex professo declarantur. Et quia ejusmodi qualitates, instituendis requisitæ, plures sunt, in locis proximè citatis videndæ: hinc, ne Clerici ejusdem, vel saltem aliquis ipsarum carentes, minusque idonei instituantur; provide Conc. Trid. *Sess. 7. c. 13. de ref.* expressis verbis decrevit, neminem ad quævis beneficia Ecclesiastica esse instituendum, confirmandum, vel quovis modo admittendum, nisi prævio ordinariorum examine idonei reperiantur; ut jam dictum pauld superius *n. 15. & seqq.* 64

Resp. II. Regulariter loquendo, in Ecclesiis, beneficiisque ecclesiasticis, non debent institui Clerici unius duntaxat originis, seu Nationis, spernendo, seu excludendo cæteros: sed Viri litterati, & alias idonei, undecunque originem trahant. Ita textus expressus in *cap. Ad decorem 5. h. t.* addita illa ratione: Quia, *qui facit justitiam, acceptus est Deo; nec Sanctuarium Dei convenit jure hæreditario possidere*. Concordat *can. Nos qui præsumus & can.* 65

& can. Non loca distin. 40. & can. Dominus dist. 56.

66 Additur tamen in Conclusione; *regulariter loquendo*, propter beneficia patrimonialia. Hæc enim ex primæva sua fundatione, per ecclesiam acceptata, & approbata, debentur certæ Nationi, vel Familiæ dummodo ex ea adsint idonei, qui possint, ac velint promoveri ad hujusmodi beneficia vacantia: ut jam dictum supra *tt. 5. de præbend. §. 2. n. 40.*

67 Quæritur II. Quot sint instituendi in Collegiis Clericorum, aut in Monasteriis Regularium recipiendi? Resp. I. Numerus Clericorum in Ecclesiis Collegiatis, & Monachorum seu monialium in Monasteriis, debet constitui secundum facultates ipsarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum: adeò, ut tot instituantur, seu recipiantur, quot ex redditibus talis Ecclesiæ, vel Monasterii, seu eleemosynis consuetis commode sustentari possunt; plures autem non admittantur. Ità communis; textu claro Conc. Tr. Sess. 25. de reg. c. 3. ibi: *In Monasteriis tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari*. Concordat *c. 1. h. t.*

68 Porro numerum Monialium jurisdictioni Episcopi immediatè subjectarum determinare, pertinet ad solum episcopum. Monialium verò exemptarum numerum taxare, cumulative spectat ad episcopum & superiores regulares, ex const. Greg. XIII. quæ incipit *Deo sacris virginibus*, quæ habetur in Bullario Cherubini 38. inter constitutiones dicti Pontificis; quam etiam refert Quaranta *V. Monasterium Monialium*, & Bruno Neusser *in Polyanthea disp. 173. q. 19.* ubi pro hac doctrina citat communem. Idem, *teste Lezana V. Moniales n. 5.* censuit S. Congr. sequentibus verbis: *Præfixio fiat ab Ordinario duntaxat in Monasteriis sibi subjectis, in cæteris verò, quæ regularibus subdita sunt, fiat eadem præfixio ab Ordinario cum interventu tamen Superioris Regularis*. Videri etiam potest Antonel. *de regim eccl. l. 7. c. 3. n. 2.* Barb. *Jur. Eccl. un. lib. 1. c. 24. n. 28.*

69 Atque hæc verba, licet negativè sint concepta, includunt nihilominus etiam præceptum affirmativum: nempe, ut tot recipiantur, quot ex consuetis redditibus absque penuria sustentari possunt. Abb. *c. c. 1. n. 2. h. t.* inde desumens bonam Practicam contra Prælatos, qui avaritiæ causa nolunt instituere multos Monachos: possunt enim tales compelli ab eorum Superioribus, ut tot instituant, quot ex redditibus Ecclesiæ sine penuria sustentari valent. Fagnan. *c. non amplius n. 5. h. t.* Pirh. *cod. n. 15.*

70 Atque istud procedit etiam in Ecclesia numerata, sive in qua certus numerus Canonicorum, aut Regularium, per Statutum, etiam à Sede Apostolica confirmatum, determinatus est. Nam si redditus talis Ecclesiæ notabiliter augeantur, hoc est in tantum excrescant, ut præter fabricam Ecclesiæ conservandam, aliaque onera præstanda, pluribus Canonicis, vel Religiosis competenter sustentandis sufficiant: tunc numerus Præbendarum: ipsorumque Canonicorum augeri debet, non obstante confirmatione Apostolica de minori numero facta, juxta textum notabilem in *c. cum M. 9. de const. & c. ult. de verb. signif.* Siquidem in confirmatione Apostolica vel exprimitur, vel saltem tacitè subintelligi debet conditio, seu clausula illa, *nisi redditus excrescant*: prout observat Pontifex in *cit. c. cum M. §. mandamus*: juncta Gl. *V. possent sufficere*, & DD. *ib.* Fagn. *c. non amplius n. 34. h. t.* allegans communem.

71 Et vice versa, atque ab argumento à sensu contrario desumpto, si redditus Ecclesiæ notabiliter decrescant, adeò ut non sufficiant taxato numero Canonicorum, vel Regularium honestè sustentando, poterit numerus ille diminui, non obstante confirmatione Apostolica *arg. c. cum accessissent 8. de const.* ac notat Abbas *ib. n. 4. V. An autem diminuere*. Pirhing *h. t. n. 15. not. 3.* Concordat Conc. Trid *sess. 24. c. 15. de ref.* concedens, ut in ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, non olsi tenues, & sufficientes præbendas habentibus, liceat Episcopis cum consensu Capituli aliqua beneficia simplicia eisdem unire: vel, *si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis ea ad pauciorem numerum reducere &c.* prout amplius continet dictum Concilium

72 Additur notanter in præcedentibus duobus numeris, *notabiliter* augeantur; seu decrescant. Siquidem propter modicum incrementum, vel modicam diminutionem redditiuum, non est recedendum à numero consueto. Gl. *un. in c. 1.* & Abbas *ib. n. 4. h. t.* Simulque augumentum, vel decrementum illud, debet videri stabile futurum; alioquin enim unus annus suppleret defectum, vel excessum alterius. Pirhing. *h. t. n. 15. not. 3.* Nec etiam numerus præfixus Canonicorum rumpitur ipso jure per augmentationem, seu diminutionem redditiuum; sed inducit solum potentiam rumpendi. Fagnanus *c. c. non amplius n. 36.* post Imolam *ib. n. 3.* & Abbatem *n. 5. h. t.*

Quæritur III. Intra quod tempus debeat fieri Institutio præsentatorum in beneficio? I. Respectu institutionis præsentatorum faciendæ in beneficiis, non reperitur tempus à Jure præfinitum, dummodo non diu differatur. Ita Abbas *c. nulla ecclesiastica n. 12. & 13. de concess. præb.* hoc ipsum docens de tempore, quo facienda est confirmatio electionis: quia non habetur determinatum in Jure. Garcias *p. 10. de beneficiis c. 4. n. 1.* citans plures alios, ac præsertim Rotam in *Dertonens. Juris patr. 8. Febr. 1599. coram D. Penna*: in qua fuit dictum, quod beneficium non est devolutum ex eo, quod Ordinarius distulerit instituere; cum non sit tempus præfixum &c. Idipsum docet Barb. *p. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 72. n. 191.* allegans etiam Rotam *dec. 4. de Jure patr. in noviss.* & sequitur Pirhing. *h. t. n. 19.* allegans communem. 73

Resp. II. Quod si vero habens potestatem instituendi præsentatos, aut confirmandi electiones electorum, fuerit negligens: aut plus æquo differat, seu penitus recuset instituere, aut confirmare, tunc recurrendum erit ad Superiorem, qui certum tempus præfigat ad instituendum, vel confirmandum: quo elapso ipsemet Superior supplebit, vel compellendo, vel instituendo. Ita Abbas *cit. nu. 12.* Garcias *d. c. 4. n. 5.* Barbosa, *ubi supra n. 191.* & alii passim. Nec immerito, quia alioquin ex diuturniori vacatione beneficiorum, ac defectu Rectorum, facile grave dispendium possent incurrere ecclesiæ vacantes, imò in beneficiis curatis immineret quoque periculum animarum *c. ne pro defectu 41. de elect.* Ob quam causam Pii V per Bullam, quæ incipit *in conferendis 33. apud Cherubinum*, constituit, ut, quamvis ordinariè loquendo, pro Institutione præsentatorum in beneficio, nullum à jure determinatum habeatur tempus, in Parochialibus tamen, sive dein sint Jurispatronatus Ecclesiastici sive Laicalis, sive mixti, Institutio fiat intra bimestre, à die præsentationis computandum, quo tempore Ordinariis (sunt verba Bullæ §. 4.) *Institutionem facere negligentibus, possint patroni pro hujusmodi Institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum vel viciniorem Ordinarium, aut Sedem Apostolicam* Antonel. *de tem. legali lib. 3. c. 17. n. 3.* Pax Jordan *tom. 2. de Re benef. lib. 10. tit. 7. n. 406. de Inst.* 74

Quæritur IV. Quale jus acquiratur præsentatis, atque institutis in beneficio Ecclesiastico? Resp. I. Per præsentationem à Patrono, seu habente ius patronatus factam circa personam Clerici cæteroquin idonei, & consentientis, acquiritur huic ius ad rem respectu illius beneficii obtinendi: adeò, ut Episcopus possit compelli ad eum instituendum Ita desumitur ex *c. cum Bertoldus 18. §. fin. de Sent. & re jud.* & notat Abbas *ib. n. 11.* Fagnanus *c. tua nos n. 5. de Simonia*, & alii passim. Accedit *c. Significasti 18. & c. cum autem 24. de jurep.* ubi Clericus à patrono præsentatus, & cæteroquin idoneus, jubetur institui; hoc enim necessariò non esset faciendum, nisi Clerico idoneo præsentato jus aliquod ad beneficium vi illius præsentationis acquisitum fuisset. 75

Et hoc præcipuè verum est in jurepatronatus Ecclesiastico. Siquidem Patronus Ecclesiasticus variare non potest præsentando alterum: & si hoc fecerit, nihilominus præfertur is, qui primo est præsentatus, atque idoneus existit, *c. c. cum autem 24. de jurepatr.* Nam præsentatio Patroni Ecclesiastici, utpote facta nomine Ecclesiæ, habet vim electionis. Abbas *d. c. cum autem n. 3* post Innocentium & Robertus Lancellotus *to. 5. tractatuum tr. de Attentatis p. 2. n. 557.* & alii passim. Unde, sicut Electoribus non licet variare publicato semel scrutinio, *c. publicato 58. de elect.* ita nec Patrono Ecclesiastico variare permittitur: & sicut electio, cæteroquin ritè celebrata, & acceptata, tribuit electo jus ad rem respectu beneficii, juxta dicta superius *lib. 1. tit. 6. de elect. §. 2. n. 31. & seq.* ita & præsentatio Clerici per Patronum Ecclesiasticum facta. 76

Atque hoc ipsum est dicendum de præsentatione per 77
Pa-

Patronum Laicum facta, quando is unum duntaxat Clericum præsentat ad beneficium vacans: nam tunc iste, si idoneus sit, debet institui; per Jura proxime allegata. Quia tamen Patronus laicus potest variare, ac præsentato uno, vel pluribus, alium adhuc præsentare (non quidem privativè, seu excludendo jam præsentatos; sed cumulativè, sive adjungendo priori, vel prioribus, alium adhuc *c.c.cum autem 24.& c. Pastoralis 29 de Jurepatr.* juncta *Clem. plures eod.*) hinc jus ad rem respectu beneficii ex præsentatione Patroni laici acquisitum, non est omnino firmum, & stabile; cum per variationem, seu præsentationem accumulativam alterius possit denuò elidi. Tali enim variatione per Patronum laicum facta nullus præsentatorum habet singillatim jus ad rem respectu beneficii; sed istud residet penes omnes communiter, donec Episcopus illum, quem magis idoneum judicaverit, ex ipsis elegerit.

78 Resp. II. Institutio verbalis, seu collatio canonica beneficii, postquam est acceptata, tribuit jus in re, sive jus perfectum respectu beneficii, etiam ante traditionem possessionis, hujusque apprehensionem. Ita Gl. *in c. penult. ℣. Collatio de præb. in 6.* asserens, quod, *si præcessisset collatio, jus habuisset non ad rem, sed in re respectu præbendæ.* Atque hanc Gl. sequitur, ipsamque communiter esse approbatam testatur Covarruvias *lib. 3. var. ref. 16. n. 1.* Dynus *in reg. 1. n. 8 de reg. Jur. in 6.* Jason *l. quoties n. 12. C. de Rei vend.* Flaminius Parisius *de resign. benef. lib. 10. q. 6. n. 2. & 55.* Gonzalez *ad reg 8. Cancell. glos. 15. §. 1. n. 15.* Barb. *c. Si tibi absenti n. 4. de præb. in 6.* citans alios. Et pro hac Conclusione facit textus optimus *in c. ult. §. fin. de concess. præb. in 6.* ibi: *Quarum ratione tunc non erat ad collationem processum, & sic per consequens jus in re non fuerat ipsis impetrantibus acquisitum:* & consequenter, argumento à sensu contrario, si fuisset processum ad collationem beneficiorum, de quibus ibidem est sermo, jus in re respectu illorum acquisitum fuisset impetrantibus.

79 Additur notanter in Conclusione, *postquam est acceptata.* Siquidem, ut acquiratur jus in re, seu perfectum in beneficio, omnino requiritur acceptatio illius, qui collationem sibi factam obtinuit; uti habetur textu aperto *in c. Si tibi absenti 17. de præb. in 6.* illis verbis: *Si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur beneficium, licet per collationem hujusmodi (donec eam ratam habueris) jus in beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras &c.* Ubi Gl. & Barb *in Collect. n. 3.* & Flam. Parisius *c. l. 10. q. 8. n. 7. & seq.* allegans alios.

80 Poterit tamen hujusmodi acceptatio non tantum fieri ab ipso Clerico promoto, seu cui collatum est beneficium sed etiam ab alio ejus nomine, *arg. c. Accedens 24. de præb.* ubi decisum legitur, quod etiam *Clericus absens per alium vel alius magis pro ipso poterit de beneficio Ecclesiastico investiri.* Unde à fortiori potest absenti conferri beneficium mediante alio; prout notant Summarium, & Abbas *n. 1.* & Barbosa *ib. n. 1.* citans alios.

81 Et addunt DD etiam Laicum posse constitui procuratorem ad acceptandum beneficium ecclesiasticum pro Clerico absente. Abbas *c. c. Accedens n. 5 de præb.* & Jo: Andreas *ib. n. 2.* quamvis addat, tutius esse, quod sit Clericus Barb. *loc. c. n. 2.* Flam. Parisius *d. l. 10. q. 8. n. 35.* allegans communem. Idque desumitur ex *c. 1. §. 1. de procurator. in 6.* ubi Laicus admittitur ad agendum, & defendendum in causis spiritualibus. Accedit ratio: quia Laicus loco Clerici absentis acceptans beneficium, est nudus minister declarans Domini voluntatem: neque Laico illi quidquam juris acquiritur, sed jus spirituale transit per illum in Dominum, sive Clericum absentem sicut aqua per canalem lapideum prout loquitur Abb.

82 Nihilominus ad hoc, ut quis beneficium nomine absentis acceptare valeat, ita quod huic immediatè acquiratur jus in beneficio, requiritur speciale mandatum, nec sufficit generale. Siquidem in beneficialibus propter gravitatem rei, atque evitandum omne præjudicium, semper requiritur mandatum speciale. Abb. *in d. c. accedens n. 5. de præb* citans Dominos de Rota *dec. 84.* Covarruvias *var. ref. c. 16. n. 4.* Barb. *c. si tibi absenti n. 11. de præb. in 6.* allegans alios. Sufficit tamen mandatum speciale ad acceptandum beneficia, licet certum horum in specie non fuerit expressum: quia satis per hoc apparet de intentione Domini constituentis. Jo: Andreas *in c. c. accedens n. 6. de præb.* Abb. *cit. n. 5.* Covarruvias *d. n. 4.* Flam. Parisius *de resignat. benef. lib. 10. quæst. 8. num. 34.* Barb. *c. n. 11.* post Rot. *in Adversana benef. 1. Jul. 1620. cor. Dom. Ubald.*

83 Additur notanter n. præc. *Ita quod huic immediatè acquiratur jus in benef.* Nam ubi quispiam nomine absentis collationem beneficii acceptaverit sine speciali mandato, etsi illi absenti, cui collatum est beneficium, jus in re per hoc imediatè non acquiratur (ad istud quippe requiritur speciale mandatum pro acceptando beneficio, ut dictum) si tamen posteà sequatur ratihabitio illius, cui collatum fuit beneficium, tunc virtute talis ratihabitionis primum censetur beneficium eidem acquisitum, & quidem à die prioris acceptationis per tertium factæ, juxta *Reg. 10. Juris in 6* ibi: *Ratihabitionem retrahi, & mandato non est dubium comparari.* Covarruv. *c. lib. var. ref. c. 16. n. 5.* allegans alios. Intellige, dummodo ratihabitio fiat intra tempus datum ad acceptandum. Abb *c. accedens n. 4. de præb.* Covarruv. *d. n. 5.* post Gl. *in c. quam sit ℣. petere de elect in 6.* istud probantem ex *l. penult ff. rem ratam haberi.*

84 Licet autem collatio beneficii facta absenti, antequam per istum, vel per Procuratorem hujus speciale mandatum ad id habentem acceptatum fuerit, jus in re, seu perfectum non tribuat; juxta hactenus dicta: nihilominus ex tali collatione absenti facta, & quidem ante ejus acceptationem, acquiritur ipsi jus ad rem Barb. *c. si tibi absenti n. 6.* & Geminianus *ib. n. 17.* & Franchus *num. 7. de præb. in 6.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancel. glos. 26. n. 14* Pirh. *c. de præb. n. 55*

85 Unde ejusmodi collatio beneficii facta per Episcopum revocari nequit, nisi Clericus ille, cui absenti collatum est, consentire recusaverit: aut saltem competens terminus (notificata ipsi collatione) ad consentiendum assignatus, postmodum elapsus fuerit, juxta textum expressum *c. c. Si tibi absenti 17. de præb. in 6.*

86 Dices. Donatio absenti facta, semper potest revocari ante acceptationem ejus, *arg. l. 2. §. Sed quid donaturus & l. absenti ff. de donationib.* Atqui collatio beneficii est quædam liberalitas, & donatio, *c. ult. de offic. Vicar. in 6.* cum similibus; ergo, si fiat absenti: pariter poterit semper revocari, antequam fuerit acceptata. Resp. cum Abbate *in c. accedens n. 3. de præb* Covarruvias, *ubi sup. c. 16. nu. 1.* Barb. *c. c. si tibi absenti n. 8. de præb. in 6.* & aliis, Majorem procedere solum in donatione merè gratuita, & aliis actibus, qui ex mera voluntate fiunt: & de his loquuntur allegata Jura. Secus vero dicendum de collatione beneficii, utpote quæ fit ex necessitate Juris; eo quod Prælatus necessario tenetur beneficium vacans, intra præfixum à Jure tempus, alicui idoneo Clerico conferre, neque istud sibi retinere valeat: ac proinde non nisi impropriè censetur donatio, nempe respectu illius, cui confertur beneficium, cum ei præcisè beneficium conferre non teneretur. Accedit alia ratio: quia Prælatus, conferens absenti beneficium, contulit istud tanquam Officialis, seu ex suo Officio: unde, quando semel contulit absenti, functus est Officio suo, sicque nequit variare, seu alteri conferre, nisi vel ille absens cognita collatione sibi facta noluerit consentire; vel saltem tempus pro consentiendo præfixum, fuerit elapsum.

87 Resp. III. Per Institutionem realem, seu corporalem (vulgo, Investituram) confertur vera, & actualis possessio beneficii. Ita communis; atque patet ex proximè dictis *§. præc n. 46. & seqq.* junctis illis, quæ superiùs *l. 2. tit. 12. De causa possessionis &c. § 4. & 5.* copiosius de acquisitione possessionis rerum tum corporalium, tum incorporalium, dicta fuerunt.

88 Quæritur V. Utrum is, ad quem spectat collatio beneficii, possit seipsum instituere? Resp. cum communi, id fieri non posse: *Cum inter dantem, & recipientem debeat esse distinctio personalis;* uti loquitur Pontifex *in c. ult. h. t.* Sic à pari ille, qui habet juspatronatus, seipsum ad beneficium præsentare nequit, non obstante, quod sit Clericus & cæteroquin idoneus, *text. clar. c. per nostras 26. de Jurep.* Ratio horum ulterior, ac generalis est. Quia talia sapiunt ambitionem, ingerendo seipsum Ecclesiasticis beneficiis, ac dignitatibus: essetque perniciosum exemplum, ut quis posset sibi ipsi providere, de quibus tenetur aliis dispensare. Abbas *c. c. ult. n. 5. h. t.* Hinc *can. in scripturis 8. q. 1.* dicitur: *Sicut locus regimini desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus:* Vivianus *de Jure pat. p. 2. lib. 6. c. 9. à n. 1.* Barb. *de offic. & potest Episc p. 3. alleg. 72. n. 85. Antonell. de regim. Eccl lib. 3. c. 6. §. 6.*

89 Resp. II. Quinimò, is ad quem spectat collatio beneficii,

nec ab alio à se delegato potest institui. Ita textus expressus *in c. c. ult h. t.* ibi: *Sed nec ab alio beneficium recipere potuit, cum jus conferendi alius non haberet.* Quod intellige de omni eo, qui beneficium proprio nomine conferre non potest. Barb. *in Collect. ad c. c. ult. n. 3. h. t.* citans alios; & sequitur Pirhing. *eod. tit. n. 17.*

90 Unde si Prælatus potestatem conferendi alteri deleget non potest Delegatus ipsum Delegantem instituere quia Delegatus non confert jure proprio, sed jure & authoritate Delegantis, cujus personam repræsentat, ac vices gerit, & ideò in effectu Delegans sibi ipsi conferret beneficium: nam, ut habet Reg. 72. juris in 6. *qui facit per alium est perinde, ac si faciat per seipsum.*

91 Aliud foret, si Prælatus ille, cui competit jus instituendi, vel à Summo Pontifice, vel ab ejus Legato à Latere institueretur in tali beneficio: nam cum isti de jure communi concurrant in collationibus beneficiorum cum quocunque collatore, eademque jure proprio conferant, rectè ab ipsis institueretur in beneficio ille, cui cæteroquin competit jus conferendi. Abbas *c. cum ad nostram n. 6. h. t.* Et hoc idem foret, si ejusmodi Prælatus inferior, cui competit jus conferendi, anteà jus istud absolute, ac legitimè à se transferret, eoque se penitus abdicaret: quia tunc posset institui ab illo altero, in quem jus illud fuit translatum; cum his postmodum proprio nomine conferret. Barbosa *c. c. ult. n. 3. h. t.* allegans alios, & communem.

92 Objicies autem contra dicta *nu. 87. & 88.* afferendo instantiam multum notabilem. Potest Prælatus, ac præsertim Papa, utpote non habens Superiorem in terris, secum ipso dispensare, aut saltem facultatem secum dispensandi, vel se absolvendi ab excommunicatione &c. alteri committere: ergo etiam potest quis seipsum in beneficio instituere, vel saltem hanc facultatem demandare. Resp. In solutione notabilis Objectionis variant Doctores, atque in diversas adeunt sententias. Et quidem

93 Prima responsio est Abbatis *in c. ult. n. 5. & 6. h. t.* Pirhing. *eod. n. 18.* & aliorum, præsertim Canonistarum, qui negant Assumptum. Neque enim (inquit) potest aliquis per se, & directè secum ipso dispensare: *Cum inter dantem, & recipientem, debeat esse distinctio personalis,* juxta textum jam allegatum ex *c. c. ult. h. t.* Quæ ratio est generalis (saltem, ubi Jus propter speciales rationes aliud non disposuit quod additur propter casus *n. 92.* afferendos.) Alioquin enim ratio per Papam allegata nihil probaret: quinimò Pontifex adduxisset pro ratione suæ Constitutionis idipsum, de quo controvertebatur; quod dicendum non est. Confirmatur idipsum: quia dispensatio est actus jurisdictionis: atqui nemo potest per se, & directè jurisdictionem erga seipsum exercere, *l. penul. ff. de receptis arbitris,* cum similibus.

94 Nec urget, quod Prælati possint suis Confessariis committere, ut se absolvant, aut secum dispensent in omnibus illis casibus, in quibus ipsi cum suis subditis dispensare, vel eos absolvere possunt, *c. ult. de pœnit. & remiss.* & tenet communis Doctorum: & hoc ex eo, ne alioquin Prælati sint deterioris conditionis; quam subditi. Respondent enim Canonistæ, quod in tali casu Confessarius à Prælatis electus procedat non ut merus Commissarius, & Delegatus ipsius (prout tamen fieret, si Collator beneficii ab alio à se delegato institueretur) sed absolvat tunc Prælatum ut Delegatus Papæ, juxta textum *c. ult. de pœnitent. & remiss.* ibi; *Permittimus Episcopis, & aliis Prælatis, ut etiam præter sui Superioris licentiam sibi possint eligere Confessorem.* Aut, si de Papa urgeatur difficultas, ajunt quod Confessarius ipsum absolvat, vel cum eo dispenset ut Delegatus Christi, ejusque authoritate fungens, supposito tamen, quod Papa se illi voluntarie subjiciat. Et hanc sententiam sequitur Abbas *c. c. ult. n. 6. h. t.* & Pirhing. *h. t. n. 18.* aliique plures, præsertim Canonistæ.

95 Oppositam sententiam, videlicet, non solum Romanum Pontificem posse erga seipsum dispensare in omnibus iis, in quibus potest cum suis subditis, sed etiam Episcopos, aliosque Prælatos; tanquam probabiliorem amplectitur Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 3. n. 6. & seqq.* citans D. Thomam *4 dist. 20. q. 1.* Sotum *4. d. st. 21. q. 1. art. 4.* pluresque alios, & sequuntur passim Theologi. Ratio hujus sententiæ fundamentalis est: quia jurisdictio ista secum dispensandi non est contentiosa, de qua loquitur textus *in l. un. C. ne quis in sua causa &c.* ubi dicitur: *Nemo est judex in causa propria.* Sed est jurisdictio voluntaria, in qua potest quis plurium vices sustinere dummodo exercitium unius actus non obstet exercitio alterius: ut *l. un. ff. de offic. Consul.* ubi Consul apud semetipsum potest manumittere servum suum & *l. Consul. ff. de Adopt.* ubi si filius sit Præses, potest seipsum emancipare, aut in adoptionem dare, omittuntur aliæ similes probationes, atque instantiæ, apud Sanchez *loc. cit.* videndæ. Unde

96 Secunda responsio ad objectionem *n. 90.* propositam est plurium Theologorum, qui concesso Antecedente, negant Consequentiam: nam de hoc (inquiunt) seu quod nemo possit seipsum instituere in beneficio, habetur specialis dispositio *in c. c. ult. h. t.* eo quod sibi ipsi conferre beneficium, sapiat ambitionem. Dum autem contra hanc Theologorum sententiam urget ratio, & textus sæpè dicti *c. ult. h. t.* ibi: *Cum inter dantem, & accipientem, debeat esse distinctio personalis.* Respondendum ait Sanchez *cit. li. 8. de Matr disp. 3. n. 9.* hanc rationem non esse generalem, ut constat ex textibus *n. præc.* in contrarium adductis: sed esse specialem in illo casu, ut videtur iniquum ambitionis exemplum in Prælatis. Quod amplius probatur tum ex *can. in scripturis 8. q. 1.* ibi: *Locus regiminis desiderantibus negandus est.* Tum ex *c. per nostras 26. de Jure patr.* ubi decernitur, nullum posse seipsum ad Dignitatem præsentare; quia (inquit Pontifex) *nullus se ingerere debet Ecclesiasticæ Prælationis Officio.*

97 Neque insuper obstat præfata sententia, quod nemo seipsum baptizare, vel sacramentaliter absolvere possit &c. cum tamen hi actus sint jurisdictionis voluntariæ. Respondent enim Theologi, hoc esse speciale in Sacramentis, & aliis hujusmodi, in quibus Jure Divino requiritur distinctio personalis inter dantem, & accipientem: quamquam in Sacramento Pœnitentiæ idem pœnitens simul sit & reus, & accusator, & testis. Quod si simile quid reperiatur in humanis, id pariter (inquit Sanchez) erit speciale in eo casu, ob specialem juris dispositionem: qualis tamen non habetur in dispensatione erga seipsum exercenda. Quod autem in contractibus civilibus, v. g. inter ementem & vendentem, necessariò requiratur distinctio personalis, id provenit ex ipsa natura talium contractuum utpote qui alioquin forent nugatorii, & inutiles: hæc autem ratio rursum cessat in dispensatione erga seipsum exercenda, quæ proinde fieri posse videtur. Ita Sanchez, pluribus istam sententiam declarans.

98 In praxi videtur dicendum primo, quod Papa possit secum ipso dispensare in omni Jure positivo humano: nam Papa secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra Jus dispensare, *c. proposuit. 4. de concess. præb.* Et quia ipse non habet Superiorem in terris, non ligatur Jure Pontificio, quod exigit distinctionem personalem inter dantem, & accipientem. Felinus *c. 1 n. 33. de Const.* Sanchez *cit l. 8. disp. 3. n. 5.* citans alios, qui veluti quid speciale asserunt, posse Papam, se à proprio juramento absolvere, eo quod careat Superiore. Quamquam alii apud Felinum *cit n. 33.* istud negent, graviter invehentes in Gregorium XII. qui seipsum absolverat à juramento, quod præstiterat de renunciando Papatui.

99 Dicendum secundo, quod Episcopi, aliique Prælati, indubitanter possint uti dispensatione generali, quam concedunt Civitati, vel toti Conventui, Tum quia hoc non est dispensare directè secum ipso, seu exercere jurisdictionem in seipsum: sed solum uti dispensatione ex legitima causa toti Communitati facta, cujus ipsi sunt pars & caput. Tum quia Episcopi, aliique Prælati, non debent esse deterioris conditionis, quam eorum subditi, cum quibus ipsi dispensant. Sanchez *cit. dist. 3. 2. & 8. & 9.* allegans communem.

100 Dicendum tertio, quod quidem sententia Theologorum, asserentium, quod Superior possit secum ipso directè dispensare, sit probabilis, & in praxi tuta: nihilominus sententia negativa Canonistarum sit probabilior, Juri conformior, & in praxi tutior, sicque meritò retinenda.

TI-

TITULUS VIII.

De concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 VIsum est Titulo præcedenti de Institutionibus sed quia nonnumquam aliqui instituuntur præproperè præbendis, seu Ecclesiis nondum vacantibus, vel saltem de istis imposterum concedendis fit promissio, antequam vacent; quandoque vero beneficia dum vacant, debito tempore non conferuntur: ad utrumque horum incommodorum excludendum merito præsens rubrica subjungitur. Unde materias ad eandem pertinentes, majoris claritatis gratia dividendo in Paragraphos, sic

§. I.

De triplici vacatione Beneficiorum, & ob quam ipsarum Beneficia conferri possint, ac debeant.

S U M M A R I U M.

2 *Beneficia generatim possunt intelligi tripliciter vacare, nimirum.*
3 *Et jure & de facto simul.*
4 *De facto tantum, &*
5 *De jure tantum.*
6 *Beneficiorum vacatio in specie potest accidere pluribus modis. Remissivè.*
7. *Qualiter oporteat vacare beneficia, ut aliis conferri possint, ac debeant. Et n. seq.*
Beneficia inferiora de jure & facto simul vacantia, debent conferri intra semestre à die notæ vacationis. Ib.
Qui nescit, potestatem experiendi non habet, ib.
8 *Episcopatus, & Ecclesia Regularis &c. vacare non debent ultra trimestre.*
Alias devolvitur potestas eligendi, vel conferendi ad Superiorem, ib. Remissivè.
9 *Beneficium etiam de jure tantum vacans, potest, & debet conferri intra semestre.*
Nequit tamen alter in ejus possessionem induci non vocato priore possessore. Ib.
10. *Beneficia de facto solum vacantia non possunt aliis conferri.*
11 *Beneficium de jure duntaxat vacans impetraturus à Papa, tenetur facere mentionem de possessione alterius colorata; alias Rescriptum desuper impetratum non valet.*
12 *Secùs, si possessio alterius sit notoriè injusta.*
Possessio colorata, quæ? Ib.
13 *Eadem Conclusio patitur alias limitationes, & nu. seqq.*
14 *Nempe, quando Rescriptum Papæ continet clausulam,* Motu proprio.
Motus proprius tollit subreptionem. Ib.
15 *Item, quando Rescriptum Papæ continet Clausulam,* Amoto quolibet illicito detentore.
16 *Dummodò hæc clausula sit posita in litteris gratiosis, & non tantum in executione gratiæ.*
17 *Aliæ limitationes. Remissivè.*

2 QUæritur I. Quibus modis generatim intelligantur vacare beneficia Ecclesiastica? Resp. I. Beneficia generatim loquendo possunt intelligi tripliciter vacare, nimirum, De facto tantum, de jure tantum, & de jure ac de facto simul. Ita Hostiensis *in Summa, h. t. n. 1.* Rebuffus *in praxi benef. t. requisita ad collationem bonam &c. n. 56. 57. & seqq.* Garcias *p. 12. de benef. c. 1. n. 2.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gl. 15. §. 1. n. 3 & 4. 5.* & alii passim; idque declaratur inductione. Siquidem

3 *De Jure ac de facto simul* vacat beneficium, quando nullus adest, apud quem remaneat jus, aut possessio ejus. Sic vacat beneficium Ecclesiasticum per mortem naturalem beneficiati, vel per legitimam privationem, seu depositionem, aut liberam resignationem ipsius. Et hæc vacatio, est propriè dicta & plena vacatio beneficii, ex qua potest, ac intra debitum tempus debet alteri beneficium conferri.

De facto tantum vacat beneficium, quando pro nunc nullus adest illud actualiter possidens, adest tamen, qui jus seu titulum habet ad ejusmodi beneficium. Sic accidit, quando beneficiatus est vi dejectus, vel injusto metu adactus ad beneficium relinquendum, quod necdum ab alio possidetur: tunc enim de facto, seu actualiter, beneficium illud à nemine possidetur: licet injustè expulsus adhuc retineat jus in ipso. Aliud hujus exemplum ponit Abbas *in c. cum nostris n. 18. h. t.* de eo, cui absenti collatum est beneficium, quod ab ipso nondum est acceptatum: quia licet illi absenti jus ad rem respectu beneficii acquisitum fuerit, sicque istud alteri conferri nequeat, *ca. Si tibi absenti 17. de præb:* adhuc tamen vacat de facto, seu quoad possessionem, utpote à nullo adhuc apprehensam. 4

Tandem *De jure tantum* vacat beneficium, quando aliquis illud possidet, sed injustè. Idque variis modis potest contingere: ut puta, quia collator non habuit jus conferendi; vel quia recipiens fuit inhabilis ad beneficium recipiendum, aut quia propter pacificam assecutionem alterius beneficii incompatibilis vacat prius ipso jure, quod tamen adhuc detinetur una cum posteriori: & multis aliis hujusmodi modis. Unde 5

Resp. II. Vacatio beneficiorum in specie potest accidere pluribus modis: ut puta, per mortem naturalem, per renunciationem, per pacificam adeptionem alterius beneficii incompatibilis, per ingressum Religionis professione secuta, per non promotionem ad Sacerdotium intra annum loquendo de Ecclesia Parochiali, & aliis hujusmodi modis, quorum triginta enumerati fuerunt superius *tit. 5. de præbendis §. 12. à n. 343. usque ad n. 367.* qui proinde ibidem videri poterunt. 6

Quæritur II. Qualiter oportet vacare beneficia inferiora de jure & facto simul vacantia, possunt, ac debent aliis idoneis Clericis conferri, & quidem intra semestre à die notæ vacationis computandum: Ita communis; & habetur expressum *in c. nulla, 2. §. cum vero, h. t.* ibi: *Cum verò præbendas Ecclesiasticas, seu quælibet officia, in aliqua Ecclesia vacare contigerit, non diu maneant in suspenso: sed infra sex menses personis, quæ dignè administrare valeant, conferantur.* Concordat *c. quia diversitatem, 5. §. fin. h. t.* ibi: *Semestre autem tempus non à tempore vacationis præbendarum, sed notitiæ ipsius potius volumus computari.* Idipsum habetur *c. Licet 3. de supplend. negl. Prælat.* Nec immerito semestre illud computandum dicitur à tempore notitiæ: is enim, qui nescit, potestatem experiundi (vel conferendi beneficium) non habet, *l. Annus ff. de Calumn. & can. Biduum, 2. qu. 6.* 7

Additur notanter in Conclusione, *beneficia inferiora* &c. Nam illud semestrale tempus, quod conceditur ad conferendum Beneficium vacans, procedit solummodo quo ad minores Dignitates, Personatus, & beneficia inferiora, non vero quod ad Episcopatus, & Archiepiscopatus, juxta textum expressum *in c. dilectus filius, 12.* juxta Gl. *V. Extendi h. t.* Idque ampliatur ad Ecclesias regulares, per obitum suorum Prælatorum viduatas, *c. ne pro defectu, 41. de elect.* estque jam dictum supra *lib. 1. tit. 6. de elect. §. 11. n. 278. & seq.* extendendo istud ad Prælatos Collegiatarum Ecclesiarum, qui ordinariam & generalem jurisdictionem in Clericos suæ Ecclesiæ exercent. Qualiter autem in casu negligentiæ eligendi, vel conferendi beneficium intra debitum tempus, devolvatur potestas eligendi, vel conferendi ad Superiorem, dictum est supra *cit. lib. 1. tit. 10 de Supplenda negligentia Prælatorum §. 1. nu. 22 & seqq. & lib. 3. tit. 5. De præbendis, §. 7. num. 182. 184 & seqq.* 8

Resp. II. Etiam beneficium de jure duntaxat vacans potest, habita notitia vacationis, ac debet conferri intra tempus à jure præfixum, puta semestre, non obstante alterius detentione: ita tamen, ut ille, cui collatum fuit beneficium, in actualem hujus possessionem non debeat introduci priore possessore non vocato. Ita Garcias *p. 19. de benef c. 1. n. 40. 41. & 46.* citans Rotam *dec. 9. in antiq.* & alios, cum communi. Et quidem prima pars patet ex *c. de multa 28. §. bis quoque de præb.* ubi in casu recepti per Clericum secundi beneficii incompatibilis, non solum Clericus ejusmodi ipso jure privatus existit priori beneficio, sed etiam Collator ordinarius illud prius libere conferre potest ac debet: adeo, ut si intra sex menses non contulerit, puniatur, ut ibi. Altera pars constat *ex c. licet Episcopus 28. eod. in 6.* junctis dictis supra *tit. 5. de præbendis, §. 11. à n. 332. usque ad n. 337.* ubi præsens Conclusio quoad utramque partem amplius declaratur. 9

10 Resp. III. Beneficia de facto duntaxat vacantia non possunt conferri. Ita Abbas *c. c. ad nostram, nu. 18 h. t.* id probans ex *c. Si tibi absenti, 17. de præb. in 6.* Zoesius *h. t. n. 2.* Engel *eod n. 2.* Pirhing *h. t. n. 19.* & communis. Ratio est: quia hujusmodi beneficia, utpote de jure ad aliquem pertinentia, revera non vacant: nam beneficium dicitur illius, qui jus habet in eo, Gonzalez *ad reg. 8. Cancel. gl. 15. §. 1. n. 18.* Simulque per solam collationem acquiritur jus plenum & perfectum in beneficio, quamvis possessio ejus nondum fuerit capta, *c. ult. in fin. h. t. in 6.* estque jam dictum supra *tit. præc. n. 77. & 78* Unde & injuste expulsi à suis beneficiis, horumque possessione violenter privati habent regressum ad illa, *c. 2. & seqq. De iis quæ vi metusve causa &c.* Quinimò, qui scienter recipiunt beneficium alteri injuste ablatum, censentur intrusi, juxta dicta superius *tit. 5. de præbendis §. 15. n. 520* Suntque ecclesiastica communione pellendi, atque deponendi, *can. In primis, 2. q. 1. & c. 1.* juncta Gl. *V. pellendi*, & DD. *ib. h. t.*

11 Quæritur III. An beneficium de jure duntaxat vacans impetraturus à Papa, teneatur facere mentionem de possessione alterius? Resp. I. Si quis beneficium de jure vacans, sed ab alio colorata possessione adhuc detentum per Rescriptum à Papa impetrare velit, tenetur is in sua Supplicatione de prædicta possessione alterius facere mentionem: alioquin Rescriptum desuper impetratum censebitur subrepticium. Ita desumitur ex *c. Cum nostris 6. h. t.* ubi Gl. *V. Falsi suggestionem*, & Abb *n. 1. & 16.* & Barbosa *in Collect. ib. n. 2.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 15. §. 1. n. 64. & 65.* Garcias *p. 10. de benef. c. 1. n. 48.* Pirhing *h. t. nu. 19* Engel *eod. n. 3.* Sannig *ib. 3. n. 5.* & alii. Accedit ratio: quia beneficium vacans de jure tantum, non potest simpliciter & absolutè dici vacare, eò quod adhuc possideatur ab alio: unde supplicans pro obtinendo tali beneficio, veluti vacante, nullaque facta mentione possessionis alterius, committit seu vel obreptionem *per falsi suggestionem, & veri suppressionem*; prout notatur *in c. c. cum nostris §. Auditor. h. t.* Etenim, si mentio fieret de colorata alterius possessione, forsitan Pontifex retraheretur, vel saltem tardior atque difficilior redderetur ad conferendum beneficium, donec illius coloratæ possessionis causa plenius examinaretur.

12 Additur notanter in data Conclusione, *colorata possessione &c.* Per quam intelligitur talis possessio, quæ est prætensa ex legitimo, seu à jure non cassato titulo, qui tamen hic & nunc re ipsa non est verus: ut puta, quia possessionem beneficii quis recipit à Collatore ordinario, nec est notoriè invalida, quamvis ob occultum defectum non subsistat: prout est casus in sæpè dicto *c. cum nostris*, & notat Abbas *ib. n. 17. & 23. h. t.* Nam ubi possessio alterius est notoriè injusta, & invalida valet rescriptum etiam non facta mentione ipsius, ut inquit Abbas *loc. cit. n. 19.* Rationem dat: quia illud tacitum invalidat rescriptum, quo expresso Papa non dedisset litteras, vel non ita de facili *c. Super litteris 20. & c. postulasti 27. de rescript.* Sed expresso, quod quidem alius sit in possessione beneficii, possessio tamen ipsius sit evidenter injusta & invalida, Papa non fuisset motus ad denegandas litteras, vel ad eas difficilius dandas: quinimo hoc expresso, atque probato, eas facilius dedisset, ne notoriè intrusus diutius occuparet beneficium Ecclesiasticum, ergo. Concordat textus *in c. litteras 9. h. t.* ubi rescriptum à D. Clerico super præbenda Bremensi impetratum censetur validum (nam in fine Papa mandavit eidem D. Clerico præbendam conferri) haud obstante, quod præbenda illa de jure tantum: non autem de facto vacasset; neque istud fuisset expressum in supplicatione Summo Pontifici porrecta, sed simpliciter dictum, quod vacaret. Quia, ut *ib. nu. 4.* notat Abbas possessio illa non erat colorata, sed evidenter injusta: siquidem color ejusdem erat cassatus à Jure, *c. de multa, 28. de præbend.*

Resp. II. Patitur nihilominus data *num. 11.* Conclusio quasdam limitationes, danturque nonnulli casus, in quibus taciturnitas præhabitæ ab alio possessionis facti non vitiat Rescriptum ad beneficia impetratum. Ita communis; idque probatur inductione. Sic imprimis præter possessionem facti notoriè invalidam, seu non coloratam, juxta proxime dicta. 13

Limitatur dicta Conclusio, quando Rescriptum Papæ continet clausulam, *motu proprio.* Nam Motus proprius tollit subreptionem, *c. si motu, 23. de præb. in 6.* sicque tenet ejusmodi rescriptum, atque collatio beneficii per illud obtenta, non obstante taciturnitate possessionis Facti, etiam coloratæ, Abbas *c. cum nostris, n. 19.* & Barbosa *ib. n. 2 h. t.* Garcias *p. 10 de benef. c. 1. n. 44* Menochius *lib. 2. de arbitr. Judic. cas. 201. n. 142.* citans alios. Neque enim verisimile est, quod Papa Motu proprio conferens beneficium, non fuisset illud collaturus, si præscivisset, possessionem alterius veram & legitimam non esse, licet extiterit colorata. 14

Limitatur secundo, quando rescriptum Papæ continet clausulam, *Amoto quolibet illicito detentore:* nam, ubi apponitur hæc clausula, satis videtur mentio facta coloratæ duntaxat, atque re ipsa injustæ possessionis alterius, hæcque censetur exclusa. Abbas *loc. cit. n. 21* Menochius *d. cas. 201. n. 141* citans Rotam *dec. 38. & dec. 69 de rescr. in antiq.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell glos. 15. §. 1. n. 68.* Barbosa *tr. de Clausulis usu frequ. claus. 7. n. 2.* citans alios. 15

Notant tamen allegati DD. quod præfata clausula tollat quidem vitium taciturnitatis coloratæ possessionis alienæ, quando est posita in litteris gratiosis, seu in dispositione gratiæ: secus vero esse, si ponatur tantum in executione gratiæ. Etenim illa, quæ apponuntur in executione gratiæ, non firmant gratiam adversus vitium subreptionis, *arg. Clem. 1. in fin. de præb.* ac notat Abbas, *Menochius, & Barbosa, ubi supra, n. 3.* allegans alios, atque exinde *n. 4.* subjungens, quod executor debeat cognoscere de colore tituli, non obstante clausula illa. 16

Tacentur nonnullæ aliæ limitationes præfatæ Conclusionis, quarum universim septem adducit Menochius *d. cas. 201. n. 140. & seq.* Et quia hodie ex stylo Curiæ solet in talibus rescriptis plerumq; opponi aliqua dictarum clausularum, & præsertim illa, *Amoto quolibet illicito detentore*; hinc data *num. 11.* Conclusio in praxi vix amplius habet locum. 17

§. II.

De concessione, ac promissione Beneficiorum non vacantium: ubi & de Canonicis Supernumerariis.

S U M M A R I U M.

18 *Beneficia nondum vacantia nec concedi possunt per Prælatos Papa inferiores, nec promitti. Et n. seq.*
19 *Beneficii vacaturi promissio nihil valet, nullamque inducit obligationem.*
20 *Etiamsi data fuisset in scriptis.*
21 *Neque obstat appellatio in contrarium.*
22 *Solvitur notabilis instantia, desumpta* ex c. Accedens h. t. *quod posteà fuit correctum.*
Concorda tempora & concordabis jura. *Ib.*
23 *An, & qualiter, præmissis non obstantibus, possint recipi Canonici supernumerarii cum expectatione futuræ Præbendæ? Et n. seqq.*
24 *Posse fieri talem Canonicorum supernumerariorum receptionem probatur ex consuetudine, etiam Romæ vigente.*
25 *Atque ex jure Canonico,*
26 *Valida est receptio Canonici supernumerarii, quando ea fit purè, & simpliciter, etsi cum intentione, ut*

ut habeat Præbendam primò vacaturam.

27 *Debetque huic conferri Præbenda, quamprimum vacaverit: & hoc ratione connexionis Canonicatus cum præbenda.*

28 *Si quis recipiatur in Canonicum cum promissione præbendæ vacaturæ valida etiam est receptio in canonicum, non vero promissio præbendæ. Et n. seqq.*

29 *Et quæ disparitas?*
Expressa nocent: non expressa non nocent. *Ib.*

30 *Connexitas Canoniæ cum præbenda, quid operetur?*

31 *Differentia inter receptionem alicujus in Canonicum, & inter promissionem præbendæ vacaturæ.*

32 *Receptio alicuius in Canonicum supernumerarium, non reddit affectam præbendam primò vacaturam.*

33 *Unde hæc validè cuipiam alteri confertur, etsi illicitè.*

34 *Alia instantia, probans valere promissionem præbendæ vacaturæ, dissolvitur.*

35 *An Canonici supernumerarii debeant habere stallum in Choro, vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas. Et n. seqq.*
Quoad hoc standum est speciali consuetudini Ecclesiæ, ubi ea viget.

36 *Et quid dicendum seclusa tali consuetudine speciali.*

18 **Q**Uæritur I. An beneficium nondum vacans concedi, vel saltem promitti valeat? Resp. I. beneficia nondum vacantia nec concedi possunt per Prælatos Papa inferiores, nec promitti. Textus est expressus *in c. nulla 2. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Lateranensi, celebrato sub Alexandro III. & sic sonat,,, Nulla Ecclesiastica ministeria, seu etiam beneficia, vel ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent: ne,, desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium se crediderit successurum. Cum,, enim in ipsis etiam legibus Gentilium inveniatur inhibitum, turpe est, & Divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei, futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare,, curarunt. Hæc ibi: juncta Gl. V. *Condemnare*, plures ejusmodi Leges Civiles allegant. Concordat *c. relatum 3. & c. ex tenore, 13. h. t. & c. detestanda 2. eod. in 6.* & novissimè Conc. Tr. *sess. 24. c. 19. de ref.* atque amplius patebit ex dicendis in progressu: quamquam præmissa conclusio solum procedat de Prælatis Papa inferioribus: nam secus esset dicendum de Papa, ex professo dicetur infra *n 40. & seq*

19 Resp. II. Beneficii vacaturi promissio nihil valet, nullamque inducit obligationem. Ita communis, atque patet ex *d. c. ex tenore 13. h. t. & c. Detestanda 2. h. t. in 6.* In quo posteriori loco quælibet promissio vacaturi beneficii reprobatur, sequentibus verbis,,, Nos malis hujusmodi, &,, animarum periculis occurrere volentes, promissiones,, easdem, & alias quascunque, sub quovis modo, aut forma verborum de cætero faciendas, per quas vel indirectè vel directè aperiri via valeat ad beneficia vacatura,, auctoritate Apostolica penitus reprobamus, & omnino,, viribus vacuamus: decernentes, per eas, vel ipsarum aliquam, ad providendum alicui nullum deinceps quomodolibet obligari. Hæc ibi. Accedit ratio: quia, cum promissiones beneficii vacaturi sint contra Jus commune, atque expressam prohibitionem Concilii generalis, *in c. nulla 2. h. t.* relati, cum similibus; hoc ipso nulla ex ipsis oriri potest obligatio, juxta *c. ult. de pactis*, ibi: *Pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit*. Concordat reg. 64. jur. in 6 *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

20 Atque istud ampliatur ad illum casum, quo ejusmodi promissio beneficii vacaturi data fuit in scriptis. Nam talis promissio, etiam scriptis consignata, atque in Judicio producta, non tenet, neque promittentem obligat; eo quod attentata fuerit contra Statutum Concilii Generalis proxime relati, *text. cl. in c. ex tenore 13 h. t.*

21 Nec obstat appellatio eorum, quibus promissa fuerunt beneficia necdum vacantia. Adhuc enim hac non obstante possunt, & debent eadem, postquam vacaverint, personis idoneis conferri. Textus est *in c. relatum 3. h. t.* ibi,, cum in Lateranensi Concilio promissiones factæ de Ecclesiis non vacantibus sint cassatæ: prætextu appellationis eorum, qui dictis promissionibus innituntur, omitti non debet, quin Ecclesiæ, cum vacaverint, de personis idoneis ordinentur. Hæc ibi. Nec immeritò: nam appellatio censetur frivola, & iniqua, quæ fit contra jus clarum; sicque ipsi non est deferendum, *arg. c. consuluit 29.* juncta Gl. *fin. de appel. & c. relatum 4. de Cleric. non resid.* estq; jam dictum suprà *lib. 2. tit. 28. de appellationib. §. 11. nu. 308.*

Objicies breviter contra præmissam Conclusionem *ca. Accedens 14. h. t.* obligatur Prælatus promittens beneficium sub hac forma, *cum poterit*, vel *cum facultas se obtulerit*. Quia, ut inquit Pontifex ibidem,, aliud est, Prælatum,, promittere beneficii collationem, cum poterit, aliud,, cum vacabit: cum in multis casibus se facultas offerre,, posset, in quibus collatio non esset in expectatione va-,, caturi beneficii differenda: ergo data Conclusio non subsistit. Resp. cum Fagnano *in c. nulla n. 6. h. t.* & aliis, quod beneficium promittens dicto modo, olim quidem fuerit obligatus; hodie vero non: idque fit propter novam Constitutionem Bonifacii VIII. *in c. detestanda 2 h. t. in 6.* relatam. Ibi quippe prior illa Constitutio expressè revocatur ob plurima incommoda, & gravamina inde subsequentia; & omnes omnino promissiones, tam sub prædicta, quam quacunque alia verborum forma conceptæ, *per quas directè, vel indirectè aperiri via valeat ad beneficia vacatura, auctoritate Apostolica penitus reprobantur, & omnino viribus vacuantur*. Unde impræsentiarum subintrat illud vulgatum. *Concorda tempora, & concordabis jura.* Gl. *can. si Ecclesia 23. q. 4. de temporibus*, & communis. 22

Quæritur II. An, & qualiter, præmissis non obstantibus, possint recipi Canonici supernumerarii, cum expectatione futuræ præbendæ? Resp. I. Quæstio hæc notabilem continet instantiam contra proximè dicta de prohibita promissione, hujusque invaliditate quoad Præbendam, seu Ecclesiam non vacantem: talem enim promissionem videtur involvere receptio Canonicorum supernumerariorum, cum expectatione futuræ præbendæ. 23

Et quidem, quantum attinet priorem partem propositæ Quæstionis, posse fieri dictam Canonicorum supernumerariorum receptionem; suadet praxis & consuetudo passim recepta in Ecclesiis Cathedralibus, atque Collegiatis. Et talem consuetudinem, vi cuius Canonici recepti, infra certum tempus, & aliquando ad annum, aliquando ad duos vel plures annos, non possunt petere portiones suas, sive Præbendam, etiam obtinere Romæ, & quidem approbatam, testatur Innocentius in *c. dilectus filius 19 V. Et quod diximus* & Jo: Andreas *ib. nu. 4. de præb.* Qualem projnde consuetudinem, longævo iam tempore continuatam, atque à viris peritis, simulque conscientiosis practicatam, temere damnare non licet. 24

Idipsum satis apertè desumitur ex Jure Canonico. Nam *c. cum M. 9. de const.* quatuor tales supernumerarii Canonici leguntur recepti, nec factum illud à Papa fuit improbatum: quin potius est approbatum, cum Pontifex iusserit eisdem de super excrescentibus fructibus provideri. Accedit *c. relatum 9. de præb.* ubi quidam Magister in Ecclesia Cantuariensi Canonicus est institutus sub promissione de conferenda sibi præbenda proxime vacatura, cui etiam conferendam esse primam præbendam, cum in ecclesia ipsa vacaret, Pontifex censuit, eamque conferri mandavit. Simile quid habetur in *c. dilectus filius, 19 eod.* ubi Papa talem receptionem Canonici supernumerarii expresse approbat illis verbis: *Quod est licitum approbantes*: ac notat Innocentius *n. 2. V. Item hinc habes*. Fagnanus *ib. n. 8.* citans alios. Concordat *c. cum super, 8. h. t.* ubi pariter quis legitur receptus in Canonicum supernumerarium, iussitque Papa; ut si quam cito se facultas obtulerit præbendale beneficium conferatur. Nec immeritò: *Quia non est congruum, ut præbenda careat qui in canonicum poscitur esse receptus*, ut inquit Pontifex *c. c. relatum n. 9. de præb.* Qualiter autem istud fieri possit non obstantibus dictis *qu. præc.* dubium remanet. Pro cuius resolutione 25

Resp. II. Quando receptio Canonici supernumerarii fit pure & simpliciter, etsi cum intentione, ut receptus habeat præbendam primo vacaturam, valida est receptio ipsius. Ita Gl. *in c. cum M. V. ad vacaturas præbendas, de const.* quam Gl. esse tenendam, notat Abbas *eod. c. n. 18.* & 29. & Fagnanus *ib. nu. 58.* asserens, ita indubitanter esse concludendum: & alii. Idque desumitor ex Juribus *nu. præc.* allegatis; ac præsertim ex *c. Dilectus filius, 19. de præb. & c. pro illorum 22. eod.* juncta Glossa *fin. hic*; inde inferente, quod, si Canonici aliquem recipiant ultra nume- 26

numerum, etiam sua auctoritate, non augeant numerum præbendarum, licet augeant numerum Canonicorum; ut *c. cum M. 9. de const.* cum similibus. Accedit ratio quia in tali casu nulla fit promissio beneficii, vel præbendæ vacaturæ; sicque talis receptio non urgetur ex nacenus dictis; nec [illegible] continet quid contra Jus commune. Assumptum probatur. Quia, cum aliud sit Canonia, aliud præbenda, juxta Glossam *in c. c. cum M. V. receperunt de constit.* estque iam dictum supra *tit. 5. de præbendis §. 3. num. 57.* in casu nostræ Conclusionis Canonia non promittitur, sed de præsenti confertur purè ac simpliciter, neque etiam fit promissio præbendæ impostrum vacaturæ, hoc ipso, quod Canonia conferatur purè ac simpliciter, sicque absque pacto, seu promissione ipsius præbendæ.

27 Nec obstat, quod Canonico supra numerum recepto debeat conferri præbenda, quamprimum vacaverit, *c. relatum 9. de præb.* cum concordantiis. Resp. enim cum Abbate in *c. cum M. n. 19. de const.* & aliis, quod ejusmodi Canonicus supernumerarius debeat quidem habere præbendam proxime vacaturam; id tamen non fieri ratione promissionis, hæc enim non intervenit, &, si interveniret, [illegible] sed ratione Canonicatus iam recepti, [illegible] connexionis, quam jure sic disponente habet Canon[illegible] ad præbendam: [illegible] *indignum, ut receptus in Canonicum Præbendæ beneficio fraudetur*, prout loquitur Pontifex *in d. c.* [illegible] *19.* [illegible] *de præb.* Gl. *in c. 2. V. indirectæ* [illegible] 76. [illegible] 63. post Innocentium *ib.* [illegible]

28 Resp. III. [illegible] supernum[illegible] [illegible] desumitur [illegible] positio inte[illegible] Capitulumque [illegible] Canonicum, fructus tamen præbendæ percipere non deberet, nisi loco proximo vacaturo: approbatur quoad priorem partem, eo quod aliquem *in Canonicum supernumerarium recipi, Canonicis non* [illegible] *institutur* autem quoad partem [illegible] Præbendæ [illegible] invalidam, sicque [illegible]

29 [illegible] dato casu valida [illegible] collatio Canoniæ, ergo hoc ipso [illegible] promissio præbendæ vacaturæ [illegible] batur [illegible] Quia hinc promissio [illegible] quam [illegible] de jure communi [illegible] est, cum [illegible] juriſque dispositi[illegible] Canonicatum [illegible] Præbenda. Resp. [illegible]

30 [illegible]

que communi [illegible] dispositio. Nam inde solum sequitur quod *non sit congruum, ut præbenda careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus*, prout loquitur textus sanè *c. c. relatum 9. de præb.* Sive quod, *videtur* [illegible] *receptus in Canonicum præbendæ beneficio defraudetur*, juxta *c. dilectus filius 19. eod.* Nullibi tamen habetur, quod ex receptione alicujus in Canonicum, ius ad vacaturam præbendam eidem acquiratur; nam quod Capitulum ius ad primam vacaturam dare non possit, sed solus Papa, constat ex *c. nulla*, [illegible] *detestanda, eod. in 6.* Ubi, cum Gl. [illegible] dixisset, quod receptus in Canonicum *ex receptionis virtute debet habere præbendam*: illico Glossa marginalis dictum illud corrigit, [illegible] præbenda ita sit debita, ut sit affecta. [illegible] *ultra med. V. Utrique eod. in 6.*

Unde Doctores, ac signanter Fagnanus [illegible] 63. [illegible] Andreas [illegible] *n. 11. de const.* & Innocentium [illegible] habent differentiam inter receptionem alicujus in Canonicum supernumerarium, & inter promissionem vacaturæ Præbendæ. Quia, [illegible] promissio foret valida, competeret Canonico [illegible] promissario, jus respectu talis præbendæ [illegible] tra alium, cui Præbenda [illegible] conferretur, eamque possideret [illegible] missione valida, oriri actionem [illegible] *de Pactis*, cum [illegible] votum captandæ mortis alterius [illegible] Concilio Lateranensi reprobatum. Secus dicendum de receptione alicujus in Canonicum supernumerarium, a Capitulo facta: nam huic confertur solummodo Canonia, [illegible] in Præbendam [illegible] 31

Hu[illegible] Congregationis [illegible] 63. *de Const.* [illegible] *tamen* [illegible] *supernumerarios recipi, ea habeant* [illegible] *tali erectione*. [illegible] mille [illegible] Declarationem ejusdem S. Congregationis [illegible] Sess. 24. [illegible] editam [illegible] Gonzalez [illegible] cell. [illegible] nu. 64. [illegible] *nicatum supernumer*[illegible] hanc imposterum vacaturam promittendo, [illegible] re sit debita Canonico [illegible] dam [illegible] vel [illegible] Etenim capitulum jus [illegible] ram dare non potest [illegible] 32

Inferri [illegible] pr[illegible] Præbendam [illegible] 33

[illegible] Præbenda caret [illegible] Hinc [illegible]

Quod [illegible] Textus [illegible] præbendam [illegible] 34

[illegible]

non

non tamen ex promissione ius aliquod erat acquisitum Canonico: sed ad maiorem aggravationem Archiepisco- [illegible]

[illegible]

Potest tamen Collator ordinarius alteri delegare potestatem conferendi certum beneficium jam vacans.

51 *[illegible] episcopus suo Vicario General. delegare omnimodam potestatem conferendi vacatura beneficia in genere, ac indeterminatè.*

52 *Non vero [illegible] alteri, præter Vicarium Generalem.*

53 *Fallit in præmissis Regula illa:* Cui licet, quod plus est, licet [illegible] quod minus est.

54 *Fallit quoque [illegible] regula:* Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum. *& cur?*

37 Quæritur I. Quid sint Gratiæ expectativæ, atque Reservationes mentales; & qualiter prohibitæ? Resp I. *Gratiæ expectativæ* sunt illæ, quæ dantur ad obtinendum beneficium nondum vacans, sed posteà vacaturum. Et dicuntur, *expectativæ*: eo quod illi, quibus conferuntur, iubeantur expectare usque ad tempus futuræ vacationis, & tunc primum consequantur effectum talium gratiarum. Nam quod Papa possit tribuere ius in beneficiis vacaturis, textus est in c. licet 2. de præb. in 6. ibi: *Verùm etiam jus in [illegible] vacaturis*; cum [illegible], quidquid sit de aliis Prælatis inferioribus, [illegible] talem potestatem sibi arrogantibus.

38 Porro [illegible], olim non inusitatæ, fieri [illegible], quando, v.g. Papa reservabat beneficium [illegible], aut in genere, per Bullam aut Breve, ut per- [illegible] exinde provideret, quam non exprimebat, [illegible]

[illegible]

sitas, vel utilitas. Fagnanus *c. nulla n. 82. & seq. h. t* & concordant dicta superius *lib. 1. tit. 2. de constitutionibus §. 18. n. n. 459. & tit. 31. de officio Judicis ordinarii §. 1. n. 7. & 8.*

42 Accedit, simulque magis declaratur data Conclusio ex eo. Tum quia Papa est supra Jus positivum humanum potestque de plenitudine potestatis in eo dispensare; *c. proposuit 4. h. t* ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare* Tum quia Concilium non est supra Papam: Imo ipsum Concilium Tridentinum *Sess. 25. c. 21. de reform.* expressè declarat, *omnia, & singula, quæ de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina in hoc Sacro Concilio statuta sunt, ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.* Simulque idem Concilium, more ab antiquo jam recepto, omnia sua decreta subjecit Romano Pontifici, ab eoque petivit illorum confirmationem: prout habetur in fine dicti Concilii. Verum occasione præmissorum, atque pro solutione cujuspiam instantiæ contra datam Conclusionem formandæ

43 Petes, quomodo Papa in provisione Præbendæ vacaturæ possit tollere vitium, quod est in promissione Præbendæ, vel beneficii vacaturi; voti scilicet captandæ mortis proximi, in cuius locum, & beneficium quis credit se successurum, contra *c. nulla 2. h. t* Resp. cum Fagnano *c. c nulla n. 82. h. t.* id fieri ex eo, quia Papa est supra jus ac proinde nihil impedit, quin illud possit facere urgente necessitate, publica utilitate, aut alia iusta de causa. Eo præsertim, quia beneficii vacaturi promissio non inducit votum captandæ mortis causaliter; sed tantum occasionaliter, ut idem *loc. cit. n. 15.* loquitur: sicque potest purificari tum sua suprema potestate; tum præsertim ex urgente gravi necessitate, aut alia justa de causa, sine qua Pontifex non solet in Jure communi dispensare, neque contra istud uti sua suprema potestate. Unde defacto seu post Concilium Tridentinum, Romanos Pontifices rarissimè Gratias expectativas ad beneficia vacatura indulgere, notat Gonzalez *ad reg. 8. Cancel §. 1. proœm. n. 60.* In Germania quoque tales locum habere non solent, ob expressam promissionem Pontificiam non gravandi Collatores ordinarios in mensibus alternis, suæque dispositioni relictis, *per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem*, prout continetur in Concordatis Germaniæ, supra *tit. 5. de præbendis §. 18. n 535.* jam relatis. Et hinc superfluum videtur, plura de gratiis expectativis disserere, eo præsertim, quia de præsentatione, atque prævalentia Litterarum Apostolicarum, seu rescriptorum ad beneficia, cæterisque huc pertinentibus, copiosè jam dictum est superius *lib. 1. tit. 3 de rescriptis §. 3. & 4 & seqq.* quasi per totum.

44 Quæritur II. Utrum in ecclesiis non numeratis locum habeat vacatio Præbendarum, atque devolutio potestatis eadem conferendi ad superiorem. Ubi sciendum, quod *Ecclesiæ non numeratæ* dicantur illæ, in quibus non est præfixus certus numerus Canonicorum, vel præbendarum. Abbas *c ex parte Astensis 10. nu. 1. h. t.* Sicut è contra *Ecclesiæ numeratæ* appellantur, in quibus adest determinatus numerus Canonicatuum, atque Præbendarum. Quo prænotato

45 Resp. I. In ecclesiis non numeratis vacatio præbendarum, seu Canonicatuum possibilis non est; atque idcirco ibi non fit devolutio collationis ad Superiorem ex negligentia semestri in non providendo ecclesiæ de Ministris. Ita textus notabilis *c ex parte Astensis 10. h. t.* juncto Summario, & DD. *ib.* Accedit ratio: quia vacatio dicitur respectu existentiæ, & numeri; hoc est, quia non existunt tot v.g. Canonicatus, quot juxta taxatum numerum existere deberent. Abbas *c. dilecto, n. 9. de præb.* Unde consequens est, quod in ecclesia non numerata nunquam dari possit vacatio, hoc ipso, quod certus numerus v.g. Canonicatuum non sit præfixus: sicque ulterius consequens est, quod in eisdem nec detur devolutio potestatis conferendi beneficia vacantia, de qua fit sermo *in c. nulla 2. h. t.* atque notat Pontifex *in c. c. ex parte Astensis eod.* Et hinc *in c. Dilecto 25 præterea de præb.* dicitur, quod in ecclesia, in qua non est certus numerus præbendarum, & in Canonicum quis assumitur, is *intelligitur ad quoddam jus eligi, quod ex electorum assensu de novo creatur, vel cum electo in Canonicum nascitur, & desinit cum defuncto.* Ubi ponderando ly, *desinit cum defuncto*, clare desumitur, quod mortuo tali Canonico propriè non vacet Canonicatus ipsius, sed potius extinguatur, seu desinat cum defuncto: ut proinde non mirum, si in tali casu non sit locus devolutioni ad Superiorem, propter negligentiam conferendi intra semestre: nam Concilium Lateranense relatum *c. nulla 2. h. t.* & talem devolutionem statuens, loquitur de vera vacatione beneficiorum.

Resp II. Nihilominus, si in Ecclesia non numerata Canonici sint negligentes in statuendo novos Canonicos juxta facultates; & consuetudinem illius ecclesiæ; tunc Superior immediatus statuet terminum ei, adquem spectat institutio, ut infra ipsum provideat ecclesiæ secundum consuetudinem ejusdem ecclesiæ: quod si is non fecerit, ipsemet Superior providebit. Ita Abbas *c c. ex parte Astensis n. 15.* & Vivianus *in Rational ib. §. 2. h t.* Pirhing *eod. n. 42.* & communis. Idque desumitur partim ex *c. 1. de inst.* ubi numerus Clericorum iubetur institui in ecclesiis secundum harum facultates. Tum ex *c. is refragabili 13. §. excessus de offic. ord. & c cæterum 5.* juncta Glos. *fin. de Judiciis*; ubi negligente Ordinario transfertur iurisdictio ad Superiorem. 46

Quæritur III. Utrum Collator ordinarius, seu habens potestatem conferendi, possit alteri tradere potestatem conferendi beneficium vacans, vel proxime vacaturum? Resp I. Collator ordinarius, sive habens potestatem conferendi beneficia, non potest de iure alteri tradere, seu delegare potestatem conferendi primum beneficium, quod vacabit. Ita textus *in c. constitutus 11 §. fin.* & Gloss. *ib. V. in fraudem* & Abbas *in Summario*, *& n. 5.* & Vivianus *in rational. h. t.* & Pirhing *eod. n* 9. Ratio est: quia concessio potestatis conferendi ita individuæ, & determinatæ ad beneficium proximè vacaturum, *fieri posset in fraudem Canonicæ Sanctionis, per quam prohibentur ecclesiastica beneficia concedi, sive promitti, antequam vacent*; prout loquitur Pontifex *in cit c Constitutus h. t.* Nam, ut declarat Abbas *ib. n* 3. volens Titio amico suo promittere beneficium vacaturum, donaret alteri amico suo potestatem conferendi beneficium primo vacaturum; & sic Titius est quodammodo tutus indirectè de concessione beneficii sibi ab altero amico suo conferendi: atque subintraret votum captandæ mortis proximi, ut citius beneficium consequi valeret, contra Sanctionem Concilii Lateranensis, *in c. nulla 2. h. t.* relati. Cum igitur malitiæ, & fraudibus hominum, non sit indulgendum, *c. Sedes. 15. de rescr. & l. in fundo ff. de rei vend.* cum similibus: atque nota sit reg. 84. Iur. in 6. *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*: meritò talis concessio potestatis conferendi proxime vacaturum beneficium, reprobatur à Iure, *ut suprà.* 47

Nec obstat, quod *in c. c. constitutus. §. quod circa h. t.* Papa confirmaverit, atque servari mandaverit collationem beneficii proximè vacaturi, quam Canonicus H. cui episcopus dederat potestatem conferendi præbendam Sacerdotalem primò ibidem vacaturam, duxerit Canonice faciendam. Resp enim, præfatum Mandatum Apostolicum gratiam continere personalem; prout loquitur Pontifex *ib. §. fin.* quam proinde Pontifex noluit aliis concedi, neque ad consequentiam trahi: idque ad evitandam fraudem erga Canonicas Sanctiones de non promittendis beneficiis necdum vacantibus: prout liquet ex littera *cit. c. constitutus §. fin. h. t.* 48

Atque data Conclusio ampliatur ad potestatem præsentandi ad beneficium primo vacaturum. Sicut enim Patronus non potest promittere, se præsentaturum aliquem ad beneficium vacaturum; ita nec potest dare alicui potestatem præsentandi ad beneficium in specie, antequam vacet: & si secùs fiat, non tenet. Textus est *in c. ult. h. t.* & Abbas *in Summario & n. 6.* & Vivianus *ib.* & Barbosa *in Collect. n* 1. citans alios. Ratio est, quæ supra: quia etiam hic indirecte fieret, aut fieri posset promissio beneficii primo vacaturi, contra sæpè dictum Concilium Lateranense, *c. nulla 2. h. t.* relatum.

Resp. II. Potest nihilominus Collator ordinarius, seu ille, qui habet potestatem conferendi certum beneficium iam vacans. Ita Gl. *c deliberatione V. Cuicunque de offic. deleg. in 5.* & Abb. *in d. c. const. n. 6. h t.* Pirhing *eod num. 9.* & alii. Idque, argumento à sensu contrario, desumitur ex textu *cit. cap. Constitutus §. fin.* ibi: *Promitti antequam vacent.* Accedit ratio: tum quia tunc cessat fraus, 49

Concilio Lateranensi inferenda; eo quod beneficium jam vacet, sicque locum habere nequeat votum captandæ mortis proximi. Tum quia beneficium vacans potest canonicè in specie conferri: ergo pariter nihil impedit, cuipiam concedi, seu delegari potestatem illud conferendi.

50 Resp. III. Insuper potest Episcopus suo Vicario Generali delegare omnimodam potestatem conferendi vacatura beneficia in genere, atque indeterminate. Ita Glos. *d.c.Constitutus ℣.Contra formam concessionis*. & Jo. Andreas *ib.n.7.*& Abbas *n.5.* & Barbosa *n.3.h.t.* & idem Barbosa *p.3.de offic.& potest.episcop.alleg.54.n.61.* citans alios. Atque illud patet *ex c.ult.*juncta Gl.*℣.Commissa de offic.Vicar. in 6.* ubi dicitur, quod *Officialis, aut Vicarius Generalis Episcopi beneficia conferre non possunt: nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa*: & consequenter potest Episcopus ipsis quorumcunque beneficiorum (sive, beneficiorum in genere) collationem specialiter committere. Concordat *cap. Ex frequentibus 3. de Institution.* ubi Officiales Episcopi dicuntur posse beneficia conferre. Subintellige, quando hoc ipsum eisdem specialiter est commissum, *argum.cit. cap. ult. de Offic. Vicar. in 6.*

51 Additur notanter in Conclusione, *potest Episcopus suo Vicario Generali &c.* Nam episcopus non posset alteri, qui Officialis, seu Vicarius Generalis non est, hoc jus conferendi quæcunque beneficia vacatura committere, *arg. c. deliberatione §.prohibemus de offic.Leg.in 6.* Ubi hoc ipsum ad præcavendum fraudibus contra Concilium Lateranense committendis denegatur Legatis Apostolicis: ac notat Abbas *cit.n.5.* & Barbos. *d.alleg.54.n.60.* post Quintanadvenas *Ecclesiasticon. lib.1.c.5. in fin.*

Atque ex dictis infertur duplex fallentia regularum juris. Imprimis enim, Plus est, posse conferre omnia beneficia vacatura, quam unum duntaxat vacaturum in specie: tamen illa potestas poterit committi per episcopum Vicario suo Generali; non vero ista, juxta proxime dicta *concl. 1.& 3.* Quod tamen est contra *reg. 53.jur. in 6.* quæ habet: *cui licet quod plus est, licet utique quod minus est.* 52

Deinde Legatus Papæ potest per seipsum recipere resignationes beneficiorum infra fines suæ Legationis, easdemque postmodum conferre; non vero per alium, *c.c. deliberatione §.prohibemus de offic.Leg.in 6* Similiter episcopus potest per seipsum omnia beneficia vacatura conferre non vero per alium, nisi fuerit Vicarius Generalis ipsius. Horum autem utrunque est contra *reg.68.jur.in 6* ibi: *potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* Verum ratio specialitatis, seu fallentiæ dictarum regularum in casibus præmissis, est periculum fraudis committendæ contra Concilium Lateranense, *in c.nulla 2.h.t* prohibens conferri, vel promitti beneficia primum vacatura: facilius enim talis fraus committeretur per alios, quibus Legatus, vel episcopus ultra suum Vicarium Generalem daret illam facultatem conferendi (si posset) quam per ipsummet Legatum, episcopum, aut hujus Vicarium Generalem. Gl.*in c.c.Deliberatione §.prohibemus ℣.cuicunque de offic.Legat. in 6.* 53

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

1. *Ratio continuationis Rubricarum.*
   Rubrica præsentis Tituli continet regulam. Ib.

1 VIsum est duobus præcedentibus Titulis de Institutionibus, & Collationibus Ecclesiarum, atque præbendarum vacantium: postulat nunc ordo continuationis Rubricarum etiam declarare, quidnam ecclesiis vacantibus liceat, vel non liceat facere. Atque idcirco providè in bonum ecclesiarum vacantium, quas veluti Pastoribus, & Defensoribus suis destitutas, facilius in bonis ac iuribus suis detrimentum pati contingeret, in Rubrica præsentis Tituli statuitur regula negative concepta: *Ne Sede vacante aliquid innovetur.* Et quia hæc regula perfectam orationem, sensumque completum continet, eidem inhærendum est, donec de fallentia constet; nam quod Rubricæ perfectum sensum continentes utiliter allegentur, valeatque argumentum à Rubro, notat Abbas in *Rubr.h.t.* estque iam dictum supra in *proœmio lib. 1.Decretal.§.6.n.79. & 80.*

§. I.

De Sede vacante, ejusque duratione, atque intellectu præsentis Rubricæ.

SUMMARIUM.

2 *Nomine* Sedis vacantis, *quid intelligatur?*
3 *Rubrica præsentis Tituli, in quibus locum habeat.*
4 *Verbum,* Vacare, *pluribus modis in Jure accipitur.*
5 *Et quomodo accipiatur in proposito? Et n.præc.*
6 *Vocatio Sedis episcopalis, quamdiu duret? Et n.seq.*
7 *Ea durat usque ad præsentationem Litterarum Apostolicarum Capitulo factam, & n.præc.ac seq.*
Idem dicendum de Sedibus Abbatialibus promotorum in Curia. Ib.
8 *Sola expeditio Litterarum Apostolicarum non sufficit ad cessationem vacationis Sedis episcopalis &c.*
9 *Hinc collatio beneficii, communiter spectans ad episcopum & Capitulum, potest anteà fieri à solo Capitulo.*
10 *Respondetur ad contrariam Decisionem Rotæ & sententiam Flaminii Parisii.*
11 *Solvitur alia instantia.*
12 *Vacantia cæterorum beneficiorum, quæ non indigent provisione &c.in Curia, durat usque ad confirmationem novi Prælati, seu beneficiarii.*
13 *Regula præsentis rubricæ,* Ne Sede vacante aliquid innovetur, *quomodo sit intelligenda? Et n seq.*
14 *Ecclesia fungitur iure Minoris: imo, si est vacans, iure Pupilli.*
15 *Tempus Sedis vacantis non est conveniens ad agendum, seu tractandum super statu ecclesiæ.*
16 *Regula,* Ne Sede vacante &c. *procedit, ubi innovatio tendit in præjudicium Ecclesiæ: secùs, ubi fit melior ejus conditio.*
Putà, si quidem eidem dari promittatur. Ib.

QUæritur I. Quid intelligatur nomine *Sedis vacantis?* Resp. I. Nomine *Sedis vacantis*, impræsentiarum vel maximè intelligitur Sedes episcopalis, hoc est, ecclesia Cathedralis, aut Metropolitana suo viduata Pastore; uti desumitur ex *c.1.h.t.*ibi: *attendentes igitur, quod episcopali Sede vacante non debeat aliquid innovari, cum non sit, qui episcopale ius tueatur.* Atq; hoc ipsũ ampliatur ad Abbatias,& Præposituras, aliasq; dignitates, quæ per obitum Prælatorum suorum censentur viduatæ, juxta *c.ne pro defectu 41.de elect.* Hostiensis *in Summa h.t.n.3.* Ab *c.bis quæ n.2.de maj.& ob.*Barb.*ad rubr.h.t.n 2.*& alii. 2

Resp. II. Nihilominus Rubrica præsentis Tituli, & regula per ipsum tradita, non solum in Cathedralibus, sed etiam in minoribus ecclesiis, atque beneficiis vacantibus locum habet. Ita Glossa *c. 1. ℣.ecclesia de reb. eccl. non alienand. in 6.* pro hoc allegans *c.cum vos 4. de offic.ordinar.* Jo. Andreas *c.1.n.3.h.t.* Barbosa *cit. num.2.* Pirhing *h.t.n. 1.*& alii. Accedit ratio: quia non solum ecclesiis Cathedralibus, sed etiam aliis Prælaturis, imo & Parochialibus ecclesiis, cæterisque beneficiis inferioribus periculosum foret, milleque præjudiciis obnoxium, si ipsis vacantibus, sicque legitimo defensore carentibus, liberè posset quid innovari circa jura, bonaque ipsorum, etiam temporalia. 3

Resp. III

4 Resp. III. Licet verbum, *Vacare*, pluribus modis in Jure accipiatur: in proposito tamen *Vacatio* Sedis episcopalis, vel alterius beneficii, importat carentiam proprii Prælati, seu rectoris, qui munia ipsius ecclesiæ peragat, ejusque jura tueatur. Ita Barbosa *ad rubr.h.t.n.3.& 4.*cum communi. Et quidem prior pars probatur inductione. Sic enim *Vacare* aliquando sumitur, prout idem est, ac cessare: ut *l. qui tertiana ff. de Ædilitio Edicto* ibi: *Quibus diebus morbis vacant*: hoc est, eorum morbi cessant. Nonnunquam vacare dicitur, quod est inutile, ac nullum fructum refert: sic pecunia censetur vacare, quando nullæ inde usuræ, seu lucra acquiruntur, *l.quintus Cæcilius ff.Depositi.* Tacentur alii modi, quibus verbum *Vacare* sumitur, apud Calepinum eodem verbo videndi.

5 Altera pars patet ex *c.1.& seqq. h.t. & c.1.* juncta Gl.*℣. Ecclesia & ℣.defensore de rebus eccl.non alienan.in 6.* Porro, quibus modis episcopatus, aliaque beneficia ecclesiastica vacare intelligantur, ex professo dictum est supra *tit. 5. de præb.§.12.n 343. & 344.ac seq.*

6 Quæritur II. Quamdiu duret vacatio Sedis episcopalis, alteriusque beneficii ecclesiastici? Resp. I. Sedes episcopalis semel vacans, censetur vacare tamdiu, donec Literæ Apostolicæ pro novo episcopo in curia promoto, vel confirmato expeditæ, atque Capitulo præsentatæ fuerunt. Ita Barb. *p.3.de offic.& potest.episc. alleg.54. nu.160.* Rebuffus *in praxi benef. tit.de Simonia in resign.n.31. & 40.* Gonzalez *ad reg.Canc.gl.15.§ 2.n.82.83.& seq.* citans alios ac *n.88.*subjungens, cavendum esse à Flam.Parisio *de resign.benef.lib.7.q.23.n.40.& 47.& seqq.*dicente, quod Sedes episcopalis amplius non vacet post provisionem novi episcopi a Papa in Consistorio factam.

7 Conclusio hæc, quæ etiam procedit de Sedibus Abbatialibus promotorum in Curia, habetur expressè decisa *in extrav.Injunctæ de elect. inter com.* Ubi præmissis multiplicibus dictæ constitutionis rationibus, & loquendo non solum de episcopis, sed etiam de Abbatibus, aliisque in Curia promotis, *§.præsentibus*, sancitur,, Ut episcopi, & ,, alii Prælati superiores nec non Abbates, Priores, & cæ,, teri Monasteriorum regimina exercentes, quocunque ,, nomine censeantur, qui apud dictam Sedem (Aposto,, licam) promoventur aut confirmationis, consecratio,, nis, vel benedictionis munus recipiunt ad commissas ,, eis ecclesias, & Monasteria absque dictæ Sedis litteris ,, hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, con,, secrationem, seu benedictionem continentibus accede,, re, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem ,, accipere non præsumant: nullique eos absque dictarum ,, litterarum ostensione recipiant, aut eis pareant vel ,, intendant &c. Decernendo irritum, si quid medio tempore à taliter promotis actum fuerit & tam ipsos quam Capitula, aliosque sine prædictis eosdem recipientes puniendo, ut in relata Extravaganti sequitur.

8 Ex quibus verbis, ponderando ly *absque dictarum litterarum ostensione, &c.* clare patet, quod sola expeditio litterarum Apostolicarum non sufficiat ad cessationem vacaturæ Sedis episcopalis, vel alterius Prælaturæ in curia collatæ: sed insuper requiratur earundem litterarum præsentatio facta Capitulo sive Conventui. Siquidem ante hanc nequit administrare Promotus, neque Capitulum, seu Conventus potest eundem recipere, juxta allegatam Extravagantem.

9 Insuper proinde, quod, ubi collatio beneficii ecclesiastici communiter spectat ad episcopum & Capitulum valida sit collatio ejus facta per Capitulum, spreto episcopo jam promoto, litterasque suæ provisionis habente expeditas, nondum tamen eas ostendente ipsi Capitulo; quia cum adhuc duret vacatio Sedis episcopalis, hinc poterit juxta *c.un.h.t. in 6.* collatio talis beneficii fieri à solo Capitulo sine ulla citatione, requisitione, aut interventione episcopi noviter promoti. Et ita in facti contingentia fuisse resolutum à Rota in *una Burgensi Canonicatus 3. Junii* 1583.coram R.D.Scipione Lancelloto, refert Gonzalez *cit.gl.15 §.2.n.86.87.& 88.*

10 Nec obstat alia Decisio Rotæ *in una Burgensi Canonicatus 28.Januar.* 1583. *coram eod. R. D.Scipione Lancel.*per Flam.Parisium *cit.l.7.de resign.benef.q.23.n.47.*allegata;& dicens, quod cesset vacatio Sedis episcopalis, sicque potestas Capituli, statim post provisionem novi episcopi à Papa in Curia factam. Respondet enim Gonzalez *cit.n.* 87 & 88. quod per istam Rotam fuerit quidem contrarium decisum; sed non bene considerata dispositione supra memorata *Extrav.Injunctæ.* Unde ab hac contraria Decisione, in eadem causa postmodum fuit recessum per aliam Decisionem, *die 3.Junii* 1583. factam, & *n.præc.* allegatam: quæ posterior Decisio posteà sæpiùs à Rota fuit canonizata. Unde (ut jam *n. 6.* dictum) subjungit, cavendum esse à citato Flaminio Parisio, qui prioris duntaxat, non vero posterioris Decisionis Rotalis meminit.

Dices cum eodem Flam. Parisio *loc.cit.n.48.& 49.* Provisio Apostolica habet vim electionis, & confirmationis juxta Calderinum *cons.4.de elect.*& Felinus *c. 2. de præscr.* Vacatio autem durat usque ad confirmationem; ut inquit Glossa *in Clem.1.℣ Collatio ut lite pendente &c.* Resp. Etsi vacatio duret usque ad confirmationem: hinc tamen non sequi quin possit ulterius durare, quando Jus specialiter sic disponit, ac requirit etiam præsentationem Litterarum provisionis, confirmationis &c. Capitulo, sive Conventui faciendam: prout loquendo de promotis in Curia, requiritur *in c.Extrav.In unctæ de elect.inter Commu.* 11

Resp. II. Loquendo de cæteris beneficiis, quæ non indigent provisione, confirmatione &c. in Curia prima vacatio Prælaturæ, seu beneficii inferioris, durat usque ad confirmationem novi Prælati, seu beneficiarii. Ita Gloss. *in cit Clem.1.℣.Collatio* & Abb *ib.n.1.ut lite pendente &c.* Flam. Parisius *loc.cit.n.58* post Felinum *in c.Bertoldus n.3.de Sent & re judic.* estque jam dictum supra *l. 1.tit. 6. de elect. §. 2. num.33. & 34.* Idque desumitur ex *c.quam sit ecclesiis 6. de elect. in 6.* ubi, ne sit Ecclesiis dispendiosa vacatio, jubetur electus, sub pœna amissionis juris sibi ex electione quæsiti, intra trimestre tempus petere confirmationem suæ electionis quod ipsum fit *c. cupientes §. 1. & 2. eod in 6.* Frustrà enim ad præcavendùm dispendiosæ ecclesiarum vacationi tam rigidè exigeretur petitio confirmationis, nisi usque ad ipsammet confirmationem vacatio ecclesiarum durare intelligeretur. 12

Quæritur III. quomodo regula præsentis Rubricæ. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, sit intelligenda: Res. I. Cum præsens Rubrica loquatur negativè, simulque perfectum contineat sensum, hinc ex ea habetur argumentum, atque regula, quod Sede vacante nihil possit innovari: subintellige in præjudicium ipsius ecclesiæ, vel Prælati successoris. Ita Gl. *in Rubr.h.t.* & Abb. *ib.*& Gl. *un.c.ult.h t.* dicens, quod vacante Sede nihil fieri debeat, unde possit ei præjudicari: in aliis vero, in quibus non præjudicatur episcopo, potest Capitulum supplere vicem episcopi: estque communis. Accedit ratio: quia Sede episcopali vacante non est, qui Episcopale jus tueatur, *cap.1. h.t.* Unde, quia ecclesia vacans caret legitimo defensore, meritò durante vacatione status ipsius mutari non debet adeo, ut non valeant gesta in præjudicium ipsius, sed sint nulla: atque revocentur absque aliqua restitutione in integrum, *arg.c.ult.h.t.* & notat Gl.*c.1.℣. Sede vacante eod.* 13

Confirmatur idipsum. Quia ecclesia fungitur jure Minoris, *c.auditis 3 de in integrum rest.* Et jure Minoris debet semper servari illæsa, *c. 1. eod.* Imo loquendo de ecclesia vacante, ea fungitur iure Pupilli. Fagnanus *c.novit.nu. 25. h.t.* citans alios, seu, est loco Pupillæ, ut inquit Gl. *l.libertas ℣.administraverunt C.de excusationibus tutor.* Unde, sicut non currit præscriptio contra Pupillum, sed dormit durante ætate pupillari, *l.sicut in rem C.de præscr.30. vel 40. ann.* Ita pariter dormit præscriptio adversus ecclesiam vacantem, *c.de quarta 4.de præscr.& c auditis 15.cod.* Quia igitur Minores Curatorem habentes ac præsertim Pupilli, nihil alienare vel in suum præjudicium agere possunt absque authoritate Tutoris vel Curatoris, *leg... & seq.C.de Authorit. præst.* meritò hoc ipsum amplia, ut ad ecclesiam vacantem, veluti Pupillam, & defensore legitimo carentem. 14

Atque idcirco tempus Sedis vacantis non esse conveniens ad aliquid agendum, vel tractandum super statu ecclesiæ; rectè notat Fagnanus *in c.c.novit n.14.h.t.* istud probans ex textu citati Capituli. Ibi quippe Monasterium Blasionense (quod Cœlestinus Papa erexerat in ecclesiam Cathedralem uniendo illud ecclesiæ Bathonensi, ut idem esset Episcopus utriusque) post obitum Bathonensis Episcopi, una cum aliis petiit dissolutionem dictæ unio- 15

unionis, eo quod *tempus advenerat, quo sine scandalo* dicti Monasterii præjudicium, *seu ruina poterat revelari &c.* ut inquit textus. Verum Papa petitionem hanc exaudire noluit, attendendo, *quod Episcopali Sede vacante non debet aliquid innovari cum non sit, qui episcopale jus tueatur*, permisit tamen, ut cum Ecclesia Bathonensis de Præsule fuerit ordinata, dictum Monasterium, ius suum apud Sedem Apostolicam prosequendi, liberam habeat facultatem.

16 Additur autem *n.13.* pro declaratione datæ Conclusionis: *Subintellige, in præjudicium ipsius ecclesiæ, vel Prælati successoris.* Nam regula illa, *ne sede vacante aliquid innovetur*, procedit duntaxat, quando tractatus super alio statu Ecclesiæ, atque innovatio quædam, tenderet in præjudicium Ecclesiæ, vel saltem periculum subesset talis præjudicii. Alioquin enim, sicut Pupilli meliorem suam conditionem facere possunt absque interventu authoritatis Tutoris, ita & ecclesia vacans, utpote fungens iure Pupilli. Proinde etiam Ecclesiæ vacanti applicari potest, quod *§. 1. inst. de authorit. tutor.* de Pupillis dicitur, *si quid dari sibi stipulentur non est necessaria tutoris authoritas; quod si aliis promittant pupilli, necessaria est tutoris authoritas, namque placuit, meliorem quidem suam conditionem licere eis facere etiam sine tutoris auctoritate, deteriorem vero non aliter, quam cum tutoris auctoritate.* Unde, inquit Gl. ib. *Contractus claudicat quandoque.*

§. II.

De jurisdictione Capituli Sede vacante.

SUMMARIUM.

17 *Regula est, quod Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione episcopi; seu, quod potestas bujus devolvatur ad Capitulum.*
18 *Ampliatur ea ad Collegia inferiorum Ecclesiarum.*
19 *Atque ad Conventus regularium.*
20 *Excepta receptione Novitiorum, alienatione bonorum &c.*
21 *In declaranda illa regula*, Capitulum Sede vacante succedit in jurisdictione Episcopi, *variant Doctores. Et n. seq.*
22 *Prima sententia asserit, Capitulum Sede vacante solum succedere episcopo in casibus à Jure expressis: bujusque rationes.*
23 *Altera tenet, jurisdictionem contentiosam, atque necessariam, transire quidem in Capitulum Sede vacante; non vero jurisdictionem voluntariam episcopi.*
Jurisdictio contentiosa, & necessaria, quæ? Ib.
24 *Jurisdictio voluntaria episcopi, quæ?*
Et cur in hac non videatur succedere Capitulum Sede vacante? Ib.
25 *Tertia sententia, cæterisque probabilior, docet, Capitulum Sede vacante succedere episcopo in omnibus, quæ sunt suæ jurisdictionis ordinariæ, demptis casibus in Jure expressis.*
26 *Affertur fundamentum hujus sententiæ.*
27 *Et solvuntur rationes primæ,*
28 *Atque secundæ sententiæ. Et n. seq.*
29 *Probaturque ulterius tertia sententia.*
30 *Capitulum Sede vacante non succedit in collatione beneficiorum ad solum episcopum pertinente.*
31 *Neque potest res ecclesiæ, seu episcopatus vacantis alienare, vel donare.*
32 *Exceptis rebus, quæ servando servari non possunt.*
33 *Atque excepto casu magnæ necessitatis.*
Nec non donatione de rebus ecclesiæ ex justa causa facta &c. ibid.
34 *Contractus per Capitulum Sede vacante de rebus ecclesiæ initus cum damno ecclesiæ, ipso jure non valet.*
35 *Et quid, si fuit initus ad utilitatem ecclesiæ, aut de hoc sit dubium?*
36 *Judicium, seu Processus judiciarius super juribus, ac bonis ecclesiæ vacantis, non valet, & n. seqq.*
Adeò, ut Judicium etiam anteà inchoatum non possit continuari. Ib.
37 *Et quid, si feratur sententia pro ecclesia vacante?*
38 *Ecclesia vacante possunt recipi testes, quando sunt senes, valetudinarii &c.*
39 *Potestque agi super juribus ejus, si urgeat magna necessitas, deturque ecclesiæ vacanti Defensor &c.*
40 *Itemque in casibus specialibus, qui necessariò, vel melius tractantur Sede vacante, & n. seq.*
Ut si quæstio suboriatur de validitate electionis, aut jure eligendi. Ib.
41 *Vel quando agitur de retentione fructuum ecclesiæ vacantis &c.*

17 Quæritur I. An, & qualiter jurisdictio episcopi mortui devolvatur ad Capitulum Sede vacante? Resp. I. Regula est, quod Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione Episcopi: hoc est, quod vacante ecclesia Cathedrali potestas, sive jurisdictio episcopi devolvatur ad Capitulum. Ita Glossa *in c. Cum olim vers. Capitulo* & Abbas *ib. n. 2. de majorit. & obed.* & alia Gloss. *c. His quæ ver. pro bono pacis* & Fagnanus *ib. n. 49. & seqq. eod.* Federicus de Senis *Consil. 16. n. 2.* Barbosa *c. c. cum olim n. 3.* post Rotam *dec. 1. n. 13. p. 2. divers.* Garcias *p. 5. de beneficiis, c. 7. n. 4.* allegans alios, estque communis: quamvis in declaratione dictæ regulæ, & quomodo ipsa cohæreat cum alia regula in rubrica præsentis Tituli posita, *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, Doctores non nihil dissentiant. Conclusio hæc desumitur ex *cit. c. his quæ 11. & c. cum olim 14. de major. & obed & c. un. eod. in 6. & cap. ad abolendam 9.* iuncta Gloss. *vers. Clerici ipsi sede vacante de hæret.* & concordantiis *n. 26.* afferendis, ubi Capitulum Sede vacante censetur succedere in ordinaria iurisdictione episcopali. Accedit ratio congruentiæ; quia episcopus & Capitulum efficiunt unum corpus, cuius caput est Episcopus, membra vero Canonici *c. Novit. 4. de his quæ fiunt à prælatis.* Unde propter tam arctam communionem, & ad præcavendum pluribus incommodis cæteroquin orituris, meritò potestas, atque iurisdictio Episcopi Sede vacante, devolvitur ad Capitulum.

18 Resp. II. Quamvis data regula potissimum loquatur de Sede Episcopali vacante Capituloque Cathedrali, rectè tamen ampliatur ad Collegia inferiorum ecclesiarum: nam etiam hæc Sede vacante succedunt in potestate, & jurisdictione Prælati. Ita Abbas *c. his quæ n. 2.* iuncto textu, & Gl. *fin.* & Hostiensis & Barb. *ib. n. 4. de major. & obed.* ac novissimè Fagnanus *in eod. c. his quæ* Ubi, cum *à n. 39. & seqq.* plura in oppositum attulisset; tandem *n. 48.* asserit hanc opinionem tum propter authoritatem Abbatis, tum propter consuetudinem, quæ est optima Legum interpres, communiter retineri; eamque (inquit) secuta est Rota in *Burgens. Jurisdictionis 22. Junii 1611. coram Cardin. Cavalerio*, habeturque impressa *part. 1. recent. decis. 346.*

19 Resp. III. Ampliatur eadem regula ad Conventus Regularium: nam, quod in Monasteriis Capitulum sive Conventus, vacante Sede Abbatiali succedat in administratione spiritualium, & temporalium sicut succedit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis ipsi episcopo; notat Abbas *c. ea quæ n. 9. de Statu Monach. & c. his quæ n. 2. de maior. & obed.* istud probans ex *Clem. ne in agro §. Abbate de statu Monach.* Idemque tenet Felinus *in d. c. his quæ n. 3.* & Barb. *ib. n. 4.* citans Rotam *dec. 346. n. 31. recent.*

20 Excipitur tamen hinc receptio Novitiorum Nam ubi hæc pertinet ad solum Prælatum, eo defuncto nequit Conventus novum Monachum creare, bene tamen, si Monachorum creatio spectet ad utrumque simul, *text. clar. c. ult. de regularib. in 6.* Excipitur pariter alienatio bonorum, una cum aliis similibus quæ non possunt Sede vacante expediri. Abb. *c. c. his quæ n. 3.*

21 Quæritur II. Qualiter intelligendum sit, quod Capitulum Sede vacante succedat in iurisdictione episcopi? Resp I. In declarando præfata regula seu quod *Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione episcopi*, variant Doctores: uti videre est apud Garciam *p. 5. de beneficiis, q. 7. n. 2. 3. & 4.* tres diversas DD. sententias referentem, de quibus iam anteà mentionem fecerat Gl. *in Clem. 1. vers. capituli. de Hæret.* subiungens, dictum illud, quod Capitulum succedat in iurisdictione Sede vacante, egere declaratione, & quidem

22 Prima sententia est eorum, qui asserunt, Capitulum

lum Sede vacante succedere episcopo quoad illa solum, quæ in Iure reperiuntur eidem concessa. Et pro hac sententia citat Fagn. in *c. cum olim n. 2. de maior. & obed.* Vicentium, Roffredum, Hostiensem, & Archidiaconum, eandemque sententiam tenet Felinus *c. cum olim n. 1. & 7. de major. & obed.* citans Dominicum in *can. Presb. dist. 24.* & Abbas *c. 2. not. 2. h. t.* istud probans ex textu huius Capituli ibi: *cum nusquam inveniatur cautum in Jure, quod Capitulum vacante Sede, fungatur vice Episcopi in collationibus præbendarum.* Ex quibus verbis infert dictus Abbas, quod Capitulum non succedat in iure Episcopi, nisi in casibus à Jure expressis: & proinde in casibus dubiis potiùs iudicandum sit contra Capitulum. Quamvis idem Abbas in *c. cum olim n. 2. de major. & obed.* post Glossam *ib. ℣. pro bono pacis*, oppositam regulam statuat dicens: *Regula est quod Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione Episcopali:* subintellige, exceptis casibus in Jure expressis. Atque memorata sententia confirmatur ex generali regula negativa, quam tradit Rubrica præsentis Tituli: *Ne Sede vacante aliquid innovetur.* Nam verba generalia generaliter sunt intelligenda: & ubi Ius non distinguit, neque nos distinguere debemus, *l. de pretio ff. de publician. in rem action.* cum similibus. Ac proinde, ut recedatur à præfata regula negativa, oportet ostendere exceptionem in Iure fundatam, qua permittitur Capitulo quidplam agere, seu innovare, sede vacante.

23 Altera sententia distinguit inter iurisdictionem contentiosam atque necessariam, & inter iurisdictionem voluntariam Episcopi: atque illam quidem concedit transire in Capitulum Sede vacante, non vero istam. Ubi sciendum, quod per *Jurisdictionem contentiosam* intelligatur ea, quæ requiritur ad reddendum Ius partibus in Iudicio contendentibus: sicque necessaria est ex parte Episcopi, veluti Iudicis. Per *Jurisdictionem necessariam* vero intelligitur illa, quæ requiritur ad expedienda ea, in quibus Ius quodpiam tertio fuit quæsitum, etiam extra iudicium: & talis censetur intervenire in confirmatione electionum, in institutione præsentatorum, & cæteroquin habilium ad beneficia (nam his ex electione, vel præsentatione legitime facta, Ius quodpiam quæsitum fuit) item & in aliis quæ sunt iustitiæ, ac necessitatis. Atque in huiusmodi iurisdictione tum contentiosa, tum necessaria. succedere Capitulum Sede vacante, ultrò fatetur hæc sententia: alioquin enim tempore Sedis vacantis non esset subditis debitè sufficienterque provisum, si non esset, qui tunc ius dicere; iustitiamque administrare valeret, impio contra iustum prævalente impunè: sicut & in aliis, quæ sunt necessitatis, oportet Capitulum succedere in iurisdictione Episcopi, ne ex defectu legitimi Superioris periculum possit generari in subditis, totaque Communitate. Abbas *c. His quæ in fin. de majorit. & obed.* & alii.

24 At vero per *jurisdictionem voluntariam Episcopi* intelligunt Doctores illam, qua Episcopus utitur in expediendis illis, quæ à sua libera voluntate dependent: ut est, donare aliquid de rebus suis, conferre beneficia ad suam collationem pertinentia, concedere indulgentias, dare licentiam eligendi Confessarium, Charitativum subsidium exigere, statuta condere, & alia huiusmodi pro sua voluntate facere, aut etiam ex speciali gratia indulgere. Atque in tali iurisdictione voluntaria succedere Capitulum Episcopo defuncto, negat hæc altera sententia: pro qua Gl. *in Clem. 1. ℣. Capituli de Hæret.* citat Io. Monachum eandemque tenet Io. Andreas *cap. un. à princ. de major. & obed.* post Archidiaconum Flam. Parisius *lib. 7. de resign. benef. q. 23. num. 13. & 35. ac 36.* & nonnulli alii apud Garciam, *ubi supra.* Rationem dant: quia Capitulum Sede vacante est administrator necessarius, non voluntarius; ut inquit Glos. *in cit. Clem. 1. ℣. Capituli, de Hæretic.* Abbas *c. cum olim ℣. Extra glossam de major. & ob.* Felinus *c. cum omnes, n. 10. ℣. Secundò est advertendum; de constitut.* Fagnanus *c. Illa, num. 13. h. t.* allegans Rotam *dec. 3. nu. 3. de offic. Vicar. in novis.* Ergo ipsum succedit quidem Episcopo in illis, quæ sunt iustitiæ, seu necessariò expedienda (alioquin enim subditis Sede vacante non foret debitè, sufficienterque provisum) non autem in aliis, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis; sicque gratiam potius respiciunt, quam iustitiam. Accedit, quod Capitulum Sede vacante non possit conferre Beneficia, ad Col-

lationem solius Episcopi spectantia; bene tamen instituere præsentatos in beneficiis, *cap. un. de institution. in 6.* Quia nimirum istud posterius sapit necessitatem, atque iustitiam: non verò illud prius, utpote speciem continens liberalitatis, atque donationis, *cap. ult. de offic. Vicar. in 6.*

25 Tertia tandem, & cæteris probabilior sententia docet, atque pro regula statuit, quod Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in omnibus, quæ sunt suæ iurisdictionis ordinariæ, demptis casibus in Iure expressis. Ita Gl. *c. His quæ, ℣. pro bono pacis & c. cum olim, ℣. capitulo* & Abbas *hic n. 2. de major. & obed.* Innocentius *c. ad abolendam ℣. Item episcopus, de Hæret.* Federicus de Senis *consil. 16. n. 2. & cons. 30.* Rebuffus *in praxi benef. tit. de devolutionibus, num. 58 & seqq.* Navarrus *cons. 44. nu. 1. & seqq. de Temporib. ordin.* Fagnanus *d. c. cum olim, num. 2. de major. & obed.* asserens: *Nota ex Decretali regulam affirmativam, quod potestas, seu jurisdictio episcopi Sede vacante ad capitulum devolvitur.* Io. de Selva *Tractatuum tom. 15. tr. de beneficio, p. 2. q. 11. n. 4. & 5.* Barbosa *p. 3. de offic. & potest. episc. alleg. 92. n. 17. & in c. Illa, 2. n. 3. & seqq. h. t.* Alexandr. Sperellus *dec. 111. Fori Eccl. n. 39. & 40.* Card. Tuschus *litt. C. conf. 56. n. 8. & 12. ac seqq.* addens, quod gesta per Capitulum Sede vacante effectum suum sortiantur perpetuo, tanquam legitimè facta, in iis, quæ respiciunt perpetuationem. Io. Guttierez *Canon. qu. lib. 1 cap. 11. num. 10.* Engel *h. t. n. 1. ℣. Receptior.* atque ex professo Garcias *cit. p. 1. de benef. c. 7. n. 4. & 38. 39. ac seqq.* allegans plurimos alios, hancque sententiam appellans cæteris veriorem.

26 Fundamentum hujus tertiæ sententiæ, desumitur ex pluribus Iuribus hactenus jam citatis: nimirum ex *c. his quæ 11. & c. cum olim, 14. de major. & obed. & c. ad abolendam 9.* iuncta Gl. *℣. Clerici ipsi Sede vacante, de Hæret.* Eadem sententia, & quidem adhuc clarior, probatur ex *c. un. de major. & obed. in 6.* ubi Sede vacante, capitulo indistinctè attribuitur Episcopalis jurisdictio, illis verbis; *Episcopali Sede vacante potest capitulum, seu is, ad quem Episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere &c.* ponderando ly, *capitulum, seu is ad quem Episcopalis jurisdictio &c.* His enim verbis æquè ad Capitulum noscitur pertinere iurisdictio Episcopalis, sicut ad alium, ad quem aliunde (puta, ex speciali commissione Apostolica, ut *c. Is cui procuratio, 42. de elect. in 6.* vel, quia visitator Ecclesiæ Cathedralis vacantis à Papa quis constitutus fuit; *c. ult. §. fin. de supplend. negl. Prælat. in 6.*) eadem Episcopalis jurisdictio pertinere dignoscitur. Hoc ipsum habetur *c. cum nullus 3. §. Episcopo, de Temporib. ordinar. in 6.* ibi: *Sede vacante, capitulum, seu is ad quem tunc item temporis administratio spiritualium noscitur pertinere &c.* Atque concordat *ca. ult. de Supplend. negl. Prælat. in 6.* ubi dicitur, Sede vacante *capitulum in spiritualibus & temporalibus administrare* posse, ac debere: adeò, ut si negligenter, aut perperam administret, Archiepiscopus ipsi Visitatorem, seu administratorem deputare valeat. Quia igitur tot, tamque apertis Iuribus, Sede vacante attribuitur Capitulo potestas Episcopalis, meritò statuitur Regula affirmativa; videlicet Capitulum Sede vacante succedere Episcopo in omnibus, quæ sunt iurisdictionis ordinariæ, præter casus in Iure expressos: ac proinde in casibus dubiis judicandum esse pro Capitulo, eo quod inhærendum sit Regulæ, donec de fallentia constet.

27 Nec urgent rationes priorum duarum sententiarum. Nam imprimis *cap. 2. h. t.* unde Abbas pro prima sententia desumpsit regulam negativam, *num. 22.* relatam; expressè loquitur de beneficiis ad liberam collationem Episcopi pertinentibus. Hanc enim, utpote speciem alicujus donationis continentem, sicque in generali concessione non comprehensam, *c. ult. de offic. Vicar. in 6. & c. In generali 81. de reg. Jur. in 6.* meritò negat Pontifex competere Capitulo Sede vacante, eo quod nullibi in Iure reperiatur, ipsam specialiter fuisse concessam Capitulo Sede vacante. Inde tamen non rectè infertur regula generalis negativa, etiam ad casus tali specialitatis rationis carentes sese extendens: nam à diversis non fit illatio, *L. ult. in fin.* & Bartol. *ibid. ff. de Calumniat.* & Barbosa *Axiom. 114.* Deinde ad regulam negativam Rubricæ præsentis Tituli. *Ne Sede vacante &c.* jam dictum est *numer. 13. & 16.* ipsam solummodo

prohibere, ne Sede vacante aliquid innovetur in præjudicium Ecclesiæ, vel Prælati successoris: unde quoad alia Ecclesiæ, vel successori Episcopo non præjudicialia, subintrat opposita regula, nempe quod Capitulum Sede vacante succedat, in ordinaria jurisdictione Episcopi.

28 Neque urget, quod in favorem secundæ sententiæ *n.* 24. allegatur. Nam Capitulum Sede vacante est quidem administrator necessarius, in quantum est datum, seu constitutum à Jure communi pro administratione rerum, atque negotiorum Sedis vacantis: non autem ex privata partium conventione, seu libera quorundam voluntate ad eiusmodi munus administrandi assumitur. Qua ratione similiter Arbitri alii dicuntur necessarii, utpote ex necessitate, seu præscripto Legis constituendi: alii voluntarii, seu qui libera partium voluntate constituuntur, iuxta dicta superius *Lib. 1. Tit. 43. §. 1. n. 13. 14. & 15.* Ex hoc tamen neutiquam sequitur, nec aliunde probatur, quod Capitulum Sede vacante fungatur duntaxat jurisdictione Episcopali necessaria: qualis intervenit in confirmatione electionum, & institutione præsentatorum in beneficiis, & huiusmodi, ubi jus quodpiam partibus fuit quæsitum: nec non in iurisdictione judiciali, quæ pariter censetur necessaria, nempe ad teddendum jus partibus in Judicio contendentibus, seu litigantibus. At vero non succedat in jurisdictione voluntaria: qualis intervenit in dispensationibus, in statutis novis condendis, in absolutionibus à censuris, & huiusmodi. Hoc, inquam, nullibi probatur.

29 Quinimò, ut argumentatur Jo. de Selva *cit. tr. de beneficio p. 3. q. 2. n. 4. & 5.* Jura *n.* 26. citata absolutè dicunt, quod Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione Episcopali: neque alicubi distinguunt inter iurisdictionem necessariam, atque contentiosam: & inter iurisdictionem voluntariam, demptis certis casibus specialiter exceptis. Ergo neque nos inter has distinguere oportet, *l. de pretio ff. de Publician. in rem action.* cum similibus: sicque tenendum, quod idem Capitulum succedat in ordinaria iurisdictione Episcopali, non solum necessaria, sed etiam voluntaria, demptis casibus specialiter exceptis. Et quia inter huiusmodi casus specialiter continentur collatio libera beneficiorum, ad solum Episcopum pertinentium: hinc patet, etiam alteram instantiam, *cit. n.* 24. adductam, nihil urgere. Occasione cuius tamen, & pro meliori dictorum intelligentia

30 Quæritur II. Quinam sint præcipui casus specialiter excepti, in quibus Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo? Resp. I. Præcipuus, ac sæpius in Jure exceptus casus est, collatio beneficiorum ad liberam solius Episcopi collationem pertinentium: nam in Jurisdictione, seu potestate conferendi talia beneficia, non succedere Capitulum Sede vacante; patet ex *c. illa 2. h. t. & c. un. de Inst. in 6. & c. ult. de offic. Vicar. in 6.* estque præter ea, quæ paulo superius *nu.* 27. habentur, ex professo dictum supra *tit. 5. de præb. §. 7. n. 179. 180. & seqq.* addendo simul *nu.* 190. rationem disparitatis, cur Capitulum Sede vacante possit instituere præsentatos in beneficiis; non item isthæc conferre, quando eorum collatio pertinet ad solum Episcopum.

31 Resp. II. Licet administratio rerum Episcopalium Sede vacante devolvatur ad Capitulum, *c. ult. §. 1. de suppl. negl. Prael. in 6.* cum similibus, non tamen potest Capitulum res Ecclesiæ, aut Episcopatus vacantis alienare, vel aliis libere donare. Textus est *in can. si qua de rebus 12. q. 2.* ubi res Ecclesiæ, quæ mortuo Episcopo, venditæ, vel aliter distractæ fuerunt, ad jus ecclesiasticum revocari jubentur. Accedit ratio: tum quia is, cui bonorum administratio, etiam libera, concessa est, regulariter donare non potest, *c. ult. de offic. Vicar. in 6.* juncta Gl. *V. nec regulariter*, hinc excipiente nonnullos casus, ac præsertim eum, si ex iusta causa fiat donatio, ut putà, Magistro &c. Tum quia Capitulum res ecclesiæ vacantis non auferre, vel distrahere, sed usque ad tempus substituendi Prælati conservare debet, præstita tamen necessariis ministris interim consueta alimonia, *can. hæc bulus 12. q. 2.* Quod ipsum repetitur *c. præsenti 9. de offic. ordina. in 6.* asserendo, quod bona vacantium ecclesiarum, aliorumque beneficiorum: sive in istis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, in utilitatem eorum expendi, vel futuris debeant Successoribus fideliter reservari: nisi de speciali privilegio, vel consuetudine iam præscripta legitimè, seu alia causa rationabili, aliis competere dignoscantur.

Limitatur tamen data Conclusio in illis rebus, quæ servando servari non possunt. Has enim, dummodo asservetur pretium ipsarum, poterit Capitulum alienare, seu vendere; ut *l. Lex quæ C. de administr. Tutor.* ubi hoc ipsum respectu bonorum pupillarium, aut minorennibus competentium, conceditur Tutoribus, & Curatoribus. Siquidem ecclesia fungitur jure Minoris, *c. auditis 3.* iuncta Gl. *V. Jure minoris De in integrum rest.* Imo, si est vacans, etiam jure Pupilli, ut dictum supra *n.* 14. 32

Limitatur ulterius eadem Conclusio in casu magnæ necessitatis: tunc enim Clericos, sive Capitulum Sede vacante, posse aliqua alienare, accedente tamen authoritate Superioris, probat textus *can. Precariæ 12. q.* ac notat Gl. *c. can. Si qua de rebus ead. caus. 12. q. 2. V. Rescissio.* Tacentur aliæ limitationes, ac præsertim illæ, quæ *nu.* 31. insinuatæ fuerunt; nimirum, quando donatio de modicis rebus ecclesiæ fit ex causa, vel quando bona ipsius ex privilegio, vel consuetudine legitime præscripta, cuipiam alteri debentur, iuxta *c. c. præsenti 9. de offic. ordinar. in 6.* Verum occasione præmissorum, ac dimissis nunc aliis casibus ad jurisdictionem capituli sede vacante pertinentibus, vel non pertinentibus, de quibus *§. seqq.* 33

Quæritur III. Utrum extra casus proximè dictos valeat contractus per Capitulum Sede vacante initus de rebus Ecclesiæ, vel Episcopatus. Resp. breviter sub distinctione. Vel enim talis contractus est initus cum damno Ecclesiæ: & ipso iure non valet, neque de præsenti, neque in futurum. Deficit enim potestas ex parte Capituli ad sic contrahendum, eo quod Sede vacante nihil possit innovari in eius præiudicium. Gl. *c. 1. V. Sede vacante* & Abbas *ib. n. 8. h. t.* & alii. 34

Vel contractus ille initus fuit ad utilitatem ecclesiæ, aut saltem de hoc est dubium; & tunc est in optione Episcopi noviter creandi, utrum velit contractum illum habere ratum, nec ne. Glossa & Abbas *loc. cit.* & Barbosa *in d. c. 1. n. 8. h. t.* Covarruvias *pract. q. c. 28. n. 10. V. quod ferum*, citans alios. Si quidem in favorem ecclesiæ est indultum à Jure, ut Episcopus noviter creatus possit contractum illum habere ratum, etiamsi fit alienatio rei immobilis: prout est textus notabilis in *can. Si qua de rebus 12. q. 2.* ibi: *Si qua de rebus Ecclesiæ, cum Episcopus non est, Presbyteri* (hoc est Canonici: ut explicat Gl.) *vendiderint, placuit rescissio contractu ad jus Ecclesiasticum revocari. In judicio autem erit Episcopi constitutum, si pretium debeat recipi, nec ne, &c.* Neque istud videatur novum: nam etiam Minor valide potest absque Curatoris authoritate contrahere suum commodum; non verò in suum præiudicium: *§ 1. Inst. de Authorit. Tutor.* 35

Quæritur IV. Utrum valeat iudicium habitum contra Ecclesiam vacantem? Resp. I. Judicium, sive Processus iudiciarius super iuribus, aut bonis Ecclesiæ vacantis, non valet: adeo, ut non solum tunc nequeat intentari, seu inchoari; verum etiam anteà inchoatum non possit continuari, sed debeat interim conquiescere, donec fiat substitutio novi Prælati, sive dein Ecclesia sit actrix, sive rea. Ita Summarium *in c. ult. h. t.* & Abbas *ib. n. 1. & 3.* & Jo. Andreas *n. 2.* Barbosa *n. 1 & 2.* cum communi. Idque desumitur ex *c. c. ult. seu Constitutis 3 h. t.* ubi depositiones testium, qui vacante Ecclesia fuerunt recepti, reprobantur, ea addita ratione: quia Ecclesia vacans *carebat legitimo defensore*. Et quidem præfata testium receptio contingit in Judicio iam inchoato ante mortem Prælati: nam Judices, quibus Innocentius Papa causam illam commiserat, mortuo Episcopo Burginensi, depositiones testium receperant, & tamen hæ reprobatæ sunt prout notat Jo. Andreas *ib. n. 1.* Unde Gl. *in Casu ib.* generaliter infert; quod *Sede vacante casus tractari non potest, nec testes recipi: quia non est cum quo ista fiant, & altera parte absente processus causæ nullus est.* 36

Accedit alia ratio. Quia judicium, ac sententia lata contra Minores indefensos, seu Tutorem vel Curatorem non habentes, nulla est, *l. Acta §. fin. ff. de Re Judicat.* Idem ergo dicendum de Ecclesia vacante, utpote quæ fungitur iure Minoris, ac Pupilli. Quod si tamen feratur sententia pro eiusmodi Minore, aut Ecclesia vacante, hæc valeret, ipsisque prodesset juxta Glossam *cit. l. Acta V. Contra*; estque textus expressus in *l. Non eò minus C. de Procuratorib.* junctis dictis suprà *num.* 16. 37

38 Resp. II. Patitur nihilominùs data Conclusio quasdam limitationes. Atque imprimis Ecclesia vacante possunt recipi depositiones testium, quando isti sunt senes, vel valetudinarii, aut cùm timetur eorum absentia diuturna. Idque permissum est, ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis casibus subtrahatur: prout in simili habetur decisum *cap. Quoniam §. Ut lite non contestata &c.* ac notat Innocentius, & Jo. Andreas *n. 2.* & Abbas *n. 4. cit. cap. ult. h. t.* & communis.

39 Limitatur secundò, quando urget magna necessitas; aut Ecclesia diu est vacatura, non possit commode expectari creatio novi Prælati. Tunc enim poterit tractari, seu in judicio agi super juribus talis Ecclesiæ; sed non aliter, nisi priùs hujusmodi Ecclesiæ vacanti detur Curator, seu legitimus Defensor, per quem jura Ecclesiæ vacantis defendantur; *arg. L. 1. & 2. ff. de curatore bonis dando*; ac notat Innocentius *cap. 1. h. t.* & Abbas *cap. ult. nu. 4. eod.* Qui tamen *num.* 5. subjungit, quod solus Papa possit dare Curatorem bonis Ecclesiæ Cathedralis quoad effectum agendi, *arg. cap. Is cui 42. de Election. in 6. & c. Pastoralis 12. de Offic. Judic. ordinar.* & quoad hoc ultimum concordat Barbosa *cit. cap. ult. num. 3. h. t.* allegans alios. Quid autem sit dicendum de Ecclesiis Inferioribus, sub multiplici distinctione declarat Abbas *loc. cit.*

40 Limitatur ulteriùs data Conclusio in casibus specialibus, qui necessariò, vel saltem meliùs, in judicio tractantur Sede etiamnum vacante. Innocentius *cap. 1. V. solutio h. t.* Abbas *cap. ult. n. 4. eod.* & alii. Sic contingit, quando quæstio suboritur de validitate electionis, aut jure eligendi, nempe ad quos istud pertineat, ubi electio facta fuit in discordia: hæc enim controversia necessariò priùs est judicialiter discutienda, antequam sequatur confirmatio; sicque Sede adhuc vacante. Aliter enim non potest procedi ad confirmationem, nisi hoc priùs discusso; ut *cap. cùm dilectus 8. de Consuetud. & cap. Cupientes 16. cap. ult. de Election. in 6.* cum similibus. Innocentius, & Abbas, *ubi suprà* Fagnanus *cit. cap. cùm dilectus nu. 4. de Consuetud.* Istud post Cardinalem, & Imolam, probans ex eo: quia talis quæstio pertinet ad Conventum sine Prælato.

41 Alius casus specialis est, quando agitur de retentione fructuum Ecclesiæ vacantis: ut *cap. un. §. Omnibus Ut Ecclesiastica beneficia &c.* ac notat Abbas, subjungens casum de divisione Præbendæ vacantis. Nam etiam contra talem Præbendæ divisionem, eò quòd fieret contra Concilium Turonense, relatum *cap. Majoribus 8. de Præbend.* posse moveri litem Sede vacante, desumitur ex *cap. Vacante 26. de Præbend.* Tacetur validitas sententiæ latæ in favorem Ecclesiæ vacantis, juxta proximè dicta *num.* 37. unà cum aliis similibus.

§. III.

Solvuntur alia dubia de jurisdictione Capituli Sede vacante.

S U M M A R I U M.

42 *Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in illis, quæ huic jure duntaxat speciali competebant; putà, ex privilegio, commissione, &c.*
43 *Potestas doctorandi competens Episcopo, an transeat ad Capitulum Sede Vacante?*
44 *In jurisdictione Episcopo delegata non succedit Capitulum Sede vacante.*
45 *Etiamsi delegatio fiat à Canone, sive ex generali delegatione Sedis Apostolicæ.*
46 *Ut est potestas à Concilio Tridentino Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, attributa.*
Item potestas auctoritate Apostolica visitandi Monasteria exempta Monialium. Ibid.
47 *Secùs, ubi quid delegatur Episcopo sub clausula*, Etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegato.
Dictio Etiam, *est augmentativa, & implicativa præcedentium. Ibid.*
48 *Et quid dicendum in casu urgentis necessitatis?*
49 *In omnibus casibus, in quibus Episcopus potest dispensare jure ordinario, potest etiam dispensare Capitulum Sede vacante, ejusque Vicarius Capitularis.*
50 *Ut in Denunciationibus matrimonio præmittendis:*
51 *In Interstitiis ad Ordines.*
52 *In votis, & juramentis, Papæ non reservatis.*
53 *Cum illegitimis ad Ordines minores, & Beneficium simplex.*
54 *Et in irregularitatibus, suspensionibus, ex delicto occulto &c. provenientibus.*
55 *Et in casu magnæ necessitatis &c.*
56 *Non succedit Capitulum Sede vacante in potestate dispensandi quoad ea, circa quæ solùm poterat dispensare Episcopus ex speciali privilegio, vel delegatione.*
57 *Solvitur instantia ex Concilio Tridentino* Sess. 24. c. 6. de Reform.
58 *Et alia instantia ex* Clem. 2. de Statu Monachor.
59 *Tres generatim sunt species casuum, in quibus Capitulum Sede vacante succedit, vel non succedit. Et n. seqq.*
60 *Capitulum Sede vacante potest, ac debet, constituere Vicarium in spiritualibus, & Oeconomum in temporalibus.*
61 *Potestas Capituli Sede vacante principaliter residet penes Capitulum; exercitium verò ipsius penes Vicarium.*
62 *Capitulum Sede vacante, ejusque Vicarius, potest à sententia excommunicationis absolvere, quos poterat Episcopus &c.*
63 *Potest etiam ferre censuras,*
Atque excommunicationem promulgare ad finem revelandi bona deperdita &c.
64 *Potestque absolvere à casibus Episcopo reservatis.*
65 *Et confirmare electiones Abbatum &c. atque præsentatos in Beneficiis instituere.*
66 *Imò & quasdam salutares Constitutiones facere.*
67 *Potest quoque visitare Diœcesin, sicque recipere procurationes.*
68 *Imò & de delictis extra visitationem contra certas personas inquirere.*
69 *Vicarius Capitularis potest infinita, quæ non potest Vicarius Episcopi; & cur?*
70 *Capitulum Sede vacante potest assistere matrimonio celebrando.*
Potestque cognoscere causas matrimoniales. Ibid.
71 *Item exigere rationem ab Administratoribus locorum piorum &c.*
72 *In Capitulum Sede vacante transeunt illa quæ sunt Ordinis Episcopalis: & quomodo?*
73 *Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in potestate concedendi Litteras Dimissoriales ad Ordines infra annum, demptis arctatis.*
74 *Neque in potestate deducendi jura Episcopi in judicium etiam defendendo.*
75 *Neque in potestate suprimendi Præbendas, vel uniendi Beneficia, ob tenuitatem redditEcclesiarum Cathedralium &c.*
76 *Nec concedit Litteras Commendatitias, seu Formatas, quibus Clericus absolvitur à potestate sui Episcopi &c.*
77 *Neque succedit Episcopo in ejus jurisdictione accidentali.*
78 *Casus, de quibus dubitatur, an competant Capitulo Sede vacante, sunt plures Remissivè.*
79 *An capitulum Sede vacante succedat Episcopo in dandis Indulgentiis?*
Sententia affirmativa refertur. Ibid.
80 *Opposita quorundam sententia allegatur.*

Quæritur I. An Capitulum Sede vacante succedat Episcopo mortuo in illis, quæ huic jure speciali competebant? Resp. I. Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo defuncto in jurisdictione, seu potestate eorum, quæ huic non jure ordinario, seu dunta- 42

taxat jure speciali, putà ex privilegio, commissione, seu ut Sedis Apostolicæ Delegato competebant. Ita Abbas cap. cùm olim num. 2. vers. Quinto dubitatur & Felinus ibid. nu. 5. de Majorit. & obed. Rebuffus in Praxi tit. de Devolution. nu. 68. Card. Tuschus Litt. C. Concl. 56. num. 5. Fagnanus cap. His quæ nu. 43. & 46. & 54. de Majoritat. & obed. Engel h. t. num. 1. vers. Receptior. Garcias part. 5. de Benefic. cap. 7. num. 38. & seqq. citans alios. Ratio est: Tum quia privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona; uti loquitur Reg. 7. Jur. in 6. cum concordantiis. Tum quia in illis, quæ competunt Episcopo, non ut Episcopo, & capiti Capituli, sed jure duntaxat speciali, sicque accidentali (putà, ex speciali privilegio, seu commissione) cessat ratio communionis, quæ cæteroquin est inter Episcopum veluti caput, & Capitulum veluti membra ejusdem corporis, cap. Novit 4. De his quæ fiunt à Prælatis &c. Unde non mirum, quod in talibus, atque Episcopo jure duntaxat speciali & accidentali competentibus, non succedat Capitulum Sede vacante: quin potiùs subintret dispositio Juris communis, quæ habetur l. in omnibus ff. de Reg. Jur. illis verbis: In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficit.

43 Sic ubi Episcopo competit potestas, v. g. doctorandi, ex privilegio speciali, ea non transit ad Capitulum Sede vacante: secùs, si Jure communi, & tanquam Episcopo, eidem competivisset. Abbas cit. cap. cùm olim nu. 2. V. Quintodecimo. Rebuffus, ubi suprà nu. 29. subjungens, quod in dubio videatur ejusmodi potestas competere Episcopo ut Episcopo; sicque ad Capitulum Sede vacante transibit.

44 Similiter, quod in jurisdictione Episcopo delegata non succedat Capitulum Sede vacante, desumitur ex cap. Pastoralis 11. Prætereà de Offic. Judic. ordinar. ubi excommunicatus à Delegato Papæ, eoque mortuo, non potest sine mandato Summi Pontificis (extra mortis articulum) per alium, putà, per Capitulum Sede vacante absolvi, nisi forsan ipse defuncto succedat in onere, & honore. Et additur hujus ratio ibidem: Quia Delegatus, quantum ad id, est major Ordinario. Atque ita tenet Abbas cit. cap. cùm olim numer. 2. §. Quinto, istud confirmans alia ratione proxime jam adducta: Quia videlicet in his, quæ competunt Episcopo jure speciali, ut Delegato, cessat communio, quæ est inter ipsum, & Capitulum; sicque istud idem mortuo non succedit. Idipsum tenet Rota decis. 6. de Offic. Deleg. in antiq. Garcias d. cap. 7. num. 42. & 43. citans complures alios.

45 Atque istud ampliatur, etiamsi delegatio fiat à Canone, sive Episcopo quidpiam competat ex generali delegatione Sedis Apostolicæ. Quia, licet tunc detur jurisdictio à Jure communi, tamen non competit Episcopo, ut sic seu ex jurisdictione ordinaria; sed solùm ex delegata, atque specialiter inducta, & secundùm quam Delegatus est major Ordinario. Garcias loc. cit. num. 44. post Rotam, & Abbatem, ubi suprà, pluresque alios. Fagnanus cap. His quæ num. 54. de Majoritat. & obed citans plures alios; quamvis nonnulli contradicant.

46 Infertur proinde cum eodem Fagnano loc. cit num. 56. quod potestas à Concilio Tridentino Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis attributa, non transeat in Capitulum Sede vacante. Inferunt similiter Doctores, quod Capitulum Sede vacante non possit visitare Monasteria Monialium, exempta, bene tamen non exempta: nam horum visitatio annua competit Episcopis Ordinaria auctoritate, in qua succedit Capitulum Sede vacante: illorum autem visitatio competit Episcopis authoritate solùm Apostolica, juxta textum apertum in Clement. 2. §. Hoc igitur de Statu Monachor. sicque Capitulum Sede vacante non succedit.

47 Secùs foret dicendum, quando aliquid delegatur Episcopo sub clausula, Etiam tanquam Delegato Sedis Apostolicæ. Tunc enim dictio Etiam, quæ est augmentativa, & implicativa præcedentium, præter jurisdictionem delegatam simul implicat, & involvit jurisdictionem ordinariam; ut post Fagnanum cap. Ad audientiam nu. 54. de Eccles. ædific. & Barbosam par. 3. de Off. & potest. Episc. allegat. 92. num. 11. & alios, jam dictum est suprà Lib. 1. tit. 29. De Offic. & potest. Judicis Delegat. §. 2. nu. 37. Ac proinde Capitulum in tali casu succederet Episcopo mortuo, saltem quoad jurisdictionem & potestatem ordinariam ipsius, licèt non quoad delegatam. Fagnanus cit. cap. His quæ nu. 56. de Majorit. & obed. asserens, ita censuisse Sacram Congregationem; loquendo de facultate à Concilio Tridentino Sess. 21. cap. 7. de Reform. attributa Episcopis, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis, transferendi Beneficia simplicia Ecclesiarum vetustate collapsarum: nam facultas hæc transit in Vicarium Capitularem Sede vacante.

48 Quinimò & in aliis casibus tanta potest urgere necessitas, ut præter privilegium speciale Episcopi, aut ejus jurisdictionem delegatam, subintret ordinaria: nam in casu magnæ necessitatis, periculique in mora, juncto difficili accessu ad Papam, posse Episcopum dispensare circa Sacros Canones, jam dictum est lib. 1. tit. 2. De Constitutionibus §. 18. n. 470 Tunc etenim succederet Capitulum Sede vacante quoad potestatem illam, quæ jure ordinario competit Episcopo in casu magnæ necessitatis, v. g. dispensandi. Garcias cit. cap. 7. n. 46. in fin. Barbosa d. alleg. 92. n. 17. ac rursus dicetur n. 55 Unde pro majori horum intelligentia

49 Quæritur II. Utrùm, & quando Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in potestate dispensandi? Resp. I. In omnibus illis casibus, in quibus Episcopus potest dispensare jure ordinario, seu ratione jurisdictionis Episcopalis, potest etiam dispensare Capitulum Sede vacante, atque constitutus per istud Vicarius Capitularis. Ita Abbas c. At si Clerici §. De adulteriis nu. 17 & Felinus ibid. n. 13. V. Utrùm capitulum de Judiciis Alexander Sperellus decis. 111. Fori Ecclesiast. n. 38. Federicus de Senis Consil. 30. An capitulum &c. per totum Barbosa par. 2. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 36. nu. 9. & 10. & allegat. 45. nu. 26. & de Canonic. & Dignit. cap. 42 n. 82. Summa Angelica vers. capitulum n. 1. Card. Tuschus Litt. C. concl. 56. n. 43. Joan. de Selva de Benefic. par. 2. quæst. 11. nu. 4. Garcias par. 5. de Benefic. cap. 7. n. 4. Flamin. Marchettus in Praxi Vicarii cap. par. 2. tit. 14. n. 1. & 2. ac seqq. cum pluribus aliis; & concordant dicta superiùs L. 1. tit. 2. De Constitutionibus §. 18. nu. 476. Ratio est. Tum quia dispensatio dependet à jurisdictione; ergo, cùm Capitulum succedat in jurisdictione Episcopali, pariter succedit in potestate dispensandi, quæ jure ordinario competit Episcopo. Tum quia non rarò expediens est, imò, & quandammodò necessarium, dispensare cum subditis, arg. c. Ut constitueretur juncta Glossa V. Detrahendum, & can. Domino sancto dist. 50. ubi Glossa vers. Necesse est, infert dispensationem quandoque esse debitam: puta, quando ita exigit bonum commune, vel subest alia gravis, & justa causa dispensandi. Atqui huic expedientiæ, imò & debito, commode satisfieri non posset, nisi in Capitulum Sede vacante transiret ordinaria potestas Episcopalis dispensandi. ergo.

50 Infertur proinde, quod Capitulum Sede vacante: atque Vicarius Capitularis ipsius, possit dispensare in Denunciationibus matrimonio præmittendis, accedente tamen rationabili causa. Idque contingit vigore Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 1. de refor. Matrimon. hujusmodi dispensationem remittentis arbitrio Ordinarii, qualis etiam est Vicarius Capitularis: & quia dispensationes Episcopo permissæ à Jure communi, etiam Capitulo Sede vacante, ipsiusque Vicario sunt concessæ. Flamin. Marchettus par. 2. Praxis Vicar. cap. tit. 19. n. 6. & seqq. cum aliis.

51 Potest etiam Capitulum Sede vacante, & constitutus per illud Vicarius Capitularis, dispensare in Interstitiis ad Ordines: intelligendo istud in casibus, in quibus potest dare licentiam suscipiendi Ordines: utputà, si quis sit arctatus. Garcias par. 5. de Benefic. cap. 7. n. 292. allegans Declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Marchettus, ubi suprà, tit. 14. n. 17. & seqq. & alii.

52 Insuper potestas dispensandi in votis, & juramentis, quæ de Jure communi competit Episcopis, subsistente rationabili causa, transit in Capitulum Sede vacante. Barbosa par. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 36. n. 9. Marchettus loc. cit. n. 37. & 39. citans alios. Hinc tamen excipiuntur quinque vota specialiter reservata, & in quibus

bus solus Papa dispensat: ut sunt votum Religionis, & perpetuæ Castitatis, item votum peregrinationis in Hierusalem, Romam ad Limina Apostolorum, & ad S. Jacobum Compostellæ.

53 Rursus Capitulum Sede vacante potest dispensare cum illegitimis ad minores Ordines, & ad Beneficium simplex obtinendum. Navarrus consil. 28. de Tempor. Ordin. Barbosa c. illa n. 9. h. t. & cap. 42. de Canonicis n. 81. Zerola par. 2. Praxis Episcop. V. Capitulum §. Tertiò. Marchettus cit. tit. nu. 3. allegans alios. Siquidem hæc potestas spectato Jure communi competit Episcopo c. 1. de Filiis Presbyt. in 6. sicque Sede vacante transit ad Capitulum, utpote succedens in jurisdictione ordinaria Episcopi.

54 Ulteriùs Capitulum Sede vacante, ac Vicarius Capitularis ipsius, potest in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad Forum contentiosum, dispensare. Idque virtute Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 6. de refor. relatis verbis hanc potestatem concedendis Episcopis, quæ proinde, utpote competens Episcopis tanquam Episcopis, ac jure ordinario, transit ad Capitulum Sede vacante; eò quòd succedat in jurisdictione ordinaria Episcopi. Ita Barbosa c. cap. 42. de Canonic. n. 82. & lib. 1 Jur. Ecclesiast. un. cap. 32. n. 62. asserens quod, Vicarium Capitularem Sede vacante posse absolvere à casibus Sess. 24. de refor. cap. 6. censuerit Sacr. Congregatio Concilii, sub die 3. Decembr. 1632. Eandem sententiam tenet Sperellus cit. decis. 111. nu. 41. Sanchez de Matrimon. lib. 8. disp. 2. n. 10. Garcias part. 5. de Benefic. cap. 7. n. 41. Flamin. Marchettus in Praxi Vicar. Capitul. cit. par. 2. tit. 14. nu. 9. pluresque alii ab his allegati, & concordant proximè dicenda n. 57.

55 His accedit casus magnæ necessitatis, vel evidentis utilitatis de novo emergens, estque periculum in mora, neque facile potest haberi recursus ad Papam: nam, quod tunc Episcopus possit dispensare ex rationabiliter præsumpta Summi Pontificis voluntate: adeoque etiam Capitulum Sede vacante, ne alioquin Oves curæ ipsorum concreditæ necessariis spiritualibus auxiliis destituerentur; præter ea, quæ n. 48. habetur, ex professo dictum est suprà L. 1. tit. 2. De Constitutionibus §. 18. nu. 470. & seqq. usque ad n. 475. ubi & nonnulli alii tales casus referuntur. Tacentur cæteri, de quibus Ant. Flamin. Marchettus in Praxi Vicarii capitularis per totum, aliique suprà citati.

56 Resp. II. Præmissis tamen haud obstantibus, Capitulum non succedit Episcopo in facultate dispensandi quoad ea, circa quæ Episcopus defunctus potuit solùm dispensare ex speciali privilegio, vel delegatione, seu commissione particulari: ac proinde speciales facultates dispensandi in certis casibus, à Summo Pontifice quibusdam Episcopis concessæ, neutiquam transeunt ad Capitulum Sede vacante. Ita Abbas c. Verùm nu. 9. & 10. & seqq. de Foro compet. Sperellus cit. decis. 111. n. 43. Card. Tuschus Litt. C. consil. 56. nu. 5. aliique passim. Siquidem privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona, juxta Reg. 7. Jur. in 6. junctis dictis suprà.

57 Dices. Potestas dispensandi in irregularitatibus occultis, juxta Concilium Trid. Sess. 14. cap. 6. de refor. competit Episcopis jure speciali: nam Concilium loc. cit. istud specialiter Episcopis concedit, dicendo: Liceat Episcopis in irregularitatibus dispensare; ergo hæc non competit Capitulo Sede vacante, contra dicta n. 54. Resp. cum Sperello, ubi suprà n. 43. & aliis, datam Conclusionem esse intelligendam de jure speciali delegato, seu de jure Episcopo competente ex commissione sibi directa, sicque de jure quopiam accidentali: qualis solet esse potestas dispensandi in certis causis, per Papam concessa nonnullis Episcopis ad quinquennium. Secùs dicendum de jure quopiam ordinario, atque Episcopis tanquam Episcopis specialiter quidem, sed Jure communi concesso: talis enim censetur ipsis esse jurisdictio ordinaria, utpote à Jure communi concessa, in qua proinde succedit Capitulum, cùm propter communionem, quæ inter ipsos intercedit, c. Novit. 4. De his quæ fiunt à Prælatis &c succedat Episcopo Sede vacante in jurisdictione ordinaria, præter casus specialiter exceptos.

58 Neque urget clem. 2. §. Hoc igitur Statu Monachor. ubi Episcopis Jure communi tribuitur potestas singulis annis visitandi singula Monasteria Monialium: & quidem exempta, Apostolica; non exempta verò, ordinaria auctoritate: & tamen hæc potestas non transit ad Capitulum Sede vacante. Resp. enim, ad hanc instantiam patere responsionem tum ex relato textu illius Clementinæ, tum ex dictis suprà n. 46. ibi quippe jam dictum est, quod Capitulum Sede vacante succedat in potestate visitandi Monasteria Monialium non exempta, eò quòd horum visitatio competat Episcopo authoritate ordinaria, quæ ipso mortuo transit ad Capitulum. Cur autem pariter non succedat Capitulum Sede vacante in potestate visitandi Monasteria exempta, ratio clara est: quia nimirum hæc potestas convenit Episcopo duntaxat speciali auctoritate Apostolica, in qua neutiquam succedit Capitulum Sede vacante: sicque per hanc instantiam non infringitur, sed potiùs confirmatur gemina Conclusio proximè data.

59 Quæritur III. In quibus aliis casibus Capitulum Sede vacante succedat, vel non succedat in Episcopali jurisdictione? Resp I. Generatim loquendo, circa propositam Quæstionem distinguendæ sunt tres species casuum, sunt enim aliqui, quos certum est posse Capitulum Sede vacante; quidam sunt, quos certum est, non posse; & nonnulli, de quibus dubitatur. Ita Jo. Andreas cap un. n. 1. de Major. & obed. in 6. Quod ipsum facile patebit inductione, adducendo in specie complures tales casus. Unde

60 Resp. II. Loquendo de prima specie hujusmodi casuum, certum imprimis est, quod Capitulum Sede vacante possit, imò de facto etiam debeat, constituere Vicarium in spiritualibus, & in temporalibus Oeconomum unum, vel plures fideles, & diligentes, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant; quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri prout loquitur imò & præcipit, Concilium Trid. Sess. 24. cap. 16. de refor. atque loquendo de Vicario Generali in spiritualibus, ex professo dictum fuit suprà lib. 1. tit. 28. §. 3 n. 70. & seq.

61 Ubi pariter notandum est conformiter dictis suprà cit. tit. 28. n. 72. & 111. quod potestas Capituli Sede vacante hactenus explicata, principaliter quidem resideat penes Capitulum: nihilominùs exercitium ejus, Jure sic disponente, existat penes Vicarium Capitularem, hoc est, ab eodem Capitulo deputatum. Et additur, deputatum: nam ante hujus deputationem, quæ debet fieri infrà octo dies post mortem Episcopi, administratio jurisdictionis resider penes totum Capitulum; prout cit. Lib. 1. tit. 28. nu. 111. juncto tit. 21. de Temporibus Ordinationum §. 5. nu. 125. jam dictum fuit.

62 Deinde conveniunt Doctores, quod Capitulum Sede vacante, sive constitutus ab eo Vicarius Capitularis, possit à sententia excommunicationis à jure, vel ab homine latæ, absolvere eos, quos jure ordinario poterat absolvere Episcopus: nisi à Sede Apostolica istud fuerit Capitulo interdictum. Textus est expressus in cap. un. de Major. & obed. in 6. Ubi Glossa vers. Juris, istud intelligit de quacunque excommunicatione Papæ non reservata: atque, V. Hominis, hoc ipsum sentit de excommunicatione lata per Episcopum mortuum, aut ejus Vicarium, vel Delegatum. Et quod hic dicitur de excommunicatione, pariter intelligendum est, & quidem à fortiori, de aliis Censuris: dummodò absolutio detur servatis de jure servandis, ac præsertim præstita satisfactione parti læsæ.

63 Ampliatur hoc ipsum ad potestatem ferendi Censuras. Licèt enim in cit. cap. un. de Major. & obed. sola fiat mentio de potestate absolvendi; idem tamen de potestate ferendi Censuras, passim intelligendi Interpretes, arg. can. Verbum, de pœnit. dist. 1. ibi: Dominus par jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Idipsum apertiùs habetur c. ad abolendam §. 1. de Hæretic. ac notat Glossa c. His quæ V. Pro bono pacis de Majoritat. & obed generaliter inferens, quod Capitulum Sede vacante possit judicare, absolvere, excommunicare. Fagnanus eod. c. His quæ n 49. asserens, ita tenere omnes; dummodò excipiatur anathematizatio, seu solemnis excommunicatio, de qua can. Debent 11. q. 3. Federicus de Senis consil. 40. à princip. Card. Tuschus Litt. C. Concl. 56. nu. 23. Barbosa par. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 96. n. 10. rationem reddens: quia ad Capitulum Sede vacante transeunt omnia, quæ sunt jurisdictionis necessariæ: ut est potestas excommunicationis promulgandæ. Engel h. t. n. 9. Ant. Flam. Marchettus in Praxi Vicarii Capitularis par. 2. tit. 22. n. 1. & seqq. citans plures alios; ac n. 6. & 7. cum

aliis subjungens, quod Vicarius Capitularis procul dubio possit excommunicationem promulgare ad finem revelandi bona deperdita, vel scripturas, aut similia, nec non ad restitutiones faciendas, ut animæ exeant à peccato.

64 Insuper certum est, quod Capitulum Sede vacante, seu deputatus ab ipso Vicarius Capitularis, possit absolvere à casibus Episcopo reservatis. Istud enim pertinet ad jurisdictionem ordinariam, & necessariam Episcopi; ne alioquin ex defectu Superioris potestatem absolvendi habentis, periculum immineat salutis animarum. Atque ob eandem rationem idem Capitulum potest instituere Confessarium, qui à Casibus Episcopo servatis absolvat. Abbas *c. His quæ n. 3. de Major. & obed.* Barbosa *c. Illa n. 7. h. t.* Card. Tuschus *Litt. C Concl. 56. n. 26. & 27.* & communis.

65 Rursus passim tenent Doctores, quod Capitulum Sede vacante possit confirmare electiones Abbatum, & aliorum jurisdictioni Episcopi defuncti subjectorum, per textum in *c. cùm olim 14. de Major. & obed.* Idemque præsentatos, atque per examen idoneos repertos, in Beneficiis instituere, *cap. un. de Institut. in 6.* estque ex professo declaratum suprà *tit. 5. de Præbendis §. 7. n. 89. & 90.*

66 Item concedunt, quod Capitulum Sede vacante possit facere quasdam salutares Constitutiones, ad correctionem criminum, morumque reformationem, ac bonum statum Ecclesiæ pertinentes, quæ obligent totam Diœcesim, durentque in tempus futuri Episcopi donec revocentur: estque ex professo dictum suprà *lib. 1. tit. 2. §. 4. n. 89. & seqq.* Ubi etiam *nu. 92.* subjungitur, Capitulum Sede vacante posse ex rationabili, gravique causa, tollere Constitutiones ab Antecessoribus Episcopis latas. Non tamen potest Capitulum Sede vacante facere statutum, vel certas Capitulationes in præjudicium Ecclesiæ, aut juris Episcopalis, etiamsi accesserit juramentum Canonicorum super harum observantia, *c. Sicut nostris 27. de jurejur.* estque ex professo dictum suprà *lib. 2. tit. 24. de jurejurando §. 3. n. 81. 82. & seqq.*

67 Potest quoque Capitulum Sede vacante, seu potiùs Vicarius Capitularis ipsius visitare Diœcesin, atque idcircò recipere procurationes, seu victualia sibi, suisque pro tempore necessaria. Fagnanus *c. His quæ n. 50. de Major. & obed.* post Rotam *in una Burgens. Procurationis 10. Martii 1597. coram Orano.* Barbosa *c. Illa n. 16. h. t.* Flamin. Marchettus *in Praxi Vicar. Capitul. par. 2. tit. 18. n. 1. & 2. ac n. 19. & seqq.* citans alios, atque istud inter alia intelligens, dummodo lapsus sit annus à postrema visitatione Antistitis, nec in proximo Ecclesia sit de Pastore providenda.

68 Quinimò potest etiam de delictis extra visitationem contra certas personas inquirere. Fagnanus *loc. cit. n. 51.* Rota *in Burgens. jurisdict. 21. Junii 1611. coram Cardin. Cavalerio*, & alia ejusdem Rotæ Decisio 166. *numer. 2. par. 3. recent.* Federicus de Senis *consil. 16. n. 1.* asserens, quod in puniendo crimina & excessus, & mores reformando, Capitulum id possit Sede vacante, quod potest Episcopus. Concordat Glossa *Clemen. 1. V. Capituli de Hæretic.* addita illa notabili ratione: quia *alias tempore vacationis remanerent crimina incorrecta*.

69 Nec obstat, quod Vicarius Generalis Episcopi viventis, ex vi generalis commissionis sibi factæ, non possit Inquirere, corrigere, aut punire subditorum excessus, *text. clar. c. Licet 2. de Offic. Vicar. in 6.* Resp. enim, disparitatem esse: quia Capitulum Sede vacante non dicitur propriè Vicarius, aut Procurator Episcopi defuncti, sed Successor ipsius, habetque ordinariam jurisdictionem à Lege, & sine ministerio hominis sibi delatam: unde potest infinita, quæ non potest Vicarius Episcopi; prout notat Federicus de Senis *consil. 30. circa med.* Ubi circa finem subjungit, quod Capitulum, in quantum succedit Episcopo, non sit inferius ipso: uti patet ex eo, quia juribus Episcopi utitur, atque absolvit excommunicatos ab Episcopo, juxta dicta *n. 62.* Inferior quippe hujusmodi excommunicatos absolvere non posset, *can. Inferior. dist. 21.* cum similibus.

70 Ulterius certum est, quod Capitulum Sede vacante possit assistere matrimonio celebrando, juxta formam Concilii Trid. *Sess. 24. cap. 1 de refor. Matrim.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 28. n. 5.* Barbosa *c. Illa n. 20. h. t.* Potest etiam cognoscere causas matrimoniales. Covarruvias *par. 2. de Matrimonio c. 8. §. 12. n. 2.* citans Franciscum Pavinum *in tract. de potestate Capituli Sede vacante part. 1. qu.* 10. Barbosa *lib. 1. Jur. Eccles. un. cap. 32. n. 102.* allegans alios. Ubi etiam ait, quod Concilium Trid. *Sess. 24. c. 20. de refor.* statuens, quod causæ matrimoniales Episcopi tantùm examini, & jurisdictioni relinquantur: solummodò excludat Prælatos inferiores, non verò Capitulum Sede vacante; eò quòd non sit inferius Episcopo, sed par ipsi.

71 Potest ulteriùs Capitulum Sede vacante exigere rationem ab Administratoribus Locorum piorum Barbosa *par. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 75. n. 61. & d. c. Illa n. 21. h. t.* citans alios. Insuper Capitulum Sede vacante succedit in episcopali jurisdictione compellendi Executores testamentarios, *arg. c. Joannes 19.* & notat Jo. Andreas *ib. n. 9.* & Abbas *n. 2. notat. 5.* & Fagnanus *n. 8. de Testamentis*. Atque, ut taceantur plura similia, de quibus alii.

72 Tandem in Capitulum Sede vacante transeunt illa, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut, conferre Ordines, Chrisma conficere, Basilicas consecrare, & hujusmodi. Non quidem, ut hæc per seipsum exerceat (nam ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, nequeunt exerceri per Clericum non Episcopum, *c. Quanto 4. de Consuet.*) sed ut illa exerceat per alium Episcopum, quem ad ejusmodi actus Episcopales invitabit, cum cautela tamen; nempe cum protestatione, quod per hoc nihil juris illi Episcopo acquiratur respectu Ecclesiæ vacantis. Glossa *fin. c. His qui* & Abbas *ibid. n. 3.* Hostiensis *n. 4.* & Jo. Andreas *n. 10.* & Fagnanus *nu. 64. & seqq. de Major. & obed.* Barbosa *lib. 1. Jur. Eccles. un. cap. 32. n. 113.* Idque probatur ex *can. Pontifices 7. quæst. 1.* juncta Glossa *V. cùm cautelæ & cap. cùm nullus, §. Episcopo de Tempor. Ordinat.* ubi Capitulum Sede vacante potest dare licentiam ordinandi.

73 Resp. II. Inter casus, quos certum est Capitulo Sede vacante non competere, præter prohibitam alienationem bonorum episcopalium, & collationem Beneficiorum ad collationem solius episcopi pertinentium &c. de quibus jam dictum: cum primis Capitulum Sede vacante non amplius succedit episcopo in potestate concedendi Litteras dimissorias ad Ordines infra annum à die vacationis, nisi illis, qui arctati fuerint; juxta novissimum Decretum Concilii Tridentini *Sess. 7. cap. 10. de refor.* estque ampliùs explicatum suprà *lib. 1. tit. 11. de Temporibus Ordinationum &c. §. 5. n. 120. & seq.*

74 Deinde capitulum Sede vacante non succedit in potestate deducendi jura episcopi in judicium, etiam defendendo. Abbas *c. Novit n. 4.* & Fagnanus *ib. n. 22. h. t.* Nam tempus Sedis vacantis non est conveniens ad aliquid agendum, vel tractandum super statu ecclesiæ, seu episcopi, *cit. c. Novit. 1. h. t.* ibi: *Attendentes igitur, quod episcopali sede vacante non debet aliquid innovari: cùm non sit, qui episcopale jus tueatur.* & concordant dicta superiùs *n. 15. & 16.*

75 Tertiò, capitulum Sede vacante non succedit in potestate supprimendi Præbendas, vel uniendi beneficia, quæ ob tenuitatem redituum ecclesiarum Cathedralium, & collegiatarum insignium, competit episcopo in vim Concilii Trid. *Sess. 24. cap. 15. de refor.* Siquidem hanc facultatem concessit Concilium Tridentinum duntaxat *Episcopis cum consensu Capituli:* unde id non potest solum capitulum; præsertim, cùm talis suppressio Præbendarum sapiat quandam alienationem, atque inducat diminutionem cultus Divini. Azorius *par. 2. lib. 3. cap. 38. quæst. 9.* Barbosa *par. 3. de Offic. & potest. episc. alleg. 67. n. 3. & lib. 1. Jur. Ecclesiast. un. cap. 32. n. 112.* citans alios.

76 Insuper Capitulum Sede vacante non concedit Litteras commendatitias, seu Formatas, quibus Clericus absolvitur à potestate sui episcopi, ac perhibetur testimonium de vita, & ordinibus ipsius, *arg. c. Fraternitati 5. de Cleric. non resident.* & notat Jo. Andreas *ibid. nu. 1.* addita illa ratione: Quia est quædam alienatio, *can. Fraternitatem dist. 71.* Fagnanus *c. Significasti n. 3. de Offic. Archid.* Card. Tuschus *Litt. C. Concl. 57. n. 36.* asserens, quod capitulum Sede vacante non possit Clerico dare licentiam transeundi ad aliam Ecclesiam, quia est alienatio.

77 Rursus capitulum non succedit episcopo in ejus jurisdictione accidentali, sed solùm in ordinaria. Card. Tuschus *Litt. C. Concl. 56. n. 47. & 48.* post Romanum *consil. 306. in fin.* Baldus *c. Ne pro defectu n. 7. de elect.* Istud probans ex *cap. 1. Ne sede vacante &c. in 6.* & concordant dicta superiùs *n. 42.*

78 Resp. III. Loquendo de tertia specie casuum, nempe eorum, de quibus dubitatur, an competant capitulo se-

de

de vacante, plures horum referuntur à Jo. Andrea *in c. un. n. 2. de Major. & obed. in 6.* & Abbate *c. cùm olim nu. 2. eod.* quindecim tales casus adducente, atque resolvente. Verùm de plerisque eorum hactenus jam dictum est: unde breviter solùm

80 Quæritur IV. An capitulum sede vacante succedat episcopo in dandis Indulgentiis? putà, concedendo Indulgentias centum annorum in Dedicatione ecclesiarum, vel Indulgentias quadraginta dierum in Anniversario dedicationis, & aliis de causis, juxta *c. cùm ex eo 14. de Pœnitent. & remission. & cap. ult.* juncta Glossa *V. Casibus eod. in 6.* Resp. In resolutione hujus quæstionis variare Doctores. Et quidem affirmativam sententiam, veluti probabiliorem, tenent Abbas *c. cùm olim n. 2. §. Tertiodecimo de Majorit. & obed.* & Azorius *par. 2. lib. 3 cap. 37. quæst. 9.* citans plures alios: ac sequitur Barbosa *par. 3. de offic. & potest. episc. alleg. 88 n. 21. & lib. 1. Jur. ecclesiast. un. cap. 32. n. 91.* allegans Doctores *in c. Accedentibus de excessib. prael.* Sylvester *vers. Capitulum quæst. 10.* Garcias *par. 1. praxis episcop. V. Indulgentia n. 2.* Ant. Flamin. Marchettus *par. 2. praxis vicar. cap. 24. num. 3.* allegans alios. Rationem dant: quia concedere Indulgentias, non est actus ordinis episcopalis, sed jurisdictionis; ut inquit D. Thomas *in 4. dist. 20. qu. 3. art. 3.* Atqui capitulum succedit episcopo in jurisdictione, non solùm contentiosa, sed etiam voluntaria, saltem quæ nulli præjudicat, neque casus reperitur in Jure exceptus.

81 Oppositam sententiam tenet Jo. Andreas *c. Accedentibus n. 2. de excessib. prælat.* Fagnanus *c. Illa n. 14. h. t.* citans plures alios, & asserens, hanc opinionem communiter teneri. Ratio esse potest: quia capitulum sede vacante non succedit in his, quæ sapiunt gratiam. Glossa *cap. 1. V. Præsentatos de Instit. in 6.* Simulque, quia potestas concedendi Indulgentias, videtur esse jurisdictionis extraordinariæ, atque de illis, quæ sunt reservata dignitati episcopali. Saltem tutius esse, ut ad effugiendam omnem contradictionem Capitulum Sede vacante istam Indulgentiarum elargitionem committat cuipiam Episcopo; fatetur Barbosa *cit. alleg. 88. n. 21.* & Marchettus *ubi suprà*, apud quem plura de potestate Vicarii Capitularis.

TITULUS X.

De his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 Sicut bonum commune Ecclesiarum exigit, quod Capitulum, Sede vacante, omnia pro libitu facere, atque ordinare non possit: ita pariter præfatum bonum commune requirit, ne plenaria, prorsusque à capitulo independens in omnibus potestas competat Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis. Quia igitur Titulo præcedenti actum fuit de iis, quæ potest, vel non potest Capitulum Sede vacante: meritò subjungitur præsens Rubrica de potestate Episcoporum, aliorumque prælatorum, tractandi negotia sua Ecclesiæ, cum vel sine consensu sui Capituli. Pro cujus clariori discussione sit

§. I.

De consensu, & consilio Capituli, & quando requiratur ad Acta Prælatorum?

SUMMARIUM.

2 *Inter* Consensum, & Consilium, *est longa differentia.*
Consilium nemo cogitur sequi. Ibid.
3 *Et cur nihilominus aliquando prælatus cogatur adhibere consilium capituli?*
4 *Consilium quandoque sumitur pro Consensu.*
5 *Consilium reverentia obligat, estque servandum.*
6 *In quibus casibus generatim requiratur consensus Capituli? Et nu. seqq.*
Hæc quæstio procedit non solùm de Capitulo Cathedrali respectu episcopi, sed etiam de Capitulis inferiorum ecclesiarum, & Monasteriorum respectu proprii Prælati. Ibid.
7 *Minora negotia potest episcopus, seu prælatus sine consilio, vel saltem sine consensu Capituli peragere: non verò majora.*
8 *Seclusa speciali locorum consuetudine.*
9 *Istud amplius probatur. Et n. seqq.*
Consilium Capituli Superior sequi non cogitur. Ibid. & num. 2.
10 *Benè tamen adhibere, ubi id de jure requiritur; & quidem sub nullitate actus. Et n. 3.*
11 *Ubi requiritur consensus Capituli, non sufficit ejus consilium adhibere.*
12 *Generatim requiritur consensus Capituli in omnibus illis, in quibus vertitur ecclesiæ, vel Capituli interesse seu præjudicium.*
13 *In quibus casibus in specie requiratur consensus capituli? Et n. seqq.*
Hic non requiritur, quando episcopus procedit ut delegatus Sedis Apostolicæ. Ibid.
14 *Consensus capituli requiritur in alienatione rerum ad ecclesiam, vel capitulum pertinentium &c.*
15 *Item, quando agitur de subjectione capituli.*
16 *Et quoad obligationem ecclesiæ, v. g. ex Deposito, Fidejussione &c.*
17 *Item, quando collatio beneficiorum communiter spectat ad episcopum & capitulum.*
18 *Quod ampliatur ad alia, quæ spectant ad episcopum & capitulum simul.*
19 *Consensus capituli requiritur in suppressione canonicatuũ, & unione beneficiorum, propter tenuitatem præbendarum in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis insignibus.*
20 *Item in unione beneficiorum ex aliis causis.*
21 *Istud locum non habet in unione cujuspiam ecclesiæ facta Mensæ episcopali, aut ipsi capitulo: quia tunc requiritur auctoritas Papæ.*
22 *Solvitur instantia.*
23 *Spectato Jure communi, requiritur consensus capituli in inquirendis, puniendisque excessibus subditorum.*
Et quid loquendo de consuetudine? Ibid. & n. 26.
24 *Qualiter requiratur consensus capituli in ventilatione causarum criminalium contra personas in dignitate ecclesiastica constitutas?*
25 *Cõsensus capituli requiritur generaliter in omnibus causis in quibus alicubi viget consuetudo eundem adhibendi.*
26 *Valet consuetudo, in præmissis casibus non requirendi consensum capituli.*
27 *Eaque passim introductum est, ut in plerisque casibus episcopi sine consilio, vel consensu capituli, procedere valeat.*
28 *Solvitur instantia ex* c. Novit. h. t. *desumpta.*
29 *Quænam negotia per episcopum expediri debeant cum consilio capituli? Et n. seqq.*
Spectato Jure communi, episcopus non nisi cum consilio capituli in beneficiis instituere, vel destituere debet Abbates, Abbatissas, aliasque personas ecclesiasticas. Ibid.
30 *Atque olim in Ordinatione clericorum tenebatur adhibere consilium capituli: secùs de facto.*
31 *Episcopus de capituli consilio debet providere, ut habeatur lectio Sacræ Scripturæ, doceaturque Grammatica &c.*
32 *Potest Episcopus convocare capitulum, eique aliud ad deliberandum proponere &c. Et n. seqq.*
33 & 34 *Et quid, si de re ad episcopi, vel suorum commodum spectante agatur.*

Quæ-

2 Quæritur I. In quo differat Consensus à Consilio? Resp. I. Inter Consensum, & Consilium, longa est differentia, ut loquitur Abbas *cap. 1. n. 5. h. t.* Hostiensis *in Summa eod. n. 2. V. Sed quæ est differentia.* Pirhing *h. t. n.* 18 & Engel *n. 1. eod.* cum aliis. Nam *consensus* idem est, *ac duorum, vel plurium sensus in idem*; juxta textum *in caus. 19. q. 1. §. 2.* Unde, quando requiritur, consensus Capituli, tenetur Prælatus sequi id, quod major & sanior pars Capitularium concluserit; alioquin nulliter agit, *cap. 1. ac seqq. h. t.* Si autem tantummodò requiratur consilium Capituli, sola consultatio cum Capitularibus capitulariter congregatis facta sufficiet, absque eo, quod Prælatus eorum opinionem sequi teneatur: prout est casus notabilis *in c. cùm olim 7.* juncta Glossa *V. sive discord. de Arbitris.* Siquidem nullus cogitur sequi consilium alterius, etiamsi illud petere teneatur, *arg. cit. cap. cùm olim de Arbitris & c. cùm in veteri 52. de Elect.* ac sæpius respondisse Sacram Congregationem Concilii, refert Fagnanus *c. cùm ex eo nu. 20. de Reliquiis & venerat. Sanctor.* Quinimò quilibet apud seipsum explorare, ac deliberare debet, an illud, quod alios consulit, sibi expediat, nec ne, *can. Quisquis 14. q. 1. & L. 1. ff. Mandati.* In quo posteriori loco dicitur; *Liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium.*

3 Nec dicas. Ergo frustrà Prælatus aliquando cogitur consilium Capituli adhibere, si non tenetur sequi sententiam ipsius. Resp. enim cum Glossa *cit. c. cùm olim V. sive discordet. de Arbitr.* & DD. passim, negando sequelam. Quinimò talis prævia consultatio cum Capitulo habita, potest ad multa esse utilis: tum quia hac ratione, sive ob necessitatem requirendi consilium Capituli, occurritur præcipitantiæ Prælati; cogiturque Prælatus meliùs deliberare negotium, & illud matùriùs resolvere. Tum quia potest quandoque consilium Capituli movere Prælatum ad aliquid faciendum, quod forsitan per se non fecisset, *arg. c. Nicæna dist. 31:* Nam, ut habet illud vulgatum: *Oculi plus vident, quam oculus.* Hinc illud *Eccles. c. 32.* Cœleste Monitum: *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Atque idcircò non frustraneè Jura in certis casibus statuerunt, quod Prælatus teneatur adhibere consilium capituli, etiam sub nullitate actus isto non adhibito celebrati: ut *c. cùm in veteri 52. de elect.* cum similibus.

4 Resp. II. His tamen non obstantibus *Consilium* quandoque accipitur pro *Consensu*, seu authoritate Superioris. Ita Fagnanus *c. Admonet. n. 3.* citans Butrium *ib. n. 5. & 6.* & Cardinalem *in 3. Not. de renunciat.* Atque clarè innuit textus ibidem, utpote prohibens, ne quis Clericorum audeat Ecclesias *dimittere inconsulto* Episcopo: nam ly, *inconsulto*, idem importat, ac sine consensu Episcopi; prout explicat Glossa *ib. V. inconsulto.* Neque enim ad dimittendum Beneficium sufficit consulere Prælatum; sed oportet illius consensum obtinere, *can. episcopus de loco, & can. Si quis presbyt. 7. quæst. 1.* cum concordantiis. Simile quid habetur in Concilio Trid. *Sess. 23. cap. 16. de refor.* illis verbis: *Quod si locum inconsulto episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur.* Nam ly, *inconsulto*, importare defectum consensus Episcopalis, patet ex contextu verborum; ac notat Fagnanus *loc. cit. n. 13.*

5 Tacetur Consilium reverentiæ: nam quod illud obliget, ac proinde necessariò sit observandum, patet ex *c. Ad aures*, juncta Glossa *fin. de Ætate & qualit. præficiend.* estque jam dictum suprà *lib. 1. tit. 2. de Constitutionibus, §. nu. 159. & 160.*

6 Quæritur II. In quibus casibus, seu negotiis, generatim requiratur consensus Capituli? Hæc quæstio non solùm procedit de capitulo Cathedrali respectu Episcopi; sed etiam de Capitulo inferiorum Ecclesiarum, imò & Monasteriorum respectu proprii Prælati: nam in istis omnibus reperitur ratio unius corporis mystici, cujus caput est Episcopus, aliusque prælatus, membra verò esse, probantur Canonici, aut (loquendo de Monasteriis) cæteri Religiosi, seu Conventuales, *arg. c. Novit. 4. h. t.* Insuper quæstio procedit duntaxat de bonis, atque juribus communibus, seu quæ ratione Ecclesiæ, atque unitatis corporis mystici, competunt singulis ut Collegio: nam, quod Episcopus, aliusque Prælatus capax dominii rerum in particulari, liberè disponere possit de bonis suis patrimonialibus, extra controversiam est. Quibus prænotatis

7 Resp. I. Generatim loquendo, ac seclusa speciali locorum consuetudine, minora negotia potest Episcopus, seu alius Prælatus sine consilio, vel saltem sine consensu Capituli peragere; majora verò negotia, debet expedire cum consensu, vel saltem cum consilio Capituli: cum *consensu* quidem, quando is expressè requiratur à Jure: cum *consilio* verò, quando Jus vel expressè requirit consilium Capituli, vel saltem ipsamet res est gravis & ardua, majorisque momenti. Ita in re communis; & ratio generalis est: quia Capitulum cum Episcopo, vel alio Prælato suo, constituit unum corpus, cujus caput est Episcopus, seu Prælatus, Capitulum verò repræsentat membra illius corporis: atque ideò in rectè agendis non debent dividi, & separari membra à capite; quia hoc esset monstrosum: Eadem Conclusio probatur quoad singula. Nam

Dicitur imprimis, *Generatim loquendo, ac seclusa speciali locorum consuetudine &c.* 8 Siquidem data Conclusio stat loco regulæ, quæ procedit spectato Jure communi, ac seclusa speciali locorum, seu Ecclesiarum consuetudine: nam quod consuetudo in proposito plurimùm valeat, ac proinde in praxi benè sit attendenda, ex professo dicetur infrà *n. 25. 26. & seq.*

Dicitur secundò sub disjunctione, *minora negotia potest* 9 *Prælatus sine consilio, vel saltem sine consensu Capituli peragere.* Nam in hisce minoribus negotiis consensum Capituli non requiri, fatentur omnes: eò quòd ipsemet Prælatus habeat administrationem rerum suæ Ecclesiæ, *cap. cùm nobis 19. §. fin. de elect.* Sicut & Abbas totam potestatem habet circa cultum Divinum, aliasque res Monasterii sui, *can. Nullam 18. q. 2.* Unde consequens est, quod in minoribus negotiis non requiratur consensus Capituli; sed sufficiat adhibere consilium ipsius, quod tamen Superior sequi non cogitur, *arg. c. cùm olim 7. de Arbitris.* Quinimò in rebus levioribus atque quotidianis, nec opus est consilio Capituli, utpote quod impossibile foret semper congregare: & alioquin frustra committeretur Prælatis administratio rerum Ecclesiasticarum, si in omnibus opus haberent consensu, vel saltem consilio Capituli.

Dicitur tandem in data Conclusione, *majora verò nego-* 10 *tia debet expedire cum consensu, vel saltem cum consilio Capituli &c.* Istud siquidem patet ex toto hoc Titulo, cum concordantiis. Unde quæ peragenda sunt cum consilio Capituli secundùm præscriptum Juris, non obstante, quod ejus consilium Prælatus sequi non teneatur, tamen si tale consilium is non adhibeat, irrita erunt Acta ejus; uti habetur *c. Novit. 4. h. t.* ibi: *Nos enim tales institutiones, & destitutiones (sine consilio Fratrum, seu Capituli factas à Prælato) carere decernimus robore firmitatis.* Idem constat ex *c. Quanto 5. eod. & c. cùm olim 7. de Arbitris.*

Econtrà, si quæ agenda sunt cum consensu Capituli, 11 non sufficit duntaxat consilium ipsius adhibere; sed opus est etiam consensu Capituli, vel saltem majoris & sanioris partis ejus. Textus est in *cap. 1. & c. Tua nuper. 8. & c. Pastoralis 9. h. t.* & alibi.

Resp. II. Generatim requiritur consensus Capituli in 12 omnibus illis casibus, seu negotiis, in quibus vertitur Ecclesiæ, aut ipsius Capituli interesse, sive præjudicium. Ita Abbas *cit. c. Novit. n. 7. h. t.* Barbosa *tract. de Canonic. & Dignit. cap. 42. n. 14.* Plasecius *in Praxi Episcopal. par. 2. cap. 2. art. .. n. 8.* Pirhing *h. t. nu. 16.* Engel *eod. nu. 3.* & alii. Idque desumitur ex *c. ult. h. t.* ubi ad Concilia Provincialia convocari, & admitti debent Ecclesiarum Cathedralium Capitula, seu eorum Nuntii ad tractandum maximè super illis, quæ ipsa Capitula contingere dignoscuntur. Idque meritò: quia, quod omnes, vel aliquos tangit, debet ab ipsis approbari; sicque requiritur consensus eorum, nec sufficit consilium; ut *c. Quod omnes 29. de Reg. Jur. in 6. & l. In concedendo ff. de Aqua pluvia arcend.* cum similibus. Alioquin certè per indiscretas quorundam Prælatorum actiones, putà, alienationes, facile præjudicium grave inferretur capitulo, rebusque Ecclesiasticis ad istud pertinentibus. Verùm descendendo ad specialiora

Quæritur III. In quibus casibus in specie de Jure com- 13 muni requiratur consensus Capituli? Resp. I. Hujusmodi casus, seu negotia, in quibus spectato Jure communi requiritur consensus Capituli, plura sunt: ut videre est apud Abbatem in *c. Novit. n. 7. h. t.* Hostiensem in Summa *n. 2. eod.* Piasecium *par. 2. Praxi Episcop. cap. 2. art. 2. nu. 8. & 9.* Barbosam *cit. tract. de Canonic. & dignitat. cap. 42. à n. 3. usque ad n. 15.* & alios passim. Quamquam notet

tet idem Barbosa *n. 14. circa fin.* post Theodosium de Rubeis *tom. 2. Singularium Rot. quæst. 3. V. Abbas §. 4.* ejusmodi casus esse intelligendos, quando Episcopus procedit jure ordinario: nam in illis, in quibus procedit ut Delegatus Sedis Apostolicæ, v. g. vigore Concilii Tridentini, nullam Episcopus habet communionem cum Capitulo; sicque non indiget hujus consensu; neque consilio. Hoc ipsum tradit Fagnanus *c. Ad audientiam il 1. n. 53. & 54. de Eccles. ædif.* [illegible] asserens, quod in actibus illis, qui per Episcopum fiunt auctoritate delegata, non requiratur Capituli consensus; cùm Papa, cujus vices gerit Delegatus, ad illius consensum requirendum non astringatur.

14 Resp. II. Descendendo ad enumerationem talium casuum in specie, cum primis requiritur consensus capituli, neque sufficit consilium illius, in alienatione rerum ad Ecclesiam, vel capitulum pertinentium. Textus est in *can. Sine exceptione 12. quæst. 2. & cap. 1. h. t.* ubi irrita dicitur *episcoporum dona[illegible], vel commutatio rei ecclesiasticæ, absque [illegible] subscriptione Clericorum*, sive capituli. Quamvis Glossa *ibid. V. Commutatio*, rectè notet, istud esse intelligendum de re magna, putà, immobili, vel mobili pretiosa: parvam enim rem donare [illegible], benè potest Prælatus sine præfata solemnitate, [illegible] *de donation. & can. Terrulas 12. q. 2.* [illegible] seu quod alienatio rerum ecclesiasticarum absque consensu capituli, & non servatis cæteris solemnitatibus juris facta, non teneat, patet ex *cap. 2. & 3. & 8. h. t.* cum similibus: atque ex professo dicetur infrà *tit. 13. de Rebus eccles. non alienandis.*

15 Deinde requiritur consensus capituli, quando agitur de ejusdem subjectione [illegible] *de Majorit. & obed.* Ubi Papa, [illegible] velùti Primati. [illegible]

16 Tertiò requiritur [illegible] nem ecclesiæ; [illegible] dejussione, aut mutuo, vel gravi donatione [illegible] *c. 1. de Deposito, & c. Quod quibusdam 4. de Fidejussoribus. c. 2. de Solut. & c. Fraternitatem 2. de Donationib.* Hostiensis, ubi suprà *n. 2.* atque in propriis locis ampliùs dicetur.

17 Quartò, si collatio beneficiorum communiter spectet ad Episcopum (vel alium Prælatum) & capitulum [illegible] Episcopus, sive alius Prælatus [illegible] ad benefi[illegible] limita[illegible] vel privilegio compe[illegible] Concord[illegible] superius [illegible]

18 Atque illud ampli[illegible] spectant ad Episcopum & Capitulum [illegible] jurisdictiones [illegible] invicem convenerunt [illegible] Sede Apostolica [illegible] speciali casu mandatum. Barbosa [illegible] *tract. de Canonic. & dignit. cap. 42. n. 14.* [illegible] Alioquin verò capitu[illegible] Mensa [illegible] potest [illegible] possunt alii Rectores [illegible] Tuschus *Litt. C.* [illegible] *1. & seqq.* [illegible]

19 Quintò [illegible] consensus capituli in suppressione [illegible] beneficiorum simpli[illegible]

20 [illegible]

Solùm nota, quod istud locum non habeat in unione cujuspiam ecclesiæ facta Mensæ Episcopali, aut ipsi capitulo. Nam, *si episcopus (sui* [illegible] *capituli accedente consensu) Mensæ suæ, vel ipsi capitulo, aliquam duxerit ecclesiam uniendam, hoc irritum esse* [illegible] *& inane, contraria quavis consuetudine non obstante*: inquit Pontifex in *clem. Si una §. fin. De rebus eccles. non alienand.* Et ratio est; quia episcopus, sive capitulum, non potest auctorizare in facto proprio, *L. 1. & l. Pupillus ff. de Author.* [illegible] *&* [illegible] *de Instit.* ac notat Glossa *in cit. Clem. V. Mensæ* [illegible] inde inferens, quod ad talem unionem authorizandam sit recurrendum ad Papam. Quod ipsum tradit Abbas *in Clem. Si una n. 6.* Garcias [illegible] *par. 12. cap. 2. n. 168.* post Rotam *in Perusina* [illegible] *Julii 1608. coram D. Penna*, & Barbosa *cit.* [illegible] *de Canonic. & dignitat. nu. 11.* aliique plures: qui [illegible], quod in unione, quæ fit ad favorem capituli, [illegible] non poterit auctorizare, requiratur auctoritas Summi Pontificis; etiamsi talis unio fiat ab episcopo, tanquam delegato Sedis Apostolicæ, virtute Concilii Tridentini *Sess. 24. cap. 5. de refor.* 21

22 Nec [illegible] obstant dicta paulò superiùs *n. 19.* ubi virtute Concilii [illegible] licet episcopis unire cum consensu capituli beneficia simplicia præbendis Ecclesiarum Cathedralium [illegible]. Resp. enim, aliud esse præbendam [illegible], vel capituli: aliud, ipsum capitulum [illegible] vel præbendæ, ex causa allegata [illegible] beneficii simplicis virtute citati Concilii Trid. [illegible] *decis. 788. n. 4. par. 1. Divers.* quam allegat Garcias *loc. cit. n. 170.* & Barbosa *d. n. 11.* cum aliis. [illegible] ubi unio fieret ipsimet Mensæ Episcopali, vel capitulo.

23 Septimò, spectato Jure communi requiritur consensus capituli in [illegible] & corrigendis subditorum [illegible] sententia Episcopi [illegible] cenda *n. 2*[illegible]

24 Octavò requiritur consensus capituli, seu potiùs [illegible] rum. [illegible], à capitulo circa [illegible] electionum in ventilatione causarum criminalium contra personas in dignitate ecclesiastica constitutas, vel de collegio capituli ecclesiæ [illegible], aut collegiatæ existentis: prout uberiùs [illegible] in Concilio Trid. *Sess. 25. c. 6. de ref.* [illegible]

25 [illegible]

Quæritur IV. [illegible]

Prælatus, ut solus sine consensu Capituli possit v. g. instituere in beneficio, illis verbis: *Nisi ex antiqua & approbata consuetudine, vel concessa libertate* (id est, privilegio, ut explicat Glossa *ibid.* ℣. *Libertate*) probatur, non requiri consensum Capituli. Concordat textus expressus *in cap.* [illegible] *de Consuet. in 6.* sic loquens: *Non est* (*dum tamen aliàs* [illegible]) *consuetudo, quam allegat Episcopus,* [illegible] *punienda,* [illegible] *consensum sui Capituli requiri* [illegible] defunitur ex [illegible] *Eccle-* [illegible] junctis illis, quæ *in lib. 1.* [illegible] de Consuet. [illegible] fuerunt.

27 [illegible] Ludov. Engel [illegible] *Forens. cap.* [illegible] & Zerolam *in Praxi Episcop. part. 1.* ℣. *Capitulum n. 8.* asserat, consuetudine, vel præscriptione passim introductum esse, ut in plerisque casibus sine consilio, vel consensu Capituli, Episcopi procedere valeant. Quinimò Nicol. Garcias *par.* [illegible] *n. 139.* (mihi *Fol.* [illegible]) refert. Lambertinum *de Jure patronat. 3 par.* [illegible] quid [illegible] possumus dicere. [illegible] lume, *De his quæ fiunt à Prælatis* [illegible] cessisse ab Auth. quia Episcopi [illegible] sine consensu Capituli. Quod [illegible] hic & nunc reverà [illegible] quo- runt interesse re[illegible] nam [illegible] *in 6.* [illegible]

28 [illegible] *Vi-* [illegible]

[illegible]

ipsa Capitula contingere dignoscuntur, habet *c. ult. eod.* Quamquam etiam in proposito attendendæ sint laudabiles, & canonicè præscriptæ consuetudines Ecclesiarum; conformiter dictis *n. 25. & 26.*

Resp. II. Insuper spectato Jure communi antiquo, Episcopus in ordinatione Clericorum, seu in Ordinibus conferendis, consilium Canonicorum, sive Capituli adhibere tenetur, *can. Episcopus sine dist. 24.* juncta Glossa *ibid.* Defacto tamen sufficit, examen Ordinandorum instituere juxta Decretum Concilii Trid. *Sess. 23. cap. 4. & 5. ac 7. de refor.* 30

Rursus vigore Concilii Trid. *Sess. 5. cap. 1. de refor.* Episcopus de Capituli consilio debet providere, ut habeatur Sacræ Scripturæ, seu Theologiæ Lectio, atque in hunc finem cum consilio Capituli eligere idoneum Magistrum, qui Clericos, aliosque Scholares pauperes Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa Sacræ Scripturæ studia, annuente Deo, transire valeant. 31

Resp. III. Ad meliorem causarum expeditionem, seu decisionem, potest Episcopus Canonicis capitulariter congregatis aliquid ad deliberandum proponere; imò & in hunc finem Capitulum convocare, votaque ipsorum exquirere, & juxta ea concludere: dummodo *de re ad suum,* [illegible] *commodum spectante non agatur.* Ita Concilium Trid. *Sess. 25. cap. 6.* ℣. *Qui si aliquid de refor.* Eo tamen addito, quod *absente Episcopo omnino hoc ab iis* [illegible] *ad quos hoc de jure, vel consuetudine spectat,* [illegible] *Episcopi admittatur &c.* 32

Additur notanter, dummodo *de re ad suum,* [illegible] *commodum spectante, non agatur.* Quia casum illum expressis verbis Concilium *loc. cit.* excipit: ac proinde, si talis casus Capitulo ad deliberandum proponeretur, non posset Episcopus interesse, votaque Canonicorum exquirere. Diminueretur enim facultas liberè votandi, ob respectum propriæ Episcopi: ulmque, cùm Episcopus non possit esse judex in propria causa, nullum huic competeret votum decisivum Barb. *tract. de Canon. & Dignit. c. 35. n. 9.* post Armandarium *lib. 7. de Episcopis n. 48.* & alios [illegible] 33

Secus dicendum de rebus ad Episcopale [illegible] in quibus ipse judex esse [illegible] tunc [illegible] ad deliberandum proponere [illegible], poterit Episcopus Capitulum convocare, vota [illegible] Canonicorum exquirere, ac juxta ea concludere. [illegible] *3. de* [illegible] *potest. Episc.* [illegible] *& Dignit. c. 35.* [illegible] atque referens Declarationem Sac. Congregationis Concilii, [illegible] *2. Martii 1619.* Et quamvis Episcopus [illegible] vel suorum commodo [illegible] possit Capitulum [illegible] atque rem ad deliberandum [illegible] Canonicos Capitulariter [illegible] & deter[illegible] Barbosa *tract. de Canonic. c. 35. n. 9.* citans [illegible] 34

§. II.

Utrum Prælatus absque consensu Capituli possit repudiare Legatum factum Ecclesiæ præsertim de rebus immobilibus?

[illegible]

Prælatus tenetur procurare utilitatem Ecclesiæ sibi commissæ. Num. 37. & n. 53.

44 *Repudiatio legati per Pupillum facta, dicitur alienatio; & quomodo?*

Disparitas inter Prælatum, & Pupillum, quoad repudiationem legati. Et n. 43.

45 *Repudiatio legati per Prælatum facta, non est vera alienatio. Et n. 41.*

46 *Legatum incontinenti acquiritur Legatario: & quomodo? Et num. 35.*

47 *& 48 Solvuntur ceteræ rationes negativæ sententiæ. Et*

49 *Proponuntur aliæ Objectiones, & solvuntur.*

Pollicitatio facta Reipublicæ, vel Civitati, an obliget ante acceptationem? Ibid.

50 *Votum obligat ante aliam acceptationem hominis, non autem Legatum Ecclesiæ factum.*

Invito beneficium non tribuitur. *Ibid.*

Inter pollicitationes, & legata, est magna disparitas. Ib.

51 *& 52 Ecclesia, an fungatur jure Pupilli?*

53 *Repudiatio legati Ecclesiæ facti est illicita, & peccaminosa, si fiat absque justa causa; teneturque Prælatus ad satisfaciendum Ecclesiæ. Et n. 48.*

54 *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. Remissivè.*

55 *Quando Prælatus malè repudiavit Legatum, potest Ecclesia graviter læsa petere restitutionem in integrum.*

35 Celebris est hæc Quæstio, & tam inter Theologos, quam Canonistas multùm controversa, loquendo tamen de re immobili: nam res mobiles Ecclesiæ posse per Prælatum alienari, sicque etiam validè repudiari, aliunde patebit. Verùm loquendo de rebus immobilibus ratio dubitandi, simulque sententiam negativam tenendi, est: quia Prælatus solus (hoc est, absque consensu Capituli, servatisque cæteris solemnitatibus juris) nequit alienare bona Ecclesiæ, præsertim immobilia, *can. Monemus 12. q. 2. & c. ult. de Rebus Ecclesi. non alienand.* cum similibus. Atqui Prælatus repudiando hujusmodi legatum, alienaret rem Ecclesiæ; ergo. Minor probatur multipliciter. Nam imprimis talis repudiatio legati, in Jure expressè dicitur alienatio, *l. Magis puto §. Fundum ff. de Rebus eorum, qui sub tutela, &c.* ibi, *Fundum autem legatum repudiare sine prætoris authoritate non potest: esse enim & hanc alienationem cùm res sit pupilli, nemo dubitat.* Deinde legatum acquiritur incontinenti ipsi Ecclesiæ, cui fit, *l. A Titio ff. de Furtis,* ibi: *Ea quæ leguntur, rectâ via ab eo, qui legavit, ad eum cui legata sunt, transeunt.* Et acquiritur etiam ignoranti, *l. cùm pater §. Surdo ff. de Legat. II.* Ubi Summarium rectè ait: *Legationus, & emolumentum quæritur etiam ignorantibus,* cum concordantiis. Et consequenter Prælatus legatum Ecclesiæ repudians, verè alienaret rem Ecclesiæ: quod tamen non potest.

36 Nec sufficit, si dicatur, quòd ante acceptationem necdum Ecclesiæ sit acquisitum jus in re, sed tantùm jus ad rem. Nam contrà est: quia imprimis per suam renunciationem nequit Prælatus Ecclesiam tali jure ad rem, sibi jam quæsito, privare: alioquin illud alienaret, atque Ecclesiæ conditionem quoad jus ad rem jam quæsitum, faceret deteriorem. Insuper jus ad rem parit actionem, ut certum est; atqui cessio actionum nequit fieri sine solemnitatibus juris; quia est species alienationis, *l. Bonorum 49. ff. de Verb. signif.* ubi dicitur: *Æquè bonis annumerabitur etiam, si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus: nam hæc omnia in bonis esse videntur.* Accedit textus *in l. Qui actionem ff. de Reg. jur.* ibi: *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.*

37 Confirmatur idipsum ex eo. Quia Prælatus tenetur procurare utilitatem Ecclesiæ sibi commissæ, eidemque acquirere, quantùm potest: alias tenetur de suo satisfacere, *can. Quicunque 12. q. 4.* & Glossa *ibid. vers. Aut neglectum,* juncto *can. Sine exceptione 12. q. 2.* Gl. *ibid. vers. Profuturum,* cum similibus. Atqui istud non fieret, repudiando legatum Ecclesiæ factum: nam non acquirere, est insidiari, per textum *in L. 1. Confertur ff. de Collation. bonor.* ibi: *Cæterùm si id egerit, ne quid acquireret -- hic etiam sibi insidiatus est.* Accedit Reg. 76. Jur. in 6. *Delictum personæ* (puta, Prælati malitiosè repudiantis legatum Ecclesiæ factum) *non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare:* atqui istud fieret, si valeret ejusmodi repudiatio; ergo. Atque ob hasce potissimùm rationes, sententiam negativam, tenent multi Doctores: ut Baldus in *l. Contra juris §. 1. ff. de Pactis.* Ancharanus *c. Ut super n. 6.* & Joan. de Imola *ibid. de Rebus Ecclesi. non alienand.* Alexander *in l. Legatum ff. de Legat. I.* Angelus *vers. Alienatio n. 16.* citans Paulum de Castro *Consil. 2.* Azorius *part. 2. lib. 9. cap. 1. q. 12.* hanc sententiam appellans probabiliorem: Quaranta in *Summa Bullarii v. Alienatio rerum Ecclesi.* allegans Molinam *de Contract. disp. 468. n. 11.* Pinellum *de Bonis maternis lib. 1. part. 3. n. 103.* & alios: hancque sententiam theoricè probabiliorem censet Ludov. Engel *Tit. de Rebus Ecclesi. non alienand. n. 9.* etsi cæteroquin problematicè procedat. His tamen non obstantibus

Resp. I. Etsi allata sententia sit multùm probabilis, uti patet tum ex rationibus, tum authoritatibus pro ea allatis: opposita tamen sententia videtur probabilior, magisque in Jure fundata, videlicet validam esse repudiationem Legati etiam rei immobilis, factam à Prælato Ecclesiæ; quamvis hujusmodi Prælatus, qui sine justa causa repudiavit, malè egerit, possitque compelli, ut de suo, si habet, satisfaciat Ecclesiæ, utpote quam damnificavit, simulque Ecclesia sic graviter læsa, implorare valeat beneficium restitutionis in integrum. Et quidem posterior pars hujus Conclusionis est communis, atque ex professo probabitur infrà *n. 53. ac seqq.* Priorem verò partem, asserentem videlicet, quod valida sit ejusmodi repudiatio legati, videtur tenere Glossa *can. Illud §. Si vero 16. q. 6. vers. Meliorem,* dicens, quòd quidem in acquisitis Prælatus non possit conditionem Ecclesiæ facere deteriorem: benè tamen in acquirendis: ut *l. Ex libris C. de Acquirend. possess.* Eandemque sententiam apertè tenet Federicus de Senis *Consil. 9.* cujus authoritas est magna, quique vir fuit excellentissimus, & præcipuus Decretorum Doctor in toto mundo; ut inquit Jason mox citandus. Abbas *c. 1. n. 20. seq. de Dolo & contumac. & cap. Tua nuper n. 9. De his, quæ fiunt à Prælatis &c.* subjungens tamen, casum esse dubium. Ludovic. Romanus *Consil. 184.* Jason *l. Legatum servo num. 15. & seqq ff. de Legat. I.* ubi *num. 19.* istam opinionem reputat communem, quam etiam tenet Bartolus *l. Tutor circa fin. ff. de Bonor. possess.* asserens, quòd hæreditatem delatam Monacho poterit Abbas repudiare. Et Baldus, sibi contrarius, *in l. Pupillorum Cod. de Repudiand. hæredit.* & alii per Jasonem, *ubi suprà n. 16.* pro hac sententia citati. Zoesius *tit. de Reb. Ecclesi. non alienand. num. 7.* Card. de Luca *de Donationib. Discurs. 23. num. 16.* Barbosa *part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 95. numer. 52.* citans Rotam *Divers. decis. 30. lib. 2. part. 3. & decis. 233. num. 6. & decis. 284. numer. 2. part. 3. lib. 3.* & alios. Lessius *lib. 2. de Justit. & jur. cap. 24. num. 65.* Sylvester *vers. Alienatio num. 18.* & Sanchez *lib. 6. de Matrimon. disp. 4. num. 12.* Castro Palao *part. 2. tract. 12. punct. 15. §. 1. num. 11.* aliique plures. 38

Ratio principalis hujus sententiæ est; quia in repudiatione legati Ecclesiæ facti, non intervenit vera alienatio; ergo corruit totum fundamentum adversæ sententiæ; Antecedens probatur. Tunc non intervenit vera & propria alienatio, quando repudiatur solùm res, quæ nondum fuit Ecclesiæ: atqui legatum rei, etiam immobilis, & repudiatum à Prælato, nondum fuit Ecclesiæ; ergo. Major hujus probationis patet ex eo quia non est par & eadem ratio, lucra non facere, & quæsita perdere, *L. ult. §. Si quis verò Cod. de Codicill. & l. Si sponsus §. Si maritus ff. de Donation. inter vir. & uxor.* quæ infrà *n. 41* referuntur, cum similibus. Eadem Major probatur ex eo: quia repudiatio non est alienatio, sed solùm est non acquisitio, juxta textum apertum *in l. Alienationis 28 ff. de Verb. signific.* ibi: *Qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare: veluti, qui hæreditatem omittit: aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur.* 39

Minor verò probatur. Legatum ante acceptationem censetur esse in suspenso: & si repudiatur, nunquam retrò censetur fuisse nostrum; ergo neque censetur fuisse ipsius Ecclesiæ, si repudiatur à Prælato, administrationem rerum Ecclesiæ habente. Antecedens desumitur ex pluribus textibus Juris. Sic quippe expressè dicitur *in l. Si tibi homo §. Cùm servus ff. de Legat. 1.* 40

illis verbis: *Cùm tibi servus legatur, & ipsius servi status, & omnium quæ personam ejus attingunt, in suspenso est, nam si Legatarius repulerit legatum, nunquam ejus fuisse videbitur: si non repulerit, ex die aditæ hæreditatis ejus intelligitur.* Concordat, & adhuc clariùs loquitur textus in *L. 1. §. Utrùm autem ff. Si quid in fraudem patroni &c.* ubi in simili Jurisconsultus inquit. *Si hæreditatem libertus non adierit fraudandi patroni causa, vel legatum repulerit, Favianam cessare: quod mihi videtur verum. Quamvis enim legatum retrò nostrum sit, nisi repudietur: attamen, cùm repudiatur, retrò nostrum non fuisse, palam est.* Ponderando ista postrema verba: *Retrò nostrum non fuisse; palam est.* Unde sequitur, quod jus adeundæ hæreditatis, vel legati, non sit absolutum, sed conditionatum, pendens à nostra voluntate: ac proinde facta repudiatione, convincitur nunquam fuisse nostrum, vel Ecclesiæ, cujus Prælatus id repudiavit, per Jura proximè allegata.

41 Confirmatur eadem Conclusio: Quia aliud est alienare, quod suum est; aliud, non acquirere: ergo, quamvis Prælatus sine consensu Capituli, servatisque aliis inde non sequitur, quin possit validè repudiare Legatum Ecclesiæ factum absque consensu Capituli. Consequentia patet: quia à diversis non fit illatio, *L. ult. in fin.* & ibi Bartolus *ff. de Calumniat.* Barbosa *Axiomat. 114. n. 1.* citans alios. Antecedens verò probatur ex *l. Si sponsus §. Si maritus ff. de Donation. inter vir & uxor.* ibi: *Neque enim pauperior fit qui non acquirit, sed qui de patrimonio suo deposuit.* Simulque ex *L. ult. C. de Codicill.* ubi dicitur: *Non est par; eademque ratio amittere debita* (sive, ut alii loquuntur, amittere quæsita) *& lucra non facere.* Quinimò *in l. Qui autem §. 1. ff. Quæ in fraudem creditor* expressè deducitur, quòd repudiare hæreditatem, vel legatum, non sit alienare: *Noluit enim* (inquit textus) *acquirere, non suum proprium patrimonium diminuere.* Unde subjungitur ibidem in hæc verba: *Sed & illud probandum est, si legatum repudiavit, cessare hoc Edictum:* nempe illud, vi cujus Prætor *L. 1. ibid.* promiserat, se omnino in fraudem creditorum *factam alienationem* revocaturum. Adde alium textum citatæ Legis, inferiùs *n. 45.* allegatum.

42 Ad rationes pro priori sententia *num. 35.* relatas, & imprimis ad primam earum, Resp. neg. Min. Nam legatum non acceptatum, sed à Prælato repudiatum, nunquam fuit Ecclesiæ, per textus *num. 40* allegatos. Atqui repudiando rem, quæ nunquam fuit Ecclesiæ, non alienatur res Ecclesiæ, ut ex terminis patet; sicque corruit totum fundamentum oppositum, seu negativæ sententiæ.

43 Ad primam probationem ejusdem Minoris, sive ad *l. Magis puto §. Fundum ff. de rebus eorum, qui sub tutela &c.* Resp. cum Abbate *in c. Tua nuper num. 9. De his quæ fiunt à Prælatis &c.* Sylvestro *verf. Alienatio num. 18.* Sanchez *lib. 6. de Matrimon. disp. 4. num. 12.* & aliis, textum allegatum loqui de Pupillo (uti liquet ex terminis) qui non habet administrationem rerum suarum, sicque hoc ipso nequit repudiare legatum: secùs esse in Prælato, qui administrationem habet rerum Ecclesiæ. Et licèt in jam acquisitis non possit Prælatus solus Ecclesiæ suæ conditionem facere deteriorem, *cap. 1. De in integrum restitut. & l. Contra juris ff. de Pactis.* Benè tamen potest Prælatus nocere Ecclesiæ, ejusque conditionem facere deteriorem in acquirendis: uti notat Glossa *can. Illud §. Si ergo 16. quæst. 6. ℣. Meliorem*, istud probans ex *l. Ex libris C. de Acquirend. possess.* ubi hoc idem dicitur de dolo, & negligentia Servi respectu Domini.

44 Nec urget, quòd in allegata *Leg. Magis puto &c.* repudiatio legati à Pupillo facta, dicatur alienatio, ibi: *Esse enim & hanc alienationem, cùm res sit pupilli, nemo dubitat.* Resp. enim, quòd loquendo de Pupillo, utpote administrationem non habente, legatum ipsi factum per quandam juris fictionem illicò censeatur esse suum, nisi Prætoris authoritate repudietur; unde, cum per hanc juris fictionem res legata censeatur esse Pupilli, repudiatio ipsius reputatur esse alienatio. Verumtamen hæc ipsa repudiatio, vocatur solùm impropriè alienatio; cum dominium legati non omnino transferatur in Pupillum, sed revocabiliter, ante acceptationem. Sanchez *lib. 6. de Matrim. disp. 4. num. 12. circa fin.* Hoc autem non facit ad propositum: nam ubi Prælatus, utpote habens administrationem rerum Ecclesiæ, repudiavit legatum Ecclesiæ factum, tunc res legata nunquam retrò censetur fuisse Ecclesiæ, per Jura *numer. 40.* allegata. Unde redit proximè data disparitas inter Pupillum, qui nullam rerum suarum administrationem habet; & inter Prælatum Ecclesiæ, qui talem rerum Ecclesiæ sibi commissæ habet administrationem.

Accedit textus notabilis *in l. Qui autem §. 1. ff. Quæ in fraudem creditorum &c.* ubi dicitur: *Qui autem cum possit aliquid quærere, non id agit ut acquirat: ad hoc Edictum non pertinet* (quo videlicet, juxta *L. 1. ff. eod.* prohibetur omnis omnino in fraudem creditorum facta alienatio.) *Pertinet enim hoc Edictum ad diminuentes patrimonium suum, non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur.* Hæc ibi. Unde patet, quòd repudiatio legati, à Prælato habente administrationem rerum Ecclesiæ facta, non sit vera alienatio: quia per talem repudiationem non diminuitur patrimonium Ecclesiæ, sed solùm eidem non acquiritur. Hoc autem non importat veram, & propriè dictam alienationem: alioquin talis non acquisitio etiam comprehendi deberet sub allegato Edicto, utpote se extendente ad omnem omnino in fraudem creditorum factam alienationem. Idipsum patet ex dictis suprà *num. 41* 45

Ad alteram Minoris probationem, suprà *num. 35.* desumptam ex *l. A Titio ff. de Furtis*, respondetur, dictum illud, quòd legatum incontinenti acquiratur ipsi Ecclesiæ, etiam ignoranti, procedere duntaxat, quando legatum illud acceptatur: secus, si repudiatur, per textus *num 40.* allegatos. Dicitur autem Legatum, si postea acceptetur, incontinenti acquiri Legatario, partim per fictionem juris: nam quantum attinet ad veritatem, legatum transit ad Legatarium non statim, sed adita hæreditate, ut notat citata Glossa, *arg. l. Si tibi homo §. Cùm servus ff. de Legat. 1.* Partim ex eo, quia legatum rectà via transit ad Legatarium, ita ut nunquam sit factum hæredis, si acceptetur; prout explicatur *in l. Legatum ff. de Legat. II.* ibi: *Quod eo pertinet, ut si purè relictum sit; & legatarius non repudiaverit defuncti voluntatem, rectà via dominium, quod hæreditatis fuit, ad Legatarium transeat, nunquam factum hæredis.* Hæc ibi. Atque in eodem sensu legatum acquiritur etiam ignoranti: quia videlicet, si postmodùm acceptetur, cum oneribus & emolumentis suis transit ad legatarium statim à momento mortis Testatoris, etiamsi pro tunc Legatarius ignoraverit legatum sibi relictum. 46

Ad rationes *n 36* allatas respondetur, eas procedere, quando legatum expressè, vel tacitè fuit acceptatum: tunc enim tribuit jus ad rem, pariterque actionem personalem, quæ sine alienatione cedi non potest. Secùs verò dicendum, quando legatum repudiatur: tunc nunquam retrò censetur fuisse Ecclesiæ, sicque nec jus ad rem, neque actionem tribuisse, per Iura *num. 40.* citata. Ad regulam Juris, *Qui actionem &c.* dicitur, eam loqui de jure in re, & correspondente sibi actione: hoc autem non facit ad propositum, quando legatum repudiatur. 47

Ad confirmationem *num. 37.* positam, dicitur, inde solùm sequi, quòd Prælatus sine justa causa repudians legatum Ecclesiæ peccet; sicque illicitè agat repudiando, non autem invalidè, prout ampliùs dicetur infrà *num. 53. & 54.* Dum verò allegatur Regula 76 Juris in 6. *Delictum personæ &c.* Respondetur præter alias hujus Regulæ fallentias, eam potissimùm procedere in acquisitis: secus in acquirendis, ut notat Glossa *can. Illud §. Si ergo 16. quæst. 6. verf. Meliorem*, & Abbas *cap. Tua nuper 9. h. t.* Sive, ut inquit Innocentius *cap. 2. de Donationib.* Regula illa locum habet, quando agitur de damno vitando, non de lucro captando: prout in simili habetur *l. Ex libris §. Hoc etenim, ff. de Acquirend. possess.* ibi: *Antiqua regula Juris, quæ definivit, deteriorem conditionem per servum domino nullo modo fieri, tunc locum habet, cùm dominus de damno periclitetur, non cùm sibi lucrum per servum acquiri desiderat.* 48

Urgebis, atque objicies ulteriùs contra prædictam Conclusionem. In legatis ad pias causas non requiritur specia- 49

specialis acceptatio hominis, seu Prælati, ut transeant in jus Ecclesiæ; ergo nulla solutio. Probatur antecedens. Tum quia pollicitatio facta Reipublicæ, vel Civitati, obligat ante acceptationem, *arg. l. 1. & seqq. ff. de Pollicitation.* cum similibus. Tum quia à Deo, utpote qui est verus Legatarius, non Prælatus, illicò acceptantur pollicitationes, atque legata ad pias causas. Resp. neg. anteced. ad cujus primam probationem negatur Assumptum. Quia, ut notat Lessius *lib. 2. de just. & jur. c. 18. n. 40.* in ejusmodi Legibus Jus Civile non efficit, ut pollicitatio facta Civitati &c. vim habeat ante acceptationem, sed, ne ea possit pro libitu revocari, imò postmodùm semper possit acceptari, ac promissum peti: prout indicatur *in l. Pactum, ff. de Pollicitationib.* Hinc, ut vi talis pollicitationis teneatur quis solvere, requiritur insuper subsequens acceptatio Civitatis, juxta textum notabilem *in cit. l. 1. cod.* ubi expressè dicitur, non semper obligari eum, qui pollicitus est Reipublicæ: sed tunc primùm, quando quis promisit ob honorem sibi decretum, vel decernendum; aut si quidem sine causa promiserit, opus tamen promissum facere jam cœperit. In his enim casibus jam intervenit acceptatio Reipublicæ.

50 Ad alteram partem Antecedentis pariter negatur Assumptum. Quamvis enim votum Deo factum illicò acceptetur à Deo, sicque obliget ante quamcunque aliam acceptationem hominis: secùs tamen dicendum de legato Ecclesiæ facto. Quia enim *Invito beneficium non tribuitur*, ut dicitur *l. Invito ff. de Reg. Jur.* sed requiritur acceptatio ipsius, *l. Absenti ff. de donation.* hinc neque Deus, neque Ecclesia, vel Monasterium vult acceptare legatum, quòd Prælatus repudiavit, utpote cui commissa est administratio bonorum Ecclesiæ. Accedit, magnam esse disparitatem inter pollicitationes, & legata: nam illæ, postquam sunt acceptatæ, habent vim pacti, seu donationis inter vivos; qualis regulariter ampliùs revocari non potest. Secùs est in legatis, quæ licèt sint facta ad pias causas, cùm tamen fiant mortis causa, possunt in vita semper liberè revocari; & post mortem, donec acceptentur, manent in suspenso: si tamen repudiata fuerint, nunquam censentur fuisse Legatarii, etiamsi essent causæ piæ relicta.

51 Instabis. Ecclesia fungitur jure Pupilli: atqui repudiatio legati respectu Pupilli, est alienatio, & invalida; ergo etiam repudiatio legati respectu Ecclesiæ, à solo Prælato facta, erit invalida. Major probatur ex *cap. Requisivit 1. De in integrum restitut.* ibi: *Cùm Ecclesia jure minoris debeant semper illæsa servari.* Quod ipsum habetur *in cap. Auditis 3. eod.* ibi: *Nos attendentes, quòd utraque Ecclesia fungatur jure minoris.* Et, quòd Ecclesia æquiparetur Pupillo, notat Glossa *can. Sine exceptione 12. quæst 2. verf. Profuturum*, & alia Glossa *l. Respublica, verf. Solet. C. Quibus ex causis majores &c. & l. Libertos verf. Administraverunt C. de excusationib. tutor.* & Fagnanus *cap. Novit. n 25. Ne Sede vacante &c.* citans alios, & Engel *tit. de Rebus ecclef. non alienand. num. 9. verf. Nec sufficit*, aliique. Minor verò constat ex *l. Magis puto §. Fundum ff. de Rebus eorum, qui sub tutela &c.* cujus verba *numer. 35.* relata sunt.

Resp. neg. Major. Quia Ecclesia fungitur quidem jure Minoris, non tamen jure Pupilli; ut benè notat Glossa *cit. cap. Auditis verf. Jure minoris. De in integrum restitut.* Nam contra pupillarem ætatem non currit præscriptio, *l. Sicut in rem C. de Præscript. 30. ann.* At verò contra Ecclesiam currit præscriptio quadraginta annorum, nisi vacaverit, *cap. Ad aures 6. & c. Illud autem 8. cap. Auditis 15. de Præscription.* Ad textus in probationem Majoris allegatos, dicitur, eos parùm probare, cum expressis verbis loquantur solùm de jure Minoris; uti patet ex relatis verbis: *Ecclesia fungitur jure Minoris &c.* & consequenter non jure Pupilli. Intellige tamen istud de Ecclesia non vacante, de qua procedit præsens quæstio, utpote loquens de Prælato ipsius: nam quòd ecclesia vacans, seu destituta Pastore suo, possit æquiparari Pupillo, hujusque jure fungatur, ultrò conceditur post Glossam, & Doctores proximè allegatos; estque jam dictum suprà *Tit. præced. n. 14.* 52

Resp. II. Etsi repudiatio legati Ecclesiæ facti sit valida, juxta hactenus dicta; nihilominus ejusmodi repudiatio, si per Prælatum absque justa causa fiat, est illicita, peccaminosa, atque injuriosa Ecclesiæ: adeò, ut Prælatus teneatur ad satisfaciendum Ecclesiæ, si habeat proprium, unde satisfaciat. Ita communis. Siquidem Prælatus vi Officii sui, adeoque ex obligatione virtutis Justitiæ, tenetur procurare commodum, & utilitatem Ecclesiæ sibi commissæ, eidemque acquirere, in quantum potest, *can. Quicunque 12. quæst. 4* juncta Glossa *verf. Aut neglectum*, cum concordantiis. Unde consequens est, quòd Prælatus ille, qui sine justa causa repudiavit legatum Ecclesiæ factum, non solùm illicitè egerit, atque peccaverit; sed etiam compelli posse, ut de suo, si proprium habeat, satisfaciat Ecclesiæ, utpote quam injustè damnificavit. Glossa *can. Illud statuendum §. Si ergo 16. q. 6. ℣. Meliorem.* Abbas *c. Tua nuper n. 9. h. t.* istud probans exemplo Tutoris, qui si potuit acquirere pupillo, & non acquisivit, tenetur de suo refundere, *l. quidquid C. Arbitrium tutelæ.* 53

Nec tamen ex hoc sequitur, quod repudiatio Legati Ecclesiæ facti sit invalida. Quamvis enim sit illicita, adhuc tamen, si fiat, existit valida, juxta vulgatum illud: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem:* ut inquit Pontifex *in c. Ad Apostolicam 16. de Regularib. & c. Cùm jam dudum 18. de Præb.* cum similibus. Quomodo autem hæc regula concordari debeat cum Regula 64. Juris in 6. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi:* ex professo dictum est suprà *lib. 1. tit. 2. De Constitutionibus §. 11. n 245. 246. & seqq.* 54

Resp. III. Insuper, quando Prælatus absque justa causa repudiavit legatum Ecclesiæ factum, potest Ecclesia exinde graviter læsa petere beneficium restitutionis in integrum. Ita rursum communis. Nam, quòd beneficio restitutionis in integrum gaudeant Ecclesiæ, Monasteria, aliaque Loca pia, quando in suis bonis, vel juribus graviter læsa fuerunt; patet ex dictis supra *lib. 1. tit. 41. §. 2. n. 32. 33. & seqq.* ubi plura de hoc. 55

T I T U L U S XI.

De his, quæ fiunt à majori parte Capituli.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 Viso de his, quæ possunt fieri à Prælatis cum vel sine consensu Capituli: meritò subjungitur Rubrica præsentis Tituli, pro praxi quotidiana scitu summè necessarii, quid videlicet possit fieri à toto aliquo Capitulo, sive Ecclesiarum Cathedralium, sive aliarum inferiorum; & quid juris, si ipsi Capitulares varient in suis votis. Hinc fit

§. I.

De Capitulo, ejusque convocatione.

S U M M A R I U M.

2 *Nomen* Capituli *varias habet significationes.*
Et quomodo accipiatur quoad propositum?
3 *Ut quis ad Capitulum spectare dignoscatur, debet esse Subdiaconus.*
Quod limitatur. Ibid.
4 *Debet etiam esse Canonicus, & habere vocem in Capitulo.*
Capitulum constituitur ex solis Canonicis. Ibid.

5 *Appellatione* Capituli *propriè non venit Prælatus, putà Episcopus, Abbas: benè tamen Decanus.*
6 *Solvitur instantia, & conceditur, quòd largè loquendo, & in materia favorabili, etiam Prælatus comprebendatur nomine Capituli.*
7 *Convocatio Capituli pertinet ad Præsidem ipsius.*
Talis respectu Canonicorum, de consuetudine est Decanus. Ibid.
8 *Ad Capitulum extraordinarium sunt convocandi Capitulares præsentes.*
Et quid de Capitulis ordinariis? Ibid.
9 *Si Capitularis legitimè citatus interesse noluerit, valet electio, vel alius actus Capitularis cæterorum.*
Non tamen licitum est cuipiam Canonico, ordinariè abesse à Capitulis. Ibid.
10 *Canonici absentes, in quibus casibus debeant vocari ad capitulum.*

2 QUæritur I. Quid nomine *Capituli* intelligatur, quique ad illud spectare dignoscantur? Resp. I *Capituli* nomen varias habet significationes: in proposito tamen sumitur pro ipso Canonicorum (vel Regularium) collegio, seu pro ipsis Canonicis in unum congregatis. Ita Jo. Andreas *in c. Capitulum n 3 de Rescript.* Jo. Calvinus *in Lexico Juridico* ℣. *capitulum*, & alii. Prima pars patet ex illo vulgato versiculo, quo dicitur de Capitulo: *Distinguit, minuit, locat, & collectio fertur.* Imprimis enim Capituli nomen accipitur, prout *distinguit* unam materiam ab alia: & sic dicuntur *Capitula Decretalium.* Secundò, capitulum sumitur pro parvo capite: & sic *minuit.* Tertiò *locat*, quatenus capitulum significat locum, in quo Canonici congregantur, resque capitulares firmantur; ut *c. In causis 30 de Election.* ibi; *Qui remanserant in capitulo.* Quartò tandem modo, & quantùm ad propositum, accipitur Capitulum pro collectione, seu congregatione personarum Ecclesiasticarum; putà Canonicorum, vel Regularium, in unum, seu capitulariter congregatorum: ut *c. Capitulum sanctæ Crucis 30. de Rescript.* & alibi, juncta Rubrica præsentis Tituli. Et per hoc patet altera pars Conclusionis.

3 Resp. II. Ut quis cæteroquin Divinis Officiis deputatus, spectare dignoscatur ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatæ sæcularis, aut Regularis, vocemque in capitulo habeat, requiritur, quòd sit in Sacris Ordinibus constitutus, atque ad minimum Subdiaconus existat. Textus est in *Clement. 2. de Ætate, & qualitate, &c.* quæ fuit innovata per Concilium Tridentinum *Sess. 22. cap. 4. de Reform.* Quamquam hinc excipiendi sint Ordines Militares, utpote Divinis Officiis specialiter non deputati: nec non Moniales, quæ propter sexus fragilitatem non sunt capaces Sacrorum Ordinum, & & tamen possunt celebrare sua Capitula: prout notat Glossa in *cit. Clem. 2. vers. Mancipati:* estque jam dictum suprà *lib. 1. Tit. 14. De Ætate & qualitate &c n. 17 & 18.*

4 Resp. III. Insuper, ut quis censeatur esse de capitulo Ecclesiæ Cathedralis, vel alterius, non sufficit, quod sit constitutus in Sacris Ordinibus, eidemque ecclesiæ quomodocunque deserviat; sed requiritur ulteriùs, quòd sit Canonicus, vocemque habeat in Capitulo. Ita Abbas *c. Scriptum n. 4. de Election.* asserens, quod Canonici tantùm faciant capitulum, & unum corpus cum Episcopo, *c. Novit. De his quæ fiunt à Prælatis &c.* nisi aliud habeat consuetudo. Barbosa *de Canonic. cap. 37. n. 15.* asserens, quòd ex solis Canonicis Capitulum constituatur; atque pro hoc suo dicto allegans Rotam, *Decis. 708. part. 2. Recent.* & aliam Rotam in *Hispalens. Præeminentiarum 4. Julii 1625. coram Rev. D. Cotino*, pluresque Authores. Hinc Clerici Beneficiarii, aliique non Canonici (sub his etiam comprehendendo Præpositos, quando alias non sunt Canonici, juxta Abbatem *loc. cit.*) qui Ecclesiæ Cathedrali, aut Collegiatæ, in celebratione Missarum, Choroque assistunt, non sunt de capitulo ipsius. Quinimò alicubi, ac præsertim in Germania, etiam canonici supernumerarii (alias *Domicellares* nuncupati,) non pertinent ad Capitulum, & proinde neque ad istud sunt vocandi: quia videlicet ante obtentam Præbendam non consueverunt habere vocem in capitulo.

5 Quæritur II. An appellatione capituli veniat Prælatus? Resp. nomine *Capituli* propriè non venit Prælatus, puta episcopus, vel Abbas: benè tamen Decanus. Ita Gl. in *Clem. 2.* ℣. *In eisdem de Ætate & qualitate &c.* Abbas *c. Post electionem n. 8. & 9.* & Barb. *ibid. n. 3. de Conc. Præb.* Pirbing *h. t. n. 1.* & alii, contra Cardin Tuschum *L. C. Concl. 46.* & Ancharanum *Consil. 248. n. 12.* Ratio prioris partis est: quia jus Prælaturæ, est jus distinctum à jure Capituli; uti patet ex toto Titulo, *Ne Sede vacante &c.* Simulque Prælatus, & capitulum, sunt diversa: unde etiam sub diversis Titulis de eisdem agitur, nimirum *Tit. 10. De his, quæ fiunt à Prælatis &c.* & præsenti *Tit. 11. De his quæ fiunt à major. part. Capit.* Altera pars ex eo probatur: quia Decanus propriè est pars capituli. Glossa, & Abbas *Post electionem 7. num. 9. de Concession. Præb.* & alii. Atque in toto, partem non est dubium contineri; ut inquit *Reg. 88. Jur. in 6.* Accedit, quòd *in cit. c. Post electionem §. Cùm igitur de Concession. Præb.* litteræ ad capitulum directæ, in quibus nulla fiebat mentio de Decano, nihilominùs affecerint Decanum; prout contra mentem capitularium, resolvit Pontifex ibidem. Et hinc Glossa *ibid. vers. Mentio nullatenus*, inquit: *Nec erat necesse, facere mentionem de parte, id est, de Decano; cùm pars teneatur in toto, can. Legimus dist. 94.* & alibi.

Objicies contra priorem partem Conclusionis. Præ- 6 latus, & capitulum faciunt unum corpus, seu unam ecclesiam, *c. Novit. 4. De his quæ fiunt à Prælatis &c.* ergo nomine capituli etiam comprehenditur Prælatus, putà episcopus, vel Abbas. Resp. neg. consequent. Quinimò, ut notat Glossa *in cit. Clem. 2. vers. In eisdem &* Abbas *ibid. n. 15. de Ætate & qualitate* potiùs ex hoc desumitur contrarium: nam Prælatus hoc ipso, quòd sit talis, est Superior capitulo; & consequenter sub hujus nomine nequit comprehendi. Et hoc procedit propriè loquendo, ac in materia strictæ interpretationis, *arg. c. Cùm Cleric. 13. de Verb. signif.* nam in quadam larga verbi significatione, atque in materia favorabili, nomine *Capituli* etiam comprehendi Prælatum, veluti caput ipsius principale, fatetur Glossa *in c. Clem. 2. vers. In eisdem de Ætate & qualit. &c.* & Abbas *d. c. Post electionem n. 8. & 9. de Concession. Præb.* Et forsan istud ultimum intenderunt Authores, suprà *n. 5.* in contrarium allegati.

Quæritur III. Ad quem spectet convocatio Capituli, 7 quique ad illud sint vocandi? Resp. I. Convocatio Capituli facienda, quandocunque ecclesiæ servitio videbitur, pertinet ad præsidem ipsius. Barbosa *tract. de Canonic. & Dignitat. cap. 35. n. 1.* Et talis Præses Capituli respectu Canonicorum de consuetudine solet esse Decanus: haud obstante, quòd Archidiaconatus, spectato Jure communi, sit prima Dignitas post Pontificalem, sicque potiùs ad Archidiaconum, tanquam ad majorem, pertineret convocare capitulum, *arg. cap. 1. de Archidiac.* & citatis pluribus aliis notat Fagnanus *c. Ut Abbates c. 26. & 27. de Ætate & qualitat.* In defectum autem Decani, seu alterius, ad quem id spectat de jure, vel consuetudine, potest capitulum convocari ab Antiquiore ipsius. Innocentius in *cap. 1.* & Abbas *ibid. n. 4. de Majorit. & obed.* Fagnanus *c. Quia propter n. 75 de Election.* Episcopus etiam potest capitulum convocare, atque vota exquirere, & juxta ea concludere, quando canonicis aliquid habet proponere ad deliberandum, quod ad suum, vel suorum commodū non spectat: verùm absente episcopo omnino hoc ab iis, ad quos hoc de jure, vel consuetudine spectat, perficiatur; nec ad id Vicarius Episcopi admittatur: prout in terminis statuit Cōc. Trid. *Sess. 25. c. 6. de Ref.*

Resp. II. Capitulares illos, qui sunt præsentes in loco, esse convocandos, atque citandos, quando capitulum extraordinarium celebratur, nemo dubitat. Et additur, *extraordinarium*: nam in capitulo ordinario sibi Canonicus imputet, si eo absente, seu potiùs interesse nolente, aliquid capitulariter tractetur, atque decidatur, saltem loquendo de negotiis ordinariis, minusque arduis. Quando autem in capitulo ordinario tractandum assumeretur negotium arduum, atq; de jure requirens convocationē capituli; singulis capitularibus id prævié indicandum, eorumque citatio facienda foret: alioquin enim, et si scirent, hac die v. g. futurum capitulū ordinariū, nescirent tamen, in eo tractandū esse negotium tam arduū, ac de Jure requirens citationem singulorum, cujus decisioni forsan etiam ipsi interesse voluissent, si illud tractandū fore præscivissent. In quo tamen puncto cumprimis attendenda est anti-

antiqua & laudabilis consuetudo cujuslibet ecclesię, juxta generalia juris principia de consuetudine tradi solita.

9 Porrò, si quis capitularium legitimè citatus spontè capitulo interesse noluerit, valebit electio, vel alius actus capitularis à cæteris prȩsentibus canonicè peractus *arg. c. Quia propter 42. de electione* ibi: *Et volunt interesse:* estque uberiùs dictum suprà *lib. 1. tit. 6. de electione §. 5. n. 117.* Verùm cessante justo impedimento, atque extra tempus permissæ à Conc. Trid. trimestralis absentiæ, non est licitum cuipiam canonico, ordinariè abesse à capitulis: nam munus Canonicorum non solùm in residentia personali, atque servitio Ecclesiæ, & chori, veluti officio eorundem præcipuo, consistit; sed etiam includit rectam administrationem, & gubernationem rerum ecclesiæ, & capituli, tum spiritualium, tum corporalium: prout uberius hanc canonicorum obligationem interessandi capitulo, declarat Barb. *cit. tract. de Canonicis c. 40. n. 1. & seq.*

10 Resp. III. Quantum attinet canonicos absentes, communiter respondent Doctores cum Glossa magistrali *in c. 2.* ℣. *Ipsorum de Testibus, in 6.* quod absentes ad capitulum necessariò non debeant vocari, nisi in tribus casibus: Primò videlicet, in electione, *c. Quia propter 42. de election.* cum similibus: Secundò, in receptione canonicorum, & Præbendarum collatione: nisi aliud habeat consuetudo Ecclesiarum, *text. clar. c. cùm in Ecclesiis 33 de Præb. in 6.* Et terciò in cessatione à Divinis, *c. Quamvis 8. de Offic. Ordin. in 6.* Ita Abbas *c. cùm ex injuncto n. 10.* & Innocentius, & Fagnan *ibid. n. 52. de Novi oper. nunciat.* Barb. *d. tract. de Canonicis, c. 39. n. 1.* allegans alios. Quamquam hi ipsi Authores citatam Glossam extendant ad omnes consimiles casus, ac generaliter addant, quod, ubicunque negotium est arduum, & grave, semper absentes vocandi sint. Intellige, quando istud commodè fieri potest, & non est periculum in mora, nec alicubi habetur consuetudo in contrarium: nam circa hoc attendendas esse consuetudines Ecclesiarum, monet Glossa *c. Quamvis* ℣. *Evocandi de Offic. Ordinar. in 6.* Barbosa *loc. cit.* Engel *h. t. n. 2.* & communis aliorum.

§. II.

De Actis Capitularibus, horumque requisitis, & valore.

SUMMARIUM.

11 *Ut quid censeatur capitulariter actum a toto capitulo, Collegio, &c. atque valeat, requiritur, ac regulariter sufficit consensus majoris partis ipsius.*
Major pars capituli repræsentat totum capitulum. Ib.
12 *Requiritur insuper, ut omnes vocem activam habentes legitimè convocentur &c.*
13 *Et quod capitulares fuerint congregati capitulariter, & cum ipsis tr*[illegible] *præhabitus.*
14 *Atque duæ partes capitularium sint præsentes, saltem spectato Jure Civili. Et n. seq.*
15 *& 16 Canonistæ quoad hoc distinguunt: & quomodo?*
17 *Qualis subscriptio requiratur, quando super Actis capitularibus debet erigi instrumentum? Et n. seq.*
18 *In praxi est attendendum ad specialem locorum consuetudinem.*
19 *Instrumento nomina absentium non sunt inscribenda.*
20 *Major, & sanior pars capituli, quæ?*
21 *Ad validitatem Actus capitularis necesse est, ut sit gestus à majori & sanior: parte capituli.*
22 *& 23 Solvitur duplex instantia.*
24 *Dantur tamen aliqui casus, in quibus limitatur data Regula. Et num. seqq.*
Minor pars Capituli, rationabiliter aliquid opponens, potest impedire decretum majoris partis; non tamen aliquid capitulariter statuere, n. 22.
25 *Unicus Canonicus potest se opponere pro defensione Ecclesiæ suæ.*
26 *Ac sua contradictione impedire, quo minùs valeant gesta majoris partis ad damnum Ecclesiæ.*
Jura Universitatis in uno solo retinentur. Ibid.
27 *Quando major pars scienter elegit indignum, valet electio à minori parte celebrata.*
28 *Ratione longævæ consuetudinis potest ad validitatem actus capitularis, v. g. electionis, sufficere consensus majoris partis respectu minoris, licèt non sit major respectu capituli.*
29 *Hoc ipsum accidit in jure patronatus: & cur? Et n seq.*
Ubi plures explicant actum ut singulares, sufficit major pars respectu minorum partium. Ibid.
30 *Discrimen inter electionem, & præsentationem à Patronis factam.*
31 *Quando intervenit contemptus alicujus de capitulo, potest is irritare actum a cæteris, si velit.*
Electioni plus obstat contemptus unius, quam contradictio plurium. Ibid.
32 *In assumptione Coadiutoris Episcopo dementi dandi, debent concurrere duæ partes capituli.*
33 *Ac in electione Summi Pontificis duę partes Cardinaliū.*
34 *In iis, quæ competunt pluribus ut singulis, requiritur consensus omnium. Et n. seq.*
35 *Qua ratione salvetur dispositio* cap. ult. h. t. *Et ratio dubitandi.*
36 *Rejicitur opinio Vincentii.*
37 *Ponitur vera sententia, concedens, quòd episcopus cum majori parte capituli possit statuere, ut quilibet Canonicorum teneatur aliquam portionem suorum redditwum pro reparatione Ecclesiæ suæ deputare. Et hujus ratio.*
38 *Solvuntur rationes dubitandi.*
39 *Idipsum ampliatur ad alias pias causas ob necessitatem, vel utilitatem Collegii: ut est sustentatio pauperis Scholaris doctis. Et n. præced.*
40 *Secùs, quando nulla subest pia & necessaria causa, seu utilitas Collegii: ut, alicui gratiam facere.*
41 *Capitulum non potest ferre interdictum locale sine consensu Episcopi.*
42 *An Capitulum valeat condere Statuta; vel Condita aut etiam juramento confirmata revocare? Remissivè.*

QUæritur I. Quænam concurrere debeant, ut aliquid censeatur capitulariter actum à toto capitulo, firmitatemque obtineat? Resp. I. Ad hoc ut capitulum Collegium, aut aliqua Universitas aliquid agere censeatur, actumq; valeat, plura requiruntur. Et primò quidem requiritur, atque regulariter sufficit consensus majoris partis ipsius. Ita communis, atque desumitur *ex c. 1. h. t.* ubi Summarium, & Abb. *n. 1.* aliique passim, ponunt hanc regulam: *In universitatibus ecclesiasticis prævalet regulariter id, quod fit à majori parte, nisi minor pars rationabiliter contradicat.* Concordat textus *in c 3. & 4. eod.* cum similibus. Accedit ratio; quia capituli potestas in majori, & saniori parte capituli consistit. Barb. *cit. tr. de Canonicis c. 38. n. 3.* allegans alios. Unde, quod major pars Capituli facit, à toto Capitulo intelligitur factum: nam major pars capituli, repræsentat totum capitulum; prout habetur in *l. Quid major ff. Ad Municipalem*, illis verbis: *Quod major pars Curiæ efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint.* Additur tamen in data conclusione ly, *regulariter*: nam ut taceatur, quòd major illa pars debeat simul esse sanior per textus *n. 21.* allegandos; dicta conclusio nonnullas alias patitur limitationes, juxta dicenda *n. 24. & seqq.* 11

Resp. II. Insuper ad validitatem Actorum capituli requiritur, ut omnes ad illud pertinentes, seu vocem activam habentes, legitimè convocentur, conformiter proximè dictis *n. 8. & 10.* Alias enim uno eorum contempto, seu non vocato, qui debent, volunt, ac possunt interesse, posset is agere de contemptu; & nisi velit pro bono pacis acquiescere actis aliorum, ista hæc ad ejus instantiam erunt irritanda. Ita communis. Prior pars desumitur ex *can. 2. §. Hoc ius caus. 10. q. 2.* ibi: *Majore parte ibidem servientium consentiente.* Atque specialiter loquendo de electione, patet ex *c. Quia propter 42. de elect.* ubi statuitur, electionem esse celebrandam *presentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse:* juncto quoad alteram partem Conclusionis *c Quod sicut 28. & c. Ecclesia vestra 57 de election.* ac dicendis infrà *n. 31.* 12

Resp. III. Rursus, ut capitulum censeatur aliquid fecisse, oportet quòd capitulares fuerint congregati capitulariter, & cum ipsis tractatus præhabitus, *arg. c. ult. h. t.* ibi: *Tractatum communiter habuistis.* Neque sufficit, quòd singuli canonici seorsim aliquid promittant sententient, 13

aut suam voluntatem declarent: alioquin enim singuli convenirent singulariter duntaxat, non autem collegialiter, juxta textum notabilem *in c. In Genesi 55. de elect.* Jo. Honorius *n. 1. h. t.* Engel *eod. n. 5.* & alii.

14 Resp. IV. Ad hoc, ut capitulum quidpiam capitulariter tractet, præter legitimam ejus convocationem factam ab eo, ad quem pertinet convocatio capituli, & quòd omnes & singuli, qui de jure vel consuetudine vocandi sunt, convocentur; ulteriùs requiritur, quòd saltem duæ partes, seu duæ tertiæ capitularium, sint præsentes, v. g. ex duodecim octo. Ita Glossa *c. 1. vers. Constitutum*, & Abbas *ibid. n. 16. h. t.* Riccius *in praxi Variar. Resolut. p. 2. resolut. 280.* & alii, istud tamen intelligentes sub distinctione proximè afferenda. Idque desumitur ex *l. Nulli & l. Planè ff. Quod cujusque universitatis nomine &c.* ubi, ut actus Universitatis valeat, requiritur, quòd *duæ partes adsint, aut ampliùs quàm duæ*, in quibus duabus partibus connumeratur etiam is, qui tunc eligitur; ut *cit. l. Planè*, dicitur. Siquidem Universitas est persona ficta, seu repræsentata, *l. Mortuo*, & ibi Glossa *ff. de Fidejussorib.* Fagnan. *c. Ad hæc n. 64. de Relig. Domib.* Et duæ partes repræsentant totam Communitatem, per Jura citata, juncta *L. 3. ff. de Decretis ab ordin. faciend.* Abbas *cit. n. 16.* & alii.

15 Atque istud verum est spectato Jure Civili, & secundùm Civilistas: nam, ut inquit Abbas *c. Cùm omnes n. 13. de Constitution.* & Fagnan. *c. Cùm ex injuncto n. 49. de Novi operis nunciat.* Canonistæ communiter distinguunt. Quia (inquiunt) vel adest aliquis, putà, Superior, ad quem spectat congregatio, seu convocatio Universitatis: & tunc, si ad illius mandatum non veniant omnes cæteroquin legitimè vocati, poterunt venientes explicare actum, etiamsi non faciant duas tertias, imò etiamsi non interveniat major pars capituli: quia tunc convocatio superioris constitui cæteros non venientes in contumacia, & hæc privat illos facultate dandi vocem; *c. Cùm nobis 19. de election.* ubi *ad electionem faciendam accedere nolentes, alienos se fecisse videntur.* Unde Glossa *ibid. vers. Alienos*, infert, quòd, ex quo nolunt venire vocati, potest procedi sine ipsis *arg. c. Prudentiam 21. §. Adjicimus de Offic. Delegat.* Si verò non sit aliquis, ad quem spectet convocatio Universitatis, tunc etiam secundùm Canonistas debent duæ tertiæ intervenire, per Jura *n. 14.* allegata.

16 Intellige hoc ultimum, nisi instet finis termini, præfixi Universitati ad expeditionem actus: quia tunc minor pars conveniens debet vocare alios, qui commodè possunt vocari; eisque vocatis, sive venerint, sive non venerint, procedere possunt præsentes ad expediendum actum, v. g. electionem: non enim debet Universitas privari suo jure ob contumacem absentiam majoris partis. Ita Innocentius *cap. Cùm ex injuncto n. 2. de Novi oper. nunciat.* Jo. Andreas *c. In causis nu. 22. de election.* Abbas, & Fagnanus, *ubi supra* & alii.

17 Resp. V. Quando super Actis Capitularibus debet erigi Instrumentum, seu Scriptura, regulariter necesse non est, ut singuli Capitulares se subscribant; sed sufficit apprimere consuetum sigillum Capituli, & in contextu illius Instrumenti, aut inferiùs adscribere, quòd Capitulum, aut Collegium talis Ecclesiæ id fecerit. Ita Innocentius, & Abbas in *cap. 1. num. 4. De his quæ fiunt à prælat.* asserentes, quòd subscriptio nunquam requiratur, nisi in casibus à Jure expressis; quorum plures enumerat Glossa *in cap. 1. vers. In scriptis, de Censib. in 6.* Eandem Conclusionem tradit Ludovic. Engel *h. t. n. 14.* citans Mynsingerum *Centur. 1. Observat. 76. & Centur. 3. Observat. 18.* & concordant dicta superiùs *Lib. 2. Tit. 22. De Fide Instrumentorum §. 3. n. 91. & 39.*

18 In praxi vel maximè attendendum est ad specialem locorum consuetudinem: multis quippe in locis etiam in causis arduis tantum Præpositus, Decanus, & Senior, nomine totius Capituli se subscribunt.

19 Et quando etiam, ob gravitatem causæ, omnes Capitulares sese subscribere solent omnino cavendum est ne Instrumento canonicorum absentium nomina inscribi sinantur: talia enim munimenta irrita sunt, & falsa, ac quæstioni falsi subjecta, *text. clar. cap. Quarto 5. De his quæ fiunt à Prælat. &c.* Atque ita observari videmus in pluribus Bullis Pontificiis, in quibus Papa, & Cardinales præsentes nominatim se subscribunt, loca autem Cardinalium absentium relinquuntur vacua.

20 Quæritur II. Utrùm ad valorem actuum Capitularium in omnibus prorsus casibus requiratur, atque sufficiat consensus majoris & sanioris partis Capituli? Ubi prænotandum, quòd major pars dicatur respectu numeri, sanior verò respectu consilii, & materiæ subjectæ. Fagnanus *in cap. Cùm in cunctis n. 3. h. t.* Hinc *Major pars* Capituli censetur ea, ubi est major numerus votantium respectu totius Capituli præsentis ad quod sufficit quicunque excessus ultra medietatem, etiamsi foret unius medii voti: unde si adessent tredecim vocantes, septem vota jam sufficerent ad hanc majoritatem. *Sanior* verò *pars* Capituli dicitur, quæ est justior, & majori ratione nititur, & auctoritate. Gl. *c. In Genesi, 55. Ad zelum de elect.* Sive (ut alii loquuntur) Sanior pars censetur, quæ constat viris dignitate, ætate, prudentia, pietateque magis conspicui: prout fusiùs dictum est suprà *Lib. 1. Tit. 6. De Elect. §. 6. n. 138. 139. 142. ac seqq.* Quo prænotato

21 Resp. I. Ad validitatem Actus Capitularis non sufficit, quod majors pars Capitularis aliquid decernat, nisi illa etiam sit sanior: nec econtra sufficit, quod sanior pars quid decernat, nisi etiam sit major: sed necesse est, ut actus Capitularis simul à majori, & saniori parte Capituli sit gestus. Ita communis; & patet ex *cap. 1. h. t.* ubi Concilium Lateranense, celebratum sub Alexandro III. sic statuisse refertur: *Quo circa præsenti Decreto statuimus, ut nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & ostensum, appellatione remota prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quod à majori & saniori parte fuerit constitutum.* Ubi ponderando, ly, *à majori & saniori parte Capituli &c.* infert Abbas *ibid. n. 3. & 11.* & communis aliorum, quòd in negotiis Ecclesiæ explicandis copulativè requiratur major, & sanior pars Capituli *cap. 3. & 4. h. t.* juncto *c. Quia propter 42. de election.* ubi pariter ad validitatem actus Capitularis, v. g. electionis, requiritur, ut in eum *omnes, vel major & sanior pars Capituli consentiat*: cum similibus.

22 Nec dicas. In relato textu *cap. 1. h. t.* dicitur, posse *à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objici*, & si istud ostensum, seu probatum fuerit, impediri illud, quod majori parti placuerat: ergo valet id, quod sanior pars Capituli constituerit, etsi non sit major. Resp. neg. consequent. Quia, ut benè notat Abbas *cit. c. 1. n. 11. h. t.* in tali casu potest quidem minor pars, rationabiliter aliquid opponens, atque probans, impedire decretum majoris partis: non tamen potest aliquid statuere capitulariter, seu nomine totius Universitatis. Intellige, dummodò major pars non sit privata voce activa propter delictum, putà, ob electionem indigni scienter factam: quia tunc potestas totius Capituli resideret in non delinquentibus, licèt numero paucioribus, atque isti repræsentarent capitulum; sicque etiam capitulariter quid statuere, putà eligere, valerent, ut *c. Dudum 22.* juncta Gl. *vers. In ordinibus &c. Congregato 53. de elect.* estque jam dictum suprà *lib. 1. tit 6. De electione §. 11. n. 251. & 260.*

23 Dices *In can. 1. & 2. & 3. dist. 65.* ad canonicam electionem sufficere dicitur consensus plurimorum: ergo non est curandum; an major pars Capitularium aliquid statuentium, etiam sit sanior. Resp. neg. consequent. Nam allegati Canones, aliique consimiles, intelligi debent de majori, simulque saniori parte; idque tum ob Jura *n. 21.* relata. tum ex eo, quia in citatis Canonibus solùm excluduntur pauciores, qui *animositate ducti*, vel *per malitiam*, aut *propter proprias & domesticas simultates* contradicere sententiæ plurimorum non verentur; sicque istis contemptis decernitur ibidem, servari sententiam plurimorum. Accedit, quòd major pars censeatur illa, quæ majori ratione & pietate nititur; *can. Sana quippe, dist. 9. & can. Multi sacerdotes, in fin. dist. 40* & notat Glossa *cap. 1. vers. Rationabiliter, h. t.* ac proinde major pars involvit, quòd sit Sanior: sicut & in dubio pars major, censetur etiam Sanior; quia præsumitur pro pluralitate, nisi contrarium probetur Glossa *cit. cap. 1. vers. Rationabiliter*, estque pariter jam dictum suprà *cit. Tit. 6. De Electione, n. 143. & 144.*

24 Resp. II. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus vel prævalet pars sanior, etsi non sit major: vel non sufficit, quòd major, & sanior pars aliquid decernat. Ita communis; & patet Inductione. Sic imprimis, quatùm attinet priorem partem prævalet id, quòd à minore parte,

parte, rationabiliter aliquid apponente & probante, intenditur: etsi enim minor pars nihil possit capitulariter decernere, juxta proximè dicta *n. 22.* potest tamen, dum rationabiliter contradicit, impedire decretum majoris partis, per textum *cit. cap. 1. h. t.* ibi: *Nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & ostensum &c.* Ubi ly, *& ostensum*, idem importat, ac: Dummodò minor pars contradicens coram Superiore Capituli, vel electis arbitris (pars enim major non est judex, sed suspecta) probaverit id, quod objecit: nam non sufficit objicere, nisi probetur. Glossa *ibid. v. Ostensum*, & alii.

25 Quinimò, tametsi gesta à majori parte Capituli ad utilitatem Ecclesiæ valeant, non obstante aliorum contradictione: tamen si major pars irrationabiliter, aut in damnum Ecclesiæ quidpiam decrevisset, potest etiam unus contradicere, *arg. c. Nicæna, dist. 31.* juncta Glossa *final. & marginal.* Ricc. *in praxi Variar. resolut. part. 2. resol. 249.* & Archidiacono *n. 6. ibid.* notanter inferentibus, quòd unicus Canonicus possit se opponere pro defensione Ecclesiæ suæ.

26 Similiter cæteris delinquentibus, ut putà, in hæresin lapsis, unius innocentia, & contradictio impedire potest, quò minùs valeant gesta majoris partis ad delictum, & damnum Ecclesiæ imputandum. Ita Apostilla ad ad Bartolum *in l. Jubemus nullam, vers. Capituli c. de Sacrosanct. eccles.* citans Paulum de Castro, Layman *c. Inter quatuor n. 2. de majoritat. & obed.* Pirhing *h. t. n. 4.* Siquidem jura Universitatis, vel Collegii, in uno solo retinentur, *l. Sicut ff. Quod cujusque Universitat. nomin.* Simulque *delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare*, ut inquit *Reg. 76. Jur. in 6.*

27 Tacetur casus ille, quo major pars Capituli scienter elegit indignum; quia tunc valida est electio digni à minori parte Capituli; ob rationem datam *n. 22.* estque ex professo dictum superiùs *l. 3. tit. 6. de elect. n. 146. & n. 152.*

28 Deinde data Conclusio patitur limitationem ratione contrariæ consuetudinis alicubi receptæ. Nam in quibusdam Ecclesiis, seu locis, ex longæva consuetudine receptum esse, ut ad validitatem actus capitularis, v. g. electionis, sufficiat consensus majoris partis Capitularium comparatione partis minoris, licèt non sit major respectu totius Capituli præsentis; notat Zypæus *in Analitica Juris Pontificii, lib. 3. tit. De his, quæ fiunt à major. part. Capitul. n. 1.* Engel *tit. de Electione, nu. 37.* Vallensis *h. t. n. 4.* asserens, in Collegiis passim obtinuisse, ut quòd major numerus non respectu totius, sed minoris partis decreverit, ratum sit, & plenum habeat vigorem. Quod tamen, an hic & nunc procedat, ex usu, & consuetudine particulari cujuslibet loci, desumendum erit: nam consuetudo, cùm sit facti, & plura ad eam requirantur, ita ut sit difficilis probationis, juxta Glossa *fin. c. ult. de Consuetud.* in dubio non præsumitur, sed probari debet.

29 Tertiò eadem Conclusio fallit in Jurepatronatus. Nam, si plures sint Patroni, atque illi varient in præsentando Clericum idoneum ad beneficium vacans; tunc valida est præsentatio facta à majori parte Patronorum, etiam respectu minoris partis, licèt non excedat medietatem omnium Patronorum, dummodò cæteroquin Clericus sit idoneus. Unde, quando quatuor sunt Patroni, & unus eorum præsentat Titium, alter Sempronium, & duo reliqui Cajum, valida erit præsentatio duorum in favorem Caii facta: huicque cæteroquin idoneo, debebitur beneficium vacans, *arg. c. Quoniam 3. de jure patronat.* ac notat Joan. Andreas *ibid. n. 3.* & Abbas *n. 12.* & Fagnanus *n. 13.* citans Rotam *decis. 568. n. 2.* apud Farinacium *part. 1. Recent* & alios. Ratio est: quia Patroni præsertim laici, non præsentant ut Collegium (alioquin secùs foret dicendum) sed communiter præsentant ut singulares: atqui in illis, ubi plures habent explicare actum ut singulares, sufficit major pars respectu aliarum minorum partium, *arg. cit. c. Quoniam de jurepat. l. c.* notat Jo Andreas & Ab *ubi suprà*.

30 Unde non obstat *c. Ecclesia vestra, 48. de election.* Quia ibi sermo est de Electione, quæ non nisi à Collegio, seu à pluribus capitulariter congregatis fieri potest, sicque requirit majoritatem votorum respectu totius Capituli præsentis; hic autem est sermo de Præsentatione, quæ à Patronis fieri solet ut singularibus, non autem ut Collegio. Archidiaconus *can. Nicæna, num. 6. dist. 31.*

Jo. Andreas, & Abbas *ubi suprà*, & alii.

31 Fallit quartò eadem Conclusio: quando intervenit contemptus alicujus de Capitulo, Collegio, seu Universitate. Quia, si vel unus vocatus non est, qui vocari debuisset, potest is agere de contemptu; atque id, quod à cæteris actum, sive conclusum fuit, irritare, si velit. Glossa *in c. Quia propter vers. Sanior*, & Abbas *ibid. n. 12.* & Joan. Andreas *n. 28.* & Fagnanus *n. 39. de Election.* aliique passim. Siquidem *electioni* (idemque dicendum de aliis actibus Capitularibus) *plus contemptus unius, quam contradictio multorum obsistit*: ut dicitur *c. Bonæ memoriæ 36. & c. Venerabilem 34. §. Objectioni, & c. Quod sicut 28. de Election.* Additur verò notanter, *si velit irritare.* Nam si contemptus *postea propter bonum pacis curaverit consentire*, valebit electio, vel alia dispositio Capitularis, juxta textum expressum *in cit. c. Quod sicut §. 1. in fin. de election.*

32 Fallit quintò in assumptione Coadiutoris Episcopo dementi dandi. Nam si Episcopus fuerit demens, & quid velit vel nolit, exprimere nesciat, tunc quidem Capitulum Cathedrale authoritate Apostolica poterit atque debebit eidem unum, vel duos Coadiutores idoneos assumere, ad istam tamen assumptionem non sufficit major pars Capituli: sed oportet, ut vel totum Capitulũ vel saltem duæ ipsius partes concurrant, per textum expressum *in cap. un. §. Si verò Episcopus, de Clerico ægrot. in 6.* estque jam dictum suprà *eod. tit. 6. de Clerico ægrot. §. 1. n. 43.*

33 Fallit sextò in electione Summi Pontificis: quia hæc non valet, nisi fiat à duabus partibus Cardinalium præsentium, *c. Licèt 6. de election.* estque ampliùs dictum suprà *lib. 1. Tit. 6. De electione §. 6. n. 149.* Ubi *n. 152. & 153. ad seqq.* præsens Fallentia in materia Electionum accidens, extenditur ad casus illos, quando Electio concurrit cum Postulatione, & quando major pars scienter eligens indignum, privatur potestate eligendi pro una vice: de quibus casibus ibidem videri poterit.

34 Fallit septimò in dispositione Capituli, Collegii, vel alterius Universitatis de iis, quæ competunt pluribus, non ut Collegio, sed ut singulis. Nam præsens Titulus loquitur de illis, quæ competunt pluribus ut Collegio, seu Universitati: de aliis verò, quæ competunt pluribus ut singulis, procedit Regula 29. Juris in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, cum concordantiis. Sed occasione hujus ultimæ fallentiæ.

35 Quæritur III. Qua ratione salvetur dispositio *cap. ult. h. t.*) Ubi decisum habetur, quòd Episcopus cum majori parte Capituli possit statuere, ut quilibet Canonicorum teneatur aliquam partem suorum redditum conferre ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis, non obstante quorundam contradictione. Ratio dubitandi est: quia in tali casu videtur, quòd Canonici illi tenerentur contribuere ut singuli; non verò ut Collegium, seu Capitulum: atqui istud repugnat proximè dictis *n. præced.* ergo. Accedit Reg. 56. Juris in 6. *In re communi, potior est conditio prohibentis.* Et concordat textus notabilis, *in l. Qui fundum, ff. de Servitutib. rusticor. prædior.* ubi Summarium breviter inquit: *In iis, quæ sunt communia pluribus ut singulis, requiritur consensus omnium, qui potest separatim adhiberi*: cum similibus.

36 Nec juvat respondere cum Vincentio, quem refert Abbas *c. ult. n. 4. h. t.* dispositionem dictæ Decretalis processisse ex approbatione Papæ; aliàs verò procedere contrarium. Nam (ut benè opponit Abbas *d. n. 4.*) secundùm istam Vincentii opinionem pro nihilo deserviret hodie ista Decretalis; ac proinde frustrà fuisset posita in Volumine Decretalium: atqui hoc est absurdum dicere, & contra dicta in proœmio Quinque Librorum Decretalium, ubi Pontifex *Decretales in unũ volumen providit redigendas, resecatis superfluis*; & consequenter nulla amplius superfluit. Itaque dimissa memorata Vincentii sententia

37 Resp. I. Episcopus, sive alius Prælatus, cum majori parte Capituli sui, etiam contradicente parte minore, potest statuere, ut una cum ipso quilibet canonicorum pariter aliquam portionem suorum redditurum pro reparatione Ecclesiæ suæ, veluti *opera tam pio & necessario*, deputare teneatur. Textus est expressus *in c. Ex parte*, seu *c. ult. h. t.* Et ratio hujus decisionis Apostolicæ est ea, quã assignant Innocentius, Jo. Andreas, Abbas, aliique passim *cit. cap. ult. h. t.* Quia videlicet (ut loquitur Pontifex ibidem) reparatio Ecclesiæ Cathedralis, seu propriæ,

est causa pia, & necessaria, concernens etiam utilitatem & necessitatem ipsius Collegii, utpote cujus Ecclesia indiget reparatione. Accedit, quòd redditus illi non pertineant ad Canonicos jure proprio, sed jure Ecclesiæ: nam redditus Canonicales principaliter pertinent ad Ecclesiam utpote ex cujus fructibus, olim in quatuor partes divisis, *can. de redditibus, & can. Concesso, & can. Quatuor 12. q. 2.* Mensa Capitularis consurrexit, quæ postmodum in singulos Canonicos proportionaliter pro honesta eorum sustentatione dividi debet. Unde propter communionem, quæ est inter Ecclesiam, & & Prælatum Sponsum ejusdem, ipsum Capitulum, meritò Prælatus una cum majori parte Capituli statuere potuit, quòd ad neeessariam Ecclesiæ reparationem quilibet Canonicus aliquid conferre teneatur.

33 Neque obstant rationes dubitandi *n. 35.* allatæ. Respondetur enim cum Innocentio, & Abbate, *ubi suprà*, Engel *h. t. n* 13. allisque passim, quòd Regulæ, & lura ibidem allegata procedant, quando redditus, v. g. Patrimonii, ad singulos pertinent jure proprio; secùs, quando pertinent ad eos jure Ecclesiæ seu Collegii. Sic major pars, utpote repræsentans totum Collegium, potest de ipsis, veluti ante actualem divisionem in singulos Canonicos factam adhuc pertinentibus ad Ecclesiam, jure merito disponere: dummodò id fiat pio opere pio, simulque necessario: ut est reparatio Ecclesiæ Cathedralis ruinosæ, vel alia hujusmodi pia causa, ob necessitatem, vel utilitatem ipsius Collegii occurrens.

39 Atque istud posterius solent exemplificare DD. in sustentatione Scholaris pauperis docilis, existentis in Studio. Nam, quia hac ratione possunt acquiri Viri docti, qui veluti stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire, *c. Super specula de Magistris*, sicut & universalis Ecclesia ad sui regimen Viris litteratis vel maximè noscitur indigere, *c. Cùm ex eo 34. de election. in 6.* Hinc posse Episcopum cum majori parte Capituli, non obstante pauciorum contradictione, statuere, ut quilibet Canonicus debeat aliquid ex suis redditibus Ecclesiasticis contribuere ad sustentationem alicujus pauperis Scholaris; resolvit Abbas *d. cap. ult. n* 1. & Barbosa, *ibid. n. 4. h. t.* Pirhing *eod. n. 9.* & alii. Quod ipsum desactò quoad erectionem, & conservationem Seminarii Clericorum, expressè statutum fuit à Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 18. de Reform.*

Secùs dicendum, quando nulla subesset pia & necessaria causa, sive necessitas aut utilitas Collegii: tunc enim major pars Collegii nihil posset disponere in præjudicium aliorum Glossa *in c. cùm omnes vers. Constitutum in fin. de Constitution.* & Abbas *cit. cap. ult. n. 4. V. Unde crederem h. t.* istud exemplificans in casu, quo major pars Capituli, contradicentibus cæteris, vellet cuipiam facere gratiam aliquam de redditibus, qui perveniunt ad singulos jure Collegii. Nam in tali casu cessaret ratio *in c. ult. h. t.* ponderata; videlicet ipsius operis pietas, & necessitas: eò quòd concessio dictæ gratiæ neque pia foret, neque necessaria: ac proinde ipsa non obligaret cæteros contradicentes, per Jura *n. 34 & 35.* allegata.

Quæritur IV. An Capitulum possit ferre Interdictum 41
locale sine consensu Episcopi? Resp. I. Capitulum sine authoritate, & consensu Episcopi; ac multò minùs Canonici particulares, non possunt ferre Interdictum locale propter excessus subditorum suorum. Textus est *in c. Quæsivit 1. h. t.* ubi ejusmodi Interdictum Pontifex mandat non observari; neque sustineri ab Episcopo, ut ab aliis observetur. Accedit ratio, quam ponit Glossa *ibid. vers. Assensu*: quia talis sententia non tenet, cùm sit lata ab eo, qui non habet jurisdictionem: nam vivente Episcopo Capitulum spectato Jure communi, ac secluso speciali consuetudine, vel privilegio, non habet jurisdictionem Fori externi in territorium Episcopale. Verùm de Interdicto alibi.

Posset hoc loco etiam quæri, an Capitulum valeat 42
condere Statuta; vel ab antiquo condita, aut etiam juramento confirmata, denuò revocare? Verùm de hoc jam dictum est suprà *lib. 1. Tit. 2. de Constitutionibus §. 4. n. 84. & §. 21. n. 533. & seq.* ubi videri poterit.

TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

1 *Ratio ordinis Rubricarum.*
Rubrica hujus Tituli stat pro regula. Ibid.

POstquam in præcedentibus Titulis sufficienter actum fuit de Beneficiis, eorumque concessione; subjungitur Rubrica præsentis Tituli, omnem Collatoribus viam præcludens, sive ob proprium, sive ob consanguineorum, aut aliorum respectum, & emolumentum, quoquo modo diminuendi, gravandi, deteriorandi &c. ponendo regulam generalem: *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* Nam quòd isthæc Rubrica stet pro regula, ac proindè rectè allegetur: notat Abbas *in Proœmio Rex pacificus n. 8. ac in Rubrica Tit. Ne Sede vacante &c.* Concordat Glossa *in can. Hæc autem vers. Statuerit de pœnit. dist. 1.* inquiens: *Nota quòd Rubricæ sint authenticæ: namex verbis Rubricæ argumentatur hæc Lex.* Ubi Glossa marginalis subinferendo ait, *Argumentum posse fumi ex Rubricis*: estque communis Doctorum, ut jam dictum suprà *in Proœmio Lib. I. Decretal. n. 93. & seqq.*

§. I.

De Diminutione Beneficiorum per impositionem oneris: ubi & de Annatis.

SUMMARIUM.

2 *Diminutio Beneficiorum præcipuè quatuor modis fieri potest; & quibus?*
Diversitas nominum, diversitatem rerum induxit. Ibid.
3 *Regula præsentis Rubricæ patitur suas exceptiones.*
4 *Per impositionem oneris, qualiter fiat diminutio Beneficiorum?*
5 *Ea est prohibita.*
6 & 7 *Prælatus cum Capitulo, an Præbendæ vacanti possit honestum onus imponere? Et n. 5.*
8 *Episcopus, vel alius Collator, nequit redditus vacantis Beneficii sibi reservare.*
9 *Nisi sibi competat ex privilegio, consuetudine, seu alia causa rationabili.*
10 *Potest tamen Episcopus cum Capitulo constituere, ut proventus Ecclesiarum vacantium retineantur ad tempus pro causa justa, & necessaria. Et n. seqq.*
11 *Dummodò id fiat ante collationem Beneficii.*
12 & 13 *A novitter receptis, seu admissis ad Beneficia, nihil potest exigi, non obstante contraria constitutione, vel consuetudine Ecclesiarum.*
14 *Nisi illud in pios usus convertatur.*
15 *Nec valet consuetudo exigendi aliquid à Canonicis ut vocant receptis pro restauratione Mensæ Capitularis.*
16 *Annatarum usus est perantiquus.*
17 *Annatarum nomine, quid intelligatur? Eas potest Papa exigere. Ibid.*
18 *Et cur ipsi sint præstandæ?*
19 *In Germania quales debeantur Annatæ?*
20 *In Germania ex stylo Curiæ impetrantur omnes Canonicatus, & Dignitates inferiores, sub expressis taxæ Cameralis viginti quatuor florenorum auri.*

QUæritur I. Quot modis Diminutio beneficiorum 2
Ecclesiasticorum accidere possit? Respond. I. Dimi-

Diminutio Beneficiorum præcipuè, ac generatim loquendo, quatuor modis fieri potest; videlicet, per impositionem oneris, per Divisionem, per Dismembrationem, & per Suppressionem: sub hac etiam comprehendendo Unionem beneficiorum. Ita Ludov. Engel. *h. t. n. 1.* Sannig *eod. cap. 1. n. 2.* & in re communis: quamvis per hoc non negatur, quin plura alia nomina, quandam diminutionem Beneficiorum importantia, adsit: ut Annexio, Incorporatio, Extinctio, Subjectio, Applicatio, & hujusmodi, quę enumerat Pyrrhus Corradus *lib 2. Praxis Beneficiariæ c. 8. n. 2. & seqq.* & Alfonsus Hojeda *Tractatuum tom 15. tr. de beneficiis incompatibilib. p. 2. c. 3. n. 3.* Etsi enim nonnulla diversitas in præfatis nominibus, quibus addi potest Pensio, considerari valeat; nam diversitas nominum, diversitatem rerum induxit, *arg. l. Si idem C. de Codicill.* juncta Glossa *v. Vocabulum. Ibid.* asserente, quòd vix inveniatur aliquod nomen, quod omninò idem significat, quod aliud: (semper enim plus, vel minus, vel alio modo significat) nihilominùs cætera illa vocabula facilè reducuntur ad quatuor enumeratos principales modos Diminutionis Beneficiorum, cùm ad istos pertineat veluti species, seu membra, aut ut requisita.

3 Resp. I. Regula præsentis Rubricæ, *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, afficit quidem omnes præfatos modos diminutionis Beneficiorum, adeò quòd omnes & singulę tales diminutiones Collatori ordinario sint prohibitę: patitur tamen etiam ipsa suas limitationes, ac præsertim accedente gravi necessitate, vel alia justa causa. Ita certa, & communis: & patet tum ex vulgato illo axiomate. *Nulla regula sine exceptione.* Tum ex *c. ut § fin. h. t.* ibi; *Ut ipsi proventus retineantur ad tempus pro causa justa, & necessaria.* Tum ex dicendis in progressu.

4 Quæritur II. Quomodo per Impositionem oneris fiat, 4
sique illicita diminutio beneficiorum Ecclesiasticorum? Resp. I. Per Impositionem oneris diminuitur Beneficium, quando Collator beneficii, v. g. Episcopus, Beneficiatum aliquo onere reali, vel personali gravare, aut partem reddituum beneficialium sibi reservare præsumit. Et tale onus reale imponeretur obligando v. g. Beneficiatum, ut certam partem fructuum quorannis solvere, vel aliquid quidpiam pro semel & semper præstare teneatur. Personale verò onus imponeretur, obligando v. g. Beneficiatum, ut deinceps Sacram Scripturam legat, Catechesin habeat, plures Missas celebret, ac antèà fuerant præscriptæ; vel ut Choro assistat, aut aliud hujusmodi faciat, quod antehac non fuerat beneficio annexum. Nam, ut ex terminis patet, omnibus istis modis beneficio novum onus imponitur.

5 Resp. II. Omninò illicitum, atque prohibitum est, 5
beneficium conferre cum diminutione per novi oneris impositionem. Ita certa, & communis omnium: atque patet ex *c. un § Omnibus ergo h. t.* juncto *c. Prohibemus 7. de Censib.* ubi Concilium Lateranense, sub Alexandro III. celebratum, sic decrevisse legitur. *Prohibemus insuper, ne ab Abbatibus, episcopis, vel aliis Prælatis, novi census imponantur ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem fructuum suis usibus appropriare præsumant: sed libertatem, quam sibi Majores conservare desiderant, minoribus suis bona voluntate conservent: si suis verò aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur.* Hæc ibi. concordat *can. Si quis præbendas. 1. q 3.* cum similibus. Nam, ut novissimo Concil. Tridentinum *Sess. 25. cap. 5. de Reform.* provide animadvertit, *ratio postulat, ut illis, quæ benè constituta sunt* (putà, in Beneficiorum erectione, seu fundatione) *contrariis ordinationibus non detrahatur*: videlicet imponendo nova onera, aut oneribus antehac impositis derogando. Et hinc, quòd Prębendis jam erectis authoritate ordinaria non possit novum onus imponi, sæpiùs declaravit Sacra Congregatio Concilii; prout refert Fagnanus *c Significatum n 3. & seqq. de Præbend.*

6 Dices. *In c Significatum 11. de Præbend.* Summarium 6
sic loquitur: *Possunt prælatus & capitulum præbendæ vacanti honestum onus imponere* (putà, quotidie celebrandi) *ad quod præbendarius teneatur*: ergo quamvis beneficium non possit conferri sub impositione oneris realis obligando v. g. Beneficiatum ad aliquid solvendum, vel certam partem fructuum beneficialium Collatori relinquendam

&c (hoc enim videtur sapere simonium) nihil tamen videtur obstare, quò minùs imponatur onus personale, cæteroquin tamen honestum, v. g. residendi in loco beneficii, plures Missas legendi, Choro assistendi &c. etiamsi illud in fundatione beneficii non fuisset impositum. Resp. neg. consequent. Quia citatum capitulum nihil probat, quin potiùs stat in oppositum: nam ibidem Prępositus cum capitulo Insulano, imponens novum onus Beneficio conferendo, petivit hujus confirmationem à Papa: sicque intellexit, ipsoque facto consessus est, quòd illa nova constitutio, seu impositio novi oneris, valida non fuisset, nisi accessisset robur Apostolicæ confirmationis, quam idcircò petivit. Fagnanus. *c. Significatum n. 2. de Præbend.* Pirhing *eod. tit. num. 67.* Unde conformiter dictis potest aliter responderi, & distingui consequens. Ergo Beneficio vacanti potest imponi onus personale, accedente authoritate, seu confirmatione Apostolica, concedit ur: sine tali authoritate Apostolica, ac per solum Collatorem ordinarium, negatur consequentia.

Fatenduin tamen, quòd Glossa *in c. c. Significatum v.* 7
Ita quod & plures Doctores *ibid. in Summario de prębend.* velint, quòd Prælatus cum Capitulo possit Prębendæ vacanti honestum onus imponere; ita videlicet, ut qui ad illam Prębendam eligitur, onus illud subire debeat, ut res transeat cum suo onere. Verum hæc sententia vel est intelligenda de limine fundationis Beneficii, quo tempore Fundator potest adjicere quascunque leges, & conditiones sibi benè visas, & cæteroquin honestas; ut jam dictum suprà *Tit. 5. de prębendis. §. 4. n 105. & seqq.* Vel accedente authoritate Apostolica, conformiter proximè dictis: vel erit relinquenda Nam, quòd etiam Fundatoris successor cum consensu Episcopi non possit alterare, seu derogare qualitatibus in limine fundationis appositis (& multò minùs Collator) ex professo dictum est suprà *c. c. 5. §. 4. n. 111.*

Quæritur III. Utrùm præmissis non obstantibus possit 8
Episcopus, vel alius Collator, reddirus vacantis beneficii sibi reservare? Resp. Negative: quinimò illud foret novum onus imponere beneficio, illudque diminuere. Ratio clara est: quia bona à mortuis Ecclesiarum Rectoribus derelicta, seu tempore vacationis Beneficiorum obvenientia, vel *in utilitatem eorundem expendi, vel futuris debent successoribus fideliter reservari*; prout habetur *c præsenti 9. de Offic. Ordin in 6. & c. Quia sæpè contingit. 40 de Elect. in 6.* atque jam ab antiquo statutum fuerat *can. Quoniam quidam diff. 75. & can. Illud quod 12. q. 2. & c. Cùm vos. 4. de Offic Ordin.* ubi idcircò jubetur poni Oeconomus, qui vacante Ecclesia, seu Beneficio, fructus ipsius colligat; & eos aut in opus Ecclesiarum, earumve utilitatem expendat, aut futuris Successoribus fideliter reservet. Atqui istud non fieret, si Episcopus, vel alius Collator Beneficiorum, horum fructus, seu redditus occupare, aut in suos usus convertere quoquo modo præsumeret: quod proinde in præallegatis Sacris Canonibus gravissimè prohibitum fuit. Concordat *c. un. §. Omnibus h. t.* ubi dicitur, quòd *in Lateranensi Concilio prohibitum sit, ne quis conferendo Ecclesiasticum beneficium partem proventuum suis usibus retinere præsumat.*

Additur tamen *in c. c. præsenti 9. de Offic. Ordinar. in 6.* 9
notabilis limitatio præmissorum, illis verbis: *Nisi de speciali privilegio, vel consuetudine jam præscripta legitimè, seu alia causa rationabili* (putà, quia in limine fundationis sic concessum fuit) *hoc eisdem competere dignoscatur*: nempe Episcopis, Abbatibus, seu quibusvis aliis regularibus, vel sęcularibus Prælatis, & personis, quibus de speciali jure competit occupare bona Ecclesiarum vacantium. Quamquam etiam in hoc casu non sit licitum, occupare quæcunque bona morientium Rectorum, aut tempore vacationis Beneficiorum obvenientia, sed illa soldm, quæ supersunt solutis debitis, atque ministrorum salariis, & hujusmodi. Unde in *c. c. præsenti, §. Porrò*, expressè subjungitur: *Porrò ubi ex privilegii, vel consuetudine, seu alia de causa rationabili, sibi aliquis prædictorum asserit bona competere suprà dicta: hoc de illis bonis solùm debet intelligi, quæ solutis debitis, si quæ sint, & his, quæ fuerint necessaria pro servitoribus, & ministris, ac incumbentibus oneribus, usque ad novos redditus supportandis congruè reservatis, ex ipsis reperta fuerint superesse.* Hęc ibi, juncta Glossa & DD. amplius istud declarantibus.

Resp.

10 Resp. II. Quàmvis extra casus proximè positos Episcopus, vel alius Collator, redditus vacantis beneficii occupare, sibique applicare non possit: potest nihilominùs Episcopus cum Capitulo suo constituere, ut proventus beneficiorum vacantium retineantur ad tempus pro causa justa, & necessaria. Ita textus *in c.un. §.ult.* & Gl. *fin. ib.* & Innocentius *n.6.* & Abbas *num. 20. h.t.* aliique passim: qui istud exemplificant in casu debitorum nomine Ecclesiæ contractorum, pro quorum solutione aliunde media non suppetunt, *arg. c.penul.de Verb signif.* ubi Papa pro exoneratione talium debitorum cuipiam Episcopo indulsit, ut fructus beneficiorum in sua Diæcesi vacantium, biennio retinere potuerit. Et hoc ipsum intelligi debet de cæteris Ecclesiæ necessitatibus, aliisque causis justis, ac necessariis: nam *c.c. un.§. ult. h.t.* textus generaliter loquitur de *causa justa, & necessaria*: sicut & Jura *num.* 8. citata expresse asserunt, bona tempore vacationis beneficiorum obvenientia, in utilitatem Ecclesiarum (in quibus est Episcopus, *can. Scire debes, 7. q. 1.*) expendi posse.

11 Additur notanter in Conclusione, *Episcopus cùm capitulo*. Quia spectato Jure communi, & juxta Glossam, Innocentium, & Abbatem, *ubi suprà*, requiritur ad hoc, ut Episcopus id constituat cum Capitulo suo, juxta textus *c.c un.§.ult.h.t.* ibi: *Utrùm ante donationem constituat* (nempe Episcopus cum Capitulo suo) *ut ipsi proventus retineantur ad tempus pro causa justa, & necessaria.* Ubi pariter ponderando ly, *ante donationem*, seu liberam collationem beneficii: nam dicta constitutio, seu reservatio fructuum beneficii vacantis debet fieri ante, vel saltem cum ipsa collatione beneficii. Post collationem autem hujus semel liberè factam, sine consensu beneficiati non rectè fieret; eò quòd huic jam esset jus quęsitum, quod ipsi invito auferri non posset, *l. Id quod nostrum, ff. de Reg. jur.* ubi dicitur: *Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.* Zoesius *h.t.n.2.* Engel. *eod.n.3.v.item poterit.*

12 Quæritur IV. Utrum à noviter receptis, seu admissis ad possessionem Canonicatus, seu alterius beneficii, possit aliquid exigi, saltem existente statuto, vel consuetudine longæva? Resp. I. A noviter recepto, seu admisso ad possessionem Ecclesiæ Cathedralis, Canonicatuum, vel aliorum beneficiorum; nihil potest exigi, nec aliqua proventuum, seu fructuum deductio fieri, aut aliqua solutio, promissio, seu compensatio convertendorum in utilitatem aliorum canonicorum, seu beneficiariorum (quæ alicubi dicuntur *Turnorum lucra*) interponi: sed quæcunque talia, in pios usus non convertenda, censentur illicita, suntque prohibita, veluti habentia labem simoniacæ pravitatis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem, non obstante aliquo statuto, aut consuetudine etiam immemoriali Ita communis; & signanter Abbas *c. Jacobus n.2.& 3.de Simonia*. Barbosa *tr.de Canonicis*, *c.15. n.24. & seqq.* Antonell. *de Regimin. Eccles. lib.4.c ult. §.1. nu.4.* citans constitutionem *Pii V.* quæ incipit: *durum nimis*, quam refert Piasec. in *praxi Episc. p.1.c.4.n.51.* S. Congregatio apud Garciam *p.8.de benef. c.1. n. 83. & seq.* citans alios. Idque patet ex *can. Si quis præbendas 1. q. 3.* ubi Innocentius II. in Synodo Romana decrevisse legitur, ut à promotis ad beneficia *nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis ante, vel post, à quoquam aliquid exigatur, vel ipse dare præsumat, quoniam simoniacum est: sed liberè, & absque diminutione aliqua, collata sibi dignitate, absque beneficio perfruatur.* Hæc ibi. Concordat *c.Jac. 44. de Simonia*, ubi pariter reprobatur consuetudo exigendi prandium à receptis in canonicos.

13 Accedit novissimè Concilium Tridentinum *sess. 24.c. 14. de reform.* ubi ex professo Sancta Synodus detestatur, atque ab Episcopis aboleri mandat plurium Ecclesiarum constitutiones, pravasque consuetudines, *ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur.* Hæc inquam, omnia Sancta Synodus detestatur, & *mandat Episcopis, ut quæcunque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant, &c.* Hæc Concilium.

14 Additur notanter à relato Concilio Tridentino, *quęcunque hujusmodi in pios usus no.. convertuntur*. Nam valida foret constitutio, seu consuetudo Ecclesiarum, quę imponit onus receptis ad beneficium conferendi aliquid, quod non tendit in utilitatem Canonicorum, seu collatorum beneficii, sed solummodò in utilitatem ecclesiæ, utputà, ad conservandam ejus fabricam, vel sacristiam: aut quod convertendum est in augmentum cultus Divini, aliosque pios usus, putà, ad conservationem Seminarii, vel pauperum eleemosynas &c. Prout tum ex relatis verbis Concilii, argumento à sensu contrario, desumitur: tum à Sacra Congregatione Concilii decisum refert Garcias *cit.p 8.de benef.c.1.n.90.* & Barbosa *c. 15.de Canonicis, n 29. & 30.* Ita tamen, ut ista non exigantur pro ipsomet ingressu, seu admissione ad beneficium (hoc enim foret simoniacum) sed ad alium finem pium recipiantur. Barbosa *c.n.29.* Abbas *c Jacobus, n.3. de Simonia.* Flamin. Parisius *de Confident. benef. q.38.n.28.* & alii.

15 Secùs foret dicendum de consuetudine illa, vi cujus Canonici à noviter receptis reservarent, seu exigerent aliquid pro restauratione bonorum Mensæ Capitularis: cederet enim in utilitatem singulorum Canonicorum, ac proinde non foret laudabilis, neque valeret. Garcias *cit.n.90.* allegans Declarationem Sacræ Congregationis. Barbosa *d.n.19.*

16 Quæritur V. quid dicendum de Annatis, eorumque constitutione, & solutione? Resp. I. Annatarum usus est perantiquus, cum illum jam à tempore Concilii Viennensis, 1311. celebrati, receptum fuisse, scribat Flamin Parisius *de Confident. Benef. q 9.n.61.* & Laurent. Nicolarts *in Concordatis Germaniæ, tit. 2. dub. un. §.1.* citans alios.

17 Porrò *Annatarum* nomine intelliguntur fructus primi anni, ex Beneficiis Sedi Apostolicæ reservatis, & ab eadem impetratis, Cameræ ipsius persolvendi. Etsi enim inferiores collatores nihil sibi possint retinere ex redditibus beneficialibus, sed teneantur Clericis idoneis ecclesiastica beneficia sine diminutione conferre, ut dictum: secùs tamen est in Summo Pontifice, utpote cui soli competere dignoscitur plenaria dispositio circa beneficia Ecclesiastica, *c. Licèt, 2. de Præbend. in 6.* & alibi; sicque potest Annatas exigere.

18 Cæterùm Romano Pontifici, ex pervetusta ordinatione suorum Prædecessorum, debetur, atque præstari solet Annatarum solutio, tum ob subventionem necessitatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque ad sustentationem Cardinalium indigentium, & Officialium Curiæ; tum præsertim in recognitionem Supremæ suæ Potestatis, atque inferiores Prælati contineantur in obedientia Sanctæ Sedis Apostolicæ. Nicolarts *cit. § 1.* Henric. Wagnereck *tit. de Præbend. in exegesi Concordatorum Germaniæ*. Engel. *eod. tit. n 53. & seqq.* & alii.

19 Resp. II. Loquendo de Germania, patet ex Concordatis Germaniæ, suprà *Tit. 5. de Præbendis §.18.nu.535.* relatis, quòd Annatarum nomine de Ecclesiis Cathedralibus, & Monasteriis exemptis virorum duntaxat, solvendæ sint de fructibus primi anni Summæ pecuniarum in libris Cameræ Apostolicæ taxatæ, quæ *Communia servitia* nuncupantur: ut tamen, ita si quæ excessivè taxatæ sint, retaxentur secundùm qualitatem rerum, temporum & regionum. De cæteris verò Dignitatibus, & beneficiis, auctoritate Sedis Apostolicæ collatis, solvantur mediæ Annatæ, seu medii fructus unius anni, juxta taxam solitam. Sed de beneficiis, quæ valorem vigintiquatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur prout expresse, ac nonnullis additis, habetur in præallegatis *Concordatis Germaniæ*. §.5.

20 Solùm adde pro intelligentia hujus postremæ partis Concordatorum Germaniæ, nec non Regulæ 55. Cancellariæ, *De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus*, quòd hodie ex generali consuetudine, & stylo Curiæ Romanæ obtentum sit, ut omnes Canonicatus, & Præbendæ, ac Dignitates inferiores, Germaniæ, Hispaniæ, & Belgii, sub expressione illius taxæ Cameralis vigintiquatuor florenorum auri, sive Ducatorum impetrentur: ideoque ullæ solvantur Annatæ, juxta citata Concordata Germaniæ: simulque satisfiat præfatæ Re-

gulę

gulę 55. Cancellarię, exprimendo in impetratione talium Beneficiorum, quę non excedant valorem vigintiquatuor florenorum auri. Georg. Branden *ad Concordata Germaniæ, post q.12.Not.2.* Nicolarts *c.Tit.2.§.2.* allegans alios Doctores, & multiplicem Decisionem Rotę.

§. II.

De Divisione, Dismembratione, & Suppressione Beneficiorum.

SUMMARIUM.

21 *Divisio Beneficiorum, quid?*
22 *Est regulariter prohibita, nec potest fieri.*
23 *Nisi subsit rationabilis, justaque causa. Putà, quia Parochia est nimis ampla. Ibid.*
24 *Dismembratio beneficii, quid?*
25 *Est de jure prohibita.*
Non debet unum Altare discooperiri, ut aliud cooperiatur. Ibid.
26 *Dismembratio Beneficiorum potest ex justa causa fieri.*
27 *Ad eam tamen requiruntur eædem causæ, & solemnitates, quæ ad unionem beneficiorum.*
28 *Et declarantur hæ causæ.*
29 *Ad ipsam requiritur Consensus Capituli Cathedralis: & quando secùs?*
30 *Requiritur etiam vocatio Rectoris, aut (si beneficium vacat) constitui Defensoris Ecclesiæ.*
31 *Beneficia curata non possunt dismembrari, ut eorum fructus simplici beneficio applicentur.*
32 *Suppressio beneficii, quid?*
Est prohibita Ibid.
33 *Ex gravi tamen causa potest id fieri.*
Canonicatus ob tenuitatem reddituum, quando possint supprimi? Ibid.
34 *Potest Canonicatus supprimi duntaxat per episcopum; non per ejus Vicarium, vel Capitulum Sede vacante.*
35 *Dignitas ob tenuitatem reddituum nequit supprimi absque authoritate Sedis Apostolicæ.*

21 QUæritur I. Quid sit, & qualiter illicita existat Divisio Beneficiorum? Resp. I. *Divisio beneficiorum* fieri intelligitur, quando ex uno Beneficio duo constituuntur: ut *c. Ad audientiam 3.de Eccl. ædificand.* Ubi propter nimiam distantiam locorum, ex una Ecclesia Parochiali eriguntur duę.

22 Resp. II. Regulariter loquendo, divisio Beneficiorum fieri non potest, sed est Jure prohibita. Textus est *in c. Majoribus 8.de Præbend.* desumpto ex Concilio Turonensi, ubi dicitur: *Divisionem Præbendarum, aut Dignitatum permutationem fieri prohibemus.* Intellige, regulariter loquendo, ac cessante justa causa, & sine Superiorum authoritate: alias secùs; ut notat Glossa *ib.v. Divisionem* & Abbas *n.2.* cum aliis, atque illicò ampliùs dicetur. Unde

23 Resp. III. Nihilominùs ex rationabili, justaque causa, rectè potest una Prebenda, vel Parochia, per Episcopum unà cum consensu Capituli dividi in duas. Ita Gl. & Abbas *l.c.* & communis aliorum. Idque patet ex *c. Vacante 26.de Præbend.* ubi divisio vacantis Prębendę Canonicalis, ex rationabili causa, & de assensu Capituli per Episcopum facta, & comprobatur, dummodò ejus facultates sufficiant pro duobus Canonicis. Concordat *c.c. Ad audientiam 3. de eccles. ædificand.* ubi in Parochia, quę tam ampla est, ut populus non possit, maximè tempore hyberno, ad eam commodè convenire, cæteroquin autem redditibus abundat, jubetur nova Ecclesia erigi, & Sacerdoti ibidem constituto, certa portio de antiqua Ecclesia assignari. Et hæc Conclusio confirmatur ex Concilio Trid. *Sess.21.c.4. de Reform.* ubi in tali casu conceduntur novæ Ecclesiæ, etiam invitis Rectoribus, erigi: Ita tamen, ut illis Sacerdotibus, qui Ecclesiis noviter erectis pręficiendi sunt, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus: & si necesse fuerit, compelli possit populus, ea subministrare, quę sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam, prout subjungit idem Concilium. Cæterùm, quę alię conditiones in erectione novæ Parochiæ requirantur, suo loco, nempe *Tit.48. De Ecclesiis ædificandis*, dicetur.

24 Quæritur II. Quid sit Dismembratio Beneficii, & an, & quomodo illicita? Resp. I. *Dismembratio beneficii* est, quando aliqua pars reddituum à Beneficio separatur, & alteri applicatur, remanente Beneficio penes suum ordinarium Rectorem. Et hinc Dismembratio titulum non extinguit, sed titulo Beneficii illęso remanente, aliqui duntaxat fructus ab eo separantur, & alteri Beneficio applicantur, Garcias *p.12.de beneficiis, c.3.n 1 & 2* Castro Palao *p.2.tract.13.de benef. disp.6.§.10. n.2.* & alii.

25 Resp. II. Dismembratio beneficii, seu diminutio fructuum ejus, est de Jure prohibita. Ita communis; & patet tum ex *Rubr.un.& h.t.* tum ex *c. Majoribus 8.& c. Tuæ fraternitatis 20. & c. Vacante 26. & c. Cùm causam 36. de Præb* Quibus in locis expressè dicitur, quòd pro unius Prębendę integratione altera scindi, seu dividi non debeat: aliàs verò (subjungitur in *c.c. Vacante*) dividens integrare teneatur. Et meritò: quia, ut notanter Abbas *in c.c. Cùm causam n.2. de Præb.* loquitur, non debet unum Altare discooperiri, ut aliud cooperiatur.

26 Resp. III. Etsi dismembratio Beneficiorum regulariter sit prohibita, ut dictum; nihilominùs ex justa & rationabili causa potest Episcopus, servatis servandis, dismembrare beneficia Ecclesiastica. Ita Garcias, & Castro Palao, *ubi suprà*, Barbosa *p.3.de Offic.& potest.episc alleg. 67.n.16.& 17.* citans Rotam *dec.1.de Reb.eccles.non alien. in novis*, & aliam Rotam *in Aliquan. Nullitatis erectionis, 24.Maii 1810.coram D. Pirovano; & alios*: Idque desumitur ex *c.c. Ad audientiam 3. de Eccles ædificand.* junctoc.*un.§.fin h.t.* ibi: *pro causa justa, & necessaria &c.*

27 Resp. IV. Ut dismembratio beneficiorum licitè ac validè fiat, requiruntur eędem causę, ac solemnitates quę requiruntur in unione Beneficiorum, atque alienatione rerum Ecclesiasticarum. Ita Rota, & Doctores proximè allegati, cum aliis. Siquidem dismembratio est vera alienatio bonorum unius Beneficii, quæ uniuntur alteri. Et hinc

28 Ad dismembrationem Beneficiorum cumprimis requiritur causa justa, & rationabilis: qualis foret necessitas, vel utilitas Ecclesiarum, sive augumentum servitii spiritualis; putà, quia una Ecclesia ob tenuitatem reddituum patitur defectum Ministrorum, adeò ut Parochianis non possit commodè satisfieri in administratione Sacramentorum: alia verò Ecclesia redditibus abundat: tunc enim poterit fieri dismembratio fructuum hujus Ecclesię applicandorum alteri Ecclesię, juxta *c. Ad audientiam, 3.de Eccles. ædificand.* Addit Barbosa *cit. alleg. 67.n.22.* post Loterium *de Re benef. lib.1.q.28.n.25* quòd aliquando sola pinguedo reddituum unius, & exilitas fructuum alterius Ecclesię, reputetur justa causa pro dismembratione.

29 Deinde requiritur ad dismembrationem Beneficii consensus Capituli Cathedralis; talis enim etiam requiritur ad unionem Ecclesiarum, atque alienationem rerum Ecclesiasticarum, *c 1. de Rebus Eccl. non alienand. in 6.* Hoc tamen intellige cum Garcia *d. p.12. c.3. n.11.& 12.* de dismembratione beneficiorum quoad Ecclesias inferiores, quando Episcopus est auctor ipsius dismembrationis: nam quando non Episcopus, sed Rector inferioris Ecclesię non habentis Collegium, est auctor dismembrationis (seu alienationis alterius rei) illiùs Ecclesię, tunc sufficit, quòd Rector alienet cum authoritate solius Episcopi; si tamen Ecclesia illa inferior habet Collegium, requiritur etiam consensus Collegii, *arg.c. Abbatibus 12.q. 2.& c. In venditionibus 17.q 4.& Clem.1.* juncta Glossa *v. Proprii de rebus Eccl. non alienand.* Abbas *c. 1. n.5. De is quę fiunt à Prælatis &c.* Covarruvias *lib.2. Variar. resol.c. 17.n.1.* Garcias *l.c.* allegans plures alios.

30 Requiritur ulteriùs ad pręfatam dismembrationem Beneficii pręvia vocatio Rectoris, aut (si Beneficium vacat) constituti Defensoris Ecclesię, seu Beneficii illius; nam Rectoris Ecclesię vocatio omnino est necessaria, *arg.c. Ad audientiam 3. de Eccl. ædific.* idque propter magnum pręjudicium, quod eidem per dismembrationem, atque diminutionem reddituum, inferri posset. Si tamen Rector vocatus noluerit consentire, poterit Episcopus (si justa causa subsit) eo etiam invito procedere

ad

ad talem dismembrationem. Barbosa *d. alleg* 67. *n.* 17. 18. & 20. post Lotterium *ubi suprà*, *n.* 5. & *seqq.* & alii. Concordant dicenda inferiùs *n.* 78. & 80.

31 His addendum, quòd Ordinarius non possit dismembrare Beneficia curata, ut eorum fructus simplici Beneficio applicentur. Siquidem Concil. Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 6. *de Reform.* expressè statuit, ut Beneficia quę curam animarum retinent, *deinceps in simplex beneficium, etiam assignata Vicario perpetuo congrua portione, non convertantur: non obstantibus quibuscunque gratiis, quæ suum plenarium effectum non sunt consecutę.* Quo Decreto non solùm prohibita est unio totius Parochialis Ecclesię cum simplici, sed etiam unio alicujus partis fructuum ad eam spectantium: prout sæpiùs censuisse Sacram Congregationem Concilii, refert Garcias *c. p.* 12. *c.* 2. *n.* 88. adducens in terminis tales Declarationes ejusdem. Harum prima sic sonat: *Parochiales Ecclesiæ in simplex beneficium converti non possunt, quod intelligendum est etiam in aliqua parte fructuum ipsius Parochialis.* Secunda: *Nec Ordinarius dismembrare potest beneficia curata, ac unire beneficiis simplicibus.* Quarta: *Non poterit Ordinarius separare ab ecclesiis Parochialibus beneficia simplicia, sive Oratoria, si illis unita essent, etiamsi illis separatis Parochiales non egeant.* Nec immeritò: nam in toto, partem non est dubium contineri, juxta *Reg.* 80 *jur. in* 6. ergo prohibita unione totius Beneficii curati cum simplici, etiam unio partis redituum ejus sic prohibita intelligitur.

32 Quęritur III. Quid sit Supressio Beneficii, & quomodo illicita? Resp. I. *Suppressio* est totalis extinctio Beneficii. Et hęc similiter sine causa fieri nequit, *arg. c. ex. p.* 12. *de Const.* ubi dicitur, quòd non possint Canonici sine causa restringere numerum Canonicatuum, seu Prębendarum, cum non debeat Divini Numinis cultus minui, sed potiùs augumentari.

33 Resp. II. Nihilominùs ex gravi causa, putà, ob tenuitatem ac insufficientiam redituum, & servatis solemnitatibus à Jure requisitis, potest etiam fieri suppressio Beneficii. Ita Gl. *in c. Cùm accessissent, v. Confirmatum de Const.* ubi probat, posse Canonicos etiam sine licentia Domini Papę, ex causa supprimere Prębendam, ac minuere numerum Canonicorum. Idipsum expressiùs defactò habetur decisum in Conc. Trid. *Sess.* 24. *c.* 15. *de Reform.* ibi:
„ In ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus,
„ ubi frequentes, adeoque tenues sunt Prębendę cum
„ distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti
„ canonicorum gradui pro loci, & personarum qualita-
„ te non sufficiant: liceat episcopis cum consensu Capi-
„ tuli, vel aliquot simplicia Beneficia, non tamen regu-
„ laria iis unire: vel, si hac ratione provideri non possit,
„ aliquibus ex iis suppressis cum Patronorum consensu,
„ si de jurepatronatus Laicorum sint, quorum fructus
„ & proventus reliquarum Prębendarum distributioni-
„ bus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem nume-
„ rum reducere: ita tamen, ut tot supersint, quę Di-
„ vino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesię commo-
„ dè valeant respondere: non obstantibus &c. *Hactenus*
„ *Concilium.*

34 Circa quem textum notant Doctores, ac signanter Barbosa *tr. de Canonicis c.* 3. *n.* 21. & Garcias *p.* 12. *de Benefic. c.* 2. *n.* 75. & *seqq.* allegans multiplicem Declarationem Sacrę Congregationis: cùm Concil. Trid. *l. c.* non utatur verbo *Ordinariis*, quod latiùs patet (comprehendit enim etiam Capitulum Sede vacante, & Vicarium Generalem Episcopi, & alios Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes) sed solùm dicat, *Liceat Episcopis &c.* dictam facultatem non convenire aliis, nisi solis Episcopis: adeò, ut neque Vicarius Episcopi, neque Capitulum Sede vacante, neque Abbates etiam exempti, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possint talem suppressionem Prębendarum facere; sed istud vi præfati Concilii competat solummodò Episcopis cum consensu Capituli sui. Notanter tamen dicitur, *talem suppressionem Præbendarum &c.* Nam quod attinet unionem simplicium Beneficiorum cum Prębendis tenuibus, eam quidem nequit facere Capitulum Sede vacante vi memorati Conc. Trident. ob rationem proximè dictam: benè tamen aliundè, seu ex vi Juris communis, juxta dicenda *num.* 64. Neque enim istud aliunde fieri posse, negat Concilium *loc. cit.* sed solùm ibi non concedit, nisi Episcopo; ac in simili notat Garcias *dict. cit. num.* 81.

35 Notat etiam Fagnanus *in c. Cùm accessissent n.* 6. & 7. *de Constit.* quandoquidem Concilium Tridentinum *l. c.* tantùm faciat mentionem de suppressione cujuspiam Prębendę, seu Canonicatus, casus autem suppressionis Dignitatis sit omissus: quòd idcircò ob tenuitatem redituum non possit supprimi Dignitas Ecclesię Cathedralis, vel Collegiatę insignis, absque speciali Sedis Apostolicę authoritate, seu licentia. Nam salva circa hoc manet dispositio Juris communis, de qua fit mentio c. c. *Cùm accessissent de Const.* ubi suppressio Dignitatis Primiceratus valere dicitur ex eo, quia fuit *authoritate Sedis Apostolicæ confirmata.* Et ita etiam sentit Glossa *ibid. vers. Confirmatum.* Atque à Sacra Congregatione Concilii decisum fuisse, refert Fagnanus *c. n.* 7.

§. III.

De Unione Beneficiorum, & conditionibus ad eam requisitis.

SUMMARIUM.

26 *Unio Beneficiorum, quid?*
37 *Alia est perpetua &*
38 *Alia temporalis: & quæ?*
39 *Unio Beneficiorum variis modis accidere potest: potissimùm autem tribus.*
40 *I. Cùm mediante unione ex duobus Beneficiis unum.*
41 *Et talis* Unio *dicitur* extinctiva, *seu* translativa.
42 *II. Quando duæ Ecclesiæ ita uniuntur; ut una sit superior, & principalis: alia inferior, & alteri accessoria.*
Et hæc dicitur Unio accessoria, *seu* subjectiva. *Ibid.*
43 *In tali casu Ecclesia principalis censetur tanquam mater, & Ecclesia ei unita tanquam filia.*
44 *Ecclesia accessoriè alteri unita, assumit naturam, consuetudines, & privilegia principalis.*
45 *Atque mutatur status, & natura Beneficii uniti: adeò, ut non ampliùs sit Beneficium per se subsistens, sed pars alterius, cui accessoriè unitum est.*
Sicque desinit esse Beneficium hujusque nomen amittit. Ibid.
46 *Beneficium alteri unitum, fit prædium ipsius.*
47 *Et censetur esse unum duntaxat Beneficium.*
Nec in impetratione principalis Beneficii, opus est exprimere Beneficium ei unitum, Ibid.
48 *Beneficium alteri accessoriè unitum, per se nunquam censetur vacare.*
49 *Unde non confertur per formam Concursus.*
Et capta possessione Beneficii principalis, etiam ejus habetur possessio. Ibid.
50 *Nihilominùs per unionem accessoriam non alteratur status Ecclesiæ unitæ; sed debet in ea deserviri, more solito, per Vicarium.*
51 *III. Modus uniendi Beneficia est, quando ambæ Ecclesiæ uniuntur æquè principaliter &c.*
Et tunc Rector unius, est etiam Rector alterius. Ibid.
52 *Uniones Beneficiorum, à quo possint fieri? Et n. seq.*
Episcopatus unire, pertinet ad solum Romanum Pontificem. Ibid.
53 *Potest Papa etiam omnia alia beneficia unire.*
54 *Episcopus, subsistente justa causa &c. potest unire Beneficia suæ Diœcesis.*
55 *Demptis Beneficiis exemptis:*
56 *Potest Episcopus unire Beneficia Papæ reservata; & qualiter?*
57 *Secùs, quando Papa sibi retinuisset quamcunque dispositionem quoad beneficium.*
58 *Uniones Beneficiorum ad tempus nequit episcopus facere, sed solus Papa.*
59 *Facultas uniendi Beneficia, spectato jure communi competens episcopis, per Concilium Trid. est restricta in nonnullis casibus. Et n. seq.*
60 *Sic Beneficia unius Diœcesis defactò nequeunt uniri beneficiis, Monasteriis &c. Alterius Diœcesis.*

61 *Ecclesia*

61 *Ecclesiæ Parochiales nequeunt ampliùs uniri Monasteriis, Dignitatibus &c. benè tamen aliis Parochialibus.*
62 *Beneficia Regulariter nequeunt uniri Prębendis tenuibus.*
Sicut & beneficia libera non possunt uniri ecclesiis patronatis. Ibid.
63 *Legatus à Latere potest unire benef. suæ Provinciæ.*
64 *Sicut & Capitulum Sede vacante.*
Etsi istud nequeat sibi unire beneficia. Ibid.
65 *Unire beneficia, an possit Vicarius Generalis episcopi?*
66 *Aut id possint alii Prælati episcopo inferiores?*
67 *Quæ solemnitates requirantur ad faciendam unionem Beneficiorum? Et n. seq.*
Ad hanc requiritur causa justa, & prævia cognitio de veritate ejus. Ibid.
68 *Adeò, ut si Papa unionem faciat, de causa inquiri debeat in partibus.*
Non tamen ad eam requiritur tractatus. Ibid.
Unio Beneficiorum est quædam alienatio, non tamen vera & propriè dicta Ibid. & n. 81.
69 *Causa justa uniendi beneficia, quotuplex, & quæ?*
70 *Unio beneficiorum non est actus omnino voluntarius sed quasi necessarium.*
71 *Si fiat sine causa, vel ex causa falsa, tunc est nulla.*
Et an sit nulla ipso jure; ibid.
72 *Ad unionem faciendam debent citari omnes interesse habentes eorumque consensus requiri; ut Prælatus, cui subjecta est ecclesia unienda.*
73 *Collator, vel Electores ipsius episcopo inferiores.*
74 *Patronus, quando Ecclesia unienda est patronata.*
Unio sine consensu Patronorum laicorum, est invalida. Ibid.
75 *Et quid dicendum de Patrono Ecclesiastico?*
76 *Plebs non debet vocari ad unionem beneficiorum: audiretur tamen, si allegaret causam impeditivam ipsius.*
77 *Ad Unionem per episcopum faciendam, requiritur consensus Capituli Cathedralis.*
78 *Quid juris, si Capitulum, vel alii, quorum interest, consentire nolint.*
79 *Ad valorem unionis Beneficiorum non requiritur consensus Rectoris Ecclesiæ, vel hac vacante Defensoris.*
80 *Benè tamen pro dismembratione ecclesiæ: & quæ disparitas?*
81 *Cur in alienatione rerum ecclesiæ vacantis constituendus sit Defensor, non item in ejus unione cum alia? Et n. seq.*
82 *Plùs resistit Jus commune dismembrationi bonorum ecclesiæ, quàm unioni totius Ecclesiæ; & cur?*
83 *Unde habetur casus, in quo minus prohibetur, ubi majus permittitur.*
Et fallit Regula illa: Qui potest totum, potest & partem. *Ibid.*

36 Quæritur I. Quid, & quotuplex sit Unio beneficiorum, quibusque modis fiat? Resp. I. *Unio Beneficiorum* est quędam suppressionis species: atque communiter definiri solet, quòd sit beneficiorum ab Episcopo, vel alio legitimo Superiore facta annexio. Et hæc definitio facilè patebit ex dicendis.

37 Resp. II. Unio Beneficiorum est duplex, alia perpetua, alia temporalis. Ita Alfonsus Hoieda *Tractatuum Tom.* 15. *tr. de benef. incomp. p.* 2. *c.* 3. *n.* 1. Rebuffus *in Praxi benef. tit. de Unionib. benef. num.* 7. Garcias *part.* 12. *de benef. c.* 2. *n.* 9 & alii Et quidem *Unio beneficiorum perpetua* est, quando exprimitur, ut perpetuo duret: ut *c. Exposuisti* 33. *de Præb.* ibi: *De Capellis in perpetuum uniendis.* Item unio censetur perpetua, quę fit ad perpetuam rei memoriam: hoc enim eidem importat, ac ly *In perpetuum.* Vel quando fit unio ad beneplacitum Sedis Apostolicæ: hæc enim, cùm Sedes ipsa non moriatur, durabit perpetuò, nisi revocetur, *c. Si gratiosè* 5. *de Rescript. in* 6. Item unio censetur perpetua, quando fit contemplatione Ecclesiæ, *arg c.* 1. *Ne Sede vacante &c.* ac notat Hojeda, & Rebuffus, *ubi suprà* eò quòd pariter Ecclesia non moriatur.

38 *Unio temporalis* econtrà dicitur, quæ fit ad tempus: ut putà, ad vitam ejus, cui conceditur; & sic contemplatione personæ, quę proinde per illius mortem expirat, *arg. c. Quoniam Abbas* 14. *de Offic. Deleg.* cum similibus. In dubio tamen unio censetur facta nomine Ecclesiæ: nam, ubi contrarium non apparet, Ecclesiæ potiùs favendum est, quam personæ, *arg. c.* 1 *§. Attendentes* juncta Glossa *v. Quam Ecclesiæ. Ne Sede vacante &c.* ac notant Authores proximè citati.

39 Resp. III. Unio Beneficiorum variis modis accidere potest, potissimùm autem tribus. Ita Glossa *in can. Et temporis* 16. *q.* 1. & alia Glossa *c.* 1. *v. Uniendo. Ne Sede vacante &c.* Alfons. Hoieda *cit. tr. de beneficiorum incompatibilitate part.* 2. *cap.* 3 *num.* 2. Rebuffus *in Praxi Benef. tit. de Unionib. benef. n.* 11. & *seq.* Gonzalez *ad Reg.* 8. *Canc. gloss.* 5. *§.* 7. *num.* 26. 27. & *seq.* Fagnanus *c. Novit nu.* 2. *Ne Sede vacante &c.* Barbosa *p.* 3. *de Offic. & potest. episc. alleg.* 66. *n.* 2. & alii.

40 Primus modus est, cùm mediante unione ex duobus beneficiis fit unum: ita videlicet, ut neutrum eorum uniatur alteri, sed ambo simul uniantur. Exemplum hujus habetur *can. Decimas §. fin.* 16. *q.* 1. ibi: *Papa duos episcopatus in unum redigere potest.* Talis etiam unio fieret, quando duę Parochiales Ecclesiæ, cęteroquin vicinę, sed tempore v. g. belli multùm destructę, ita adinvicem uniuntur, ut una fiat Parochia ex duabus; prout exemplificat Hoieda, *ubi suprà*, *n.* 2.

41 Et talis *Unio* dicitur, *extinctiva*, seu *translativa*; eò quòd ex duabus Ecclesiis fiat una Ecclesia, sicque altera earum extinguatur, & jura alterius perimantur, seu transferantur in aliam, Fagnanus *in c. exposuisti n.* 34. *de Præbend.* Atque mediante tali unione, qua neutrum Beneficium unitur alteri, sed ambo simul uniuntur, unitum illud retinet consuetudines, & privilegia, quæ sunt meliora, & humaniora, seu favorabiliora utriusque beneficii, *arg can. Medicamentum de pœnit. dist.* 1. Glossa *ubi suprà*, Fagnanus *c. Novit n.* 3. *Ne Sede vacante &c.* & alii.

42 Alter modus, & quidem cæteris frequentior, est quando duę Ecclesiæ ita uniuntur, ut non coalescant in unum corpus; sed una sit superior, alia inferior, & accessoria alteri. Et tunc in ecclesia unita, seu alteri accessoria debet poni idoneus Vicarius, juxta *c. Extirpandæ* 30. *§. Qui verò de præbend.* ubi statuitur, ut quando Dignitati, vel Prębendę est anneza Parochialis Ecclesia, in hac canonicè instituatur perpetuus Vicarius. Atque talis *Unio* appellatur *accessoria*, seu *subjectiva*, prout ex communi Doctorum, notat Fagnanus *c. c. Novit n.* 3. *Ne Sede vacante &c.* soletque fieri pro augmento dotis alterius beneficii, non habentis sufficientes reditus pro congrua Beneficiarii sustentatione.

43 Portò in tali casu Ecclesia principalis, seu illa, cui accessoriè altera unitur, censetur tanquam mater: & ecclesia ei unita, tanquam filia. Fagn. *c. n.* 3. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. gl.* 5. *§.* 7. *n.* 15. In quo sensu Ecclesiæ Parochialibus annexæ passim solent appellari *Ecclesiæ filiales.*

44 Deinde Ecclesia accessoriè alteri unita, assumit naturam, consuetudines, & privilegia principalis, cui est annexa, *arg c. Recolentes* 3. *§ fin. de Statu Monachor.* & notat Glossa *c. c. un. v Uniendo. Ne Sede vacante &c.* Hoieda *ubi suprà, n.* 2. Rebuffus *d. tit. de Unionib Beneficio. n.* 12. Merlin. *dec.* 37. *n.* 1. & 2 *Turricel. de Unione Benefic. c.* 4. ubi citat Rotam *n.* 4. & alii. Insuper data tali unione accessoria beneficiorum attenditur tantùm qualitas, & natura Beneficii principalis, non autem annexi *arg. Clem. Per litteras de Præbend.* ubi ecclesia Hospitali accessoriè annexa, non debetur habenti Litteras Apostolicas super provisione Ecclesiæ vacaturæ. Nam mediante tali unione ecclesia illa assumpsit naturam Hospitalis, veluti principalis: Hospitale autem vi talium Litterarum non debetur. Huc facit Reg. 42. Juris in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

45 Rursus per hanc accessoriam unionem mutatur status, & natura beneficii uniti: adeò ut licet anteà fuerit Ecclesiasticorum beneficium per se subsistens, per unionem prędictam desinat esse tale, & fiat pars alterius, cui accessoriè unitum fuit. Oldradus *Cons.* 257. *Factum tale est num.* 15. *vers. Fundat igitur.* Et hac ratione Beneficium unitum, mediante unione desinit esse Beneficium, atque amittit nomen beneficii; & induit naturam alterius, cui unitur, & accrescit, *arg. l. Si ex toto §.* 1 *ff. de Legat.* 1. & *l etiamsi C. de jure dotium & §. Si*

grex

gret Instit. de Legat. ubi eadem jura competunt augmento, quæ competunt rei, cui accrescit. Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. glos. 5. §. 7. n. 2. & 3.* post Rotam *dec. 11. n. 1. de Rebus Eccl. in antiq.* & plures alios. Fagnanus *in cap. Dudum il 2. n. 31. de Elect.* citans alios.

46 Quinimò Beneficium alteri unitum, fit prædium ipsius, cui unitur. Gonz. *l. c. n. 5.* Fagn. *d. n. 31.* & rursus *in c. Novit. 3. Ne Sede vacante &c.* post Rotam *dec. 370. aliàs 11. de Rebus eccl. non alien. in antiq.* Cassador *dec. 2. n. 2. de Unione* Caputaquen. *dec. 349 p. 3.* Card. Seraph. *dec. 1078. n. 6.* & Garc. *d. p. 12. c. 2. n. 12.* citans plures alios, ac multiplicem Rot. quarum una *in causa Compostellana Prioratus 17. Martii 1596. cor. D. Lita*, resolvebat: quòd, quando una Dignitas minùs principalis unitur alteri principaliori, vel quando unio fit per incorporationem: Dignitas minùs principalis, vel illa quæ alteri incorporatur, remaneat suppressa, extinctus titulus, ac facta prædium illius magis principalis, vel cui incorporatur.

47 Sequitur proinde, quòd vi unionis accessoriæ unius beneficii ad aliud, unum duntaxat censeatur esse beneficium. Garc. *c. c. 2. n. 14.* & alii; estque jam dictum suprà *Tit. 5. de Præbendis §. 8. n. 208. & §. 13. n. 399.* Unde in impetratione principalis Beneficii, sufficit illud exprimere, nec est opus exprimere beneficium eidem unitum. Jo: Andreas *c. Super eo n. 4. de Præb. in 6.* Felin. *c. In nostra nu. 30. Coroll. 30. de Rescr.* Hoieda, *ubi suprà, c. 3. n. 3. & n. 11.* Jo: de Selva *Tractatuum tom. 15 de benef. p. 3 q. 12. n. 64.* post Rot. *dec. 40 de Rescript.* Rebuffus *cit. tit. de Unionib. Benef. n. 14.* Garcias *d. p. 12. c. 2. n. 20.* citans Rotam *dec. 786. nu. 3. p. 1. Divers.* & plures alios.

48 Sequitur ulteriùs, quòd beneficium alteri accessoriè annexum, per se nunquam censeatur vacare; juxta textum notabilem in *Clem. un. §. Quidam etiam Ecclesias de Excessib. Prælat.* Garcias *d. c. 2. n. 16.* Gonzalez *cit. gl. 5. §. 5. n. 7.* citans plures alios; estque jam dictum suprà *Tit. 5. De Præbendis §. 13. n. 398. & 399.*

49 Unde in collatione Ecclesiarum Parochialium accessoriè unitarum aliis Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis &c. locum non habet collatio per formam Concursus, juxta dicta *cit. Tit. 5. §. 5. n. 142. & 143.* Simulque facta collatione, & capta possessione beneficii principalis, habetur etiam collatio, atque possessio alterius, quod accessoriè eidem unitum fuit: adeò, ut non sit opus alia Beneficii uniti collatione, aut possessionis traditione. Glossa in *c. Gratia v. De jure* & Dominicus, ac Franchus *ibid. n. 6. De Rescr. in 6.* Gonzalez *d. gl. 5. §. 7. n. 6.* Garcias *cit. p. 12. de benef. c. 2. n. 21. & 22.* allegans alios, ubi etiam in progressu nonnullos alios effectus unionis accessoriæ enumerat.

50 Solùm adde, quòd per hujusmodi unionem accessoriam unius Ecclesiæ ad aliam, non alteretur, neque alterari debeat status Ecclesiæ unitæ: sed debeat in tali Ecclesia more solito deserviri, *arg. c. Exposuisti 33.* juncto Abbate *ibid. n. 7. de Præbend.* Garcias *d. c. 2. n. 35.* citans Rotam *dec. 133. n. 15. p. 2. Divers.* Atque tale servitium Ecclesiæ præstandum est per Vicarium, vel perpetuum, vel temporalem; juxta diversitatem Beneficiorum, reservata ei congrua portione redditGuum pro sua sustentatione. Quòd si Beneficium tot reditus non habeat, unde & Rectori principali, & substituto ejus Vicario, debita portio tribuatur, illud nullatenus est uniendum alteri. Abbas *c. n. 7.* cum aliis.

51 Tertius modus uniendi Beneficia est, quando neutra Ecclesia alteri subjicitur, nec ipsæ simul coguntur in unum corpus, sed ambæ Ecclesiæ suum titulum, atque honoris gradum retinent: ac proinde uniuntur æquè principaliter, ita videlicet, ut Rector unius sit etiam Rector alterius. Et secundùm hoc manent duo beneficia, v. g. duo Episcopatus, quamvis sit idem utriusque minister v. g. Episcopus, *arg. c. Et temporis, 16. q. 1.* juncta Glossa *ib. V. Unire* Fagn. *c. Nov. n. 4. Ne Sede vacante &c.* Garc. *c. p. 12. c. 2. n. 37.* allegans plures alios; atque asserens, quòd unio facta æquè principaliter, aliud non operetur, nisi ut Rector unius sit etiam Rector alterius: de reliquo autem utrumque beneficium maneat beneficium, sicut prius, gaudeatque propriis redditibus, privilegiis, honore &c. nisi quòd subsint eidem Rectori. Quinimò, si talis unio fiat, non in perpetuum, sed ad vitam duntaxat Rectoris; in effectu est quædam dispensatio retinendi plura simul beneficia, etiam de se incompatibilia.

52 Quæritur II. A quo possint fieri uniones Beneficiorum? Resp. I. Unire Episcopatus, ad solum pertinet Romanum Pontificem. Ita textus expressus *in c. Sicut unire, 8. de excessib. prælat.* ibi: *Sicut unire episcopatus, atque potestati subjicere alienæ, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur.* Nam, ut notat Glossa *ibid. V. Pertinere:* & alia Glossa *in c. Quod translationem V. Reservata de Off. legat.* unio Episcopatuum pertinet ad majores Ecclesiæ causas, solique Papæ specialiter reservatas.

53 Potest autem Papa non tantùm Episcopatus, sed etiam omnia alia beneficia unire: quia habet plenariam in istis potestatem, *c. Licèt, 2. de Præbend. in 6. & Clem. 1. §. fin. Ut lite pendente &c.*

54 Resp. II. Episcopus etiam, spectato Jure communi, atque subsistente justa causa, & concurrentibus aliis requisitis, potest unire Beneficia suæ Diœcesis. Ita communis; & patet ex *c. c. Sicut unire, 8. de excessib. prælat.* ubi immediatè subjungitur post verba proximè relata: *Ita Episcopi est Ecclesiarum suæ Diœcesis unio, & subjectio earumdem.* Unde ibid. irritanda dicitur unio per inferiorem Prælatum sine consensu Episcopi Diœcesani facta de sua Ecclesia; non obstante etiam assensu vel confirmatione per Metropolitanum interposita: hic enim in Diœcesi sui Suffraganei, absque ipsius assensu, non debet aliquid contra Constitutiones Canonicas attentare, prout ibidem loquitur Pontifex. Accedit ratio: quia ad Episcopum ipso jure pertinet cura Ecclesiarum, seu beneficiorum in sua Diœcesi existentium, *c. Cùm non liceat, 12. de præscription. & can. Si quis Episcoporum, 16. q. 5.* cum similibus: ac proinde ad Episcopum pariter pertinet unio beneficiorum, quando justis de causis est facienda.

55 Limitatur tamen data Conclusio in beneficiis exemptis: nam hoc ipso, quòd talia sint exempta à jurisdictione Episcopi, non poterit illa Episcopus unire, sed recurrendum erit ad Papam. Barbosa *p. 3. de Offic. & potest. episc. alleg. 66. n. 9.* Garzias *p. 12. de benef. c. 2. n. 62.* & alii.

56 Hoc tamen non obstante potest Episcopus unire Beneficia Papæ reservanda, dummodò ex tali unione præjudicium non fiat expectanti Beneficium reservatum: unde si Papa reservavit certum beneficium in favorem Titii, poterit quidem beneficium illud per Episcopum uniri alteri, validaque erit talis unio; sed unio hæc non habebit effectum suum, donec Titius moriatur, aut eodem beneficio privetur, vel spontè illud dimittat. Abbas *c. Sicut uniri n. 7. de excessib. prælat.* Hojeda *c. p. 2. de beneficior. incompatib. c. 3. n. 7.* Rebuffus *in Praxi benef. tit. de Union. benef. n. 31.* Garcias *d. c. 2. n. 92.* Barbosa, *ubi suprà, nu. 7.* post Rotam *dec. 4 & 6. de Rebus eccles. non alienand. in antiq.* & alios. Accedit ratio: quia reservatio Papalis non tangit, neque impedit aliud, quam collationem ab inferiore faciendam, ac proinde ea non obstante, potest per episcopum fieri unio illius beneficii reservati, ita tamen, ut ex tali unione non præjudicetur Titio expectanti, sed ipsius unionis effectus suspendatur usque ad mortem, vel resignationem Titii.

57 Secùs foret dicendum, quando Papa non simpliciter reservasset sibi collationem beneficii quoad titulum, sed quamcunque aliam dispositionem quoad illud sibi retinuisset: tunc enim, quia ly, *Dispositio*, est verbum generale, non posset Episcopus uniendo, vel alia ratione, de eodem disponere. Abbas, & Barbosa, *ubi suprà.* Quod ipsum alii intelligendum censent de beneficiis perpetuò reservatis collationi Papæ, ut juxta Regulam quartam Cancellariæ, est prima Dignitas post Pontificalem in Ecclesia Cathedrali: quia tunc Episcopus non poterit unire tale beneficium. Hojeda *c. n. 8.* Garcias *d. c. 2. n. 93.*

58 Limitatur secundò præfata Conclusio in unionibus ad tempus, seu ad vitam beneficiarii. Hæ enim, cum contra formam Juris communis fiant in favorem personæ, non principaliter in favorem Ecclesiæ (sicut unio perpetua) simulque in effectu idem sint, ac dispensativa collatio plurium Beneficiorum: nequeunt fieri per Episcopum (imò nec per Legatum Apostolicum, absque speciali facultate sibi concessa) sed per solum Papam. Azorius *p. 2. lib. 6. c. 28. q. 17.* Garcias *ead. p. 12. c. 2. n. 84.* Barb. *d. alleg. 66. n. 8.* Pirhing *tit. de præbend. n. 205.* & alii.

59 Resp. III. Facultas uniendi Beneficia, Jure communi Episcopis competens, defacto per Concilium Tridentinum est restricta in nonnullis casibus: uti videre est apud

apud Garciam *loco citato numer. 86. & sequentibus* & Barbosam *num. 27. 29. & seqq.* & alios: atque patet inductione.

60 Sic imprimis, juxta Concilium Tridentinum *Sess. 14. c. 9. de Reform.* Beneficia unius Diœcesis nulla ratione possunt uniri beneficiis, Monasteriis, Collegiis &c. alterius Diœcesis: idque saluberrimè statutum fuit, *ut ordo Ecclesiasticus non confundatur: aut una & eadem ecclesia duarum quodammodò Diœcesium fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint*, prout loquitur Concilium ibid. Secùs erat de Jure antiquo: tunc enim integrum erat Episcopo, unire beneficium suæ Diœcesis cum alio alterius Diœcesis, accedente tamen consensu Episcopi illius. Garcias, *ubi suprà, n. 86.* Barbosa *n. 29.* Hojeda *c. c. 3. n. 6.* Azorius *d. c. 28. q. 17.*

61 Deindè Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 13. de Reform.* restrinxit Jus commune, constituendo inter alia, ut *ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscunque, aut Abbatiis seu Dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, sive aliis Beneficiis simplicibus, aut Hospitalibus, Militiisvè non uniantur.* Quo tamen Decreto non esse prohibitum, quin ecclesiæ Parochiales cum aliis Parochialibus: vel curam animarum habentes cum aliis similibus uniantur, censet Azor. *c. qu. 17.* Quinimò *facere uniones perpetuas quarumcunque ecclesiarum parochialium & baptismalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem &c.* expressè idem Concilium *sess. 21. c. 5. de Reform.* concessit Episcopis, & quidem *etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis:* sicque sub ampliori forma fieri poterat spectato Jure communi.

62 Tertiò, à facultate uniendi beneficia simplicia præbendis tenuibus Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum insignium, excipiuntur beneficia Regularia in Concilio Tridentino, *sess. 24. c. 15. de Reform.* ibi: *Non tamen regularia.* Idemque Concilium *Sess. 25. c. 9. v. Insuper de Reform.* prohibet fieri *uniones de beneficiis liberis ad ecclesias jurispatronatus, etiam laicorum, subjectas:* de quo plura ibidem subjunguntur.

63 Resp. IV. Legatus à Latere, cùm sit major Episcopo, possitque omnia in sua Provincia, quæ Episcopus in sua Diœcesi, *arg. c. 1. §. fin. de Offic. Legat. in 6.* potest etiam ex causa legitima, ac servatis cæteris solemnitatibus, unire beneficia suæ Provinciæ. Rebuffus *cit. tit. de Unionibus Benefic. n. 24.* Hojeda, *ubi suprà c. 3. n. 7.* Garcias *d. p. 12. c. 2. n. 65.* Pirhing *tit. de Præb. n. 207* & alii, post Rotam *dec. 459. in antiq.* aliàs *3. de Offic. Legat.* & alibi pluries.

64 Resp. V. Capitulum Sede vacante, utpote succedens in ordinaria jurisdictione Episcopali, pariter succedit Episcopo in potestate faciendi uniones: dummodò per has juri Episcopali nihil detrahatur. Rebuffus *l. c. n. 36.* Garcias *n. 67.* Hojeda *d. n. 7.* Pirhing. *n. 207.* & alii; & concordant dicta superiùs *n. 34.* Quamvis Capitulum Sede vacante non possit supprimere quodcunque Beneficium, illudque sibi unire, *arg. Clem. Si una, §. fin. de Reb. Eccl. non alien.* ac censuit Sacra Congregatio Concilii relata per Garciam *l. c. n. 68.* Neque enim potest quis authorizare in facto proprio: sicut & nullus potest esse judex in causa propria, *l. un. c. Ne quis in sua causa &c.*

65 Resp. VI. Vicarius Generalis Episcopi unire non potest beneficia sine speciali mandato, *arg. c. ult. de Off. Vicar. in 6.* Ubi is neque beneficia conferre potest, nisi horum collatio ipsi specialiter fuerit commissa. Rebuffus *n. 37.* Hojeda *d. n. 7. n. 69.* & alii.

66 Resp. VII. Prælati cæteri Episcopo inferiores, putà Abbates, Priores, beneficia unire non possunt sine assensu proprii Episcopi, juxta textum apertum *in c. Sicut unire, 8. de excess. Prælat.* Intellige, nisi ex speciali privilegio, aut præscriptione legitimè completa; istud eisdem competere dignoscatur: nam jura Episcopalia inferiores præscribere non prohibentur, *c. Auditis 15. de Præscription.* Hoieda, *ubi suprà*, & alii.

67 Quæritur III. Quænam conditiones, sive solemnitates, requirantur ad faciendam unionem Beneficiorum? Resp. I. Præter legitimam facultatem beneficia uniendi &c. proximè explicatam, prima conditio, seu solemnitas requisita ad faciendam ritè unionem beneficiorum, est causa justa & prævia cognitio de veritate ejus, *arg. cap. Exposuisti, 33. de præbend. & Clem. Si una, 2. de Reb. Eccl. non alienand.* juncto Concilio Trid. *Sess. 7. c. 6. de Ref.* Ubi dicitur, *quòd uniones perpetuæ, quæ deinceps ad cujusvis instantiam fiant nisi eas ex legitimis, aut aliàs rationabilibus causis, coram loci Ordinario vocatis quorum interest, verificandis, facta fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumuntur: ac propterea, nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omninò careant.* Hæc ibi. Quòd ipsum tradunt Rebuffus *in praxi Benefic. tit. de Unionib. beneficior. n. 43. & 44.* Hoieda *cit. part. 2. de Beneficior. Incompatibilit. cap. 3. n. 9.* Pirhing. *tit. de præbend. n. 210.* & alii passim.

68 Et hoc adeò verum est, ut si etiam Papa unionem Beneficiorum faciat, requiratur, quòd de causa inquiratur in partibus: aliàs unio non valebit, juxta *Reg. 12. Cancell. de Unionibus &c.* Quamquam non requiri alium solemnem prævium tractatum ad ejusmodi unionem, censeat Garcias *d. p. 12. c. 2. n. 146.* citans Rotam *dec. 1. de Rebus Eccl. non alienand. in antiq.* Rebuffus *d. tit. de Regula de Unionib. gl. 11. n. 2.* Sanchez *lib. 7 in Decalog. c. 29. nu. 172.* Pirhing. *tit. de Præbend. n. 210.* & alii. Licèt enim unio Ecclesiarum sit veluti alienatio quædam, *c. Tua nuper, 8. in fin. De his quæ fiunt à Prælat.* non tamen habet rationem veræ, ac propriè dictæ alienationis; uti notant præcitati Auctores, *arg. Clem. 2. de Rebus Eccl. non alienand.* ubi ad unionem Ecclesiarum, per Episcopum faciendam, sufficit consensus Capituli sui; neque opus est vocare Rectorem, aut vacante Ecclesia constituere Defensorem, quod tamen requiritur ad alienationem propriè dictam, *c. 1. eod. in 6.* cum similibus. Concordant dicenda inferiùs *n. 81.*

69 Cæterùm causa justa uniendi beneficia, in specie potest multiplex occurrere, atque assignari: generatim tamen ea reducitur ad duplicem, nempe ad evidentem Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, juxta textum notabilem *in cap. Exposuisti, 33. de Præbend.* ibi: *Si evidens necessitas, vel utilitas exigat, Præbendas ecclesiæ tuæ poteris de Capellis in perpetuum annectendis eidem augmentare &c.*

70 Atque per hoc inferunt Doctores, & signanter Abbas *c. Sicut unire, n. 6. de excessib. Prælat.* quod unio beneficiorum, utpote facienda ex evidenti Ecclesiarum necessitate, vel utilitate, non sit actus omninò voluntarius, sed quasi necessarius: sive, ut loquitur Garcias *p. 12. de Benefic. c. 2. nu. 210.* unio magis concernat justitiam; quàm gratiam: adeò, ut ex causa, præsertim necessitatis, teneatur Episcopus unionem facere; & si recusaret, posset adiri Superior, *arg. Nullus laicus, 17. de Jurepatronat.* ac notat etiam Rebuffus *cit. tit. de Unionib. Benefic. n. 42.*

71 Quòd si verò unio beneficiorum fiat sine causa, vel ex causa falsa, & à parte rei non subsistente, etiam servata ceteroquin forma juris, tunc ea est nulla ipso jure *arg. c. c. Exposuisti, de præbend.* ac notat Garcias *loc. cit. nu. 113.* Hoieda *d. p. 2. de Beneficior. Incompatibilit. c. 3. n. 16. & 18.* Barbosa *p. 3. de Offic. & potest. episc. allegat. 66. n. 16.* pluresque alii ab istis citati: contra Rebuffum *in Praxi benef. tit. Regula de Unionibus, gl. 9. v. Secundus*, & nonnullos alios, quos in oppositum citat Hoieda *d. c. 3. n. 17.* quique volunt, unionem ex causa falsa factam, non esse ipso jure nullam ac irritam, sed irritandam, seu declarandam, quòd sit nulla; sicque Episcopum successorem non posse conferre beneficium taliter unitum ante dictam declarationem.

72 Resp. II. Altera conditio, seu solemnitas ad legitimam beneficiorum unionem requisita, consistit in hoc, quod omnes interesse habentes ad eandem faciendam citentur, eorumque consensus requiratur. Idque meritò: Ne forsan cæteroquin cuipiam ignoranti, atque invito, grave damnum in suis juribus inferri contingat. Sic, quando Ecclesia est subjecta Abbati, vel alii inferiori Prælato, non potest Episcopus eam unire absque illius consensu; prout liquet ex *Clem. 1. §. Ad hæc, de Statu Monach.* ibi: *Cùm consilio, & assensu Abbatum, per locorum ipsorum Ordinarios uniantur.*

73 Similibus, quando Beneficium uniendum pertinet ad collatorem, vel electorem Episcopo inferiores, etiam isti anteà sunt vocandi, eorumque consensus requirendus: quia, cum beneficium post unionem ampliùs non sit vacaturum, ipsi amittent jus conferendi, vel eligendi ratione unionis; Rebuffus *cit. tit. Regula, de Unionib. gl. 11. n. 1. & 7.* Garcias *d. p. 12. c. 2. n. 202.* cum aliis.

In-

74 Insuper ad unionem ritè faciendam requiritur vocatio, & consensus Patroni, quando Ecclesia unienda est patronata, seu pertinens ad jus patronatus alicujus inferioris. Rebuffus, *ubi suprà*, *n. 6.* Garcias *n. 202.* Barbosa *cit. alleg. 66.* & alii passim. Idque desumitur ex *c. Pastoralis, 7. de Donationib.* juncto Concilio Tridentino *Sess. 24. c. 15. de Reform.* ibi: *Cum patronorum consensu*. Accedit ratio: quia Patronus habet interesse in unione beneficii: & si hæc fieret ipso inscio, vel invito, inferretur ipsi præjudicium: cum per unionem illam jus præsentandi cesset, atque extinguatur. Unde quòd Rota pluries tenuerit, unionem beneficiorum factam sine consensu Patronorum laicorum esse invalidam, refert Garcias *c. p. 12. c. 2. n. 205. & seqq.* & favet Concil. Tridentinum *Sess. 7 cap. 6. de Reform.* statuens, quòd uniones viribus omnino careant, *nisi eas ex legitimis causis, coram loci Ordinario vocatis quorū interest, verificandis, factas fuisse cōstiterit.*

75 Et hoc de jure communi procedit, sive Patronus sit laicus, sive Ecclesiasticus: de factò tamen istud præcipuè locum habet loquendo de Patrono laico, ob novam dispositionem ejusdem Conc. Trid. *Sess. 24. c. 15. de Reform.* ibi: *Cùm patronorum consensu, si de iure Patronatus laicorum sint*. Nam ponderando, verba illa, *si de Jurepatronatus laicorum sint*, Concilium à sensu contrario concedere intelligitur, unionem in casu *c. c. 15.* posse fieri per Episcopum absque consensu Patroni Ecclesiastici. Barbosa *dict. allegat. 66. num. 31.* post Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 115.*

76 Cæterùm Plebs non debet vocari ad faciendam unionem Beneficiorum, haud obstante, quòd aliquo modo sua interesse videatur: sed Episcopus proteget Plebem, quæ aliquando nesciret, quid peteret. Rebuffus *cit. tit. Regula de union. gl. 11. n. 11.* illicò tamen rectè subjungens, quòd etiam Plebs audiretur, si causam rationabilem allegaret impeditivam unionis, *ar. c. Si quis Presbyterorum. 6.* juncta Gloss. *v. Personis. de Rebus Eccles. non alienand.* Idem tradit Garcias *cit. cap. 2. n. 219. & 220.* & Hujeda, *ubi suprà, cap. 3. n. 9.* & Pirhing *tit. de Præbend. n. 210.*

77 Resp. III. Tertia conditio, ad unionem per Episcopum faciendam requisita, est consensus Capituli videlicet Cathedralis. Textus est *in c. Pastoralis. 7. de Donationib.* ibi: *Sed ut Episcopi donatio* (seu unio Ecclesiæ pio loco facta) *sit legitima, consensus est sui Capituli requirend.* Concordat *Clem. 2. de Rebus Eccl. non alien.* ibi: *Suo consentiente Capitulo uniatur*: ac notat Glossa *ibid. v. Consentiente*. Abbas *c. Sicut unire. n. 2. de Excessib. Prælat.* Hoieda *c. c. 3. n. 9.* Garcias *d. p. 12 c. 2. n. 145. & 146.* allegans Rotam *in Segoviens. Prestimonii; de anno* 1580. habeturque *dec. 133. p. 2. div.* & alios. Additur tamen ly, *ad unionem per Episcopum faciendam &c.* propter dicta superiùs *n. 29.*

78 Quod si capitulum, vel alii, quorum interest, sine justa causa consentire nolint, poterunt compelli per Superiorem: imò, quando evidens causa necessitatis subest, potest ipsis etiam invitis unio fieri, præsertim à Papa. Rebuffus *d. cit. Regula de unionib. gl. 11. n. 3.* Azorius *p. 2. lib. 6. c. 28 q. 12.* Imò & ab Episcopo. Pirhing *tit. de Præb. n 210.* & Sanchez *lib. 7. in Decalogum, c. 29. n. 165.* Quamvis sufficiat, consensum Capituli intervenire etiam post unionem, *arg c. Cùm nos. 3. De his quæ fiunt a Prælat.* ac notat Rebuffus *l. c. n. 20.* Pirhing *d. n. 210* Garcias, *ubi suprà, n. 147.* allegans Rotam *cit. Decis. 133. num. 9.* Pluresque alios.

79 Quæritur IV. Utrum ad valorem unionis beneficiorum, etiam requiratur consensus Rectoris Ecclesiæ. Resp. Negativè. Siquidem Rectori illi non præjudicatur in aliquo, sed ipse manet Rector illius Ecclesiæ, seu beneficii, ut anteà: neque enim talis unio totalem effectum suum habebit, nisi post mortem, vel amotionem illius Rectoris, *arg. c. Consultationibus. 4. de Donation.* ac notat Glossa *in Clem. 2. v. Vocatus*, & Barbosa *in Collect. ibid n. 4. de Rebus Eccl. non alien.* Pirhing. *eod. tit. n. 8.* Rebuffus *cit. gloss. 11 n 8.* Garcias *d. c. 2. nu. 216.* post Rotam *cit. dec. 133.* & alios. Quin etiam, quando vacat beneficium uniendum, non necessariò constituendus est Defensor ipsius, hujusque consensus requirendus. Patet hoc utrumque ex *Clem. 2. de Rebus eccl. non alienand.* ubi dicitur: *Si una ecclesia alteri ecclesiæ, seu Dignitati alicui, vel Præbendæ per Episcopum, suo consentiente Capitulo uniatur, aut Religioso loco donetur, ex eo quòd Rector ipsius ad hoc vocatus, vel si vacabat, Defensor eidem super hoc datus non extitit, nequaquam id poterit impugnari.* Hæc ibi

Dices. *In cap. Ad audientiam. 3. de Eccles. ædificand.* pro dismembratione Ecclesiæ Parochialis expressæ requiritur vocatio, & consensus Rectoris; ergo idem dicendum de unione Ecclesiæ Parochialis, vel alterius beneficii cum alio, vel alia. Resp. neg. conseq. & paritatem. Siquidem dismembratio Ecclesiæ Parochialis, vel alterius beneficii, statim in vita prioris Rectoris habet suum effectum; atque ideò, cùm subintret præjudicium Rectoris, seu diminutio reddituum ipsius, anteà is vocandus est, ejusque consensus requirendus: quamquam, si irrationabiliter consentire recuset, eo etiam invito possit ob numerositatem populi nova Ecclesia Parochialis erigi, sicque prior Ecclesia dismembrari, juxta Conc. Trident. *Sess. 21. c. 4. de Ref.* junctis dictis *n. 78.* Secùs dicendum de unione unius Ecclesiæ, vel beneficii cum altero: hac enim non obstante prior Rector retinebit Ecclesiam, seu aliud beneficium cum omnibus suis redditibus, sicut anteà, *c. c. Consultationibus 4. de Donationib.* estque proximè dictum: unde, quia nullam ipsi infertur præjudicium, saltem considerabile, non est ratio, cur necessariò sit vocandus ad unionem faciendam, ejusque requiratur consensus. Barbosa *in c. Clem. 2. n. 4. de Rebus Eccl. non alienand.* 80

Urgebis. Saltem vacante Ecclesia dandus est eidem Defensor, hujusque consensus requirendus, antequam uniatur alteri, sicque supprimatur, *arg c. 1. de Rebus Eccl. non alienand. in 6.* ubi non valet alienatio de rebus Ecclesiæ vacantis, si fiat non constituto priùs legitimo Defensore ipsius: nam, quòd perpetua concessio, seu unio Ecclesiarum, pertineat ad alienationes, patet ex *c. tua nuper. 8.* juncta Gl *fin. & DD. ib. De his quæ fiunt à Prælatis &c.* Resp. hanc esse difficilem instantiam in cujus solutione multùm laborant Doctores; prout videre est apud Barbos. *l. c. à n. 9. usque ad n. 14.* diversas responsiones afferentem. Breviter tamen dicitur, disparitatem esse inter alienationem rerum Ecclesiæ, & inter alienationem, sive unionem totius ecclesiæ: ibi enim semper intervenit præjudicium ecclesiæ, seu Rectoris sui, cujus bona, sive redditus diminuuntur; simulque fit vera, & propriè dicta alienatio: ac proinde meritò requiri debet consensus Rectoris, atque vacante Ecclesia Defensor constituendus est. Hic autem, sive in unione duarum Ecclesiarum, seu beneficiorum, neutrum contingit: nam, ex quo duæ Ecclesiæ simul uniuntur, inferior, seu unita alteri principaliori, participat hujus privilegia, & jura; sicque potiùs perficitur, atque exaltatur; unde nec intervenit propriè dicta alienatio, ut jam dictum *n. 68.* Rector quoque, cùm post unionem habeat proventus utriusque Ecclesiæ (excepta congrua portione Vicario ecclesiæ unitæ constituenda) nihil detrimenti patitur in redditibus suis, sed re ipsa capit incrementum: unde meritò nec opus est hujus speciali consensu, neque Defensore vacanti Ecclesiæ constituendo. 81

Accedit alia ratio disparitatis. Quia in alienatione, seu dismembratione bonorum Ecclesiæ, subesset periculum præjudicii, Ecclesiæ aut Rectori ipsius inferendi, nisi anteà vocaretur, atque consentire deberet Rector Ecclesiæ, vel (hac vacante) constitutus Defensor ejus: qui deo quippe præ cæteris meliùs cognoscere censentur bona, & redditus ejusdem, & quantum ex his absque notabili cujuspiam præjudicio alienari, seu dismembrari possit. Secùs dicendum in alienatione, seu unione totius Ecclesiæ, sive Beneficii, omniumque reddituum ipsius, ob rationes *n. præc.* allatas. Unde non mirum, quòd ad evitandam tale periculum præjudicii inferendi, fortiùs resistat Jus commune alienationi, & dismembrationi bonorum Ecclesiæ; atque ad eam requirat vocationem, consensumque Rectoris, aut (vacante Ecclesia) constituti Defensoris ipsius, juxta *c. c. 1. de Rebus eccl. non alien. in 6.* Minus autem resistat alienationi, seu unioni totius Ecclesiæ cæteroquin tamen factæ ob evidentem necessitatem, vel utilitatem) neque ad hanc requirat consensum Rectoris, aut Defensoris ejus, *in c. Clem. eod.* 82

Hinc notat Gl. *in c. Clem. 2 v. Defensor.* quòd impræsentiarum habeatur casus, in quo minus prohibetur, ubi majus permittitur. Potest enim Ecclesia tota dari sine Rectore, *c. Consultationibus. 4. de Donat.* aut (si vacat sine 83

De

Defensore) *cit. Clem. 2. de Rebus Ecclesiast. non alienand.* Non verò potest sic dari res Ecclesiæ, *cit. cap. eod. in 6.* Proinde non valet dicere. Qui potest totum, potest & partem; cùm pars in toto contineatur, juxta *Reg. 80. jur. in 6* Fallit enim hæc Regula, ubi Jus fortiùs resistit parti, quam toti, ob majus periculum ibi repertum, aliasve speciales rationes; ut fit in proposito.

§. IV.

De Pensionibus, harumque constitutione.

SUMMARIUM.

84 *Utrum non obstante Rubrica præsentis Tituli, Pensiones in collatione beneficiorum reservari possint? Et num. seqq.*

Pensio Clericalis, quæ. Ibid.

85 *Pensio hujusmodi potest imponi vel personæ beneficiarii, vel beneficio, & hoc adhuc dupliciter.*

86 *Papa potest omnibus modis pensionem imponere.*

87 *Nullus prælatus papa inferior potest novum censum, vel pensionem perpetuam beneficio imponere.*

88 *Regulariter loquendo, episcopus nequit conferre beneficium sub reservatione pensionis cuipiam persolvendæ.*

89 *Potest tamen ex causa rationabili constituere pensionem saltem duraturam ad vitam beneficiarii gravati, & consentientis.*

90 *Non obstante Rubrica hujus Tituli; & cur.*

91 *An episcopus possit beneficio imponere pensionem transmissibilem ad Successorem, seu ad vitam pensionarii, variant Doctores. Et n. seqq.*

92 *Affirmativæ sententiæ rationes afferuntur.*

93 94 & 95 *Negativa sententia est in Jure magis fundata, ejusque rationes.*

96 & 97 *Solvuntur contraria.*

98 *Illicitum est, resignare beneficium cum pacto, seu conditione apposita solvendi pensionem.*

99 *Etiam seclusa omni pactione, regulariter renunciatio beneficiorum sub reservatione pensionis est prohibita.*

100 *Refertur quoad hoc novissimum edictum non gravandi Ecclesias parochiales pensionibus.*

101 *Idipsum probatur rationibus.*

102 *Ex gravi tamen causa potest episcopus resignanti pensionem constituere &c.*

103 & 104 *Respondetur ad novissimum edictum.*

105 *Resignans pro reservanda sibi moderata pensione, ex rationabili causa, potest anteà episcopo supplicare.*

106 *Atque cum Successore amicabiliter componere, submittendo tamen se dispositioni episcopi.*

Quamvis nonnulli hoc posterius videantur improbare. Ibid.

84 Quæritur I. Utrùm non obstante Rubrica præsentis Tituli, Pensiones in collatione Beneficiorum reservari possint? Ubi sciendum, quod nomine *Pensionis Clericalis*; seu *Ecclesiasticæ*, de qua solummodò impræsentiarum est sermo, intelligatur jus percipiendi partem fructuum ex alieno Beneficio, authoritate Superioris Ecclesiastici cuipiam Clerico justa de causa constitutum: de qua, & an sit beneficium Ecclesiasticum, ex professo dictum est suprà *Tit. 5. de Præbendis §. 3. nu. 85 86. & seqq.*

85 Cæterum hujusmodi Pensio potest imponi vel beneficio, vel personæ beneficiarii gravati. Hoc posteriori modo intelligitur pensio constituta, quando ea imponitur soli personæ Clerici gravati: ita nimirum, ut beneficiarius, quamdiu vixerit, seu beneficium tenuerit, debeat alteri certam portionem reddituum annuatim solvere; ad alium verò, nempe ad Successorem ipsius in beneficio, talis obligatio non transeat, sed cum ejus persona extinguatur: ut est casus *in c. Nisi essent 21. de Præb.* Priori modo, sive ipsi beneficio, potest Pensio imponi adhuc dupliciter: nempe, vel in perpetuum, & sic pensio coincidit cum censu constituto in beneficiis, & à singulis beneficiariis successivè persolvendo, *ut c. penult. de Censibus & c. Præterea 23. de Jurepatronat.* vel ad vitam Pensionarii, ita videlicet, ut sit transmissibilis ad Successores in beneficio, quamdiu vixerit ille, cui pensio constituta fuit. Hoc prænotato

Resp. I. Papa potest ex causa rationabili, ac dispensando in Jure communi, omnibus præfatis modis Pensionem beneficiis imponere. Ita certa, & communis Canonistarum. Nam, ut *c. Licet 2. de Præb. in 6.* habetur, omnium *Ecclesiarum, personatuum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscitur Pontificem pertinere.* Quod ipsum reperitur *in Clem. 1. §. fin. Ut lite pendente &c.* cum similibus. 86

Resp. II. Nullus Prælatus Papa inferior potest novum censum, vel pensionem perpetuam beneficio imponere, neque antiquum augere. Ita Abbas *c. prohibemus n. 2. de Censib.* Fagnanus *c. Nisi essent n. 46. de præb.* Barbosa *part. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 85. nu. 1.* citans alios, & communem Doctorum. Idque patet ex *c. Scientes 3. & c. Prohibemus 7. de Censib.* juncta Rubrica præsentis Tituli, *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, cum similibus. Verùm de Pensionibus perpetuis beneficio impositis, seu Censibus, plura inferiùs *tit. 39. de Censibus &c.* 87

Resp III. Etsi regulariter loquendo Episcopus, vel alius Collator Papa inferior, non possit conferre beneficium sub reservatione pensionis cuipiam persolvendæ: nihilominùs in casu speciali, atque ex justa & rationabili causa, potest etiam Episcopus pensionem imponere, seu constituere, saltem duraturam ad vitam Beneficiarii gravati, atque in eam consentientis, cum quo extinguatur pensio. Conclusio hæc quoad priorem partem est certa; & patet ex Rubrica, & textu præsentis Tituli, ubi pro regula ponitur: *Ut Ecclesiastica sine diminutione conferantur*, cum similibus. 88

Alteram Conclusionis partem tenet Glossa *in c. Audivimus V. pensionem de Collusion. deteg.* Innocentius *c. De cætero n. 7.* & Abbas *ibid n. 2. de Transact.* Navarrus *Consil. 43. n. 4. de Simonia* Garcias *par. 1. de benefic. c. 5. n. 295. & 296.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 5. n. 27.* citans Rotam *in una Melitens. Canonicatus 6. Martii 1596. cor. D. Merlino*, & aliàs sæpiùs Fagnanus *c. Nisi essent n. 28. de Præb.* citans complures alios; atque asserens, hanc esse receptissimam sententiam. Conclusio hæc clare desumitur ex *c. Nisi essent 21. de Præb.* ubi pensio quadraginta librarum alteri litigantium, eò quòd dignitati Prioratus cesserit, per Judices compromissarios fuit *pro bono pacis & utilitatis* ordinata, eidem per Priorem confirmatum annuatim porrigenda; quam etiam Papa *hoc adhibito moderamine tolerabat, ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata: ne fortè circa proventus aliqua videatur facta sectio prioratus: ita quod ipso priore defuncto, successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minimè teneatur.* Accedit alius notabilis textus in *c. De cætero de Trans.* ibi: *Si compositio non est juri contraria, non est à loci Episcopo reprobanda; sed census absque Episcopali authoritate solutus, vitam ejus, qui solv. rit, non excedit.* Ubi Abb. *n. 2.* unà cum aliis observat, talem censum, seu pensionem vitam gravati non excedentem, non esse constituendū in certa quota reddituum (putà, dimidia, vel tertia) ne videatur facta sectio beneficii, contra *c. Maior. 8. de Præb.* sed in certa quantitate fructuū, seu reddituum. 89

Nec obstat Rubrica, & textus præsentis Tituli: *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, cum similibus. Siquidem per ejusmodi pensionem non gravatur beneficium, sed persona beneficiarii duntaxat; & sic adhuc beneficium sine diminutione confertur: nec fit aliqua sectio circa proventus ipsius, cùm hos omnes recipiat beneficiarius gravatus, licet posteà ad dies vitæ suæ, sive quamdiu tenuerit beneficium, debeat certum quid præbere Pensionario. Additur verò notanter in data Conclusione, *saltem duraturam ad vitam beneficiarii gravati*, ad differentiam sequentis quæstionis: unde 90

Quæritur II. An Episcopus possit Beneficio imponere Pensionem transmissibilem in Successorem, seu ad vitam ipsius Pensionarii? Resp. In resolutione hujus Quæstionis variare Doctores. Et quidem affirmativam sententiam, seu quod ex gravi causa possit Episcopus pensionem constituere, etiam ad vitam Pensionarii (id est, ejus, cui pensio solvitur) ita videlicet, ut post mortem Beneficiarii gravati transeat onus pensionis præstandæ ad Successorem ipsius in Beneficio: tenet Felinus *in c. Ad audientiam il 2. n. 2. concl. 2. de Rescript.* Gigas *de Pension.* 91

quæst. 6. *n.* 4. Garcias *de Beneficiis*, *par.* 1. *cap.* 5. *n.* 339. Laym. *lib.* 4 *Theolog. Moral. tract.* 2. *cap.* 18. *nu.* 3. citans alios: ac sequitur Pirhing *h. t. n.* 12. asserens post Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *de simonia*, *cap.* 51. *n.* 18. quod saltem usu videatur recepta sententia affirmativa, quidquid sit de Jure stricto. Rationem dant: Tum quia in *c. De cætero* 5. *de Transact.* dicitur: *Sed census absque Episcopali authoritate -- solutus vitam ejus qui solverit, non excedit*: ergo, argumento à sensu contrario desumpto cum authoritate Episcopi potest excedere: prout innuit Gloss. *ibid. Contraria*. Tum quia Episcopus *ante donationem*, seu collationem Beneficii, potest *constituere, ut ipsi proventus retineantur ad tempus pro causa justa & necessaria*: uti dicitur *c. un.* §. *fin. h. t.* Potestque ex causa justa, v. g. ob evidentem necessitatem, vel utilitatem Ecclesiarum, dismembrare Beneficia, & dividere Ecclesias, juxta superiùs dicta. Cur igitur non similiter ex speciali, gravique causa poterit constituere pensionem ad vitam Pensionarii, sicque isto diutiùs vivente transituram ad Successorem in Beneficio, sine alia licentia Papæ?

92 Oppositam, seu negativam sententiam, & in Jure magis fundatam, videlicet, non posse Ordinarium Papa inferiorem imponere Pensiones, quæ transeant ad Successores in Beneficio; tenet Navarrus *Consil.* 8. *n.* 9. *de Jure patronat.* & *Consil.* 43 *n.* 4. *de Simonia*. Flamin. Parisius *de Confidentiis Beneficial. quæst.* 28. *n.* 120. Azorius *par.* 2. *lib.* 8. *cap.* 6. *q.* 11. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 29 *n.* 99. Lessius *lib.* 2. *de justit. & jur. cap.* 34. *n.* 206. Card. de Luca *de Pensionibus discurs.* 40 *n.* 4 & Fagnanus *c. nisi essent n.* 40. & *seq. de Præb.* ex professo, ac fusissime hanc sententiam propugnans, & multipliciter probans Episcopum ordinaria sua potestate non posse pensionem imponere transmissibilem ad Successores in beneficio. Ratio hujus sententiæ desumitur cumprimis ex *cit. c. nisi essent* 21. *de Præb.* ubi Papa expresse decernit, quod pensio, pro bono pacis ex jussione Judicum Delegatorum super Prioratu constituta, non debeat vitam ejus qui solverit excedere, neque Successorem ad ejus præstationem ullo modo obligari, ne fortè circa proventus ipsius Prioratus aliqua videatur facta sectio, illis verbis: *Nos eam* (ordinationem, seu constitutam pensionem quadraginta librarum) *hoc adhibito moderamine toleramus, ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata: ne fortè circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus; itaquòd ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minimè teneatur*. Hæc ibi. Quæ verba ponderando

93 Sequitur manifeste, quod etiam pro bono pacis non possit Beneficio imponi pensio realis, seu transmissibilis ad Successorem: ut ibi: *Successor ipsius ad præstationem minimè teneatur*. Idque ex eo: *Ne fortè circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus* seu alterius Beneficii, contra Concilium Turonense relatum *in c. Majoribus* 8. *de Præb.* Hæc quippe ratio urget in omni pensione transmissibili ad Successorem, utpote per quam oneratur ipsum Beneficium, hujusque onus, sive obligatio præstandi pensionem unà cum ipso Beneficio transfertur in Successorem, veluti servitus ipsi inhærens. Quamvis possit ex justa causa constitui pensio personalis, seu obligans duntaxat personam Beneficiarii onerati, atque in ipsam consentientis, quæ proinde extinguatur in morte ipsius, & ad Successorem ipsius non transeat, ut ibi: *Non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata*; estque proximè dictum *Concl. præced.*

94 Confirmatur eadem Conclusio. Tum quia Ecclesiastica beneficia Canones præcipiunt sine ulla diminutione conferri, *can. Si quis præbendas* 1. *q.* 3. juncto Rubro, & Nigro *h. t.* Simulque sectio Beneficii penitùs improbatur à Jure; ut *c. Majoribus* 8. & *c. tuæ fraternitatis* 20. *de Præb.* & *cit. c. nisi essent eod.* ibi; *ne fortè circa proventus aliqua videatur facta sectio prioratus*: non obstante, quod hic intervenerit causa cæteroquin justa, & sufficiens ad imponendam pensionem, saltem ad vitam gravati, nempe *bonum pacis & utilitatis*, uti loquitur textus.

95 Ex quo etiam rejicitur quorundam responsio, asserentium, per hæc, vel alia hujusmodi Jura solummodo probari, quod sine licentia Papæ non possit ordinariè, ac regulariter, imponi Beneficiis pensio transmissibilis ad Successorem; secùs autem esse subsistente justa & necessaria causa, vel ob utilitatem Ecclesiæ. Tum quia in *cit. c. nisi essent*, suberat justa causa, videlicet bonum pacis, & utilitatis, in ipsam quoque Ecclesiam redundans, & tamen Pontifex determinavit non posse imponi Prioratui pensionem transmissibilem ad Successorem. Tum quia novissimè de Mandato S. D. N. Innocentii Papæ XII. expresse prohibitum est *ne imposterum graventur Parochiales, etiam juris patronatus laici, pensionibus*; prout patet ex Edicto, infrà *n.* 100. referendo: atqui per pensionem transmissibilem ad Successorem gravarentur Ecclesiæ Parochiales, & non sola persona primi Beneficiarii gravati. Tum tandem, quia contra tot expressa Jura nihil conveniunt rationes oppositæ sententiæ, ac *n.* 91. relatæ.

Imprimis enim ex *c. de cætero* 5. *de Transact.* nihil probatur. Quia argumentum à sensu contrario desumptum non procedit, quando exinde resultat correctio jurium, prout fieret in proposito. Fagnanus *cit. c. nisi essent n.* 63. *de Præb.* estque jam dictum suprà *lib.* 1. *tit. de Constitutionibus* §. 16. *n.* 408. Nec urget textus ex *cap. un.* §. *fin. h. t.* Nam, etsi Episcopus ante collationem Beneficii (unà cum Capitulo suo, ut explicat Glossa *fin ibi.*) possit constituere, ut proventus Beneficiales ad tempus retineantur pro causa justa & necessaria v. g. pro reparatione Ecclesiæ ruinosæ: inde tamen nullatenùs sequitur, quod possit Beneficiis imponere pensiones ad Successorem transmissibiles; ista quippe sunt valdè diversa, neque ex diversis fit illatio. Barbosa *Axiomat.* 114.

Neque urget ultima ratio. Quia ex divisione, aut dismembratione Beneficiorum, non sequitur horum sectio, sive scissio: talis videlicet, per quam proventus unius Beneficii dividuntur in duos. Nam per divisionem eriguntur duo Beneficia, unà cum propriis redditibus: & per dismembrationem redditus ab uno beneficio in perpetuum separantur, atque annectuntur alteri; idque contingit non ad privatum interesse alicujus Clerici (purà, Pensionarii) sed ob publicam utilitatem, augendumque cultum Divinum, & animarum salutem meliùs procurandam: secùs fit in pensione ad Successorem transmissibili. Unde patet imbecillitas contrariorum; alioquin certè, si quid probarent, manifeste sequeretur, quod Episcopus ex causa rationabili posset novam & perpetuam pensionem Beneficio imponere, sicut potest ex justa causa in perpetuum dismembrare Beneficia, atque ob multitudinem, seu distantiam Parochianorum, dividere in perpetuum Ecclesias Parochiales: quod est contra dicta *n.* 87. & communem Doctorum.

Quæritur III. Utrùm sit licitum, resignare beneficium Ecclesiasticum, reservata annua pensione? Resp. I. Illicitum est, atque simoniacum, resignare (aut conferre) Beneficium cum pacto, seu conditione apposita solvendi pensionem. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *in fin.* loquens in casu, quo Episcopus conferens alteri beneficium, requirit aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficii: quia (inquit) *Idem est, ac si aliquod munus ab eo exigeret; & non caret vitio simoniæ*. Idipsum tenet Abbas *c. un. n.* 14. *Ut Ecclesiastica beneficia &c.* Garcias *par.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 340. & *seq.* Pirhing *h. t. nu.* 11. Fagnanus *c. Nisi essent n.* 18. & 19. *de Præbend.* istud intelligens tam de episcopo in collatione beneficii paciscente, ut sibi solvatur pensio; quam de alio, putà de Resignante, simile pactum ineunte cum Resignatario: atque asserens, casum hunc non esse dubium. Ratio est: quia omne pactum, omnisque conventio, quæ jure non inest, adjecta collationi beneficii, efficit eam simoniacam: *can. Quam pio* 1. *quæst.* 2. & *c. ult. de pactis* & *c. Quæsitum* 5. *de Rerum permutat.* cum similibus. Unde etiam *in c. Nisi essent* 21. *de præbend.* pensionem quadraginta librarum, ad dies gravati Prioris alteri pro bono pacis constitutam, non aliter Papa toleravit, nisi quia *non ex pactione partium, sed ex jussione judicum* debeat exhiberi.

Resp. II. Etiam seclusa omni pactione, seu conditione opposita, regulariter loquendo renunciatio beneficiorum sub reservatione pensionis sibi annuatim præstandæ, coram Episcopo, vel alio Collatore Papa inferiore, fieri non potest; neque ab hoc approbari, vel admitti. Ita Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles. un. cap.* 15. *n.* 179. Engel *h. t. n.* 10. & alii. Concordat novissimum Edictum, jussu S. D. N. Innocentii Papæ XII. emanatum, tenoris sequentis.

EDI-

E D I C T U M

Non gravandi Ecclesias Parochiales Pensionibus.

Bandinus Tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis, Sanctissimi Domini Nostri Vice-Datarius.

100 *Cum velit Sanctissimus Dominus noster ex paterna sua charitate, & zelo, excitare Parochos ad majorem vigilantiam, pro animabus ipsorum curæ commissis, atque faciliorem ipsis sternere viam subveniendi earundem necessitatibus per copiosiores eleemosynas: Idcircò accepto oretenus à Sanctitate Sua expresso mandato, præcipimus, & statuimus, ne imposterum graventur Parochiales, etiam Juris patronatus laici, Pensionibus; atque hoc etiam observetur ab ipsis Locorum Ordinariis, in Provisionibus ad ipsos spectantibus. Præterea, ne admittantur resignationes, aut permutationes Parochialium cum reservatione pensionum, ad cujuscunque favorem, & sub quocunque titulo, etiam præstationis alimentorum, multoque minùs reserventur pensiones super easdem Parochiales, sine causa, beneficio pleno, cum consensu possessorum, sub quacunque causa & titulo. Ex Dataria hac die 21. Novembris 1692.*

Bandinus Cardinalis,
Vice-Datarius.

101 Accedit ratio. Tum quia beneficia Ecclesiastica sine diminutione sunt conferenda; uti habetur toto Titulo, *Ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur*. Atqui Episcopus nequit dispensare in Jure communi, & contra Sacros Canones, saltem regulariter loquendo, ac extra casum necessitatis; ut dictum suprà *lib.* 1. *tit.* 2. *De constitutionibus* §. 18. *nu.* 465. & *seq.* Tum quia talis resignatio in effectu est permutatio beneficii Ecclesiastici pro parte fructuum annuatim præstandorum; & consequenter cùm fructus, ut à beneficio separati, sint quid temporale, fieret permutatio rei spiritualis pro temporali, quæ foret manifesta simonia. Tum tandem. quia quod beneficia simpliciter, & pure nulloque pacto interveniente sint resignanda liquet, ex *c. Ex par.* 12. *de Offic. Delegat* & *c. Super eo* 7. *de Transact.* & *cap. ult. de pactis* & *c. Quæsitum* 5. *de Rerum permutat.*

102 Additur notanter in data Conclusione, *regulariter loquendo*. Nam quod ex justa gravique causa (putà, quia Resignans est ætate decrepitus, vel infirmus, aut quia pro bono pacis fit resignatio beneficii litigiosi, & hujusmodi) possit episcopus resignanti pensionem constituere, persolvendam ipsi ad vitam Clerici gravati, seu consentientis in eam; satis probatur ex *c. Nisi essent* 22. *de Præbend.* & tradit Barbosa *ibid. n.* 8. & Fagnanus *n.* 28. asserens, hanc esse receptissimam. Abbas *c. Ad audientiam* 31. *n.* 6. & Felinus *ibid. n.* 2. *de Rescript.* Navarrus *Consil.* 5. *n.* 1. & 2. *de Simonia*. Piasecius *in Praxi Episcopali par.* 2. *cap.* 5. *n.* 64. Card. Tuschus *Lit. P. Concl.* 269. Nicol. Garcias *par.* 1. *de beneficiis cap.* 5. *nu.* 295. & *seqq.* citans quamplures alios, & solvens contraria; atque concordant dicta superiùs *n.* 89.

103 Neque his contrariari videtur novissimum Edictum *n.* 100. relatum. Nam prima, sicut & postrema pars, loquitur de Pensionibus ipsi beneficio imponendis, seu quibus gravantur Ecclesiæ Parochiales: sive dein id fiat, dum vacant, ac de novo conferendæ sunt; sive, dum plenæ sunt, atque accedit consensus possessorum: de hujusmodi enim pensionibus data Conclusio non loquitur, quinimò hæ paulò superiùs, videlicet *num.* 92. 93. & *seq.* ex professo rejectæ fuerunt. Ad alteram verò partem, prohibentem; *ne admittantur resignationes, aut Permutationes Parochialium cum reservatione pensionum ad cujuscunque favorem, & sub quocunque titulo, etiam præstationis alimentorum*. Responderi potest eo modo, quo in simili ad Constitutionem B. Pii V. quæ incipit, *Intolerabilis*, contra Confidentias 1569. Kal. Junii emanatum, respondet Barbosa *par.* 2. *de Offic. & potest. Episcop. alleg.* 85. *nu.* 11. citans Nicol. Garciam *par.* 1. *de beneficiis*, *cap* 5. *n.* 313. & Filliucium *tract.* 42. *de Pensionibus c.* 3 *n.* 5. videlicet, quod ejusmodi verbis non sit Episcopis abrogata aliqua facultas, qua priùs licite uti poterant: sed solùm prohibeatur, vel puniatur impositio pensionis ab Episcopis facta sine causa, videlicet rationabili & justa.

Atque hunc intellectum important ipsamet verba allegati Edicti; ut ibi: *Ad cujuscunque favorem*. Quia favorem duntaxat nemo rationabiliter agnoscet pro justa causa imponendi pensionem, etiam ad vitam solius gravari duraturam. Item ibi: *sub quocunque titulo, etiam præstationis alimentorum*: nam per ly, *quocunque titulo*, non excludi justam causam, sed duntaxat quemcunque titulum futilem, fictum, & coloratum, probat clausula illa, *etiam præstationis alimentorum*. Siquidem dictio *etiam* est implicativa; atque exprimit casum magis dubitabilem, simulque tamen implicando, seu involvendo casum minùs dubitabilem. Barbosa *tract. de Dictionibus dict.* 112. *n.* 1. citans plurimos alios. Unde consequens est, quod præcedens clausula, *sub quocunque titulo*, denotet casus minùs dubitabiles, minusque ponderosos, ac est præstatio alimentorum: tales autem non possunt esse, nisi tituli futiles, ficti aut colorati; cùm & præstatio alimentorum secundùm se præcise spectata, & seclusa quacunque circumstantia graviori, non sit majoris ponderis. Patet enim, quod quilibet homo indigeat alimentis quotidianis; ergo, si semel concederetur, hunc titulum se solo, ac seclusa verbi gratia paupertate Resignantis, vel alia ponderosiori circumstantia, sufficere pro constituenda Pensione, quilibet Clericus resignans, etiam opulentissimus, posset sibi in Beneficio resignato reservare pensionem, authoritate Superioris constituendam: quod utique foret absordum; præberetque portam latissimam pensionibus, ac diminutioni redditunm Beneficialium, meritò authoritate Apostolica denuò præclusam. Quamquam si Clericus resignans revera sit pauper, non idcircò videatur prohibitum, moderatam pensionem eidem constituere, ne vel ob defectum alimentorum mori, vel in opprobrium status Clericalis mendicare cogatur. 104

Quinimò, quod existente rationabili causa pro reservanda sibi moderata pensione possit Resignans, ut securior sit, Episcopo ante suam resignationem supplicare; desumitur ex *c. Tua nos* 34. *de Simonia*, ibi: *Rogans humiliter* ac notat Engel *h. t. n.* 10 105

Insuper possunt partes priùs inter se tractare, atque Resignans super aliqua pensione sibi danda cum Successore amicabiliter componere: non quidem absolute, & quasi per seipsos illam concludendo (hoc enim non caret labe simoniæ, saltem Ecclesiasticæ, *cap. Quæsitum de rerum permutat.* junctis dictis *n.* 98.) sed sub conditione, relata in consensum Superioris, seu Episcopi, in cujus manibus Beneficium resignatur, ac sese submittendo dispositioni ejus, Glossa *in Clement. un. V. Volentibus de rerum permutat.* Abbas *in cit. c. Quæsitum n.* 10. *eod.* hanc opinionem appellans veriorem. Navarrus *Consil.* 18. *nu.* 1. *de Simonia*. Layman *lib* 4. *Theolog. Moral. tract.* 10. *cap. ultim.* §. 5. *nu.* 50. Suarez, Sylvester, & plures alii; & concordant dicta superiùs *lib.* 1. *tit* 9. *de Renunciatione* §. 4. *n* 202. & 203. Quidquid nonnulli & signanter Garcias *cit. par.* 1. *cap.* 5. *n.* 340. & 343. & Fagnanus *c. Nisi essent nu.* 5. *de Præbend.* contradicere videatur; asserendo, quod compositiones pro Beneficiis, & Beneficialibus, ad hoc, ut valeant, & à simonia excusentur, debeant capere principium ab auctoritate Superioris, & non à pactione seu conventione partium: quamquam etiam hi Authores de pactione, seu conventione absoluta partium, & non de compositione amicabili juxta consensum superioris, intelligi possint. 106

TITULUS XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 POstquam in præcedentibus visum est de rebus, juribusque Clericorum spiritualibus, nimirum de Præbendis & Dignitatibus, necnon de potestate dispondendi circa ipsas; meritò in hoc, ac sequentibus Titulis, tractatur de rebus eorundem temporalibus. Et quia quandoque res Ecclesiasticas expedit alienare, non rarò autem id foret præjudiciale, atque damnosum Ecclesiis; hinc Rubrica præsentis Tituli duplex continet membrum. Pro cujus meliori intelligentia, sit

§. I.

De nomine Alienationis, rebusque Ecclesiæ alienari prohibitis.

SUMMARIUM.

2 *Quid nomine* Alienationis *intelligatur.*
3 *Sumitur in proposito large.*
4 *Regula est, quod res immobiles, aut mobiles pretiosæ Ecclesiarum &c. alienari non possint, nisi &c.*
5 *Hæc prohibitio est antiquissima, & jam à tempore Apostolorum. Et nu. 65.*
6 *Textus Extravagantis,* Ambitiosæ, *refertur.*
7 *Mobilia, & Immobilia, quæ?*
8 *Jura, & actiones, seu nomina debitorum, vi nominis nec sunt mobilia, nec immobilia; sed constituunt tertiam speciem.*
9 *In proposito tamen nomine* Immobilium *comprehenduntur jura, & actiones ad immobilia: secùs, ad mobilia.*
10 *Nomine Immobilium veniunt etiam servitutes prædiorum, jura piscandi, venandi &c.*
11 *Ac census, seu annui redditus.*
12 *Mobilia pretiosa, quæ?*
13 *Reliquiæ Sanctorum numerantur inter Mobilia pretiosa.*
14 *Quid dicendum de poculis argenteis, calicibus &c. minùs utilibus?*
15 *Pecunia regulariter potest absque solemnitate alienari: nisi sit deputata pro emendis immobilibus &c. Et quando sic censeatur esse deputata? ibid.*
16 *Nomine Mobilium pretiosorum etiam comprehenditur grex ovium, caprarum &c.*

2 QUæritur I. Quid nomine *Alienationis* intelligatur? Resp I. Generatim loquendo, *Alienationis* nomine continetur omnis actus, quo dominium rerum transfertur. Ita textus expressus *in L. 1. Cod. de Fundo dotali.* ibi: *Est autem alienatio, omnis actus, per quem dominium transfertur.* Intellige, quando hujusmodi dominii translatio est voluntaria; non autem necessario, *arg. l. Petus Lucî §. Prædium ff. de Legat. II.* Unde, quando ea fit necessariò; putà, ex ordinatione Testatoris, vel ex sententia Judicis, non diceretur quis propriè alienare: neque incideret in pœnam impositam alienanti. Barbosa *tract. de Appellativa verb. Jur. signif. Appellat. 14 nu. 2. & 4* citans alios.

3 Resp. II. Alienationis nomen in proposito sumitur large, ac prout complectitur omnem actum quo Dominium rei directum, vel utile, aut ususfructus, seu jus in alterum transfertur. Ita Glossa *in cap. Nulli vers. Alienationi b. t.* Azorius *par. 2. lib. 9. cap. 1. quæst. 2.* Barbosa *in Collectan. ad Extravag. Ambitiosæ num. 5. h. t. Inter Commun.* citans alios. Idque patet ex *cap. Nulli 5. h. t.* ubi dicitur: quod *Alienationis verbum continet conditiones* (alias, conductionem) *donationem, venditionem, permutationem, & emphyteusis perpetuum contractum*, atque etiam (ut *ibid. §. 1.* dicitur) *specialis hypothecæ titulo* obligationem. Concordat *can. Apostolicos 12. quæst. 2. & Auth. De non alienandis rebus &c. §. Nos igitur Collat. 2.* cum similibus: & amplius habetur *in Extravag. Ambitiosæ h. t. inter Commun.* cujus verba *n. 6.* referentur.

4 Quæritur II. Quales res Ecclesiarum prohibitum sit alienare? Resp. I. Regula est, quod res immobiles aut mobiles pretiosæ Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque Locorum piorum, alienari non possint, nisi subsistente justa causa; & servata debita Juris solemnitate: & si secùs fiat, alienatio non tereat, sed ipso jure sit irrita; atque insuper bona talia Ecclesiastica alienans, & sic alienata recipiens, præter alias pœnas, juxta diversitatem personarum constitutas, pœnam excommunicationis incurrat. Ita patet ex *can. Apostolicos cum seqq. quæst. 2. & cap. nulli 5. & cap. 51 quis Presbyterorum 6. & cap. Ad audientiam 9. & seqq. h. t.* junctis *cap. 1. & 2. eod. in 6. & Clementinis*, quæ innovantur, vel de novo statuuntur *in Extravag. Ambitiosæ eod. tit. inter Commun.* & quantum attinet posteriorem partem Conclusionis, amplius dicetur infrà *§. 3 num. 62. & 66. ac seqq.*

Concordat, *Auth. De non alienandis &c. §. Nos igitur Collat. 2.* eandem alienationem rerum Ecclesiasticarum ex professo prohibens. Quinimò hæc prohibitio est antiquissima, etiam à tempore Apostolorum, *arg. cit. can. Apostolicos 12. qu 2.* ibi: *Apostolicos, & paternos Canones venovans &c.* ac notat Card. de Luca *Discursus 13. de Alienat. nu. 2.* allegans alios.

Solummodò pro majori intelligentia sequentium est prænotandum, quod in citata Extravaganti, *Ambitiosæ h. t. inter Commun.* præmissis malis, quæ sequuntur, *si Immobilia, & pretiosa mobilia Deo dicata*, profanis usibus applicantur, sicque alienantur cum maxima Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Locorum piorum, ac Divini cultus detrimento, inter alia Pontifex, seu Paulus Papa II. sic statuerit: „Omnium rerum, „ & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omnesque „ pactum, per quod ipsorum dominium transferrur, con„ cessionem, hypothecam, locationem, & conductio„ nem ultra triennium, nec non infeudationem, vel „ contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à „ Jure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab „ antiquo concedi solitis, & tunc Ecclesiarum evidenti „ utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ servando ser„ vari non possunt pro instantis temporis exigentia, hac „ perpetuo valitura Constitutione præsenti fieri prohibe„ mus: Præ decessorum nostrorum constitutionibus, pro„ hibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, quæ re„ nore præsentium innovamus; in suo nihilominùs robo„ re permansuris. Si quis autem contra hujus nostræ pro„ hibitionis seriem de bonis, & rebus eisdem quicquam „ alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, „ locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi, nullius „ omnino sint roboris, vel momenti. Et tam, qui alienat„ quam is, qui alienatas res, & bona prædicta recepe„ rit, sententiam excommunicationis incurrat. Alie„ nanti verò bona Ecclesiarum, Monasteriorum, Loco„ rumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pon„ tifice, aut contra præsentis Constitutionis tenorem, „ si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, in„ gressus Ecclesiæ sit penitus interdictus &c. „ Hæc Papa *In cit. Extrav. Ambitiosæ*, pro cæteris inferioribus Prælatis alias pœnas, inferiùs *n. 65. & 68.* referendas, subjungens; atque statuens, quod *nihilominus alienatores, & bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & Loca pia ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, libere revertantur. Nulli ergo &c.* Concordat Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 11. de Reform.* Sed occasione prædictorum

Quæ-

7 Quæritur III. Quænam censeantur *Res immobiles*, ita ut alienari prohibeantur? Resp I. *Mobilia* dicuntur, quæ loco moveri possunt: ut pecunia, vestis, navis, animalia &c. Nam, quod mobilia, & moventia (putà, animalia) idem sint, nisi aliud appareat ex mente loquentis; textus est *in l. Moventium ff. de Verb. signif.* Econtra vero *Immobilia* censentur, quæ loco moveri non possunt: prædia, domus, agri, & hujusmodi.

8 Resp. II. Etsi vi nominis, ac secundùm primævum significatum vocabulorum, jura, & actiones, seu nomina debitorum, nec sint mobilia, nec immobilia, sed constituant tertiam speciem: nihilominùs in proposito nomine *Immobilium* etiam comprehenduntur jura, & actiones ad immobilia. Ita Abbas *cap. Nulli numer. 9. h. t.* Azorius *part. 2. cap. 1. quæst. 6.* Pirhing *h. t. numer. 13.* & alii. Ratio prioris partis est: quia actiones, & jura cùm sint quid incorporale, non concluduntur certo loco; & sic non possunt dici mobilia, videlicet ab uno loco in alium, nec immobilia. Unde *in l. A divo Pio §. In venditione ff. de re judicat.* jura, & actiones, seu nomina debitorum, pro tertia quadam specie ponuntur: statuendo, ut in venditione pignorum primo *Res mobiles, & animalia*; &, si hæc non sufficerint, deinde pignora soli, seu immobilia distrahantur; & si nec ista sufficiant, tunc perveniatur etiam ad jura.

9 Altera pars desumitur ex *cap. 2. h. t. in 6.* ubi jura, seu actiones ad immobilia, æquiparantur immobilibus, ibi: *Bona immobilia, aut jura* Ecclesiarum: juncta *l. Qui actionem ff. de Reg. Jur.* ibi: *Qui actionem habet ad rem recuperandam ipsam rem habere videtur*, cum similibus. Atque hoc procedit de juribus, seu actionibus ad immobilia: nam actiones ad mobilia, v. gr. actio ad debitum certæ pecuniæ, dicitur res mobilis, sicut ipsa pecunia. Abbas, & Azorius, *ubi suprà.* Lugo *disp. 6. de just. & jure numer. 66.* & alii.

10 Insuper nomine *Immobilium* in proposito veniunt servitutes prædiorum, jura piscandi, venandi, & hujusmodi: ut *L. ultim. §. fin. C. de Præscription. longi temp.* ibi: *Eodem observando, etsi res non soli sint, sed incorporales; quæ in jure consistunt; veluti usus fructus, & cæteræ servitutes.* Et concordat *Clem. 1. h. t.* illis verbis: *Jura, reditus, aut possessiones ejusdem Monasterii.* Siquidem hæc omnia fixa manent, & instar Immobilium afferunt fructum suum.

11 His adde census, seu annuos redditus; uti habetur *in Clem. Exivi §. Cumque annui de Verb. signific.* ibi: *Cumque annui redditus inter Immobilia censeantur à jure.* Concordat textus notabilis *in Authent. De non alienandis &c. §. Vult enim illa, Collat. 2.* ubi inter alia *Civiles annonæ* (scilicet, redditus à Fisco percipiendi singulis annis, ut explicat Glossa ibidem) *inter immobilia* dicuntur esse *numerandæ.*

12 Quæritur IV. Quænam dicantur Mobilia pretiosa, ita ut alienari nequeant? Resp. I. Illa dicuntur *Mobilia pretiosa*, quæ sunt de thesauro Ecclesiæ; vel quæ propter pretium, artem, seu antiquitatem, conferunt Ecclesiæ singularem splendorem: uti sunt aurum, argentum, gemmæ, ornamenta, & vasa Ecclesiastica pretiosa, & hujusmodi. Azorius *cit. part. 2. lib. 9. cap. 1. quæst. 7.* Engel *h. t. numer. 5.* Pirhing *eod. numer. 12.*

13 Reliquiæ etiam Sanctorum, maximè ubi perpetuæ sepulturæ sunt traditæ, aut in muro clausæ; rectissimè inter Mobilia pretiosa numerantur. Aloys. Riccius *in Praxi par. 1. resol. 60. num. 3. & seqq.* Engel *ubi suprà &* alii.

14 Non tamen ex hoc titulo videtur prohibitum, quin Prælatus possit aliqua pocula argentea minùs utilia absque aliis solemnitatibus Juris alienare; seu veteres Calices, aut ornamenta pro novis commutare: prout consuetudo, optima legum interpres, passim declarat. Engel *cit. nu. 5.*

15 Pecuniam etiam regulariter potest Prælatus sine solemnitate expendere: quia est res mobilis; atque reposita in cista, nullum fructum affert, *can. Ejiciens dist. 88.* Abbas *d. cap. Nulli numer. 11. hoc tit.* Dummodo hinc excipiatur casus, quo certa summa pecuniæ specialiter deputata est ad emenda bona immobilia, vel Ecclesiam ædificandam, aut pro gravissimis futuris necessitatibus reservata, *arg. l. 3. Quid ergo ff. de Contraria & utili action. tutel.* ubi pecuniam ad prædiorum comparationem depositam Tutor alienare non potest, nec ex ea sibi solvere, Azorius *part. 2. lib. 9. cap. 1. numer. 5.* subjungens, tunc pecuniam Ecclesiæ censeri deputatam ad rem immobilem emendam, quando cum Superioris authoritate, & Clericorum consensu, ad id retinetur. Quaranta *vers. Alienatio ver. Ecclesiast. num. 25.* Engel *h. t. num. 7.*

16 Resp II. Insuper nomine mobilium pretiosorum comprehenduntur illa mobilia, ex quorum fructibus diuturnum emolumentum, annuoque redditus percipere consuevit Ecclesia, sive Monasterium. Ita Molina *Tom. 1. de Just. & jur. disp. 465. nu. 4.* illud intelligens de grege ovium, vel caprarum. Licet enim fas sit, alienare, seu vendere arietes, hircos, hædos, & hujusmodi: non tamen fas est alienare totum gregem, nisi concurrentibus causis, & servata debita forma, quæ in alienatione rerum pretiosarum, quæ servando servari possunt, necesse est concurrant, Ita Molina *loc. cit.* & sequitur Pirhing *h. t. n. 12.* & Sannig *eod. tit cap. 1. n. 8.*

§. II.

De causis, & solemnitatibus Juris ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis.

SUMMARIUM.

17 *Generatim ad legitimam alienationem rerum Ecclesiasticarum immobilium, vel mobilium pretiosarum, requiritur justa causa, & debita solemnitas.*
18 *Hujusmodi justa causa alienandi est triplex: videlicet, necessitas Ecclesiæ.*
19 *Utilitas Ecclesiæ.*
20 *Quæ debet esse manifesta.*
21 *Et pietas: quæ exemplificatur.*
22 *Nonnulli addunt quartam causam; nempe incommoditatis: sed hæc reducitur ad secundam.*
23 *Qualis solemnitas requiritur ad alienationem rerum Ecclesiasticarum? Et nu. seq. Hanc debet præcedere Tractatus Capitularis: & qualis? Ibid.*
24 *Ad eandem requiritur consensus Capituli.*
25 *Et cujus Capituli?*
26 *Consensus iste Capituli debet esse expressus, nec sufficit tacitus.*
27 *Solvitur notabilis instantia.*
28 *Ad ejusmodi alienationem etiam requiritur, ut Capitulum se subscribat.*
29 *Et quomodo hæc subscriptio fieri debeat?*
30 *Requiritur etiam consensus Superioris: & cujus antiquius?*
31 *Hodie, de puncto Juris loquendo, ad eam requiritur consensus Summi Pontificis.*
32 *Et quid de consuetudine, præsertim Germaniæ?*
33 *Patroni consensus non requiritur ad alienationem rerum Ecclesiasticarum.*
34 *Nisi in duobus casibus: & quibus?*
35 *Prædictæ solemnitates requiruntur solùm in alienatione rerum Ecclesiasticarum immobilium, & mobilium pretiosarum.*
36 *Fallit hæc regula in Terrulis, & aliis rebus exiguis: Idque declaratur.*
37 Can. Terrulas 12. q. 2. *de facto non est derogatum. Et nu. præced. Is concordatur cum* c. Ut super *§. fin. h. t. Ibid.*
38 *Res exiguî valoris, quæ?*
39 *In alienatione necessaria non requiruntur solemnitates juris.*
40 *Res ab antiquo in feudum, vel emphyteusin dari solitæ, possunt absque solemnitatibus juris denuò infeudari &c.*
41 *Secùs, si hactenus non solitæ dari in feudum, vel emphyteusin.*

42 *Locatio ad triennium val. sine alia solemnitate.*
43 *Utrùm locatio facta ultra triennium, valeat saltem ad primum triennium?*
44 *Repudiatio rerum, quæ nondum sunt incorporatæ bonis Ecclesiæ, valet absque solemnitatibus.*
45 *Mancipia Ecclesiæ, an, & qualiter alienari poterant?*
46 *Fructus, aliaque bona Ecclesiastica, quæ servando servari non possunt, alienantur sine solemnitatibus.*
47 *Et quæ dicantur Bona, quæ servando servari non possunt.*
48 *Quid de Religionibus speciale privilegium habentibus, alienandi bona etiam stabilia absque licentia Papæ, vel Ordinariorum?*
49 *An requirantur præfatæ solemnitates juris, si alienatio ab una Ecclesia fiat alteri Ecclesiæ? Et numer. seqq.*
Sententia negativa cum suis rationibus refertur. Ibid
50 *Sententia affirmativa est Juri conformior, & in praxi tenenda.*
51 *Solvuntur rationes negativæ sententiæ.*

17 Quæritur I. Quæ generatim requirantur ad legitimam alienationem rei immobilis, vel mobilis pretiosæ Ecclesiarum? Resp. Ad hujusmodi alienationem duo copulativè requiruntur, videlicet justa causa, & debita solemnitas. Ita communis; atque patet ex canon. c. *Sine exceptione* 12. *quæst.* 2. ubi dicitur: *Sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat: nisi fortè aliquid horum faciat ut meliora prospiciat; & cum totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ.* Idipsum habetur *cap.* 1. *h. t.* in 6. ubi proinde Jo. Andreas in *Summario* breviter inquit: *Perpetua alienatio facta de rebus Ecclesiæ vacantis non præcedente tractu, & sine justa causa non valet*: cum concordantiis.

18 Quæritur II. Quotuplex sit justa causa alienandi res Ecclesiasticas? Resp. I. Justa causa alienandi res Ecclesiasticas est triplex, videlicet, necessitas Ecclesiæ, utilitas Ecclesiæ, & pietas. Ita in re communis; quamvis nonnulli addant quartam causam, nempe incommoditatis. Et quidem prima causa ritè alienandi res Ecclesiasticas, cæteroquin alienari prohibitas, est necessitas Ecclesiæ, cui aliter subveniri non potest. Textus est *in Clem.* 1. *h. t.* ubi sub nullitate actus prohibendo alienationem jurium, reddituum, aut possessionum cujuslibet Monasterii, expresse excipitur casus necessitatis, illis verbis: *Nisi necessitas, aut utilitas Monasterii hoc exposcat.* Concordat *cap.* 1. *de Pignorib.* ibi: *Nisi justissima necessitate exigente.* Uti fieret, si Ecclesia ære alieno sit gravata, nec habeat res mobiles, unde solvat: aut quando alia similis causa necessitatis extremæ id deposuit. Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles. un. cap.* 30. *n.* 12 & alii.

19 Secunda, est utilitas Ecclesiæ manifesta: ut si res aliqua Ecclesiæ alienatur ad aliam meliorem emendam, juxta *cit. can. Sine exceptione* 12. *q.* 2. ibi: *Nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat; & cum totius Clerici tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ.* Idipsum clarissime habetur *in cap. Ut super* 8. §. *fin. h. t.* ubi Pontifex sic loquitur *Possessiones verò, quæ Ecclesiæ tuæ minùs sunt utiles, pro aliis utilioribus de Fratrum tuorum, & sanioris partis consilio, & assensu, alienandi seu commutandi liberam concedimus facultatem.*

20 Debet autem hujusmodi utilitas esse manifesta: adeo, ut conditio Ecclesiæ patenter melior fiat, & locupletior. Barbosa *d. cap.* 30. *nu.* 15. post Rotam *decis.* 65. *nu.* 48. & *decis.* 367. *num.* 5. & 7. *par.* 5. *Divers.* & alios. Unde non sufficit, quod Ecclesia non damnificetur: sed requiritur lucrum de tempore alienationis, *cit. canon. exceptione* 12. *quæst.* 2. Barbosa *eod. cap.* 30. *n.* 17. citans Rotam *in Bonon. Devolutionis* 16. *Novembr.* 1621. *coram Rev. D. Coccino Decano*, & plures Authores.

21 Tertia, est pietas: veluti, si bona Ecclesia sint alienanda ad redimendos captivos, pauperes tempore famis alendos, seu ad ædificationem Templi, vel augmentationem Cœmeterii pro Fidelium sepultura: de his ex S. Ambrosio *lib.* 2. *de Officiis cap.* 28. habetur textus pulcherrimus *in can. Aurum* 12. *quæst.* 2. illis verbis: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget.* Et infrà:
„ Nemo enim potest dicere, cur pauper vivit? Nemo
„ potest queri, quia captivi redempti sunt. Nemo po-
„ test accusare, quia Templum Dei ædificatum est. Ne-
„ mo potest indignari, quia humandis Fidelium reliquiis
„ spacia laxata sunt. Nemo potest dolere, quia in sepultu-
„ ris Christianorum requies defunctorum est. Ita his
„ tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam initiata confrin-
„ gere, conflare, vendere licet *Hæc ibi.*

22 Glossa *in Summa, Caus.* 12. *quæst.* 2. ℣. *Nunc quæritur*, & Abbas *c. Novit. n.* 5. *h. t.* & Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles. un. cap.* 30. *n.* 11 & Fagnanus *c. Nulli nu.* 7. *h. t.* quartam addunt causam, ob quam licitum est alienare bona Ecclesiæ; nempe causam incommoditatis, vel minoris utilitatis, *arg. can. Terrulas* 12. *quæst.* 2. Ubi Episcopo conceditur, ut terrulas, & vineolas, possit alienare sine consilio Fratrum, sive Capituli sui, concurrentibus tamen copulati e his tribus; nempe, ut sint exigui valoris, & Ecclesiæ minus utiles; simulque subsit necessitas, seu utilitas quædam eas alienandi, uti ex contextu patet. Verumtamen hæc causa incommoditatis aptè reducitur ad secundam ex tribus enumeratis in Conclusione, videlicet ad utilitatem Ecclesiæ: nam huic utile est, carere incommoditatibus.

23 Quæritur III. Qualis solemnitas requiratur ad alienationem rerum Ecclesiasticarum? Resp. cum communi, solemnitas, seu forma observanda in alienatione rerum Ecclesiasticarum immobilium, aut mobilium pretiosorum, consistit in sequentibus. Primò, ut præcedat Tractatus Capitularis: id est, ut Prælatus cum Capitulo, seu conventu capitulariter congregato, ac unoquoque dicente, quod sibi videtur, deliberet, an subsit justa causa; simulque, an expediat rem illam alienari. Idque patet tum ex *cit. can. Sine exceptione* 12 *quæst.* 2. cujus verba superiùs *num.* 17. referuntur Tum ex *c. Tua nuper.* 8. juncta Glossa *vers. Tractatu, De his quæ fiunt à Prælatis &c.* Ac præsertim ex *cap.* 1. *h. t. in* 6. ubi *quia tractatus solemnis & diligens, qui in talibus consueverat perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur non fuit habitus*, cassatam judicialiter fuisse alienationem legitur.

24 Secundò, ad alienationem dictarum rerum Ecclesiasticarum requiritur consensus totius Capituli, seu majoris & sanioris partis ipsius. Et hoc patet ex *c. Ut super* 8. §. *fin. h. t.* ibi *de Fratrum tuorum, & sanioris partis consilio, & consensu*, juncto *cit. can. Sine exceptione* 12. *q.* 2. cum similibus. Nam propter plurima damna, ex indiscretis alienationibus per nonnullos Prælatos Ecclesiis illata, meritò horum potestas restricta fuit, ut imposterum non valeat alienatio bonorum Ecclesiasticorum immobilium, aut mobilium pretiosiorum, absque consensu Capituli.

25 Et si petas, cujus Capituli consensus requiratur? Resp. breviter cum Abbate *in cap.* 1. *num.* 5. *De his, quæ fiunt à Prælatis &c.* Pirhing *h. t. n.* 22. & 45. quod, si Episcopus est author in alienatione rei Ecclesiæ Cathedralis, vel alterius inferioris; tunc requiratur consensus Capituli cathedralis, *arg. c.* 1. juncta Gl. ℣. *Tenues h. t. in* 6 cum similibus. Quando autem Episcopus non est dictæ author alienationis, sed Rector inferioris Ecclesiæ; tunc si ista habeat Collegium, requiritur, atque sufficit consensus Collegii, hujusque subscriptio una cum authoritate Episcopi, *arg. can. Abbatibus* 12 *q.* 2. & *Clem.* 1 juncta Glossa ℣. *Proprii h. t.* Quod si verò Ecclesia inferior non habeat Collegium, sufficit, quod Rector ipsius alienet rem Ecclesiasticam cum consensu Episcopi, *arg. can. Placuit ut presbyteri* 12. *quæst.* 2. Accedit ratio disparitatis: quia, ubi episcopus est auctor alienationis, ipse foret solus, atque subintraret periculum, ne per eum dissiparentur bona Ecclesiarum, sicque meritò requiritur consensus Capituli sui: hæc autem ratio cessat, ubi Episcopus non est author alienationis, sed Rector inferioris ecclesiæ; tunc re sufficit auctoritas Episcopi, simpliciter. Concordant in simili dicta superiùs *Tit. præced.* §. 2. *n.* 29.

26 Cæterùm in alienatione perpetua rerum Ecclesiasticarum immobilium, seu mobilium pretiosarum, requiritur consensus Capituli expressus, nec sufficit tacitus; Glossa *in c. Continebatur*, ℣. *contradicente de his quæ fiunt à Prælatis &c.* & alia Glossa *c.* 1 *Perpetuis h. t. in* 6 Abbas *n.* 3. *de his quæ fiunt à Prælatis &c.* Pirhing *eod. T. n.* 2. Accedit ratio: quia ad alienationem perpetuam rerum Ecclesiasticarum requiritur diligens tractatus prævius, *c.* 1. *h. t. in* 6. simulque collaudatio, atque subscripto Capituli, *cap.* 1. *de his quæ fiunt à Prælatis &c.* Atqui ista important consensum expressum; ergo.

27 Nec obstat *c.* 2. & 3. *de his quæ fiunt à Prælatis &c.* ubi ad alienationem rerum Ecclesiasticarum per Prælatum factam, sufficit consensus tacitus ipsius Conventus, ut putà, scientis, & non contradicentis: imò & subsequens ratihabitio. Resp. enim, illud procedere in alienationibus temporalibus, de quibus loquuntur jura proximè citata: secùs verò esse in alienationibus perpetuis, utpote quæ majus præjudicium Ecclesiis inferre possunt, & de quibus procedunt Jura *nu. præced.* allegata. Glossa *cit. c.* 2. ℣. *contradicente*, quam approbat Abbas *ib. n.* 6. *de his quæ fiunt à Prælatis &c.* Nam, quod Jura Juribus, si fieri potest, sint concordanda, patet ex *cap. cùm expediat.* 29. *de elect. in* 6. Nisi dicere velis cum Federico de Senis *consil.* 51. & Jo. Andr. *in addit. ad Specul. T. de Rebus eccles. non alienand. super rubr in fin.* atque Abbate *loc. cit. n.* 3. hæc posteriora Jura procedere in alienatione rei Ecclesiasticæ modicæ: ut *can. Terrulas* 12. *qu.* 2. Secùs verò esse dicendum, si res sit magna; nam tunc requiruntur omnes solemnitates, sicque etiam consensus expressus Capituli, licet alienatio non sit perpetua, sed duntaxat temporalis.

28 Tertiò, ad alienationem rerum Ecclesiasticarum immobilium, seu mobilium pretiosarum requiritur, ut Capitulum se subscribat. Textus est *in cit. can. Sine exceptione* 12. *qu.* 2. & *cap.* 1. *de his quæ fiunt à Prælat.* ubi dicitur: *Irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ, absque collaudatione, & subscriptione Clericorum.*

29 Verùm circa hanc [illegible] Clericorum, sive Capituli [illegible] de præsuto [illegible] Capituli consensu. Quod si verò Notarius non [illegible], solet instrumento factæ alienationis apponi sigillum Capituli, unà cum subscriptione Præsidis (putà, Decani) Senioris, & aliorum, saltem nomine collectivo designatorum. Abbas *c. Quanto n.* 7. *De his, quæ fiunt à Prælatis &c.* Aut si alicubi adhuc consuetudo vigeat, ut omnes Capitulares sese subscribere debeant, id intelligendum [illegible] sentibus: Ideò, ut abientium [illegible] *c. Quanto.* & Abbas *ibid. n.* 7. *De his* [illegible] dictis suprà *tit.* 11. *De his* [illegible]

30 Qua[illegible] requiritur consensus Sup[illegible] tas accedat. [illegible] *Superioris.* [illegible] sentiarum [illegible] natione ab [illegible] *qu.* 2. & *can. In venditionibus* [illegible] episcoporum olim [illegible] consensus Capituli requirebatur, [illegible] *Sine exceptione* 12. *q.* 2. [illegible]

31 Hodie tamen, de puncto [illegible] in alienatione [illegible] rum immobilium, aut mobilium pretiosarum [illegible] etiam requiritur [illegible] habetur clare [illegible] *Absque* [illegible] *consensu, & Apostolicæ Sedis* [illegible] *ciali* [illegible] & quidem generaliter [illegible] Extrav[illegible] *Ambitiosæ*, suprà *n.* 6. jam relata, [illegible] *Inconsu*[illegible]

32 Dicitur [illegible] Extravagan[illegible]

§. 3. *n.* 3. cum pluribus aliis, quos citant. Unde in praxi attendantur particulares consuetudines locorum legitimè præscriptæ.

Cæterùm consensus Patroni non requiritur ad alienationem rerum Ecclesiasticarum, si justa causa subsit, atque accedat consensus Superioris, cæteræque solemnitates ritè observentur. Nam Patroni, seu conditores, aut dotatores Ecclesiarum, in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam habent potestatem: sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesia, ita & dos ejus, ad ordinem Episcopi pertinet; prout habetur *can. Noverint* 10. *quæst.* 1. & *can. De rebus* 12. *q.* 2. juncto Concilio Trid. *Sess.* 23. *cap.* 11. *de refor.* ac notat Pirhing *h. t. n.* 61. citans alios. 33

Excipe cum eodem Pirhing *n.* 62 duos casus. Primò, si Patronus sua bona dedisset Ecclesiæ, non absolute, sed in feudum; tunc enim absque ejusdem consensu non possent alienari bona ipsius, *arg. c. Ex transmissa* 6. & *c. Verum* 7. *de Foro compet.* Secundo, si Patronus in limine fundationis apposuisset hanc conditionem, etiam acceptatam ab Episcopo, ut non alienentur imposterum bona Ecclesiæ sine suo consensu: de quo vide dicta superiùs *tit.* 5. *de Præbend.* §. 4. *n.* 105. & *seqq.* 34

Quæritur IV. An prædictæ solemnitates requirantur in quarumcunque rerum Ecclesiasticarum alienatione? Resp. I. Eas requiri solùm in alienatione rerum Ecclesiasticarum immobilium, ac mobilium pretiosarum: nam de his duntaxat Jura, dictas solemnitates requirentia, loquuntur; ut *cap. Nulli* 5 *h. t.* ibi: *Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ.* Quod ipsum procedere de re mobili pretiosa, utpote quæ æquiparatur immobili quoad difficultatem alienationis, *l. Lex quæ tutores* §. 1. *C. de Administrat. tutor.* notat Glossa *c. Tua nuper. vers. Tractatu De his quæ fiunt à Prælatis &c.* & Abbas *d. c. Novit. n.* 8. *h. t.* habeturque clare decisum in *Extravag. Ambitiosæ h. t. inter Commun.* [illegible], & *Ornamenta mobilia Deo dicata.* 35

Resp. II. Etiam ab hac generali regula oportet nonnullos casus speciales excipere, juxta illud vulgatum: *Nulla regula sine exceptione.* Sic imprimis excipiuntur Terrulæ, Vineolæ, & aliæ hujusmodi res exiguæ, minusque utiles Ecclesiæ: hæ enim (concurrentibus tribus conditionibus, suprà *num.* 22. relatis) possunt alienari absque aliis solemnitatibus Juris; putà, absque prævio tractatu, & per solum Episcopum non requisito expresso consensu Capituli. Textus est *in can. Terrulas* 12. *q.* 2. ibi; *Terrulas, aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minùs utiles, aut longe positas, parvas, episcopus sine consilio Fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem.* Hæc ibi: estque recepta Doctorum sententia. Neque huic *can. Terrulas* derogatum fuit per *Extrav. Ambitiosæ h. t. inter Commun.* ac suprà *n.* 6. relatam, nec per Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 11. *de refor.* prout declarasse Sacram Congregationem Concilii *die* 11. *Januarii* 1596. refert Fagnanus *c. Nulli nu.* 25. *h. t.* 36

Dices, [illegible] *can. Terrulas* 12. *quæst.* 2. derogatum [illegible] *c. Ut super* 8. §. *fin. h. t.* eo, quod hic requiritur consensus Capituli etiam pro alienatione rerum [illegible] *Possessiones verò, quæ Ecclesiæ tuæ minùs sunt utiles* [illegible] simpliciter, & [illegible] requiritur expressus [illegible] tacitus, qualis [illegible] talem [illegible] *Continebatur* [illegible] 37

Quæritur [illegible] cum id Jure [illegible] Mandosius *de Arbitr. Jud. lib.* 2. *cas.* 145. *nu.* [illegible] 38

Lu-

Luca *De alienat. Discurs. 1. n. 117. & 118.* Vallensis *h. t. §. 2. n. 3.* & Fagnanus *in c. Nulli n. 26. h. t.* allegans pro hac sententia Decisionem Sacræ Congregationis Concilii.

39 Secundò à præfata regula, seu necessitate adhibendi memoratas solemnitates, excipitur alienatio necessaria, seu quæ fit ex necessitate juris, eò quòd Jus præcipiat illam fieri. Sic bona immobilia Fratribus Minoribus sub modo licito legata, v. g. domus, agri, ut vendantur, ac pretium in ipsorum Fratrum necessitates convertatur, possunt per idoneas personas alienari: neque in hujusmodi alienatione opus est alia solemnitate, quia fit ex præscripto Regulæ Seraphicæ, juncta ejusdem Declaratione per Nicolaum III. edita, quæ refertur *in c. Exiit qui seminat. §. Ad hæc quia de Verb. signif.* adeoque ex necessitate juris. Fagnanus *loc. cit. c. Nulli n. 27. & 28. h. t.* Socinus *in Fallentiis, Reg. 10. n. 3.* & alii.

40 Tertiò excipiuntur res immobiles ab antiquo in feudum, vel emphyteusin dari solitæ. Hæ siquidem feudo hujusmodi, vel emphyteusi expirante, iterùm in feudum, seu emphyteusin dari possunt, absque solemnitatibus juris cæteroquin ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis; dummodò id fiat in evidentem Ecclesiæ utilitatem. Idque inter alia patet ex *c. Extr. Ambitiosæ h. t. inter Comm.* ubi à generali prohibitione alienandi bona Ecclesiarum, memoratæ res immobiles clarè excipiuntur, illis verbis: *Præterquam de rebus, & bonis in emphyteusin ab antiquo concedi solitis:* & notant Doctores communiter.

41 Hoc autem non licet, si res illæ hactenus non sint solitæ dari in feudum, vel emphyteusin; idque tum propter dictam *Extrav. Ambitiosæ*. Tum quia in *c. Nulli 5. h. t.* generaliter prohibentur res immobiles Ecclesiarum alienari (intellige, absque justa causa, & non servatis solemnitatibus juris) & mox subditur; *Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteusis perpetuum contractum.*

42 Quartò excipitur locatio, atque conductio rei Ecclesiasticæ ad triennium. Hæc enim, si per Prælatum fiat justa de causa, valet etiam sine alia solemnitate, argumento à sensu contrario desumpto ex *cit. Extrav. Ambitiosæ*, ibi: *Locatione, & conductione ultra triennium.* Frustrà enim in prohibitione locationis, & conductionis rerum Ecclesiasticarum, adderetur ly, *ultra triennium*, nisi permissa intelligeretur locatio & conductio ad triennium, vel infra.

43 Num autem locatio rei Ecclesiasticæ ultra triennium, puta, ad novem annos, facta sine solemnitate, tota quanta corruat, cùm Canones [illegible] annullare talem contractum; an verò saltem valeat [illegible] res illos primos annos, [illegible] Reg. 17. Juris in 6. [illegible] *bet per inutile vitiari* [illegible] Doctores. [illegible] men dicendum cum [illegible] *n. 7.* Engel *h. t. n. 12.* [illegible] 836. eam non valere, [illegible] locatio [illegible] valere autem [illegible] triennium [illegible] [illegible] non [illegible] 215. n. 5. ubi Rota.

44 Quintò excipitur [illegible]

[illegible]

45 [illegible]

46 [illegible]

[illegible] *servari non possunt*, [illegible]

proinde per Prælatum absque aliis solemnitatibus alienari possunt.

47 Porrò Bona, quæ servando servari non possunt, dicuntur illæ res mobiles, quæ non durant triennio, vel, quæ usu consumuntur, & non fructificant, *arg. l. Lex quæ tutores §. fin. C. de Administr. tutor.* Navarrus *in Commentar. De alienatione rerum Ecclesiast. n. 4.* Fagnanus *cap. Nulli n. 13. h. t.*

48 Tandem excipiuntur nonnullæ Religiones, à Sede Apostolica habentes speciale privilegium alienandi bona etiam stabilia pro necessitate, & utilitate Monasteriorum, absque alia licentia Sedis Apostolicæ, vel Ordinariorum loci: prout Fratribus, & Monialibus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, concessit Gregorius XIII. in sua Constit. 34. *Ex incumbenti* (ac refertur *Tom. 2. Bullar. Roman.*) dummodò in ejusmodi alienatione interveniat consensus duarum partium ex tribus Fratrum, vel Monialium, atque auctoritas Prioris Generalis: Quamquam hujusmodi privilegia ob eorum abusum postmodum fuerint revocata, vel saltem restricta in tantùm, ut nullis Regularibus intra fines Europæ existentibus, liceat dictas alienationes facere *absque Sacræ Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda:* prout refert Barbosa *lib. 2. Jur. Ecclesiast. un. cap. 20. n. 15.* adducentes tenorem talis revocationis, seu Decreti Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini.

49 Quæritur V. An requirantur præfatæ solemnitates juris, si alienatio ab una Ecclesia fiat alteri Ecclesiæ? Resp. I. Etsi non desint, qui probabile censeant, saltem loquendo in puncto juris, & theoricè, non requiri solemnia alienationum in alienatione ab una Ecclesia in aliam: affirmativa nihilominùs sententia est Juri conformior, atque in praxi meritò tenenda. Prior pars [illegible] ex eo: quia memoratam sententiam tenet Barbosa [illegible] *de Offic. & potest. Episc. alleg. 95. n. 55. & seqq.* citans Trevisan. *decis. 56 par. 2.* Aloys. Riccius *in praxi par.* [illegible] *35. in fin.* Castro Palao *par. 2. tract. 12. disp.* [illegible] *sect. 3. n. 7.* Ludov. Engel *h. t. num. 16.* Ratio [illegible] tam quia *in cap. 1. h. t.* permittitur Episco[illegible] ram unius Ecclesiæ commutare voluerit [illegible] rius Ecclesiæ, id subsistente tamen causa rationabili facere posse, neque plus requiritur, [illegible] *sensu ambarum partium faciat.* Quod ipsum jam antea [illegible] cessum videbatur *in can. Eà enim § Ut in sibi invicem* [illegible] *2.* Atqui permutatio rerum, est vera alienatio, *cap.* [illegible] *li 5. §. Alienationis h. t.* cum similibus. Tum quia SS. Canones, qui requirunt supra dictas solemnitates [illegible] principaliter agunt de alienatione rerum Ecclesiasticarum in Laicis facta: ne videlicet res Deo semel dicatæ, [illegible] profanos usus applicentur, contra *cap. semel Deo* [illegible] *51. de Reg. Jur. in 6.* aut ipsarum Ecclesia per [illegible] mas, & indiscretas alienationes depauperetur [illegible] bonis suis, quibus Laici inhiant [illegible] væ prælatur, *cit. Extravag. Ambitiosæ h. t.* [illegible] Unde quia hæ rationes deficiunt [illegible] Ecclesiæ alienatur in aliam (omnes [illegible] unam Ecclesiam universalem, *c. Legimus* [illegible] [illegible] præfati Authores, [illegible] solemnitates [illegible]

[illegible]

rum Ecclesiasticarum [illegible]

solemnitatibus juris: ac proinde etiam censetur prohibita illa, quæ fit ab una ecclesia ad aliam, dictis solemnitatibus non servatis; nam, ubi Jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, *l. de pretio ff. de publican. in rem action.* & alibi. Et idcirco hanc sententiam tenet Io. Andreas *in Collect. ib. n. 2.* allegans communem Romanæ Curiæ praxim: quidquid *cit. alleg. 93. n. 55.* in contrarium docuerit Sperellus *dec. 154. fori eccles. n. 22.* post Gratianum *discept. Forens. c. 517. n. 9. tom. 3.* & Rotam *in Treveren. Bonorum 11. Maii 1162. coram Dunozzetto seniore, & in Perusina, oblationum 27. Januar. 1640. coram Merlino.* Cardin. de Luca *de alienationib. discurs. 1. num. 104.* Quaranta *in Summa Bullarum, V. Alienatio num. 15.* Pyrrhus Corradus *in praxi dispensation. lib. 9. cap. 10. num. 8.* Bonacina *disp. 3. de Contract. ib. quæst. 8. part. 4. num. 20.* aliique plures, juncta praxi Curiæ Romanæ, de qua attestantur memorati Authores. Accedit ratio: quia etiam per hujusmodi arbitrarias, & quandoque indiscretas alienationes, facile particularibus Ecclesiis grave damnum inferri contingeret, si fieri possent non servatis solemnitatibus juris.

51 Nec urgent rationes *n. 49.* in contrarium allatæ. Non quidem *c. 1. h. t.* Licet enim hic solummodo fiat mentio de consensu ambarum partium, non tamen idcirco excluduntur cæteræ solemnitates, quæ requiruntur per *can. Sine exceptione 12. q. 2. & c. 1. h. t. in 6.* cum concordantiis; alioquin enim, si quid inde probaretur, neque requireretur justa causa ad faciendam permutationem rerum unius ecclesiæ cum alia; quod nemo concedit. Neque urget altera ratio: quia licet Sacri Canones plus abhorreant alienationem rerum ecclesiasticarum in Laicos, ob rationes in objectione allatas, nihilominus hanc etiam prohibent fieri ab una ecclesia ad aliam, non servatis debitis solemnitatibus [illegible] simul quæ [illegible] particularibus gra[illegible]

§. III.

De nullitate, revocatione, actionibus, pœnisque ex alienatione contra formam juris attentata consurgentibus.

S U M M A R I U M.

52 *Alienatio rerum ecclesiasticarum attentata non servatis* [illegible] *est ipso jure nulla.*

53 [illegible] *pro foro interno.*

54 [illegible] *malit confirmari per* [illegible] *videtur audienda.*

55 *Et hujus ratio.*

Contractus claudi[illegible]

56 *Quid agendum,* [illegible] *per alienationem* [illegible] *contractum,* [illegible] *læsa? Et n. seqq.*

Quando alienatio [illegible] *subvenitur ecclesiæ per restitutionem in integrum.* [illegible]

57 [illegible] *tamen ecclesia* [illegible] *ab altero* [illegible] *perat.*

58 [illegible] *alienatio non fuit valida,* [illegible] *revocando rem* [illegible] *alienatam* [illegible]

59 [illegible] *res malè alienata revocari* [illegible] *per Prælatum* [illegible]

60 Contra [illegible] venire non [illegible] *quando* [illegible]

Allegans propriam [illegible]

[illegible]

Et quid, si is bona fide rem ecclesiæ emisset. Ib.

64 *Ecclesia rem suam recuperante per unam actionem, cessat altera.*

65 *Quæ sint pœnæ male alienantium bona ecclesiarum? n. seq.*

Prima harum est nullitas alienationis, atque obligatio restituendi malè alienata. Ib.

66 *Altera pœna est excommunicatio, quam incurrit tam alienator, quam is, in quem alienatio facta est, imò & huic subscribentes.*

Et quando hæc excommunicatio incurratur. Ib. & num. seqq.

67 *Ab ea incurrenda excusat ignorantia juris, & facti.*

68 *Aliæ pœnæ in extravaganti, Ambitiosæ, contentæ, referuntur.*

69 *An rigor hujus extravagantis sit usu receptus? Et n. 32.*

Quæritur I. Qualiter alienatio rerum ecclesiasticarum sit nulla? Resp. I. Alienatio rei ecclesiasticæ attentata contra formam Juris, seu non servatis debitis solemnitatibus, est ipso jure nulla, & invalida. Ita Gl. in *c. Si quis Presbyterorum V. ab initio nullas h. tit.* Abbas *c. nulli n. 7. & c. Si quis n. 4. h. t.* Covarruvias *lib. 2. var. res. c. 17. n. 2.* Azorius *p. 2. lib. 9. c. 1. q. 8.* Card de Luca *de alienatione, disc. 1. n. 99.* Pirhing *h. t. n. 35.* & alii. Idque desumitur ex *can. Sine exceptione 12. q. 2.* ubi dicitur: *Irrita enim Episcoporum venditio, & commutatio rei ecclesiasticæ erit absque conniventia, & subscriptione Clericorum.* Concordat *c. si quis Presbyterorum 6. h. t.* illis verbis: *Confectum exinde documentum* (super prædio ecclesiæ male alienato) *viribus, quamvis ab initio nullas habuerit, vacuetur:* ponderando cum citata Gloss. ly: *Quamvis ab initio nullas habuerit.* Accedit textus *in c. 2. §. contractus autem h. t. n. 6. & Clem. 1. & Extrav. ambitiosæ cod. inter Commun.* ubi alienatio rerum ecclesiasticarum extra casus à Jure permissos, *viribus omnino carere,* atque *nullius omnino roboris, vel momenti* esse censetur. Nec [illegible] tum quia forma dat esse rei, *arg. c. tua nuper* [illegible] *quæ fiunt à Prælatis &c.* Barbosa *axiom. 100. nu. 1.* adeoque ea non servata semper inducitur nullitas actus. Tum quia, *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, juxta *reg. 64. jur. in 6. & can. Imperiali* [illegible] *& l. non dubium. C. de Legib.*

53 Et hæc procedunt pro foro externo, nam loquendo pro foro interno, seu conscientiæ, valida est alienatio rei Ecclesiasticæ, quæ cessante omni fraude ac dolo, atque in casu cæteroquin à Jure permisso (nempe ex justa causa necessitatis, vel utilitatis ecclesiæ, aut pietatis) auctoritate Superioris, aliorumque, quorum interest, consensu facta est, quamvis [illegible] formula juris. Ita Riccius [illegible] *praxis* [illegible] *de Legib. cap.* [illegible] Navarrus *in Commentar. de alien. rerum eccles. n. 17.* [illegible] *17.* Engel. [illegible] Azorius [illegible] allegans [illegible] Idipsum anteà jam docuit Abbas *in c. quia* [illegible] *de Immun. eccl. & c. requisivit n. 19. de* [illegible] hanc sententiam tenet; ad[illegible] quod [illegible] contractus in foro conscientiæ [illegible] sit, licitèque [illegible] res per ipsum acquisita [illegible] videlicet [illegible] [illegible] forma [illegible] *quod sicut* [illegible] licet [illegible] non servatas, [illegible] renunciare. [illegible] juris est introducta [illegible] evitandas: unde [illegible] verus consensus [illegible] judicis [illegible] Concor[illegible] *electione* [illegible]

54 [illegible] debitis solemnitatibus [illegible] nihilominus [illegible] nimirum [illegible] atque contractum ini-

initium rescindi desideret. Secus dicendum de tempore rei Ecclesiasticæ absque solemnitatibus: hic enim nullo modo potest allegare nullitatem ad retractationem actus puta contractus emptionis in favorem Ecclesiæ initi sine debitis solemnitatibus: ac proinde, licet emptor ultro velit restituere rem sic alienatam, Ecclesia non cogitur eam acceptare; sed si factam alienationem, puta, contractum emptionis Ecclesiæ utilem, malit confirmari per adibitionem debitarum solemnitatum atque ratihabitionem Superioris, videtur Ecclesia audienda. Ita Abbas *in c. diversis fallaciis*, *num. 6. de Cleric. coniug.* Engel *hoc tit. num. 20.*

55 Conclusio hæc probatur imprimis exemplo Pupilli, atque Minoris Curatorem habentis, qui valide absque Tutoris, vel Curatoris authoritate contrahunt in suum commodum, non tamen in suum præjudicium, *§. 1. Inst. de Auctor. tutor.* ac proinde inviti compelli nequeunt ad standum contractui, bene tamen, si huic stare velint, possunt alterum secum contrahente actione civili cogere ad standum illi contractui: unde, ut Gloss. *cit. §. 1. ℣. non obligantur*, animadvertit, *contractus claudicat quandoque*. Idem ergo dicendum de Ecclesia, utpote quæ fungitur jure Minoris, *cap. Auditis*, *3. de in integrum rest.* cum similibus. Accedit textus notabilis *in can. Si qua de rebus*, *12. quæst. 2.* ubi facta alienatione rei Ecclesiasticæ, Sede Episcopali vacante (Scilic. non servatis solemnitatibus juris) dicitur, in judicio esse Episcopi (noviter ordinati) constituunt, si pretium debeat recipi, nec ne.

56 Quæritur II. Quid agendum, si Ecclesia per alienationem, seu quamcunque contractum, [illegible] læsa? Resp. I. [illegible]tione: Vel enim alienatio illa valida fuit, utpote facta cum debitis solemnitatibus juris, atque ex causa, quæ videbatur justa (idemque dicendum de quocunque alio contractu per Ecclesiam inito), & tunc, si ex post facto appareat, Ecclesiam exinde fuisse graviter læsam, subveniendum eidem beneficio restitutionis in integrum. Textus est in *cap. ad nostram*, 11. *h.t.* junct. [illegible] *& seqq. de in integrum restit.* [illegible] ex professo [illegible] supra *lib. 1. tit. 41 de in integrum rest. §. 2. n.* [illegible] *& seqq.*

57 Tenetur tamen Ecclesia in integrum restituta alteri v.g. emptori, [illegible] rerum suarum reddere pretium, quod ab eo acceperit, [illegible] expensas in ipsam Ecclesiam utiliter factas refundere: [illegible] Et merito: ne videlicet Ecclesia [illegible] æquitatem cum aliena jactura [illegible] *tari 48. de reg. jur. in 6.*

58 Vel alienatio ejusmodi non fuit valida [illegible] facta est non servatis solemnitatibus [illegible]

59 [illegible]

60 Summa[illegible] alle[illegible] nim[illegible] si fact[illegible] Zo[illegible] mine proprio, [illegible]

contravenire: secus, si nomine tertii (puta, nomine Ecclesiæ, cuius res male, iureque impediente alienavit) suo facto controveniant. Veral. *dec. 170. n. 8.* Post. *de Manut. obs. 37. n. 102.* & apud illum Rotam *dec. 323.* Alias limitationes ponit Gloss *in c. inter dilectos*, *℣. Turpitudinem*, *de donat.* quarum præcipua est, quod fallant allegatæ Regulæ, ubi vertitur periculum animæ, *arg. c. Later.* & Gl. *ib. ℣. Insinuatione*, *de sent. & re jud.* Item, quando exceptio quam veniens contra factum proprium, seu propriam turpitudinem allegans, proponit, est talis, quod ex toto elidat jus Actoris, tunc enim fallunt dictæ regulæ, neque Actor, utpote notorie forens iniustitiam, debet audiri. Abbas *cit. c. inter dilectos*, *num. 7. de donationib.* Pirhing *h.t num. 65.*

Resp. III. Insuper in defectum Prælati male alienantis 61
ejusque Successoris, potest quilibet Clericus agere ad restitutionem rei Ecclesiasticæ illegitime alienatæ, hancque revocare: Textus est in *c. Si quis Presbyterorum*, *6. h.t.* ubi Pontifex in casu talis illegitimæ alienationis decernit, quod *liceat quibuscunque Ecclesiasticis personis vocem contradictiones offerre*, *& ut cum fructibus possint alienata reposcere*, *& Ecclesiastica auctoritate fulciri*. Quinimo, *in c. 1. h.t. in 6.* puniuntur Clerici, qui *scientes contra inhibitionem prædictam* de rebus Ecclesiæ absque solemnitatibus ibidem præscriptis non alienandis, *aliquid esse præsumptum*, *id Superiori denunciare neglexerint*.

Quæritur III. Quotuplex actio competat Ecclesiæ per [illegible] 62
illegitimam rerum suarum alienationem graviter læsæ? Resp. Duplex. Nam, ut notat Gloss. *c. si quis Presbyterorum ℣. alienata h.t;* & Pirhing *h.t. n. 69.* allegans alios, Ecclesia in casu illegitimæ alienationis habet imprimis actionem personalem, contra Prelatum male alienantem, ut damnum Ecclesiæ illatum resarciat, si est solvendo [illegible] *can. Meminimus* [illegible] *l. 3. c. Si tutor, vel curator intervenerit.* Atque hæc actio transit ad hæredem, unde hæres Clerici male alienantis, & defuncti, tenetur Ecclesiam reddere indemnem, Abbas *c. ex præsentium*, *n. 3. de pignoribus.* Siquidem hæres censetur eadem esse persona cum defuncto, juxta *Auth. de iurejur. §. 1. coll. 5.* Simulque [illegible] cedit, in omne jus defuncti, *l. cum hæres ff.* [illegible] *& temporal. præscript.*

Deinde Ecclesiam in casu illegitimæ alienationis habet 63
actionem in rem contra possessorem, ut restituat Ecclesiæ rem male alienatam, [illegible] *apostolicos, 12. q. 2.* atque in simili dicitur *l. 3. & ult. c. si tutor. vel cur. interv.* Et in tali casu possessor, sive is, qui rem ecclesiæ male alienatam recepit, compelli potest ad rem ejusmodi cum omnibus fructibus inde perceptis restituendam, per textum *in c. c. si quis Presbyterorum 6. h.t.* ibi: *Ut cum fructibus possint alienata reposcere.* Siquidem rem Ecclesiæ indebite alienatam [illegible] non facit fructus suos, sed tenetur [illegible] stipulatione [illegible] etiam *cum accessionibus* [illegible] meliora[illegible] *Jubemus, l. 2. §. Sane, c.* [illegible] *Presbyterorum, n. 1. &* [illegible] Pirhing [illegible] *n. 70.* Si [illegible] quis bona fide emisset rem Ecclesiæ [illegible] latam male alienante, [illegible] haberet actionem [illegible] nisi forsan, [illegible]

Hic tamen adde, [illegible] si Ecclesia [illegible] 64

[illegible] 65

nistro-

nistrorum congruam sustentationem, debitamque hospitalitatem observandam. Et prima quidem contravenientium pœna est, quod alienatio rerum Ecclesiasticarum contra formam Sacrorum Canonum, & sine causa legitima attentata, ipso iure sit nulla, & invalida, sicque rescindenda, simulque male alienans, vel alienata recipiens, teneatur ecclesiam servare indemnem, seu res male receptas cum fructibus, atque accessionibus suis restituere, ut iam proxime dictum.

66 Resp. II. Insuper, si alienatio rei Ecclesiasticæ contra Sacros Canones fiat, tam alienator, quam is, in quem alienatio facta est, imo & alienationem subscribentes, excommunicationem incurrunt: *nisi celeri restitutione* (hoc est, antequam lædatur ecclesia ex tali alienatione) *sibi prospexerint*. Textus est *in c. c. si quis presbyterorum*, juncta Gloss. *℣. Clerici h.t.* Idipsum iam antiquitus statutum fuerat in octava Synodo Universali, relata *can. Apostolicos 12. q. 2. & in can. non liceat. & can. ne rebus eod. caus. 12. q. 2.* cum similibus: estque hæc pœna excommunicationis innovata, ipsoque iure inflicta in *extravag. Ambitiosæ h.t. & inter commun.*

67 Excusatur tamen ab incurrenda hac censura alienans vel male alienatum recipiens ex ignorantia iuris, vel facti: *dum tamen eorum ignorantia non fuerit crassa, aut supina*, iuxta textum notabilem *in c. 2. de const. in 6.* Barbosa *in extrav. Ambitiosæ n. 23. h.t. inter commun.* Excusatur insuper ille, qui bona Ecclesiæ alienavit sine debitis solemnitatibus, si pœnitentia ductus, vel alia ratione permotus, alienationem revocavit ante realem, & pacificam traditionem rei Ecclesiasticæ, *c. c. si quis presbyterorum 6. h.t.* Covarruvias *lib. 2. Var. res. c. 16. n. 7.* Barbosa, *ubi supra n. 24.* citans alios. Non enim res dicitur alienata, donec traditio facta fuerit, *l. alienatum ff. de Verb signif.* Simulque in iure, ac præsertim in materia odiosa, verba cum effectu accipienda sunt, *c. Relatum 4. de cleric. non resident.* iunctis concordantiis à Glossa *ibid. ℣. cum effectu*, allegatis.

68 Resp. III. Insuper alienanti bona Ecclesiarum, Monasteriorum, Locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis Constitutionis (nempe extrav. Ambitiosæ) tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediate sequentes, sub interdicto huiusmodi, animo (quod absit) perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterii, cui præsidet, in spiritualibus, & temporalibus, sit eo ipso suspensus. Inferiores vero Prælati, Commendatarii, & aliarum Ecclesiarum Rectores, beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Præposituris, Dignitatibus, Personatibus, administrationibus, Officiis, Canonicatibus, Præbendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura sæcularibus, & regularibus beneficiis, quorum res & bona alienarunt duntaxat, ipso facto privati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propterea privatæ fuerint) libere de iure conferri, nisi alias dispositioni Apostolicæ Sedis sint specialiter, aut generaliter reservata: nihilominus alienatæ res, & bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria, Loca pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, libere revertantur. *Ita his verbis decrevit Paulus Papa II. in cit. extrav. Ambitiosæ h. t. inter Communes.*

Porro an rigor hujus Paulianæ Extravagantis ubique 69
fuerit usu receptus, non est huius loci investigare, sed pendet à particularibus locorum consuetudinibus; & usu hactenus continuato. Et quidem eam esse usu receptam, & ita præsumi, eo quod inserta sit corpori Juris, sicque ius commune facere censeatur, tenent complures DD. ac Rota *in una Brixien. locationis 5. Decem. 1594. coram Penia*; prout videre est apud Barb *p. 3. de offic. & pot. Ep. alleg. 95. n. 49.* Alii vero asserunt, eam esse quidem usu receptam quoad nullitatem contractus, non vero quoad pœnas excommunicationis aliasque extrinsecas: prout refert idem Barb. *cit. n. 40. & in Collect. ad extrav. ambitiosæ n. 3. h.t. inter commun.* Adde dicta superius *n. 32.*

TITULUS XIV.

De Precariis.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*
2 *Precarium, quot modis sumatur? Et n. seq.*
Sumitur quandoque pro re precario data, quandoque pro contractu: sicut & Commodatum, Depositum. Mutuum, & Pignus.
3 *Nomen hujus contractus tripliciter jure reperitur expressum: & quomodo.*
Precaria, & precariæ in fœminino sumptæ, non differunt. Ib.
4 *Precarium, quid?*
5 *Et quomodo differat à donatione.*
6 *Et commodato? Et n. seqq.*
7 *Precarium potest etiam ad determinatum tempus constitui & qualiter.*
8 *Precariorem accipiens, naturaliter eam possidet: secus est in Commodato.*
9 *Ille tenetur solum ex dolo, & culpa lata secus dicendum in Commodato; & cur.*
10 *Precariæ, sive precaria in singulari, quid?*
11 & 12 *Contractus precariæ, seu precariarum, & contractus precarii, differunt in pluribus. Et num. seqq.*
13 *Precarium semper potest revocari pro arbitrio concedentis, dummodo non fiat revocatio intempestiva.*
14 *Secus dicendum de precaria: nisi fuerit irrationabiliter concessa. Et n. 16.*
15 *Ad concessionem precariarum requiruntur solemnitates juris.*
16 *Quando conceduntur ultra triennium: alias secus.*
17 *Precarium expirat per revocationem concedentis.*
18 *Ac moriente illo, cui concessum est: non autem morte concedentis.*
19 *Finitur etiam, si precario concedens rem alienaverit &c.*
20 *Precarium pignoris expirat soluta debita pecunia.*
21 *Precaria in fœminino accepta expirat, si elapso quinquennio non petatur renovatio ejus: & cur*
22 *Qualis detur actio ex precariis? Et n. seqq.*
Spectato Jure Canonico non est opus, exprimere nomen Actionis in Libello. Ib.
23 *Ex precario in neutro, datur* Actio Precarii *seu* Interdictum de precario.
24 *Interdictum hoc restitutorium est.*
25 *Ex precaria, seu precariis in fœminino, potest dici oriri* Actionem Precariarum.

Quoniam Titulo præcedenti dictum est de alienatione rerum Ecclesiasticarum in genere; pergit compilator Juris Canonici ad agendum de Contractibus in specie, utpote quibus alienari contingit res Ecclesiasticas. De quibus proinde impræsentiarum agendum restat, omissis tamen illis, quæ partim de Pactis, & contractibus in genere, atque transactionibus, ex professo dicta fuerunt superius *lib. 1. decretalium tit. 35. & 36.* per totum: partim vero spectant ad Theologiam. Hinc, quantum ad Rubricam huius Tituli 1

Quæ-

2 Quæritur I. quot modis sumatur Precarium? Resp. I. Precarium (sicut & Commodatum, Depositum, Mutuum & Pignus) subinde accipitur pro re precario data, commodata, deposita. Quandoque vero pro ipso contractu Precarii, Commodati, Depositi, Mutui, seu Pignoris. Et hoc posteriori modo sumitur hic Precarium, nempe pro ipso contractu precarii: nam Precarium inter contractus numerari, patet ex *l. contractus ff. de reg. jur.*

3 Resp. II. Nomen huius contractus tripliciter in Jure reperitur expressum, videlicet in neutro, *Precarium:* uti fit *c. 3. h. t. & cit. l. Contractus ff. de reg. jur.* Et in fœminino numeri singularis: ut *can. precariæ à nemine 10. q. 2.* ibi: *Facere precariam.* Et rursum in fœminino numeri pluralis: ut *d. can. precariæ à nemine & can. precariæ de quinquennio 10. q. 2. & c. 1. ac ult. h. t.* Et quamvis Precaria, & Precariæ in fœminino sumptæ, non videantur differre; ut cum communi notat Ab. *c. 1. n. 3. h. t.* contra Hostiensem: nihilominus contractum Precarii differre à contractu Precariæ, sive precariarum, passim fatentur Doctores, & amplius patebit ex dicendis.

4 Quæritur II. Quid sit Precarium, & quomodo differat à donatione, & Comodato? Resp. I. Precarium rectè definitur à Ulpiano *l. 1. ff. de precario*, dicendo: *Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit, patitur. Quod genus liberalitatis ex Jure gentium descendit.* Hæc ibi. Concordat *c. 3. h. t.* ibi: *Precarium utendum conceditur, quamdiu patitur* (id est non revocat) *qui concessit: solvitur quoque obitu ejus, cui concessum est, non etiam concedentis.* Et in hoc censu sumitur etiam ly, *precario*, adverbialiter dictum: nam, quod precario datur, aut accipitur, semper potest revocari, seu repeti.

5 Resp. II. Precarium est species quædam liberalitatis adeoque contractus gratuitus. Differt tamen à donatione ex eo, quia qui donat, sic dat, ne amplius recipiat: qui autem precario concedit, sic dat quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere, seu revocare. Textus est *in cit. l. 1 ff. de precario.*

6 Resp. III. Etsi Precarium simile sit Commodato, quantum ad hoc, quia etiam is, qui commodat alteri rem suam sic commodat, ut eam non faciat recipientis, sed post certum tempus, aut completum usum ab eo recipiat, *cit. l. 1. ff. de precario:* differt nihilominus à Commodato in pluribus aliis. Ita communis: & patet tum ex diversitate Titulorum, in quibus tractatur de eisdem: tum inductione. Nam imprimis Commodatum conceditur ad determinatum usum, certumque tempus expresse, vel saltem tacite appositum: ut si commodetur cuipiam equus ad arandum, expleto illo labore debet equus domino suo reddi, precarium vero non datur ad certum, & determinatum usum, neque etiam ad certum tempus: sed quamdiu concedens permiserit, sive Precarium non revocaverit, *c. ult. h. t.* juncta Gl. *V. per conventionem* & Abbate *ib. num. 11. & 12.* aliisque passim.

7 Nec obstat, quod etiam precarium ad certum tempus constitui possit, *l. In rebus, & l. cum precario ff. h. t.* Resp. enim, adhuc notabilem esse differentiam. Tum quia nihilominus ille, qui precario ad tempus rogavit, finito tempore illo rem precario possidere videtur, nisi revocetur: intelligitur enim dominus, cum patitur eum sic possidere, rursus precario concedere: *cit. l. In rebus §. fin. ff. eod.* Tum etiam, quia non obstante concessione Precarii ad certum tempus; adhuc illud ante hoc tempus (seclusa tamen malitia seu dolo) revocari potest: nam pactum contra substantiam contractus non valet, *cit. l. cum precario*, ubi Bartolus *in Summario eod.* Secus est in Commodato, quod nec ante determinatum tempus à Commodante revocari potest, nec ultra illud à Commodatario protrahi.

8 Secundo differunt: quia qui rem commodatam recepit nec civiliter, nec naturaliter possidet: nam rei commodatæ possessionem retinet ipsemet commodans, *l. rei commodati ff. Commodati & §. Possidere. Inst. de Interdictis.* At vero is, qui precario rem accepit, naturaliter eam possidet, *arg. l. Et habet.* juncta Gloss. *V. à possessione ff. de precario* Pirhing. *h. t. n. 3.*

9 Tertio differunt; quia qui precario rem accepit, tenetur solummodo ex dolo, & culpa lata, quæ dolo æquiparantur, si rem interire contigerit: non vero ex culpa levi, vel levissima, *l. quæsitum est. §. Eum quoque ff. eod. & l. contractus ff. de reg. jur.* Secus dicendum de Commodato, quod fit gratia recipientis tantum: nam ibi venit etiam præstanda culpa levis, ac levissima, ut dicetur *Tit. seq. n. 15. & 16* ac notat Abbas *c. precarium n. 14 h. t.* Ratio disparitatis assignatur *in cit. §. cum quoque*, & Abbate *loc. cit.* Quia precarium pendet ex mera liberalitate concedentis, qui potest illud revocare, quandocunque voluerit: secus dicendum de Commodato, utpote quod non potest revocari ante completum usum, sive tempus determinatum.

Quæritur III. Quid sint Precariæ, & quomodo differant à Precario? Resp. I. *precariæ*, sive *precaria* in singulari numero est contractus Jure Canonico introductus, quo alicui ad preces, ac plerumque causa remunerationis ususfructus alicuius prædii, vel alterius rei ecclesiasticæ immobilis, ad dies vitæ, vel aliud certum tempus conceditur: ea tamen lege, ut singulis quinquennis renovatio huius contractus petatur. Ita desumitur ex *cap. 1. & seqq. h. t.* estque in re communis. Unde Gloss. *in can. precariæ à nemine 10. q. 2. V. precariæ*, inquit, quod Precaria sit quidam contractus affinis emphyteusi; sed in hoc differat, quod de quinquennio in quinquennium renovetur: ut *cit. can. precariæ de quinquennio 10. q. 2. & c. 1. h. t.* ibi: *precariæ de quinquennio in quinquennium secundum auctoritatem, & antiquam consuetudinem renoventur.* Idem contractus est similis locationi, nisi quod Emphyteusis, atque Locatio, fiant sub onere præstandi certam pensionem annuam; Precariæ vero concedatur gratis, vel causa remunerationis. 10

Resp. II. Contractus Precariæ, seu precarium, & contractus precarii, differunt in pluribus. Primò enim precarium potest fieri tam circa res mobiles, quam immobiles. Precaria vero solum circa res immobiles, *arg. can. 2. §. Si œconomus & can. precariæ à nemine 10. q. 2.* ac notat Pirhing. *h. t. n. 10.* 11

Deinde precarium regulariter ad certum tempus non conceditur, sed tandiu solum, quamdiu placuerit concedenti. Precariæ vero vel ad dies vitæ, vel ad aliud certum tempus concedi possunt, quamvis de quinquennio in quinquennium renovari debeant, ne fluxus temporis contingat perire memoriam beneficii, *c. 1. & 3. h. t.* Additur tamen *precarium regulariter*, propter dicta *n. 7.* 12

Tertiò, precarium semper potest revocari pro arbitrio concedentis, *l. 1. ff. de precario, & c. 3. §. 1. h. t.* Dummodo non statim revocetur sine cogente necessitate, ne frustrà, & illusoriè concessum, videatur; itaque beneficium alicui præstitum, ipsi damnosum existat? alioquin enim, si fieret intempestiva, & præcipitata precarii revocatio, ex qua sequeretur maximum damnum alterius, obstaret exceptio doli: ut benè notant DD. cum Abbate *in c. ult. n. 13. h. t.* Siquidem Precarium debet continere liberalitatem, ac beneficium; non autem nocumentum, & injuriam. *Adjuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet*, ut inquit Jurisconsultus *l. In commodato § sicut, ff. commodati.* 13

Econtra vero Precariæ non possunt revocari, antequam tempus concessionis sit elapsum, *c. ult. § fin h. t.* ibi: *Porro precariæ non sunt pro voluntate concedentium revocandæ.* Intellige, dummodo Precaria de rebus Ecclesiæ non sit irrationabiliter, seu in grave damnum Ecclesiæ facta, alioquin enim revocari posset, ac deberet, nedum à Successore concedentis, *ca. 2. h. t.* sed etiam ab ipsomet concedente. Engel *h. t. num. 5.* & alii. Quod ut melius intelligatur 14

Quæritur IV. Utrum ad concessionem Precariarum requirantur solemnitates juris, cæteroquin ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitæ? Resp. Affirmativè; Siquidem ad omnem alienationem rerum Ecclesiasticarum, imo ad locationem ultra triennium requiruntur dictæ solemnitates Jus, *extrav. ambitiosæ, de rebus eccl. non alienand.* Atqui Precariæ continent ejusmodi alienationem, similem locationi ultra triennium; eo quod per precarias concedatur ususfructus rei Ecclesiasticæ immobilis ad dies vitæ, vel aliud certum tempus: ergo ad eas, si concedantur ultra triennium, prout ordinarie fieri solet, requiruntur solemnitates Juris. Zoesius *h. t. n. 1.* Engel *n. 4.* 15

Secus dicendum, quando Precariæ non conceduntur ultra triennium: quia tunc ad earum concessionem, ex 16

rationabili tamen causa factam, non requiritur specialis consensus Superioris; sicut nec ad locationem, cui assimilantur, solummodo ad triennium concessam, juxta citatam *extrav. ambitiosæ.* Alloquin vero, si precariæ ultra triennium irrationabiliter, seu non servatis debitis solemnitatibus juris, concessæ fuerunt, revocari debent per Successorem, *c. 2. h. t.* imo etiam per ipsummet concedentem revocari possunt, ac debent, veluti nullæ ipso jure, juxta dicta superius *tit. præc. §. 3. num. 52. & 59. ac seqq.*

17 Quæritur V. Quando expiret precarium, vel precaria? Resp. I. Precarium cum primis expirat per revocationem concedentis: ut *l. 1. & 2. ff. de precario.* Est enim naturæ æquum, tandiu te liberalitate mea uti, quamdiu ego velim: & ut possim revocare, cum mutavero voluntatem; prout ibidem Jurisconsultus loquitur. Concordat *c. ult. §. 1 h. t.* ibi: *Precarium utendum conceditur, quamdiu patitur, qui concessit.*

18 Resp. II. Insuper precarium expirat moriente illo, cui concessum est: non item morte illius, qui concessit. Textus est in *c. ult h. t.* ibi: *Solvitur quoque* (precarium) *obitu ejus cui concessum est, non etiam concedentis.* Et ratio prioris partis est: quia precarium est beneficium personale, ipsi precanti concessum: atqui *privilegium*, sive beneficia, *personale personam sequitur, & extinguitur cum persona*, juxta reg. 7. iur. in 6 Altera pars habetur etiam in *l. quæsitum est, §. quod à Titio, & l. Cum precario §. fin. h. tit.* ubi dicitur, quod *rogatio precarii, ad hæredem ejus, qui precario concessit, transit.* Nec immerito: nam hæres censetur eadem esse persona cum defuncto. *Auth. de Jurejur. 2. Collator. 5.* Unde, nisi hæres precarium revocaverit, censetur hujus concessio durare, quinimo hæres, cum patitur eum, qui precario rogaverat, possidere, rursus precario concedere intelligitur, *l. In rebus §. fin. h. t.*

19 Resp. III. Ulterius finitur precarium, si illud concedens, rem precario datam alienaverit; nisi de voluntate novi domini res eadem remaneat penes illum, qui ipsam precario receperat. Ita Gloss. *c. ult. V. Solvitur h. t.* estque decisum *in c. l. quæsitum est, §. aliud ff. h. t.*

20 Expirat etiam precarium pignoris, quando debitor pecuniam debitam solverit creditori, *l. Si debitor ff. eod.* & Gloss. *loc. cit.* Quamvis enim nemo rem propriam precario habere, seu possidere possit, *leg. In rebus §. Item si rem meam ff. h. t.* Nihilominus, si debitor rem suam pignori subdiderit, potest eam à Creditore precario habere, sicque possidere: ita tamen, ut soluto debito cesset precarium, *cit. l. Si debitor ff. h. t.* & notat Pirhing. *eod. n. 19.*

21 Resp. IV. Rursus Precaria in feminino accepta, expirat, quando ea fuit concessa ad longum tempus, & elapso quinquennio is, qui eam accepit, non petivit revocationem ejus. Ita Abbas *c. 1. in fin. h. t.* istud à simili probans ex *can. Longinquitatem 11. q. 2.* atque ex eo: quia etiam Vasallus non petens investituram à novo Domino intra legitimum tempus, puta intra annum, cadit jure suo: idem ergo dicendum in proposito. Nam, ut longitudine temporis non pereat memoria factæ liberalitatis, seu contractum precarium, neque res immobiles ecclesiarum lapsu temporis præscribi valeant: & auctoritas, & antiqua consuetudo, precarias de quinquennio in quinquennium revocari præcepit, ut habetur *can. precariæ de quinquennio, 10. q. 2. & c. 1. h. t.* Pirhing *eod. n. 4.*

Quæritur VI. Qualis detur actio ex precariis? Ubi prænotandum, quod quidem, spectato præsertim iure Canonico, non sit necesse nomen actionis exprimere in Libello; sed sufficiat factum ipsum, reique veritatem clare proponere, simulque causam petendi, ipsamque conclusionem aptè proponere, *c. dilecti, 6 de Judiciis;* estque iam dictum suprà *lib. 2. tit. 3. de Libelli oblatione, n. 18. & seqq.* Adhuc tamen Doctores, pro meliori intelligentia, passim solent quærere, quæ actiones hinc inde ex eisdem oriantur, quod proinde etiam impræsentiarum videtur observandum. Unde 22

Resp. I. Loquendo de precario in neutro; datur ex eo *Actio precarii*, sive *Interdictum de precario*, quo illi licitum est uti, qui alteri rem suam precario concessit, ut eadem sibi restituatur, postquam revocaverit. Tunc enim incipit esse vitiosa possessio: cui proinde præcavendæ provisum est interdicto Prætoris *in l. 2. ff de precario*, illis verbis: *ait Prætor, quod precario ab illo habes, dolo malo fecisti: ut desineres habere, qua de re* agitur, id illi restituas. Quamquam ibidem illico subiungitur, idque repetatur *l. duo in solidum, §. fin. ff. eod.* quod tunc non solum Interdicto uti possimus, sed *etiam præscriptis verbis actione, quæ ex bona fide oritur.* 23

Interdictum hoc restitutorium est, atque rationabilem in se habet æquitatem, & precarium revocare volenti competit; ne cuipiam ipso invito, seu precarium revocante, sua liberalitate uti liceat, imo res una cum fructibus, post Interdictum precarii editum perceptis, sibi restituatur, *l. quæsitum est, §. ex hoc, ff. de precario.* 24

Resp. II. Loquendo de precaria, seu precariis in fœminino, qui contractus in Jure civili non reperitur, sed solis Canonistis cognitus est, operæ pretium non est multum laborare de nomine actionis, quæ ex precariis, utpote verum contractum, & pactum vestitum cum Juris assistentia importantibus datur; quia, ut proximè dictum in Foro ecclesiastico nomina actionum non solent specificari, sed sufficit materiam actionis, sive ipsum jus petendi clarè in Libello exprimere, Si tamen quis nomen actionis scire desideret, arbitratur Lodov. Engel. *h. t. n. fin. V. veruntamen*, eam posse appellari *actionem precarium*, eo quod in Jure Civili actiones ex contractu regulariter assumant nomen sui contractus; ut actio Precarii, Commodati, Locati &c. Nam, ubi Ius Canonicum nihil speciale constituit, solet jus Civile supplementum præstare, *c. 1. & 2. de novi operis nunciat. cum similibus.* 25

TITULUS XV.

De Commodato.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 QUia Commodatum valde vicinum, & simile est Precario, post istum merito agitur de illo in præsenti Titulo: unde fit

§. I.

De natura Commodati, rebusque, quæ commodari possunt, & obligationibus Commodatarii.

SUMMARIUM.

2 *Commodatum, unde sic dicatur?*
Commodator, & Commodatarius, quis. Ib.
3 *Commodatum ut contractus, quid, & quomodo differat à cæteris contractibus. Et n. seq.*
Commodatum quandoque sumitur pro re commodata. Ibidem.
4 *Et si res commodata facta est deterior, datur actio contra Commodatarium.*
5 *Commodatum debet esse gratuitum: ac per hoc differt à Locatione &c.*
6 *Et quomodo differat à Pignore, & Deposito, nec non à Mutuo.*
7 *Atque precario.*
8 *Quæ res commodari possint. Et n. seq.*
9 *An etiam commodari possint res, quæ ipso usu consumuntur.*
10 *Res tam profanæ, quam sacræ commodari possunt. Dummodò res sacræ ad usus profanos non applicentur.*

11 *Quæ sint obligationes Commodatarii. Et n. seqq.*
Non potest uti re commodata ad alium, nisi ad eum usum ad quem est commodata: alias tenetur actione furti. Ibid.
12 *Utens re sibi commodata, ad nihil tenetur, si hæc pereat absque culpa sua.*
13 *Commodatarius debet restituere rem commodatam tempore constituto.*
14 *Et quidem eandem rem in specie.*
Commodator manet dominus rei commodatæ. Ib.
15 *Commodatarius tenetur rem commodatam custodire exactissima diligentia.*
16 *Atque reparare damna, quæ res commodata dolo, vel culpa sua, etiam levissima, passa est.*

2 QUæritur I. Quid sit Commodatum, & quomodo differat à cæteris contractibus? Resp. I. *Commodatum* sic dicitur, *quasi utentis commodo datum*: ut inquit Gloss. *cap. unic. V. commodatum h. t.* Porro ille, qui rem alteri commodat, dicitur *Commodans*, seu *Commodator*: qui vero rem sibi commodatam acquirit, *Commodatarius* appellatur.

3 Resp II. *Commodatum*, prout accipitur pro contractu, *est alicujus rei ad aliquem specialem usum gratuito facta concessio*. Ita Gl *c. un. V. Commodatum h. t.* & in re communis. Additur notanter, prout sumitur pro contractu: quia ut jam dictum est *tit. præc. n 2.* Commodatum quandoque sumitur pro re Commodata: quandoque vero, ac præsertim in proposito, pro contractu Commodati: nam Commodatum connumeratur inter contractus bonæ fidei, *§. Actionum autem Inst. de actionib.* de quibus jam dictum est supra *lib. 1. tit. 35. de pactis §. 6. num. 118. & nu. 124. ac seqq.*

4 Dicitur imprimis in data definitione, *alicujus rei*. Intellige, sive ea immobilis sit, puta domus, aut stabulum: sive mobilis, præsertim quæ usu non consumitur, licet minuatur, seu atteratur: ut equus, vestis, vasa &c. Omnia enim hæc commodari possunt, *l. 1. §. Hujus ff. Commodati*, vel econtra: atque amplius *n. 8. & seqq.* dicetur. Quamquam, si res commodata sit facta deterior, detur actio contra Commodatarium ad præstandum id, quod interest Commodatoris: quia, ut *l. Sed mihi §. 2. ff. eod.* dicitur: *Si reddita sit quidem res commodata, sed deterior reddita; non videtur reddita, nisi quod interest, præstetur: propriè enim dicitur res non reddi*. Hæc ibi. Verum de hoc rursus dicetur infra §. *n. 38.*

5 Dicitur secundo in eadem definitione, *gratuito facta concessio*. In hoc siquidem Commodatum differt à Locatione, Emphyteusi, atque aliis hujusmodi contractibus, ubi pro concessione, seu usu cujuspiam rei, certum pretium solvendum constituitur: nam res tunc propriè dicitur commodata, si nulla mercede accepta cuipiam utenda traditur; alioquin mercede interveniente locatus usus rei videtur. *Gratuitum enim commodatum esse debet* prout legitur § *Item 15. Inst. Quibus modis re contrahitur oblig.*

6 Dicitur ulterius, *ad usum*. In hoc quippe Commodatum differt à Pignore, & Deposito, quorum usus non conceditur: quia si creditor pignore, vel depositarius re deposita, domino invito utatur, furtum committit *§. Furtum autem Inst. de oblig. quæ ex delicto &c.* Deinde per hoc differt Commodatum à Mutuo, utpote in quo rei datæ, seu alteri mutuatæ, dominium transfertur in Mutuatarium: nam *mutui datio* sic appellatur, quia *de meo tuum fit*, juxta textum expressum *in l. Mutuum §. Appellata ff. Si certum petatur*. Econtra in Commodato solus usus transfertur in Commodatarium, dominio atque possessione penes Commodantem remanente, *leg. Rei Commodatæ & seq. ff. h. tit.*

7 Additur vero, *ad aliquem specialem usum*. Non enim licitum est uti re commodata ad alium usum præter eum, ad quem concessa est, *l. In commodato §. sicut ff. h. t.* ibi: *Modum commodati finemque præscribere ejus est, qui beneficium tribuit*. Concordat textus *in c. un. h. t.* illis verbis; *Nisi post usum expletum, cujus gratia res fuerat commodata*. Atque per hoc inter alia differt Commodatum à Precario; uti notat Gl. *ib. V. post usum*; estque jam dictum supra *tit. præc. n. 6.* Ex quibus etiam patet responsio ad alteram partem propositæ Quæstionis, nempe quommodo Commodatum differat à cæteris contractibus.

Quæritur II. Quæ res aliis commodari possint? Resp. I. Non solum res immobiles, & mobiles (exceptis illis, quæ ipso usu consumuntur) sed etiam jura incorporalia aliis commodari possunt. Ita Glossa *c. un. V. Commodatum h. t.* & communis. Idque præter dicta *n. 4.* patet ex *l. 1. & 2. ff. h. t.* ubi rejecta quorundam veterum opinione deciditur, quod propriè commodata res dicitur non solum, quæ mobilis est, sed etiam quæ immobilis, seu *soli est*; subjungendo, *etiam habitationem commodari posse*. Ubi Gl. *V. habitationem V. Tu dicas*, per hanc intelligit servitutem habitandi; atque asserit *quod incorporalia commodantur*. Concordat Bartolus *in Sum. ib.* dicens; *Commodari potest res mobilis*, & immobilis, & incorporalis. 8

9 Additur tamen, *exceptis illis, quæ ipso usu consumuntur*. Tales enim res propriè non commodantur, sed potius mutuo dantur: unde panis impropriè dicitur commodari; quia postquam est comestus, non potest idem numero panis reddi, prout requiritur ad commodatum. Hinc *l. Sed mihi, §. fin. ff. h. t.* dicitur, *Non potest commodari id, quod usu consumitur: nisi forte ad pompam, vel ostentationem quis accipiat*: ut putà panem, ut videatur panibus abundare, posteà eundem numero panem redditurus domino suo; tunc enim is propriè commodaretur. Idemque dicendum de pecunia, & aliis hujusmodi, *l. Sæpe enim, ff. eod.*

10 Resp. II. Commodari possunt non solum res profanæ, sed etiam res Sacræ, puta, ab una Ecclesia ad aliam: dummodo hæ ad usus profanos non applicentur. Ita Azorius *p. 3. Instit. Moral. lib. 7. cap. 4. de Commodato.* Pirhing *h. t. n 2.* Sannig. *eod. c. 1. n 3.* & alii. Prior pars desumitur ex *c. un. h. t.* ubi agitur de commodato rerum Ecclesiasticarum. Altera vero pars seu quod res Sacræ ad usus profanos applicari, seu commodari non possint: patet ex *can. Ligna, de consec. dist. 1.* & reg. 51. Jur. in 6. *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum*, cum concordantiis. Nam res sacras ecclesiæ applicare ad usus profanos continet irreverentiam, & speciem sacrilegii.

11 Quæritur III. Quæ sint obligationes Commodatarii? Resp. Esse potissimum sequentes, quas inter alias enumerat Azorius *p. 3. lib. 7 de Commodato c. 5.* I. Commodatarius non potest uti re commodata ad alium, nisi ad eum usum, ad quem est commodata: alioquin furti tenebitur. Textus est in *l. si ut certo, §. nunc videndum, in fin h. t.* ibi: *Quinimò & qui aliter re commodata utitur: non solum commodati, verum furti quoque tenetur*. Quod ipsum repetitur *ib. §. Idemque ait.*

12 Si quis vero utatur re sibi commodata ad eum usum, ad quem est concessa, ad nihil tenetur, etsi ea pereat, tamen absque omni culpa sua, *cit. l. Si ut certo, §. quod vero, & l. ult. ff. eod* Unde si tibi commodavi equum, ut ad bellum duceres, meum erit periculum; *cit. §. Nunc videndum, V. plane si*. Nam ad hoc dedi, ut inquit Gl. *ib. V. Periculum*.

13 II. Obligatio Commodatarii est, quod debeat restituere rem commodatam tempore constituto: sive id sit constitutum expressè, puta, ut restituatur Calendis Januarii; sive tacitè, putà, restituatur expleto usu, ad quem est commodata, *cit. l. si ut certo, §. 1. ff. h. t & l. de restituendis, c. eod.* cum similibus. Nam in potestate Commodatoris, utpote beneficium voluntariè, nullaque cogente necessitate tribuentis, positum est ante concessionem commodati, modum ejus finemque præscribere, quem necesse habeat Commodatarius observare, *l. In commodato, §. Sicut ff. h. t.*

14 III. Commodatarius tenetur eandem rem in specie (ut loquuntur Juristæ) quæ sibi commodata fuit, restituere. Siquidem per hoc Commodatum differt à Mutuo, ut dictum *n. 6.* Accedit, quod quælibet res domino suo sit restituenda: atqui Commodator manet dominus rei commodatæ, *l. Rei commodatæ, & l. nemo, ff. h. t.* ergo debet ipsi restitui, & quidem eadem in specie, sive (ut loquuntur) individuo.

15 IV. Commodatarius tenetur rem commodatam servare ea cura, & diligentia, qua res proprias, *cit. l. Si ut certo, §. Videndum ff. h. t.* ubi dicitur. *Custodiam planè commodatæ rei etiam diligentem debet præstare*. Imo quia commodatum fit in gratiam solius Commodatarii, hinc ipse *exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compellitur*, nec ei sufficit eam diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibet, *si alius diligentior custodire poterit*; prout habetur expressum *l. 1. §. Is quoque, ff. de actionib. & oblig.*

16 V. Tenetur Commodatarius compensare, & reparare damna, quæ res commodata dolo, vel culpa sua passa est ut *l Sed mihi, § si reddita ff. h. t.* cujus verba *n. 4.* relata sunt, cum concordantiis passim hoc Titulo occurrentibus. Quinimo, ut Gl. *in c l si ut certo, §. nunc videndum, ff. h. t.* notanter inquit, *Tenetur regulariter omnis Commodatarius de lata, levi & levissima culpa*. Quod ultimum ut melius intelligatur, sit

§. II.

De divisione culpæ juridicæ, seu civilis: & ex qua teneatur Commodatarius?

SUMMARIUM.

17 *Culpa aliter apud Theologos, aliter apud Juristas accipitur, & quomodo?*
18 *Culpa juridica est triplex, lata, levis, & levissima: & quæ?*
19 *Differt à casu, & Dolo: & quomodo?*
Casus, & Dolus, quid? ib.
20 *Ex qua culpa teneatur Commodatarius? Et n. seqq.*
Ubi commodatum tendit in gratiam solius recipientis tenetur is spectando Leges humanas etiam de culpa levi, & levissima. Ib.
21 *Est secus sit in Precario.*
22 *Et Deposito.*
23 *Et quid loquendo pro foro conscientiæ. Remissivè.*
24 *Si Commodatum fit gratia utriusque, tenetur commodatarius solum de dolo, & culpa lata, atque levi: non vero de levissima.*
25 *Et si id fiat solius Commodantis, tenetur solum de dolo & culpa lata.*
26 27 & 28 *Ponuntur tres regulæ generales pro omnibus contractibus ad cognoscendum, ex qua culpa quis teneatur.*

17 QUæritur I. Quid, & quotuplex sit Culpa juridica, seu civilis? Resp. I. Culpa aliter apud Thelogos, & aliter apud Juristas accipitur. Ita communis. atque jam dixi in Theologia Morali *tr. 8. dist. 2. n. 34. 35. & seqq.* Siquidem apud Theologos *Culpa* idem est, ac peccatum, sive mortale sit, sive veniale. Apud Juristas autem, *Culpa*: idem est, ac omissio alicujus diligentiæ, unde sequitur quodpiam damnum proximo. Et potest facilè contingere, quod hujusmodi culpa juridica, seu civilis sit homini involuntaria, & omni peccato coram Deo vacet: veluti, si ex naturali oblivione librum tibi commodatum in publico loco reliquisti, unde sequitur ejus amissio, culpam iuridicam commisisti, quamvis coram Deo nihil peccaveris.

18 Resp. II. Culpa juridica, seu civilis, dividitur in latam, levem, & levissimam. Ita Abbas *c. un. n. 13. h. t* & communis. Et quidem *Culpa lata*, est omissio ejus diligentiæ & circumspectionis, quam passim homines ejusdem conditionis adhibere solent: qualis foret, si quis librum commodatum requiret foris, ante ostium, qui proinde perditur. Et talis culpa lata, licet dolus propriè non sit, tamen in jure æquiparatur dolo *l. 1. ff. Si mensor falsum &c.* ibi: *Lata culpa plane dolo comparabitur*, cum concordantiis, *culpa levis* est omissio ejus diligentiæ & circumspectionis, quem solent homines diligentiores illius conditionis, & artis adhibere: & talis culpa foret illius, qui librum sibi commodatum intra cubiculum relinqueret, ostio tamen aperto: nam homines diligentiores solent claudere januam. Culpa levissima tandem esse censetur omissio ejus diligentiæ, quam diligentissimi, & prudentissimi adhibent: qualis culpa foret illius, qui librum sibi commodatum intra cubiculum relinquens claudit quidem ostium, sed non tentavit manu, an illud bene sit obseratum: prout hasce culpas exemplificat Navarrus *c. 17. Manual. n. 178.* & alii.

Resp. III. Culpa juridica multum differt à Casu, & Dolo. Nam quælibet *culpa juridica*, seu civilis, etiam levissima, potest caveri diligentia humana cum sit omissio illius diligentiæ, quam homines diligentes vel saltem diligentissimi talis status, & conditionis adhibere solent. *Casus* autem est rei inopinatæ eventus, qui neque à diligentissimo prævideri, vel caveri, potest: sic casu fortuito contingunt, quæ fiunt, seu pereunt per bellum, latrones, terræmotum, gelu, grandinem, fulmina, & his similia. Unde *l. contractus, §. animalium, ff. de reg. jur.* dicitur „ Animalium vero casus, mortes, quæcon- „ que sine culpa accidunt fugæ servorum, qui custodiri non „ solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magni- „ tudines, impetus prædonum à nullo præstantur. Hæc ibi. Dolus vero dicitur omnis calliditas, fallacia, & machinatio, ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum alterum adhibita *l. 1. §. Dolum, de dolo malo:* ubi rejecta Servii definitione, hæc dicitur vera esse definitio Doli mali. 19

Quæritur II. Ex qua culpa teneatur Commodatarius Resp. I. Hic opus esse multiplici distinctione, & quidem, ubi commodatum tendit in gratiam solius recipientis, tunc Commodatarius non solum tenetur de dolo, & culpa lata, sed etiam, spectando Leges positivas humanas de culpa levi, imo & levissima. Ita Glossa *in c. un. V. de levissima*, & Abbas *ib. n. 1. & 12.* Angelus *in Summa, V. Commodatum, n. 11.* & communis DD. Idque claré decisum est *cit. c. un. h. t.* illis verbis: *Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur*. Concordat Ius Civile, istud pariter statuens *in l. si ut certo, §. nunc videndum, & l. in rebus, §. 1. ff h. t. & l. Contractus, ff. de reg. jur. & l. 1. §. Is quoque, ff. de actionibus & obligationibus* cujus verba *n. 15.* relata sunt. 20

Nec obstat primo, quod in Precario non nisi dolus, & culpa lata præstatur, *text. clar. l. quæsitum § cum quoque, ff. de precar.* Resp. enim, disparitatem esse: quia Precarium totaliter descendit ex liberalitate concedentis, atque ad libitum hujus quoquo tempore revocari potest: secus est in Commodato, ut jam dictum *tit. præc. n. 9.* 21

Nec obstat ulterius, quod etiam in Deposito non nisi dolus, & culpa lata præstatur, *l. 1. c. depositi*, ibi: *Qui depositum accepit, dolum solum, & latam culpam præstare debuit*, cum similibus. Resp. enim, disparitatem esse: quia Depositum regulariter fit gratia solius deponentis, ut illud sibi securé asservetur; Commodatum vero gratia solius Commodatarii, cujus necessitati atque indigentiæ per rem commodatam quis subvenire intendit. Atqui naturalis æquitas postulat, ut major adhibeatur diligentia, & circumspectio in custodienda re aliena, quamvis gratis ad suam solam utilitatem accepit quam si eam accepisset ob alterius duntaxat gratiam, & utilitatem. 22

Additur notanter in data *n 20.* Conclusione, *spectando Leges positivas humanas*. Quia juxta has omnimodis est procedendum & judicandum in Foro externo. An autem idem sit dicendum de obligatione in foro conscientiæ restituendi damnum in commodato illatum ratione culpæ levis, ac etiam levissimæ, & quidem ante sententiam Judicis, variant DD. atque cum pluribus aliis sententiam negativam tenendo, dixi ex professo in Theologia Morali *cit. tr. 8 dist. 2. n. 41 & 47. ac seqq.* 23

Resp II. Quod si Commodatum fiat gratia utriusque, tam concedentis videlicet quam commodatarii, tunc iste tenetur solum de dolo, & culpa lata, atque levi, non autem de levissima. Ita desumitur ex *l. in rebus §. 1* juncta Gl. *V. Æstimatio*, & Barb. *in Summario ff. h. t.* ubi istud exemplificatur in casu, quo communem amicum ad cænam invitavimus, tuque cænam præparasti, & ego commodavi tibi vasa argentea, nam de his teneris mihi solum ex culpa lata, & levi, non autem ex levissima: prout etiam in rebus pignoratis fieri solet. Abbas *c. un. n. 12. & 14. h. t.* Angelus *V. Commodatum, n. 11.* Pirhing. *h. t. n 6.* Sannig. *eod. c. 2. n. 2.* & alii. 24

Resp. III. Si vero Commodatum detur gratia solius commodantis; tunc præstatur solummodo dolus, & culpa lata; non autem culpa levis, aut levissima. Ita Glos. *in cap.* 25

in c.un. ℣. de levissima, h.t. Abbas *ib.n.*12. Angelus *cit.n.*11. Pirhing., *ubi suprà*, *numer.* 5. Sannig. *numer.* 1. & alii. Idque patet ex *l. si ut certo* §. *Interdum*, *ff. h.t.* ubi istud exemplificatur in casu, quo quis sponsæ, aut uxori suæ commodavit ornamenta, ut honestius culta ad se deduceretur; vel, si quis ludos theatrales exhibiturus, scenicis vestes necessarias commodavit: tunc enim, quia tale commodatum sit gratia solius dantis, re commodata pereunte solus dolus, & culpa lata, utpote dolo æquiparata, præstatur; non autem culpa levis, vel levissima.

26 Unde pro clariori, simulque generali hujus materiæ, seu obligationis intelligentia præ oculis habendę sunt tres Regulæ; quas Doctores præallegati, aliique passim assignant, atque desumunt tum ex citatis, tum ex diversis aliis textibus utriusque Juris, ac præsertim ex *l. si ut certo* §. *nunc videndum*, juncto Bartolo *in Summario*, *ff. h.t.* I. Regula est: In contractibus, qui celebrantur gratia dantis tantum (prout communiter fit in Deposito) præstatur dolus, & culpa lata tantum, *arg. l.* 1. *c. deposito*, & *cit.* §. *nunc videndum* cum similibus. Exceptis tamen quibusdam contractibus, nempe Tutelæ, Mandati, & Negotiorum gestorum, in quibus ob specialem rationem etiam præstatur culpa levis; ut dicitur *l. Contractus*, *ff. de reg. jur.*

27 II. Regula est: Quando contractus fit gratia recipientis tantum (prout regulariter fit in Commodato, exceptis casibus proximè enumeratis) tunc præstatur non solum dolus, & culpa lata; sed etiam culpa levis, atque levissima, *arg. c. ult. h.t.* junctis dictis suprà *nu.* 20. Dummodo hinc excipiatur Precarium, in quo non nisi dolus, & culpa lata præstatur, ob rationem *n.* 21. allegatam.

28 III. Regula est: quod si contractus fiat gratia utriusque (prout contingit in pignore, quod datur tum gratia Creditoris, ut ei fiat assecuratio rei creditæ; tum gratia Debitoris, ut ei sub assecuratione pignoris quidpiam mutuò concedatur) tunc præstatur dolus, & culpa lata, simulque culpa levis; non autem culpa levissima, *arg. cit. l. si ut certo*, §. *Interdum ff. h.t.*

§. III.

De obligatione Commodatarii ex casu fortuito: ubi & Actionibus Commodati.

S U M M A R I U M.

29 *Commodatarius non tenetur de casu fortuito.*
30 *Dummodo aliter non fuerit expressè conventum.*
31 *Neque is fuerit in mora reddendi.*
32 *Et quid, si res eodem modo peritura fuisset apud dominum?*
33 *Nec culpa Commodatarii fuerit data occasio casui fortuito.*
34 35 & 36 *Quid juris, si res commodata, & remissa periit culpa, vel etiam dolo Nuntii.*
37 *Præsertim, si Nuntius ille communiter habeatur pro fideli.*
38 *Quæ actiones oriantur ex Commodato.*
Et num. seqq.
Actio directa Commodati, quæ. Ib.
39 *Actio contraria Commodati, quæ.*
40 41 & 42 *Et quando competat Commodatario? Et n. præc.*
43 *An Commodatarius teneatur potius salvare res commodatas, quam proprias, si utrasque ob casum fortuitum salvare nequit. Remissivè.*

29 QUæritur I. Utrum Commodatarius teneatur de casu fortuito, quo res commodata periit? Resp. Negative: dummodo aliter non fuerit expressè conventum, neque is fuerit in mora reddendi, nec sua culpa fuerit data occasio tali casui fortuito. Ita Glossa *in cap. un.* ℣. *De levissima*, & DD. *ib. h.t.* & habetur expressum *in c. un. h. t.* illis verbis: *Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur; licèt casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset.) sibi non debeat imputari.* Hæc ibi. Concordat textus apertus *in l. Si ut certo* §. *Nunc videndum ff. h. t.* & *l.* 1. *C. eod* & *l. contractus ff. de reg. jur.* cum similibus. Et meritò: nam quælibet res domino suo perit: atqui dominus rei commodatæ est Commodator, *l. Rei commodatæ ff. h.t.* ergo.

Additur notanter in Conclusione I. *Dummodo aliter non fuerit expressè conventum.* Nam si pactum intervenit de præstando, seu resarciendo damno, quomodocunque res pereat, tenebitur Commodatarius etiam de casu fortuito; eò, quod periculum rei in se susceperit, seque obligaverit ad quodcunque damnum resarciendum: siquidem *contractus ex conventione legem accipiunt*, ut inquit reg. 85. jur. in 6. juncta *l. contractus ff. eod.* Hinc ille, qui sibi bovem commodari postulavit, sed contemplatione hostilis incursionis timendæ periculum ejus in se suscepit, per Præsidem Provinciæ compellitur conventionem implere, bovemque hostili incursu pereuntem resarcire; uti habetur *cit. l.* 1 *c. h.t.* 30

Additur II. *Neque is fuerit in mora reddendi.* Quia, si quis tardasset reddere domino rem commodatam post expletum usum ipsius, teneretur etiam de casu fortuito, juxta *cit. capit. unic. hoc tit.* Nam *mora sua cuilibet est nociva*, ut loquitur *Reg.* 25. *Jur. in* 6. cum similibus. 31

Intellige, nisi res eodem modo peritura fuisset apud dominum: quia tunc etiam non censeretur domino fuisse causa damni, sicque non obligaretur ad ejus recompensationem. Lessius *l.* 2. *de justit. & jur. cap.* 7. *num.* 38. Navarrus *cap.* 17. *Manual. num.* 80. Sylvester ℣. *Mora quæst.* 4. Engel *tit. de Pactis* §. 7. *num.* 26. & alii, quamvis Glossa *ad cit. reg.* 25. *Jur. in* 6. ℣. *Mora sua*, quod hoc dissentiat, *arg. l. quod te ff. de Rebus creditis*; & quia fortassis intereà dominus rem sibi restitutam vendidisset, sicque apud alium periisset. Nisi dicere velis, hanc Glossæ opinionem loqui extra casum à Lessio suppositum. 32

Additur III. *Nec sua culpa fuerit data occasio tali casui fortuito*: prout fieret, si vas argenteum, tibi pro convivio in civitate celebrando commodatum, tecum accepisti peregrè profectus, sicque illud in naufragio, vel prædonum incursu perdidisti. Nam tunc de hoc casu fortuito sine ulla dubitatione teneberis; prout exemplificatur *leg. In rebus.* §. 1. *ff. hoc tit.* & *leg.* 1. §. *Sed & in majoribus ff. de Actionib. & obligationib.* juncto *capit. unic. hoc tit.* Quia videlicet casus ille, cæteroquin fortuitus, tua culpa accidit, qua commodatum sine licentia commodantis foras extulisti. 33

Quæritur II. Quid juris, si res commodata, & remissa, periit culpa, vel etiam dolo Nuntii? Resp. I. Quando Commodator certum Nuntium misit cum mandato, ut per eum res commodata remitteretur, periculum est ipsius sicque Commodatarius Nuntio illi forsan posteà cum re commodata aufugienti, vel etiam malitiose deterioranti, tradens rem commodatam liberatur. Textus est apertus *in l. Eum qui rem.* §. *Sed & si dum ff. h. t.* 34

Additur tamen, *cum mandato &c.* Nam si Commodator misit solummodo Nuntium, ut Commodatarium moneret ad remittendum commodatum, non tamen dixit, ut per eum mitteret: tunc Commodatarius huic tradens, non excusatur, si dolo, vel culpa illius Nuntii, vel servi res pereat. Bartolus *in citat. leg. Eum qui.* §. *Sed & si dum* ℣. *Tertiò.* Quod intellige, si Nuntius ille communiter pro fideli, ac idoneo habeatur, conformiter dicendis *numer.* 37. 35

Resp. II. Quod si Commodatarius Nuntium elegit, quem voluit, ad remittendam rem commodatam, tunc periculum ejus est; adeoque, si malum Nuntium, & cum commodato posteà aufugientem, vel istud deteriorantem legit, ipse tenetur ad damnum præstandum. Textus est *in citat. leg. Eum qui.* §. *Sed & si dum ff. hoc tit.* juncta *Leg. seq.* hujus rationem reddente, illis verbis: *Qui non tam idoneum hominem elegit, ut rectè id* (commodatum) *perferri possit.* 36

Additur notanter, *si malum Nuntium*, hoc est non habitum pro fideli, *elegit.* Nam quando Commodatarius remisit commodatum per Nuntium communiter pro 37

fideli habitum, non cogitur restituere, etsi res per nuntii dolum, aut culpam pereat. Textus est *in l. Argentum ff. h.t.* ubi dicitur; *Argentum commodatum, si tam idoneo servo meo tradidissem ad te perferendum, ut non debuerit quis existimare futurum, ut à quibusdam malis hominibus deciperetur: tuum, non meum detrimentum erit, si id mali homines intercepissent.* Idipsum brevius tradit Bartolus *in Summario ibid.* dicens: *Si res culpa nuntii perdatur, perit periculo domini, si remittens non fuit in culpa malæ electionis.* Concordat Navarrus *c.* 17 *Manual. n.* 185. Azorius *p.* 3. *lib.* 7. *de commodato c.* 8. *q.* 1 Zoelius *in comment. ff. h.t. n.* 13. citans alios. Siquidem res regulariter domino suo perit: atqui dominus rei commodatę est Commodator, *l. Rei commodatæ ff. h t.* Accedit, quod Commodatarius regulariter non teneatur de casu fortuito: atqui fuga servorum, putà, cum re commodata aufugientium, sicut & rapinę, connumerantur inter casus fortuitos, *l. contractus.* § *Animalium. ff. de Reg. Jur.* ergo.

38 Quęritur III. Quę actiones oriantur ex Commodato? Resp. Duę; una directa, altera contraria. *Actio directa commodati* dicitur illa, quę competit Commodanti, ejusque hęredibus, adversus Commodatarium, ejusque hęredes, ut sibi res commodata post expletum usum, seu tempus determinatum restituatur: & si culpa Commodatarii deterior facta est, damnum resarciatur. Ita communis; & patet ex *l. Si is qui commodatum* & *l. In commodato ff. h.t.* junctis dictis suprà *n.*4. & *n.*16.

39 *Actio contraria commodati*, & quasi ex opposito respiciens directam, est illa, quę competit Commodatario adversus Commodantem: idque variis ex causis. Primò, si Commodans non patiatur Commodatarium uti re ad eum usum, ad quem est commodata (putà, quia hanc intempestivè revocat, sicque Commodatario damnum infert) tunc is actione contraria Commodati tenetur ad resarciendum damnum illatum, *l. In commodato.* §. *Sicut ff. h t.* Etsi etiam à principio merę voluntatis sit, commodare; & ita modum commodati, finemque præscribere liceat commodanti: postquam tamen fecit, tunc retro agere, atque intempestivè usum rei commodatæ auferre, non tantùm impedit officium, quod homo homini pręstare debet; sed etiam suscepta est obligatio inter dantem, & accipientem, vi hujus contractus. Nec immeritò: *Adjuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet*; prout *cit.* § *Sicut.* subjungitur, & concordat textus *in c. un. h t.*

Secundò contraria commodati actione, atque ad resarciendum damnum, tenetur Commodans, quando scienter alteri commodavit rem vitiosam, unde Commodatario damnum illatum est. Hinc, *qui sciens vasa vitiosa commodavit, si infusum ibi vinum, vel oleum corruptum effusumque est, condemnandus eo nomine est*: ut inquit Juris Consultus *l. In rebus.* § *Item qui. ff. h t.* Similiter, quando servus alteri commodatus furtum fecit, *contraria commodati actione tunc commodans tenetur; cùm sciens, talem esse servum, ignoranti commodaverit*, prout habetur *leg. Si servus. ff. eod.* 40

Additur tamen, *Qui sciens &c.* Nam secùs dicendum de ignorante. Glossa *cit.* § *Item qui.* Utrùm autem quis scienter commodaverit rem vitiosam, ex circumstantiis colligendum est: atque in dubio *præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur*, juxta Reg. 47. Jur. in 6. 41

Tertiò contraria commodati actione agi potest cum Commodante ad recuperandas magnas expensas, quas Commodatarius fecit in re commodata: secùs dicendum de modicis impensis. Textus est *in l. In rebus.* §. *possunt. ff. h. t.* ubi istud inter alia exemplificatur de servo commodato, & infirmato, pro cujus valetudine recuperanda Commodatarius majores fecit impensas. Et additur, *majores impensas.* Modica enim impendia (sicut & impensæ cibariorum) ad Commodatarium pertinent; prout ibidem habetur. 42

Posset hoc loco quæri, an Commodatarius teneatur potiùs salvare res commodatas, quàm proprias, si utrasque ob casum fortuitum, v.g. ob exortum incendium, salvare nequeat, *arg. l. Si ut certo* §. *Nunc videndum. vers. Quod verò ff. h.t* ubi dicitur: *Proinde & si incendio, vel ruina aliquid contingit*, vel aliquod damnum fatale circa rem Commodatam, commodatarius *non tenebitur; nisi fortè cùm posset res commodatas salvas facere, suas prętulit.* Verùm de hoc dicetur cõmodius infrà *T. seq.* §. 2. *n.* 40. & *seq.* 43

T I T U L U S XVI.

De Deposito.

1 POstquam actum est de Precario & Commodato, quæ sunt contractus in gratiam solius accipientis inventi, sequitur nunc explicandum Depositum, veluti contractus vice versa in gratiam solius tradentis, seu deponentis adinventus. Pro cujus clariori intelligentia sit

§. I.

De natura, & divisione Depositi, atque obligationibus Depositarii.

S U M M A R I U M.

2 *Depositum accipitur & pro re deposita, & pro contractu.*
3 *Et quid sit?* & *n. præced.*
4 *Dividitur in judiciale, & privatum. Et num. seqq.*
5 *Illud alio nomine dicitur* Sequestrum, *sive* Sequestratio.
6 *Aliud genus Depositi judicialis assignatur.*
7 *Depositum privatum, quid?*
8 *Et duplex, voluntarium, & necessarium.*
9 *Et quomodo differant, & n. seqq.*
10 *Lex magis subvenit illi, qui facit actum ex necessitate, quàm qui omnino voluntariè.* Jus Canon. Anacl. Reiff. Tom. III.
11 *Quæ sint obligationes Depositarii? & n. seqq.*
Tenetur hic depositum custodire ea fide & diligentia, qua res proprias custodit. ibid.
12 *Nec potest uti re deposita sine consensu Depositoris.*
13 *Expresso, vel tacito.*
14 *Teneturque rem depositam restituere talem, qualem accepit, non fractam &c.*
15 *Ac eam absque mora reposcenti reddere, & num. seqq.*
16 *Depositor potest pro sua voluntate depositum revocare, etiam ante tempus statutum.*
17 *Contra depositum non admittitur compensatio, vel deductio.*
18 *Etiamsi ex utraque parte aliquid fuerit depositum.*
19 *Et quid pro Foro conscientiæ?*
20 *Dantur aliqui casus, in quibus depositum non statim est restituendum, & num. seqq.*
Ut si quid de novo emergat restitutionem impediens. ibid.
21 *Aut ex restitutione depositi timeatur secuturum damnum &c.*
22 *Item, quando bona depositoris ob crimen sunt confiscata.*
23 *Et quando dominus, & fur depositor, in repetenda re concurrunt.*

24 *Aut fur rem furto sublatam deposuit apud dominum ejus.*
25 *Ex qua culpa Deposita teneatur? Et n. seqq.*
Is tenetur de dolo, & culpa lata; non autem regulariter de culpa levi.
26 *Exceptis certis casibus; ut nominatim convenit, quòd culpa levis præstetur.*
27 *Vel si quis seipsum deposito obtulit.*
28 *Aut mercedem pro custodia recepit.*
29 *Vel requisitus, ut depositum redderet; est in mora.*
30 *Conventio, ne dolus præstetur in Deposito, Commodato, aliisque contractibus, nullius est momenti.*
31 *Loquendo de remissione doli futuri: secùs de remissione doli præteriti.*

2 QUæritur I. Quid, & quotuplex sit Depositum? Resp. I. *Depositum est, quod custodiendum alicui datum est.* Ità textus expressus, *l. 1. §. 1. ff. Depositi.* Quamquam hic Depositum definiatur, prout accipitur pro ipsa re deposita: potest enim Depositum accipi dupliciter, videlicet pro re ipsa deposita, & pro contractu Depositi, prout in simili de Commodato dictum est suprà *T. præced. n. 3.*

3 Et quidem Depositum sumptum pro contractu, aliud non est, quàm Contractus, quo aliquid alteri gratis custodiendum datur. Ita Zoesius *h. t. num. 1.* Vallensis *eod. n. 2.* Pirhing *n. 1.* & in re communis. Additur notanter ly, *Gratis*: quia Depositum regulariter fit gratia solius deponentis, & nulla mercede data, vel promissa. Alioquin, si pro custodia rei detur merces, jam hoc casu Depositum transire videtur in contractum Locationis, & Conductionis; cùm Depositarius (sive, qui rem penes se depositam ad custodiam recipit) accipiendo mercedem, censeatur operas suas ad rem custodiendam alteri locasse, *cit. L. 1. §. Si vestimenta. ff Depositi.* Ubi Summarium breviter inquit: *Depositum dicitur, cum nulla merces pro custodia datur: aliàs dicitur Locatio.*

4 Resp. II. Depositum ut sic dividitur in judiciale, & privatum. Ita Azorius *par. 3. lib. 7. cap. 2. de deposito*, & in re communis; quamvis utrumque membrum suas patiatur subdivisiones. Et quidem *depositum judiciale* est, quando res in judicio controversa apud aliquem tertium deponitur, seu ipsi committitur custodienda, ut lite finita victori restituatur.

Et hujusmodi Depositum judiciale, alio nomine dicitur *Sequestrum*, seu *Sequestratio*: qualis postmodum subdividitur in *Sequestrationem voluntariam*, quæ fit mutuo partium consensu: & in *Sequestratione necessariam*, quæ fit authoritate, & mandato Judicis: prout fusiùs declaratum est suprà *Lib. 2. T. 17. de Sequestratione Possessionum §. 1. n. 6. 9 & seqq.*

6 Aliud genus Depositi judicialis assignat Azorius *cit. cap. 2.* & contingit tunc, quando debitor offert creditori pecuniam, quam debebat: quia verò creditor eam recusat accipere, tunc debitor ad usuras, vel alias molestias evitandas, consignat eam Judici, Textus est *in l. Acceptam C. de Usuris*: ubi subjungitur, quòd hac ratione debitor & à solutione legitimarum usurarum (seu interesse) & à periculo casus fortuiti liberetur, & jus pignorum tollatur.

7 *Depositum privatum* econtra est, quod fit privata partium authoritate: sive quando apud privatum aliquem de cujus fide & diligenti cura deponens confidit, res aliqua deponitur ut eam ritè custodiat. Atque istud dupliciter contingere potest, videlicet voluntariè, vel necessariò. Et quidem

8 *Depositum voluntarium* censetur intervenire, quando nullo emergente periculo quis rem suam alteri custodiendam tradit. *Depositum necessarium* econtrà dicitur, quòd fit ex aliqua necessitate purà, ratione incendii, ruinæ, tumultus publici, aut naufragii.

9 Est autem notabile discrimen inter istud duplex Depositum: quia actio Depositi in priori casu datur in simplum: in posteriori autem datur in duplum: adeò, ut facto deposito necessario ex præfatis causis, si Depositarius doli mali vel culpæ latæ judicialiter condemnetur duplum, ac valebat res deposita, restituere cogatur, Textus est *in l. 1. §. Prætor ait. ff. h. t.* ibi: *Prætor ait: quod neque tumultus, neque incendii, neque ruinæ, neque naufragii causa depositum sit, in simplum: earum autem, quæ suprà comprehensæ sunt, in ipsum in duplũ judicium dabo*, quod ipsummet repetitur *l. Quod tumultus 18. ff. eod.* ac notat Barb. *ad Rubric. h. t. n. 7* citans alios.

10 Ratio diversitatis est. Tum quia Lex magis subvenit illi, quia facit actum ex necessitate, quàm illi, qui facit omnino voluntariè, *l. Si fidejussor §. Si necessaria ff. Qui satis dare cogantur &c. Ab arbitrii* juncta Glossa *vers. Appellandum de Offic. Delegat. in 6.* Tum quia voluntariè, ac extra omnem casum necessitatis, rem suam apud alium minùs fidelem deponens sibi imputet, quòd non quæsierit diligentiorem Depositarium; ac proinde sufficit, si recipiat ipsam rem depositam, aut pretium ejus in simplum. Secùs dicendum de deponente rem suam ex necessitate incendii, naufragii &c. ubi res moram non patitur: & quia crescit crimen perfidiæ, si taliter afflicto Depositarius inficietur, remque depositam dolosè sinat interire, hinc majori pœna dignus est, daturque contra eum actio Depositi in duplum

11 Quæritur III Quæ sint obligationes depositarii? Resp. I. Obligationes Depositarii, sive illius, qui rem depositam suscepit, potissimùm consistunt in sequentibus. Imprimis enim debet is depositum custodire, atque servare ea fide, cura, & diligentia, qua solet proprias res servare, atque custodire. Textus est *in l. Quod Nerva ff. h. t.* ibi: *nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstet, fraude non caret. Nec enim salva fide minorem iis* (depositis) *quàm suis rebus diligentiam præstabit.* Et hoc adeò verum est, ut *bona fides abesse præsumatur, si rebus suis salvis existentibus depositas amiserit* Depositarius, ut habetur *c. 2. h. t.* juncta Glossa *vers. Rebus suis salvis*: & Doctoribus *ibid.*

12 Deinde Depositarius non potest uti re deposita sine consensu expresso, vel tacito ipsius Depositoris, qui rem deposuit: alioquin si utatur, furtum committere censetur. Textus est *in l. si sacculum ff. h. t.* ibi: *Si sacculum, vel argentum signatum deposuero, & is penes quem depositum fuit, me invito contrectaverit; & depositi, & furti actio mihi in eum competet.* Idipsum habetur *§. Furtum, Instit. de Obligat. quæ ex delict.* & ibi: *Sive creditor pignore, sive is apud quem res deposita est, ea utatur, furtum committit.*

13 Additur tamen, *sine consensu expresso, vel tacito ipsius Depositoris.* Nam quando Depositarius bona fide existimat, domino id non displicere, si utatur re deposita, jam non peccabit utendo, nec furti actione tenebitur. idque multò magis dicendum, si dominus expressam licentiam utendi concesserit, *cit. l. Si sacculum §. Si permisso meo ff. h. t.*

14 Tertiò, Depositarius tenetur rem depositam restituere talem, qualem accepit, hoc est, non fractam, non comminutam, corruptamve, nec factam aliquo modo deteriorem: alioquin enim non videtur reddita. *L. 1 §. An in pupillum ff. h. t.* ibi: *Si res deposita deterior reddatur, agi depositi potest: cùm enim deterior reddatur, potest dici dolo malo redditam non esse.* Hoc ipsum de Commodato habetur *l. Sed mihi videtur §. Si reddita ff. commodati.*

15 Quartò, Depositarius debet absque mora reposcenti depositum, illud reddere: simulque resarcire quidquid damni dolo, vel culpa sua, res deposita passa fuit. Azorius *par. 3. lib. 7 de deposito cap. 6.* & communis. Quod ultimum ut meliùs intelligatur

16 Quæritur III. An, & qualiter Depositarius teneatur reposcenti Depositum restituere absque mora? Resp. I. Depositarius requisitus statim tenetur rem depositam restituere, nisi causa restitutionem impediens de novo emergat: alioquin Depositor potest depositi agere, *L. 1. §. Est autem ff. hoc tit.* Adeò ut depositori liceat pro voluntate sua depositum revocare, *capit. 2 §. Sanè, hoc tit.* Etiam ante tempus statutum: ut si quis deposuerit rem post obitum reddendam, possit mutare voluntatem suam, & ante mortem suam repetere, *tex. clar. cit. L. 1. § penultim. ff hoc tap.* Et si non restituitur, tunc possit agi actione Depositi: atque Depositarius conventus, & quia non restituebat, condemnatus, efficiatur infamis, *l. Qui depositum C. h. t. & l. Famis §. Illud planè ff. De iis, qui notantur Infamia*, ac notat Glossa *in cit. cap. 2. vers. Revocare h. t.*

17 Et hoc adeò verum est, ut contra Depositarium non admittatur compensatio, vel deductio alterius debiti: puta, si Depositor quidpiam debeat Depositario, iste non poterit rem penes se depositam retinere in recompensationem illius debiti, neque partem ejus deducere, sibique pro satisfactione debiti reservare: sed compellitur totum Depositum fideliter Depositori repetenti restituere. Ita habetur *cit. ca. 2.* juncta Glossa *v. contra quod h. t.* Quod ipsum jam anteà in Jure Civili *l. Si quis. C. h. t.* rationabiliter statutum fuerit illis verbis: *Si quis vel pecunias vel res quasdam per depositionis acceperit titulum, eas volenti ei, qui deposuit, reddere illicò modis omnibus compellatur: nullamque compensationem, vel deductionem, vel doli exceptionem, opponat, quasi & ipse quasdam contra eum, qui deposuit, actiones personales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens: cùm non sub hoc modo depositum accepit, ut non concessa ei retentio generetur: & contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur.* Hæc ibi, non nulla alia ad propositum facienda subjungendo. Accedit ratio in allegato textu jam insinuata: quia Depositor rem suã fidei Depositarii committit, ut eam diligenter fideliterque custodiat, donec revocetur; atque talẽ custodiã rei Depositarius in se suscipit: ergo contra datã fidem agere cõvincitur, si rem depositã posteà non restituat repetenti, sed sibi retineat in compensationem alterius debiti.

18 Ampliatur istud ad eum casum, quo ex utraque parte aliquid fuit depositum. Quia etiam tunc non habet locum compensatio, vel deductio: *sed depositę quidem res, vel pecuniæ, ab utraque parte: quàm celerrimè sine aliquo obstaculo restituantur; ei videlicet primùm, qui primus hoc voluerit: & posteà legitimæ actiones internæ quoque ei reservetur.* Textus est *in cit. l. Si quis §. Sed et si C. hoc tit.* Idque ob rationem proximè dictam.

19 Atque ista procedunt pro Foro externo, & contradicente altera parte. Nam loquendo pro Foro conscientiæ, si debitum sit certum, nec alia ratione consequi possit, Depositarius licitè uti poterit compensatione, ac rem depositam interim retinere, donec ipsi satisfiat, *vers. Compensatio quæst. 2.* Layman *lib. 3. Theol. Moral. tract. 2. capit. 9. num. 10.* Pirhing. *hoc titulo num. 11.* Dummodò absit periculum scandali, nec legitimus Judex aliud præcipiat, aut beneficio recompensationis spontè quis non renunciaverit.

20 Resp. II. Patitur nihilominùs data Conclusio quasdam limitationes, juxta illud vulgatum. *Nulla regula sine exceptione.* Et primò quidem res deposita non statim restituenda est reposcenti, quando aliquid de novo emergit restitutionem impediens: ut *si in Provincia res sit, vel in horreis, quorum aperiendorum condemnationis tempore non sit facultas, vel conditio depositionis non extiterit*; prout dicta regula limitatur *l. 1. §. Ex autem ff h. t.*

21 Secundò idipsum limitatur, quando ex restitutione depositi statim facienda probabiliter timetur secuturum damnum spirituale, vel corporale ipsi Depositori, vel alicui alteri: ut si furiosus repetat gladium apud alium depositum; nam manifestum est tunc non esse reddendum, *can. Ne quis arbitretur §. Duo sunt 22. q. 2.*

22 Tertiò limitatur, quando bona Depositoris ob crimen sunt publicata, seu confiscata: tunc enim non ipsi repetenti, sed Fisco sunt restituenda; idque ob Juris Civilis, Legumque constitutionem, etsi secùs foret spectato Jure naturali & gentium. Textus est *in l. Bona fides §. 1. ff. h. t.*

23 Quartò, quando dominus, & fur, qui rem furto ablatam apud aliquem deposuit, in repetenda re illa concurrunt: tunc enim res illa non furi, sed vero domino eam repetenti restituenda est: illud enim exigit virtus justitiæ, quæ jus suum cuique tribuit, *cit. l. Bona fides §. Incurrit. ff. h. t.* Secùs dicendum, si domino non comparente solus fur rem furtivam depositam repetat: tũc enim ea ipsi est reddenda, *l. 1. §. Si prædo ff. h. t. & cit. §. Incurrit. V. Quod si ego,* ac notat Azor. *p. 3 l. 7. de Deposito c. 8. q. 4.* Pirhing *h. t. n. 7.*

24 Quintò, quando fur rem furto ablatam deposuit apud dominum ejus qui tunc nesciebat rem esse suam: nam si posteà resciat, seu cognoscat rem esse suam, non tenetur eam furi repetenti restituere. Textus est in *cit. l. Bona fides §. Si tamen; & seq. ff. h. t.* ea addita ratione: cum quia tunc *Jure gentium non consistit Depositum; cujus hæc est potestas, ut alii, non domino sua ipsius res, quasi aliena, servanda tradatur*, ut ibidem dicitur, juncta *leg. Qui rem suam ff. eod.* Tum quia Depositum est contractus bonæ fidei: atqui bona fides non patitur, ut dominus rei judicialiter compellatur, rem suam furi restituere; ergo.

25 Quæritur IV. Ex qua culpa Depositarius teneatur? Resp. I. Depositarius tenetur de dolo, & culpa lata; non autem, regulariter loquendo, de culpa levi, vel levissima. Ita communis; & patet ex L. 1. juncta Glossa *vers. Culpam C. h. t.* ubi dicitur. *Qui depositum accepit, dolum solum, & latam culpam* (quæ dolo comparatur) *præstare debuit.* Concordat textus *in l. 1. §. In conducto & §. fin. ff. h. t. & l. 1. §. Is quoque, apud quem ff. de Actionib. & obligat.* ubi & hujus ratio redditur illis verbis: *Is quoque, apud quem rem aliquam deponimus etiamsi rem negligenter custoditam amiserit, securus est. Quia enim non sui gratia accepit, sed ejus à quo accepit, in eo solo tenetur, si quid dolo perierit. Magnam tamen negligentiam* (id est, ut explicat Glossa, latam culpam) *placuit in doli crimen cadere.* Concordant dicta superiùs *Tit præced n. 27.* & ubi pro regula ponitur, quod in contractibus, qui celebrantur gratia dantis tantùm (prout regulariter fit in Deposito) præstetur solùm dolus & culpa lata. Additur tamen in data Conclusione *regulariter loquendo*, propter nonnullas limitationes illicò afferendas: unde

26 Resp. II. Dantur tamen nonnulli casus, in quibus tenetur Depositarius etiam de culpa levi. Ita Glossa *ca. 2. V. De culpa h. t.* plures tales casus enumerans; & in re communis. Idque imprimis fit, quando nominatim convenit, ut in Deposito etiam culpa levis præstetur. Textus est *in L. 1. §. Si convenit. & § Sæpè h t.* addita illa ratione: quia *contractus legem ex conventione accipiunt.* Quod ipsum habetur *Reg. 83. Jur. in 6.* & alibi.

27 Deinde Depositarius tenetur de culpa levi (imò etiam de levissima) quando is seipsum obtulit: deposito, & postmodùm res deposita quadam ipsius culpa periit. Patet istud ex *cit l. 1. §. Sæpè ff. h. t. & cap. 2. h. t.* ubi Pontifex cuipiam rescribens, inquit. *De culpa quoque teneris, si teipsum deposito obtulisti.* Quem textum, utpote indistinctè loquentem; intelligit Abbas *ibid. numer. 3.* & Bartolus *in cit. §. Sæpè* & Pirhing *h. t. num. 5.* etiam de culpa levissima. Accedit ratio: quia Depositarius seipsum offerens ad recipiendum depositum, hoc ipsò ad diligentiorem custodiam sese obligare censetur: imò tunc ipsius duntaxat gratia depositum esse factum, *arg. l. Si quis nec causam §. 1. ff. de Rebus creditis.* Ubi proinde Summarium breviter inquit: *Si depositum fiat gratia recipientis, ad eam spectat periculum.*

28 Tertiò Depositarius tenetur de culpa saltem levi, si mercedem pro custodia recepit. Textus est *in cap. 2. h. t.* ibi: *Vel si aliquid pro custodia recepisses.* Quod ipsum habetur *l. 1. §. Si vestimenta & §. Si quis servum ff. h. t.* addita ea ratione: quia tunc datur actio ex conducto adversus Depositarium, utpote quia custodiam rei mercede interveniente in se recepit. Quia tamen contractus iste fit gratia utriusque, hinc notat Abbas *d. ca. 2. n. 3. h. t.* solùm præstandam esse culpam latam, & levem, non verò levissimam. Concordant dicta superiùs *Tit. præced. §. 2. n. 28.*

29 Quartò tenetur Depositarius, quando requisitus, ut depositum redderet, est in mora reddendi. Quinimò, quod *pacto, culpa, vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputetur*, textus est expressus *in cap. 2. h. t.* & concordant dicta superiùs *Tit. præced. §. 2. n. 29.*

30 Illud tamen est notandum, quod conventio, ne dolus præstetur in Deposito, nullius sit momenti, imò expressè improbatur à Jure: quia *hæc conventio contra bonam fidem, contraque* bonos mores est, & ideò nec sequenda est, prout dicitur *leg. 1. §. Illud non est ff. h. t.* Idem dicendum de Commodato: nam in *Commodato hoc pacto, ne dolus præstetur, rata non est*, per textum expressum *in l. In commodato ff. Commodati.* Imò hoc ipsum de omnibus aliis contractibus, & pactis intelligendum est: ut *l. Contractus ff. de Reg. Jur. & l. Si unus §. Illud ff. de pactis*, ibi: *Illud nulla pactione effici potest, ne dolus malus præstetur.*

31 Intellige istud de remissione doli futuri: secùs, de remissione doli præteriti, ut notat Glossa *cit. §. illud.* & Bartolus *in Summario ibid.* Et disparitas est: quia per remissionem doli futuri invitaretur quis ad malè agendum, seu solum committendum: secùs per remissionem doli præteriti: Concordat Jus Canonicum *cap. ult. de Pactis*, cum similibus.

§. II.

De probatione doli, & aliis Depositum concernentibus.

SUMMARIUM.

32 *Dolus est difficilis probationis.*
Potest tamen probari ex propria confessione alicujus ib.
33 *Potest etiam probari ex conjecturis, & præsumptionibus, seu indiciis perspicuis.*
34 *Quæ indicia sint perspicua, & sufficientia ad probandum dolum? Et n. præc. ac n. seq.*
35 *Præsumitur dolus ex parte Depositarii, vel Commodatarii, quando rebus suis salvis amisit alienas.*
36 *Generaliter dolus præsumitur, quando actus, ex quo alteri damnum sequitur, per se illicitus est.*
37 *Aut, quando quis non facit id, quòd scit se facere debere, seu ad quod obligatus est.*
38 *Præsumitur dolus ex violentia, & pluribus aliis modis Remissivè.*
39 *Paria sunt, si interveniat dolus re ipsa, vel ex proposito.*
40 *An Depositarius, vel Commodatarius, teneatur potiùs salvare res depositas, vel commodatas, quàm proprias si utrasque v.g. ob exortum incendium, salvare nequit? Et n. seqq.*
Potest tunc res proprias pretiosas præferre alienis. Ib.
41 *Nec tenetur aliquid restituere.*
42 *Et quid si res propriæ, & alienæ, sint æquales in pretiositate.*
43 *Res depositæ, vel commodatæ pretiosiores, sunt præferendæ propriis vilioribus.*
44 *Et an tunc passus damnum in propriis, possit petere compensationem istius?*
45 *Qualiter probetur, depositum, vel commodatum casu fortuito periisse? Et n. seqq.*
Asserenti istud, incumbit probatio. Ibid.
46 *Non sufficit probare amissionem; sed insuper eam asserens teneatur probare, quod evenerit absque sua culpa.*
47 *Et quid, si notoriè constet de casu fortuito, quo res aliena periit.*
48 *Casus fortuitus occultus, qualiter probetur?*
49 *Ecclesia, vel Monasterium, an teneatur ex deposito facto penes Rectorem Ecclesiæ, aut Monasterii?*
50 *Et quid, si Prælatus unà cum Capitulo depositum in suam fidem recepit?*
51 *Aut res deposita in utilitatem Ecclesiæ, vel Monasterii, conversa fuit?*
52 *Duplex actio oritur ex deposito: nimirum Actio directa, &*
53 *Actio contraria. & quid.*

32. QUæritur I. An, & quomodo dolus Depositarii, vel Commodatarii &c. probetur? Resp. I. Etsi dolus sit difficilis probationis, ut inquit Menochius *de Arbitr. Jud. cas.* 116. *n.* 21. post Boerium *q.* 101. *n.* 3. & 4 & Mascardus *de Probat. Concl.* 531. *n.* 1. eò quòd consistat in animo, sicque directè probari nequeat: potest nihilominùs dolus probari imprimis ex confessione adversarii, seu Depositarii &c. putà, quia ipsemet in vel extra judicium id dixerat, Abbas *c. Inter Monasterium n.* 14. *in fin. de Sent. & re judic.* Verùm iste modus probandi caret difficultate, nisi quòd sit de rarò contingentibus.

33 Resp. II. Dolus etiam ex conjecturis, & præsumptionibus, sive ex indiciis perspicuis probari potest. Ita Abbas *l.c.* Mascardus *d. Concl.* 531. *n.* 2. & 7. Idque patet ex *l. Dolum C. de Dolo malo*, ibi: *Dolum ex indiciis perspicuis probari convenit*. Et additur, *perspicuis*: quia conjecturæ, seu indicia illa debent esse perspicua; id est talia, ut non possint accipi nisi in malam partem. Mascardus *d. n.* 7. *& seqq.* post Paulum de Castro *cit. l. Dolum n.* 1. & alios. Nec immeritò: nam dolus regulariter non præsumitur, *l. Quoties operæ* §. *Qui dolo ff. de Probation.* ibi: *Qui dolo dicit factum aliquid, licèt in exceptione, docere dolum admissum, debet*. Et quando indicia etiam in bonam partem accipi, vel saltem ut indifferentia exponi possunt, id ex lege Charitatis necesse est fieri: nam in dubio quilibet præsumitur bonus, non autem dolosus, *l. Meritò ff. Pro socio, & c. ult. de Præsumptionib.*

Resp. III. Quænam indicia sint perspicua, vel sufficientia ad probandum dolum, Judicis arbitrio est relinquendum; eò quod in Jure ea omnia non reperiantur declarata, *arg. c. De causis* 4. *de Offic. Delegat. & L.* 1. *ff. de Jure deliberand.* ac notat Mascardus *cit. Concl.* 531. *num.* 10. 34
Dantur nihilominùs aliqui casus, in quibus Jus ipsum præsumit dolum, vel saltem culpam latam, quæ dolo æquiparatur, præsertim loquendo de Depositario, & Commodatario. Idque probatur inductione.

Sic imprimis pro Foro externo, & nisi oppositum probari possit, præsumitur dolus ex parte Depositarii, vel Commodatarii, quando rebus suis salvis existentibus amiserit alienas. Patet hoc ex *c.* 2. *h. t.* ibi: *Bona fides abesse præsumitur, si rebus suis salvis existentibus; depositas amisisti.* Idipsum jam anteà decisum fuerat in *l. Quod Nerva ff. h. t.* illis verbis: *Et si quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est: nisi tamen ad suum modum in deposito præstet, fraude non caret. Nec enim salva fide minorem iis, quàm suis rebus diligentiam præstabit.* Concordat textus *in l. Si ut certo* §. *Quod verò senectute ff. de Commodato* ubi loquendo de Commodatario dicitur: *Proinde & si incendio, vel ruina aliquid contingit, vel aliquod damnum fatale, non tenebitur: nisi fortè, cùm posset res commodatas salvas facere, suas prætulit* junctis concordantiis à Glossa *ibid. v. Salvas facere*, relatis, ac notat Mascardus *de Prob. Concl.* 532. *n.* 125. 35

Deinde, ac generalius loquendo, dolus præsumitur, quando actus, ex quo alteri damnum sequitur, per se illicitus est, ac simpliciter prohibitus: ut *L.* 1 *ff. Ad Legem Cornel. de Sicariis & c.* 1. juncta Glossa *fin. de Præsumpt. & l. Si non convitii C. de Injuriis*, ubi verba sui natura injuriosa præsumuntur animo injuriandi prolata; nisi contrarium probatur. Atque ideò datam Regulam ponit Glossa in *l. Dolum v. Convenit C. de Dolo malo*. Fagnanus *c. Ex conscientia n.* 12 *de Crimine Falsi*. Alexander *Consil.* 103 *n.* 13 *lib.* 1. Mascardus *cit. Concl.* 532. *n.* 10. & 50. & 71. And. Gailus *lib.* 1 *de Pace publica*, *c.* 7. *n.* 13. citans plures alios, atque generaliter docens, quod in actibus prohibitis, dolus semper præsumatur.

Tertio præsumitur dolus, quando quis non facit id, quod scit se facere debere, seu ad quod obligatus est. Talis enim præsumitur esse in dolo, *l. Si procuratorem* §. *Dolo ff. Mandati* ubi dicitur: *Dolo autem facere videtur, qui id quod potest restituere, non restituit*. Concordat textus in *l. Dolus est ff. eod.* ubi Bartolus *in Summario* breviter ait: *Qui non vult facere id, ad quod scit se teneri, & potest, est in dolo.* Et quantum ad propositum, Depositarius hoc ipso facere dolo censetur, *quòd reposcenti rem non reddat*: dummodò reddere possit, *L.* 1. §. *Est autem ff. Depositi*. Atque ideò sic tenet Glossa *cit. leg. Dolum v. Convenit C. de Dolo malo*. Menochius *de Arbitrar. Judic. cas.* 208. *n.* 35. Mascardus *d. Concl.* 532. *n.* 24. & 149. allegans complures alios.

Quartò præsumitur dolus ex violentia, *arg. l. Sed exi- mendi ff. Ne quis eum, qui &c.* Item in delicto, putà, in incendio præsumitur dolus, quando præcessit inimicitia, *arg. l. Capitulum* §. *Qui ob inimicitiam ff. de Pœnis*. Mascardus *cit. Concl.* 532. *n.* 134 & 137 apud quem videri poterunt alii modi præsumptivè probandi dolum, quorum universim centum & novendecim enumerat.

Solùm præmissis adde, quòd paria sint, si interveniat dolus re ipsa, vel ex proposito. Mascardus *l. c. n.* 25 & 26. istud probans ex *l. Omnes* §. *Lucius ff. Quæ in fraudem creditor.* idque exemplificans in læsione ultra dimidium justi pretii. Concordant dicta superiùs *Lib.* 1. *Tit.* 26. *De transactionibus n.* 58. ubi allegatis pluribus aliis ostendimus, est, quòd in Jure dolus ex proposito, & dolus re ipsa, æquiparentur: ut *leg. Si quis cùm alter ff. de Verb. obligat.* ibi: *Idem est, etsi dolus nullus intercessisset stipulantis, sed res ipsa in se dolum habeat.*

Quæritur II. Utrùm Depositarius, vel Commodatarius, teneatur potiùs salvare res depositas vel commodatas, quàm proprias, quando utrasq; ob casum fortuitum, v.g. ob exortum incendium, salvare non possit? Resp. I. Quando res propriæ Depositarii, vel Commodatarii, sunt pretiosiores aliis depositis, vel Commodatis, passim fatetur Doctores, quòd possit suas pretiosiores res præferre, atque

atque salvare, præ alienis minùs pretiosis, quando utrasque salvare nequit. Ita Glossa *in l. Si ut certo v. salvare facere ff. Commodati*, addita ea ratione: quia quilibet diligens hoc faceret, præferendo videlicet pretiosa vilioribus: atqui Commodatarius, & Depositarius, non tenetur facere circa res alienas, nisi quòd diligentissimus faceret circa proprias; ergo. Idipsum tradit Abbas *c.* 2. *n.* 2. *h. t.* Angelus *v. Commodatum. n.* 16. Azorius *p.* 3 *lib.* 7. *de Commodato*, *c.* 7. *q.* 6. Lessius *lib.* 2. *de Just. & jur. c.* 27. *nu.* 23. & 27. Pirhing *h. t. n.* 16 Engel *eod. n.* 9. Layman *lib.* 3. *Theol. Moral. tr.* 4. *c* 7. *n.* 7. & communis.

41 Porrò in tali casu, si Commodatarius, & multo magis Depositarius, salvando res proprias pretiosiores, deserat alienas sibi commodatas, vel penes se depositas, nihil tenetur restituere: quia censetur absque sua culpa, & casu fortuito interiisse, *leg. Si ut certo.* §. *Quod verò ff. Commodati.* ubi Glossa *cit. v. Salvas facere. & l. In rebus.* §. 1. *ff. eod.* Azorius *p.* 3. *lib.* 7. *de Commodato*, *c.* 7. *q* 6. Layman *d. n.* 7. allegans alios, Engel *h t.*

42 Resp. II. Quando res depositæ, vel commodatæ sunt æquales in pretiositate cum propriis, etiam tunc posse Depositarium, & Commodatarium, salvare proprias dimissis alienis, si utrasque salvare nequeat: tenet Glossa *c. v. Salvas facere*, quam approbat Bartolus *ib.* & multùm favet Abbas *c. c.* 2. *n.* 2. *h. t.* eò quòd quisque magis se ipsum diligere debeat, quàm proximum; sicque cæteris paribus potiùs suas, quàm alienas res salvare possit. Verùm etsi hæc sententia locum habeat in Deposito, quod fit in gratiam solius deponentis (imò & in Pignore, atque Conducto, quod fit in gratiam utriusque; sicque in pari causa, meritò quis sibi prospicere possit præ aliis) tamen loquendo de Commodato, contrariam sententiam esse communem, asserit Lessius *d. c.* 27. *n.* 29. & Laym. *c. c.* 7. *n.* 7. eò quòd in pari causa magis conveniat commodatarium in cujus solius gratiam contractus institutus fuit, ex fortuito casu damnum sustinere: juncta *l. si ut certò* §. *quòd verò ff. Commodati*, ubi dicitur, Commodatarius ex casu fortuito non teneatur. *Nisi fortè, cùm posset res commodatas salvas facere, suas prætulit*: ponderando ly, *suas prætulit*.

43 Resp. III. Quòd si res depositæ, vel commodatæ, sint pretiosiores rebus propriis Depositarii, aut Commodatarii, tenentur hic eas præferre rebus suis vilioribus, illasque salvare postpositis propriis minoris momenti, quando utrasque salvare nequit. Ita Abbas *c. c.* 2. *n.* 2. *h. t.* circa hoc tamen requirens arbitrium Judicis quoad vilitatem rerum. Angelus *v. Commodatum. n.* 16. Layman *d. n.* 7. & alii. Siquidem hoc ipsum suadet prudentia, & æquitas naturalis; idque præsertim loquendo de commodato, utpote quod gratia solius Commodatarii fieri solet, qui proinde pro custodia ejusdem exactissimam diligentiam adhibere teneretur, ut dictum *Tit. præc. num.* 15. Atque istud vel maximè convincunt Jura *n.* 35. allegata.

44 Notant tamen Lessius *lib.* 2. *de Just. & jur. c.* 27. *nu.* 28. Laym. *c. n.* 7. Pirhing *h t. n.* 18. Engel *eod. n.* 9. & alii, quod si Depositarius, vel Conductor, aliena propriis præferendo, passus fuerit jacturam, is possit petere compensationem damni sibi emergentis; eò quod nulli Officium suum debeat esse damnosum; simulque Depositarius non teneatur, nisi de dolo, & culpa lata. Secùs est in Commodatario: nam, cum in hujus solius gratiam Commodatum sit factum, tenetur is commodantem servare indemnem, etiam diligentissimè custodiendo res sibi commissas: adeò ut teneatur etiam de levissima culpa, qualis jam interveniret servando suas res viliores prætermissis pretiosis sibi commodatis, utpote quod non faceret diligentissimus.

45 Quæritur III. Qualiter probetur, Depositum, vel Commodatum casu fortuito fuisse amissum? Resp. I. Quando Depositarius, vel alius hujusmodi, asserit rem alienam casu fortuito periisse, tunc ipsi asserenti incumbit probatio, ut *l. Si Creditor. Cod. de Pignoratit. action.* ubi Gl. *v. Se perdidisse.* inquit: quòd asserens, se perdidisse pignus, hoc probare debeat secundùm omnes. Idem ergo dicendum in proposito: nam generale est, quòd affirmanti incumbat probatio. *l.* 2. *ff de Prob.*

46 Resp. II. In casu assertæ amissionis depositi, vel commodati, non sufficit probare amissionem, sed insuper eam asserens, probare tenetur, quod evenerit absque culpa sua: aliàs præsumitur contra eum. Ita Mascardus *de Prob. Concl.* 87. *n.* 2. allegans alios. Siquidem amissio, sive factum rei, præsumitur factum ex culpa illius, qui ad ejus custodiam tenetur, *l. cùm duobus.* §. *Damna ff. Pro socio*: donec contrarium probetur.

Atque istud ampliatur ad casum, quo notoriè constat de amissione rei alienæ, sed ille casus de facili non contingit sine culpa: uti est incendium in domo propria. Nam etiam tunc necesse est probare, quòd casus fortuitus, v.g. incendium, absque ulla culpa sua exortus fuerit, sicque res aliena perierit: alioquin prima fronte præsumitur contra asserentem. Abbas *c.* 2. *num.* 9. *h. t.* Mascardus *de Prob. Concl.* 88. *n.* 13. allegans alios. Secùs dicendum de cæteris casibus fortuitis, qui ut plurimùm contingunt sine culpa: ut irruptio hostium, fulmen &c. Nam in istis præsumitur culpam abesse: atque ideò hanc allegandi, incumbit onus probandi. Abbas *cit. n.* 9. 47

Resp. III. Quòd si res deposita vel commodata, dicatur amissa per casum fortuitum occultum, ut putà, per furtum noctu commissum: tunc sufficit eum probare per conjecturas, habito respectu ad qualitatem personæ, temporis, aliarumque circumstantiarum: probando verbi gratia fores noctu fuisse perforatas, aut cistam fractam, ubi conservabantur res depositæ, commodatæ &c. Ita Abbas *c. c.* 2. *n.* 8. *h. t.* Pirhing *eod. n.* 3. Mascard *d. Concl.* 88. allegans alios. Idque probatur ex *l. Non omnes.* §. *A Barbaris. ff. de Re militar.* ubi in simili, quòd miles captus fuerit ab hostibus, non autem transfugerit ad eos, argumentis, seu conjecturis probandum esse dicitur, si liquidò de hoc constare non possit. 48

Quæritur IV. Utrùm Ecclesia, vel Monasterium teneatur ex deposito facto penes Clericum, seu Rectorem Ecclesiæ, aut Monasterii, quod postmodùm dolo, vel culpa istius periit? Resp. Negativè: dummodò res illa deposita non fuerit conversa in utilitatem ipsius Ecclesiæ, vel Monasterii. Ita habetur decisum *c.* 1. *h. t.* ubi Abbas in *Summario*, & Barbosa in *Collect. n.* 1. aliique communiter. Accedit ratio: tum quia *delictum personæ* (seu Clerici, aut Prælati rem depositam contrectantis) *non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare*, juxta Reg. 76. Juris in 6. Tum quia depositum *personæ* Clerici, vel Prælati, *non Ecclesiæ* supponitur esse *commodatum*; ut ibidem loquitur textus. 49

Secùs foret dicendum, quando Prælatus unà cum Capitulo, vel Conventu, depositum in suam fidem & custodiam recepisset: quia tunc obligatur Ecclesia, vel Monasterium, ad instar aliorum Depositariorum, juxta Gl. *c. c.* 1. *v. Personæ in fin.* communiter receptam. Nam Prælatus & Capitulum, repræsentant Ecclesiam, *arg. can. Scire* 7. *q.* 1 *& c. Requisivisti.* 15. *de Test.* ac notat Pirhing *h. t. n.* 13. 50

Additur tamen in Conclusione, *dummodò res deposita non fuerit conversa in utilitatem ecclesiæ, vel Monasterii*. Alioquin enim Ecclesia, vel Monasterium teneretur reddere id, quod dolo, vel culpa Depositarii, ad ipsam pervenit ex deposito: alioquin enim locupletaretur cum alterius jactura, contra *l. Nam hoc. ff. de Condict. indebit.* ubi Jurisconsultus, lumine naturali instructus, inquit: *Hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.* 51

Quæritur V. Quotuplex actio oriatur ex Deposito? Resp. Duplex, directa videlicet, & contraria. *Actio directa depositi* est, quæ datur Depositori, vel ejus hæredi, adversus Depositarium, vel heredem istius ad repetendam rem depositam, quandocunque voluerit, *L.* 1. §. *Est autem & §. Si deposuero ff. h. t.* Item, si res deposita dolo, vel culpa lata Depositarii, fuit deteriorata, vel penitus amissa, eadem actio directa competit Depositori ad recipiendam æstimationem, seu pretium ipsius, §. *Præterea Instit. Quibus modis re contrah. obligat. & L.* 1. §. *An in pupillum ff. h. t.* Adde dicta superiùs *n.* 9. & 11. & 14. 52

Actio contraria depositi econtrà dicitur ea, quæ competit Depositario adversus Deponentem ad repetendas impensas in rei depositæ custodia factas, aut evitandum damnum, si quod inde incurrit, *l. Actione depositi ff. h. t.* quia Officium suum nemini debet esse damnosum, *l. Si servus communis* §. *Quod verò ff. de Furtis* Zoesius *h. t. n.* 2. Vallensis *eod. n.* 5. Sannig. *ibid. c.* 2. *n.* 6. 53

TITULUS XVII.

De Emptione, & Venditione.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 VIsum est hactenus de quibusdam contractibus, qui in gratiam unius tantùm, dantis nempe, vel accipientis sunt instituti; uti sunt Precarium, Commodatum, & Depositum. Restat modò videre de nonnullis contractibus, qui in gratiam utriusque celebrantur; inter quos, quia præcipuus numeratur contractus Emptionis, & Venditionis, meritò eundem aliis præponit Juris Compilator. Et quamvis SS. Canones pauca de illo scribant; nihilominus quia continet materiam summè practicam, scituque summè utilem & necessariam, pro sua dignitate eam examinare conabimur, probationes in defectu Canonum ex Jure Civili, quod amplissimè de eo agit, assumentes, ipsis sic suadentibus SS. Canonibus *c. 1. & 2. de Novi operis Nunt.*

§. I.

De natura, seu Substantia Emptionis & venditionis ac requisitis ad eam:

SUMMARIUM.

2 *Emptio, Venditio quid?*
3 *Est contractus bonæ fidei.*
4 *Perficitur solo consensu contrahentium.*
5 *Dominium tamen ante traditionem rei venditæ non transfertur.*
6 *Est obligatorius ultrò citroque.*
7 *Materia ejusdem est merx latè sumpta.*
Merx propriè sumpta quid? Ibid.
8 *Pretium in Emptione debet esse pecunia.*
Pecuniæ & Emptionis origo.
9 *Emptio venditio meliùs dicitur duplex, quàm simplex contractus.*
Et particula cadit inter diversa.
10 *Tria substantialia Emptionis.*
11 *Primum est verus consensus.*
12 *Secundum, res seu merx; & quidem certa.*
13 *Tertium Pretium determinatum.*
14 *Emptio pro pretio indeterminato quando valeat?*
15 *Non requirit certam verborum formam; nec scripturam.*
16 *Nisi desuper expressè conveniant contrahentes.*
17 *Secùs est, quando expressa conventio abest, vel de eo dubitatur.*
Scriptura, seu instrumentum scriptum quare adhibeatur. Ibid.
18 *Quando in contractu partim pecunia: partim alia res datur, aut promittitur, attendendum est ad intentionem contrahentium, & juxta illam contractus judicandus erit; quando nec res, nec pecunia prævalet.*
Contractus ex conventione & intentione contrahentium legem accipiunt. Ibid.
19 *Si alterutrum, res nempe vel pecunia in contractu data vel promissa prævalet; judicandus erit contractus juxta excessum.*
20 *Etiamsi aliud intendant, & exprimant contrahentes.*
21 *Quando nec res, nec pecunia prævalet, nec de intentione contrahentium constat, qualis tunc sit contractus, multùm discrepant DD.*

QUæritur I. Quid sit Emptio & Venditio, & an unum, vel duplicem importet contractum?

Resp. I. Emptio & venditio est contractus bonæ fidei, solo consensu initus, ultrò citroque obligatorius de merce pro pretio, & econtra de pretio pro merce tradenda. Ita in re communis, *arg. L. 1. de Contr. Emp. & vendit.* Dicitur primo, *Contractus*, loco generis. 2

Dicitur secundò, *bonæ fidei*, non quasi alii contractus essent malæ fidei, sed ad distinctionem contractuum stricti Juris; de quorum natura, & quomodo differant, de contractibus bonæ fidei, actum est suprà *lib. 1. tit. 35. de Pactis*, quòd autem Emptio & Venditio sit contractus bonæ fidei, patet ex §. *Actionum autem 28. Instit. de Action.* Hinc in contractu isto multa potest arbitrari Judex, quæ secundùm bonam fidem contrahentium censentur contractui inesse, licèt verbis non fuerint expressa, juxta dicta in citato *Tit. 35. de Pactis §. 6. n. 119. & seq.* 3

Dicitur tertiò, *solo consensu initus*, eo quòd non requiratur actualis traditio pretii pro merce, & econtra, sed solus sufficiat mutuus contrahentium de hoc faciendo consensus, *Instit. b. t. in princ.* ibi: *Emptio & Venditio contrahitur simul atque de pretio convenerint, quamvis nondum pretium numeratum sit.* Unde per hoc distinguitur ab illis contractibus, qui non nisi actuali traditione rei perficiuntur; uti sunt Mutuum, Commodatum, Depositum, Pignus; licèt enim quis tibi promittat mutuum, commodare equum, est tamen, donec, id actualiter faciat, nec mutuum, nec commodatum, sed præcisè nudum pactum aderit *l. Juris gentium 7. §. Sed cùm ff. de Pactis.* 4

Porrò quamvis, ut dictum, solo contrahentium consensu, per signum aliquod externum manifestato, habeatur substantia sive essentia Emptionis & Venditionis, indeque firma consurgat obligatio ex parte utriusque, ita ut nullus ampliùs pœnitere valeat, *cum nihil magis bonæ fidei congruat, quàm id præstari, quod inter contrahentes actum est*, *l. Exempto 11. §. 1. ff. de Action. empti*, dominium tamen non transfertur, donec venditor mercem, & emptor actualiter tradat pretium; *l. Traditionibus 22. C. de Pactis*: ibi *Traditionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur.* Concordat *l. Nunquàm. 31. ff. de Acquir. rerum dominio.* Hinc Lessius *Lib. 1. c. 21. dubit. 1. n. 1. b. t.* Azorius, & alii benè inferunt. Emptionem & Venditionem solo mutuo contrahentium consensu perfici quidem quoad substantiam, non tamen quoad integritatem completam, utpote ad quam etiam ipsa reciproca mercis & pretii requiritur traditio. 5

Dicitur quartò, *ultrò, citroque obligatorius*; quia utrique contrahentium revera obligationem imponit; emptori quidem ad tradendum pretium, venditori autem ad tradendam mercem venditam *l. Ex empto. 11. in princ. ff. de Action. empt.* Et per hoc differt contractus iste à donatione, cæterisque contractibus, vel quasi contractibus, non ultrò citroque, sed ex una solummodò contrahentium parte obligatoriis. 6

Dicitur quintò, *de merce pro precio, & econtra tradenda*: ubi per mercem quævis res pretio æstimabilis, sive mobilis, sive immobilis intelligitur; non enim accipimus hic merces in stricta & propria sua significatione, qua *Mercis* appellatio ad res mobiles tantum pertinet, *l. Mercis. 66. de V. S.* sed accipimus mercem in lato sensu pro quavis re, ut dictum, pretio æstimabili, juxta *leg. Si in emptione. 24. §. Omnium. 1 ff. de Contrahend. Empt.* 7

Per pretium intelligitur nummus, seu numerata pecunia. *Pretium enim, ut dicitur §. Item. 2. Institut. de empt. & vendit. in numerata pecunia consistere debet.* Unde ubi pecunia non intervenit, sed res una pro altera, merx pro merce datur, permutatio, vel alius contractus, non verò Emptio & Venditio erit, *arg. l. 1. ff. de Contrab. empt.* ubi etiam Emptionis & Ven- 8

Venditionis, sicut & ipsius pecuniæ origo narratur, his verbis: *Origo emendi vendendique à permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat nummus; neque aliud merx, aliud pretium vocabatur; sed unusquisque secundùm necessitatem temporum, ac rerum, utilibus inutilia permutabat; quando plerumque evenit, ut, quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper, nec facilè concurrebat, ut, cùm tu haberes, quod ego desiderarem, vicissim haberem, quod tu accipere velles; electa materia est* (pecunia nempè) *cujus publica, & perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret. Eaque materia, forma publica percussa usum, dominiumque non tam ex substantia præbet quàm ex quantitate: nec ultra merx utrumque, sed alterum pretium vocatur.*

9 Resp. II. Quamvis Emptio & Venditio communiter accipiatur pro uno contractu, qui secundùm diversum personarum respectum duplex sortitus est nomen; Emptionis nempe, respectu ementis, & Venditionis, respectu vendentis, prout cum communi aliorum benè advertunt Vallensis *h. t. num. 1.* Sannig *eod. Tit. cap. 1. num. 1.* quia *Veteres in emptione, Venditioneque, Appellationibus promiscuè utebantur*, *l. Veteres. 19. ff. de Action. empti.* Nihilominus Juri conformius dicitur, Emptionem Venditionem esse duplicem contractum, reciprocum tamen, & necessariò connexum ad instar correlativorum. Probatur conclusio tum ex diversitate nominum, atque obligationum hinc inde consurgentium: tum ex copula *Et*, quæ ponitur in Rubrica præsentis Tituli, ac debet cadere inter diversa; uti in Rubrica *ff. de Juris & facti ignorantia*, cum similibus: & notat Barbosa *tract. de Diction. usu frequent. Diction. 110. num. 25.* Accedit textus expressus in *L. 1. ff. de Contrab. empt.* ibi: *Aliud est vendere, aliud est emere: alius emptor, alius venditor.* Siquidem Emptio est pactio pretii pro merce; Venditio econtra est pactio mercis pro pretio. Quo tamen non obstante, quidquid dicitur de Emptione, idem de Venditione, & econtra servata proportione dictum intelligatur.

10 Quæritur II. Quænam requirantur ad essentiam, seu substantiam Emptionis, & Venditionis? Resp. I. Tria sunt essentialia copulativè requisita ad Emptionem & Venditionem: videlicet 1. Liber, verus, perfectusque consensus. 2. Res seu merx certa. 3. Certum ac determinatum pretium. Ita communis, & certa, teste Card. de Luca *de empt. & vendit. in Summa, n. 4.* Probatur inductione.

11 Et quidem de consensu textus expressus est *in leg. In venditionibus, ff. de Contrab. emptione*, ibi: *venditionibus & emptionibus consensum debere intercedere, palam est.* Concordat *l. 2. & 11. C. eod.* Qui consensus, quòd verus, idest, non erroneus esse debeat, clarè patet ex *cit. leg. In Venditionibus. Si enim*, ait textus, *ego me fundum emere ut putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti; quia in corpore dissensimus* (seu erravimus) *emptio nulla est.* Verùm si error non circa corpus, seu materiam, sed tantùm circa nomen existat, & interim de corpore constet: *nulla dubitatio est, quin valeat emptio & venditio: nihil enim facit error nominis, cùm de corpore constet. cit. l. In Venditionibus.* An autem etiam valeat Emptio Venditio, & quid Juris de ea, si error contingat circa qualitatem vel quantitatem materiæ; ut si pro pura ematur mixta, pro bona vendatur corrupta, pro integra tradatur diminuta; specialiter dicetur infrà §. 7. Eod.

12 *Res* seu *merx* quoque quòd ad substantiam Emptionis & Venditionis requiratur, claris habetur verbis *l. 8. ff. de contrab. empt.* ibi: *Nec emptio, nec Venditio sine re quæ veneat, potest intelligi.* Quæ res certa debet esse ac determinata, uti liquet ex *cit. l. In vendition. ff. de Contrab. Empt.* & magis adhuc patebit ex dicendis §. sequenti, ubi principaliter examinabitur, quænam res emi vendique possint.

13 Tandem, quòd etiam pretium & quid determinatum sit de substantia Emptionis, & Venditionis, apertè constat ex §. *Pretium Inst. t. h. t.* ubi dicitur: *Pretium constitui oportet: nam nulla emptio sine pretio esse potest. Sed & certum pretium esse debet.* Concordat *l. 2. ff. de Contrab. empt.* Hinc invalida est venditio, si vendens dicat, tanti tibi vendo, quanti valet; vel: vendo tibi hanc rem justo, quo valet, pretio. Pariter valore carebit Emptio & venditio, *cùm emere volenti sic venditor dicit: quanti velis, quanti æquum putaveris, quanti æstimaveris, habebis emptum*; prout verbis formalibus loquitur *l. Quod sæpè. 35. §. 1.*

Valebit autem Emptionis, & Venditionis contractus, quando venditor dicit: tanti tibi hanc rem vendo, vel tanti hanc rem à te emo, quanti eam Judex, aut hic vel ille æstimaverit, aut taxaverit, §. 1. *Instit. h. t.* dummodò posteà ille, qui nominatus est, rem seu mercem reipsa taxet. *Si autem ille vel noluerit, vel non potuerit pretium definire, tunc pro nihilo esse venditionem, quasi nullo pretio statuto*, expressis verbis statuitur *cit. §. 1. prope finem, Institut h. t.* Plura de Pretio infrà §. 5. 14

Resp. I. Ad substantiam Emptionis, Venditionis non requiritur certa forma extrinseca; sed fieri potest in scriptis, vel sine scriptis, sicut & quavis verborum forma consensus interni sufficienter expressiva. Ita communis, *arg. In princip. Instit. h. t. juncta L. fin. C. eod. L. 17. C. de Fide instrum. & L. 4. ff. de Pignor.* ibi: *Nec ad rem pertinet, quibus fiat verbis &c. in his obligationibus, quæ consensu contrahuntur: Ideo & sine scriptura &c. res obligata erit.* 15

Limitatur tamen Conclusio in casu, quo contrahentes expressè conveniunt, se non nisi scriptis contrahere velle, ita, ut donec scriptura, seu instrumentum scriptum super contractu sit erectum, omnibusque numeris absolutum contractus non valeat. Hæc limitatio expressè posita habetur *in princ. Instit. h. t.* ubi etiam additur, licitum esse cuivis contrahentium pœnitere seu recedere usque dum instrumentum perfectè sit absolutum. Concordat, & rem magis declarat *l. Contractus 17. de Fide instrument.* & ibi DD. communiter. 16

Quòd si verò contrahentes de scriptura necessariò adhibenda expressè non conveniant, sed duntaxat dicant, se velle facere, ut cras v. g. vel proximo tempore super contractu celebrato scriptum erigatur instrumentum, vel scriptura; vel ipso facto absque verborum ambage in scripturam contractum redigant, præsumitur, id solummodò majoris probationis, & securitatis gratia factum esse, ut proin ante scripturam perfectè completam & absolutam, pœnitere, vel à contractu recedere eis non liceat. Quod idem dicendum, quotiescumque consideratis considerandis manet dubium an contrahentes scripturam tanquam necessariam conditionem sine qua non, an verò solius majoris probationis ac securitatis gratia adhiberi voluerint; uti cum communi aliorum contra Tolosanum *Synteg. lib. 25. c. 17.* Paulum Castrensem, & nonnullos alios docet Tuschus *V. Contractus Conc. 99.* Haunoldus *Tract. 10. c. 1. contr. 4. num. 15.* Ratio est; quia meritò præsumitur, quemvis contrahere velle juxta naturam contractus, si aliud expressè non declarat: ergo, cùm natura Emptionis ac Venditionis sit, quòd etiam sine scriptura subsistat, *l. 4. ff. de Pignor.* procul dubio sine scriptura quoque contractus Emptionis valebit, ubi de alia intentione contrahentium expressè non constiterit. Præsertim, quòd scripta instrumenta de contractibus solo consensu initis, secundùm Jura non nisi pro faciliori probatione fiant, *cit. l. 4. ff. de Pignor. Fiunt enim* (sunt verba legis) *de his scripturæ, ut, quod actum est, per eas faciliùs probari poterit: & sine his autem valet, quod actum est*, si habeat *probationem.* Concordat *l. cùm res. 12. C. de probat.* 17

Quæritur III. An etiam Emptionis & Venditionis, vel potiùs alius sit contractus, si Emptor partim pecuniam, partim aliam certam rem loco integri pretii pro mercede paciscitur? Ratio dubitandi sumitur ex suprà *cit. §. 2. Institut. h. t.* vi cujus pretium *in numerata pecunia consistere debet.* Nec inutiliter, aut de solo nomine proponitur hæc quæstio; cum alios effectus pariat Emptio Venditio; alios Permutatio, vel contractus innominatus, do, ut des; uti partim ex dictis, partim ex dicendis patet, & patebit. Resp. I. Si in hujusmodi contractu ex parte alterutrius, pecuniæ nempè, vel rei, quæ loco integri pretii pro alia re datur, non est notabilis excessus, attendendum est ad mentem & intentionem contrahentium, adeò, ut pro tali sit habendus contractus, qualem ipsi celebrare intenderunt. 18

Præsumitur autem talis fuisse eorum intentio, qualem verbis exprimunt, ita ut, si in contrahendo utantur vocabulo Emptionis Venditionis censeantur intendisse, eundem contractum inire: si verò adhibeant vocabulum permutationis, eandem intendisse præsumantur. Ita Bartolus *in l. 34. ff. h. t.* quem sequitur Haunoldus *tr. 10. c. 1. controv. 3. n. 9.* Konig *h. t. n. 12.* & teste Molina *disp. 336. n. 6.* communis aliorum, *arg. l. 6. §. 1. ff. de Action. empti.* Ratio est; quia ubi jura specialiter non obstant, Contractus ex conventione ac intentione contrahentium legem accipiunt *leg. 1. ff. Depositi.* & *Reg. 85. de Reg. Jur. in 6.* Intentio autem agentium ex verbis desumitur: cùm *nemo existimandus sit dixisse, quod in mentem non agitaverit, l. 7. §. 2. ff. de Supell leg.* Dicitur notanter, *Si ex parte alterutrius, pecuniæ nempe vel rei, quæ loco integri pretii pro alia datur, non est notabilis excessus.* Nam

19 Resp. II. Si ex parte alterutrius notabilis apparet excessus, ita ut multùm prævaleat pecunia, erit Emptio, Venditio: si autem in valore notabiliter excedat res illa, quæ unà cum pecunia pro alia redditur, erit permutatio; etiamsi contrahentes alium contractum celebrare intendant, eumque verbis exprimant, nominando priorem contractum, ubi pecunia prævalet, contractum permutationis; posteriorem econtra, ubi valor rei excedit Emptionem. Sic, v.g. si quis paciscitur dare alteri pro agro domum constantem 1000. florenis, & insuper 20. florenos, erit permutatio; etsi paciscentes contractum Emptionis Venditionis intendant & exprimant: econtra si quis paciscitur pro agro dare 900. florenos, ac insuper equum constantem 50. florenis, erit Emptio Venditio; licèt contrahentes permutationem intendant, & nominent. Molina *l. c.* Abbas *in c. Constitutus n. 22. de Religiosis domibus.* Bartolus, Gomez, Covarruvias, & alii. Ratio est: quia, quando unum notabiliter excedit, censetur magis esse principale, ad quod semper trahitur minùs principale, & accessorium, juxta *Reg. 42. Jur. in 6.*

20 Nec refert, quòd contrahentes alium contractum intendant, & exprimant: quia; si aliquando ex subjecta materia contractus constat, ampliùs attendi non debet nomen à contrahentibus eidem impositum, cùm privata dispositio non possit generalem constitutionem immutare *c. Requisiti 15. de Testam.* Petrus Anchor. *in c. Canonum statuta, de Constit n. 36.* Abbas, Molina, & alii. Aliàs enim etiam Emptio Venditio foret, si quis bovem pro equo, & decem crucigeris pacisceretur; imò si absque ulla pecunia interveniente bovem pro solo equo daret, dummodò diceret: vendo tibi bovem pro equo, & decem crucigeris; aut præcisè bovem pro equo; quod absurdum esse, nemo inficias ibit.

21 Tandem qualis contractus si non adsit ex parte alterutrius notabilis excessus, nec constat de contrahentium intentione, plurimùm variant Doctores. Aliqui enim cum Bartol. *in L. 1. C. de Rerum permutatione* volunt, denominationem faciendam esse à digniori, adeòque censendam permutationem, quę dignior, quia antiquior *l. 1. ff. de Æstimat. act.* Alii econtra cum Baldo contendunt, fore Emptionem Venditionem, utpote contractum frequentiorem, *ar. l. 34. ff. de R. J.* Nonnulli cum Molina *l. c. n. 8.* Alicato, & Covarruv. docent, esse mixtum contractum seu duplicem, videlicet partim Emptionem, partim permutationem.

§. II.

De Iis, qui emere & vendere: Item de rebus, quæ emi, vendique possunt, aut debent.

SUMMARIUM.

22 *Emere & vendere potest, quicunque lege non prohibetur.*
Concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur. Ibid.
23 *Clerici emendo & vendendo lucri causa negotiari nequeunt.*
24 *Administratores rerum alienarum non possunt emere res, quas administrant.*
25 *Nec tutores vel curatores res pupilli vel minoris.*
26 *Nisi forsan administratione careant.*
27 *Emere non possunt, qui carent usu rationis.*
Pupilli quoque, & Minores emere & vendere prohibentur.
28 *Gubernatores Rectores, ac Præfecti locorum, nec non & nobiles, ac Illustres olim, ibi, ubi degebant, emere non poterant, benè tamen hodie.*
29 *Regula est: Ordinariè nemo cogi potest ad vendendam rem propriam, vel emendam alienam.*
30 *Fallit Regula ista in nonnullis casibus.*
31 *Et quidem primo tempore necessitatis communis, ubi subditi cogi possunt ad vendendas res, quibus non indigent.*
32 *Clerici quoque, saltem à Judice Ecclesiastico.*
33 *Indigenis præ alienigenis est subveniendum.*
Pauperes indigenæ præ aliis sunt juvandi. Ibid.
34 *Secundò ob bonum publicum, aut favorem Religionis cogi possunt subditi ad vendendam rem suam.*
Ut si est necessaria pro via publica v.g. vel schola publica, vel Palatio Principis erigendis. Ibid.
35 *Vel pro erigendo, aut ampliando Monasterio.*
36 *Imò etsi absolutè necessaria non sit, sed tamen valdè utilis & accommoda.*
37 *Dominus servum nimis durè tractans, cogi potest, ut eum vendat.*
Idem est de Dominis Jurisdictionalibus nimis severè tractantibus subditos. Ibid.
Abuti nemo potest re sua. Ibid.
38 *Alii casus reperiuntur apud Jasonem.*
39 *Ad emendum, quibus in casibus quis cogi possit?*
40 *Nisi specialiter prohibeatur, quævis res humano commercio subjecta emi vendique potest.*
41 *Etiam futura, seu quæ speratur.*
42 *Emptio rei, quæ speratur ex causa naturali, est conditionata, videlicet; si nascatur.*
43 *Emptio verò rei, per fortunam, & per accidens expectatæ, absoluta est.*
44 *Emi vendique possunt tam mobilia, quàm immobilia.*
45 *Vendi prohibetur homo liber, nisi major 25. annis consentiat.*
46 *Filium tamen Pater victus causa vendere potest.*
47 *Res spirituales emi vendique nequit.*
48 *Veneni mali, non item boni venditio prohibetur.*
49 *Item Res litigiosa.*
Litigiosa res, quæ? Ibid.
50 *Et res universitatis.*
51 *Turcis, & Saracenis vendi non possunt arma, annona &c.*

22 Quæritur I. Quinam emere, & vendere possint, vel non possint? Resp. I. Quivis validè ac licitè emere: vendereque potest; nisi à Jure specialiter prohibeatur. Est communis & certa. Ratio est: quia in materia communiter non prohibita, qualis est contractus Emptionis Venditionis, utpote Jure gentium, ob necessitates vitæ & commercii humani introductus, *L. 1. de Contr. Empt.* procedit vulgatum illud ex *can. Jam nunc. 8. caus. 23. q. 1. & c. 1. de Procur. in 6.* desumptum axioma Glossæ in c. *Inter corporalia. v. Non invenitur de Translat. Episc. Concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur.* Prout magis diximus suprà *Lib. 1. tit. De Rescriptis n. 33. & 34.*

23 Resp. II. Plures Jure prohibentur emere & vendere. Patet inductione. Sic enim primò Clerici prohibentur emendo & vendendo negotiari, lucri gratia, *c. 1. can. Consequens num. 3. c. Quicunque 9. caus. 14. q. 2.* & quidem sub pœnis excommunicationis, *C. Secundum. 6. Nec Clerici vel Monachi.* Suspensionis item, ac depositionis, *can. Si quis 4. caus 14. q. 4. can. 2. dist. 88.* quas pęnas amota appellatione innovavit Concil. Trid. *Sess 22. de Reform. c. 1.* Dicitur notanter *lucri gratia* quia ob suam & suorum necessitatem tam emere, quàm vendere æquè ac alii possunt.

24 Secundò Administratores rerum alienarum, de Jure nec per se, nec per alium emere possunt res illas, quas administrant nisi id eis specialiter concedatur; textu expresso, *l. Non licet 46. ff. de Contrab. Empt.* ubi etiam pœna solutionis in quadruplum contra transgressores hujus legis statuitur.

25 Tertiò prohibentur Tutores emere bona pupillo-

rum, quæ administrant, *L. 34. §. fin. de Contrab. Empt.* nisi id palam, bonaque fide faciant, atque Contutoribus, si qui sunt, vel propinquis, aut Judice consciis, & authoritatem accommodantibus, *l. Pupillus 5. §. 2. & seqq. ff. de authorit. tutorum.* Eadem Juris prohibitio extenditur etiam ad *curatores, procuratores, & qui aliena negotia gerunt, cit. l. 34. §. fin.* Imò *si filius tutoris, vel quæ alia persona juri ejus subjecta emerit, idem erit, atque si ipse emisset,* sunt verba *l. Pupillus 5. §. fin. de authorit. tutor.*

26 Ratio hujus prohibitionis est, ne scilicet hujusmodi Administratores, Curatores, & Tutores, prætextu emptionis, occasionem capiant fraudulenter decipiendi illos, quorum bona administrant. Quæ ratio, quia in tutoribus, quibus administratio bonorum pupilli commissa non est, cessat, cùm occasione similiter decipiendi careant, cessat etiam circa illos emendi prohibitio, *l. Tutores 6. ff. de authorit. tutor.* ibi: *Tutores, quibus administratio decreta non est, tanquam extraneos, rectè à pupillo emere placet.*

27 Quartò denique à Contractu Emptionis Venditionis arcentur, qui vel à natura, vel à Jure universaliter prohibiti sunt pacisci. Quales sunt infantes, amentes, furiosi, quos omnes, utpote rationis usu carentes, natura ipsa ab omni contractu excludit. Item pupilli, minores, & prodigi, quibus à lege, certo modo interdictum est pacisci; prout ampliùs diximus suprà *lib. 1. tit. de Pactis §. 2. per totum,* ubi videndum.

28 Resp. III. Quamvis olim Provinciarum & locorum Gubernatores, Rectores; Præfecti, Vicedomini &c. nullas emere potuerint res immobiles, præterquam prædia, quæ aliquando erant paterna, *l. 62. ff. de Contrab. Empt.* nec res mobiles alias, quam quæ ad victum, & amictum pertinent *L. 6. §. 3. de Offic. Proconsul.* Ac insuper Illustres, natalibusque nobiliores ab omni mercatura arcerentur *l. 3. C. de Commerc & Mercat. l. 6. C. de Dignit.* cum concordantiis: ne videlicet horum potentia & authoritate plebei & inferiores terrefacti, coactè potiùs, quam liberè contractus ineant, non sine magno Reipublicæ detrimento: Nihilominùs hodie omnes isti non minùs, ac alii emere, vendereque possunt, eò quòd consuetudine contraria prefatę leges sint abrogatæ, uti communiter advertunt DD. & docet praxis ubique vigens.

29 Quæritur II. An aliquando emere, vel vendere quis etiam debeat, & ad id invitus cogi possit? Resp. I. Regula universalis est; ordinariè loquendo, nemo invitus cogi potest ad vendendam rem propriam, vel emendam alienam. Ita communis, textu claro *l. Invitum 11. Cod. de Contrab. Empt.* ibi: *Invitum comparare, vel distrahere, postulantis desiderium, justam causam non continet.* Ubi Summarium breviter sic habet, *Contractus non redduntur in invitum.* Concordat *l. Nec emere 16 C. de Jure deliberand.* Ratio est: quia *suæ quisque rei moderator, atque arbiter existit, l. In re mandata, C. Mandati;* sicque pro libitu suo de ea disponere potest.

30 Resp. II. Fallit nihilominùs præfata Regula in nonnullis casibus, in quibus aliquis etiam invitus à Magistratu, aut alio Superiore legitimo cogi potest ad rem propriam justo pretio vendendam. Glossa *unic. in cit. l. Invitum* plures tales casus enumerens. Quod idem faciunt Jason in *l. Nec emere n. 3. & 4. Cod. de Jure deliberandi.* Covarruvias *lib. 3. Variar. Resolut. c. 14. n. 1. 3. & 7.* Molina *disp. 34.* Castro Palao *de just. commutat. Disp. 5 punct. 19.* Layman *lib. 3. Tract. 4. c. 17. §. 5. n. 34.* & alii communiter. Probatur inductione.

31 Sic imprimis ob communem necessitatem, v.g. tempore famis, inopiæ frumenti; aliorumve victualium, & rerum ad quotidianum usum necessariarum, subditi quicunque à Domino territoriali, vel ejus Officialibus cogi possunt ad res similes vendendas; sicut & emptores prohiberi, ne plus, quam, sibi suisque necessarium est coemant, Abbas in *c. 1. h. t. n. 6.* Layman *loc. cit.* Menochius *Consil. 237.* & communis aliorum, textu claro *l. Civitatum 2. C. Ut nemini liceat:* ubi tamen etiam proinde statuitur, ut *nullus cogatur vendere omne id, quod sui usus gratia comparavit: sed tantum superflua: quandoquidem satis impium est, suis quemque defraudari, eaque in alios transferri.* Concordat *l. 14. & 18. C. de operibus publicis.*

32 Cæterum extenditur Juris dispositio etiam ad Clericos, ita ut hi quoque in casu communis necessitatis ad vendendas res suas cogi valeant, non quidem à Judice laico, utpote nullam jurisdictionem, aut potestatem in Clericos habente, sed à proprio suo Ecclesiastico. Jacobus Pignatel *Tom. 1 Consult. 476.* ubi adducit declarationem Cardinalium in una Brundusina 7. Aprilis 1641. Layman *loc. cit.* & alii, *arg. c. Non minùs 4. de Immunit.* Ratio autem est: tum quia in necessitate omnia debent esse communia, *can. Sicut 8. dist 47.* Glossa *in can. Discipulos 26. de Consecrat. dist. 5.* tum quia Jure Divino & naturali quivis etiam Clericus fame laboranti succurrere tenetur: *can. Pasce 21. dist. 86.* ibi: *Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.*

33 Porrò tempore necessitatis communis possunt habentes superflua etiam cogi, ut solis civibus & indigenis, vel iisdem priùs quam exteris frumentum aut alia necessaria vendant, casu quo utrique vendenda non sufficiant, Layman *loc. cit.* Covarruvias *lib. 3. Variar. resolut. c. 14. num. 7.* rem peregregiè & ad longum deducens. Ratio est: quia cæteris paribus major semper ratio est habenda pro patria, patriæque incolis & civibus quam exteris: monente S. Paulo ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei.* Concordat *can 5. Consil. Turonens.* sub Pelagio I. ubi Spiritu S. dictante præcipitur *ut unaquæque civitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundùm vires, ut tam vicini presbyteri, quam cives omnes suum pauperem pascant quo fit ut ipsi pauperes per civitates alienas non fatigentur.*

34 Secundò cogi quis potest ad vendendam rem suam, quando id exigit bonum publicum, aut favor religionis, v.g. si alicujus privata domus, ager, fundus &c. pro sternenda via publica necessarius est, cogi potest dominus illius, ut eum justo taxato pretio vendat. Covarr. *loc. cit. n. 7.* Layman, Molina *disp. 341 n. 2.* & communis aliorum, *l. Si locus, §. Cùm via publica, vel fluminis impetu, vel ruina amissa est, vicinus proximus viam præstare debet.* Idem ob eamdem boni publici rationem Molina, *loc. c.* & Lugo post Lopez, & Gomez extendunt ad casum, quo fundus domusque aliena necessaria est pro erigendis aut ampliandis scholis publicis, palatio Principis, vel aliis similibus, bono publico necessariis, vel admodum utilibus ædificiis de novo construendis aut ampliandis. Addit Laym. *loc. c.* fabrum ferrarium vicinum scholis publicis, ex eadem ratione, favore nempe boni publici cogi posse, ut vel domum vendat, vel è vicinia migret, si labore suo Professoribus molestiam aut impedimentum creet.

35 Tertiò etiam ob favorem Religionis cogi quis potest ad vendendum agrum, domum, fundum &c. si pro erigendo, vel ampliando Monasterio, Ecclesia, Hospitali, aut alio simili pii Instituti ædificio necesse est. Rursus communis, signanter Covarruvias *loc. cit.* Castro Palao *de Justit. commutat. disp. 5 punct. 19. n 4. arg. l. si quis sepulchrum 12. de Religiosis, & sumptibus funerum.* Ratio est: quia, quod pro Religione facit, etiam pro bono & jure publico facit, *arg. l. 1. ff. de justit. & jur.*

36 Porrò quamvis controversia inter DD. non careat, an cogi quis etiam possit ad vendendum agrum, fundum, domum &c. quæ quidem non absolutè necessaria, benè verò admodum utilis & proficua foret pro bono publico, aut Religionis favore: Nihilominus communis affirmativè respondet, teste Covarruvia *loc. cit. ad finem,* ubi communi opinioni & ipse adhærens ait, æquissimè quidem facturum Judicem, qui in simili casu receptissimæ DD. sententiæ se accomodans, privatum cogit ad vendendum agrum, domum &c. quando exinde nullum aut sanè modicum venditori accrescit detrimentum: ubi verò detrimentum notabile venditori ex hujusmodi venditione inferretur, potestatem cogendi inferioribus judicibus non competere, sed negotium per supremum Principem decidi debere arbitratur; quæ doctrina & æquitati, & Juri videtur consona, *arg. l. si quando 9. c. de Operibus publicis.*

37 Quartò Dominus nimis severè ac inhumanè tractans servum suum cogi potest, eum vendere, *§. 2. Instit. de His, qui sunt sui, vel alieni juris.* Ratio ibidem redditur: *expedit enim Reipublicæ ne sua re malè quis abutatur.* Idem est ob paritatem rationis, si ad illicita servum traheret, Castro Palao, post Covarruviam, Molinam, &

Layman

Layman locis citatis. Ob eandem Juris rationem ulterius inferunt DD citati cum Gailos lib. 1. Observ 12. nu. 5. & Observ. 17. per totum. Minsing. Cent. 5. Observ 8. Dominos Jurisdictionales quoque, qui supra modum in subditos sæviunt, vel insolitas operas & angarias ab eis extorquent, cogi posse, ut jurisdictionem suam alteri saltem ad sui vitam vendant.

38 Præter enumeratos, sunt adhuc alii, minùs tamen frequentes casus, in quibus ad vendendam rem suam cogi quis potest, quos videre licet apud Jason in cit. l. nec emere de jure deliberand.

39 Resp. III. Pariter dantur casus, in quibus ad emendum quoque quis cogi potest, quoties nempe id exigit Commune Reipublicæ bonum, cui prospicere omni meliori ac possibili modo, uti Magistratus tenetur; ita haud dubiè potest cogendo etiam privatos ad emendum, Abbas in cap. 1. h. t. num. 6. Layman & Castro Palao locis citatis. Probatur & exemplificatur inductione. Sic namque 1. Ad evitandam communem inopiam, cives cogi possunt ad coemendum frumentum & alia vitæ necessaria, 2. Idem fieri potest, dum timetur obsidio loci, 3. Justè coguntur subditi ad emenda instrumenta, sicut & alias res, sine quibus Officio, obedientiæ, vel obligationi incumbenti satisfacere nequeunt, DD. citati cum communi aliorum.

40 Quæritur III. Quænam res emi, vendique possint? Resp. I. Regula universalis est. *Omnium rerum, quas quis habere, vel possidere, vel prosequi potest, venditio recte fit. Quas verò natura, vel gentium jus, vel mores civitatis* (vel Jus Divinum, Civile, Canonicum, aut statutum locale, ut cum aliis bene addit Azorius n. 2. lib. 7. cap. 5. §. Res præterea) *commercio exuerunt, earum nulla venditio est*, Ita expressus textus l. si emptione 34. §. 1. ff. de Contrah. Empt. Concordant dicta superiùs l. 1. tit. 35. de Pactis §. 2. per totum. Ex hac regula

41 Infertur primò, emi, vendique posse res non tantùm existentes, sed & futuras, quæ adhuc existunt in naturali causa, vel alias sperantur, cujusmodi sunt fructus, & partus futuri: item jactus aleæ, captus piscium &c. textu claro l. Nec emptio 8. in princ. ff. de Contrab. Empt. Ubi tamen notabile ponit discrimen inter res, quas futuras ex causa & ordine naturali expectamus; & inter res, quas per accidens & fortunam potiùs quam naturæ cursum speramus

42 Res siquidem prioris generis, v. g. fructus agri, partus animalium &c. censentur emi sub tacita conditione si nascantur: qua conditione non adimpleta, invalida erit Emptio, & restituendum erit pretium Emptori. Imò si Venditor fuit in causa, ne fructus empti nascerentur, tenebitur etiam ad interesse cit. l. Ex empto. Molina disp. 340. n. 14. Haunold. tract. 10. c. 14. Contr. 14. §. 1.

43 Res verò secundi generis, jactus aleæ v. g. aut captus piscium censentur absolutè, & sine ulla conditione emi, ita ut pretium remaneat Venditori, etsi parum, vel nihil capiatur, cit. l. Empto, ubi ratio redditur, quia spei emptio est. Sicut econtra res capta Emptoris erit, etsi duplo excedat pretium l. Si jactum 12 ff. de Action. empti. Nisi forsan contrahentes ipsi Emptionem aliter modificent, dicendo v. g. dabo pro quavis libra piscium, quos capies, decem crucigeros: tunc enim haud dubiè conditionata censebitur Emptio, videlicet, si pisces capiantur. Sicut econtra contractus absolutus foret si quis prioris generis res emens diceret, dabo tibi pro fructu, aut partu, qui speratur, hanc summam pecuniæ sive aliquid sive nihil nascatur.

44 Infertur secundò, emi ac vendi posse res, sive mobiles sint, sive immobiles, sive corporales, sive incorporales uti sunt nomina, Jura, & actiones; debita, hæreditates &c. Ratio est: quia omnes & singulas has res quis habere, vel possidere, vel prosequi potest id quod de Jure sequiritur, & regulariter sufficit ad hoc, ut res aliqua rectè vendi, emique valeat. Verùm quia in uno alteroque ex præfatis specialis reperitur difficultas, singillatim de iis agetur §. sequenti. Intereà

45 Resp. II. Res, quæ vendi, emique nequeunt potissimùm sunt sequentes. Primò homo liber, l. si emptione ff. de Contrab. empt. ibi: *Hominum liberum scientes emere non possumus, nisi major viginti an.* ad pretium participandum sese venundari patiatur §. 4. Instit. de jure person.

46 Specialiter etiam in Jure l. 2. c. de Patribus, qui filios distraxerunt, conceditur Patri, quòd propter nimiam paupertatem egestatemque victus causa, filium, filiamque vendere possit; quod ipsum etiam de Jure naturali licitum videtur, prout bene advertunt, Covarruvias lib. 3. Variar. resolut. cap. 14. n. 4. Tiraquell. lib. 1. de Retract. §. 26. n. 17. eo quòd proles post Deum maximæ obligatæ existant Patri, indeque naturæ omnino conveniens reputatur, ut proles ad conservandam vitam Patris, libertate privari se sinat: Plura de hoc videantur apud cit. DD. & Azorium part. 3. lib. 8. cap. 6. per totum.

47 Secundò emi & vendi nequeunt res merè spirituales, aut spiritualibus annexæ: talium enim Venditio foret simoniaca: per textus can. ult. & penult. caus. 1. quæst. 3. Idem est de rebus sacris seu sacratis quà talibus. Concordat Jus Civile l. Sed Celsus 6. l. Hanc legem 22. l. Littera 51. de contrab. Empt. juncta l. Sancimus c. de Sacrosanctis Ecclesiis. Verùm de his ex professo tit. de Simonia.

48 Tertiò fieri non potest Emptio Venditio veneni mali, id est talis, quòd nullo modo adjectione alterius materiæ, usui nobis esse potest, l. Quod sæpe 35. §. 2. ff. de contrab. Emp. de venenis verò, quæ mixta aliis materiis adeo nocendi naturam deponunt, ut ex his antidota, & alia quædam salubria medicamenta conficiantur, aliud dici potest; pergit in contextu citata l. quod sæpè.

49 Quartò emi & vendi non possunt res litigiosæ. Patet ex toto tit. de Rebus litigiosis: item l. Lite pendente 2 l. quicunque 3. & l. censemus, 4 c. de Litigiosis. Dicitur autem litigiosa res, de cujus dominio causa movetur inter possessorem & petitorem, judiciaria actione vel precibus Principi oblatis, & Judici insinuatis, & per eum futuro reo cognitis, Authen. Litigiosa, c. eod. atque amplius declaratum est suprà lib. 2. tit. 16. Ut lite pendente &c. §. 2 per totum.

50 Quintò vendi prohibentur Res Universitatis, idest, jure Universitatis, & non jure singulorum possessæ l. Pacta, 72 §. 1 ff. de contrab. Empt.

51 Sextò vendi non potest Turcis, Saracenis & gentibus Barbaris, hostibus nostris annona, nec aliquod quodcunque tandem genus armorum, l. 2. c. quæ res exportari. SS. canones, c. 6. 11. & 17. de Judæis, etiam excommunicant illos, qui merces, vel arma Turcis transmittunt: de quo plura suo loco.

§. III.

De quibusdam Venditionibus in specie: Officiorum videlicet, Nominum, ac Hæreditatis.

SUMMARIUM.

52 De Jure naturali non est prohibitum Officia publica vendere.
53 Solvitur Objectio, & n. 54.
55 De Jure humano Officia publica non possunt vendi.
56 Nisi adsit consuetudo.
57 Vi cujus pretio moderato dignis & idoneis, non item indignis, aut immoderato pretio venduntur licitè.
58 Nomina, & Jura emi vendique possunt.
Per Nomina quid intelligatur? Ibid.
59 Certa solùm & liquida, non autem incerta aut litigiosa debita vendi possunt.
60 Certa etiam vendi nequeunt potentiori ratione Officii.
61 Debita etiam certa minori pretio emi possunt; si absque difficultate, lucro cessante; vel damno emergente obtineri non possunt.
62 Similia debita etiam ille licitè minoris emit, qui ea facillimè obtinere potest.
63 Solvitur instantia.
64 Quando hujusmodi debita emi possint ab Officialibus pecunias debitas administrantibus.
65 Debitor, si est in causa difficilis solutionis, præfata debita minoris emere nequit.
66 Sicùt est, si difficultas solutionis aliunde provenit.
67 Potest idem anticipata solutione minoris emere, si creditor liberaliter offerat.
68 Controversia DD. de Emptione debitorum, quæ facilè suo tempore obtineri possunt.
69 Doctores affirmātes talia debita licitè minoris emi posse. Fun-
70 Fundamenta eorum.
71 DD. negativam tenentes.
72 Ratio eorum.
73 Confirmatio.
Ob dilatam solutionem non licet pluris vendere. Ibid.
74 Respondetur ad fundamentum Adversariorum.
Actio ad rem quando idem sit ac res ipsa Ibid. & n. 70.
75 Responsio ad confirmationem Adversariorum.
76 Observantia practica.
77 Hæreditas nondum delata certi Testatoris adhuc viventis vendi nequit.
78 Nisi Testator ipse consentiat.
79 Hæreditas incerta Testatoris cujuscunque etiam adhuc viventis ritè venditur.
80 Item hæreditas incerta Testatoris, qui est, vel creditur mortuus, sub conditione, si me instituit hæredem.
81 Solvitur instantia.
82 Hæreditas delata Testatoris jam defuncti liberè vendi potest.
83 Hæreditas delata quid sit.
84 Nomine hæreditatis venditæ veniunt omnia, quæ ad Testatorem pertinebant, etiam jura & actiones activæ.
85 Ponitur limitatio.
86 Hæres tenetur emptori restituere, si quid de hæreditate dempsit.
87 Actiones passivæ contra Testatorem, non transeunt ad emptorem hæreditatis, sed manent penes hæredem.
88 Potest tamen hæres ante traditam emptori hæreditatem, tantùm detrahere, quantùm pro legatis, & debitis testatoris requiritur.

52 Quæritur I. An, & quomodo vendi emique possint Officia publica? v. g. Præfecti, Cancellarii, Vicedomini, Consiliarii, Judicis, Scribæ, Tabellionis &c. Resp. I Spectando Jus naturale non est prohibitum, nec illicitum, moderato pretio vendere officia temporalia, tali, qui idoneus, & Officio benè functurus creditur. Ita D. Thomas in Epistola ad Ducissam Brabant. Opuscu 21. Covarruvias in Manuali, cap 25. n. 7. Azorius p. 3. lib. 8. cap. 7. Haunoldus tract. 10. controv. 16. §. 6. Castro Palao de Justit. commut. disp. 5. punct. 18. n. 13. Cajetanus, Sylvester, & communis aliorum contra Adrianum, & Glossam in c. 1. Ne Prælatis vices suas vers. conferendi. Fundamentum Conclusionis est tum quia hæc Officia quatenus lucrum, & commoditatem afferentia, sunt verè pretio æstimabilia: tum etiam, quia ostendi non potest, qua ratione similis venditio esset Juri naturali contraria.

53 Nec enim valet illa, quam Adversarii communiter afferunt, ratio, videlicet, quòd hujusmodi Officiorum Venditio sit Reipublicæ perniciosa, cùm occasione illius ad Officia plerumque applicentur, non qui apti & digni, sed qui divitiis abundantes plus offerunt quantumvis cæteroquin inepti & incapaces existant, quique Officio adepto omnibus modis per fas & nefas adlaborant, ut pretium expensum iterum recuperent, parùm vel nihil soliciti, quomodo obligationi Officii satisfaciant.

54 Nam contra est, quòd ratio hæc tantùm locum habeat, si Officia cuivis indiscriminatim, pretioque immoderato; non item si, quod solùm concedit Conclusio nostra, idoneo & apto, atque moderato vendantur pretio; uti consideranti patet. Ultrò enim fatemur ob rationem præfatam, perniciosum simul, & scandalosum, indeque summè illicitum esse, indiscriminatim cuivis, pretioque excessivo Officia publica vendere.

55 Resp. II. Spectando leges positivas humanas vendi & emi non possunt Officia temporalia, Ita clarè patet ex novell. 8. cap. 7. Nemo, loc. cit. c. de Adsessor l. 14 c. de Re militari, juncta speciali Constitutione Pii V. edita 157. quam per extensum refert Navarrus in Manual. 6. ubi severissimè & universaliter prohibetur quæcunque Officiorum Emptio Venditio ob plerumque concurrentia pericula & damna n. 53 posita.

56 Resp. III. Nihilominùs ubi legitimè introducta habetur consuetudo, validè ac licitè Officia temporalia moderato pretio vendi possunt dignis ac idoneis. Ita DD. communiter, præsertim suprà n. 52. citati. Ratio est, quia hoc, ut suprà probatum, nullo modo adversatur Juri naturali; sed tantum humano, contra quod valida

& licita est consuetudo legitimè introducta, c. fin. de Consuetud. Quæ ratio cùm non tantùm in supremis Principibus, sed aliis, ipsis etiam Officialibus procedat, de iis quoque Conclusio intelligenda est: ut proin quibus Officiali officium suum temporale vel pro annua pensione aliqua alteri resignare, vel pro pretio moderato omnino cedere, sicque vendere valeat, ubi id faciendi habetur consuetudo; qualis vigere dignoscitur in Germania, ubi similes officiorum resignationes, ac cessiones ab Officialibus, viris etiam timoratis passim practicari videmus. In Gallia, & Hispania, quòd Officia à Regibus ac Principibus frequentissimè vendantur, exploratum est. Testatur Azorius loc. cit. idipsum etiam in Curia Romana practicari, sed sit fides penes Authorem.

Dicitur notanter *dignis*, & *idoneis*, atque *moderato pretio*: indignis enim & ineptis, aut excessivo pretio vendere, cùm ut perniciosum Reipublicæ, simulque scandalosum, utpote inductivum ad varias injustitias, semper & ubique ac respectu omnium prohibitum est, non obstante etiam inveterata consuetudine, quæ utpote fovens peccata potiùs dicenda est corruptela, cap. fin. de Consuetud. Concordant dicta Lib. 1. Tit. De Consuetudine, §. 3. 57

Quæritur II. An, & quomodo emi, vendique queant Nomina? Prænotandum, per *Nomina* intelligi jura illa, & actiones, quæ alicui competunt ad petendam ab altero solutionem debitam. Hinc actiones etiam passim dicuntur jura debita, credita, Chyrographa. Hoc notato. Resp. I. Certum est, Nomina, seu actiones, credita, debita, Chyrographa validè ac licitè vendi emique posse, etiam ignorante & invito debitore. Ita unanimi ob clara Iura l. Nominis 3. C. de Hæreditate vel actione vendita ibi: *Nominis venditio etiam ignorante, & invito eo, adversus quem actiones mandantur, contrahi solet*; iisdem penè verbis loquitur l. 1. c. de Novat. Concordat l. Nomina 17. ff. de Hæreditat. & action. vendit. quæ etiam rationem dat, dicens: *ea enim res est, quæ emi & vendi potest*. 58

Resp. II. Ut nomina rite vendantur, debent esse certa, ac liquida, & liti nondum subjecta; nam incerta, vel illiquida, aut litigiosa, vendi & emi non possunt. Patet Conclusio tum ex dictis suprà n. 49. tum ex l. Quicumque, c. de Litigiosis. Quibus addendum, quòd quamvis, ut infra dicetur, Nomina incerta & litigiosa alteri donari possint, tamen si quis publicè donationem Nominis sibi factam simulans, occultè aliquid, v. g. 100. pro incerto debito 1000. florenorum dedisset, sicque quodammodo emisset, debitor neque tali ementi, neque principali priori creditori plus dare teneatur; quam quod Emptor dicto creditori dedisse comprobatur; etiamsi occultus hujusmodi Emptor, causam integri debiti litigiosi in Judicio lucretur. Ita in favorem debitorum, contra ementes & vendentes litigiosa & incerta debita, expressè statutum habetur l. Ab Anastasio, 23. cap. Mandati. Verum de Donatione magis infrà. 59

Resp. III. Nomina etiam certa vendi nequeunt potentiori. Textus est in l 2. cap. de Potentiori, ubi etiam creditor puniri jubetur amissione totius debiti illius, quod potentiori vendere nititur. Notat tamen Glossa ibidem vers. Actionis Molina Disp. 340. num. 7. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 17. §. 5. num. 32. legem solummodò intelligendam esse de potentiori ratione officii, aut potestati exercendæ in debitorem, ut proin potentiori ratione alterius qualitatis, Nomina certa licitè & validè vendi queant. 60

Quæritur III. Utrùm Nomina v. g. debita, aut Chyrographa certa mille florenorum post annum solvendorum, de præsenti emi possint minori pretio v. g. octingentis aut nongentis florenis? Resp. I. Debita quantumvis certa, quæ ob absentiam, potentiam, tenacitatem, paupertatem, aut aliam odiosam qualitatem debitoris sine difficultate, vel lucro cessante, aut damno emergente obtineri non possunt, minori pretio juxta qualitatem difficultatis, periculi, damni &c. validè ac licitè emuntur. Ita communis & certa, signanter Lessius lib. 2. cap. 21. dubitat. 8. num. 65. ubi conclusionem ut certam supponit Layman loc. cit. Abbas in cap. 2. de Alien. Judicii mut. num. 6. Haunoldus Tract. 10. cap. 1. Controv. 14. num. 100. Molina arg. l. Minus 204. ff. 61

Reg.

Reg. jur. Ratio est: quia justum rerum pretium, communi omnium æstimatione statuitur *l. Pretia Rerum, ff. ad leg. Falcid.* omnium autem prudentum judicio debitum, quòd absque difficultate, periculo, expensis, aut lucro cessante, vel damno emergente obtineri nequit, minoris, ac in se ipso est, æstimatur; ergo.

62 Resp. II. Eadem debita minori pretio emi possunt etiam ab illo, qui ob certam aliquam circumstantiam, v.g. ob favorem Principis, aut Officialium, vel ipsiusmet debitoris, absque omni prorsus difficultate, & periculo: nec non sine ullo lucro cessante, & damno emergente, præfata debita feliciter obtinere potest. Lessius *loc. cit. dubitat. 9. num. 75.* Layman *loc. cit.* Lugo *disp. 26. num. 94.* Molina 361. *nu.* 10. Sal, Haunold. & communis aliorum contra nonnullos alios, ut Malderum, & Malfesium. Ratio est: quia ubi à lege taxatum non habetur rerum pretium, desumendum est non à singulorum, vel paucorum, sed à communi æstimatione hominum, *cit. l. Pretia rerum, 63. ff. ad Reg. Iul.* communi autem æstimatione haud dubiè minoris reputatur debitum etiam certum, quod absque difficultate, incommodis, expensis, periculo, lucro cessante, aut damno emergente nec creditor, nec alii de communitate obtinere possunt, ergo.

63 Nec obstat, quod in uno vel altero emptore hæc ratio diminuendi pretium non inveniatur; quia hoc prorsus per accidens se habet, & ad privatam atque specialem fortunam pertinet, quam emere nemo tenetur. Sicut à pari Venditor pretium mercis ex solo hoc capite augere non potest, quòd merx hujusmodi ob specialem aliquam circumstantiam uni, alterique emptori lucrum aut commodum specialem causet, *arg. l. Pretia rerum, 63. ff. ad Leg. Iul.* ibi; *Pretia rerum non ex affectu, aut utilitate singulorum, sed communiter funguntur.*

64 Limitatur tamen Conclusio *num. 62.* posita, in ordine ad illos Ministros, & Officiales, qui Principum. vel aliorum debitorum pecunias administrantes, ex dolo, vel ex negligentia, aut alia culpa in causa sunt, quòd solutio debiti difficilis, periculosa, aut onerosa evadat, hi enim debitum certum minoris emere minimè possunt, ne ex dolo & malitia commodum reportent, contra *Reg. jur. 168. & c. Ex litteris, 2. de Dolo & Contum.* Secùs foret, si ipsi difficilis aut periculosæ solutionis causa non sint, tunc siquidem æquè ac alii simile debitum minoris, emere valent, cùm non sint deterioris conditionis ac alii; prout post Lessium *cit. dubitat.* 9. ad finem benè advertit Layman *loc. cit. nu. 39. arg. Reg. 61. Iur. in 6.* ubi tamen etiam ad finem fatetur, hujusmodi debitorum emptiones in Quæstoribus, aut pecuniæ administratoribus periculo non carere; Quod amplius demonstrat Molina *Disput.* 33.

65 Limitatur secundò quoad ipsos debitores, qui culpabiliter in causa sunt, quòd præstanda suo tempore solutio debiti cæteroquin liquidi, ac certi, non sine difficultate, periculo, aut expensis obtineri valeat, hi namque anticipata solutione minoris emere non possunt; Lessius *loc cit. dubitat. 8. n. 70.* & teste Haunoldo *loc. cit. num. 105.* fermè omnes. Tum quia per vulgaria Juris, nemo ex delicto suo commodum reportare, nec cum alterius injuria ditari debet: Tum quia tales possunt, ac tenentur facere, quòd certi debiti solutio difficilis aut periculosa non sit.

66 Si verò culpa penes debitorem non sit, quod debiti certi solutio præfixo futuro tempore difficilis & periculosa existat, sed difficultas vel periculum aliunde originem trahat; v.g. quia ob belli tempore timendum, ne bona debitoris pereant, sicque ipse tempore solutionis præstandæ, solvendo ampliùs non sit, tunc æquè ac alii solutionem anticipando, minoris emere debitum potest: eo quòd ratio *num. 61.* posita tam in illo, quàm aliàs militet; ubi autem eadem ratio est, eadem est legis dispositio, *arg. l. Illud 32. ff. ad Leg. Aquil.* Accedit, quòd ipse non sit deterioris conditionis, ac alii. Idem ob eandem rationem dicendum, si debitor anticipando solutionem à creditore desideratum, damnum emergens, aut lucrum cessans patiatur.

Imò Laym. *loc. cit.* post Molinam *num. 361.* rectè observat, quòd si creditor partem debiti gratis ac liberaliter remittat, ut debitorem ad solutionem anticipandam alliciat, possit (secluso usurario affectu) hoc debitor acceptare, etsi nullum ex hujusmodi anticipata solutione debitori sequatur lucrum cessans, aut damnum emergens; quia juxta Glossam in *Reg. 4 Iuris in 6. v. Restituatur*, liberalis remissio debiti æquiparatur solutioni, *arg. l. Item liberatur. 6. Quibus modis pig. hypoth.* Et certè nulla videtur adesse culpa, si creditore anticipationem solutionis sollicitante debitor dicat: bone vir, habe me excusatum, vi contractus nostri, primùm post annum erit determinatum solutionis tempus, quo elapso obligationi meæ fideliter satisfaciam. E contra creditor reponat; tempus solutionis nondum adesse, haud ignoro; veruntamen si modò solvas, tertiam debiti partem gratis tibi remittam: creditor verò respondeat; ego hoc quidem non desidero; nihilominus quia sponte ac liberaliter ipsemet offers, cum gratiarum actione acceptabo & in nomine Domini solutionem anticipabo. 67

Et quidem circa hactenus dicta de Venditione & Emptione Nominum DD. satis conveniunt. Verùm maximè controvertunt, an Nomina seu debita liquida, in quibus obtinendis nulla prorsus difficultas, molestia, aut periculum, nec lucrum aliquod cessans, vel damnum emergens intervenit, minori pretio ex hoc solo capite emi possint, quòd modò de præsenti detur pecunia pro debito, primùm post aliquod tempus solvendo. 68

Siquidem affirmativam acerrimè defendunt Doctores non minimæ notæ. Inter quos numeratur Sanchez *l. 1. consil. cap. 7. dub. 17. num. 5.* ubi hanc affirmativam sententiam probabiliorem judicat. Ejusdem opinionis sunt Navarrus in *Manual. cap. 17. num. 231.* Cajetanus *vers. Usura*, ad finem, Armilla *eod. vers. num. 50.* Innocentius in *c. In Civitate de Usur.* Sa *v. Debitum, n. 21.* Laym. *l. 3. tract. 4. cap. 17. §. 5. n. 32.* ubi hanc sententiam saltem ut probabilem admittit, Toletus, Bellarminus, Vvadingus, & alii. 69

Fundamentum eorum potissimum hoc est; quia juxta communem hominum æstimationem, qua pretia rerum taxantur, plus valet res præsens, quàm futura: seu quod idem est, plus valet res ipsa, quàm jus ad rem, *l. minùs. 204. ff. de Reg. Iur.* ibi. *Minùs est actionem habere, quàm rem*; ergo quia emens debitum certum, futuro primùm tempore solvendum, dat non ipsam, debitum hujusmodi minori pretio emere potest. Præsertim (quod pro confirmatione addunt) quia rès futura & absens, quandiu abest, inutilis & quasi sterilis est etiam illi, qui jus ad illam habet; cùm econtra res præsens continuò utilis sit habenti; quibus non obstantibus. 70

Resp. III. Si non moraliter certa, saltem longè probabilior videtur sententia negativa, videlicet, quòd debita certa minori pretio emi non possint, si in iis suo tempore obtinendis penitus nulla difficultas, vel periculum, neque lucrum cessans aut damnum emergens occurrat. Ita Sylvester *vers. Usura, 2. quæst. 14.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dubit. 8.* citans communem, Layman. *loc. cit.* Valent. *tom. 3. disp. 5 quæst. 10. part. 2.* Petrus Navarrus *lib. 3. cap. 2. n. 162.* Molin. *disp. 361.* Sotius, Lopex, Gabriel, Haunoldus *tract. 10. c. 1. controv. 14. n. 104.* Sannig *h. t. c. 3. n. 2.* 71

Probatur Conclusio. Juxta omnes etiam adversarios illicita atque injusta est emptio venditio, quando non servatur æqualitas inter pretium & mercem, seu rem, quæ venditur ac emitur, *arg. l. Si servum. 33. ff. ad leg. Aquiliam, & l. 63. ff. ad leg. Falcid.* atqui si debitum liquidum, v.g. 1000. florenorum, in quo obtinendo nulla est difficultas vel periculum &c. emitur minori pretio, v.g. nongentis, non servatur æqualitas; ergo. Minor patet: quia debitum liquidum 1000. florenorum sine difficultate & periculo &c. obtinendum; revera valet mille florenis: consequenter si pro eo minùs datur, non servatur æqualitas inter pretium & mercem. Probatur antecedens. Si debitum liquidum 1000. florenorum, minùs valeret, quam mille, tunc ideo, quia 72

ejus soluto statim haberi nequit; alia namque ratio in casu nostro assignari non potest; atqui sola dilatio valorem non minuit; aliàs enim etiam in mutuo creditor aliquid ultra sortem accipere posset; cum æquè in hoc, ac in illo dilatio solutionis debiti, consequenter inæqualitas inter datum & acceptum haberetur; hoc autem est damnatum ab Innocentio X. qui inter alias etiam hanc *n. 41.* propositionem damnavit: *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

73 Confirmatur. Qui rem pluris, quàm valet, vendit præcisè ob dilationem solutionis; seu quia emptor non statim ac in continenti solvit, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, textu claro *c. consuluit. 10. & c. In civitate. 6. de Usura*: ergo etiam, qui rem, debitum v.g. liquidum, minori pretio, quàm valet, emit præcisè ob dilationem solutionis, seu quia non statim solvitur, aut traditur, contra justitiam peccat, & ad restitutionem tenetur: cùm non sit major ratio de uno quàm de altero, uti consideranti patet.

74 Ad Fundamentum Adversariorum *n. 70* positum, respondetur verum esse, quòd tam juxta communem hominum æstimationem, quàm juxta citatam Legem 204. *ff. de Reg. Jur.* pluris æstimetur res ipsa, quàm jus ad rem, non quidem quasi verè absolutè loquendo, res pluris valeret, quàm jus ad rem; sed quia in consequenda re, ad quam quis jus habet ordinariè, occurrunt difficultates & pericula, lucrumve cessans, aut damnum emergens. Quæ si cuncta absunt, par utriusque valor est, ut rectè docent Bartolus *in l. Per diversas. C. Mandati.* & Baldus *in l. 2. C. de Lite pendente. arg. l. Is qui 15. ff. de Reg. Jur.* ibi *Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.* Concordant *c. 6. & 10. de Usur.*

75 Ad Confirmationem Fundamenti negatur suppositum: quia non versamur in casu, ubi emptor debiti cum pecunia præsenti negotiaretur, vel alio modo lucrum faceret; hoc enim in casu ob lucrum cessans, debitum etiam liquidum minori pretio emi posse, & nos fatemur: sed loquimur de casu, ubi pecunia sine omni negotiatione in cista, vel alibi otiosa remanet emptori non magis ac absens, ad quam jus habet, utilis foret. In quo casu, planè non apparet, cur una plus altera valeret, ut patet ex dictis.

76 Cæterùm fateri oportet, in praxi rarissimè contingere, quòd in consequendo debito etiam certo non aliqua saltem adsit difficultas, molestia, periculum, lucrum cessans, vel damnum emergens; consequenter à potiori & quasi ordinariè quodcunque debitum minoris, quam pecunia ipsa præsens æstimari, sicque minori pretio emi valeat.

77 Quæritur IV. An, & qualis Hæreditas vendi & emi possit? Resp. I. Hæreditas nondum delata alicujus certi testatoris adhuc viventis vendi, nec validè nec licitè potest, nisi testator ipse consentiat. Ita expressè statutum habetur *l. 1 ff. de Hæreditat. vel Action. Vend.* ubi dicitur. *Si hæreditas venierit ejus, qui vivit, nihil esse actum.* Idem *l. De quæstione, 30. c. de Pactis*: ubi etiam ratio redditur, quia nempe hujusmodi Emptio Venditio est *contra bonos mores, ac pœna tristissimi & periculosi eventus*, utpote inducens votum captandæ mortis. Concordat *l. 29. §. 2 ff. de Donat. l. 61. ff. de V. O.*

78 Dicitur autem notanter, *nisi testator consenserit*: quia licita & valida est hæreditatis Venditio, *si ipse, de cujus hæreditate pactum est, voluntatem suam ei accomodaverit, & in ea usque ad extremum vitæ suæ spiritum perseveraverit*, ut expreisè habetur *cit. l. 30. de Pactis*, cum sic cesset, & sublata sit acerbissima spes, testatori aliàs gravis ac injuriosa; ut ibidem rationem addendo lex loquitur. Dicitur insuper *testatoris certi*. Nam

79 Resp. II. Hæreditas nondum delata incerta cujuscunque, etiam adhuc viventis testatoris in communi, licitè ac validè emi vendique potest, dicendo v.g. Vendo tibi omne id, quod aliquando à quocunque tandem testatore, hæreditate acquisiturus sum. Lopez *p. 1. Const. 35. Def. 17.* Molina *Disp. 140. n. 3.* ad finem, & communis DD. *arg. l. Ea verò, 3. §. 2. & l. Si societatem, 73. ff. Pro socio.*

Ratio est: quia in hoc casu cessat principalis ratio prohibitionis; cum propter incertitudinem hæreditatis, de nullius morte spes præmatura bonis moribus repugnans & votum captandæ mortis inducens concipiatur, uti communiter DD.

Resp. III Insuper Hæreditas incerta testatoris, qui jam est, vel creditur defunctus, vendi potest, *si qua sit*, id est, sub hac conditione: vendo tibi hæreditatem mei fratris v.g. qui est, vel dicitur defunctus; si me instituit hæredem, quod ignoro. Ita communis ob textum expressum *l. Nam hoc, 11. de Hæred. & Action. vend.* ubi Ulpianus *hoc modo*, inquit, *admittitur esse venditionem: si qua sit hæreditas, est tibi empta, & quasi spes hæreditatis: ipsum enim incertum rei veneat, ut in retibus.* 80

Nec dicas, Conclusionem contrariam esse *l. cùm hæreditatem, 7. ff. eod.* ubi sic statuitur: *Cùm hæreditatem aliquis vendidit, esse debet hæreditas, ut sit Emptio, nec enim alea venditur, ut in venatione, & similibus, sed res, quæ si non est, non contrahitur Emptio.* Respondetur enim legem hanc loqui de hæreditate nondum delata certi alicujus testatoris adhuc viventis; econtra conclusionem nostram & *legem 11. Nam hoc* ibidem citatam, loqui de hæreditate testatoris, qui jam est, vel creditur defunctus. Cur autem hujus, & non illius venditio valeat, cùm tamen utrobique incertitudo hæreditatis, & quasi alea contra prohibitionem citatæ *l. 7.* vendi videatur, ratio præter jam dictam *n. præc.* est; quia dum venditur hæreditas testatoris adhuc viventis, penitus incertum, in futurum, & ut alea venditur hoc ipso, quòd testator vivus usque ad ultimum halitum voluntatem suam mutare, hæreditatem revocare valeat, *ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitæ supremæ* halitum, *l. 4. de Adim legat.* Econtrà verò, dum testatoris jam defuncti hæreditas, *si qua est*, juxta *l. 11. ff. eod.* venditur, id quod præsens est, venditur, hæreditas nempe, quæ vel jam est actu certo delata & posita, vel certè non amplius defeketur, aut ponetur, utpote testatore jam mortuo. Et ita evitatur discordantia inter dictam *l. 7. ac 11. ff de Hæredit. vendit.* 81

Resp. IV. Hæreditas post mortem testatoris, hæredi jam delata, pro libitu vendi & emi potest. Communis ac certa *l. 2. & toto ferè Titulo ff. de Hæredit & Action. vendition.* Ratio est: quia cùm suæ quisque rei moderator, atque arbiter existat, *l. In re mandata, c. Mandati*, de ea pro libitu disponere potest; nisi à lege specialiter prohibeatur. 82

Porrò *hæreditas delata* dicitur omnis illa, quam quis remoto quolibet impedimento adire & cognoscere potest, Baldus *in l. Potuit C. de Jure deliber.* *Delatum* enim universaliter dicitur illud, quod adeundo statim consequi possumus, Schardius *V. Delatum.* 83

Quæritur V. Quænam nomine hæreditatis venditæ veniant, ita ut ad emptorem transeant? Resp. I. Omnes & singulæ res, jura, & commoda, sive parva, sive magna defuncti, quæ hæres titulo hæreditatis acquisivit, vel acquirere potuisset: item omnes actiones activæ utiles ad aliquid prosequendum & acquirendum veniunt nomine hæreditatis, & ad emptorem transeunt. Communis textu claro *l. Qui filiusfamilias. 14. ff. de Hæredit. vendit.* ibi: *Si hæreditas veneat. venditor res hæreditarias tradere debet. Quanta autem hæreditas sit, nihil interest.* Concordat *l. Venditor 21. ff eod. & l. 5 eod.* ibi: *Emptor hæreditatis actionibus mandati eo jure uti debet, quo is, cujus persona fungitur; quamvis utilis adversus hæreditarios debitores emptori tribui placuit.* 84

Limitatur Conclusio in casu, quo emptor hæredi quantitatis hæreditariæ ignaro iniquè ac dolosè suadet exiguam, vel minorem esse hæreditatem, ac creditur; tunc enim venditor ad tradendam totam hæreditatem non tenetur, *l. 4. c. de Hæredit. vend.* Sicut econtra, si hæres mendaciter majorem asserat hæreditatem ac est, vel aliqua adesse affirmat, quæ non inveniuntur præstare debet quod affirmavit, *arg. l. 15. ff. eod.* 85

Resp. II. Si hæres defuncti aliquid de hæreditate vendidit, donavit, dolo, vel culpa lata destruxit, amisit, aut causa fuit, quòd ad hæreditatem non venerit, tenetur præstare, seu recompensare emptori hæreditatis. Ita clarè statutum habetur, *l. 2. § Sed & si 3. ff. de Hæred. & action. vend.* Ratio est: quia, qui emit universitatem hæreditatis, hoc ipso emit, & acquisivit jus ad omne 86

omne illud, quod ab instanti mortis testatoris ad hæreditatem pertinet; consequenter quicunque hoc jus emptoris injustè violat, illud resarcire debet.

87 Resp. III. Actiones passivæ, id est illę, quas alii contra defunctum habebant; item actiones legatarię, ac fideicommissarię non veniunt nomine hęreditatis venditę, nec ad emptorem transeunt, sed manent apud hęredem, non obstante, quòd hęreditatem vendiderit; ut proin contra hunc, non verò contra emptorem hęreditatis agere debeant, quicunque de bonis defuncti aliquid prętendere habent. Castro Palao *de justit. Commut. Disp. 5. punct. 18. n. 2.* & communis aliorum, *arg. l. Actio juris 2. C. de Hæredit. vend* ibi: *Actio juris postulat, ut creditoribus hæreditariis, & Legatariis, seu fideicommissariis te* (heredem nempe) *convenire volentibus, tu respondeas.* Nisi forsan ipsemet emptor, creditoribus ad id consentientibus, sponte respondere & satisfacere velit, *arg. cit. l. 2. C. de Hæredit. vend* Haunold. *tr. 10. c. 1. controv. 14. n. 92.* Item nisi fiscus hęreditatem sibi debitam vendat, ad onus emptoris pertinere, nec fiscum creditoribus hęreditatis respondere, certum, & absolutum est, inquit *l. 1. C. eod.*

88 Illud tamen cuivis venditori hęreditatis meritò concedunt jura, quòd ante traditionem hęreditatis venditę, ab ea detrahere possit legata, fideicommissa, & alia onera, nec non omnia debita seu ęs alienum, iisque satisfacere creditoribus, ac aliis justam prætensionem habentibus. Item quòd, si jam tradita emptori hæreditate, à creditoribus defuncti conveniatur, atque satisfacere compellatur, possit emptorem hęreditatis, actione negotiorum gestorum convenire, aut tantum ei restituat, quantùm ipse solvit creditoribus defuncti, *arg. l. 2. C. de Hæred. vend.* Ratio est: quia nomine hęreditatis plus non intelligitur, quàm quod deductis legatis, ęre alieno, & quibusvis debitis post mortem defuncti adhuc superest, *arg. l. Subsignatum 39. de V. S.* consequenter nec emptor hęreditatis plus accipere potest, vel si jam accepit, illud iterum tanquam rem alienam reddere tenetur.

§. IV.

De Venditione rei alienæ, præsertim furtivæ.

SUMMARIUM.

89 *Res aliena, etiam furtiva emi potest.*
90 *Dummodò saltem emptor ignoret, rem esse furtivam.*
91 *An etiam ad emptionem rei alienæ non furtivæ requiratur, ut emptor ignoret, eam esse alienam, controvertitur.*
92 *Eligitur sententia affirmans.*
93 *Quando Venditio rei alienæ est valida, tradere eam debet emptori venditor, etsi sciat, eam esse alienam.*
94 *Proponitur, & solvitur objectio.*
95 *In valida Venditione rei alienæ venditor dominium pretii, non verò emptor dominium mercis acquirit Et n. 96.*
97 *Solvitur instantia.*
98 *Emptor rei alienæ, non restituere debet, quando rescit eam esse alienam.*
99 *Et si dominus rei pretium expensum ei non refundat.*
100 *Improbatur mala praxis.*
101 *Qui emit rem alienam cum intentione eam restituendi domino, justè prætendit expensas.*
102 *Non solùm rem sed fructus perceptos restituere tenetur emptor alienæ rei.*
103 *Controversia DD. an emptor teneatur rem alienam restituere domino, vel possit iterum tradere venditori, ab eoque repetere pretium.*
104 *Allegantur DD. scribentes pro emptore, videlicet, quòd venditori iterum restituere possit mercem, & ab eo repetere pretium.*
105 *Statuitur sententia contraria,*
106 *Probatur ex doctrina Adversariorum.*
107 *Confirmatur ex sequela absurda.*
108 *Confirmatur ulteriùs.*
109 *Respondetur ad probationem Adversariorum.*
110 *Firmatur responsio.*
111 *Emptor potest rem alienam emptam restituere venditori, si inde nullum sequatur damnum domino.*
112 *Si bona fide jam restituit venditori, ad nihil ampliùs tenetur domino.*
113 *Neque, si eandem bona fide rursus vendidit tertio.*
114 *Si res pecunia furtiva emitur, fit emptor rei emptæ dominus: nisi ematur res Ecclesiastica.*
115 *Venditor autem non acquirit dominium pecuniæ loco mercis acceptæ.*
Nisi ita suis bona fide commisceat, ut discerni non possint.

QUæritur I. An, & qualiter vendi, emique valeat res aliena? Resp. I. Certum est, rem alienam, etiam furtivam validè vendi emique posse, ita tamen, ut subjaceat evictioni. Dicitur namque *l. Rem alienam 28. ff. de Contr. Empt. Rem alienam distrahere quem posse, nulla dubitatio est. Nam Emptio est & Venditio; sed res emptori auferri potest*, per evictionem nempe, de qua infrà. Ratio est: quia *qui vendidit, necesse non habet, rem emptori facere*; seu rei venditę dominium in emptorem transferre *l. Si ita distrahitur. 25 ff. de contr. Empt.*

Resp. II. Ut Emptio Venditio rei furtivę valeat, necesse est & sufficit, quòd saltem emptor, rem furtivam esse ignoret, sicque in bona fide existat; sive dein venditor sciat, sive ignoret, rem esse furtivam. Ita textus expressus *l. Si in Emptione. 34. §. Item, 3. ff. de Contr. Empt.* ibi. Si emptor, & venditor scit, furtivam esse, quod venit, à neutra parte obligatio contrahitur, si emptor solus scit, non obligatur venditor, nec tamen ex vendito aliquid consequitur; nisi ultra quod convenerit, prętet. Quòd si venditor scit, emptor ignoravit, utriusque obligatio contrahitur.

Dicitur notanter in Conclusione *rei furtivæ*; quia an 91 Emptio Venditio rei alienę non furtivę sit valida, utrique contrahentium probè sciat, rem esse alienam, vel an pariter requiratur, ut saltem emptor ignoret, rem esse alienam, magna controversia est inter DD. Glossa siquidem in *cit. l. 34. ff. de Contrab. Empt. v. Furtivam* Molina *disp. 127. n. 6.* Haunoldus *tr. 10 c. 1. n. 107.* Lopez & alii volunt, Emptionem rei alienę non furtivę validam esse, etsi utrique contrahentium apertè constet, eam alienam esse. Rationem dant, quia *in cit. l. 28 ff de Contrab. Empt.* venditionem rei alienę valere statuitur absolutè & generaliter, absque ulla distinctione, an contrahentes sciant, vel ignorent, rem esse alienam; à qua lege universaliter lata cum solummodo excepta reperiatur venditio rei furtivę *l. 34. ff. eod.* reliquę venditiones rei alienę meritò censentur inclusę juxta *l. Quæsitum, de feudis inst.* Nam *Exceptio unius firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis.* Nihilominus

Resp. II. Emptio Venditio cujusvis rei alienę etiam 92 non furtivę invalida est, si utrique contrahentium, vel saltem emptori constet, rem esse alienam. Ita Vvadingus citatus ab Haunoldo ubi supra, & Clarissimus P. Friderich. Ratio est: quia *Lex 28 ff. eod. de Contr. Empt.* absolutè & universaliter lata, non tantùm in Venditione furtivę, sed cujusvis rei alienę, Emptore rei alienę conscio, limitatur, si non per *l. 34. ff. de Contr. Empt.* saltem per *l. Si fundum. 27. C. de Evict.* ubi absque omni mentione rei furtivę decernitur, quòd si emptor rem alienam vel obligatam scienter emerit, venditor eidem de evictione non teneatur, benè verò, si ignorans, rem esse alienam, contractum emptionis fecerit. Ex quo manifestè sequitur, Venditionem rei alienæ cujuscunque etiam non furtivæ, emptore hujus conscio, factam, invalidam esse, hoc ipso quòd Venditione rei alienæ subsistente venditori emptori de evictione semper obligetur, *arg. l. Ex empto, 11. ff. de Action. ex emptis.*

Quæritur II. Quos effectus pariat valida Emptio 93 Venditio rei alienæ, Resp. I. Quandocunque valide contrahitur Emptio Venditio rei alienæ, tam emptor quàm venditor verè obligantur, ille quidem ad tradendum pretium, iste verò ad tradendam rem venditam, etsi sciat eam esse alienam. Communis. Teste Haunoldo *loc. cit. num. 113. arg. lib. 38. §. Item, ff. de Contrab. emp.* ibi: *Utrinque obligatiò contrahitur.* Juncta *l. 11. Ex empt. §. Item Neratius, 8. de action. empt.*

Dices:

94 Dices: nemo potest obligari ad illicitum; atqui illicitum est, rem, quæ scitur esse aliena, alteri, quàm domino tradere. ergò saltem venditor non obligatur ad tradendam rem venditam, quam scit esse alienam, sed potiùs obligatur restituere eam domino; etiamsi cæteroquin valida sit talis venditio: Respondet, Vvadingus *tr. de contract. disp. 7. dub. 3 §. 1. n. 4.* Haunoldus *l. c. n. 122.* Friderich. *h. t. n. 160.* traditionem rei alienę in hoc casu non esse illicitam; quamvis enim illicitè agit venditor scienter rem alienam vendendo, tamen illicitè non agit, contractu jam facto, eandem emptori tradendo, quia quoad venditionem, non item quoad traditionem, emptione jam peracta, dominus rei rationabiliter est invitus: tum quia hoc ipso, quòd leges priori *n.* citatę ob bonum publicum finito jam contractu, traditionem rei alienæ mandent, consentire debet, vel non nisi irrationabiliter invitus est; prout vult Vvadingus *l. c.* & cum ipso Rath. *Thesi 58.* Tum quia nullum ex hac venditione damnum domino rei emergat, cùm ipse ęque ab emptore, quàm à venditore rem suam repetere ac consequi valeat, *l. rem alienam, 28. ff. de Contrab. Empt.* Imò plerumque faciliùs à bonę fidei emptore, quam ab iniquo venditore rem suam consequi queat, adeoque etiam ex hoc capite traditioni consentire censeatur: uti volunt Haunoldus & Friderich. *loc. cit.*

95 Resp. II. Quando Emptio Venditio rei alienę est valida, & fit ex parte utriusque contrahentis mutua traditio. pretii nempe pro merce, & econtra, acquirit quidem venditor verum dominium pretii eidem ab emptore pro merce seu re aliena etiam furtiva traditi: in emptorem tamen penitus nullum transit dominium mercis, seu rei alienę à venditore pro pretio traditę. Communis ac certa quoad utramque partem. Quarum prior pars patet ex *l. Si ex empto, 11 ff. de Action. Empt. & l. Qui vos, 48. §. fin.* ubi ratio redditur: *Quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non esse, nemini dubium est: nummus ergo hic, qui redactus est ex pretio rei furtivæ non est furtivus* Sunt verba legis. Ex quibus benè inferunt Layman *l. 3. tract. 4. c. 17 § 2. n. 21.* Molina *disp 327 n. 7.* & alii, quòd, si postea venditor hujusmodi pecunia ex venditione rei alienę etiam furtivę acquisita, apud mercatorem emat pannum vel quid aliud, rursus tam ipse acquirat dominium panni, quàm mercator dominium dictę pecunię pro panno acceptę.

96 Altera pars apertè constat ex *l. Si ex empto, 11. de Action. empt. l. Rem alienam, 28. de Contra en pt. l 6. cap. de Rebus alienis non alienan.* Ratio est: quia juxta Reg 76. Jur. in 6. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur*: ac juxta Reg 11 Jur. *Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest*, consequenter cum venditor rei alienę, dominium illius non habet, illud in alium absque consensu domini conferre nequit.

97 Nec dicas, ex hoc sequi, meliorem esse conditionem mala fide vendentis, quam bona fide ementis; cùm ille non obstante mala fide acquirat dominium pretii: hic verò cum bona fide non consequatur dominium rei seu mercis. Nam contra est, quòd iniquus venditor non obstante acquisito pretii dominio adhuc obligatus maneat, vel restitutionem debitam facere domino rei alienę; vel re per dominum evicta, plenam satisfactionem prętare bonę fidei emptori; prętorquam quòd hic etiam interea, usque dum res evincatur habeat conditionem usucapiendi, seu prescribendi, *arg l. Quòd vulgò, 11 ff. Pro tempore*: estque jam dictum suprà *l. 2. tit 26. de Præscriptionibus, §. 5. n. 128.*

98 Quęritur III. An, quid, & cui restituere debeat emptor, si in notitiam venit, rem à se emptam esse alienam? Circa hanc quęstionem quędam sunt certa, quędam controversa. Priùs quę sunt certa, ponemus. Postea controversa examinabimus Hinc Resp. I Emens bona fide rem alienam illicò tenetur eam restituere Domino suo, si hic inte tempus ad prescriptionem requisitum compareat, & evincat, seu quodlibet est, rem esse suam sufficienter demonstret. Ita certa & unanimis; atque clare desumitur ex *l. Mater. 3. & l. Adversus, 4. c. de Rei vindicatione.* Ratio est quia non tantum, qui accipit, sed etiam qui retinet rem alienam domino rationabiliter invito, restituere tenetur, *arg. can. Si res aliena, caus. 14. q. 6.* Et quidem illicò; quia *in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsenti die debetur*, juxta *Reg. 14 Juris.*

Resp. II. Tenetur emptor rem alienam domino comparenti restituere; etsi hic de pretio pro re expenso, nec obulum refundat. Rursus certa & communis omnium. Textu claro *l. Mater. 3. cao 3 de Rei vendic.* ibi: *Rem tuam à possessore etiam non oblato pretio, vindicare poteris.* Hinc communis illa frivola, ac iniqua emptorum excusatio: restituam, si dominus priùs refuderit mihi pretium, quod ego pro re ipsius, bona fide expendi, rejicitur *à l. 2. c. de Furtis*, dum ait; *Incivilem rem desideratis, ut agnitas res furtivas non priùs reddatis, quàm pretium fuerit solutum à domino.* Ex quo 99

Infertur, malam & nunquam admittendam esse modernam plurimorum praxin, qui res alienas furtivas bona fide emptas domino comparenti non restituunt, nisi priùs pretium pro re expensum, eisdem à domino restituatur. Adhuc verò pejorem esse praxin illorum, qui, cum res furtivas vili plerumque emant pretio, non solum hujus refusionem, sed insuper lucrum aliquod a dominis prętendunt & extorquent. Hos enim contra justitiam peccare, & in foro tam externo, quàm interno ad restitutionem obligari, nullus dubitat. Quo tamen non obstante, licitum est hujusmodi emptoribus, gratis à domino oblata acceptare, & ut aliquid refundat, precibus convenientibus eundem rogare. 100

Limitatur autem Conclusio, sicut & doctrina inde illata, in casu, quo quis scienter rem furtivam modico pretio emit, ea intentione, ut rem sibi acquisitam suo restituat domino, utpote qui eandem forsan aliàs aut omninò non, aut certè non sine majoribus expensis acquisiturus esset: hoc enim casu, emptorem justè posse petere refusionem pretii pro re expensi, ipsumque dominum in utroque foro ad refusionem hujusmodi teneri, docent cum communi aliorum Covarruvias *l. c. n. 5.* Molina *l. c. n. 2.* Sylvester *vers. Restitutio, 3. q. æst. 7* Anchiranus *in Reg. Peccatorum.* Layman *l. c. nu 26.* & alii, *arg can. Rapina, 5. caus. 14 q 6.* ibi: *Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut cui oblata est, reddatur.* Ratio est: quia talis emptor utiliter gessit negotium domini, ob quod dominus recompensare tenetur, quidquid utiliter in rem ejus alter impenderit, *l. 2 ff de Negotiis gestis.* Observat tamen bene Lessius *l. c.* quòd si emptor ex prefata bona intentione ęquale, vel majus pretium pro re expendisset, dominus ad totius refusionem pretii non teneatur; quia negotium ejus utiliter gestum non esset, quamvis nihilominus ad aliquid, judicio prudentum taxandum, obligatus remaneret, *arg cit. l. 2. ff. de Negotiis gestis.* Cęterum extra hunc casum. 101

Resp. III. Non tantum rem ipsam alienam, sed & omnes ejusdem rei fructus adhuc extantes; nec non consumptos illos, quos vel à tempore cognitę rei alienę percepit, vel ex quibus jam antea bona fide perceptis, factus est ditior emptor, in utroque foro restituere tenetur domino. Rursus communis quoad omnes tres, quas habet conclusio, partes; prout constat ex dictis supra *l. 2. tit. 13. De Restitutione spoliatorum, §. 7.* ubi Jure & ratione sufficienter probata reperitur tota conclusio. Videatur ibidem. 102

Dicta hucusque de restitutione rei alienę ab emptore facienda extra controversiam sunt apud DD. At verò multum controvertunt, an emptor semper teneatur restituere alienam rem domino suo, vel an possit eam in secreto iterum restituere illi, à quo emit, furi v.g. & econtra ab illo petere restitutionem pretii, casu, quo ex circumstantiis prę videret, quod si furi rem furtivam iterum restituat, ipse quidem à fure pretium expensum sit accepturus, dominus verò rem suam non ampliùs sit acquisiturus, fure autem discessuro, aut certè restitutionem debitam neutiquam facturo Econtra verò cognoscat, quòd si domino restituat, nec ab hoc, nec à fure refusionem pretii expensi sperare possit; consequenter, magnum damnum necessariò incurrere debeat. 103

Navarrus in manuali *c 17 nu. 6.* Lessius *l. 2. cap. 14. dubitat. 3. num. 14.* Sylvester *vers. Restitutio, 3. quæst. 7.* Vasquez, Angelus. Alexander Alensis, & nonnulli alii volunt, in hoc casu licitum esse emptori, rem alienam restituere venditori, & ab eo pretium pro re 104

expen-

Q

contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur emptor, vel venditor, ille quidem, si pretium minus iusto pro merce solvit; hic vero, si rem pluris, ac valet, vendit; nisi ex parte illius, qui damnum patitur, liberalis adsit donatio, aut remissio. Ita communis, ac certa cum S. Augustino *lib.* 13. *de Trinit.* D. Thoma 2. 2. *q.* 77. *a.* 1. *ad* 1. Navarrus *in Manual. c.* 23. *n.* 84. Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 17. *L.* 33. *ff. ad Leg. Aquil. L.* 6. *ff. ad leg. Falcid.* iuncto *cap.* 1. *hoc t.* Ratio est; quia iuxta l. Jure naturæ 206. ff. de Reg. Jur. *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletiorem.* Unde & Paulus 1. ad Thesal. 4. præcipit, *ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, vindex enim est Dominus de his omnibus.* Accedit, quod ubi non adhibetur iustum rerum pretium, violetur iustitia commutativa, quæ in contractibus vult, servari æqualitatem.

121 Nec valent in contrarium, qui adesse videntur, textus Juris *l. In causæ* 16. §. 4. *de Minor.* ubi Pomponius ait, *in pretio Emptionis & Venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire*, & *l. Item si* 22. §. 3. *ff. Locati. In emendo & vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere; quod minoris sit, pluris vendere, & ita se invicem circumscribere.* In re mandata 12 C. Mandati, *suæ quisque rei moderator, & arbiter existit.* Neque commune illud Jurisperitorum dictum; *Res tanti valet, quanti vendi potest, arg. L.* 1. §. 16. *ff. ad S. C. Trebell.*

122 Nam ad primos duos ex *L.* 16 *ff. de Minor.* & *l.* 22 *ff. Locati* desumptos textus respondetur cum Less. *Lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. *n.* 13. Navar. *lib.* 2. *Var. res. c.* 3. *n.* 2. Reginald *lib.* 25. *nu.* 309. & aliis, eos intelligendos esse in hoc sensu, videlicet, licitum esse contrahentibus, in emptione, Venditione se invicem circumvenire intra limites iusti pretii; ita ut venditor rem summo pretio vendere, emptor verò infimo pretio emere possit; vel licitum, id est, permissum, seu toleratum est in foro externo contrahentibus se circumvenire, quatenus nempe non puniuntur circumvenientes, nec datur actio contra illos, nisi sit læsio ultra dimidium; prout respondet Molina *Disput.* 349. Castro Palao *de Just. Commutat. disp.* 5. *pun.* 17. *num.* 4. Lugo *disp.* 26 *num.* 82. & alii, quia verbum *licere*, pro permittere in Jure aliquoties sumitur, juxta *l. Non omne.* 144. *de reg. jur.* ibi: *Non omne, quod licet honestum est*: id est, non omne quod permissum est, honestum est. Eodem modo intelligendum est illud vulgare Juristarum: *Res tanti valet, quanti vendi potest*: Ad textum *L.* 12. *Mandati*, respondetur: *Suæ quisque rei moderator atque arbiter existit*, in tantum, in quantum eam vendere potest, vel retinere, uti suprà *num.* 29. iam diximus: non vero in tantum, ut eandem quovis excessivo pretio distrahere valeat.

123 Dicitur notanter in Conclusione: *In foro conscientiæ*; quia, uti iam dictum, & dicetur adhuc infra, in foro externo, licet; id est permittitur, & toleratur, rem quovis pretio emere, vendere, dummodo ex parte alterius non fiat læsio, vel deceptio ultra dimidium *arg. leg.* 2. *C. de Rescind. vend.* iuncto *c. cum dilecti* 3. *h. t.* ubi non nisi læsis ultra dimidium contra lædentes conceditur actio in foro externo.

124 Dicitur ulterius, *si notabilis excessus, vel defectus iusti pretii interveniat*; quia ubi modicus tantum excessus vel defectus iusti pretii adest, etiam in foro interno validus, & licitus, nullique restitutioni obnoxius erit contractus Emptionis, Venditionis: uti post Doctorem nostrum subtilem *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 2. rectè docet Layman *loc. cit. num.* 6. & communis aliorum. Ratio est; quia tunc communi consensu censentur contrahentes sibi invicem gratis donare, & remittere; cum durum valde, imò vix non impossibile sit, exactissimam in contractibus servare iustitiam, & æqualitatem. Hinc Layman *loc. cit.* tradit universalem, & à DD. communiter receptam regulam „ In dubio est æstimandum, „ quod contrahentes invicem sibi remittere, & condo-„ nare velint, si in contractu inæqualitas modica, & „ non admodum notabilis accedat.

125 Dicitur insuper: *Nisi ex parte illius, qui damnum patitur, liberalis adsit donatio aut remissio.* Hæc enim si adest, itidem in foro interno à peccato, & restitutionis onere immunem esse contractum Emptionis Venditionis, etiamsi gravis interveniat inæqualitas mercem inter & pretium, probabilissimè defendunt Molina *disp.* 351. Layman *loc. cit.* Ancharanus *in reg. peccatum, nu.* 21. Navarrus, Medina, & alii, *arg. l.* 2. *Cod. de rei vend.* dummodo, quod benè notandum, contrahentes, sciant iustum rerum valorem, neuter, necessitate urgente, cum altero contrahat, omnisque absit ignorantia, fraus, dolus, metus, violentia, nimius affectus, vel passio mentis; horum enim aliquo concurrente liberalis donatio præsumi prudenter non potest: benè verò si hæc absunt: uti citati advertunt Doctores, quos sequitur Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 37. dicens, hanc præsumptionem donationis, seu remissionis vix locum habere, nisi inter consanguineos, vel si quis alteri specialiter affectus, & bene facere solitus esset: cum donatio præsertim inter extraneos non præsumatur, nisi per evidentia probetur signa, & alia interpretatio actus haberi non possit, Menochius *de Arbitrar. Judic. cas.* 88. *num.* 1. & 2. Pirhing. *h. t. num.* 31. *arg. l. cum de indebito.* 25. §. *Si verò ff. de Probat.*

126 Porrò si excessus, vel defectus pretii est ultra dimidium, præsumptionem donationis in foro externo locum non habere, plurimi DD. acerrimè simul ac solidè defendunt apud Covarruviam *lib. var. res. c.* 4. Plura eaque selecta de præsumptione donationis etiam congerit Menochius *de Arbitr. Jud. cas.* 88. Verum de his infra *Tit. de Donat.*

127 Resp. II. Neque merces, seu res valdè raræ, uti sunt raræ gemmæ, pretiosæ picturæ, aves Indiæ, peregrina animalia, aut venationi, vel aucupio valdè apta, vel humanam artem, & solertiam imitari condocefacta, quovis excessivo pretio vendi possunt. Navarrus *in Manual. c.* 23. *n.* 78. Lessius *lib.* 2. *c.* 21. *n.* 16. Molina *disp.* 348. Castro Palao *loc. c. punct.* 3. *n.* 2. Lugo *disp.* 26. *n.* 47. cum communi, ac probabilior aliorum, contra Medinam *de rest. quæst.* 32. Petrum Navar. *l.* 3. *cap.* 2. *num.* 11. & alios. Probatur Conclusio per Jura & rationes suprà *num.* 121. allatas, utpote quæ non minus de rebus in conclusione positis, ac aliis procedunt. Præsertim cum nunquam liceat committere iniustitiam, quæ tamen committeretur, si excessivo seu iniusto pretio res aliqua quæcunque tandem venderetur.

128 Objicies cum Adversariis; merces in conclusione positæ non habent pretium taxatum, uti supponitur; neque naturale, seu vulgare, hoc ipso, quod ordinariè in contractum non veniant, indeque communem æstimationem, à qua pretium naturale desumitur, non recipiant: ergo quolibet pretio vendi possunt, saltem si emptor nulla necessitate, dolo vel fraude, sed sola speciali ductus affectione, vel delectatione pretium excessivum liberè ac scienter expendat; cum sic excessum donare censeatur. Resp negando, quod non habeant pretium naturale: licet enim à rudi, ac communi plebe similes res raræ communem æstimationem, ac pretium non recipiant: tamen illud recipiunt à prudentibus ac intelligentibus Lessius & Castro Palao citati.

129 Nec iustificat pretium, quod emens ex singulari affectione ad eam, pretium excessivum libere expendant; quia ob particularem affectionem vel utilitatem ementis rem pluris iusto vendere non licet, ut infra magis dicemus, cum *pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter, l. Pretia rerum, ff. ad leg. Falcid.* Neque censetur emens donare excessum, eò quod non intendat donare, sed emere; ipseque venditor pretium non ut donatum, sed ut debitum accipiat; nec aliqua sufficiens donationis præsumptio adsit; præsertim cum emptor libenter minoris emeret, si daret venditor, indeque ille cum isto de huiusmodi rerum pretio, diu tractare ac contendere soleat, teste experientia.

130 Illud tamen communiter concedunt DD. posse in præfatis mercibus pretium augeri ob expensas factas in his acquirendis, advehendis, conservandis, nutriendis &c. item si specialem delectationem non uni tantum vel alteri, sed communiter afferant, vel etiam licet communiter alicubi sed irrationabiliter magni æstimentur, *arg. cit. l. Pretia rerum*: Ob quam causam Palao *cit. num.* 4. post Covarruviam *lib.* 2. *Var. Resolut. cap.* 3. *num.* 4.

n. 4. Salas, & alios, benè docet, licitum esse Europæis, res vilissimas v. g. aviculas, cultellos, specula, vitra colorata, joculares minutias apud nos parum æstimatas magno & plurimum excessivo pretio vendere Indis, & Æthiopibus, eo quod hæ minutiæ apud hos barbaros communiter plus æstimentur, quam aurum & argentum iisque etiam communiter magis delectentur, & afficiantur, quam nescio quibus aliis rebus pretiosis, quo fit, quod pretia eorum jam *communiter fungantur*, juxta requisitum *l. Pretia rerum, ff. ad Leg. Falcid.*

131 Quæritur III. An, & qualis sit obligatio servandi pretium legitimum, seu taxatum? Resp. I. Omnis taxatio seu determinatio pretii iustè facta obligat non tantum in foro externo, sed etiam interno, ita ut juxta quantitatem excessus vel defectus peccet contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur tam venditor, si pluris taxato pretio vendat, quam emptor si minoris emat, vel extorqueat. Ita unanimis & certa; uti videre est apud Molinam *disp.* 364. *n.* 2. Navar. *in Manual. c.* 23. *nu.* 88. Castro Palao *de Just. comm. disp.* 5. *n.* 4. Sanchez *lib.* 1. *Consil. c.* 7. *dub.* 4. & *seq.* Lugo *dis.* 26. & alios, dicit namque Scriptura Proverb. 11. v. 1. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum: & pondus æquum voluntas ejus*; ac Levit. 19. v. 36. *Statera justa, & æqua sint pondera, justus modius æquusque sextarius.* Ratio est; quia lex à superiore legitimo iustè lata obligat etiam in conscientia; prout latè probavimus supra *Lib.* 1. *Tit. de constitutione*, §. 7. Et in materia iustitiæ violatæ restitutionem exigit per vulgaria Juris; ergo.

132 Resp. II. Pretium iustè taxatum observare tenentur non solum laici, sed etiam clerici, ac Religiosi. Castro Palao *loc. c. pun.* 5. *n.* 5. Azorius *T.* 1. *L.* 5. *c.* 12. *q.* 4. Medina *de rest. q.* 36. Gutierez *pract.* 99. *q.* 180. Ratio est; quia leges civiles iustæ, quæ absolutè feruntur, & SS. Canonibus, aut immunitati Ecclesiasticæ non adversantur, etiam Clericos obligant, *arg. c.* 1. & 2. *de Novi operis nuntiation.* atque amplius diximus *lib.* 2. *T.* 2. *de Const.* §. 14. *num.* 319. & 320. & in specie observatione pretii iustè taxati in Theol. Moral. *Tit.* 2. *dist.* 3. *n.* 15.

133 Hinc si leges huiusmodi transgreditur Clericus, peccat & ad restitutionem tenetur, æque ac laicus, potestque in foro externo puniri, non quidem à Judice laico; cum *Laicis super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, vel jurisdictio, c. Ecclesia S. Mariæ*, 10. *de const.* Sed à Judice Ecclesiastico, coram quo Clericus delinquens conveniri debet.

134 Resp. III. Etiam peregrini tenentur ad pretium iustè taxatum, nisi specialiter eximantur. Sanchez *lib.* 3. *de Matr. disp.* 18. *n.* 13. Medina *de rest. q.* 36. §. *dubitaret.* cum communi, & certa aliorum. Ratio est; quia *ratione contractus forum quis sortitur, cap. fin. de foro compet.* Pretium autem mercibus statutum, vel maxime pertinet ad contractus; ergo. Accedit quod ratione contractus forum sortiri, & legibus contractus astringi, à pari procedant juxta dicta in Theologia nostra Moral. *tract.* 2. *dist.* 3. *num.* 23.

135 Resp. IV. Si manifestè constat, pretium indebitè, irrationabiliter, ac iniustè taxatum esse, nemo in foro interno illud observare tenetur. Molina *disp.* 364. *n.* 3. Layman *l. c.* §. 1. *n.* 3 & 5. Lessius *lib.* 2. *c.* 12. *n.* 14 ad finem. Navarrus *c.* 23. *n.* 58. cum communi. Ratio est; quia lex iniustè ac irrationabiliter determinans pretium, est iniusta; lex autem iniusta nullam in foro conscientiæ obligationem parit, cum careat conditione ad legem necessariò requisita, *can.* 2. *dist.* 4. vi cuius Lex debet esse honesta, & iusta.

136 Infertur cum citatis & aliis DD. I. Quid si Principes, vel Magistratus, aut deputati ab eis ex odio, vel passione; aut muneribus corrupti, vel errore, vel ignorantia seducti, pretium rerum plus minusve iusto determinent, possint tam emptores, quam venditores taxam tuta conscientia transgredi. Idem dicendum, si pretium ab initio iustè positum, una ex recensitis causis, vel etiam ex negligentia non mutent, mutatis notabiliter circumstantiis, ex quibus mercium æstimatio pendet; his enim mutatis, si lex non mutatur, evadit iniusta, utpote per quam iniustè gravantur subditi.

137 Infertur II. Posse subditos ad evadendas pœnas transgredientibus taxam statutas, uti licita fraude: v. g. posse piscatorem, pistorem, hospitem, praxatorem, mercatorem &c. per pondus, ulnam, mensuram, aut alio consimili modo tantum sibi comparare, quantum iusto pretio deest: id, quod persæpè in confessionali concedendum est lamentantibus pœnitentibus, & in conscientia attestantibus, certum esse, quod stante taxa vel ipsimet grave damnum pati, vel certè homini honesto lucro, unico ipsorum sustentationis medio carere deberent; taxatoribus rem vel non intelligentibus, aut inconsideratè, vel omninò passionatè taxantibus, aut taxam mutatis circumstantiis, non mutantibus, vide Bonacinam *disp.* 3. *de restit. quæst.* 2 *pun.* 4. *num.* 7. item *pun.* 6. *num.* 17.

138 Infertur III. Quod venditores, quando alia via iustum pretium obtinere nequeunt, mercibus aliam rem, vel eandem specie, minus tamen bonam. v. g. optimo tritico mediocrem, generoso vino vel cerevisiæ debilem, vel etiam aquam, ceræ picem, stanno plumbum (idem dic de aliis materiis) immiscere; dummodo in medica quantitate, & ita fiat, ut nullum exinde detrimentum emptoribus sequatur, satisque adhuc merx sit idonea ad usum, vel finem, cuius gratia emitur. Layman *loc. cit.* §. 2. *n.* 15. Molina *disp.* 353 in fine. Lessius *cap.* 21. *dub.* 11. Bonacina *loc. cit.* Lugo, Sylvester & alii. Ratio ulterior est; cum quia per hoc nulli emptori fit iniuria, cum adhuc, uti supponitur, inter mercem & pretium servetur æqualitas, ac iustitia commutativa. Tum quia, uti statim infra dicetur, possunt leves huiusmodi defectus, quibus merx alias affecta est, in venditione abscondi, & tamen pro ea taxatum, aut vulgare pretium iustum accipi: ergo etiam eidem immisceri; saltem si alia via damnum ex iniusta taxa sibi imminens avertere, & pretium iustum obtinere venditor non valet.

139 Dicitur autem in conclusione *n.* 135. posita: *si manifestè constat*, pretium esse iniustè taxatum. Nam si dubitatur tantum, an taxatio pretii iusta sit, nec ne, præsumendum de iustitia legis, eique etiam foro interno standum esse, concedunt omnes, ut videre est apud Molinam *disp.* 364. *n.* 5. Bonacina *loc. c. n.* 7 eo quod universaliter in dubio præsumptio fiet pro superiore, *arg. can. Qui culpatur* 4 *caus.* 23. *q.* 1. & ibi Glossa V. *Sacrilego.* Ex quo ulterius

140 Infertur IV. Illos iuxta quantitatem deceptionis peccare & ad restitutionem teneri, qui stante iusta pretii taxatione, vel dubio eiusdem, modis supradictis &c. emptores decipiunt: uti constat ex iis, quæ diximus suprà *num.* 131.

§. VI.

De Causis & Circumstantiis, ob quas pretium augeri, vel minui, ipsæque res cariùs vendi, vel vilius emi possunt.

SUMMARIUM.

141 *Causa justa augendi pretium est damnum emergens.*

142 *Et lucrum cessans.*

143 *Dummodo ex venditione, & non aliunde sequantur. Specificatur exemplis. Ib.*

144 *Lucrum cessans, & damnum emergens deductis prius expensis computari debent.*

145 *Debet moneri emptor de augmento pretii ob lucrum cessans vel damnum emergens venditori.*

146 *Ob specialem affectionem, quam ad rem habet venditor, eam cariùs vendere potest, si certæ adsint conditiones.*

147 *Ob specialem affectionem emptoris ad mercem, vel utilitatem quam ex ea sperat rem carius vendere nequit venditor.*

148 *Raritas mercium, & multitudo emptorum augeat pretium.*

149 *Ob solam dilatam solutionem, licitum quidem est rem vendere rigoroso pretio.*

150 *Sed non excedente limites justi pretii.*
151 *Nisi adsit periculum perdendi vel ex toto, vel ex parte pretium.*
152 *Periculum damni subire, est pretio æstimabile.*
153 *Probatur efficaciter.*
154 *Fidejussor ratione periculi aliquid accipere potest.*
155 *Ob periculum damni licet augere pretium, etsi dein damnum non sequatur.*
156 *Ob periculum solutionis carius vendens, monere debet emptorem, si absque offensa, & suo damno potest.*
157 *Objectio adversariorum ex* c. Naviganti de Usur. *proponitur, & solvitur.*
158 *Alia solutio.*
159 *Si in obtinenda solutione prævidentur difficultates, labores, ac molestiæ, justè augetur pretium.*
160 *Pariter, si ex dilata solutione lucrum cessans, vel damnum emergens venditori obveniat.*
161 *Approbatur praxis Mercatorum ob dilatam solutionem carius vendentium: adjungitur etiam cautela.*
162 *Causæ minuendi pretium, vel viliori pretio emendi dantur, & sunt primo lucrum cessans, vel damnum emergens.*
163 *Secundo, copia mercium, & paucitas emptorum.*
164 *Tertiò, si magna copia mercium simul ematur.*
165 *Quartò, modus vendendi, ut si merces sub hasta, vel in foro scrutatorio venduntur.*
166 *Merces ultroneæ vilescunt, quomodo intelligendum? & num. 167.*
168 *Merces apud Mercatores plus valent, quam apud proxenetas: & quare?*
169 *Ob solam anticipatam solutionem, nulla alia minuendi pretium circumstantia existente, non est licitum, rem minus justo emere: Et n.170.*
171 *Solvitur objectio.*

141 QUæritur I. Quæ sint causæ, vel circumstantiæ, ob quas pretium rei taxatum, vel vulgare augere, eamque carius vendere licet? Resp. Eas plures. Potissimum verò sequentes esse. Prima est, damnum emergens, si nempe venditori ex eo, quod rem suam emptori vendat, damnum emergat, non secuturum, si eandem servaret. Unanimis & certa; signanter D. Thomas 2.2 *q.77.art.1.* Navarrus *c.23 n.84* Molina *disp.351.nu 2.* Lessius *lib 2.c.21. dub.4* Castro Palao *de Just. Commutat. disp.5.punct 12.n.3.* eoque teste omnes, *arg.can. Precariæ 4.§.3.cau.10 q.2.* juncta *l.Hoc Jure 19.§ 1.ff.de donat.* Ratio est, quia damnum emergens est pretio æstimabile; & æquitas non patitur, ut quis ex contractu damnum in gratiam alterius invitus patiatur; consequenter si cui ex eo, quod in gratiam alterius rem suam vendat, damnum emergat, eius recompensationem justè prætendere potest, augendo juxta proportionem damni, pretium rei venditæ.

142 II. Causa seu circumstantia est lucrum cessans. Ita citati DD. cum communi aliorum, *arg. cit. can. 4. §. 3. cau. 20. quæst. 2. cum ratio, & usus obtineat, neminem cui non vult contra utilitatem & rationem cogi, de proprio facere beneficium.* Concordant *cap. fin. de Usur. L. 2. §. fin. L. 4. ff. eo, quod certo loco* juncta *L. 21. §. 3. ff. de Action. empt.* Ratio est; quia cum talis venditor non tantum mercem, sed etiam lucrum, quo pretio æstimabile est, vendat, pro illo æquè, ac pro merce proportionatum potest exigere pretium, ne invitus beneficium in contractu præstare cogatur contra *cit. can. 4.*

143 Verum ut ob hanc & priorem causam, lucrum nempe cessans, & damnum emergens, ritè augeatur pretium, aliquæ requiruntur conditiones. Quarum prima est, ut damnum sequatur, vel lucrum cesset ratione ipsius venditionis, & non aliunde, vel per accidens. Sic v.g. si equum vendo, quod retento proponebam insequentes jamjam, damnum, mihi illaturos prædones declinare, licet mihi pro quantitate damni, pretium equi augere. Non vero si periculi ignarus cum equo alias domi manens à prædonibus deprehensus damnum pateret: eo quod simile damnum non ex venditione equi, sed per accidens emergat. Pariter licitè quis pluris vendit triticum, pannum, vinum, vel alias res si prudenter prævidet, quod post aliquod temporis spatium, quousque aliquid vendere non cogitaverat; mercium naturale vel taxatum pretium majus sit futurum: secus verò, si horum nihil prævidens, merces alias vendidisset; textu claro c. fin. de Usur. ibi: *Excusatur etiam, qui pannos, granum, vinum, oleum vel alias merces vendit, ut amplius, quam valeant, in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen à tempore contractus non fuerat venditurus.* Concordat *c. 6. cod.* juncta *l. 21. §. 3. ff. de Action. empti*: Idem est, si res alias vendit, quibus retentis negotiari, vel alias lucrari potuisset.

144 Secunda conditio est, ut augmentum pretii non in tantum, quantum damnum emergens, vel lucrum cessans efficit, sed deductis fiat expensis, & laboribus, quos in evitando damno, vel lucro acquirendo venditor facere debuisset. Sic v.g. certa tritici mensura nunc juxta justum pretium vulgare, vel taxatum 20. constans florenis, non potest vendi 30. florenis ex eo, quod hoc pretium ejusdem mensuræ futurum sit sequenti, ad quem alias reservare intenderat, anno; sed debet priùs deducere expensas, quas pro purgando & cribrando, ne inficiatur, retento tritico, fecisset. Communis & certa. Ratio patet; quia universaliter tam damnum emergens, quam lucrum cessans non nisi deductis expensis computantur.

145 Tertia conditio est, ut prius moneatur emptor, quod videlicet ex venditione hac venditor damnum emergens, vel lucrum cessans patiatur, indeque pluris vendat, quam pretium naturale vel legitimum efficit. Ita Valentia *2.2.disp.5.q.20 punct 2. Concl. 3.§.Tertia* Salas *T. de Empt.dub.30 n.2.* Friderich *h.t.n.317* & communis aliorum. Ratio est; quia alias deciperetur emptor, qui ignorans rerum pretium, justo pretio secum contrahi putat, indeque emit, non empturus, si sciret, pretium ob venditoris lucrum cessans, vel damnum emergens augeri, eo quod forsan facile alium inveniret, qui currente justo pretio vendere paratus foret, utpote nullum ex venditione damnum emergens, vel lucrum cessans passurus.

146 III. Causa licitè augendi pretium, cariusque vendendi est specialis ad rem affectus venditoris, causans eidem honestam oblectationem &c Molina *disp.35.n 3* Lessius *lib 2 c.21.n.26.* Navarrus *lib.3.c 2.n.23* Palao *de Just.com. disp.5.pun 12.n.3.* & communis aliorum: Ratio est: quia cum talis affectus honestam causet mentis distractionem, oblectationem, aut bilaritatem, per quam non rarò vires restaurantur, sanitas recuperatur, vel conservatur, omnino æstimabilis est, consequenter in pactum deduci potest: Dummodo, quod DD. communiter requirunt, Affectus hujusmodi I. non sit levis, vel communis, sed magnus; & II. desuper moneatur emptor ob rationem *n. præc.* dictam; ac III. Venditor non æque sit affectionatus ad rigorosum, seu summum rei pretium; alias enim affectus affectu compensaretur. Quæ conditiones quia rarò concurrunt, rarò quoque pluris justo pretio rigoroso merx vendi potest ob venditoris affectum; prout bene observat Molina *disp.351.n.3* ubi ad finem ob plurium circumstantiarum periculum consulit, ne facile augeatur pretium propter affectionem. Cæterum augmentum pretii hujusmodi justè facti, vocare solent pretium affectionis.

147 Notandum hic etiam specialiter cum communi DD. quod allegatæ hactenus tres causæ augendi non procedant, si non in venditore, sed in emptore reperiantur, hoc est, venditor pluris vendere rem ex eo non potest, quod videat, emptorem speciali erga illam affectu affici, vel magnum inde reportaturum lucrum, aut necesse habere, ita ut nisi emat, notabile incurrat detrimentum. Ratio est; tum quia juxta D. Thomam 2. 2 q.77. a.1. communiter receptum, *nemo suam commoditatem emere cogitur*: tum quia venditor non potest vendere id, quod non est suum: commoditas autem illa, utilitas, affectus, vel necessitas, quam respectu rei solus habet emptor, non est venditoris; ergo. Ex quo colligitur, injustissimam ac restitutioni obnoxiam esse praxim plurimorum, qui videntes, quod res ipso rum necessariæ, vel admodum utiles sint cuidam tertio, ex hoc solo capite, pretium notabiliter augent, mendaciter simulando, quasi vero rem omnino illibenter venderent, vel ex venditione damnum emergens proprium aut lucrum cessans haberent. D. Thomas *l.c.* Layman *l.c.§.1.n.10.* Lessius *c.21.* Friderich *de Empt. & Vend. n. 337.*

148 IV. Causa licite augendi pretium est penuria seu raritas mercium, ac multitudo emptorum. Communissima apud Layman *l.c.* Castro Palao *de Just. commut. disp. 12. pun.12.n.1.* Lessium *c.21.dub.4.n.30.arg. can. Legimus, 24. dist 93.* ibi: *Omne quod rarum est, plus appetitur, ac pretiosius est.* Ratio est; quia quod rarius est, difficilius haberi potest, quod autem difficilius, minorique in copia invenitur, existentibus multis emptoribus, communiter pluris æstimatur, quæ communis æstimatio pretium justificat, *arg.l.Pretia rerum, ff.ad Leg. Falcid.* Hinc fit quod nonnunquam pretia rerum repente notabiliter crescant, superveniente nempe subito multitudine emptorum, quibus abeuntibus eadem pretia illicò iterum ad antiquum statum redeunt; prout contingit in adventu exercitus, item tempore comitiorum, &c.

149 Quæritur II. An dilatio solutionis sit sufficiens causa carius vendendi? sive an ex eo, quod quis creditò vendat, pretium licitè augere possit? Ante responsionem, ut certum supponendum est, ex eo, quod emptor non statim solvat, licitum esse venditori merces vendere pretio justo summo rigoroso, quas alias solet infimo vel medio vendere, ita enim teste Azorio *lib.8.c.8.§. In primis constat*, sentiunt omnes TT. & Jurisperiti, juxta dicta supra *nu. 119.* Unde tantum difficultas est de augmento limites justi pretii excedente. Ad quam

150 Resp. I. Illicitum est, rem pluris justo vendere, ex hac sola causa, quod emptor non statim vendat, seu quod solutio differatur, & venditio credito fiat. Ita unanimis omnium DD. teste Azorio *loc cit. § vis agitur*: textu claro *c.consuluit.10.de usuris*, ubi ad interrogationem, „an negotiator consimili pœna (Usuræ) debeat condemnari „qui merces suas longe majori pretio distrabit si ad solutionem faciendam prolixiori temporis dilatio prorogetur, quam si incontinenti pretium persolvatur? Respondetur, hujusmodi homines judicandi sunt male agere „&c & ad restituenda accepta in animarum judicio efficaciter inducendi. Et meritò, quia si quis rem decem florenis constantem vendit quindecim ex hoc solo, quia decem floreni non statim solvuntur, idem facit, ac si decem florenos mutuos daret, ut post aliquod tempus quindecim accipiat, uti consideranti patet; atqui posterius continet usuram: ergo prius. Dicitur autem notanter, *ex hac sola causa.* Nam

151 Resp. II. Si ob dilatam solutionem venditor prudenter timet periculum ipsius pretii justi vel ex toto, vel ex parte perdendi, potest juxta arbitrium viri prudentis rem pluris vendere juxta proportionem periculi. Medina *de rest.q.38.cas.3 & 4.* Lessius *c.21.dub.6.nu.54.* Castro Palao *de just.commut.disp.5.pun.12.n.6* Molina *disp.356.* Valentia, Saa, cum communi & probabiliori aliorum, quibus etiam favet D. Thomas *2.2. q.77.art.4.ad 2.* contra plures gravissimos DD. ut Lopez, Bannez, Concord. Rebell. & alios. Probatur Conclusio efficaciter ex *c. in civitate 6. de Usur.* ubi postquam Pontifex reos peccati pronuntiavit illos, qui ob dilatam solutionem pretium augent, excipiendo subjungit: *nisi dubium sit, merces illas, plus tempore quo pretium debent recipere, valituras.* Ex quo sic formatur argumentum: vi cujus capituli licitum est credito rem pluris vendere ex eo præcisè, quia venditor subit periculum perdendi lucrum, seu pretii incrementum, quod justè accipere sperat, si rem suam ad tempus aliquod servaret, alia enim causa augendi pretium ibi non adest, ut consideranti patet: ergo à fortiori licitum erit venditori, rem cariùs vendere si vendendo subsit periculum, non tantum pretii incrementum, sed & ipsum pretium ex toto, vel saltem notabili ex parte perdendi, prout res se habet in conclusione.

152 Ratio autem Conclusionis quamvis multiplex à DD. afferatur, potissima tamen hæc est; quia exponere se periculo gravis damni, est omnium judicio pretio æstimabile, *arg.l.5 ff.de Nautico fen.* ibi: *Periculi pretium est*: ergo pro eo aliquid exigi potest, consequenter si venditor ob dictam solutionem revera se exponit periculo gravis damni, perdendi nempe pretium ex toto, vel ex parte, licitè poterit ratione hujus aliquid exigere.

153 Confirmatur eadem ratio. Vendere rem credito, absque periculo perdendi pretii, & eam vendere cum periculo, multum discrepant; quia in hoc non item in illo venditor odiosa molestatur cura, sollicitudine, ac timore, & labore, ne pretium perdat; ergo si potest in priori venditione totum justum pretium etiam rigorosum petere, poterit in posteriori ob annexam novam circumstantiam vel causam pretio æstimabilem aliquid ultra petere. Cum venditor non teneatur in gratiam emptoris absque ullo emolumento tantam subire molestiam. Ob quam causam ipsimet adversarii fatentur, posse nomina seu chirographa minus emi, si in eis, licet cæteroquin liquidis, obtinendis periculum sit; juxta dicta suprà *n.61.*

154 Confirmatur ulterius, quando in casu periculosæ solutionis ab emptore constituitur Fidejussor ad hoc, ut solvat venditorem, casu quo ipse debitor principalis solvere vel nollet, vel non posset, licitum est tali fidejussori, ratione solius periculi, quod subit, aliquid prætendere & accipere, juxta communem DD. etiam ipsorum adversariorum, ut videre est apud Molinam *disp.319.n.1.* Navarrum aliàs conclusioni summum adversarium *in Manual.c. 17.n.185.* Covarruviam *p.3.var.res.c.2.n.6.arg. Hoc jure §. 1.ff.de don.* ergo ratione ejusdem periculi etiam ipse venditor aliquid prætendere & accipere potest, cogitando vel dicendo: vendam credito absque fidejussore, ut id, quod hic ratione periculi caperet, ego accipere valeam: cum non sit major ratio de uno, quam de altero.

155 Notandum tamen cum communi DD. ad hoc, ut venditor ratione periculi aliquid ultra rigorosum pretium licitè petere possit, periculum debere esse verum & non fictum, nec ex vana apprehensione, aut persuasione alicujus meticulosi, aut avari ubique periculum timentis, & nulli fidentis conceptum. Quamvis non requiratur, ut damnum postea reipsa eveniat, eo quod non tantum propter ipsum damnum revera futurum, sed etiam propter verum ejusdem periculum, & consequentes inde molestias augmentum pretii licitè fieri possit; etsi dein per accidens damnum non sequatur, *arg.c.c.In civitate 6.de usuris*, vi cujus ob solum *dubium*, seu periculum perdendi lucrum, carius vendere licet, etiamsi posteà effectus dubii vel periculi non sequatur.

156 Volunt insuper DD. ut Lessius *l.c. nu.55.* Molina *disp. 356.* & alii, debere emptorem à venditore moneri, quod ratione periculi rem carius vendat. Verum hoc rectè limitat Gibalin. in casu, quo hæc monitio fieri nequit absque offensa emptoris; prout ordinariè fit in minoribus & quotidianis commerciis & emptionibus apud mercatores. Et certè, quis vellet obligare mercatores, ut, dum ob verum periculum, pretium justè augent, semper moneant emptorem, eique dicant v.g. rem hanc credito tibi vendo, sed pluris ideò, quia periculum est, an sis solvendo, vel an non interea tua dilapides, vel an sis soluturus &c. planè enim hac monitione plerumque vel graviter offenderet emptores, vel etiam ipsum periculum augeret, emptoribus id pro accepto habentibus. Aliud est de venditionibus majoris momenti, v.g. agrorum, prædiorum &c. ubi sine offensa emptoris facilè fidejussorem petere potest hoc ipso, quod in hujusmodi venditionibus, si credito fiant, ad evitanda communia pericula ordinariè fidejussor, vel pignus peti, darique soleat: quod si non petat, causam indicare sanè debet, cur rem suam pluris vendat, ob rationem supra *nu. 145.* datam.

157 Objectio adversariorum contra conclusionem nostram est textus *c. Naviganti ult. de usur.* ubi apertè reprobata videtur doctrina nostra his verbis: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eò quod suscepit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem usurarius est censendus. Ille quoque, qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus, minusve tempore solutionis sint valituræ, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari.* Ob hunc textum Lopez nostram conclusionem periculosam censet in fide, sed immeritò. Nam respondetur cum Gonzalez *in c. c. Naviganti de Usur. num. 8.* Navarro *in Manual c.17. n.8 §.4.* Sylvestro, Cajetano, & communi aliorum, priorem partem textus intelligendam esse de casu, quo quis ad palliandam usuram dat mutuas pecunias, earumque periculum, quod alias ad mu-

mutuatarium, tanquam dominum pertinet, in se suscepit hoc fine, ut possit aliquid supra sortem accipere; qui modus ab usura minimè excusat, ut post Alexandrum *ll. 4. Concl. 121.* Albericum *in l. Jubemus C. de Sacr. Eccl.* Decium & alios benè docet Gonzalez *in c. c. Naviganti nu. 8.* Non item in casu, quo quis juxta naturam contractus, periculum pecuniæ mutuatæ, vel rei venditæ relinquens mutuatario, vel emptori, aliquid prætendit ob periculum non obtinendæ solutionis.

158 Vel dic cum Laymano *lib. 3. tr. 4. ca. 16. nu. 13.* Palao *de just. Commut. disp. 4 punc. 18.* Fach. *lib. 2. Contr ca. 48.* Gibal. *lib. 2. c. 4. ar. 3.* Barnatio, Narbona, & aliis, in præfata priori parte textus, errore transcribentium omissam esse particulam *non*, adeoque pro *usurarius est censendum*, legendum esse, *usurarius non est censendus*: quæ interpretatio quamvis omnes codices erroris arguat; cum nullibi particula *non* reperiatur, tamen fundamento non caret: tum quia sic facilè concordatur *c. Naviganti* cum *c. In civitate de usur.* Tum quia idem ex sequenti parte textus aperte colligi videtur, dum statim subjungitur: *Ille quoque &c. non debet usurarius reputari*. Siquidem dictio *quoque* est implicativa prioris casus, *arg. l. 1. §. In amittendo ff. de Acquir. posses. & l. qui legatorum §. Filium quoque ff. pro Hærede*. Tum quia verisimile non est, quod Pontifex tam inconvenientem fecerit constructionem, duobus casibus, an usuram contineant, propositis, ita respondendo. *Primus casus usuram continet: secundus quoque non continet usuram*: ly *quoque* enim omnino requirit, ut vel in primo particula *non* addatur, vel etiam in secundo dematur, ita ut utraque vel affirmativa sit, vel negativa, aliàs enim, ut consideranti patet, regularis non habetur constructio. Sunt adhuc aliæ responsiones DD. ad dictum textum, quas videre licet apud Gonzalez *in cit. c. Naviganti*.

159 Resp. III. Si quis credito rem vendens, prudenter prævidet, quod solutionem quidem sit obtenturus, sed non nisi cum magna difficultate, molestia, labore &c potest ultra rigorosum pretium, aliquid juxta arbitrium prudentis viri accipere. Ita DD. pro priori Conclusione *n. 151.* citati. Imo teste Castro Palao *loc. c. n. 6.* DD. fere omnes. Et ratio est; quia propter alium molestias devorare, labore, & difficultate fatigari, est omnium judicio pretio æstimabile; ergo ob hanc causam aliquid exigi juste potest, *arg. l. si in emptione 34. ff. de Contrah Emp.* Id quod in mercatoribus contingere non rarò videmus, qui dum pro debita mercede venditarum credito mercium, aliquoties currunt, magnaque cum molestia instant, sæpe non nisi mala verba, imo nonnunquam & verbera, vel minas loco mercedis reportant; donec tandem hujusmodi odiosis debitoribus solvere, benè commodum fuerit.

160 Resp. IV. Si ob dilatam solutionem venditor lucrum cessans vel damnum emergens patiatur, non passurus, si justum pretium statim fuisset solutum, licite potest juxta proportionem lucri, vel damni pretium augere. Ita DD. suprà *n. 141.* citati. Probaturque conclusio fundamentis Juris, & rationum ibidem allegatis, quia utrobique pariter militant: cum non apparet ratio, cur quis ob lucrum cessans, vel damnum emergens possit augere pretium, dum vendit pro præsenti & enumerata pecunia, & non, dum vendit creditò. Notandum tamen quod sicut citata, ita, & hæc conclusio non nisi cum conditionibus ibidem appositis sit intelligenda. Cæterum ex dictis

161 Colligitur, vix damnari posse illa mercatorum praxin qua merces suas creditò pluris, quam pro numerata pecunia vendunt, eo quod teste experientia plerumque & ordinariè loquendo, adsit vel periculum perdendi pretii, vel in eo obtinendo prævideatur lucrum cessans, aut damnum emergens, hoc ipso, quod mercatores cum præsenti pecunia continuò negotientur, & lucrum faciant &c. Observent tamen mercatores, necesse est: ne indistinctè apud quoscunque creditò ementes, pretium æqualiter augeant, sed juxta proportionem periculi, aut molestiarum, quas in quovis prudenter prævident: uti communiter notant DD. & meritò, alias enim multi injustè gravarentur, cum in aliquibus vel nullum, in aliis modicum, & in quibusdam majus periculum, aut molestiæ prudenter sint timendæ.

162 Causis diminuendi pretium annumeratur etiam pactum redimendi. Rota *dec 344 p. 4 tom. 2. recent.* & in una Romana prætensæ simulationis contractus, 16. Junii 1653. & apud Bichium *dec. 648. n. 24.*

Quæritur III. Ob quas causas, vel circumstantias pretium rerum venalium minuere, easque minus pretio infimo emere liceat? Resp. Sicut augendi, ita etiam minuendi pretium, plures dantur causæ, potissimum verò sequentes. I. Causa est lucrum cessans, vel damnum emergens emptoris: ut si quis v. g. agrum, domum, equum, gemmam &c. vel quid aliud sibi minus utile, in gratiam venditoris emit pecunia numerata, qua alias negotiari & lucrari, vel quid aliud sibi magis utile ac proficuum emere potuisset, & reverà fecisset: vel si in re, quam emit, procuranda, vel conservanda debet expensas facere, potest juxta proportionem lucri cessantis, vel damni emergentis pretium minuere. Ita communis DD. præsertim illi, quos *n. 141. & 142.* citavimus, ob fundamenta Juris & rationis ibidem allegata. 163

II. Causa est copia mercium, & emptorum paucitas. 164 Communissima, imò teste Navarro *Manual. c. 23 nu 78.* omnes. Ratio est; quia quando adest abundantia mercium, & deficiunt emptores, hoc ipso jam merces vilescunt, & communiter minus æstimantur: ubi autem communis æstimatio minuitur, ipsum etiam minuitur pretium, *arg. l. pretia rerum ff. ad leg. Falcid.* ut proin rectè dixerit Tertul. *lib. 1. de Habitu mulier. Semper abundantia in se ipsa contumeliosa est*: & Poeta: *Inopem me copia fecit*. Inde etiam fit, quod in fine nundinarum dilapsis jam emptoribus, merces in copia adhuc existentes minoris emantur.

III. Causa est, si magna mercium copia simul emantur 165 Layman *lib. 3. tr. 4. c. 17. n. 10.* Lessius *lib. 2. c. 21. dub 4. n. fin.* Friderich *n. 341.* cum communi aliorum. Ratio est; quia communi consensu receptum habetur inter venditores & emptores, quod minùs pretium detur & accipiatur, si merces simul & semel in magna copia, quam si singillatim ac successivè emantur. Nec immeritò; quia venditori aliunde fit aliqua recompensatio, dum tali simultanea copiosæ mercis emptione exoneratur multis curis, molestiis, & laboribus, quos aliàs in conservandis, vel singillatim vendendis mercibus sustinere debuisset: simulque habilior redditur ad comparandas alias recentes, & novas merces, quibus novum lucrum facere licet.

Huc communiter reducunt DD. etiam illum modum 166 quo emptor rogatus à venditore, emit, eo quod juxta tritum illud, *merces ultroneæ vilescant*. Ob quam causam teste Navarro *loc. cit.* communiter recepto, fit, quod idem pannus, vel idem liber &c. plus valeat in taberna mercatoris, quam in manu proxenetæ quærentis emptorem & longè minoris valeant spolia, quæ victor exercitus vendit statim à direptis hostium castris quam alia ejusdem generis, quæ etiam à proxenetis deferuntur vendenda, bello jam finito.

Verum hæc doctrina cum grano salis, certaque cum 167 limitatione est intelligenda; cum non absolute ac universaliter, sed tunc tantum verificetur, quando merces ultroneæ simul habent admixtam aliam qualitatem vel circumstantiam, vi cujus vilescunt: ut si v. g. adest abundantia mercium, aut paucitas emptorum; vel si merx emptori nullatenus, vel parum sit utilis, vel etiam onerosa, aut damnosa, & nihilominus eam in gratiam venditoris emat. Secus vero, si harum circumstantiarum nulla existat. Sicut enim ex hoc præcisè, quod emptor ob privatam suam utilitatem vel necessitatem roget venditorem, ut rem aliquam eidem vendat, non potest eam pluris vendere venditor, prout cum D. Thoma *2. 2. q. 77. ar. 1.* Soto *in 4. dist. 15. n. 2.* Navarro *Manual. cap 23. n. 78. & 83.* Lessio, Laymano, ac communi aliorum, suprà *n. 147.* jam diximus; ita etiam ex solo hoc capite, quod quis in necessitate forsan constitutus, rem suam vendendam alteri ultroneè offert, eumque, ut emat, rogat, minoris emi nequit. Lugo *disp. 26 n. 91.* Lessius *c. 21. num. 31.* Molina *Disp. 5. in princ.* & alii. Alias certo etiam rem sibi summe utilem minoris emere quis posset ab eo, qui paupertate pressus eam vendendam ultro offert, & ut ematur, rogat. Imo de facto vi hujus tituli fermè apud omnes mercatores res minoris emi possent; cum singuli merces suas vendendas offerant, & exponant, passimque prætereuntes, ut emant, invitent, & rogent. Invaluit autem tritum illud, *merces ultroneæ vilescunt*, exinde, quod ordinariè una ex recensitis circumstantiis pretium minuentibus, sit conjuncta.

168 Illud tamen, quod Navarrus cum communi docet, negandum non est, merces, quæ à proxenetis, vel aliis vendendæ circumferuntur, minoris valere, quam in officina publica, non ideo, quia ultroneæ offeruntur, sed quia Mercatoribus, ex quibusvis mercibus honestum lucrum, utpote unicum ipsorum sustentationis remedium conceditur, ob labores & curas, quas vi officii sui in conquirendis & conservandis pro bono communi mercibus jugiter habent, prout cum Lugo *disp. 26. n. 88.* Lessio, & Medina communiter tradunt DD. ipsaque probat consuetudo ubique recepta, vi cujus Mercatores, & alii vi officii vendentes, ordinariè merces pluris vendunt, quàm alii.

169 Quæritur IV. An liceat minoris emere ob anticipatam solutionem? Resp. I. Si ob anticipatam solutionem emptor patiatur lucrum cessans, vel damnum emergens, aut incurrat periculum, ne dolo justæ mercis, suo tempore tradantur defectuosæ, vel alias fraus eidem aut dolus inferatur, potest rem minoris emere. Certa & unanimis per ea, quæ suprà *num. 149. & seqq.* de dilata solutione diximus.

170 Resp. II. Si nulla ex recensitis aut similibus circumstantiis, rerum pretium minuentibus adsit, illicitum ac injustum est, ex solo anticipatæ solutionis titulo rem minoris emere. Ita teste Friderich. *h. t. n. 356.* omnes DD. ob fundamenta, quibus supra *n. 149.* probavimus, injustum esse, ob dilatam solutionem rem pluris vendere: Quia ob paritatem rationis in utroque implicita continetur usura, *arg. c. consuluit. 10 de Usur.*

171 Nec dicas, hoc esse contra receptam praxim plurium Provinciarum, ut Belgii, ubi teste Castro Palao *loc. cit. punc. 13.* lanæ anticipata solutione plerumque minoris emuntur, ac est currens pretium: item aliarum Provinciarum, ubi fructus agrorum, pratorum, vinearum &c. ordinariè minoris emuntur, si solutio anticipatur. Respondetur enim, hoc fieri non præcisè ob anticipatam solutionem, sed quia ordinariè concurrit una ex circumstantiis pretium minuentibus sæpè jam adductis.

§. VII.

De Venditione rerum vitio laborantium; ubi etiam de dolis, & fraudibus, quæ in Emptione Venditione committuntur.

S U M M A R I U M.

172 *Vitia seu defectus mercium quatruplicia, in substantia nempe, quantitate, qualitate, & mixtura.*

173 *Quando emptor de certo vitio interrogat, tenetur illud manifestare venditori, nisi cognoscat, emptorem nihilominus eodem empturum pretio.*

174 *Vitium, vel defectus manifestè petens, necessariò non est indicandus.*

175 *Nisi forsan venditor cognosceret, vitium patens ab emptore ex ignorantia, vel negligentia non observari.*

176 *Vitium, seu defectus circa substantiam ordinariè manifestari debet.*

177 *Ponitur limitatio.*

178 *Vitia circa qualitatem, causantia emptori, vel tertio damnum, vel reddentia merces inutiles ad finem ementis, manifestare tenetur venditor. Et n. 179.*

180 *Secùs est, si merces vitiis qualitatis affectæ, sint æquè, aut fermè æque utiles ad usum & intentum ementis.*

181 *Vitium in quantitate quoque manifestare debet venditor.*

182 *Nisi pretium legitimum, vel vulgare esset injustum.*

183 *Proponitur & solvitur objectio circa deceptionem in pondere & mensura.*

184 *Monitio Molinæ ad Confessarios.*

185 *De mixtura mercium. Remissivè.*

186 *Si venditor dolose occultando vitium mercis, causat damnum emptori, vel tertio, tenetur ad recompensationem.*

187 *Qui bona fide rem vendit, ignorans illam laborare vitio, non tenetur damna inde secuta resarcire,*

benè tamen restituere id quanto minoris res empta fuisset.

188 *Nisi tempore contractus bona fide celebrati, per expressam conditionem ab omni periculo, & onere restituendi se exemisset.*

189 *Hæc tamen conditionis appositio non juvat dolosè abscondentem rei vitium.*

190 *Emptor quoque ad restitutionem tenetur, si ab ignorante venditore rem bonam pro mala, argentum pro stanno &c. emit.*

191 *Etiamsi prius moneat venditorem, ut rem benè consideret; vel condonationem defectus pretii, si quis esset, ab ignorante obtineat.*

192 *Ponitur limitatio præcedentis doctrinæ.*

193 *Merces in una Religione vilissimæ, in alia summo pretio licitè vendi possunt, si ibi communiter magni æstimantur.*

194 *Qui occultè scit in agro, vel alio fundo latere thesaurum, venas metalli &c. potest illum currente pretio emere, nec tenetur venditorem monere de thesauro, vel propterea pretium augere.*

195 *Qui scit brevi minuendum vel augendum pretium, illicitè vendit & emit currente pretio, juxta aliquos.*

196 *Fundamentum eorum.*

197 *Eligitur sententia contraria.*

198 *Probatur.*

199 *Confirmatur.*

200 *Respondetur ad fundamentum adversariorum.*

201 *An non saltem contra charitatem peccet, controvertunt DD.*

202 *Ponitur sententia negativa.*

203 *Quæ tamen limitatur in casu, quo cum magno emptoris detrimento vendit magnam quantitatem, quam alias non vendidisset venditori.*

204 *Si venditor causa efficax non est, potest etiam magnam quantitatem vendere.*

205 *Qui vendidisset magnam quantitatem, etsi notitiam non habuisset, non tenetur post notitiam habitam à venditione abstinere.*

206 *Nisi forsan in extremam necessitatem deveniret emptor.*

207 *Non potest quis vendere alicui damnum passuro, si habere potest emptorem, qui absque damno emit.*

208 *Qui scit valorem certæ monetæ minuendum, potest eandem expendere in ea quantitate, in quo alias expendisset.*

209 *Non autem potest ob hanc notitiam studio omnem talem monetam segregare & expendere in quantitate, in qua alias non expedisset.*

210 *Sciens, discessuram aulam principis, potest domum locare pretio quo aliàs locasset.*

211 *Pariter vendere potest sua, qui scit ea, ob futuram obsidionem brevi peritura, si alias vendidisset, secùs illicitè ageret.*

Quæritur I. An, & quales teneatur venditor detegere defectus vel vitia mercis? Notandum priùs, quadruplicem dari posse in rebus defectum, vel vitium. Primo in substantia; ut si vendatur vitrum pro gemma, auricalcum pro auro &c. Secundo in quantitate, puta in mensura, numero, pondere &c. Tertiò in qualitate, ut quando datur ovis morbosa pro sana, pannum adustum, tigna vitiosa &c. Huc pro quarto reducunt merces aliena materia adulteratas, vel deterioratas, ut vinum aqua mixtum, frumentum paleis, aliisque seminibus involutum, ceram pice permixtam &c. Inter quæ vitia, alia manifestè patent alia latent, vel utrumque, vel saltem emptorem. His prænotatis 172

Resp. I. Si emptor de quibusdam vitiis expresse interrogat, tenetur illa manifestare venditor. Molina *loc. c. n. 26* Lugo *disp. 26. nu. 133.* Conclusionem nostram ponens pro regula universali. Ratio est; tum quia si venditor expresse interrogatus, fraudulenter negat, vel dolosa æquivocatione celat vitium, censetur dolus dare causam contractui. Hujusmodi autem contractus illicitus ac invalidus, vel saltem ut iniquus invalidandus, *arg. c. 15 & 16. de rescr.* vi quorum Fraus, & dolus nulli patrocinari debent. Advertunt nihilominus citati DD. quod, si venditor verisimiliter judicet, emptorem etiam manifestato 173

vitio rem vitiosam eodem pretio empturum, consequenter dolum non esse causam contractus, negando vitium, non nisi veniali mendacio peccet, contractu de reliquo, & valido & licito remanente.

174 Resp. II. Si vitium aliquod, vel defectus quicunque tandem manifeste cuivis patet, regulariter loquendo non tenetur illum manifestare venditor, vel desuper monere emptorem D. Thomas 2. 2. q. 77. art. 3. ad 1. Molina disp. 353. n. 17. Navarrus in Manual. c. 27. n. 29. Castro Palao loc. cit. pun. 22. n. 6. Layman loc. cit. §. 2. n. 14. & communis aliorum: textu expresso l. Ea q. 43. ff. de Contrab. Empt. & L. 1. ff. de ædilit. edict. Ratio est; quia ubi res ipsa loquitur, non est opus voce venditoris.

175 Dicitur notanter, *regulariter loquendo*, quia limitatur conclusio in casu, quo ex circumstantiis venditor benè advertit, emptorem tam rudem, ac imperitum esse, ut vitium per se patens non agnoscat: uti communissime advertunt DD. signanter Molina loc. cit. Palao loc. cit. nu. 7. Layman loc. cit. Petrus Navarrus de rest. c. 2. dub. 7. nu. 54. Ratio est; quia respectu talis, vitium revera censetur occultum. Idem dicendum, si emptore ex negligentia, vel inadvertentia vitium non observare dignoscitur, uti contra Friderich. n. 525. Toletum, Vega, Salas, & alios rectè docet Abbas in c. Injustum de rerum permut. n. 4. Sylvester V. emptio n. 20. Medina de rest. q. 34. Castro Palao loc. cit. & alii. Rationem assignat Abbas; quia quamvis in hoc sit aliqua culpa penes emptorem, nihilominus venditor hoc advertens, committit dolum, si emptorem non monet: Dolus autem præponderat culpæ, l. Item si obstetrix ff. ad l. Aquil. Accedit, quod etiam respectu talis saltem hic & nunc vere dicatur vitium occultum.

176 Resp. III. Si vitium seu defectus est occultus, & versatur circa substantiam, omnino manifestari debet, ita ut si taceatur, contractum non tantum illicitum, sed & irritum, ac invalidum reddat. Omnes. Ratio est; quia ubi est error seu defectus in substantia, deest consensus, qui est de substantia emptionis venditionis, textu claro l. In venditionibus ff. de contrab. Empt. juncta l. 2. & 11. C. eod. prout amplius diximus supra n. 11.

177 Limitant conclusionem aliqui, in casu, quo una res pro alia, substantialiter diversa tradita, æquè, vel saltem æquè bona, utilis & conducens est ad usum & finem ementis, ac illa quæ petitur & intenditur, Sanchez lib. 7. de Matr. disp. 18. n. 12. Lugo disp. 26. n. 124. Salas de Empt. dub. 35. n. 1. Graffis, Lopez, & alii. Rationem dant; quia quamvis etiam in tali casu physicè loquendo, una res ab alia quoad substantiam sit diversa; tamen juxta moralem considerationem & æstimationem (per quam rerum pretia statuuntur) censentur esse idem, consequenter etiam adesse consensus, vel certè non nisi irrationabiliter abesse. Ex quo colligunt licitè & validè dari posse unum medicamentum à petito substantialiter diversum, quando certo constat, hoc æque utile esse pro fine ementis ac illud. Idem dicendum in aliis mercibus, præsertim quando emptorem non intelligere, venditor certò scit, quod res substantialiter alia, eidem ad usum & finem intentum magis serviat quam pretia.

178 Resp. IV. Si vitia occulta versantur circa qualitatem, & sunt talia, ut ad usum, vel finem ab emptore intentum, vel omnino, vel parum sunt utilia, vel etiam si sint eidem, vel tertio nociva, gravissimè obligatur venditor illa manifestare, etiamsi de iis non interrogetur. Ita teste Castro Palao loc. cit. n. 8. omnes DD. arg. leg. 1. §. Proinde, ff. de Ædilit. edicto, ibi: *Proinde, si quid tale fuerit vitii, sive morbi, quod usum ministeriumque impediat id dabit redhibitioni locum*. Concordant leges ibidem sequentes. Ratio est; quia in hujusmodi Emptoribus dolus revera dat causam contractui, deest verus emptoris consensus, quo deficiente deficit contractus ipse, leg. In venditionibus ff. de contrab. Empt.

179 Procedit Conclusio etiam in casu, quo emptor rem non ad specialem usum pro se, sed, ut iterum vendat alteri, emit. Castro Palao loc. cit. n. 9. Navarrus in Manual. c. 23. n. 89. Petrus Navarrus de rest. c. 2. dubit. 7. & communissima aliorum, arg. cit. l. 1. §. Proinde, ff. de Aedil. edicto. Ratio est: quia in hoc quoque deest consensus ementis, utpote qui non nisi merces, sibi, aut illis, quibus revenditurus est, utiles, ac proficuas emere intendit; consequenter si merces revendendæ aliis emptoribus, ob vitium, quo laborant, inutiles sunt, vel parum utiles, consensus eas emendi adesse non censetur.

Resp. V. Si occulta circa qualitatem versantia rerum vitia sint modica, vel talia, quod iis non obstantibus res ad usum, & finem ab emptore intentum æquè, vel ferè æquè sint utiles, ac si vitia abessent, non tenetur illa manifestare venditor. D. Thomas quodlib. 2. ar. 10. Molina loc. cit. Layman loc. cit. n. 19. cum communi aliorum, arg. cit. l. 1. §. Proinde, ff. de Aedilit. edict. ibi: *Non utique quodlibet quam levissimum efficere: ut morbosus, vitiosusve habeatur: Proinde levis febricula aut vetus quartana, quæ tamen jam sperni potest, vel vulnusculum modicum, nullum habet in se delictum, contemni enim hæc potuerunt*. Concordant LL. immediatè sequentes. Ratio est; tum quia communi ementium & vendentium consensu, modica hujusmodi vitia licitè abscondi possunt: tum quia alias mercatores magnum fortunæ discrimen subire deberent; *cum fortè emptores*; ut ait D. Thomas loc. cit. *propter vitium hujusmodi vellent plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum*: vel sæpè non emerent, mercibus apud mercatores sine lucro remanentibus, vel cum damno eorundem pereuntibus. 180

Resp. VI. Si vitium occultum est in quantitate, putà in pondere, mensura &c. ut si putat emptor, pannum v. g. novem ulnarum continere 10. ulnas, tenetur venditor illud vel manifestare, vel juxta proportionem defectus, pretium minuere. Communis & certa; quia alias aperta committeretur fraus, & injustitia; nec servaretur æqualitas à justitia commutativa requisita, fieretque contra illud Pauli 1. Ad Thess. 4. *ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum; vindex est Dominus de his omnibus*. Concordant textus supra n. 131. citati. 181

Limitant tamen Conclusionem DD. communiter, præsertim Molina disp. 353. in fine Layman tr. 4. c. 17. n. 15 Lugo disp. 26. n. 125. Palao loc. cit. pun. 22. n. 5. Gibal. de Negotium. lib. 4. c. 4. a. 7. Vega. Medina, Sylvester, & alii in casu, quo vel pretium à superioribus injustè est taxatum, vel emptores inique conveniunt, quod non nisi certo, minus justo pretio vulgari merces emere velint; tunc enim licitè & validè poterunt venditores non tantum abscondere, ac dissimulare occultum quantitatis vitium, sed etiam postquam res jam est empta, pro Fraude in pondere vel mensura tantum detrahere, quantum ad complendum justum rei pretium exigitur: prout supra jam diximus n. 137. Ratio præter ibidem allegatam est. Tum quia nulli fit injuria, cum uti supponitur, servetur æqualitas inter mercem & pretium. Tum quia venditores non tenentur cum injusto suo damno vendere, vel deserere sua officia Reipublicæ necessaria. 182

Nec obstat, quod objici posset, consensum ac intentionem emptoris esse 10. v. g. vel non tantum 9. convento pretio emere. Nam hoc ipso, quod velit emptor 10. emere, vult etiam emere 9. utpote in illis inclusas, fitque quoad 9. ulnas emptio pro proportionato pretio erit valida. Quod autem decimam ulnam venditor non addat, vel demat, justè conqueri, vel invitus esse non potest emptor: quia pro illa nullum dedit pretium, cum, uti rursus supponitur, pretium, quod pro 10. obtulit, tantum sit justum & proportionatum pro novem, quo supposito per occultam compensationem, ut se indemnem servet, & contractum justum æqualemque efficiat unam ulnam detrahere utique poterit; ita sapienter discurrit Lugo disp. 26. sect. 8. n. 25. 183

Monet tamen rectè Molina disp. 353. cum aliis: Confessarios, ut conquerentibus pœnitentibus, similes in se quidem pias fraudes indistinctè, & inconsideratè non admittant, sed priùs circumstantias bene examinent, iisque satis consideratis, adhuc conscientias pœnitentium onerent, ne plus in pondere & mensura detrahant, quam ad justum pretium complendum sit necessarium. Id dubio autem justi pretii à similibus Fraudibus eos omnino cohibeant, prout etiam jam notavimus n. 139. 184

De quartò vitii vel defectus genere proveniente ex mixtura mercium, dum bonæ minus bona, vel alia materia admisceretur, sufficienter jam diximus supra n. 138. ubi videndum. 185

Quæritur II. An, & quantum restituere teneatur, qui merces vitio affectas vendit? Resp. I. Quandocumque venditor occultum rei vitium scienter abscondit, 186

vel non manifestat, quod manifestare juxta dicta tenetur, peccat contra justitiam, & obligatur ad restitutionem, compensandumque omne illud damnum, quod propterea emptori & aliis emergit. D. Thomas 2. 2. q. 77. num. 3. Molina disp. 303. n. 2. cum communi, & certa aliorum. Textus expressus, & in l. Julianus 13. in princip. ff. de Actionibus empti, ibi: Qui pecus vitiosum vendidit si quidem ignorans fecit, id tantùm ex empto actione præstaturum, quanto minoris essem empturus, si ita esse scivissem: si verò sciens reticuit, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea actione emptor traxerit, præstaturum ei: sive igitur ædes vitio ligni corruerunt ædium restitutionem, sive pecora contagione morbosi pecoris perierunt, quod interfuit, idoneè venisse, erit præstandum. Item qui furem vendidit, aut fugitivum &c. Concordat l. 1. c. de Ædilit. action. Ratio est; quia quicunque rem alienam injuste damnificat, uti in casu conclusionis res se habet, ad restitutionem tenetur, per Juris vulgaria; ergo. Dicitur autem notanter, *si scienter*. Nam

187 Resp. II. Si venditor vitium rei ignoravit, non tenetur ad compensanda ulla damna emptori, vel aliis inde secuta, sed tantùm ad restituendum id, quantò minoris rem emisset emptor, si vitium cognovisset. Nisi forsan pretium rei jam præscripsisset, vel bona fide consumpsisset, ditior inde non factus. Molina loc. cit. n. 8. Fridech h. t. n. 536. Sylvester, Navarrus, Panormitanus, Covarruvias, Conradus, Lessius, Lugo, cum communi & certa aliorum, ob clarissimam Juris dispositionem allegatam præcedenti num. ex l. Julianus 13. ff. de action. empti. Ratio est; quia non fuit causa voluntaria illorum damnorum.

188 Imò, si venditor revera ignorans occultum rei vitium tempore contractus expresse paciscatur, & dicat, se tanti vendere & non aliter, nec velle teneri ratione alicujus occulti vitii, si quod forsan inesset, & posteà pateficret; neque ad id, quantò minoris, vitio cognito res fuisset empta, restituendum tenebitur. Molina loc. cit. nu. 16. Friderich loc. cit. & communis aliorum, arg. l. Quæro 39. ff. de action. empti. Ratio est; quia hoc ipso, quod emptor voluntariè, & scienter in se periculum suscipit, periculi eventum sustinere debet: præsertim *cum scienti & consentienti non fiat injuria, neque dolus*, reg. 27. jur. in 6.

189 Secùs foret, si venditor sciret & taceret occultum rei vitium; teneretur enim in utroque foro ad omnia damna, non obstante; quod tempore contractus dixerit, se nolle teneri de occultis vitiis, eò quòd hæc cautela solummodo ignoranti, non item scienti occultum rei vitium patrocinetur, cit. l. Quæro 39. ff. de action. empti ibi; *Hæc exceptio non ad ea pertinere debet, quæ venditor novit, sed ad ea, quæ ignoravit, & de quibus emptorem certiorare nequivit*. Nec juvat venditorem, etsi unum vitium tacendo, alia detegat, vel in genere dicat: vendo tibi hunc equum claudum, ferocem, & omnia alia vitia habentem; eò quòd generica manifestatio vitiorum neutiquam sufficiat, si venditor sciat occultum notabile vitium in specie, prout benè observat Abbas in c. Injustum de rerum permut. Navarrus cap. 23 n. 89. Molina loc. cit. n. 16 cum communi aliorum.

190 Quæritur III. Quid Juris, si venditor rei propriæ substantiam, vel qualitates ignorans, unam pro alia, bonam pro mala, gemmam pro vitro &c. vendat? Resp. in hoc casu teneri emptorem saltem in foro conscientiæ augere pretium usque ad limites justi saltem supremi, non tantùm, quando statim ab initio cognoscit errorem venditoris, sed etiam, quando & ipse in pari versatur errore, dummodo resciat, antequam eandem legitime præscribat, vel bona fide consumat, ditior inde non factus. D. Thom. loc. cit. n. 2. Conrad. d. contr. q. 54. Molina disp. 353. n. 10. Sylvester, Navarrus, & DD. communiter, arg. l. In venditionibus, de Contrab. empt. Ratio est; quia emptor non minùs tenetur servare æquitatem & justitiam commutativam in contractu, quam venditor; ergo sicut venditor non potest pluris accipere, quam justum pretium efficit, ita emptor non potest minus dare, quam limites pretii justi exigunt.

191 Nec satisfacit conscientiæ emptor, si rem benè cognoscens, v. g. bone amice, volo emere, & esse sine scrupulo, manereque tutus in conscientia; hinc dico tibi; considera rem benè, & resolve te, an velis mihi eam pretio jam oblato vendere, simulque liberè condonare, si forsan res pluris valeret, quia ut contra Cajetanum V. emptio nu. 2. benè advertit Molina loc. cit. nu. 11. Lugo disp. 26. nu. 137. Palatris, Ledesma, Bannes, & alii, hæc condonatio, ob ignorantiam venditoris non habet tantum voluntarii, quantum ad validam condonationem requiritur; plane enim non condonaret, si uti emptor, rei pretium benè intelligeret.

Aliud foret; si tam emens, quam venditor mercis qualitates, & verum pretium ignorantes communi periculo se exponerent paciscendo; sive plus, sive minus valeat, nullum ampliùs ad quidpiam teneri: hoc enim in casu, ob periculum, cui uterque se exponit, tutus erit quivis in conscientia, nisi forsan unus, emptor v. g. sagax, venditor rudis esset, emptorque vile præbendo pretium, prope nulli periculo se exponeret, cum verisimilitudine ingentis lucri; econtra venditor ob ruditatem suam subiret periculum summi lucri, vel econtra: tunc siquidem notabiliter minus periculum patiens, saltem in foro interno tantum restituere tenetur, quantum spes majoris lucri, judicio prudentis viri valet; prout citati DD. benè advertunt. Ratio est; quia, ut consideranti patet, revera in simili contractu fraus aliqua cum gravi alterius præjudicio intercedit: *Fraus autem & dolus alicui patrocinari non debet*, c. Ex litteris 16. de rescript. ergo. 192

Illud meritò ut certum supponunt Lessius c. 21. nu. 85. Lugo loc. cit. & alii, quemvis licitè emere posse quamvis mercem in uno loco, eo pretio, quod ibidem etiam à peritis communiter æstimatur justum v. g. 100. etsi probè sciat, quod in alia Regione eadem res 1000. Florenis, vel pluris communiter æstimetur; facilique negotio vendi queat, quia justum in quovis loco pretium rerum est, quod ibidem ut tale communiter æstimatur, arg. l. Pretia rerum, ff. ad Leg. Falcid. etsi alibi pluris, vel minoris res eædem æstimentur; ut proin justi fructus industriæ, vel fortunæ reputentur; qui inde colliguntur, quod merces in una Regione vili, justo tamen ibidem pretio emptæ, in alia maximo, pariter tamen inibi justo pretio distrahantur. 193

Quæritur IV. An quis fundum, agrum, domum, vel aliud terræ spatium, ubi ingentem scit latere thesaurum, vel venam metalli, lapicidinas &c. validè ac licite emere possit, absque hoc, quod desuper moneat venditorem, vel saltem pretium augeat? Resp. Affirmativa. Molina loc. cit. n. 12. Lugo disp. 26. n. 138 Cardinalis de Luca h. t. discurs. 44. per totum, ubi affert decisionem Rotæ, Sotus, & alii, arg. l. In lege fundi 77. ff. de Contrab. Empt. ubi in specie de lapicidinis pro nostra conclusione habetur textus, *quod si non appareat, non videri lapicidinas esse emptas: neminem enim, nec vendere, nec excipere, quod non sit, & lapicidinas, nullas esse, nisi appareant*. Confirmatur ex illo Matth. 13. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem, qui invenit homo, vadit, & vendit omnia, quæ habet, & emit agrum illum*. Ratio est; quia recepto Jure gentium, communiter etiam talis ager juste censetur emptus, qui emitur justo pretio; communis autem æstimatio justum reddit pretium, juxta dicta; ergo 194

Quæritur V. An dolosè & iniquè, an verò licitè agat, qui rem currente pretio justo emit, vel vendit, si scit, pretium paulò post minuendum fore vel augendum? Non desunt DD sat graves, ut Medina de Restit. q. 35. Conrad. de Contract. q. 62. 63 & 67. Portel in l. Quæro, ff. de action. empti, & alii dicentes; talem dolosè & injustè agere, proindeque ad restitutionem teneri. Item sentit Glossa in l. Contra legem, ff. de Legibus. Cicero quoque Ethnicus, lib. 3. offic. judicavit, ita vendere vel emere, non esse boni, ac honesti viri. 195

Fundamentum eorum præcipuum hoc est, quod alter, cum quo quis ita contrahit, censeatur invitus ac involuntarius quoad hunc contractum; cum certum videatur; quod venditor currente pretio v. g. 10 florenis non venderet frumentum, si sciret post aliquot dies pretium illius commune ac justum 20. vel 30. florenis fore. Et econtra certum pariter videatur, quod nullus de præsenti emeret 30. florenis unam frumenti mensuram, quam 6. vel 8. florenis post unum alterumve diem haberi posse; certò sciret. Ubi autem deest voluntas & consensus contrahendi, nullus est contractus, l. In Venditionibus, ff. de Contr. Empt. 196

Resp. I. Nullam injustitiam, nec dolum injustum committit, nullamque ad restitutionem tenetur, quicunque currente justo pretio emit, vel vendit, etsi privata scien- 197

tia

tia certo sciat, pretium intra paucos dies notabilissime in duplo v. g. vel triplo augendum fore, vel minuendum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 77. *art.* 8. *ad* 4. Covarruvias *in Regul. Peccatum par.* 2. §. 4. *n.* 6. Sylvester V. *Emptio q.* 15. *n.* 16. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5. per totum Palao *de Justit. commutat. disp.* 5. *pun.* 15. *n.* 3. cum communi & probabiliori aliorum. Probatur ex illo *Genesis* 41. ubi Joseph vir utique justissimus justo currente pretio coemit maximam frumenti copiam, non obstante, quod certò sciverit, & præviderit futuram sterilitatem, indeque subsecuturum pretii augmentum, & tamen propterea à nemine arguitur alicujus injustitiæ. Quod si autem emptor sciens, brevi futurum augmentum pretii, potest absque justitiæ detrimento emere merces currente pretio, non apparet, quare econtra non possit venditor currente pretio vendere merces, quarum pretium brevi minuendum pariter cognoscit.

198 Probatur Conclusio etiam ratione de utroque, tam emente, scilicet quam vendente. Quandocunque quis vendit, emitque taxato vel vulgari justo pretio: juste emit, nullique ullam facit injuriam; atqui positi in Conclusione emunt, venduntque justo taxato, vel vulgari pretio, uti supponitur: ergo juste & sine ullius injuria emunt, vel vendunt. Unde Diogenes Stoicus bene objecit Ciceroni contrarium judicanti: *Adveni, exposui, Vendo meum non pluris quam cæteri, fortasse etiam minoris, cùm major sit copia cui fit injuria?*

199 Confirmatur. Ex eo præcise, quod quis sciat, pretium frumenti, vel aliarum mercium brevi auctum iri non potest de præsenti merces illas cariùs vendere: sed si vendere vult, omnino tenetur currente justo pretio eas vendere, ut ipsi fatentur adversarii, nisi forsan eas ad tempus illud carius servare cogitaret, & tantum in gratiam emptoris venderet, *c. fin. de Usuris* ergo etiam ex eo præcise, quod quis sciat, pretium brevi minuendum: non tenetur minùs vendere. Et econtra ex eo præcise, quod quis sciat pretium mercium brevi diminutum iri, non potest eas minùs justo pretio currente emere: ergo etiam ex eo, quod sciat pretium brevi augendum, non tenebitur pluris justo currente pretio emere; cùm par utrinque sit ratio; quæ ubi est eadem, eadem quoque est Juris dispositio, *a. l. Illud ff. de Leg. Aquil.*

200 Ad Fundamentum in contrarium *n.* 196. allatum, respondetur, negando, quod ex parte alterius desit voluntas & consensus contrahendi: quamvis enim secundum quid voluntarium adesse censeatur, contractus tamen simpliciter voluntarius est, non obstante, quod eum non fecisset, si, quæ ignoravit, contrahens scivisset: quia regulariter loquendo ignorantia & error, nisi sit circa substantiam, non tollit consensum, prout ampliùs docebimus infrà ostendendo illud commune *si scivissem non emissem, vel vendidissem*, universaliter non irritare contractum, nec tollere consensum, ad eundem requisitum, alias certè etiam invalida esset emptio illius, quod emptum postea incendio perit, aut furto aufertur, quia si emptor hoc prius scivisset, non emisset.

201 Dicitur autem notanter in conclusione, *nullam injustitiam committi &c.* Nam quamvis in hoc DD. satis conveniant, discrepant tamen in hoc, an non saltem contra charitatem peccetur? aliquibus affirmativam, aliis econtra negativam tenentibus;

202 Res. I. Qui ita vendit, vel emit, regulariter loquendo, neque contra charitatem peccat. Ita Lessius *l.* 2. *cap.* 21. *n.* 43. Molina *disp.* 354. *n.* 4. Palao *loc. cit. n.* 8 Friderich *h. t. n.* 391. Salas, Ledesma, & alii, quibus etiam favet D. Thomas 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. dum dicit, majoris fore virtutis, si quis abstineret. Ratio est; quia quicunque facit actum de se licitum & honestum, sibique utilem vel necessarium, non peccat contra charitatem, etsi videat, exinde per accidens secuturum proximi damnum, sive temporale, sive spirituale, uti communiter docent TT. & merito, quia alia certè multos omittere deberemus actus. Dicitur autem notanter *regulariter*, nam

203 Limitatur primò: si quis ob talem notitiam venderet magnam quantitatem, quam alias non vendidisset alicui, grave propterea passuro damnum, Molina *loc. cit. nu.* 5. Lessius *loc. cit.* Ratio est: tum quia taliter verè abutitur notitia sua, ob eamque damnum infert tertio cùm, uti supponitur, damnum hoc non intulisset si notitia illa caruisset; tum quia juxta illud lumine naturæ notum, *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Certè verò venditor ægrè ferret, si sibi ab alio ita contingeret; ergo.

Dicitur verò notanter *grave propterea damnum passuro*: 204
si enim emptor eandem quantitatem alias ab aliis eodem pretio emisset, eò quòd forsan illa quantitate ad quotidianum, quo assumitur, usum indiget, consequenter venditor causa efficax damni non sit, charitatem lædere non videtur; cùm talis ex una parte rem suam justo currente pretio vendens utatur jure suo, ex altera verò parte, nulli infert injuriam, *c. cùm Ecclesia Vulterana* 31. *de Elect.* neque damnum, hoc ipso, quod, uti supponitur, idem damnum proximo evenisset, etsi venditor talis rem suam eidem non vendidisset.

Dicitur ulterius *quam alias non vendidisset*. Nam si eandem, 205
vel adhuc majorem quantitatem vendidisset licèt nullam diminuendi pretii notitiam habuisset, dummodo emptores adfuissent, vendere liberè, ac licitè, etiam absque charitatis læsione potest, non obstante, quod secuturum exinde prævideat emptoris damnum, uti benè advertit Molina *loc. cit. nu.* 6 Ratio est; quia nemini debet sua privata ne per eam quis evadit deterioris conditionis, quam alii eadem notitia carentes; quod tamen fieret, si ob eam cum suo damno & incommodo vendere non ampliùs posset, quod prius, notitia illa carens vendere potuisset, & revera vendidisset, aliique ignorantes adhuc vendere possunt.

Limitatur conclusio secundò: si exinde emptor in ex- 206
tremam vel gravem deveniret paupertatem, Palao *loc. cit. nu.* 9. Molina *loc. cit.* Friderich *loc. cit.* & alii. Ratio est; quia quivis tenetur ex charitate in tali necessitate proximo succurrere; ergo à fortiori illum in eam non inducere, nisi forsan sit in pari necessitate, tunc enim potest uti jure suo.

Limitatur tertiò, in casu, quo quis rem suam cæteroquin 207
licitè vendit alicui damnum passuro, cum facilè habere posset emptorem sine damno empturum, Molina *loc. cit.* Ratio est; quia quivis ex charitate tenetur avertere damnum proximi, si absque proprio incommodo id facilè potest. Cæterùm ex dictis, pro praxi

Infertur I Nulla ratione peccaturum illum, qui certò 208
sciens, valorem certæ monetæ brevi minuendum, eandem præsenti valore expendit in ea quantitate, in qua eandem expendisset, etiamsi notitiam illam non habuisset v. g. pro emendis victualibus, solvendis creditoribus &c. Nec refert, an id ex privata notitia, vel inde sciat, quod sit unus ex consiliariis, vel magistratu, monetæ valorem authoritativè diminuentibus; cum hi non sint deterioris conditionis, quam alii. Molina *loc. cit. n.* 6. Friderich *n.* 388. Lugo *disp.* 26. *n.* 140. Palao *loc. cit. n.* 6. Ratio ulterior patet ex *n.* 202. & 205.

Secùs foret, si tali moneta magnam coemeret quanti- 209
tatem, vel talia compararet, quæ alias non emisset: vel si ad emenda necessaria exquisito studio segregaret omne genus monetæ, cujus valorem diminuendum scit, alio contrahente, id ignorante. Ratio patet partim ex dictis *n.* 203. partim ex eo, quod, uti consideranti patet, revera intervenire videatur aliqua fraus, quæ patrocinari alicui nunquam debet, *c. ex tenore* 16. *de rescript.* Pariter fraudulenter ac injuste agerent Consiliarii, vel alii valorem monetæ, aut pretium rerum minuentes vel augentes, si studio aliquandiu legis hujusmodi promulgationem differrent, ut ipsi interea monetam minuendam omnem expendere, vel alias emendo, & vendendo lucrari valeant, prout teste Friderich *n.* 388. fatentur omnes.

Infertur II. Non peccaturum illum, qui currente ma- 210
gno pretio domum suam locat alteri, etsi sciat, aulam Principis brevi aliò migraturam, indeque locationis pretium notabiliter minuendum casu quo domum suam ulli pretio locasset, etiamsi hanc notitiam non habuisset. Secùs foret, si domum nulli elocasset, nisi forsan conductor ob ignorantiam suam eodem pretio aliam domum conduxisset.

Pariter, qui scit, brevi futuram civitatis obsidionem 211
ea, per eamque plurima peritura, licitè agit vendendo ea, quæ alias vendidisset. Illicitè verò, si ob hanc notitiam multa cum gravi aliorum damno vendit, non venditurus, si notitiam illam non habuisset: nisi emptores ob ignorantiam obsidionis similia ab aliis emissent, damnum-

numque contraxissent. *Ratio* patet ex *num.* 203. *cap.* 5. & 209. videatur Molina *loc. cit.*

§. VIII.

De Periculo, & Commodo, seu fructibus rei venditæ.

SUMMARIUM.

212 *Periculum rei venditæ, post traditionem pertinet ad emptorem.*
213 *Etiam ante traditionem, si vendatur res certa in individuo.*
214 *Nisi aliter contrahentes specialiter convenerint.*
215 Res domino suo perit, *quomodo intelligatur.*
216 *Si res ex dolo, vel culpa etiam levi, non item levissima venditoris perit, ad eundem periculum pertinebit.*
217 *Idem est, si venditor fuit in mora tradendi. Mora sua cuivis est nociva.*
218 *Nisi res etiam apud dominum periisset.*
219 *Res ante traditionem ex delicto venditoris, fisco addicta, venditori perit.*
220 *In venditione conditionata, periculum venditor subit si ante traditionem impletam totaliter perit; si verò tantùm deterior fiat, damnum emptor habet.*
221 *Venditio ad corpus, & ad mensuram explicatur.*
222 *Quæ sit venditio, si quantitas exprimitur.*
223 *Monitio Haunoldi.*
224 *In Venditione ad corpus, periculum emptoris est.*
225 *In Venditione autem ad mensuram, venditoris periculum est, donec res numeretur, ponderetur &c. Nisi emptor sit in culpa, quod numerata non fuerit.*
226 *Fructus & commoda rei venditæ post traditionem ad emptorem pertinent.*
227 *Fructus pendentes ante traditionem quoque ad emptorem pertinent.*
228 *Etsi nondum solverit, nec cautionem præstiterit.*
229 *Fructus post contractum provenientes ex re nondum tradita, nec soluta &c. secundùm plures pertinent ad venditorem.*
230 *Ad transferendum dominium in emptione, quæ requirantur?*
Probatio eorum ex Jure. Et nu. seq.
231 *Fructus quicunque post venditionem provenientes ad emptorem pertinent, etsi res nondum sit tradita, nec pretium solutum &c. Et n. seq.*
234 *Probatur ex Legibus.*
235 *Probatur ratione, videlicet, quia cujus est periculum, & commodum esse debet.*
236 *Respondetur ad argumenta in contrarium, & solvuntur textus Juris usque ad n.* 239.
Res domino suo fructificat, *quomodo intelligendum?*
239 *Venditor percipiens adhuc fructus ex re vendita, tenetur ad restitutionem.*
240 *Sicut etiam, si eadem utatur.*
241 *Nisi adsit specialis conventio inter contrahentes.*
242 *Per quam ob lucrum cessans, vel damnum ex dilatione solutionis emergens, potest sibi reservare fructus rei venditæ.*
243 *Imo rem ipsam loco hypothecæ retinere potest, donec pretium solvatur.*
244 *Ob solam tamen dilationem solutionis, fructus rei venditæ sibi reservare, & percipere nequit.*
245 *Res duobus in solidum vendita, & nulli adhuc tradita, dari debet primo emptori.*
246 *Si verò secundo emptori jam esset tradita ejus manet. Venditor tamen punitur pœna falsi.*
Quid hæc pœna importet; Ibid.
247 *Habet etiam primus emptor actionem contra venditorem ad interesse.*
248 *Si prior emptor est privilegiatus (cujusmodi sunt loca & causæ piæ) acquirit dominium ante traditionem, resque restitui debet, etsi secundo emptori jam esset tradita.*
249 *Idem est, si priori emptori res vendita, fuit etiam hypothecata.*
250 *Si secundus emptor conscius fuit, rem priùs jam esse alteri venditam, debet eam, etsi sibi jam traditam iterum restituere primo emptori, si bis contra eum intra annum actionem instituit.*
Anno elapso, rem ipsam restituere licet non amplius teneatur.
251 *Tenetur tamen (saltem in foro interno) emptori compensare id, quantum ejus interfuit, rem non esse alteri venditam.*

Quæritur I. Ad quem pertineat periculum rei venditæ? Sensus quæsiti est, quinam damnum vel jacturam sentire, & ferre debeat, emptor, an venditor; si res peracto jam venditionis contractu pereat, vel deterior fiat? Consequenter quis tempore contractus, hujusmodi damni periculum in se sumere debeat? Prodit autem quæstio de re à venditore emptori nondum tradita. Nam si res vendita perit, vel deterior fit, postquam emptori jam fuit tradita, certum est apud omnes, & extra omnem controversiam, quod pereat emptori, *l. lectos* 12. *l. quod si neque* 14. *ff. de Periculo, & commod. rei venditæ.* Ratio est; quia per traditionem emptor evadit dominus rei emptæ *l. Traditionibus* 20. *C. de Pactis*; etiamsi pretium nondum sit solutum; modò cautio fidejussoria, aut pignoratitia ab emptore præstita fuerit, aut venditor fidem habeat emptori, rem eidem credito vendendo, §. 41. *Instit. de rerum divis.* Res autem domino perit, *l. Pignus* 9. *C. de Pignorit. act.* Loquendo igitur de rebus venditis, sed nondum traditis. 212

Resp. I. Si certa res in specie, seu (ut Philosophi loquuntur) in individuo v. g. hic equus, hæc domus venditur, totum periculum ad emptorem pertinet, ita quidem, ut non obstante interitu, vel deterioratione rei, totum pretium, si fortè nondum solvit, solvere debeat. Ita apertè constat ex §. 3. *Instit. h. t.* ibi: *Quum Emptio, Venditio contracta sit (quod effici diximus, simul atque de pretio convenerit) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet. Itaque si ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint. &c. emptoris damnum est cui necesse est, licite rem non fuerit nactus, pretium solvere. Quidquid enim sine dolo, & culpa venditoris accidit in eo venditor securus est.* Concordant *l. quod sæpe* 35. §. *si res ff. de contrah. Empt. l. id quod* 7. *l. Necessariò* 8. *ff. de Periculo & commod. rei venditæ lib.* 1. 4. *penult. & ult. C. eodem* cum similibus. Traduntque Covarruvias *Pract. Resol. cap.* 3 *num.* 5. Sylvester *verf. Empt. nu.* 3. Molina *disp.* 366. *nu.* 11. Lessius *loc cit. n.* 96. Pirhing *h. t. nu.* 49. cum communi aliorum. Ratio conclusionis quamvis varia à DD. assignetur, potissima & optima esse videtur hæc: quod, quia commoda & fructus rei venditæ non traditæ pertinent ad emptorem, juxta dicenda infrà, æquum sit, ut etiam periculum ejusdem ad illum pertineat cum *qui sentit commodum, sentire debet & onus, reg.* 55. *Jur. in* 6 Eadem ratio apertè insinuatur *cit.* §. 3. *Instit. h. t.* 213

Dices res domino suo perit, *L.* 9. *C. de Pignor. act.* atqui venditor manet dominus rei, donec tradatur; ergo. Resp. distinguendo ant: res domino perit, in casu, quo non est obligatus dominium ad libitum alterius abdicare, conceditur: si est obligatus, uti fit peracta venditione, negatur. Accedit, quod venditione peracta, emptor saltem Juris fictione evadat dominus, ut benè observant Pirhing *h. t. nu.* 49. Haunold. *tr.* 10. *contr.* 9. *n.* 42. & subintrat *reg* 15. *Juris ff. Is qui actionem habet rem ipsam habere censetur.* 214

Dicitur autem notanter in conclusione, *regulariter* quia limitatur in nonnullis casibus. Et quidem primò quando contrahentes specialiter conveniunt, ut, donec res empta tradatur, periculum penes venditorem remaneat, *arg. l. Si in Venditione* 10. *ff. de Peric. & commod. rei vendit. &* §. *Quum autem. Instit. h. t.* Ratio patet; quia nempe *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. Reg.* 85. *Jur. in* 6. 215

Limitatur secundò, quando res vendita, ante traditionem perit ex dolo aut culpa lata, vel levi venditoris, *l. Custodiam* 3. *l. Si vendita* 11. *ff. de Pericul. & commod. rei vendit. l. Quod sæpe* 35. §. *Si res, ff de Contrah. Empt.* cum concordantiis, Molina *disp.* 366. *num.* 12. Pirhing *h. t. num.* 51. cum communi. Ratio est; quia venditor, Juris dispositione debet esse custos rei, donec tradatur: consequenter in ea custodienda debitam & quidem *exactiorem præstare debet diligentiam, quam in rebus suis faceret,* 216

L. 3.

L. 3. ff. de Pericul. & commod. rei vendit. Nec tamen tenetur de culpa levissima, licet primum citata *L. 3.* obliget venditorem ad talem diligentiam, ad qualem obligatur commodatarius, qui etiam de levissima culpa tenetur, *l. in rebus 18. ff. Commodati.* Rationem dat Glossa *in cit. l.* Molina *loc. cit.* quia, quamvis venditor teneatur ad tantam diligentiam, ad quantam commodatarius; eò quòd commodatum fiat in gratiam solius commodatarii, Emptio Venditio verò in gratiam utriusque.

217 Limitatur tertiò, si venditor est in mora tradendi, & res interea casu fortuito pereat, vel deterior fiat, tunc enim periculum venditoris est, *l. Illud 17. ff. de Pericul. & commod. rei vendit.* Ratio est; *quia Mora sua cuilibet est nociva. Reg. 25. Jur. in 6.* Quod si tam emptor quam venditor fuit in mora, ne res traderetur, tunc ad illum periculum pertinet, qui est in posteriori mora: ita enim disponit *cit. l. Illud 17.* his verbis: *Si interpellaverat venditorem, & non dederit id, quod emeram, deinde posteriore offerente illo, ego non acceperim; sane hoc casu nocere mihi deberet. Sed si per emptorem mora fuisset, deinde, cùm omnia in integro essent, venditor moram adhibuerit, cùm posset se exsolvere, æquum est, posteriorem venditori nocere.*

218 Porrò si res æque periisset, vel deterior facta fuisset apud dominum, si eidem restituta fuisset, ad nihil tenetur venditor ob moram. Molina *loc. cit. num. 13.* Sylvester *V. Emptio, quæst. 2.* Lugo *disp. 26. nu. 217.* Palao *de Justit. commut. punct. 24. nu. 3.* & communis aliorum, cum Glossa *in §. Quum autem 3. Instit. h. t. arg. l. Si plures 14. §. Sive autem ff. Depositi vel contra* ubi habetur, quod depositarius ratione moræ ad nihil teneatur, si res deposita etiam periisset apud dominum, casu quo eidem fuisset restituta. Concordat *l. Cùm res 47. §. 6. ff. de Legat. I.* & *l. item si verberatum 15. §. fin. ff. de Rei vindic.* ubi venditor in mora tradendi existens jubetur præstare periculum, si res vendita, casu, atque absque omni alia illius culpa & dolo perit. Ratio ibidem datur; quia si tradidisset, emptor eam forsan distraxisset, sicque omne damnum declinasset: ergo, inferunt à sensu contrario, citati DD si non distraxisset, sed æque apud ipsum, quam venditorem periisset, ad nihil tenebitur venditor ratione moræ, utpote per quam nullum damnum causavit.

219 Limitatur conclusio quartò, si res vendita ante traditionem ex delicto venditoris fisco addicitur, venditor periculum subire, & pretium, si jam solutum accepit, emptori iterùm reddere debet, Molina *loc. cit. numer. 15.* cum communi textu claro *l. Si fundus 33. ff. Locati:* ibi, *Si vendideris mihi fundum, isque priùs, quam vacuus traderetur, publicatus fuerit, tenearis ex empto, ut pretium restituas.*

220 Limitatur quintò; si Emptio Venditio conditionatè sit, & ante impletam conditionem res totaliter perit venditori, *l. Necessariò 8. ff. de Peric. & commod. rei vendit.* Molina *loc. cit. num. 8.* Haunold. *Tract. 10. contr. 9. num. 48.* Palao *loc. cit. num. 4.* Ratio est; quia contractus nondum est perfectus. Quod si verò res totaliter non pereat, sed tantùm deterior evadat, totum periculum conditione postea impleta, ad emptorem transibit, ita ut propter deteriorationem neque pretium minuere possit, prout citati AA. cum Rebell. *part. 2. de obligat. Justit. lib. 9. quæst. 15. numer. 4.* benè docent, *arg. cit. l. Necessario,* ibi: *Si sub conditione res venierit, si quidem defecerit conditio, nulla est Emptio. Quod si extiterit, Proculus & Octavenus emptoris esse periculum, ajunt, idem Pomponius L. 9. probat.* Rationem dant DD. quia adimpleta conditione, contractus retrotrahitur ad tempus conventionis.

221 Resp. II. Si res aliqua in numero, pondere, aut mensura consistens ematur ad corpus per aversionem, totum periculum penes emptorem erit. Ut autem hæc & sequens conclusio intelligatur, notandum priùs, Res in pondere, numero, & mensura consistentes vendi posse ad corpus, & ad mensuram. Emptio ad corpus fit, quando plura individua, seu species per modum unius absque expressione ponderis, numeri, & mensuræ emuntur: quæ Emptio alias etiam, & quidem proprissime Emptio ad corpus per aversionem, seu simpliciter Emptio per aversionem dicitur, eò quòd, ut dicemus, totum periculum rei venditæ à venditore illicò avertat in emptorem. Sic v. g. quando quis videns acervum frumenti, vel cumulum lapidum, vel multitudinem animalium, aut dolium vini, olei &c. dicat venditori: dabo tibi pro hoc acervo frumenti, cumulo lapidum &c. 100. florenos, quidquid dein contineat, erit Emptio ad corpus per aversionem, *ein Kauff über haupt oder Überhaufch.* Si verò dicat: emam à te totam multitudinem animalium, & pro quovis eorum dabo tibi 10. florenos: vel emo à te totum hoc dolium vini, & pro quavis mensura in eo contenta dabo tibi sex denarios &c. erit venditio ad mensuram. Pariter erit Emptio Venditio ad mensuram, si dicat emptori: ex hoc dolio vini, vel ex hoc acervo frumenti emam à te sex urnas, vel sex mensuras, & pro singulis earum dabo tibi 10. florenos. Et in hac terminorum explicatione conveniunt Juristæ.

Gravissimè autem controvertunt, an Emptio, Venditio ad corpus, an verò ad mensuram sit; si uno pretio venditur & emitur totum aliquod corpus cum expressione quantitatis; v. g. si dicat venditor: vendo tibi 100. florenis hunc acervum lapidum, qui continebit circiter 10. mensuras, vel hoc dolium, in quo decem urnæ continentur &c. Communior in eo convenit, quod, si à venditore exprimatur quantitas non ut taxativa, seu restrictiva pretii: sed tantùm ut demonstrativa, seu causa demonstrandi, vel distinguendi, & secernendi corpus venditum ab aliis corporibus, sit Venditio ad corpus; præsertim si addat plus, minùs, circiter *beiläuffig ungefähr*; & priùs ipsa substantia quam quantitas exprimatur; v. g. vendo tibi 100. florenis hunc cumulum frumenti, qui circiter 10. mensuras habebit. Si verò quantitas exprimitur tanquam restrictiva & taxativa pretii, eo animo, ut si major esset quantitas, eam vendere hoc pretio nollet venditor, erit Emptio Venditio ad mensuram; præsertim si quantitas ante corpus, & non sub dubio; sed absolutè, & quasi certa exprimitur, v. gr. vendo tibi 100. florenis decem jugera, quæ in hoc meo fundo continentur. 222

Verùm, quia hæc regula adeò infallibilis non est, quin aliquando fallere possit, ideo post Vvadingum benè advertit Haunoldus *loc. cit. num. 53.* attendendum esse etiam ad alias circumstantias, ex quibus colligi possit, an ad mensuram, vel ad corpus emere & vendere velint contrahentes, casu quo quantitatem exprimunt. Monet insuper *nu. 62.* ad finem contrahentes, ut ad evitandas lites, mentem ac intentionem suam verbis benè declarent. Hoc notato 223

Probatur Conclusio *numer. 221.* posita, ex *L. Cùm convenit 2. C. de Pericul. & commod. rei vend.* ibi: *Cùm universum, quod in horreis erat positum, venisse sine mensura, & claves emptoribus traditas alleges: post perfectam venditionem, quod vino mutato damnum accidit, ad emptorem pertinet. Hæc omnia locum habent, non solùm si vinum, sed etiam si oleum, vel frumentum, vel his similia venierint: & ea aut deteriora, aut penitùs corrupta fuerint.* Idem docet DD. ferè omnes teste Friderich *nu. 11. h. t.* 224

Resp. III. Si merx in pondere, numero, aut mensura consistens venditur ad mensuram, tunc antequam res tradatur, aut mensuretur, ante traditionem omne periculum ad venditorem pertinet: est communis, & certa. Textus expressus conclusionem ad longum declarans habetur *l. Quod sæpe 35. §. In his ff. de Contrah. empt.* ubi etiam ratio additur; videlicet, quando res ad mensuram emitur, censeatur semper tacita hac conditione, empta; si admensa, ponderata, vel numerata fuerit; ut proin antea contractus non sit perfectus. Concordat *l. Cùm convenit 2. de Pericul. & commod. rei vendit.* Si tamen contractui constitutus est aliquis terminus, intra quem res empta, ponderanda, vel numeranda esset, & per emptorem steterit, quo minùs numeratio &c. fieret, ipse periculum subire debet. Sicut etiam, si nullo constituto termino venditor præsentibus testibus emptorem moneat, ut intra certum tempus ad mensurandam, vel ponderandam rem emptam compareat. 225

Si quis vina 4. ff. de Pericul. & commod. rei vendit. juncta *lib. 2. cap. eod.*

226 Quæritur II. Ad quem pertineant commodum & fructus rei venditæ? Resp. I. Postquam res à venditore tradita est emptori, & ab hoc illi pretium solutum, vel de præsenti oblatum, vel saltem cautio fidejussoria, aut pignoratitia præstita; vel si à venditore fides habita sit emptori, eique res creditò vendita, & tradita, atque ad solvendum concessa dilatio, omnes ejusdem fructus & emolumenta pertinent ad emptorem. Ita unanimiter DD. teste Friderich *h. t. num. 734.* Ratio est; quia rei ita venditæ emptor verus sit dominus, per ea, quæ ex Jure diximus *num. 212.* Res autem domino suo fructificat, ubi lex non obstat. Hoc itaque extra controversiam posito, & loquendo de re vendita nondum tradita.

227 Resp. II. Fructus rei venditæ adhuc pendentes, sive quæ tempore contractus adhuc adhærent rei, pertinent ad emptorem, sive dein maturi sint, sive immaturi. Est communissima DD signanter Covarr. *part. 1. Var. Resolut. cap. 15. nu. 2.* Less. *lib. 2. cap. 21. nu. 100.* Molin. *disp. 368. nu. 13.* Sylvester *V. Emptio quæst. 3.* Laym. *lib. 3. 4. cap. 17. nu. 17.* Lugo *disp. 26. nu. 209.* Palao *de Justit. commut. disp. 5. punct. 25. num. 2.* & legistæ passim, habeturque *l. Julianus 13. §. 10. & 18. de Action. empti l. Fructus 13. & l. Post perfectam, cap. eod l. fin. §. Fructus, ff. quæ in fraudem creditoris.* Ratio est; quia *fructus pendentes pars fundi videntur, l. 44. ff. de rerum divis.* consequenter uno indivisibili pretio simul venduntur. Quod si tamen venditor post peractum contractum aliquas expensas in colligendis, custodiendis, vel conservandis fructibus bona fide fecisset; eas recompensare deberet emptor, prout meritò statuitur *l. Post perfectam 16. cap. de Action. empt.* his verbis: *Post perfectam venditionem, fœtus quidem pecorum emptori, venditori verò sumptus, si quos bona fide fecerit, restitui debere, notissimum est.*

228 Cæterùm procedit conclusio; etiamsi pretium solutum nondum sit, nec cautio fideiussoria, vel pignoratitia ab eo præstita fuerit, nec venditor fidem ejusdem secutus sit; uti contra Angelum *vers. Emptio numer. 2.* & Sylvester *V. Emptio quæst. 3.* citati & alii tradunt DD. præsertim Covarruvias *loc. cit.* Molina *disp. 368. in princ. & in fine* Palao *loc. cit.* eò quòd dispositio, & ratio Juris numero præcedentis allegata, pariter etiam de hac venditione militet. Et in hoc rursus communiter conveniunt DD.

229 Econtra autem maximè disconveniunt in decidenda quæstione, ad quem pertineant rei venditæ fructus, qui primùm post peractum contractum nascuntur, casu quo res nondum tradita, vel si tradita quidem, pretium tamen nondum solutum, nec cautio præstita, nec fides de pretio habita, nec dilatio ad solvendum expressè concessa est, Covarruvias siquidem *lib. 1. Variar. Resolut. cap. 15. nu. 2.* Molina *disp. 368. nu. 8* Mynsing. *cent. 4. Obser. 56.* Rebell *par. 2 de oblig. Just. lib. 9. qu. 16. à nu. 5.* & Legistæ communiter volunt, fructus hujusmodi ad venditorem pertinere. Fundamentum ipsorum est; quia res fructificat domino suo; venditor autem manet Dominus rei venditæ donec tradatur, & simul pretium solvatur, vel cautio præstetur, vel saltem fides ejusdem habeatur, *§. 41. Instit. de Rer. divis.* ibi: *Venditæ verò res, & traditæ, non aliter emptori acquiruntur, quam si venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, vel ex promisso, re aut pignore dato &c. sed si is, qui vendidit fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est, statim rem emptoris fieri.* Concordat *l. 19. de Contrah. Empt.* ergo fructus, quos ei res sua etiam post venditionem generat, illius tanquam domini erunt.

230 Secundò adducunt pro se plures leges, ut *l. Curabit 5. c. de Action. empti* ubi sic habetur. *Curabit Præses Provinciæ, compellere emptorem, qui nactus possessionem, fructus percipit, partem pretii, quam penes se habet, cùm usuris restituere, quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis favor (licèt nulla mora intercesserit) generavit.* Ratio ulterior datur *l. Julianus 13. §. 20.* his verbis, *non cùm re emptor fruatur, æquissimum est, eum usuras pretii pendere.* Ex quo colligunt, quod, quia emptor ob perceptos fructus rei ex toto, vel ex parte nondum solutæ, compensationem eorundem fructuum facere debeat, præstando eorum usuras compensatorias (ut volunt) hoc ipso fructus ad eum non pertineant; aliàs enim ob eorum perceptionem aliquid compensare, vel usuras præstare non deberet.

Confirmant ex *l. Qui pendentem 25. de Action. empti* vi cujus venditor emptorem ob non solutum pretium prohibere potest, ne uvas ex eidem vendita vinea colligat. Imò ob non solutum ex toto, vel ex parte pretium, venditor nedum fructus, sed ipsam rem venditam retinere potest, *l. Julianus 13. §. 8. ff. de Action. empti*; ergo donec pretium solvatur, fructus peracta venditione nati ad venditorem tanquam rei dominum pertinebunt: Quibus non obstantibus 231

Resp. III. Postquam contractus Emptionis Venditionis aliquando est absolutus, omnes & singuli; non tantùm tempore contractus pendentes, sed etiam post illum primùm nati, ac provenientes fructus, & emolumenta rei venditæ, ad emptorem pertinent, etiamsi res tradita nondum sit, nec cautio fideiussoria, aut pignoratitia præstita, nec fides emptori de pretio habita; nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit. Ita docent Petrus Navarrus *lib. 3. Sum. sect. 5. cap. 17. §. 2. num. 18.* Sylvester *vers. Usura 2. quæst. 11.* Rosel. *eod. V. num. 47.* Palao *loc. cit. punct. 26. nu. 4.* Lopez *de Contract. cap. 36. ad 1.* Lessius *cap. 21. nu. 109* Layman *loc. cit. nu. 18.* cum communiori TT. quos ex Legistis sequitur Harprecht *in § 3. Instit. h. t. num. 32.* Arnoldus Rath, & alii. Probatur conclusio nostra efficaciter ex jure *l. Julianus 13. § 18 ff de Action. empti* ibi: *Si quid servo distracto venditor donavit ante traditionem, hoc quoque restituere debet (emptori) hæreditates quoque per servum acquisitas, & legata omnia: nec distinguendum est, cujus respectu ista sint relicta. Item quod ex operis servus præstitit venditori, emptori restituendum est.* Ex quo clarè patet, quod omnes fructus etiam post contractum, & ante traditionem rei, quocunque modo provenientes ad emptorem pertineant; cùm eos omnes eidem restituere debeat venditor, si quos peracto contractu ex re vendita servo v. g. percepit: sive dein pretium solutum fuerit, sive non; lex enim absolutè & sine ulla distinctione hoc præcepit: ubi autem Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus, ut habet Summarium *l. de Pretio ff de Public. in rem action.* 232

L. 13. C de Action. empti, quoque sine ulla distinctione inter fructus pendentes, vel postea natos, absolutè dicit: *Fructus post perfectum contractum emptoris spectare personam convenit; ad quem & functionum gravamen pertinet*: quæ Juris dispositio etiam ante solutum pretium procedit, ut ex immediatè sequentibus verbis liquet. *Venditor quoque pretium tantum, ac si mora intercessisse probatur, usuras officio judicis exigere potest*; ubi, ut patet, supponit Jus, pretium nondum esse solutum, & tamen emptori fructus adiudicat. Pariter *L. penult. C. eod.* sine ulla distinctione fructuum pendentium, vel post contractum primùm conceptorum, & natorum; an res sit tradita nec ne, an pretium solutum, vel non, absolutè loquitur: *post perfectam venditionem, fœtus pecorum emptori restitui debere, notissimum est*; ergo. 233

Confirmatur à paritate aliorum emolumentorum, & commodorum, v. gr. accessionum, ac incrementorum rei venditæ; hæc enim omnia etiam ante traditionem rei, & pretii solutionem ad emptorem pertinent, si peracta traditione rei adveniunt, prout ipsi fatentur adversarii, Jure id clarè statuente *§. 3. Instit. h. t.* ibi: *Si post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet.* Concordat *l. Id quod 7. ff. de Peric. & commod. rei vend.* Nec refert, quod hæc commoda & emolumenta non sint fructus propriè dicti. Nam contra est, quod, dum Jura dicunt, commoda rei venditæ pertinere ad emptorem, non distinguant inter commoda, quæ sunt fructus propriè, & impropriè dicti. Accedit, quod non major, sed eadem sit ratio de commodis, ac fructibus propriè dictis; ubi autem est eadem ratio, eadem est Juris dispositio, juxta vulgare Juristarum. 234

Ratio potissima, & efficax conclusionis est, quod dictante æquitate naturali illius debeat esse commodum, cujus est periculum & incommodum. Quam rationem 235

Jus

Jus ipsum assignat §. 3. *Inst. h. t.* ubi postquam dixit: *Si post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet, Rationem dat: nam & commodum ejus esse debet, cujus periculum est.* Ex eadem ratione commodum ad emptorem spectare, æquum judicat *l. Id quod 7. ff. de Pericul. & commod rei vend.* ibi: *Si totus ager post emptionem flumine occupatus esset: periculum esset emptoris: sic igitur & commodum ejus esse debet.* Atqui periculum totum etiam ante traditionem, & pretium solutum, ad emptorem pertinet, ut dictum suprà *numer.* 213. & ipsi nobiscum docent adversarii: ergo commoda quoque rei venditæ etiam ante traditionem, & pretii solutionem ad emptorem pertinere debent. Nec dici potest, periculum, quod sustinet emptor, compensari per pretium, quod emptor adhuc apud se retinet: Nam rursus contra est: tum, quod pecunia ex seipso sit infructuosa, consequenter ad compensandum periculum rei insufficiens: tum, quod etiam post interitum rei, emptor debeat pretium solvere, ac insuper ob culpabiliter dilatam solutionem, damnum resarcire venditori, si quod inde passus est, juxta dicenda infrà.

236 Ad Fundamenta in contrarium, & quidem primum respondetur, per illud contra nos nihil probari: Nam sicuti res domino fructificat, ita eidem perit, *L. 9. C. de Pignor. action.* & tamen ante traditionem, & pretii solutionem non perit venditori, licèt sit adhuc dominus rei venditæ; consequenter neque eidem fructificat ex hoc, quod adhuc illius sit dominus; eò quòd hæc Juris axiomata, *res domino suo perit, ac fructificat* non procedant; quando dominus rem alteri debet, & obligatus manet, eam ejusque dominium alteri, accepto ab eo pretio, tradere; uti est in casu venditionis, utpote qua peracta illicò obligatus est venditor, ut rem emptori tradat, quia in hujusmodi casu fictione Juris emptor jam censetur esse dominus ad hoc, ut res eidem pereat, & fructificet, prout in simili cum Haunoldo jam responsum est suprà *num.* 214.

237 Ad *l. Curabit C. de Action. empti.* Respondetur, eam potiùs pro conclusione nostra, quam contra eam militare; cùm ex ea manifeste pateat, quod emptor etiam ante solutionem pretii fructus rei venditæ percipiat. Nec facit contra conclusionem, quod emptor ante solutionem pretii percipiens fructus: debeat postea unà cum pretio usuras ejusdem pretii restituere; quia per hoc non sequitur, quod emptor debeat fructùs restituere, vel compensationem eorundem facere, sed tantùm, quod debeat consuetas usuras pretii, v. g. 5. pro centum restituere, ut videlicet, dum emptor cum suo commodo ante solutionem percipit fructus rei, etiam venditor aliquo fruatur commodo, usura nempe pretii consueta. qua compensetur cessans lucrum, quod forsan fuisset, si pretium eidem ab emptore solutum fuisset, per quod etiam patet ad rationem ex *l. Julianus §. 20.* additam.

238 Ad *l. Qui pendentem 25. ff. de Action. empti & §. 8. Leg. 13. ff. de eod.* Respondetur, ex illis plus non probari, quam quod venditor rem venditam nondum traditam pignoris loco, donec emptor solvat, retinere, non autem, quod fructus sibi appropriare valeat. Item quod, si rem jam tradidit, possit non tantùm actionem contra emptorem intentare, ut pretium unà cum usura ejusdem restituat, sed etiam prohibitoriales impetrare, ne emptor, donec solvat, fructus colligat.

239 Ex duplici hac conclusione infertur I. Quod, si quis vendat agrum plenum adhuc fructibus immaturis, vel etiam maturis, debeat restituere emptori, si quos fructus ex eis post venditionem ante traditionem colligit, per ea, quæ dicta sunt *nu.* 227.

240 Infertur II. Restitutioni obnoxium esse venditorem, si post venditionem utatur servo, vel jumento, vel alia re vendita, etsi nondum tradita, juxta dicta *num.* 232. quibus concordat *l. Julianus 13. §. 13. ff. de Action. empti* ibi: *Si quid ex operis servorum, vel vectura jumentorum, vel navium* (post eorum venditionem) *quæsitum est emptori præstabitur.* Idem ex eodem Jure est, si quis domum, hortum, vineam &c. vendat & post venditionem locat, vel de prius locata percipit fructus à tempore venditionis peractæ. Quamvis domus priùs locatæ fructus usque ad tempus venditionis pro rata temporis percipere licitè possit. Cæterùm notanter dicitur in conclusione *num.* 232. posita, *Nisi inter contrahentes alias conventio fuerit.* Nam

241 Resp. IV. Si circa fructuum perceptionem inter contrahentes specialis fiat pactio, vel conventio, eidem omnino standum erit. Palao cum communi aliorum, *arg. l. Qui fundum 40. §. 18. ff. de Contrah. Empt. & l. Julianus 13. §. 18. ff. de Action. emp.* cum concordantiis. Ratio est: quia *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur Reg. 85. Jur. in 6.* Ex hac conclusione

242 Infertur I. Posse venditorem tempore contractus per specialem conventionem tantum sibi reservare de fructibus rei venditæ, quantum ex dilatione solutionis prudenter sibi timet imminere damni emergentis, vel lucri cessantis. Ita ex allegatis principiis docet Lugo *disp. 25. num.* 140. dicens, de hujus veritate non existere dubium.

243 Infertur II. Non tantùm fructus, sed & ipsum rei venditæ, etiam jam traditæ dominium per specialem conventionem reservare sibi posse venditorem; donec emptor solvat; dummodo simul etiam periculum ejusdem rei in se assumat: *quia cujus est commodum, ejus debet esse etiam periculum §. 3. Instit. h. t.*

244 Postquam verò dominium in emptorem venditor jam transtulit, nullumque periculum lucri cessantis, vel damni emergentis apparet, non potest ob solam dilationem pretii sibi reservare fructus rei venditæ; prout contra non paucos, ut Bartholum, Baldum, Covarruviam, & alios, quorum sententiam probabilem judicat Molina *disp* 368. *nu.* 17. Lugo *disp.* 25. *num.* 138. Diana, & Sanchez docet Sylvester *V. Usura 2. qu.* 11. Rosella *v. Usura 1. num.* 47. S. Antoninus 2. *par. tit. 1. cap. 7. §. 10.* Abbas, Alexander, & alii Juristæ, quos refert Sanchez *Consil. Moral cap. 7. dub. 21. num.* 2. Ratio est; quia ob solam dilationem solutionis fructus reservare, vel aliquid accipere, usurarium est per ea, quæ dicta sunt suprà *nu.* 150.

245 Quæritur III. Quid Juris, si una eademque res pluribus successivè in solidum vendatur? Resp. I. Si nemini ementium res tradita est, nec ullus eorum dominium & jus in re adhuc obtinuit, illi tradenda est res, qui prior emit. Covarruvias *l. 2. Variar. Resol. cap.* 19. *nu.* 6. Palao *de Just. comm. disp. 5. punct.* 27. *nu.* 1. Haunold. *Tr. 10. c. Controv.* 12. *nu.* 71. Lessius *cap. 21. dub. 20 nu.* 140. cum communi & certa aliorum: quia cæteris paribus, *qui prior est tempore, potior est jure, Reg. 54. Jur. in 6.* Idem ob eandem rationem est; quando est dubium, an in aliquem, vel in quem dominium sit translatum. Nisi forsan secundus emptor, pretium jam numerasset, & scivisset: tunc enim præsumeretur, quod eidem res etiam tradita, vel dominium in eum translatum fuisset; prout benè observat Covarruvias *loc. cit.* Palao *loc. cit. n.* 5. Lessius *loc. cit.*

246 Resp. II. Si secundo emptori res non tantùm vendita, sed etiam tradita est, præferendus est priori emptori. Ita DD. citati & Communis aliorum, *l. Quoties 15. C. de Rei vendic.* ibi: *Quoties duobus in solidum prædium jure distrahitur, manifesti Juris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem.* Ratio est; quia regulariter loquendo sola venditione non transfertur dominium rei venditæ, sed requiritur etiam traditio, *l. Traditionibus 20. de Pactis*, ibi: *Traditionibus, & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur,* & §. 3. *Instit. h. t Sane qui. nondum emptori rem tradidit, adhuc ipse dominus est*; consequenter eam tanquam suam adhuc ipse dominus, vendere adhuc potest priori, venditione non obstante, vendere adhuc potest, & alteri; saltem validè: quamvis vendendo peccet, & pœna falsi puniatur, *L. 2. ff. ad Leg. Cornel. de Falsis*, ibi: *Qui duobus in solidum eandem rem diversis contractibus vendidit, pœna falsi coercetur.* Quæ pœna est deportatio, & omnium bonorum publicatio, *Leg. 1. §. fin. ff. eod.*

247 Præter hanc pœnam venditoris, habet etiam contra ipsum prior emptor actionem, non tantùm ad recuperandum pretium, si quod forsan jam solvit, sed etiam ad interesse, ita ut præter pretium, tantum debeat emptori compensare, quantum ejus intererat, rem alteri non esse venditam, textu expresso *l. Qui tibi 6. C. de Hæred. vel Action. vend.*

Li-

248 Limitatur tamen Conclusio primò in casu, quo prior emptor est privilegiatus, ita ut eidem dominium peracta venditione etiam ante traditionem acquiratur. Hic enim rem tanquam suam vendicare poterit, etiamsi secundo emptori jam sit tradita. Lessius *loc. cit. nu.* 76. Covarruvias *lib. 2. Variar. Resol. cap. 19. nu.* 2. Molina *disp.* 369. post principium, & communis aliorum. Ratio est manifesta, quia hoc ipso, quod talis emptor statim post emptionem absque traditione rei dominium acquirat, venditio subsequens jam erit rei alienæ. Hujusmodi emptores privilegiati sunt Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia, & alia loca pia; item qui pro civitatibus, vel pro redemptione captivorum emunt *l. Ut inter 23. C. de SS. Ecclesiis.*

249 Limitatur secundò, quando priori emptori res vendita, fuerit etiam hypothecata; cùm enim stante tali hypotheca primus emptor illicò acquirat jus in re, hoc ipso secundus emptor tam firmum & stabile dominium rei acquirere non potest (etiamsi eidem tradatur) quin possit prior emptor vindicare. Covarruvias *loc. cit* Gutierez *de juramento 1. par. cap. 30. n.* 2. Molina *disp.* 369. Lessius *loc. cit. n.* 14. & communis aliorum, *arg. l. Si prior §. fin. ff. Qui potiores in pignore*, ibi: *In pignore placet, si prior convenerit de pignore, licet posteriori res tradatur, adhuc potiorem esse priorem*, & ibi. *Glossa.*

250 Limitatur tertiò: si secundus emptor conscius fuit, rem priùs jam fuisse alterii venditam; hoc enim in casu prior emptor rem à secundo emptore revocare, & vindicare potest intra annum, numerandum à die notitiæ de alienatione secunda acquisitæ, *L. 1. & seqq. ff. Quæ in fraudem creditorum*, & tenent Baldus *in Rub. C. eod.* Covarruvias *loc. cit. n.* 5. Molina *disp. 369. n.* 9. Lessius *loc. cit. n.* 142. Layman *lib. 3. sect. 5. tr. 4. cap. 17. n.* 19. Palao *loc. cit. n.* 10. & communis aliorum. Post annum autem elapsum secundus emptor in foro externo non ampliùs tenetur rem emptam priori emptori restituere, uti patet ex *cit. L. 1. & l. Ait prætor ff. eod.* certumque cum citatis DD. *loc. cit.* supponit Palao.

251 Num autem etiam in foro conscientiæ post annum liber sit à restitutione, graviter controvertunt DD. citati & alii. Probabilior & communior ait, elapso anno, esse quidem liberum secundum emptorem ab onere restituendi rem ipsam, manere tamen obligatum ad compensandum id, quantum interfuit primo emptori, rem secundo non esse venditam. Ratio est; quia iniuste damnificavit primum emptorem; ergo ad restitutionem tenetur saltem in casu, quo iniquus venditor, tanquam principalis damnificans restituere non vult, vel non potest, *arg. c. fin. de Injur. & dam. dat.*

§. IX.

De Pactis, quæ Emptioni Venditioni subinde apponuntur, in specie de Pacto legis commissoriæ, Addictionis in diem, Retrovendendi, & Mohatræ: ubi etiam de Arrhis.

SUMMARIUM.

252 *Emptioni Venditioni licitè apponuntur pacta.*
253 *Pactum legis commissoriæ, quid?*
Lex commissoria, & pactum legis commissoriæ idem sunt. Ibid.
254 *Quare dicatur hoc pactum legis commissoriæ?*
255 *Si emptor determinato per pactum tempore non solvit, dicitur commissa lex, & statim ipso jure res ad venditorem redit.*
256 *Una cum omnibus fructibus interea ab emptore perceptis.*
257 *Nisi venditor præeligat pretium, uti potest, ita tamen, ut si semel pretium petat, variare ampliùs non possit.*
258 *Emptor id præstare debet, quod venditor elegerit.*
259 *Pactum addictionis in diem quid? & unde origo ejus.*
260 *Melior conditio quæ dicatur.*
261 *Si in tempore per pactum determinato alius emptor meliorem conditionem offert, ipso jure res vendita, una cum fructibus interea perceptis ad venditorem redit.*
262 *Dummodo verè, & non dolosè melior conditio offeratur.*
263 *Et eam venditor acceptet.*
264 *Illamque prior emptor præstare nolit.*
265 *Simulque in vivis adhuc existat venditor, vel idoneus adsit hæres.*
266 *Tempore intermedio per pactum addictionis in diem determinato emptor est dominus, pertinentque ad illum fructus, commoda.*
267 *Et pericula.*
268 *Si venditio celebrata fuit absolutè: secùs, si conditionatè, quandonam talis venditio absolutè, quando conditionatè fiat?*
269 *Conditio suspensiva, non item resolutiva facit contractum conditionatum, Quid sit utraque conditio?*
270 *Pactum addictionis in diem, & legis commissoriæ licitum est.*
271 *Quid sit, & quotupliciter fieri queat pactum retrovendendi, seu redimendi Et n. seqq.*
273 *Effectus hujus pacti potissimus est obligare emptorem ad revendendum, ita quidem, ut non satisfaciat præstando interesse.*
274 *Ratio hujus redditur.*
275 *Obligatus ad factum, an, & quando satisfaciat præstando interesse.*
276 *Cum pacto retrovendendi emens fit dominus rei, & lucratur omnes fructus.*
277 *Nec tenetur eos tempore retrovenditionis restituere, & quare?*
278 *Fructus pendentes pro rata temporis sunt dividendi inter emptorem, & venditorem.*
279 *Solvuntur leges in contrarium allegatæ.*
280 *Ponitur casus, in quo fructus pendentes ad venditorem pertinent.*
281 *Incrementa, & accessiones rei interea factæ emptoris sunt.*
282 *Ad quem pertinet decrementum, pertinere etiam debet incrementum.*
283 *Solvuntur leges in contrarium allegatæ.*
284 *Pactum retrovendendi in gratiam venditoris, utroque Jure licitum est.*
285 *Non benè probatur ex Scriptura* Lev. 25.
286 *Ponitur alia probatio.*
287 *Solvitur instantia.*
288 *Ut licitè fiat hoc pactum, debet abesse omnis animus usurarius.*
689 *Signum animi usurarii est, si emptor nimis vile pro re det pretium.*
290 *Potest tamen minùs ordinario justo dare pretium.*
291 *Si emptor nimis utile sibi paciscatur tempus, signum præbet usurariæ mentis.*
292 *Sicut etiam, si postulanti mutuum offerat emptionem cum pacto retrovendendi.*
293 *Item si pro retrovenditione majus paciscatur pretium.*
294 *An unum sufficiat, vel plura requirantur ex præfatis, signa ad judicandum usurarium?*
295 *Etiam in gratiam Emptoris licitè fieri potest.*
296 *Ponuntur quædam formulæ emendi cum pacto retrovendendi.*
297 *Ponuntur quædam illicitæ formulæ.*
298 *Contractus Mohatra, vel Varatra quid?*
299 *Non est licitus.*
300 *Arrha quid? à quo, & quando detur?*
301 *Si datur ante contractum omnino perfectum, in signum, & securitatem perfectionis faciendæ, recedi adhuc potest à contractu, sed tamen qui altero invito discedit arrham perdit, vel duplum restituit.*
302 *Contractu jam completo, & pretio soluto restitui debet arrha, nisi jam sit in pretium computata.*
303 *Si post perfectum jam contractum, sed ante rem traditam, & pretium solutum datur Arrha, recedi adhuc posse à contractu, volunt plures.*
304 *Eligitur sententia negativa.*

Sol-

305 *Solvitur objectio.*
306 *Et instantia.*

252 QUæritur I. An contractui Emptionis Venditionis valide, & licite apponi possint à contrahentibus pacta specialia, vel conditiones? Resp. affirmative. Est extra controversiam. Patetque responsio ex toto Tit. *C. de Pactis inter emptorem & venditorem*; ut proin non minùs Emptio Venditio, quam alii contractus ex conventione legem accipere dignoscantur, *Reg. 58. Jur. in 6.* Hujusmodi pacta quamvis varia esse possint, pro beneplacito nempe contrahentium, specialiter tamen tria in legibus magis reperiuntur, magisque à Legistis examinantur, videlicet pactum legis commissoriæ, pactum addictionis in diem, & pactum retrovendendi. De quibus & nos in præsenti agemus. Hinc

253 Quæritur I. Quid sit, & quos effectus pariat pactum legis commissoriæ? Resp. I. Est pactum à contrahentibus Emptioni Venditioni appositum ad hoc, ut nisi intra certum tempus emptor solverit pretium, ut sit inempta, seu contractus sit nullus. Ita in re communis, patetque ex *l. 2. & 5. ff. de Lege Commissoria*. Legistæ plerique illud non vocant pactum legis commissoriæ, sed absolutè legem commissoriam; prout etiam ipsum Jus Civile illud nominat, ponendo integrum Tit. *de Lege commissoria*. Verùm à parte rei sunt idem lex commissoria, & pactum legis commissoriæ: Quo termino posteriori communiter utuntur Canonistæ; quia in Jure Canonico *c. Significante 7. de Pignor.* ita vocatur; quod etiam plures Legistæ imitari non dubitant: ut proin prorsus inutilis lis de nomine sit, quam excitat Erasmus Rotterodamus, an lex commissoria vel pactum legis commissoriæ nominari debeat.

254 Cæterùm dicitur *Lex*, seu pactum legis; quia pactum privatorum dicitur etiam lex saltem privata, *l. 20. §. 1. ff. de Pactis*, & quia, quando emptor hoc pactum non observat, dicitur committere *in Legem*, seu lex dicitur commissa, *arg. l. fin. de Lege commiss.* vel quia pacto hoc non observato, committitur seu relinquitur arbitrio venditoris, an velit contractum adhuc servare, an verò velit irritum facere, *l. Nam legem 3. & l. Si fundus 4. ff. de Lege commiss.*

255 Resp. II. Si emptor determinato per pactum tempore pretium non solvit, dicitur lex commissa, reditque res vendita illicò ipso jure ad venditorem, *l. fin. ff. de Lege commiss.* Etiamsi emptor à venditore ad solvendum non moneatur aut interpelletur, *l. Si fundus 4. §. fin. eod* quia in hoc dies interpellat pro homine, *l. Magnam 12. C. de Contrab. & commut stip.* Nisi forsan emptor legitimam allegare posset causam, ob quam à solutione impeditus fuerit, v. g quia volens solvere pretium, habere non potuit præsentiam venditoris, *cit. l. Si fundus 4. §. 5. & l. fin. de lege commiss.* vel quia Fiscus solutionem prohibuit *cit. l. fin.*

256 Resp. III. Non tantùm resipsa vendita iterum redit ad venditorem, sed etiam fructus interea ab emptore percepti; item & reliqua commoda, vel accessiones rei, eidem restitui debent, *l. Si fundus 4. & l. lege fundo 5. ff. de lege commiss.* ubi etiam ratio additur; quia nihil penes eum residere oportet ex re, in qua fidem fefellisset. Non obstante, quod emptor verum acquisierit dominium fructuum interea ex re vendita collectorum, *cit. l. lege fundo*; quia dominium hoc resolubile est, & rescisso contractu reducitur ad non titulum dominii, ita, ac si nunquam fuisset. prout benè observat Haunold. *tr. 10 c. 1. Contr. 21.*

257 Resp. IV. In libera potestate venditoris quidem positum est, utrùm lege commissa, id est, pretio per emptorem debito tempore, non soluto, velit pretium adhuc petere, vel contractum irritum habere, remque venditam una cum fructibus accipere; nihilominus statim se resolvere debet, & si semel alterutrum elegerit, variare amplius non potest, *l. Si fundus 4. ff. de lege commiss.* ibi: Eleganter Papinianus scribit, statim atque commissa est lex, statuere venditorem debere, utrùm commissoriam velit exercere, aut potius pretium petere, nec posse, si commissoriam elegerit, postea variare. Concordat *l. 4. C. de Pactis inter emp:* Quare si partem pretii accepit, vel etiam, si post legem commissam venditor pretium petat, legi commissoriæ renunciatum videtur, nec variare, & ad hanc redire potest, *l. Post diem 7. ff. de lege commiss.*

258 Resp. V. Quamvis, ut dictum, sit in libera potestate venditoris positum, an post commissam ab emptore legem, vel pretium petere: vel legis favore gaudere velit: tamen vicissim non est in potestate emptoris, lege commissa pretium solvere, vel contractum irritare, sed debet etiam invitus se accomodare voluntati venditoris: *arg. cit. Juribus*, præsertim *l. 4. ff. de lege commiss. & l. 3. eod.* Ratio est; quia alias, quod in favorem venditoris introductum est, in ejus odium & perniciem cederet, quod omnino absurdum est, *l. 40. §. fin. ff. de Fidec. lib.* ac iniquissimum *l. 6. C. de Legibus*.

259 Quæritur II. Quid sit, & quos effectus habeat pactum addictionis in diem? Resp. I. Est pactum à contrahentibus venditioni appositum, ad hoc, ut liceat venditori rem venditam, denuò alteri emptori vendere, si intra certum tempus aliquis meliorem conditionem pro tali offerat. Ita desumitur ex *l. 1. ff. de In diem, addict.* atque *l. 2. §. 4. ff. Pro emptore*. Originem hoc pactum sumpsit à publicis venditionibus sub hasta, ubi pluribus emptoribus concurrentibus, illi res addicitur, qui licitando plus offert. Inde enim ad privatas Venditiones hic vendendi modus ductus est. Dicitur autem *Addictio in diem*; quia primo emptori non statim irrevocabiliter & perpetuò addicitur, id est, datur & tribuitur; sed in diem, id est, ad certum tempus, intra quod si nullus emptor meliorem conditionem offerens appareat, addicitur tandem perpetuò, & irrevocabiliter; prout cum aliis benè declarat Haunoldus *tr. 10. cap. 1. Contr. 20. n. 180.*

260 Quisnam porrò meliorem conditionem offerre dicendus sit, optimè declarat *l. Tibi autem 4. §. fin. ff. de In diem addict.* his verbis: Melior autem conditio adferri videtur, si pretium sit additum, sed & si nihil pretio addatur solutio autem offeratur facilior pretii, vel maturior, melior conditio adferri videtur. Præterea si locus opportunior solvendo pretio dicatur, æque melior conditio allata videtur &c. Si quis accedat ejusdem pretii emptor, sed qui levioribus emat conditionibus, vel qui satisdationem nullam exigat, melior conditio allata videtur. Idem erit dicendum, & si viliori pretio emere sit paratus, ea tamen remittit, quæ venditori gravia erant in priori Emptione. Imo universaliter loquendo, quidquid ad utilitatem Venditoris pertinet, pro meliori conditione haberi debet, *l. Quidquid 5. ff. eod.*

261 Resp. II Si Venditione cum pacto addictionis in diem celebrata, intra tempus determinatum comparet alius emptor meliorem conditionem offerens, eamque Venditor acceptet, statim ipso jure, absque ulla alia actione dominium rei Venditæ iterum redit ad Venditorem, textu claro *l. Si quis hoc lege 41. prin. ff. de Rei vend.* solutque pignus, si res intermedio tempore ab emptore alii est oppignorata, *l. Ubi autem 4. §. 3. ff. de In diem addict.* & debet emptor una cum re etiam omnes fructus interea ex illa perceptos, sicut & accessiones, ac commoda illius restituere, *l. Item 6. ff. eod.* Conceditur tamen emptori deducere expensas, quas interea in rem necessarias se fecisse probare potest, *l. Imperator 16. eod.* ibi: Imperator scripsit, sicut fructus addictæ domus, cum melior conditio fuerit allata, Venditori restitui necesse est, ita rursus, quæ prior emptor medio tempore, necessario probaverit erogata, de reddita retineri, vel, si non sufficiat, solvi æquum est.

262 Resp. III. Ut pactum addictionis in diem enunciatum in præcedenti conclusione effectus habeat, requiruntur sequentes conditiones, Prima est, ut alius emptor sincere absque dolo, & simulatione meliorem conditionem offerat, quia simulata pro infectis haberi debent, *l. 4. cap. Si certum pet.* alias enim tam emptori quam Venditori facile foret, pro libitu à contractu recedere, subornando aliquem, ut simulate plus offerat. Hinc, si Venditor simulaverit meliorem allatam conditionem, cum minoris, vel tantidem alii venderetur, utrique emptori in solidum erit obligatus, statuit in pœnam doloris venditoris, *l. Si venditor 14 ff. de In diem addict.* Si verò emptor simulatè & dolosè alium emptorem substituat, v. g. aliquem, qui quidem majus pretium offert, sed solvendo non est, ignorante id Venditore, valebit quidem venditio secunda, primaque ipso jure evanescet, *cit. l. 14 §. 1.*

§. 1. & 2. deceptus tamen Venditor habebit actionem cum priori emptore, quanti sua intersit, id non esse factum, *cit. l. 14. §. 1.*

263 Secunda conditio est, ut Venditor oblatam à secundo emptore meliorem Conditionem re ipsa acceptet, & pro ea eidem rem vendere velit: si enim secundo huic emptori pro oblata meliori conditione rem Vendere recuset, uti potest, *l. Sabinus 9. ff. eod.* ubi Sabinus scribit, licere Venditori meliorem oblatam abjicere, & sequi primam quasi meliorem, subsistet prima Emptio etiam invito emptore, *cit. l. 9.* nisi nominatim & expressè convenerit, ut liceret emptori resilire, meliori conditioni oblata, tunc enim dicendum erit, dissolutam priorem emptionem etiamsi Venditor sequentem non admittat, *cit. l. 9. ff. eod.*

264 Tertia conditio est, ut emptor primus ipse nolit ob latam meliorem conditionem præstare, vel adæquare; si enim prior emptor ad idem se offert, subsistet venditio, *c. Licet ff. eod.* ibi: licet oblata, addicere, autem Venditori meliori conditione posteriori, nisi prior paratus sit addicere, unde debet Venditor priorem emptorem de oblata ab alio, meliori conditione monere, *l. Necesse, 8. eod.* ubi etiam ratio additur, videlicet, ut, si quid alius adjicit, ipse quoque adjicere possit.

265 Quarta conditio est, ut intra diem seu tempus addictionis venditor non moriatur, vel si moriatur, existat intra illud tempus hæres idoneus, cui melior conditio possit offerri, *l. Si prædio, 15. ff. eod.* ibi: Si prædio in diem addicto, ante diem resolutionis præfixum venditor mortuus sit, sive post diem hæres ei existat, sive non existat, priori emptori, prædium emptum est.

266 Respond. IV. Si emptio cum pacto addictionis in diem absolutè, & non conditionatè fiat, acquirit emptor verum quamvis revocabile rei venditæ dominium, & fructus intermedio tempore suos facit, pertinentque ad eum tanquam dominum accessiones & commoda rei emptæ, *l. 2. §. 1.* ibi: ubi pura est venditio *Julianus* scribit, hunc, cui res in diem addicta est, & *fructus*, & accessiones lucrari, intellige tamen revocabiliter. Potest etiam rem ita emptam tanquam dominus illius oppignorare, *cit. l. 4. §. 2. eod.*

267 Econtra verò ad eundem quoque tanquam verum dominum pertinet etiam rei periculum, *L. 2. ff. eod.* ubi Julianus scribit, & periculum ad eum pertinere, si res interierit, intermedio illo per pactum addictionis in diem determinato tempore. Ratio est; quia juxta superiùs jam dicta, res domino suo perit, & non alii, *L. 9. C. de Pign. act.*

268 Dicitur autem notanter, si absolutè; quia si conditionatè celebratur venditio cum pacto addictionis in diem, nec periculum, nec commoda rei ad emptorem, sed ad venditorem tanquam dominum adhuc spectant *l. 4. ff. eod.* eò quòd venditio conditionata ante conditionem adimpletam non censeatur emptio perfecta, sed suspensa. Utrum autem & quando absoluta quando conditionata censeri debeat hujusmodi venditio, attendendum est juxta Ulpianum *l. 2. ff. eod.* quid actum sit: nam si quidem hoc actum est, ut meliore allata conditione discedatur; erit pura Emptio, quæ sub conditione resolvitur: sin autem actum est, ut perficiatur Emptio nisi melior conditio offeratur, erit Emptio conditionalis. Ex quo colliges, absolutam fore sequentem & similes venditiones cum pacto addictionis in diem: vendo tibi hanc rem, ita tamen, ut si melior conditio intra octo dies ab *alio* offeratur, mihi liceat ab hac venditione discedere, & rem alteri vendere: sequentes verò & similes conditionatas esse: vendo tibi hanc rem, vel sit tibi vendita hæc res, si non, vel nisi intra octo dies alius meliorem conditionem offerat.

269 Dices, in utroque casu adest particula *si* vel *nisi*, ergo utrobique erit emptio conditionata; quia hæ particulæ conditionem exprimunt, *L. 41. ff. de Contrab. empt.* Respondetur concesso ant. negando conseq. quia in uno ponitur conditio suspensiva, in altero resolutiva. Non enim quævis conditio apposita, sed suspensiva solum, id est, quæ usque ad sui positionem suspendit actum, facit contractum conditionalem. Non item Resolutiva conditio, id est illa, quæ resolvit, & annullat contractum, non quidem, si ipsa deficiat, sed si existat. Exemplum habetur *l. 3. ff. de Contrab. empt.* ibi: *Si res ita distracta sit, ut si displicuisset, inempta esset, constat non esse sub conditione distractam, sed resolvi Emptionem sub conditione.* Haunold. *tract. 10. c. 1. n. 17. & 179.*

Porrò, quòd Emptio Venditio cum pacto addictionis in diem, sicut & legis commissoriæ in utroque foro liceat, non tam probandum quàm supponendum esse, benè dicit Azorius; cùm sit omnium sententia, ut idem asserit *part. 3. lib. 7. c. 13. & 14.* 270

Quæritur III. Quid sit, & quos effectus producat pactum retrovendendi, seu, ut alii loquuntur, redimendi? Resp. I. Est Pactum à contrahentibus Emptioni Venditioni appositum, ad hoc, ut emptor vel possit, vel debeat rem emptam revendère venditori. Ita desumitur ex *L. 2. C. de Pactis, inter empt.* Patetque bonitas definitionis ex eo, quòd conveniat omnibus hujus pacti modis, seu speciebus, enimverò non uno, sed variis modis hoc pactum fieri, & contractui apponi potest, ut cum aliis benè advertit Azorius *part. 3. lib. 7. c. 12. Quintò quæritur.* Primò in gratiam solius venditoris; & fit, quando emptor tenetur rem emptam revendère venditori; id postulanti: qui retrovendendi modus frequentior cæteris est, teste Lessio *c. 21. dub. 14.* Secundò in gratiam solius emptoris, & fit quando venditor cum tempore tenetur rem à se venditam iterum emere. Tertiò in gratiam utriusque, quando nempe uterque contrahentium se obligat ad celebrandum novum contractum, emptor nempe ad revendendum, si venditori placuerit; venditor verò ad emendum seu redimendum, si emptor postulaverit. 271

Rursus fieri potest cum determinatione certi temporis, vel sine hujusmodi determinatione, ita, ut quandocunque placuerit venditori, teneatur emptor revendere, vel venditor iterum emère, si libuerit emptori. Quando fit cum assignatione certi temporis, iterum variè celebrari potest, videlic. vel ut intra certum tempus teneatur emptor rem emptam venditori revendere; vel ut intra certum tempus duorum ver. gr. annorum non possit res vendita redimi: vel ut non nisi certo anni tempore redimi valeat. 272

Resp. III. Pactum retrovendendi in favorem venditoris appositum, hunc potissimum producit effectum, quòd obliget emptorem ad revendendam venditori rem ab eodem priùs venditam, ita quidem; ut huic obligationi suæ non satisfaciat, solvendo interesse. Fachin. *lib. 2. c. 8.* Haunoldus *loc. cit. n. 198.* Pinel. in *L. 2. C. de rescind. vend. par. 2. c. 3. nu. 22.* Palao, & communis aliorum, contra Corneum, Cagnol. & alios, quos refert, & refutat Pinel. *loc. cit.* ubi ait, eos improvidè læsos esse. Probatur ex *L. 2. C. de Pact. inter. empt.* ubi expressè habetur, quòd si hæres emptoris non pareat (hoc est, retrovendere nolit) competat venditori actio ex vendito contra illum. Non autem competeret, si liberum esset emptori rem revendere, vel interesse solvere. Hunc faciunt etiam *L. 68. ff. de Rei vind. L. 25. §. 1. ff. de Contrab. Empt.* 273

Confirmatur. Pactum retrovendendi in favorem creditoris ideo plerumque fit, & conceditur à Jure, ut necessitate pressi res suas vendentes, habeant opportunum remedium easdem cum tempore denuo recuperandi. Quibus propterea etiam conceditur actio, *cit. L. 2. C. de Pactis inter empt.* atqui non esset consultum miseris venditoribus; si emptor solvendo interesse à revendendi obligatione immunem se fecere posset. 274

Objiciunt Adversarii. Obligatus ad factum aliquod, satisfacit obligationi suæ, vel exequendo factum, vel solvendo interesse, *l. Stipulationem. 72. §. Celsus. ff. de V. O.* sed ex pacto retrovendendi consurgit obligatio ad factum; revendere enim est facti, *arg: L. 4. ff. de Usur.* ergo. Respondetur primò, incertum esse, an obligatus ad factum satisfaciat præstando interesse, ut post Glossam *fin. in l. Si quis ab alio. ff. de Re judic* solidè ostendit Molina *disp 562. n. 4.* Respondetur secundò, distinguendo: obligatus ad factum satisfacit præstando interesse, quando obligatio non præcisè, & determinatè ad factum se extendit, transmittitur; si se ita extendat, negatur, *arg. l. 34. ff. de Reg. Jur.* juncta *l 6. C. de Rescind. vendit.* 275

276 Resp. III. Pactum retrovendendi non impedit, quin emptor rei emptæ verus evadat dominus, fructusque omnes, tempore, quo possidet, faciat suos, ita quidem, ut eosdem restituere non ampliùs teneatur, etsi postea juxta exigentiam pacti, rem iterum revendat venditori. Est certa & unanimis DD. Et quidem, quod fiat dominus, inde patet; quia emptor solvit pretium, & venditor tradit mercem, quo facto dominium transferri, constat ex § 41. *Instit. de rerum divis. & l. 22. C. de Pactis*. De fructibus constat, tum ex *l. cùm te fundum. 6. C. de Pact. inter empt.* ubi non nisi illi fructus venditori attribuuntur, quos emptor in mora retrovendendi existens collegit: tum quia secundum naturam est, commoda cujuscunque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda, *l. Secundum. 10. de R. I.* Accedit quod quævis res domino suo fructificet.

277 Quòd verò fructus perceptos non ampliùs teneatur restituere, sicuti eos restituere tenetur, qui cum pacto legis commissoriæ, aut addictionis in diem emit, juxta dicta superius *nu. 256. & nu. 261.* Ratio est; quia vi illorum pactorum contractus Emptionis priùs factus totaliter & ita resolvitur, ac si nunquam fuisset factus; si autem contractus factus non fuisset, certum est, quòd fructus ad emptorem non pertinuissent, consequenter nec ad eum pertineant, casu quo juxta conditionem pacti, contractus resolvitur. Econtra verò vi pacti retrovendendi, non rescinditur priùs facta Emptio Venditio, sed celebratur nova; vi cujus fit venditor, qui priùs erat emptor; conveniunt enim emptor & venditor hoc pacto inter se, ut si venditor reddat pretium emptori, hic teneatur illi revendere; vel si emptor reddat rem venditori, hic refuso pretio teneatur emere seu redimere; qua ratione novum celebrari contractum, dubium non est, *l. Ab Emptione. 58. C. de Pactis*. Unde fit, quòd fructus priùs percepti maneant penes venditorem, haud secus, ac si rem alicui tertio venderet.

278 Resp. III. Fructus pendentes adhuc immaturi dividendi sunt pro rata temporis inter emptorem, & venditorem, ita ut quoad valorem, & æstimationem, quam tempore revenditionis faciendæ habent, maneant emptoris: secundum valorem verò & æstimationem, quam à tempore revenditionis, vel à mora emptoris in revendendo, habent, pertineant ad venditorem redimentem. Covarruvias *lib. 1. Variar. Resol. c. 15.* Berlich. *p. 2 concl. 2. n. 69.* Molina *Disp. 374. n. 3.* Lessius *lib. 2. c. 21. n. 123.* Tusc. Jason, & teste Fachin. *lib. 2. controv. c. 14.* communis aliorum, contra Baldum, Alexandrum, & alios, quos refert, & sequitur Petr. Barb. in *l. 8 princ. ff. Solut. Matr. n. 70.* Conclusio hæc sequitur ex priori: cùm enim juxta illam omnes fructus pertineant ad emptorem, fructusque pendentes etiam sint fructus pretio revera æstimabiles secundum valorem, quem prudentum judicio tunc habent, haud dubiè secundum eundem valorem etiam ad emptorem pertinebunt.

279 Dices *l. Julianus 13. §. 10 ff. de Action. empt. l. Fructus 13. & l. Post perfectam. C. eod. l. fin. ff. Quæ in fraudem*. Fructus rei pertinent ad illum, qui hic & nunc rem emit, atque, dum vi pacti retrovendendi venditor rem venditam redimit, verè emit, emptorque evadit, ergo ad eundem pertinebunt fructus præsertim pendentes, cùm hi sint pars fundi, *l. Fructus. ff. de Rei vendicat.* Resp. citatas leges loqui de communibus & ordinariis Emptionibus, in quibus fructus rei ad emptorem pertinere, gratis conceditur, & dictum est suprà *n. 227.* quia in illis ob pendentes sive maturos, sive immaturos fructus pretium rei augetur. Secùs est de retrovenditione, in qua quia emptor ob fructus pendentes pretium urgere nequit, sed eodem pretio, quo rem priùs emit, revendere debet, potest valorem fructuum pendentium utpote commodum sibi tanquam domino accrescens pro rata temporis deducere.

280 Aliud foret, ut benè advertit Covarruvias *loc. citat. n. 7. ad finem*; si vi pacti retrovenditionis, venditor non eodem, sed alio, currente nempe tunc justo pretio rem redimeret; tunc enim sicut in aliis Emptionibus fructus pendentes procul dubio ad ipsum transirent, eò quod ob illos pretium in contractu augeri jam supponeretur. Pariter ad venditorem etiam eodem pretio redimentem, pertinerent fructus pendentes, si emptor cum iisdem fructibus rem priùs pari pretio emerat.

281 Respond. IV. Etiam incrementa, & commoda, quæ per alluvionem, vel alio modo, rei ante retrovenditionem adveniunt, remque meliorem reddunt, ad emptorem pertinent. Menochius *l. 1. Concl. 26.* Lopez *p. 2. consilt 1. defens. 18.* Fachin. *lib. 2. Controv cap. 6.* & communis aliorum contra Tiraq. *de Retr. Convent. ad fin. n. 92.* Berl. *p. 2. conc. 2. a. n. 54.* & alios. Ratio est; quia emptor non obstante pacto retrovendendi fit verus dominus rei emptæ; ut ipsi fatentur Adversarii, & fusè probat Tiraq. *loc. cit. §. 2. a. n. 36.* domino autem accedunt commoda, & incrementa, sicut & detrimenta rei, *l. 33. & 34. ff de Rei vind.*

282 Confirmatur: ad quem spectat damnum decrementi, ad eundem etiam spectare debet lucrum incrementi, *l. Si id, quod, 7. §. ult. ff. de Rescind. vendit. & l. penult. c. de Solut.* & meritò, quia secundum naturam est, commoda cujuscunque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda, *L. 10. ff. de R. I.* atqui juxta ipsos etiam adversarios pericula & incommoda rei cum pacto retrovenditionis venditæ, ad emptorem spectant, non obstante, quod ejusdem rei revocabile tantùm habeat dominium: ergo etiam eodem non obstante ad eundem quoque commoda & incrementa spectare debent. Ex quo sequitur, si incrementum rei separabile est, non teneri emptorem illud unà cum re venditori redimenti revendere, sed retineri ab eo posse; si separabile non est, ejus æstimationem solvi debere à redimente.

283 Objiciunt Adversarii *l. 23. §. 1. ff. de Ædilit. edict.* ubi jubent Ædiles restitui & quod venditioni accessit, & si quas actiones esse ipse præstiterit: ut uterque resoluta Emptione nihil ampliùs consequatur, quam non haberet, si venditio facta non fuisset. Concordat *l. Si homines. 19. ff. de Usucap. l. Item quod dictum, 6. ff. de In diem addict.* Resp. has leges minimè obesse nostræ conclusioni, quia loquuntur de casu, quo Emptio rescinditur, & nova non celebratur; uti fit in venditione cum pacto legis commissoriæ, & addictionis in diem, ubi cum legibus & Adversariis ipsis docemus, fructus & incrementa omnia ad venditorem ita pertinere, ac si venditio aliqua facta nunquam fuisset. Secus est de venditione cum pacto retrovendendi, ubi prior factus contractus non rescinditur, sed novus celebratur juxta dicta suprà *n. 277.*

284 Quæritur III. An utroque Jure licita sit Emptio Venditio cum pacto retrovendendi? Respond. I. Emptio Venditio, quæ fit cum pacto retrovendendi in gratiam venditoris, licita est tam Canonico, quàm Civili Jure. Ita communissima tam Theologorum, quàm Canonistarum, ac Legistarum, signanter Molina *Disp. 375. numer. 2.* Lessius *libr. 2. capit. 21. numer. 113.* Azorius *par. 3. libr. 7. cap. 12.* Covarruvias *libr. 3. Variar. Resolut. cap. 8. numer. 3. §. His sunt.* Fachin. *libr. 2. controv. cap. 12* Pirhing *h. t. num. 31.* Berlich. *par. 2. concl. 1. & 2.* cum aliis contra non paucos apud Gonzalez *in cap. 5. h. t. num. 3.* Et quidem de Jure Civili apertè constat ex *l. Si fundum, 2. C. de Pactis inter empt.* ubi pactum hoc declaratur, approbatur, & actio ex eo conceditur. De Jure Canonico patet ex *c. Cùm Joannes, de Fide Instrum.* ubi quædam venditio ædium sub hoc pacto facta dicitur conditionalis (conditione impropriè sumpta pro modo) vique illius pacti domus adjudicatur emptori. Idem patet ex *Extravag. Regimini, 1. & 2. h. t.* ubi expressè ut licita approbatur Emptio Venditio cum pacto retrovendendi, seu redimendi.

285 Probant alii, ut Pirhing *loc. citat.* conclusionem etiam ex Scriptura *Levit. 25.* ubi Filiis Israel non aliter, quàm sub redemptionis conditione, seu cum pacto retrovendendi possessiones suas vendere conceditur. Verùm, ut benè observat Gibalin. *lib. 4. de negot. humil. capit. 5. art. 3. numer. 2.* locus ille Scripturæ non facit pro conclusione, vi enim illius textus, fructus ab emptore interea percepti, debent computari in pretium, quando posteà revenditio fit; dicitur namque ibidem *vers. 26.* Sin ipse (qui possessiones suas vendidit) pretium ad redimendum potuerit invenire: computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit: & quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam. Juxta conclusionem verò nostram, fructus in pretium non computantur, sed acquiruntur emptori tanquam domino. Hinc pro assertionis nostræ probatione adducendus non videtur allegatus Scripturæ textus. Quod si contra nos objiciatur, respondetur, eum non esse Juris Divini naturalis, sed positivi, qui una cum aliis Judicialibus & cæremonialibus per legem gratiæ abolitus est.

286 Probatur conclusio etiam ratione. Quicunque potestatem habet rem suam vendendi, vel non vendendi, habet etiam potestatem, eandem vendendi certa cum limitatione, conditione, modo, pacto, conventione &c. dummodo cæteroquin servet æqualitatem inter pretium & mercem, nec exinde alii faciat injuriam, nullamque violet legem humanam, aut Divinam: Nam suæ quisque rei moderator, atque arbiter existit, *l. In re mandata, C. Mandati*, & non tantum de Jure Civili *l. 1. ff. Depositi*; sed etiam Canonico, *Reg. 85. Iur. in 6.* Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur: atqui per Venditionem cum pacto revendendi nulli fit injuria, nullaque violatur lex Divina vel humana, debitaque (ut supponitur) servatur æqualitas: ergo.

287 Objiciunt Adversarii *cap. ad nostram 5. h. t.* ubi reprobata reperitur Emptio Venditio cum pacto retrovendendi. Concordat *cap. Illo vos 4. de Pignor.* Sed Respondetur cum communi, per *cit. c.* non damnari Emptionem; quia cum pacto retrovendendi; sed quia cum talibus circumstantiis celebrata est, ex quibus prudenter colligi poterat, eam affectu & animo usurario factam, consequenter palliatam usuram fuisse, uti patet legenti textum.

288 Notandum siquidem, prætextu Emptionis cum pacto retrovendendi facillimè committi posse & non rarò committi palliatas usuras. Hinc DD. ad hoc, ut hujusmodi Emptio licitè fiat, principaliter requirunt, ut contrahentes verè emere & vendere intendant, nihilque animo usurario agant: hic enim ubi adest, procul-dubio contractus illicitus est. Unde autem colligi queat, pactum hoc, animo usurario fieri, plura quidem à DD. congeruntur signa, uti videre est apud Berlich qui *p. 2. concl. 1.* quadraginta hujusmodi signa affert. Menochius quoque *lib. 3. Præsump. 122.* non pauca congerit. Nos cum Abbate & aliis ea adducemus, quæ ex *cap. Ad nostram 5 h. t. & cap. Illo vos 4 de Pignor.* habetur.

289 Primum itaque signum animi usurarii est, quando emptor nimis vile pretium pro re offert, ita ut certus quasi sit, venditorem iterum redempturum in rem venditam. Ita faciebat positus *in cit. cap. 5. h. t.* qui pro domibus & olivis dedit 40. uncias tarenorum, quæ vix dimidiam partem justi pretii contingebant. Quapropter Pontifex illum usurariè egisse judicavit; & meritò: cùm enim hic emptor optimè sciret, venditorem hoc tam vili pretio rem iterum redempturum, prudenter & justè de illo præsumi potuit, eum ideò solummodo pretium expendisse pro domibus & olivis, ut interea per aliquot annos fructibus illorum frui, & simul post certos ibidem specificatos annos, integrum pretium suum denuo recipere posset. Quod in re aliud non est quam si idem pretium mutuum ad tempus ea conditione dedisset, ut intereà fructibus rerum mutui frui posset.

290 Dicitur autem notanter nimis vile pretium, quale est, quod vix attingit medietatem, *arg. cit. cap. 5. h. t.* Nam, ut cum aliis benè observat Abbas *in cit. capit. 5. num. 9.* non ex quavis tenuitate, vel modicitate pretii desumi posse emptorem usurarium, sed debet esse valdè tenue, seu nimis vile. Ratio est; quia in venditione cum pacto retrovendendi, nec emptor dare tenetur nec venditor exigere, vel accipere potest tantum pretium, quantum in aliis Venditionibus; sed debet descendere ob onus & obligationem revendendi, quam emptor imponit: ob hanc enim res meritò minoris æstimatur, quam si absque simili obligatione venderetur; uti cum citato Abbate docet communissima, imo teste Friderich. *nu. 467.* fermè omnes, *arg. l. Fundi partem 79. de Contrah. Empt.*

291 Secundum signum esse potest; quando emptor pro modico oblato pretio, nimis sibi utile tempus retrovendendi paciscatur; ut si v. g. vi pacti venditori ante septennium non liceret, & post novennium non ampliùs posset redimere; qualiter rursus fecit iniquus emptor in sæpè *cit. cap 5. h. t.* & judicio Abbatis *loc. cit.* propterea principaliter judicatus est, animo usurario lucrandi fructus emisse.

292 Tertium signum est; si venditor priùs postulavit mutuum, & emptor mutuum recusans, statim ad emptionem se offert cum pacto revendendi, *arg. primum cit. c. h. t.* in quo iterum reus fuit ibidem descriptus emptor. Verùm hoc signum tam certum non est, quin fallere possit: cum multi ex rationabili causa mutuum recusare, & ad Emptionem cæteroquin justam se offerre valeant, ut *loc. cit.* rectè observat Abbas, patetque consideranti.

293 Quartum signum est; si emptor pactum retrovendendi offerens, alias solitus sit usuras exercere. Quintum si paciscatur, ut in retrovenditione majus eidem detur pretium, quam ipse emendo solvit. Quæ ultima duo signa habentur *in c. Illo vos 4. de Pignor.* & communiter etiam à DD. adducuntur.

294 Porrò An, & quando unum ex his signis sufficiat, item quando plura, vel quot requirantur, ad judicandum aliquem usurarium, arbitrio Judicis relinquendum meritò censent cum Covarruvia Molina *Disp. 358. n. 7.* Carpz. *part. 2. Constit. 1. defens. 2. num. 18.* Si primum cum quarto, nimia videlicet modicitas pretii cum consuetudine fœnerandi simul concurrunt, nemo dubitat, quin usura lateat. Sunt, qui volunt ordinariè sufficere primum etiam solum. Quam opinionem in Camera Imperiali practicari testatur Mynsinger *Centur. 3. Observ. 62.* eamque tanquam securiorem & communiorem præsertim apud Canonistas meritò suadet.

295 Resp II Etiam in gratiam emptoris licitè celebrari potest Emptio Venditio cum pacto retrovendendi. Covarruvias *lib. 3. Variar. Resolut. cap. 9. num. 3.* Molina *h. t. num. 33.* Lessius *lib. 2. cap. 21. num. 17* & communis aliorum tam Theologorum quam Jurisperitorum. Ratio est; quia est talis venditio absque usuræ labe, & injuria tertii; consequenter licitè fieri potest. Ut autem ita fiat, requiritur primo; ne majus exigat pretium tempore retrovenditionis, quam ipse pro re expendit, *arg. c. Illo vos 4. de Pignor.* Secundò ut dum ipse prius ita emit, majus det pretium venditori, quam ordinarium, consuetum, & justum: Ratio est; quia imponit venditori onus pretio æstimabile, obligationem nempe redimendi rem venditam, quando placuerit emptori. Nam sicut, dum per pactum retrovendendi in gratiam venditoris imponitur obligatio emptori, rem iterum revendendi, est onus pretio æstimabile, & propterea à venditore pretium minui debet, *arg l. Fundi partem 79. ff. de Contrah. Empt.* Ita pariter si econtra emptor imponit venditori obligationem redimendi, onus pretio æstimabile est.

296 Ex hactenus dictis infertur pro praxi, validas & licitas utroque Jure esse sequentes Emptionum Venditionum cum pacto revendendi formulas. Hunc agrum alias, ut vides, 400. florenis valentem, vendo tibi 300. florenis, hac tamen conditione, vel pacto, ut pro eodem pretio eundem mihi iterum revendas, quandocunque mihi placuerit: vel, ita tamen, ut si intra annum, aut duos annos idem pretium tibi obtulero, tu mihi revendere tenearis: tempore verò hoc elapso habeas liberam de eo disponendi libertatem. Item licitum erit: si venditore rei venditionem cum pacto revendendi offerente, dicat emptor, emam pretio petito, ita tamen, ut si intra decem annos non redimas, ampliùs redimendi non habeas potestatem.

297 Econtra verò illicitos esse sequentes modos, si offerente venditore rem revendendam justo pretio, dicat emptor: tanti emere nolo, dabo autem mediam hujus pretii partem, eódemque pretio rem hanc tibi iterum revendam, quando volueris: vel si petente 100. florenos mutuos respondeat rogatus: mutuum dare non soleo; emam autem à te domum tuam, vel agrum (ponamus, quod de se valeat ducentis florenis) daboque pro illo petitos centum ac decem florenos, atque insuper concedam, ut eodem pretio redimere valeas, quando tibi placuerit: vel si ipso venditore venditionem cum pacto revendendi offerente, dicat emptor: sum contentus, ita tamen, ut ante octo annos non redimas, & post decem annos redi-

mere amplius non valeas: vel, ita tamen, ut dum redimis, majus pretium offeras &c.

298 Quæritur IV. Quid sit, & an liceat contractus Mohatræ? Resp. *Contractus Mohatra* (alias & Varatra dictus) est, quo mercator, vel alius credito alicui vendit rem aliquam summo, vel etiam medio justo pretio, cum tali revendendi pacto, ut teneatur emptor eidem venditori pro minimo pretio consistente in numerata pecunia eandem rem revendere. Ita contractum hunc declarant Cardenas *in Crisi Theologica ad propositionem* 40. inter damnatas ab Innocentio XI. Palao *disp* 5 *punct*. 33. & cæteri DD. Hispani, utpote in quorum patria multùm vigebat iniquus iste contractus. Dum enim indigentes à mercatoribus petebant mutuum; hi ut pœnas usuræ (quæ in mutuo potissimùm exercetur) declinarent, loco mutui offerebant indigentibus creditò vendendas merces hoc pacto, & conditione, ut illas eisdem venditoribus statim iterum, sed pro minori pretio, in numerata tamen pecunia consistente, revendere possent, ac deberent. Quo fiebat, quod indigentes illicò paratam pecuniam, mercatores autem sub titulo venditionis, lucrum illud habere possent, quod vi mutui, ob nimis manifestam usuram apertè conquirere, timore pœnæ non audebant.

299 Resp. II. Mohatra vel Varatra est contractus omnino illicitus. Ita hodie unanimis & certa: eò quòd ut talem declaravit Innocentius XI. dum inter alias etiam hanc n. 4. propositionem damnavit: Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri. Ratio est; quia ut consideranti patet, palliatam continet usuram.

300 Quæritur V. Quid sit Arrha, & quid Iuris circa eam? Resp. I. *Arrha*, seu *Arrhabo* est id, quod ante solutionem totius pretii ab emptore datur venditori in confirmationem contractus facti, vel in securitatem faciendi. Quamvis enim regulariter loquendo Arrha detur in signum & confirmationem contractus jam facti, *Instit. h. t. princ. ibi*: quod arrhæ nomine datur, argumentum est Emptionis, & Venditionis jam contractæ: tamen etiam subinde in securitatem contractus faciendi, seu potiùs perficiendi datur, *arg. §. 1. ad finem Institut. h. t. & l. Contractus 17. C. de Fide instrum.* juncta *L. 11. §. 6. ff. de action. empt.* Sic v. g. dum contrahentes Emptionem Venditionem in scriptis fieri volunt, dare interea possunt arrham, donec contractus erectione scripturæ perficiatur. Pariter dum suspenditur perfectio contractus, donec pretium ab aliis taxetur, vel donec socii, vel alii consentiant, dari interea potest Arrha, Datur autem regulariter ab emptore venditori: & non econtra, *§. 1. Instit. h. t. & l. Contractus 17. C. de Fide instrum.* potest in pecunia, vel in alia materia consistere *l. Ex empto 11. § Is qui vina, ff. de action. empti.* Aliquando datur pro ea quædam pars ipsius pretii postea computanda, in pretium, *l. fin. ff. de l. Commiss.* Non datur necessario arrha; nam ut dicitur *l. quod sæpè 35. ff. de Contrah. empt.* Quod sæpè arrhæ nomine datur, non eo pertinet, quasi sine arrha conventio nihil proficiat: sed ut evidentiùs probari possit, convenisse de pretio.

301 Resp. II. Si Arrha ante contractum perfectum & absolutum datur in signum & securitatem ejusdem perfectionis faciendæ, non impedit quidem, quin contrahentes a contractu licitè & validè recedere valeant: nihilominus si emptor sine justa causa, invito venditore resilit, arrham datam perdit; si verò sine justa causa recedit invito emptore venditor, restituere debet arrham acceptam, & insuper de propriis bonis tantum dare emptori, quantum valor acceptæ priùs arrhæ efficit. Communis & certa. Textus expressus habetur *prin. Instit. h. t. ibi*: donec enim aliquid deest ex his, pœnitentiæ locus est, & potest emptor & venditor sine pœna recedere. Ita tamen impunè eis recedere concedimus, nisi jam arrharum nomine aliquid fuerit datum; hoc enim subsecuto, sive in scriptis, sive sine scriptis celebrata sit, is, qui recusat adimplere contractum, siquidem est emptor, perdit, quod dedit: si vero venditor, duplum restituere compellitur. Idem habetur *l. Contractus 17. c. de Fide Instrum. ibi*: tamen qui vendere pollicitus est, venditionem recusans, in duplum eas (arrhas) reddere cogatur, & qui emere pactus est, ab Emptione recedens, datis à se arrhis cadit, restitutione earum deneganda.

302 Resp. III. Si consensu utriusque, vel casu, aut alio modo sine alterutrius culpa Venditio dissolvitur, tenetur venditor acceptam arrham restituere, *l. ex empto, 11. §. 6. ff. de action. empti.* Pariter, & quidem a fortiori iterum restitui, vel saltem in pretium computari debet, si contractus totaliter est perfectus, & pretium solutum, *arg. l. fin. ff. de Lege Commiss.*

303 De hactenus dictis circa materiam arrhæ communiter conveniunt DD. At verò gravissimè controvertunt in decidenda quæstione de effectu arrhæ datæ post contractum jam perfectum, & absolutum, re vendita tamen nondum tradita, & pretio necdum soluto: an nempe id efficiat, ut à contractu recedere liceat uni, invito altero; dummodo arrham vel relinquat, vel in duplo restituat? Fachineus *lib. 2. cap. 8.* ac DD. Hispani plerique, Molina *disp. 338.* Zas. *lib. 2. singul. respons. cap. 24.* Berlich, Palao, Jason, & plures alii volunt, pariter esse discurrendum. sive arrha datur ante, sive post perfectum jam contractum. Contra quos

304 Resp. IV. Quando datur arrha in confirmationem vel signum contractus jam facti, seu contractus jam perfecti & absoluti, nulli contrahentium, invito altero amplius licet a contractu resilire; etiamsi traditio rei nondum facta sit, nec pretium solutum, & etiamsi recedere volens emptor paratus sit datam arrham perdere, vel venditor duplum restituere, Haunoldus *tract. 10. cap. 1. controv. 8. n. 36.* dicens ita sentire veriorem, & communiorem, Corpz. *p. 2. constit. 33. defin. 14.* Harprecht *ad prin. Instit. h. t. n. 91.* & alii ab eodem ibidem citati. Probatur. Certum est, quòd quando absque adjectione arrhæ habetur perfectus Emptionis Venditionis contractus, non ampliùs liceat uni, altero invito recedere à contractu, etiamsi venditor duplum pretium reddere velit, *l 6. C. de Rescind. vendit. ibi*: non est probabilis causa, propter quam rescindi factam Venditionem desideras. Quamvis enim duplum pretium offeras emptori, tamen invitus ad rescindendam venditionem urgeri non debet: ergo neque ab eo jam perfecto discedere licebit, quando celebratur cum adjectione arrhæ. Consequentia patet; quia per arrhas non infirmantur, sed potiùs confirmantur contractus. Et certè absurdum videtur, ut per id, quod in robur, confirmationem, ac probationem contractus facti additur, contractus infirmetur, & robur alias habitum perdat, quod fieret subsistente contraria sententia.

305 Objiciunt Adversarii dicendo, contractus quidem non infirmari vi ipsius arrhæ, sed vi taciti consensus contrahentium; hi enim, hoc ipso, quòd contractui addant arrham, tacitè consentire, & innuere censentur, licere cuivis à contractu recedere, si arrham datam perdere, vel acceptam in duplo restituere velit. Sed respondetur, hoc omnino gratis, & absque vero Juris fundamento dici, consequenter minimè attendendum esse.

306 Instant, Arrha non datur nisi in signum Emptionis jam factæ & perfectæ, *prin. Instit. h. t.* ergo ab eodem arrha confirmato recedere licebit; dummodo arrham amittere, vel duplum restituere quis sit paratus; cum id absolutè concedatur *cit. princ. Instit. h t.* Resp. negando ant. apertè enim ostendimus *num.* 300 ex Jure, eam dari etiam in securitatem contractus faciendi, seu perficiendi, a quo proin, non item à perfecto jam, licet arrha confirmato contractu recedere licebit.

§. X.

De actionibus ex empto, & vendito; ac in specie de Actione redhibitoria, & æstimatoria, seu quanti minoris.

SUMMARIUM.

307 *Jura emptori concedunt actionem empti ad consequenda ea, quæ ei debet venditor; & huic actionem venditi ad consequenda, quæ ei debet emptor.*

308 *Actio venditi, seu ex vendito, quid?*

309 *Ad quid detur.*

310 *Actio empti, seu ex empto quid, & quando oriatur?*

311 *Ad quæ detur?*

312 *Actio redhibitoria & quanti minoris unde originem habeant?*

313 *Actio Redhibitoria quid? cui? & contra quos detur?*

314 *Actio Redhibitoria non datur, nisi vitium sit notabile, & quidem corporis, non animi.*

Morbus & vitium quomodo inter se differant? Ibid.

315 *Contra venditorem, qui ignoranter vendidit rem vitiosam, non datur actio Redhibitoria.*

316 *Rescissio contractus non semper indicat contractum priùs fuisse validum.*

317 *Actio Æstimatoria seu quanti minoris.*

Cui, & contra quos detur? Ibid.

318 *Cur detur Actio æstimatoria, si læsio non sit ultra dimidium?*

319 *Qui scienter vendidit rem vitiosam, tenetur etiam ad damna inde secuta. Qui ignoranter vendidit, ad id solum tenetur, quanto minoris fuisset res empta.*

320 *Tempus ad Actionem Redhibitoriam est semestre: ad Æstimatoriam verò, annus.*

321 *Quando ob vitium conceditur Actio redhibitoria, potest emptor loco illius assumere æstimatoriam.*

Anno elapso præscribuntur in foro externo Actiones Redhibitoriæ & quanti minoris: in foro interno tamen manet obligatio. Ibid.

322 *Quoties res tali laborat vitio, quod si emptor scivisset, non emisset, contractum nullum esse, & Redhibitoria agi posse, volunt plures.*

323 *Statuitur, declaratur, & probatur sententia contraria.*

Et num. seqq.

325 *Respondetur ad fundamentum Adversariorum.*

307 Constat ex dictis, Emptionem Venditionem esse ultrò, citroque obligatoriam, ita ut vi illius ad quædam obligetur venditor emptori, & hic ad quædam illi. Quapropter Jura utrique actionem concedunt, venditori quidem Actionem venditi, seu ex vendito ad consequenda ea, quæ eidem debentur ab emptore: huic verò, emptori nempe, Actionem empti, seu ex empto ad ea consequenda, ad quæ eidem vi Emptionis venditionis obligatur venditor.

308 Quæritur I. Quid sit, & ad quæ detur Actio venditi, seu, quod idem est, ex vendito? Resp. I. Actio ex vendito est, quæ competit venditori ad consequenda ea, quæ ei ab emptore præstari oportet, sunt verba *l. Julianus 13. §. 9. ff. de Action. empti.* Oritur statim, ac de re, & pretio inter contrahentes absolute conventum est, *§. 1. Institut. h. t.* institui tamen cum effectu non potest, antequam à venditore res tradita sit, *l. Qui pendentem 25. ff. de Action. empti*, aut saltem pro tradita habeatur, re scilicet pereunte, *l. Cùm emptor 5. ff. de Rescind. Vendit.* ubi homine mortuo perinde habenda est venditio, ac si tradita fuisset.

309 Resp. II. Actio venditi competit venditori ad consequenda ea omnia, quæ ei ab emptore præstari oportet, *cit. l. Iulianus 13. § 19. ff. de Action. empti.* Patet inductione. Sic imprimis datur ad consequendum pretium quanti res venit: *cit. l. 13 §. 20* item usuras pretii post diem traditionis: ut ibidem dicitur Tertiò datur ad recuperandas expensas, si quas forsan in res jam venditas bona fide fecit, *l. penult. c. de Action. empti.* Quartò si ex dolo emptoris venditor rem minoris vendidit, ac à parte rei valet; ut si emptor rei dolosè persuasit animal vendendum esse morbosum, hæreditatem exiguam &c. competit venditori Actio venditi quanti pluris res vendita fuisset, si deceptio illa abfuisset, *cit. l. 13. §. 5.* Et quintò universaliter ad ea cuncta, de quibus inter se contrahentes specialiter convenerunt; nam nihil magis bonæ fidei congruit, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est, *l. Ex empto 11. §. 1. ff. de Action empti.*

310 Quæritur II. Quid sit, & ad quæ detur actio ex empto, seu empti? Resp. I. Actio empti est, quæ competit emptori ad ea consequenda, quæ ei à venditore vi contractus debentur: *l. Ex empto 11. ff. de Action. empti.* Oritur statim ac perfecta habetur venditio, *§. 1. Instit. h. t.* donec tamen pretium ex integro solvatur, vel saltem realiter offeratur, cum effectu contra venditorem institui non potest, *l. 13. §. 8. ff. de Action. empti.* ubi etiam ratio redditur, quia donec pretium solvatur, venditor quasi pignus retinere potest eam rem, quam vendidit, nisi forsan fidejussorem, aut hypothecam dedisset emptor, aut alio modo satisfecisset, *l. Ut res 53. ff. de Contrah. Empt. l Procuratoris 5. §. 18 ff de Tribut. action.* Aut creditò rem vendidisset venditor, fidem habendo emptori sine ulla assecuratione, *l. Quod vendidi 19. ff. eod.*

311 Resp II. Actio empti, seu ex empto datur ad omnia ea consequenda, ad quæ obligatur eidem venditor, patet ex toto *Tit. de Actionib. empti.* præcipuè ex *leg. 11.* ejusdem. In specie autem quædam adducendo, datur imprimis ad ea consequenda, quæ nominatim in contractu expressa sunt, *cit. l. 11. ff. de Actionib. empti.* Quod si nihil convenit, tunc ea præstabuntur, quæ naturaliter insunt, *cit. l. 11.* Tertiò eadem petuntur fructus commoda, emolumenta, & accessiones rei post contractum provenientes, per ea, quæ dicta sunt supra *n. 227.* Quartò per eandem agitur, ut venditor de evictione caveat *l. 11. ff. de Actionibus empti. §. 2.* Quintò hac actione venditor compelli potest, ut vitia & onera rei manifestet, *Leg. Ea quæ 4. ff de Contrab. empti.* Sextò eadem actione emptor prætendit sumptus, quos in rem emptam fecit, casu quo illam iterum restituere debet, *l. Imperator 16 ff. de in diem add.* Septimò hac actione etiam continentur actiones redhibitoriæ, & quanti minoris tanquam species suo genere, uti apertè colligitur ex *cit. Leg. Ex empto ff. de Actionib. empti.* Verùm quia de ambabus his actionibus specialia occurrunt, specialiter de eis agendo.

312 Quæritur III. Quid sit Actio Redhibitoria, & Æstimatoria, seu quanto minoris? quando? qualiter? quibus? & contra quos serviant? Ponitur utraque hæc actio sub uno quæsito examinanda majoris claritatis gratia, quia multum sunt affines, & dependenter ad invicem intelliguntur. Ante responsionem notandum Æediles, Curules, quorum officium erat, sacras ædes, & vias publicas curare, fraudesque à foro, & venditionibus arcere Schardius *verf. Ædiles*, Edictum proposuisse; vi cujus venditores aperire tenentur morbos, & vitia, quæ in re vendenda latere sciebant, *l 1 ff. de Aedilit. edict.* Ex hoc Edicto duæ prodiere actiones Ædilitiæ contra eos, qui Edicto inobedientes, res occultis vitiis, morbis, aut defectibus infectas vendunt. Una dicitur Redhibitoria, altera Æstimatoria, seu quanto (sive quanti) minoris: quæ in hoc potissimum differunt, quòd prima, redhibitoria nempe, detur, quando tale vitium occultat venditor, ob quod ad usum finemque intentum inutilis vel quasi inutilis est res empta, adeo, ut, si illud scivisset emptor, rem meritò non emisset. Altera verò æstimatoria nempe, seu quanto minoris adhiberetur, quando vitium occultum ita est constitutum, quod, etsi scivisset emptor, nihilominus emisset, minori tamen pretio, ut cum communi aliorum declarat Abbas *in c. Injustum, 4. h. t. num. 2. num. 268.* & alii.

313 Resp. I. Actio redhibitoria est actio ex empto competens emptori contra venditorem ad redhibendam, id est, iterum habendam vel accipiendam rem venditam, & econtra ad pretium cunctaque in integrum restituenda, casu quo tale occultavit, vel non aperuit rei vitium, & defectum, aut morbum, per quem res vel ex toto, vel notabiliter reddatur inutilis ad finem & intentum ementis, adeò, ut si scivisset emptor, non emisset. Ita desumitur ex *l. Cùm autem 23. § Julianus, & l. Facta, 60. & ll. seqq. ff. de Aedilit. edict.* Dicitur autem redhibitoria ab effectu quem habet, Redhibere enim est facere, ut habeat venditor, quod habuerit: & quia redhibendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata quasi redditio; *l. Redhibere, 21. ff. eo.* Vocatur etiam Judicium redhibitorium, *l. Si quid 18. ff. eo.* nec non Iudicium redhibitoriæ actionis, *cit. l. Cum autem 23. §. 7. ff. eo.* Datur non tantùm emptori, sed etiam hæredibus ejus, *l. Sciendum 19. §. 5. ff. eo.* contra venditorem, *l. Si venditor 28* & hæredes ejus, *l. Cùm autem, 23. §. 5. ff. eo. ibi*: hæ actiones adversus omnes hæredes dantur.

314 Respond. II. Ut hæc actio detur, requiruntur

plura. Et quidem primò, quòd vitium occultum non leve, sed notabile sit, & tale, ut ministerium, & usum, ad quem emitur, impediat, vel saltem notabiliter deteriorem efficiat, consequenter in emptore illud meritò verificet, quod, si scivisset, non emisset, *l. 1. §. Perinde, 8. ff. de Aedilit. edict.* Secundò debet esse vitium corporis, quoniam Ædiles de corporalibus vitiis loquuntur, *c. l. 1. §. 10.* Si autem corporis & animi mixtum vitium est, redhibitio locum habet, *l. 4. § 4. ff. eod.* In summa, si quidem animi vitium est, redhiberi non potest, nisi si dictum est, hoc abesse, & non abest, *cit. §. 4.*

315 Porrò quamvis ob occulta animi vitia non detur actio redhibitoria propriè talis, communi tamen actione ex empto agi potest, si sciens vitium animi reticuit, *cit. l. 4. § 4. ff. eod.* Cæterùm an morbus sit, an vitium in actione redhibitoria, non attenditur; licèt alias morbus & vitium inter se differant, *l. Inter 101. ff. de V. S.* ubi dicitur, morbum esse temporalem corporis imbecillitatem; vitium verò perpetuum corporis impedimentum, velut si talum excussit: nam & lusus ita vitiosus est.

316 Tertiò requiritur, quòd venditor sciverit latens vitium; quia contra ignorantem venditorem non datur Actio redhibitoria, sed quanto minoris, *l. Iulianus, 13. in princ. ff. de Action. empti.* nisi error sit in substantia; vel nisi vendatur fundus ad pastum animalium, pestiferas seu nocivas animalibus herbas habēs; contra hujus enim etiam ignorantem venditorem Actio redhibitoria datur, *L. penult. c. de Aedilit. Action.* Quod si vitium est patens, illudque ex culpa sua; negligentia, aut crassa ignorantia non observat emptor, redhibitoria actio postea ei non conceditur, *L. 1. §. 6 l. Quæritur 14. § fin. ff. de Ædilit. edict.* Quia talis ignorantia habetur pro scientia, textu expresso *l. Nec supina 6. ff. de juris & facti ignor.* Quid autem in foro interno observandum, habetur ex *n. 175.*

Illud porrò cum Molina *Disp. 353. num. 5.* advertendum, ex eo, quòd leges nonnunquam dicant, per redhibitionem rescindi debere contractum, non benè colligi, contractum prius in foro externo validum fuisse, & primùm rescindi debere; quia rescissio in Jure non semper indicat annullandum contractum, sed subinde etiam revocationem illius, quòd vi contractus de Iure irriti, actum est, uti notat Glossa *in l. Et eleganter, ff. de Doli mali. vers. de doli actione:* Et quidem contractum, contra quem datur Actio redhibitoria, irritum esse, non obscurè colligitur ex *l. Facta 60. de Ædilit. edict. ibi:* facta redhibitione omnia in integrum restituuntur, perinde ac si neque Emptio, neque Venditio intercessit.

317 Resp. III. *Actio æstimatoria*, seu quanto minoris est actio, quæ ob venditam vitio laborantem rem competit emptori adversus venditorem ad hoc, ut tantum restituatur emptori, quanto minoris emisset, si vitium scivisset. Est communis, patetque ex toto fermè *tit. de Ædilit. edict.* vocatur promiscuè quanti minoris, & quanto minoris ut videre est in Rubrica item *l. 31. §. 16.* & aliis legibus, *ff. de Ædilit.* Datur non tantum emptori, sed & hæredibus ejus, *l. Sciendum 19. §. 5. ff. eod.* adversus venditorem & hæredes, *l. Cùm autem 23. §. 5. eod.* Quamvis, ut ex definitione patet, præcisè instituatur ad id, quanto minoris res vitio cognita fuisset empta, non verò ad rescindendum contractum; Nihilominus potest nonnunquam judex etiam vi illius redhibitionem imperare; quando nempe cognoscit, rem ita vitiosam; ut non expediat domino, eam habere, *l. Bovem 43. §. 6. ff. eod.*

318 Dices. Læsis in Emptione Venditione regulariter non datur actio, nisi læsio sit ultra dimidium, *l. 2 c. de Rescind. vendit. l. Si voluntate 8. c. eod. c. Cum dilecti 3. h. t.* atqui in casibus, in quibus instituitur Actio quanti minoris, vix contingit læsio ultra dimidium: ergo actio hæc locum habere non videtur. Resp. distinguendo: non datur actio læsis, nisi læsio sit ultra dimidium, si læsio contingit in solo pretio, conceditur: si aliunde sit, quia v. g. venditor vitiosam rem vendit, negatur. Sciendum itaque, Iura, quæ non nisi ultra dimidium læsis actionem concedunt; loqui de sola læsione in pretio, quæ fieri potest in venditione rei in se cæteroquin optimæ, omnique vitio carentis; si nempe eadem plus justo venditur, vel minùs justo emitur. Contra reliquas læsiones, ex alia causa provenientes, Jura varias actiones empti & venditi utique concedunt.

Resp. IV. Si venditor rem vitiosam scienter vendidit emptori, potest conveniri ab emptore Redhibitoria, vel Æstimatoria actione, non tantùm ad restituendum pretium, vel partem ejus, sed etiam ad compensanda omnia secuta damna, *leg. Iulianus 13. prin. ff. de Action. emption. l. Quæro 58. ff. de Ædilit. edict.* Si verò & ipse vitium ignoravit, de damnis non tenetur, sed sola actione æstimatoria conveniri potest ad restituendum id, quanto minoris res ob vitium illud valet, *cit. l. Julianus 13. ff. de Action. empti.* uti jam dictum suprà *n. 185. 186. & 187.* ubi etiam *num. 188.* annotatio utilis apposita habetur. 319

Quæritur IV. Quantum tempus concedatur à Jure ad intentandas Actiones redhibitorias, & quanti minoris? Resp. I. Regulariter loquendo, pro instituenda Actione redhibitoria sex menses conceduntur, *l. 19. § fin. ff. de Ædilit. edict. ibi:* Tempus autem redhibitionis sex menses utiles habet &c. quod tempus à die venditionis currit, ut si dictum promissumque quid est, ex eo, quo dictum promissumque quid est. Pro Actione æstimatoria verò annus utilis datur, *cit. l. §. ff. eod. ibi:* Si autem non redhibeatur, sed quanto minoris agitur, annus utilis est. Concordat *Lex 2. cap. de Ædilit. edict.* 320

Resp. I. Si vitium occultum ita inficit rem venditam, ut propterea de Jure licitum sit emptori Actionem redhibitoriam instituere contra venditorem, in libertate emptoris positum est, intra sex menses vel actione redhibitoria, vel quanti minoris agere, ita tamen, ut si aliquando unam assumit, variare ampliùs non possit, textu claro *l. Si is, qui 5. §. 1. ff. de Except. rei judic. l. Si quid 58. princ. ff de Ædilit. edict.* Quod si verò nullam intentaverit actionem intra sex menses, post illos adhuc intra annum actionem quanti minoris instituere potest *l. Si tamen 42. §. 2. ff. eod. ibi:* non nocebit emptori, si sex mensium exceptione redhibitoria exclusus, velit intra annum æstimatoria agere. Elapso autem anno nullam ampliùs nec æstimatoriam nec redhibitoriam intentare licebit, quia eo tempore præscribuntur, *l. Cùm proponas 2 c. de Ædilit. action. ibi:* Etenim Redhibitoriam actionem sex mensium temporibus, vel quanto minoris anno concludi, manifesti Juris est. Intellige in foro externo semper manet obligatio restituendi, vel compensandi id, in quo unus contrahentium alterum iniquè decepit, vel damnificavit, Molina *Disp. 353. concl. 2.* Covarruvias, *Regula possessor 2. p. §. 11. n. 5.* Layman *lib. 3 tract. 4. cap. 17 n. 15.* aliique communiter, *arg. Reg. Peccatum, juris in 6.* dictumque jam est suprà. 321

Quæritur V. An Emptio Venditio toties pro invalida habenda, & consequenter contra eam Actio redhibitoria admittenda sit, quoties venditor tali vitio affectam rem scienter vendit, quod, si scivisset emptor, non emisset? Non desunt affirmativè respondentes, inter quos sunt Navarrus *in Manual. cap. 23. num. 89.* Panormitanus *In cap. Injustum 4. de Rerum permutat. num. 2.* pluresque alii citati à Rebell *part 2. lib 9. quæst. 9. num. 2.* Fundamentum eorum est; quia abesse videtur consensus, eo ipso, quod si emptor scivisset, non emisset; deficiente autem consensu, deficere contractum, extra controversiam est, *l. In venditionibus 9. ff. de Contrah. Empt.* Quo non obstante 322

Resp. I. Regulariter loquendo non debet pro invalida haberi Emptio Venditio, nec admitti Actio redhibitoria, ex eo præcisé, quòd si vitium latens scivisset emptor, mercem non emisset; sed debet adesse vitium in substantia, vel tale, quod usum finemque ementis vel totaliter, vel notabiliter impediat. Ita sentiunt Palao *disp. 5. de justit. commut. punct. 22. num. 14.* Valent. *Disp. 5. quæst. 20. punct. 4. Concl. 2. & 4.* Petr. Navar. *de Restit. cap. 2. n. 59.* Molina, Layman, & communior aliorum, *arg. L. 1. §. Proinde 8. l. Ob quæ vitia 4. ff. de Ædilit. edict.* Ratio est; quia si ex præfata causa sola invalidus esset contractus, sequeretur grande, bonoque Reipublicæ utriusque summè præjudiciosum absurdum, videlicet, quòd innumeri contractus, professiones, electiones, matrimonia &c. essent invalidi; eò quòd plurimi eorum non essent facti, si omnes latentes defectus, vitia, vel circumstantiæ fuissent præcognitæ, prout consideranti patet. Hinc, ut benè observat Palao *l. c.* an invalidus vel invalidandus sit contractus aliquis, Emptio Venditio, v. g. principaliter non attenditur, an emptor omnibus cognitis empturus fuisset, vel non: sed attendi debet, an Jure naturali vel positivo contractus annulletur, vel non; si enim nullo horum annullatur, subsistet, etiamsi unus contrahentium omnibus cognitis non contraxisset. 323

334 Quapropter ad propositum, quia nec naturali, nec positivo Jure annullatur Emptio Venditio rerum vitio laborantium, nisi vitium, vel defectum versetur circa substantiam, vel merces ad ministerium hominis, usum, vel intentum reddat inutiles, vel quasi inutiles *l. 1. §. Proinde [illegible] 4. ff. de Ædilit. edict.* valebit, nec Actionem Redhibitoriam patietur; etsi res vendita levi aliquo [illegible] tamen tali laboret vitio, quod si emptor scivisset, non emisset.

335 Ad fundamentum Adversariorum respondetur; negando suppositum [illegible] deesse contrahendi sensum, quoties quis non contraheret, si omnes circumstantias perspectas haberet: Tum ob absurdissimam *n. 322.* positam sequelam; tum quia ex eo solùm, quòd empturus non essem, si scirem, quod modò ignoro, non sequitur, quòd nunc reverà non consentiam, vel consensum hanc rem emendi non habeam; sed tantum consensurus non essem, si notitiam perfectam haberem; quia in simili casu circa ignorata, nulla habetur voluntaris actualis operatio, sed tantum animi dispositio, & habitualis quædam inclinatio. Aliud foret, si intentio mea ad aliquam qualitatem actualiter dirigeretur, dicendo v. g. vel cogitando, volo hanc, & non aliam rem emere, vel nolo emere, si hæc vel illa conditio adsit, vel absit; tunc enim cum voluntas non nisi in objectum tali qualitate affectum feratur, verus consensus deest, si qualitas abest. Et ita abesse videtur, quoties defectus versatur circa substantiam, vel ad finem intentum inutiles reddat merces; eò quòd voluntas actualiter dirigatur ad hanc, & non aliam substantiam, v. g. vinum non cerevisiam: simulque actu intendet rem pro fine utilem, non verò inutilem comparare. Ita post alios ad propositum sapienter discurrit Friderich *b. t. n. 526.*

§. XI.

De Læsione ultra dimidium, & actione ob illam competente.

SUMMARIUM.

326 *Proponitur status quæstionis.*
327 *Regulariter loquendo, læso in pretio non competit de Jure Civili, nisi læsio sit ultra dimidium.*
328 *Idem est de Jure Canonico, loquendo de foro externo.*
329 *Succurritur tamen hoc Jure læsis per denuntiationem Evangelicam.*
330 *In foro interno etiam infra dimidium lædens ad restitutionem tenetur.*
331 *Nisi læsio sit valdè modica: vel major quidem, sed jam præscripta, aut condonata.*
332 *Ob læsionem ultra dimidium competit actio venditori.*
333 *Et emptori.*
Correlativorum idem est judicium, eademque disciplina, ibid.
334 *Ubi eadem est ratio, idem & ius.*
335 *Læsio ultra dimidium in venditore quomodo computanda?*
336 *Quomodò in emptore?*
337 *Læsio ultra dimidium æqualiter computari debet in venditore, & emptore: probatur.*
338 *Et confirmatur.*
339 *Solvitur Adversariorum instantia.*
340 *Actio ob læsionem ultra dimidium competens, est Actio empti, vel venditi.*
341 *Emptor ultra dimidium lædens tenetur vel defectum pretii supplere, vel rem iterùm restituere.*
342 *Nec satisfacit restituendo tantùm, quantum sufficit ne læsio sit ampliùs ultra dimidium.*
Idem proportionaliter de venditore lædente dicendum. ibid.
343 *Si læsio facta est bona fide, & emptor iterùm restituit rem emptam, potest fructus interea perceptos retinere.*
344 *Solvitur lex in contrarium [illegible].*
345 *Cur una cum re [illegible], si rescinditur contractus [illegible], vel de distionis in diem, & [illegible] ob læsionem ultra dimidium?*
346 *Venditor tenetur emptori [illegible] meliorationes, si læsio ultra dimidium bona fide [illegible].*
347 *Sicut fructus, & [illegible] pertinent ad emptorem [illegible] læsionis ultra dimidium.*
348 *Decipiens emptor [illegible] dolosè, debet una cum re etiam [illegible].*
Nisi deceptus [illegible] pretii supplementum, ibid.
349 *Actio contra [illegible] ultra dimidium bona fide durat 30. annis, contra [illegible] mala fide, perpetuò.*
350 *Minoribus, & Ecclesiis, etsi infra dimidium in pretio lædantur; conceditur actio.*
351 *Et universaliter omnibus, quando læsio facta est dolosè.*
352 *Vel bona quidem fide, sed in pretio taxato, seu legitimo.*
Ratio legis est anima legis: & ratione legis cessante, cessat lex, ib.
353 *Læsis infra dimidium non competit actio, si per Procuratorem contraxerunt.*
354 *Læsis ultra dimidium justi pretii, actio negatur, si eidem specialiter renuntiarunt.*
355 *Non item, si generaliter tantùm renunciarunt.*
356 *Specialis renunciatio valet; etsi in continenti fiat.*
357 *Solvitur objectio.*
358 *Nisi læsio esset enormissima.*
Et quæ hæc? ib.
359 *Læsus ultra dimidium, quandonam ob condonationem factam agere prohibeatur, & n. seq.*

Contingit non rarò etiam in rebus nullo penitus vitio, aut defectu, vel saltem non nisi manifesto, qui utrique contrahentium patet, laborantibus, lædi unum contrahentium in pretio, & hoc vel ex mutua ignorantia, vel ex deceptione alterutrius: ut si verbi gratia emptor dolosè, vel ex ignorantia persuadeat venditori, rem minùs valere, ac reverà valeat; vel econtrà venditor iniquè, vel pariter ex ignorantia credere faciat emptorem, rem plùs valere, quàm à parte rei valet: vel unus absque alterius persuasione rem aliter, ac meretur, æstimat, sicque viliùs emit, vel cariùs justo vendit cum alterius contrahentis læsione, ac detrimento. Hinc, quia contra hujusmodi lædentes non datur Actio redhibitoria, nec quanto minoris, indagatur in præsenti, an, & quomodo Jura succurrant taliter in pretio læsis. 326

Quæritur I. An cuivis qualitercunque in pretio læso succurrant Jura, actionemque contra lædentem admittant? Resp. I. Regulariter loquendo, neque in Foro Civili, neque Canonico externo, nisi in pretio, læso directè succurritur, vel actio conceditur contra lædentem, nisi sit læsio ultra dimidium. De Jure Civili certum est apud omnes ob expressam dispositionem celeberrimæ illius Legis 2. *C. de Rescind. vend. & l. Si voluntate C. eod.* ubi habetur, neque bonam fidem, neque ullam rationem concedere, rescindi contractum, nisi minus dimidia justi pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum esset. Ratio est: uti communiter advertunt Doctores ne nimium multiplicentur lites: cum enim hujusmodi læsiones in pretio sint frequentissimæ, & quasi quotidianæ, nullus esset finis litium, si cuivis ob quamvis læsionem actio concederetur: unde meritò Jura statuere, quòd ubi læsio ultra dimidium non esset, nullus in foro externo audiretur. 327

Quod neque de Jure Canonico in foro externo Ecclesiastico læsis in pretio directa concedatur, actio nisi læsio sit ultra dimidium, tenent Palao *disp. 5. de Just. commut. punc. 17. §. 2. num. 6.* allegans communem Pinel. 328

in l.2.C.de Rescin.vend.p.2.ca.2.n 36. Haunold.tr 10 c.1. n.236. cum communi aliorum. Et probatur ex c. Cùm dilecti 3. & c. Cùm causa 6. h. t. ubi Juri Civili conformiter non nisi læsis ultra dimidium conceditur actio contra lædentem: nec extat ullus canon, infra dimidium læso actionem concedens, vel legibus quid contrarium statuens. Ubi autem leges non contradicunt SS. Canonibus, etiam in foro Ecclesiastico sunt servandæ: nam sicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari; ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur, ait Pontifex c. 1. de Novi oper. nunt. Quod tunc præcipuè procedit, quando ratio dispositionis Civilis etiam pro foro Ecclesiastico militat; uti in præsenti res se habet: cùm diminutio litium (quæ est ratio dispositionis Civilis) vel maximè attendatur in foro Ecclesiastico, utpote cui proprium est, lites pro possibili amputare & evitare, prout liquet ex tota dist. 90.

329 Dicitur notanter actio directa neque in foro Ecclesiastico conceditur; quia indirectè, per viam scilicet denuntiationis Evangelicæ in hoc foro succurritur etiam læsis infra dimidium, eatenus, quatenus, si, qui læsit, admonitus non restituat, denuntiari possit Judici Ecclesiastico, qui eundem per censuras & alios pœnas ad id compellere valet, ad quod sub peccato mortali tenetur, arg. c.Nov.3.de Jud. Et hoc est, quod dicere volunt Navarr. c.Nov.de Judiciis. Notab.6. coroll.13. prin. Fachin. lib.2. c.25. & alii, dum dicunt, etiam læsos infra dimidium in foro Ecclesiastico audiri, ut proin immeritò ab aliis citentur tanquam conclusionis Adversarii.

330 Resp. II. Non obstante, quòd in nullo foro externo concedatur actio contra lædentes in pretio, nisi læsio sit ultra dimidium: Nihilominus in foro interno quivis etjam infra dimidium lædens ad restitutionem tenetur; etsi ex ignorantia & bona fide læserit. D. Th. 2.2.q. 77. art. 1. Molina disp 350. Covarruvias Reg. Possessor. 2. p. §. 7. Pirhing h.t.n.26. Navarrus, Layman. l.c.n.5.& 6. Palao l. c. n. 3. eoque teste communis & certa aliorum. Ratio est, quia ita exigit justitia commutativa, quæ in contractibus dominans servari vult æquitatem. Quia Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem. Reg.206.ff de Reg.Jur.

331 Intellige tamen conclusionem conformiter dictis num. 124. ubi diximus, levem, & modicum excessum neque in foro interno attendendum esse, ob rationem ibidem allatam. Limitatur etiam conclusio in casu, quo quis bona fide lædens, excessum jam præscripsit; vel bona fide consumpsit, ditior inde non factus: vel læsus læsionem condonavit: uti abundè ex dictis patet.

332 Quæritur II. An tam emptori, quàm venditori ultra dimidium læso concedatur actio? Resp. I. Quòd venditori ultra dimidium læso concedatur actio, certum & indubitatum est apud omnes, eò quòd tam Leges Civiles, quàm SS. Canones actionem venditori expressè concedant. Sic enim sonat celebris illa jam citata l.2.C. de Rescin. vend. Rem majoris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit, humanum est, ut vel pretium te restituente emptoribus, fundum venundatum recipias authoritate Judicis intercedente, vel si emptor elegerit, quod deest justo pretio, recipias. Concordat, pariterque de venditore læso; & quidem solo loquitur leg. Si voluntate 8 Cod. eod. quod idem faciunt c. Cùm dilecti. c. Cùm causa 6. hoc tit. ut proin extra controversiam sit, venditori contra emptorem actionem competere ad hoc, ut emptor vel iterùm restituat rem eidem venditam, vel pretium suppleat; casu quo venditorem ultra dimidium læsit, verbi gratia pro merce 100. florenis constante, 48. tantùm florenos, vel adhuc minus pretium dando. Verùm hoc ipso, quòd de solo venditore disponant allegata Jura, controvertitur, num etiam emptori contra venditorem in pretio lædentem actio competat.

333 Resp. II. Actio & beneficium l. 2. Cod. de Rescin. vend. etiam emptori contra venditorem competit, ad hoc, quòd si ultra dimidium justi pretii pro merce dedit, compellere possit venditorem, ut vel excessum pretii restituat, vel refuso toto pretio rem venditam iterum recipiat, Abbas in c. Cùm dilecti. 3 hoc. tit. num. 3. Molina disp. 349. Pirhing h.t. n.25. testeque Haunoldo loc. cit. num. 340 communissima ac receptissima tam TT. quàm Juristarum sententia contra Cujacium lib. 16. Observ. 18. Robet lib. 2. Animadvers. cap. 13. Gibal. & paucos alios. Probatur conclusio. Emptor & venditor correlativè opponuntur; atqui in correlativè oppositis, quod de uno statuitur, censetur etiam statutum de altero; si eadem de utroque militat ratio, ut in præsenti arg. l. fin C de Indict. juncta l. Cùm emptor. ff. de Rescin. ven. & Reg. 41. Juris. Hinc illud vulgatum, Correlativorum idem judicium, eademque disciplina. Barbosa Axiomat. 61. citans alios.

334 Confirmatur, quoties cunque aliquod beneficium legis principaliter meritis causę, & non intuitu personæ conceditur, tunc ubi eadem est ratio & causa, idem concessum censetur beneficium; etsi lex de una tantùm persona loquatur, l. Ideo 27. ff. de legibus, ibi: semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, & ad eas res pertineant, quæ quandoque similes erunt. Et meritò quia non possunt omnes articuli sigillatim aut legibus, aut Jurisconsulto comprehendi; sed cùm in aliquo casu sententia eorum manifestata est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita Jus dicere debet, l. Non possunt. 12. eo. Hinc Glossa in l. Illud ff. ad l. Aquil. ait: Ubi eadem est ratio, ibi idem Jus esse debet: atqui reverà ad præsens eadem est ratio inter emptorem & venditorem, ipsumque beneficium legis 2. non intuitu personæ, sed meritis causæ concessum videtur; cùm penitus non appareat, cur potiùs venditori, quàm emptori læso actio, & beneficium præfatæ legis concedatur; ergo.

335 Quæritur II Quomodo lęsio ultra dimidium sit computanda? seu, quod idem est, quid sit lędi ultra dimidium justi pretii? Resp. I. Læsio ultra dimidium justi pretii respectu venditoris est, quando eidem nec media pars pretii justi infimi, quo res tempore Venditionis æstimatur, ab emptore datur: verbi gratia si pro re, quę tempore contractus secundum pretium justum infimum 100. florenis ęstimatur, dantur 48. floreni, dicitur venditor lęsus ultra dimidium. Est certa, & unanimis, arg. l. 2. C. de rescin. ven. ibi: minus autem pretium videtur; si nec dimidia pars veri pretii soluta est: id est: justi pretii, quod fuerat tempore Venditionis, l. Si voluntate. 8. C eod. Et quidem infimi (casu quo ematur res pretio naturali, seu vulgari habente summum, medium, & infimum pretium) quia cùm infimum pretium adhuc sit justum pretium, & emptor medio, vel summò pretio emere non teneatur, venditor ultra dimidium justi pretii lędi non dicitur, si quantitas soluta mediam saltem partem justi pretii infimi efficit, vel superat; etsi mediam partem justi pretii supremi vel medii non attingat, prout benè docet Covarruvias lib. 2. Variar. Resol c.3.n.3. Molina disp. 349. num. 3 Rebell de Oblig. Justit. part. 2. lib. 9. quæst. 3. sect. 1. aliique DD. qui in hoc, sicut & in tota conclusione de lęsione ultra dimidium respectu venditoris conveniunt. At verò plurimum controvertunt, an eodem modo computanda sit lęsio, qua lęditur emptor, ita ut hic dicatur lęsus ultra dimidium justi pretii, si ipso pro re, quę tempore contractus juxta infimum pretium justum valeat centum, dat. 152. Florenos. An verò solùm, si loco centum dedit plus quàm ducentos Florenos.

336 Resp. II. Lęsio ultra dimidium justi pretii tangens emptorem, eodem modo est mensuranda, quo illa, qua lęditur venditor; ita ut emptor quoque reverà ultra dimidium justi pretii lęsus dicatur, si ultra justum pretium infimum verbi gratia 100. Florenos, quo res tempore contractus ęstimabatur, dedit plus quàm mediam partem dicti pretii, verbi gratia 52. sicque in summa 152. florenos. Covarruvias l.c.n.8. Gutierez 2. p. qq. q. 133. Molina disp.389.n.2. Lessius c.21 n.20. Layman l.c.n.7. Palao l.c.pun.17.§.1.n.3. Pirhing. h.t.n.25. dicens hanc sententiam esse communem, veriorem, & ęquiorem. Eandem sententiam tenent Glossa in c. L.2.C.de Rescind. vendit. & in c. Cùm causa 6. h.t. vers. Dimidium. Bartol. Bald. & alii Legistę complures cum communi TT. & Canonistarum, contra Abbatem in c. Cùm dilecti. h.t. n.2. Cujacium lib.16. Observ.18. Fachin. lib.2.c.16. Mynsing. Centur.4. Observ 73. n.4. qui pro se allegat communem sententiam modernorum Legistarum, praxinque Camerę Imperialis.

Pro-

337 Probatur conclusio: juxta dicta suprà n. 333. emptor ac venditor ob identitatem rationis, & quia sunt correlativa æqualiter gaudent beneficio Legis 2.C.de Rescind. vendit. uti plures nobiscum fatentur Adversarii; ergo æqualiter computanda est utriusque læsio ultra dimidium in ordine ad instituendam actionem, & fruendum beneficio Legis, ita, ut ea quantitas, quæ sufficiat in uno, sufficiat etiam (ceteris paribus) in altero ad constituendam læsionem ultra dimidium justi pretii, indeque instituendam actionem conformiter L. 2. C. de Rescind. vendit. Subsumitur; atqui in sententia Adversariorum non sufficeret eadem in utroque, sed requireretur duplo major quantitas in emptore, quàm in venditore; ergo. Probatur subsumptum sequenti exemplo: quando fit Emptio Venditio rei constantis centum florenis, dicitur venditor ultra dimidium lædi, si nec dimidia hujus pretii pars, nempe nec 50. floreni ei dantur, ipseque plus quàm in 50. verbigratia in 52. læderetur; prout fieret, si eidem pro tali re vendita tantùm darentur 48. floreni: atqui eadem læsionis quantitas in 52. verbi gratia consistens non sufficeret in emptore ad constituendam læsionem justi Pretii ultra dimidium; cùm juxta Adversarios minimè haberetur, etsi pro illa emptor dedisset 152. florenos, sicque in 52. læsus existeret; sed requireretur, quòd plus quàm ducentos dederit, sicque pluquàm in centum læsus maneret; cum tamen in eodem casu sufficeret in venditore læsio in quinquaginta duobus consistens.

338 Confirmatur: Ille emptor dicitur reverà lædi in pretio ultra dimidium, qui præter, seu ultra totum justum pretium dat, quod dimidiam, seu mediam partem totius illius justi pretii adhuc superat; atqui emptor dans 152. florenos pro re, quæ juxta infimum justum, tantùm centum valet, præter totum justum pretium, centum nempe florenos, dat adhuc, quod hujus totius justi pretii mediam partem, 50. nempe florenos superat; ergo illud dans reverà læditur ultra dimidium justi pretii, nec requiritur, ut Adversarii volunt, quod in hoc casu ultra ducentos solvat; quia sic læsio non tantùm foret ultra dimidium, sed ultra totum justum pretium, simulque in duplo illius, quod in venditore læsionem ultra dimidium constituit: quod admitti sanè non debet ob magnam venditorem inter & emptorem inæqualitatem, quam æquitas justitiæ commutativæ in contractu reciproco nullatenus admittit.

339 Objiciunt Adversarii fingendo aliam, & quidem frequentem computationem læsionis ultra dimidium justi pretii. Venditor juxta omnes tunc dicitur lædi ultra dimidium, quando nec dimidiam partem justi pretii accipit pro re, quam vendit: ergo etiam emptor tunc solùm ultra dimidium læditur, quando nec dimidium valorem rei accepit pro pretio, quod dedit. Subsumunt: atqui quando pro re, quæ tempore contractus valet centum, non dat plus quàm ducentos, sed tantùm ducentos vel minus, verbi gratia 152 florenos, accipit reverà dimidium, vel plus quàm dimidium valorem pretii, quod numeravit; cùm accipiat rem valentem centum florenis, qui utique sunt media pars ducentorum florenorum, vel plus quam media pars 152. florenorum, quos pro re illa expendit. Resp. negando totum subsumptum argumenti; non enim, uti supponit argumentum, æstimatio & computatio læsionis desumi debet à re, quam accipit emptor, sed à pretio, quod dat, ita videlicet, ut, sicut damnum venditoris consideratur ex eo, quòd minùs acceperit, sic vicissim damnum emptoris consideratur ex eo, quòd plus dederit; ut benè observat Covarruvias lib. 2. Variar. Resolut. cap. 3. num. 8. tum quia Emptio Venditio à pretio consideranda est, non ab eo, quod utrinque datur, sicut permutatio: cùm emptio Venditio non sit permutatio pecuniæ cum re, sed æstimatio ad pecuniam; tum quia alias suprà n. 337 & 338. allegata sequeretur magna justitię commutativæ adversa inæqualitas Juris ac beneficii emptorem inter ac venditorem.

340 Quæritur IV. Qualis sit Actio læso ultra dimidium justi pretii competens? Item quid? & quandiu operetur? Resp. I. Si agit venditor contra emptorem, est actio ex vendito, seu venditi: si verò emptor contra venditorem agit, est actio ex empto, seu empti. Ita Bartolus, Harprecht, & communis aliorum contra Cynum; Hunnium, & alios. Fundamentum conclusionis est: tum, quia, uti ex dictis constat, actio empti & venditi ad ea omnia prosequenda datur, ad quæ præstanda venditor emptori, & hic illi tenetur, nisi specialis actio in Jure præscribatur, arg. l. Julianus 13. §. & l. Ex empto 11. ff. de action. empt. tum quia sub actione empti, & venditi cadunt ea omnia, quæ sunt moris & consuetudinis: L.31.§.20 ff. de Ædilit. edict. ergo multò magis quæ sunt Juris: tum quia actio empti, & venditi determinatè etiam datur ad rescindendum justis de causis contractum cit. l. Ex empto 11. & l. Julianus 13. ff. de Actionibus empti ergo à fortiori datur disjunctivè ad rescindendum contractum, vel supplendum pretium.

341 Respond II. Actio ex læsione ultra dimidium justi pretii competens venditori hoc operatur, quòd emptor lædens teneatur vel supplere defectum pretii, vel rescindere contractum, & rem venditori iterum restituere: & vicissim venditor lædens teneatur vel excessum pretii restituere emptori, vel rescindere contractum, remque venditam refuso toto accepto pretio iterum recipere. Prima pars est extra controversiam ob clara Jura l. 2. C. de rescind. vendit. & l. Si voluntate 8 C. eod. juncto cap. Cùm causa 6. h. t. vi quorum expressè disponitur, quod venditore ultra dimidium justi pretii læso emptor disjunctivè teneatur vel supplere defectum justi pretii, vel rescindere contractum, ita ut obligationi suæ satisfaciat, si pro libitu alterutrum faciat. Secunda pars communiter docetur à DD. ob paritatem rationis, obligationem reciprocam, ac correlationem mutuam, quæ venditorem inter ac emptorem in contractu Emptionis Venditionis intercedit, juxta dicta superiùs num. 333.

342 Resp. III. Præfata actio insuper efficit, quòd emptor lædens, vel rescindere contractum, vel supplere totum defectum justi pretii teneatur, ita, ut neque in foro externo satisfaciat, tantum addendo, quantum sufficiat, ne ampliùs sit læsio ultra dimidium: verbi gratia si pro re centum valente dedit 48 florenos, non sufficit addere tres vel quatuor; sed requiritur, ut adhuc 52. addat, sicque totum defectum justi pretii suppleat, centum tanquam justum pretium efficiendo. Rursus communis ac certa contra Cujacium arg. cit. l. 2. C. de Rescind. vend. & c. Cùm causa 6. h. t. ubi expressè præcipitur, ut vel rescindat contractum, vel suppleat, quod deest justo pretio: non suppleretur autem justum pretium, si tantum id adderetur, quo læso constituitur extra dimidium. cùm pretium adhuc maneret injustum; ut consideranti patet: ergo. Idem ob identitatem rationis cum propositione de emptore dicendum est.

343 Resp. IV. Si læsio ultra dimidium facta est bona fide, & emptor, uti potest, eligat rescindere contractum, & restituere rem emptam, non tenetur unà cum illa restituere fructus ex ea interea perceptos, sed potest eos in utroque foro retinere, Gutierez 2 p.qq.quæst.134. Molina disp 349. Fachin. lib.2 cap. 24. Layman Tract. 4. capit. 17. numer. 8. Lessius lib. 2. capit. 21. dub. 15. Pinell. par. 2. capit. 4. numer. 1. cum communiori aliorum contra Covarruviam lib. 2. Variar. Resolut. cap. 3. num. 9. & alios ab eodem ibi citatos, ubi tamen in medio fatetur, nostram sententiam esse in praxi receptam. Patet conclusio imprimis per Jura & rationes, quibus toto §. 8. docuimus, peracta Emptione Venditione periculum & commoda rei pertinere ad emptorem tamquam dominum. Probatur etiam specialiter ex c. Ad nostram 11. de Rebus Ecclesiæ alienand. ubi ob enorme dispendium, quod ex Venditione feudi monasterio illatum est, jubetur emptor recepto pretio feudum restituere, fructus autem interea perceptos retinere permittitur, cùm sibi fructus percepti sufficere debeant pro labore; ut ibidem ait Pontifex.

344 Objicitur I. Lex 1. Cod. si major fact. alien. ubi habetur; in arbitrio emptoris esse, an velit possessionem cum fructibus restituere. Respondetur cum Gutierez l. loc. citat. in casu hujus legis duplex vitium intervenisse. Unum, quòd res minoris absque decreto Judicis fuerit vendita; ex quo contractus

fuit

fuit nullus. Alterum, quod contigerit læsio ultra dimidium. Quia tamen dictus minor, postea major factus ratificavit Venditionem, ignarus, quòd priùs facta esset invalida, concessa est emptori electio, vel supplere pretium, vel possessionem cum fructibus restituere, aliàs enim, si ratificatio secuta non fuisset, debuisset emptor vi prioris vitii contractum annullantis, prædium cum omnibus fructibus necessariò restituere; prout citati DD. benè observant.

345 Objicitur II. *l. Item quod 6. l. Imperator. 16. ff. de In diem addict. l. Lege fundo 5. ff. de Lege Commiss.* in quibus expresse habetur, quòd rescisso contractu teneatur emptor rem unà cum fructibus restituere: ergo etiam in casu læsionis ultra dimidium emptor id facere debebit, & rescissionem contractus eligat. Respond. negando conseq. & paritatem. Disparitas est; quia si emitur res cum pacto addictionis in diem, vel legis Commissoriæ, item si Actione redhibitoria resolvitur contractus, reducitur res in eum statum, ac si empta non fuisset, nec aliquis contractus extitisset, prout supra jam diximus *arg. leg. 23. §. 1. ff. de Ædilit. edict.* juncta *l. 60. de Ædilitio edict. ibi*: Omnia in integrum restituuntur perinde, ac si neque Emptio, neque Venditio intercessisset. Secùs est, quando ob læsionem ultra dimidium contractus rescinditur, eò quòd in hac rescissione contractus nulla lege in eum redigatur statum, ac si nunquam fuisset, consequenter fructus intermedio tempore, ab emptore tanquam domino percepti, ejus manebunt.

346 Respond: V. Si læsione bona fide facta emptor eligat contractus rescissionem, tenetur ei venditor refundere expensas, si quas interea in necessarias, vel utiles rei meliorationes fecit, Baldus *in Leg. 2. Cod. de Rescind. Vendit.* Pinell. *part. 2. capit. 3. n. 2.* Haunold. *loc. cit. n. 261.* eoque teste communis & vera aliorum contra Salicetum. Ratio est quia universaliter bonæ fidei possessori, casu quo rem iterùm restituit, sumptus ac meliorationes restitui debent, *l. Si prædium 16. C. de Prædiis minor.*

347 Respond. VI. Sicut fructus & commoda, ita etiam periculum ad emptorem pertinet, ut pro in defectum justi pretii supplere debeat, etiamsi res interea apud ipsum, vel etiam apud venditorem (absque hujus culpa) pereat. Abbas *in c. Cùm dilecti. 3. h. t. numer.* 10. Joan. Andr. *in idem c. numer.* 2. & communis Canonistarum, cum quibus etiam sentit Imola *in c. Cùm causa 6. h. t. numer* 19. Lyman *loc. cit. numer.* 8. & alii contra Haunoldum *loc. cit. numer.* 259. Covarr. *libr. 2. cap. 4 numer.* 14. Molina *Disp.* 349. *num.* 6. ubi pro se communem citat. Probatur conclusio legibus, & rationibus, quibus suprà *n.* 213. universaliter ostendimus, pericula rei venditæ ad emptorem pertinere. Habentur autem ibidem certæ limitationes, cum quibus & hanc conclusionem proportionaliter intelligi volumus. Confirmatur, quando duo disjunctivè sunt in obligatione, si unum perimitur, vel non ampliùs extat, alterum debetur, *l. Plerumque 10. ff. de Jure dotium: leg. Si Stichum 16 ff. de V. O. ibi*: Si Stichum aut Pamphilum mihi debeas, & alter ex eis meus factus sit ex aliqua causa: reliquum debetur mihi à te; ergo etiam in præsenti, quia emptor vel rem restituere, vel defectum pretii supplere tenetur; si res non ampliùs extat, pretium supplere debebit.

348 Respond. VII. Si læsio ultra dimidium justi pretii facta est dolosè, & ex mala fide emptoris, Emptio Venditio ipso Jure est nulla, tenetur que emptor unà cum re etiam fructus perceptos omnes restituere. Abbas *in cit. c. Cùm dilecti. 3. h. t numer.* 6. cum communi aliorum. Ratio est: quia quandocunque dolus dat causam contractui bonæ fidei, qualis est Emptio Venditio, *§. Actionum autem 28. Instit. de Action.* contractus ipso Jure est nullus, *l. Eleganter*, juncta Glossa *vers. Si in hoc ipso ff. de Dolo malo, l. In causæ §. 1. ff. de Minor. & l. Ea verò 3. §. fin. ff. Pro socio*: & ampliùs diximus suprà *Leg. 2. Tit. de Dolo, & contumacia numer. 14. & seqq.* ubi autem contractus est nullus, emptor nullum acquirit rei emptæ dominium, nullumque alium habet titulum justum fructus faciendi suos: ergo. Quòd si verò venditor deceptus nolit restitutionem rei; sed eligat pretii, supplementum, tenebitur ad id emptor dolosus; quia illud, quod dolosus dans causam contractui bonæ fidei, contractum annullet, intelligendum est, si deceptus velit, si enim nolit, illum esse irritum, valebit in præjudicium dolosi, ne dolus prosit doloso contra *c. Sedes 15. & c. Ex tenore 16. de Rescript.* simulque quia deceptis, & non decipientibus Jura subveniunt, *c. Cùm universorum 8. de Rerum permut.* Abbas *loc. cit. n.* 8. & dictum est suprà *cit. lib. 2. Tit. de Dolo & contumacia, n.* 15.

349 Respond. VIII. Actio ob læsionem ultra dimidium institui potest usque ad 30. Annos. Abbas *in cap. Cùm causa 6. hoc. tit. numer.* 6. Glossa & Baldus *in cit. leg. 2. de Rescind. vendit.* Molina *Disp.* 349. *numer.* 15. cum communi aliorum. Ratio est; quia cùm hæc actio habeat paratam viam in Jure, eodem tempore durat, quo durat actio personalis, triginta nempe annis, *l. Sicut 3. Cod. de Præscript. 3. Ann.* Abbas *loc. cit.* Intellige conclusionem, si læsio facta est bona fide; nam ubi mala intercessit fides lædentis, perpetuò durat, & nullo tempore præscribitur; quia possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit, *Reg. 2. Jur. in 6.* concordat *c. fin. de Præscript.*

350 Quæritur V. An vi Legis *2. Cod. de Rescind. vend.* universaliter omni, & soli læso ultra dimidium justi pretii in quocunque casu sine ulla limitatione competat actio? Respond. I. Quamvis regulariter loquendo non nisi læso ultra dimidium justi pretii competat actio prout constat ex *cit. leg. 2. C. de Rescind. vendit.* Nihilominùs dantur casus, in quibus etiam infra dimidium in pretio læsis actio conceditur, non quidem ex dicta *leg.* 2. sed aliis legibus. Probatur inductione. Sic enim in primis Minoribus 25. annis conceditur actio contra graviter lædentem; etsi læsio sit infrà dimidium. Palao *de Justit. tom. Disp. 5. pun. 17. n. 8.* cum communi & certa aliorum. Patetque cum ex *l. Quisquis 15. C. de Rescind. vend.* ac totis Titulis *ff. de Minor. & C. de In integrum restit.* Idem est Ecclesiis, ac Communitatibus; eò quòd Ecclesia fruatur Jure Minoris, *c. Auditis 3. de In integrum restit.*

351 Secundò datur actio læsis in precio infra dimidium, si læsio facta est ex dolo, fraude, vel mendacio; datur enim tunc actio ex dolo, *l. Et Eleganter ff. de Dolo malo, l. Jul. 12. §. 4. 6 ff. de Action. empti.* Castro Palao *loc. citat.* ubi citat Pinell. *in leg. 2. Cod. de Rescind. vendit. p. 1. cap. 1. num.* 8. & alios. Ratio est, quia fraus & dolus alicui patrocinari non debet, *c. Ex tenore 16. de Rescript.*

352 Tercio, quando fit læsio in pretio taxato, seu legitimo Castro Palao *loc. cit.* citans Ledesmam *2. p. sum. tract. 8. c. 32. difficult.* 2. Roderiquez *2. p. sum. c. 79. concl.* 4. Salas *tract. de Empt. dub. 27. numer.* 5. Ratio est, quia pretia rerum ob bonum publicum taxantur, idemque ob bonum observari, & transgredientes etiam infra dimidium, puniri à Judice debent; consequenter læsi in illo contra lædentem agere possunt. Accedit, quòd ratio, ob quam negatur actio læsis infra dimidium, evitatio nempe litium, in casu pretii taxati cesset, hoc ipso, quòd pretium istud in indivisibili consistens certò sciatur, ejusque læsio sine ulla controversia cognoscatur, ubi autem cessat ratio legis, cessat lex ipsa, *l. In omni ff. de Adoption.* Barb. *Axiomat. 136. n. 9. cùm Ratio legis sit anima legis, l. Cùm ratio ff. de Bonis damnatorum.*

353 Aliqui, ut Paulus de Castro *in cit. leg.* 2. Alexander *in l. Si quis arbitratu ff. de V. O. numer.* 20. apud Palao *loc. citat. num.* 4. volunt, etiam læso infrà dimidium actionem competere, si non per se, sed per Procuratorem contraxit. Verùm negativa Juri conformior est, eamque tenet Abbas *in c. Cùm causa h. t. numer.* 5. Fachin. *lib. 2. cap.* 29. Pinell. *in leg. 2. C. de Rescind. vendit. part. 2. capit. 1. numer.* 15. Palao *loc. cit.* cum communi aliorum. Ratio est: tum quia læsio infra dimidium facta, nullibi excipitur à *cit. Lege* 2. non nisi læsis ultra dimidium actionem concedente. Tum quia læsioni per procuratorem factæ expressè derogata videtur actio, nisi sit ultra dimidium *L. 8. C. eod.* ubi licèt filius quasi procurator, loco matris contraxerit, tamen dicitur, bonam fidem non pati, ut talis contractus rescindatur, nisi minùs dimidio justi pretii datum esset. Tum, quia procurator gerit personam principalis, qui sibi imputare debet, quòd tam ignaro, vel negligenti suum commiserit negotium, *l. Cùm mandatur 23. ff. de Minor.*

354 Resp. II Pariter quamvis regulariter loquendo, cuivis læso ultra dimidium justi pretii concedatur actio contra lædentem; tamen dantur etiam casus, in quibus etiam læsi ultra dimidium actione & beneficio *l. 2. C. de Rescind. vend.* non gaudent. Probatur inductione. Sic namque primò læsus ultra dimidium agere non potest, si beneficio legis hujus expressè, & specialiter renunciavit. Covarr. *lib. 2. Variar. Resolut. capit. 4. n.* 1. citans Barb. *in l. Si quis cùm aliter ff. de V. O.* Baldum, Jasonem, & communem aliorum. Idem docet Palao *loc. cit §. 10. n.* 2. Gutierez *1. par. de Juram. cap. 26. n.* 3. & communis aliorum *l. Quæritur 16. §. Si venditor 9. ff. de Ædilit. edict. ibi*: Renunciantibus actiones suas, non est regressus dandus. Ratio est; quia regula Juris antiqui est, omnes licentiam habere his, quæ pro se introducta sunt, renunciare, *l. penult. C. de Pactis.*

355 Dicitur tamen notanter, specialiter & expressè: quia qui generaliter tantùm omni Juris remedio renunciavit, minimè impeditur ab actione contra lædentem ultra dimidium, Covarr. *loc. cit.* citans Tiraquel. *in l. Si unquam de Revocat. donat. n* 123. Bart. *in l. Si quis cùm aliter ff. de V. O* & communem aliorum, sequitur Palao *loc. cit. n* 3. dicens, id certum esse, & alii, *arg. leg. ult §. Idem quæsitum 3. ff. de Condict. indebit.* Rationem dant; quia generali renuntiatione nemo præsumitur renuntiare cum gravi suo incommodo, *l. Hæc adjectio 192. de V. S.* juncta *l. Mater decedens, ff. de Inofficioso Testament.*

356 Cæterùm valet renuntiatio expressa, & specialis, etiamsi in continenti, seu in ipso venditionis contractu fiat: uti docet Covarruvias *loc. cit. n.* 4 Palao *loc. cit. n.* 5. cum Bart. & Bald. contra Gomez, & alios volentes, etiam specialem renunciationem non valere, si non post aliquod intervallum, sed in continenti adjicitur, prout factum censetur, si in eodem instrumento contractus venditionis, & renuntiatio specialis continetur. Ratio autem nostræ assertionis est, quòd jura nullibi requirant, ut hujusmodi renuntiatio primùm post intervallum fiat.

357 Nec obstat, quas objiciunt *l. Si mulier. 22. C ad S. C. Vellejan. & l. Dolo 19 §. Diversum ff. de Novation.* ubi habetur, quòd renunciationes etiam speciales Mulierum, & Minorum, non valeant, maximè si non post debitum intervallum fiant. Nam respondetur, de Mulieribus & Minoribus esse specialem Juris dispositionem, ob imbecillitatem, & infirmitatem judicii.

358 Illud tamen cum Covarruvia *loc citat* Abbate, & aliis fatendum, specialem renuntiationem non obesse, quin læsus agere possit, casu quo læsio esset gravissima, seu, ut vocant, enormissima. Ratio est: quia talis læsio æquiparatur dolo *l. Si superstite 5. C. de Dolo malo.* Eandem doctrinam in Rota servari testatur Covarruvias *loc. cit.* Quæ autem læsio sit enormissima, non conveniunt DD. sunt, qui volunt, illam tunc contingere, quando læsio est suprà duplum, seu triplum justi pretii. Rectius tamen dicitur cum Cardin. *de Luca h. t. in Summa n.* 26. id relinquendum esse arbitrio Judicis.

359 Secundò agere contra lædentem læsus non potest; si probè sciens valorem rei, nullaque necessitate urgente vendens, vel emens, absque omni dolo, fraude, metu, & ignorantia liberaliter excessu vel defectu donet: his vel similibus verbis: si quid, seu quod pluris est, dono, aut remitto Abbas *in c. Cùm causa 6. h. t.* Menochius *de Arbitrar. Judic. casu 144. num.* 3. dicens, ita sentire omnes & *num.* 15. Si verò ignoraret valorem rei, donatio non obesset actioni. Abbas *loc. citat.* Menochius *loc. citat. num.* 13. dicens, esse unanimem opinionem DD. Quamvis non desint contradicentes, dictitatione, quòd quivis præsumatur scire valorem rei suæ, *l. Quisquis 15. C. de Rescind vendit.* Quibus tamen respondet Abbas *loc. citat.* huic præsumptioni opponi duplicem aliam, videlicet, quod nemo præsumatur jactare suum; & in dubio donatio non præsumatur, *l. Campanus 47 ff. de Operis libert.* Præsumptio autem fortior elidit minùs fortem, *c. Literas de Præsumpt.* fatetur tamen ibidem Abbas, si donans utatur his, vel similibus verbis: quod reliquum est, vel quod deest &c. dono, sive magnum sit, sive parvum, donationem valere. Item docet Menochius *loc. citat. num.* 17. dummodo læsio non sit enormissima; utpote quæ juxta dicta *num.* 358. æquiparatur dolo. Illud porrò hic notandum, ex hoc solo, quòd quis sciens valorem rei lędatur ultra dimidium, non pręsumatur condonare, si pluris justo emit, vel minoris justo vendit, consequenter non obstante quòd scienter læsus sit, eidem adhuc competat actio contra lædentem, prout contra plerosque Juris Interpretes suprà *n.* 125. & 126. jam diximus, & magis dicemus *infra Tit. de Donat.*

Tertiò ultra dimidium læsus agere nequit si, uti sæpè contingit, conveniunt contrahentes, quòd si aliquid de pretio desit, suppleatur, vel restituatur, si nimium datum esset. Alexander *in l. Si quis cùm aliter ff. de V. O.* Baldus, & alii contra Fachin. *lib. 2. cap. 40. Controv.* 3. & ab ipso citatum Jason. aliosque. Ratio est; quia hoc pactum justum est; ergo servari debet; cùm nihil magis bonæ fidei congruit, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est; consequenter non potest læsus agere disjunctivè ad rescindendum contractum, vel supplendum pretium, sed contentus esse debet, si vi pacti, defectus pretii suppleatur, vel excessus restituatur, casu quo læsus existit emptor. 360

Controversia est inter DD. an læso actio contra lædentem competat, si Emptio Venditio ex mandato, & decreto Judicis fiat; uti contingit, si res sub hasta vendatur. Dicendum tamen cum Abbate *in c. Cùm causa 6. h. t. n.* 6. Molina *Disp.* 349. Menochio *de Præsumpt. l. 3 Præsumpt. 75. n.* 34 Palao *loc. cit. §. 5. n* 2. contra plures alios, eosque gravissimos AA. ut Bart. Paulum Castr. Decium &c. actionem læso competere. Ratio est; quia quamvis Authoritas Judicis faciat, quod deceptio & læsio non præsumatur; tamen non excludit probationem in contrarium, *arg. c. Cùm dilecti 3. & c. Cùm causa 6. h. t.* ubi Ecclesiæ ultra dimidium læsæ competit actio; non obstante, quòd quævis alienatio rei Ecclesiasticæ immobilis authoritate Judicis fieri debeat, uti patet ex dictis suprà *Tit. de Rebus Eccl. non alienand.* Confirmatur ex *l. Si quos 16. C. de rescind. vendit.* ubi expressè prohibetur, ne sub nomine subhastationis publicæ, locus fraudibus relinquatur; consequenter actio permittitur, casu quo fraudes occasione talis venditionis publicę committantur; pręsertim si miseri illi, quorum bona sub hasta venduntur, vel creditores ultra dimidium læduntur, rebus subhastatis nimis vili pretio venditis. Et certè, si nulla contra authoritate publica vendentes, vel ementes daretur actio, pateret eis ampla via fraudandi, non sine gravi detrimento ac injuria boni publici, & privatorum; uti consideranti patet. 361

§. XII.

De Evictionibus.

S U M M A R I U M.

362 *Evictio quid?*
363 *Quamprimum lis movetur ad rem evincendam, tenetur venditor emptorem defendere, litemque assumere.*
364 *Nisi sciat, rem esse alienam; tunc enim absque lite illam domino, pretium autem & interesse emptori restituere debet.*
Emptor advertens evictionis periculum retinere potest pretium, nondum solutum ib.
365 *Venditor emptorem defendere non tenetur, nisi cum priùs laudaverit emptor, seu litem esse motam, et denuntiaverit.*
Laudare Authorem quid? ib.
366 *Non sufficit quævis denuntiatio, sed debet fieri cum requisitione ut veniat, & emptorem defendat.*
367 *Debent insuper denuntiationi includi libellus, & acta litis motæ.*
368 *Requiritur etiam ut debito tempore fiat. Et quod illud?*
369 *Denuntiationem motæ litis facere debet emptor, etsi venditor id aliunde jam sciat.*
370 *Excipitur tamen Minor, & Ecclesia, simulque casus, quo venditor defensionem expressè promisit.*

371 Ven-

371 *Venditor ad defendendum comparens debet sequi forum emptoris.*
372 *Postquam res actu fuit evicta, competit emptori contra venditorem actio ex empto ad hoc.*
373 *Ut venditor restituat totum pretium, si tota res fuit evicta, vel partem, si pars tantùm evicta habetur.*
374 *Unà cum interesse emptionis, ut lucrum cessans, & damnum emergens.*
375 *Dummodo non excedat duplum pretium.*
376 *Nomine interesse restituendi veniunt etiam expensæ litis, quas fecit emptor.*
377 *Venditor si laudatus non fuit, restituere nihil tenetur. Et n. seq.*
379 *Nisi manifestè constaret, rem esse alienam, nullamque defensionem venditori competere.*
380 *Quod probatur à simili.*
381 *Et solvitur instantia.*
382 *Venditor de Evictione non tenetur, quando emptor tempore sententiæ promulgatæ contumaciter abfuit.*
383 *Item quando sententia culpa Judicis pro actore lata est.*
384 *Item quando venditor à sententia non appellavit.*
385 *Sicut etiam, si emptor negligentia, vel imperitia sua in causa fuit, quòd contra eum lata sit sententia.*
386 *Vel si rem alienam sciens emit.*

362 QUæritur I. Quid sit Evictio? Resp. I. *Evictio* est rei propriæ, quàm alius justo titulo acquisitam habet, apud Judicem recuperatio. Ita in re communis. Pro cujus intelligentia notandum, sæpè contingere, quòd etjam res alienæ v.g. furto ablatæ vendantur, permutentur, vel alio modo alienentur domino inscio & invito. Hinc Jura, ut debito succurrerent medio, concesserunt, quòd rem suam nondum præscriptam, ubicunque extiterit, authoritate Judicis iterùm recuperare quivis possit, per Actionem competentem demonstrando, rem hanc suam esse, indeque, ut sibi restituatur, debitè instando. Dum igitur rem ab alio, justo titulo possessam dominus iterum sic recuperat, dicitur hæc recuperatio rei Evictio. Et quoniam per talem Evictionem, is, qui prius justo titulo acquisitam rem possederat, eadem re privatur; huic quoque, ne damnum innocenter pati cogeretur, concesserunt Jura, ut ex empto agere possit contra eum, qui rem alienam sibi vendidit, permutavit &c. agendoque illum adigere, ut pretium, ac interesse restituatur; prout magis patebit ex dicendis.

363 Quæritur II. An, & ad quid teneatur venditor ratione Evictionis, antequam res actu sit evicta? Resp. I. Quamprimum emptori lis movetur ad rem evincendam, tenetur venditor emptorem defendere, litemque in se assumere, & propriis impensis prosequi; etiamsi ad hoc specialiter se non obligaverit; dummodo illum debito tempore laudaverit emptor, seu, quod idem est, ei legitimè intimaverit, litem esse motam Abbas *in cap. ult. n. 11. h. t.* Bart. *in l. Qui absentem. 75. ff. de Procur.* cum aliis, *arg. l. Si plus. 74. §. 2. ff. de Evict.* ibi: Mota quæstione interim non ad pretium restituendum sed ad rem defendendam venditor conveniri potest. Si enim, ut vult lex, ad defendendam rem conveniri potest, ad diem etiam condemnari potest: cùm ubi actio est, ibi etiam condemnatio fieri possit; quia sententia debet esse conformis libello.

364 Intellige tamen conclusionem, si venditor bona fide putat, vel judicat, rem fuisse suam, & à se legitimè alienatam. Nam si sciens rem alienam vendidit, utique defendere non tenetur, cum bona conscientia non possit; sed debet eam ultro restituere domino, *Reg. Peccatum 4. de Reg. juris in 6.* Venditori autem pretium, ac interesse, *l. Servus. 30. §. Si sciens. ff. de Action. empti.* Quòd si dubium & periculum sit, ne res aliena, & propterea evincatur, potest emptor statim in limine contractus retinere pretium non solutum, donec ei per fidejussores, vel alio modo sufficiens securitas præstatur, *l. penult. ff. de Peric. & commod. rei vendit.* ibi: Ante pretium solutum, dominii quæstione mota, pretium emptor solvere, non cogetur, nisi fidejussores idonei à venditore ejus evictionis offerantur. Concord. *l. Post perfec. 24. C. de Evict.*

Resp. II. Ut venditor teneatur defendere emptorem, litemque assumere, debet prius emptor venditori legitimè intimare, seu denuntiare, quòd eidem lis moveatur de re empta. Communis ac certa, *l. Emptore & l. Empti actio. 21. C. de Evict.* Concordat *c. fin. h. t.* Si venditori, post institutum contra se judicium quis omiserit, ut rem venditam sibi defenderet, nuntiare, de evictione juxta legitimas sanctiones (leges puta) agere non valebit. Denuntiare venditori, litem esse motam, aliàs etiam dicitur laudare Authorem, *l. Authore laudato. 7. C. de Evict. l. Tenetur. ff. de Action. empt.* Authorem enim Romani eum vocabant, à quo quis jus aliquod, seu causam possidendi habebat, *Reg. 175. ad Reg. Jur.* 365

Ut autem denuntiatio hæc ritè fiat, venditorque legitimè laudetur, non sufficit simplex significatio litis motæ, sed debet venditorem expresè requirere, ut veniat, rem suam defendat, & motæ liti assistat, uti benè advertunt Abbas *c. fin. h. t. n. 3.* Molina *disp. 380. nu. 9.* Covarruvias *lib. 3. Var. Ref. c. 17. n. 3.* Bartolus, Guttierez, & communis aliorum teste Molina, & Covarruvias *loc. cit.* Ratio est: quia ita leges, &c. *c. fin. h. t.* expresè requirunt. 366

Secundò requiritur, ut emptor denuntiationi accludat libellum, & acta litis adversus se motæ. Fachineus *lib. 2. Controv. c. 35* Covarruvias *loc cit.* Bartolus, Alexander, & cum communi aliorum, *arg. l. Clem. Causam de Elect.* Ratio est, ut venditor debitè cognoscere, ac deliberare valeat, an cedere, vel contendere malit. Putat tamen Molina *loc. cit.* id usu receptum non esse, consequenter valere etiam denuntiationem sine accluso libello, saltem in casu, quo venditori à Judice fit denuntiatio. Hinc in hoc attendenda est consuetudo locorum: quamvis securiùs faciat emptor, si libellum accludat. 367

Tertiò debet hæc litis denuntiatio fieri debito tempore, quo venditor rem litigiosam, & emptorem possit adhuc defendere. Henric. post Speculatorem in *cit. c. fin. h. t.* putat fieri debere ante litis contestationem; quod securissimum, & optimum est; quia sic venditor adhuc eligendi libertatem habet, an velit sine expensis cedere, vel cum expensis, & periculo perditionis, litem incipere. Quamvis juxta veriorem sententiam teste Covarruvia *loc. cit. num. 8.* sufficiat, si dicta denuntiatio fiat ante publicationem testium, & conclusionem in causa, *l. Si rem 29. §. 2. ff. de Evictio.* ibi: Quolibet tempore venditori denuntiari potest, ut de ea re agenda adsit: quia non præfinitur certum tempus in ea stipulatione; dum tamen ne prope ipsam condemnationem fiat. Imo teste Covarruvia *loc cit.* apud utriusque Juris interpretes magis receptum habetur, quod etiam post sententiam in prima instantia latam, legitimè fiat denuntiatio litis, in causa appellationis dummodo adhuc integra sint Jura, possitque venditor seipsum, & emptorem defendere prout etiam tradit Glossa in *l. Si rem verf. Quolibet ff. de Evictlon.* Joan. Andreas, Hostiensis, & Imola in *cit. c. fin. h. t.* 368

Porrò debet hactenus explicata denuntiatio litis venditori fieri; etiamsi aliunde jam certò sciat, litem esse motam, Covarruvias *loc. cit. n. 5.* Molina *loc. cit. nu. 9.* Abbas in *c. fin. h. t. n. 9.* citans Bartolum in *l. Denunciasse ff. de Adult.* cum communi aliorum. Ratio est; quia ita expressè requirunt Leges. Nec obstat Reg. 31. Juris in 6. Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet; eò quòd hæc regula tunc solùm procedat, quando denuntiatio seu certioratio simpliciter fit ad habendam scientiam: non item si fieri debet ad aliquid faciendum, uti cum Bart. benè observat Abbas *loc. cit. arg. l. 16. & 17. ff. ad Legem Jul. de Adult.* ubi fit in proposito, ubi venditori fit denuntiatio, ut veniat, & se defendat. 369

Excipiuntur tamen à taliter explicato onere denuntiandi, Minores, *arg. l. In Minor. 3. C. In quibus causis in integrum &c.* hi enim ob moram suam non privantur Jure agendi contra venditorem in casu Evictionis; dummodo venditor aliunde sciverit litem moveri emptori. Idem etiam de Ecclesia docent Covarruvias *loc. cit. num. 5.* Molina *Disp. 380. numer. 13.* cum communi aliorum. Ratio est; quia Ecclesia fungitur Jure Minorum, *c. Requisivit, & c. Auditis de restit. in Integr.* Huc quoque reducunt idem Molina *loc. cit.* Lugo *Disp. 26. n. 159.* & alii casum, quo venditor expresè promisit defensionem. Rationem dant; quia quando non promisit, tenetur defendere facta denuntiatione: ergo si promisit, tenetur absque illa præstare, aliàs enim promissio nihil operaretur. Consentiunt Covarruvias *lo. ci. n. 5.* Abbas, Joan. Andreas, & alii, si promissio fuerit jurata. Verùm non videtur in hoc esse distinctio: si enim promissio jurata hunc effectum habet, habebit eundem & simplex; eò quòd juramentum sequatur naturam contractus, super quo cadit, *c. Quemadmodum. 25. de Jurejurando.* 370

371 Resp. III. Venditor laudatus debet in defensione rei venditæ sequi forum emptoris, ut proin si venditor sit Clericus, & emptor laicus, coram laico Judice emptoris litigare debeat Clericus; & econtra, si emptor sit Clericus, venditor verò laicus, coram Judice Ecclesiastico venditor respondere debeat. Molina *loc. cit. n. 15.* Ancharanus in *c. Ea quæ, de Reg. Jur. in 6. q. 17.* Covarruvias *pract. qq. c. 8. n. 3.* Abbas in *c. Quoniam frequenter, ut lite non contestat. n. 28.* Barbosa *libr. 1. Jur. Eccl. univers. ca. 39. §. 2. n. 116* ubi postquam plurimos pro conclusione citavit DD. Ipse quoque *nu. seq.* concludit dicens, hanc sententiam esse longè veriorem, & communis aliorum contra Dianam *par. 3. tract. 1. resol. 25.* Castrensem *in l. Venditor n. 3 ff. de Judic.* & plures alios allegatos à Barbosa *loc. cit. n. 115.* Ratio conclusionis est; quia in casu Evictionis actor non convenit venditorem, sed emptorem, hicque, & non ille in judicio instituitur reus, prout etiam contra eundem, & non contra venditorem fertur sententia; ut proin venditor tantùm assistat liti, *arg. l. 49. ff. de Judiciis*: ergo si defendere emptorem vult, prout tenetur, coram ejusdem emptoris tanquam principalis rei Judice defendere debet; quia actor non aliud, quàm forum rei sequi tenetur, notis Juribus. Confirmatur: quando actor movet litem, & emptorem coram competente Judice accusat, tunc cum illo litigare, & ab eo rem evincere vult, minimè solicitus, an, & quis eum defendere, vel juvare debeat; cum propterea alium Judicem adire non teneatur, sed meritò instare possit, ut modò emptor, utpote rem alienam possidens restituat; qui dein cum venditore facere poterit, quid ei placuerit. Nec obstant canones, quibus statuitur, Clericos coram Judice laico conveniri non posse; quia negatur suppositum; cum, uti ex dictis constat, in simili casu non venditor Clericus, sed emptor laicus tanquam principalis reus conveniatur.

372 Quæritur III. An, & ad quid emptori teneatur venditor, postquam res fuit evicta? Resp. I. Regulariter loquendo, postquam res aliena vendita, ex toto, vel ex parte ab alio actu fuit evicta, obligatur venditor de Evictione, competitque emptori contra venditorem actio ex empto, etsi ratione Evictionis inter contrahentes nihil actum, aut cogitatum sit. Est certa & unanimis. Textus expressus habetur *l. 1. ff. de Evict.* ibi: Sive tota evincatur, sive pars, habet regressum emptor in venditorem, & *l. Non dubitatur. 6. C. de Evict.* ibi: Non dubitatur, etsi specialiter venditor evictionem non promiserit, re evicta, ex empto competere actionem, Concordat *l. Si in venditione 60. ff. eod.* Et quidem

373 Resp. II. Postquam res fuit actualiter evicta, tenetur venditor emptori totum pretium restituere, si tota res fuerit evicta; partem verò, si pars tantum evicta habeatur. Rursus communis & certa ob clara Jura *l. 1. l. Bonitatis. 13. l. Ex mille. 64. prin. ff. de Evict.* Quòd si pars tantum evincatur, agere ad rescissionem contractus, totiusque pretii restitutionem non potest emptor, sed tantum ut proportionata pars pretii solvatur, *arg. l. Ædiles. 38. §. 12. & 14. ff. de Aedilit. edict.* juncta *leg. 1. ff. de Evict.* nisi pars remanens esset inutilis emptori, aut inseparabilis à reliquis, *cit. l. Aediles. §. fin. ff de Aedilit. Edict.*

374 Resp. III. Re evicta tenetur venditor præter pretium emptori etiam restituere, & præstare id, quod emptoris interest, rem non esse evictam. Est extra controversiam. Textus est, in *l. Titius. 43. ff. de Action. emp.* ibi: Non enim pretium continet tantum, sed omne, quod interest emptoris. Idem habetur *l. Evicta re. 70. ff. de Evict.* his verbis: Evicta re ex empto non ad pretium duntaxat recipiendum, sed ad id, quod interest emptoris. Concordat *l. Si in venditione 60. & l. Si plus 74. ff. eod.* Nomine autem illius, quod interest, venit lucrum cessans, & damnum emergens, *l. Si sterilis 21. §. 3. ff. de Action. empt.* Hinc si fundus allavione crevit, augmentum illius emptori præstandum est, *l. Evicta re. 16. princ. ff. de Evict.* Debet autem damni jactura esse certa & liquida, *l. Quemadmodum 19. §. 3. ff. ad l. Aquil.* simulque vera, ex ipsa natura rei, & non ex privato emptoris affectu proveniens, *l. Si servum 33. ff. eod.* juncta *l. Pretia rerum ff. eod. ad leg. Falc.*

Porrò, si quantitas lucri cessantis, & damni emergentis nimia foret, ita ut excederet duplum pretium, non tenetur venditor ad excessum illum, qui suprà duplum pretium est, resarcire, *l. Cùm fortè 44. ff. de Action. emp. l. un. C. de Sent.* quæ pro eo, quod interest, proferuntur, ibi: Sancimus itaque in omnibus casibus, qui certam habent quantitatem, vel naturam, veluti in venditionibus, locationibus, & omnibus contractibus, hoc, quod interest, dupliciter quantitatem minimè excedere. Ratio est; quia non est verisimile, ullum venditorem directè vel indirectè se obligare ad omne quantumcunque excessivum interesse emptoris præstandum, in casu evictionis, *l. 43. §. fin ff. de Action. empt.* 375

Cæterùm nomine illius, quod interest, veniunt etiam expensæ, quas emptor in casu evictionis ratione litis fecit, si, ut supponitur, ex mandato tacito vel expresso venditoris, litem motam prosequitur. Ratio est? quia cùm venditor mota lite teneatur emptorem defendere, litemque in se suscipere, *leg. Si plus 74. §. 2. ff. de Evict.* Et quidem propriis sumptibus, *l. Quod nisi 20. ff. de Oper. libert.* consequenter si emptor ejus mandato id faciat, resarcire debet, & ad expensas tenetur. 376

Resp. IV. Ad hoc, ut venditor actione Evictionis teneatur unà cum pretio restituere etiam interesse, requiritur, quòd emptor eundem priùs laudaverit, seu eidem legitimè, modo suprà explicato denuntiaverit, litem moveri. Est communis & certa, *arg. c. fin. h. t* Concordant Jura suprà *n. 365. & seq.* citata. Item, quòd sententia contra emptorem jam sit lata, *l. Si plus 74. §. fin. 2. ff. de Evict. l. Qui rem 3. C. eod.* & executioni mandata, *l. Habere 57. ff. de Evict.* 377

Quæritur IV. An aliquando, & quibus in casibus venditor emptori de Evictione non teneatur? Resp. plures esse casus, in quibus ratione Evictionis venditor non tenetur emptori. Omnes. Probatur inductione. Sic imprimis de Evictione non tenetur venditor, quando non fuit laudatus ab emptore, seu quando eidem litem esse motam, legitimè intimatum non fuit, *c. fin. h. t.* patetque ex dictis *n. præced. & 365.* 378

Quibus tamen addendum, quòd, quando evidens & manifestum est, rem esse alienam, nullamque competere defensionem venditori, denuntiationem litis motæ facere emptor non teneatur; sed possit ea omissa ex empto agere contra venditorem pro recuperando pretio & interesse. Ita contra Bart. Jasonem, & alios docent Covarruvias *lib. 3. Variar. Resol. ca. 3. num. 6.* Fachin. *lib. 3. Contr. c. 37.* Felinus *in c. Cùm olim. n. 11. & in c. Cùm Bertholdus n. 24. de Re judicat.* cum pluribus aliis à Covarruvia citatis, qui etiam de communi testatur. Probatur. Ratio, ob quam Jura volunt venditorem laudari, est, ut hic se possit defendere: ergo quando certò constat, nullam defensionem ei competere, laudari necessariò non debet: cùm cessante fine & ratione Legis, cesset etiam lex *l. In omn. 13 ff. de Ado.* Confirmatur; quando emptori manifestè constat; rem defendi non posse, potest, quin & tenetur, etiam positivè invito venditore, deserere litem motam, hoc ipso, quod manifestè injustam causam defendere licitè nemo valeat: ergo idem potest venditore ignorante & absente, *arg. Reg. 26. Juris* ibi: Qui potest invitis alienare, multò magis & ignorantibus & absentibus potest. 379

Confirmatur ulterius. In casu, quo ob causam liquidam & manifestam reus non citatus condemnatur, vel contra eum non citatum fertur sententia, non auditur, si postea nullam aliam exceptionem affert, 380

quàm

quàm quòd citatus non fuerit *c. Cùm sit Romana 5. §. Præterea de Appell.* licèt aliàs ob omissam citationem sententia sit nulla, *Clem. Pastoralis de Sentent. & re judicat.* ergo multò minus audietur venditor conquerens, quòd lis mota eidem intimata non fuerit; si manifestè constat; eum nulla ratione defendere se potuisse.

381 Dices, ex hoc sequeretur, emptorem ob omissam denuntiationem litis motæ nunquam perdere jus agendi contra venditorem ratione Evictionis, eò quòd post latam contra ipsum sententiam semper manifestum sit, venditorem etiam laudatum defendere se non potuisse, hoc ipso, quod sententia Judicis præsumatur justa, *l. Herennius ff. de Evict.* Resp. negando sequelam; quia ex eo, quod Leges præsumant, sententiam Judicis esse justam, non præsumunt, nec præsumere possunt, nullam superfuisse venditori defendendæ causæ viam. Nam sententia justa est, quæ procedit juxta allegata & probata, *arg. c. Pastoralis de Officio Delegat.* & his conformiter lata præsumitur; non item, quod allegata fuerint omnia, quæ allegari utiliter potuissent. Hinc quandiu apertè non constat emptori, nihil allegari à venditore posse, eum laudare debet; utpote qui instrumenta, vel alia remedia emptori incognita contra actorem adhibere forsan potest.

382 Secundò venditor de Evictione non tenetur emptori quando emptor contumaciter abfuit tempore sententiæ promulgatæ, *c. fin. h. t.* Ratio datur ab Ulpiano *l. Si idcò 55. princ. ff. de Evict.* Magis enim propter absentiam victus videtur, quam quod malam causam habuit.

383 Tertiò, si res evicta est culpa Judicis, sententia per injuriam lata, *c. fin. h. t.* Concordat *l. Si per imprudentiam 51. in prin. ff. de Evict.* ibi: Si per imprudentiam judicis, aut errorem emptor rei victus est, negamus, auctoris damnum esse debere. Aut quid refert, sordibus judicis, an stultitia res perierit? Injuria enim, quæ fit emptori, auctorem non debet contingere. Quo tamen casu agere contra Judicem emptor potest, *l. 2. C. de Pœna jud. qui malè judic. & prin. Instit. de Obligat. quæ ex quasi delicto.*

384 Quartò, si emptor venditore absente, à sententia non appellavit, etsi prius intimatione litis motæ legitimè jam fecerit, *l. Si bona 11. C. de admin. Tutor.* juncta *l. Herennius 63. §. 2. ff. de Evict.* Intellige, nisi emptor manifestè justam cognoscat sententiam; tunc enim subintrant dicta supra *n. 379.*

385 Quintò, si aliquaquapiam culpa, imperitia, negligentia &c. emptoris, sententia pro actore lata, & res evicta fuit; ut si emptor sua culpa possessionem amisit, & ex reo factus est actor, *l. Si rem 29. §. 1. ff. de evict.* vi potuisset præscribere, & non feci, *l. Si dictum 56. §. 3. ff. eod.* Vel si in arbitrum compromisit, & compromissarius contra eum tulit sententiam, *cit. l. 56. § 1. ff. eod.*

386 Sextò, si emptor sciens rem alienam emit, nisi actionem ex empto ob evictionem expressè sibi reservasset, *l. Si fundum 27 ff. eod.* ibi: Si fundum sciens alienum, vel obligatum comparavit Anthenocles, neque quicquam de actione convenit; quod eo nomine dedit, contra juris poscit rationem. Idem habetur *l. Si fratres 7. C Communia judic.* cum concordantiis.

387 Septimò, si venditor bona fide credens, rem esse suam, eam vendit cum expresso pacto quòd ratione evictionis forsan futuræ ad nihil obligetur, liber est à solvendo interesse, non item à solvendo pretio, *l. Ex empto 11. §. 18. ff. de action. empti.* ubi sic habetur: Si apertè in venditione comprehendantur, nihil Evictionis nomine præstitum iri, pretium quidem deberi re victa, utilitatem non deberi. Ratio ibidem assignatur, neque enim bonæ fidei contractus hanc patitur conventionem, ut emptor rem amitteret, & pretium venditor retineret. Si tamen expressè convenirent, quòd nec ad pretium teneretur venditor in casu Evictionis, standum esset huic pacto, utpote vi cujus emptor periculum libere in se suscepit, *l. 11. ad fin. ff. de action. empti.* Pariter à restitutione pretii simul & interesse liber foret emptor; si vendendo diceret: si quod jus est in re, tibi vendo; vel, quidquid juris in ea est tibi vendo, *l. Quod fit 13. ff. de Hæredit. & action. vend.* quia, ut inquit Ulpianus *cit. l. 11. in fin. ff. de action. empti.* qui ita vendit, idem facit, ac qui jactum retis vendidit.

388 Dicitur autem notanter bona fide: nam si venditor scit rem esse alienam, de dolo tenetur, pretiumque una cum interesse restituere debet; etiamsi expressè convenerit, quod ratione Evictionis ad nihil, neque ad pretium teneatur, *l. Tenetur 6. §. fin. de action. empti, l. Ex empto 11. §. 12. ff. eod.* Nec juvat, si illa vendendi formula usus fuerit; *vendo tibi, si quid juris, seu quidquid juris in hac re continetur; quia fraus & dolus patrocinari aliquid non debet, c. Ex tenore de Rescript.*

§. XIII.

De Jure Retractus.

SUMMARIUM.

389 *Retractus quid?*
390 *Est multiplex, & quidem alius Conventionalis.*
391 *Alius legalis scriptus, & consuetudinarius.*
392 *Retractus propter dominium directum competit domino emphyteusis, & feudi.*
393 *Retractus ratione crediti quid, & cui competat.*
394 *Retractus ratione Communionis & Societatis quid, & quibus competat?*
395 *Retractus ratione Territorii quid?*
396 *Retractus ratione Sanguinis, seu Gentilitius quid?*
397 *Retractus competens Fisco ratione Metallorum.*
398 *Quinam Retractus de Jure communi adhuc valeant?*
399 *Et quinam revocati censeantur?*
400 *Consuetudine totius Germaniæ valet Retractus Gentilitius, seu jure sanguinis.*
401 *Sola bona immobilia, non item mobilia, nisi illis adhæreant, retrahi possunt.*
402 *Legitimè retrahere volens, debet observare plures conditiones, quarum prima est, una cum expensis totum dare pretium à priore emptore sine dolo oblatum.*
403 *Etsi sit majus justo.*
404 *Secundo debet emptori refundere factas interea impensas necessarias, & utiles, non item voluptarias.*
405 *Tertiò debet intra annum & diem retrahere.*
406 *Quarto debet id suo, non alterius nomine, aut commodo facere.*
407 *Retrahere possunt omnes venditoris consanguinei, Cives, non item Religiosi.*
408 *Qui proximior est sanguine, reliquos præcedit, & excludit.*
Filii illegitimi hoc Jure non gaudent. Ibid.
409 *Si plures sint in gradu æquales, quid?*
410 *Renunciare quis potest Juri Retractus.*
411 *Tacitè & expressè.*
412 *Tacitè quando censeantur renuntiare? Et v. præced.*
413 *Retractus locum non habet, quando contractus est nullus.*
414 *Compendiosa collectio eorum, quæ de jure Retractus statuta Bavarica disponunt.*

Quæritur I. Quid, & quotuplex sit Retractus, seu Jus Retractus? Resp. I. *Retractus* (Germanis *Einstandrecht*) est jus vi Legis, vel statuti, vel consuetudinis, vel specialis pacti alicui competens ad hoc, ut rem ab alio venditam, eodem pretio sibi retrahere, seu pro se emere valeat. Est in re communis. Jus hoc accepit nomen Retractus ab Imperatoribus Antonino & Vero, qui retrahendi verbum pro recuperatione bonorum alienatorum usurparunt, uti constat ex *leg. Imperatores 9. §. 1. ff. de administrat. rerum ad civit.* ibi: Item rescripserunt, agros Rei publicæ retrahere Curatorem civitatis debere, licèt à bona fide emptoribus possideantur.

Resp. II. Retractus dividitur in Conventionalem, & legalem. Legalis dividitur in Legalem scriptum, & Consuetudinarium. *Retractus Conventionalis* est, quando contrahentes specialiter conveniunt, ut, si emptor rem emptam rursum vendere velit, alicui certo præ aliis vendere debeat: vel etiam si idem tertius intra certum tempus emere velit, eidem revendere teneatur: *arg. l. Qui Romæ 122. ff. de V. O.* juncta *l. Qui fundum 75. ff. de Contrab. Empt.* Effectus hujus Retractus est, quod emptor tali tertio emere volenti, vel absolutè, vel præ aliis juxta qualitatem pacti revendere debeat: nec possit rem emptam alteri vendere, nisi priùs hujusmodi tertio denuntiaverit, ab eoque licentiam acceperit. Secùs enim si rem vendat, tertius, cui jus competit, agere contra eum potest ex vendito citata *leg. Qui fundum 75. de Contrah. empti.* & *Leg. 2. Codic. de Pactis inter empt. & vendit. & libr. 5. Feud. Tit. 13.*

391 *Retractus Legalis* est, qui singulari Lege, vel Jure scripto, aut Consuetudinario certis personis competit, vel propter dominium directum, vel propter creditum, vel propter communionem, vel propter vicinitatem, & territorium, vel propter consanguinitatem *cit. libr. 5. Feud. Tit. 13. & seqq.*

392 *Retractus propter Dominium directum* competit domino directo rei Emphyteuticæ, vi cujus si emphyteuta emphyteusin vendere intendit, priùs domino directo, quantum pretium ejus alius sibi dare velit, indicare, simulque an ipse eodem pretio emere velit, responsum expectare debet *leg. fin. vers. Sed ne hac. Cod. de jur. Emphyteutico.* Verùm de hoc jure Retractus magis *Tit seq.* Propter idem dominium directum competit Retractus domino Feudi de quo infrà *Tit. de Feudis.*

393 *Retractus ratione Crediti* est, vi cujus creditores bona debitorum, casu quo authoritate Judicis sub hasta venduntur, retrahere possunt, *leg. Cùm bona 16. ff. de Rebus Authorit. judic. possid.* ubi etiam decernitur, quòd inter creditores ipsos ille præferatur, cui plus debetur.

394 *Retractus ratione Cõmunionis, seu Societatis* (aliàs etiam Retractus Portialis dictus) est, qui competit illis, qui cujusdam rei indivisum dominium simul habent: horum enim aliquis si partem suam vendit extraneo, aliis potestas competit, eodem pretio rem retrahendi, seu emendi. Id quod specialiter etiam procedit, quando pluribus ejusdem hæreditatis hæredibus existentibus, unus cohæredum partem suam vendit extraneo alicui; possunt enim in tali casu singuli cohæredes talem partem eodem pretio retrahere, *arg. leg. Quidam. 12. de Evict.*

395 *Retractus ratione Vicinitatis; seu Territorii* competit existentibus de aliquo Territorio, Provinciâ, vel Regno ad hoc, ut, siquis extraneus in hujusmodi Territorio quid emit, Incolæ illius Territorii illud eodem oblato pretio retrahere valeant. Favet *lex un C. Non licere habitatoribus.*

396 *Retractus ratione sanguinis* (aliàs etiam Gentilitius) item Legitimus, & Linearis, germanicè (*Erbeinstandt, Erblosung*) est, vi cujus consanguineis competit jus retrahendi, vel emendi rem quam consanguineus extraneo vendidit, ut statim infrà magis dicetur.

397 Præter enumeratos Retractus competit etiam Fisco jus Retractus in venditione metallorum, *l. 1. Codic. de Metall.*

398 Quæritur II. An de jure communi hodie adhuc locum habeat Retractus? Resp. I. Jura Retractus, quæ competunt domino directo in alienatione emphyteusis, Fisco in alienatione Metallorum, Proximis agnatis in alienatione feudi antiqui, domino directo in alienatione feudi novi, creditoribus ratione debiti; etiam hos die adhuc, de Jure communi procedunt. Haunoldus *Tract 10. cap. Controvers. 23. num. 211.* cum aliis, *arg. leg. fin. C. de jure Emphyteut. leg. 1. Cod. de Metall. l. Cùm bona 16. ff. de Rebus Authorit Iudic. poss.* & dicemus adhuc magis infrà agentes de Emphyteusi, & Feudis.

399 Resp. II. Reliqua Iura Retractus de Jure communi revocata sunt, consequenter juxta illud hodie non ampliùs valent. Est communis textu claro *l. Dudum, 14. c. de Contrab. Empt.* ibi: *Dudum proximis, consortibusque concessum erat, ut extraneos ab Emptione removerent, neque homines suo arbitratu vendenda distraherent, sed quia gravis hæc videtur injuria, quę inani honestatis colore velatur, ut homines de rebus suis facere aliquid cogantur inviti, superiore Lege cassata unusquisque pro arbitratu quærere, vel probare possit emptorem: nisi Lex specialiter quasdam personas hoc facere prohibuerit.* Nec refert, quòd per constitutionem Friderici Imperatoris iterum renovata habeantur Jura Retractus; quia præfata Friderici constitutio inter Leges Rom. nondum recepta est, prout contendunt Berlich. *p. 2. concl 39. n. 15.* Carpz *p. 2. constit. 31. def. 1.* & alii. Quamvis non desint docentes, Constitutionem illam legitimam esse, proindeque Ius Retractus revera renovatum, & hodie de Iure communi valere

Resp. III. Non obstante revocatoria Lege *dudum*, Jus Retractus saltem ratione Sanguinis, universali totius Germaniæ consuetudine rursum legitimè introductum habetur, valetque. Ita testatur Insignis Legista practicus Gail. *lib. 2. Observ. 19. nu. 1.* Idem, & quidem de omnibus Regnis & Provinciis affirmat Haunoldus *loc. cit.* Patetque experientia ubique manifesta. Ratio hujus rationabilis consuetudinis est; quia lugubre & deplorandum est, videre paternas, & avitas domos, ac antiqua majorum prædia in externas manus transire, atque devenire, *l. In fundo, ff. de Rei vind. l. Lex, quæ tutores, 22. §. Nec verò domum, c. de Administr. tutor.* & advertunt Legistæ communiter *in cit. l. Dudum.* Canonistæ verò *in c. Constitutus, 8. de In integr. restit.* ubi hæc consuetudo de Retractu Gentilitio, seu ratione Sanguinis expresse approbatur. Idem Retractus etiam in veteri Testamento jussu divino observabatur; uti videre est *Levit. cap. 25. vers. 25.* Ruth. *cap. 4.* Unde cæteris omissis de hoc Gentilitio Retractu, utpote celebriori ac universaliori in præsenti §. specialiter agendo 400

Quæritur III. Quænam res, & quomodo retrahi possint? Rep. I. Jure Retractus Gentilitii bona immobilia præsertim Generachica, Avita, Gentilitia *Stammen-Gutter* retrahi possunt. Communis apud Tiraquel. *§. 1. Glossa 7. n. 73. & n. 100. arg. L. 62. ff. de Contrab. Empt. l. Si in 35 ff. de Minor.* Non item bona mobilia, Tiraquel. *loc. cit.* cum communi aliorum, quibus favet Constitutio Friderici: nisi talia bona mobilia immobilibus cohæreant, vel cum illis simul veneant, *arg. L. Eum qui, 23. princ. ff de Usucap. L. Si in Emptione, 34 ff. de Contrab. Empt.* Inter immobilia computantur etiam annui redditus, ususfructus, decimæ, aliaque jura, ac res incorporales super re immobili constitutæ, *arg Clem. Exivi de Paradiso, §. Cumque annui, de V. S.* Covarr. *lib. 3. Variar. Resolut. c. 7. n. 2.* 401

Resp. II Qui legitimè retrahere vult, plures debet observare conditiones. Nam primò debet offerre integrum pretium ab emptore extraneo vel jam solutum, vel promissum; unà cum omnibus sumptibus, & expensis, ratione contractus necessariò factis, ita ut emptor servetur indemnis, *arg. l. Debet autem, 27. ff. de Ædil. ed. l. Cùm dubitatur. 3 §. Etsi quidem, c. De Jure emphyteut.* Quòd si emptor pretium accipere nolit, poterit retrahens illud deponere apud Magistratum, sicque restitutionem urgere, *arg. l. Si soluturus, 39. ff. de Solut. & l. Obsignatione, 9. c. eod.* 402

Porrò quamvis Jason, Castrensis, & alii velint, retrahentem non teneri totum refundere pretium, si ab emptore plus justo pro re vendita datum cognosceretur, Nihilominus probabilius docent Baldus *in L. 2. In fine cap. de Rescind. vēdit* & Harprecht. *in §. ult instit. de Emptione à n. 264.* Joan. Andreas, Imola, & alii, debere retrahentem offerre totum id, quod extraneus emptor sine dolo & fraude pro re dedit, vel promisit, etsi justum pretium excedat, *arg. cit. Legibus*, n. præc. ubi sine distinctione præcipitur, ut totum pretium refundatur. 403

Secundò debet retrahens refundere factas interea ab emptore in rem expensas necessarias, & utiles, quas ipse consanguineus, vel retrahens fecisset, *l. Utilium, 8. ff. de Impens. in res dot. l. Si servus. 25. ff. de Pignorat. act. L. 27. ff. de Ædilit. edict.* Non item voluptarias, *cit. Leg. Utilium, 8. ff. de impens. in res dot. & Leg. Sine 32. ff. de Administ. & peric. tutor.* Hinc ad evitandas lites suadet Gail. *loc. cit. n. 10.* ut volens uti Jure retrahendi, illicò denunciet emptori, ne aliquos faciat in rem sumptus; se enim de retrahendo cogitare. 404

Tertiò debet retrahere intra annum & diem; *c. Constitutus. 8. de in Integr. restit. Tit. 9. §. fin. lib 2. Feud.* Gail. *lib. 2. Observat. 19. n. 11.* Computatur autem hoc tempus à die cognitæ alienationis, prout cum communi aliorum docet Berlich. *pag. 2. concl. 40. num 28.* & Engel *h. t. n. 24. arg. Tit. 9. §. fin. lib. 2. Feud.* ibi: *annali silentio, ex quo sciverit, computando.* Hinc ignorantibus non currit. 405

Quartò debet suo nomine, suumque, non vero in alterius commodum retrahere, sicut etiam extraneo cedere non potest; prout latè Tiraquell. *de Retract. §. 26. Gloss. 1. nu. 1.* Engel *b. t. n. 24.* Ratio est; quia Jus Retractus ratione Sanguinis personale est, consequenter 406

ex-

extraneus particeps illius fieri nequit. In quibusdam locis ad evitandas omnes fraudes debet retrahens consanguineus juramentum præstare, quòd pro se, suoque commodo, & non pro alio retrahat.

407 Quæritur IV. Quibus, & quo ordine competat Re- *tractus ratione Sanguinis?* Resp I. Competit omnibus & singulis consanguineis venditoris. Communis ac certa apud Gail *lib. 2. Observ.* 19. Mynsing. *Centur* 3. *Observ* 51. *n.* 1. Non tantùm Laicis, sed etiam Clericis, *arg. c. Constitutus*, 8. *de In integr. restit.* Guttierez 2. *pract. qq. q.* 116. Molina, Palao, & communis aliorum. Religiosus tamen consanguineus, vel ejus loco Monasterium retrahere nequit, eò quòd per hujus Retractum res non maneret in familia, consequenter cessat ratio Retractus Gentilitii, Tiraquell. *de Retract. par.* 1. §. 1. Glos. 8. *n.* 19 & 20. Palao c. *disp.* 5. *pun.* 29 § 3. *n* 15. Engel *h. t. n.* 25. & communis aliorum; vicissim etiam docens, quòd si Monasterium rem patrimonialem sui Religiosi vendat, illius consanguineis Jus retrahendi non competat: quia ex quo translata est in dominium Monasterii, desiit esse res patrimonialis.

408 Resp. II. Ordo, quo consanguineis Jus Retractus competit, sequens est, videlicet, ut proximior sanguine semper præcedat, & excludat remotiores. Proinde ante omnes jus hoc competit liberis tam masculis quàm fœmellis, *arg. l. 1. ff. de V. S. l. fin. c. Quorum bonorum.* Ratio est; quia Jus retrahendi conceditur, ne res exeat de familia. Nomine autem familiæ etiam fœminæ veniunt, nisi subjecta materia repugnet, *arg. l. Voluntas*, 4. *cùm acutissimi*, 30. *ff de Fideicommiss.* Intellige tamen conclusionem de liberis Legitimis; quia ab hoc Jure excluduntur Filii & Filiæ naturales, & Spuriæ, *arg. l. Spurius*, 4. *ff. unde cognati.*, & *l. Humanitas*, 8. *C. de Natur. libr.*

409 Resp. III. Si liberi non existat, Jus retrahendi habent consanguinei collaterales juxta gradus prærogativam; ita ut ille semper sit potior Jure, qui sanguine proximior venditori est; etsi adsint sanguine proximiores illi, à quo bonum retrahendum ad familiam pervenit. Ita *Constit. Frideric.* & communis DD. *arg. L. Peto, ff. de Legat.* 2. Si plures sunt consanguinei ejusdem gradus, omnes simul admittuntur, possuntque rem retractam vel in communi possidere, vel, si dividi potest, dividere, vel sorti committere, *arg.* §. *Optionis*, 23. *Instit. de Legatis.* De Jure tamen Bavarico qui prior retrahit, habet, nec immeritò; quia cæteris paribus, *Qui prior est tempore, potior est jure, Reg.* 54. *Jur. in* 6. Hic advertendum in hoc Jure Retractus non esse locum repræsentationi, ita ut cum fratre superstite, v. g. simul retrahere valeant liberi fratris vel sororis defuncti, *arg. l. Tutela.* 3. §. 5. *de Legit. tutor.* Quòd si unus ex æqualiter propinquis jure suo non utatur, admittuntur reliqui in solidum. Sicut etiam si proximiores existentes retrahere nolunt, retrahendi potestas remotioribus competit.

410 Quæritur V. An, & quomodo possit quis renuntiare Retractui? Resp. I. Quòd Juri Retractus quivis renuntiare possit, certum est; *quia Juri suo quilibet renuntiare potest. l. Si quis in conscribendo C. de Episc. & Cler. & c. ad Apostolicam de Regul.*

411 Resp. II. Renuntiatio hæc fieri potest tacitè & expressè. Expressè fit, si consanguineus verbis aut signis apertis indicat, quod juri suo renuntiare velit, & retrahere nolit. Est extra controversiam. Tacitè fit; si contractui tanquam testis assistat, vel eundem subscribat, vel etiam alio modo promoveat. Ita cum communi aliorum sentit Berlich, limitationem addens in casu, quo quis tanquam persona publica, v. g. ut Notarius Judex ex officio contractui assistere, eumque promovere debet.

412 Resp. III. Quando venditor proximo consanguineo, quod Titio v. g. vendere velit domum suam quingentis florenis, denuntiat, eumque interrogat, an hoc pretio domum ipse habere velit, consanguineus verò respondeat, se hac vice non emere, tacitè renuntiare suo juri non censetur, etsi nullam protestationem juris reservatam adjiciat. Berlich *part.* 2. *concl.* 40. *numer.* 28. Rath *de Continuat. Juris different.* 1. *lit. D.* Ratio est; quia Renuntiationes sunt odiosæ, consequenter strictæ interpretationis, *arg. Reg.* 15. *Jur. in* 6. De Jure Bavarico tamen *Tit.* 10. *artic.* 13. requiritur, ut cathegoricè se resolvat; si præsens est contractui. Si autem absens interrogatur, etiam hoc municipali jure renuntiare præfata responsione non censetur; eò quòd statuta locorum sint stricti juris, & ita interpretanda, ut Juri communi minimè derogent.

Quæritur IV. An locum habeat Retractus, casu 413 quo contractus ex aliqua ratione, verb. gr. ob defectum requisitæ solemnitatis sit nullus? Resp. Negativè. Omnes. Ratio manifestè patet; quia contractu non subsistente, non emptor, sed venditor manet dominus, contra quem Retractus non datur, uti patet. Eadem ratione Retractui locus non est, si inter emptorem & venditorem convenitur, ut si aliquis Retractum attentaret, contractus sit nullus. Tiraq. §. 2. *Gloss.* 2. *a num.* 59. Harprecht in §. *ult. Instit. de Empt. a numer.* 301. Ratio est; quia talis contractus est conditionalis sub conditione suspensiva, quæ eveniens contractum annullat. Pauca hæc de Retractu sufficiant; plura enim de illo congerere consultum ideo non videtur, quòd ejusdem cognitio potiùs à particularibus locorum statutis, & consuetudinibus, quàm Jure communi dependeat. Nihilominus quia DD. scribentes de hoc Jure, passim adjiciunt id quod statuta & consuetudines illius loci, in quo scribunt, observari volunt, placuit etiam hìc in compendio annectere id, quod de Jure hoc statuta Bavarica per totum Titulum decimum continentem 19. articulos.

Itaque *Art.* 1. Statuitur, ut venditurus rem allodia- 414 lem, priùs denuntiet, & offerat consanguineis usque ad quartum gradum, vel in eorum absentia, eorundem Procuratoribus, Administratoribus, aut Tutoribus. Vel si bonum vendendum allodiale non sit, denuntiet priùs dominis directis, qui si emere volunt, res salva est: si nolunt, observabitur ratione contractus, quod sequentes dabunt articuli.

Art. 2. Si illis, quibus venditio denuntiata, hic & nunc emere quidem nolint, Retractui tamen non renunciant, sed vel tacitè vel expressè reservant, possunt intra annum uti jure Retractus. Qui annus à die traditionis computatur, si nobiles, vel aliàs privilegiatæ personæ, putà, Consiliarii Principum, Patricii, & Doctores vendunt. Apud reliquas personas verò à die insinuati apud Magistratum contractus. Vel, si consanguineis venditio jam perfecta cum suis circumstantiis denunciata est, à die denunciationis factæ. Quòd si quis venditor nec vendendam rem consanguineis priùs offerat, nec venditam denuntiet, consanguineis biennium conceditur ad retrahendum; quo tamen elapso ita jus exspirat, ut ob nullam rationem ulli ampliùs competat.

Art. 3. Si venditio cum pacto retrovendendi fit, observandum erit rationem temporis, ac si sine illi pacto fieret: salvo tamen jure redimendi. Si contractus celebratur sub conditione suspensiva, tempus retrahendi ante conditionem completam currere non incipit, nisi res jam tradita esset. Si sub conditione resolutiva contrahitur, statim ab initio tempus Retractus currit, salvis tamen conditionibus appositis, & jure resolutionis.

Art. 4. Quando unà cum re immobili, & alia nomina, jura, vel aliæ res, v. g. supellex uno eodemque contractu venduntur, debet volens uti Retractu, omnia retrahere, alioquin nihil retrahere poterit.

Art. 5. Præcipitur retrahere volenti sub gravi pœna, ut pro se suaque utilitate, & animo retinendi, non item pro alio, aut animo lucri gratia statim iterum vendendi retrahat. De quo, si petatur, etiam Juramentum præstare, vel fidem nobilem interponere debet. Ibidem prohibetur, ne quis animo aliquid ab emptore extorquendi simulet sereno tractum, dum id facere aut non cogitat, aut ob notorium defectum mediorum non potest. Transgressores privantur jure Retractus, jubentur restituere, & subjacent gravi pœnæ arbitrariæ. Loquitur autem Articulus de solis bonis allodialibus.

Art. 6. Jubetur retrahens integrum pretium unà cum omnibus expensis ratione contractus factis emptori refundere.

Art. 7. Conceduntur etiam retrahentibus omnes favores, & jura, quæ vi contractus extraneo emptori competebant, præsertim circa terminum solutionis.

Art. 8. Cavetur, ne emptor tempore Retractui concesso, in re empta aliquid ædificet, neve interea eam elocet, oppignoret, vel alienet, nec notabilem lignorum cæsionem faciat, aut simile quid in præjudicium Retractui attentet. Alias restituere tenebitur. Expensas tamen necessarias in rem facere omnino potest, easque refundere tenetur retrahens.

Art. 9. Jubentur venditor & emptor sincere indicare pretium, quo res vendita est, sicut etiam conditiones adjectas. Et quidem sub juramento, rei fide nobili, si ita desiderat retrahens. Transgressores, aut dolum in hoc puncto committentes puniuntur tanquam falsarii.

Art. 10. Proximi consanguinei præferuntur aliis. Si sunt plures æquales præfertur, qui priùs pretium obtulit. Si simul offerunt, sortem mittere debent; nisi aliquis illorum jam haberet jus quoddam in bono retrahendo; hic enim ob causam communionis cæteris præfertur.

Art. 11. Consanguinitatis gradus computandi sunt secundùm jus Civile.

Art. 12. In savorem retrahentium præcipitur, ne contractus clam fiant, sed vel coram debito superiore, vel idoneis testibus. Secùs facientes quinque pro singulis centenis florenis pretii. loco pœnæ solvere debent, tempore retractus à die traditionis currere incipiente.

Art. 13. Si consanguineus præsens est contractui, debet venditor eidem priùs offerre rem vendendam; consanguineus verò declarare se debet, an velit retrahere nec ne; vel saltem expressa protestatione sibi reservare debet jus retrahendi; alias illud amittit. Pariter illud amittit, si contractum promovet, vel aliquo modo juvat, v. g. fidejubendo, testem agendo, subsignando &c. nisi retractum sibi expresse reservet.

Art. 14. Etiam in Emphyteusi, & Feudis jus retrahendi consanguineis conceditur, cum consensu tamen domini directi.

Art. 15 Qui dominus directus etiam consanguineis præfertur; etsi contractum subscribendo jam approbaverit. Exceptis tamen Feudis nobilibus, *Ritterleben*, nisi forsan nobilis consanguineus retrahere aut nollet, aut non posset.

Art. 16. Filii, Filiæ, nepotes, & neptes retrahere possunt non tantùm per media à parentibus, sed etiam aliunde juste acquisita.

Art. 17. Fructus rei venditæ ante solutum à retrahente pretium collecti, vel percepti ad emptorem pertinent. Post solutum pretium, retrahentis sunt, hac tamen cum obligatione, ut emptori necessarias expensas ac etiam consuetum interesse pro rata temporis de summa pretii solvat.

Art. 18. In Permutatione, Retractus locum non habet, nisi unus permutantium præter rem permutatam daret in pecunia eam quantitatem, quæ medietatem superaret, sicque Emptionis contractum efficeret.

Art. 19. Quando ad instantiam creditorum, bona debitorum sub hasta, aut alias authoritate publica venduntur, Retractus locum non habet. Benè tamen si ex mandato superiorum ipsemet debitor creditoribus satisfacturus, vel ejusdem curatores vel tutores bona sua vendant.

Plura qui de Retractu desiderat, copiose reperiet apud Tiraquell. Berlich. *par.* 2. *Concl. & seq.* Palao *de justit. Commut. disp.* 5. *punct.* 29. Molina *disp.* 370. Schimid ad statuta Bavariæ, *tit.* 10. Sanchez *lib.* 2. *cons. cap.* 4. *dub.* 37. & alios.

§. XIV.

De Resolutione seu Dissolutione Emptionis Venditionis, & aliis quibusdam quæsitis contractum hunc concernentibus.

SUMMARIUM.

415 *Variæ causæ, ob quas Emptio Venditio mutuo consensu dissolvitur.*
416 *Res adhuc integra, potest Emptio mutuo consensu, dissolvi.*
417 *Quando censeatur res adhuc esse integra?*
418 *Quando contractus ex una saltem parte jam est completus, solo mutuo consensu non amplius dissolvitur in foro externo.*
Bene tamen in foro interno. Et n. seq.
420 *Contractu Emptionis ex utraque parte completo, per mutuum consensum non dissolvitur prior contractus, sed fit novus.*
421 *Solvitur objectio Adversariorum.*
422 *Contractu Emptionis aliquando perfecto tenetur venditor tradere rem venditam, nec satisfacit præstando interesse.*
423 *Obligatus ad factum, an, & quando satisfaciat præstando interesse?*
424 *Solvitur objectio.*
425 *Deputatus ut certo & determinato pretio rem aliquam emat, vel vendat, an possit sibi retinere excessum, si pluris vendat aut minoris emat?*
426 *Non potest, si pretium solummodo determinatur, ne excedatur.*
427 *Potest, si dominus plus non, quam solum determinatum pretium, & nihil aliud desiderat.*
428 *Contrarium tamen ordinariè præsumi debet.*
429 *Non potest retinere ratione laboris, & industriæ.*
430 *Nec quia pro se emit.*
431 *Quandonam & qualiter pro se emere valeat?*
432 *Famuli & famulæ excessum pretii retinentes ordinariè peccant.*
433 *Deputati ad emendum certo pretio, regulariter retinere sibi nequeunt excessum pretii.*
434 *In specie peccant sartores ad emendum missi.*
435 *Nisi Mercatores speciali ex ratione eisdem minoris vendant.*
436 *Peregrinis non licet carius vendere, quam indigenis.*

Circa primam partem de dissolutione Emptionis Venditionis prænotandum, eam dissolvi posse variis de causis, quarum aliquæ sunt communes etiam aliis contractibus, uti dolus, metus, error, aliaque, quæ ex speciali conventione partium contractum irritum vel infirmum faciunt. De quibus utpote ad materiam de contractibus ut sic spectantibus hic non agemus. Aliqua existunt huic contractui speciales; uti sunt Pactum Legis Commissoriæ, Addictionis in diem, Retrovendendi, Actio Rehibitoria, Actio Æstimatoria, & Læsio ultra dimidium; de quibus omnibus, quomodo illis mediantibus Emptio Venditio dissolvatur, quia abundè jam diximus in præcedentibus, pariter hic nihil repetendum videtur. Solùm, quod nondum tetigimus, superest, an, & quomodo mutuo consensu dissolvi queat hic contractus. Quamvis enim & mutuus consensus ad communes causas contractuũ dissolutivas pertineat, specialiter tamen hic examinatur, quia specialia de hoc contractu continet. Hinc 415

Quæritur I. An, & quomodo Emptio Venditio dissolvi possit mutuo contrahentium consensu? Resp. I. 416 Quando res adhuc est integra, omnino potest Emptio Venditio mutuo contrahentium consensu dissolvi. Omnes, claris juribus, *l. Emptio 3. ff. de Rescind. vendit.* ibi: *Emptio Venditio, sicut consensu contrahitur, ita contrario consensu dissolvitur, antequam fuerit res secuta.* Idem habetur, *l. 1. Cod. Quando liceat ab Emption. disced.* illis verbis: *Re quidem integra ab Emptione, & Venditione utriusque partis consensu recedi potest.* Ratio est, quia *nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvi, quo colligatum est. L. 35. ff. de Reg. Juris.* Unde *L.* 100.

R *ff. eod.*

ff. eod. pro universali quoque Regula datur: *Omnia, quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt*, & L. 153. *Ferè quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur*.

417 Dicitur autem res integra, quando nec traditio rei, nec solutio pretii inchoata est, *§. fin. Instit. Quibus modis tollitur obligat.* ibi: *Nondum secuta, idest, neque pretio soluto, neque fundo tradita.* Nec refert, quod arrha jam data & accepta sit, *l. Perfectam 2. Cod. Quando licet ab Empt. disced.* vel emptor à venditore de solvendo pretio, vel venditor ab emptore ratione evictionis, & traditionis pignus aut fidejussorem acceperit, *l. Emptio 3. ff. de Rescind. vendit.*

418 Resp. II. Quando res non amplius est integra, sed contractus ab alterutro saltem contrahentium jam aliquo modo impletus; ut si emptor jam aliquid de pretio solvit, vel venditor rem jam tradidit, solo nudo mutuo consensu solvi amplius non potest Emptio Venditio; nisi prius pretium, vel res accepta iterum restituatur, & res in antiquum integrum statum reducatur. Ita statutum habetur, *l. Ab Emptione 58. ff. de Pactis, & L. 1. Cod. Quando liceat ab Empt. disced.* Advertit tamen benè Molina *disp. 373. nu. 5.* conclusionem procedere solum in foro externo, non autem interno, utpote in quo ex quolibet pacto etiam nudo oritur obligatio saltem naturalis juxta communem DD. *arg. cap. 1. de Pactis*, ubi Summarium sic habet: *Pacta quantumcunque nuda servanda sunt*, supple in foro interno. Et diximus suprà *lib. 1. tit. 35. de Pactis*.

419 Infertur, quod quando celebrato contractu, & ex una parte venditoris v. g. per traditionem rei jam completo, dicunt contrahentes: volumus contractum nihil valere, vel nullum, & irritum esse, teneatur in conscientia emptor venditori rem iterum tradere; quamvis ad id in foro externo non adigeretur. Observant tamen aliqui praxin hodiernam Tribunalium etiam ex nudo pacto actiones admittere.

420 Resp. III. Quando contractus ex utraque parte jam est impletus traditione nempe rei, & pretii, tunc mutuo consensu non dissolvitur prior contractus, sed celebratur novus. Molina *disp. 333. n. 7.* citans Pinel *in l. 2. Cod. de Rescind. vendit. par. 2. c. 3. nu. 9.* & Molineum contra communem aliorum. Probatur ex *l. Si quam 2. ff. de Rescind. vendit.* ibi: *Potest dum res est integra, conventione nostra infecta fieri Emptio: atque ita consistit posterior Emptio, quasi nulla præcesserit, sed non poterimus eadem ratione uti, post pretium solutum Emptione repetita; cùm post pretium solutum* (pro re tradita) *infectam Emptionem facere non possimus.* Quæ Lex, quod de contractu utrinque jam impleto, & pretio pro re jam tradita, soluto loquatur, inde benè deducitur; quia alias contradiceret, *l. 1. C. Quando liceat ab Empt. & leg. 58. ff. de Pactis*, vi quarum potest mutuo consensu dissolvi contractus una tantum parte, per traditionem nempe rei, vel solutionem pretii; dummodo prius restitutione accepti, res in pristinum statum reducatur, juxta dicta *n. 418.*

421 Dices cum Adversariis: si potest contractus ex una parte jam impletus, mutuo consensu dissolvi, saltem post restitutionem accepti; poterit etiam pariter dissolvi impletus ex utraque parte; si nempe pars utraque acceptum prius restituit; cùm non sit major ratio de uno quam de alio. Resp. Negando paritatem. Disparitas est: quod, dum Emptio Venditio ex utraque parte jam est impleta, contractus sit adeo perfectus & absolutus, ut penitus nulla amplius obligatio maneat resolvenda. E contra verò, si ex una tantum parte impletus habetur, contractus tam perfectus & integer nondum est, quin adsit adhuc aliqua obligatio alterutrius adimplenda, consequenter etiam mutuo consensu dissolvenda.

422 Quæritur II. An Emptione Venditione utrinsque consensu jam perfecta teneatur venditor ad tradendam rem, vel satisfaciat præstando interesse? Resp. Tenetur absolutè & præcisè ad tradendam rem, nec satisfacit præstando interesse, Pinell. *in l. 1. Cod. de Bon. Matern. par. 3. n. 25. & in l. 2. C. de Rescind. vendit. par. 2. c. 3. n. 22.* Carpz. *par. 2. Const. 1. def. 15.* ubi asserit, hanc sententiam ubique esse receptam. Harprecht. *prin. Instit. de Empt. nu. 48.* Bartol. Alexander, Felinus, & communissima, ac receptissima aliorum, ita ut Pinellus *loc. cit.* dicere non dubitarit, eos, qui contrarium asserunt, improvidè lapsos esse, eorumque opinionem veritati, & publicæ quieti adversari. Est autem contra Fachin *lib. 2. cap. 30.* Gibalin. *lib. 4. de Negot. hum. cap. 4. art. 4. nu. 6.* & plures alios, quos allegat Harprecht. *loc. cit.* Probatur ex variis Legibus. Sic enim *leg. Si quis 46. ff. de Action. empt.* dicitur, venditorem cogi posse, *implere venditionem*; atqui aliud est implere contractum, aliud præstare interesse, *leg. Contractus 17. Cod. de Fide Instrum.* ergo præstando interesse non satisfacit venditor, sed, quod vendidit, tradere debet, *leg. Ex empt. 11. §. 2. ff. de Action. empt.* expressè dicitur: *Imprimis ipsam rem præstare oportet, id est, tradere*: ergo non sufficit præstare interesse *§. 1. Instit. de empt.* præcipitur, *ut omnimodo &c. & pretium solvatur, & res tradatur*, *l. cùm venditorem 10 C. de Action. empt.* dicitur, fidem conventionis rupisse, & *l. Qui tibi. Cod. de Hæred. & Action. vendit.* contractus fidem fregisse, qui rem venditam, cùm posset, non tradidit: atqui hoc verum non esset, si in arbitrio venditoris foret, vel rem tradere, vel interesse præstare; ergo.

423 Objiciunt Adversarii primò. In obligationibus facti non datur alia actio quam ad id, quod interest, *leg. Si quis 13. in fine, ff. de Re judic.* ibi: *Si non fecit, quod promisit, in pecuniam numeratam condemnetur, sicut evenit in omnibus faciendi obligationibus.* Concordant *leg. Stipulationes 72. & l. Quotiens 81. ff. de V. O.* atqui tradendi obligatio est facti, *l. Ubi autem 75. §. 7. ff. eod. l. Consilio 7. §. fin. ff. de Curat. furios.* ibi: *Traditio facti magis, quam Juris est*: ergo. Respondetur, in primis valdè dubium esse, an de jure Civili satisfaciat præstando interesse, qui obligatur ad factum; cùm hoc ex *cit. l. Si quis ff. de Re judic. & l. 81. V. O.* non evincatur, ut post Glossam *fin. in cit. l. Si quis* ostendit Molina *disp. 562. nu. 4.* & jam dictum est suprà. Certè de Jure Canonico obligatus ad factum, non satisfacit præstando interesse, sed, si potest, factum præstare debet juxta communem DD. *arg. c. 1. & c. Qualiter de Pactis*. Deinde respondetur ulterius, obligationes facti esse duplicis generis. Aliquæ respiciunt nudum ac simplex factum v. g. pingendi imaginem, eundi Romam &c. Aliæ factum quidem etiam continent, ita tamen, ut in eo non consistant, sed per factum tendant ulterius ad transferendum v. g. dominium & possessionem. Ex prioribus obligationibus non dari actionem nisi ad præstandum interesse, transmitti potest juxta Leges contra nos citatas; cùm ad purum factum sine vi & impressione cogi nemo possit. De posterioribus negatur, præsertim quia in his cessat ratio; cùm ad traditionem & transferendam possessionem ac dominium absque vi & impressione compelli quis benè possit; si nempe per tertium rei traditio fiat.

424 Objiciunt secundò, *leg. 10. princ. ff de Action. empti* habetur; *si res vendita non tradatur in id, quod interest, agitur, hoc est, quod rem haberi interest emptori l. Ex empto 11. §. 9. ff. eod.* dicitur: *Non tradentem, quanti interest, condemnari*; ergo præstando interesse satisfit obligationi, & ad id solum datur actio. Resp. has & similes Leges intelligendas esse, in casu, quo res ampliùs tradi nequit; alias enim Leges sibi contradicerent, ut patet ex Legibus citatis *n. 422.* ut proin rem tradere in utroque foro teneatur, quando potest: si non potest, quia forsan jam consumpsit, destruxit, alteri vendidit &c. præstare interesse debet.

Quæritur III An deputatus ab alio, ut rem aliquam certo pretio emat, vel vendat; retinere possit excessum pretii, si rem plures vendat, vel minoris emat? Quæstio hæc quamvis Theologica potiùs, quam Juridica sit, tamen quia quotidiana, & summè practica est, proxenetis, procuratoribus, famulis & famulabus, administratoribus materiam continuò ministrantibus, meritò hic examinatur. Ubi ante responsionem quædam ut certò supponenda præmittuntur.

Supponitur itaque tanquam certum, & ab omnibus admissum primò, talem deputatum nihil sibi de excessu pretii retinere posse, quando de mente domini manifestè constat, quod pretium certum ideo taxatum determinet, ne infra illud vendatur, vel ultra illud ematur, v. g. si dicit: rogo te, vende pro me hanc rem pretio, quo potest meliori, volo tamen ut infra sex florenos non vendas. Vel: vende hanc rem ad minimum sex florenis. Vel eme pro me pannum pretio, quo potest viliori, plus autem pro eo non expendas, quam

quam 10. florenos: vel eme pro me decem ulnas panni, & pro qualibet ad summum expendes tres florenos.

427 Supponitur econtra tanquam certum secundò, posse deputatum pretii determinati excessum licitè sibi retinere, si eidem dominus sufficienter indicet, contentum se esse, dummodo præscriptio seu determinato pretio emat, vel vendat; nec plus desiderare, sed gratis relinquere illi, si cariùs vendendo, vel minoris emendo quid sibi acquirere possit: verbi gratia si expressè dicat; pallium hoc viginti vendendum tibi committo; si pluris vendideris, tuum erit &c. Difficultas & quæstio solùm in hoc consistit, an retinere sibi possit excessum pretii vendens alterius nomine, si dominus exprimit quidem seu præscribit pretium, quo rem vendi vel emi velit, non tamen addit, an excessum pretii sibi restitui, & vendenti relinquere velit, casu quo deputatus rem pluris vendat, vel minoris emat. Ad quam

428 Resp. I. Regulariter loquendo, non potest is, cui res certo pretio vendenda fuit commissa, retinere excessum illum, quem supra determinatum à domino pretium, pluris vendendo acquisivit, quando aliunde non constat, quod excessum talem liberè eidem relinquere velit dominus. Navar. *Manual. cap. 23. nu. 97.* Molina *disp. 363. nu. 1.* Castro Palao *de Instit. commut. disp. 5. pun. 16.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 19.* Sylvester *V. Emptio q. 24.* Sa *V. Venditio nu. 11.* Lugo *disp. 26. nu. 9.* & communis aliorum. Ratio à DD. communiter assignatur hæc; quia nullum habet justum titulum retinendi. Nam primò non potest retinere titulo donationis præsumptæ. Tum quia regulariter, & ordinariè loquendo, quando à domino fit designatio pretii, solùm ideo fit, ne infra illud res vendatur; non verò, quod nihil ultra desideret; vel excessum vendendi donare velit: cùm in dubio donatio non præsumatur, *l. Campanus ff. de Oper. libert. & l. fin. C. de Novat.* Tum quia, uti supponitur, colligi non potest, quod excessum hujusmodi gratis relinquere velit vendenti.

429 Secundò retinere non potest titulo mercedis aut stipendii pro labore & industria in vendendo habitis, quia eidem merces vel jam, ut supponitur, est constituta; uti communiter proxenetis constitui solet; vel aliunde pro hoc & aliis suis laboribus universaliter jam constitutam censetur habere mercedem & stipendium, uti salariati famuli & famulæ, administratores dominorum; vel onus vendendi gratis in se suscepisse meritò præsumitur, saltem quando seipsum offert, vel rogatus à domino, absque petitione vel prætensione mercedis, laborem vendendi in se suscipit, & dominus negotium hoc mercedem exigenti forsan non commisisset, sed alium quæsivisset, qui libenter gratis fecisset. Accedit, quod excessus pretii designati ordinariè superet quantitatem mercedis pro exiguo vendendi labore debitæ.

430 Tertiò non potest retinere ex eo, quod dicat se ipsum statim rem illam determinato pretio emere, & sic emptam, dein tanquam suam pretio majori vendere. Nam contra est: tum quod juxta dicta, voluntas domini non sit, ut præcisè hoc, quod designat, pretio vendatur, sed ne minoris distrahatur; consequenter deputato incumbat, debitam adhibere diligentiam, rem meliori, quo potest, pretio vendendi: tum quia si deputatus rem statim sibi emptam vellet, deberet etiam rei periculum in se suscipere, & totum determinatum pretium dare domino, etsi nullum inveniret, qui tanto pretio rem emeret: quod deputati præstare certè non volunt.

Quod si tamen hujusmodi deputatus post adhibitam diligentiam aliquem, qui pluris determinato pretio emeret, non inveniret, haud dubiè ipse rem illam pro se emere, & suo tempore, majori pretio vendere posset. Hinc etiam Laymann *lib. 3. tract. 4. cap. 17. n. 9.* licitè agere pronuntiat illum quæstorem, aut granarii Præfectum, qui jussus à Domino, ut illico venderet pretio currente 100. scophas frumenti, eodem pretio ipsemet emit; quia certò prævidet, pretium intra breve tempus auctum iri, indeque sibi magnum lucrum accrescere. Cæterùm ex conclusione 431

432 Infertur, ordinariè contra justitiam peccare, & ad restitutionem teneri proxenetas, famulos, & famulas, administratores, & negotiorum gestores, qui aliunde jam pro laboribus suis constitutam mercedem, aut stipendium habentes, industriæ & laboris, aut inaniter præsumptæ donationis titulo retinent excessum, quem ex rebus, ultra designatum à domino pretium vendicis redigunt: illos verò præter injustitiæ crimen etiam mendacii peccato se inquinare, qui pretio per dominum designato, mendaciter fingunt, se minoris, ac res se habet, pretio vendidisse.

433 Resp. II. Regulariter loquendo deputatus ad rem emendam, si minoris emit, ac præscriptum à domino pretium efficit, non potest excessum designati à domino pretii retinere, vel sibi appropriare. Ita DD. *n. 428.* allegati, ob rationes ibidem assignatas; quia pariter utrinque militant.

434 Infertur cum Palao *loc. cit.* sartores (idem dic proportionaliter de aliis) quibus committitur, ut meliori, quo possunt, aut determinato pretio apud mercatorem emant pannum, non posse sibi quidquam retinere, propterea, quod minoris rem emerint, ac pretium determinatum efficit; vel ex prætextu, quod apud alium mercatorem pluris emere potuissent, vel debuissent.

435 Quod si verò mercator præcisè in gratiam ipsius sartoris, vel alterius deputati, eidem rem minori pretio venderet, forsan ex fine, ut eundem præ aliis etiam imposterum accedat, adeoque præ aliis merces emat, improbabile non est, retineri posse à sartore illud, quo minoris rem ei vendendam dedit mercator, non daturus, si dominus ipsemet vel alius emisset, Palao, & Molina *loc. cit.* Ratio est; quia videtur esse donum à mercatore factum. Quamvis ut benè observat Molina, hoc scrupulis plenum sit, & ideo antequam fiat, dissuadendum, post factum verò, quomodo contigerit, benè examinandum.

436 Quæritur IV. An liceat exteris, & peregrinis rem cariùs vendere quam indigenis? Resp. negativè. Textus est in *c. 1. h. t.* ubi decernitur, *ut Presbyteri, sive Plebani plebes suas admoneant, ut se hospitales exhibeant erga transeuntes peregrinos, & non cariùs ipsis vendant ea, quibus indigent, quam in mercato, sive publico foro vendere possunt: alioquin ad Presbyterum* (id est Episcopum Glos. fin. hic) *id referant, ut ad id jussu ipsius compellantur.* Ratio autem, quod Episcopus vendentes ad id compellere possit; quia habet jurisdictionem etiam in Laicos, quando agitur de vitando peccato, & exercendo opera pietatis, *cap. 1. de Offic. Judic. Ordin. & c. Novit. 13. de Judic.*

437 Quæstio in hoc Titulo nondum examinata moveri etiam hic posset, ubinam, qua in moneta, & quando solvendum sit ab emptore pretium? Verùm quia hæc quæstio in Titulo de Solutione examinatur, meritò examinanda hic omittitur.

TITULUS XVIII.

De Locato, & Conducto.

1 *Ratio ordinis Rubricæ.*

1 Locatio, & Conductio quia Emptioni Venditioni simillima, *§. 1. Instit. h. t.* ideo eidem & ordine proxima est. Quibus cùm Emphyteusis quoque plurimùm affinis sit, de illa etiam in hoc Titulo agemus, Compilatorem Canonum imitantes, qui Capitulum *Potuit. 4.* de eadem materia tractans huic titulo inserit.

§. I.

De natura Locationis Conductionis, & iis, qui locare, aut conducere, rebusque quæ locari, vel conduci possunt.

SUMMARIUM.

2 *Locatio Conductio definitur.*
3 *Locari & conduci possunt non tantùm res utendæ & fruendæ.*
4 *Sed etiam personæ, seu labores ipsorum.*
5 *Pretium in locatione, & quidem certum intervenire debet.*
6 *Locationis propriè dictæ pretium pecunia est; impropriè verò dictæ pretium etiam alia res esse potest.*
7 *Locator, Conductor, Inquilinus, Colonus, Redemptor & Publicanus qui dicatur?*
8 *Locatio Emptioni simillima, in quo ab ea differat?*
9 *Quivis locare & conducere potest, qui à Jure specialiter non prohibetur.*
10 *Jure conducere prædia prohibentur primò Milites.*
11 *Secundò Curiales.*
12 *Tertiò Clerici.*
13 *Tutores & Curatores, donec tutelæ & curæ rationem reddant.*
14 *Fabri & alii streperam artem exercentes non possunt prope scholas publicas & Monasteria domos conducere.*
15 *Res quæ vendi, etiam locari potest.*
16 *Res aliena quoque locari potest: & quomodo? ibid. & num. seq.*
18 *Locator rei alienæ restituere debet conductori pretium, si res evincatur; ac etiam interesse, nisi bona fide locasset.*
19 *Servitutes reales, non item personales locari prohibentur.*
20 *Res fungibiles non nisi ad pompam locari permittuntur.*
21 *Rem propriam pro se ipso conducere nemo potest.*
22 *Res Ecclesiasticæ immobiles absque Juris solemnitate ultra triennium utile locari non possunt.*
23 *Locatio rei Ecclesiasticæ diversimode contingere potest: Et nu. seq.*
25 *Locatio ultra triennium facta, nec quoad primum triennium valet, si post illud à locatore vel contractus revocari non possit.*
26 *Probatur ex* Clem. 1. de Rebus Eccles. alienand.
27 *Actus si non valet ut fit, nec valebit ut fieri potest.*
28 *Clausula adjecta de repetenda locatione post triennium non valet.*
29 Utile per Inutile non debet vitiari: *quomodo intelligendum?*

2 Quæritur I. Quid sit Locatio Conductio? an, & in quo potissimum differat ab emptione venditione? Resp. I. *Locatio Conductio* est contractus bonæ fidei, solo consensu initus, quo pro re aliqua utenda vel fruenda, aut pro opera personæ certum præstatur pretium. Ita in re communis. Patebitque definitionis bonitas, sicut & tota hujus contractus natura ex declaratione verborum. Dicitur *Contractus* loco generis. Est enim Locatio Conductio verissimus contractus, & quidem unius sub diverso tamen personarum respectu, diverso nomine expressus. Respectu enim personæ, quæ rem aliquam utendam vel fruendam pro pretio, aut mercede conducit, Locatio dicitur. Respectu personæ verò, quæ pro re utenda aut fruenda pretium præbet, Conductio vocatur, *arg. l. Sicut emptio 20. ff. locati Conducti*: quamvis persæpè alterutro vocabulo totus contractus respectu utriusque significetur, *l. Locatio 4 & leg. 20. ff. h. t.* Dicitur *bonæ fidei*: quia inter contractus bonæ fidei expressè numeratur Locatio Conductio §. 28. *de Action.* Additur *solo consensu* initus, quia consensu contrahitur, sicut emptio & venditio, *l. 1 ff. Locati Conducti.*

3 Dicitur, *quo pro re aliqua utenda vel fruenda*; quia res aliquæ locantur & conducuntur ad solum usum, ut domus, equus &c. *leg. 9. prin. ff. h. t.* quarum fructus alius non est, quam usus ipsorum. Aliæ verò ad fructus ex eis percipiendos, ut ager, vineæ, pascua, Jura, & redditus, *l. Sed addes 19. §. 1. ff. h. t.* Contractus, quo res utenda vel fruenda locatur, Locatio rerum communiter dicitur. Quò reducitur etiam conventio illa, qua oves, & vaccæ ea lege locantur, ut conductor singulis annis certam quantitatem lanæ, butyri, vel casei, loco pretii domino præbeat: Germanicè, *das Vieh auff den Bastandt thun.* Italis *Socida.* Item contractus, quo prædium rusticum non pro pecunia, sed pro certa parte fructuum, media v. g. vel tertia *Umb die Helfte, oder Umbs dritt* impensis, & periculis conducentis locatur, *leg. Et hæc 35. in fine ff. h. t. l. Si olei 21. Cod. eod.* Qui contractus alio nomine *Affictus* dicitur. Pariter ad Locationem rerum pertinet contractus, quo redditus alicujus Provinciæ, Civitatis, districtus &c. alicui pro certo pretio ad tempus percipiendi conceduntur, ab aliis *Admodiatio* dictus. Besol. *Thesaur. pract. V. Admodiat.*

4 Dicitur *pro operis personæ*: siquidem non tantum res, sed etiam personæ, seu potius operæ, & labores personarum locantur & conducuntur: *locat enim artifex operam suam l. Item si 22. §. 2. ff. h. t* sic enim famuli, & famulæ se, vel suas operas ad certum tempus locant dominis, & ab his conducuntur. Idem est de Operariis, Officialibus, Opificibus, qui se, seu operas suas aliis locant, & ab aliis conducuntur. Et hæc *Locatio operarum*, seu, *faciendi*, dicitur.

5 Ex contractu Locationis Conductionis varia nomina sortiuntur contrahentes. Et quidem universaliter ille, qui pretium vel mercedem pro opera personæ, aut usu, fructuve rei dat, *Conductor.* Ille verò, qui pro usu, vel fructu rei, aut operis suis mercedem recipit, *Locator* dicitur, totis *Tit. ff. & Cod. h. t.* specialiter autem si quis prædium urbanum, vel domum conducit, *Inquilinus* nominatur, *leg. Sed addes 19. §. 4. & 5. ff. h. t.* Si agrum, vel prædium rusticum, *Colonus*, *l. Res pignoris 37. ff. de Acquir. possess.* Si opus, *Redemptor*, *leg. cùm in plures 60. §. 3. ff. h. t.* Si vectigalia *Publicanus.*

6 Dicitur, *certum præstatur pretium.* Merces siquidem seu pretium in Locatione intervenire debet. *Quæ enim locatio, cùm merx non intercesserit?* Interrogat Ulpianus, *leg. Si convenerit 23. in fine ff. Communi dividund.* Et in hoc differt à Commodato, & Precario, vi quorum res ad usum gratis conceduntur, juxta dicta superiùs *Tit. de Commodat. & Tit. de Precar.* Debet autem hoc pretium esse certum ac determinatum; *qua de causa si sarcinatori sarcienda vestimenta quis dederit, nulla statim mercede constituta, sed postea tantum daturus, quantum inter eos convenerit, non propriè locatio & conductio contrahi intelligitur, sed eo nomine actio præscriptis verbis datur.* Sunt verba §. 1. *Instit. h. t.*

7 Utrùm autem pretium in Locatione necessariò consistere debeat in numerata pecunia, vel loco pecuniæ etiam alia res dari possit, non conveniunt DD. Molina namque *disp. 386. nu. 1.* Azorius *par. 2. lib. 8. de locat & Conduct. cap. 5. q. 4.* Lessius *lib 2. cap 21. & cap. 24. nu. 1.* Pirhing *h. t. n 2.* Bartolus, testibusque Molina & Azorio communis aliorum volunt, pretium debere in pecunia consistere, alias Locationem non esse. Pro qua opinione habetur textus expressus *§. 2. Instit. h. t. l. Naturalis 5. §. At cùm 2. ff. de Præscript.* ibi: *Cùm do, ut facias; si tale sit factum, quod locari solet, puta, ut tabulam pingas, data pecunia locatio erit; & si res, non erit locatio: sed nascetur vel civilis actio in hoc, quod mea interest, vel ad repetendum condictio.* Vallensis contra *h. t. n. 2.* cum nonnullis aliis vult, pretium Locationis non necessariò consistere in pecunia, sed etiam in aliis rebus præsertim fungibilibus, *l. Et hæc 35. in fine ff. h. t. & l. Olei 21. C. eod.* ubi aliæ quoque res loco pretii in Locatione admittuntur. Pro concordantia Legum & Doctorum dicendum videtur in Locatione propriè ac strictè tali requiri numeratam pecuniam; in Locatione verò large tali etiam alias res, præsertim fungibiles loco pretii servire posse; de qua proin large nempè sumpta Locatione, *l. 35. ff. & l. 21 C. h. t.* loqui, reliqua autem Jura pecuniam requirentia de Locatione stricta intelligenda esse: post Zoesium *in Comment. ff. h. t. n. 4.* bene docet Pirhing *h. t. n. 2.* Molina *loc. cit.*

8 Resp. II. Quamvis inter emptionem venditionem, ac Locationem Conductionem maxima sit convenientia, adeò quidem, ut in quibusdam casibus dubium sit, an emptio venditio, an verò Locatio Conductio sit; uti habetur, *leg. 2. §. 1. ff. h. t* ubi etiam in principio dicitur, *Locatio & Conductio proxima est emptioni & venditioni, iisdemque Juris regulis consistit*: Nihilominus ab ea essentialiter in hoc differt, quod in contractu emptionis secuta traditione transferatur in emptorem dominium; si venditor fuit dominus rei, juxta dicta *Tit. præced.* non verò in Locatione, *l. Non solet 39. ff. h. t.* ibi: *Non solet Locatio dominium mutare.*

9 Quæritur II. Quinam locare, & conducere possint? Resp. I. Omnes, qui à Jure specialiter non prohibentur. Communis & certa. Ratio est, quia in materia communiter non prohibita, qualis est Locatio Conductio, utpote de Jure gentium *l. 1. ff. h. t.* procedit illud vulgatum Glossæ *in c. Inter corporalia V. Non invenitur, de Transl. Episc. Concessum intelligitur, quod non expressè prohibetur.*

10 Resp. II. Plures sunt, qui de Jure Locare & Conducere non possunt. Probatur inductione. Sic inprimis Milites de Jure conducere nequeunt prædia ad colendum, *l. Licet retro 35. & l. Milites 31. Cod. h. t.* ibi: *Milites nostros alienarum rerum conductores &c. fieri prohibemus.* Ratio ibidem assignatur; videlicet, *ne amisso armorum usu ad opus rurestre se conferant, & vicinis graves præsumptione cinguli militaris existant.* Transgressores ipso Jure infames sunt, militiæ gradum & honorem amittunt, invalideque contrahunt, *cit. l. Licet retro. Cod. h. t.* Quo tamen non obstante possunt Milites conducere domum ad necessariam habitationem, stabulum ad equos nutriendos, & conservandos, Glossa *in cit. leg. Milites V. Conductores. Cod. h. t.* Azorius *loc. cit. cap. 3. quæst. 1.*

11 Secundò. Conducere prædia de Jure non possunt Curiales, id est, obstricti & obligati Curiæ, *l. Curialis 3. Cod. h. t.* ubi etiam irritus declaratur Locationis Conductionis contractus ab iis initus. Ratio est; ne per curas, & negotia prædii conducti, ab officii sui obligationibus distrahantur. Nihilominus sicut Milites, ita & Curiales necessaria conducere non prohibentur. Imò, ubi contraria legitime introducta habetur consuetudo, etiam prædia, & alia conducere possunt Curiales, sicut & Milites, *arg. cap. fin. de Consuetud.*

12 Tertiò. Clericis & Monachis de Jure expressè prohibetur *alienarum possessionum, & sæcularium rerum conductores* esse, *can. 1. caus. 21. quæst. 3. & cap. 1. Ne Cler. vel Monach.* intellige *turpis lucri gratia*, quia necessitatis causa domum v. g. pro habitatione, & alia necessaria conducere non minus, ac alii possunt, *cit. cap. 1. Ne Cler. vel Monach.* Azorius *loc. cit. quæst. 7.*

13 Quartò. Tutores, & curatores quamdiu administrant, aut donec rationes tutelæ vel curæ reddant, ad conducenda vectigalia, & prædia fiscalia non admittuntur, *l. un. Cod. Ne tutor, vel Curator* juncta *l. 1. §. 2. ff. ad leg. Cornel. de Falsis.* Transgressores puniuntur pœna falsi, *cit. l. un. C. Ne tutor, vel Curator.*

14 Quintò. Fabri, aliique artifices, qui artem strepesam exercent, prohibentur conducere domos vicinas scholis publicis, si ex illorum strepitu Professores & Scholares à studiis impediuntur, *arg. l. un. Cod. de Liberalibus studiis Urbis Rom.* Bonacina *de Contract. disp. 3. quæst. 7. pun. 1. num. 2.* qui idem tenet de Fabris conducere volentibus domos vicinas Monasteriis, *arg. can. Pridem 7. caus. 18. quæst. 2.* ubi Episcopus jubetur etiam Baptisterium prope Monasterium erectum auferre, ne ob strepitum, Monachi in divinis officiis impediantur aut distrahantur.

15 Quæritur III. Quænam res locari, & conduci queant? Resp. I. Omnis res, quæ emi, vendique, etiam locari & conduci potest, nisi specialiter à Jure eximatur. Communis & certa DD. *leg. 1. ff. h. t.* Hinc quia *omnium rerum, quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest, venditio rectè fit, leg. 34. §. 1. ff. de Contrah. empt. Et econtra, quia quas natura, vel gentium Jus, vel mores Civitatis commercio exuerunt, earum venditio nulla est, cit. Leg. 34.* idem de Locatione & Conductione erit dicendum: ut proin parum referat, an res locanda sit mobilis, vel immobilis, corporalis, vel incorporalis, propria, vel aliena. Nam

16 Resp. II. Non tantùm propriam, sed & alienam rem locare quis potest. Azorius *loc. cit. cap. 4. quæst. 8.* Engel *h. t. n. 1.* Molina *disp. 489. n. 1.* & communis aliorum, *l. Si tibi alienam 7. & l. Si quis 9. §. 6. ff. h. t.* Hinc Vasallus rem feudalem *Tit. 9. lib. 2. Feud.* Emphyteuta rem emphyteuticam, Usufructuarius rem usufructuariam locare validè, & licitè potest, *l. Arboribus 12. §. 2. ff. de Usufruct. & quemadmodum l. 9. §. 1. ff h. t.* Imò potest conductor rem conductam alteri locare, *cit. l. Si tibi 7. ff. h. t.* nisi aliter conventum sit, *l. Nemo C. h. t* ibi: *Nemo prohibetur, rem quam conduxit, alteri locare; si aliud non convenit.* Et Locatio fiat æquè idoneo, sine damno domini, Tuschus *lit. E. concl. 413.* Bonacina *loc. cit. n. 4.*

17 Notat tamen bene Engel, quod si usufructuarius rem, in qua usumfructum habet, alteri ad certum tempus v. g. quinquennium, locaverit, & intereà tertio v. g. vel secundo anno moriatur, hoc ipso expiret hæc secunda Locatio; eò quòd ususfructus sit personalis & cum persona expiret, *§. 3. Instit. de Usufruct.* ita ut hæres locatoris defuncti, conductori huic secundario ad nullum interesse, sed tantùm ad mercedem, seu pretium pro rata temporis restituendum teneatur; ita clare deciditur, *l. Si quis 9. §. 1. ff. h. t.*

18 Porrò si quis rem prorsus alienam, in qua nec dominium utile, nec usum, aut usumfructum habet; alteri locat, valet quidem Locatio, locator tamen tenetur conductori totum refundere pretium, casu quo res aliena taliter locata, postea à domino evincatur, ita ut ea frui conductor non possit. Textus est, *in l. Si tibi alienam 7. & l. Si quis 9. princ ff. h. t.* Imò non tantum pretium, sed etiam id, quantum interest conductoris, quod re conducta frui non possit, præstare debet, si rem prorsus alienam locat, *l. Nos videamus 8. ff. h. t.* nisi forsan justam ignorantiam, & bonam fidem doceat, *leg. si fundus 33. ff. h. t.* Quod si locator rei alienæ, in casu evictionis conductori aliam æque commodam rem substituat, conductor contra eum pro refusione pretii agere non potest, *cit. l. Si quis 9. princ ff. h. t.* ibi: *Plane si locator paratus sit, aliam non minus idoneam habitationem præstare, æquissimum est, ait (Pomponius) absolvi locatorem.*

19 Resp. III. Plures sunt res, quæ locari de Jure non possunt. Patet inductione. Nam Primò locari nequeunt servitutes prædiales, seu reales: uti sunt iter, actus, via, jus pascendi pecora &c. *l. Locare 44. ff. h. t.* ibi: *Locare servitutem nemo potest.* Ratio est; quia Locatio fit tantum ad tempus: *servitutes autem ipso quidem Jure neque ex tempore, neque ad tempus constitui possunt, l. Servitutes 4. ff de Servitutibus.* Bonacina *loc. cit. n. 2.* Azorius *loc. cit. cap. 4. q. 2.* Servitutes tamen personales locari non prohibentur *§. 1. & 5. Instit. de Usu, & habit.* juncta *l. Inque eo 11. & Plenum. 12. §. fin. ff. eod*

20 Secundò locari de Jure prohibentur res fungibiles in pondere, numero, & mensura consistentes, quæ usu statim consumuntur, *arg. l. Sed mihi 3. §. fin. ff. Commodati.* Ratio est; quia per Locationem res absque translatione dominii conceditur tantum ad usum, ea lege, ut elapso Locationis termino res eadem numero reddatur, quod in fungibilibus, quæ usu consumuntur, fieri nequit. Si quis tamen solummodo ad pompam & ostentationem res fungibiles conducere vellet, locari eidem sicut & commodari possunt, *cit. L. 3. ff. Commodati*, ibi: *Nisi ad pompam, & ostentationem quis accipiat.*

21 Tertiò nemo de Jure validè conducere potest rem sibi aliàs propriam, casu quo eam existimat alienam, *l. Si quis 9. §. fin. ff. h. t. l. Neque 45. ff. de reg. jur.* ibi: *Locatio rei suæ consistere non potest l. Qui rem 20. C. h. t. Qui rem propriam conduxit, existimans alienam &c. inefficacem Conductionis contractum facit.* Nisi forsan quis rem suam alteri oppignoraverit; quia in hoc casu *potest pro conducto re sua debitor uti, l. cùm & sortis in fin. ff. de Pignorat.* Concordat *leg. Si pignus 37. ff. eodem.*

22 Quartò absque requisita Juris solemnitate (de qua suprà *Tit. 13. de Rebus Eccles. alien.*) locari nequeunt ultra triennium res Ecclesiasticæ immobiles *Extrav. Ambitiosæ de rebus Eccles. alien* Debet tamen triennium hoc accipi pro utili & fructuoso. Hinc ager, qui alternis tantum annis fertilis est, ad sexennium absque ulla Juris solemnitate validè ac licitè locari potest, Covarruvias *l. 2. Var.*

Resol. cap. 16. nu. 6. Pignatell. *tom. 4. Concl.* 223. ubi plures Rotæ decisiones affert, vi quarum ad novennium absque solemnitate facta approbatur Locatio, qua locabantur res Ecclesiasticæ immobiles singulis trienniis solummodò fructum afferentes.

23 Porrò an, & quando valeat Locatio rei Ecclesiasticæ immobilis saltem ad primum triennium, casu quo ad plures annos facta est, diximus quidem suprà *tit. 13. de Rebus Ecclesiæ alienat. §. 2. n. 42 & 43.* Nihilominùs quia quæstio hæc valde celebris est, & ad hunc Titulum propriè pertinet, id, quod ibi diximus, hic uberius declarandum utile duximus. Pro quo notandum, Locationem ultra triennium varie, præcipue verò tribus modis fieri posse. Primò taliter, quod res Ecclesiastica immobilis non uno indivisibili, sed pluribus Locationis contractibus post triennium elapsum pro libitu locatoris repetendis vel recusandis, ad plures annos elocetur, ita ut Ecclesiæ Rector pro uno triennio rem locans, nullatenus se obliget, ad eandem elapso triennio ulterius locandam; quamvis eandem nihilominùs denuo, libere tamen, ad novum triennium, & sic deinceps successivè ad viginti vel triginta annos locet. Quem locandi modum ultra tempus triennii licitum, ac validum esse, omnes fatentur, & quotidiana docet praxis. Ratio est; quia Jura non prohibent repetitis, iisque liberis contractibus rem Ecclesiasticam ultra triennium locare, si post elapsum triennium semper liberum manet Locatori Ecclesiastico, Locationem continuare, vel omittere.

24 Secundò fieri potest Locatio ultra triennium taliter, & cum hac clausula, quod quidem contractus Locationis singulis trienniis de novo renovari debeat, ita tamen, ut eum negare, non sit in potestate Locatoris Ecclesiastici, sed eum continuare, omninò debeat. Tertiò fieri potest taliter, quod uno eodemque indivisibili contractu non repetendo, res Ecclesiastica ultra triennium pro pretio sive simul & semel, sive successive præstando elocetur. Hoc prenotato

25 Resp. IV. Si collatio rei Ecclesiasticæ fiat secundo, & tertio modo, illicita ac invalida est etiam quoad primum triennium. Ita docet Guttierez *Canon. qq. lib. 2. cap. 13. n. 13.* Covarr. *Variar. resol. l. 2. cap. 16. n. 5. § Tandem ut liberè sententiam dicam.* Navarr. *de Alienat. rerum Eccles. n. 21.* Bartolus *in Authentic. Qui rem Cod. de SS. Eccles. n. 7.* Jason *in eandem n. 21.* Alexander *lib. 4. consil. 17. n. 16.* & plures alii à Guttierez & Covarruvia *loc. cit.* allegati; eandem sententiam tenet Rota *decis. 709. n. 6 par. 1. divers. & decis. 30 nu. 3. par. 1. recent.* Probatur primò *per Extravag. Ambitiosæ*, ubi habetur, quod aliter ac præscribitur, facta *alienatio & Conductio nullius omnino sint roboris ac momenti*. Fit autem aliter, si ultra triennium extenditur ita, ut in potestate Locatoris non sit, locationem omittere: ergo.

26 Probatur secundò ex *Clem. 1. De Rebus Eccles. alien.* ubi expressè statuitur, quod si res Ecclesiasticæ immobiles alicui contra Juris formam qualitercunque alienentur, *recipienti jus aliquod non acquiratur*: ubi notanda dictio *aliquod*, utpote quæ in qualibet etiam minima parte verificatur, prout post Glossam *in Clem. 1. de Foro compet. ℣. Aut earum* benè advertit Guttierez & Navarrus *loc. cit.* consequenter nec pro primo triennio valebit; aliàs enim jam *aliquod* jus ex illa acquireretur.

27 Probatur tertiò: quando agitur de contrahenda obligatione in his, quæ pendent ex voluntate duorum, *si actus non valet ut fit, nec valebit, ut fieri potest*, *arg. L. 1. §. Si quis ita ff. de V. O.* & ibi Bartolus communiter receptus. Facit etiam pro conclusione doctrina Roman. *cons. 66.* videlicet, quod stante statuto, electio etiam quoad primum annum sit nulla ac irrita, casu quo dicti Consiliarii ultra annum, v. g. triennium contra statuti tenorem eligerentur.

28 Nec juvat, si juxta *n. 24.* specificatum modum adjiciatur clausula, quod elapsis singulis trienniis Locationes de novo fieri, vel revocari debeant: cum enim hæc clausula, ut supponitur, non efficiat, quin elapso triennio Locator Ecclesiasticus nolens volens de novo locare vi contractus primi debeat, Locationem Juri conformem minime reddit, nec aliquid operatur. Nam à parte rei plane nullum discrimen est, nec aliquid refert, utrùm una Locatione non amplius repetenda, vel pluribus vi clausulæ necessariò, & non liberè repetendis res Ecclesiastica ultra triennium elocetur, si utrobique, vi primi contractus Locator ita ligatur, ut post triennium rem vel locatam relinquere, vel de novo locare necessariò debeat. Ut proin DD. benè advertunt clausulam illam reverà tantum in fraudem Legis, consequenter contra Legem ipsam fieri: cùm idem sit contra Legem facere, ac in fraudem Legis, seu contra intentionem illius facere, *Reg. fin. de reg. jur. in 6.*

29 Objiciunt Adversarii principaliter *Reg. 37. jur. in 6. Utile per inutile non debet vitiari*. Concordat *l. Sancimus 34. & L. penult. C. de Donat.* ubi statutum reperitur, quod donatio ultra quantitatem à Jure permissam facta vitietur tantum quoad excessum, quoad reliquam verò partem firma permaneat. Resp. cùm Covarruvia distinguendo: Utile per inutile non debet vitiari, si unum ab altero separari potest, conceditur; si separari non potest, ut in casu nostro, negatur. Supponimus enim contractum primum ita fuisse celebratum. Locator Ecclesiasticus elapso triennio Locationem continuare, vel de novo celebrare necessariò debeat, consequenter unum tempus ab alio vi contractus separari nequeat.

§. II.

De Obligationibus, & Juribus locatoris rerum.

S U M M A R I U M.

30 *In Locatione attendenda est specialis conventio, & consuetudo locorum.*
Locator rei debet facere, quod conductor ea libere uti vel frui valeat; alias restituere debet mercedem, & interesse, si ob ejus causam re frui non possit conductor. Ibid.
31 *Si absque culpa locatoris conductor impeditur re conducta frui vel uti, mercedem remittere debet locator, non item interesse præstare.*
32 *Locator obligatur reparare reparanda in domo, vel re locata.*
33 *Tenetur etiam refundere expensas, quas conductor necessario, & utiliter in rem fecit.*
Utiliter tantùm factas, si immodicæ sunt, restituere non tenetur. Ibid.
34 *Expensas ordinarias pro colligendis fructibus factas non refundit locator.*
35 *Si expensas necessarias non refundat locator, potest conductor re locata uti & frui, donec ei satisfiat.*
Vel potest meliorationes in rem factas secum auferre, si absque deterioratione rei locatæ, & proprio commodo fieri potest. Ibid.
36 *Locator debet vitia occulta rei locatæ manifestare conductori.*
Alias tenetur ad damna inde secuta, nisi bona fide & ignorantia inculpabili locasset. Ibid.
37 *Tributa & alia onera, rei locatæ imposita solvit locator.*
38 *Si propter sterilitatem, vel alios casus absque culpa conductoris evenientes, conductor nullos vel paucos percipit fructus, merces ex toto, vel pro rata tantùm remitti debet.*
39 *Solvitur objectio.*
40 *Propter sterilitatem nihil tenetur remittere locator, si specialiter ita conventum est.*
41 *Vel sterilitatis damnum fertilitate præcedentium aut subsequentium annorum compensatur.*
42 *Aut si loco mercedis certa pars fructuum datur.*
43 *Item si sterilitas est consueta, & proveniens ex vitio ipsius rei.*
44 *Sicut etiam, si sterilitas proveniat ex culpa conductoris.*
45 *Et universaliter, si damnum in fructibus est modicum.*
46 *Damnum modicum quale censeatur, variæ opiniones DD. Et n. seq.*
48 *Eligitur probabilior: & quæ illa?*
49 *Locatori adversum conductorem competit actio ex locato.*
50 *Ante finitum Locationis tempus locator absque legitima causa non potest expellere conductorem.*

51 *Dantur quatuor causæ ante tempus expellendi conductorem etiam invitum.*
Prima est, si debito tempore non solvit Locationis pretium.
52 *Secunda est, quando locator ipsemet necessariò indiget re locata.*
53 *Pro se, aut sibi proximè conjunctis.*
54 *Tertia est, si res locata indigeat reparatione prius incognita.*
55 *Quarta est, si re locata malè utatur, vel contra bonos mores, vel eam deteriorando.*
An in hoc casu teneatur remittere mercedem pro rata, respondetur cum distinctione. Ibid.
56 *Ob privatas causas potest locator propria authoritate conductorem expellere: quamvis securiùs imploret officium Judicis.*

30 QUæritur I. Quæ sint obligationes locatoris rerum? Resp. I. Ante omnia attendendum esse ad speciales conventiones contrahentium, & particulares locorum consuetudines, *l. Circa locationes 19. c. h. t.* His autem suppositis Locator vi Locationis plures, præsertim verò sequentes, contrahit obligationes. Primò obligatur, rem locatam juxta modum & tempus per Locationem conventam præstare conductori, ita, ut conductor tempore modoque convento, re locata libere uti valet, *l. Ex conducto 15. l. Si in l. 24. §. l. Si merces 15. §. 1. & 2. ff. h. t.* Hinc si per locatorem steterit, quominùs conductor tempore modoque convento, re conducta frui queat, tenetur ad refundendum pretium, & simul ad interesse, *cit. l. 15. §. 8. l. 24. §. 4. ff. h. t.* Id contingit, si v. g. conductorem à domo locata injuste expellat, vel ea frui non permittat, *l. 24. §. 4. ff. h. t.* vel si ante tempus locationis finitum rem vendat, *cit. l. 25. §. 1. ff. h. t.* Berlich. *par. 2. concl. 45. n. 10.* nisi forsan emptor conductorem re locata usque ad definitum tempus frui permittat; ad quod tamen nisi specialiter conventum fuerit, non tenetur, *l. Emptorem 9. c. h. t.* Pariter ad pretium simul & ad interesse conductori tenetur locator, si impedimentum ab alio proveniens non impedivit, vel sustulit, dum potuit, *l. Ex conducto 15. §. 8. ff. h. t. & l. Si fundus 33 ad fin. ff. eod.* ibi? *Nam si colonus tuus frui re à te, aut ab eo prohibetur, quem tu prohibere; ne id faciat, possis, tantum ei præstabis, quanti ejus interfuerit frui: sin verò* (pergit ibidem Lex) *ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim majorem, aut potentiam ejus non poteris, nil amplius ei, quam mercedem remittere, aut reddere debebis.*

31 Eodem modo ad solum pretium pro rata temporis, non item ad interesse tenebitur, si impedimentum non ex causa locatoris, seu aliunde proveniat, quod conductor re locata, modo & tempore convento frui non possit v. g. si res aliena, bona fide conductori elocata, ab alio evincatur, *l. Si quis 9. prin. ff. h. t.* vel si incendio, chausmate, irruptione hostili &c. pereat, *l. Ex conducto 15. §. 2. & l. Perinde, ff. h. t.* Vel, si exigente necessitate locator domum, vel aliam rem locatam reficiat, & conductor re conducta uti non possit; tunc enim non nisi ad restituendum vel remittendum pretium pro rata temporis locator tenebitur. *l. Qui insulam 30. prin. l. Et hæc 35. prin. ff. h. t.* Secùs foret, si non ex necessitate, sed ob majorem utilitatem, aut commoditatem reficiendo, reparando, mutando, aut ampliando rem locatam, conductorem ab usu illius impediret, *cit. l. 30. & 35. ff. h. t.*

32 Secundò obligatur locator, necessariò reparanda, in re locata ita reparare, & reficere, ut conductor modo & tempore convento, ea frui commodè valeat, *l. Ex conducto 15. ff. h. t.* Hinc ad refundendum pretium ac interesse ex conducto agere potest conductor, si *villa v. g. non reficitur vel stabulum, vel ubi greges stare oporteat*, *cit. l. 15. § 1. ff. h. t. Eadem intelligimus, si ostia, fenestrasque nimium corruptas locator non restituat*, *l. Si merces 25. §. 2. ff. h. t.* Idem est de aliis.

33 Tertiò obligatur refundere expensas extraordinarias tam necessarias quam utiles à conductore in rem locatam factas, *l. Dominus 55. §. 1. ff. h. t. si in conducto fundo* (vel alia re locata) *conductor sua opera aliquid necessario, vel utiliter auxerit, vel ædificaverit, vel instituerit, cùm id non convenisset; ad recipienda ea, quæ impendit, ex conducto cum domino fundi experiri potest*, *l. Colonus 61. princ. §. h. t.* Notat tamen Molina *disp. 496.* cum Lopez & Castrensi, quod quamvis expensæ necessariò factæ, vi dictarum Legum & juxta communem, sine ulla limitatione restituendæ, vel compensandæ sint conductori: De expensis tamen non necessariò, sed utiliter tantùm factis in rem locatam, distinguendum esse, ita, ut si expensæ valdè magnæ, aut graves non sint, sed moderatæ, eas etiam inscio locatore factas refundere conductor teneatur, *l. 55. §. 1. h. t.* juncta *l. Sed addes 19. §. 4. & 5. eod.* dummodò sint tales, quæ non pro solo conductoris usu & commodo, tempore locationis serviunt, sed etiam post tempus locationis pro commodo locatoris adhuc durant; benè observat Bart. *in l. Impensæ ff. de Impensis*. Expensas immodicas verò & valdè graves absque voluntate locatoris in rem utiliter tantùm, & non necessariò factas restituere non teneatur, *arg. l. Paulus 14. ff. de Doli mali except.* Ratio est; quia iniquum videtur, ut, dum inquilinus in domo aliena absque præscitu & consensu domini ædificat, vel sumptuosas, ac non necessarias reparationes aut meliorationes pro libitu facit, locator dominus impensas postea præstare invitus cogatur.

34 Dicitur autem notanter ab initio hujus num. *Impensas extraordinarias in rem locatam factas*; quia impensas ordinarias non in rem, sed pro colligendis fructibus factas, v. gr. in arando, serendo, metendo, stercorando &c. refundere locator nullatenus tenetur; cùm propterea locator uberiores fructus percipiat, uti cum Paulo Castr. *lib. 2. consil. 270.* & communi aliorum benè notat Engel *h. t. n. 10.*

35 Cæterùm si expensas necessarias, vel utiles moderatas refundere detrectat locator, potest conductor rem locatam retinere, eaque uti tamdiu, donec ei à locatore fuerit satisfactum *L. 5. prin. ff. de Impensis in rem dot.* vel, si mavult, meliorationes sive utiles, sive necessarias, sive magnas, sive parvas à re locata separare & auferre, atque de eis pro libitu disponere potest, *l. Sed addes 19. §. 4 & 5. ff. h. t.* dummodo, ut ibidem bene limitatur, *caveat, ne in aliquo, dum aufert, deteriorem causam ædium* (vel alterius rei locatæ) *faciat, sed ut pristinam faciem ædibus reddat.* Porrò circa beneficium auferendi notandum, id tunc locum habere, quando auferens inde aliquod commodum adhuc sperare potest: secùs verò, si absque ullo suo commodo ex sola invidia, aut malitia picturas v. gr. corradere, ornamenta horti destruere &c. vellet, *l. In fundo 34. ℣. Constituimus ff. de Rei vendic.* ibi: *Non est enim malitiis hominum indulgendum, qui nihil aliud agunt, quam ut noceant.*

36 Quartò obligatur, conductori manifestare occulta rei locatæ vitia, ita quidem, ut si ex vitio non manifestato, conductori damnum sequatur, vel res locata eidem minùs utilis evadat, teneatur ad restitutionem, *l. Sed addes 19. §. 1. ff. h. t.* juncta *l. Tenetur §. Sed si vas ff. de act. empt.* Navarrus *Manual. c. 17. nu. 196.* Molina *disp. 494.* Sylvester ℣. *Locatio q. 18.* Hinc si quis equum assuetum se se in aquam mittere alteri locavit, tenetur merces, & inde perditas; aliaque propterea secuta damna refarcire, si conductorem non monuit: idem est, si quis pascuum ferentem herbas nocivas elocet *cit. l. 19. §. 1. ff. h. t.* quod si tamen vitium occultum locator ipsemet ignoraret, ad solum pretium, non item ad interesse teneretur, *cit. L. 19. ff. h. t.* juncta *L. 15. 33. & 34. ff. h. t.* Molina *loc. cit.* Bonacina *de contr. disp. 3. quæst. 7. punct. 3. n. 3.* nisi rem locatam vitio carere expressè affirmet, & pro tali eam elocet: tunc enim non obstante ignorantia ad damna ex vitio occulto secuta tenetur conductori, *l. Tenetur §. Sed si vas ff. de act. empt.* & docet cum communi aliorum Molina *loc. cit. n. 5.* Pariter ad secuta damna tenetur, si etiam bona fide, & ignorans dolia, vel alia vasa vitiosa vendidit, ob specialem dispositionem Juris. *l. Sed addes § 1. ff. h. t.* Ratio est; quia Lex præsumit, in simili doliorum locatione adesse ignorantiam culpabilem; cùm attendere deberet locator, qualia elocet vasa. Verùm hoc ipso, quod Lex hæc fundetur in præsumptione ignorantiæ culpabilis, non procedit in foro interno, si culpabilis ignorantia reverà abest; prout cum Molina & Bonacina citatis docet communis DD.

37 Quintò obligatur, tributa, & onera rei locatæ imposita

præstare, *l. Ædiles studeant un. ff. de Via publica*: ibi: *Construat vias publicas unusquisque secundum propriam domum: & aquæ ductus purget, qui sub dio sunt: & construat ita, ut non prohibeatur vehiculum transire. Quicunque autem mercede habitant, si non construat dominus, ipsi construentes imputent in mercedem* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 22. nu. 4.* Bonacina *loc. cit. n. 7.*

38 Quæritur II. An locator teneatur remittere mercedem seu pretium, quando ob sterilitatem aut alium casum fortuitum absque culpa conductoris supervenientem, v. g. ob grandines, inundationem aquarum, nives, vermes, hostilemve incursionem segetes depopulantem &c. conductor non percipit fructus ex re locata frugifera? Resp. I. Regulariter loquendo, si ob sterilitatem, vel alios sine culpa conductoris evenientes casus, conductor ex re frugifera locata fructus non percipit, tenetur locator remittere mercedem & quidem totam, si omninò nullos percipit fructus, vel pro parte, & rata, si paucos & exiguos colligit. Abbas *in c. Propter 3. h. t. n. 1.* Anchoranus *ibid.* Lessius *lib. 2. cap. 24. nu. 15.* Pirhing *h. t. n. 4.* cum communi & certa aliorum ob clara Jura, *c. Propter sterilitatem 3. h. t.* ibi: *Propter magnam sterilitatem, quæ magno incommodo conductores afficit, & sine culpa ipsorum, vel casu fortuito evenit, ipsis colonis pro rata est pensionis remissio facienda.* Item *l. Ex conducto 15. §. 2. ff. h. t.* ibi: *Servius omnem vim, cui resisti non potest, dominum coloni præstare debere ait: ut puta, fluminum, graculorum, sturnorum, & si quid simile acciderit: aut si incursus hostium fiat.* Concordat *l. Si merces 25. §. 6. ff. eod. & l. Licet 8. C. eod.* Ratio est; quia in Locatione rei frugiferæ merces constituitur in compensationem fructuum percipiendorum: ergo Ratio & æqualitas postulat, ut si nulli, vel exigui percipiuntur fructus, pensio ex toto, vel ex parte pro rata, juxta proportionem damni remittatur.

39 Nec obstat, quod dicitur *l. Ex conducto 39. 15. n. 5. ff. h. t. cùm quidam de fructuum exiguitate quereretur, non esse rationem ejus habendam, rescripto D. Antonini continetur.* Resp. enim ibi sermonem esse de casu, quo ob modicum tantùm damnum, aut defectum in fructibus, colonus conquestus est; cui nihil remittendum esse de mercede, ipsi fatemur infrà *nu. 45.* Ita autem explicare hanc Legem debemus; quia alias apertè sequeretur Jurium contradictio, quæ pro possibili evitari debet, *c. cùm expediat de Elect. in 6.*

40 Dicitur autem notanter, *regulariter loquendo*; quia patitur conclusio aliquas limitationes. Et quidem primò limitatur, si specialiter conventum sit, quod conductor omne periculum in se suscipere, & non obstante quocunque casu fructuum perceptionem impediente, pensionem solvere debeat. Communis ac certa: textu claro *l. Si quis 9. §. 2. ff. h. t.* ibi: *Si quis fundum locaverit, ut etiam si quid vi majori accidisset, hoc ei præstaretur, pacto standum esse.* Ratio est: *quia contractus ex conventione legem accipiunt, Reg. 65. jur. in 6.* quæ lex, si cæterequin nihil iniquum continet, servari debet *l. Ex empto 11 ff. de Action. empti.* Quæ tamen in conventione generali comprehensi non videntur casus omninò insoliti, ac planè extraordinarii, atque in simili regione nunquam auditi, de quibus penitus nulla cogitatio aut timor concipi poterat, uti cum communi aliorum contra Pinellum & alios apud Molinam docet Molin. *disp. 495. nu. 20.* Bonacina *loc. cit. n. 13.* Pirhing *h. t. n. 6. arg. l. Fistulas §. Frumenta ff. de Contrah. empt.* ut autem reputetur casus pro penitùs insolito, non sufficit, quod à longo tempore, v. g. à quadraginta annis non contigerit, sed debet talis esse, qui in hujusmodi regione nunquam contigit, aut omnem memoriam hominum superat; aliàs enim in conventione generali includitur, hoc ipso, quod de illo cogitatio aut timor concipi potuerit.

41 Limitatur secundò, si ob præcedentium, vel subsequentium annorum fertilitatem, damnum quod in fructibus conductor de præsenti patitur, compensatur. Textu expresso *c. Propter sterilitatem 3. h. t.* ibi: *Nisi præcedentis, vel subsequentis anni ubertate compensetur.* Concordat *l. Licet 8 C. h. t.* Nec refert, sive continuis sive interpolatis annis sterilitas ubertate compensetur, ut benè observat Molina *loc. cit.* Barbosa *in cit. c. Propter 3. h. t. n. 18.* Pirhing *eod. n. 6. arg. l. Ex conducto 15. §. 4. ff. h. t.* Imò si ob præsentis anni sterilitatem locator mercedem ex toto, vel parte remittit, eandem iterùm repetere potest, si immediatè sequenti, vel etiam in secundo, tertio, aut quarto anno ubertate compensatur damnum illatum, DD. citati. Textus est in *cit. l. Ex conducto §. 4. ff. h. t.* ibi: *Papinianus ait; si uno anno remissionem quis colono dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contingit ubertas, nihil obesse domino remissionem, sed integram pensionem etiam ejus anni, quo remisit, exigendam.*

42 Limitatur tertio in colono partiario, qui loco mercedis pecuniariæ certam partem fructuum, tertiam v. g. vel quartam præbet, Abbas *in c. Propter 3 h. t. n. 14.* Molina *loc. cit. n. 22.* Menochius *Consil. 669. n. 12. & seq.* Pirhing *loc. cit. n. 7. arg. l. 53 §. 4. ff. Pro socio, & l. Si merces 25. §. 6. ff. h. t.* ubi ratio redditur; videlicet, quia *partiarius colonus quasi societatis jure damnum & lucrum cum domino fundi partitur.*

43 Limitatur quartò, si sterilitas est consueta, vel oriatur ex vitio ipsius rei, ac intrinseca ejus qualitate, *l. Ex conducto 15. §. 2. ff. h. t.* ibi: *Si qua tamen vitia ex re ipsa oriantur, hæc damno coloni esse &c. si verò nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse.* Ratio est; quia sibi imputare debet colonus, quod conducat rem cum manifesto periculo, quod scit, & prævidet, vel scire debet. Hinc Azorius *par. 3. lib. 8. cap. 10. q. 2.* bene infert, ob fructus non perceptos non posse prætendere remissionem mercedis colonum illum, qui conduxit agrum juxta flumen, quod sæpiùs exundat, vel qui tempore belli conducit prædium in vicinia, ubi periculum hostilis incursionis prudenter timetur; sequitur Gall. *Observ. 23.* Pirhing *h. t. n. 7.*

44 Quintò limitatur, si sterilitas, vel damnum in fructibus proveniat ex culpa ipsius conductoris, Molina *loc. cit. n. 13.* Azor. Gail. Pirhing *loc. cit. arg. l. Ex conducto 15. ff. h. t.* ibi: *Cui resisti non potest.* Ratio est; quia *damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare, Reg. 86. jur. in 6.* Hinc si colonus in colendo, vel stercorando agro est negligens: item si in vinea debito modo, aut tempore vites intorto stramine non vestivit, remissionem pretii ob defectum fructuum exigere nequit. Quod procedit etiam in casu, quo non propriâ, sed servorum culpa damnum accidit, saltem si in eligendis servis fuit negligens juxta dicenda infrà *n. 64.*

45 Sextò limitatur, si damnum ex sterilitate, aut casu fortuito proveniens sit modicum, *l. Si merces 25. §. Vis major 6. ff. h. t.* quia, ut ibidem dicitur, *modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur*, hoc est, cui, si ob unius, vel plurium annorum ubertatem, ac fertilitatem copiosiores solitò crescunt fructus, lucrum inde proveniens non aufertur: propterea solita merces non augetur; consequenter ferre æquo animo debet modicum damnum, utpote quod aliorum annorum fertilitate facilè compensatur.

46 Verùm quodnam damnum censeri debeat parvum & modicum, ad hoc, quod propterea remissio pensionis consuetæ exigi nequeat: & econtrà quodnam magnum notabile vel immodicum, ita, ut ob illud remissio fieri debeat, magna est opinionum diversitas, quas refert Abbas *in c. Propter 3. h. t. n. 12. & 13.* Aliqui enim volunt, tunc solummodò magnum, seu immodicum censeri damnum obligationem remittendi mercedem inducens, quando nec semen in terram jactum recipitur, vel si id solum colligitur; sed hæc opinio utpote colonis nimis dura meritò rejicitur ab Abbate *loc. cit.* præsertim cùm versetur extra statum quæstionis: nam contingente tali casu debet tota merces remitti, cùm nulli fructus percipiantur, *arg. l. Fructus 7. prin. ff. Soluto matrim.* ibi: *Fructus esse constat, qui deducta impensa supererunt.* Ad præsens autem est quæstio de casu, quo ob defectum non omnium, sed aliquorum solummodò fructuum merces non ex toto, sed pro *rata* remitti debet, *c. Propter h. t.* Alii, inter quos est Bartolus *in l. Si merces §. Vis major ff. h. t.* docet, tunc solùm adesse magnum damnum, si deductis impensis nihil percipit, vel lucratur colonus. Sed & hæc opinio ob rationem jam dictam rursus meritò rejicitur ab Abbate *loc. cit.*

47 Alii, iique sat multi, inter quos numeratur Molina *loc. cit. n. 5.* volunt, tunc demum adesse damnum notabile, si detracto semine & impensis tot fructus non percipiuntur, quot adæquent mediam partem pensionis annuæ præstandæ. Moventur; quia in Jure magna læsio adesse non censetur, nisi sit ultra dimidium justi pretii, per ea quæ diximus *tit. præc. §. 11.* Abbas verò *loc. cit.* quem sequitur Azorius *l. 8. c. 10. q. 1.* Covarruvias, & alii dicunt tunc adesse notabile damnum, si nec duas tertias, multo magis, si nec mediam partem percipit de fructibus, quos alias ordinariè fundus profert. Utraque hæc sententia probabilis censetur.

Probabilior autem videtur sententia docens, id desumendum esse ex communi viciniarum opinione & consuetudine, vel relinquendum esse prudentis Judicis arbitrio. Gail. *Observ. 23. n. 1.* Layman *lib. 3. tr. 4. c. 22. n. 7.* Menochius *de Arbitr. Jud.* Pirhing. *h. t. n. 5. arg. l. 1. ff. de Jur. delib. juncta l. Circa locationes, 19. c. h. t.* ubi decernitur circa contractum Locationis attendendum esse ad regionum consuetudines.

48 Porrò an vicissim merces augeri debeat ob fertilitatem & ubertatem annorum, uti remittitur ob sterilitatem, dicetur §. seq. de Obligatione conductoris.

49 Quæritur III. Quæ jura, & actiones competant locatori rerum, adversum conductorem? Resp. Locatori competit, jus & *actio ex locato* ad ea omnia prosequenda, ad quæ idem obligatur conductor vi Locationis, *leg. Præses, 17. c. h. t.* ibi: *Præses Provinciæ ea, quæ locatione debentur, exsolvi sine mora curabit non ignarus, ex locato, & conducto actionem admittere.* Ad quanam autem eidem, vi Locationis teneatur conductor, dicetur §. seq. Interea

50 Quæritur IV. An, & quando, & quomodo locatori competat jus expellendi colonum, vel inquilinum etiam invitum, vel privandi eundem usu, fructuvè rei locatæ ante tempus Locationis finitum? Resp. Absque legitima causa non potest locator ante tempus Locationis finitum conductorem invitum è domo, vel fundo conducto expellere, vel eum usu fructuvè rei locatæ, privare etiamsi alius majus pretium offerat. Communis ac certa. Claris Juribus, *l. Ædes, 3. & l. Si olei, 21. c. h. t.* Quod si illegitimè expellat, pretium restituere ac interesse præstare tenetur, *l. Si in Lege, 24. §. 4. ff. h. t.* & diximus ampliùs supra *num. 30.*

51 Resp. II. Quatuor sunt causæ, ob quas locator conductorem etiam invitum, ante finitum Locationis tempus expellere, usuque, vel fructu rei locatæ privare potest. Abbas *in c. Propter 3. h. t.* Molina *disp. 499.* Azorius *loc. c. q. 2.* cum communi aliorum, *l. Æde, 3. c. h. t. & c. propter 3. h. t.* ubi quatuor causæ expellendi invitum conductorem expressè allegantur, & sunt sequentes. Prima est, si mercedem constitutam per biennium conductor in solidum non solverit, *cap. propter h. t.* ibi: *Si canonem per biennium non solverit.* Concordat *l. quæro, 54. & l. cum domini, 56. ff. h. t.* juncta *l. 3. c. cod.* Neque sufficit, quod per partes solverit, quia, *cum sæpè solutio partium non minima incommoda habeat, l. plene, § 2 ff. Famil. Hercisc.* non juvat conductorem quin adhuc à locatore expelli possit; uti benè observat Glossa *in c. l. Æde, V. In solidum, c. h. t.* Porrò tempus biennale ad repellendum requisitum, intelligendum est, si Locatio celebrata fuit ad longum tempus puta 10. annos vel etiam ad 5. annos; ad brevius autem tempus v. g. duos, aut tres annos si contraxerunt, statim repelli potest, si constituto tempore pensionem non solverit, uti post Glossam *in c. propter V. Canonem, h. t.* notat Abbas *in c. c. propter n. 10.* Azorius *loc. cit.* Sylvester *V. Locatio q. 9.* Navarrus *Manual. c. 17. n. 193.* Pirhing. *h. t. n. 16.* cum communi aliorum, *arg. l. Ædes, c. h. t. & l. Quæro §. 1. ff. cod.* Imo etiam locatione ad longum tempus celebrata invitus ante tempus expelli potest conductor, si in contractu pro solutione totius mercedis certum tempus fuit determinatum, & à conductore non observatum. Abbas *loc. c.* Ratio est; quia *frangenti fidem fides servanda non est*: uti docet communis apud Barbosam Axiom. 98. *n. 7. arg. l. Eum qui 21. §. 1. ff. de Inof. test.* Secus est, si tempus determinatum non sit, vel merces in singulos annos solvenda constituatur.

52 Secunda causa est: quando locator ipsemet indiget domo, vel alia re locata propter necessitatem aliquam, quæ tempore Locationis non erat, & cui defectui aliter providere nequit. *l. Æde 3. C. h. t.* ibi: *Nisi propriis usibus dominus eam necessariam probaverit &c. propter h. t.* ibi: *Vel si necessitas domum inhabitandi (quæ tamen tempore Locationis non erat) id exposcat.* ubi notanda verba *quæ tamen tempore Locationis non erat*; quia si tempore Locationis præsens jam erat, vel prudenter provideri poterat, expellere ante tempus conductorem invitum non potest, sed si imputare debet, quod domum sibi necessariam locaverit. Pirhing *h. t. n. 13.* Molina *loc. c. n. 6.* & communis aliorum, *arg. l. Si is 3. §. fin. ff. ut in possess. legat.* Pariter expellere non potest, si necessitas aliter provideri potest, Abbas *in capit. Propter hoc tit. nu. 6.* Navarrus *loc. cit.* Ratio est; quia si aliter commodè provideri potest, necessitatem veram habere diu non potest locator.

53 Cæterum necessitatem habere dicitur, non tantum si propriis usibus domus vel alia res necessaria sit: v. g. si domus, in qua locator habitat, incendio pereat, aut corruat, nec habeat aliam domum, in qua habitet: vel uxorem ducat, indeque ob majorem familiam ampliori domo indigeat, uti exemplificat Glossa *in cit. c. propter h. t. V. Verum.* Azorius *loc. c.* Molina *loc. c. n. 5.* & communis aliorum: aut si ibi, ubi habitat, ob appropinquantes hostes, manere non amplius potest, aut alia urgente causa inde discedere debet, Molina *loc. c.* Sed etiam si filius locatoris, aut pater ejusdem, vel mater re alteri locata indigeat, Azorius *loc. c.* Molina *loc. c.* Pirhing. *loc. c.* Ratio est; quia hi jure naturali extraneo conductori præferuntur; uti bene observat Baldus *in l. Æde C. h. t. n. 11.* Verum si locator ob suam suorumque necessitatem conductorem re locata privat, mercedem pro rata temporis remittere tenetur, *cap. Propter h. t.* ibi: *Remissa pro residuo temporis pensione.*

54 Tertia causa est, si domus locata necessariò indigeat reparatione, qua non indigebat tempore Locationis, & quæ fieri nequit, nisi ad tempus discedat conductor, *c. propter h. t. l. Et hæc 35. prin. ff. h. t. l. Æde 3. C. cod.* & communis DD. Quo tamen in casu mercedem pro rata temporis remittere debet. Textu claro *c. propter h. t.* ibi: *Remissa pro residuo temporis pensione.* Ac insuper præstare interesse conductori casu, quo necessitate reficiendi prævisa domum conductori id ignoranti locavit, Pirhing. *h. t. n. 14.* Ratio est: tum quia culpa sua causam damni dedit; consequenter resarcire debet juxta ea, quæ dicta sunt *n. 30.* Tum quia necessitas, in quam quis seipsum voluntariè conjicit, neminem excusat, *l. 2. §. 8. ff. Si quis caut.* Advertit etiam Glossa marginalis *in l. 3. V. cum inquilinus ff. uti possidetis*, rejecta domo cogi posse locatorem à conductore, ut iterum ad inhabitandam domum admittatur conductor.

55 Quarta causa est, si conductor re locata malè, seu perversè utatur *c. 3. h. t.* ibi: *etiam inde rationabiliter amovetur conductor; si perversè ibi fuerit conversatus*, & *l. Æde 3. C. h. t.* ibi: *Aut tu malè in re locata versatus es*, Sequuntur omnes. Potest autem conductor re locata malè uti dupliciter; videlicet vel ita, ut culpa, & negligentia sua rem locatam notabiliter destruat aut deteriorem reddat; vel ita, ut sine aliquo locatoris damno fortunæ, re abutatur contra mores bonos v. g. recipiendo aut introducendo in eam meretrices, lenones, fures, aut alia illicita cum viciniæ scandalo, aut domus diffamatione ibidem exercendo, Abbas *in c. propter 3. n. 16. h. t.* Molina *disp. 499. n. 14.* Azorius *l. c. q. 2.* Pirhing *h. t.* An autem in casu hoc teneatur locator remittere mercedem pro rata temporis, controversia est inter DD. Communior ac probabilior distinguit, videlicet, quod si secundo modo, nempe contra bonos mores abutatur re conducta, locator mercedem pro rata temporis non teneatur remittere, casu quo pro residuo tempore alium conductorem habere non potest, Abbas, *in c. propter 3. h. t. n. 16.* Molina *loc. c.* Pirhing. *h. t. n. 15.* Lopez, & alii. Ratio est; quia locator ex culpa conductoris damnum sentire non tenetur, sed potius locator illud resarcire tenetur, juxta dicta *n. 30* Si vero alium inquilinum statim haberet, merces pro rata remittenda foret. Molina *loc. cit.* Ratio est; quia nullam tunc locator haberet causam, totam mercedem accipiendi. Quod si vero primo modo malè utatur re locata, competit locatori actio ex locato, ratione damni illati. Gl. *in c. 3. h. t. V. perversè* & DD. citati, *arg. l. 17. h. t.* mercedem tamen pro rata remittere debet, si pro tempore residuo alium inquilinum habet: secus, si non habeat; ob rationem jam dictam. Si autem res locata foret

Eccle-

Ecclesiastica, absolutè observari debet, quod statuitur *Authen. qui rem. Cod. de SS. Eccles.* videlicet, *ut solvat totius temporis pensionem, & id, in quo rem læsit, resarciat non petiturus, si quid impendit nomine meliorationis*.

56 Quæritur V. An ex causis præfatis locator propria authoritate possit conductorem ante tempus conventum privare re conducta, an verò requiratur authoritas Judicis? Resp. Quamvis stando Juri communi improbabile non sit, quod ex allegatis causis possit locator propria authoritate conductorem privare re locata, uti docet Molina *loc. cit.* Azorius *loc. cit.* & alii, *arg. l. Si duo §. Cum inquilinus, ff. Uti possidetis*. Tutior tamen ac probabilior videtur sententia dicens, implorandum esse officium Judicis; per ea, quæ in simili dicemus infrà num. 194. & 195.

Cæterum quæ de potestate expellendi dicta sunt, non tantum de locatis domibus & prædiis, sed & aliis rebus intelligenda sunt Molina *loc. citat. numer. 14.* quia ubique eadem est ratio, consequitur eadem juris dispositio.

§. III.

De Obligationibus & Juribus conductoris rerum.

S U M M A R I U M.

57 *Conductor vi conductionis plures habet obligationes, quarum prima est, ut pretium debito tempore fideliter solvat.*
58 *Secunda est, ut rem conductam non nisi ad conductum usum adhibeat.*
59 *Tertia est, ut rem conductam ante finitum Conductionis tempus non deserat sine justa causa: aut deserens solvat totum pretium.*
60 *Quarta est damnum ex culpa ipsius lata, vel levi, in re conducta emergens, resarciat: non item, quod contingit casu fortuito.*
61 *Vel culpa levissima.*
62 *Nisi desuper specialis sit conventio.*
63 *Aut conductor ex culpa sua det causam casui fortuito.*
64 *Tenetur conductor ad resarciendum damnum sive propria sive famulorum culpa contingat.*
65 *Si fuit negligens in eligendis bonis servis.*
66 *Controversia DD. cuinam incumbat probatio emergente damno.*
67 *Opinio eorum, qui volunt conductorem probare debere, quod sua culpa incendium non contigerit.*
68 *Probabilius est, locatori incumbere probationem, incendium culpa conductoris contigerit.*
69 *Solvitur objectio.*
70 *Conductor de incendio culpa servorum contingente quando teneatur?*
71 *Locatori non desint media probationis.*
72 *Quando non constat, unde incendium exortum sit, nec conductor, nec domestici puniri possunt.*
73 *Quæ dicta sunt de casu incendii, etiam de aliis damnis in re locata contingentibus, proportionaliter intelligi debeat.*
74 *Quando conductor uti non potest re locata ob impedimentum ex parte sua, vel ratione sui proveniens, tenetur nihilominus ad totam mercedem.*
75 *Illatio pratica.*
76 *Si verò uti non potest re conducta ob impedimentum non ex sua culpa, nec ratione sui, sed aliunde proveniens merces solvere non tenetur.*
77 *Illatio pratica.*
78 *Conductor non tenetur augere mercedem ob ubertatem, quæ provenit ex ejus industria.*
79 *Neque si provenit ex cæli clementia.*
80 *Solvitur objectio.*
81 *Conductori competit actio ex conducto contra locatorem.*
82 *Et hæredes ejus.*
83 *Successor Ecclesiasticus non tenetur stare Locationi factæ ab antecessore nomine proprio.*
84 *Benè verò Locationi factæ de rebus ad Ecclesiam ipsam pertinentibus, ac nomine Ecclesiæ.*
85 *Jura, & obligationes conductoris transeunt ad hæredes ejus.*

Quæritur I. Quæ sint obligationes conductoris rerum? Resp. I. Circa has pariter ante omnia attendendum esse ad speciales conventiones, & 57
locorum consuetudines, *l. Circa Locationes. C. h. t.* ibi: *Circa Locationes, atque Conductiones maximè fides contrahentium servanda est: si nihil specialiter exprimatur contra consuetudines Regionis*. De Iure autem communi conductor vi Conductionis plures, præsertim autem sequentes contrahit obligationes. Prima est, ut integrum pretium fideliter solvat locatori Communis & certa, *l. Quod si 28. & l. Insulam 58. ff. h. t.* Et quidem tempore per contractum definito, aut quo juxta regionis consuetudinem solvi debet, *Reg. Semper 34. ff. de R. I.* ibi: *Semper enim in contractibus, id sequimur, quod actum est, aut si non pateat quod actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in Regione, in qua actum est, frequentatur*. Quod si alicubi nulla particularis, vel varia vigeat consuetudo, nec tempus solutionis à contrahentibus sit determinatum, solutio in fine anni aut temporis Locationi præfixi præstanda erit ita. Baldus *in l. Divortio prin. ff. de Soluto matrim.* Bonacina *loc. cit. punct. 3. num. 5.* Bartolus, Molina, Navarrus, & communis aliorum, Ratio est; quia ante lapsum anni, vel temporis determinati, nondum adimplevit contractum ex parte sua locator. Cæterum si conductor est in mora solvendi, tenetur & pretium, & usuras ejusdem solvere, *l. Præses, 17. C. h. t.* ibi: *Præses Provinciæ, ea, quæ ex Locatione debentur, exsolvi sine mora curabit, non ignorans post moram usuras legitimas admittere*. Porrò an, & quando locator teneatur aliquid de pretio remittere ob sterilitatem, dictum est suprà n. 18.

58 Secunda obligatio conductoris est, ne re conducta ad alium adhibeat usum, ac in Locatione conventum est, *l. Qui Jumenta 40. ff. de Furtis*; nisi forsan rationabiliter præsumeret, locatorem non fore invitum, *l. Qui re 76. ff. eod.* Hinc cum aliis bene infert Bonacina *loc. cit. punct. 3.* eum, qui absque rationabiliter præsumpto domini consensu equo, quem pro equitando conduxit, ad vehendum utitur, ex locato teneri; sicut & qui eodem, pro itinere Romam versus conducto, utitur Viennam versus.

59 Tertia obligatio est, ut rem conductam ante tempus Conductionis finitum non deserat: *Nam qui contra legem Conductionis fundum* (idem est de aliis rebus locatis) *ante tempus sine justa & probabili causa deseruerit, ad solvendas totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest, l. Dominus 55. §. 2. ff. h. t.* Notanda sunt autem verba legis *sine justa & rationabili causa*: enim vero, *si causa fuisset ut periculum timeret, quamvis periculum verò non fuisset, tamen non debere mercedem: sed si causa timoris justa non fuisset, nihilominus debere*, meritò statuitur, *l. Habitatores 27. §. 1. ff. h. t.* Huiusmodi causæ sunt, si domus spectris infestetur, si pestis vel hostiles incursiones timeantur, si domus ruinam minatur; his enim & similibus de causis rem locatam deserens non nisi ad pretium pro rata temporis tenetur, Gailus *lib. 2. Observ. 23. n. 7* Azorius *loc. cit. cap. 9. qu. 4.*

Quarta obligatio est, ut re conducta utatur, eamque diligentia custodiat, ac conservet tanquam bonus paterfamilias, ita, ut si eiusdem dolo vel culpa lata, aut levi res pereat, aut deterior fiat ad restitutionem tenetur *l. Si quis 9. §. 3. & l. Item quæritur 13. §. 1. ff. h. t.* Quapropter, si dolo, vel culpa lata, aut levi conductoris, seræ, fenestræ, fornax, ostia &c. confringantur, vel res perdatur, pereat, v. g. domus incendio comburatur & ipse propriis impensis reparare, vel domum resarcire debet; uti citatis Iuribus habet communis & certa DD. apud Azorium *loc. cit. c. 7.* Engel *h. t. n. 7.* Layman *lib. 3. tr. 4. c. 19. n. 6.* Molina *disp. 494. num. 1.* qui tamen etiam unanimiter docent, quod si casu fortuito res periret, aut deterior evaderet, conductor ad nihil teneatur *cit. L. 11. §. 3. & 13. §. 1. ff. h. t.*

61 Pariter ordinariè & regulariter loquendo, ad nihil tenetur, si culpa solum levissima intercessit. Ratio est, quia in contractibus, qui in gratiam utriusque fiunt, nulla datur

datur obligatio ex culpa levissima, Molina *disp. 494. n. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 24. num. 30.* Layman *loc. cit. num 4.* cum communi aliorum, & dictum est suprà *Tit. de Commod. num. 28. arg. l. Si ut certo, ff. de Commodat.* Nec obstat, quòd *§. 5. Instit. h. t.* à conductore talis custodia desideratur, qualem diligentissimus paterfamilias rebus suis adhibet; quia ibidem superlativus *diligentissimus* adhibitus est pro positivo; id, quod non rarò in Jure contingit, uti post Alciatum *in l. Proximis, l. Illa verba, & l. In Vulgari, ff. de V. S.* benè *observat* Azorius *loc. cit. c. 7. q. 3. ad finem*, vel textus loquitur de casu extraordinario. Porrò quid sit culpa lata, levis, & levissima, dictum est suprà *Tit. XV. de Commod. §. 2. per totum*.

62 Notanter autem dicitur num. præced. *Ordinariè & regulariter loquendo*; quia dantur casus, in quibus conductor etiam de culpa levissima, quin & de casu fortuito tenetur. Veluti primò, si expresè inter contrahentes conventum est de præstando damno quomodocumque, etiamsi culpa levissima, vel casu fortuito contingat, Molina, & Layman. *loc. cit.* cum communi aliorum, quia *contractus ex conventione legem accipiunt Reg. 85. Juris in 6.* Concordat *Reg. 34. ff. de reg. Jur. l. Ex empto. 11. §. 1. ff. de Action. empt.* Ratio est; quia hoc ipso, quòd conductor omne qualecunque tandem periculum liberè in se susceperit, de quolibet tenebitur, *arg. l. 1. C. h. t.*

63 Secundò de culpa levissima, & casu fortuito tenetur, si conductor sua culpa det causam casui fortuito, ut si in Locatione v. g. *convenit, ignem non habeto, & habuit, tenebitur, etiamsi fortuitus casus admisit incendium; qui non debuit ignem habere: aliud est, ignem innocentem habere, l. Videamus. §. 1. ff. h. t.* Idem est, si conductor fuit in mora restituendi rem locatam; *quia mora sua cuilibet est nociva, Reg. 25. jur. in 6.* Intellige; nisi res eodem modo peritura fuisset apud dominum juxta dicta superiùs, *Tit. XV. de commod.* & *Tit. XVII. de Empt. n. 218.*

64 Cæterum, quæ de quarta hac obligatione conductoris dicta sunt, intelligi debent, sive res dolo aut ex culpa ipsius conductoris, sive famulorum ejusdem, aut domesticorum et liberorum, aut eorum, quorum opera & ministerio utitur, res locata pereat, aut deterioretur: saltem si negligens vel culpabilis est conductor in seligendis bonis ac probatis servis aut domesticis, Azorius *loc. cit. c. 7. q. 4. arg. l. Videamus, 11. prin. ff. h. t.* ibi: *Videamus, an & servorum culpam, & quoscumque induxerit, præstare debeat conductor? & mihi ita placet, ut culpam etiam eorum, quos induxit præstet suo nomine, etsi nihil convenit, si tamen culpam in inducendis admittit, quòd tales habuerit, vel suos, vel hospites*. Concordat *§. fin. ibidem, & l. Qui insulam, 30. §. fin. ff. h. t.* juncta *l. Si servus servum, §. 9. ff. Ad Legem Aquil.* ibi: *Si fornacarius servus coloni ad fornacem obdormisset, & villa fuisset exusta, Neratius scribit, ex locato conventum debere; si negligens in eligendis ministeriis fuit*. Ex quibus citatus Azorius infert, conductorem non teneri de damno proveniente ex culpa servi cæteroquin boni, seduli, diligentis, & probati.

65 Engel *h. t. n. 6.* post Gail. *lib. 2. observ. 21. n. 6.* ubi citat pro se communem, putat conductorem de damno, & culpa servi dato, nunquam teneri; nisi delinquat circa officium quod ei à patrefamilias fuit commissum; v. g. si stabularius ignem in stabulo negligenter custodiat; tenetur conductor de culpa servi; quia sibi imputare debet, quod negligentis hominis utatur opera. Si autem ex culpa ejusdem servi in alio loco, v. g. in culina incendium exoritur, ad nihil tenetur dominus quia servus non deliquit circa officium sibi commissum *arg. L. 1. §. Familiæ, ff. de Publicanis*. Verum huic opinioni obstare videntur textus suprà citati præsertim *l. Si servus servum, ff. ad Legem Aquil.* ubi dominus tenetur de damno ex culpa servi etiamsi circa officium suum non deliquerit: hinc Juribus consonnius dicitur, dominum de culpa servi teneri, si in eligendis servis negligens sit vel culpabilis, sive dein circa officium delinquat sive non, *arg. cit. L. 27. ff. ad Legem, Aquil.* ibi: *Si negligens fuerit in eligendis ministeriis: & L. 11. ff. eod.* ibi: *Si tamen culpam inducendis admittit, quòd tales habuerit.*

66 Circa quartam hanc obligationem adhuc alia, eaque gravissima oritur controversia inter Doctores. Cùm enim, uti ex dictis constat, conductor ordinariè ad resarcienda damna solum teneatur, si ex dolo, vel culpa lata, vel levi, non item, si ex casu fortuito vel levissima conductoris, seu suorum, culpa res conducta perit, vel deterioratur, quæritur, an locator probare teneatur, quòd culpa conductoris, aut domesticorum ejus, res locata perierit, vel deterior facta sit; an verò ad conductorem spectet probare, id sua suorumque culpa non contigisse, casu quo dubium existit, an culpa lata vel levi; an verò sola levissima, vel casu damnum secutum sit.

67 Et quidem specialiter loquendo de casu, quo domus, vel villa locata incendio perit, docet Fachin. *lib. 1. controv. cap. 87.* & Imola *in l. Si domus, ff. de Legat.* apud Mascardum *concl. 468. nu 7.* conductori incumbere onus probandi; quòd incendium sua suorumque culpa lata vel levi exortum non sit. Tum quia locator habet præsumptionem Juris pro se; cùm incendia ordinariè culpa inhabitantium facta præsumantur, *l. Si vendita 11. ff. de Pericul. & commod. rei vend.* Præsumptio autem juris transfert onus in adversarium per vulgaria Jura. Tum quia difficillimum, & vix non impossibile esset locatori, probare ea, quæ fiunt in domo, quam ipse non inhabitat, ut proin suadente æquitate naturali probatio illi potius imponenda sit, qui ejusdem media in promptu habet. Quo non obstante.

68 Probabilior; simul & communior est sententia asserens, locatorem teneri probare, quod incendium culpa conductoris contigerit, quo non probato, conductorem absolvendum esse. Ita docet Mascardus *loc. cit. n. 9.* dicens hanc sententiam veram esse ac communem. Menochius *de arbitr. Jud. cas. 390. num. 9.* Mynsig. *cent. 6. observ. 88.* Layman *loc. cit. num. 7.* Gail *lib. 2. observ. 21.* Engel *h. t. n. 7.* & communis aliorum. Fundamentum est: tum quòd Actori incumbat probatio, *L. 2. ff. de Probat. & L. 4. C. de Fatendo*. In casu autem incendii, si à conductore locator prætendit damni compensationem, est actor, uti patet. Tum quia culpa & delictum in dubio non præsumitur, sed probari debet, ut habet communissima apud Mascardum *loc. cit. n. 1. arg. l. Meritò, 51. ff. Pro socio, l. Dolum, 6. C. de Dolo*, sive dein consistat in omittendo, sive in committendo. Alexander *Consil. 100. num. 3.* Baldus & Bartolus apud Mascard *loc. cit.*

69 Nec dicas, hoc secundum fundamentum locum non habere in illis, quæ sine culpa ordinariè fieri non consueverunt, & in quibus culpa de jure præsumitur, uti est in casu incendii respectu inhabitantium, utpote quorum culpa incendium exortum esse, de Jure præsumitur, juxta *cit. l. Si vendita, 11. ff. de Pericul. & commod. rei vendit.* ibi: *Cùm incendium sine culpa fieri non possit*, intellige ordinariè. Nam contra est, quòd quamvis incendium culpa inhabitantium exortum præsumatur, tamen præsumptio hæc non nisi de culpa levissima intelligenda sit; Mascardus *loc. cit. num. 6* Menochius *loc. cit. num. 6.* ubi dicit, nullum in hoc dissentire, Salic *in l. Quæ fortuitis, col. fin. vers. Unum* tamen est singulare. De culpa levissima autem non teneri conductorem; fatentur ipsimet Adversarii.

70 Accedit, quòd incendia sæpius culpa, vel negligentia servorum aut domesticorum, quam domini contingant; culpa autem servorum non noceat domino, nisi in iis eligendis fuerit negligens, prout diximus suprà *num. 64. & num. 65.* & confirmatur ex *l. Si vendita, 11. ff. de Pericul. & commod. rei vendit.* ibi: *Neque si servorum negligentia factum est* (incendium) *continuò dominus in culpa erit*.

71 Adde, quod dicitur; difficillimum, & quasi impossibile esse locatori, probare ea, quæ fiunt in domo, quam ipse non inhabitat, benè respondet Engel *loc. cit.* videlicet, media probationis locatori non deesse; cùm possit instantiam facere apud Judicem, ut domesticos, sicut & vicinos jurato præcipiat, & super incendio inquirat; quæ inquisitio per se etiam incumbit Judici, eò quòd causa incendii, sive casu, sive culpa accidat, criminali judicio subjecta sit, teste Mynsig. *Centur. 6. observ. 88.*

72 Ex quibus benè infert Menochius *loc. cit. num. 11.* non tantùm conductorem, sed & domesticos, sicut & omnes alios ab omni obligatione recompensandi, aliisque pœnis Juris immunes esse, si locator probare nequit, vel aliunde constat, unde vel ex cujus negligentia,

vel

vel culpa incidium exortum sit; prout contingere solet, si, ut specificat idem Menochius *cit. observatione* 1. in habitantium ignorantia, quisnam eorum causa incendii fuerit, vel si tempore nocturno in cauponæ seu publicum hospitio, in quo non solum adest cauponi familia, sed & plures hospites, Baldus *in l. Si creditor ff. de Pignorib.* adf. Vel si in domo ampla duæ vel plures familiæ sint; quorum una in superiori, altera in inferiori habitat, confestione habitat, & ignoratur, quinam culpam incendii præbuerit, Menochius *ib.* citans alios, qui plures similes casus recenset.

73 Porrò quod ad finem de casu incendii, quod nempe in dubio, non conducti, vel locatori incumbat probatio, à fortiori etiam intelligi debet de aliis casibus, in quibus dubitatur, vel ignoratur, an res locata, culpa levi, latave conductoris, vel inhabitantium, an verò casu, v. g. fortuito casu aut pericles, aut decretæ fatis fit, ex quo in his contra conductorem vel domestici nulla habetur juris præsumptio, uti in casu incendii, *Bursat. n. 186. & 309. 7. quod l. 1. ad Rhenum* attamento defumpto ex citatis Baldi *num. 68.* ubi tenuerum communi allerum etiam Bursatum, quo conductor vel conductionis exitus perficiendi deputatur cuflos rei, *Ley. Si quis ex negotiatoris, ff. de edendo*, uti patebit, *§ seq.*

74 Quæritur II. An conductor teneatur folvere mercedem, cafu quo uti non potest ob locatæ? Resp. I. simpolitionem. ob quod conductor nil vel fruì non potest vel conducta, provenire ex ipfius conductoris culpa; vel is absque ejusdem culpa, factum ratione illius proveniat, ab eoque originem habeat, an præcise ex parte illius fit tenetur, obligatur Integram mercedem folvere locatori, *Lessius lib. 2. cap. 24. num. 8.* Sylvester *V. Locatio, quæst. 11. num. 12.* Bonacina *de Contract. disp. 3. quæst. 3. punct. 6. §. V. Conclusio, num. 12.* Rebell. *p. 2. lib. 14. q. 14.* & communis allorum, *arg. Authenticæ 136. §. 1. ff. de V. Dominio 15. §. 3. ff. eod.* Ratio eft, quia quem locatio non patitur, quod locator damnum patiatur ex culpa conductoris, vel ob impedimentum ex cafu in ejus conductione non præviso, ejusdem culpa provenientem: tum quia uti infrà *num. 76.* dicetur, quando impedimentum, quo minùs conductori uti potefi re conducta, provenit ex culpa locatoris, vel ab impedimentum ratione illius proveniens, mercede cafere, & damnum pati debet locator: ergo vicifim ex impedimentum ex parte conductoris provenit, ipfe quoque damnum fentire, & mercedem præftare debet: cum obligatio conductoris, & locatoris in reciproca & correlativa, *Correctarium autem ad alterum fundatum, eodemque difficultate.*

75 Inferitur, conductorem teneri folvere integram mercedem, fi vitandi damni, vel procurandi lucri propria cauſa debeat alio pergere, & propterea domo conducta, vel ab eadem non utatur, quamvis non ad diducta, verò ge, uti matrimonium contractum indigat amplioti domo, & propterea domum conductam deliciat. Nifi forfan locator fimiliter deberet ad alium locare conductore deferam, ftatim alteri pro æquali mercede deleccaffet, ne conſequenter ab diceſſum conductoris prioris damnum non fentiret; uti etiam Doctores bene limitant ob rationem & Jura allegata infra *num. 93.*

76 Refp. II. Si impedimentum, vel caſus, ob quem conductor uti non poteſt re conducta, non proveniat ex culpa conductoris, nec ex illo originem trahat, neque ratione illius teneatur, fed relate ex culpa locatoris, vel abſque illius culpa, ſaltem ratione ejuſdem, aut caſu fortuito proveniat, non tenetur conductor folvere mercedem pro illo tempore, quo re conducta uti non poteſt. Ita OD. *n. 274* citati cum communi allorum, *arg. citatæ Authentic. 136. §. 1. ff. loc. 15. §. fundus 31. Pandect. 14. & Inſt. 3. §. Haud.* Ratio eſt, quia conductor tempore contractus non cenſetur ſe obligaſſe, quod locatore rationabiliter obligari teneat ad ſolvendum mercedem pro tempore, quo abſque omni ſua culpa, vel ob impedimentum ratione illius non proveniens, uti nequit re conducta. Contrahitur autem non obligat altera intentionem contrahentium, ergo

77 Inferitur, quod conductor mercedem pro rata tempo-

Quæritur V. An conductor & hæredes eius habeant etiam jus & actionem contra ſucceſſorem Prælatum Eccleſiæ, cafu quo anteceſſor ipſius locationem fecit? ſeu quod idem eſt, an teneatur ſuccedere ſtare locationi dictæ à prædeceſſore? Reſp. I. Si prælatus ſeu Superior Eccleſiaſticus, ſeu beneficiatus, locat res ſuæ Dignitati, aut beneficio deputatas, atque ad fuos reditus particulares, ſuamque ſuſtentationem pertinentes, adeoque fuo, & non Eccleſiæ nomine, non tenetur Locationi ſtare ſuæ ceſſor, eoque mortuo, ejus hæres adhuc contra eum, Molin. *de Juſt. 2. q. 2. 3. Covarruvias lib. 2. Var. rel. cap. 13. num. 6. Tuſchus Lit. E. concl. 419. Gloſſa in c. 6. Ut Eccleſiar. 3. Statutorum communi.* Ne Prælatus ſit ſine Prælatura, & in communis allorum. Ratio eſt, quia Locatio talis motu ſolo contractuum, hoc ipſo, quod vacatio ſit, ſolvitur, beneficii à die mortis beneficiati pertinent ad Succeſſorem, cujus reſervari debent, in cujus præjudicium facere nihil poteſt antecefſor, *Navarr. Manual. cap. 17. num. 83. Lotter de Tref. Idem eſt*, ſi ante tempus Conductionis finiti non beneficiatus, Parochus v. g. beneficium refignat, munus, vel ob reſignat. uti poſt Covarruviam *l. c.* bene obſervat Pirhing *lib. 1. n. 16.*

78 Reſp. II. Si Prælatus Eccleſiæ debita Juris ſolemnitate, nonobſtante & tempore à jure conceſſo locat res non ſuæ, ſed Eccleſiæ proprium ſuſtentationem ſpecialiter deputatas, fed ad Eccleſiam ſpectant, vel Monaſterium pertinentes, adeoque non ſuo, ſed Eccleſiæ nomine, cujus adminiſtrator eſt, tenetur Locationi ſtare etiam ſuccefſori, confequenter contra ipſum ad hoc ex conducto datur. Ita Doctores citati, cum Abbate *in c. Ita ex 3. De pactis inter ſuos*, & communi allorum. Ratio eſt, quia Prælatus eſt legitimus adminiſtrator bonorum Eccleſiæ conſequenter locatio ejuſdem ita fe habet, ac Locatio bonorum facta à Tutore, vel Curatore nomine pupilli aut minoris; huic autem ſtare tenentur & minores, & ſucceſſores Curatorum, *l. Tutele 3. ff. de adminiſtr. tutor.* Advertunt tamen hic communiter DD. quod ſi Eccleſia per Locationem Anneſſo graviter eſſet læſa eidem competeret beneficium reſtitutionis in integrum, *capit. 1. de in Integrum reſt. & cap. 1. codem in 6.* Tuſchus *loc. cit.* ubi totum hoc beneficium profuſè & ſolidè tradit. Porrò quid obſervare oporteat, ut Locatio nomine Eccleſiæ vitè fiat, dictum eſt ſuprà *Tit. XIII. de Rebus Eccleſiæ alienand.*

§. IV.

De Obligationibus, & Juribus locatoris operarum & conductoris earundem, ſeu de Obligationibus & Juribus familiorum, operariorum, officialium &c. ac domicilium.

SUMMARIUM.

16 *Si qui operas ſuas alii locent, teneantur ea inſtitia fideliter laborare, & in cafu negligentiæ reſtituere.*

17 *Quid ſi ſervitor decumbat inde ſecuta domino.*

18 *Cuſtodes gregum & aliarum rerum tenentur reſtituere, ſi eorum lato, vel levi, non item ſi levi ſimum eorum cafu pereant, vel perdantur.*

19 *Tenentur probare, quod res pereierit, & quod eorum cuſpa non pereierit.*

20 *Familiæ autem ſtatum Locationis tempus differens, perdit totum ſalarium, tenetuque ad damna dominis inde ſecuta.*

21 *Conductor ultimarium operarum tenetur fideliter ſolvere pretium, ac ſi operas ejus, ſi tempore debito non ſolvit.*

22 *Debet tamen ſolvere ſalarium ſine cauſa ſuſpenſum à tribunalium ante tempus repellit.*

23 *Nihil remittet aliud ſervitium pro æquali mercede ſtatim exigitur, ſtante damnorum non ſecutorum.*

24 *Tenetur conductor ſolvere pretium conductum, etſi uti non poſſit operas ejus, ſi impedimentum intuitu ipſius conductoris provenit.*

25 *Exemplificatur.*

26 *Exemplificatur, quo interea perſona conducta, aliis pro uxorede operas præſtat.*

27 *Si impedimentum vertatur ipſius perſonæ conductæ propriis, quæ non ſervitio operis ejus poſſit conducta, mercedem dare non tenetur.*

28 *Exemplificatur.*

29 *Rixæ non tenetur dare mercedem famulo pro tempore, quo ægrotat.*

30 *Proponitur objectio ex Jure.*

31 *Solvitur.*

32 *Si ſpecialis habeatur conventio, qui ſui conſuetudo, etiam non ſervatis ſervitiis præſtandum ſalarium ſolvi debet.*

33 *Talis conſuetudo dicitur reſpectiva Officialitatis & Conſtitutionis Principis.*

34 *Si modicum tantum tempus familiæ infirmatur, nihil de mercede ei detrahi poteſt.*

35 *Ex eo, quod familia probabiliter inducat, ſalarium ſuum eſſe minus juſtè, non poſſunt occulte aliquid furripere.*

36 *Idem eſt de officialibus, Conſiliariis, & aliis perſonis quæ ſervitia ſuis Dominis præſtandi.*

37 *Quandoconditum eſt, ſalarium eſſe impoſitum, licita & exacta compoſitio eſt.*

38 *Pretium, ſeu ſalarium ipſum in Locatione quid ſit?*

39 *Debet attendi ad conſuetudinem loci, ad id, quod communiter ab aliis datur, aut.*

40 *Salarium ipſum eſt, pro quo alii parati ſunt ſervire, etſi aut ſuſtentationem ſervientis non ſufficiat.*

41 *Oſt ſalarium neceſſitatem operas ſuas locantis non patefi conſequi pro mercede ſervitia.*

42 *In aſſignandis ſalariis ſalarium, & qualitas laboris attendi debet.*

43 *Non tenet an ad ſuſtentationem ſalarium ſufficiat, vel non.*

44 *Dubitatur practica pro Confeſſariis.*

45 *Caſus in quibus ſalarium coldentur injuſtum cenſetur.*

46 *Alia dubitata practica pro Confeſſariis.*

47 *Reliqua de Locatione & conductione remittitur.*

QUæritur I. Quæ ſint obligationes locatorum operum? tum verò, an illorum, qui ſeipſos vel poſitus operas & la-

& labores suos alteri locant? cujusmodi sunt servi, famuli, officiales, operarii, artifices, custodes &c. Resp. I. Hi omnes ex justitia obligantur juxta Locationis Conductionis tenorem fideliter præstare operas & labores locatos, ita ut pro rata laboris debiti omissi vel negligenter peracti (quatenus non pervenit ad gradum infimum justi laboris) teneantur mercedem remittere, vel jam acceptam restituere, Navarrus *Manual c. 17. nu. 197.* Molina *disp. 944. n. 9.* Sylvester *V. locatio q. 12.* Bonacina *de Contr. disp. 2. quæst. 7. punct. 4. num. 1.* & communis aliorum, *arg. lib 15. §. 6 ff. h. t. & l. fin. C. de Condict. ob causam.* Ratio patet; quia his merces & stipendium datur ob labores & operas; consequenter si hi omnino non vel non debite præstantur, pro rata laboris omissi, vel non debitè præstiti mercedem remittere, vel restituere debent.

87 Resp. II. Præfati operarum suarum locatores tenentur etiam ad interesse, & damna, si quæ ex lata vel levi, non item quæ ex levissima eorum culpa domino emergunt. Azorius *loc. c. c. 3. n. 7.* Navarrus *l. c.* Bonacina *loc. c.* Reginaldus *l. 25 c. 39. n. 552.* & communis aliorum, *arg. l. Si §. 10. ff. ad Legem Rodiam* Ratio est; quia, ut suprà *n. 61.* diximus, in contractibus, qui fiunt in gratiam utriusque, ex culpa lata vel levi, non item levissima obligantur contrahentes. Hinc si quis mercede conducitur ad opus faciendum, & illud ob imperitiam suam, vel ob non adhibitam competentem in qualitate aut quantitate materiam, vel aliam ob causam sua culpa opus imperfectè, aut vitiosè perficit, ad interesse, & damna resarcienda tenetur. Molina *loc. c. n. 10.* cum communi aliorum *l. Si in l. prin. 24. l. opus 36. l. Ea lege, l. Locavi ff. h. t.*

88 Infertur, quod pastores gregum, si eorum levi, vel lata culpa animal perit, vel perditur ad restitutionem teneantur, *l. Si quis fundum, 9. §. 4. ff. h. t.* Idem est de omni illo, qui mercedem pro custodia accipit alicujus rei, *l. Qui mercedem 40. ff. h. t.* Azorius *l. c.* putat, custodem rei mercede conductum, teneri etiam de culpa levissima, citatque pro hac opinione omnes. Verum ut benè observat Molina *disp. 944. n. 12.* Hæc sententia nimium rigida, & consequenter practicabilis non est. Planè in Jure fundata non videtur. Tum quia universaliter ex contractu in gratiam utriusque facto, ex sola culpa lata, vel levi, non item levissima obligantur contrahentes; nisi aliud specialiter fuerit conventum, vel adsit in aliquo specialis dispositio Legis, quæ in contractu custodiæ non habetur: cum ex *l. Si quis fundum, §. 4. ff. h. t.* quam Azorius pro se citat, minime probetur, ut legenti textum patebit. Nec ex *l. Qui mercedem, ff. h. t.* ex qua alii probare conantur.

89 Illud tamen constituti pro mercede custodes rerum speciale onus habent, quod licet alias in dubio, an res culpa conductoris vel causa perierit, conductor probare non teneatur, quod ejus culpa res non perierit, sed probatio locatori rerum incumbat, culpa conductoris damnum contigisse; custodes tamen rerum probare teneantur, non tantum, quod res perierit, sed etiam quod ipsorum culpa factum non sit, casu quo circa hoc dubium existat, Molina *l. c. n. 13.* Layman *l. c. n. 5.* citans communem, Mascardus *concl. 272. arg. l. Si quis fundum, 9. §. Imperator ff. h. t. l. Si quis ex argentariis, prope fin ff. de edendo,* juncta *l. fin ff. de Cust. rerum & exhib.* Unde si custos dicat, rem sibi furto, vel rapina ablatam esse, vel alias periisse, aufugisse &c. probare debet, quod hoc factum sit, & quod sua culpa factum non sit, ita *arg. cit. Jur.* citati DD. cum communi aliorum.

90 Resp. III. Si famulus, vel alius locans operas suas, ante tempus Locationis finitum absque legitima causa ex malitia & culpa sua discedat, tenetur ad damna domino inde secuta. Azorius *l. c. n. 13. q. 6.* Bonacina *l. c. n. 12.* Filliucius & communis aliorum, *arg. l. Dominus, 55. §. 2 ff. h. t.* juncta *l. 1. C. de Servis fugitivis*; ubi ratio additur, videlicet, *Ne servorum fuga dominis suis ex quacunque causa fiat damnosa.* Accedit, quod revera intersit Reipublicæ, ne famuli pro libitu servitia dominorum contra locationis tempus deserant; uti benè observat Azorius *l. c.* Bonacina tamen limitat in casu, quo ex discessu famuli herus damnum emergens, vel lucrum cessans non patitur; utpote, quia statim alium æque idoneum ad manum habuit, tunc enim non totum salarium, sed tantum pro rata temporis negare potest. Quæ limitatio in utroque foro procedit, si famulus non ex malitia & culpa sua, sed ob aliquam rationabilem causam, vel impedimentum ratione ipsius præcisè proveniens discedat juxta dicenda infra *n. 94. & seq.* Num autem etiam locum habeat, si famulus ex malitia & culpa sua discedat, DD. non conveniunt; pro foro interno tamen, & ante Judicis sententiam eam tali quoque casu procedere benè probat Bonacina *loc. c.* & patebit ex *num. 93.*

Quæritur III. Ad quid obligentur conductores alienarum operarum, id est, illi qui pro mercede conducunt operas, & labores officialium, famulorum, operariorum &c. Resp. Tenentur debito tempore fideliter solvere integrum conventum pretium. Omnes. Claris Juribus suprà *n. 57.* Patetque ex Scriptura Sacra, quia *dignus est operarius mercede sua.* Undè gravissimè peccant domini, & ad restitutionem tenentur, qui justum stipendium denegant famulis, operariis &c. Tenentur etiam ad usuras, & interesse, si sunt in culpabili mora solvendi, *l. Præses, 17. C. h. t.* Unde consequens est, Principes & alios Dominos teneri ad restitutionem damnorum, quæ ob culpabilem eorum moram solvendi salaria, Officiales vel alii patiuntur, ut purà, si propterea famuli credito, ac consequenter cariùs emere cogantur; vel si debita contrahere, & pro summis capitalibus interesse solvere debent, idem dic de honesto lucro cessante. Ratio ulterior est: quia famuli & domini habent obligationem correlativam, ac reciprocam: consequenter cum ex culpa lata vel levi famulus domino teneatur ad interesse & damna juxta dicta *n. 87.* ex causa tenebitur dominus servo, cum juxta vulgatum. *Correlativorum idem est judicium, eademque disciplina.* Barbosa *Axiom. Jur. Axiom. 61 arg. l. fin. c. de in dict. id.* Accedit etiam præceptum Divinum Levit. 19. 19. *Non morabitur opus mercenarii.* 91

Resp. II. Si dominus ante Locationis tempus finitum absque legitima causa servum expellit, vel etiam mercede conducta personam officio vel servitio privat; vel si ob severitatem domini nimiam, aut quia eum ad illicita adigit, ipsemet discedit famulus; vel si alias per eum steterit, quo minus famulus, vel alius conductus debitas operas præstare queat, tenetur ad solvendam integram mercedem determinato Locationis tempori correspondentem, Baldus *in L. 11. C. h. t.* Azorius *l. c. qu. 5.* Bonacina *l. c. n. 11* Molina cum communi aliorum, *arg. l. qui operas, 38. ff. h. t.* ibi: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quo minus operas præstet, l. 2. ff. de his, qui sui, vel alieni jur. l. Sed addes 19. §. 4. ff. h. t.* 92

Limitat tamen Conclusionem Lessius *lib. 2. c. 24. n. 11.* Sylvester *V. Locatio q. 11. & 12.* Rebell. Reginald. Filliucius & alii in casu, quo famulus operas suas æquali pretio statim alteri locavit *arg. l. Sed addes, 19. §. 9. ff. h. t.* ubi Imperator rescribit deberi mercedem illi, penes quem non stetit, quod operas locatas præstaret; *si eodem anno mercedem ab alio non accepit.* Ratio est; quia mercedem integram in casibus Conclusionis dare debet dominus servo, ut servus servetur indemnis: ergo si damnum non patitur, solvere non tenetur. Quæ limitatio in foro conscientiæ & ante sententiam Judicis vera est. 93

Quæritur III. An conductor alienarum operarum solvere debeat integram mercedem, casu quo non potest uti opera personæ conductæ? Resp. I. Si impedimentum, vel circumstantia, ob quam conductor opera conductæ personæ uti non potest ex culpa conductoris, vel etiam absque ejus culpa saltem ex illo originem habeat, ac præcisè se teneat ex parte ipsius conductoris, & ratione illius proveniat, ita ut nullo modo stet penes personam conductam, quo minus operam suam præstet, tenetur conductor locatæ personæ integram solvere mercedem; si interea persona conducta alteri operas suas pro æquali mercede non locavit. Sylvester *V. Locatio, qu. 11 & 12.* Lessius *lib 2. c. 24 n. 8.* Navarrus *c. 17. n. 197. arg. l. qui operas, 38. ff. h. t.* ibi: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quo minus operas suas præstet.* Concordat *l. 1. ff. de His, qui sui, vel alieni jur l. Sed addes, 19 §. 9. ff. h t.* Ratio est; quia quando impedimentum, quo minus conductor uti potest opera personæ conductæ, provenit ratione ipsius personæ conductæ, mercede carere, & damnum pati debet ipsa per- 94

sona conducta, uti statim infra dicemus; ergo vicissim si impedimentum se habet ex parte conductoris, & ratione illius supervenit, ipse quoque damnum sentire, & mercedem præstare debet: cum obligatio conductoris, & locatoris sit reciproca & correlativa; *Correlativorum autem idem est judicium eademque disciplina* juxta dicta *n. 74.*

95 Infertur, quod si quis ad annum conducat servum pro adjutore alicujus officii, quo fungitur, & sub anno ex culpa sua ob officio deponitur, vel eidem spontè resignat, vel ad aliud officium promovetur, ita ut opera personæ conductæ non amplius utatur, nec uti possit, teneatur tali servo conducto integram totius anni solvere mercedem. Pariter si quis pro ædificanda domo, vel constructionem alterius operis ad certum tempus conducit operarios, opifices, artifices &c. & posteà pœnitentia ductus omittit opus, teneatur ad solvendam totius anni conductione determinati mercedem. Imò si quis ad certum tempus à domino conducitur, tenetur etiam hæres ad solvendam totius temporis mercedem, si intereà dominus moriatur, consequenter opera conducti servi uti amplius non possit. DD. citati per rationes & Jura allegata.

96 Dicitur autem notanter in Conclusione, *Si intereà persona conducta alteri operas suas pro æquali mercede non locavit*; hoc enim si fit, integram mercedem conductor vel hæredes ejus solvere non tenentur; sed tantum id, quod pro rata temporis debetur. Ita citati DD. cum communi aliorum. Patet clarè ex *l. Sed addes, 19. §. 9. ff. h. t.* Ubi Imperator statuit, servo conducto solvendam esse integram totius anni mercedem, non obstante, quod sub anno dominus sit mortuus, & opera servi amplius uti non potuerit; dummodo talis servus (uti Lex expressè limitat) *eodē anno mercedē ab alio non acceperit*: Ratio est; quia merces integra in casibus specificatis debetur servo, ut servetur indemnis; ergo si damnum non patitur, integram mercedem solvere non tenetur, sed tantum illam, quam rata temporis, quo servivit, & quod posteà sine mercede consumere otiosè debuit, v. g. medii anni, si quadrante anni servivit, & quadrante anni absque servitio & mercede vivere debuit.

97 Resp. II. Si impedimentum, casus, vel circumstantia, ob quam conductor uti non potest opera conductæ personæ, præcisè se habet ex parte ipsius personæ conductæ, & ratione illius superveniat; ita ut nulla ratione penes conductorem stet, non tenetur conductor totam mercedem solvere, sed tantum id, quod rata temporis, quo operas præstitit, efficit, Lessius *l. c. n. 8* Navarrus *l. c. n. 187.* Covarruvias *l. 3. var. res. c. 13. n. 8. de Famulo ægrotante,* & communis aliorum, *arg. l. Ex conducto, 15 §. 2. & 6 ff. h. t. l. Ex fundo, 33. ff. eod. l. fin C. de Condict. ob caus.* Ratio est, quia conductor tempore contractus non censetur se ipsum obligasse, nec à locata persona rationabiliter obligari potuit ad solvendam mercedem pro tempore, quo uti opera conductæ personæ non potest, impedimento se tenente præcisè ex parte personæ conductæ, & ratione illius solummodo proveniente. Contractus autem non obligant ultra intentionem contrahentium; ergo.

98 Infertur, si famulus vel alia persona, quæ operas suas ad certum tempus locavit alicui, in propria causa aliorsum proficiscitur, v. gr. ad visitandos parentes, ad eos sepeliendos, vel ad hæreditatem capiendam, vel ad litem propriam prosequendam; vel si ob culpam suam truditur in carcerem, vel promovetur ad aliud officium, ita ut operas domini privati præstare nequeat conductor, non integram mercedem, sed tantum pro rata temporis, quo operas præstitit, eidem solvere teneatur.

99 Resp. III. Si famulus, operarius, vel alia persona mercede conducta ob infirmitatem & morbum per notabile tempus non potest præstare operas mercede conductas, non tenetur dominus pro tempore infirmitatis, quo operas non præstitit, mercedem dare; nisi aliud specialiter fit conventum, vel consuetudo sit in contrarium, Glossa *in penul. c. de condict. ob causam* Covarruvias *lib. 3 var. res. c. 13. n. 8.* Anchoranus *in c. Propter sterilitatem 3 h. t. n. 17.* Abbas *in c. cum pro causa Procurator n 4.* Navarrus *in Manual. c. 17. n 108.* Lessius *loc. c. num. 7.* Azorius *l. c. c. 14. §. Tertio quæritur* Bonacina *l. c. pun. 4. n. 13.* Lanfran. Zachias *de Salario q. 19. num. 14. & seqq.* Dian. *par. 1 tr. 8. res. 86* cum communi aliorum contra Joan. Andream *in c. Sterilitatem 3. hoc tit.* Hostiensem *in Summa hoc t. §. Tamdiu* Baldum *in L. fin. C. de Cond. infert.* Imolam, Speculatorem, & Gl. *in l. Arboribus, V. de illo, ff. de usufructu.* Probatur Conclusio fundamentis Juris & rationis in præcedenti Conclusione *n. 98.* allatis. Quibus addenda est *l. Si pecuniam, 5. in princ. ff. de condict. caus. data* ubi expressè statuitur, quod conductus mercede, ut Capuam iret, mercedem acceptam restituere iterum debeat, si causa valetudinis iter perficere non possit. Ratio ulterior est; quia merces debetur tantum & datur propter operas conductas, ergo si opera non præstatur, merces non debetur, casu quo impedimentum ratione ipsius personæ conductæ provenit.

Objiciunt Adversarii varias Leges, ut *l. cum hæres, 4. §. 5. ff. de statu lib.* ubi expressè habetur; quod dies, quibus servus ægrotat, etiam computari debeant, ubi etiam ratio assignatur illis verbis: *Servire enim nobis intelliguntur etiam hi, quos curamus ægrotos, qui cupientes servire propter adversam valetudinem impediuntur* item *L. 1 §. Divus, 13. ff. de variis & extraord. Cognit.* ubi ad hæredibus Advocati defuncti non potest repeti merces, quam patrocinio causæ necdum finitæ accepit. Ratio redditur, *quia per ipsum non stetrat, quominus causam ageret, l. Qui operas 38. ff. h t.* ubi universaliter sic statutum habetur. *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stet, quominus operas præstet:* atqui per famulum ægrotum non stat, quo minus operas præstet; ergo. Confirmatur ex Jure Canonico, vi cujus etiam Clerico ægroto toti dantur redditus, prout liquet ex *Tit. VI de Cleric. ægrot.* 100

Respondetur *l. cum hæres, ff. de statu lib.* loqui de casu, quo paucis tantum *quibusdam diebus* servire impeditur servus; quod & nos concedimus, ut infra dicemus. Deinde respondetur cum Covarruvia *l. c.* in dicta Lege esse specialem dispositionem ob favorem libertatis, ob quam, & non ob aliam mercedem servus in illa lege positus serviebat. Pariter *l. 1 ff. de variis & extraord. cogn.* specialem constitutionem continet ob speciale privilegium; & favorem competentem Advocatis propter excellentiam officii, & ingeniosam professionem. Ad *l. Qui operas ff. h. tit.* respondetur, eam non universaliter, sed in iis tantum casibus locum habere, in quibus penes conductam personam non stat, quin operas præstet, impedimento, non ratione ipsius, sed ratione conductoris proveniente juxta dicta *n. 94* Et ita interpretari non jubent aliæ Leges, quibus alias dicta Lex contradiceret. Multi enim reperiuntur in Iure casus, in quibus operas conductas non præstans servus perdit mercedem, licet penes ipsum minime stet, quo minus operas præstet; ut videre est *in l. Si pecuniam 5 ff. de Condict. causa dat. l. Ex conducto, 15. §. 6 ff. h. t.* & alibi. Ad id, quod ex Jure Canonico allegatur, respondetur, redditus Ecclesiasticos non præcisè dari ob laborem, & operam personalem, sed etiam propter officium Divinum, & excellentiam status Clericalis, ob cujus favorem specialem etiam ægroto Clerico stipendia præbet Ecclesia, ne in dedecus status Clericalis mendicare cogatur, ac proin etiam de Clericis specialis sit dispositio Juris ad alios non extendenda. 101

Dicitur autem notanter in Conclusione, *Nisi aliud specialiter sit conventum, vel consuetudo sit in contrarium. Contractus enim à conventione legem accipiunt, l. reg. 85. Jur. in 6.* quæ omnino servari debet, *l. Ex empt. 11. ff. de action. emp.* Pariter etiam consuetudo observari debet: tum quia hæc legitimè introducta vim legis habet juxta dicta *l. 1 t. 4 de Consuet.* Tum quia juxta consuetudinem locorum locatio Conductio fieri præsumitur, nisi aliud exprimatur texto claro *l. circa locationes, 19. c. h. t.* 102

Ex quibus colligitur, Officialibus Principum deberi integram mercedem, etiamsi per notabile tempus ob infirmitatem operas conductas præstare, v. g. Consilia frequentare &c. non possint; eo quod passim vigens locorum consuetudo hoc habeat. Quæ quia in privatorum dominorum famulis, & famulabus non ita viget, tempore infirmitatis mercedem prætendere non possunt, sed juxta dispositionem Juris communis suprà allegati, detractionem pro rata temporis pati debent. Nec obstat, quod aliqui Domini famulis suis etiam pro tempore diuturnæ infirmitatis mercem præbeant; quia hi cæteris *præjudicium afferre non possunt*; prout statuitur *l. circa locationes 19. C. h. t.* ut proin famuli specialem obligationem gratitudinis contrahant, qui ab heris suis etiam pro tempore ægri- 103

ægritudinis diuturnioris mercedem accipiunt.

104 Dicitur ulterius in Conclusione *per notabile tempus*; quia si modico tantum tempore, v. g. per aliquos dies ægrotaret ad annum conductus famulus æquitas suadet ne quid propterea de mercede detrahatur, *arg. l. cum hæres 4. §. 5. ff. de Statu. lib.* Ratio est, quia, cum omnes simus imbecilles homines infinitis morborum periculis subjecti, censetur tacitè in Locatione inclusum, ne ob quamvis brevem infirmitatem impedito servo merces detrahatur. Accedit consuetudo passim recepta, quæ juxta immediatè dicta etiam in Locatione attendi debet. Limita tamen hanc doctrinam in operariis diurnis, & aliis personis, quæ non ad integrum, vel medium annum, sed ad unum vel alterum diem tantum conducuntur, & quibus pro singulis diebus merces solvitur, his enim merces justè detrahitur pro rata temporis; etsi uno aut altero die ægrotent: teste praxi ubique recepta.

105 Quæritur IV. An famuli, & famulæ possint occultè aliqua sibi surripere de bonis dominorum suorum, si judicant mercedem seu salarium eorum esse minus justo? Resp. I. Negativè, si famuli, vel famulæ absque evidenti cognitione simile judicium ferunt ex fundamento, sive apparenter, sive verè probabili tantum. Est hodie certa, & extra controversiam ob doctrinam contrariam ab Innocentio XI. damnatam, quæ inter propositiones rejectas ordine 37. sic sonabat: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad recompensandam operam suam, quam majorem judicant salario suo.* Ratio est; quia iniquum ac injustum est, ob rationes solummodo probabiles, aliquem privare possessione bonorum suorum: prout communiter observant DD. inter quos Thom. Sanch. *lib. 2. de Matrim. disp. 44. n. 3.* ait, ita sentire universos, qui propterea etiam omnes ad quamcunq; occultam compensationem præter alias conditiones hanc quoque requirunt videlicet, ut compensare volenti, moraliter certo constet, rem sibi ex justitia deberi, id quod etiam in Theologia nostra Morali *tr. 9. dist. 5. n. 118.* notavimus; eo quod possessio legitima tribuat jus certum retinendi, quo spoliari ob rationes solummodo probabiles nemo potest, *arg. c. illo 28. §. fin. de V. S. l. Peregrè 44 ff de acquirend. poss.* Accedit quod in dubio, vel pari causa melior sit conditio possidentis, *Reg. 65. Jur. in 6.* consequenter cum dominus sit in possessione suorum bonorum, iis à famulo ob probabilem rationem privari nequit, hoc ipso, quod sola probabilitas unius probabilitatem alterius non exhauriat, sed rationibus pro & contra stantibus rem positivè dubiam efficiat, juxta communem DD. & dicta *in Theologia nostra Morali tr. 1. disp. 3. n. 29.*

106 Porro intelligenda est conclusio & propositio damnata non tantum de famulis & famulabus domesticis, sed etiam de omnibus aliis, quibuscunque pro mercede & salario operas, & servitium præstantibus, quales sunt, Officiales quicunque, Ministri, Consiliarii, Judices, Administratores &c. Sbogar. *tr. 39. c. unic. n. 7* Cardenas *in propositiones damnatas dissert. 23. c. 1. art. 3.* rem egregiè probans ex hoc præcipuè fundamento, quod reverà prorsus eadem de his ac illis sit ratio, uti consideranti patet; consequenter idem judicium, eademque Juris dispositio, *arg. l. Illud. ff. ad l. Aquil.*

107 Resp. II. Quando non solum probabiliter, sed evidenter constat, mercedem seu salarium famulis, vel aliis mercede conductis ac servientibus personis ex justitia debitum, esse minus justo, licitum est famulis uti occulta compensatione. Cardenas *l. c. c. 1. ar. 1. n. 38.* Molina *disp. 506.* Navarrus *Manual. c. 17. n. 172.* & communis aliorum, *arg. l. 6.* & toto fere *Tit. ff de Compens.* Ratio est, tum quia in hoc casu famulus accipit, quod suum est, vel saltem quod ei certò debetur: tum quia juxta certam & unanimem doctrinam TT. Dicitum est uti occulta compensatione, quando debitum moraliter est certum, & alia ratione absque molestia, expensis, amissione benevolentiæ, favoris &c. acquiri nequit, uti res se habet in casu nostro: cum ordinariè loquendo, famulus, vel officialis contra dominum in judicio pro justa sua mercede obtinenda agens, vel non audiretur, vel auditus succumberet, vel non nisi cum magna sua molestia, amissione benevolentiæ, aliisve incommodis victoriam reportaret, expensis forsan majoribus, quam valeat id, quod ei debetur: uti advertunt Molina *l. c. n. 5* Bonacina *de contract. disp. 3. q. 7 princ 4. n. 3.* Navar. *Manual. c. 17. n. 112.* & communis aliorum.

Quæritur V. Quodnam censendum sit justum stipendium, merces, vel salarium famulorum, officialium, & aliorum pro mercede servientium? & unde evidenter colligi possit id esse injustum ad hoc, ut injuriam patiens licitè uti possit occulta compensatione? Ante responsionem notandum, quod sicut in Emptione Venditione, ita etiam in Locatione operarum justum pretium naturale non in indivisibili consistat, sed latitudinem habens dividatur in infimum, medium ac supremum, eo modo uti supra *tit. præc. n. 118. & 119.* de pretio rerum venalium diximus H. N. Resp. Regulariter loquendo, illud est, & meritò dicitur justum stipendium seu salarium, quod attenta locorum consuetudine, multitudine, & paucitate eorum, qui ad serviendum eo tempore haberi possunt, judicio probi ac prudentis viri correspondet labori aut ministerio, licet cæteroquin ad sustentationem illius, qui servit, vel liberorum & familiæ ejusdem non sufficiat. Ita in re Molina *disp. 506. n. 4.* Bonacina *l. c.* Cardenas *dissert. 23. c. 2. a. 3 n. 65.* cum communi aliorum. Declarantur quædam particulæ hujus descriptionis, indeque patebit Conclusionis veritas. 108

Dicitur primo *attenta locorum consuetudine*; quia in pensanda mensura justi pretii, ad id, quod in aliquo loco communiter fit, & justum æstimatur, omninò attendere oportet *arg. l. Pretia rerum ff ad l. Falcidiam*, Molina, & Cardenas *loc. cit.* 109

Dicitur ulterius *attenta multitudine, vel paucitate eorum qui eo tempore ad inserviendum haberi possunt*. Quamvis enim salarium videatur tenue, & ad sustentationem servientis, vel liberorum ac familiæ ejus minimè sufficiat. Nihilominus si facilè haberi possunt alii qui pro eodem salario similes operas vel officium libenter obeunt, eo quod, licèt nec eis ad sustentationem sufficiens sit, sufficiat tamen una cum aliis bonis, quæ habent, vel quæ ex labore & industria sua cum officio, non incompatibili aliunde acquirunt; vel quia parcius vivunt &c. justum reputandum est stipendium, si pro eodem famulus, vel officialis spontè ac liberè operas suas locat, & conduci se permittit, uti cum communi citati DD. præsertim Molina *l. c. n. 3.* optimè observat. 110

Aliud foret, si ob paucitatem eorum, ad simile officium idoneorum nullus alius haberi posset, qui pro tam tenui mercede laborem domino necessarium vel utilem præstaret, & tenuem hujusmodi mercedem locator non omninò libere, sed ideò pacisceretur; quia dominus plus dare non vult, & ipse necessitate paupertateque pressus, eam accipere cogitur, utpote sustentationis mediis carens. Hoc namque in casu injustum esse tale salarium; si considerata servitii quantitate & qualitate, locique consuetudine infimum justum non attingeret. Sicut enim non licet vilius emere, quia venditor necessitate pressus vendere cogitur; juxta dicta *tit. præc. n. 166. & 167.* ita etiam viliori pretio conducere non licet, ex hoc præcisè quod locator ob necessitatem operas suas locare cogatur, *arg. leg. 2. ff. h. t.* 111

Dicitur, *quod labori, & servitia correspondet*, cum enim præcisè propter hoc merces in Locatione operarum constituatur; haud dubiè in assignanda mercede qualitas & quantitas laboris seu servitii attendi, & juxta eam salarium constitui debet, ut debita servetur æqualitas, quam in contractibus justitia commutativa requirit. Nam sicut pro vili re venali merito & justè vile datur pretium; ita pro vili labore & exiguo servitio, exiguum juxta proportionem datur stipendium, *quia Locatio Conductio iisdem Juris regulis consistit*, quibus Emptio Venditio *cit. l. 2. ff h. t.* Unde ulterius sicut in Emptione Venditione *merces ultroneæ vilescunt*, ita etiam operæ, labores, & servitia ultroneæ oblata vilescunt; & vilius merentur stipendium, quod tamen intellige cum limitatione *tit. præced. n. 167.* posita. Nam sicut ibidem diximus, ex hoc præcisè, quod quis merces vendendas ultroneè offerat, minui non posse pretium, nisi alia concurrat qualitas rem venalem vilificans: ita etiam ex hoc solo capite, quod quis servitia ultroneè offerat minui non potest salarium, nisi alia circumstantia servitium vilificans simul sit conjuncta; qualis esset; si conductor opera & servitio locatoris non indigeret, nullamque vel exiguam inde utilitatem haberet; locatorem nihilominus in gratiam ejusdem conduceret. Quo casu utique salarium vilius ac pro labore aut servitio necessario, vel utili dare potest, ut citati DD. cum communi aliorum docent, & probatum est suprà *cit. tit. præc. n. 167.* 112

113 Additur, *licet cæteroquin ad sustentationem illius, qui servit, vel liberorum ac familiæ ejusdem non sufficiat*, quia an justum vel injustum sit salarium seu stipendium mercede conductarum personarum, regulariter nequaquam inde desumi, vel ad id attendi debet, an ad sustentationem servientis sufficiat; vel non, sed inde, an attentis præfatis circumstantiis correspondeat labori: Molina *l. c.* cum aliis. Ratio patet; quia plurima dantur servitia & officia, quorum merces & salarium ad sustentationem servientis minimè sufficiens est, & tamen ab omnibus justum reputatur. Teste quotidiana experientia, & ubique recepta praxi Ex hactenus dictis

114 Colligitur, quomodo habere se debeat Confessarius cum illis Officialibus, Ministris, Consiliariis &c. qui se accusant, quod aliqua heris suis occultè surripuerint, vel an id facere non liceat, consulunt, dicendo, & conquerendo „ Pater Reverende! salarium mihi assignatum „ non sufficit ad meam, & meorum sustentationem: si occultè nihil mihi surripio debeo mendicare, præsertim, „ quia aliis mediis careo, nec aliud officium habeo, neque „ acquirere valeo: Vel dum famuli, aut famulæ dicunt: „ Pater Reverende! habeo valdè tenue salarium, vel mercedem, qua vix calceos, aut necessarias vestes comparare mihi queo &c attendat nempe, & consideret, vel ipsum pœnitentem interroget, an non alii pro hac tenui mercede servire sint parati? hoc enim si deprehenderit, restitutionem acceptorum imperare, & surreptionem in futurum graviter prohibere debet; non obstante, quod dicat, se mendicare debere; Molina *disp. 506* Cardenas *dissert 23 c. 2 a 3.* Sbogar *tr 39. c. un.* Reginaldus, Filiuc. Bonacina, & communis aliorum. Ratio est; quia quamvis ad evitandam mendicationem utpote gravis necessitatis casum liceat differre (non omittere) restitutionem malè acceptorum (nisi damnum passus sit in gravi necessitate) juxta unanimem TT. tamen non licet aliena positivè surripere seu furari; prout certò constat ex Decreto Innocentii XI. inter alias etiam hanc ordine 36 propositionem damnantis: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Nec excusantur, etsi per surreptiones minutas absque hoc, quod dominus advertat, id faciant, quia & minutæ hæ surreptiones illicitæ sunt; & dum successivè gravem quantitatem efficiunt, grave quoque peccatum constituunt, gravemque restituendi obligationem inducunt; prout iterum certò liquet ex damnata propositione sequenti ordine 38 *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.*

115 Resp. II. Stipendium, merces, vel salarium evidenter injustum, ratione cujus occulta compensatione uti licet; esse censetur in sequentibus. Primo, si herus salarium promissum integre non solvit. Secundo, si absque legitima causa non solvit servo vel officiali laborem debitum fideliter præstanti. Tertio, si solvit quidem, sed in tali materia, qua servus non indiget, & quam tanto pretio, quantum debitum salarium efficit, vendere nequit; ut si v. g. mercator dat servo pannum; quo non indiget, artifex arte factum &c. Quartò, si invitus servire cogitur, & non datur ei stipendium, quod juxta servitii proportionem ab aliis communiter dari solet. Idem est, si quis non quidem a domino, sed à propria necessitate coactus, servitia præstat, nisi forsan servitia talia essent, quibus dominus non indigeret, & quæ nullam, vel exiguam necessitatem eidem afferrent, juxta dicta *n. 112.* Vel nisi adsint alii, qui pro tali vili mercede, idem servitium libenter præstarent juxta dicta *n. 110. & 114.* In iis itaque casibus tantum per occultam compensationem surripere sibi potest, quantum damnum sibi inferri evidens est. Ita Molina *cit. disp 506* Cardenas *l. c.* Lessius *lib. 2. c. 12. num. 63.* Sbogar *l. c.* Vasquez, Corduba, Rebel. Bonac. Navarrus cum communi aliorum. Nec indiget ulteriori probatione, cum tota Conclusio partim ex dictis, partim ex communibus, iisque certis principiis constet.

116 Extra hos *n. præc.* enumeratos, vix datur casus, in quo ob mercedem aut salarium minus justo judicatum uti liceat occulta compensatione. Debentque Confessarii semper præ oculis habere indubitatam illam, & hodie certam doctrinam, *quod nisi evidenter, & (ut loquitur Molina) luce meridiana clarius constet, mercedem esse injustam, juxta doctrinam hactenus traditam, servis, & officialibus licitum non sit, aliqua occultè surripere dominis.* Observanda etiam est doctrina & regula, quam Cardenas *l. c. n. 6.* Sbogar. *l. c.* & alii *ad propositionem 38. damnatam* tradunt, nempe, quod judicium, aut salarium evidenter injustum sit, non competat ipsi famulo aut officiali de injustitia salarii conquerenti, cum hic ob philautiam, & amorem proprium in causa propria facilè decipiatur, ut pro evidenti habeat, quod dubium, aut vix probabile est. Sed debeat ad id eligi & consuli Confessarius, non quivis obvius mediocriter doctus, sed vir timoratus, valdeque prudens & doctus; ut proin in conscientia minimè sint securi, qui in hujusmodi casu vel proprium sequuntur judicium, vel studio talem Confessarium consulunt, ob cujus laxitatem, vel sufficientem doctrinam favorabile responsum sperant.

Et hæc de Locatione Conductione dicta sufficiant Reliqua enim, quæ adhuc examinari de ea possunt, ex Titulo præcedenti de emptione & Venditione cognoscere, licet; quia *Locatio Conductio proxima est emptioni venditioni, iisdemque juris regulis consistit. l. 2. ff. h. t.* 117

DE EMPHYTEUSI.

§. V.

De natura, & divisione Emphyteusis ac de iis qui in Emphyteusin dare, & accipere, rebusque, quæ in Emphyteusin venire possunt.

SUMMARIUM.

118 *Emphyteusis unde? Emphyteuta quis dicatur?*
119 *Definitur emphyteusis. Est contractus nominatus.*
120 *Et quidem stricti Juris.*
121 *Solvitur instantia.*
122 *Solæ res immobiles in emphyteusin dantur.*
123 *Cum translatione dominii utilis, non item directi.*
124 *Emphyteuta tenetur rem colere, ac conservare.*
125 *Debet præstare annuum canonem* Stufft, und Gildt, Grund-dienst.
126 *Item Laudemium* den Anfall.
127 *Potest concedi vel in perpetuum, vel ad tempus.*
128 *Emphyteusis alia est ecclesiastica, alia laicalis.*
129 *alia perpetua, alia temporalis.*
Laicalis in dubio præsumitur perpetua.
130 *Emphyteusis ad vitam alicui concessa, vitalitium* Leibgeding Leigerechtigkeit *vocatur. Quid juris circa illam?*
131 *Emphyteusis alia est hæreditaria; alia non hæreditaria: hæc etiam familiaris, item ex pacto, & providentia dicitur.*
132 *Emphyteusis Bavaris specialis aliqua adducitur, dicta* Die Anverlaithe Freystifft, oder Herzon Gunst.
133 *Scriptura est de substantia Emphyteusis.*
134 *Solvitur objectio.*
135 *Confirmatur ex hoc, quod sit contractus bonæ fidei.*
136 *In Bavaria habetur insuper speciale statutum de necessitate scripturæ ad Emphyteusin.*
137 *Quilibet rei suæ administrationem liberam habens, in Emphyteusin concedere potest.*
138 *Pupilli & minores non possunt.*
139 *Neque Curatores, aut Tutores eorum absque authoritate Judicis.*
140 *In Emphyteusin accipere possunt, qui contrahere valet.*
141 *Pupilli & Minores sine consensu Tutorum, aut Curatorum in Emphyteusin accipere nihil possunt; Clericis quoque, lucri causa id facere prohibitum est. Non item mulieribus.*
142 *Quævis res immobilis tam frugifera, quam infrugifera in Emphyteusin dari potest.*
143 *Non item mobilis, nisi immobili adhæreat.*
144 *Etiam Ecclesiasticæ res in Emphyteusin dari possunt.*

PRomisimus statim ab initio Tituli præsentis, quod
quia Emphyteusis magnam cum Locatione Condu-
ctione affinitatem habet, Compilatorem Canonum se-
quentes de illa in eodem Titulo simus acturi. Hinc
118 Quæritur I. Unde proveniat, quid, & quotuplex sit
emphyteusis? Resp. I. Emphyteusis est nomen græcum
latinè idem significans, ac melioratio, juxta Speculato-
rem, & *Accurs. §. Adeò V. Emphyteusis Inst. de Locat.* Sylve-
strum *V. Emphyteusis*, & alios: vel ut cum Alciato & aliis
vult Molina disp. 444. *Implantatio* seu *insitio*, eo quod ab
initio non nisi sterilia, seu inculta in emphyteusin con-
cedebantur eo fine, ut emphyteutarum diligentia & la-
bore per implantationem, seminationem, & culturam
fructifera & meliora redderentur, *arg. l. 2. & 3. C. de jur. em-*
ph. Et quidem primitus in emphyteusin dabantur com-
munes agri & fundi utpote qui defectu colonorum inculti
ac sine fructu jacebant. Publicum exemplum deinde se-
cuti sunt privati, Azorius *T. 3. lib. 10. cap. 1. q. 3.* Porro ille
qui rem in emphyteusin concedit, dominus directus
Germanis (*Grundt-Herts*, *Grundt-Herts schafft*) Ille
verò, qui accidit, emphyteuta sive emphyteutica-
rius seu colonus (Germanis *Mair*, item *Erb-Rechter*,
Librechter; vel *Leibgedinger*, item *Erel-stiffter* pro diver-
sitate emphyteusis concessæ) vocatur, *Leg. 1. & 3. C. de*
jure emphyteut.
119 Resp. II. Emphyteusis est contractus nominatus stri-
cti Juris, quo res immobilis cum translatione dominii
utilis, retento dominio directo, seu proprietate, alteri
fruenda & colenda, pro annua pensione in recognitio-
nem dominii directi præstanda conceditur vel in perpe-
tuum, vel ad alicuius, vel plurium vitam, vel ad cer-
tum tempus. Est in re communis, excepta particula *stri-*
cti juris. Probatur explicando singulas definitionis parti-
culas. Dicitur I. *Contractus* loco generis, in quo cum aliis
contractibus convenit: est enim emphyteusis juxta sen-
tentiam omnium tum antiquorum, tum recentiorum Ju-
ris peritorum teste Jul. Claro *l. 5. §. Emphyteusis n. 2.* verus
& propriè dictus contractus *l. 1. C. de Jure Emph.* ibi: *Ju-*
stum esse validumque contractum: ut proin audiendus non sit
Bocer. contrarium asserens. Dicitur *Nominatus* ad distin-
ctionem contractuum innominatorum, id est, illorum,
qui speciale nomen in Jure non habent.
Dicitur *stricti Juris*, emphyteusis enim non bonæ fidei,
120 sed *stricti Juris* contractum esse, tenent Baldus, Jason,
Salic. & Sichard. *in l. 1. C de jure emph.* Idem sentiunt Bo-
cer. *in tr. de qualit. & differ. feud c. 1. n. 28.* & novissimè Klin-
gesperger *lib 3. tit. 25. q. 11.* contra Helgium *n. 20. Inst. h. t.*
& alios in Additionibus ad Clarum *q. 2. n. 19.* citatos ab
Engel *h. t. n. 2.* Probatur autem nostra assertio tum ex *L. 2.*
de action. & oblig ac *§. Actionum. 28. Inst. de action.* ubi omnes
contractus bonæ fidei, actionesque eorum in specie enu-
merantur, & tamen nulla fit mentio Emphyteusis, uti
legenti patebit. Tum quia nulla alia Lege cautum ha-
betur, quod emphyteusis sit contractus bonæ fidel.
121 Nec obstat, quod Iulius Clarus cum sequacibus obji-
cit, videlicet, emphyteusin solo consensu perfici, &
hoc ipso contractum bonæ fidei, *l. Consensu 2. ff. de oblig.*
& action. Respondetur enim negando suppositum, quod
Emphyteusis solo consensu perficiatur; cum, ut infrà
patebit, ad ejus substantiam requiratur scriptura. Nec
probant quidquam ad intentum Leges à Iulio Claro ibi-
dem citatæ, quia non loquuntur de emphyteusi, sed de
Locatione Conductione, à qua emphyteusis essentialiter
distinguitur, *L. 1. C. de Jure emph.* ibi: *Jus emphyteuticum*
neque conductionis, neque alienationis esse titulis adjicien-
dum, sed hoc jus tertium constituimus, ab utriusque memo-
ratorum contractuum societate seu similitudine separatum.
122 Dicitur quo *res immobilis* ager v. g. vinea, prædium,
domus &c. quia de mobilibus emphyteusis constitui non
potest. Molina *disp. 445. n. 1* Pirhing. *h. t. n. 31.* Iulius Cla-
rus *l. c. q. 1.* cum communi aliorum, *arg l. 2. C. de Jure emph.*
Ratio est; quia conceduntur res emphyteuticæ non tan-
tum ad utendum & fruendum, sed etiam, ut colantur,
colendoque meliorentur, vel saltem conserventur, res
autem mobiles usu ordinariè non coluntur, nec melio-
rantur, aut conservantur, uti ad emphyteusin requiri-
tur, sed potius usu longi temporis deteriorantur, vel
omnino destruuntur; ergo.
Dicitur *cum translatione dominii utilis, retento dominio*
123
directo, seu proprietate; quia per emphyteusin dominium
utile revera transfertur in emphyteutam, remanente
penes dominum solo dominio directo, *l. 1. ff. Si ager vecti-*
gal. Hinc emphyteutæ competit Ius reale in rem emphy-
teuticam, actioque realis contra quemcunque possesso-
rem, *cit. l. 1 ff. Si ager vectigal.* ibi: *Quamvis non effician-*
tur domini (directi) *tamen placuit competere eis in rem actio-*
nem adversus quemcunque possessorem. Et per has particu-
las differt à locatione, & venditione. A locatione qui-
dem, quia in hac usus tantum, & commoditas fructuum,
non item utile dominium transfertur, Molina *disp. 445.*
Pirhing *h. t. n. 31. l. non solet 39. ff. h. t.* Ab emptore venditio-
ne verò; quia per hanc etiam dominium directum ac
proprietas transfertur juxta dicta *tit. præc.* Quamvis ab
utroque hoc contractu etiam per præcedentem particu-
lam *res immobilis* differat; eò quod non tantum immobi-
lis, sed & mobilis res vendi ac locari possit, *l. Si in emptio-*
ne 34. §. 1. ff. de Contr. empt.
Dicitur *fruenda & colenda*; emphyteuta namque re in 124
emphyteusin concessa non tantum frui, sed etiam eam
colere debet, si non meliorando saltem conservando, ut
magis patebit §. seq. de Obligationibus emphyteutæ.
Additur *pro annua pensione in recognitionem dominii dire-* 125
cti præstanda. Quibus verbis rursus differt à locatione;
quamvis enim etiam à conductione annua pensio detur
domino directo, tamen ea non præstatur in recognitio-
nem dominii directi, sed solum pro æstimatione iusta fru-
ctuum & usus rei. In emphyteusin vero principaliter præ-
betur in recognitionem dominii directi, ut infra magis di-
cetur. Ista pensio alias etiam communiter vocatur *ca-*
annuus, *l. 2. C de jure emph. & c. fin. h. t.* (Germanis *Grundt*
dienst Stufft und Gildt) licet strictè loquendo hi duo ter-
mini Germanici *Stufft und Gildt* differant, ita ut ly *Gildt*
hodie significet ipsum canonem annuum in magna quan-
titate aliqua juxta portionem fructuum impositum: ly
Stufft vero significet modicam annuam quantitatem in
aliquibus paucis nummis vel crucigeris consistentem, vel
in solam dominii recognitionem, vel in signum & pro-
bam primæ concessionis factæ dari hic loci solitam, quæ
etiam *der Stufft pfennino* vocatur, ut benè observat Illu-
strissimus D. Schimdt *in suo Comment. ad Jus Bavaric. Tit.*
21. a. 5. num. 3.
Præter canonem annuum datur etiam domino directo 126
laudemium *der Anfall* non quidem singulis annis, uti ca-
non, sed quoties emphyteuta mutatur juxta dicenda in-
fra *n. 214.* Rursus exigere etiam potest & solet dominus
directus statim ab initio aliquid pro concessione emphy-
teusis, quod tamen ad naturam emphyteusis necessa-
rium non est, nec dare aliquid pro prima concessio-
ne, seu pro ingressu emphyteuta tenetur, nisi expres-
sè in pactum deducatur, uti cum communi benè ad-
vertit Molina *disp. 450.* Quamvis hodie emphyteuses
vix concedantur sine magna exactione pro concessione
seu ingressu præstanda.
Dicitur tandem, *vel in perpetuum, vel ad alicujus, vel* 127
plurium vitam, vel ad certum tempus: omnibus enim his
modis, & temporum differentiis emphyteusis constitui
potest: dummodo, quod benè notandum, non sit minus
decennio. Nam si ad minus tempus res utenda concedi-
tur, jam non emphyteusis, sed locatio erit: sicut econ-
tra, si res immobilis locetur alicui ad decennium usque,
emphyteusis erit non obstante, quod contrahentes voca-
bulo locationis utantur, Layman *lib. 3. tr. 4. c. 23. n. 2.* Les-
sius *lib. 2. c. 24. n. 3.* Tuschus *lit. L. concl. 403.*
Resp. III. Emphyteusis primò dividitur in Ecclesiasti- 128
cam, & Laicalem. *Ecclesiastica* est, vel cujus bona Eccle-
siastica, hoc est, cujus proprietas ad Ecclesiam, Mona-
sterium, aliumvè pium & Religiosum locum pertinet,
fruenda & colenda conceduntur, *l. Joannes, 14. c. de SS.*
Ecclesiis, & c. fin. h. t. Azorius *p. 3. lib. 10 c. 4.* Molina *disp.*
446. n. 1. & communis aliorum. *Laicalis* est, vel cujus
fruenda & colenda traditur res, cujus dominium & pro-
prietas ad Laicum, vel Laicalem potestatem pertinet.
DD. citati, & alii, *l. 1. c. de jure emph.* juncta *Authent. Per-*
petua, c. de SS. Ecclesiis.
Secundò dividitur in perpetuam, & temporalem. *Em-* 129
phyteusis perpetua est, quæ & hæreditaria (Germanicè
Erbrecht Erbgerechtig Keit) vocatur, est, quando res fruen-
da, & colenda non ad certum tantummodo tēpus, nec pro cer-

certis duntaxat personis; sed in perpetuum ita conceditur,
ut Jus Emphyteuticum concessum etiam ad hæredes per-
petuò transeat, adeò, ut eodem absque legitima aliqua,
ex infrà enumerandis, causa inviti privari nequeant, *§. 3.*
Inst. h. t. Quæ species Emphyteusis est propriissimè Em-
phyteusis, qualis in dubio, & nisi ex pactis aliud colligatur,
esse semper præsumitur, Harprecht in dictum *§. 3. Inst. h. t.*
Julius Clarius *l. c. q. 21. n. 1.* Item *q. 42.* & communis aliorum.
Temporalis est, quæ ad certum duntaxat tempus; vel ad
unius, alteriusve vitam, aut etiam ad certam generatio-
nem, vel familiam conceditur.
130 Emphyteusis, quæ ad alicuius vitam conceditur; con-
cedi potest, vel ad vitam ipsius concedentis domini dire-
cti, qui modus concedendi in Bavaria inferiori olim valde
frequens erat, & vocabatur *Neustufft* teste Klingensper-
ger *lt. 3. q. 13.* hodie tamen vix amplius est in usu. Vel con-
cedi potest ad vitam unius, vel plurium Emphyteutarum,
qualiter, si conceditur *Vitalitium*, seu Emphyteusis vita-
litia dicitur (Germanis *Leibrecht Leibgerechtikeit* vel
simpliciter *Leib*) eo quod ad unius vel alterius vitam tan-
tum duret. Klingensperger *l. c.* & Illustrissimus D. Schmidt
in statuta Bavariæ *tit. 21. n. 1. & 3.* Vitalitium hoc, seu Em-
phyteusis vitalitia in his partibus est frequentissima, &
cum Emphyteusi perpetua per omnia convenit, excepto,
quod illa perpetuò, hæc verò ad unius duntaxat, aut plu-
rium vitam duret. Hinc fit, quod si Emphyteusin acce-
pturus senex jam, vel valetudinarius sit, non ad pro-
priam, sed ad filii v. g. juvenis vel alterius cujuscunque
tandem sani judicati vitam, Emphyteusin accipiat, ut
si non ipse, saltem hæredes ejus, Emphyteusi vitalitia
diu frui valeant. Transit namque simile vitalitium etiam
ad hæredes tamdiu, donec moriatur ille, ad cujus vitam
Emphyteusis data est juxta dicenda infra *§. fin.* Sicut et-
iam eo moriente expirat; licet Emphyteuta principalis
adhuc vivat; ut proin Emphyteutæ non rarò decipiantur
illis, ad quorum vitam Emphyteusin sibi comparant, an-
te ipsum Emphyteutam morientibus, qui tamen crede-
bantur eandem longe supervicturi.
131 Alii dividunt Emphyteusin in hæreditariam, & non
hæreditariam. *Hæreditariam* vocant, quæ transit ad om-
nes etiam extraneos hæredes; & est eadem cum Emphy-
teusi perpetua suprà *n. 129.* explicata. *Non Hæreditariam*
dicunt illam, quæ ad [illegible] liberos & descendentes, non
item ad extraneos hæredes transit. Bartolus *in l. ut juris-*
jurandi, §. Si liberti ff. de Operis lib. [illegible] *4.* Jason *in l. 2. C. de*
jure Emph. Non hæreditaria ab aliis etiam vocari solet
Emphyteusis familiaris, item ex pacto, vel providentia.
132 Præter enumeratas Emphyteusis species, datur adhuc
alia, minùs tamen propriè dicta Emphyteusis, Bavaris
specialis, utpote per eorum Statuta municipalia ibidem
introducta, quæ à propria Emphyteusi in hoc potissimum
distinguitur, quod dominus directus colonum, seu Em-
phyteutam singulis annis expellere, & Iure Emphyteu-
tico privare valeat; dummodò pretium, & expensas,
quod Emphyteuta primitus pro Emphyteusi expendit,
una cum laudemio refundat, detractis prius iis, quæ ab
Emphyteuta ratione deteriorationis, in re Emphyteuti-
ca forsan factæ prætendere potest. Ita clare habetur *Tit.*
21. a. 4. & 5. Stat. Bavar. ubi hæc Emphyteusis vocatur *ein*
Freystifft oder ein auverlaithe Freystifft. Alias Emphyteu-
sis alterata, seu iuxta praxin Dicasteriorum Bavarico-
rum, modificata dicta; vocatur à nonnullis simpliciter
etiam *ein Freystifft* sed abusivè, quia terminus *Freystifft*
puram locationem, seu *einen Bloffen Bestandt* significat,
juxta clarum tenorem dictorum statutorum Bavaricorum
cit. T. a. 6. Verum, quia hæc Emphyteusis *die auverlaithe*
Freystifft oder Herrengunst de solo municipali, non item
communi Jure procedit, plura de ea hic non dicimus,
sed Lectorem Bavarum ad præfata Statuta, eorumque
interpretem Illustrissimum D Schimidt remittimus.
133 Quæritur II. An scriptura seu erectio scripti instru-
menti sit de substantia emphyteusis? Resp. Affirmativè.
Iulius Clarus *§. Emphyteusis q. 4* Molina *disp. 447. n. 4.* A-
zorius *p. 3. lib. 16. c. 5. q. 3.* Layman *c. c. 36. n. 6.* Pirhing. *h. t. n.*
33. & communis aliorum cum Glossa *in L. 1. V. Alienatio-*
nis, C. de jure emph. contra nonnullos alios, quibus aliqui
annumerant Bartolum *in cit. l. 1. V. Scriptura, c. de jure em-*
phyt. & Abbatem *in c. Potuit 4. h. t.* sed immeritò, cum Bar-
tolus *l. c.* solum putet, consuetudinem esse contrariam;
Abbas verò præcisè referat doctrinam Bartoli. Probatur
Conclusio ex *L. 1. C. de jure emph.* ubi expressè habetur, fir-
ma esse & custodiri deberi ea, quæ in emphyteusi inter
contrahentes *scriptura interveniente* conventa sunt; ergo
quæ sine *interveniente scriptura* in hoc contractu fiunt, fir-
ma non sunt; cum *contractus, qui in scriptis fieri placuit,*
ante scripturæ expeditionem validus non sit, l. Si contractus,
17. C. de fide instr. Confirmatur ex *Novel. 7. in fine præfatio-*
nis, & Novel. 20. c. 5. & c. 6. §. 2. ubi ad emphyteusin Eccle-
siasticam scriptura expressè requiritur.
Dices in aliis contractibus, qui solo consensu perfi- 134
ciuntur scriptura non est de substantia, sed de sola proba-
tione, *l. 4. In re ff. de Fide instrum* ibi: *In his obligationibus,*
quæ consensu contrahuntur, sine scriptura, si convenit, &
probari poterit, res obligata erit, atqui emphyteusis con-
tractus solo consensu perficitur *§. 3 Inst. h. t.* ergo. Resp.
negando minorem; eo quod ex *cit. §. 3. Inst. h. t.* minimè
probari valeat, emphyteusin solo consensu perfici. Imò
ex eo potius contrarium colligitur, cum dictus *§. 3.* se re-
mittat ad Legem Zenoninam, quæ est *l. 1. C. de jure emph.*
ubi expressè requiritur scriptura.
Confirmatur responsio: Contractus, qui solo consen- 135
su & absque scriptura perficiuntur, sunt bonæ fidei, *l. 2. ff.*
de Action. & Oblig ergo etiam emphyteusis, si solo consen-
su perficitur Adversarii concedunt totum, & ideo in em-
phyteusis definitione expressè ponunt particulam, *est con-*
tractus bonæ fidei. Subsumitur: atqui emphyteusis non est
contractus *bonæ fidei*, sed *stricti Juris*, prout supra iam
ostendimus, & evidenter probatur inde. Si emphyteusis
ut sic est contractus bonæ fidei, erit etiam contractus bo-
næ fidei emphyteusis Ecclesiastica; quidquid convenit ge-
neri, necessariò etiam convenit speciei, *l. Si causa cogni-*
ta C. de Transact. & à genere ad speciem fit optimum Iuris
argumentum, Everard. *loco VI. à Genere ad speciem*; at-
qui emphyteusis Ecclesiastica non est contractus bonæ fi-
dei; eò, quod ad eam solus consensus non sufficiat, sed
necessariò requiritur scriptura, *arg Novel. 7. in fine præfa-*
tionis, & ipsemet fatentur Adversarii; ergo.
Ad id, quod cum Bartolo aliqui objiciunt, videlicet 136
consuetudinem esse contrariam. Respondemus cum Cla-
ro cit. q. 4. non esse verum, quod habeatur universalis con-
suetudo contraria: cum multi DD. testentur de pluribus
locis contrarium; id quod etiam in Bavaria verificatur,
ubi non tantum nulla habetur hujusmodi consuetudo, sed
potius positivè contrarium consuetudine receptum inve-
nitur statutum, videlicet, quod emphyteusis sine scri-
ptura non valeat, *tit. 21. a. 3.* Cæterum si in aliquo loco le-
gitimè introducta haberetur consuetudo, quod emphy-
teusis etiam absque scripto instrumento valeat, non nega-
mus, quin ibidem ei conformiter sit judicandum, cum
consuetudo deroget Legi humanæ *c. fin. de consuet.* per hoc
tamen non probatur, quod de Jure ad substantiam emphy-
teusis non requiratur scriptura.
Quæritur III. Quinam dare & accipere possint in em- 137
phyteusin? Resp I. In emphyteusin dare possunt omnes il-
li, quibus præter dominium competit libera rerum sua-
rum administratio. Azorius *p. 3 lib. 10. c. 2. q. 2* Bonacina
disp. 3. q. 8. pun. 1. n. 7 Filiucius, & communis aliorum, *arg.*
In re mandata C. de mandati. Ratio est, quia hoc ipso,
quod quis liberam potestatem disponendi de rebus suis
habeat, de ea per quemvis licitum contractum, qualis est
emphyteusis, pro libitu disponere potest, sive sit privatus
l. 1. & toto Tit. c. de iure emph. sive etiam integra Civitas,
aut alia communitas dominium in communi habentes,
l. 1. §. 1. ff Si Ager vectigalis. An autem & quomodo Præla-
ti ac Communitates ecclesiasticæ, res ecclesiæ in emphy-
teusin concedere valeant, dicemus infra specialiter *§. fin.*
Interea
Colligitur I. In emphyteusin concedere de rebus suis 138
nihil posse Pupillos & minores sub Tutoribus & Curato-
ribus constitutos, *arg. l. Non solum, 4. & l. Etiam, 13 C. de*
Prædiis & c minor, sine decreto. Ratio est; quia libera ad-
ministratione rerum suarum non gaudent.
Colligitur II. Neque ipsos Tutores aut Curatores res
Pupillorum & Minorum in emphyteusin concedere posse
absque decreto & authoritate Judicis. Ratio est; quia in
Jure specialiter cavetur, ne hoc absque decreto & autho-
ritate judicis attentent, *cit. l. Etiam, 13. & toto tit. C. de præ-*
diis & c minor sine decreto.

139 Resp. II. In Emphyteusin res alienas accipere possunt omnes illi, quibus commercium non est interdictum, aut qui liberam contrahendi potestatem habent, sive masculi sint, sive fœminæ, nisi specialiter à Jure prohibeantur, *arg. can. Jam nunc. 8. cau. 28. q. 1. & c. 1. de Procur. In 6.* Zoesius *ad ff. h. t. n. 59.* & alii. Ratio est; quia cum Emphyteusis non sit de genere prohibitorum, procedit de illa illud vulgatum Glossæ *in c. Inter corporalia, V. Non inventur, de transl. Episc. Concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur.*

140 Resp. III. In Emphyteusin accipere non possunt Pupilli, & Minores, nisi accedat authoritas & consensus Tutorum, aut Curatorum, *l. quamvis, 32. ff. de Acquirend. & amittend. possess.* Item etiam Clerici lucri causâ accipere in Emphyteusin nihil possunt, Azorius *p. 3. l. 10. c. 2.* & communis aliorum. Ratio est; quia omnis negotiatio lucri causa Clericis est prohibita, *can. 1. cau. 14. q. 4. & can. Si quis 4. eadem cau. & q.* ibi: *Si quis ex quolibet negotio turpe lucrum quæsierit, &c.* juncto *can. 9. dist. 88.* ibi: *Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.* Dicitur autem notanter, *lucri causa*; quia ob suam, vel suorum necessitatem, tam contractum Emphyteuticum, quam alium licitè ac validè contrahere possunt. Azorius putat, etiam fæminas ab accipienda Emphyteusi excludi: verum quia hujus dicti non apparet fundamentum in Jure, hinc cum aliis tenendum fæminas æquè, ac viros in Emphyteusin accipere posse prout diximus *n. præc.* dummodò dominus directus dare velit.

141 Quæritur IV. Quænam res in Emphyteusin dari queant. Quamvis olim solæ res incultæ, steriles, ac desertæ in Emphyteusin fuerint concessæ, eo fine, ut industria & cultura Emphyteutarum fructuosæ, fertiles, ac meliores redderentur, prout juxta nominis Ethymologiam statim ab initio, *§. V. n. 118.* notavimus, *arg. L. 3. C. de jure emph.* tamen hodie etiam res frugiferæ, ac fertiles, item domus, aliæque res immobiles in Emphyteusin dari solent, & possunt, *arg. §. 3. Inst. h. t.* illis verbis: *De Prædiis, quæ perpetuò quibusdam fruenda dantur,* juncta *Authent. Si quas ruinas, C. de SS. Eccl. & Novel. 120. c. 1. §. fin.* Docetque praxis & consuetudo ubique recepta: & consentiunt DD. communiter.

142 Resp. II. Solæ res immobiles, non item mobiles in Emphyteusin dari possunt. Patet Conclusio ex dictis suprà *n. 122.* quibus addendum, quod si res mobiles solo Emphyteutico adhæreant, una cum ipso fundo in Emphyteusin dari & accipi possint, Azorius *l. c. c. 3. q. 6.* Harprech. *ad §. 3. Inst. h. t. n. 143. & seqq.* Ratio est: quia quamdiu solo immobili seu fundo adhærent, pars ejus, unaque res cum ipso esse censetur, *l. Fructus 44. ff. de rei vendic.* ibi: *Fructus pendentes pars fundi videtur.*

143 Resp. III. Non tantum res Laicales, sed etiam Ecclesiasticæ in Emphyteusin dari possunt. Prout specialiter dicetur *§. fin.*

§. VI.

De obligationibus & Juribus emphyteutæ.

SUMMARIUM.

145 *Quatuor potissimum habet obligationes emphyteuta.*
146 *Prima est, ut servet pacta conventa.*
147 *Secunda est, ut rem emphyteuticam meliorem reddat, si hac conditione accepit.*
148 *Absque hac conditione eam propriis expensis conservare tenetur, in illa bonitate, in qua accepit.*
149 *Si tota res Emphyteutica absque culpa emphyteutæ, casu v. g. perit, periculum penes dominum est: si verò non tota perit, periculum emphyteutæ est.*
150 *Si tota res perit causa emphyteutæ, ipsius erit periculum*
151 *Tertia obligatio emphyteutæ est, ut solvat annuum canonem.*
152 *Qui potest esse magnus & parvus.*
153 *Dummodò sit minor fructibus annuis.*
154 *Si casu aliquo tota res perit, annuum canonem solvere non tenetur emphyteuta.*
155 *Et si res secundum partem pereat, aut ex illa emphyteuta ob sterilitatem, vel alium casum fortuitum, nullos aut modicos percipit fructus, tenetur is nihilominus solvere canonem, si modicus est constitutus in solam recognitionem dominii.*
156 *Secus verò, si canon magnus etiam intuitu & consideratione fructuum impositus est.*
157 *Indeque probatur ratione.*
158 *Solvitur instantia, & ostenditur, DD. in contrarium allegatos stare pro nobis. Et n. seq.*
160 *Hodie ordinariè tenentur domini remittere de canone, quando ob sterilitatem, aut alios casus damnum patiuntur emphyteutæ.*
161 *Nisi damnum sit modicum.*
162 *De augmento canonis. Remissivè.*
163 *Emphyteuta habet jus, utendi ac fruendi re emphyteutica.*
164 *Ejusque incrementis, & augmentis, saltem, si non omninò distinctè appareant.*
165 *Melioramenta, quæ emphyteuta in emphyteutica re facit vi contractus, finita emphyteusi plenariè pertinent ad dominum.*
166 *Illatio practica.*
167 *Melioramenta verò gratis facta, finita emphyteusi tenetur refundere dominus. Et n. seq.*
169 *Etiamsi contractu jam celebrato in habuerit emphyteuta, ne quid ædificet, vel ne meliorationes indebitas faciat.*
170 *Aliud foret, si in ipso contractu cautum esset, ne quid sine consensu domini immutaret &c.*
171 *Meliorationum non debitarum impensas repetere valet emphiteuta, etsi propria culpa Emphyteusin amittat.*
172 *Solvitur Lex in contrarium allegata.*
Emponemata quid? Ib.
173 *Confirmatur ex Novella 120.*
174 *Potest emphyteuta rem Emphyteuticam aliis vendere.*
175 *Dummodò priùs id domino intimet, pretiumque, quo vendere velit, indicet.*
Si dominus eodem pretio emere velit, ei præ aliis vendere tenetur: si nolit, vel per duos menses se non declaret, potest vendere, cui vult, Ib.
176 *Modo vendat personis, Emphyteusin emere non prohibitis.*
Nequit Emphyteusis vendi iis, ob quorum potentiam vel paupertatem, vel aliam rationem fit deterior domini conditio. Ib.
177 *Ecclesiis, & aliis causis piis, sicut & communitatibus vendi non potest Emphyteusis; nisi emphyteuta sit ejusdem conditionis.*
Militibus & curialibus vendi nequit. Ib.
178 *Potest emphyteuta inscio & invito domino Emphyteusin venum exponere, & cum licitatoribus de pretio in eventum tractare.*
179 *Emphyteuta absque præscitu & consensu domini potest Emphyteusin suam donare, legare, & in dotem dare.*
180 *Iis, intuitu quorum non fit deterior conditio domini.*
181 *Quibus tamen, præsertim Ecclesiis donari & legari potest, adhuc, ut saltem ejus æstimationem recipiant, vel intra annum vendant.*
182 *Debet etiam donatio fieri sine fraude.*
Et Donatarius, vel Legatarius investituram à domino petere, eique laudemium solvere. Ib.
183 *Potest emphyteuta domino irrequisito rem cum alio permutare.*
184 *Nisi dominus similem rem, pro qua emphyteusin emphyteuta permutare vult, ipsemet habeat.*
185 *Potest insuper emphyteuta irrequisito domino rem oppignorare.*
186 *Et ad breve, non item ad longum tempus locare.*
Tempus breve, longum quid? Ib:

Quatuor potissimum obligationes habet emphyteuta, videlicet servandi pacta in contractu Emphyteutico facta 2. Colendi & conservandi rem emphyteuticam. 3 Solvendi annuum canonem. 4. Præstandi laudemium: ut patebit ex sequentibus. 145 146

Quæritur I. An, & quomodo emphyteuta obligetur servare pacta conventa? Resp. Emphyteuta tenetur perfectè

fectè servare, quidquid per contractum Emphyteuticum inter ipsum & dominum directum specialiter conventum est. Textus expressus habetur *l. 2. C. de Jure Emphyt.* ibi: *In Emphyteutico contractu sancimus, siquidem aliquæ pactiones in emphyteuticis instrumentis sint conscriptæ, easdem & in omnibus aliis observari.* Ratio est quia *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. Reg. 85. Jur. in 6.* Unde in dignoscendis obligationibus emphyteutæ, ante omnia inspici debet scriptura, seu instrumentum scriptum quod super Emphyteusi erigi debere diximus suprà *n. 133.*

147 Quæritur II. An, & quomodo teneatur emphyteuta rem in emphiteusin concessam colere, & conservare? Resp. I. Si emphyteutæ in Emphyteusin res sterilis, vel inculta data est hac conditione vel pactione, ut eam frugiferam & meliorem redderet, tenetur id facere propriis impensis, nec satisfaciet eam in suo esse, in quo accepit, conservando. Communis ac certa. Patetque ex conclusione præcedenti; hoc ipso enim, quod teneatur emphyteuta pactiones specialiter factas observare, *l. 2. C. de jure emphyt.* tenetur rem sterilem & incultam in emphyteusin acceptam, reddere meliorem & frugiferam, si sub hac conditione & pacto eam accepit.

148 Resp. II. Si emphyteutæ in Enphyteusin data est res jam frugifera & culta, vel etiam res immobilis de se infrugifera v. g. domus, absque adjecta meliorationis pactione, seu conditione, tenetur emphyteuta eam conservare in ea bonitate, in qua accepit, ita ut si vel usu quotidiano, vel casu, multò magis si sua aut servorum culpa deterior evadat, eandem propriis impensis restaurare, & ad pristinum statum, seu bonitatem redigere teneatur. Molina *disp. 456.* dicens, in hoc convenire DD. & meritò; quia ita expressè statuitur *§. 3. ad fin. h. t. Auth. qui rem C. de SS. Ecclesiis, l. 1. C. de jure emph.* ibi: „ Si ea, quæ fortuitis casibus evenerunt, pactorum non fuerint conventione concepta, siquidem tanta emerserit clades, quæ „ prorsus etiam ipsius rei, quæ per emphyteusin data est, „ faciat interitum, hæc non Emphyteuticario, cui nihil „ rei permansit, sed rei domino, qui quod fatalitate ingruebat, etiam nullo intercedente contractu habiturus „ fuerat, imputetur. Sin verò particulare, vel aliud leve „ contulerit damnum, ex quo non ipsa rei penitus lædatur „ substantia: hoc Emphyteuticarius suis partibus non dubitet asscribendum. Simile quid habetur *novel. 7. §. 2.* ibi „ Scire oportet emphyteutam, si deterius fecerit prædium, aut suburbanum, aut domum, cogi eum de suo „ diligentiam, ac restitutionem prioris status facere, & „ obligatum esse ad hoc ipsum & hæredes ejus, & successores ejusdem rei &c. In quo differt rursus à Locatione, vi cuius conductor domum vel aliam rem conductam, quæ absque culpa sua, solo quotidiano usu, aut casu deterior fit, propriis expensis reparare non tenetur, & si reparet, expensas à Locatore prætendere potest per ea, quæ suprà *n. 61. & 62.* dicta sunt. Ratio diversitatis est; quod quia in Locatione pro solo rei locatæ usu & fructu absque ullo dominio utili datur annua pensio, seu pretium, & quidem tantum, quantum æstimatur rei hujusmodi usus & fructus æquum sit, ut periculum rei penes locatorem tanquam dominum plenarium maneat, ipsamque rem locatam usu quotidiano, à quo pretium recipit, casuvè pereuntem, vel deterioratam reparet, & restauret, *arg. reg. 55. jur. in 6.* E contra vero in Emphyteusi, quia transfertur in emphyteutam dominium utile, & ipse pro eo tantum annuatim non det, quantum usus & fructus rei æstimantur; cum annuus canon minor sit fructibus, & usu rei Emphyteuticæ, qualitas postulat, ut hic aliunde aliquid recompenset, reparando nempe, & in pristinum statum redigendo rem Emphyteuticam, si usu rei, vel casu deterior fiat, *arg. cit. Iuribus.*

149 Resp. III. Si res Emphyteutica absque culpa emphyteutæ, casu aliquo totaliter perit, v. g. incendio comburitur, ab hostibus vastatur, domino directo perit, ut proin emphyteuta eandem de novo restaurare, vel reædificare propriis expensis non teneatur. Molina *c. disp. 456.* & cum communi aliorum. Textu claro *§. 3. Inst. h. t.* ibi: *Si nihil de periculo fuerit pactum; tunc siquidem totius rei interitus accesserit, ad dominum super hoc redundare periculum, ad emphyteuticarium, hujusmodi damnum venire. Quo Jure utimur.* Concordat tex. ex *l. 1. C. de jur. emph.* allegatus *n. præc.*

150 Dicitur notanter, *si casu, & absque culpa emphyteutæ*; hujus enim si culpa lata vel levi res totaliter pereat, haud dubiè de damno tenebitur, eo quod in omni contractu, qui in gratiam utriusque celebratur, ex culpa lata & levi obligatio oriatur juxta jam sæpius reperita, *arg. l. Si ut certo, 4. §. 2. ff. Mandati* ibi: *In contractibus &c. ubi utriusque utilitas vertitur, & dolus, & culpa præstatur.* Et ibi DD. communiter. Hinc infertur, emphyteutam ad totum damnum teneri, si domus eidem in Emphyteusin data propterea collabatur, quod eandem emphyteuta debito tempore non refecerit, & à ruina, uti tenebatur, non custodierit: sic namque ipsius culpa periit.

Quæritur II. An, & qualiter teneatur emphyteuta dare pensionem seu canonem annuum? Resp. I. Certum est de Iure, quod emphyteuta teneatur singulis annis domino dare aliquam certam pensionem in recognitionem dominii directi. Omnes ob clara Iura *l. 2. C. de jure emph. §. 3. Inst. h. t. c. fin. h. t.* Quæ pensio communiter vocatur canon citatis Iuribus. Differt tamen à pensione Locationis, quod hæc detur juxta æstimationem usus, seu fructuum: quos conductor ex re locata percipit juxta dictum *n. 125.* Canon in Emphyteusi vero principaliter detur in recognitionem dominii directi, uti notant DD. communiter. Tempus porrò, quo dari debet annuus canon, illud est, quod aut per contractum, aut per consuetudinem determinatum est. Potissima consuetudo habet, quod ad finem cuiuslibet anni præstetur. Clarus *§. Emphyteusis q. 12. n. 1.* Iason *in l. 1. C. de jure emph.* Azorius *lib. 10. c. 7. q. 1.* Pirh. *h. t. n. 34.* In Bavaria solvitur circa tempus S. Michaelis. 151

Resp. II. Licet juxta præcedentem Conclusionem in Emphyteusi canon annuus principaliter detur in recognitionem dominii directi; tamen hodie etiam datur in compensationem dominii utilis, lucri, & fructuum, ex re Emphyteutica præceptorum, vel percipiendorum, ut proin juxta horum proportionem major & minor imponi valeat, adeoque necesse non sit, ut in modica quantitate constituatur; dummodo sit minor annuis fructibus. Alvar. Valas *de jure emph.* Molina *disp. 451. n. 2.* Azorius *l. c. qu. 1.* ubi citat communem contra Bartolum *in l. 1. C. de jure emph.* & nonnullos alios volentes, canonem annuum Emphyteusis consistere debere in modica quantitate, alias transire in Locationem. Ratio autem Conclusionis est; quia ex nullo textu Iuris ostendi potest, quod in emphyteusi canon annuus necessario esse debeat modicus; cum ubique tantum percipiatur, ut canon diligenter solvatur; ergo. Confirmatur diuturna consuetudine fermè ubique vigente, vi cujus videmus, quod juxta proportionem fructuum pro canone annuo satis magna quantitas pecuniæ, frumenti, vel alterius materiæ iuxta tenorem contractus imponatur, v. g. viginti, aut triginta scaphæ, aut aliæ certæ mensuræ frumenti, non raro 50. vel 70. aut etiam centum florenos efficientes, consuetudo autem *est optima Legum interpres, c. cum dilectus 8 de consuet.* & quæ pro Lege habenda est, quando ex Iure scripto nihil certi habemus *l. 33. ff. de legib.* ibi: *Diuturna consuetudo pro Jure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet.* 152

Additur tamen in Conclusione, *dummodò annuis fructibus sit minor*: quia cum præter canonem etiam laudemium solvere debeat Emphyteuta, *l. 3. C. de jure emph.* graviter læderetur requisita in contractibus æqualitas, si canon annuus in valore æqualis esset fructibus annuatim percipiendis, ut consideranti patet. Et per hoc evitatur, ne Emphyteusis transeat in Locationem; quamvis ab eadem etiam aliunde sufficienter censeretur distincta per hoc, quod canon annuus in Emphyteusi detur in recognitionem dominii directi, non item in Locatione: item quod hæc tam de mobilibus, quam immobilibus; illa vero de solis immobilibus fiat. Rursus in Emphyteusi detur laudemium, non item in Locatione. Ac denique, quod hæc ad modicum, illa ad longum tempus celebretur, juxta hactenus dicta, ut proin fundamentum Adversariorum de Identitate cum Locatione penitus non subsistat. 153

Quæritur III. An emphyteuta teneatur solvere integrum canonem annuum, casu quo res emphyteutica ex toto vel parte perit? item quando ob sterilitatem, hostium incursiones, vel alium casum fortuitum absque culpa ipsius contingentem nullos vel modicos percipit fructus? Resp. I. Quando res emphyteutica totaliter fuit destructa, vel ablata sine spe recuperationis, v. g. si domus incendio 154

totaliter periit, si fundus alluvione totus quantus abreptus, si prædium ab hostibus occupatum est sine ulla spe recuperationis, non tenetur emphyteuta solvere aliquem canonem annuum. Alvar. Vasas *de jure emph. qu. 27. nu. 1.* Jul. Clar. *l. c. q. 8. n. 8.* Zoesius *h. t. n. 20.* Abbas *in c. fin. h. t. nu.* fin. Molina *disp. 454. n. 1.* Azorius *p. 3. lib. 10. c. 6. qu. 1.* dicens in hoc convenire omnes, *arg. §. 3. Inst. h. t* & *l. 1. C. de Jure emph* Ratio est, quia canon annuus datur in recognitionem dominii directi; consequenter si non amplius extat, vel ad alium transit dominium, emphyteuta jam hoc ipso in priori domino illud annua pensione recognoscere amplius non potest. Accedit, quod re perempta pereat jus super ea re constitutum, vel ex ea debitum. Azorius *l. c.* Unde communiter recipiuntur duo illi versus apud Clarum *l. c.*

Si perit tota, non debet emphyteuta

Sed si pro parte, nulla se liberat arte.

155 Resp. II. Etsi res Emphyteutica ex parte pereat, vel ob sterilitatem, vel hostium incursionem, vel alium casum fortuitum contingentem, nullos aut modicos colligat fructus emphyteuta, tenetur is nihilominus integrum solvere canonem annuum, si exiguus sit, & in modica consistat quantitate. Abbas *l. c. n. 16. l. c. n. 7.* ubi citat communem: Jason *in l. 1. c. de jure emph. n. 18.* allegans communem. Glossa *in c. fin. h. t. ℣. Expelli, prope finem*, id pro certo asserens Molina *l. c.* Azorius *l. c q. 2.* Zoesius *h. t. nu.* 20. & revera communissima aliorum, *arg. cit. §. 3. Inst. h. t.* & *L. 1. Cod. de Jure Emphyteut.* ubi habetur, quod nisi tota res pereat, totum damnum ad emphyteutam pertineat. Ratio autem est; quia quando modicus præbetur canon annuus, non censetur solvi intuitu, seu ratione fructuum, sed præcisè præberi in recognitionem dominii directi; consequenter quamdiu dominium hoc manet, solvi debet, non obstante quod nullos ex re colligat fructus emphyteuta. Dicitur notanter in Conclusione, *si canon sit exiguus, seu in modica consistat quantitate.* Nam

156 Resp. III. Si solvendus canon est magnus, & non tantum in recognitionem dominii directi, sed etiam intuitu & consideratione fructuum, seu in compensationem dominii utilis impositus, non tenetur emphyteuta integrum solvere canonem annuum, pro illo anno, quo ob sterilitatem, hostium invasionem, aut alium absque ipsius culpa contingentem casum fortuitum, nullos, aut modicos percipit fructus, aut magnum & notabilem in iis patitur defectum, seu detrimentum. Jason. *in l. 1. C de jure emph. n. 20.* Clarus *l. c. n. 7* Gallus *lib. 7 observ. 23* Navarrus *in Manual c. 17. n. 190* Carpz *p. 2. c. 38* Alvar. Valasc. *de jure emph. q. 27. a n. 7.* Konig *h. t. n. 43* Lessius *lib. 2. c. 24. n. 49.* Pirhing. *h. t. n. 7.* Layman *lib. 3. tr. 4. c. 22. n. 7.* Sylvester *℣. Emphyteusis, q. 1.* Bartolus, Lopez, & teste Navarro communis aliorum. Probatur Conclusio. Quando annuus canon magnus constituitur intuitu & ratione fructuum, eorumque in compensationem, tunc assimilatur Emphyteusis in hoc puncto Locationi, ejusque naturam induit, utpote in qua etiam merces & annua pensio intuitu fructuum, & juxta eorum æstimationem præstatur, juxta dicta superius: atqui in Locatione conductor pensionem integram solvere non tenetur, sed pro rata minuere potest, casu quo ob sterilitatem, aut alium fortuitum casum fructus non percipit, aut re conducta uti non potest, juxta dicta supra *n. 38. & seqq.* ergo idem de Emphyteusi erit dicendum.

157 Confirmatur. Cessante ratione & causa Legis vel obligationis cessat Lex, seu obligatio ipsa, *l. Adigere, §. 2. ff. de jur. patron.* atqui causa & ratio, ob quam etiam tempore sterilitatis, & contingentibus casibus fortuitis magnum damnum afferentibus emphyteuta de Iure tenetur solvere integrum canonem, est, quia is modicus tantum in solam recognitionem dominii directi, & non in compensationem fructuum præbetur, uti ipsi fatentur Adversarii: ergo, si non in solam recognitionem dominii modicus tantum; sed etiam in compensatione fructuum, magnus præbetur canon, obligatio eam solvendi, tempore sterilitatis cessat. Vel sic: causa solvendi magnum canonem, sunt magni fructus; ergo si hi sint nulli, vel modici, magnus canon solvi non debet.

158 Nec dicas, hanc Conclusionem esse contra doctrinam communem, gravissimorum DD. puta, Abbatis, Gratiani, Nattæ, Ancorani, Azorii &c. Glossæ *in c. Potuit h. t. ℣. Expellere*, & alios, utpote, qui absolutè asserunt, propter sterilitatem, aut alios casus fortuitos emphyteutam non excusari à solvendo integro canone: ergo curanda non est Conclusio, vel saltem à dominis directis contrarium securè practicari potest. Respondetur primo. Transmisso anteced. negando conseq. tum, quod DD. æquè graves stent in contrarium. Tum quia doctrina, cui jus clarum, vel ratio obstat, practicari nequit, etsi à DD. defendatur, ut supponitur ex Theologia. Respondetur secundo Negando antecedens; quia si prædicti & alii DD. benè legantur, potius pro Conclusione nostra, quam contra eam stare dignoscentur. Siquidem æstimati hi Adversarii ideò docuere canonem negari, aut pro rata minui non posse, uti minuitur in Locatione propter sterilitatem, aliosve casus fortuitos rem non totaliter destruentes, quia supposuere, in Emphyteusi canonem semper autem saltem regulariter dari in modica quantitate, præcisè in recognitionem dominii, & non in compensationem fructuum, vel eorum intuitu, uti in Locatione: ergo à sensu contrario, si præbetur in magna quantitate, ac in compensationem fructuum, uti in Locatione, pensio pro rata negari, aut minui potest. Videatur Abbas *l. c. n. 18.* ubi rationem diversitatis affert, ob quam in Locatione, & non in emphyteusin canon remittatur ob casus fortuitos; quia nempe in illa datur pensio propter fructus, in ista vero *in recognitionem dominii.* Eodem modo contra nos citatus discurrit Azorius his verbis; *Nam pensio in emphyteusi non solvitur ratione fructuum: sed ut rei dominus agnoscatur*, pariter discurrunt cæteri.

Ratio est; quia antiquitus regulariter, & ordinariè 159 loquendo, modicæ tantum ac minimæ pensiones annuæ imponebantur emphyteutis, præcisè in recognitionem dominii directi, nullatenus verò in compensationem fructuum, prout cum aliis bene observat, & probat Fag. *in c. potuit h. t. a. 21. & seq* ubi plures antiquos refert DD. Jason, Bald Barbat. Natta. &c idipsum pro tam certo habentes, ut ex hoc solo discrimen inter Locationem & emphyteusin agnoverint, quod nempe in illa ob compensationem fructuum præbeatur Pensio magna: in hac vero absque consideratione pensio modica in solam dominii recognitionem solvatur. Idem tenuit Rota *dec. 14. n. 11. & 12 p. 6. recent.* ut proin omnes contra nos citati sentiant nobiscum in casu, quo canon magnus, non in solam recognitionem dominii, sed etiam ratione & consideratione fructuum constituitur, consequenter Conclusio nostra communissima, & vix non unanimis sit apud DD. Ex qua

Infertur, quod moderno tempore domini directi regu- 160 lariter omninò teneantur, emphyteutis pro rata canonem remittere, si ob sterilitatem, hostium incursionem, aut alios casus fortuitos absque eorum culpa contingentes nullos aut modicos fructus colligunt, aut saltem magnum in iis defectum vel detrimentum patiuntur, eo quod revera moderno tempore canon sat magnus non in solam recognitionem dominii, sed vel maximè etiam intuitu & consideratione fructuum, eorumque in compensationem ordinariè constituatur.

Resp IV. Si damnum, seu defectum fructuum ob ste- 161 rilitatem, vel casus fortuitos modicus est, tenetur emphyteuta integrum solvere canonem, etsi magnus sit, & in compensationem fructuum præbeatur. Ita omnes. Ratio est; quia ob damnum modicum ipse etiam locator remittere debet integram pensionem, nec aliquid ei remittitur per dicta suprà *n. 45.* ergo multò magis emphyteuta, utpote qui solvendi pensionem maiorem & minùs remissibilem obligationem habet juxta dicta. Valet enim argumentum à minori ad maius, Everhard. loco 15. à minori *arg. c. cum dilectus, de elect.*

Porrò an, & quando dominus augere possit annuum ca- 162 nonem; item quando ob non solutum canonem perdat jus Emphyteuticum emphyteuta, dicetur §. seq de jure dominio directi. Circa secundam §. partem de Iuribus emphyteutæ notandum, illa præcipuè consistere in usu rei Emphyteuticæ, & in percipiendis ex ea fructibus ac meliorامentis, nec non in alienatione ejusdem. Hinc

Quæritur IV. An, & quale jus competat emphyteutæ 163 utendi re Emphyteutica, & percipiendi ex ea fructus?

Resp. I. Salva rei substantia potest emphyteuta liberrimè uti, ac frui re Emphyteutica, ita ut eidem competat verum jus reale contra quemcunque possessorem. Est certa & indubitata apud omnes. Patetque ex definitione emphyteusis superiùs data & explicata, præsertim ex *n. 123.* ubi ex hoc, quod emphyteuta dominium utile habeat, docuimus, eidem competere jus reale contra quemcunque possessorem, *arg. l. 1. ff. Si ager vectigalis*, etiam ipsum dominum, si inique eum impedire vellet à dominio utili, quod in illum per Emphyteusin transtulit.

164 Resp. II Emphyteutæ etiam competit jus percipiendi fructus ex augmento, seu incremento rei emphyteuticæ per alluvionem, vel alium casum facto, Clarus *§. emphyteusis quæst. 41. n. 1 arg. l. Item si fundi 9. §. Vicinus 4. ff. de Usufruct. & quemadmodum.* Ratio est, quia, cùm omne decrementum ad emphyteutam pertineat, *l. 1. C. de Jure Emphyteut.* æquum est, ut etiam incrementum ad eundem pertineat; nam *secundum naturam est; commoda cujuscunque rei, eum sequi, quem sequuntur incommoda, l. 10. ff. de Reg. Jur.* Limitat Clarus *loc. cit.* Conclusionem in casu, quo incrementum patenter ac distinctè accedit rei emphyteuticæ, *arg. cit. l. 9. ff. de Usufruct.* Alii verò in additionibus ejusdem, hanc limitationem rejiciunt: videtur tamen Clari sententia solidè fundari in Jure, saltem in casu, quo valdè patenter & distinctè incrementum accedat, *cit. l. 9. ff. de Usufruct.* ibi: *Placuit alluvioni quoque usumfructum, ad usufructuarium pertinere. Sed si insula juxta fundum in flumine nata sit, ejus usumfructum ad usufructuarium non pertinere, Pegasus scribit, licet proprietati accedit: esse enim veluti proprium fundum, cujus ususfructus ad te non pertineat. Quæ sententia non est sine ratione: nam ubi latitat incrementum, & ususfructus augetur: ubi autem apparet separatum, fructuario non accedit.* Illud certum videtur, quod idem Clarus *§ Feudum §. 88. ℣. Item quæro*, notat, hujusmodi incrementa neutiquam quoad proprietatem, sed tantum quoad dominium utile, quamdiu nempe emphyteusis durat, emphyteutæ accedere. Id, quod dicit Conclusio.

165 Quæritur V. Ad quem pertineant melioramenta, seu meliorationes, quas in re emphyteutica facit emphyteuta? Ante responsionem notandum, quæstionem potissimum esse de tempore, quo emphyteusis vel ex culpa emphyteutæ, vel quia tempus determinatum elapsum est, finitur, seu exspirat. Nam quamdiu Jure Emphyteutico emphyteuta gaudet, dubium non est, quin meliorationes ab emphyteuta facta, saltem quoad dominium utile ad eum pertineat, ipseque iis uti, & fructus ex eis colligere valeat. Resp I. Melioramenta, seu meliorationes, quas emphyteuta vi contractus emphyteutici facere debuit, putà, pro conservanda re emphyteutica, vel colligendis fructibus; aut quia accepit in emphyteusin rem sterilem, incultam, aut dirutam hac conditione, ut eam frugiferam reddat, colat, aut ædificet, plenariè pertinent ad dominum, tempore, quo finitur emphyteusis, sive dein ex culpa emphyteutæ, sive ex alia causa finiatur. Jason *in l. 1. Cod. Jure emphyteut.* Molina *disp 456. n. 1. & 463. n. 1.* Alvar. Valasc. *de jure emphyt. q. 26 art. n. 1* citans Bart. Bald. Fach. *lib. 1. Contr. 92.* cum communi aliorum. Patetque Conclusio ex *n. 146. & 147.* Juribusque ibidem allegatis.

166 Infertur, ineptè prætendi à rusticis, aut aliis emphyteutis ad finem emphyteusis, vel dum à directis dominis removentur, illas expensas, quas fecerunt pro conservando & colenda re emphyteutica, ædificando, aggeres reficiendo, fossata purgando, puteos mundando, stabula pro pecoribus, horreum pro frumento, & tecta reparando, vias muniendo &c eò quòd cuncta hæc ex natura contractus facere tenebantur, adeò ut omittentes ad restitutionem & recompensationem cogi potuissent, suprà *n. 148.*

167 Resp. II. Meliorationes notabiles reliquæ, quas emphyteuta absque obligatione liberè fecit in re Emphyteutica, pertinere ad emphyteutam, vel hæredes ejus, debetque dominus æstimationem earum finita emphyteusi emphyteutæ refundere, si adhuc extant, & emphyteusis absque culpa emphyteutæ finitur; putà, quia tempus vel Generatio, ad quam data fuit, extincta est. Clarus *loc. cit. q. 45.* ubi citat communem. Berous *q 16.* asserens, esse ab omnibus receptam, Molina *disp 463. nu. 2.* allegans communem. Alvar. Valasc. *de Jure Emphyteut. q. 25.* cum communi aliorum, *arg. l Eum ad quem. C. de Usufruct.* ibi: *Si quid ultra, quam impendi debeat, erogatum potes docere, solemniter reposces juncta l. Divortio §. Impendio ff. Soluto matrim.* Ratio est; quia *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, fieri locupletiorem, l. Nam hoc 14. ff. de Condict. indebit. & Reg. 206 ff. de Reg. jur.*

Infertur, quod si emphyteuta domum, horreum in- 168 cendio combustum, aut alio casu absque culpa ipsius penitus destructum &c. reædificet: vel si aliud novum ædificium utile extruat, teneatur dominus finita Emphyteusi æstimationem illorum emphyteutæ vel hæredibus ejus refundere.

Procedit præfata doctrina, etiamsi dominus post con- 169 tractum jam absolutum inhibuerit emphyteutæ, ne aliquid de novo ædificaret, vel etsi protestetur, se nihil soluturum, si aliquid de novo ædificet, aut aliàs meliorationes non debitas faciat, Molina *loc. cit.* Valasc *loc. cit. n. 9. & 10.* sequitur Schmidt ad *tit. 20. art 5. n. 16 & 17.* Ratio est; quia post contractum jam factum dominus prohibere non potest, quin emphyteuta in re emphyteutica meliorationes utiles faciat: cum has vi naturæ contractus facere queat. Hinc licet aliàs negotiorum gestor non possit prætendere à domino expensas, quas contra prohibitionem domini fecit, *l. fin. Cod de Negot. gest.* tamen hoc non procedit, quando dominus id prohibere nequit, uti in emphyteusi. Molina & Valasc citati.

Aliud foret, si in ipso contractu conventum, & cau- 170 tum esset, ne emphyteuta sine domini consensu aliqua nova ædificia, aut aliàs non debitas meliorationes faceret; vel quod, si faciat, propriis impensis non refundendis præstet, *l 2. Cod. de jure emphyteut* & DD. citati. Vel si in fraudem excessivas meliorationes facere, tempore litigiosæ emphyteusis, ut sic dominum, qui forsan ob paupertatem tantas meliorationes refundere non posset, à lite cessare tacitè cogat, DD citati cum aliis. Ratio est; quia *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent.*

Resp. III. Quamvis sit communissima sententia DD. 171 quod si emphyteuta in commissum incidat, seu ex sua culpa emphyteusin amittat, etiam omnes quascunque tandem meliorationes perdat, uti videre est apud Clarum *§. Emphyteusis quæst. 45.* Molinam *disp. 453.* Alvar. Valasc. *de jure Emphyteut. quæst. 25. n. 2.* & alios, *arg. l. 2. Cod. de jure Emphyteut.* Nihilominus omninò probabile, & æquitati naturali consentaneum videtur, quod etiam in casu caducitatis, seu dum ex sua culpa Emphyteusim perdat emphyteuta, non amittat melioramenta extraordinaria ac indebita; consequenter eorum æstimationem à domino prætendere possit, & hic eam refundere teneatur. Ita Fachin. *lib 7 contr. 90* Alvar. Valasc. *cit. quæst. 25. n. 3.* Pinel *in l. 2. Cod de rescind vendit. par. 2 cap. 3. n 9.* Molina *disp. 455* Lopez, & alii, quibus novissimè subscribit Schmidt in Coment. ad Jus Bavaricum, *tit. 21. art. 5.* Ratio est; quia, ut suprà jam allegatum, *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento locupletiorem fieri, cit. l. Nam 14. ff. de Condict. indeb. & leg. 206. ff de reg. jur.* Ob quam rationem etiam malæ fidei possessor repetere potest sumptus, quos in re mala fide possessa fecit, uti benè advertit Fachin. *loc. cit.* Baldus *in §. Adeò. Instit. de Locato arg. leg. Planè 38 ff. de Petit. hæred.* ibi: *Benignus est, in hujus quoque persona haberi rationem impensarum.* Ratio eadem, quæ supra redditur ibidem illis verbis. *Non enim debet petitor ex aliena jactura lucrum facere.* Ergò multò magis impensas in melioramenta factas repetere potest emphyteuta, utpote qui rem bona fide possedit, bonaque fide, & pleno jure impensas fecit juxta dicta *n. 169.*

Nec obstat *l 2. de jure Emphyteut* ubi clarè decidi vide- 172 tur, quod emphyteuta in commissum cadens, seu ex sua culpa emphyteusin amittens, meliorationes prætendere non possit. Sic enim habes: *Et* (domino) *licere eum* (emphyteutam) *prædiis Emphyteuticariis repellere nulla ei imposterum allegatione nomine meliorationis, vel eorum, quæ emponemata dicuntur, opponenda.* Resp. enim cum Fachin *loc. cit.* & aliis, dictam Legem loqui de melioramentis illis, quæ ex natura emphyteusis facere debet emphyteuta, non verò de melioramentis extraordinariis atque indebitis, prout liquet ex adjuncto termino *emponemata*, terminus enim iste græcus est, & propriè significat eas meliorationes, quibus res sterilis vel inculta in emphyteusin concessa, colitur, conseritur, plantatur, ac vi contractus melior efficitur, uti benè explicat Calvini

Lexicon Juridicum *V. Emponema*, ubi Calvinus increpat modernos quosdam Juristas, qui id minus advertentes docent, etiam extraordinarias meliorationes ad dominum transire.

173 Confirmatur ex *Novel. 120. c. 8.* ubi sine ulla mentione de alia melioratione solummodo statuitur, quod emphyteuta ob culpam suam emphyteusin amittens, non valeat de *emponematis* actionem instituere. Ratio ulterior est, quia, cum olim ipsis fatentibus Adversariis, non nisi sterilia & inculta ordinariè in Emphyteusin concedebantur hac lege, ut fertiles redderentur, colerentur, & meliorarentur, Jura de meliorationibus disponentia, non nisi emponemata, seu illas meliorationes ordinariè intelligunt, quæ pro colenda & fertili reddenda re emphyteutica, necessariæ, & consequenter vi contractus debitæ sunt.

174 Quæritur VI. An, & quale jus competat emphyteutæ alienandi rem emphyteuticam, vel per alios contractus disponendi de ea pro libitu? v. g. vendendi, donandi, legandi, locandi, oppignorandi &c. Resp. I. Potest emphyteuta tam ipsam rem emphyteuticam, quam meliorationes in eam factas vendere, si requisitas à Jure adhibeat conditiones. Ita omnes. Ob clara Jura *l. fin. C. de Jure emphyt.* & *c. fin. h. t.* ibi: *Potuit emphyteuta (Ecclesia primitus requisita, eique nuntiato, quantum sibi ab illis offertur, si nolle se emere dixerit: vel à denuntiatione tempore duorum mensium spatium fuit elapsum) meliorationes, & jus sibi competens aliis vendere, qui ab emptione hujusmodi minimè prohibentur.* Idem habetur, magisque declaratur *cit. l. fin. C. de Jur. emphyt.*

175 Ex quo textu infertur, duas potissimum conditiones à Jure requiri ad hoc, ut emphyteuta ritè vendere valeat rem emphyteuticam cum suis meliorationibus. Prima est ut priùs domino directo significet, quod, & quanto pretio vendere velit emphyteusin; quo facto, si dominus vendendi licentiam dederit, vel nolle se emere dixerit, *c. fin. h. t.* liberè vendere poterit; si dicit, quod ipsemet hoc pretio emere velit, ipsi præ aliis vendere tenetur, *c. l. fin. C. de Jure emphyt.* ibi: *Si dominus maluerit tantam quantitatem præstare, quantam ipse reverà emphyteuta ab alio recipere potest, ipsum dominum omnino hoc comparare.* Si vero nihil dicat, sed taceat, debet expectare per duos menses, ut dominus interea deliberare valeat, an indicato pretio ipsemet emere velit, uti potest *cit. cap. fin. & l. fin. C. de jure Emphyt.* ibi: *Sin autem duorum mensium spatium fuerit emensum, & dominus hoc facere,* Id est eidem oblatum ab aliis pretium ipse *dare noluerit, licentia emphyteutæ detur, ubi voluerit, & sine consensu domini meliorationes suas vendere, l. fin. C. de jure emphyt.* quod idem habetur *c. fin. h. t.* ibi: *Si à denuntiationis tempore duorum mensium spatium fit elapsum, meliorationes, & jus sibi competens aliis vendere potest;* non obstante, quod dominus contradicat, & consensum deneget, *c. l. fin.* ibi: *Et sine consensu domini.* Item ibidem *Necessitatem habere dominum, accipere emphyteutam*: dummodo personis à Jure non prohibitis vendatur emphyteusis, nam

176 Secunda conditio est, ut venditio fiat personis *illis, qui ab emptione hujusmodi minimè prohibentur, c. fin. h. t.* vel, ut dicitur *l. fin. C. de jure emphyt. His personis, quæ non solent in emphyteuticis contractibus vetari ad hujusmodi venire emptionem.* Prohibetur autem venditio rei Emphyteuticæ primo universaliter omnibus, qui ratione potentiæ sunt difficilis conventionis, ita ut ab eo dominus difficilius pensionem annuam, vel aliam præstationem debitam v. gr. laudemium habere valeat, Clarus *§. emphyteusis q. 22.* dicens, hanc esse vulgarem & notissimam regulam. Jason *in l. 2. C. de jure emphyteut. n. 90.* Molina *disp. 459. n. 4.* Ratio est, quia tali venditione deterior redderetur conditio domini directi. Ob eandem rationem vendi non potest illis, à quibus ratione paupertatis, vel alia de causa, putà, quia emere volens est luridus œconomus &c. difficile haberi potest pensio &c. Molina *l. c.* Jason *l. c. n. 97.* ubi ponit hanc universalem conclusionem, *omnis illa persona, per quam deterior redditur conditio domini, intelligitur prohibita, sive fiat deterior ob potentiam emptoris, sive ob paupertatem, sive quia est persona privilegiata*: ob quam rationem etiam mulieri vendi nequit emphyteusis. Jason *l. c. n. 93.* Imola *in c. Potuit h. t.* quia mulier ob debitum non potest incarcerari: nisi dominus expressè consentiat, vel ipse dare velit juxta dicta suprà *n. 140.*

Secundo vendi non poest Ecclesiis, Monasteriis, aut aliis hujusmodi piis causis privilegiatis, Molina *l. c.* Jason *l. c. n. 91.* Pirhing. *h. t. n. 42.* Ratio est; quia & tali venditione deterior fieret conditio domini directi, eò quod Ecclesiæ & causæ piæ non moriantur, & bona aliquando acquisita alienari non possint; consequenter ab eis rarius habere queat dominus laudemium, mutatione emphyteusis vel nunquam contingente: ob quod etiam Communitati, utpote, quæ pariter nunquam moritur, venditio fieri nequit. Intellige, nisi dominus consentiat; Jason *l. c. n. 90.* cum enim *quivis rei suæ moderator & arbiter existat, l. In re mandati C. Mandati*, utique concedere potest dominus, ut etiam his vendatur Emphyteusis, sicut eisdem ipsemet dare potest. Rursus intellige; nisi emphyteuta vendere volens, sit æquè potens, vel pauper, aut Ecclesia &c. Molina *l. c.* Jason *l. c.* Ratio est; quia tunc non fit deterior conditio domini, cum acquirat talem colonum, qualem prius habuit. Tertiò specialiter de jure prohibentur emere emphyteusin milites & curiales. Clarius *l. c.* Iason *l. c. n. 90* Pirhing. *l. c. arg. l. Curiales, & l. Milites C. h. t.* 177

Illud hic cum communi DD. notandum, quod quamvis emphyteuta absque consensu Domini, & præfatis solemnitatibus non possit actualiter vendere rem emphyteuticam, possit tamen absque ejusdem consensu eandem venum exponere, & cum licitatoribus præviè tractare, quantum eisdem vendere sit paratus, casu quo Dominus consentiat, *c. l. fin. C. de jure emphyt.* Ratio est; quia hoc ipso, quod jura velint, ut antequam vendat prius denuntiet Domino, quantum pretium ab aliis habere possit, supponunt, quod cum aliis habere possit. 178

Resp. II. Potest emphyteuta rem emphyteuticam quoad dominium utile una cum meliorationibus alteri donare, vel legare etiam sine petitione consensus, vel denuntiatione domino facienda, Iulius Clarus *q. 15.* Abbas *in c. fin. h. t. n. 9.* Azorius *lib. 10. c. 8. q. 3.* Pirhing. *h. t. n. 43.* Gloss. *in l. fin. V. Aliis vendere C. de jur. emphyt.* quam communiter DD. sequuntur quorum aliqui apud Clarum testantur, ita docere omnes, quamvis contrarium sentiat Bartolus *in l. domus §. fin. n. 2. ff. de Legat. 1.* Ratio est; quia *l. 3. C. de jure emphyt.* sola prohiberi videtur venditio; quamvis enim ibidem generaliter proponatur quæstio, an liceat sine consensu domini alienare jus emphyteuticum, tamen posteà in responsione decisiva, de sola venditione fit mentio. Concordat *c. fin. h. t.* ubi pariter ad venditionem requiritur requisitio consensus, & denuntiatio domino facienda. Confirmatur: ideo potissimum denuntiatio domino fieri debet, ut deliberare possit, an non eodem pretio ipse emere velit; atqui hæc ratio cessat in casu donationis vel legati, utpote, ubi gratis & sine ullo pretio, emphyteusis in alterum transfertur, qualiter ut sibi fiat, dominus exigere non potest, Clar *l. c.* Extendunt alii, ut Pirhing. *l. c.* Azorius *l. c. q. 4.* Sylvester *V. Dos*, ad casum, quo emphyteusis in dotem datur. 179

Verum ut res emphyteutica alteri sine consensu, & denuntiatione ritè donetur, legetur, aut in dotem detur, meritò requirit Clar. *l. c.* cum communi aliorum sequentes conditiones I. Ut non transferatur in talem personam, ratione cujus evaderet conditio domini deterior juxta dicta *n. 176.* 180

Limita tamen hanc conditionem in Ecclesiis & causis piis: quamvis enim alias in his quoque venditio emphyteusis fieri nequeat juxta dicta *nu. 176.* potest nihilominus eis emphyteusis legari, donari, non quidem ut retineant, sed ut æstimationem ejusdem recipiant, Iason *in L. 1. C. de jure emphyt. n. 91.* citans Speculatorem *arg. l. Filius familias 114. §. 5. ff. de Legat. 1.* ibi: *Si quid alicui fuerit relictum, quod ipse quidem propter qualitatem relicti, vel aliam quamcunque probabilem causam habere non potuit, quanti fuerit comparari, tantam æstimationem accipiet.* Unde idem Speculator ait, teneri Ecclesiam intra annum vendere rem emphyteuticam si quæ eidem legetur, vel donetur, *arg. can. longinquitate cau. 13. q. 1.* Eadem limitatio ob paritatem rationis etiam ad alias personas emere emphyteusin prohibitas extendi potest. 181

Secunda conditio est, ut fiat absque fraude, qua adevitandum domini jus prælationis in emendo, emphyteuta dicit se donare, cum tamen in secreto pretium accipiat: *Fraus enim & dolus alicui patrocinari non debet.* Tertia conditio est, ut novus emphyteuta sine consensu Do- 182

mini possessionem non capiat; cùm Domino competat jus priùs explorandi, an non sit unus de prohibitis, & eum repellendi, si idoneus repertus non sit. Quarta conditio est, ut talis donatarius, vel legatarius domino laudemum solvat. Quinta, ut aliter in contractu emphyteutico cautum non sit, vel loci consuetudo contraria, vel particularia statuta non obstent. Uti in Bavaria, ubi omnis alienatio, imò & oppignoratio sine consensu domini prohibita est, *Tit. 21. art. 15.* & ibi Schmidt.

183 Resp. III. Emphyteuta potest etiam absque requisitione consensus, & denuntiatione, rem Emphyteuticam cum alio permutare, Jason *in l. fin. n. 101. Cod. de jure emphyteut.* Jul. Clarus §. *Emphyteusis q. 17.* Layman *lib 3. tract. 4. cap. 23 nu. 9* Sylvester *V. Emphyteusis quæst. 17.* Azorius *loc. cit. quæst. 5.* Pirhing *h. t. n. 43.* Ratio conclusionis est eadem, quæ de donatione. Accedit eadem confirmationis ratio, cùm plerumque fiat permutatio propter affectionem, vel particularem commoditatem, v. g. vicinitatem aliquam, quam permutando acquirit emphyteuta, aliàs non permutaturus. Quam commoditatem, quia dominus æque præstare nequit, ei injuria non fit, si etiam illo irrequisito, & absque ulla denuntiatione eidem facta, emphyteuta permutationem faciat.

184 Limitat autem benè conclusionem Molina *loc. cit. n. 1.* Layman *loc cit* Speculator, & alii apud Jasonem *loc. cit. n. 101.* in casu, quo emphyteuta permutare vult pro tali re, quam æqualem habet, & cum eodem emolumento dare potest dominus directus: ut si v. gr. Emphyteutica res permutatur pro oleo, frumento, vina &c. Ratio est; quia cæteris paribus semper præferendus est dominus directus, ut in alienatione ad eum præ aliis res emphyteutica redeat, *arg. Ut l. fin. Cod. de Jure emphyteut.* Porrò sicut ad legitimam donationem & legatum, ita etiam ad permutationem requiruntur enumeratæ *nu. 180. & 182.* conditiones.

185 Resp. IV. Potest insuper emphyteuta irrequisito domino rem Emphyteuticam oppignorare, seu hypothecare, Jul. Clarus §. *Emphyteusis qu. 18.* Jason *in l. fin. nu. 78. Cod. de Jure emphyteut.* Molina *disp. 461. n. 9.* Pirhing *h. t. nu. 44.* & communis aliorum. Ratio est; quia oppignorando aut hypothecando res non transfertur in dominium alienum, cùm pignus maneat in bonis debitoris, *l. Pignus 9. de Pignorit. act.* De Jure tamen Bavariæ id specialiter prohibetur *tit 21. art. 15*

186 Resp. V Potest emphyteuta rem emphyteuticam ad modicum, non item ad longum tempus locare, Jul. Clarus *loc. cit. nu. 19* Alexander *consil. 119. circa finem lib. 3.* Molina *loc. cit. nu 2.* & teste Claro communis aliorum. Ratio de modico tempore est; quia Locatio ad tempus modicum alienatio non est. Ratio verò de longo tempore est; quia Locatio ad longum tempus in emphyteusin transit, transferturque utile dominium juxta dicta superiùs Emphyteusin enim in emphyteusin dare, seu contractui subemphyteutico eam subjicere, emphyteuta nequit. juxta communissimam DD. apud Clarum *loc. cit. q.* Jason *in l fin C. de Jure emphyteut. n. 110.* Molin *disp. 461. n. 2.* Valasc. *de jure emphyteut quæst. 13. n. 11.* Est autem longum tempus decennium, decennio verò minus, modicum dicitur, *l. Super longi 11. C. de Præscript. longi temp.*

§. VII.

De obligationibus, & Juribus Domini directi: præsertim de causis, ob quas expellere potest emphyteutam: ubi etiam discutitur, an, & quando possit augere canonem & laudemium.

SUMMARIUM.

187 *Dominus tenetur emphyteutæ præstare rem emphyteuticam ad liberum usum, & fruitionem.*
188 *Absque legitima causa nequit dominus emphyteutam invitum privare emphyteusi perpetua vel vitalitia.*
189 *Benè tamen emphyteusi alterata* Herrengust, oder anverlaite Freystufft *de jure Bavariæ.*
190 *Quatuor causæ privandi Emphyteutam emphyteusi.*
191 *Prima est, si de emphyteusi laicali per triennium, vel de Ecclesiastica per biennium non solvit canonem.*
192 *Privatur ob hanc causam emphyteusi etiam ante sententiam judicis.*
193 *Dummodò dominus declaret, quod privare velit.*
194 *Propria tamen authoritate absque interventu Judicis à possessione eum repellere non potest.*
195 *Quia alias sequerentur scandala.*
196 *Emphyteuta caducitatem non incurrit, si canonem omittit solvere, quia alia ratione dominus eidem tantundem debet.*
197 *Vel quia ob sterilitatem aliamve causam excusatur à solvendo canone.*
198 *Item si non solvit ex ignorantia, aut alia simili causa.*
199 *Vel si obtulit, & dominus non acceptavit.*
200 *Emphyteuta ecclesiasticus canonem debito tempore non solvens potest purgare moram.*
201 *Non item emphyteuta laicalis, de rigore juris loquendo.*
202 *Secùs est de æquitate.*
Æquitas præferenda est rigori juris. Ibid.
203 *Confirmatur doctrina præcedens.*
204 *Dominus non potest augere canonem annuum, etiamsi emphyteusis notabiliter sit meliorata.*
205 *Vel licet emphyteusis sit alterata* Herrengunst, oder anverlaite Freystufft.
206 *Emphyteuta rem emphyteuticam absque debitis Juris conditionibus vendens, perdit jus suum.*
207 *Si rem venditam actualiter tradat, non obstante, quod dicat, se vendere salvo jure domini.*
208 *Si venditio est invalida, pœna caducitatis non incurritur.*
209 *Si est valida, incurrit pœnas emphyteuta, etsi statim iterum redimat rem venditam.*
210 *Ob alias alienationes, quas facere licitè potest, Emphyteusin non perdit.*
211 *Ob deteriorationem notabilem factam in substantia perdit jus suum emphyteuta.*
212 *Secùs de modica deterioratione, vel non in proprietate, sed fructibus solummodò facta, ipsum emphyteutam præcise concernente.*
213 *Cæterùm ob veram & notabilem deteriorationem, sicut etiam ob venditionem, ante ullam Judicis sententiam privatur jure suo.*
214 *Contingente mutatione ex parte emphyteutæ, debet is domino præstare laudemium* Anfall.
Laudemium quid? Ibid.
215 *Limita primò in casu, quo, mortuo emphyteuta alius titulo hæreditatis, jure sanguinis succedit.*
216 *Limita secundò, si hæredes Emphyteusin titulo hæreditatis acquisitam inter se dividunt, aut unus alteri vendit, vel cedit.*
217 *Limita tertiò in casu; quo fit alienatio necessaria, ut si Emphyteusis detur in dotem filiæ.*
218 *Limita quartò, quando ante traditionem, contractus iterum rescinditur: item si vi pacti retrovendendi res vendita redit ad dominum: sicut etiam, si contractus fuit irritus.*
219 *Crescente valore rei emphyteuticæ potest dominus augere laudemium. Et quomodo?*
220 *Quare hodie magna dentur laudemia?*
221 *In Bavaria datur vigesima pars in quavis mutatione emphyteutæ.*
222 *Narratur minus recta consuetudo quorundam in Bavaria exigendi plura laudemia* Anfall, und Alfahart.
224 *Laudemia* die Anfall *validè & licitè exiguntur & quomodo? & tribus n. seqq.*
225 *Ab omnibus liberis simul non potest exigi laudemium: nec à filia, aut vidua.*
227 *Laudemium* die Alfahart *exigi non potest, ubi id exigendi non viget consuetudo.*
228 *Triginta, vel quadraginta annorum; si fit mutatio per contractus inter vivos.*
229 *Si fit mutatio per mortem prioris emphyteutæ, requiritur Immemorialis aut 40. annorum cum justo titulo.*
230 *Deductio practica.*
231 *An & quomodo per specialia pacta ac indirecte multiplicari possint laudemia?*
232 *Quid juris de laudemiis in vitalitio* Leibrecht *& Feudis.*

Quæ-

187 QUæritur I. Quæ sit obligatio domini directi respectu emphyteutæ? Resp. Dominus directus obligatur præstare emphyteutæ rem in emphyteusin concessam, simulque facere, ac concedere, ut dominio utili unà cùm aliis §. *præced.* enumeratis juribus liberè frui queat. Est extra controversiam. Ratio est; quia hoc totum requirit ipsa natura Emphyteusis juxta hactenus dicta.

188 Quæritur II. An dominus directus habeat jus emphyteutam pro libitu expellendi, saltem, si eidem refundat pretium & alias rationes Emphyteusis factas expensas, v. g. laudemium, Germanis, *ob der Grundt Herr macht hat, den Mayr nach belieben von dem Guet zu treiben, oder Wenigisten ihne aus zu Kauffen?* Resp. I. Absque legitima causa nequit dominus directus emphyteutam invitum privare Emphyteusi illa, quæ vel in perpetuum, *Erbrecht*, vel ad dies vitæ *Leibgeding*, vel ad certam generationem datur. Communis ac certa. Ratio est; tum quia, ut suprà jam diximus, emphyteuta habet verum jus reale in similes emphyteuses contra quemcunque possessorem, etiam ipsum dominum. Tum quia ut infrà dicetur, hujusmodi Emphyteuses juxta qualitatem contractus transeunt etiam ad hæredes.

189 Resp. II. emphyteusis alterata, seu modificata *Herrengunst, oder anverlaithe Freystifft*, quæ est emphyteusis impropriè dicta, in Bavaria frequentissima, potest dominus emphyteutam singulis annis privare, seu *aus Kauffen*, vel *abstiffen*, dummodò requisitas servet conditiones I. Ut id tempore debito faciat, *Zur Stufft-Zeit*. II. Ut priùs id refundat emphyteutæ, quod hic pro comparanda emphyteusi expendit. III. Ut idem priùs restituat acceptum ab eo laudemium. Et IV. meliorationes, quas in rem emphyteuticam fecit, salvo tamen jure detrahendi tantum, quantum res emphyteutica, culpa vel negligentia emphyteutæ fuit deteriorata. Quod si ratione meliorationis vel deteriorationis controversia orietur inter dominum & emphyteutam, res per ocularem inspectionem juridicam decidi deberet. Ita expresse statutum habetur in statutis Bavariæ *tit. 21. art. 5.* Verùm quia hæc emphyteusis species de solo Jure municipali Bavariæ, non item de Jure communi procedit, plura de ea non dicimus, sed lectorem ad statuta Bavariæ, ejusque Interpretem Illustris. D. Schmidt remittimus, prout jam fecimus suprà *n. 132.*

190 Quæritur III. Quæ sint legitimæ causæ emphyteutam invitum privandi emphyteusi etiam perpetua, vel vitalitia, vel alia in Jure communi locum habentes? Resp. Tres potissimum in Jure reperiuntur hujusmodi causæ. I. Si in emphyteusi Civili per triennium, vel in Ecclesiastica per biennium non solvit integrũ canonem. II. Si dolo vel culpa emphyteutæ res Emphyteutica notabiliter deterioratur. III. Si emphyteuta irrequisito domino emphyteusin alteri vendat. Ita omnes. Patebitque ex sequentibus, quibus singillatim has causas examinabimus, quæsitis.

191 Quæritur III. An, & quomodo emphyteuta per dominum privari possit emphyteusi ob non solutum canonem? Resp. I. Si emphyteuta per integrum triennium de emphyteusi Civili, vel per biennium de emphyteusi Ecclesiastica, non solvit canonem debitum, privari potest à domino re Emphyteutica, Julius Clarus §. *Emphyteusis q. 8.* Molina *disp. 453.* Pirhing *h. t. n. 35.* & unanimis DD. Ratio est; quia si quis de Emphyteusi Civili per triennium canonem non solvat, ipso jure incidit in commissum, seu fit emphyteusis caduca, seu, quod idem est, ipso jure perdit emphyteusin, consequenter per dominum ea privari, actuque ab illa expelli potest, textu Claro *L. 2. C. de Jure Emphyteut.* de Emphyteusi Ecclesiastica verò, si per biennium non solverit, *c. fin. h. t.* ibi: *Cessando à solutione canonis per biennium.* Procedit Conclusio *non obstante, quod ei, ut canonem solveret, non extitit nuntiatum; cùm in hoc casu dies statuta interpellat pro domino;* sunt verba *cit. c. fin. h. t.*

192 Resp. II. Emphyteuta in commissum incidit, privarique Emphyteusi potest etiam ante sententiam Judicis, dummodo dominus declaret, quod Emphyteusin eidem ademptam velit, seu relinquere ampliùs nolit. Abbas *in cit. c. Potuit h. t.* Jul. Clarus *loc. cit. q. 9.* Joan. Andreas *in cit. cap. Potuit h. t.* Azorius *par. 3. lib. 10. cap. 9. quæst. 2.* Pirhing *h. t. n. 36.* & communissima aliorum *arg. L. 2. C. de Jure Emphyteut.* ubi absolutè conceditur, quod, si velit dominus expellere possit emphyteutam, quando per dictum tempus canonem non solverit. Si autem pro libitu expellere potest, non indiget sententia. Confirmatur ex *Novell. 7. c. 2. §. Scire autem 2. & cit. L. 2.* ubi Imperator utitur dictionibus *omninò, omnimode*. Quarum dictionum vis hæc est, quod indicent aliquid ipso Jure fieri, adeoque tantum esse necessariam declarationem domini volentis uti jure suo, non item Judicis, ut cum aliis tradit Tiraquel. *in Repetit. l. Si unquam 8. super Verba revertatur n. 76.*

193 Dicitur tamen notanter in Conclusione; *dummodo dominus declaret, quod Emphyteusin eidem ademptam velit;* quia uti Jul. Clarus *loc. cit.* cum communissima aliorum benè advertit, pœna caducitatis locum non habet, nisi domino volente, & voluntatem suam declarante; ut proin, si hic nihil moveat, emphyteuta emphyteusi uti ac frui liberè & licitè valeat, adeò quidem, ut si dominus suæ voluntatis declarationem differat, & primùm post quadriennium v. g. vel quinquennium se declaret, fructus interim percepti ad emphyteutam pleno jure pertineant, prout solutis argumentis in contrarium, solidè demonstrat Fachin. *lib. 1. Contr. 94. arg. L. 2. C. de Jure emphyteut.* ubi dicitur: emphyteutam cadere jure suo, ob canonem non solutum, *si dominus velit*; ergo antequam dominus velit, non cadit; illa enim verba, *si dominus velit*, important conditionem, antequam autem conditio eveniat, actus sub conditione factus non habet effectum, *l. Cedere diem ff. de Verb. signif. l. Legata sub conditione ff. de Cond. & demonst.*

194 Resp. III. Quamvis dominus directus absque ulla sententia Judicis possit emphyteutam expellere ob non solutum canonem, tamen possessione actu eum repellere nequit propria authoritate absque interventu & authoritate Judicis. Fach. *lib. 1. Contr. 95.* Klingensperg *lib. 3. tit. 25. q. 15.* contra alios non paucos, *arg. l. Creditores C. de Pignor.* ubi Imperator dicit: *Creditores, qui non reddita sibi pecunia, conventionis legem ingressi possessionem exercent, vim quidem facere non videntur. Attamen authoritate Præsidis possessionem adipisci debent.* Ergo etiam domini directi non nisi eadem authoritate possessionem alteri auferre, & sibi dare debent. Ratio est; quia nemo sibi ipsi judex esse debet, *L. 1. C. Ne quis in sua causa judicet.*

195 Accedit, quod si quivis propria statim authoritate emphyteutam expelleret, passim scandala, & rixæ orirentur, ut ipsi Adversarii fatentur, & consideranti patet; rixas autem & scandala evitare Leges ubique student, *l. Æquissimum ff. de Usufruct.* Hinc *l. Non 176. ff. de Reg. Jur.* providè statuitur. *Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè possit fieri; ne occasio sit majoris tumultus faciendi.* Nec valet in contrarium objicere *L. 2. C. de Jure Emphyteut.* ubi dicitur, quod ipse dominus possit, si velit expellere emphyteutam. Resp. enim distinguendo: potest id facere propria authoritate, negatur, authoritate Judicis, conceditur.

196 Limitatur autem Conclusio *n. 194.* posita, ita, ut emphyteuta ob non solutum canonem liber sit à pœna caducitatis. primò in casu, quo dominus ex alia ratione tantum debet emphyteutæ, quantum efficit canon debitus, Abbas *in c. Bona fides n. 11. de Deposito* Molina *disp. 453. n. 10.* Azorius *lib. 10. c. 6. q. 4.* Navarr. in Manual *c. 17. n. 192.* Sylvester *V. Emphyteusis q. 2.* Pirhing *h. t. n. 37.* Ratio est; quia saltem in materia odiosa & ad evadendam pœnam compensatio hujusmodi locum habet, ut citati DD. benè advertunt, *arg. l. Si constat. 4. C. de Compensat.*

197 Secundò limitatur, quando ob sterilitatem, vel aliam causam excusatur à solvendo canone, juxta dicta *n. 156.* Jul. Clarus §. *Emphyteusis q. 8. nu. 6.* id tanquam certum asserens. Ratio est; quia ubi nulla adest obligatio solvendi canonem, nulla est culpa omittentis solvere: ubi autem nulla culpa est, nulla quoque esse potest pœna commissi. Glossa *in L. 2. V. Secundùm Legem. C. de Jure emphyteut.*

198 Limitatur tertiò. Quando emphyteuta canonem solvere omittit ex ignorantia, vel alia hujusmodi justa causa, uti v. g. si hæres succedens ignoret, rem esse Emphyteuticam; vel sciat quidem, sed tamen nesciat, debere se propterea præbere annuum canonem, Clarus *loc. cit. n. 9.* Pirhing *h. t. n. 37.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 23. n. 8.* Molina *disp. 453.* Sylvester *V. Emphyteusis q. 4.* Glossa *loc. cit.* & communis DD. Ratio est, quia quamvis de rigore Juris pœnam caducitatis etiam in tali casu incurreret emphyteuta, nihilominùs de æquitate restitueretur in integrum, etiamsi jam esset major 25. annis, ut citati DD.

benè-

benè advertunt, ex illa clausula universali: *Si qua mihi justa causa videbitur, L. 1. in fin. ff. Ex quibus causis major.*

199 Limitatur quartò. Quando dominus canonem loco & tempore debito ab emphyteuta oblatum non acceptavit, Molina *loc. cit. n. 9.* Jul. Clarus *loc. cit. n. 10.* Glossa *fin. in cit. L. 2. C. de jure Emphyteut.* Layman *loc. cit.* & communis aliorum. Ratio est; quia in tali casu penes eum non stetit, quo minus canonem solveret; consequenter ob eum non solutum puniri nequit. Dummodò realiter, & non nudis verbis offerat, prout cum aliis Jul. Clarus *loc. cit.* benè advertit: cum juxta tritum illud, *ubi opus est facto, non sufficiunt verba.* Nec tamen est necessarium, ut oblatum canonem alicubi juridicè deponat, prout aliqui, quos refert Glossa *loc. cit.* volunt, *arg. L. 2. in fine C. de jure Emphyteut.* eò quòd ibidem depositio canonis non præcipiatur, sed tantum concedatur; sitque necessaria tantùm ad hoc, ut emphyteuta penitùs dein liber sit à solutione canonis; non item, ut evitet caducitatis pœnam, uti habet communis teste Molina *loc. cit.*

200 Quæritur IV. Utrùm emphyteuta canone intra tempus debitum non soluto, habeat facultatem se purgandi, sicque evadendi pœnam commissi? Resp. I. In Emphyteusi Ecclesiastica conceditur emphyteutæ facultas moram purgandi. Fachin *lib. 7. Contr. 98.* Jul. Clarus *loc. cit. n. 15.* Molina *disp. 453. n. 5.* Pirhing *h. t. n. 37.* Glossa *in cap. Potuit V. Celeri h. t. arg. cit. c. Placuit. h. t.* ibi: *Nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuisset.* Quantum autem tempus ad purgandam moram concedatur, controvertunt DD uti videre est apud Glossam *loc. cit.* aliqui putant, decendium concedi, eò quòd hoc tempus in Jure modicum dicatur, *l. Promissor. 21. §. 1. ff. de Pecun. constit.* ibi: *Modicum tempus statuendum est non minus decem dierum.* Abbas verò *in cap. Potuit h. t. n. 12.* Clarus *loc. cit. n. 15.* citans communem, Azorius, & alii putant, id relinquendum esse arbitrio Judicis, eò quòd ordinariè loquendo, quando quæstio est de termino *statim, celeriter*, temporis definitio relinquatur Judicis arbitrio.

201 Resp. II. Loquendo de Emphyteusi Civili, quamvis de rigore Juris nulla emphyteutæ competat facultas purgandi moram; nihilominùs ex æquitate etiam in hac emphyteusi purgatio moræ admittenda videtur. Primam partem de rigore Juris tenent Fachin. *lib. 1. contr. 98.* Jason *in Leg. 2. C. de jure Emphyteut.* Clarus *loc. cit. nu. 15.* Covarruvias *lib. 3. Variar. Resolut. cap. 17. n. 4.* Pirhing *h. t. n. 37.* & communis aliorum. Ratio Conclusionis est: tum quia, ubi dies & pœna obligationi est adjecta, mora purgari non possit, *l. Trajectitiæ 23. de Oblig. & action. l. Magnum 12. C. de Contrah. & committit. stipulat.* Tum quia, quando pœna ipso Jure imponitur, mora purgari non potest, *l. Qui ob rem ff. de condict. indebiti l. Si is cui de Legat. 2.* Tum quia, cùm in Emphyteusi Ecclesiastica statim quis post biennium, ob non solutum canonem incidit in commissum, in Civili verò primùm post triennium, meritò emphyteutæ Ecclesiastico, non item Civili facultas purgandi moram conceditur.

202 Secunda pars de æquitate docetur etiam à Claro *loc. cit. n. 15.* ad finem. Sarmient. *lib. 3. Select. interpret. c. 5.* Baldo *in l. Si pacto, quo pœnam C. de Pactis* Pirhing *loc. cit.* & aliis, quos citat Jason *arg. l. Si servum 91. §. Sequitur 3. ff. de Verb. Oblig.* ubi expresse statuitur, quod si quis sit in mora solvendi, moram ex æquitate purgare posset: *æquitas autem est præferenda rigori juris*, ut dicitur ibidem, sicut & *l. Placuit 8. C. de judiciis* ibi: *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque quam stricti juris rationem.*

203 Confirmatur ex ipsa Adversariorum doctrina. Ipsi enim nobiscum concedunt, quod quando emphyteuta canonem per triennium non solvit, ob sterilitatem, vel ignorantiam, vel si dominus est illius debitor, pœnam caducitatis non incurrat, juxta dicta superiùs *n. 196. & seq.* ergo audiri debet, an non ob hujusmodi vel aliam similem culpam fuerit in mora solvendi: consequenter moram purgare potest.

204 Quæritur V. An dominus directus possit augere canonem, vel alias præstationes annuas, saltem in casu, quo bonum emphyteuticum notabiliter est melioratum & augmentatum, vel si fructuum ex eo perceptorum valor notabiliter crescit? Resp. Negativè. Jul. Clar. *l. 4. §. Emphyt. q. 41. n. 2.* Molina *disp. 462. n. 1.* ad finem, Jo. Andreas cum communi aliorum, *arg. l. Si merces 25.* ubi etiam conductori immodicum lucrum absque ullo mercedis seu pensionis annuæ augmento conceditur: ergò multò magis relinqui id debet emphyteutæ, utpote qui longè majus jus habet in rem emphyteuticam, quam conductor in rem locatam. Confirmatur Conclusio ex dictis *n. 78. & 79.* ubi dictum & probatum est, locatorem augere non posse pensionem conductoris ex eo, quod res conducta evadat melior, majoresve ex eo colligat fructus conductor: optimè enim à minori ad majus inferre licebit; ergo neque dominus præstationes annuas emphyteutæ, *arg. l. fin. C. qui ætate.* Ex quo sequitur, emphyteutam nec pœnam caducitatis incurrere, nec à domino directo expelli posse ex eo, quod canonem à domino auctum, quod augmentum per triennium non solvat.

205 Habet conclusio locum, & procedit etiam in emphyteusi alterata seu modificata Bavaris multum usitata, *Freyn Gunst, oder anverlaithe Freystifft*, uti expresse habetur *tit. 21. art. 5.* ubi licèt concedatur dominis directis, quod singulis annis possint emphyteutas repellere à bono Emphyteutico *aufstifften, oder aufstauffen* modo suprà *n. 189.* specificato, sicque indirectè saltem canonem augere, dicendo verbi gratia vel majorem canonem præbe, vel à bono emphyteutico discede: tamen etiam ibidem additur, quod si juxta præscriptas conditiones emphyteutam dimittere nolint, illius, vel successoris canonem annuum augere non possint. Plura ib. Excellentissimus D. Schmidt.

206 Quæritur VI. An, & quando ob alienationem Emphyteusis, emphyteuta perdat jus emphyteuticum, ita ut eo per dominum privari queat? Resp. I. Si emphyteuta irrequisito consensu domini, & absque debitis Juris conditionibus Emphyteusin vendat, jus suum perdit, pœnamque caducitatis contrahit. Ita Omnes. Per textus expressos *l. fin. C. de jure emphyteut. & c. fin. h. t.* Quænam autem conditiones de Jure requirantur ad hoc ut venditio ritè fiat, dictum est suprà *n. 175.* ubi videndum. Hic solùm addendum, ad hoc, ut ob venditionem, caducitatis pœnam incurrat emphyteuta, non sufficere nudam venditionem, sed requiri etiam actualem rei venditæ traditionem, Jul. Clarus *l. c. q. 13. n. 3.* Imola *in c. Potuit h. t. n. 49. in fin.* Tiraquell. *de Retract. §. 1. Gloss. 2. n. 43.* Pirhing *h. t. nu. 42.* cum communi aliorum. Ratio est quia ante traditionem secutam res nondum dicitur perfectè alienata; cùm dominium adhuc maneat penes alienantem, *l. Alienatum 67. ff. de V. S.* ibi: *Alienatum non propriè dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet.*

207 Quam primùm autem traditur, pœna caducitatis à tergo sequitur, non obstante, quod dicat, se vendere salvo jure domini, seu ad ratificationem ejusdem. Clarus *loc. cit. q. 13. n. 5.* Molina *disp. 459. n. 8.* Pirhing *h. t. n. 40.* & communis aliorum, Ratio est; quia talis protestatio est facto contraria, consequenter nullius valoris. Ante traditionem tamen multùm serviunt hujusmodi clausulæ, *si dominus consenserit, seu ad ratificationem domini*, liberant enim à caducitatis pœna etiam in sententia illorum, qui aliàs volunt venditionem solam absque traditione pœnam caducitatis inducere. Hinc ordinariè in quavis alienatione emphyteusis apponi solet; nec ante verificationem ejusdem res emphyteutica traditur.

208 Porrò etiamsi res actualiter jam sit tradita, si tamen venditio ex alio capite, quam quod irrequisito domino facta sit, existat invalida, in commissum non incidit emphyteuta. Molina *l. c. n. 9.* Pirhing *l. c. n. 42.* Bart. Speculator, & alii. Ratio est: quia talis venditio, alienatio propriè dici nequit, *cit. l. alienatum ff. de V. S.* Ob eandem rationem post Bartolum & Jasonem, censet Molina *loc. cit. nu. 9.* pœnam caducitatis locum non habere, si venditio posteà ita resolvitur, ac si ab initio nunquam contigisset; uti fieri potest, si celebratur cum pacto Legis commissoriæ, addictionis in diem, seu sub alia conditione hujusmodi, juxta dicta *tit. præced. §. 9.*

209 Cæterùm si venditio aliquando est completa, reique traditio secuta, ipso Jure privatus existit emphyteuta re emphyteutica; non obstante, quod eam iterùm recuperet, *arg. l. Quidam 10. & l. Rogo 21. ff. de Fideic. libert.* quia sufficit jus domino semel esse apertum; præsertim cùm emphyteuta per hoc quod pœniteat, nocens esse non desinat, *l. 16. ff. de Furtis.*

210 Resp. II. Ob alias alienationes emphyteusis, sicut etiam, ob illas venditiones, quas juxta dicta *n. 174.* de Jure facere

po-

potest emphyteuta, nullam caducitatis pœnam contrahit. Ita communis. Patetque ex iis, quæ suprà *n.* 174 diximus.

211 Quæritur VII. An, & quando emphyteuta expelli possit ob deteriorationem rei emphyteuticæ? Resp. Si res emphyteutica, lata, vel levi culpa emphyteutæ notabiliter deterioratur in substantia, expelli potest ab emphyteusi, simulque cogi, ut etiam id, in quo rem læsit, resarciat. Jul. Clarus *l. c. q.* 26. Molina *disp.* 457. Azorius *l.* 10. *c.* 9 Pirh. *h. t. n.* 38. & alii communiter, Textus expressus habetur *in Authen. Qui rem C. de SS Eccl.* ibi: *Qui rem in emphyteusin acceptam fecerit deteriorem &c. hac Lege expelli potest, ut tamen id, in quo rem læsit, resarciat.* Quæ Constitutio licèt de emphyteusi Ecclesiastica loquatur, tamen etiam à citatis, imò teste Jasone apud Clarum citatum, omnibus DD. tam antiquis, quam modernis, eandem etiam ad emphyteusin Laicalem ob rationis paritatem extenditur, cum utraque utenda & colenda, non verò abutenda tradatur.

212 Dicitur autem, *si notabiliter deterioratur in substantia*; quia ob modicam deteriorationem, in commissum non incidit emphyteuta. Sylvester *V. Emphyteusis*. Molina *l. c. n.* 2. Pirhing *h. t. n.* 38. & alii communiter, *arg. l. Scio* 4. *ff. de in integr. restit.* In dubio, an modicum sit, vel notabile, Judicis arbitrio decidendum erit, *arg. l. Scio.* Notabilis deterioratio communiter censetur, si emphyteuta arbores frugiferas succidat, sylvas extirpet, reparationes debitas negligat &c. Pariter si non in substantia seu in ipsa proprietate, consequenter nec perpetuò; sed tantum quoad perceptionem fructuum res deterior fieret ad tempus, quo colonus ea fruitur, repelli propter eam non potest. DD. citati, cum Minsing. *Centur.* 6. *Observ.* 86. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *c.* 23. *n.* 7. Ratio est; quia deterioratio in fructibus ad tempus, quo emphyteuta fruitur, ipsum solum concernit. Quod si ultra tempus sibi concessum se extenderet, damnum resarcire deberet; quod idem facere teneretur, si modica deterioratio in substantia contingeret, juxta ea quæ dicta sunt *n.* 154.

213 Hæc etiam referenda est doctrina, quam suprà *n.* 192. de emphyteuta omittente solvere canonem dedimus, videlicet quod ante ullam judicis sententiam pœnam caducitatis incurrat emphyteuta, dummodò suam desuper declaret voluntatem: quamvis ad executionem authoritate Judicis opus sit. Quod idem dicendum, si ob venditionem in commissum incidat emphyteuta.

214 Quæritur VIII. Quid Juris domino directo competat ratione laudemii? Resp. Regulariter loquendo, quotiescunque contingit aliqua mutatio ex parte emphyteutæ ita ut emphyteusis ab uno in alterum transferatur, v. g. per venditionem, mutationem, donationem, legatum &c. tenetur novus emphyteuta domino directo præstare laudemium, Germanis, *den Anfal*, idque pro investitura, quam novo colono dominus impertitur; Jason *in L.* 2. *C. de Jure emphyteut. n.* 33. *& seqq.* Lessius *lib.* 2. *c.* 24. *n.* 57. Molina *disp.* 59. *nu.* 21. communisque, & certa aliorum textu expresso *L.* 3. *C. de Jure emphyt.* Est autem *Laudemium* de Jure communi quinquagesima pars pretii, quo bonum emphyteuticum æstimatur, *cit. l.* 3. *C. de Jure Emph.* ibi: *Quinquagesimam partem pretii vel æstimationis loci, qui transfertur, accipere liceat domino.* De consuetudine verò alicubi 30. alibi 20. pars pro laudemio dari solet.

215 Dicitur notanter *regulariter loquendo*: quia limitatur conclusio in aliquibus casibus. Et quidem primò, quando defuncto emphyteuta emphyteusis transit ad hæredem necessarium, vel saltem talem, qui emphyteutæ intestato decedenti in hæreditate legitimè succedit. Sylvest. *V. emphyteusis q.* 21. Molina *disp.* 461. *n.* 8. Alvar. Valasc. *de Jure emph. q.* 18. *n.* 28. Pirhing *h. t. n.* 44. Lessius *lib.* 2. *c.* 24. *n.* 57. & alii. Ratio est; quia emphyteusis ex natura sua transit ad hæredes, uti dicetur inferius. Verum hæc limitatio non procedit in hærede extraneo instituto, qui ab intestato in emphyteusi non succederet. Sylvester *loc. cit.*

216 Limitatur secundo, quando plures hæredes succedentes inter se dividunt Emphyteusin, quam titulo hæreditatis simul acquirunt. Jason *in L. fin. C. de Jure emph. n.* 47. Barb. *in c. Potuit. n.* 36 *h. t.* ubi plures alios citat. Lessius *loc. cit.* Molina *disp.* 460. *n.* 6. *&* 7. Pirbing *l. c.* & communis aliorum, *arg. l. Fieri C. de Litigios.* Rationem dant; tum quia divisio videtur necessaria, *L.* 22. *C. Mandati* tum quia hoc ipso, quod vi primæ investituræ Emphyteusis ad hæredes transcendit, hi in prima illa investitura inclusi videntur, ita ut opus non habeant dominum de novo per præstationem laudemii recognoscere; præsertim, cùm nihil intersit, num inter eos, unus, vel plures emphyteusin possideant, eò quòd æqualem canonem ubique percipiat dominus. Ob rationem eandem tenent Doctores communiter apud Clarum §. *Emph. q.* 14. quod etiam irrequisito domino emphyteusim inter se dividere, vel ante divisionem unus alteri partem suam alienare, vendere, aut cedere possit absque ulla præstatione laudemii, sequitur Molina *disp.* 460. *n.* 7. ubi tamen ad finem addit, quod, si hæredes emphyteusin aliquando inter se jam diviserunt, ac postea primùm unus alteri suam partem vendere velit, laudemium præstare debeat.

217 Limitatur tertiò: In alienatione necessaria. Jason *l. c. n.* 48. Pirhing *l. c.* Lessius *l. c.* Barb. *l. c.* & communis aliorum. Ratio est; quia *necessitas legem non habet.* Dec. *in l. quæ propter* 162. *ff. de reg. jur.* Unde etiam irrequisito domino alienari potest Emphyteusis, si ita necessitas exigat; cum universaliter, quando alienatio prohibetur, prohibita non censeatur alienatio necessaria, *arg. l. Divus* 7. *ff. de Hered. petit.* juncta *L.* 1. *in princ. ff. de Fundo dotal.* Et ex hac limitatione inferunt citati, & alii DD. communiter, quod si parens nihil aliud habens quam bonum emphyteuticum, illud in dotem det filiæ, hæc laudemium solvere non teneatur, quia parens filiam dotare necessariò debet.

218 Limitatur quartò, quando ante traditionem venditio emphyteusis iterùm rescinditur, Barbosa *loc. cit. nu.* 38. Sylvester *loc. cit.* & communis aliorum. Ratio est; quia laudemium datur propter investituram; hæc autem non datur, si ante traditionem contractus iterùm rescinditur, uti consideranti patet; ergò Limitant quinto, quando vi pacti retrovendendi, res vendita iterùm redit ad dominum. Et sextò, quando contractus ex aliqua causa est invalidus, de quo vide apud Barbosam *loc. cit.*

219 Quæritur IX. Utrùm dominus possit augere laudemiū, casu quo augetur valor rei emphyteuticæ? Resp. Quamvis non possit dominus augere laudemium in hoc sensu, quod plùs quam quinquagesimam partem pretii, quo æstimatur emphyteusis, possit exigere: potest tamen illud augere in hoc sensu, quod juxta incrementum emphyteusis, crescat etiam quinquagesima pars pretii ejusdem pro laudemio præstanda. Ita communis, praxique ubique recepta sententia. Patetque utraque pars Conclusionis ex *l.* 3. *C. de Jure emphyt.* Prima quidem, quia ibidem expressè prohibetur, ne plus quam *quinquagesima* pars exigatur. Secunda verò, quia præscribitur, ut mensuretur dicta quinquagesima pars juxta mensuram pretii, quo æstimatur res emphyteutica, consequenter, si crescit mensura pretii, crescit etiam quinquagesima pars ejusdem.

220 Hinc venit, quod de eadem emphyteusi, de qua olim pro laudemio dabantur viginti, hodie dari debeant centum floreni, v. g. eò quòd olim vilissimo, hodie verò maximo pretio æstimentur bona emphyteutica, juxta quorum æstimationem tempore mutationis quinquagesima pars mensuratur.

221 Cæterùm notandum, dicta hactenus de Laudemio procedere de jure communi: contra quod variis in locis habentur consuetudines, & particularia statuta, uti in Bavaria; ubi vi statutorum municipalium pro Laudemio dari debet vigesima pars pretii, quo, deducta supellectile, *Fahrnuss*, æstimatur bonum emphyteuticum, prædium v. g. rusticum, tempore, quo ex parte emphyteutæ fit mutatio. Idque toties, & quomodocunque fiat mutatio ex parte emphyteutæ, sive dein voluntaria sit, sive necessaria, sive emphyteusis detur in dotem, sive emptione, mutatione, donatione, successione hæreditaria, aut alio quoquo modo acquiratur *Land Recht tit.* 21. *ar.* 21. ibi: *der Anfall, so offt sich mit den Besitzer ein Veränderung zutragt, Vvie Die Beschicht, soll also genommen, und bezahlt Vverden, dass um 100. fl. Vvie die Gerechtigkeit des Guts ausser Fahrnuss geschätz Vorden 5. ff. und nicht darüber komme; Vvo aber bisshero Vveniger, im Gebrauch gevvesen, darbey solle es bleiben.*

222 Præter dictum laudemium (quod vocant *Anfall*) & à novo emphyteuta solvendum est, aliud adhuc laudemium *die Abbart* dictum, in eadem Bavaria solvere debent emphyteutæ bonum emphyteuticum in alium transferentes, idque pro discessu *für die Abfahrt von den Guth:* quod tamen non ubique, sed in iis tantum Bavariæ locis præstari debet, ubi id exigendi, ac præstandi notoria viget consuetudo vel observantia, uti liquet ex textu (*cit. tit.* 21. *art.* 21.) ubi suprà allegato textui statim subjungitur: *Vvann auch an einem Orth die Abfahrt neben den Anfall, oder Zustanz fürnehmen bräuchig, und bund lieb kerkommen, mag dieselbe an solchen Orthen fürohin auch genommen vverden.* Cujus Laudemii alicubi vi consuetudinis est etiam vigesima pars, seu quinque pro centum; alibi verò, & quidem à potiori, quadragesima, duo, & medius floreni pro centum pretii, quo bonum emphyteuticum æstimatur.

Porrò occasione harum specialium dispositionum Juris Bavarici *Land-Recht*, variæ in Patria introductæ habentur praxes, & vigent mixtæ corruptelis consuetudines, plus justo multiplicandi Laudemia, non sine gravissimo miserorum subditorum emphyteuticorum præjudicio, & non minori periculo animæ dominorum directorum.

Nam, ut exemplificemus. Multis in locis hæc viget praxis; quod, si quis emphyteuta habens prædium rusticum v g. *einen Bauren-Hof* 4000. *fl.* æstimatum, moritur, & relinquit plures, quatuor v. g. proles unà cum uxore, debent relictæ proles hæredes simul statim dare Laudemium pro discessu patris, *die Abfahrt*. Dein debent rursus tanquam hæredes, ad quas devolvitur prædium emphyteuticum dare Laudemium *den Anfall, oder Anstand* seu ut etiam vocant *Zustand seu Land Schuld*, Tertiò, quia cum omnes simul prædio emphyteutico frui non possint, conveniunt inter se, & cedunt illud totum uni soli ex ipsis, v. g. natu majori filiæ (quod, ut ajunt, fit nova mutatio) debent liberi cedentes, de partibus, quas alteri cedunt, rursus dare Laudemium, pro discessu *für die Abfart*: Filia autem, cui totum prædium ceditur, debet de partibus, quas per cessionem acquisivit, de novo dare Laudemium *den Anfal oder Anstand.* Et quoniam filia hæc, utpote mulier pro emphyteuta à Domino non acceptatur, nec cognoscitur; illud cedit sponso: futuro suo marito; ex qua cessione, quia denuò nova fit mutatio (ut ajunt) Dominus directus iterum exigit à præfata Filia cedente Laudemium pro discessu *die Abfahrt*; à sponso verò, seu marito futuro aliud Laudemium *vor den Anfall, oder Anstand* ut proin in hoc unico casu per mortem emphyteutæ facto eruant tres mutationes & sex emergunt Laudemia, tria scilicet pro discessu *vor die Abfahrt*, & tria pro nova acquisitione *vor den Anfall, oder Anstand*, quæ in hoc unico casu efficiunt 1100 *fl.* ubi Laudemium *vor die Abfahart* est etiam vigesima pars (vel saltem 825. *fl.*) ubi moris est, quod pro discessu *Abfahart*, tantùm media pars sumatur, uti computanti patet.

Idem prorsus faciunt, si in casu mortis paternæ remanentes proles impuberes prædium rusticum successione sibi competens cedunt matri, & hæc novo marito; in quo casu pariter erunt tres mutationes; prima, qua transit bonum emphyteuticum à patre ad liberos: secunda, qua ab his transfertur in matrem: Tertia, qua mater illud cedit marito; pro quarum qualibet duplex exigunt Laudemiū, pro discessu nempe, & accessu, *Abfahart und Anfall*, quæ laudemia, tam in hoc, quam priori casu intra paucos dies solvi debent, antequam aliquid de fructibus prædii percipiant miseri subditi. Et quoniam facile contingere potest, quod intra paucos annos moriantur plures emphyteutæ unius prædii, intra paucos annos vi solius Laudemii plus emungitur à subditis, quam pretium totius prædii efficit, præter canonē annuum qui strictè singulis annis exigitur.

Exinde non raro mota est quæstio, an hæc praxis in Foro tam interno, quam externo sit licita? An item, & quando plura Laudemia *vor die Abfart und Anfall* exigi possint? Ad quam summè practicam quæstionem, ut clare respondeamus, prius quid de speciali Jure, ac consuetudine Bavariæ circa Laudemia *Anfall*: dein quid circa laudemia *den Abfahart*: & tandem quid vi specialis pacti, aut contractus liceat dicemus.

223 Resp. itaque I. Loquendo de laudemio integro pro accessu *von dem Anfall, oder Zustand, Anfall, Landschuld.* quæ sunt synonyma certum est, quod debeat illud dari à novo emphyteuta, quotiescunque fit mutatio per contractus inter vivos, ita ut emphyteusis ob uno in alium transferatur. Hæc conclusio caret controversia ob claram dispositionem Juris Bavarici *tit.* 21. *art.* 21. *der Anfall, so offt sich mit dem Basitzer ein Veranderung zutragt, Vvie die Beschicht, soll also genomen und bezahelt Vverden.*

Infertur proin, obligari novum emphyteutam adhoc Laudemium, sive per donationem, sive per emptionem, &

venditionem, sive per mutationem, constitutionem dotis, sive per resignationem, sive per transactionem, sive per alium modum quemcunque tandem, *Vvie die Beschicht*, emphyteusin acquirat. Et hoc etiam tunc, quando contractus, iterum rescinditur aut dissolvitur; dummodò prius cum prævio domini directi consensu fuerit celebratus, uti patet ex verbis *cit. tit.* 21. *art.* 21. ibi *Da auch ihr zvven einer Guts Gerechtigkeit, oder eines Herren Gunst halber, mit einander einen Kauff, übergab, oder der gleichen gemacht, oder geschlossen, solches auch dem Grund-Herrn angezeigt, und sein Bevvilligung haitten; ist man dem Grund-Herrn den Anfall schuldig, obgleich der* Contract. *Vvider zuruck gienge.*

Resp. II. Etiam, quando moriente priori emphyteuta, per dispositionem ultimæ voluntatis, aut successionem hæreditariam bonum emphyteuticum transit ad unum, vel plures hæredes, debetur Laudemium *den Anfall*, ab illo, qui à Domino directo pro emphyteuta recognoscitur, acceptatur, ac investitur. Hæc quoque conclusio caret cōtroversia, ob generalem ac indistinctam dispositionem Juris Bavarici *cit. tit.* 21. *art* 21. vi cujus toties, *so offt* debetur dictum Laudemium, quoties, & quomodocunque ex parte emphyteutæ contingit mutatio, *Vvie die Beschicht*, ubi, uti vides, non distinguitur, an per contractum inter vivos, an verò mortis causa contingat mutatio, ac novus fiat emphyteuta, sed generaliter ac indistinctè venit interpretanda ac intelligenda dispositio *arg. c. Quia circa* 22. *de Privil. & l. Pretio ff. de Publ. in rem act.* accedente præsertim universali totius Bavariæ consuetudine, *quæ est optima legum interpres l.* 17. *ff. de Legib. & c. cùm dilectus, de Consuet.* 224

Dicitur autem notanter ab illo, *qui à domino directo, pro novo emphyteuta recognoscitur, aut investitur*; quia etsi plures liberi v g. tanquam hæredes in bono emphyteutico succedant, tamen nec omnes simul pro toto bono emphyteutico, nec singuli pro parte sua laudemium *den Anfall, oder zustand* dare tenentur, sed ille solus integrum solvere debet, cui reliquo pro compensatione pecuniaria suas portiones, totumque bonum emphyteuticum, prædium v g rusticum cedunt, & qui per domini directi recognitionem aut investituram fit emphyteuta. Ratio manifestè patet; quia Laudemium *den Anfall* solummodo, ac præcisè præstatur pro nova recognitione, subscriptione, ac investitura, aut acceptatione in emphyteutam, ut habet communissima DD *arg. l. fin. circa finem V. Ne avaritia. C. de jure emph.* Atqui unicus tantùm ex liberis, ille nempe, cui suas portiones reliqui cedunt, recognoscitur, investitur, ac novus emphyteuta fit, & ut talis inscribitur; reliqui verò investituram nec obtinent, nec petunt, nec emphyteutæ evadunt, nec inscribuntur ut tales, ergo ille solus, non item isti Laudemium *den Anfall* dare tenetur cùm uti dictum est hoc genus laudemii non nisi novus emphyteuta & quidem pro sola recognitione, investitura aut inscriptione dare teneatur. Et ita cum aliis docet magnificus, ac excellentiss. D. Klingensperger *in disp. Jurid. de jure emph. c.* 9. *asser* 99. *n.* 7. *& asser.* 100. *n.* 3 atque decisum refert in Revisorio Monacensi (31. Augusti 1669.) nec dissentit excellent Dominus Cancellarius Bavariæ intimus Schmidt ad Statuta Bavariæ *tit.* 21. *art.* 24. *n.* 31. §. *Altera notabilis differentia.* Neque magnificus D. Bassus *in Semicentur.* 1. *cont.* 31. *art. n.* 5. Ubi ambo aliud non docent, quam quod, si in casu mortis plures extent liberi, unicum tantùm laudemium *vor den Anfall* debeatur, nec duplicari, vel augeri possit ex eo, quod reliqui liberi suas portiones uni soli cedant: quod idem in substantia docet magnificus D. Klingensperger *l. c.* ita ut dissentire non videantur, nisi quod hic expressè dicat, quod solus novus emphyteuta totum ac integrum laudemium *den Anfall*, id est, vigesimam partem pretii, quo prædium tempore mutationis æstimatur, de toto prædio, consequenter etiam de portionibus per cessionem acquisitis utpote in toto prædio comprehensis, semel, ac unica vice solvere debeat: liberi verò cedentes nec ante, nec post cessionem pro laudemio *vor den Anfall* quidquam solvere habeant; consequenter novus emphyteuta *der neve Mayr* solus 200. *fl.* pro laudemio *Anfall* dare debeat, si prædium tempore: quo pro emphyteuta recognoscitur, aut investitur 400. *fl.* æstimatur. Excellent. verò D. Cancellarius Bavariæ intimus Schmidt cum magnifico Basso dicat, quod Laudemium *den Anfall* duplicari, aut repetitis vicibus propterea exigi vel augeri non possint, quia liberi uni ex ipsis cedunt suas portiones, & totum prædium consignāt; 225

dum-

dummodò de integro prædio, consequenter etiam de consignatis aliis portionibus integrum Laudemium *den Anfall* aliunde detur, à novo videlicet emphyteuta, quod doctissimi hi viri supponunt, hoc ipso quia *l.c.* defendunt, unicum quidem ac simplex, sed integrum pro toto prædio deberi laudemium *vor den Anfall*, etiam in casu, quo ob mortem prioris emphyteutæ contingit mutatio, & fit novus emphyteuta.

Resp. II. Adhoc, ut dominus directus moriente emphyteuta, ab omnibus liberis, vel hæredibus simul, vel à filia aut vidua, in casu, quo earum alicui res emphyteutica, prædium v.g. rusticum traditur, redditur, aut consignatur, possit exigere Laudemium *vor den Anfall*, non sufficit consuetudo aut observantia triginta, aut quadraginta annorum, sed requiritur tempus immemoriale, aut saltem quadraginta anni cum justo titulo debitè probato. Conclusio hæc manifestè ita probatur. Ad præscribendam consuetudinem, aut observantiam, cui jus resistit; vel ubi præsumptio est contra præscribentem, requiritur tempus immemoriale, aut quadraginta annorum cum justo probato titulo, juxta unanimem *c. 1. de præscript. in 6.* sed præfatæ consuetudini Jus resistit, & habetur insuper præsumptio contra præscribentem, *arg. l. fin. C. de Jure emphyt.* ubi non tantùm in genere præstationem Laudemialem avaritiæ Dominorum adscribit, sed insuper in specie disponit, quod non nisi quinquagesima pars pretii exigi possit, Idque solummodo pro inscriptione, seu recognitione, ac investitura emphyteutæ, consequenter neutiquam ab eo, qui pro emphyteuta non inscribitur, nec recognoscitur; ergo. Subsumitur: atqui nec omnes liberi simul post mortem patris, nec vidua, nec filia, in casu, quo eis ceditur, consignatur, aut traditur bonum emphyteuticum, inscribuntur, neque investiuntur, aut pro emphyteutis acceptantur, vel recognoscuntur, uti supponitur; ergo Domini directi ab eis, vel ab eorum aliquo, Laudemium *den Anfall* exigere non valet, nisi adsit consuetudo aut observantia quadraginta annorum cum justo titulo ritè probato.

Neque favet neque assistit huic consuetudini Jus Bavaricum *tit. 21. art. 21.* quia licet ibidem contra Jus commune assistat Dominis directis in eo, quod possint non solùm quinquagesima, sed & vigesimam partem pretii pro Laudemio *vor den Anfall*, exigere, tamen eisdem contra dictum Jus commune non assistit in eo, quod ab alio, quam à novo emphyteuta, quia pro tali recognoscitur, inscribitur, aut investitur, Laudemium *vor den Anfall, oder Zustand* exigere valeant.

Objicies I. Quoties fit mutatio ex parte emphyteutæ, toties potest exigi Laudemium juxta claram dispositionē Juris Bavarici *Land Recht. tit. 21. art. 21.* atqui si moriente emphyteuta succedentes plures liberi cedunt uni ex ipsis totum prædium, contingit ex parte emphyteutæ ad minimum duplex mutatio, vel etiam triplex, si illud cedunt sorori, vel viduæ, & hæc marito: Una namque fieri censetur mutatio, quando moriente emphyteuta prædium rusticum transit ad omnes liberos tanquam hæredes simul: Secunda contingere videtur, si per cessionem, aut consignationem ab omnibus simul ad unum ex liberis solum, vel ad viduam transfertur. Tertia fit, quando ab hac consignatur Marito; ergo etiam totidem exigi possunt Laudemia *Anfall*, Unum ab omnibus liberis simul, utpote ad quos per primam mutationem prædium transiit. Secundū ab illo, vel illa, ad quem in secunda mutatione per cessionem devenit. Tertium à marito, casu quo eidem filia, vel vidua nubens, prædium consignat. Resp. disting. Major. Toties exigi potest Laudemium *den Anfall*, quoties ex parte emphyteutæ fit mutatio, si fit taliter, quod per eam novus aliquis fiat, recognoscatur, aut Investiatur emphyteuta, Conceditur Major. Si fit taliter, quod per eam nullus adhuc novus fiat, recognoscatur aut investiatur emphyteuta, negatur, Eodem modo distinguitur Minor, & negatur Conseq. Nam quia per primam mutationem, qua ad liberos simul prædium rusticum v.g. transit, nullus novus Emphyteuta fit, vel recognoscitur, cum omnes simul pro tali nec recognoscantur, nec investiantur, Imò recognosci non valeant, ob hanc mutationem laudemium *den Anfall* exigi non potest, hoc ipso, quod adhuc novus nondum adsit, nec recognoscatur emphyteuta, qui solus, & quidem pro sola recognitione, seu acceptatione, aut investitura præstare tenetur Laudemium juxta dicta *nu. 15.* & communissimam DD. *arg. l. fin. C. de Jure Emphyteut.*

Porrò, quia, dum liberi prædium sorori, vel viduæ cedunt, non fit nec recognoscitur emphyteuta, cum, uti supponitur, Dominus directus fœminam pro emphyteuta recognoscere, investire, aut accipere nolit, sed virum habere velit, nullum à fœmina tali exigere Laudemium *den Anfall*, aut prætendere potest, utpote quam pro emphyteuta non acceptat, nec investit, nec recognoscit. Et certè ridiculum, ac iniquum videtur, si uti à nonnullis fieri solet, Dominus directus dicat ad talem fœminam: Ego te pro emphyteuta non accepto, nec recognosco, nec inscribo, aut investio, sed, ut virum sistas, habere volo: Verumtamen onus, & obligationem emphyteutæ, Laudemium nempe *den Anfall*, quod solus emphyteuta pro recognitione, inscriptione, aut investitura in emphyteutam solvere tenetur juxta dicta *n. 25.* à te exigo, idemque à marito etiam tuo futuro exigam. Similiter ridiculum, ac iniquum videtur dicere ad omnes liberos simul; Vos omnes simul pro emphyteuta non recognosco, nec accepto, sed tamen ab omnibus simul obligationem, & onus emphyteutæ, Laudemium nempe pro sola recognitione & acceptatione in emphyteutam, aut inscriptione debitum prætendo, prætensurus idem etiam ab illo, cui totum prædium assignabitis. Nunquid talis fœmina, aut tales liberi jure merito objicere, aut dicere possent. Domine mi! si vis, ut portemus onus & incommoda emphyteutæ, pro tali nos recognoscere, ac concedere debes, ut fructibus quoque, ac commodis emphyteutæ fruamur juxta æquissimam Juris Regulam *55. de R. I. in 6.* Qui sentit onus, sentire debet & commodum.

Objicies II. Ad hoc, ut quis teneatur dare Laudemium *den Anfall*, non requiritur, ut recognoscatur pro emphyteuta, sed sufficit, quod jus aliquod ad emphyteusin aliquo saltem tempore habeat, prout patet ex *tit. 21. art. 21.* Juris Bavarici, ubi ad tale Laudemium obligantur etiam illi qui contractu aliquo emphyteusin acquirunt, etsi contractus posteà iterum dissolvatur; ergo etsi nec liberi simul, nec uxor, aut filia, cui totum bonum emphyteuticum consignatur, pro emphyteuta recognoscantur, nec acceptentur, ad præstandum Laudemium tenebuntur, eò quòd ipsi quoque aliquo saltem tempore jus quoddam ad illud habuerint; cùm alias alteri consignare, aut cedere non potuissent; *cùm nemo possit dare, quod non habet, l. Traditio ff. de Acquirend. rerum domin.* Resp. negando Anteced. Ad textum statutorum Bavariæ dico, per eum potius contrarium Antecedentis, id videlicet probari, ad hoc, ut quis Laudemium dare teneatur, omnino requiri, quod à Domino directo pro emphyteuta recognoscatur; cum ibidem ad inducendam obligationem præstandi Laudemium expressè requiratur, ut præcedat Domini directi consensus, quo significet, quod ementem v.g. pro emphyteuta recognoscere, & acceptare velit, ibi: *Da sie solches auch dē grundherrn angezeigt, und sein Bewilligung erlangt hatten*, qui consensus solus sufficit ad recognoscendum emphyteutā, Magnificus D. Klingensper, ubi suprà *Assert 99. n. 4* citans Georg. Franthz *de Laudem c. 5. n. 9. & seq.* consequenter etiam ad inducendam obligationem præstandi Laudemium; quod si verò dissolvatur, respectu Domini directi, qui ex parte sua omnia jam posuit, per accidens est, & propterea ei in Laudemio præjudicare non debet. Aliter res se habet in casu, quo successione hæreditaria bonum emphyteuticum ad liberos venit; cum enim, dum emphyteusis ad hos omnes simul vi primæ investituræ transit, eos Dominos directus emphyteusis aliquo consensu pro emphyteuta nullatenus recognoscat, nec acceptet, sed potius contrarium faciat, manifestando eisdem, quod omnes simul pro emphyteusis aliquo consensu pro emphyteuta nullatenus uni soli totum prædium v.g. consignare debeant, planè ab eis simul, laudemium *den Anfall*, pro sola recognitione, & acceptatione, & in emphyteutam de Jure debitum exigere non potest. Pariter, quia dum prædium emphyteuticum etiam cum consensu Domini directi consignatur filiæ, aut viduæ, nullam harum pro emphyteuta consensu aliquo recognoscat, vel acceptet Dominus directus, hoc ipso quod ea non contentus, maritum pro emphyteuta sibi sisti petat, & ab eo tanquam tali laudemium exigat, non à filia, vel vidua, cui prædium assignatur, sed à solo marito qui pro emphyteuta recognoscitur, & acceptatur, laudemium *den Anfall*, petere potest; cùm pro

pro sola hac recognitione, & acceptatione Laudemium præstetur, tam de Jure communi, *l. fin. C. de jure emph.* quam etiam Bavarico, *cit. tit. 21. art. 21. ad finem* juxta dicta.

Objicies III. In Feudis, quando moriente Vasallo relinquuntur plures liberi, debent hi omnes simul de Jure Bavarico dare Laudemium *den Anfall*, etsi non omnes feudum retineant, nec pro vasallis investiantur. Debet insuper ille, cui reliqui totum feudum pro compensatione pecuniaria cedunt, de novo dare laudemium *den Anfall*, saltem pro partibus sibi consignatis, textu expresso *tit. 12. art. 8* ergo idem dicendum erit in emphyteusi. Resp. cond. Ant. negando Cons. quia Laudemium præstatio est odiosa, consequenter non extendenda de casu ad casum, sed potius restringenda, uti bene advertit Everhar. *vol. 1. consil. 33. n. 23.* Berlich *in dec. aur. par. 3. dec. 171. n. 9. & seq.* Excellentiss. D. Schmidt *ad tit. 21. ar. 24.* & alii communiter, *arg. l. fin. C. de jure emph. & c. Odia de R. I. in 6.* Hinc etiam licèt in Feudis Laudemium præstare debeat Vasallus, sive ex parte Vasalli fiat mutatio; tamen idem non procedit in emphyteusi, cum emphyteuta laudemium dare non teneatur, si solum ex parte Domini fiat mutatio; prout concedunt omnes, qui consequenter etiam concedere debent, à feudis non valere argumentum ad emphyteusin in Bavaria. Accedit, quod, dum plures liberi in feudo succedunt, omnes simul in communi stare, ac omnes investiri possent, si vellent, sicque Domini investituram paratam haberent. Econtra in emphyteusi plures liberi simul stare, vel emphyteusin inter se dividere non permittantur, nec omnes, etsi vellent, investiantur; consequenter mirum non est, quod in feudis, non item in emphyteusi duplex laudemium præstetur, si totum bonum uni consignetur; cum in feudis consignatio fiat liberè, in emphyteusi verò necessariò: quod ex parte etiam advertit Excell. D. Schmidt *c. tit. 21. art. 24. n. 3 circa finem* ubi propterea etiam iniquum reputat, si ob necessariam emphyteusis consignationem, aut cessionem in unum, laudemium multiplicetur. Cæterum cur statuta Bavariæ plura laudemia concedant in Feudis, quam emphyteusi, etiam alia ratio esse potest, videlicet, ut fiat aliqua resarcitio canonis annui, qui in emphyteusi, non item in feudis datur, Et hæc de laudemiis debitis *von den Anfall*. Jam

227 Quæritur ulterius, an & quando liceat in Bavaria laudemium *vor die Abfahrt* exigere? Resp. I. Tam in foro interno, quam externo illicitum & invalidum est exigere laudemium *vor die Abfahrt*, nisi alicubi notoria & legitima habeatur consuetudo, vel observantia. Hæc conclusio est certa: quia ita, & non aliter contra jus commune concedunt statuta Bavariæ *tit. 21. art. 21.* ibi. *Wann an einem Orth die Abfahrt neben den Anfall zu nehmen gebrauchig, und sundlich herkommen, mogen dieselbe an solchen Orthen furterhin auch genommen werden.* Ex quo sequitur, minimè tutos esse in conscientia, sed graviter contra justitiam peccantes, ad restitutionem teneri illos dominos, qui consuetudinem laudemia *vor die Abfahrt* exigendi primum introducere incipiunt, vel inceptam jam, sed nondum legitime præscriptam continuant, vel ideò præcise exigunt quia idem ab aliis in Bavaria practicari conspiciunt; cum non exemplis, sed legibus sit judicandum, *leg. Nemo Cod. de Sentent. & interlocut. omn.*

228 Sed adhuc quæritur, quantum tempus requiratur ad inducendam consuetudinem, vel observantiam exigendi præter laudemium *den Anfall*, etiam laudemium *die Abfahrt*? Resp. I. Si fit mutatio emphyteusis per contractus inter vivos, v.g. per venditionem, mutationem, donationem, vel dationem in dotem, aut in solutum, requiritur, & sufficit tempus longissimum triginta vel quadraginta annorum. Ita Excell. D. Schmidt ad statuta Bavariæ *tit. 21. art. 21. n. 3.* Magnificus D. Klingensperger *loc. cit. Assert. 93. n. 3.* Magnificus D. Rassus *in Cent. 1. contr. 31. n. 13. & seq.* & alii. Estque testibus citatis doctissimis viris ita judicatum in Revisorio. Ratio est; quia universaliter loquendo, omnia jura, etiam res maximi momenti, ac præstationes, quæ Juris resistentiam non habent, dicto tempore acquiruntur. *Tot tit. C. de Præscr. 30. vel 40. annorum*; ergo. Nec obsunt, quæ copiose congerit Covarruvias *in c. Possess. de reg. jur. in 6. §. 4.* probare volens, ad omnem consuetudinem exactivam onerum novorum contra subditos, requiri tempus immemoriale: quia respondetur, ea intelligenda esse de oneribus insolitis, Juris resistentiam habentibus: quale onus non est præstatio laudemialis *vor die Abfahrt* in Bavaria, utpote cui statuta Bavariæ potius assistunt, quam resistunt, ibi, ubi consuetudo viget; uti liquet ex *cit. 21. art. 21.* ibi. *Wo es gebrauchig, mages genommen werden.* Dicitur autem notanter (si mutatio fit per contractus inter vivos.) Nam

Resp. II. Si moriente emphyteuta transit bonum emphyteuticum ad unum, vel plures hæredes, nullo modo potest dominus directus ab aliquo petere laudemium *vor die Abfahrt*, vel ut alii loquuntur, *vor den Todtfall*, etiamsi illud exigendi alicubi vigeret consuetudo, aut observantia, triginta, vel quadraginta annorum, nisi adsit tempus immemoriale, vel 40. anni cum justo titulo. Ita Excellentissimus Dominus Schmidt *ad tit. 12. art. 8. n. 34. & 35.* id probans *ex cit. tit. 12. art. 8.* ubi expresse prohibetur, ne dominus feudi, moriente vasallo Relevium pro discessu *vor die Abfahrt*, seu *vor den Todtfall* exigat: quod idem in emphyteusi prohibitum esse, clarum & liquidum esse asserit, ob paritatem rationis; videlicet, quia aliàs hæredi successori incumberet obligatio duplex, pro se, & pro antecessore solvendi laudemium, seu Relevium, quod ait Excellentissimus D. Schmidt iniquum esse, manifestè apparet, cùm novus Vasallus vel emphyteuta non nisi unicam obligationem Laudemii, aut Relevii pro recognitione aut investitura solvendi habeat. 229

Aliter res se habet in mutatione emphyteusis per contractus inter vivos v. g. per venditionem, aut dationem emphyteusis seu Feudi dotem &c. cùm enim tali casu duæ extent personæ obligationis suæ præstandæ capaces, una nempe discedens, feudum, vel emphyteusin relinquens, altera succedens ac acquirens, non immeritò Jura Bavariæ *tit. 21. art. 21* ibi, ubi est notoria consuetudo, aut observantia, duplex laudemium concesserunt, unum *die Abfahrt* nempe, solvendum ab illo, qui discedit à bono, idque in gratiarum actionem quasi pro concessa facultate emphyteusin transferendi: alterum *den Anfall* solvendum ab illo, qui succedit, idque pro recognitione, seu acceptatione in emphyteutam vel vasallum. Hinc *cit. tit. 21. arg. 21.* ubi pro discessu *vor die Abfahrt* laudemium juvante consuetudine conceditur, intelligi debet de casu inter viventes, ubi discedens ipse adhuc laudemium *die Abfahrt* præstare potest. & non de casu mortis, ubi decedente obligationis ampliùs præstandæ incapace, duplex onus pro se, & pro alio solus portare deberet successor.

Accedit, quod germanicum verbum *die Abfahrt*, idem est ac *der Abzug vor dem Guth*, quod in sensu proprio de solis viventibus, non item morientibus, nisi impropriè intelligi potest: verba autem Legis in propria sua significatione accipi, & intelligi debent *l. Non aliter ff de Legat. III.* & ad sensum improprium, præsertim in materia odiosa qualis est laudemialis, neutiquam extendenda sunt *c. Odia R. J. in 6.*

Confirmatur: Jura Bavarica quoad laudemia plus favent, & concedunt dominis directis feudorum, quam Emphyteusim, uti constat ex dictis suprà in Objectione III. atqui dominus Feudi non potest moriente Vasallo ab hæredibus exigere laudemium, seu Relevium *vor die Abfahrt*, seu *vor den Todtfall* textu claro *tit. 12. art. 8.* ergo multò minùs illud exigere poterit dominus emphyteusis, argumento à majori ad minus desumpto.

Dictum est ulterius *suprà nu. 29. Etiamsi illud exigendi alicubi vigeret consuetudo, nisi adsit tempus immemoriale.* Ratio patet; quia juxta communissimam, imò unanimem DD. teste Covarruvia *loc. cit. n. 5* ad præscribendam consuetudinem, aut observantiam onerum exactivam contra subditos, quibus jus non assistit, sed resistit, aut præsumptio est contra possidentem, requiritur tempus immemoriale, vel saltem quadraginta annorum cum titulo justo ac probato, *c. 1. de Præscr. in 6.* atqui consuetudini exigendi laudemium *vor die Abfahrt* seu *vor den Todtenfall* moriente emphyteuta Jus commune resistit, & habetur præsumptio contra præscribentem, *arg. l. fin. Cod. de jure emphyteut.* ubi ut suprà jam dictum non tantum in genere præstationem laudemialem, avaritiæ dominorum directorum adscribit, sed in specie disponit, quod non nisi quinquagesima pars, & quidem solummodò pro inscriptione, seu recognitione, consequenter nihil pro discessu *vor die Abfrahrt* peti possit; ergo. Nec favet, neque assistit dictæ consuetudini Jus Bavaricum *tit. 21. art. 21* cum ibidem soli assistat consuetudini exigendi laudemium *die Abfahrt*, si fit mutatio emphyteusis inter vivos; non item, si fit per mor-

mortem prioris emphyteutæ, uti patet ex dictis *a n. 229.*

Cæterùm quot actus requirantur ad præscribendã consuetudinem, quomodo item consuetudo introduci, ac probari valeat? vide suprà *lib. 1. T. IV. de consuet.* Hic intereà solùm notandum, quod si contra unum solum habeatur usus, dicatur observantia, quæ requirit veram præscriptionem cum bona fide juxta dicta *lib. 2. tit. de Præscr.* Si verò contra omnes, vel majorem partem cujusdam loci habeatur, dicatur consuetudo, uti communiter advertunt DD. præsertim in Jura Bavarica *loc. cit.* scribentes: inter quos magnificus D. Klingensper *loc. c. Assert. 93. n. 9.* Insuper optimè addit, quod in priori casu probatio pertineat ad Dominum directum, in posteriori autem probatio exemptionis à communi consuetudine pertineat ad emphyteutam.

Et ex his hactenus dictis patet, quod *n. 222* specificati modi exigendi, ac multiplicandi laudemia *der Anfall, und Absahrt* à potiori sint merissime corruptelæ & abusus, quibus miseri subditi contra justitiam emunguntur, & dominorum directorum conscientiæ peccatis caudatis, restitutionis obligationem gravissimam secum trahentibus replentur, non sine magno æterni interitus periculo; cùm multi restitutionem præteritorum negligere, & corruptelas has etiam in futurum continuare non dubitent, penitus non excusandi eo argumento, quia etiam alii faciunt.

Quod periculum nec illi evadunt, qui Religiosiores apparere cupientes, supradictos modos exigendi ac multiplicandi laudemia *der Anfall, und Absahrt* explicitè non practicant, quidem, tamen implicitè, & à parte rei multum de eis participant, dum pro exactione omnium laudemiorum *der Anfall und Absahrt*, quæ juxta corruptelam pluribus communem erui, ac numerari possent, certam summam pecuniæ pro arbitrio, & libitu suo vel (ut ajunt) pro æquo & bono à subditis exigunt: non attendẽtes, an quantitati à Lege taxatæ conveniat nec ne. Certè enim licitum non est Judicis aut Domini voluntarium arbitrium, ubi certum habetur Legis præscriptum *arg. c. 1. de Constit.*

Qua propter si quis Dominorum directorum in conscientia securus esse vult, contingente casu, benè attendat, an fiat mutatio emphyteusis per contractum inter vivos, an verò per mortem prioris emphyteutæ. Item benè indaget in libris emphyteuticis, *In den Saal, und Grund-Buchern*, an, qualis, quomodo & quot actibus hactenus introducta habeatur consuetudo, aut observantia. Enimverò, ut dicta hucusque pro praxi recapitulemus, quando per contractum inter vivos, per venditionem, donationem, mutationem, dationem in solutum &c. fit mutatio ex parte emphyteutæ, potest dominus directus à novo emphyteuta pro recognitione, acceptatione, ac Investitura ejusdem exigere laudemium *den Anfall*, seu ut alii vocant, *den Zustand, oder Laud-Schuld*, quinque pro centum pretii, quo tempore mutationis æstimatur prædium v.g. emphyteuticum. Item ab antiquo emphyteuta potest exigere laudemium pro discessu, *die Absahrt*, ibi: Ubi hoc laudemium exigendi notoria ac legitima consuetudo, aut observantia per triginta vel quadraginta annos viget. Ubi verò consuetudo talis, aut observantia nondum est introducta, pro discessu *vor die Absahrt* penitùs nihil exigere valeat, juxta dicta *suprà n. 227.*

Eodem & non alio modo laudemium pro discessu, & accessu *vor die Anfahrt und Anfall* exigere potest, si prior emphyteuta rem emphyteuticam prædium rusticum v.g. filio, vel filiæ tradit, *Wann der Vatter der Sohn oder Tochter ubergiebt*, vel huic rem aliquam emphytheuticam pro dote consignat. Nec enim in casu, quo res emphyteutica traditur filiæ, duplex laudemium *vor den Anfall*, nec duplex *vor die Absahrt* ex eo capite, quia ab hac iterum traditur marito, exigere potest juxta dicta suprà 225 *& seqq.* cùm Dominus directus, uti supponitur, filiam pro emphyteuta non recognoscat, nec acceptet, sed solum maritum, sic illa nec ad Laudemium *Anfall* nec ad Laudemium *Absahrt* obligatur, utpote quæ nunquam fuit, nec de facto est, nec fiet emphyteuta, consequenter solus maritus emphyteuta novus pro recognitione debet præstare laudemium *den Anfall*, patet verò præteritus emphyteuta Laudemium pro discessu *die Absahrt*, ibi: Ubi id dandi 30. vel 40 annorum viget consuetudo, vel observantia.

Quando autem fit mutatio ex parte emphyteutæ per mortem prioris emphyteutæ, tunc Dominus directus nullum potest exigere laudemium pro discessu *vor die Absahrt oder Todfall*, etsi illud exigendi vigeat consuetudo, nisi sit immemorabilis juxta dicta 229. *& seq.* Neque potest ab hæredibus simul exigere laudemium pro accessu *vor den Anfall oder zustand*: multò minus potest duplicare aut multiplicare laudemia *der Absahrt, und des Anfalls*, ex eo, quod liberi uni ex illis v. g. sorori, aut viduæ, & hæc marito cedant totum prædium emphyteuticum, sed debet esse contentus uno simplicissimo laudemio solvendo per illum solum, qui pro novo emphyteuta acceptatur, recognoscitur, ac investitur, juxta dicta *n. 225. & seqq.*

Verum quæ hactenus de laudemiis diximus, secundum Jura ac consuetudines patriæ intelligenda sunt. Quibus non obstantibus possunt domini directi per specialia pacta & conditiones, plura & alia onera etiam insolita imponere subditis tempore, quo res Allodialis primitus datur in emphyteusin, ita ut bene possit dominus directus dicere. Concedo tibi hanc rem in emphyteusin hac tamen conditione; ut mihi in quovis casu etiam mortis detur duplex laudemium *die Absahrt und Anfall* ut omnes concedunt: *tum quia contractus ex conventione legem accipiunt, c. Contractus 85 de R. J. in 6 & l. Contractus ff. de R. J.* tum quia suæ quisque rei moderator & arbiter existit, *l. In re mandata C. mandat.* Nec per hoc fit iniuria subdito, utpote cui liberum est, rem in emphyteusin accipere, vel non. Scienti autem, & consentienti non fit injuria *c. Scienti 27. de R. J. in 6.*

Dicitur autem notanter, quando res Allodialis primitus datur in emphyteusin, quia si hæc prius jam data transit ad hæredem, vel in alium transfertur, non potest Dominus directus tempore mutationis, ac novæ investituræ, novum, de Jure ac consuetudine indebitum onus, per speciale pactum imponere, nisi consentiente emphyteuta aliud onus proportionaliter remittat, vel aliunde compenset, v.g. non potest dominus directus filio, vel alteri in emphyteusi succedenti dicere: *Volo te in emphyteutam acceptare, & recognoscere, si in posterum in omni casu mutationis, etiam mortis mihi detur laudemium duplex.* Ratio est, quia tenetur eum investire, si justam causam repellendi non habet, cum juxta dicta §. VIII. Emphyteusis de Jura etiam transeat ad hæredes: possitque etiam alteri donari, consignari, aut vendi per dicta §. VII. Bene tamen potest dicere: *Si imposterum duplex præstatur Laudemium, volo remittere dimidiam partem canonis annui debiti.* Sicut econtrà potest dicere: *Remittam duplex Laudemium de jure speciali, & consuetudine debitum si plus das pro canone annuo*: ubi tamen semper in libertate subditi positum est, an conditionem acceptare, an verò jura antiqua tueri velit. Hinc minimè tuti sunt in conscientia illi, qui absque consensu Emphyteutæ vel etiam de ipsius consensu per injustè incussum metum extorto, aut à Juris sui ignaris, dato tempore mutationis investituris scriptis novo Emphyteutæ tempore mutationis dari solitis *Gerechtigkeits-Brief*. Laudemia, aut alia onera de jure indebita, prætextu pactorum specialium inferunt, indeque jus exigendi in futurum sibimet pro libitu cudunt.

Verum quamvis non possit Dominus aliter ac dictum est Laudemia directè exigere, aut multiplicare, potest tamen indirectè id facere in Emphyteusi qualificata, *in der anverlaiten Frey. Stifft* apud Bavaros multum vigente dicendo v.g. nisi Laudemia tali vel tali modo præstes, bonum Emphyteuticum tibi aufero, & pretium unà cum reliquis tibi debitis, restituo: *kauff dich auff.* Dummodò ignarum & simplicem instruant, quid juris ei in tali privationis casu *bei dem Abkauffen, oder Ausstifft* competat (videlicet, quod eidem pretium rei Emphyteutæ in parata pecunia statim tradere, ac una cum supellectili *Fahrnuss* Laudemium si quod accepit, iterum restituere atque notabiles meliorationes refundere debeat dominus juxta Tit. 21. art. 5. *Land Recht* ne ignorans deterreatur, aut decipiatur. Ratio patet: cum enim dominus directus jus habeat singulis annis refuso pretio & aliis bonum Emphyteuticum *ein anverleibtr Freystifft* retrahendi, textu claro Tit. 21. art. 5 bene potest sub conditione hoc jus remittendi, laudemium multiplicare: quod tamen facere non potest in Feudo, nec in Emphyteusi perpetua, seu hæreditaria *Erb-Recht*; quia hæc auferendi jus non habet dominus directus, ut omnes fatentur.

Hic intacta relinquenda non est iniqua fraus quorundam dominorum directorum, qui ut canonem annuum subditorum augeant, eis proponunt, quasi plura, ac Juris, & consuetudinis est, deberent Laudemia juxta abusus suprà enumeratos; dicendo v. gr. Ecce bone amice; pos-

possem à te tot accipere Laudemia, quæ efficerent tantam summam pecuniariam; sed quia miseret me tui, volo unum aut alterum remittere, ita tamen, ut tu, & successores tui canonem annuum augeatis. Ex qua propositione boni subditi Juris, & obligationis suæ ignari, ut præsentem graviorem summam illico dandam declinent, onus etiam perpetuum, solvendi nempe majorem canonem annuum facile recipiunt, ob quod tamen non minori onere, & utinam non perpetuo graventur conscientiæ, ac animæ dominorum, nisi remittant aliquid, & quidem proportionaliter de Laudemiis, aut aliis oneribus sibi de Jure, & consuetudine verè debitis: bene enim dicere possunt; Ecce! quia hoc tempore prædium tanto pretio æstimatur, de quo mihi vigesimam partem .i. 5. pro 100. debes, possem jure merito tãtum accipere pro Laudemio; verùm si canonem annuum auges, dimidium dimittam.

Quod hactenus de laudemiis *der Absahrt und Anfall* in Emphyteusi perpetua seu hæreditaria *Erb. Recht*, & modificata seu altera *anverleibte Frayslifft*, diximus, etiam de Emphyteusi vitalitia *von der Leib Gerechtigkeit* procedit, videlicet, quod toties, quoties ex parte Emphyteutæ fit mutatio per contractus inter vivos v. g. venditionem, traditionem, mutationem &c. novus possessor seu Emphyteuta debeat dare Laudemium *den Anfall* 6 pro centum, antiquus verò Laudemium *die Absahrt* 2. *fl.* & medium pro centum, *ibi*, ubi hoc ultimum Laudemium exigendi notoria viget consuetudo 30. vel 40. annorum; uti contra D. Rath bene docet excellentissimus Schmidt ad T. 21. a 21. n. 5. ubi universalem allegat consuetudinem, quæ est optima legum interpres. *c. Cùm dilectus 8. de consuet. & semicent. 1. controv.* 30. ubi contra præfatum D. Rath. bene ostendit vitalitium, vere non esse merum usumfructum, nec solam locationem, cùm in eo transferatur utile dominium, ita ut emphyteuta vitalitius illud vendere aut alliàs alienare possit, uti Emphyteuta perpetuus. Cæterùm sicut de aliis, ita de Emphyteusi vitalitia observandum, quòd si moriente priori Emphyteuta vitalitium transit ad heredes, hic non teneatur ad laudemium *vor die Absahrt* nisi habeatur consuetudo immemorialis, aut 40. annor. cum titulo justo probato. Multò minùs ad hoc laudemium tenetur hæres defuncti, casu quo per hujus mortem vitalitium omnino extinguitur, & ad dominum pleno jure redit.

Pariter, quæ de laudemiis Emphyteusis dicta sunt, procedunt de laudemiis, seu Releviis in Feudo, hac sola cum differentia, quod in Feudo debeat dari Relevium *vor den Anfall* sive ex parte domini sive ex parte vasalli fiat mutatio *Tit. 12. a. 8.* Item, quod si moriente vasallo Feudum transeat ad hæredes, & hi illud uni cedunt, debeant illi de eo, hic verò etiam de partibus sibi consignatis dare Relevium *Anfall.*

Et hæc de laudemiis pro securitate conscientiæ dominorum directorum, ac pro consolatione miserorum subditorum dicta sufficiant. Quæ si uni, vel alteri domino directo non placent, quæso absque solido fundamento non explodat, sed rem pro merito causæ examinet, vel per doctiores (quorum meliori judicio libenter me submitto) examinari faciat. Intereà eundem debita reverentia, ac Christiana charitate admoneo, ut cordi bene habeat, in hac materia, utpote in præjudicium tertii vergente, non licere sequi probabilem sententiam, relicta probabiliori, juxta novissimum Decretum Innocentii XI. contrariam doctrinam damnantis. Item ne obliviscatur verborum Christi Matth. 16. v. 26. *Quid prodest homini, si mundũ universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.*

§. VIII.

De Successione in Emphyteusi, ubi etiam specialiter de Emphyteusi Ecclesiastica.

SUMMARIUM.

233 *Emphyteusis laicalis, si conceditur simpliciter absque aliqua clausula: censetur esse perpetua & n. 239.*
234 *Non item emphyteusis Ecclesiastica.*
235 *Laicalis sub clausula* pro te & hæredibus concessa *transit ad omnes hæredes.*
236 *Idem est de emphyteusi Ecclesiastica & n. seqq.*
242 *Emphyteusis vitalitia quoque ad quosvis hæredes transit; & quomodo?*
243 *Emphyteusis cum specialibus clausulis juxta clausulas & non aliter ad hæredes transeunt.*
244 *In emphyteusi etiam fœminæ succedunt.*
245 *Etiamsi cum clausula,* pro te & filiis tuis *sit concessa. Filiorum nomine etiam filiæ continentur ibid. & duob. seqq.*
248 *In emphyteusi quomodo succedunt illegitimi, ac legitimati? & seqq.*
251 *Si hæres Monasterium ingreditur an & quando succedat in emphyteusi Monasterium? & seqq.*
253 *Emphyteusin hæreditariam potest emphyteuta alicui prælegare, vel donare pro libitu.*
254 *Idem est in emphyteusi ex pacto & providentia.*
255 *Si est nova.*
256 *Et impensis ipsius emphyteutæ, seu ipsius intuitu acquisita.*
257 *Successor tenetur de emphyteusi satisfacere creditoribus antecessoris, si emphyteusin titulo hæreditario acquirit.*
258 *Secùs est, si vi primæ investituræ eam acquirit.*
259 *Monasterium succedit etiam in emphyteusin ex pacto & providentia: & quomodo?*
260 *Res Ecclesiasticæ in emphyteusin concedi non possunt absque solemnitatibus Juris.*
261 *Benè verò illis adhibitis; etiam in perpetuum.*
262 *Emphyteusin antiquam ad Ecclesiam reversum potest Prælatus Ecclesiæ denuò concedere in Emphyteusin etiam absque Juris solemnitate.*
263 *Dummodò eadem causa utilitatis existat.*
264 *Vel saltem similis causa.*
265 *Emphyteusis antiqua quænam dicatur?*
266 *Emphyteusis etiam antiqua, si ad Ecclesiam reversa applicatur mensæ Ecclesiæ, vel Prælati, non potest amplius absque juris solemnitate in Emphyteusin concedi.*
267 *Quænam bona dicantur de mensa Prælati vel Ecclesiæ?*

QUæritur I. Quisnam succedat in Emphyteusi, seu 233
ad quos transeat emphyteusis? Ante responsionem notandum, emphyteusin variis modis, variisque cum clausulis concedi posse, ut visum est §. V. Unde ante omnia circa successionem inspicienda est investitura, seu instrumentum super contractu emphyteutico erectum, & juxta illud concludendum. Resp. I. Si emphyteusis conceditur simpliciter non facta aliqua mentione temporis, vel personarum, ad quas transeat, v. g. *concedo tibi hoc prædium in emphyteusin*, censetur esse perpetua, transitque ad omnes heredes, sive ab intestato, sive ex testamento succedentes etiam extraneos, si sit emphyteusis Laicalis. Harprecht *ad § 3. Instit. h. t. n. 94.* Jason *in l. 2. C. de Jure Emphyteut. n. 160* Jul. Clarus §. *Emphyteusis q. 28. n. 1.* eoque teste omnes. Ratio est; tum quia juxta dicta superiùs *n.* 129. Emphyteusis perpetua, est propriè emphyteusis, consequenter in dubio, & ubi aliud ex investitura non apparet, pro illa judicandum erit, uti habent citati DD. quibuscum sentit Menochius *de Præsumpt. l. 4. Præsumpt.* 107 *n. 7.* Tum quia, cùm natura translationis dominii sit, ut perpetuò duret, *l. fin. C. de Legibus* & concessio non possit referri magis ad unum, quam aliud tempus, debemus in dubio præsumere, eam esse perpetuam, *arg. l. Obligationem fere. §. Placet. ff. de Obligat. & act.*

Dicitur autem notanter: *si sit Emphyteusis Laicalis* quia 234
limitatur conclusio à nonnullis DD. in emphyteusi Ecclesiastica, ita ut hæc simpliciter concessa, ad solos descendentes filios & filias, eorumque nepotes transeat. Covarruvias *Variar. Resolut. l. 2. cap. 17. n. 6. & cap. 18. n. 1.* Jason *l. c.* Jul. Clarus *l. c.* citans Gozad. *arg. Novell. 7. cap. 3.* ubi limitatio apertè habetur. An autem limitatio hæc locum habeat, patebit ex *n. 238. & seqq.* interea

Resp II. Si Emphyteusis laicalis expressis verbis con- 235
ceditur in perpetuum addita clausula, pro te & hæredibus tuis, pariter transit ad omnes etiam extraneos hæredes sive ex testamento, sive ab intestato succedentes, Jul. Clarus *l. c. n. 6.* citans communem, & meritò; quia DD. in hoc sine ulla controversia omnes conveniunt, teste Molina *disp. 469. n. 3.* Ratio est; quia hæredis nomen simpliciter prolatum generale est, comprehendens non tantùm necessarios, sed etiam extraneos hæredes *in princip. Instit. de hæredit. qualit. & different.*

Dictum est autem notanter emphyteusis laicalis; quia 236
num etiam emphyteusi ecclesiastica concessa cum clausula ut transeat ad hæredes, extraneos quoque comprehendat, gravissima contraversia est inter DD. uti videre

T est

est apud Jul. Clarum *l. c. n.* 6. Ante decisionem priùs tanquam certum præsupponendum est, emphyteusin Ecclesiasticam debita Juris solemnitate concessam, æquè ac Laicalem transire ad omnes etiam extraneos hæredes, si ita expressè in investitura cautum est his, vel similibus clausulis. Concedo emphyteusin pro te & tuis hæredibus omnibus: etiam extraneis: vel, pro te & tuis hæredibus vel quibuscunque, vel, quibus dederis &c. Ratio est, quia uti bene notat Clarus *l. c. n.* 5. similes clausulę ex proprietate verborum omnes hæredes, nullo excepto comprehendunt, Covarruvias *l. c. c.* 17. *n.* 5 & alii communiter: Sola igitur controversia est de clausula, qua simpliciter dicitur pro te & tuis hæredibus absque additamento, omnibus, vel quibuscunque &c.

237 Aliqui ut Imola *in l. Ex facto. n.* 14. *ff. de hęredis Instit.* Alexander *Cons.* 23. *n.* 4. *l.* 1 Alvar Valas. *de jure Emphyt. qu.* 39 *n.* 9. & plures à Julio Claro copiosè relati, *cit. qu.* 24. *n* 6. cum communiori aliorum volunt, quòd emphyteusis Ecclesiastica concessa cum præfata clausa, v. g. concedo emphyteusin tibi pro te & tuis hæredibus ut ad solos descendentes, non item ad extraneos hæredes transeat. Moventur duplici fundamento. Primum est, quia emphyteusis ecclesiastica ex natura sua, regulariter loquendo non nisi ad descendentes transit; consequenter licèt nomine hæredis aliàs etiam extranei hæredes comprehendantur, nomen hoc in emphyteusi ecclesiastica extraneos hæredes non comprehendat; eò quòd regulariter loquendo nomine hæredis extraneus non veniat, in materia, quæ de sui natura non est transitoria ad extraneos; uti teste Duceo decet comm. Alterum fundamentum est; quia *Novell.* 7. *c.* 3. expressè habetur, quòd emphyteusis ecclesiastica ad solos descendentes usque ad tertiam generationem transire valeat, & aliter facta penitùs nullius sit roboris. Quibus non obstantibus

238 Resp. III De Jure loquendo etiam emphyteusis ecclesiastica concessa cum hac clausula. Concedo emphyteusin pro te & tuis hæredibus, transit ad hęredes extraneos, censeturque esse propriè dicta emphyteusis perpetua *Erb. Rech* Ita Jul. Clarus *cit. q.* 28. *n* 6. & 7 ubi plures alios citat. Idem tenet Covarruvias *l.* 2. *Var. Resol c.* 17. *n.* 5. Abbas *in c. In Præsent de Probat. n* 28. & 29. Molina *disp.* 469. *n.* 3. & aliis satis communiter Probatur conclusio *arg princ Instit. de Hæred. qualit. & differ.* ubi habetur, quòd nomine hęredis omnes etiam extranei veniant, & *l. Si pactum.* 9 *ff. de Probat.* ubi universaliter statuitur, quòd in contractibus & pactis regulariter etiam ad hæredes contrahentium quodcunque Jus transferatur Ratio ibid. datur; quia plerumque tam hęredibus nostris, quàm nobismetipsis cavemus. Concordat *l. Sicut re.* 8. §. *Si debitori* 19. *ff. Quibus modis pignus & hypoth.* & *l. Veteris* 13. *princ. c. de Contrah & committ stipulat.* ibi: *Veteris juris alterat ones decidentes generaliter sancimus omnem stipulationem sive in dando, sive in faciendo sive mixta ex dando & faciendo inveniatur, & ad hæredes, & contra hæredes transmitti, sive specialis hæredum fiat mentio, sive non;* ergo idem dicendum erit de stipulatione, & contractu emphyteutico ecclesiastico

239 Confirmatur. Emphyteusis ex natura sua, & nisi aliud ex speciali pactione habeatur, est perpetua, sicque ad quosvis hæredes transitoria: uti docent Jason, & Menochius *citati*, *n.* 233 cum communi aliorum. *arg l.* 1. *In prin. ff. Si ager vectig.* ergo idem dicendum erit de emphyteusi ecclesiastica; cùm ubi Jus commune non distinguit, nec nos distinguere debeamus; uti habet Summarium *In l. de Pretio ff. de Publiciana in rem action.* nullam autem facit distinctionem emphyteusin Laicalem inter & ecclesiasticam in puncto successionis; ergo.

240 Nec enim valet distinctio, quæ loco fundamenti ex *Novell.* 7. *c.* 3. *cit. n.* 237. fuit illata; quia præfata Novella penitus quoad hoc punctum nullius est roboris aut valoris, eò quòd Leges Civiles, quæ nominatim ac specificè disponant de Ecclesiis, personis, rebusve Ecclesiasticis, irritæ sint & invalidæ, etiamsi in favorem Ecclesiæ sint factæ, textu claro *c. Ecclesiarum* 10. *de Constitut.* & cum communissima aliorum singulariter ad propositum notant Jul. Clarus *q.* 28. *n.* 7. Abbas, & latè probatum est suprà *l.* 1. *t.* 2. *de Constitut.* Ut proin Abbas, & Clarus citati mirentur, quòd DD. Adversarii adeò innitantur novellæ dictæ. Præsertim, quòd; si quid etiam aliquando valuisset, de facto expressè revocata esset per *Novellam* 120. *capit. sexto, paragr. prim.*

Minùs obstat fundamentum, quo dicunt, emphyteusin Ecclesiasticam ex natura sua regulariter non nisi ad descendentes transire. Nam contra est; cum quia hoc omnino gratis, & absque ullo juris fundamento dicitur; cum de hoc in jure Canonico penitùs nihil de hoc habeatur. Dispositio autem juris civilis ex *Novella* 7. *cap.* 3. sit invalida: tum quia potiùs contrarium ex jure Canonico deducitur; cùm ibidem perpetua emphyteusis expressè concedatur, & approbetur *can.* 2. §. *Perpetua caus.* 10. *q.* 2. *c. Ad aures.* 7 *de rebus Ecclesiæ alienan.* & ibi Glossa *v. Hæreditario*, solumque prohibeatur, ne fiat absque debita juris Solemnitate, *cap. Nulli eodem.* & *c.* 2. *eod In* 6. qualiter etiam aliæ alienationes prohibentur. Unde sicut non obstantibus his prohibitionibus alię alienationes perpetuæ rerum Ecclesiasticarum ex natura sunt validæ, si debitæ adhibeantur solemnitates. Ita circa Emphyteusin quoque res se habebit. 241

Resp. IV. Emphyteusis vitalitia quoq; ad quoscunq; hæredes transit, tamdiu, quamdiu vivit ille, ad cujus vitam Emphyteusis hæc cognoscitur concessa, etiamsi emphyteuta principalis priùs moriatur, prout suprà *n.* 130. jam diximus. Estque communis. Ratio est: quia hęc species emphyteusis cum emphyteusi propria seu perpetua in omnibus, excepto tempore per speciale pactum determinato convenit, uti *l. c.* cū DD. ibidem allegatis jam notavimus. 242

Resp V. Emphyteusis ex pacto vel providentia, item concessa ad certas personas, generationes, vel familias transit ad illos solos, quibus vi contractus emphyteutici concessa est, Jul. Clarus *cit. q.* 28. *n.* 23 & 24. communisque & certa aliorum. Ratio est; quia contractus ex conventione legem accipiant *Reg.* 28. *Jur. in* 6. extra controversiam est, illos solos succedere, quibus solis in investitura jus succedendi conceditur. 243

Quæritur II. An in emphyteusi succedant etiam fœminæ? Resp. I. Affirmativè; nisi in contractu specialiter, & positivè, excludantur. Jul. Clarus §. *Emphyteusis*, *q.* 34. *n.* 1. Covarruvias *Variar. Resolut lib.* 2. *c.* 18. *n.* 1. Alvar Valas. *de Jure Emphyteut.* Molina *disp.* 574. *n.* 9 & communior aliorum contra Baldum apud Jasonc. Alexandrum, & alios à Covarruvia citatos. Ratio est: quia hoc ipso quod emphyteusis transeat ad quoscunque hæredes: hæredis autem nomine veniant non tantùm masculi, sed & fœminæ, etiam hæ in emphyteusi succedunt: prætertim cùm nullo jure reperiantur ab hac successione exclusæ, & Lex indistinctè loquens, indistinctè sit intelligenda *arg. can. Quia circa* 22. *de Privileg* nec obstat, quòd fœminæ regulariter in feudis non succedant; quia universaliter non valet argumentum à feudis ad emphyteusin, cùm non eadem ubique militet ratio; Feudum enim, uti dicemus, datur pro servitio personali in bello, quòd fœminis non congruit: secus est in emphyteusi. 244

Resp. II. Emphyteusis tam Ecclesiastica, quàm Laicalis transit etiam ad fœminas filias; etsi sit concessa cum hac clausula: *Concedo Emphyteusin pro te & filiis tuis*, Jul. Clarus *cit q.* 32. *n.* 2. Covarruvias *loc. cit.* Molina *loc. c. n.* 10. Alvar. Valas *de Jure Emphyt. q.* 41. *n.* 3 Alciat *in l.* 1 *ff. de V. S.* Tiraquell *l.* 1. *de Retract* §. 1 *Glos.* 9. *n.* 206. Salicetus & alii. Ratio est; quia Pronuntiatio sermonis in sensu masculino ad utrumque sexum plerumque porrigitur. *l. Pronuntiatio* 195. *in prin ff. de V. S.* & in specie nomine filii veniunt etiam filiæ, *l. Si quis his* 16. *in prin. ff. de testament. tutel.* ubi pro generali dictione dicitur, Filiorum appellatione & Filiæ continentur. 245

Dices. In contractibus stricti Juris, qualis juxta nos est emphyteusis verba propriè, ac strictè accipienda sunt, *arg. l. Quidquid.* 99 *ff. de V. O.* Filiorum autem nomine propriè non continentur filiæ, sed tantùm per extensionem *cit.* 195. *de V. S.* Ergò. Resp concessa majore, negando min. quia non tantum per extensionem, sed etiam propriè ac verè continetur filia nomine filii in sensu Juris *cit. l.* 16. *prin. ff. de Testament. Tutel.* ibi: filiorum appellatione & filiæ continentur. 246

Instabis. In contractibus & stipulationibus, quando verba sunt ambigua, interpretanda sunt contra stipulatorē, qui poterat verba apertius dicere, *l. Veteribus*, 39. *ff. de Pactis*: ergo. Resp. negando suppositum, quod nomen Filii sit ambiguum in ordine ad significandum etiam filiam, cùm jura expressè declarent, nomine Filii absque omni dubio etiam filiam comprehendi, & contineri. 247

248 Quæritur III. an etiam illegitimi succedant in emphyteusi? Resp. I. In emphyteusi sæculari succedant etiam illegitimi eo modo, quo succedunt in alia bona defuncti. Molina *Disp.* 475 Clarus *q.* 30 *n.* 1. Decius, & communis aliorum. Ratio est; quia prorsus nulla reperitur in Jure prohibitio illegitimos magis à successione in emphyteusi, quàm aliis bonis arcens. Quando autem & quomodo in aliis bonis succedant dicetur infra *Tit. de Testamentis*, & *Tit. de Successionibus ab intestato*.

249 Resp. II. In emphyteusi Ecclesiastica illegitimi non succedunt. Jul. Clarus *q.* 30. Baldus *in l. Generaliter*, §. *Cùm autem*, *n.* 1. *c. de instit. & Substitut.* Jason. *in L.* 2. *de Jure Emphyteut.* Molina *l. c. n.* 7. Caldas *de Nominat. emphyteut. q.* 19. *a n.* 28. & communis aliorum. Ratio est: quia hoc ipso, quòd Ecclesia omnes illegitimos utpote conceptos ex actu peccaminoso, maximè abhorreat & exosos habeat; uti patet ex variis Capitulis, præsumenda non est, generalibus verbis illos comprehendere velle, quos interrogata exclusisset, uti communiter argumentantur DD.

250 Procedit Conclusio, etiamsi per rescriptum Principis sint legitimati, Jul. Clarus *q.* 31. & alii *num. præcedent.* citati cum in iis eadem adhuc, quæ in illegitimis non legitimatis militet ratio. Secùs est de legitimatis per matrimonium subsequens; prout cum communi aliorum docet Molina *l. c. n.* 16. Jul. Clarus §. *Feudum q.* 82. *n.* 4. Caldas *l. c. q.* 21. *n.* 35. Ratio est; quia quamvis & in his militet eadem ratio; nihilominùs quia ob favorem matrimonii ab istis utroque jure tam Canonico quam Civili omnis tollitur inhabilitas & pæna, ita ut per omnia legitime natis æquiparentur, etiam in emphyteusi ecclesiastica & sæculari succedunt *arg. Authen. Quibus modis natur. effic. sui.* §. *Si quis igitur* & *c. Tanta, qui Filii sint legitimi* ibi; Tanta est vis matrimonii, ut, qui antea sunt geniti post contractum matrimonium legitimi habeantur.

251 Quæritur IV. Quid juris circa successionem emphyteusi, si hæres aliàs legitimus Monasterium ingrediatur. Resp. In Emphyteusi hæreditaria succedit Monasterium, ita tamen, ut saltem post mortem Professi, intra annum teneatur vendere, vel alio modo alienare emphyteusin, Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *c.* 23. *n.* 15. Pirhing *h. t. n* 53 Molina *Disp* 482. *n.* 3. Clarus *q.* 33 & communis aliorum. Ratio est: quia cum, ut infra dicetur, Monasterium cæteroquin bonorum capax succedat in alia bona, non est ratio, cur non succedat in emphyteusi hæreditaria. Quòd autem debeat intra annum vendere vel alias alienare, patet ex d. suprà *n.* 181.

252 Nec obstat, quòd in investitura cautum sit, ne transeat in Monasterium, vel alias causas pias. Abbas *in c. in præsentia*, 8. *n.* 7. *de Probat.* Layman, & Doctores citati. Ratio est; quia illa prohibitio intelligenda est de translatione libera, facta ab emphyteuta vivente, non verò de necessaria, quæ ex dispositione Legis fit moriente emphyteuta. Vel intelligi debet de translatione, qua emphyteusis in perpetuum cum prejudicio domini directi transfertur in Monasterium: non verò de illa, vi cujus tenetur Monasterium eandem intra annum alienare.

253 Quæritur V. An possit Pater alicui ex liberis vel extraneo emphyteusin prælegare, aut donare? Resp. I. emphyteusin hereditariam potest pater pro libitu, cui vult, donare, legare, aut prælegare, Molina *Disp.* 478. *n.* 1. Layman *l. c. n* 16 Jul Clarus *q.* 16. dicens, ita absque controversia sentire omnes. Ratio est manifesta: quia hoc ipso, quòd hæc emphyteusis juxta dicta *n.* 233. & *seqq.* transire possit ad quosvis hæredes, potest de illa, sicut de aliis bonis *salvo jure domini directi* libere disponere emphyteuta.

254 Resp. II. Etsi Emphyteusis hæreditaria non sit, sed familiaris, vel ex pacto, & providentia, nova tamen & impensis ipsius emphyteutę, aut saltem ipsius intuitu acquisita potest eam emphyteuta alicui ex filiis donare, aut prælegare, vel etiam aliter, cum domini consensu in vivis adhuc de illa pro libitu disponere. Jul. Clarus §. *Emphyteusis*, *quæst.* 16. *n.* 1. citans communem aliorum. Layman, *l. c. n.* 16. Contra Covarruviam *l.* 2. *Variar. Resolut cap.* 18 *n.* 2. Molina *l. c. n.* 2. & plures alios à Claro, & Molina citatos, *arg. l. Nec emere*, 16 *cap. Mandati.* Ratio Conclusionis est, quia per hoc, quòd pater pro se aut filiis suis comparet emphyteusin, non intendit ligare sibi manus, quin de tali Jure Emphyteutico suis impensis acquisito, quandiu vivit, pro libitu disponere possit: sed tantùm stipulare vult, quòd si velit, filiis, aut certæ generationi relinquere possit, ad distinctionem emphyteusis vitalitiæ, aut concessę ad certum tempus, quam, etsi velit, filiis aut generationi certæ relinquere, perfectè nequit: utpote quę expirat expirante tempore, vel vita illius, ad quam concessa est.

Dicitur notanter, *Nova tamen* quia Clarus, & Layman citati limitant Conclusionem in emphyteusi antiqua, id est illa, quæ à primo possessore emphyteuta jam transiit ad alios: hæc enim, ajunt, a successoribus cum præjudicio aliorum, qui in investitura vocati sunt, seu pro quibus Emphyteusis fuit a primo possessore comparata, etiam cum consensu domini directi alienari, aut legari contra sensum primæ investituræ non potest Ratio est: quia omnes in prima investitura nominati, beneficio primi acquirentis acquisiverunt jus, cui præjudicare successor non potest. Quæ limitatio vera est: nisi primus successor emphyteusin uni prælegasset, aut donasset, uti juxta conclusionem potuit: vel nisi cohæredes filii, vel alii ad emphyteusin jus habentes transegissent, & reliqui accepta æstimatione suæ portionis, totam emphyteusin uni reliquissent; prout hodie communiter fieri solet. 255

Dicitur ulteriùs, *impensis emphyteutæ aut ipsius intuitu acquisita*, si enim à Domino emphyteusis specialiter etiam intuitu, & in gratiam filiorum, gratis vel saltem minori pretio data esset, aut aliàs ex investitura appareret, quòd ea alicui certò, vel aliquibus relinquere necessariò debeat, certum est; quòd ea in præjudicium talium in Investitura nominatorum prælegari aut donari nequeat: eò quòd, ita nominatis per investituram jus sit quæsitum, quo privari etiam de consensu domini non possunt: uti cum omnibus aliis Jul. Clarus quoque concedit. 256

Quæritur VI Utrum filius, vel alius in emphyteusi succedens teneatur de emphyteusi satisfacere creditoribus emphyteutæ defuncti? Resp. I. Affirmative, si est emphyteusis hæreditaria. Jul. Clarus §. *Feudum q.* 43. eoque teste omnes. Idque patet manifeste: quia, uti infrà dicemus de Testamentis, certum est, quòd hæres teneatur satisfacere creditoribus defuncti, de bonis, quæ titulo hæreditatis acquisivit. 257

Resp II. Si filius, vel alius successor emphyteusin vi primæ investituræ, & non titulo hæreditatis acquisivit, eò quòd emphyteuta defunctus juxta *n.* 255. aliter de ea disponere non potuerit, non tenetur ex hac emphyteusi creditoribus defuncti satisfacere, casu quo hæreditatem cum beneficio Inventarii adiit. Clarus *loc. cit.* communisque aliorum. Ratio est: quia, ut habet communis & certa DD. nullus successor tenetur debita antecessoris defuncti de bonis sibi alio, quàm hæreditaris titulo competentibus, expungere, consequenter cùm emphyteusis, de qua est quęstio, aliàs jam titulo nempe investiturę, successori hujusmodi debeatur, de ea minime tenebitur debita antecessoris solvere: si cum beneficio Inventarii hæreditatem adiit. Secùs enim, sicut quivis alius heres, ita & ipse etiam de hac emphyteusi, quin & de propriis bonis solvere haud dubiè debet cuncta debita antecessoris, cujus hęreditatem adiit: uti claris juribus vulgaribus habet certa & communis DD. Diceturque magis infrà Tit. de Testamentis. 258

Quæritur VII An etiam in emphyteusi ex pacto & providentia succedat Monasterium, quod intravit aliàs legitimè succedens? Resp. In Emphyteusi ex pacto & providentia succedit quidem etiam Monasterium, sed non nisi quoad fructus & commoditatem, ita ut iis, quamdiu Religiosus vivit, frui possit: emphyteusin tamen etiam de consensu domini alienare non valeat, sed eo mortuo cedere debeat secundùm ordinem illis, qui in investitura sunt vocati. Ita DD. citati. Paterque Conclusio ex dictis *n.* 255. ubi ostendimus, quòd emphyteusin antiquam ex pacto & providentia, etiam de consensu domini, in præjudicium vocatorum in investitura, alienare non possit emphyteuta, sed fructibus & commoditatibus illius quamdiu vivit, contentus esse debeat. 259

Quæritur VIII An, & quomodo à prælatis, seu Rectoribus Ecclesię in emphyteusin concedi possint res Ecclesiarū? Resp. I. quamvis absque legitima causa, & debitis Juris solemnitatibus nec ad tēpus, nec in perpetuum de novo 260

TITULUS XIX.

De Rerum Permutatione.

1 *Ratio ordinis*
2 *Permutatio duplex stricte & laxe sumpta.*
3 *Stricte sumpta definitur.*
4 *Effectus innominatus.*
5 *Bona sibi.*
6 *Ad Permutationem requiritur res certa in specie.*
7 *Permutatio distinguitur a contractu do, ut des.*
8 *Requritur ad ejus substantiam actualis traditio rei, ante quam secutam liet adhuc retibire de Jure Civili.*
9 *Non item de Jure Canonico.*
10 *Omnis res certa, in numero, pondere, vel mensura non confertens.*
11 *Quae possit etiam permutari potest.*
12 *Excepta res aliena, quae vendi quidem, non tamen permutari potest.*
13 *Res inalienabiles permutande debent ambae esse certae ac non fungibiles.*
14 *Res spirituales pro temporali permutari non potest.*
15 *Beneficium non potest permutari.*
16 *Damnosa bona non debita Juris solemnitate, cessa qua spiritualia bona immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiarum permutantur.*
17 *Bona Ecclesiastica cum debita Juris solemnitate permutari possunt.*
18 *Solutur inquisitio.*
19 *Quae non requiratur Juris solemnitas Remissive.*
20 *Ritus cuius Juris in permutandum, quam benedictionem rem Ecclesiasticam.*
21 *Rem Ecclesiasticam modi permutari, ante traditionem quam secutam recuperare res suas.*
22 *Municipia Ecclesiastica, quae valeant permutari valeant.*
23 *Ab objectis valet argumentum.*
24 *Servi Ecclesiastici fugitivi permutari valent.*
25 *Dux Ecclesiae sed beneficia quoad proprietatem possessa possunt res commutari, ut canonicus unius praebendae competitur*
26 *Servi ejus in beneficio quoad titulum possessa.*
27 *Bona ecclesiastica non temporalia, quae ejus beneficio possessa fuerit pro quibus permutationem ita ut singulae rerum beneficium ecclesiae.*
28 *Statutum sententia negativa.*
29 *Confirmatur.*
30 *Solutur fundamentum adverfariorum.*
31 *Confirmatur alteritas.*
32 *In Permutatione substantiam portet dimitterem pluribus quae ecclesiae conflitui prefit.*
33 *Permutare possunt omnes qui specialiter non prohibentur.*
34 *Qui emere & vendere non possunt, nec permutare possunt.*
35 *Res Ecclesiasticas permutare possunt, qui eas alienare possunt.*
36 *De Permutatione Beneficiorum remissive.*
37 *Propter utilitatem Ecclesiae potest Episcopus cogere beneficiatum ad cessionem.*
38 *Etiam beneficiatus se sine cogere*
39 *Bonum communitatis praeferendum est privato.* 1b.
40 *Si alia bona juvari potest, nullus cogendus est ad permutandum.*

1 QUandoquidem non tantum locatio conductio, sed etiam *Permutatio victus ejs Empticni L. 2. ff. b.t.* recto ordine precedentes duos Titulos pro-
2 sequitur, circa quem Notandum primis, Permutationem duplicitur, stricte nempe, ac late sumi posse. Late sumpta importat omnem contractum, ac pactum, quo res quaecunque bona, sive in genere, sive specie pro aliis bonis dantur. Molina *Disp. 336. n. 1. & Jur Canon. Anael. Reiff. Tom. III.* 1. Pirhing *h.t. n. 1.* & communiter alii cum Gl. in *Rubr. C. h.t.* Stricte sumpta est, qua una certa res pro alia certa tradditur. In priori sagemus de permutatione stricte sumpta. De qua

Quoritur I. Quid sit Permutatio? Resp. I. *Permutatio* est 3 concursus innominatus bonae fidei, quo una certa res in specie penes alterum certa re in specie datur. Patet definitionis bonitas ex ejusdem declaratione. Dicitur *Concursus* locu generis, in quo cum omnibus contractibus convenit. Eft enim Permutatio vera consensus G. 3. Y. Dicitur *se infic de Empt. & Vendit.* ubi dicitum: *Permutationem esse propriorum specierum contractus*, ut proin eandem a contractibus innominatis excludat Faber *l. 4. Cod. ff. c.*

Dicitur *innominatus*: quamvis enim hic contractus in 4 jure specialis videatur habere nomen, cum in utroque jure specialibus Titulis agatur de Rerum permutatione, tamen communiter à DD. inter contractus innominatos numeratur arg. L. 1. §. 2. ff. c. Ratio eft quia, ut inquit Abbas & Gloi. communiter recepta in *Rubrica h. t.* omnem *Permutationis* nicnis generalis eft conveniens omnibus, quae inter hominem meum verfantur. Vide, quae diximus. 1. T. 33. §. 1. de *Pollit n.* 109. & 110.

Dicitur bonae fidei: eò quod contractus bonae fidei ex- 5 prefe à remedietur Permutatio §. *Alioquin* 18. *Inft. de Actionibus*, ubi aperte dicitur, quòd actio bonae fidei dicatur etiam ea, quae ex Permutatione competit: de notant DD. communiter, ita notater Pirhing *h. t. n.* 3. & Gloi. *l. 1. n.* 2. prout etiam non fuperà citato *L. t. T. 33. §. 6. de Pollit*:

Dicitur *quae certae rei in specie*, per hoc certa res in specie 6 datur. Ubi per rem in specie intelligitur res certa nec determinata in individuo vi hac bonae, hic equocqua quod Philo indicat in *Quaeft. Legib. in Exod.* quaeft. nonnant: & quod ibi species, hoc ibi genus vocant. Debet ergo res certa pro alia re certa dari ad hoc, ut ibi rerum Permutatio dicatur: non enim contractus innominatus *do, ut des* fic; q. d. dator certus equus pro certo equo, vel bove vel cane certo vel ei dator donus certa pro alia domo certa, aut domus certa pro alia domo, quod eft contra Permutatio: fi verò dator equus indeterminatus pro alio equo indefinite tumpto, vel etiam unus determinatus pro alio indeterminato, ex contractus innominatis *do, ut des*, Gloi. fic communiter recepta in *L. 1. C. h. t. Pirhing h.t. n.* 2 Vechbertus, Vulcejus, & alii. Ratio eft, quia Permutatio eft perfecta & mutua rei per rem fuperam dilpoli per perfectionem *l. Ordinem ff. de V. S.* quia ita Permutatio perfecta non eft, quòd obveniat mutuo pro traditio re in genere. Ex quo colligitur rationes, quibus probatur dari Permutationis à contractu innominato *do ut des*. Non de tanti quidem qui docent, Permutationem, & contractum *do ut des*, effe diversum contractum, ut videre eft apud Zoëtum *in ff. t. n.* 4. Verùm hi audiendi non funt, tum quia contra mentem jam dictam: tum quia Permutatio eft contractus bonae fidei; contractus autem *do ut des* ftricti juris *arg. ff. Adionum 52. Inft. de Action.* Tum etiam, quia de iis difficilis in jure reperitur Titulus Permutationis quidem *ff. 19. T. 4. & C. 1. 4. T. 64.* De contractu do ut des verò *ff. de Praefcrib. verbis*. Nec obitat quod fubinde Jura videantur confundere Permutationem cum contractu Refpectuit enim illa Jura loqui de Permutatione laefi fupra.

Dicitur *datur quia* Permutatio non nudo confenfu perfi- 7 ficitur, ut Patronus Pirhing, fed requiritur actualis rei permutatae traditio, quae donec fequatur, licitum eft permutantibus (loquendo de Jure Civili) poenitere, feu contracta refilire, textu clarò *Ea plenius 3. C. h. t. Ibi: Ea placito Permutationis, anulla re fecuta, conflat, nemini obligatum competere.* Contra haec *leg. 4. & 5. C. end de L. 1. §. fin. ff. end.* Ratio eft quia donec fequatur traditio, eft & manet nudi pacti, & quoex Jure Civili non datur actio *l. Juris gentium ff. de Pact. Ibi: Juris gentium hic fatur nuda pactio obligationi non parit.* Inde eft unus permutantium ad fuam alteri jam traditeris, ficque ex parte fua contractum im-

pleverit, licitum ad huc est saltem huic, qui ex parte sua contractum jam implevit, non item alteri pœnitere, vel, si mavult, alterum actione præscriptis verbis cogere, ut & ipse contractum ex sua parte adimpleat, prout suprà *lib. 1. T. 35. n. 113.* diximus.

11 Dicitur autem notanter *n.* præcedenti *de jure Civili licet pœnitere*: quia de Jure Canonico etiam ex nudo pacto datur actio, & unus altero invito resilire, vel pœnitere nequit, prout ampliùs diximus citato *tit. 35. de Pactis n. 37. & n. 114. ac seqq.* ubi etiam addidimus, idem hodie & in foro Civili practicari.

12 Quæritur II. Quænam res ad invicem permutari valeant? Resp. Omnis res certa in pondere, numero, seu mensura non consistens, quæ vendi & emi potest, etiam permutari potest pro alia simili re. Azorius *l. 7. cap. 2.* Engel *h. t. n. 3.* & communis aliorum. Probatur Conclusio per singulas partes. Quòd enim debeant esse *res certę*, constat ex dictis suprà *n. 6.* quòd verò *in pondere, numero, vel mensura consistere non debeant*. Ratio est: quia contractus de mutua traditione similium rerum, Mutuum, non Permutatio foret, *princ. Instit. Quibus modis rei obligat. contrah.* ibi: *Mutui datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensura consistunt: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro; quas res aut metiendo, aut numerando, aut appendendo damus &c.*

13 Dicitur ulteriùs in Conclusione, *quæ vendi emique potest*; quia res cæteroquin certæ; quæ vendi non possunt, etiam permutari nequeunt, DD. citati *Hinc cùm rerum, quas natura, vel Jus gentium vel mores Civitatis commercio exuerunt, venditio nulla sit l. Si in emptione 34. §. 1. ff. de Contrab. empt.* Permutatio quoque earum irrita est. Idem est de iis, quæ ipso Jure Civili aut Canonico emi vendique prohibentur, de quibus vide *Tit. 17. §. 2. de Empt. & venditione n. 45. & seq.*

14 Limitatur Conclusio quoad has particulas in re aliena; hæc enim quamvis de Jure validè ac licitè vendatur *L. 28. ff. de Contrab. empt.* Permutatio tamen ejusdem fieri non potest *L. 1. §. Ideoque 3. ff. h. t.* ibi: *Pedius ait, alienam rem dantem, nullam contrabere Permutationem,* Concordat. *cap. Cùm venerabilis 6. de Emptionibus.* ubi statuitur, quòd, *cùm Permutatio inter contractus bonæ fidei computetur, nec cum alio, quàm cum domino, vel cùm eo, qui habeatur loco domini, legitimè valeat celebrari*; & ibi DD. communiter. Porrò si quis rem alienam permutat, tenetur de Evictione *l. Si Permutationis 29. C. de Evictionib.* Quid autem Evictio operetur, habetur *tit. XVII. §. 2. Emption. & vend.* per totum.

15 Dicitur tandem in Conclusione *pro alia re simili*; quia non sufficit, ut unus permutantium det rem certam in specie, numero, mensura, aut pondere non constantem, sed requiritur insuper, quòd & alter contrahentium rem similem tradat ob rationem suprà *n. 6.* allegatam. Hinc etsi quis permutare intendens, tradat alteri rem certam in specie, & ab eo accipiat pecuniam, venditio, non permutatio erit, vel si pro re certa tradatur res fungibilis, id est, pondere vel mensura constans, erit contractus innominatus *do, ut des* Qualis autem contractus, si pro re certa non fungibili, detur alia res certa similis, & simul pecunia, dictum est suprà *Tit. XVII. §. 1. de Empt. & vendit. n. 18. & seqq.*

16 Queritur III. An permutari etiam valeant res spirituales? Resp. I. Res spiritualis pro temporali nec validè nec licitè permutari potest. Est certa apud omnes textu claro *c. fin. de Pactis.* ibi; *Pro spiritualibus &c. omnis pactio, omnisque conventio debet omninò cessare & nullius penitùs est momenti*, juncto *c. fin. h. t.* ibi: *Cùm Permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur.* Ratio est; quia universaliter dare temporale pro spirituali, vel econtrà, simoniacum est: prout ampliùs dicetur infrà *l. 5. Tit. 3. de Simonia.*

17 Resp. II. Res spiritualis pro alia re spirituali licitè ac validè permutari valet. Abbas *in cap. 2. de Transact.* cum communi aliorum contra Richardum, Paludanum & alios, volentes, omnem Permutationem rerum spiritualium ad invicem prohibitam esse ac Simoniacam. Probatur autem Conclusio *c. un. h. t. in 6. & Clem. un. eod.* ubi licita supponitur & valida Permutatio Beneficiorum (quæ utique sunt quid spirituale.) Ratio est; quia cùm res spirituales sint ejusdem ordinis, ac sibi invicem proportionatę, nullatenus derogatur earsi dignitati, si ad invicem permutantur; unde illud Joan: 1. v. 16. *Gratiā pro gratia.*

Notandum tamen, quod, si res spirituales Ecclesiasticæ immobiles, v. g. Beneficium, jus decimandi &c. vel mobiles pretiosę permutentur, id fieri debeat cum debita Juris solemnitate: quia universaliter bona immobilia, vel mobilia pretiosa quæcunque tandem sine debita Juris solemnitate alienari nequeunt; prout suprà *tit. XIII. de Rebus Eccles. non alienand.* diximus: Permutatio autem est species alienationis *cap. Nulli de Rebus Eccles. non alienandis.* Quòd si verò res spirituales sint privatorum, liberè etiam absque Juris solemnitate permutari possunt: id, quòd confirmat quotidiana praxis, qua constat, absque ullo scrupulo pro libitu à privatis permutari ad invicem res spirituales, v. g. Reliquias &c idem est de mobilibus Ecclesiarum non pretiosis. 18

Quæritur IV. An etiam bona Ecclesiastica permutari queant? Resp. I. Possunt equidem ex causa rationabili bona Ecclesiastica permutari cum aliis etiam sæcularibus rebus, ita tamen, ut si bona Ecclesiastica sint immobilia, aut mobilia pretiosa, quæ servari possunt, non nisi adhibitis Juris solemnitatibus Permutatio fiat. Ita communis ac certa *arg. can. Sine exceptione 52 cau. 12. q. 2.* ibi; *Sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus* (idem est de aliis) *de rebus Ecclesiæ suæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere valeat nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ.* 19

Nec obstat Conclusioni *Reg. 5. Jur. in 6.* dicens *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.* Res. enim, per ly *Deo dicatum*, intelligi consecratum *arg. c. Mancipia 3. h. t.* ibi: *Quod enim semel Deo consecratum est, ad humanos usus transferri non decet.* Agri autem, vel prædia &c. ad Ecclesiam spectantia non sunt specialiter consecrata, unde non minùs ac jumenta Ecclesiæ, aut fructus decimarum &c. alienari, & permutari possunt, servata tamen Juris solemnitate. 20

Quænam autem requiratur Juris solemnitas, quænam item censeantur bona immobilia, aut mobilia pretiosa, item quę pœnę, pro malè commutantibus bona Ecclesiarum; ac denique an, quando, & quomodo commutationes malè factæ iterum sint revocandæ vide suprà *Tit. XIII. de Rebus, Eccles. alien. vel non*, ubi in genere de alienatione rerum Ecclesiasticarum egimus; cuncta enim dicta etiam Permutationi bonorum Ecclesię accomodari possunt, utpote quæ species quoque alienationis est, *c. Nulli. 5. de Rebus ecclesiæ alien.* ibi; *Alienationis autē verbum continet conditionem donationis, venditionis, Permutationis &c.* 21

Solùm notandum cum Layman & Pirhing. *h. t. n. 5.* minorem causam sufficere ad permutandam, quàm vendendam rem Ecclesiasticam, eò quòd ordinariè loquendo Permutatio rei Ecclesiasticæ cum alia re æquivalenti minùs obesse, & sæpè prodesse valeat, ratione circumstantiarum v. g. propinquitatis &c.

Insuper notandum, quòd pœnæ à Jure in malè alienantes statutæ non incurrantur à malè permutantibus, nisi Permutatio actuali traditione rei mutatæ sit completa. Ratio est; quia, ut suprà *n. 8.* dictum est, Permutatio non nudo permutantium consensu, sed rei traditione perficitur. Pirhing. *loc. cit.*

Resp. II. Circa Permutationem servorum seu mancipiorum Ecclesiæ speciale & quidem sequens habetur statutum. *Mancipia Ecclesiastica nisi ad libertatem non convenit commutari*: videlicet, *ut Mancipia, quæ pro Ecclesiastico nomine dabuntur, in Ecclesię servitute permaneant, & Ecclesiasticus homo, qui commutatur, fruatur perpetua libertate. c. Mancipia. 3 h t.* Ratio ibidem additur; *quod enim semel Deo consecratum est, ad humanos usus transferri non decet.* 22

Idem statutum habetur, ac insuper extenditur *can. Injustum. caus. 12. q. 2. & c. Injustum 4. h. t.* dum tanquam *injustum atque* impium declaratur, quòd servi aut Mancipia Ecclesiarum, *cujuscunque muneris pretio vel commutationis commercio, iterum in servitutem sæcularem redigantur*; ubi ulterior ratio hæc additur, quia *est absurdum, ut ab Ecclesiastica dignitate servus decedens, humanæ obnoxius fiat servituti.* Ex quo textu Abbas *ib. n. 2.* bene infert, *ab absurdo* valere argumentum, etsi nulla allegetur authoritas *c. Ex ore. 17. de Privileg.* 23

Limi-

24 Limitatur Conclusio in servis fugitivis. *arg. cit c. 4. h. t.* ibi; *Cùm Canonica authoritas servos tantummodò permittat. distrahi fugitivos.* Concordat *can. Fugitivi 54. & can. Injustum. 55. cau. 12. q. 2.* Notat tamen benè Glossa *in c. cap. 4 h. t. v. Fugitivos*, servum, quamdiu in fuga est, vendi non posse, *arg L. Quod sæpè. 35. §. Si quis amico. 3. ff. de Contrah. empt.* &, dum præsens venditor, priùs emptor de vitio, quòd videlicet ad fugam inclinet, moneatur, *cit. L. Quod sæpe 35. §. fin. ff. de Contrah. empt.* Porrò de licentia Papæ licet commutare & donare etiam non fugitivos servos Ecclesiasticos remunerationis gratia, *arg. can. Ecclesiasticis. 67. cau. 12. q. 2.*

25 Quæritur V. An duæ Ecclesiæ, quarum una habet pinguiores redditus, possint invicem ita permutari, ut habens Ecclesiam seu Beneficium cum minoribus redditibus, possit pecunia recompensare possessiones pinguiores alterius Beneficii, Germanicè *Auffgeben* Resp. Si Ecclesia seu Beneficia possideantur jure proprietatis, id licitum esse, præsertim, si duo fiant contractus, quorum uno ipsę Ecclesię seu Beneficia, altero verò possessiones eorum permutentur. Hostiensis & Abbas *c. Ad quæstiones. 6. n. 1. 2. & 3. h. t.* Pirhing *h. t. n. 10.* cum communi aliorum, *arg c. Ad quæstiones 6. h. t.* ubi similis Permutatio Ecclesiarum jure proprietatis possessarum, duplici contractu factæ, ut licita & valida approbatur. Ratio assignatur *in cit. cap. ad quæstiones. hoc tit.* quia nempe Permutatio Beneficiorum seu Ecclesiarum per se loquendo licitè fieri potest, uti dictum est *Lib. 1. Tit. IX. de Renunt. à n. 82.* & Permutatio Possessionum nullibi reperitur inhibita, consequenter concessa, uti notat Glossa. hic *v. Inhibitum.* Intellige, dummodò utrobique debitæ adhibeantur Juris solemnitates.

26 Dixi autem notanter, *si jure proprietatis possideantur*; quia secùs est, si in titulum possideantur, uti dicemus quæstione *seqq.* Hinc si duo Monasteria, v. g. Collegia, vel Capitula habent aliquas Parochias sibi incorporatas, consequenter quas jure proprietatis possident, benè possunt ad invicem ita permutare, ut Monasterium habens Parochiam minorum redditu um, pecunia compenset id, quo alterius Monasterii Parochia permutanda quoad possessiones, & redditus abundat. Quod idem non possunt duo Parochi, seu Beneficiati Beneficia sua non jure proprietatis, sed in titulum possidentes ob rationem infrà *n. 29.* dicendam.

27 Dicitur ulteriùs in Conclusione; *præsertim si duo fiant contractus*; quia ita suadetur *cap. ad quæstiones 6. h. t.* & consulunt DD. communiter, uti videre est apud Abbatem *loc. cit.* quamvis absolutè necessarium non sit: cùm etiam uno eodemque contractu talis Permutatio fieri queat; dummodò in contractu bene exprimatur, quòd compensatio pecuniaria pro abundatioribus alterius Ecclesię possessionibus, & non pro ipsa Ecclesia, vel Beneficio, aut jure spirituali dari debeat, prout rectè observat Suarez *l. 4. de Simonia. c. 34 n. 13.* Laym. Pirh. *h. t. n. 11.* & alii. Et sanè parùm referre videtur, utrum duplici contractu talia Beneficia permutentur, & dicatur; uno contractu absolutè permuto tecum Beneficium mihi incorporatum, altero autem possessiones, quas Beneficium meum habet, & volo, ut pecunia recompenses id, in quo possessiones mei Beneficii, possessiones tui Beneficii superant: An verò negotium unico contractu absolvatur, & dicatur: permuto tecum Parochiam incorporatam, ita tamen, uti excessum, quo possessiones Parochiæ mihi incorporatæ possessiones Parochiæ tibi incorporatæ superant, pecunia recompenses; æquè enim in hoc simplici, ac in illo duplici contractu apparet, quòd excessus præcisè detur pro temporalibus possessionibus, non pro jure spirituali, sicque omnis absit species simoniæ, id, quod solùm Jura desiderant.

28 Quæritur VI. An pariter in Permutatione duarum Præbendarum, seu Beneficiorum quoad titulum, quorum unum pinguiores habet redditus, quam alterum excessus unius in redditibus suppleri possit pecunia aut alia re temporalis, sicut fieri posse diximus in Permutatione eorumdem quoad proprietatem possessorum? Non desunt DD. affirmativè respondentes, inter quos est Angelus *v. Permutatio n. 6.* Lessius *lib. 2. de Justit. & Jur. c. 35. n. 101.* Silvester *v. Permutatio 2. q. 6.* Cajetanus, & alii, quibus communiter etiam annumerant Abbatem *in cit. cap. ad quæstiones n. 3.* sed immeritò. cùm Abbas ibidem expressè loquatur de Permutatione Præbendarum quoad proprietatem, uti apertè liquet tam ex Summario, quàm ex contextu ejusdem. Verùm quidquid sit de probabilitate hujus sententiæ

Resp. Ad quæsitum negativè. Ita Barbosa *in cit. c. ad quæstiones h. t. nu. 1.* dicens opinionem contrariam *esse falsam, periculosam, plenamque fraudibus, & dolis* Covarruvias *lib 1. Variar. Resolut cap. 5. nu. 9.* Navarrus *Manual. cap. 23. num. 100.* Zoesius *h. t. n. 18.* Vallensis *eod. num. 4* Engel *eod. nu. 4.* & communis aliorum, quibus & nos in Theologia nostra Morali *Tract. XI. dist. 2. n. 5.* jam adhæsimus. Ratio autem conclusionis simul & disparitatis inter Permutationem duarum Ecclesiarum quoad proprietatem, & duorum Beneficiorum quoad titulum est; quia in priori Permutatione duo intervenire possunt contractus ab invicem separati, quorum uno ipsa Beneficia, seu jura spiritualia, altero verò jura temporalia possessionum, agrorum, prædiorum &c. permutantur, *arg. c. ad quæstiones h. t.* vel si unico contractu Permutatio absolvitur, potest saltem peti compensatio pro excessum possessionum independenter à jure spirituali, eò quòd permutantes habeant perfectum jus & dominium in tales possessiones temporales. 29

Secùs est in altero casu; cùm enim Beneficiatus Beneficium in titulum possidens non habeat dominium possessionum, agrorum, prædiorum Beneficii, sed solummodò jus percipiendi redditus ex ipsis: neque sit dominus redditu um futurorum, sed eos primùm acquisiturus sit sub conditione, si nempe Beneficium retineat, atque debita officia præstet, jam non potest ratione possessionum aut redditu um percipiendorum specialem contractum instituere, vel ratione illorum, utpote quæ ad illum non spectant, & ad quæ jus non habet, aliquam compensationem temporalem exigere, vel pacisci, consequenter si nihilominùs facit, pro ipso Beneficio, seu jure spirituali temporale exigit, sicque Simoniam committit. 30

Et per hoc patet ad fundamentum Adversariorum, qui paritatem in utroque casu extorquere nituntur. Sunt etiam qui putant, exigi posse compensationem temporalem non pro excessu, qui remanet annexus ipsi titulo, sed incommodo temporali, quod quis subit, spoliando se majoribus redditibus futuris, & spe illorum. Sed contra est, quòd futuri majores redditus, & spes eorundem percipiendi habeant dependentiam, & connexionem ad Beneficium, cùm sint accessorium Beneficii: unde urget illud *can. Si quis objecerit. caus. 1. q. 3. Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* 31

Confirmatur Conclusio, & responsio nostra: si, uti volunt Adversarii, Beneficium, possessum, vel possidendum quoad titulum potest separari à redditibus, sequitur manifestè, quod possit quis Beneficium suum vendere, vel pro eo aliquid temporale accipere: si nempe dicat; Beneficium, seu jus spirituale tibi gratis tribuo; pro redditibus verò, seu spe illorum, vel pro incommodo temporali, quod subeo, spoliando me futuris redditibus, exigo tantam quantitatem pecunię &c. atqui hoc juxta omnes etiam Adversarios Simoniacum est; ergo, Sequeretur item, quod idem facere possent Collatores Beneficiorum, dicendo Beneficium se gratis conferre pro redditibus verò utpote separabilibus in sententia Adversariorum, tanquam pro emolumento temporali, quod conferre tibi non teneretur, peto compensationem temporalem: quod rursus simoniacum, & ab Alexandro VII. An 1665. damnatum est; dum inter alias etiam sequentem ordine 22. propositionem damnavit. *Non est contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis: quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* 32

Cæterùm prædictis non obstantibus potest authoritate Episcopi constitui pensio solvenda illi, qui permutando pinguius Beneficium dimittit, non quidem pro compensatione excessus, ob rationem jam dictam, sed ob aliam causam justam & rationabilem, v. g. quia fit commutatio ob bonum commune, aut bonum pacis privatæ, aut quia pensionem prætendens est infirmus, vel ætate decrepitus Barb. *loc. cit. n. 3.* Navarrus *de Simon. consil 43.* 33

num. 3. Piasec. *in praxi Episc. part. 2. cap. 5. num. 125.* Engel *hoc tit. num. 4.* & alii. Vide quæ de pensionibus diximus suprà *Tit. XII. Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminut. §. 4* per totum.

34 Quæritur VII. Quinam permutare possint? Resp. I. Permutationem rerum temporalium facere possunt omnes, qui à natura, vel à Jure specialiter non prohibentur. Communis ac certa; quia in materia communiter non prohibita, *concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur*, uti habet Glos. communiter recepta *in cap. inter corporalia V. non invenitur de Translat. Episc.* Permutare à natura prohibentur carentes usu rationis, quales sunt amentes, furiosi, infantes &c. hi enim sicut ab omni contractu, ita & Permutatione excluduntur, prout ampliùs diximus *l. 1. tit. 35. de Pactis §. 2.*

35 A Jure prohibentur permutare, qui de Jure vendere & emere non possunt. Ratio est; quia *Permutationem vicem emptionis obtinere non est dubium, l. 2. c. h. t.* Hinc quia nec Clerici lucri causa, nec pupilli aut minores absque authoritate Tutorum, aut Curatorum emere ac vendere possunt, ita nec permutare valent. Pariter sicut bona pupillorum aut minorum absque Judicis authoritate sibi comparare non possunt Curatores, & Tutores, prout *tit. XVII. n. 23 & seq. de Empt. & vendit.* diximus, & ex Jure probavimus, ita nec Permutatione id facere queunt.

36 Resp. II. Permutationem rerum Ecclesiasticarum facere possunt omnes, & soli, qui easdem res alienare possunt. Communis. Ratio est: quia Permutatio est species alienationis *c. Nulli. 5. de Rebus Eccles. alien.* Quinam autem res Ecclesiasticas alienare valeant, vide suprà *tit. XIII. de Rebus Eccles. alienand.*

37 Pertractant hîc ampliùs Doctores materiam de Permutatione Beneficiorum. Verùm quia nos de hac sufficienter jam egimus suprà *l. 1. tit. IX. de renuntiatione §. 4. a. n. 82.* ideò hîc nihil repetimus, sed illuc Lectorem remittimus.

Solum, quòd ibidem desiderari posset, est, quòd 38 Episcopus subinde possit etiam cogere Clericum ad permutandum cum alio Beneficium, si nempe gravis id causa postulet, vel quia Beneficiatus minùs est idoneus ad præstanda munera Beneficii hujus, vel in hoc loco &c. Abbas *in c. quæsitum. 4. h. t. n. 7. & 8.* Innocentius *in c. nisi de renuntiat.* Engel *h. t. in fin.* Parisius Flamin. *de Regnat. Benefic. n. 161 & seq. arg. cit. c. Quæsitum. §. fin* ubi ita statuitur: *Si Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utiliùs exercere.*

Procedit doctrina, etiamsi causa absque culpa Be- 39 neficiarii eveniat, v. g. exurgat gravis aversio & odium populi adversus Parochum, ita ut hujus verba nihil ampliùs fructificent, populus Divina contemnat, vel scandalum nascatur &c. uti apud Abbatem citatum benè observat Innocentius *loc. cit.* Ratio est; quia bonum publicum debet præferri privato, *can. Scias. 39. caus. 7. q. 1.* ibi: *Nam plurimorum utilitas unius utilitati aut voluntati præferenda est*: & ad extinguendum scandalum atque pro bono pacis relaxanda sunt Juris præcepta, *can. Si fortè. 36. dist. 63.* & ibi: Glos. *V. ita tamen*, item *can. ut constitueretur 25 ad finem dist. 50. & cap. Nihil prodest. 2. de Præscription.* ubi Glos. *vers. nihil cum scandalo*, ait: *Propter scandalum desistendum est à Jure suo.* Ac docet cum S. Joanne à Capistrano *in c. Manifesta. de Pœnitent. & Remission. n. 43.* Flaminius Parisius *l. c. n. 164.* Intellige, si alia via succurri non possit; enim verò quamdiu alia via juvandi restat, v. g. posset succurri malo per assignationē Coadjutoris, non posset Beneficiatus invitus cogi ad permutandum. Abbas *l. c.* Porrò si alia ratione malum tolli nequit, æquum est ut illi, qui absque culpa sua Beneficium pinguius dimittit, assignetur pensio, vel alia compensatio uti notat Abbas *loc. cit.* Flaminius Parisius *l. cit. n. 176.* ac concordant dicta *n. 33.*

TITULUS XX.

De Feudis.

1 *Ratio continuationis Rubricæ.*

1 Præcedentem Titulum præsens sequitur; tum quia Feudum in multis assimilatur Emphyteusi, de qua in præcedenti Titulo actum est; tum quia etiam per Feudum transfertur dominium saltem utile rerum, indeque alienationis speciebus, de quibus hactenus copiosa erat quæstio, annumeratur. Materiam de Feudis SS. Canones brevissimè, duobus nempè, iisque brevibus capitulis absolvunt: Jus Civile verò eam duobus integris libris, & plurimis Titulis pertractat. Quapropter Legistæ magna Commentariorum volumina de eadem scripsere. Nos ea, quę scitu utilia magis vel necessaria videbuntur, seligemus. Ponitur itaque

§. I.

De Origine, Natura & Divisione Feudi.

SUMMARIUM

2 *Controversia Doctorum de origine Feudi.*
3 *Probabilius à Longobardis originem trahit.*
4 *Ly Feudum derivatur à Fide seu fidelitate.*
5 *Feudi varia acceptio.*
Feudatarius, & dominus directus quinam? Ibid.
6 *Feudum definitur.*
7 *Debet esse res immobilis.*
Jura incorporalia immobilibus comparantur. Ibid.
8 *Per Feudum transfertur solummodò dominium utile liberaliter tamen & perpetuò: in quo differt ab Emphyteusi.*
9 *Feudatarius obligatur ad fidelitatem & obsequium personale.*
Utriusque descriptio. Ibid.
10 *Si habet Feudum proprium.*
11 *Feudum dividitur variè primò in proprium et improprium.*
12 *Feudum antiquum & novum, paternum & avitum quid?*
13 *Differentia inter Feudum novum & antiquum. Et n. seq.*
15 *Feudum Ecclesiasticum, & sæculare quid, & unde cognoscatur?*
16 *Episcopi, & alii Clerici habentes Feudum sæculare, à domino dicto in causa Feudali judicantur.*
17 *Feudum sæculare quod Ecclesia habet, differt à Feudo sæculari, quòd Laicus habet; & quomodo?*
18 *Feudum nobile & ignobile quid?*
19 *Regale & non Regale quid?*
Regalia quid importent. Ibid. remissivè.
20 *Feudum Ligium & non Ligium quid?*
21 *Feuda Ligia non potest quis à duobus dominis accipere.*
22 *Benè tamen Feuda non Ligia.*
23 *Feudum Familiæ, seu ex pacto, & providentia Stammeleben quid?*
24 *Feudum hæreditarium quid?*
Clausula, Concedo Feudum pro te, & tuis hæredibus quibuscunque *indicat Feudum hæreditarium. Ibid.*
25 *Non item clausula* pro tuis hæredibus: *& quare?*
26 *Verba intelligenda sunt secundùm subjectam materiam.*
27 *Feudum Masculinum & Fœmineum quid?*
28 *Fœmineum est impropriè Feudum; nec possunt in eo succedere feminę quamdiu masculus superstes est:*

29 *Feudum Francum, & non Francum quid?*
30 *Feudum reale, & personale. Personale aliud est de Camera, aliud de Cavena.*
31 *Aliud Quardiæ, aliud Gastaldiæ.*
32 *Aliud Soldatæ.*
33 *Feuda Personalia sunt Feuda impropria.*
34 *Feudum empititium & gratuitum.*
An in emptitio succedant fœminæ? Ibid.
35 *Feudum bursaticum Bavariæ speciale quid:*
36 *Enarrantur ejus conditiones.*
37 *Feuda bursatica in Bavaria sunt frequentia.*
38 *Feuda equestria quæ?*
39 *Libri Feudorum an sint authentici? quæritur.*
40 *Respondetur affirmativè.*
41 *Probatur immemoriali consuetudine.*
Consuetudo habet vim Legis. Ibid.
42 *Quænam capitula non sit autentica in libris Feudorum; & quæ illa?*

2 Quæritur I. Unde originem trahat, & derivetur Feudum? Respondetur primo. Quamvis gravissima inter Doctores sit controversia de origine Feudi; cùm aliqui cum Zasio *in l. 2. v. Curias ff. de Orig. juris.* & Cujac. *in commentar. ad l. Feud. in princ.* velint, Feuda ex antiquo Romanorum Jure originem habere. Alii cum Luca de Penna *in l. quicunque C. de omni agro desert. l. 11.* doceant, Feuda tempore Justiniani cæpisse. Alii dicant, Feuda à Gallis ad Germanos, Italos, Hispanos, & alias Europæ Provincias venisse, uti videre est apud Fachin. *l. 7. c. 1.* ubi singulas opiniones examinat.

3 Nihilominùs communior ac probabilior tenet, Feuda originem habere, ac primitùs concessa fuisse à Longobardis, qui Italiam occuparunt, diuque possederunt, natione cæteroquin Germani, vel Germanis vicini. Fachin. *l. 7. cap. 1.* Harprecht *in Annotat. ad Jul. Clar. in §. Feudum. q. 1. n. 11.* Heig. *par. 1.* Engel. *h. t. n. 1.* & complures alii. Ratio est: tum quia in libris Feudorum passim fit mentio Longobardorum, & Legum Longobardicarum, veluti *lib. 2. tit. 1. de Feudi cognitione*, item *lib. 2. tit. 8. de Investitura*, rursus *lib. 2. tit. 58. de Notis Feud.* & alibi. Tum quia in iisdem libris plura reperiuntur vocabula Germanica, & Morgenatica, Marchia, Marchio, prout benè observat Fachin. *loc. cit.*

4 Resp. II. Idipsum nomen Feudum derivatur à fide, seu fidelitate. Rosental *c. 1. de Feud. concl. 7. lib. 1.* Engel *h. t. n. 2.* & communis aliorum *Lib. 2. Feud Tit. 3. Per quos fiat investitura*, ibi: *Cùm à fidelitate Feudum dicatur, vel à fide*, quæ verba, cùm sint clara, audiendus non est Fachin. *loc. c.* dicens, errare eos, qui putant ly *feudum* à fide, seu fidelitate derivari. Ratio autem est; quia natura Feudi proprii est, obligare feudatarium, ut specialem exhibeat fidelitatem erga dominum suum directum, cujus est vasallus; *cit. lib. 2. tit. 3. Per quos fiat investitura*, ubi dicitur: *Nulla investitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat.*

5 Quæritur II. Quid sit Feudum? Ante responsionem notandum, Feudum subinde sumi pro ipso contractu Feudali, quo res in Feudum datur: subinde pro jure, quod ex contractu Feudali, Feudatario, seu vasallo nascitur: subinde verò pro ipsa re, quæ in Feudum conceditur. Ille, qui rem in Feudum concedit, dicitur dominus directus, item dominus Feudi, Germanis *Lehen Herr*: qui accipit, vocatur vasallus, item feudatarius *Lehen Mann oder Lehentrager*: res autem, quæ in Feudum conceditur, res feudalis, item simpliciter etiam Feudum, Germanis *Lehen Gutt* vel simpliciter *Lehen* appellatur. In præsenti agemus quidem de Feudo in quavis acceptione considerato, principaliter tamen de Feudo, prout sumpto pro ipsa re in Feudum concessa, in quo sensu nunc Feudum definiendo

6 Resp. I. Feudum propriè dictum est res immobilis, vel æquivalens, alicubi quoad dominium utile liberaliter, & perpetuò concessa sub onere fidelitatis & obsequii personalis præstandi. Ita in re cōmunis ac certa: atque desumitur ex §. *fin. l. 2. feud. c. 23.* ubi ita describitur: *Est beneficium illud, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: ususfructus verò illius rei, ita ad accipientem transeat, ut ad eum, hæredes que suos masculos, sive fœminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat, ad hoc, ut ille, & sui heredes fideliter domino serviant.* Ex quo textu, quamvis clarè pateat bonitas definitionis nostræ, nihilominùs pro majori ejusdem claritate explicantur singulæ particulæ.

Dicitur ergò primò, *Rei immobilis*, v. g. castrum, 7 prædium, ager, vinea &c. res enim mobilis feudum esse nequit, *arg. cit. lib. 2. cap. 23* ibi. *Rei immobilis.* Additur autem vel *æquivalens*; cujusmodi sunt jura incorporalia, quæ immobilibus accensentur, qualia jura sunt piscandi, venandi, lignandi, decimandi &c. *arg. l. & §. fin. C. de Præscript. longi temp.* juncta *Clem. 1. de Rebus Eccles. alienand.* item census, & redditus annui. *Clem. Exivi § Cùmque annui de V. S.* ibi: *Cùmque redditus annui inter immobilia censeantur à Jure*: hæc enim æquè ac immobilia propriè talia, utpote quibus æquivalent, in feudum dari possunt, ut habet communis Doctorum.

Dicitur *quoad dominium utile*; quia sicut emphyteuta, 8 ita & feudatarius solum dominium utile, nullatenus, autem proprietatem rei feudalis habet, claris verbis textus citati, *ut proprietas rei immobilis penes dantem remaneat: ususfructus vero ad accipientem trasferatur* Dicitur *liberaliter*; quia feudum est *beneficium ex benevolentia* datum: per quod differt ab Emphyteusi, in qua domino directo ab emphyteuta præstari debet canon annuus: unde si etiam in feudo annua pensio constituatur, prout nonnunquam fieri solet, jam feudum proprium non est, sed improprium. Dicitur *perpetuò*, quia feuda propriè dicta non præcisę ad certum tempus, vel generationem uti aliquę saltem emphyteuses, sed perpetuò conceduntur, ita ut etiam ad feudatarii *heredes in perpetuum pertineant*; prout loquitur textus. Quapropter si quod feudum ad certum duntaxat tempus reperitur concessum feudum impropriè censeri debet.

Dicitur tandem *sub onere fidelitatis, & obsequii præ-* 9 *standi*; quia principale onus & obligatio feudatarii est, ut domino directo, à quo tantum beneficium accepit; sit fidelis, & nunquam aliquid contra eum machinetur, sed potiùs consilio, & auxilio adjuvet, præsertim euntem ad bellum personaliter sequatur, vel alium sui loco, *domino acceptabilem mittat, vel dimidium redditus feudi unius anni domino subministret pro belli expensis, l. 2. c. 55. §. 1. de Prohibita Feudi alienat.* unde si feudatarius ab his oneribus liber, aliis gravatur oneribus, vel obligationibus, dum improprium est.

Dicitur autem notanter in conclusione *feudum propriè dictum*, quia dantur hodie plurima feuda, quibus definitio data quoad omnes particulas non convenit, quæ proin feuda impropriè vocantur. De quibus statim infrà

Quæritur III. Quotuplex sit feudum, & quomodo dividatur? Resp. I. feudum multiplex est, varièque dividitur. Et quidem primò in feudum proprium & improprium. *Proprium* est, quod suprà descripsimus. *Improprium* est, cui aliqua ex requisitis conditionibus, seu particulis definitionis deest; cujusmodi plura afferemus infra; quę omnia genericè conveniunt in descriptione sequenti. Feudum largè sumptum est rei immobilis alicui ad hoc concessa, ut domino sit fidelis, eique præstet id, ad quod per investiturā specialiter obligatur. Est clara ex terminis, ac patebit ex specificis feudis impropriis infrà allegandis.

Secundò dividitur in feudum novum & antiquum. *Novum* est, quod vasallus possessor non ab aliquo antecedente, vi successionis, sed ab ipso domino, vel pręscriptione primùm accepit. *Antiquum* est, quod priùs jam ab alio ascendentium acquisitum, per successionem ad alios devolvitur. Julius Clarus, *§. Feudum quæst. 8. n. 1.* Zasius *in Emptione p. 2. n. 6.* Engel *h. t. n. 7.* Pirhing. *eod. n. 3.* & communis aliorum *arg. l. 2. t. 3. prin.* Et si quidem feudum antiquum ab aliquo ascendentium intra quartum gradū, v. g. a patre, avo, proavo, vel abavo primitùs obtentum est, vocari solet feudum paternum *ein Vätterliches Lehen*, *arg. lib. 1. Feud. tit. 8.* Si vero ab aliquo ascendentium ultra quartum gradum, v. g. a tritavo obtentum, dignoscitur feudum *avitum*, seu *propriè antiquum* dicitur, *ein Vultvatterliches Lehen.* Verum quia in ipsis feudorum libris paternum, & avitum promiscue, ac pro eodem sumuntur, uti videre est *lib. 2. Feud. tit. 11. §. His verò* quoad effectum Juris non differunt, ideò hodie non ampliùs attenditur divisio feudi antiqui in paternum & avitum, sed

ad Juris exemplum pro eodem utrumque sumitur; ut benè advertit Vult. *de feud. lib.* 1. *c.* 8. Engel *h. t. n.* 7. Jul. Clarus *l. c* & alii.

13 Cæterum multum refert, an Feudum novum sit, vel Antiquum; quia præter alias differentias, quas recenset Gail. *lib. 2. Variar. observat* 50. *n.* 2 principaliter etiam differt Feudum novum ab antiquo, quòd in novo soli descendentes, Filii nempe, nepotes, ac pronepotes succedant, quibus deficientibus Feudum ad dominum revertitur, Gailus *l. c. arg. l.* 1. *Feud. tit.* 8. §. *Filia*, in fine. In antiquo autem etiam fratres, & alii collaterales admittantur, dummodò à primo acquirente descendant; Gailus *l. c.* Engel *h. t. n.* 8. textus est *in lib.* 2. *Feud. tit.* 11. & *t.* 50.

14 Rursus differt, quòd si pater intra annum, quo feudi renovationem petere debuisset, moriatur, filius in Feudo novo succedens non habeat integrum annum, sed tantùm illud anni tempus residuum, quod patri defuncto adhuc supererat, succedenti verò in Feudo antiquo, si vasallus intra annum mortuus fuerit, concedatur novus integer annus, Gail. *l. c.* 8. & 9 Zas. & alii, *arg. l. Si Judex* 32. *ff. de Judiciis ac l. Et ideò* 15. *ff. V. O.* Ratio est, quia in Feudo novo filius hæres refert, & repræsentat patris personam, *l. Æmilius* 38. *ff. de Min.* Secùs in Feudo antiquo, utpote in quo successor non ex persona defuncti, sed jure proprio per primum acquirentem sibi competente venit.

15 Tertiò dividitur Feudum in Ecclesiasticum & Sæculare, seu Laicale. *Ecclesiasticum* est, quod ab Ecclesiarum Prælatis de bonis ad Ecclesiam spectantibus datur alicui sive Clerico, sive Laico. Bocer. *de Qualitat. & different. Feud. c.* 2. Engel *h. t. n.* 9. Vult. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 19. Azorius *lib.* 10. *c.* 2. & communis aliorum. *Sæculare*, seu *Laicale*, est, quod à Principibus, vel aliis dominis sæcularibus, aut etiam à Clericis, de bonis tamen patrimonialibus & sæcularibus datur. Nam in dignoscendo Feudo, an Ecclesiasticum sit, aut Sæculare, non tam aspicitur persona Feudum concedens, quàm res ipsa in Feudum concessa, ita, ut si res sit laicalis vel sæcularis, ipsum Feudum quoque sæculare sit, etiamsi Clerico, Ecclesiæ, vel Monasterio concedatur, *arg. C. ex transmissa* 6. *de Foro competent.* Econtra si res sit Ecclesiastica seu propriè ad Ecclesiam pertinens Feudum quoque Ecclesiasticum erit; etiamsi Laico sit concessa.

16 Hinc benè observat Gailus *lib. Observ.* 30. *n.* 4. Territoria illa, quæ multi, præsertim Germaniæ Episcopi, & Prælati, in Feudum acceperunt. Feuda esse sæcularia, intuitu quorum, Episcopi hujusmodi sunt verè vasalli sæculares Imperatorum, & coram eis in causa feudali comparere ac judicari debent; eò quòd universaliter quæstiones feudales per dominum Feudi terminentur, *c. Ex transmissa* 6. & *c. Verum* 7. *de Foro competent.*

17 Verùm quamvis, uti dictum res laicalis Ecclesiæ concessa, sit feudum sæculare; nihilominùs speciale privilegium habet, quo caret feudum sæculare, à Laico acceptum: videlicet, quòd propter delictum, aut infidelitatem Prælati amittatur quidem, & ad dominum redeat, quamdiu vivit talis Prælatus delinquens, verumtamen mortuo tali delinquente, feudum denuò redit ad Ecclesiam, textu expresso *lib.* 2. *Feud. Tit.* 40. Ratio est; quia *delictum personæ Prælati non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare*, Reg. 76. de Reg. Jur. in 6.

18 Quartò dividitur feudum in nobile & ignobile, seu plebejum. *Nobile* est, quod ex conferentis potestate ac voluntate nobilitate *Ignobile* est, quod ex defectu potestatis, vel voluntatibus in concedente, nullam nobilitatem confert accipienti feudum. Vultejus *de Feudis c.* 8. *n.* 9. & *seqq. arg. lib.* 2. *Feud. Tit.* 10. & 53.

19 Nobile feudum subdividitur in Regale, & non Regale. *Regale* est (Germanis *ein Fahen Leben* dictum, eò quòd investitura mediante vexillo tradatur) quod à supremo Principe cum jure Regalium conceditur. Hujusmodi feuda sunt Regnum, Electoratus, Ducatus, Marchionatus Principatus, Comitatus. *Non Regale* est, quod personam accipientis quidem nobilitat, absque tamen jure Regalium, Vultejus *de feudis c.* 8. *n.* 10. Engel *h. t. n.* 10. *arg. lib.* 1. *Tit.* 14. *feud.*

20 Quintò dividitur feudum in Ligium. & non Ligium *Ligium* (à ligando seu verbo liga, quod fœdus & societatem arctissimam significat) est, vi cujus vasallus jurat fidelitatem contra quemcunque, *l.* 2. *tit* 99 *de Feud. Ligio.* Excipe Romanum Pontificem, utpote qui in quovis feudo Ligio intelligitur exceptus, eò quòd contra ipsum, nullum fidelitatis juramentum fieri queat, *arg. cap. Venientes* 19. *de Jurejurando*: ibi: *Cùm prædictum juramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi jus Superioris exceptum*, Ob quam etiam rationem feuda Ligia non nisi à supremis Principibus superiorem non agnoscentibus dari possunt; quia à quovis feudo Ligio superior dantis exceptus censetur, *arg. cit. c. Venientes.*

21 Porrò non potest quis à duobus distinctis dominis feuda Ligia accipere, *arg. cit. lib.* 2. *Tit.* 99. Glossa *in Clem. Pastoralis v. Homo ligius, de Re judicata.* Ratio est; quia impossibile est duobus promittere fidelitatem contra quemcunque; cùm hoc ipso, quòd uni jam promiserit fidelitatem contra quemvis nullo excepto, etiamsi contra illum promiserit, quo posteà feudum Ligium accipere vult. Clar. §. *Feud. q.* 11. Eng. *h. t. n.* 11.

22 *Feudum non Ligium* est, intuitu cujus, vasallus domino ita fidelitatem jurat, & debet, ut tamen alicui alteri ex eadem vel simili causa fidelitatem debitam præstare valeat. Hinc benè quis potest duo, vel plura feuda non Ligia à diversis dominis accipere; dummodò in nullo fidelitatem contra dominum aliquem feudi juret; uti habet communis, probatque praxis recepta.

23 Sextò dividitur feudum in hæreditarium, & in feudum Familiæ, seu ex Pacto & providentia. *Feudum Familiæ*, Germani, *Stammenleben* est, in quo soli masculi à primo vasallo per legitimum matrimonium descendentes, jure agnationis & sanguinis succedunt; quia ordinariè in favorem & conservationem Familiæ conceditur. Et hoc propriissimè feudum dicitur, esseque semper præsumitur, quoties ex investitura pactis ve specialibus aliud non habetur, Bercer. *de qualitat. & different. feud. cap.* 5. *n.* 36. Vultejus *de feudis cap.* 8. *n.* 32. *arg. l.* 2. *feud. t.* 2. in fine.

24 Feudum *hæreditarium ein Erblehen*, item *ein aigentumblich Leben*, est, in quo per specialia pacta, & ex speciali providentia primi acquirentis, vel speciali beneficio concedentis receditur à Jure communi, ita ut non soli agnati à primo acquirente succedentes, sed etiam omnes alii quicunque tandē hæredes sive masculi sive fœminæ, sive testamento, sive ab intestato venientes succedunt. Tale Feudum esse censetur, si in investitura hæc vel similis clausula habeatur: *Concedo Feudum pro te & tuis hæredibus quibuscunque* Jul. Clarus §. *Feudum q.* 9. *n.* 2. Pirhing *h. t. n.* 3. Fachin. *lib.* 7. *c.* 6. & communis aliorum. Ratio est, quia quamvis aliàs natura Feudi sit, non nisi Jure sanguinis succedentes admittere, nihilominùs, quia *contractus ex conventione legem accipiunt*, Reg. 85. *Jur. in* 6. Et quilibet de re sua pro libitu disponere potest, *l. In re Mandata C. Mandati* concedere etiam quis potest Feudum hæreditarium, concessum meritò præsumitur, quando investituræ præfatam inseruit clausulam. Siquidem *verba indicant animum loquentis l. Labeo ff. de Suppellect. legata*; nec à propria eorum significatione recedendum, quamdiu de contraria non constat voluntate, *l. Non aliter, de Leg.* 3.

25 Illud tamen cum Fachin *l.* 7. *cap.* 3. Bald. Decio, Pistorio, Gailo, & aliis concedendum videtur, quòd, quando in investitura sequens adhibetur clausula: *Concedo Feudum pro te, & hæredibus tuis*, non censeatur Feudum hæreditarium, sed ex pacto & providentia seu Feudũ Familiæ, ita ut soli agnati masculi jure sanguinis succedant; non item fœminæ; multò minus hæredes extranei. Ratio est; quia licèt aliàs ly *hæres* universaliter quemvis hæredem significet, *arg. prin Instit. de Hæred. qualit. & different.* prout *tit. præced. n.* 238. jam probavimus de Emphyteusi. Aliter tamen discurrendum in materia Feudi, utpote in qua per specialem consuetudinem Feudorum per nomen *hæredes* simpliciter & absolutè prolatum significantur soli masculi ex legitimo matrimonio à primo acquirente jure sanguinis succedentes, *lib.* 1. *Feud. ti.* 8. & *lib.* 2. *tit.* 23 & *ti.* 50. Nec obstat, quòd aliàs ly *hæres* universaliter quemvis hæredem denotet *cit. princ. Instit. de Hæred. qualit. & different.* Nam contra est, quod verba etsi generaliter prolata intelligi debeant secundùm subjectam materiam *L.* 2. §. *Prætor.* 2 *in v. Qualiscunque ff. Qui satisd cog.* juncta Glossa ibidem *v. Facultatem*, & *c.* 1. §. *fin. de Jurejur. in* 6. Consequenter quia in materia Feudi nomen *hæredes* solos jure sanguinis succedentes legitimos masculos comprehendit, de illis solis illud nomen intelligere debemus.

27 Septimò dividitur Feudum in Masculinum & Fœmineum. *Masculinum* est, in quo soli masculi succedere possunt. *Fœmineum* Germanis *Weiber, oder KuncK Leben* est quod primitus collatum est fœminæ, indeque fœminas succedere patitur, *lib.* 2. *Feud. tit.* 30 & 50. Alii volunt etiam illud Feudum fœmineum esse, in quo ex speciali pacto & fœminæ succedere possunt, etsi primitùs collatum sit masculo. Verùm horum opinio videtur conformis *lib.* 2. *Feud. tit.* 50. ubi Feudum fœmineum expressè distinctum reperitur à Feudo, in quo solùm ex speciali pacto fœminæ succedunt: dicitur namque ibidem, quòd in Feudo non succedat *filia nisi ex pacto, vel nisi sit fœmineum*; uti benè advertunt Rosenthal *in Synops. capit.* 2. *concl.* 7. Vultejus *lib.* 1. *de Feud. cap.* 8. *n.* 3. & Alii. Ad conciliandos tamen Doctores dici potest, Feudum, in quo ex speciali pacto etiam fœminæ succedunt, dici posse *Fœmineum* impropriè dictum; id quod confirmare videtur praxis, vi cujus universaliter ac sine distinctione vocari audimus Feudum fœmineum *ein Weiber, oder KuncK-Leben*, in quo fœminæ succedere possunt, sive ex pacto speciali, sive quia primitus collatum fuerat fœminæ.

28 Utrumque tamen hoc feudum fœmineum, impropriè Feudum est; quia de natura feudi propriè dicti est, quòd soli masculi succedant, *arg. lib.* 1. *Feud. tit.* 8. §. *Filia* ibi: *Filia non succedit in feudo, nisi investitura fuerit, aut & filiæ succedant, vel nisi investitæ fuerint.* De utroque insuper notandum est, quòd non nisi masculis deficientibus in Feudo succedere valeant fœminæ, ita, ut quamdiu masculus aliquis succedere potens superstes est, nulla fœmina, etsi propinquior ad successionem admittatur; textus expressus habetur *in cit. lib.* 1. *tit.* 8. ibi: *Tunc enim succedit filia, filiis non extantibus*, & *li.* 2. *tit.* 30. *Fœmineum Feudum deficientibus masculis ad filias pertinebit.*

29 Octavò dividitur in Feudum *francum*, id est liberum *ein Freyleben*, & *non francum*. *Francum* est, vi cujus ad nulla servitia præstanda obligatur vasallus. *Non Francum* est, vi cujus ad certum servitii genus, prout nempe in investitura determinatur, teneatur vasallus. Et quia de natura Feudi est obligare vasallum ad aliquod saltem servitium, *lib.* 2. *Tit* 23. *Feud.* ideò Feudum *Francum* à DD. communiter Feudum improprium salutatur.

30 Nonò dividitur in Reale & Personale. *Reale* est, quod cum primo acquirente non extinguitur, sed etiam ad hæredes transit. Azorius *lib.* 10. *de Feudis, capit.* 2. *quæst.* 5. cum communi aliorum, *arg lib.* 1. *cap.* 1. *Feud Personale* est, in quo nullus hæres succedit, seu quod cum primo acquirente extinguitur. Personale variè subdividitur. Aliud enim Feudum personale dicitur *de Camera ein Cammer Leben*, in hoc consistens, quòd alicui ex ærario seu fisco domini directi aliquid pro sustentatione, quamdiu vivit, præbeatur. Aliud dicitur *de Cavena*, vi cujus nempe vasallo ad dies *vitæ* aliquid datur e cella, horreo, vel penuario domini, Rosental *cap.* 2. *concl.* 30. De utroque hoc Feudo personali, de Camera nempe, & de Cavena fit mentio *li.* 2. *Feud. Tit.* 1. §. *Sciendum.*

31 Rursus feudum personale aliud est Guardiæ, aliud Gastaldiæ. *Feudum Guardiæ* est, quod datur alicui ad dies vitæ, vel certum tempus sub hoc onere, ut vasallus castrum, domum, territorium &c. custodiat, aut custodire, ac tueri juvet. *Feudum Gastaldiæ* est, quod alicui eo fine datur, ut domum aut aliam rem domini gubernet administret, aut procuret. De utroque hoc Feudo agitur *in li.* 1. *Feud. ti.* 2.

32 Adhuc aliud feudum personale est *Soldatæ*, in hoc consistens, quod alicui non quidem ex certa camera, vel cavena sed simpliciter annua quantitas pecuniæ, vini vel frumenti sub obligatione fidelitatis, & servitiorum præstetur, ita tamen, ut non tantùm per mortem ipsius vasalli, sed etiam per mortem dantis expiret; qua propter & personalissimum dicitur. Azorius *l. c.* Et hoc feudo Soldatæ ita habetur *lib.* 2. *feud. tit.* 10. *Soldata est præstatio quædam annua gratuita, quæ à neutra parte transit in hæredem: morte enim dantis & accipientis interveniente finitur: Soldata verò dicitur; quia plerumque in solidorum donatione consistit: quandoque autem in vino & annona consistit.*

33 Cæterùm cuncta hactenus recensita feuda personalia, tantùm impropriè feuda sunt: tum quia non durant; perpetuò: tum quia non necessariò super immobilibus constituuntur; quòd utrumque tamen ad feudum propriè dictum requiritur, textu claro, *li.* 2. *Tit.* 23 *feud* & diximus suprà *n.* 7. & 8. explicando definitionem feudi.

34 Decimò dividitur in Feudum emptitium, & gratuitum. *Emptitium* est; quod pretio emitur. de quo habetur *li.* 1. *Feud. tit.* 20. *Gratuitum* verò, quod gratis conceditur. Et quia de natura Feudi proprii est, ut liberaliter concedatur, hinc etiam Feudum emptitium feudis impropriis annumeratur. Controvertunt autem plurimùm Doctores, num in Feudo emptitio succedant etiam fœminæ, casu quo de eis in investitura nulla habeatur mentio. Affirmativam tenent Gailus, Mynsinger, Hartman, & alii, quos citat & sequitur Illustriss. D. Schmidt *ad Tit.* 12. *a num. statut. Bavar.* Idipsum expressè constitutum habetur in statutis Bavaricis *l. c.* Negativum tuentur Rosenthal *in Synops. feud. ca.* 7 *concl.* 34. Verùm quia nec affirmativa, nec negativa ex libris Feudorum clarè deduci potest, ad locorum consuetudines, & particularia statuta attēdendum erit; præsertim, quia totum Jus Feudale potissimùm ex usu & moribus compilatum est, ac propterea Jus consuetudinarium vocatur, ipsique Feudorum libri *usus*, seu consuetudines Feudorum inscribuntur.

35 Præter Feuda hucusque enumerata dantur aliqua Bavaris specialia, inter quæ sunt Feuda bursatica, *Beutel, oder SacKel Leben*, quorum natura in hoc consistit, quod vasallum ad nulla servitia personalia, sed tantùm ad solvendum Relevium *den Lehenralch*, obligent toties quoties sive ex parte domini, sive ex parte vasalli contingit mutatio. Est autem *Relevium* vigesima pars pretii, quo æstimatur bonum Feudale, sicut suprà diximus de Laudemio, à quo tamen Relevium in hoc differt, quòd Laudemium de bono Emphyteutico tantùm solvatur contingente mutatione parte emphyteutæ Relevium verò præstatur, sive ex parte domini, sive vasalli fiat mutatio, vi statutorum Bavariæ *tit.* 11. *a.* 4. & ibi Schmidt, quo tamen non obstante pinguius reputatur in Bavaria Feudum Bursaticum, quàm emphyteusis; quia in hac præter Laudemium suo tempore dandum, singulis annis præberi debet annuus canon, & quidem hodierna consuetudine sat magnus, In Feudo autem præter Relevium ad nihil obligetur vasallus.

36 Inter alias qualitates Feudi Bursatici, etiam sequentes sunt. I. Quòd transeat ad quosvis hæredes etiam extraneos, & fœminas, si masculi deficiant. II Quòd hæres legitimo tempore, id est, intra annum & diem à domino Feudum requirat, eum agnoscat, eique Relevium solvat. III. Quòd si Feudum inter vivos alienare velit, consensum domini requirere debeat; quem etiam dominus dare tenetur, nisi justam recusandi causam habeat, IV. Quòd si quis vasallus hæredes ab intestato successuros habeat, non possit in extraneum, nec per ultimam voluntatem, nec per alienationem inter vivos transferre, nisi requirat simulque habeat domini consensum: sine quo si transferre nititur dispositio nulla est, & Feudum ad hæredes ab intestato succedentes transit.

37 Hujusmodi Feuda Bursatica sunt ferme omnia Feuda rustica & plebeia in Bavaria, utpote vi quorum nulla servitia personalia, sed tantùm Relevia præstantur, & vel hoc ipso, sicut etiam ex aliis capitibus, Feuda impropria reputantur; sunt insuper plerumque emptitia: vide de hoc Feudo *Tit* 11. *a.* 4. *statut. Bavar.* & ibi Illustriss. Interpretem D. Schmidt.

38 Aliud Feudum in Bavaria frequens est Feudum Equestre *Ritter-Leben*, vi cujus tenetur vasallus domino præstare servitia equestria, & contingente mutatione in recognitionem pro Relevio præbere *einen Schlefszeug*, antiquitùs consistebat hoc Relevium in bombarda & gladio; cujus loco hodie successit pensio aliqua pecuniaria consistens in 7. florenis, & 14. crucigeris, prout videre est *in statutis Bavar. Tit.* 22. *a.* 8. & apud Illustriss. D. Schmidt ad Processum summarium *t.* 11. *a.* 4. ubi etiam docet, quòd hæc Feuda equestria quoque dividantur in masculina & fœminea: nova & antiqua, quæ membra faciliter cognoscuntur ex dictis suprà *n.* 11 & *seqq.* Cæterùm quia Feuda Bursatica & equestria non sunt de communibus Feudorum consuetudinibus, sed particularibus Bavariæ dispositionibus plura de iis non agimus; sed ulteriùs, quæ sunt Juris communis tractando.

39 Quæritur IV. An libri Feudorum, seu scriptæ, corporique Juris insertæ Feudorum consuetudines sint authen-

thentici, habeantque vim Legis? Ratio dubitandi est: tum quòd illæ consuetudines videantur particulares Italorum, maximè Mediolanensium, consequenter pro Lege universali in Foro Imperii Romani minimè habendæ. Tum quia majori ex parte consistunt ex responsis, seu decisionibus privatorum DD. Gerhardi Nigri, Oberti de Orto, qui potestate Legislativa caruere. Et ob has rationes Hostiensis *in Summa de Immunitate Eccles. §. In quantum* & alii à Fachin. *lib. 7. cap. 2.* citati, negativam sententiam tenuerunt. Nihilominus

40 Resp. Libri Feudales, seu Feudorum consuetudines sunt vere authentici, ita ut eadem, qua reliquæ Leges scriptæ authoritate polleant; ac vim obligandi habeant. Ita Fachin. *l. c.* Jul. Clarus §. *Feudum quæst. 3.* Zasius *in epitome de Feudis in prin.* Engel *h. t. n. 1.* & communissima aliorum. Ratio est: quia Imperatores, quorum est Leges condere, consuetudine Feudales variis in locis confirmarunt illis partim addendo, partim detrahendo, partim ratificando; uti colligitur ex *l. 1. Feud. T. 13. & l. 2. Feud. T. 44. & 53.* Eosdem libros, ac consuetudines Feudales in eis contentas approbarunt etiam Summi Pontifices, *arg. c. Cæterùm 3. de Foro de Judiciis, & c. Ex transmissa 6. de Foro competent.*

41 Accedit, quòd longissimo ac immemoriali Orbis Christiani consuetudine recepti, & practicati sint, inque & extra judicium allegentur; quod autem judicio populi receptum, & frequenter in eodem controversiarum genere servatum est, pro Lege habetur. *Nam cùm ipsæ Leges* (ait Julianus l. De quibus 32. ff. de Legibus *nulla alia ex causa nos teneant, quàm quod judicio populi receptæ sint: meritò & ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis.* Unde ibidem dicitur: *Inveterata consuetudo pro Lege non immeritò custoditur.* Item *De quibus causis, scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus, & consuetudine introductum est.*

42 Notat tamen benè Clarissimus D. Glettle, id, quod modò de authoritate & valore librorum Feudalium diximus, intelligendum esse de capitulis ordinariis, quæ in libro primo & secundo Feudorum usque ad capitulum 58. inclusivè continentur; reliqua enim in secundo libro capitula extraordinaria, utpote nō publica authoritate, sed opera Cujacii, & aliorum adjecta dubiæ authoritatis, nec usu ita recepta sunt, uti priora. Quæ proin tunc tantùm valent, & allegari possunt, quando cum capitulis ordinariis prioribus conveniunt, vel eorum explicationem faciunt, vel denique quando casum in ordinariis non decisum continent; minimè verò, quando ordinariis contraria existunt. Stryk *in Exam. jure Feud. cap. 1. q. 22. & alii.*

§. II.

Quinam, quid, & quomodo in Feudum dare & accipere possint?

SUMMARIUM.

43 *In feudum dare possunt omnes & soli rerum suarum administrationem habentes.*
44 *Etiam plebei, & fœminæ.*
45 *Episcopi quoque, & Ecclesiarum Prælati adhibitis Juris solemnitatibus.*
46 *Imo sine juris solemnitatibus Feuda antiqua,*
47 *Rerum suarum administratione carens in feudum dare nequit.*
48 *Excipitur minor, qui saltem feudum antiquum concedere potest.*
49 *Feudum accipere potest quivis, si specialiter non prohibetur.*
50 *Etiam minorennis & pupillus: quomodo?*
51 *Ac insuper superior ab inferiore.*
52 *Clerici quoque feuda accipere possunt.*
53 *Affertur ratio.*
54 *Omnis res immobilis in feudum dari potest.*
55 *Excipitur tamen res sacra.*
56 *Licèt & hæc saltem indirectè in feudum concedatur.*
57 *Investitura abusiva fieri debet coram paribus curiæ: vel coram aliis testibus.*
Pares curiæ quinam? Ibid.
58 *In casu litis quomodo vasallus investituram probare debeat.*
59 *Feudum acquiritur etiam præscriptione triginta annorum.*
60 *Etiam sine titulo, dummodo adsit bona fides.*
61 *Præscriptione fieri potest ex re Feudali allodialis.*
62 *Controversia DD. an Feudum malè alienatum præscribi valeat?*
63 *Sententia affirmativa.*
64 *Refutatur.*
65 *Et respondetur cum distinctione. Et n. seq.*
67 *Vasallus præscriptione facere potest ex re Feudali allodialem.*
68 *Reliqua de præscriptione Feudi. Remissivè.*

QUæritur I. Quinam dare possit Feuda? Resp. I. 43
Universaliter omnes & soli, qui liberam rerum suarum administrationem habent. Communis: Textus habetur *in lib. 2. Feud. tit. 3.* ibi: *Investitura Feudi non ab alio rectè fit, nisi ab eo qui legitimam bonorum suorum administrationem habet.* Et quidem Feuda secularia dare imprimis potest Romanorum Imperator, non tantùm de bonis propriis, seu patrimonialibus, sed etiam de bonis Imperii; hac tamen cum limitatione, ut hodie regalia, & majoris momenti bona; *So etwas merckliches eintragen als Furstenthumb Graffschafften Stadt und dergleichen* sine præscitu & consensu Electorum in Feudum concedere, aut de eis exspectantias, ut vocant, dare nequeat, sed illorum redditus, si quando vacent, ad Imperii usus servare debeat; ut videre est *in capitulatione Caroli V. art. 24. Ferdinandi II. art. 28. Ferdinandi III. art. 23. Ferdinandi IV. a. 30. Leopoldi I. a. 30. & Josephi Romanorū Regis a. 29.*

Deinde etiam Electores Imperii, Principes, Duces, 44
Marchiones, Comites, Barones, & alii Nobiles bona sua in Feudum dare possunt, per textum *in lib. 1. Feud. tit. 1. in princ.* De plebeis quidem aliqualiter controversum est sed communior & Juri conformior tenet; etiam illos bona sua allodialia, quorum liberam administrationem habent, in feudum dare posse. Ratio, est quia ubi juris dispositio non obstat, *quilibet rei suę moderator atque arbiter existit. l. In re mandata C. Mandati;* nullibi autē in jure reperitur dispositio Juris plebeis in hoc contraria: imo ipsi libri feudales, eis positivè etiam assistunt, dum universaliter absque ulla limitatione concedunt, quòd quilibet bona sua, quorum legitimam administrationem habet, in feudum dare queat *cit. lib. 2. Feud. tit. 3.* Nec refert mas sit an fœmina; dummodò rei, quam in feudum dare vult, administrationem habeat; nam, ut ibidem dicitur, *Fœminam quoque etiam novi Feudi investituram facere posse plerique consentiunt.*

Resp. II. Episcopi, Abbates, ac cæteri Prælati & Supe- 45
riores Ecclesiastici possunt quidem bona Ecclesiæ in novum feudum concedere, sed non nisi cum requisitis juris solemnitatibus, Jul. Clarus §. *Feudum* & hodie communis, ac certa ob claram juris dispositionem *Extravag. Ambitiosæ. de Rebus Eccles. alienand.* ubi inter alia nova *infeudatio* de bonis Ecclesiæ expresè probihetur, nisi fiat cum debita juris solemnitate. Concordat textus in *lib. 1. Feud. tit. 6.* ibi: *Si Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa Feudum dederit de bonis Ecclesiarum, quæ eis subiecta sunt &c. nullum habet vigorem:* Quænam autem Juris solemnitas requiratur ad concedendum novum feudum Ecclesiasticum, vide suprà *T. 13. de Rebus Ecclesiæ alienandis, §. 21.* eadem enim, quæ ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requiritur Juris solemnitas, etiam ad constituendum novum Feudum Ecclesiasticum exigitur, eò quod & feudum aliquam alienationis speciem habeant eique annumeretur, *c. Extravag. Ambitiosæ. de Rebus Ecclesiæ alienand.* & amplius Pirhing *h. t. n. 4.*

Dicitur autem notanter *Feudum novum*, quia, quòd 46
res ab antiquo in feudum dari solita, seu antiqua feuda, quando redeunt ad Ecclesiam, denuò etiam absque juris solemnitate in feudum concedere valeant Ecclesiarum Prælati, communiter tenent DD. signanter Jul. Clarus *cit. q. 13. n. 1.* Abbas *in c. Ut super de Rebus Eccles. alienand. n. 11.* Pirhing *h. t. n. 6.* & alii. Patetque tam ex libris feudorum, quam SS. Canonibus. Et quidem *lib. 1. Feud tit. 1.* sic habetur: *Feudum autem dare possunt, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, Præpositus, si antiquitus consuetudo eorum fuerit, Feudum dare.* Ex SS. Canonibus verò, *c. fin h. t.* expresè statuit Pontifex, quod feu-

eudum ad Ecclesiam reversum, liberè de novo concedere valeat Prælatus, si viderit Ecclesiæ expedire, id est, si eadem, vel similis causa utilitatis existat, prout diximus *Tit. præcedent. de Emphyteusi à n. 262. & seqq.* quæ ibidem usque ad finem Tituli de Emphyteusi dicta, etiam de feudis cum proportione intelligi volumus.

47 Resp. III. Omnis ille bona sua in feudum dare prohibetur, qui bonorum suorum administrationem non habet Communis, & certa, textu claro *lib. 2. Feud. T. 3. in princ.* ibi: *Investitura Feudi non ab alio rectè fit, nisi ab eo, qui legitimè suorum bonorum administrationem habet.*

48 Limitatur tamen Conclusio in minore, utpote qui saltem antiquum feudum, non item novum concedere potest, *cit. lib. 2. T 3.* ibi: *Investitura, quæ de veteri fit, etiam à minore poterit dari* Azorius *l. 10. de Feudis, cap. 5. q. 8.* Quę limitatio ad alios bonorum suorum administratione carentes, v. g. pupillos, furiosos non videtur extendenda. Ita Azorius *l. cit.* Ratio est; quia solus minor excipitur à lege universali. Exceptio autem unius firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis *arg. l. Quæsitum 12. §. 43. de Fundo instructo can. Dominus 6. cau. 32. q. 7.* & amplius diximus *in lib. 1. Tit. 2. n. 405.*

49 Quæritur II. Quinam in feudum accipere possint? Resp. Omnis, qui nominatim non reperiuntur prohibiti. Dicitur namque *lib. 2. tit. 3. Feud. Personam investituram accipientis non distinguimus; nam etiam servus investiri poterit.* Hinc non refert, mas sit an fœmina feudum accipiens. Quamvis enim in feudo proprio non succedant fœminæ, ut infrà dicetur, tamen feuda eisdem concedi possunt, *lib. 2. Feud. tit. 23. §. fin. & tit. 30.*

50 Pariter non refert, an majorennis sit, vel minorennis quia minorennis quoque, quin & pupillus etiam absque Tutore, vel Curatore Feudum acquirere, & conditionem suam meliorem facere potest, *arg. cit. lib. 2. tit. 3. Feud. & princ. Instit. de Authorit. Tutor.* ibi: *Namque placuit, meliorem quidem conditionem licere eis* (pupillis) *facere, etiam sine Tutoris authoritate: deteriorem verò non aliter, quàm cum Tutoris authoritate.* Est tamen discrimen inter pupillum & minorem, videlicet, quòd si absque Tutoris authoritate pupillus accipiat Feudum, hoc instar aliorum contractuum cum pupillis initorum claudicet, ita nempe ut pupillus quidem utilitatem Feudi percipiat, obligationem tamen præstandi servitia & onera realia non contrahit. Minorennis verò ad servitia saltem personalia obligetur; eò quòd minor, non item Tutor absque Curatoris authoritate ad servitia personalia obligare se possit; cùm Curator pro rebus tantùm, & non simul pro persona, uti Tutor detur, uti communiter advertunt DD. *in l. Obligari. 43. ff. de Obligat & action.*

51 Rursus non refert, an inferior, vel superior sit feudum accipiens, siquidem & superior ab inferiori Feudum accipere potest, *arg. cit. l. 2 Feud. T 3. & l. 14. ff. de juris dict.* notat tamen Scarder *de Feud. part. 4. c. 3. ult.* & alii, quòd si Superior, præsertim Ecclesiasticus ab inferioribus Feudum accipiat, ad servitia præstanda alium subvasallum constituere possit, & soleat, id quod in praxi observari videmus.

52 Quæritur specialiter III. An etiam Clerici, & Religiosi in Feudum accipere quid possint? Ante responsionem notandum, aliud esse simpliciter quærere, an Clerici feudum accipere possint; aliud an in feudo succedere: aliud an illud retinere valeant. Quæsitum procedit de primo membro, quia an succedere in feudo queant, dicemus infrà § *seqq.* Unde respondetur, Clerici, & Religiosi non minùs ac Laici de novo accipere possunt quæcunque feuda, si dominus directus ita velit, eisque liberè concedat. Fachin. *lib. 7. cap. 35.* Rosent. *de Feudis cap. 3. conclus. 5.* Zasius *in Epitome par. 5. numer. 21.* Pirhing *hoc tit. nu. 23.* & communis. Probatur ex utroque Jure; & quidem ex Jure Canonico per *cap. Ex transmissa 6 & seqq.* ubi indubitatè supponitur, quòd Cleri feuda accipere, & habere valeant; eisque præcipitur, ut feuda habentes sæcularia, coram domino feudi judicium sustineant. Idem habetur ex *lib. 2. Feud. tit. 40. §. fin.* ubi pariter supponitur Clericos feuda à domino directo data habere posse: ibi: *Si Clericus velut Episcopus, Abbas beneficium* (id est feudum) *habens à Rege datum &c.*

Ratio conclusionis est; quòd quamvis Clerici, aut Religiosi servitia personalia, vi feudi proprii debita præstare per se non valeant, consequenter feudi propriè talis incapaces esse videantur: Nihilominus, quia dominus, si vult, statim in investitura concedere potest, ut Clerici per substitutos servitia peragant, feudum etiam aliàs proprium hac ratione accipere possunt Clerici, ac Religiosi. De reliquis feudis impropriè talibus habentibus obligationem, seu servitia cum statu Clericali non incompatibilia, v. g. præstationem certæ pecuniæ, vel aliud simile onus, dubium non est, quin ea accipere Clerici valeant. Confirmatur praxi passim, præsertim in Germania vigente, ubi videmus, Clericos feuda non tantum Franca, aut talia, quæ habent onera statum Clericalem non dedecentia, sed etiam propria Feuda servitium personale requirentia habere; sic namque fermè omnes Germaniæ Episcopi, & plurimi Abbates feuda Imperialia habent, ob quę Imperatori tanquam Domino directo in bello servitia personalia per alios præstant.

Quæritur IV. Quidnam in feudum dari & acci- 53
pi possit? Resp. I. Omnis & sola res immobilis temporalis sive laicalis, sive Ecclesiastica in feudum dari, & accipi potest. Est communis, patetque ex jam dictis. Et quidem quòd debeat esse res immobilis, dictum est suprà *h. t. numer. 7.* ubi etiam explicatum habetur, quidnam intelligatur per rem immobilem. Quòd verò omnis res immobilis etiam Ecclesiastica in Feudum concedi queat (adhibitis nempe Juris solemnitatibus) constant ex *numer. 45.* Resp. II. Res sacræ Religiosæ ac spirituales in feudum dari, & accipi directè non possunt. Rursus communis ac certa. Ratio est: tum quia commercio humano sunt exemptæ *l. Pacta 72 §. fin. ff. de Contrah. empt.* Tum quia simoniacum est, quodcunque servitium aut onus temporale pro re spirituali promittere, uti patebit ex dicendis infrà *Tit. de Simonia.* Dicitur tamen *directè*, quia indirectè ac in consequentiam etiam res sacræ ac spirituales in feudum accipi & dari possunt; si nempe temporalibus sunt annexæ: quia tunc cum ipsa re principali, accessoriè ac indirectè traduntur in feudum, *arg cap. Ex litteris 7. de Jurepatronatus*, ubi expressè habetur, quòd una cum universitate bonorum temporalium accessoriè etiam transeat jus patronatus.

Quæritur V. Quomodo seu quibus modis acquiratur 54
Feudum? Resp. Tribus potissimum modis dari, & accipi, vel acquiri potest Feudum. Videlicet, I Pacto & investitura. II Præscriptione. III. Successione. Per Pactum intelligitur ille contractus Feudalis, quo dominus alicui sub certis conditionibus, aut oneribus rem suam in Feudum concedit, & à Feudatario reciprocam promissionem accipit. Investitura verò, *die Belehung*, est actus ille solemnis, quo Feudatarius à domino directo, vel actualiter mittitur in possessionem rei Feudalis, vel signum aliquod, v. g. vexillum, gladium, hastam, annulum &c. juxta loci consuetudinem accipit cum expressione verborum idoneorum à dante prolatorum, quòd hoc signo intendat, aut velit Feudatario Feudum reverà concedere, & illum actualiter investire, *lib. 2. Feud. Tit. 2.* ubi etiam dicitur, quòd actus ille, quo quis à domino, vel ejus deputato actualiter mittitur in possessionem Feudi, sit & dicatur investitura propria: ille verò actus, quo traditur signum, vocetur investitura abusiva, seu impropria, ibi: *Investitura quidem propriè dicitur possessio, abusivo autem modo dicitur investitura, quando hasta, vel aliud corporeum quodlibet porrigitur à domino Feudi, se investituram facere dicente.*

Porrò Investitura absolutè necessaria est ad acquiren- 55
dum Feudum. *Nam sciendum est, Feudum sine investitura nullo modo constitui posse*, sunt verba, *lib. 1. Feud. tit. 25.* Sufficit autem etiam abusiva investitura, *lib. 2. Feud. tit. 31. in prin.* ibi: *Sciendum itaque est, Feudum acquiri investitura &c. vel eo, quod habetur pro investitura.* Quamvis enim per investituram abusivam Feudatarius possessionem non statim acquirat, tenetur tamen dominus eum in possessionem actualem immittere, ita ut ampliùs pœnitere non possit, nec satisfacere valeat præstando interesse *lib. 2. tit. 26. §. si facta.* Imò potest Feudatarius abusivè investitus, statim propria authoritate Fedum vacuum ingredi, prout *arg. Ex litte-*

teris 2. de Consuetud. communiter tradunt DD. apud Berckolt. de Feud. cap 8. n. 10. Potest etiam per alium tam dari, quàm accipi investitura; nam utrum ipse, vel alius pro te investituram faciat, vel suscipiat, nihil interesse putamus, dicitur lib. 2. Feud. t. 3. circa finem.

56 Illud tamen notandum, quòd si quis abusivè investiatur, investitura fieri debeat coram duobus saltem paribus curiæ, id est, coram aliis duobus vasallis, qui ab eodem domino Feudum possident, casu quo talis dominus plures vasallos habeat, lib. 2. Feud. tit. 2. in prin. ibi: quæ (investitura abusiva) si quidem ab illo fiat, qui illos habet vasallos, saltem coram duobus ex illis solemniter geri debet, alioquin licèt alii testes intersint, investituram minimè valeat. Quod si verò alios vasallos non habeat dominus, vel si habet, tamen venire non possunt, adhiberi possunt ac debent testes extranei, arg. cit. textu, & lib. 1. tit. 26. ubi etiam habetur, quòd in Feudis Ecclesiasticis pariter accipiantur pares & extranei. Eodem modo extranei sufficiunt, ubi consuetudo est, eos adhibendi arg. cap. fin. de Consuetud.

57 Hinc si lis oriatur inter dominum & vasallum, debet vasallus Investituram sibi factam probare per pares curiæ, vel alios extraneos testes juxta dicta num. præced. cit. lib. 2. Feud. tit. 2. Si pares curiæ vel testes non ampliùs existunt, probatio fieri debet per instrumentum tempore investituræ legitimè erectum, Leben Brief, quod alii etiam investituram vocant. Si nec instrumentum extat, ad Juramentum proceditur, quod idem observatur, si pars curiæ, aut testes, odio vel amore veritatem dicere recusarent, aut se absentarent, lib. 1. Feud. tit. 26. & lib. 2. tit. 2. ubi modus jurandi prolixè præscribitur. Porrò, quandonam investituræ renovatio fieri debeat, dicetur infrà.

58 Secundò acquiri potest Feudum præscriptione triginta annorum, textus expressus habetur in lib. 2. Feud. tit. 26. § Si quis per ibi: Si quis per triginta annos rem aliquam ut Feudum possedit, & servitium domino exhibuerit: quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest: intellige, si contra dominum sæcularem, vel alium privatum fiat præscriptio; contra Ecclesiam enim vel alia loca pia, si præscribatur, quadraginta requiruntur anni. Ratio est; quia universaliter ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam, vel aliam piam causam requiritur præscriptio quadraginta annorum, prout ex Jure latè probavimus suprà Lib. 2. tit. 26. de Præscriptione n. 162. & 163. præsertim, cùm in libris Feudorum contrarium non habeatur, benè verò præcipiatur, ut si casus emerserit, qui in libris Feudorum non comprehenditur, juxta Legem scriptam decidatur, lib. 2. Feud tit. 1. §. Strenuus & sequuntur DD communiter, signanter Engel h. t. n. 17. Mynsing. Cent. 4 Observ. 29. n. 3 Posenth de feud. cap. 6. conclus. 78. n 7 contra Vult. de feudis lib. 1. cap. 9 n. 8. & nonnullos alios.

60 Requiritur autem ad hanc præscriptionem bona fides, quia cap. fin. de Præscript universaliter statutum habetur; ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quàm Civilis unde est regula Juris in 6 Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit; Nec valent leges Civiles & consuetudines contrariæ, utpote quibus derogatur per SS Canones; cit. cap fin de Præscript cùm generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. Titulus tamen ad præscribenda Feuda non requiritur: Engel h. t. n. 17. Ratio est, quòd universaliter ad præscriptionem longissimi temporis bona fides absque titulo sufficit, arg. cap. 1 de Præscript in 6. & dictum est suprà l. 2. t. 26. de Præscriptione n. 155.

61 Porrò sicut vasallus contra dominum, ut rem ipsius in Feudum possidere queat, ita dominus contra vasallum præscribere potest, ut propria & allodialis res vasalli evadat feudalis, si nempe per annos triginta à vasallo ratione rei alicujus præstantur servitia, vel alia onera feudalia Engel h. t. n. 17 Vult. de Feudis lib. 1. cap. 11. Clarus §. Feudum quæst. 19. & 45. nu. 1. cum communi aliorum. Ratio est; quia videntur esse correlativa, ideòque statutum de uno, censetur etiam statutum de altero, Barbosa Axiomat. 61. arg. l. fin. C. de Indict. viduit.

Major est controversia inter DD. an, si quis absque consensu domini Feudum suum alteri vendat, vel aliàs alienet, possit bonæ fidei emptor spatio triginta, vel quadraginta annorum tale Feudum præscribere, ita, ut ex feudali fiat allodialis, vel saltem ut fiat ipse loco prioris vasallus, adeòque dominus talem alienationem absque suo consensu facta annullare, & Feudum tanquam sibi apertum revocare ampliùs nequeat? Resp. quoad primum, an fieri possit ex re Feudali malè alienata allodialis, mediante præscriptione triginta, vel quadraginta annorum, negativam tuentur plures cum Harpprecht prin. Inst. de Usucap n. 16. ob clarissimum textum tum l. 2. feud. t. 55. ubi Fridericus Imperator sic statuit, Nos autem ad pleniorem Regni utilitatem providentes, non solùm impòsterum, sed etiam hujusmodi illicitas alienationes hactenus perpetratas hac perpetua sanctione cassamus, & in irritum deducimus nullius temporis præscriptione impediente &c. emptor bonæ fidei ex empto de pretio contra venditorem competente. 62

63 Affirmativam verò tenent alii non pauci, ut Gailus, Rosenth. in Synopsi Juris feud. cap. 6. concl. 110. & cap. 9 concl 132. Tiraquel. Præpositus Baldus & alii, moti hac ratione, quòd ob bonum Reipublicæ & ad tollendas innumeras lites præscriptio triginta vel quadraginta annorum cuilibet plenam securitatem præstet, l. Sicut. 3. & l Omnes 4. Cod de Præscript. 30. & 40. ann. Ad textum libri Feudalis respondet, illum intelligendum esse de præscriptione ordinaria decem, vel viginti annorum; non item de extraordinaria longissimi temporis.

64 Verùm huic affirmativæ absolutè adhærendum non videtur: tum quia textus nimis claré omnem præscriptionem cujuscunque temporis, consequenter etiam longissimi infirmat, per verba nullius temporis præscriptione impediente: tum quia ubi Jus præscribenti positivè resistit, ut in præsenti casu, nec quadraginta anni absque legitimo titulo sufficiunt, uti benè advertit Jul Clarus § feud. quæst. 43. n. 2. ad finem arg cap. de Præscript. in 6.

65 Hinc probabilius cum Engel h t n. 42. distinguitur inter Feuda, quæ habeat annexa servitia militaria pro Reipublicæ utilitate, & plerumque à Principibus dantur, qui gerendi bellum facultatem habent: ac inter Feuda privatorum, vel vi quorum ad servitia & onera militaria vasalli non tenentur. De prioribus Feudis dicendum, ea malè alienata spatio triginta, vel quadraginta annorum non præteribi, ob textum n 62. allegatum. In posterioribus autem præscriptionem locum habere. Ratio hujus distinctionis & diversitatis desumitur ex ipso cit. tit. 55. lib. 2. feud utpote quia præcisè de prioribus Feudis, non item de posterioribus loqui videtur, uti ex fine ac ratione Legis ibidem statim in principio allegato patet; ubi dicit Imperator, se ideò cunctas alienationes feudorum reprobare, ac omnem præscriptionem infirmare, ne cum magno Reipublicæ detrimento servitia militaria minuantur, & expeditioni bellicæ vasalli obligari desinant. Quæ ratio, cùm in posterioribus Feudis cesset, cessat etiam lex ipsa, quia cessante ratione Legis cessat ipsa, l. Quod dictum ff de pactis præsertim quæ est correctoria Juris prioris, cap. Cùm expediat 29. de Elect. in 6. uti est Constitutio hæc Feudalis; utpote contraria cit. l. Sicut. & l Omnes 4. C. de Præscript.

66 Ob eadem fundamenta quoad secundum respondere potest, videlicet, quòd Feudum malè alienatum, à bonæ fidei emptore & possessore spatio quadraginta vel triginta annorum præscribi valeat saltem quoad dominium utile, ita nempe, ut loco prioris succedat vasallus bonæ fidei emptor, consequenter dominus contractum irritare, ac feudum tanquam sibi apertum revocare non valeat; eo quòd etiam in hoc casu cesset ratio Legis, lib 2. feud. tit. 55. insinuata, cum vasalli non minuantur, adeòque bona Reipublicæ, vel expeditio bellica detrimentum nullum patiatur. Et ita tenet Glossa in l. 2. t. 40 ℣. Præterea.

67 Defendit quoque Abbas in cap. Ad audientiam 13. de Præscript. n. 17. quem sequitur Engel h. t. nu. 42. quòd sicut dominus præscriptionem facere potest, ut ex re allodiali vasalli fiat Feudalis, ita econtrà vasallus eadem præscriptione triginta annorum efficere queat, ut ex re feudali fiat allodialis ipsius vasalli, si nempe per annos triginta bona fide nulla servitia vel onera feudalia præstat,

stat, arg. l. Omnes 4. C. de Præscription. Nec obstat textus lib. 2. feud. t. 55. quia ibi fit sermo de præscriptione Feudi malè alienati, non item de feudo, quod præscribit ipse vasallus absque alienatione, faciendo præscriptionem ex eo rem allodialem. De qua proin præscriptione loqui debemus juxta communia Juris principia de Præscriptione.

68 Pariter juxta Jus commune responderi debet ad quæsitum, an & quanto tempore unus dominus adversus alterum præscribere valeat Feudum. Quidnam autem Jus commune de Præscriptione statuat, vide suprà Lib. 2. Tit. 26. de Præscriptione.

§. III.

De Successione Feudi.

SUMMARIUM.

69 Quamvis olim nulla daretur, hodie tamen datur successio in Feudo.
70 Ab intestato, non item ex testamento.
71 Omnis dispositio testamentaria de feudis invalida est.
72 Excepto feudo perfectè hæreditario.
73 Triplex genus succedentium in feudo.
74 Primo loco succedunt descendentes Filii & Nepotes, hi in stirpes, illi in capita æqualiter.
75 Filii æqualiter succedunt, etsi sint ex diverso matrimonio.
76 In Feudis individuis Ducatus v. g. solus primogenitus succedit, cujus filius tanquam nepos patris præfertur secundogenito.
77 Filii adoptivi & illegitimi, etsi legitimati in Feudo nõ succedunt, nisi legitimentur per subsequens matrimonium: vel ad id specialiter legitimentur Rescripto Principis.
78 Filius etiam justè exhæredatus in Feudo succedit, nisi Feudum dependeat ab hæreditate.
79 Ascendentes regulariter in Feudo non succedunt.
80 Casus, in quibus ordinariè succedunt.
81 Deficientibus descendentibus regulariter succedunt collaterales agnati, tam consanguinei, quàm Germani, non item cognati.
Agnati & Cognati qui? Consanguinei & Germani qui? Ibid.
82 Probatur ex Iure.
83 Deficientibus descendentibus & fratribus, succedunt nepotes ex fratribus in capita, non in stirpem.
84 Deficientibus etiam his nepotibus, succedunt agnati illi, qui ex linea defuncti vasalli descendunt, etsi adsint alii proximiores primo, ex alia tamen linea venientes, acquirenti.
85 Agnati in infinitum succedunt, etiam collaterales.
86 Solvitur instantia
87 In Feudo novo soli descendentes succedere possunt.
88 Fœminæ & descendentes ab eis etiam masculi regulariter in Feudis non succedunt.
89 Rationes hujus afferuntur.
90 In feudo fœmineo, vel ex speciali pacto etiam fœminæ succedunt.
91 Si nullus ampliùs masculus extat.
92 An in Feudis impropriis fœminæ deficientibus masculis succedant, controversia est inter DD.
93 In Bavaria affirmativa tenet in Feudis emptitiis.
94 Fœmina in Feudo investita non repellitur à masculo postea nato, nisi hic tempore investituræ jam fuerit in utero matris.
Fœtus in utero gaudet privilegiis nati. Ibid.
95 Fœmina semel exclusa an censeatur perpetuò exclusa, controvertunt DD.
96 Clerici & Religiosi in feudis propriis regulariter non succedunt.
97 Solvitur instantia, Et num. seqq.
99 Clerici & Religiosi in feudis propriis succedunt, si sunt annexa dignitati Ecclesiasticæ, vel si vi investituræ, statuti, aut consuetudinis id eis competit.
100 In feudis francis, fœmineis, hæreditariis, & aliis impropriis Clerici & Religiosi succedere possunt.
101 Imò etiam Monasterium, loco professi, quamdiu talis Religiosus vivit.
102 Ratio cur post mortem professi feudum non ampliùs retineat?
103 In feudis Regalibus Monasterium loco professi non succedit.
104 Benè tamen in Oppidis & Castris jurisdictionem habentibus.
105 Muti, surdi &c. succedunt in feudis, quorum servitia præstare valent. Et num. seqq.
107 Non item in illis, quorum servitia præstare nequeunt.
108 Debet tamen de his, si magnos redditus habent, muto, surdo &c. præstari honesta sustentatio.

TErtius modus acquirendi Feudum est Successio, de qua quia plura examinanda occurrunt, ponitur præsens Paragraphus specialis, unde

QUæritur I. An, & qualiter Feudum acquiratur Successione? Resp. I. Quamvis ab initio penitus nulla daretur Feudorum Successio, ea tamen posteà moribus & legibus introducta, ac successivè magis extensa fuit. Ita clare habetur lib. 1. Feud. Tit. 1. §. ibi: Antiquissimo enim tempore, sic erat in dominorum potestate connexum, ut, quando vellent, possent auferre rem in Feudum à se datam; postea verò eò ventum est, ut per annum tantum firmitatem haberent. Deinde statutum est, ut usque ad vitam fidelis produceretur: Sed cùm hoc jure Successionis ad filios non pertineret, sic progressum est, ut ad filios deveniret, in quem scilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare, quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes (filios) æqualiter veniat Et infrà. Hoc quoque sciendum est, quòd beneficium hoc advenientes ex latere ultra fratres patrueles non progreditur successionem secundùm usum ab antiquis constitutum; licèt moderno tempore usque ad septimum gradum sit usurpatum, quod in masculis descendentibus novo jure usque in infinitum extenditur. 69

Resp. II. Licèt in rebus allodialibus duplex detur successio, testamentaria nempe, seu ex testamento, & ab intestato, quæ & legitima vocantur, L 1 3. & 8 ff de Petit. hæredit. In Feudis tamen sola successio ab intestato, seu legitima, non item ex testamento admittitur. Engel h t. n. 18 cum communi aliorum. arg. l. 1. Feud. tit 8. princ. ibi: Nulla ordinatione defuncti in feudo, manente vel valente. 70

Hinc irrita ac nullius valoris est omnis circa Feudum dispositio testamentaria, qua v. g. pater disponit, ut Feudum ad filios inæqualiter transeat, aut ut illud unus solus habeat, prælegativè nomine possideat, Schrader de feud. par 7 cap. 2. n. 3 & 12. etiamsi cum domini directi consensu id faciat, arg l. 13 Feud. t. 7. princ. nisi agnati quoque, de quorum præjudicio agitur, consentiant, Curt. Jun. de feud. p. 4 n. 127. & seqq Pariter nulla est circa Feudum dispositio testamentaria ad causas pias, l. 2 t 9. § Donec. idque in tantum, ut ne quidem æstimationem Feudi relicti hæres præstare teneatur pio Legatario, eò quòd de re legata, cujus nullum est commercium (uti in præsenti Feudum l. 2. t. 52. & 55) nec æstimatio debeatur, arg. l. Cùm servus 39 in fin. ff. de Legatis I. 71

Limitatur Conclusio in Feudo merè hæreditario, de hoc enim testamentum quoque fieri posse, dispositionemque testamentariam valere, nemo dubitat, Vult. l. 1. feud. cap. 9. nu. 74. & dictum est suprà nu. 24. & 25. ubi etiam explicatum habetur, quid sit Feudum hæreditarium. 72

Quæritur II. Quo ordine in Feudo fiat successio ab intestato? Ante responsionem notandum, triplex esse genus eorum, qui ab intestato jure sanguinis in Feudo succedere possunt, descendentium nempe, ut Filiorum, nepotum &c. Ascendentium, Patris v. g. vel avi &c. De singulis singula dabimus responsa. Hinc

Resp I Primo loco & ordine in Feudis succedunt descendentes masculi, Filii nempe, & nepotes. Textus est in l. 2. Feud. t. 11. princ. ibi; Mortuo enim eo, qui beneficium tenebat, prima causa liberorum est, filiis enim existentibus masculis, vel ex filio nepotibus, vel deinceps per masculinum sexum descendentibus, cæteri removentur agnati. Est autem inter descendentes ordo succedendi talis, ut, si plures sint Filii, succedant æqualiter in capita; nepotes ve-

verò cum Filiis concurrentes, In stirpes loco patris defuncti, jure nempe repræsentationis, *lib. 1. cap. 8.* ibi: *Si quis decesserit filiis superstitibus, succedunt filii æqualiter, vel nepotes ex filio loco patris sui.*

75 Nec refert, an filii sint sui vel emancipati, ex uno, vel diverso matrimonio nati eò quòd textus citati de Filiis indistinctè loquantur; quibus concordat textus *l. 1. Feud. t. 1. §. 1.* ubi de successione Filiorum in Feudis sic habetur: *Quod hodie ita statutum habetur, ut ad omnes æqualiter filios pertineat*, & quidem de emancipatis habetur etiam textus speciali *Novell. 118. ca. 1.* ubi sublato discrimine antiquo, emancipati & sui æqualiter admittuntur. De Filiis secundi matrimonii dubium facere posset textus *l. 2. t. 26. §. Muller.* ubi Filii prioris matrimonii præferuntur in successione Feudi; sed respondetur cum Luduvvel, Azorio *lib. 10. cap. 8. quæst. 3.* Curt. *in Tractat. de Feud. p. 3. membr. 1. quæst. 24.* cum communi, textum illum intelligendum esse de casu, quo ob speciale pactum in contractu matrimonii factum, Filii prioris matrimonii præferuntur; qualiter factum legimus *lib. 2. Tit. 29.* vel quando ita habet specialis loci consuetudo.

76 Limitatur autem Conclusio primò in Feudis individuis, seu quæ dividi prohibentur: qualia sunt Feuda Regalia, v. g. Marchionatus, Comitatus, Ducatus &c. quæ dividi etiam expresse prohibentur, *lib. 2. tit. 55. §. 1. vers. Præterea Præterea Ducatus, Marchia, Comitatus de cætero non dividatur.* In his enim Feudis solus primogenitus succedit: quod ita verum est, ut, si quis relinquat ex primogenito nepotes, & simul secundogenitum, præferantur secundogenito nepotes ex primogenito; prout cum communiori aliorum benè docet Fachin. Rosenthal. *cap. 7. concl. 26. n. 13.* Ratio est; tum quia pater & filius natura una persona intelliguntur; hicque in locum illius jure repræsentationis juxta Jus commune succedit. Tum quia in successione Electorali ita expressè statutum est in *Bulla aurea Caroli IV. cap. 7.*

77 Limitatur secundò in filiis adoptivis. Nam *adoptivus* filius in Feudo non succedit, *lib. 2. tit. 26. §. Omnes.* Item in illegitime natis, dicitur enim *lib. 2. tit. 26. §. Muller.* *Naturales filii, licèt posteà fiant legitimi, ad successionem Feudi nec soli, nec cum aliis admittuntur*: nisi forsan per subsequens matrimonium legitimentur; hoc enim unà cùm aliis legitimis æqualiter succedere, communissime tenent DD. signanter Gailus 2. *Observ. 141. n. 2.* Mynsinger *Cent. 5. Observ. 42. & 52.* ubi etiam testatur, hanc esse receptam sententiam in Camera Imperali. Imò legitimati etiam per Rescriptum Principis succedere possunt, si Princeps specialiter ad similem successionem eos legitimat, Fachin. *l. 7. c. 49.* Engel *h. t. n. 22.*

78 Limitant Conclusionem alii etiam in filiis legitimis justè exhæredatis; sed meliùs dicitur cùm Julio Claro hos à successione Feudi non excludi, nisi per investituram cautum sit, quòd absque hæreditate feudum haberi non possit. Ratio est: tum quia non vi dispositionis testamentariæ, sed vi investituræ Filii succedunt in feudo, ut proin in Feudis propriè dictis dispositio ultima defuncti nihil valeat: tum quia etiam in aliis, quæ jure singulari ad filium pertinent, filius justè exhæredatus succedit *arg. l. 114. §. 15. ff. de Legatis 1.*

79 Resp. II. Quamvis regulariter loquendo ascendentes in Feudo non succedant; nihilominùs dantur aliqui casus, in quibus etiam illi ad Feudi successionem admittuntur. Prima pars est communis ac certa, ob claram Juris dispositionem *l. 2. t. 5* ibi: *Successionis Feudi talis est natura, quòd ascendentes non succedant, v. g. pater Filio.*

80 Secunda pars probatur inductione. Sic enim primò etiam ascendentes succedere possunt, si Feudum est hæreditarium *lib. 2. tit 48.* Secundo si Filius propter merita patris acquisivit Feudum, Corvin. *Synop. Jur. Feud. l. 2. t 4. in fin.* Engel *h. t. n. 26.* Tertiò si in investitura ita expressè fuerit cautum, *arg. lib. 2. tit. 84.* Quartò si ita habet consuetudo & statutum loci. Aliqui ut Engel *l. c.* Schar & alii etiam quintum casum afferunt, si nempe pater Filio feudum renuntiet, & hic ante patrem sine descendentibus moriatur: probare hoc conantur ex *l. 2. t. 14 & t. 84.* Verùm, ut legenti patet, ex citatis locis sententia horum DD. stabiliri non potest, cum potiùs contrarium *c. t. 84.* apertè statuatur illis verbis: *Si quis filium habens, ipsum per dominum investiri fecerit, ut si filius decesserit ante patrem, quòd Feudum ad patrem revertatur, dicitur defuncto ante patrem filio, patrem carere beneficio, & domino acquiri beneficium.* Quid clarius?

81 Resp. III. Deficientibus descendentibus, in Feudo, id est nati saltem ex uno patre, licèt proveniant ex diversa matre, quàm Germani, hoc est habentes eundem patrem, eandemque matrem; cum quibus, si ex simili Fratre ad sunt nepotes, succedunt cum patruis suis in stirpem tantùm; omnes simul tantum capientes, quantum pater eorum, quem jure repræsentant, accepisset. Tota Conclusio communis est ac certa ob clarissimas dispositiones in libris feudalibus contentas.

82 Præsertim *lib. 2. tit 11.* ubi imprimis expressè dicitur. *Ad cognatos beneficium non pertinet, nec beneficii successio.* Ubi ulteriùs claré habetur. *Descendentibus deficientibus vocantur primò fratres cum fratrum præmortuorum filiis: deinde agnati ulteriores.* Notandum tamen, quòd proximitas attendatur respectù ultimi professoris; non verò respectu primi acquirentis feudum, ut proin frater defuncti vasalli excludat patruum suum, etsi hic proximior sit primo acquirenti, Engel *h. t. n. 28* cum communi aliorum, *ar l. 2. t. 50. ad fin* & *l. 1. t. 14* Quòd autem fratres consanguinei cum Germanis æqualiter succedant licèt aliàs de Jure communi *Novell. 118. c. 3.* in allodialibus Germanus defuncti excludat fratrem consanguineum. Ratio est; quia in Feudis penitùs nulla habetur ratio matris, seu vinculi materni, ut cùm aliis bene observat, & in Camera judicatum testatur Gailus *lib. 2. Observ. 151. arg. cit. lib. 2. tit. 11.*

83 Resp. IV. Si nec filii nec fratres defuncti existant, sed meri fratrum filii, consequenter ex fratribus nepotes, succedunt hi omnes æqualiter in capita, non in stirpes, Clarus §. *Feudum, quæst. 76. n. 2.* Mynsing *Cent. 3. Obser. 94.* Engel *h. t. n. 28.* & communissima aliorum. Ratio est: tum quia in tali casu non succedunt jure repræsentationis, sed quivis jure proprio, *arg. Novell. 118. c. 3.* tum quia ubi in libris Feudorum specialis constitutio deficit, judicare debemus juxta Jus commune, *l. 2. t. 1. §. Strenuus.* Jure autem communi duorum vel trium fratrum defunctorum filios: si soli sine patruis extant, in capita, & non in stirpes succedere, constant, ex *l. Post consanguineos, 2. §. 2. ff. de suis & leg. hæred. & l. 2. §. fin. ff. Si pars hæred. petat.* quæ Leges cùm nominatim correctæ non sint per *Novell. 118. cap. 3.* meritò eisdem adhuc standum erit, *arg. l. Præcipimus, 32. §. ult. cap. de Appellat.* Eandem sententiam tenuere non tantùm Parlamenta Gallica, sed ea etiam *à Carlo V. in Comitiis Spirensibus* decisivè promulgata est 1529.

84 Resp. V. Deficientibus etiam Nepotibus ex fratre, succedunt cæteri agnati, non quomodocunque sanguine proximi, sed sanguine proximi ex illa linea, ex qua fuit defunctus, ut proin hi excludant alios quidem æquè proximos, vel proximiores, ex alia tamen linea descendentes, ita claré statuitur *l. 2. t. 50.* ibi: *Ad quos pertineat* (Feudum) *quæritur? Respondetur, ad solos, vel ad omnes, qui ex illa linea sunt, ex qua iste* (defunctus) *fuit, & hoc est, quod dicitur, ad proximiores pertinere.*

85 Cæterùm successio non tantùm ad descendentes datur in infinitum *l. 1. t. 1. §. 4 in fine*: ibi: *In masculis descendentibus novo Jure extenditur in infinitum*: sed etiam ad collaterales agnatos, Clar. §. *Feudum, quæst. 79. n. 3.* & communis aliorum, *arg l. 2. t 31,* ibi: *Et etiam in infinitum.* Item *t. 11. & 50. l. 2.* ibi: *Ex latere omnes masculos descendentes usque in infinitum.*

86 Nec obstat textus *l. 1. t. 1.* ubi dicitur, quòd tantum usque ad septimum gradum collaterales succedant. Nam contra est, uti bene advertit Gailus, & Clarus citati, quòd dictus & alii similes textus intelligi debeant, de antiquioribus Feudorum usibus, qui successu temporis fuere mutati. Hinc teste Zasio, totius Germaniæ consuetudine receptum habetur, quòd etiam collaterales usque in infinitum admittantur.

87 Cæterùm quæ hucusque de successione collateralium dicta sunt, intelligi debet de Feudis antiquis; quia in Feudo novo penitus nullus collateralium, sed soli descendentes succedunt, quibus deficientibus Feudum ad dominum redit, textibus clarissimis *lib. 1. t. 1. §. 2. Si unus ex fratribus Feudum à domino acceperit, eo defuncto sine legitimo hærede frater ejus in Feudum non succedit.* Concordat *tit. 8. 14. & 20.* Quid autem sit Feudum novum, quid antiquum, vide suprà *n. 12.*

88 Quæritur III. An, & quando in Feudis succedant fœminæ? Resp. I. Regulariter loquendo, fœminæ & descendentes ab eis etiam masculi in Feudis non succedunt. Communis ac certa, textu claro *l. 5. tit 1. §. 3.* ibi: *Hoc autem notandum, quod licet filiæ ut masculi patribus succedant, legibus tamen à successione Feudi removentur, similiter & earum filii, nisi specialiter dictum fuerit, ut ad eas pertineat.* Et *tit. 8. §. Filia. Filia verò non succedit in Feudo, nisi investitura fuerit facta, ut filii & filia succedant in Feudo.*

89 Ratio autem, quod fœminæ in Feudis non succedant, multiplex assignatur à DD. Potissimæ sunt, quia finis Feudorum est, ut dominus ad sui defensionem devinctum sibi habeat vasallum: item ut conserven ur Familiæ: item ut inter pares curiæ resideant, & in causis Feudalibus judicent: quæ omnia fœmineo sexui non conveniunt: nam alienam defensionem suscipere munus virile est, *l. Alienam 18 C. de Procur.* sicut & judicium subire, vel judicem esse, *Reg 2. ff. de reg. jur* Dein in fœminis Familiæ non conservantur, cùm illæ Familiam viri sequantur.

90 Dicitur *regulariter loquendo*: quia limitatur Conclusio in Feudis fœmineis, id est, primitus fœminæ concessis, vel ubi vi specialis pacti etiam fœminis succedere licet, ut patet partim ex allegatis textibus, partim & quidem specialiter ex *lib. 2. tit. 50.* ubi dicitur: *Non succedit filia nisi ex pacto, vel nisi sit fœmineum: tunc enim succedit filia patri & matri.* Item ubi consuetudo localis habet ut statutum, quod fœminæ succedant, *l. 2. tit 1.*

91 Intellige, si nullus masculus extat: enim verò neque in Feudo fœmineo succedunt fœminæ, quamdiu adhuc superest aliqui masculus; uti communiter advertunt Doctores, & claré habetur *l. 2. tit. 3.* ibi: *Si fœmina habens Feudum decesserit, quia fœmineum est Feudum, & sine pacto speciali, deficientibus filiis masculis, ad filias pertinebit* Idem est de Feudis, in quibus ex speciali pacto succedere possunt fœminæ, de quibus *l 1 tit 6.* ita habetur: *Si quis eo tenore acceperit Feudum, ut ejus succedentes masculi, & fœminæ illud habere possint, relicto masculo, fœminæ ulterius non admittuntur & tit 8. Tunc succedit filia, filii non extantibus.* Idem dic de aliis quibuscunque Feudis, in quibus fœminæ succedere possunt *arg. l. 2. tit 51. §. 2 & tit. 17* Quod si tamen Feudum perfecte hæreditarium est, de eo constitui debet filiæ legitima, Fach *l. 7 cap. 47* & teste Haunold DD. omnes Ratio est; quia hujusmodi Feuda sunt vera pars hæreditatis, & suo modo comparantur allodialibus.

92 Limitant aliqui Conclusionem secundò, in Feudis emptitiis, Francis, & illis, quæ servitia fœminis non inconvenientia exigunt; in his enim etiam fœminas deficientibus masculis succedere volunt plures; tum quia dum Jura fœminas à Feudis excludunt, de solis Feudis propriis loqui videntur: tum quia in his Feudis ratio fœminas expellendi cessat. Alii econtrà id negant docendo, fœminas etiam deficientibus masculis prorsus in nullo Feudo succedere, nisi sit fœmineum, vel ex speciali pacto successio eisdem competat, eò quòd Jura fœminas universaliter ab omnibus Feudis excludendo, præfatas duas species præcisè excipiant, *l. 2. tit. 50.* ibi: *Nisi ex pacto, vel nisi sit fœmineum*; ut proin grandis desuper sit controversia apud feudistas, prout videre est apud Jul. Clarum §. *feudum quæst. 73.* Fachin. *lib 7 contr. 37. & 39.* & alios, apud quos videndum

93 Illud tamen pro Bavaris specialiter hic notandum, quod vi statutorum Bavaricorum in feudis emptitiis fœminæ deficientibus masculi succedere valeant, *tit. 12. art. 21.*

94 Cæterùm si fœmina feudum actu acquisivit, non excluditur ab illo per masculum postea primum natum, uti contra Forster tradit communis. & sequitur Engel *h. t. n. 20.* Ratio est; quia jure jam quæsito nemo sine culpa privandus est: *& legitime factum retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari reg. 73. Jur. in 6.* Excipe casum, quo nascitur agnatus, qui, dum fœmina accipiebat feudum, jam jacebat in utero prægnantis Matris suæ; quia *qui in utero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partus quæritur*: quamquam alii antequam nascatur, nequaquam prosit *L. 7. & L. penult. ff. de Statu hominum.*

95 Porrò, an fœmina per masculum aliquando exclusa, perpetuò censeatur exclusa, ita ut succedere amplius nequeat, licet ille masculus absque hæredibus moriatur, rursus gravissima est controversia inter Doctores. Negativam in favorem fœminarum tenent Mynsinger *Cent. 5 Observ 74.* Rosenthal *cap 7. concl. 44* Ludvvel. & novissime Someting *in Semicent. contr. Illustr. decad. 5. contr. 4.* Alii econtrà, inter quos est Fachin. *l. 7 cap 45.* cum communiori, affirmativæ adhærent ob textum, *lib. 1. tit. 6. §. 1.* ibi: *Quin etiam si quis eo tenore Feudum acceperit, ut ejus descendentes masculi, & fœminæ illud habere possint: relicto masculo, ulteriùs fœminæ non admittuntur*: ubi per ly *ulteriùs* fœminas non amplius admittendas, consequenter perpetuò exclusas esse opinantur Doctores citati, indeque inferunt, quod masculo hujusmodi sine hæredibus decedente Feudum devolvatur ad dominum, quod non obscure insinuari videtur, *cit. tit. 6.* ad finem; ubi dicitur: *Et his omnibus casibus Feudum amittitur, & ad dominum revertitur.* Fundamenta DD. negativam tenentium solide & prolixe solvit Fachin. *l. c.*

96 Quæritur IV. An, & quando Clerici ac Religiosi in Feudis succedant? vel priùs acquisitum retinere valeant? Resp I. Regulariter loquendo in Feudis propriè dictis servitium personale statui Clericali inconveniens indispensabiliter requirentibus. Clerici & Religiosi succedere non tantùm non possunt, sed prius habitum, postea Clerici facti dimittere debent Mynsing. *Cent. 5. Observ. 48. nu. 4.* Jul. Clar. §. *Feudum quæst. 78.* Rosenth. *cap. 7. concl. 29.* Fachin. *l. 1. cap. 35* Pirhing *h. t. n. 21.* cum communi aliorum. Textus est *lib 2 tit 30.* ibi: „ Ex hoc „ illud descendit, quod dicitur, Clericum nullo modo „ in beneficium paternum debere succedere, etiamsi po„ stea quam habitum Religionis assumpsit, postposuerit. „ Idem in omnibus, qui habitum Religionis assumunt, „ ut Conversi. Hi enim nec postea in Feudo succedunt, „ & si quod habent, perdunt. Concordat textus *tit. 26. §. Qui Clericus* ibi: *Qui Clericus efficitur, aut votum Religionis assumit, hoc ipso Feudum amittit.* Idem habetur *tit. 36. & tit. 21.* ubi etiam ratio assignatur illis verbis: *eò quòd desiit esse miles sæculi, qui factus est miles Christi, nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.*

97 Nec dicas, in Feudo etiam proprio non esse necesse, quod vasallus personaliter inserviat, sed sufficere, quod vel alium loco sui substituat, vel dimidium redditum unius anni de Feudo domino subministret, prout clare patet ex textu *lib. 2. tit. 55.* ibi: „ Firmiter etiam sta„ tuimus, tam in Italia, quam in Alimania, ut quicun„ que indicta publica expeditione vocatus à Domino, in „ eadem expeditione, spatio competenti temere venire „ supersederit, vel alium pro se Domino acceptabilem „ mittere contempserit vel dimidium redditus Feudi „ unius anni, domino non subministraverit, Feudum „ amittat &c. Atqui hoc etiam Clerici præstare, & consequenter etiam Feudo proprio succedere possunt.

98 Nam contra est, quod, uti benè advertit post Fachin. *lib. 7. cap. 35.* Pirhing *h. t nu 21.* textus ille loquatur de illis vasallis, qui in Feudis propriis regulariter, & de Jure succedere, eaque retinere valent, quales non sunt Clerici, qui, uti præcedenti *n.* claris textibus vidimus, regulariter & de Jure nec in Feudo succedere, nec ea retinere valent. Et certè penitus superflui, ac sine omni effectu, quin & falsi essent omnes textus *n. præced* citati, si Clerici per substitutum servientes, vel dimidium redditum subministrantes in Feudis propriis regulariter, & jure succedere, eaque retinere possent, prout considerant patet.

99 Resp. II Clerici & Religiosi succedere possunt in Feudis cæteroquin propriis, si ex prima investitura annexa sunt dignitati Ecclesiasticæ Fachin. *l 7. c. 45.* Pirhing *l. c. arg l 2. tit. 40. & c. Verum 7 de Foro comp* Patetque experientia, qua videmus quod plures Episcopi & Abbates in Germania, Feuda propria Imperialia possideant, & in iis Successores succedant. Idè universaliter de quibuscunque Clericis dicendum, si statuto vel consuetudine locali ita receptum sit; prout in Germania generalem hujusmodi consuetudinem vigere testatur cum aliis Pirhing *h t. n. 22.* Illustr. tamen D. Schmidt in Commentario *ad tit. 12. art. 1. n 13* dicit, se ut Præfectum Feudorum vi consuetudinis Clericos ad successionem feudi nunquam admisisse, eò quòd allegatam consuetudinem probare nullus potuerit.

100 Resp. III. Clerici, & Religiosi regulariter loquendo, de Jure succedere possunt in omnibus feudis Francis, hæreditariis, fœmineis, item illis, quæ nullum servitium personale, sed reale v. g. pensionem pecuniariam, exigunt; imò etiam in illis, quæ servitium quidem personale statui tamen Clericali non incompatibile, vel etiam incompatibile, ita tamen requirit, quod vi investituræ, aut ex speciali concessione domini per substitutum servire liceat. Ita communis, signanter Fachin. *lib. 7. cap. 35.* Pirhing *h. t. nu* 22. Fagnanus *in c. Quæ in Ecclesiarum 7. de Constit* Rosenthal, Clarus: Vult. Layman, & alii. Fundamentum est, quia in omnibus istis Feudis cessat ratio, ob quam Clerici à successione Feudorum per libros feudales sunt exclusi: videlicet, quia *beneficium non pertinet ad eum, qui non debet gerere officium*.

101 Resp. IV. In Feudis *n. præced* allegatis succedit etiam Monasterium bonorum capax loco sui Religiosi professi, quamdiu talis Religiosus vivit; quo mortuo transit ad alios agnatos proximos, vel agnatis deficientibus ad dominum, Azorius *par. 3. l. 10. q. 4.* Clarus §. *Feudum qu. 78. n. 2.* Innocentius, Jo: Andreas Abbas *in c. In præsentia de Probat.* Fagnanus *in c. Quæ in Ecclesiarum 7. de Constit. n. 60.* Pirhing *h. t. n. 25.* & communis aliorum. Ratio est; quia cum Monasterium succedat in aliis sui Professi bonis, non est, cur non etiam in prædictis succedat Feudis, utpote in quibus cessat ratio excludendi illud à successione.

102 Quod autem non perpetuò, sed tantùm ad vitam Professi, eoque mortuo ad agnatos transeat, ratio est; quia ut benè observat Engel *h. t. n. 24.* aliàs conditio domini directi fieret deterior; cum Monasterium nunquam moriatur, & Feudum ordinariè, non ad quosvis, sed ordinariè tantùm ad hæredes sanguinis transeat; nisi sit Feudum perfectè hæreditarium, in quo non minus Monasterium ac alii hæredes perpetuò succedere possunt Felin. *in c. In præsentia 8. n. 48. de Prob.* Pirhing *h. t. n. 17.* patetque ex ipsa natura Feudi perfectè hæreditarii, utpote cui proprium est, ad quosvis hæredes transire juxta dicta superius *n. 24.*

103 Cæterum limitatur Conclusio in Feudis Regalibus, Regnis videlicet, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus &c. Jul. Clarus §. *Feudum q. 78.* Barbosa *l. 3. Jur. Eccles. un. n. 2.* Pirhing *h. t. n. 26.* Engel *Eod. n. 24.* Et quidem de Regno fatentur omnes, prout videre est apud Barbosam *loc. cit.* quia valde indecens videtur, quod Regia dignitas per Monasterium repræsentetur, *arg. c. Hoc nequaquam 43. cauf. 1. q. 1.* & Gloss *in can. Scripsi 26. V. Dignitate cauf. 27 q. 3.* De Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus habet communis DD. ac teste Barbosa *loc. c.* recepta consuetudo. Ratio est; quia similes Dignitates ea mente, ac tacita conditione à Regibus conferuntur, ut vasalli sua præsentia personali, & apparatu regiam Majestatem in publicis actibus condecorare possint.

104 Extendunt aliqui dictam limitationem ad quæcunque etiam Oppida & Castra jurisdictionem annexam habentia. Verum Barbosa *loc. cit. n. 3* cum aliis contrarium verius, Jurique conformius censet; eo quòd nullum assignari queat Juris fundamentum, vi cujus Monasterium succedere non possit in Feuda habentia jurisdictionem: quamvis enim Officium judicandi ipsis Monachis prohibitum videatur, tamen non prohibentur jurisdictionem exercere & justitiam administrare partibus per alios ad id idoneos, id, quod consuetudine, quæ est optima Legum interpres, ubique practicari videmus.

105 Quæritur V. An muti, surdi, cæci, claudi, vel alias imperfecti, in Feudis succedant? Dubium causant Textus *l. 2. tit. 36.* ibi: *Mutus, & surdus, cæcus, & claudus, vel aliter imperfectus, etiamsi sic natus fuerit, totum Feudum paternum retinebit, Obertus, & Gerardus, & multi alii: quidam tamen dicunt, eum, qui talis natus est, Feudum retinere non posse; quia ipsum servire non valet.* Et *lib. 1. tit. 6. §. 2.* ibi: *Mutus Feudum retinere non potest, scilicet, qui nullo modo loquitur: sed si feudum fuerit magnum, quo ei oblato se exhibere non valeat, tantum ei relinqui debet, unde se sustentare possit.*

106 Resp. I. Muti, surdi &c sive à nativitate, sive aliunde tales existant, succedere possunt in omnibus illis Feudis, in quibus non solum requiritur servitium reale, vel personale quidem, tale tamen, quod ipsi benè peragere queunt. Fachin. *lib. 7. cap. 34.* Azorius *par. 3. l. 10. cap. 8.* & communis aliorum. Probatur Conclusio tum ex textu primo citato *præced. n.* tum ex eo, quod ratio cesset, ob quam surdi, muti &c. Feudorum incapaces redduntur; videlicet, *quia ipsum servire non valent. lib. 2. tit. 36.*

107 Resp. II. Quando Feudum est ita constitutum, ut personale & tale requirat obsequium, quod per mutum, surdum &c. fieri nequit, & quod per substitutum peragi non conceditur, muti, surdi &c. tunc in tali Feudo non succedunt. Fachin. *loc. cit.* & alii. Idque patet ex ultimis verbis Textus primi *l. 2. tit. 36. & l. 1. tit. 6.* Nec in contrarium quid probat prima sententia Oberti, & Gerardi *l. 2 Feud tit. 36.* relata, ubi absolute ac sine distinctione muti, surdi &c. capaces declarantur Feudorum. Nam contra est, quod Textus ille concordari debeat cum aliis Juris textibus, in quibus aperte habetur, quod qui officium requisitum præstare nequit, beneficium habere non possit: uti etiam patet ex *lib. 2. tit. 21. nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.*

108 Notandum tamen, quod si feudum sit magnum, id est, habens copiosos redditus, honesta sustentatio inde præberi debeant cæco, claudo &c. qui ratione impedimenti hujusmodi naturalis succedere impeditur *lib. 1. tit. 6.* Imò tales servitia præstare impediti, in feudis planè etiam succedunt, si vigore investituræ vel consuetudinis, per alios servitia præstare licet: qualem consuetudinem communiter vigere testatur Azorius *loc. cit. q. 2.*

§. IV.

De Juribus, & obligationibus, quas ratione Feudi tam Dominus, quam Vasallus habent: item de causis, ob quas amittitur Feudum.

SUMMARIUM.

109 *Domino competit jus proprietatis in feudo.*
110 *Vasallus debet domino præstare obsequium, & jurare fidelitatem.*
111 *Quidnam ratione fidelitatis debeat vasallus domino?*
112 *De Formula juramenti vasallorum relativè.*
113 *Contingente mutatione ex parte domini vel vasalli, debet vasallus renovationem investituræ petere.*
114 *Pro renovatione investituræ de Jure quidem nihil, de consuetudine tamen Relevium detur, & quantum?*
115 *Relevium inter & Laudemium distinctio, quod illud [illegible] item istud dari debeat mutatione contingente sive ex parte domini, sive ex parte vasalli: Observatio circa Jus Bavaricum.*
116 *Vasallus habet dominium utile in feudo.*
117 *Quales obligationes habeat dominus feudi respectu vasalli? Et n. seqq.*
119 *Vasallus sine consensu domini nullatenus potest feudum suum alienare.*
120 *Limitatur in feudo hæreditario.*
121 *Ac in casu, dum feudum alienatur proximiori agnato.*
122 *Item in casu, quo mulier feudum habens, illud marito pro dote consignat.*
123 *Potest etiam vasallus feudum alteri dare in feudum.*
124 *Et etiam ad modicum, non item ad longum tempus locare.*
125 *Feudum novum potest vasallus cum consensu domini alienare.*
126 *Non item antiquum, nisi accedat etiam consensus agnatorum.*
127 *Feudum antiquum malè alienatum, si proximus agnatus suo tempore non revocat, possunt illud eo mortuo agnati remotiores revocare.*
128 *Agnatis competit jus retractus Feudi absque eorum consensu alienati.*
129 *Licitum est alienare feudum ad ratificationem domini.*
130 *Vasallus absque consensu domini feudum alienans, perdit illud.*
131 *Postquam actu illud etiam tradit.*
132 *Etiamsi id statim iterum recuperet.*
133 *Controversia, an feudum antiquum sine consensu domini alienatum ad dominum, vel agnatos transeat.*

134 *Proponitur sententia dicens, illud ad agnatos devolvi.*
135 *Probabilius est, tale feudum ad dominum reverti.*
136 *Solvuntur argumenta adversariorum, & n. seq.*
138 *Proponitur sententia media.*
139 *Refutatur.*
140 *Si contingente mutatione ex parte domini, vel vasalli dolosè, vel culpabiliter investituræ renovationem non petat, feudum amittit vasallus, & n. seq.*
142 *Secùs est, si legitimè impeditus, vel ex alia causa rationabili id omittit.*
143 *Milites ad petendam investituram habent annum & mensem.*
Impuberes ob neglectam investituram non amittunt feudum, benè tamen minores. Ibid.
144 *Quibus tamen competit restitutio in integrum.*
145 *Dominus finito anno & die admittens vasallum ad servitia feudalia, censetur remisisse pœnam.*
146 *Feudum ob neglectam investituram amissum, ad dominum, non ad agnatos redit.*
147 *Per renuntiationem etiam amittitur feudum, quæ renuntiatio fieri potest.*
148 *Si abest fraus.*
149 *Illi, qui alias succederet, potest absque consensu domini resignari feudum novum.*
150 *Et antiquum; non item extraneo. Imò feudum antiquum nec domino, vel extraneo cum consensu domini renuntiari potest; nisi & agnati consentiant.*
151 *Ob Feloniam amittitur feudum.*
Felonia quid? Ibid.
152 *Delicta recensentur, ob quæ vasallus privatur feudo, & duobus n. seq.*
155 *Feudum novum, ob delictum amissum, devolvitur ad dominum.*
Antiquum verò ad proximos agnatos, si delictum tale est, quo dominus nec directè, nec indirectè offensus est. Ibid.
156 *Si verò per delictum ipse dominus offendatur, feudum etiam antiquum ad dominum perpetuò redit.*
157 *Nisi feudum sit annexum dignitati Ecclesiasticæ, hoc enim non nisi ad vitam delinquentis ad dominum devolvitur & postea ad successores Ecclesiasticos redit.*
158 *Si Feudum ad Prælatum & Capitulum simul pertinet, privatur pars peccans pro sua parte sine præjudicio alterius innocentis.*
159 *Feudum fit domino apertum, quando nullus amplius existit hæres.*
160 *Ad privandum possessione vasallum delinquentem requiritur sententia declaratoria Judicis.*
161 *Quis sit Judex in materia feudali. Remissivè.*

109 Quæritur I. Quale jus competat domino feudi? Resp. Præter proprietatem & dominium directum quod in rem feudalem dominus habet *lib. 2. tit. 23.* jus ejus positivum consistit in obligationibus, quibus eidem obstrictus manet vasallus. Obligationes autem vasalli respectu domini sunt sequentes.

110 Prima est, ut id, quod eidem in investitura imponitur, ipseque præstare promittit, fideliter exequatur. Et quidem in feudo proprio adigitur jurare, quod domino esse velit fidelis, eique debitum præstare obsequium. Fidelitas autem, quam domino jurat multùm importat, quæ continentur *in can. De forma 18. cauf. 22. qu. 5.* ubi Fulbertus Episcopus interrogat, quidnam ratione fidelitatis, quam vasallus jurat domino feudi, debeatur? Sic respondet.

111 „Qui domino fidelitatem jurat, ista sex semper in memoria habere debet, incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile. Incolume videlicet, ne sit in damnum domino suo de corpore suo. Tutum, ne sit in damnum de Secreto suo, vel munitionibus, per quas Tutus esse potest. Honestum, ne sit in damnum de sua justitia, vel de aliis causis, quæ ad honestatem ejus pertinere videntur. Utile, ne sit ei in damnum de suis possessionibus. Facile vel possibile, ne id bonum, quod dominus suus facere leviter poterat, faciat ei difficile, neve id, quod possibile erat, reddat ei impossibile. Ut fidelis hæc omnia nocumenta caveat, justum est. Sed quia non sufficit abstinere à malo, nisi fiat id, quod bonum est, restat, ut ex supradictis consilium, & auxilium, domino suo fideliter præstet, si beneficio dignus vult, & salvus esse de fidelitate, quam juravit. Qui textus etiam *L. 1. feud tit.* 6 habetur.

112 Formula Juramenti per extensum habetur *lib. 2. tit. 7.* quæ an ubique vigeat, & præstari debeat, locorum consuetudines attendi debent.

113 Secunda obligatio est, ut contingente mutatione, sive ex parte domini, sive ex parte vasalli per mortem, vel alium casum, vasallus petat renovationem investituræ, petendoque dominum recognoscat, & ei fidelitatem juret, Textus est *in lib. 2. feud. tit* 21.

114 Porrò, quamvis de Jure communi feudalis hæc investitura gratis danda sit, cùm nullum vestigium in libris feudorum appareat, quod pro investitura nova aliquid solvi debeat, nihilominùs, ut bene observat Illustrissimus D. Schmidt *ad tit. 12. art. 8. Jur. Bavar. nu. 1.* communi ferè omnium locorum consuetudine introductum habetur, ut pro nova investitura in recognitionem domini directi aliquid præstetur, quod *Relevium*, vulgò *den Lehenreich* vocant. In quonam autem consistat hoc Relevium, particularis cujusvis loci consuetudo vel statutum attendi debet. In Bavaria debet vasallus contingente mutatione pro investitura Feudi equestris *Ritterleben, einen Schlest-Zeug geben*, cujus loco hodie porriguntur 7. floreni, & 14. cruciferi. Pro bursaticis, & aliis non equestribus, sed communibus & vulgaribus Feudis verò solvere debet 5. pro centum de pretio, quo feudum tale venditur, vel æstimatur: ita claré statutum habetur *tit. 12. art.* 8. ubi etiam specialiter & expressè cavetur, ne duplex Relevium *der Anfall und Absfahrt*, ut Laudemium in Emphyteusi petatur.

115 Est etiam aliud discrimen inter Laudemium, & Relevium, videlicet, quod illud tantùm præstetur, quando fit mutatio ex parte emphyteutæ. Relevium verò etiam solvi debeat, sive fiat mutatio ex parte domini, sive ex parte vasalli, eò quòd sive hac, sive illa mutatione contingente renovatio investituræ peti debeat, *lib. 2 feud. tit.* 24. Advertit tamen Schmidt *tit. 11. art. 4.* quod, si ex parte vasalli mutatio fiat, de Jure Bavarico Relevium solvi debeat, sive per mortem, sive per alienationem mutatio contingat: Econtrà verò si ex parte domini mutatio emergat, Relevium tunc tantùm solvatur, si dominus moriatur, non item, si proprietatem suam vendat, vel aliàs alienet. Quod etiam claré habetur *tit. 12. art.* 8.

116 Præter enumeratas obligationes, sunt & aliæ, vi quarum ab aliquibus abstinere debet, de quibus magis infrà, quando agemus de causis, ob quas vasallus amittit feudum.

117 Quæritur II. Quale jus competat vasallo ratione feudi? Resp. Vasallus consequitur & habet dominium utile in Feudo, ita ut rem feudalem liberè administrare, eo uti, & frui, cunctaque ea circa illud disponere possit, quæ meliorem, non item quæ deteriorem reddunt conditionem feudi, textu claro *L. 2. tit.* 8 Num verò, & quomodo alienare quoque feudum valeat, dicetur infrà.

118 Resp. II. Præter dominium utile competit vasallo jus, quo sibi reciproce obstrictum & obligatum habet dominum feudi. Obligationes autem Domini, quas erga vasallum habet, potissimum sunt sequentes. I. Ut præstito fidelitatis juramento vasallum illicò in possessionem mittat; & si moram fecerit, omnem utilitatem vasallo præstet Textu claro *lib. 2. tit* 7. Secundò si vasallum in re aliena sive scienter, sive ignoranter investiverit, præstare eidem evictionem debet *lib 2. tit.* 8. dummodo vasallus post litem motam dominum, ut se defendat, debite monuerit, *lib. 2. tit.* 25. insuper vasallus tempore investituræ nesciverit, feudum sibi conferendum, rem esse alienum, *cit. tit. 25 & tit* 8. ibi: *Qui enim alienæ* rei sciens investituram acceperit, nisi pacto speciali sibi prospexerit, de evictione agere non poterit.

119 Tertiò debet vasallo reciproce fidelitatem (non tamen juratam) nam uti dicitur *cit. canon. de forma 18 cauf. 22. qq. 5. Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet: quod si non fecerit, meritò censebitur malefidus, sicut ille, qui eorum prævaricatione vel faciendo, vel consentiendo deprehensus fuerit perfidus, & perjurus.* Item habetur *L. 2. tit.* 6.

120 Quæritur III. An, & qualiter vasallo competat jus aut potestas feudum alienandi? Resp. I. Nullus vasallus absque domini consensu feudum aliquod alienare potest. Communis ac certa, textu claro *lib. 2. tit. 52. & 55.* ubi etiam irrita declaratur omnis alienatio feudi absque domini consensu facta, & in transgressores pœna privationis statuitur, sive dein gratuita sit sive onerosa. Hinc sine requisito domini consensu vasallus feudum nec donare *lib. 1. tit. 9.* nec hypothecare *lib. 2. tit. 55.* nec permutare *ibid.* nec in solutum dare, nec in dotem dare *tit. 9. ff. Donare*, nec testamento relinquere aut legare *lib. 1. tit. 8.* nec vendere, nec alio quocunque contractu, quo jus reale transfertur, alienare *lib. 2. tit. 52.* ibi: *Hac Edictali, Deo propitio, perpetuò valitura lege sancimus, ut nulli liceat feudum totum, vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quoquo modo distrahere, vel alienare, vel pro anima judicare sine permissione illius domini, ad quem feudum spectare dignoscitur.*

121 Limitatur Conclusio I. in Feudis hæreditariis, *lib. 2. tit. 48.* ibi: *Si quis ea lege alicui dederit Feudum, ut ipse, & sui hæredes & cui ipse dederit, habeat, respondeo, iste, qui accepit, poterit id vendere, vel donare, vel aliter, si placuerit, etiam sine voluntate domini alienare.* Vult. *lib. 1. cap. 10. n. 91.* Clarus §. *Feudum q. 31. n. 8.* Engel *h. t. n. 37.* & communis aliorum. Ratio est; quia dando hujusmodi feudum censetur dominus statim ab initio universaliter consensum alienandi præstitisse; nisi forsan in ipsa investitura expresse exciperet, & ut sine suo consensu feudum non alienetur, caveret.

122 Limitatur II. In casu, quo feudum alienatur proximiori agnato, seu illi, qui alias immediate succederet vasallo mortuo. Quæ doctrina pro indubitata traditur apud Clarum in Additionibus *quæst. 31. Additione finali*, ac sequitur Engel *h. t. numer. 37. arg. lib. 1. tit. 13. § fin.*

123 Limitatur III. Conclusio, quoad dationem dotis, quod nempe licet pater vel alius feudum in dotem filiæ dare sine consensu non possit; id tamen ipsa filia, vel alia mulier Feudum habens id facere, & feudum marito, vel potius sibi ipsi in dotem dare & assignare valeat. Pirhing *h. t.* Rosenthal, & communis aliorum, *arg. lib. 2. tit. 15.* Ratio est; quia in hoc casu feudum adhuc apud talem uxorem manet, ad eamque soluto matrimonio pleno jure revertitur, vel ipsa mortua ad maritum non transit, utpote qui ex tali dote plus non habet, quam quod illo, durante matrimonio ad se & uxorem sustentandum, uti, & frui valeat *cit. tom. 13.*

124 Resp. II. Potest vasallus etiam absque consensu domini feudum alteri in feudum dare, ac etiam ad modicum, v. g. triennium, non item ad longum tempus locare, Clarus §. *Feudum q. 32.* Pirhing *h. t. n. 18.* Gloss. *in c. Quæ in Ecclesiarum 7. V. Alienandi de Constit.* cum communi DD. Textus est *in lib. 2. tit. 9. & tit. 34.* ubi tamen statuitur, ut subinfeudandus sit ejusdem conditionis cum vasallo principali: ne fiat deterior conditio domini: textus sic habet: *Nec vasallus feudum sine voluntate domini alienabit, in feudum tamen rectè dabit, si secunda persona sit talis, quæ feudo servire potest: ut si dans miles est, & ille, qui accepit feudum inveniatur miles, ad hoc ut feudum, si contigerit, domino similiter servire ut & prior possit.* Idem habetur *tit. 26. §. 5. Beneficium.*

125 Secunda pars de Locatione ad modicum tempus patet ex *lib. 2. tit. 9.* Quod verò ad longum tempus locatio sine consensu domini fieri nequeat, ratio est; quia Locatio ad longum tempus alienationi æquivalet, prout suprà *tit. de Locato & Conducto* diximus; unde Locans feudum suum attendere debet, ne in hoc nimium faciat, vel fraudem committat, prout benè monet textus *cit. tit. 9.* ibi: *Potest locare, nisi locatio esset fraudulenta alienatio.*

126 Resp. III. Feudum novum cum consensu domini potest vasallus quocunque contractu ex supranominatis alienare. Communis ac certa textu claro, *lib. 1. tit. 13. §. fin.* ibi: *Si cum domini voluntate totum vel medium (Feudum) alienaverit, stabilis permaneat alienatio.* Dicitur notanter *Feudum novum.*

127 Nam si feudum est antiquum, vel paternum, requiritur etiam agnatorum ad hoc, ut constanter teneat talis alienatio. Enim verò si quis vasallus cum consensu domini, absque tamen consensu agnatorum feudum alienet antiquum, tenet quidem hæc alienatio, quamdiu vivit taliter alienans, eo tamen mortuo feudum ita alienatum redit iterum ad proximum agnatum sine refusione ullius pretii, nisi per annum sciens taceat, *lib. 2. tit. 26. §. Titius:* ibi. *Titius filios masculos non habens, partem suam Sejo, partem ejusdem feudi possidendi agnato suo concessit. Sempronius proximior agnatus mortuo demum Titio partem illius Feudi nullo dato pretio recipere potest &c. Quod si consensit alienationi vel per annum, ex quo scivit, tacuit, omninò removebitur.* Concordant statuta Bavariæ, *Landrecht, tit. 11. art. 3.* Ratio est; quia jus, quod agnatis ex antiqua investitura competit, alieno facto auferri non potest *arg. l. Id quod nostrum 11. ff. de Reg. J.*

Ob eandem rationem, si proximus agnatus feudum à vasallo male alienatum non revocat, possunt illud cæteri revocare agnati; quando dictus proximus agnatus moritur, non obstante, quod jam multis annis feudum per alienationem acquisitum alius possideat, cum communi aliorum docet, & benè probat Fachin *lib. 7. cap. 12.* eò quòd remotiores agnati, vivente proximiore agere non potuerint; agere autem non valenti non currit Præscriptio, *arg. l. 1. §. Ad hæc. C. de Annali Except.* 12

Porrò competit etiam agnatis jus Retractus, si feudum antiquum absque eorum consensu venditum est, ut pretio etiam vivente adhuc vasallo alienante recuperare possit feudum proximus agnatus, vel eo nolente etiam remotior, si nempe idem pretium, quod alter dedit, offerat, *arg. lib. 2. tit. 9. §. Porrò, & tit. 26. §. Titius* juncto *tit. 13. Sed etiam res*, quid autem circa Retractum observandum sit, habetur suprà *tit. 7. de Emptione & venditione §. 13.* 13

Resp. IV. Ad alienationem feudi sive antiqui, sive novi non requiritur consensus actu præsens, sed sufficit etiam subsequens, adeò ut benè, & absque pœna commissi alienare quis possit feudum ad ratificationem domini, vel sub clausula ac conditione: *Si dominus consenserit:* vulgò *auff* ratification, vel *Guetbaissung der Grundtherzschafft*. Clarus *q. 41. n. 5.* Mysinger, ac Communis aliorum. Ratio est; quia talis clausula est resolutiva alienationis, ita ut consensu domini non subsequente, alienatio non subsistat, nec vasallus Feudum alienasse dicendus, & consequenter pœna commissi puniendus sit. Rectè tamen monet Clarus *loc. cit.* ne ante consensum subsecutum traditio Feudi cum tali clausula alienati fiat, eò quòd alias actus talis protestationi videretur contrarius, qui magis attenditur quam protestatio ipsa, *arg. c. Gratum de Offic. Delegat.* Cæterum benè servire possunt alienationes feudorum cum hujusmodi clausulis factæ & tunc, quando dominus hic & nunc præsens non est, & alienare urgent rationes ac circumstantiæ, ipseque dominus vel agnati præsumuntur postea consensuri. Prout non rarò contingit, dum per testamentum, vel alia ultima voluntate disponere vult de Feudo.

Quæritur IV. Quibus de causis amittatur Feudum, vel finiatur? Resp. Feudum variis de causis amitti ac finiri, præsertim ob malam alienationem, ob non petitam investituram, ob refutatam rem, & ob commissam Feloniam. Primò itaque feudum amittit vasallus, si illud absque domini consensu alienet in casibus, in quibus consensus requiritur. Unanimis ob clara Jura *lib. 1. tit. 21. § fin. lib. 2. tit. 52. & tit. 55.* Nec refert, quod olim potuerit vasallus saltem medietatem feudi absque domini voluntate vendere, *lib. 1. tit. 13. in princip.* ibi: *Si clientulus voluerit partem suam Feudi alienare, id est, medium, sine voluntate domini poterit hoc facere, ulterius progredi non potest.* Nam contra est, quod hoc postea absolutè interdictum sit, adeò, ut *si vasallus contra constitutionem Lotharii Regis, beneficium alienaverit si totum, perdat totum; si partem, partem perdat, & ad dominum revertatur*, prout expressis verbis habetur *lib. 2. tit. 38.* 13

Verumtamen, ut quis ob alienationem incurrat pœnam amissionis, non sufficit nuda alienatio, sed requiritur etiam feudi alienati traditio. Vult. *de Feudis lib. 1. cap. 11. n. 41.* Engel *h. t. n. 34. arg. lib. 2. tit. 55.* ibi: *Qui feudum vendunt, & in alios transferunt.* Ratio est, quia alienatum propriè non dicitur, quod adhuc in dominio est venditoris, *leg. Alienatum 67. ff. de V. S. Traditionibus* & *usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur, l. Traditionibus 22. C. de Pactis.* 13

An autem vasallus Feudum actu malè alienans, & statim iterum recuperans, pœnam commissi incurrat, gravis est controversia inter Doctores. Fachin. *lib. 7. cap. 84.* cum Jasone, Baldo, Alexandro, & aliis, affirmativam tenet, *arg. lib. 2. tit. 44.* ibi: *Hodie autem si ipsum alienaverit, si quidem illicitè, licet postea recuperaverit, tamen penes eum non remanebit, utpote domino ad quem pervenerit, apertum;* ubi, uti legenti patet, sine distinctione, an statim, vel post intervallum iterum recuperetur Feudum male alienatum, domino apertum declaratur. Alii tamen, ut Afflictus, Speculator, Zasius, negativam amplectuntur plura allegantes Juris fundamenta non contemnenda, *l. fin. C. de Bonis, quæ liberis l. 3. ff. de Divor. l. In lege §. Colonus ff. Locati c. Potuit de Locato.* Quæ cuncta tamen Fachin. solvere conatur, apud quem videndum. 13

132 Adhuc gravior, eaque summè practica est controversia inter feudistas, utrum Feudum, quod ob illegitimam alienationem vasallus amittat, transeat ad dominum directum, vel ad proximos agnatos. Quæ quidem controversia non extat de feudo novo, utpote quod malè alienatum indubitate transit ad dominum, cum in eo nullum jus quæsitum habeant agnati juxta dicta suprà *n. 87.* Sed de antiquo, ad quod vigore investituræ etiam agnatis jus competit.

133 Julius Clarus §. *Feudum q. 66. n. 3.* Glossa *in c. 1. §. Hoc quoque de Successione Feudi.* Afflictus, Imola, Zasius, Socinus, & plures alii à Fachin *lib. 7. cap. 24.* citati volunt, feudum antiquum ob malam alienationem amissum devolvi ad agnatos proximos, *arg. lib. 2. tit. 9.* Rationem dant, tum quia pœnam sentire non debet, qui non deliquit; Nam *peccata suos teneant authores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum leg. Sancimus 22. Cod. de Pœnis*: tum quia Juri quæsito tertii per factum alienum præjudicari non potest, prout suprà jam diximus: tum etiam quia juxta ipsos adversarios vasallus etiam cum consensu domini malè alienans præjudicare non potest agnatis, juxta dicta suprà n. 126. ergo multò minus sine illius consensu. Accedit, quod alias vasallus pro libitu suo posset suis agnatis inferre præjudicium, malè nempè alienando feudum.

134 Fachin. econtrà *lib. 7. cap. 24.* cum aliis docet, feudum mala alienatione amissum ad dominum reverti. Probat id pluribus, iisque satis claris Juris textibus, quibus apertè ac indistinctè habetur, quod si vasallus feudum ob illicitam alienationem perdat, illud ad dominum revertatur. Ita clarè habetur *lib. 1. tit. 5. lib. 2. tit. 38. 44 & 55.* ac *tit. 24.* ubi hæc ipsa quæstio, an feudum amissum ad dominum vel agnatos revertatur, resolvitur ac statuitur, ut quotiescunque vasallus in personam domini peccat, feudum non ad agnatos, sed ad dominum revertatur: deinde subditur: *Si vassallus contra constitutionem Lotharii Imperatoris beneficium alienaverit, quia dominum contemnere videtur, ad dominum beneficium pertinet.* Qui textus reverà tam apertè sententiam Fachin. probat, ut eandem saltem ut probabiliorem, & nos amplectamur.

135 Præsertim, cum fundamenta contrariæ sententiæ facile solvantur: quia ad primas duas Juris rationes respondetur, illas procedere, nisi aliud specialiter ordinent Jura, prout contingit in materia feudi, ubi universaliter ob delictum, quod vasallus in dominum committit, etiam agnatis præjudicat, textu claro *lib. 2. tit. 24.* Unde nihil etiam contra hanc sententiam facit, quod vasallus pro libitu possit præjudicium inferre agnatis, si nempe feudum malè alienat; sicut nihil contra eandem facit, quod aliud delictum in dominum committendo possit pro libitu agnatis præjudicium facere. Multò minus quid probat, quod vasallus cum consensu domini feudum antiquum alienans non possit præjudicare agnatis; quia alia de hoc casu habetur Juris dispositio.

136 Conantur adversarii allegata *n. 135.* Juris fundamenta infirmare dicendo, ea loqui de Feudis novis, non antiquis; afferuntque alia Jura prioribus contraria *lib. 3. tit. 9. & tit. 26 § Titius.* Sed contra est: tum quia Jura indistinctè loquuntur, consequenter etiam indistinctè sunt intelligenda; nam *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, l. de Pretio ff. de Publiciana in rem act.* Tum quia Textus *l. 2. tit. 24.* expresse loquitur etiam de Feudo antiquo, hoc ipso quod ordinet quandonam feudum ob delictum amissum ad agnatos devolvatur; feudum enim novum ad eosdem nunquam devolvitur juxta dicta suprà *n. 87.* Ad textus contrarios allatos benè respondet Fachin. eos intelligendos esse de Jure antiquo feudali, vi cujus concessum erat absque consensu domini saltem medietatem alienare, vel loqui de Jure Retractus domino & agnatis competente, non item de caducitate ob malam alienationem emergente.

Menochius media via incedere volens docet, ad dominum quidem reverti feudum, quamdiu malè alienans vivit, post mortem verò illius ad agnatos redire, argumento à simili *l. Statuli 48. ff. de Jure Fisci, & l. cùm pariter §. Hæreditate ff. de Legatis 2.* ubi fideicommissum ob delictum confiscatum, post mortem delinquentis ad cæteros, quibus competit, redit: & *arg. lib. 2. tit. 78.* ubi media hæc sententia expresse videtur tradita, dum ibidem ita statuitur: Cùm *Feudum hæreditarium uni ex cohæredibus ex propria causa auferretur &c. cæteris non præjudicat.* Hoc autem intelligitur, *ut vivo eo, vel suis hæredibus feudum ad cæteros venire non intelligatur.* 138

Sed respondetur adducto argumento à simili nimium probari, videlicet, quod Feudum etiam propter alia quæcunque delicta in dominum commissa post mortem delinquentis ad agnatos devolveretur, quod ipse Menochius negat, utpote militans contrà expressum Juris textum *lib. 2. tit. 24.* Idem responderi potest ad textum ex *tit. 78.* allatum. Accedit, quod textus ille sit ex illis Titulis, qui authentici non sunt, & in casu, quo adversantur textibus authenticis, nihil probant juxta dicta suprà *nu. 42.* Unde consideratis omnibus considerandis omninò tenenda videtur sententia Fachin. quam etiam tenet communis DD. teste Claro *loc. cit.* Imò ipsemet Clarus cæteroquin contrarius in praxi hanc sententiam fundet. 139

Secundò amittitur feudum, si contingente mutatione sive ex parte domini per mortem, vel contingente mutatione quacunque tandem ex parte vasalli intra annum & diem investitura de novo non petatur. Textus est *lib. 2. tit. 24.* ibi: *Prima causa beneficii amittendi hæc fuit, & adhuc est in plerisque Curiis, quod si vasallus per annum & diem domino suo mortuo steterit, quod hæredem domini sui, investituram petendo, fidelitatem pollicendo non adierit, tanquam ingratus existens, beneficium amittit: & econverso, si domino superstite vasallus decesserit, & filius ejus per jam dictum tempus neglexerit petere investituram beneficio carebit.* 140

Ut autem ob neglectam investituræ renovationem feudum amittatur, necesse est, quod dolus vel culpa interveniat vasalli, *arg. lib. 2. tit. 53. § fin.* ibi: *Sancimus, si vasallus non dolose, per annum & diem steterit, quod à domino sui beneficii investituram non petierit, feudum non ob hoc amittat.* Dolus autem abesse videtur, si justa causa impediente steterit. Hinc si quis legitimum impedimentum, vel causam rationabilem afferre potest, à pœna privationis liber erit, v. g. si in illo loco, ubi dominus degit, pestis grassatur: si succedens in feudo ignoret, rem esse feudalem; si quis infirmatur, vel alias legitimè impeditur ad dominum venire *lib. 1. tit. 22.* item si ignoret mortuum dominum directum, tempus enim non currit vasallo, nisi à die, quo rescit, dominum esse mortuum, vel si mortuus est vasallus, à die, qua feudi possessionem est adeptus. Clarus *q. 49. n. 8.* Engel *h. t. n. 44.* 141

Ex quo benè infertur illud, de quo alii controvertunt, videlicet, vasallo post annum & diem investituram non petenti competere moram purgandi se, hoc ipso, quod pœnam caducitatis non incurrat, si causam vel legitimum impedimentum habet, de quo an habeat, utique audiri debet, ut allegare & probare valeat, prout in simili suprà *de Locato & Conduct. nu. 202. & 203* diximus, & docet Clarus §. *Feudum q. 49* contra Baldum & Schraderum. 142

Militibus ex speciali Juris privilegio etiam absque alia legitima causa conceditur annus & mensis ad petendam investituram *lib. 1. tit. 22.* Impuberes autem, id est, annum decimum quartum non habentes omninò liberi sunt à pœna privationis ob non petitam investituram incurrenda, non obstante, quod Tutores habeant, Clarus §. *Feudum quæst. 49 n. 4* Engel *h. t. n. 44* cum communi aliorum, *arg. lib. 2. tit. 26. § Si moneri.* Verum, *si quis infeudatus major quatuordecim annis sua incuria, vel negligentia per annum & diem non steterit, quod feudi investituram à proprio domino non petierit: transacto hoc spatio feudum amittat, & feudum ad dominum redeat.* statuitur *lib. 2. tit. 55.* 143

Advertit tamen Glossa *in cit. lib. 2. tit. 53. §. Præterea* mi- 144

minoris 25. annis, & sequitur Clarus *loc. cit. n. 5.* Engel, & communis, Investituram debito tempore petere negligenti minori competere beneficium restitutionis in integrum. Ratio est; quia hoc beneficium de Jure minoribus est concessum *lib. 1. suoque tit. ff. de Minoribus*, & Jure feudali non reperitur ademptum. Idem dic de aliis beneficio restitutionis in integrum gaudentibus. Nec dicas, restitutionem in integrum non procedere in delictis, quale est negligere investituram; *lib. 2. tit. 24.* ubi omissio petitionis vitium ingratitudinis dicitur, ergo. Resp. enim, antecedens esse verum de vitiis quæ dolose committendo, non verò de iis, quæ culpabiliter omittendo fiunt, prout dictum est *lib. 1. tit. 41. §. 4 n. 102.*

145 Illud etiam advertendum, quod si dominus vasallum intra annum & diem etiam absque legitima causa investituram non petentem nihilominùs ad debita servitia Feudalia admittat, hoc ipso juri suo renuntiasse, & injuriam remisisse censeatur, Clarus *quæst. 49. n. 10.* Engel *h. t. n. 44.* Præpositus, Afflictus, Socinus, & communis aliorum.

146 Porrò utrùm feudum ob non petitam Investituram amissum revertatur ad dominum, vel ad agnatos, magna iterùm controversia est inter DD. quæ tamen eodem modo, quo illa, quæ *n. 133. & seqq.* habetur, resolvitur: tum ob argumenta ibidem posita: tum ob specialia Jura *lib 2. tit. 55* ibi: *Transacto spatio ad dominum redeat*; tum etiam, quia investituram petere omittens; vitium ingratitudinis contra dominum committere dicitur, *lib. 2. tit. 24.* ibi: Tamquam ingratus existens beneficium amittit; ob vitium autem in personam commissum, si amittitur feudum, ad dominum non ad agnatos redit, *lib. 2. tit. 24. §. Denique* Fachin. *lib. 7. cap. 25.* citans plures alios, solvensque argumenta in contrarium.

147 Tertiò amittitur feudum per refutationem seu renuntiationem, sive resignationem *lib. 2. tit. 38.* Est autem feudi renuntiatio duplex, propria nempe, & impropria. Illa est, qua vasallus feudum resignat domino suo: Hæc verò, qua illud resignat agnato vel extraneo. Controvertunt Doctores, an, & qualiter possit vasallus refutare feudum; præsertim, an sine consensu domini, & cui refutare possit? Ad quod communiter cum distinctione ita respondetur, videlicet, quod feudum novum etiam absque consensu domini licitè & validè resignare vasallus possit ipsi domino, vel illi, qui aliàs post mortem vasalli resignantis succederet, *arg. lib. 2. tit. 38.* ibi: *Vasallus etiam sine domini voluntate rectè Feudum refutare potest. Post refutationem tamen ad serviendum non tenetur. sed cum quidem tunc offendere non debet.* Ratio est: quia Feudum habet rationem beneficii, & principaliter ut favor vasalli consideratur, *l. 1. tit. 23.* Favori autem suo renuntiare quivis potest; *cùm sit regula Juris antiqui omnes licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare, l. si quis 29. C. de Pactis.*

148 Notat tamen benè Mynsinger *Cent. 5. Observ. 65.* Engel *h. t. n. 45.* & communis aliorum, quod hujusmodi refutatio invito domino fieri non possit in fraudem, ut si perceptis priùs totius anni fructibus, tunc primùm resignare vellet: quando dominus iturus ad bellum opera & servitiis vasalli maximè indigeret. Hac enim ratione deterrima esset conditio domini.

149 Cæterùm, quod novum Feudum etiam absque domini consensu possit illi quoque renuntiari, qui eidem alias succederet, patet ex dictis suprà *n. 121.* Extraneo tamen Feudum nec novum nec antiquum absque consensu domini renuntiare potest: eò quòd talis refutatio vera alienatio esset, quæ absque consensu domini fieri nequit, juxta dicta *n. 121.*

150 Feudum antiquum etiam absque consensu domini resignari potest proximo agnato, *arg. lib. 1. tit. 13. §. fin.* non item extraneo sine consensu domini & agnatorum. Imò nec domino sine consensu agnatorum: quamvis enim resignatio Feudi antiqui sine consensu agnatorum domino facta, vel cum consensu domini facta extraneo teneat, quamdiu vasallus talis vivit, tamen eo mortuo redit ad proximos agnatos æquè, ac si non resignasset per Jura & rationes suprà *n. 126.* allegatas.

151 Quartò amittitur Feudum ob commissam Feloniam, circa quam notandum, *Feloniam* esse terminum Feudalem, qui delictum Vasalli Feudo privans significat, *l. 2. tit. 37* Hujusmodi delicta sunt in triplici differentia. Alia enim directè in dominum committuntur, alia indirectè eundem offendunt; & aliqua, quæ nec directè nec indirectè dominum tangunt, quia tamen multùm infamant, ita ut vasallus in curia domini cum aliis honestè stare non possit, Feudo etiam privant.

Delicta dominum directum tangentia, ob quæ amittitur Feudum, sunt, si vasallus violentas manus domino injiciat, aut contra eum gladium stringat etiam vulnere non secuto: si veneno aut alio modo insidias domino struat: si fœdus cum hostibus domini ineat, si dominum vel castrum aut alia domini bona vi aggrediatur; si dominum absque jussu Magistratus criminaliter accuset, aut famosa aliqua actione pulset, item si in simili causa testem vel advocatum contra dominum agat: si dominum ipsum, vel feudum abneget, si domini arcana dolose revelet, si debita servitia ei deneget, si eum in acie deserat, & tandem universaliter, si aliquam quamcunque tandem gravem injuriam aut læsionem in bonis corporis, famæ, vel fortunæ domino inferat &c. 152

Delicta dominum indirectè offendentia sunt, si vasallus cum uxore domini, vel cum nepte, aut nuru, vel cum sorore domini, dum ea in familia domini est, commisceatur, aut id facere attentet: idem, si aliquid scienter committit, quod in gravem aliquam injuriam personarum ad dominum specialiter spectantium redundet; jurat namque vasallus *l. 2. tit. Nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter quod pertineat ad tuum vel tuorum injuriam, vel contumeliam.* Quo etiam pertinet, si vasallus subditos nimis crudeliter tractet, aut nimium emungat vel gravet. 153

Delicta nec directè nec indirectè dominum tangentia sunt parricidium, latrocinium, crimen læsæ Majestatis, & alia quæcunque crimina gravem Juris infamiam inferentia, ita ut vasallus honestè stare in Curia non possit. Quæ triplicis generis delicta quod Feudo privent, videre est *lib 1. tit. 5 17 & 21.* item *l. 2. tit. 3. 5. 6. 7. 14. 17. § fin. tit. 26. §. si vasallus tit. 37* & DD. communiter. 154

Ad quem autem Feudum, quod vasallus ob delictum amittit, devolvatur, non modica est controversia inter DD. qui tamen in hoc conveniunt, quod Feudum novum indubitatè devolvatur ad dominum, quodcunque tandem ex recensitis delictum committat vasallus; item conveniunt, quod si delictum nec directè nec indirectè dominum tangat, Feudum antiquum non ad dominum, sed ad agnatos devolvatur *lib. 2. tit. 24 §. Denique si verò non in dominum, sed alias graviter deliquerit, vel grave quid commiserit, & Feudum amittit & non ad dominum, sed ad proximos pertinet.* Concordat textus *tit 37. lib. 7.* Excipit Fachinus filios, utpote ad quos Feudum ob delictum vasalli amissum, nunquam transire docet *l. 7. cap. 23. arg. l. 2. tit. 31.* ibi: *Vassalli Feudum delinquentis licet ad agnatos quandoque pertineat, filius tamen ad id nullatenus aspirabit.* Ratio est quia filiorum cum patre delinquente major est conjunctio, indeque magis adesse præsumitur periculum, ne cum sanguine etiam paternam malitiam participent *arg. l. Quisquis 5. §. 1. C. ad leg. Jul. Majestatis.* 155

Si verò delictum dominum tangit, volunt aliqui feudum antiquum etiam ad agnatos, & non ad dominum reverti: alii econtrà docent, illud ad dominum non quidem perpetuò, sed quamdiu vivit delinquens, redire. Probabilior tamen ac communior docet, feudum ob tale delictum ad dominum perpetuò devolvi: quæ sententia profectò claros pro se habet Textus, præsertim *lib. 2. tit. 24 §. Denique*, ubi ipsissima hæc controversia proponitur, & ita solvitur; *Si quidem vasallus ita in dominum peccaverit, ut Feudum amittere debeat, non ad proximos, sed ad dominum beneficium revertatur, ut hanc saltem habeat suæ injuriæ ultionem: si verò non in dominum, sed alias graviter deliquerit & feudum amittit, & non ad dominum, sed ad proximos pertinet.* Idem habetur *eod l. tit. 37.* ibi; *Cùm autem dominum respicit Feudum tunc domino aperitur.* 156

Limitatur nihilominùs hæc sententia in Feudis, quæ dignitati Ecclesiasticæ sunt annexa, enim verò si Prælatus eam possidens, unum ex recensitis delictis committit, amittit quidem feudum quoad fructus & redditus, quamdiu vivit, vel in dignitate est, eo verò mortuo, deposito aut resignante, feudum à domino iterùm redit ad Ecclesiam, vel successorem in Prælatura, ob specialem Juris dispositionem *l. 2. t. 40. §. Item* ibi: *Item si Clericus, veluti Episcopus,* 157

pus, Abbas beneficium habens à Rege datum non solummodò personæ, sed Ecclesiæ ipsum propter suam culpam perdat eo vivente & ecclesiasticum beneficium, vel honorem habente ad Regem pertineat. Post mortem verò ejus ad successorem revertatur. Ratio est quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare, reg 76. J. in 6.

158 Quod si verò Feudum non ad solam mensam Prælati, sed ad Prælatum, & Capitulum simul pertineret, & solus Prælatus delinqueret, non totum Feudum sed ex parte tantùm proportionaliter nempe amitteretur; nam ut dicitur *L. Sancimus 22. C. de Pœnis*: *Peccata suos teneant Authores, nec ulteriùs progrediatur metus, quam reperiatur delictum.* Ob quam rationem si solùm peccaret Capitulum, pariter non præjudicaret Prælato, sed privaretur sua parte Feudi Capitulum, quamdiu membra talia viverent, iisque mortuis rediret ad successores. Utroque autem tam Capitulo quam Prælato delinquente totum Feudum quoad fructus ad dominum, mortuis verò delinquentibus ad successores Prælati & Capituli rediret, *arg. cit. l. 2. tit. 40. & R. J 76. in 6.* docentque Pirhing *h. t. n. 14* Rosenthal *c. 10. de Feud. concl. 3.* Layman, & alii.

159 Tandem amittitur, seu potiùs finitur, & extinguitur feudum, quando mortuo vasallo nullus extat ampliùs hæres, qui in Feudo de Jure succedere possit, *l. 1. tit. 18. & lib. 2. tit. 15.* Et in hoc casu Feudum dicitur propriè domino apertum, seu fieri apertum domino: Germanicè *fallt dem Leben Her anhaimb*, e contrà si ob delictum seu Feloniam amittitur, dicitur fieri caducum, Germanicè *Vvird Vervvarth.*

160 Porrò illud universaliter notandum, quod etsi ob Feloniam commissum feudum ipso Jure quoad dominium amittatur, seu fiat caducum, nihilominùs quoad privationem possessionis requiratur sententia declaratoria Judicis Gailus *lib. 2. observ. 51. n. 1.* Mynsinger *Cent. 6. Observ. 77.* Rosenthal *de Feudis cap 10. concl. 3.* & communis aliorum, *arg. lib 1. tit. 21.* ibi: *Sancimus ut nemo miles sine cognita culpa beneficium suum amittat si ex culpis iis vel causis convictus non fuerit &c. non amittit.* Idem expressè habetur in statutis Bavariæ *tit. 12. art. 6.* ordinantibus, ut in casu sive aperturæ, sive Feloniæ & caducitatis, feudum propria authoritate non arripiat, sed exspectet sententiam declaratoriam Judicis, nisi forsan feudum omninò esset vacuum, nullusque possessor illius adesset.

161 Quæritur V Quis sit Judex oriente lite in causa feudali? Resp. Quæstioni huic esse satisfactum *l. 2. tit. 1. de Judiciis §. 5. n. 118 & seq.* ubi videndum. Cæterùm qui plura de amplissima materia feudali, de qua aliqui integros scripserunt Tomos, desiderat, reperiet apud feudistas, præsertim Julium Clarum *§. Feudum*, Rosental *de Feud.* Fachin. *l. 7.* per totum, Haunoldum *tr. 9. c. 5.* & alios.

TITULUS XX.

De Pignoribus, & aliis Cautionibus.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 Visum est hactenus de nonnullis contractibus, utpote speciebus Alienationis; sequitur nunc de iis, quæ contractibus ad majorem firmitatem, & contrahentium securitatem solent adhiberi, Pignoribus nempe & Cautionibus. De quibus sit

§. I.

De natura ac divisione Pignoris.

SUMMARIUM.

2 *Varia acceptio Pignoris.*
3 *Pignoris definitio.*
4 *Pignus & Hypotheca large conveniunt, propriè differunt.*
5 *Assignatur propria differentia inter illa.*
6 *Solvitur instantia.*
7 *Inter Pignus & Hypothecam quoad actionem inde sequentem nulla est differentia.*
8 *Pignoris & Hypothecæ varia divisio.*
9 *Pignus expressum, & conventionale quid?*
10 *Pignus Prætorium.*
11 *Et Judiciale quid?*
12 *Hypotheca Generalis quid, & quæ comprehendat?*
13 *Recensentur ea, quæ Generali hypotheca non comprehendantur. Et n. seq.*
15 *Pignus speciale quid?*
16 *Pignus tacitum, & legitimum, seu legale quid?*
17 *Uxor ratione dotis habet tacitam hypothecam in cunctis bonis mariti, cum jure prælationis.*
18 *Ac etiam ratione bonorum paraphernalium administrationi viri commissorum, sine tamen jure prælationis.*
19 *Econtrà tacitam habet hypothecam maritus in bonis uxoris pro dote nondum tradita, præstanda.*
20 *Rursus habet hypothecam tacitam Fiscus in bonis contrahentium cum eo, ac bonis Officialium.*
21 *Item minores & pupilli in bonis Curatorum, & Tutorum.*
22 *Et Ecclesiæ, loca & causæ piæ in bonis Prælati, & Administratoris.*
23 *Liberi quoque prioris matrimonii in bonis parentis ad secundas nuptias transeuntis.*
24 *Sicut & Legatarii in bonis à testatore relictis.*
25 *Ac Pupillus in re ex ipsius pecuniis empta.*
26 *Item mutuas dans pecunias pro reficiendo &c. ædificio in ipso ædificio suis pecuniis refecto.*
27 *Venditor in re vendita, donec pretium solvatur.*
28 *Locator in rebus in prædiū urbanum invectis, vel illatis.*
29 *Speciale quid in prædiis rusticis observatur.*
30 *Solvitur instantia contra prædia rustica.*
31 *Creditor acquirens res debitoris, an, & quando eas retinere valeat.*
32 *Prædia rustica & urbana quæ?*
33 *Oppignorare qui possint?*
34 *Prælati Ecclesiarum generaliter, non item specialiter hypothecare possunt res Ecclesiæ.*
25 *Solvitur instantia.*
36 *Debita propter Ecclesiæ, vel personalem necessitatem à Prælato contractam solvere tenetur Successor.*

Quæritur I. Quid sit Pignus? an & quomodo differat ab Hypotheca? Ante responsionem notandum *Pignus* subinde accipi pro re ipsa oppignorata, seu quæ in pignus datur, uti patet ex totis fermè titulis *ff. & C. de Distract. Pignor.* Subinde pro ipso jure, quod creditor in re oppignorata habet, totis Titulis *ff. & C. qui potiores in pignore.* Subinde pro ipso contractu, seu conventione, qua res alteri securitatis gratia datur, vel obligatur, *l. 1. §. fin. ff. de Pactis*, ibi: *Conventionem pleræque in aliud nomen transeunt, veluti in emptionem, locationem, Pignus &c.* Sumendo itaque Pignus in hac ultima acceptione 2

Resp. I. *Pignus* est conventio tacita vel expressa, qua res alteri iterum datur, vel obligatur in securitatem debiti; ut, si aliunde eidem non satisfieret, inde satisfactionem habere possit. Ita in re communis. Solum notandum, verba, *tacita* vel *expressa*, ideò esse addita, ut tam tacitum, quam expressum Pignus, quod juxta dicenda datur, in definitione comprehendatur. Cæterum colligitur ex data definitione finis Pignorum, videlicet major securitas creditorum, seu eorum, qui alios sibi obligatos habent; nam ut dicitur *§. Unde constat. 14. Instit. de oblig. quæ ex delict. etiamsi idoneum debitorem habeat expedit Pignori potius incumbere quam in personam agere. Et plus Cautionis in re est, quam in persona reg. 25. ff. de reg. jur.* 3

4 Resp. II. Quamvis Pignus & hypotheca tam à Doctoribus, quam à Jure persæpè confundantur, nulla nisi nominis distinctione inter utrumque admissa *l. Res 5. §. 1. ff. h. t. Inter Pignus autem, & Hypothecam, tantùm nominis sonus differt.* Nihilominùs strictè ac propriè loquendo, aliqua est differentia, quam aliqui in hoc consistere dicunt, quod Pignus sit circa res mobiles, Hypotheca verò circa immobiles, *arg. l. Plebs 238. §. Pignus 2. ff V. S.* ibi: *Pignus appellatum est à pugno: nam res, quæ pignori dantur, manu traduntur. unde etiam videre est, verum esse, quod quidam putant, Pignus propriè rei mobilis esse.* Verùm hæc differentia quam aliqui *putando* (ut loquitur textus) assignant, non usque adeò in Jure subsistit: etsi enim plerumque & ordinariè Pignus in re mobili constituatur, indeque à pugno, seu manu, qua res mobilis in Pignus datur, suam derivationem habeat *cit. l. 2. 38. ff. de V. S.* Nihilominùs hoc adeò universaliter non procedit, quin res immobilis pro Pignore propriè tali, dummodò actualiter tradatur, de Jure servire possit, *arg. l. 2. §. fin. de Religios. & sumpt. fun.* ibi: *Is, qui Pignori dedit agrum.*

5 Hinc alia, & quidem melior differentia inter Pignus & Hypothecam communiter assignatur hæc, quod quando res à debitore creditori pro securitate actualiter traditur, donec ei debitum solvatur, sit propriè pignus: Hypotheca verò, quando nuda conventione res aliqua alteri obligatur, absque hoc, quod eidem actualiter tradatur, vel possessio in eum usque ad satisfactionem transferatur. Ita clarè desumitur ex *l. Si rem 9. §. 2. ff. de Pignorit. act.* ibi: *Propriè Pignus dicimus, quod ad creditorem transit: Hypothecam, cùm non transit nec possessio ad creditorem.* Concordat *§. fin. Instit. quibus modis re contrahatur oblig. & §. Item Serviana. Instit. de act.* ibi: Inter pignus & Hypothecam differentia est: nam Pignoris appellatione eam propriè rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maximè si mobilis sit. At eam, quæ sine traditione, nuda conventione tenetur, propriè Hypothecæ appellatione contineri dicimus.

6 Neque allatæ differentiæ obstat textus *in l. 1. ff. de Pignorit. act.* ibi: *Pignus contrahitur, non solùm traditione sed etiam nuda conventione, etsi non traditum sit* Resp. enim hoc loco, Pignus largè & impropriè sumitur; unde non additur in hoc textu ly *propriè pignus*: prout fit *l Si rem 9. ff. de Pignor. act. & §. Item Serviano Instit. de action.*

7 Cæterùm quoad effectum inter Pignus, & Hypothecam nulla est distinctio, cùm ex utroque, eadem competat *actio hypothecaria*, vi cujus creditor rem oppignoratam, vel hypothecatam, ubicunque tandem existat, donec debitum solvatur, exigere, & econtrà debitor rem pignori datam soluto debito iterum repetere potest *arg. §. Item Serviana Instit. de action.* ibi: *Inter pignus & hypothecam, quantum ad actionem hypothecariam attinet; nihil interest.* Pirhing *h. t. n. 2.* Zoesius *ff. eod. n. 2.*

8 Quæritur II. Quotuplex sit pignus & Hypotheca? Resp. Pignus aliud esse expressum, aliud tacitum. *Expressum* aliud conventionale, aliud prætorium, aliud judiciale, aliud generale, aliud speciale. *Tacitum* quoque membra habet, quæ infrà enumerabimus, postquam Expressum & membra ejus declaravimus.

9 *Pignus* itaque *expressum* est, quod vel expresso Judicis præcepto expressa partium conventione fit de re oppignoranda; ut si v. g. quis alteri pro sua, vel aliena obligatione, omnia vel certa quædam sua bona in securitatem obligat; nam *dare quis hypothecam potest sive pro sua obligatione, sive pro aliena l. Res 5 §. fin. h. t.* Et hoc pignus, quod partium expressa conventione fit, ab aliis etiam *Conventionale* vocatur.

10 Pignus, quod expresso Judicis præcepto fit, aliud Prætorium, aliud Judiciale. *Prætorium* est, quod ante sententiam definitivam ex primo decreto Judicis fit per missionem in possessionem, vel quasi possessionem rerum debitoris ex causa legatorum, damni infecti, novi operis nuntiationis, vel alia causa, v g propter absentiam, contumaciam, vel frustrationem, *L. 1. & 2. C de Prætor. Pignor L. 7. §. 1. & seq. ff. Quibus ex causis in possess. eatur L 3. §. 1 ff. de Reb. cor. qui sub tutel. cap. Tuæ fraternitati. Ut lite non contestata.*

11 *Judiciale* est, quod constituitur decreto Judicis per immissionem in bona debitoris per sententiam jam condemnati, adeoque in executione sententiæ jàm latæ: Layman *l. 3. tract. 4. cap. 30. nu. 2.* cum communi aliorum.

12 *Pignus expressum Generale*, seu universale est, quando quis cuncta bona in genere & universaliter alteri in securitatem obligat: per quod pignus aut Hypothecam obligata creditori manent omnia bona tam mobilia, quam immobilia, tam præsentia quam futura, etsi in contractu pignorationis hanc expressam mentionem non faciat, sed tantum dicat, oppignoro tibi cuncta mea bona, vel simpliciter mea bona. *L. fin. C. Quæ res Pignori* ibi: Super Generali Hypotheca illud quoque ad conservandam contrahentium voluntatem sancimus, ut si res suas supponere debitor dixerit, non adjecto tam præsentes, quam futuras, justamen Generalis Hypothecæ etiam ad futuras res producatur. Imò etiam Jura & actiones in Generali Hypotheca censentur inclusæ, prout contra Jasonem communiter tenent Doctores. *Nam meorum & tuorum appellatione etiam actiones contineri dicendum est l. Si ingatus 30. §. 1. ff. ad S C. Trebell.* Concordat *l. Bonorum 49. ff. de V. S.* ibi: *Æquè bonis adnumerabitur, etiamsi quid in actionibus, petitionibus, persecutionibus: nam hæc omnia in bonis esse videntur.* Nec hoc in præjudicium debitoris est; cùm exinde, quod nomine Generalis hypothecæ tam multa comprehendantur, ipsius non crescat debitum, sed tantùm firmetur creditori securitas; uti benè advertit Molina *tract. 2. disp. 525 n. 6.*

13 Excipiuntur nihilominùs ab hypotheca Generali ea, *quæ verisimile est, quemquam specialiter obligaturum non fuisse: utputà supellex: item vestis relinquenda est debitori,* ut dicitur, *l. Obligatione 6. ff h. t.* item quæ ad usum quotidianum sunt, *L. 7. ff. eod. Et si alia sunt hujusmodi, L. 8. ff. eod. de quibus certum est, eum, si interrogatus fuisset, Pignori datarum non fuisse cit. L. 6. ff. h. t.*

14 Excipiuntur etiam bona illa, quæ creditor alienare, & in Hypothecam dare non potest: qualia sunt bona Fideicommissaria, Feudalia, Primogenituræ; hoc ipso enim quod hæc bona sine domini directi, vel aliorum consensu alienari, & in hypothecam dari non possint, in Generali quoque hypotheca inclusa non censentur, uti post Lopez cum aliis benè docet Molina *loc cit. n. 6* Idem est de bonis emphyteuticis loquendo de Jure communi juxta dicta suprà *Tit. de Locat Conduct. n. 185.* Non item de Jure Bavar *Tit. 21. art. 15.*

15 *Hypotheca & Pignus Speciale* est, quo una vel plures res mobiles, vel immobiles in specie aut individuo alteri in securitatem debiti obligantur, *l. Quamvis constet. 2. & l. Quamvis ea 17. C. h. t.* Huc etiam pertinet Pignus, vel Hypotheca, qua quis cuncta sua bona certi generis in communi oppignorat: v. gr. oppignoro tibi omnia mea bona mobilia: vel omnia mea bona immobilia; vel omnia mea animalia &c hoc ipso enim quod aliquod genus vel speciem determinet, jam hypotheca perfectè Generalis, sub qua omnia comprehenduntur, non est, *arg. L. fin. C Quæ res pignor.* & communiter DD.

16 *Pignus & Hypotheca tacita* est, quæ absque expressa hominum conventione; & absque expresso Judicis decreto à Lege introducta est, atque subsistit absque omni consensu debitoris, imò etiam eo invito. Quod Pignus proptereà etiam Legale, seu legitimum utpote à Lege constitutum, appellatur. Layman *loc. cit. nu. 3.* Pirhing *h. t. n. 3* Azorius, & alii communiter.

17 Exempla *Hypothecæ tacitæ* seu *legalis* varia reperiuntur in jure, quorum potiora adducemus. Primò itaque uxor tacitam Hypothecam habet pro securitate dotis allatæ in omnibus bonis mariti, *L. un C. de Rei uxor. act. §. fuerat 29. Instit. de actionibus, & c. Ex litteris 5. h. t.* ibi: *Bona viri mulieri sint pro dote tacitè obligata, & cum suo onere transeunt ad quemlibet possidentem* Quod verum est, etiamsi alias maritus ob delictum privari deberet bonis; quia in Jure cautum est, quod *propter mariti maleficium uxor indotata remanere non debeat, cit. cap. 5. h. t. Et ob maritorum culpam, uxores inquietari Leges vetant L. 2. C Nec uxor pro marito.*

18 Habet insuper uxor tacitam Hypothecam in bonis mariti, etiam pro securitate bonorum paraphernalium eorum, quæ vir illius administrat; non item illorum, quæ uxor penes se retinet, & viri administrationi non committit, Covarruvias *lib. 1. Var. resol cap. 7. n. 1.* Abbas *in c. 5. n 10. h. t.* Pirhing *h. t. n. 8.* Azorius *par. 3 l. 7. c. 3 in princ.* & communis aliorum *arg. l. Ubi 29 C de Jure dotium, & L. fin. C. de Pact. convent.* Differt tamen Hypotheca hæc ob bo-

bona paraphernalia ab illa, quam ratione dotis habet uxor quod in hac gaudeat privilegio prælationis, & antecedat alios creditores similiter non privilegiatos; non item in illa, *cit. §. Fuerat 29. Inst. de action.* ibi: *Præferri autem aliis creditoribus in hypothecis tunc censuimus, cum ipsa mulier de dote sua experiatur, cujus solius providentia hoc induximus.* Et ita DD. citati, qui ita intelligunt Glossam *in c. c. Ex litteris h. t. V. Obligata* dum dicit, ob bona paraphernalia non competere uxori tacitam hypothecam in bona mariti videlicet cum privilegio prælationis.

19 Secundò vice versa habet maritus tacitam hypothecam in bonis uxoris pro dote promissa sibi præstanda, Pirhing & Layman *l c.* & communis aliorum, textu claro *L. un. §. 1. C. de rei uxor. act.* ibi: *Damus ex utroque latere hypothecam sive ex parte mariti pro restitutione dotis, sive ex parte mulieris pro ipsa dote præstanda.*

20 Tertiò competit Fisco Hypotheca tacita in bonis contrahentium cum eo, vel conducentium quid ab eo, item in bonis suorum Officialium, & Administratorum, *l. 1. & 2. C. In quibus causis pignor. tacitè & l. Aufertur. 46. ff. de jure Fisci*, ibi: *Fiscus semper habet jus Pignoris & l Si cum pecunia 2. C. de privileg. Fisci.* Azorius *l. c. §. Nono* Engel *h. t. n. 3.* & communis

21 Quartò pupilli & Minores habent tacitam Hypothecam in cunctis bonis Tutorum & Curatorum, *l. pro officio 10. C. de Administ. tut. vel cur.* ibi: *Pro officio administrationis tutoris, vel curatoris bona, si debitores existant, tanquam pignoris titulo obligata, minores sibi vendicare minimè prohibentur.* Concordat *l. Si mater 6 C. In quibus casibus Pigno.* Idem est de Administratoribus Civitatis, utpote in quorum bonis Civitas tacitam hypothecam habet, *arg. l. fin. C. Quo quisque ordine conven.* Molina *disp. 536. n. 7.* ubi advertit hoc magis probari ex eo, quod Civitas gaudeat privilegio Minoris.

22 Quintò Ecclesia, Collegia, aliæque causæ piæ, quæ jure Minorum gaudent, habent tacitam hypothecam in bonis prælati, vel alterius administratoris rerum ad similes pias causas pertinentium, Glossa *in c. ex litteris V. obligata h t* Abbas *eod. n. 11.* Layman *lib. 3. tr. 4 c. 30 n. 3.* Engel *h. t n. 2* Pirhing *eod. n. 10* & communis aliorum. Quamvis enim id expresso Juris textu probari nequeat, optimè tamen ex Juris ratione deducitur; quia nempe Ecclesiæ gaudent & fruuntur jure Minoris *c. 1 & c. Auditis 3. de in integr. restitut.*

23 Sextò tacita Hypotheca gaudent liberi prioris matrimonii in bonis tam patris quam matris ad secundas nuptias transeuntis, ratione bonorum, quæ ad eos ex priori matrimonio pervenerunt, Azorius *l. c. § Septimò*, & alii. *l Hac edictali 6 §. 2. & l. Si quis prioris 8. §. 4. Cod. de secundis nuptiis*, ibi: „ Veterem sanctionem adimplentes præcipimus exemplo matris, cujus res post secundas nuptias, filiis ex priore matrimonio natis in hypothecam suppositæ sunt, ad conservanda eis lucra, quæ priori matrimonio ad eam pervenerunt: patris quoque bona, quæ habet, habiturusque est, filiis ex priori matrimonio natis, post secundas ejus nuptias ad ea conservanda, quæ ex eorum matre locatus est, supposita esse.

24 Septimò legatarii, & fideicommissarii tacitam Hypothecam habent in bonis à testatore relictis, textu claro *§. 2. Institut. de Legat. & Leg. 1. Communia de legatis* Molina *loc. cit. num. 12* Engel *h. t. num. 3.* & communis aliorum.

25 Octavò tacitam Hypothecam habet pupillus in rebus ex ipsius pecuniis emptis, Layman *loc. c. n. 3.* Azorius *loc. c. §. Quintò* cum communi; textus est *in l. Idemque 7. ff. Qui potiores pignore.*

26 Nonò, qui mutuas dat pecunias per reficiendo ædificio, tacitam Hypothecam habet ædificio suis pecuniis refecto, Azorius *loc. cit.* cum communi *L. 1. ff. In quibus causis Pignus tacit* Eandem Hypothecam habet in re ad quam emendam, vel conservandam pecunias mutuas dedit, *l. Qui navem 26. & l. Quod quis 36. ff. de Reb. auth. Jul. possess.*

27 Decimò, venditor in re vendita, usque dum pretium ei plenè sit solutum, Molina *l. c. n. 31.* cum communi, *l. Julianus 13 §. 8. ff de Actionibus empti, & l. Quod si 31. §. 8. ff. de Ædilit. edict.* ibi: *Nam venditor pignoris loco, quod vendidit, retinet, quoad emptor satisfaciat & Leg. Hæreditatis. 22. ff. de Hæreditat. vendit.*

28 Undecimò locator in omnibus, & conductore in domum, vel prædium illatis & invectis non tantum pro pensione, sed etiam pro deterioratione rei locatæ tacitam Hypothecam habet, Layman *l. c.* Engel *h. t. nu. 3.* Azorius *loc. cit. §. Idem quoque* & communis; textu expresso *Leg. 2. ff. In quibus causis pignus*, ibi: *Non solum pro pensionibus, sed & si deteriorem fecerit habitationem culpa sua inquilinus, invecta, & illata, pignori erunt obligata.* Concordat *leg. Eo jure 4. cod.* ibi: *Quæ in prædia urbana, inducta illata sunt, pignori esse creduntur,* dummodo ea mente illuc inducta sint, ut ibi maneant, *L. 7. §. 1. ff. cod.* ibi: *Videndum est ne non omnia illata & inducta, sed ea sola, quæ, ut ibi sint, illata fuerint, pignori sint? quod magis est.*

29 In rusticis prædiis contra observatur, *cit. l. 4. ff. In quibus casibus pignus.* Nam *in prædiis rusticis fructus, qui nascuntur, tacitè intelliguntur pignori esse domino fundi locati, etiamsi nominatim id non convenerit, l. In prædiis 7. ff. cod.* non item aliæ res illatæ, nisi desuper expressa conventio fiat, *l. Si non 5. C. In quibus causis Pignus, & §. 3. Inst. de interdict.*

30 Non desunt quidem DD. qui cum Glossa *in c. l. 4. ff. In quibus causis pignus*, etiam res illatas seu invectas in prædium rusticum domino prædii tacitè hypothecatas manere volunt, *arg. l. certi juris, 5. c. de Locat. cond* ibi: *Certi Juris est, ea, quæ voluntate dominorum coloni in fundum conductum induxerunt, pignoris jure a dominis prædiorum teneri.* Verum melius dicitur cum aliis, & Glossa marginali, verba de *voluntate dominorum* intelligi *de pacto & conventione*; ut sint subjecta pignori: sic enim concordantur jura, quæ alias sibi contradicerent.

31 Notat tamen Layman *l. c.* ex Gailo *lib 2. observ. 12. n 5.* res à colono in prædium rusticum illatas à domino retineri posse, donec ei debita pensio solvatur ob generalem regulam usu receptam, quod si sine vitio ad creditorem perveniat, & subsit causa retinendi, res cohærens, interim retineri possit v. g. vestis à sartore, ob non solutam mercedem, Acta à procuratore, vel Advocato, equum à fabro curatum &c.

32 Tandem notandum hic etiam cum Engel *l. c.* prædia rustica dici fundos & agros, nec non ædificia pro conservandis aut colligendis fructibus extructa. Prædia urbana verò, quæ inhabitationis causa extra Urbem extructa sunt, quibus annumera etiam domos in Urbe conductas *arg. l. 2. ff. in quibus causis.* Plura de tacitis Hypothecis vide apud Molinam *disp. 536.* Negusan *de pignor. par. 2. memb. 4.* Sylvester *V. pignor. quæst. 1.* Azorius *p. 3. l. 7. cap. 3. & 4.* peregregiè.

33 Quæritur III. Quinam aliquid in Pignus dare valeant? Resp. I. Omnes, qui rerum suarum liberam administrationem habent, Azorius *l. c. c. 5. l. 2. & 6. ff. Si res aliena pignori.* quo refertur etiam Tutor & Curator, utpote qui res Minorum, & pupillorum, præsertim mobiles pro utilitate eorundem oppignorare possunt, *l. 3. C. Si aliena res l. Tutor. 16. ff. de pignorat. action.* Item etiam Procurator, vel negotiorum gestor, si ad hoc speciale mandatum habet, *l. Solutum 11. § fin ff. eod.* ibi: *Si ei mandatum fuerit pignori dare, vel si habet mandatum generale cum libera potestate l. procurator. cui 58. ff. de procur.* Azorius *loc. cit cap. 5. quæst. 6.*

34 Resp. II. Quamvis Prælati, & Rectores Ecclesiarum absque Juris solemnitate res Ecclesiasticas alienari prohibitas, speciali Hypothecæ subjicere non possint, prout ex communi docet Azorius *l. c. q. 4.* Pirhing *h. t. n. 16.* & dictum est suprà *tit 13. de rebus Eccl non alienand. arg. c. nulli 5. de rebus Eccl. alienan.* ibi: *neque specialis hypothecæ titulo obligare:* possunt tamen eadem bona Ecclesiæ pro ejusdem, non item pro propria utilitate per hypothecam Generalem alienare, etiam absque Juris solemnitate. Ita DD. citati, & Abbas *in cit. c. Nulli 3. de rebus Eccles. alienan.* & ibi: Ioan. Andreas *nu. 1.* Covarruvias *variar. resolut. cap. 16. num. 7.* Molina *disp. 466. num. 1.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 10. num. 2.* & alii argumento à sensu contrario: hoc ipso enim, quod ibidem solummodò hypotheca specialis prohibeatur, concessa censetur Generalis, ut citati argumentantur DD. qui etiam rationem disparitatis assignant, videlicet, quia per hypothecam specialem plus juris transfertur in creditorem,

quam

quam per Generalem, cum periculo majori, ne à creditore alienetur.

35 Nec obstat, quem alii objiciunt, textus, *Extravag. ambitiosæ de rebus Eccl. alienan.* ubi habetur, quod sicut omnium *rerum & bonorum Ecclesiasticorum alienatio*, ita etiam *hypotheca* generaliter prohibetur. Nam contra est, quod licet omnium rerum, sed tamen omnis, id est, tam Generalis quam specialis hypotheca prohibetur; prout consideranti patet.

36 Quod autem non in propriam sed Ecclesiæ utilitatem possit bona Ecclesiæ oppignorare Prælatus, clarè patet ex *c. ex præsentium 3. h. t.* ubi jubetur hæres restituere rem Ecclesiasticam à Rectore Ecclesiæ pro propria necessitate (intellige) patrimoniali, non personali, uti explicat Glossa *in cit. cap. Ex præsent. V. Necessitate oppignorata*. In casu tamen quo ob aliquam supervenientem causam ad sustentationem, vel evadendam necessitatem personalem redditus, v. g. quia est infirmus, ab hostibus captus, vel quia hoc anno ob hostiles incursus redditus non percipit; & propterea vel etiam pro Ecclesiæ necessitate debita contrahit, rebus Ecclesiæ oppignoratis, debet Successor similia debita solvere, & Pignus redimere, Abbas *in cap. Ex præsentium 3. num. 6. h. t.* Pirhing *h. t. num. 17. arg. cap. 1. de Solut.* ibi: *Sicut filius debita patris solvere tenetur, ita Prælatus sui prædecessoris pro necessitate Ecclesiæ contracta.*

§. II.

De Rebus, quæ oppignorari, vel hypothecari possunt, & fructibus earum: ubi etiam de pacto Antichriseos, & Legis commissoriæ.

SUMMARIUM.

37 *Res, quæ vendi, & emi potest, etiam oppignorari potest.*
38 *Res aliena absolutè oppignorari nequit.*
39 *Benè tamen conditionatè.*
40 *Creditor Pignus habens, potest illud alteri oppignorari, & quo effectu?*
41 *Emphyteusis hypothecari potest.*
42 *Instrumenta ad agriculturam spectantia non possunt oppignorari.*
43 *Creditor invito domino non potest uti Pignore.*
44 *Benè verò cum expressa, vel prudenter præsumpta voluntate domini.*
45 *Dummodò consensus verè sit liber.*
46 *Fructus ex Pignore creditor quidem percipere, sed dein in sortem computare debet.*
47 *Fructuum nomine quid veniat.*
48 *Fructus quoque, quos percipere potuisset, & non percepit, restituere debet.*
49 *Et quidem in pignore conventionali, teneretur ex culpa levi: in prætorio autem ex sola lata.*
50 *Dominus Feudi non tenetur computare fructus perceptos à Feudo, sibi in Pignus dato.*
51 *Nec maritus possessiones pro securitate dotis promissæ, in Pignus datas,*
52 *Nec Clericus fructus Beneficii à Laico injustè possessi, in pignus sibi dati.*
53 *Antichryseos pactum quid?*
54 *Est illicitum & usurarium.*
55 *Legis commissoriæ pactum quid;*
56 *Est utroque Jure reprobatum.*
57 *Ratio hujus allegatur.*
58 *Est illicitum, etsi debitor renuntiet beneficio Juris. Favori suo renuntiare cum præjudicio boni publici, nemo potest. Ibid*
59 *Licitum est sequens pactum; si intra certum tempus non solvero, sit tibi pignus justo pretio venditum.*
60 *Vel absolutè, sit tibi venditum, absque expressa clausula, justo pretio.*
61 *Vel sit tibi, aut maneat tibi in solutum justo pretio, vel absolutè, maneat tibi in solutum.*
62 *Hoc ultimum probatur à pari.*
63 *In casu dotis promissæ volet pactum Legis commissoriæ.*
64 *Illicitum est pactum Legis commissoriæ, etsi ex intervallo primum adjiciatur.*
65 *Solvitur instantia: & probatur quod etiam respectu fidejussoris non valeat pactum Legis commissoriæ.*

Quæritur I. Quænam res pignori aut hypothecæ subjici queant? Resp. I. Omnis res, quæ emi vendique potest, etiam oppignorari vel hypothecari potest, nisi specialiter à Iure aliter disponatur. Ità clarè habetur *l. Sic & quod 9. ff. h. t.* ibi: *Quod emptionem, venditionemque recipit, etiam pignorationem recipere potest* econtrà, res quæ emi vendique nequeunt, etiam oppignorari non possunt. Nam *rem, quam quis emere non potest, quia commercium ejus non est*, jure Pignoris accipere non potest, ut D. Pius Claudio Saturnino rescripsit *l. 1. §. 2. ff. quæ res pignori*. Quænam autem res emi vendique possit, & quæ non prolixè diximus suprà *tit. 17. de emptione, & Venditione §. 2. & 3.* ubi videndum ne superflua fiat repetitio. Dixi tamen in Conclusione, *nisi aliter à Jure specialiter disponatur*, siquidem ob specialem Juris dispositionem 37

Limitatur Conclusio I. In re aliena; hæc enim quamvis possit vendi, *leg. Rem alienam 28. ff. de Emption. & Vendition.* tamen oppignorari absolutè non potest; nam ut dicitur Leg. 6. Cod. Si aliena res Pignori, *per alium, rem alienam invito domino, pignori obligari non posse, certissimum est*: si tamen dominus posteà ratum habuerit, valet pignus, & retrotrahitur ad tempus pignorationis factæ: *l. Si fundus 16. ff. h. t.* ibi „ Si „ nesciente domino res ejus hypothecæ data est, deinde „ de posteà dominus ratum habuerit, dicendum est, „ hoc ipsum, quod ratum habet, voluisse eum re- „ trò recurrere ratihabitionem ad illud tempus, quo „ convenit. Si verò ratum habere nolit, pignus ad dominum redibit, & creditori competet actio pignoratitia adversum eum debitorem, ut rem aliam æquè bonam oppignoret, *argument. citat. Leg. 6. Cod. Si aliena res.* 38

Dicitur notanter *absolutè*, quia sub conditione res aliena, ad quam quis spem habet, oppignorari benè potest; videlicet, *si acquisivero cit. Leg. 16. § 7. ff. hoc tit.* ibi: *Aliena res utiliter potest obligari sub conditione, si debitoris facta fuerit.* Imò, si quis rem alienam etiam absolutè alteri oppignoret, & postmodum ejusdem rei, ex aliqua causa fiat dominus, pignus tunc valebit, *l. Rem 41. ff. de pignorat. act.* ibi: *Rem alienam pignori dedisti, deinde dominus rei ejusdem esse cœpisti: datur utilis actio pignoratitia creditori.* 39

Pignus quoque datum creditori, potest ob easdem rationes alteri creditori iterum dari in pignus, & in securitatem debiti à se contracti, textu claro, *Leg. 1. Cod. Si pignus pignori datum*, ibi: „ Etiam id, „ quod pignori obligatum est, à creditore pignori „ obstringi posse jam dudum placuit, scilicet, ut se- „ quenti creditori utilis actio detur, tamdiuque eum „ iis, qui jus repræsentat, tueatur, quamdiu in cau- „ sa pignoris manet ejus, qui dedit. Hinc, si primus debitor debitum solvit, aut obligationi suæ satisfaciat, Pignus apud secundum creditorem expirat, primo debitori restituendum erit, *leg. Grege 13 §. 2. ff. hoc tit.* ibi: *Quod si dominus solverit pecuniam, pignus quoque perimitur*. Quo tamen casu competit secundo creditori adversum debitorem suum actio, ut vel debitum statim solvat, vel eidem aliud æque bonum subjiciat pignus, *arg. cod. l. 13. ff. h. t.* 40

Emphyteusin quoque, etsi res aliena sit, quoad dominium utile hypothecæ subjici de jure communi, non item de jure Bavarico posse, jam supra *tit. de Locat. Cod. n. 185.* dictum est, & latè probat Schmidt *tit. 21. n. 15. num. 12. &c.* Cæterum. 41

Limitatur Conclusio *num. 37.* allata, secundò in instrumentis aratoriis, & rebus ad agriculturam destinatis, *l. Executores, 7. C. Quæ res pignori*, ibi „ Executores à quocunque judice dati ad exigenda debita ea, quæ civiliter poscuntur, servos, aratores, „ aut boves aratorios, aut instrumentum aratorium pi- 42

„ gno-

„ gnoris causa de possessionibus non abstrahant. Ratio ibidem redditur, quia nempe alias tributorum illatio retardaretur. Concordat *l. pignorum 8. & Auth. Agricultores, C. eod.* Putat tamen Nenusant. consuetudinem obtinuisse, ut res aratoriæ, vel agriculturæ Pignori serviant. Quæ consuetudo an alicubi vigeat, specialiter ubique videndum.

43 Quæritur II. An creditor uti possit Pignore sibi a creditore in securitatem tradito? Resp. Inscio & invito debitore creditor non potest uti Pignore sibi dato; si utatur, furtum committit, actioneque furti conveniri potest, non quidem secundum æstimationem Pignoris, sed quantum æstimatur usus illius habitus. Molina *disput. 535.* cum communi ac certa; *l. qui iumenta, 40. l. Si pignore, 54. ff. de Furtis*, ibi: *Si pignore creditor utitur, furti tenetur*. Idem habetur *§. Furtum autem, 6. Inst. de obligat. quæ ex delict.* ibi: „ Furtum autem fit, non solum „ cum quis intercipiendi causa rem alienam amovet, „ sed generaliter, cum quis alienam rem invito domi- „ no, contrectat. Itaque si creditor pignore utatur &c. „ furtum committit.

44 Dicitur autem notanter *Inscio & invito domino*, nam si cum expressa, vel prudenter præsumpta libera voluntate domini creditor utatur Pignore tradito, v. g. libris, supellectile, annulo &c. nec furti, nec alterius delicti reus erit; ut cum Navarro *in Manual. cap. 17 num. 203.* Sylvestro *V. Pignus num. 7.* Molina *loc. cit.* Abbate, & aliis docet communis, *arg. cit. cap. Furtum Institut. de Obligat. quæ ex delict.* ibi: *Invito domino &c.* Ratio est quia *scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus*, Reg. 27. Jur. in 6.

45 Dummodò talis consensus debitori sit verè liber, & non mixtè involuntarius, eo modo, quo cum mixto involuntario quis solvit usuras, utpote alias mutuum non obtenturus; hoc enim in casu, si creditor Pignore ob mutuas sibi pecunias dato utitur, usuram committit, uti benè *n. præc.* citati Doctores, inter quos Sylvester, & Navarrus cum D. Thoma *2. 2. quæst. 78.* docent; id ordinariè in usu Pignoris fieri, nisi Pignus sit talis res, quæ inter amicos sine pretio concedi solet, ut sunt libri, supellex &c.

46 Quæritur III. Quid juris de fructibus rei oppignoratæ vel hypothecatæ? Resp. I. quamvis creditor possit ex Pignore sibi tradito fructus colligere, eosque, si servando servari non possit, etiam vendere, debet tamen posteà eos computare in sortem, ita, ut in tantum minuatur debitum, in quantum de fructibus ex Pignore percipit: imo totum extinguatur, Pignusque restitui debeat, quamprimum fructus percepti totum debitum exæquant, quod si superant, una cum Pignore restitutio superflui quoque fieri debet. Ita communis & certa, claris Iuribus. *Leg. 1. Cod. de Pignorit. act.* ibi: „ Ex pignore percepti fructus impu- „ tantur in debitum: qui si sufficiant ad totum de- „ bitum, solvitur actio, & redditur pignus: si debi- „ tum excedunt, qui supererunt, redduntur: Concordat *l. 2. & ult. C. eod. & cap. Cum contra 6. h. t.* ibi: „ Cum secundum Canonicas Sanctiones fructus restitui, & in sortem debent computari.

47 Ratio est: quia quævis res domino suo fructificat. Dominus autem Pignoris est debitor non creditor, *l. Pignus, cap. de pignor. act.* Hinc *cap. 1. & 2. de Usuris* censetur usurarium, ex Pignore lucri facere fructus rei oppignoratæ. Veniunt autem fructuum nomine illi soli, qui supersunt deductis expensis, *l. Fructus, 7. prin. ff.* ibi: *Fructus eos esse constat, qui deducta impensa supererunt*. Concordat *l. Dispositio, §. fin. eod. & c. 1. de Usuris*, ibi: *Deductis expensis*, ac etiam lucro cessante, & damno alio emergente, Engel *h. t. n. 10. arg. can. precariæ, 4. §. 3. cau. 10. q. 2.*

48 Resp. II. Debet creditor modo præfato, in sortem computare fructus non tantum perceptos, sed etiam illos, quos percipere potuisset ex tradita sibi re oppignorata, & culpa sua non percepit, Molina *disp. 535.* Azorius *part. 3. lib. 7. c. 8. q. 2.* Pirhing *h. t. num. 19.* Joan. Andreas, Abbas, & communis aliorum contra Hostiensem. Textus est *L. 2. C. de pignor. act.* ibi „ Creditor, qui prædium pignori nexum detinuit, fructus „ quos percipit, vel percipere debuit, in rationem exo- „ nerandi debiti computare necesse habet. Ratio est; quia fructus rei fructiferæ æquè ac ipsa res censentur oppignorati, & constituunt cum re unum Pignus, *l. quamvis 3. C. In quibus causis Pignus*, Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 30. num. 8.* Molina *l. c. n. 3.* & alii consequenter tenetur de iis ex eadem causa, ex qua de ipso corpore tenetur, lata nempe & levi non item levissima, eo quod contractus Pignoris celebretur in gratiam utriusque, in hujusmodi autem contractu sola culpa lata & levis, non item levissima obligat, prout pro regula suprà *tit. 15. §. 2. n. 28. de Deposito*, diximus.

Notanda est tamen hic aliqua differentia inter Pignus prætorium & conventionale, quod nempe in illo ex culpa lata & levi; in prætorio autem solummodo ex dolo vel culpa lata, teneatur, Molina *l. c. n. 3. l. præter, § est præterea, 3. ff. de bonis auth. Jud. poss.* juncta Glos. *ib.* Hinc si quis ex culpa levi fructus rei conventione oppignorata non faceret; teneretur ad restitutionem, non item, si id contingeret in Pignore prætorio. Porrò quid sit Pignus Prætorium vide suprà n. 10. 49

Resp. III. Dantur tres casus; in quibus creditor non tenetur fructus perceptos, vel culpa neglectos computare in sortem. Probatur inductione. Nam non tenetur dominus Feudi, fructus computare in sortem, casu quo eidem vasallus Feudum sibi concessum, in Pignus dat, dummodò dominus intereà non exigat à vasallo servitia alias debita, textu claro *n. 1 de Feudis, & c. Conquestus, 8. de Usuris*. Ratio est; quia, cum vasallus interim præstet servitia (ut supponitur) sed remaneat liber ab ipsis, suspenditur obligatio inter dominum & vasallum contracta, & coalescente dominio directo, ac utili res feudalis redit ad primam naturam; sicque dominus utitur fructibus ejus, ac si feudalis non esset, atque ita excusatur ab usuraria pravitate, prout notat Fagnanus *in c. 1. n. 3. de Feud.* 50

Secundo non tenetur maritus computare in sortem fructus perceptos ex Pignore eidem dato, pro dote promissa à Socero, *cap. Salubriter 16. de Usuris*, ibi: „ Sa- „ nè generum ad fructus possessionem, qui sibi à Soce- „ ro sunt pro numerata dote Pignori obligati computan- „ dos in sortem non credimus compellendum. Ratio „ ibidem additur: cum frequenter dotis fructus non suf- „ ficiant ad onera matrimonii supportanda: quasi diceret, cum fructus dotis alioquin cedant marito ad onera matrimonii sublevanda; imo sæpè non sufficiant, meritò loco fructuum dotis nondum solutæ poterit maritus interim percipere fructus ex Pignore, idque ratione lucri cessantis ob dotem nondum solutam. 51

Tertiò non tenetur Clericus computare in sortem fructus, quos percipit à Beneficio, quod Laicus injustè possidens idem in Pignus tribuit; textu claro *c. 1. de usuris*. Ratio manifesta est; quia cum cæteroquin Beneficium illud à Laico injustè possessum ad se legitimè spectet, iam hoc ipso potest uti occulta compensatione, sic enim redimit id, quod ad se legitimè pertinet. Et ob hanc rationem Glossa ibidem *V. Beneficium*, extendit hanc decisionem etiam ad Laicum, cujus possessio ab alio injustè detinetur. 52

Quæritur IV. Quid sit, & an validum, licitumque sit pactum Antichryseos Pignori adjectum? Resp. I. *Antichryseos* esse pactum contractui Pignoris adjectum, quo inter creditorem & debitorem convenitur, ut, donec debitum solvatur, creditor pignore uti, & fructus ex ea percipere valet. Ita Doctores communiter describunt; prout etiam in Theologia Morali *Trat. 8. disp. 4. num. 50.* descripsimus. 53

Resp. II. Pactum Antichryseos regulariter loquendo, illicitum, atque usurarium esse. Ita communis Doctorum prout *loc. cit. num. 51.* in Theologia nostra Morali habes. Ratio est, quia quandocunque ultra sortem aliquid ratione mutui, vel debiti accipitur, illicitum & usurarium est; uti magis dicetur infra *Tit. de usuris*, ergo etiam si fructus ex Pignore accipiuntur; quia reverà etiam ultra sortem sunt. Hinc uti *num. 45. & 47.* jam dictum est ex *cap. 1. & 2. de usuris*, satis clarè deciditur quod sit usura, lucrifacere fructus rei oppignoratæ, ubi insuper præcipitur, *fructus restituat & in sortem computari*. 54

Dicitur notanter *regulariter loquendo*: quia fallit Conclusio

Conclusio

clusio in casu, quo adest lucrum cessans, vel damnum emergens, vel alius justus titulus, prout notat communis.

55 Quæritur V. Quid sit, & an liceat pactum Legis commissoriæ in contractu Pignoris? Resp. I. *Pactum Legis commissoriæ* ad propositum est illud, quo debitor cum creditore convenit, ut, si intra certum tempus, debitum non fuerit solutum, Pignus dein ad creditorem pertineat, sitque eidem venditum, vel in solutum, vel etiam in Feudum datum, prout cum communi describit Layman *lib. 3. tract. 4. c. 10. num. 6 arg. tot. Tit. C. de pact. pignor. & lege Commiss.* ac *cap. Significante 7. h. t.*

56 Resp. II. Pactum Legis commissoriæ in Pignoribus utroque Jure, tam Civili nempe, quam Canonico tanquam invalidum & illicitum est reprobatum. Unanimis. Dicitur autem notanter *in pignoribus*, quia pactum Legis commissoriæ in contractu emptionis, venditionis omnino licitum esse atque validum patet ex dictis suprà *Tit. 17. de emption. & Vendit. §. 9. numer.* 243. Probatur itaque, quod in pignoribus sit reprobatum, & quidem à Jure Canonico *cap. Significante 7 h. tit.* ibi: *Cum igitur pactum Legis commissoriæ sit in pignoribus improbatum &c.* Probatur etiam ex iure civili ex *tot. Tit. præsertim l. fin. Cod. de pactis pignorum & Lege commiss.* ibi: *Quoniam inter alias captiones præcipuè Commissoriæ* (pignorum) *legis crescit asperitas, placet infirmari eam, & in posterum omnem ejus memoriam aboleri &c.*

57 Ratio est; quia pignus ordinariè plus valet, quam sit debitum: plerumque enim, uti experientia constat, indigentes pecunia mutua, liberaliter offerunt pignora in pretio quantitatem debiti longè excedentia, v. g. pro 100. florenis, pignus constans ducentis vel trecentis florenis, tantum ut sic facilius ac citius impetrent pecunias, quibus indigent. Hinc si pactum Legis commissoriæ additur, videlicet, ut, si intra certum tempus, debitum non fuerit solutum; pignus cedat creditori: jam hoc ipso debitum plus solvere cogeretur, quam deberet, ipseque creditor vi mutui, vel alterius obligationis ultra sortem ei debitam, aliquid & quidem absque justo titulo acciperet, sicque usuram committeret; prout Azorius *loc. cit. c. 9* Abbas *in cap. Significante 7. h. t. num. 7.* & alii Doctores communiter argumentantur.

58 Extenditur Conclusio ad casum, quo debitor renuntiat beneficio Juris, quo tale pactum est improbatum, Joan. Andreas *in c. Significante 7. num. 8. h. t.* Azorius *loc. cit. §. Quæres, an valeat.* Pirhing. *h. t. n. 30.* & alii *arg. c. Si diligenti 12. de Foro comp.* Ratio est; quia, quamvis possit quilibet renuntiare juri principaliter in favorem suum, & privatorum constituto, nequit tamen renuntiare juri sub favorabili ob bonum, & utilitatem publicam, v. g. ut occasio fraudibus usuræ, vel injustitiæ publicæ tolleretur, principaliter constituto, *arg. l. Tamen 11. ff. ad S. C. Maced.* & ibi Glossa, nam ut dicitur *c. c. Diligenti, de Foro comp. pacto privatorum juri publico minimè potest derogari*, & *l. Jus publicum 38. ff. de pactis, Jus publicum pactis privatorum mutari non potest.* Talis autem constitutio & jus est, quo prohibetur pactum Legis commissoriæ, utpote occasione cujus innumeræ usuræ & fraudes cum gravi detrimento boni publici fierent, indigentibus cum simili pacto abundanter offerre passim paratis, tantum ut necessarias acquirerent pecunias.

59 Licitum tamen, validumque est pactum, quo debitor cum creditore ita paciscitur, ut, si intra præfixum tempus non solverit, Pignus eidem justo pretio (quanti nempe arbitrio prudentis viri æstimabitur) sit venditum. Joan. Andreas *loc. c.* Abbas *in cap. Significante 7. hoc t. t. num. 6.* Azorius *loc. cit. §. Ad verò licitum.* Pirhing. *hoc tit. num. 32.* & communis aliorum textu claro, *l. Si fundus 16 ff. de pignor.* ibi: *Potest ita fieri pignoris datio, Hypothecæve ut, si intra certum tempus non sit soluta pecunia jure emptoris possideat rem justo pretio tunc æstimandam.* Ratio ibidem additur: *Hoc enim casu videtur quodammodo conditionalis esse venditio.* Quapropter in simili casu pignus æstimari; & illud, quo pretium justum quantitatem debiti excedit, debitori restitui debet.

60 Extenditur præfata doctrina ad casum, quo sine addita clausula, *justo pretio*, pactum absolutè ita fit, *si intra hoc tempus non solvero, sit tibi pignus modò datum, venditum*, quia benigna interpretatione subintelligitur *justo pretio*, arbitrio boni viri taxando. Abbas *l. c.* Pirh. *l. c.* Covarruvias, & communis aliorum, *arg. l. fin. princ. ff. de Contr. empt.* ubi simile pactum Legis commissoriæ in pignore, etiam non adjecta clausula *justo pretio* expressè approbatur:

61 Item, quod de pacto cum clausula, quod debito intra tempus certum non soluto, *sit pignus venditum creditori*, diximus; etiam intelligi potest ac debet, si fiat cum clausula, sit tibi datum in solutum *justo pretio*, vel absolute, sit *datum in solutum*, intelligi enim etiam debet *justo pretio*; ita videlicet, ut creditor possit quidem solutionis loco retinere pignus, debeat tamen excessum, quo pretium pignoris, arbitrio boni viri, vel Judicis taxatum, excedit quantitatem debiti, debitori restituere, Abbas *l. c. num. 6.* Azorius *l. c. §. Sed quid si debitor.* Pirbing *hoc tit. num. 31.* Covarruvias *lib. 2. var. resol. cap. 2. num. 8.* & alii contra Joan. Andream *l. c. n. 8.* Bartolum, & alios, putantes pactum cum clausula, *sit datum*, seu *maneat in solutum*, esse licitum. Ratio nostræ doctrinæ est; quia quamvis improbum sit pactum, vi cujus excessivum pignus totum promittitur in solutum pro minori quantitate debita per dicta superius *n. 57* tamen iniquum non est pactum, quo promittitur pignus in solutum proportionaliter pro quantitate debiti, ita nempe ut retento pignore restituat creditor debitori quantum justè æstimato pignore, pretium hujus excedit debitum. Hujusmodi enim datio, aut promissio in solutum licitè fieri potest, *arg. l. eleganter 2 in princ. & fin. ff. de pignor.*

62 Accedit, quod non videatur esse major ratio, cur valeat pactum, quo dicitur, *nisi hoc tempore solvero, sit tibi pignus venditum*; & non valeat, *sit tibi*, seu *maneat tibi in solutum*; cum utrobique benigna interpretatione subintelligi possit *justo pretio*. Secus foret, si ad instantiam creditoris, vel etiam libere, & expressè diceret debitor, *nisi hoc tempore solvero, maneat tibi totum pignus loco debiti*; vel *retine totum pro debito &c.* sic enim jam plus debito promitteretur, & posteà acciperetur, id, quod solum Leges prohibentes pactum Legis commissoriæ, avertere intendunt, prout *l. c.* benè demonstrat Covarruvias.

63 Porro in causa dotis quoque licitum atque validum est pactum Legis commissoriæ, vi cujus socer, vel uxor genero pro dote promittit certam quantitatem pecuniæ, & interim in pignus fundum v. g. tribuit, hoc pacto, ut si intra certum tempus promissam dotem non solverit, fundus totus eidem remaneat loco dotis; Azorius *l. c. §. Quæro postremo* Pirhing. *h. t. n. 32.* Baldus, Angelus. & alii. contra Alexandrum *conf. 178.* Ratio est; quia socer sicut & uxor potest pro libitu in dotem promittere, ac insuper posteà plus dare, ac prius promiserat: unde hac ratione nulli fit injuria, dummodo socer vel uxor id scienter, ac liberè, nulla fraude, ignorantia vel dolo decepti faciant.

64 Nonnulli, ut Abbas *l. c.* Bartolus, & alii distinguendo volunt, Pactum Legis commissoriæ valere, si non statim incontinenti, tempore contractus pignoratitii, sed primum posteà, seu ex intervallo adjiciatur, eo quod tunc videatur abesse omnis fraus & dolus, nec ullatenus cogatur is, qui pignus tribuit. Verum contraria opinio merito verior ac probabilior judicatur à Covarruvia *var. resol. lib. 3. c. 2. n. 8. § Tertiò* Pirhing *h. t. nu. 33.* Azorio *l. c. § Præterea.* Ratio est; tum quia *l. 3 C. de pacto pign.* universaliter ac sine distinctione prohibetur Pactum Legis commissoriæ tum quia quæ iniquitas usuraria committitur, sive ante, sive post contractum absque alio justo titulo accipitur aliquid ultra sortem debitam, sola causa mutui, vel dilatæ solutionis.

65 Nec obstat, si quam Adversarii objiciunt, *l. Titius 34. de pignor. act.* quia, ut legenti patet, Lex illa loquitur de casu, quo pignus justo pretio remanet creditori in solutum, vel justo pretio emptum: quod valere, nos ipsi fatemur iuxta dicta *n. 59.* Pariter responderi potest, ac debet; ad illam distinctionem, quam aliqui dicunt, quod quamvis non teneat pactum Legis commissoriæ cum ipso creditore, valeat tamen cum fidejussore: v. g. Si Titius

mutuas accipiens pecunias creditori offerat fidejussorem, huicque dicat, si tu fidejussor debitum certo tempore solvendum, pro me solvere debebis, remaneat tibi totus fundus meus, quem tibi pro pignore constituo: eo quod *l. fin. ff. de contrah. emp.* quam pro se allegant Adversarii, expressè dicat de casu, quo vi pacti hujusmodi, talis fundus fidejussori remanet emptus, justo videlicet pretio; & certè nulla ratio assignari potest, vel lex, ob quam fidejussor absque alio justo titulo sola culpa fidejussionis, mutui, vel dilatæ solutionis aliquid ultra sortem possit accipere, & non principalis creditor: hinc, ut benè advertit Covarruvias *l. c.* nulla facienda est distinctio in pacto legis commissoriæ, sive fiat in continenti sive post intervallum; sive creditori principali, sive fidejussori.

§. III.

De Juribus, Obligationibus, & Actionibus, quæ ratione Pignoris, aut Hypothecæ tam ex parte creditoris, quam debitoris oriuntur.

SUMMARIUM.

66 Creditor habet jus reale in Pignore, potestque illud actionem Hypothecaria prosequi, ubicumque existat.
Actionis Hypothecariæ varia nomina. Ib.
67 Si pignus apud tertium existat, non potest contra illum agere creditor, nisi prius debitorem principalem excusserit: imo nullatenus potest, si in alienationem consensit.
68 Actio Pignoratitia quoque traditori contra debitorem competit: & in quibus casibus?
69 Creditor retinere potest pignus, donec totum debitum etiam cum expensis solvatur.
70 Si debitor est in mora solvendi, potest creditor pignus justo pretio vendere.
71 Si cum pacto datum est pignus, ut intra certum tempus debito non soluto, venditio fieri potest.
72 In quo casu non est opus; ut debitorem de solutione prius moneat.
73 Si oppignoratio facta est sine pacto de vendendo, vendi quidem pignus potest, sed non nisi postquam, ut solverit, monuerit creditor, ac post monitionem per biennium exspectaverit.
74 Si oppignoratio fit cum pacto, ne vendatur: vendi nihilominus potest post biennium, præmissa prius trina monitione de solvendo.
75 Pignora vendens debet prius specialiter oppignorata, & illis non sufficientibus, generaliter hypothecata vendere.
76 Creditor pignus vendens, pro se illud emere nec per se nec per interpositum potest, nisi ex speciali pacto id ei competat.
77 Juri conformiter vendens pignora non tenetur de evictione: illegitime vendens, nulliter vendit.
78 Creditori hypothecario competit jus prælationis præ creditoribus.
Si pluribus eadem res fuit oppignorata, potior est jure qui prior est tempore. Ib.
79 Nec refert an Hypotheca sit specialis, an generalis: tacita, vel expressa &c.
80 Priori tamen præfertur posterior, qui mutuum dat ad conservandam vel reficiendam rem oppignoratam.
81 Vel ad emendam cum conditione, ut ei maneat oppignorata.
82 Item creditor, qui pignus per instrumentum publicè erectum probare potest, præcedit habentem instrumentum privatum; nisi hoc tribus testibus sit subscriptum.
83 De Jure Prælationis creditorum, Remissivè.
In Pignore, eodem tempore, pluribus constituto, præcedit ille, qui pignus simul possidet. Ib.
84 Prioritas temporis circa constitutionem pignoris attenditur etiam hora, & momentum.
85 Creditor tenetur pignus sibi traditum exacta diligentia tueri, & conservare, inde resarcire damna, ejus culpa lata vel levi, pignori illata.
86 Debito sibi soluto, tenetur pignus restituere cum fructibus deductis prius necessariis expensis.
87 Alias contra eum debitor habet actionem pignoratitiam,
88 Quæ eidem competit etiam in casu, quo alius pro illo solvit, vel si creditor pignus non acceptat.
89 Item, si debitum compensatione deletur, vel creditori creditoris solvatur, aut administratori creditoris.
90 Item, si creditor debitum tacitè vel expressè remittit.
91 Debitor minus idoneum pignus constituens tenetur idoneum substituere: ac etiam impensas, & damna ratione pignoris illata resarcire.
92 Cautio quid, & quotuplex? alia simplex & quæ?
93 Alia idonea, seu sufficiens: quæ dividitur in satisdatoriam, & pignoratitiam.
94 Quando in Jure satisdatio expressè requiritur, non sufficit Cautio pignoratitia.
95 Cautio juratoria quid, & quando fiat.

Quæritur I. Quid juris creditori competat ratione Pignoris aut Hypothecæ, eidem pro securitate debiti constitutæ? Resp. Plura sunt jura, quæ creditori ratione pignoris aut Hypothecæ competunt. Communis & certa, patetque inductione. Nam primo habet creditor jus in re, vi cujus actione Hypothecaria prosequi potest pignus, aut Hypothecam, ubicunque tandem etiam apud tertium existat *§ 7. Inst. de act.* ubi etiam habetur, quod actio Hypothecaria, qua locator prosequitur res sibi à colono in pignus pro securitate mercedis datas, vocetur *Serviana*, ab authore Servio prætore; Actio verò, qua alii creditores res quascunque sibi oppignoratas prosequuntur, *quasi Serviana* dicatur: Actio autem, qua quis pignus prætorium prosequitur, actio *Hypothecaria prætoria* intituletur *§. 6. Inst. eod.* quod pro notitia ponere, simul tamen notare placuit, quod in terminis harum actionum nullum habendum est scrupulum, quia subinde promiscuè etiam in Jure sumuntur: dum *quasi Serviana*, subinde etiam simpliciter *Serviana*; absque addito *quasi* vocetur, *l. 3 ff. de pignor. l. 7 & 10. ff. eod.* Subinde vocatur *utilis Serviana l. 4 C. de precario* Pariter *inter pignus & Hypothecam* (quantum ad actionem hypothecariam attinet) *nihil interest*, uti expressè dicitur *cit. §. 7. Inst. de action.* 66

Illud tamen hic advertendum, quod si pignus apud tertium jam existat, contra hunc Actione hypothecaria agere nequeat creditor, nisi prius excusserit debitorem, ejusque hæredes vel etiam fidejussores (si quos constituit) iique solvendo non amplius extiterint, textu claro *l. 24. cum auth. seqq. C. de pig.* juncta *novell. 4 c. 4.* Imò si debitor Pignus sciente & consentiente creditore alienavit, non potest creditor contra emptorem, vel alio alienationis contractu sibi comparantem Pignus, amplius agere, *l. 2. C. de remiss. pign.* ubi etiam ratio redditur illis verbis: *Nam obligatio pignoris consensu & contrahitur, & dissolvitur.* Quapropter cautos oportet esse creditores, ne in alienationem Pignorum improvidè consentiant. 67

Præter Actionem hypothecariam (quæ est realis) competit eidem creditori, & hæredibus ejus etiam Actio pignoratitia personalis, qua agere possunt contra debitorem, & hæredes ejus pro recuperandis impensis, quas creditor fecit in conservando, tuendo & retinendo Pignore *L. 8 ff. de pign. action.* ibi: *Si necessarias impensas fecerim in servum, aut fundum, quem pignoris causa acceperim, non tantum retentionem, sed etiam pignoratitiam actionem habebo.* Azorius *p. 3 lib. 7 c. 15* Eadem actio personalis contra debitorem competit creditori, si eidem rem alienam invito domino oppignoraverit, vel propriam quidem, alteri tamen jam prius ita obligatam, ut utriusque obligationi satisfaciendæ non sufficiat, *l. Si rem alienam ff. de pign. act.* vel si æs pro auro in Pignus tribuit, *l. Si quis in Pign. 36. ff. eod.* 68

Secundò competit creditori jus retinendi Pignus (si habet) donec solvatur non tantum illud debitum, pro cujus securitate Pignus datum est, sed etiam aliud, quod sine dato Pignore forsan debetur, *l. un. C. etiam ob Chirographariam*, ibi: *Si in possessione fueris constitutus, nisi ea quoque pecunia tibi à debitore reddatur, vel offeratur quæ sine pignore debet, eam restituere non cogeris &c.* Pariter retinere potest Pignus, si debitum quidem, sed expensæ in conservando, vel tuendo Pignore factæ non sint solutæ, *l. 8. ff. de pign. act.* Item si pars debiti, & non fuerit solutum 69

reti-

retineri adhuc potest totum Pignus, quia *omnis pecunia*, inquit Ulpianus *l. Si rem alienam 9. §. 3. ff. de pignor. act. exsoluta esse debet aut eo nomine satisfactum ut nascatur pignoratitia actio* debitori adversus creditorem.

70 Tertio competit eidem creditori ius vendendi, seu distrahendi Pignus, postquam debitor constitutus est in mora solvendi. Circa quod jus notandum; triplici modo ad propositum res aliquas oppignorari, seu hypothecari posse, videlicet I. Cum adjecto speciali pacto, quod debito ad certum tempus non soluto liceat creditori distrahere Pignus. II. Sine ullo pacto de distrahendo Pignore. III. Cum pacto eam non distrahendi, uti apertè constat ex *l. Si convenit 4. ff. de pignor. act.*

71 Si primo modo res aliqua oppignoratur vel hypothecatur, pactum utpote validum & licitum servandum erit tam circa modum, quam tempus distrahendi *l. Si convenit 4. ff. de pignor.* ibi „Si convenit de distrahendo pignore „sive ab initio, sive posteà non tantum venditio valet, verum incipit emptor dominium rei habere & *l. fin. §. 1 C. de Jure dominii imp.* ibi: Sancimus itaque, si quis rem „creditori suo oppignoraverit, si quidem in pactione cau„tum est, quemadmodum debet Pignus distrahi, sive in „tempore, sive in aliis cautionibus, ea observari, de „quibus inter creditorem & debitorem conventum est.

72 Et quidem, si tempus certum determinatum est, eo elapso potest creditor distrahere Pignus absque ulla monitione de solvendo præmissa; eo quod dies interpellet pro homine per regulam generalem *l. Magnam 12. de contrah. & commit. stip.* debet autem creditor exspectare lapsum totius diei constituti, *l. 4 ff. de distract. pign.* Si verò per pactum vendendi speciale tempus pro solvendo determinatum non sit, vendere creditor Pignus non potest, nisi postquam debitor fuerit in mora solvendi, in qua esse censetur, tempore, quo ratio & circumstantiæ exigunt, ut solvat, simulque creditor debitorem, ut solvat, debitè admoneat, Molina *disp. 538. n. 2* citans. Neguf. *de pignor p. 6. memb. 1. nu. 1.* & communem aliorum, *arg l. Si ex legat. caus. ff. de V. O.*

73 Si secundo modo fit oppignoratio, nullo videlicet pacto de vendendo Pignore interveniente, debet creditor; si Pignus, uti potest, *l. 4. ff. de pignor. act.* vendere vult, unam saltem denunciationem, seu monitionem, ut debitor solvat, præmittere, & post hanc per biennium expectare, quo elapso, si debitor non solverit, Pignoris venditio legitimè procedit, Molina *l. c. n. 4.* cum communi, *c. l. fin. §. 1. C. de Jure dominii imp.* ibi „Sin autem nulla „pactio intercesserit, licentia dabitur fœneratori denun„tiatione, vel ex sententia judiciali post biennium, ex „quo attestato missa, vel sententia prolata est, nume„randum, eam vendere. Ex quibus verbis etiam patet, quod tempus biennii sit computandum à die factæ denuntiationis, si debitum est liquidum ac certum: si verò litigiosum à die latæ sententiæ quod aliquis reverà debeat, prout Molina *l. c. n. 4.* & communis aliorum hic benè advertit.

74 Si tertio contingit oppignoratio, adjecto nempe pacto quod creditor Pignus vendere non queat, licitum quidem nihilominus erit creditori vendere Pignus, sed non nisi trina denuntiatione de solvendo prius præmissa, *c. l. Si convenit 4 ff. de pignor. act.* ibi: *Ubi verò convenit, ne distraheretur, creditor, si distraxerit, furti obligabitur nisi ei ter fuerit denuntiatum, ut solvat, & cessaverit.* Quæ trinæ denuntiationes non debent fieri in uno contextu, sed cum aliquo intervallo trium v. g. dierum aut judicis arbitrio. Quibus denuntiationibus factis reditur ad Jus commune, vi cujus per biennium exspectare debet, antequam vendat, *l. fin. §. 1. C. de Jure dominii impet.* & ibi Glossa *fin.* Molina *l. c. n. 5.* Bart. & communis aliorum. Cur autem non obstante pacto de non vendendo pignore, pignus vendi queat, ratio est; quia exigente bono communi pactum illud tacitam secus habet conditionem; nisi trina denuntiatio facta fuerit, *arg. c. l. 4. de pign. act.* & notant DD: communiter.

75 Est insuper circa distractionem pignorum notandum quod si creditori aliqua specialiter, & alia generaliter sint oppignorata, creditor prius specialiter obligata vendere debeat (si vendere pignora vult) & illis non sufficientibus, generaliter obligata demum vendere possit, *l. Quæ specialiter 9. C. de distr. pign.* ibi: *Quæ specialiter vobis obligata sunt, debitoribus detrectantibus solutionem, bona fide debetis & solemniter vendere &c. Quod si quid deerit, non prohibemini cætera etiam bona jure conventionis consequi.*

76 Tandem etiam observandum, quod dum creditor pignus juxta hactenus dicta distrahere vult alii distrahere debeat, eò quod ipse nec per se, nec per interpositam personam pro se pignus emere valeat, *l. & qui 10. C. de distr. pign.* Layman *lib. 3. tr. 4. c. 30. n. 6.* nisi ex pacto speciali id ei competeret, juxta dicta *n. 59.*

77 Et hæc jura de distractione pignorum hucusque allegata bene sunt notanda; quia distractio pignorum contra jura facta, nulla & irrita est, *l. 4 C. Si venditio pign. agatur.* Si verò legitimè, & Juri conformiter fiat venditio, adeò firma est, ut creditor vendens nec de evictione teneatur, quamvis obligetur evincenti cedere actionem, quam adversùs debitorem aliàs habuisset *l. in creditore 38. ff. de evi.*

78 Quartò competit creditori jus prælationis, casu quo debitor ære alieno nimium gravatus cedat, vel ultra vires obæratus moriatur; hoc enim in casu creditores habentes pignus aut Hypothecam præferuntur aliis creditoribus Pignus non habentibus, nisi specialiter sint privilegiati, *l. Si debitor 10 ff. de pign.* Inter ipsos autem creditores hypothecarios servatur trita Regula 54. Jur. in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure:* etiamsi secundo creditori res non tantum obligata, sed etiam in pignus actualiter tradita sit *l. qui generaliter 2. ff. qui potiores pignore*, ibi: *Qui generaliter bona debitoris pignori accepit, eo potior est, cui posteà prædium ex his bonis datur.* Concordat *l. 11 ff. cod. l. Licet. 7 C. cod.* ibi: *Iisdem pignoribus, diversis temporibus, multis creditoribus datis, priores habeantur potiores & l. 8. C cod Diversis temporibus eadem re duobus jure pignoris obligata, tum, qui prior data pecunia pignus accepit, potiorem habere certi ac manifesti Juris est.*

79 Nec refert, an prior creditor habeat Hypothecam specialem, vel Generalem per textum *c. l. qui generaliter 2. ff. Qui potiores pignore, & l. Si generaliter 6. C cod* ibi „Si ge„neraliter bona sunt obligata, & posteà res alii speciali„ter pignori detur: quo enim ex general. obligatione po„tior habetur creditor, qui ante contraxit: item non re„fert, an Hypotheca sit tacita, vel expressa, conventio„nalis, vel judicialis, Berlich. *lib. 1. Concl. 66. n. 2 l. 2 4 & 8. C. qui potiores pign.*

80 Limitatur tamen data Regula, *prior tempore, potior jure.* Primò in casu, quo quis ad conservationem aut refectionem rei oppignoratæ mutuum dat; hic enim præcedit etiam illos creditores, quibus eadem res priùs jam fuit hypothecata, *l. Interdum 5. ff. qui potiores pign.* ibi „In„terdum posterior potior est priori, utpote in rem istam „conservandam impensum est, quod sequens credidit, ve„luti si navis fuit obligata, & ad armandam eam rem, „vel faciendam eam ego credidero. Concordat *l. Hujus 6. ff. cod. & l. 1. ff In quibus causis pignus contrah.*

81 Secundo limitatur in casu, quo quis dat pecunias mutuas ad emendam aliquam rem hac lege, ut eidem specialiter maneat hypothecata: nam, ut dicitur, *l. licet 7. C.* „Qui potiores pignore; licet iisdem pignoribus, mul„tis creditoribus diversis temporibus datis, priores ha„beantur potiores, tamen eum, cujus pecunia prædium „comparatum probatur, quod ei pignori esse specialiter „obligatum, statim convenit, omnibus anteferri decla„ratur.

82 Tertiò limitatur in casu, quo quis pignus vel Hypothecam publico instrumento erectam habet, hic namque præfertur aliis etiam tempore prioribus creditoribus, pignus vel hypothecam ex privato instrumento probantibus, nisi hujusmodi privatum instrumentum esset subscriptum tribus idoneis testibus, *l. Scripturas 11. C. qui potiores pignore*, ibi „Si autem jus pignoris vel Hypothe„cæ ex instrumentis vendicare quis sibi contenderit, eum „qui instrumentis publicè nititur, præponi decernimus; „etiamsi posteriori contineatur: nisi fortè probatæ ac in„tegræ opinionis trium, vel amplius virorum subscri„ptiones eisdem ideochiris contineantur.

83 Plura de prælationis jure, quo unus creditor alteri præfertur, dicemus infra *tit. de solutionibus:* ubi etiam afferemus illos creditores, qui non hypothecariis speciali jure privilegio præferuntur creditoribus. Interea hic illud adhuc ponendum, quod si res eadem eodem tempore duobus sit oppignorata, præcedat ille, cui pignus etiam traditum

ditum est, seu cui pignus possidet: si nullus possidet, æquali jure utuntur, *l. Si debitor 10 ff. h. t.*

84 Cæterum temporis prioritas ad propositum non tantum secundum diem, sed etiam secundum horas, & momenta attenditur, adeò ut illa hypothecarius, qui probare potest, media hora rem sibi prius esse hypothecatam, præcedat creditores reliquos hypothecarios ita Illustrissimus D. Schmidt *ad Stat. Bavar. tit. 16. art. 3. n. 12.* citans Gailum, Berlich, Rath, & alios. Ratio est: quia sic præcluditur via fraudibus debitorum, ne, quod ante prandium uni, post prandium alteri obligent cum præjudicio creditorum. Quamvis non desint volentes, pignora eadem die, licet diversis horis, constituta, censeri eodem tempore constituta, in ordine ad effectum prælationis, Hottoman, & Cujac *ad l. aliena 20. §. 1 ff h. t.*

85 Quæritur II. Quæ sint obligationes creditoris habentis Pignus? Resp. Ad duo præcipuè obligatur: qui Pignus accepit. Primò ut rem pignori sibi traditam tueatur, conservet, & custodiat exacta diligentia, *l. eu 14 ff. de pign. act.* nam, ut ibidem dicitur, *Ea, quæ diligens paterfamilias in suis rebus præstare solet, à creditore exiguntur* Quapropter si dolo, vel culpa lata, aut levi ejusdem (non item levissima) Pignus periit, vel deterioratum est, resarcire tenetur *§. 4. Inst. quibus modis re contr. obl.* ibi „Quia „pignus utriusque gratia datur, & debitoris quo magis „ei pecunia credatur; & creditoris, quo magis in tuto „sit creditum, placuit sufficere, si ad eam custodiendam „exactam diligentiam adhibeat, quam si præstiterit, & „aliquo fortuito casu rem amiserit, securum esse, nec „impediri creditum petere *l. creditor 7. C. de pign act.* ibi: „Si dolo vel culpa rem suppositam deteriorem fecerit, eo „quoque nomine pignoratitia actione tenebitur, ut ta„lem restituat, qualis fuerat tempore obligationis. Concordat *l. 3. & 5. C. cod.*

86 Secundò obligatur, ut debito sibi soluto pignus iterum restituat, *c. § 4. Inst. quibus modis re contrah. oblig* ibi: *Qui pignus accepit, re obligatur; quia & ipse, de ea re, quam accepit, restituenda tenetur.* Ratio clara est: quia hac conditione tacita pignus datur, ut si debiti fiat solutio, pignus restituatur. Et quidem juxta dicta *n. 46* una cum omnibus fructibus ex pignore mere perceptis, utpote, qui debent computari in sortem, *l. 1. C. de pign act.* quamvis nihilominus possit detrahere expensas, quas creditor in tuendo & custodiendo Pignore fecit, *l. Creditor 7. C. de pignor. act.* ibi: *Creditor autem necessarios sumptus, quos circa res pignoratitias fecit exigere non prohibetur.*

87 Quæritur III. Quid juris competat debitori ratione pignoris? Resp. Ius debitoris in eo potissimum consistit, ut possit à creditore, & hæredibus ejus, id actione pignoratitia exigere, ad quod eidem obligatur creditor: unde quia soluto debito tenetur creditor debitori restituere pignus cum fructibus, ac etiam damni compensatione dolo, vel culpa lati competit debitori eadem repetendi, & contra reluctantem actionem pignoratitiam instituendi, *l. Si rem alienam 9. ff. de pign. 11. C de pignoris act.* ibi: *Pignoris causa res obligata, soluto debito restitui debere, pignoratitiæ actionis natura declarat.*

88 *Nec interest, quis solvat, utrum ipse, qui debet, an alius pro eo, liberatur enim & alio solvente, sive sciente, sive ignorante debitore, vel invito eo solutio fiat*, ut habet formalia *princ. Inst. Quibus modis toll. obl.* Imo competit debitori allegatum jus, etiam in casu, quo creditor solutionem non acceptat; dummodo eam debitor solemniter deponat, *l. 10. C de pign. act. & l. 3. C. de executione pign.* ibi: *Si, quod debetur, obtuleris, ac, si non acceperit, deposueris consignatum, restitui tibi res pacto pignoris obligatas providebit.*

89 Idem est, si debitum compensatione deletur, *l. Si debitor ff. qui potiores pignore*. Ratio ibidem redditur dum dicitur, *Nec enim interesse, solverit, an pensaverit.* Item si debitum solvatur non ipsi creditori immediatè sed alii, qui loco ipsius solutionem accipere potest, qualis subinde etiam est creditor creditoris: nam dicitur *l. Solutum 11. §. 5. ff. de pign. act.* ibi „Solutam pecuniam, accipiendum „non solum, si ipsi, cui obligata res est, sed & si alii sit „soluta voluntate ejus, vel procuratori ejus, vel servo „pecuniis exigendis præposito. Unde si domum conduxeris, & ejus partem mihi locaveris, ego locatori tuo „pensionem solvero; pignoratitia adversus te potero ex„periri (Nam Julianus scribit,) solvi ei posse, & si par„tem tibi, partem ei solvero, tantundem erit dicendum.

90 Pariter discurrendum, si creditor remittat debitum expressè, vel tacitè, putà, si reddat debitori syngraphum, in quo debitum & obligatio continetur, *l. labeo 2. ff. de pactis, l. Creditricem 7. C. quibus modis pign. remit.* ibi „Creditricem patrui tui sub obligatione fundi; qui per chy„rographum nexus pignori fuerat, jubente eandem „cautionem reddere, pignoris etiam jus remisisse, ma„nifestum est.

91 Quæritur IV. Quæ sint obligationes debitoris rem suam pignori, vel Hypothecæ subjicientis? Resp Præter hoc, quod debitor obligetur, ne creditorem in jure suo, quod juxta dicta, ratione pignoris habet, impediat, tres præcipuè obligationes habet. Prima est, ut tradat eidem Pignus idoneum, casu quo malitiosè dolosè, vel ex ignorantia prius Pignus minus idoneum, vel alienum, vel alteri jam obligatum per dicta *num. 68.* Secunda est ut solvat creditori impensas factas in tuendo & conservando Pignore per textum ex *l. 8. ff. de Pign. act. & lib. 7 C. cod.* & allegatum *c. n. 86.* quamvis in locis citatis tantum fiat mentio de expensis necessariis, tamen idem dicendum videtur de impensis utilibus (dummodò immoderatæ non sint) ut bene notat Gl. *in l. Creditor. 7 C. de Pignoris act.* & docet Sylvester *V. Pignus n. 13.* Azorius *lib. 3. c. 7 §. Secundò obligatio* & alii *a. l. si servos ff de pign. act.* Tertia obligatio est, ut reparet creditori damnum, quod ei ratione Pignoris ex dolo vel culpa saltem levi debitoris illatum est, v. g. si dedit pro pignore servum quem scivit esse furem, tenetur resarcire, si talis servus quid creditori abstulit, *l. 3. & l. Si servus 31 ff. de pign. act.*

92 Quæritur V. Quoad secundam Rubricæ partem de Cautionibus, quid, & quotuplex sit Cautio? Resp. *Cautio.* quæ ut sic aliud non est quam securitas quæ alteri præstatur, ut habet Calvin *V. Cautio arg. l. 25. ff de regulis jur. & l. 3. C. cod de V. & R Sign.* ibi: *Cautionis nomine, id est securitatis.* Itaque Cautio dividitur in simplicem, juratoriam, & idoneam. *Cautio simplex* aliud non est, quam nuda promissio: quæ Cautio semper sufficit, quoties in Jure sine aliquo addito requiritur Cautio: eo quod Jura hoc nomine nudè prolato velint *nudam promissionem significari l. 3. C. de Verb. & rer signif.*

93 *Cautio idonea* (ab aliis sufficiens dicta) est; qua vel per pignus, vel fidejussorem cavetur. Quotiescunque enim in Jure Cautio idonea, vel sufficiens requiritur, per Pignora, vel fidejussorem caveri debet, *l. ergo 4 §. 8. C. de Fideicom. libert.* ibi: *Cavendum est idoneè: quid est idoneè? satisdato utique, aut pignoribus datis* Fagnan. *l. c.* & communis aliorum. dictumque est suprà *c. l. 2 tit. 14. nu. 97.* Si datur cautio per Pignus, vocatur cautio Pignoratitia: si verò per fidejussorem dicitur cautio satisdatoria, seu satisdatio.

94 Porrò quando in Jure satisdatio expressè requiritur, ordinariè non sufficit Cautio Pignoratitia, sed dari debet fidejussor, *l. prætoriæ 7. ff de præt stipul* ibi „Prætoriæ „satisdationes personas desiderant pro intervenientium, „& neque pignoribus quis &c. in vicem satisdationis fun„gitur. Concordat *l. 1. ff. qui satisdare coguntur.*

95 *Cautio juratoria* est, securitas data præstito juramento; quæ vel ad partis instantiam vel tunc adhibetur & sufficit, quando Jura quidem idoneam exigunt sed tamen aliquis ob paupertatem, vel aliam causam hic & nunc idoneam præstare nequit, & cæteroquin persona probatæ fidei, & bonæ opinionis dignoscitur. Fagnanus *in c. Odoardus num. 69 de Salut.* Laym *lib. 1. tract. 5. part. 2. capit. 2 num. 8.* Sylvester *V. Absolutio 3. num. 3.* Navarrus *cap. 26. Man. num 7.* Abbas *in c. quæstioni in fine, & cap. qua fronte num. 17 de Appellat.* cum communi; & dictum est supra *l. 2 tit. 14 de dolo, & contum. num. 97. arg. cap. per vestras 7. de donat. inter virum & mulier.* Ratio est quia *ad impossibile nemo tenetur*, Reg. 6. Jur. in 6.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus.

1 Ratio continuationis Rubricarum.

1 PRæcedentem Titulum de Pignoribus, & aliis Cautionibus præsens recto ordine sequitur: quia Fidejussio, quam Fidejussor præstat, est species Cautionis idoneæ, *l. ergo 4. §. 7. C. de Fideicom. libert.* Et quamvis Rubrica Tituli de solis Fidejussoribus sonet, tamen etiam de ipsa Fidejussione principaliter hic agetur.

§. I.

De natura & divisione Fidejussoris, & Fidejussionis.

SUMMARIUM.

2 Fidejussor quid?
3 Fidejussio quid?
4 Fidejussio quotuplex? Alia libera, alia necessaria.
5 Alia Judicialis, alia extra judicialis. Judicialis etiam Satisdatio dicitur. Ib.
6 Alia principalis, alia sub alterna, seu succedanea.
7 Alia simplex, alia Indemnitatis.
8 Alia idonea seu sufficiens: alia inidonea, seu insufficiens.
9 Media sufficientia quis dicatur habere. Conventionis difficilis esse quis dicatur. Ib.
10 Contra Fidejussorem carentem sufficientibus mediis, vel qui est difficilis conventionis debitor excipere potest.
11 Fidejussio quavis verborum forma oretenus & in scriptis imò inter absentes, & per epistolam fieri potest.
12 Fidejussor dari potest super quovis debito, obligatione quomodocunque etiam per delictum contracta.
13 Si agitur civiliter, vel etiam criminaliter, sed non nisi ad pœnam pecuniariam vel similem. Membrorum suorum nemo est dominus. Ib.
14 Potest quis de sistenda persona incarceranda fidejubere quam si non sistit, ipse Fidejussor non incarceratur sed punitur pœna pecuniaria.
15 Non tantum pro præsenti, sed etiam futura obligatione dari potest Fidejussor, & quomodo?
16 Fidejubere omnes possunt qui liberam rerum suarum administrationem habent, & lege non prohibentur.
17 Milites (exceptis veteranis honeste dimissis) fidejubere non possunt.
18 Nec mulieres, etiam pro conjunctissimis personis fidejubere possunt.
19 Mulier si confecto publico instrumento tribus testibus subsignato fidejubet, valet quidem Fidejussio sed exceptione S. C. Vellejani potest: si sine prædicta solemnitate fidejubet, irrita est Fidejussio etiam absque exceptione.
20 Mulier nec in conscientia aliquid præstare tenetur ratione Fidejussionis.
21 Et si ignorans privilegium suum, aliquid ratione Fidejussionis dedit, iterum repetere potest imò non repetenti tenetur creditor restituere quod ab ea accepit.
22 Ponuntur limitationes, & casus in quibus etiam mulieres tenentur stare Fidejussioni à se factæ.
23 Controversia, an Mulier renuntiare possit privilegio S. C. Vellei. Doctores negantes, & distinguentes.
24 Statuitur sententia affirmativa.
25 Assignatur ratio Juris.
26 Confirmatur consuetudine universali. Consuetudo est optimè Legum Interpres, ib.
27 Ut valeat mulieris renuntiatio, debet de privilegio debitè certiorari, & informari. Particularia ex statutis Bavariæ Fidejussione rustici, vel civis communis. Ib.
28 Ecclesiarum prælati, & Clerici de jure fidejubere non possunt.
29 Limitatur conclusio, si rarò sit Fidejussio, præsertim ex pietate, charitate &c. Tenentur subinde fidejubere.
30 Clericus fidejubens debet de patrimonialibus vel quasi talibus & non de Ecclesiasticis satisfacere.
31 Nisi ex causa necessitatis, pietatis &c. pro egeno aliave pia causa fidejubeat.
32 Clericus pro alio Clerico, ac etiam pro Ecclesia sua fidejubere valeat.
33 Casu quo Clerici Fidejussio de bonis patrimonialibus sit illicita; semper tamen est valida, teneturque ei stare Clericus.
34 Nec Prælati, nec privati Religiosi sine juris solemnitate fidejubere possunt.
35 Limitatur in casu, quo Prælatus pro modica quantitate fidejubet.
36 Fidejussio à prælato, vel privato Religioso contra Jura facta, illicita & invalida est: nec obligat Monasterium; privat etiam prælatum administratione temporalium, & spiritualium.
37 Prælatus tamen in tali suspensione ab administratione celebrans non incurreret irregularitatem.

2 QUæritur I. Quid sit Fidejussor, & Fidejussio? Resp. I. *Fidejussor* (dictus à fide & jubeo, quasi fide sua jubens, ut alteri credatur, *l. Creditor. 60. §. 1. ff. Mandati, & l. ubi 75. §. qui verò ff. de V. O.*) est, qui interpositione propriæ fidei, pro majori securitate crediteris, alienam obligationem in se suscipit, principali debitore nihilominus manente obligato. Ita in re communis *arg. inst. prin. de Fidejus.* Patetque definitio ex terminis. Ex quibus etiam constat finis, ob quem dantur, vel petuntur Fidejussores, videlicet major securitas creditorum: cum enim sæpè contingat, aliquos debitores, vel certo modo obligatos, ob defectum mediorum, vel aliam ob causam vix esse solvendo, vel non fore satisfacturos &c. petuntur, & dantur Fidejussores, se quod principali non solvente, ipsi solvere & satisfacere, sicque intereà creditorem de satisfactione debiti, vel obligationis assecurare velint.

3 Resp. II. *Fidejussio* est contractus, quo quis promittit se soluturum id, seu satisfacturum in eo, quod alius debet, casu quo principalis non solveret, vel satisfaceret: ipso principali debitore nihilominus manente obligato. Rursus communis in re *arg. cit. prin. Inst. h. t. & l. Sicut 65. ff. eod.* Sola notanda sunt verba, quæ tam in hac, quam præcedenti definitione ponuntur, videlicet, *ipso principali debitore manente nihilominus obligato*: quia per Fidejussionem principalis debitor non cessat esse, sed manet obligatus creditori, ita quidem, ut creditor pro solutione vel satisfactione debiti etiam stante Fidejussione priùs principalem convenire, & excutere, id est, videre & experiri debeat an adhuc sit solvendo nec ne, quo facto, principali nempe excusso, seu cognito, quod solvendo non sit, Fidejussorem primum convenire poterit, *Novel. 4. c. 1* & magis dicetur infra.

4 Quæritur II. Quotuplex sit Fidejussio? Resp. Eam variè dividi. Primò quidem in voluntariam, & necessariam. *Voluntaria* est, quam quis liberè ac voluntariè, nemine mandante præstat: qualis est, dum unus ab alio rogatus, pro eo liberè fideiubet. *Necessaria* est, quæ à Lege Magistratu vel Judice exigitur: cujus exemplum extat in *l. 13. de usufruct.*

5 Secundò dividitur in Judicialem, & extrajudicialem. Illa est, quæ in judicio præbetur, *l. Græcè 8. §. 3. ff. h. tit.* & contingit, quando quis de reo sistendo, & de judicatum solvi, vel alterutro fidejubet, Molina *disput. 339. num. 7.* Layma. Clarus, & alii *Extrajudicialis* verò est, quæ extra judicium inter privatos constituitur Judi-

Judicialis fidejussio, præsertim necessaria, aliàs etiam satisdatio vocatur, *leg. Prætoriæ. lib. ff. de Prætor. stipulat.* & exigi solet, quando creditor vel actor de fide debitoris vel rei dubitat, aut minùs securum se rationabiliter judicat, & per Pignora commodè caveri nequit.

6 Tertiò dividitur in Principalem, & Succedaneam *Principalis* est, qua quis pro aliquo debitori principali se obligat, *l. Si plures §. 4. ff. de Fidejuss & mandat.* ibi: *si Fidejussor. fuerit principalis &c. Fidejussio Succedanea* est, qua aliquis pro ipso fidejussore principali in favorem & majorem securitatem debitoris fidejubet; nam *pro Fidejussore Fidejussionem accipi, nequaquam dubium est*, dicit Ulpianus *l. Græcè 8. §. fin ff. de Fidejuss. & mandat.* Hujusmodi fidejussor apud Germanos dicitur *Ruckborg*.

7 Quartò dividitur in Fidejussionem simplicem & indemnitatis. Illa est, qua quis absolutè fidejubet quòd debitore non solvente ipse solvere velit. Hæc verò qua quis promittit, ipsum Fidejussorem servare indemnem. Unde ut benè observat Schmidt *tit. 14. a. 1. n. 17. & 18.* differt Fidejussor indemnitatis *ein Schadloszborg* a Fidejussore subalterno *bon dem Ruckborg*: quia hic æquè ac principalis datur pro majori securitate debitoris: iste verò, indemnitatis nempe datur pro securitate ipsius Fidejussoris simplicis, qui proin in casu, quo solvere debet, contra Fidejussorem indemnitatis actionem habet, non item debitor principalis.

8 Quintò dividitur in Fidejussionem idoneam, seu sufficientem, *anstandige oder genungsame Borgschafft*: & insufficientem, seu non idoneam. *Idonea* est, quæ creditor de recipiendo debito satis securus, eique sufficienter cautum est quod tunc fit, quando talis datur Fidejussor, qui duas sequentes habet qualitates. Videlicet, sufficientia ad solvendum media, & facilè potest conveniri; seu qui non est difficilis conventionis, *l. 2. pr. ff. Qui satisdare coguntur.* ibi: *Fidejussor in judicio sistendi causa locuples videtur dari, non tantùm ex facultatibus, sed etiam ex conveniendi facilitate.*

9 Media debitoris debent tanta esse, ut inde creditor probabiliter ex integro solvi possit: nam *solvendo esse nemo intelligitur, nisi qui solidum potest solvere l. Solvendo 114. ff. de V. S.* Facilitate autem conveniendi carere, & difficilis esse conventionis dicitur, qui est diversi à creditore fori: item, qui est rixosus, vel litigiosus insuper, qui est potentior, aut vir magnæ qualitatis: ac denique, qui est talis, cui de Jure competit exceptio contra Fidejussoriam obligationem, aut læsione probata restitutio Gailus *l. 2. Observ. 25. arg. de die ponenda 8. §. 1. ff. Qui satisdare cog.*

10 Hinc, qui unam ex recensitis creditori odiosis qualitatibus habet: aut sufficientibus ad solvendum caret mediis, inidoneus censetur Fidejussor, ejusque Fidejussio inidonea, seu insufficiens, *ein unanstandige Borgschafft*; contra quam proin debitor vel actor in judicio excipere, & idoneam petere potest, casu quo Jura ipsam satisdationem idoneam imponunt, vel eam de Jure petere valet. Id quod in praxi passim fieri videmus.

11 Quæritur III. Quomodo, & in qua causa fieri possit ac debeat Fidejussio? Resp. I. Quamvis olim Fidejussio non nisi solemni stipulatione per interrogationem unius, & responsionem alterius celebrata fieri potuerit; hodie tamen consuetudine universali præsertim Germaniæ Fidejussio quovis nudo pacto, & quavis verborum forma, sive in scriptis, sive oretenùs prolata; Imo etiam inter absentes, & per epistolam, dummodò mens sufficienter exprimatur, fieri potest. Engel *h. t. n. 2.* Carsp. *in Jurisd. foren p. 2. constit. 19. def. 17.* Vvidman *de Cont. tit. 17. n. 11.* & communis aliorum *arg. c. fin. de Consuetud.*

12 Resp. II. Super quovis debito vel obligatione quomodocunque cōtracta constitui potest Fidejussio communis ac certa, claris Juribus *l. 1. ff. de fidejuss. & mandat.* ibi: *Omni obligationi fidejussor accedere potest* l. Græcè 8 §. 1. ff. eod. *Præterea sciendum est. Fidejussorem adhiberi omni obligationi posse, sive re, sive verbis, sive consensu.* §. 1. Instit. h. t. *Omnibus autem obligationibus adsumi potest; id est, sive re, sive verbis, sive litteris, sive consensu contrahatur. Ac nec illud quidem interest, utrum civilis, an naturalis sit obligatio, cui adjicitur Fidejussor.* Nec refert, an ex contracto, vel delicto oriatur obligatio, dicitur namque l. Græcè 8. ff. b. t. *Sed. et si ex debito oriatur actio, magis putamus, teneri Fidejussorem*, Unde in specie habetur *l. Si quis §. fin. eod. Pro furti actione Fidejussor accipi potest.*

13 Intellige, si ex delicto agitur civiliter, vel etiam criminaliter, sed non nisi ad pœnam pecuniariam, vel similem: Nam si criminaliter agitur ad pœnam mortis, vel corporis afflictivam, nullus admittitur. Fidejussor, Abbas *h. t. in Rub.* Pirhing: *h. t. num 3.* Ratio est: tum quia hæ pœnæ suos debent tenere Authores *L. 6. §. Super his. C. de Appellat.* Tum quia nemo est dominus vitæ & membrorum; *quoniam dominus membrorum suorum nemo videtur*, *l. Liber homo 13. ff. ad l. Aquil.*

14 Hinc quamvis ad evitandem carcerationem etiam in criminalibus (dummodò nimis gravia non sint) criminaliter ad pęnam corporis propositis de sistendo persona, vel securitate ejusdem Fidejussionem præstare quis possit, *L. 1. 2. & 3. ff. de Custod. & Exhibit. reorum.* Nihilominùs si reus aufugiat, vel à fidejussore non sistatur, pęna corporali, quam reus meruit, non plectitur Fidejussor, sed pęna pecuniaria, vel taxata à Jure, decreto, consuetudine, vel arbitraria Judicis: & quidem extraordinaria, si ex dolo Fidejussoris exhibitus non est, vel aufugit, *l. Si quis 4. ff. eod.* ubi hoc totum sequentibus recensetur verbis: *Si quis reum criminis, pro quo satisdedit, non exhibuerit, pœna pecuniaria plectitur: puto tamen, si dolo non exhibeat, etiam extra ordinem esse damnandum. Sed si neque in Cautione, neque in decreto Præsidis certa quantitas comprehensa est, ac nec consuetudo ostendit, quæ certam formam habet, Præses de modo pecuniæ, quæ inferri oporteat, statuet.* Sequitur Abbas *loc. cit.*

15 Porrò non tantùm pro præsenti, sed etiam pro futura obligatione fieri potest Fidejussio, *l. Stipulatus. 6. §. 2. ff. h. t.* ibi: *Adhiberi autem Fidejussor tam futuræ quàm præcedenti obligationi potest.* Verùm si pro futura datur, censetur esse conditionata, suspenditurque & pendet, donec ponatur obligatio principalis, *l. Non quemadmodum. 35. ff. de Judiciis*, quia *Fidejussor antequam reus debeat, non potest conveniri. l. Fidejussor. 57. ff. h. t.* Ea verò posita evadit absoluta, & statim obligat: ea utem non posita, nec aliquando eveniente, evanescit.

16 Quæritur IV. Quinam Fidejubere possint? Resp. Omnes, qui se & sua obligare valent; liberamque rerum suarum administrationem habent, & à lege non prohibentur. Ita pro regula universali tradunt communiter Doctores, uti videre est apud Valensem *h. t. §. 3. num. 1.* Engel. *eod. nu 2.* Sannig. *eod. c. 2. nu. 1.* Sylvester. *vers. Fidejussor nu. 2.* & alios, *arg. l. 3. ff. h. t.* Quinam autem Fidejubere à Jure specialiter prohibeantur, dabunt responsiones sequentes.

17 Resp. II. Milites de Jure non possunt Fidejubere *l. 8. §. 1. ff. Qui satisdare coguntur*, & *l. Miles. 31. C. de Locato.* ibi: *Milites, Fidejussores fieri, prohibemus.* Ratio additur illis verbis: *Armis autem, non privatis negotiis occupentur, & numeris & signis jugiter inhærentes, Rempublicam, à qua aluntur, ab omni necessitate bellorum defendunt.* Hinc Fidejussiones ab eis factæ nullæ sunt, nisi in rem propriam fidejubeant, ut pro suo procuratore, *cit. L. 8. §. 1 ff. Qui satisdare coguntur.* Limitatur tamen Conclusio in veteranis, *arg. L. 1. C. de Veteranis* ubi eisdem permittitur negotia tractare & commercia. Ratio est: quia ex militia honestè dimissi veterani Sacramento sunt soluti: cessatque in illis ratio prohibitionis.

18 Resp. III. Fidejubere etiam prohibentur mulieres, *tot. Tit. ff. & C. ad S. C. Vellejan.* ubi statim *L. 1 ff. eod.* universaliter sic habetur: *Vellejano Senatusconsulto plenissimè comprehensum est, ne pro ullo fœminæ intercederent.* Quod adeò verum est, ut nec pro conjunctissimis personis intercedere, multò minùs fidejubere valeant (nam intercedere latiùs patet, quàm fidejubere) v. g. Mater pro filiis, *l. Si cum C. ad S. C. Vellejan.* nec filia pro parentibus *l. Si paternum. 8. Cod. eod.* nec uxor pro marito, *l. 1. Cod Ne uxor pro marito.* Ratio est; quia Legislatores considerantes imbecillitatem, & imprudentiam mulierum, ob quam pericula ex Fidejussionibus imminentia non providentes, commiseratione facilè motæ

passim inducerentur cum periculo rei familiaris, statuere, omnes earum Fidejussiones vel esse nullas, vel ope exceptionis ex *S. C. Vellejan.* elidendas, ita ut penitùs nullam obligationem parerent.

19 Et quidem si mulier absque instrumento publicè confecto, & tribus testibus subsignato fidejubeat, ipso jure statim irrita est Fidejussio, ipsaque mulier libera & soluta est ab omni obligatione tam naturali quàm civili, etiam absque exceptione, *l. Antiquæ. §. fin. C. ad S. C. Vellejan.* Si verò cum dictis solemnitatibus Fidejussionem præstat, valebit quidem, sed tamen exceptione *S. C. Vallejan.* elidi potest, *cit. l. Antiquæ Cod. ad S. C. Vellejan.* Hinc minimè subsistit doctrina Molinæ *disp. 540. n. 2.* citantis communem, Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 29. n. 5.* & aliorum universaliter docentium, quascunque mulierum Fidejussiones etiam absque ulla solemnitate interposita validas esse, & tamdiu obligari, donec mulier exceptione & privilegio *S. C. Vellejan.* utatur. Nam contra est, quòd Jure Codicis (quidquid sit de Jure ff.) expressè aliter declaratum sit, & statutum, videlicet, quòd si mulieres sine instrumento publicè confecto, & tribus testibus subsignato fidejubeat, *pro nihilo habeatur hujusmodi scriptura, vel sine scriptis obligatio, tanquam nec confecta, nec penitùs scripta, ut nec S. C. Vellejan. imploretur, sed sit libera, & absoluta, quasi penitus nullo in eadem causa subsecuto*, sunt verba formalia *l. Antiquæ 23. §. fin. Cod. ad S. C. Vellejan.* Haunold. *tom. 3. tract. 9. cap. 7. n. 116.*

20 Porro favent mulieri Leges *in Tit. ff. & ad. S. C. Vellejan.* non tantùm in foro externo, sed etiam interno, adeò ut si uti velit suo privilegio, nec in conscientia obligationem habeat præstandi aliquid ratione Fidejussionis à se factæ, Molina *loc. cit. n. 2.* Engel *h. t. n. 7.* & communis aliorum. Ratio est; tum quia lex justa in foro externo, est etiam justa in foro interno, ibique obligat, prout magis dictum est *lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 7.* Tum quia aliàs mulieres nullam ex hoc privilegio utilitatem haberent, si eo utentes in conscientia tutæ non essent.

21 Hinc citati Doctores, & alii benè inferunt, quòd si mulier ex errore vel ignorantia sui privilegii, aliquid intuitu Fidejussionis à se factæ solveret, illud in foro tam interno quàm externo condicere, ac repetere posset, *l. Quamvis. 9. C. ad S. C. Vellejan.* Ratio est; quia, qui exceptionem perpetuam habet (qualis est, quæ competit ex S. C. Vellejan.) solutum per errorem repetere potest, *l. Qui exceptionem 4. princ. ff. de Condict. indebiti.* Imò creditor accipiens aliquid à muliere privilegium suum ignorante, tenetur restituere, etsi mulier non repetat, casu quo Fidejussio ab ea facta est sine publico instrumento tribus testibus consignato, eo quòd ut dictum, talis Fidejussio etiam absque ulla exceptione nulla sit, & irrita, ac si facta non fuisset, *l. Antiquæ 23. §. fin. C. ad S. C. Vellejan.*

22 Verùm dictis non obstantibus, dantur casus, in quibus mulier in utroque foro stare tenetur Fidejussioni à se præstitæ, veluti primò, si in propriam suam utilitatem fidejubeat, ipsaque Fidejussio in propriam utilitatem cedat, *l. 8. §. 1. ff. Qui satisdare coguntur.* & *Novell. 134. cap. 8.* Secundò, si pro dimissione servi fidejubet, *l. Veterum 24. C. ad S. C. Vellejan.* Tertiò, si fidejubet pro dote mulieris, *l. fin. C. eod.* Quartò, si apud creditorem, qui est minor 25. annis mulier pro aliquo fidejubeat, mulier non utetur Senatusconsulti auxilio, *l. Si apud minorem. ff. de Minoribus.* Quintò si pro Fidejussione, sive ab initio, sive posteà aliquid accepit, *l. Antiquatæ 23. princ. C. ad S. C. Vellejan.* Sextò si animo decipiendi fidejubeat, sciens, se non teneri ad Fidejussionem, *L. 2. §. 3. ff. ad S. C. Vellejan.* ibi: *Decipientibus mulieribus, Senatus consilium auxilio non est*: ubi etiam ratio redditur; nam *deceptis, non decipientibus opitulatur.* Septimò si juramento confirmet Fidejussionem, *arg. cap. Cùm contingat 28. de Jurejurando.* Ratio est; quia universaliter juramentum præstitum super actu legibus infirmato principaliter in favorem jurantis, licet secundariò in favorem publicum, necessariò est observandum; si nec vi nec dolo fuit præstitum; neque in alterius vergat præjudicium, vel dispendium salutis æternæ, prout Summarium, & textus *in cit. c. Cùm contingat.* Et quidem de his recensitis casibus non est controversia inter Doctores ob claram dispositionem, quam allegata Jura continent.

Gravis tamen est controversia inter eosdem, an mulier privilegio *S. C. Vellejan.* renuntiare valeat, & renuntians dein stare teneatur Fidejussioni? Paulus Castren. & Salicet. *ad l. fin. ff. ad S. C. Vellejan.* Engel. *ad leg. ult. C. eod.* Bartolus, Baldus, Albert, & multi alii absolutè negant, renuntiationem hanc, loquendo de Jure, à muliere fieri posse. Alii, ut Covarruvias, Gomez, Molin. distinguendo, docent, fieri posse à muliere renuntiationem in judicio, non item extra illud. 23

Fachin verò *lib. 2. Controv. cap. 60.* Gailus *lib. 2. observat. 77.* Sylvester *vers. Fidejussor. quæst. 1.* Engel *h. t. numer. 7.* cum communiori ac probabiliori aliorum (quibus cum & nos sentimus) indistinctè volunt mulierem majorem, si nulla vi, vel dolo inducatur, in & extra judicium etiam de Jure loquendo, renuntiare posse dicto privilegio *S. C. Vellejan.* renuntiantemque teneri ad fidejussionem æquè ac vir aliquis, dummodò priùs de privilegio debitè certioretur, ac informetur, Idque probatur ex *l. fin. §. 4. ff. ad S. C. Vellejan.* ubi sic habetur: *si mulier pro eo, pro quo intercessit, judicium parata sit accipere, ut non in veterem debitorem actio detur: quoniam Senatusconsulti exceptionem opponere potest, cavere debet, exceptione se non usuram, & sic ad judicium venire.* Ecce sufficientem textum, quòd possit renuntiare privilegio huic. 24

Ratio autem est; quia *est regula Juris antiqui, omnes licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare, L. penult. C. de Pactis.* Nec valet objicere, Regulam locum non habere, quando favor introductus est principaliter in favorem publicum, uti se habere videtur in præsenti. Nam contra est, quòd Privilegium *S. C. Vellejan.* principaliter in favorem mulierum, & secundariò tantùm in favorem publicum introductum dignoscatur; prout videre est in Summario, & textu *c. Cùm contingat. 28. de Iurejurand.* ubi propterea similes renuntiationes mulierum juramento firmatæ, validæ ac obligatoriæ declarantur: quod profectò subsistere non posset, si privilegium hoc, cui renuntiatur, esset in favorem publicum principaliter introductum; cùm renuntiatio hujusmodi privilegii etiam juramento firmata, nulla sit & irrita; uti patet in casu, quo Clericus sub juramento renuntiaret privilegio Clericali, utpote in favorem publicum totius status Clericalis, cui privatus præjudicare nequit, introductum: dictumque est suprà *Lib. 1. Tit. 2. de Constitut. § 21. num 47. & Lib. 2. Tit. 2. § 10. numer. 248.* Unde mirandum sanè, quòd DD. Adversarii, inter quos etiam numeratur Haunoldus *Tom. 3. tract. 8. capit. controv. 7. num. 138.* fateantur, renuntiationem mulieris juramento firmatam valere, & tamen contendant, privilegium hoc principaliter in favorem publicum esse introductum. 25

Confirmatur nostra doctrina, quando dubitatur de sensu legis, optima interpres est consuetudo, *l. Si de interpretatione. ff. de Leg.* atqui consuetudine & praxi ubique recepta, & teste Albert. apud Gailum *loc. cit.* per totum mundum vigente habetur, quòd mulier privilegio *S. C. Vellejan.* renuntiare valeat, uti ipsi etiam fatentur Adversarii: ergo. Idem statuitur in statutis Bavariæ *Titulo primo articul. 13. & 14.* 26

Dixi tamen notanter numer. 23. *Dummodò priùs de privilegio certioretur, & informetur*; eo quòd sine prævia certioratione hujusmodi renuntiatio non valeret; uti communiter tenent Doctores, signanter Gailus *loco citato* Engel *hoc tit. numer. 7.* quia in qualibet renuntiatione requiritur certioratio, Gailus *loc. citato num. 3.* citans Hypolytum, Bartolum, Alexandrum, ac Decium. Debet autem hujusmodi certioratio fieri vel per Notarium publicum, vel alium virum idoneum *Unvvelser* apud nos dictum, Engel. *hoc tit. numer. 8.* praxi assistente. Idipsum, & plura adhuc alia in statutis Bavariæ requiruntur *Tit. 1. a. 13. & 14.* ubi, sicut etiam *a. 12.* declaratur: quò benevolum Lectorem remitto, simulque certiorem reddo, vi eorumdem statutorum etiam plura par- 27

particularia requiri, si rusticus, vel vilis civis fidejubeat, qui in favorem eorum ibidem introductis renuntiare nequeunt, ut videre est. *Tit. 34. a 7.* dictorum statutorum.

28 Resp. III. Quamvis Ecclesiarum Prælatis, & aliis Clericis universaliter à Jure prohibitum sit fidejubere, patitur tamen hæc prohibitio aliquas limitationes. Prima pars apertè constat ex utroque Jure; Canonico quidem, *Can. Te quidem 39. caus. 11. q. 1.* ibi: *Te quidem* (Episcopum alloquitur Papa) *oportet irreprehensibiliter vivere & summo studio niti, omnes vitæ hujus occupationes abjicias; ne Fidejussor existas &c.* & *c. 1. h. t. Clericus Fidejussionibus inserviens abjiciatur.* Civili verò Jure, *novella 123. c. 6.* Secunda pars conclusionis probatur inductione.

29 Nam limitatur primò. Si raró tantum in uno vel altero casu ex causa rationabili prætertim necessitatis, pietatis, vel charitatis, sive dein pro Clerico, sive pro Laico fidejubeatur, *arg. cit. cap. 1. h. t.* ubi solùm prohibetur, ne Clericus sit *inserviens* Fidejussioni, quæ particula frequentiam denotant, uti docet Glossa *in cap. 1. h. t. vers. Inserviens.* Abbas *in eod. c. num. 1.* cum communi aliorum. Et meritò; quia ratio, ob quam Iura prohibent Clericis Fidejussionem, est, ne nimium se involvant & distrahant sæcularibus negotiis, textu claro *cit. cap. Te quidem 39. caus. 11. quæst. 1.* Hoc autem non fit per actum unius vel alterius Fidejussionis. Hinc subinde (non item frequenter) benè potest Clericus etiam pro Laico præcipuè egeno fidejubere, præsertim, si alium Fidejussorem vel omninò non, vel saltem non nisi difficulter acquirere potest, Abbas *loc. cit. n. 3.* Pirhing *h. t. n 13.* Engel *eod. n. 4.* Glossa *in cap. Quòd quibusdam 4. h. t. vers. Fidejubere*; ubi etiam docet, Clericum in causa necessitatis non tantùm posse, sed etiam teneri Fidejubere, *arg. can. Non satis 14. Dist. 86.* Quod intellige de raro casu; nam licèt aliqui universaliter doceant, Clericum causa pietatis pro egeno fidejubere posse; tamen aliter docent Abbas *in cit. cap. 1. num. 3. h. t.* Archidiac. *in can. Pervenit 26.* & dicunt, nec pro egeno Clericus frequenter Fidejubere, vel generaliter officium Fidejussionis assumere posse: & meritò; quia etiam in frequenti Fidejussione pro pauperibus procedit ratio prohibitionis *n. 27.* allegata.

30 Porrò in casu, quo Clericus licitè fidejubet, debet de patrimonialibus suis, vel quasi patrimonialibus, vel illis redditibus Beneficii sui, de quibus dominium, & liberam administrationem habet, non item de bonis ipsius Ecclesiæ, vel superfluis redditibus Ecclesiasticis fidejubere, & satisfacere; nisi forsan ex causa necessitatis ac pietatis pro egeno, aut alia causa pia contingeret fidejussio: Abbas *in cap. 1. h. t. num. 2.* & alii. Ratio manifesta est; quia Ecclesiam debitis gravare Clericus non potest, textu claro *c. 2. de solut.* ibi: *Firmiter inhibemus, ne quis præsumat, Ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis.* Redditus autem merè Ecclesiasticos superfluos ad causam profanam obligari, & applicari non posse, certum est, patebitque ex dicendis infrà *Tit. XXV. de pecul. cleric.*

31 Dicitur notanter, *Nisi forsan ex causa necessitatis aut pietatis pro egeno, aliave causa pia contingeret Fidejussio*; quia cùm in simili casu Clericus posset, imò subinde teneatur donare juxta dicenda infrà *cit. Tit. de Pecul. Cleric.* multò magis poterit per Fidejussionem interim obligare redditus merè Ecclesiasticos etiam superfluos: Eadem ratione, quia Prælati & Rectores Ecclesiarum non tantùm de bonis ad mensam suam pertinentibus, sed etiam de illis, quæ ad ipsam Ecclesiam spectant, possunt in simili pia causa egenis etiam sine Capituli consensu aliquid in parva quantitate (non item cum notabili detrimento Ecclesiæ) donare, prout dicemus infrà *Tit. de Donatione*, multò magis poterunt similem parvam quantitatem per Fidejussionem obligare. Pirhing *h. t. n. 11.* Sylvester *vers. Fidejussor q. 4.* & alii.

32 Limitatur Conclusio secundò in Fidejussione, quam Clericus pro Clerico, vel ipsa Ecclesia sua facit. Hujusmodi Fidejussionem licitam, atque validam esse; tenent Glossa *in c. 4. h. t. vers. Fidejubeat & in can. Te quidem 29. caus. 11. q. 1. vers. Fidejussor.* Abbas *in c. 2. h. t. n. 1.* Barbosa *in idem c. num. 2.* Engel *eod. tit. n. 4.* Bellet. cum communi aliorum. Et quidem quòd Clericus pro Clerico id possit, probatur ex *c. 2. h. t.* ubi Papa fidejussionem Clerici pro Clericis factam, non tantum non improbat, sed mandat, ut à debitoribus eidem satisfiat, sicque tacitè approbat. Quod etiam pro sua Ecclesia fidejubere valeat, patet ex *c. 4. h. t.* idipsum habetur *l. Cum Clericis 35. & l. Omnes 33. §. 2. C. de Episc. & Cleric.*

Resp. IV. Si Clericus quicunque sæcularis vel absolutè, vel in specie de bonis suis patrimonialibus, vel illis redditibus, qui ad ipsum plenè pertinent (quales sunt, qui ad honestam sustentationem spectant) nimis frequenter, consequenter contra Canones fidejubet, illicitè quidem, sed non invalidè agit; teneturque stare Fidejussioni, & in defectum debitoris principalis, de præfatis bonis satisfacere. Glossa *in c. 1. h. t. vers. Inserviens.* Barbosa *in idem c. ad finem*, ubi plures citat. Menochius *de Præsumpt. lib. 2. præsumpt. 46. n. 5.* Engel *h. t. n. 5.* Ratio est: quia nullibi in Jure reperitur pro nulla declarata fidejussio clerici sæcularis. Nec refert, quòd sit prohibita; *quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem.* Accedit, quòd quævis promissio, si servari potest, de Jure naturæ obliget: Clericus autem omninò potest in hoc casu promissum servare de præfatis bonis in defectum debitoris principalis solvendo: ergo. Secùs foret, si de bonis Ecclesiæ, utpote de quibus nec potest, multò minùs tenetur satisfacere, casu quo de illis contra Canones fidejussit. 33

Resp V. Religiosi quoque non tantùm privati, sed etiam superiores sine majori parte consensus Capituli fidejubere prohibentur. De Privatis habetur textus clarus *cap. penult. h. t.* ibi: *Quod quibusdam Religiosis à Sede Apostolica est prohibitum, volumus, & mandamus ad universos extendi, ne quis videlicet Religiosus absque majoris partis Capituli, & Abbatis sui licentia pro aliquo Fidejubeat.* Idem est de Prælatis, si debitas Juris solemnitates non adhibeant, per textum ex *c. 2. h. t.* suprà jam citatum. Et sequuntur DD. communiter, signanter Sanchez *in præcepta Decalogi tom. 2. l. 6. c. 14. n. 38.* Barbosa *in c. 4. h. t. n. 5.* Engel *h. t. n. 6.* Ratio est; quia nec prælatus, nec subditus Religiosus in particulari aliquid proprium de quo Fidejubere posset, possident; cùm voto paupertatis tam prælatus, quam subditus sit adstrictus. 34

Limitatur nihilominùs conclusio in Prælato; dum pro modica tantùm quantitate & raró fidejubet, quia talis facultas ad liberam administrandi facultatem pertinet, Pirhing *h. t. n. 11.* Sylvester *vers. Fidejussor q. 4.* Engel *h. t. n. 6. ad finem* & alii. Imò etiam privatus Religiosus, qui beneficium cum potestate administrandi redditus habet, etiam tacitam licentiam habere censetur, raró & in modica quantitate fidejubendi. Quænam autem sit modica quantitas, pro qua Religiosus Fidejubere potest, relinquendum est arbitrio prudentis, consideratis Monasterii, vel Ecclesiæ redditibus. 35

Resp VI. Fidejussio à prælato, vel etiam Religioso contra Jura de bonis Monasterii, vel Ecclesiæ facta, non tantum illicita, sed etiam invalida est, ita ut Monasterium vel Ecclesia ad nihil teneatur: privatque prælatum ipso Jure administratione tam spiritualium, quam temporalium: Prima pars patet ex *c. 2. de Solutionibus*, ibi; *Decernentes ad Solutionem talium debitorum Ecclesiam non teneri.* De privatis Religiosis constat, ex *c. Quod quibusdam 4. h. t.* ibi: *Non teneatur Conventus pro his aliquatenus respondere.* Tertia pars de pœna privationis habetur *cit. c. 2. de Solution.* ibi: *Si quis autem contra præmissa venire præsumpserit, ab administratione spiritualium & temporalium noverit se suspensum.* 36

Observat tamen hic benè Joan. Andreas, & Abbas *in c. 2. de Solution n. 2.* Engel *h. t. n. 6.* & alii contra Hostiensem; prælatum in hac suspensione, quam ipso facto incurrit, celebrantem, non incurrere irregularitatem; quia suspensio ab administratione, non est suspensio à Divinis vel ab ordine; præsertim cùm etiam suspensio ab administratione in spiritualibus commodè explicari possit in sensu proprio, absque relatione ad Ordinem: v. g. de susceptione ad Ordinem vel professionem, de correctione in Capitulo ac similibus. Accedit quòd in pœnalibus terminis mitiùs accipi, & interpretatione pro possibili mitigari debeant, juxta *Reg. 49. de R. J. in 6.* ibi: *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* 37

§. II.

De Effectibus Fidejussionis, videlicet, de Obligationibus, & favoribus Fidejussoris; ubi etiam de actionibus ex Fidejussione resultantibus.

S U M M A R I U M.

38 *Principalis obligatio Fidejussoris est, ut solvat id, quod debitor principalis tempore Fidejussionis debebat; si hic non est solvendo: etiam usuras, si ita promisit.*

39 *Fidejussor non tenetur plus, nec prius solvere, quam debitor principalis reverà debet: potest tamen fortiùs obligari, quam debitor principalis.*

40 *Si Fidejussor ad plus se obligavit, quam debitor reverà debuit, debet saltem illud solvere, quod debitor principalis à parte rei debet.*

41 *Probatur variè ex Jure.*

42 *Solvitur fundamentum Adversariorum.*

43 *Si Fidejussore ad certum duntaxat tempus fidejubente, creditor tempus sine consensu Fidejussoris prorogat, nihil debet Fidejussor.*

44 *Si debitor principalis est in culpabili mora solvendi, nocet etiam Fidejussori, casu quo absolutè, & non ad certum duntaxat tempus Fidejussit.*

45 *Fidejussor non tenetur ad usuras, aut alias novas cedentes obligationes.*

46 *Nisi specialiter, vel universaliter ad has quoque se obliget.*

47 *Fidejussoris obligatio transit etiam ad hæredes ejus.*

48 *Si plures sint Fidejussores super eodem debito, tenentur omnes in solidum: manetque liberum creditori, quem velit convenire.*

49 *Fidejussor habet quatuor specialia beneficia & favores.*

50 *Primum est beneficium Excussionis seu ordinis; in quo consistat?*

51 *Correcta sunt Jura antiqua beneficium Excussionis negantia.*

52 *Si notoriè constat, debitorem non esse solvendo, Fidejussor uti non potest beneficio Excussionis.*

53 *Item si debitor absens est.*

54 *Pariter si debitor est difficilis conventionis.*

55 *Nec non, si malitiosè negat Fidejussionem, & posteà convincitur.*

56 *Sicut etiam, si beneficio ordinis seu excussionis, expressè, vel tacitè renunciat.*

57 *Secundum Fidejussoris beneficium est Divisionis: in quo consistat?*

58 *Quo tamen beneficio non gaudet, si eidem expressè vel tacitè renunciat.*

59 *Vel si Fidejussionem malitiosè neget, & convincatur. Mendacium & negatio tollit beneficium ibid.*

60 *Aut si fiat Fidejussio pro tutore in re pupilli.*

61 *Tertium Fidejussoris beneficium est cedendarum actionum. In quo consistat.*

62 *Si creditor, uti tenetur, Fidejussori solventi cedat actiones, potest Fidejussor pro libitu contra debitorem, & confidejussores agere: si verò actiones non cedat, nulla ei competit actio.*

63 *Actiones possunt à creditore Fidejussori non tantùm ante, sed etiam post solutionem cedi.*

64 *Solvitur instantia ex Jure.*

65 *Quartum Fidejussorum beneficium est Liberationis. In quo constat?*

66 *Fidejussor in pluribus casibus petere potest liberationem à solutione, etiam antequam solvat; veluti primò, si debitor in culpabili mora solvendi est.*

67 *Secundò, si debitor incipit notabiliter dilapidare bona sua.*

68 *Nisi sciente Fidejussore, tempore Fidejussionis jam cœperit dilapidare bona sua.*
Necessitati qui se ultrò exponit non succurritur. Ibid.

69 *Vel nisi maturè se emendet fidejussor cessando à dilapidatione.*

70 *Tertiò, quando Fidejussor ad solvendum pro debitore condemnatur.*

71 *Nisi debitor à sententia legitimè appellet.*

72 *Quartò, si inter fidejussorem, & debitorem, hujus culpa exortæ sint capitales, vel graves inimicitiæ.*

73 *Quintò, si inter debitorem & fidejussorem conventum est, ut eveniente certa conditione, aut elapso certo tempore, liberaretur à Fidejussione.*

74 *Sextò, si fidejussor ex rationabili causa peregrè proficiscitur.*

75 *De actionibus ex Fidejussione provenientibus. Remissive.*

76 *Actiones ex Fidejussione resultantes dantur etiam contra hæredes.*

QUæritur I. Quæ sint obligationes Fidejussoris? 38
Resp. I. Primaria & principalis obligatio fidejussoris est, ut id totum & solum solvat, quod tempore fidejussionis debitor principalis debuit, & fidejussor in defectum debitoris principalis solvere promisit; etiam usuras sequentes, si ita promisit, & debitor solvendo non sit. Communis ac certa, *arg. l. fidejussores 68. ff. h. t.* *Fidejussor 10. C. h. t. l. Si mandato 8. C. Quod cum eo, qui in alienat.* ibi: *Et forti, & usuris te parere oportere, si ea his omnibus obligasti &c. Quòd si Fidejussor creditæ pecuniæ interceßisti, teneri te ex obligatione, explorati Juris est.*

Resp. II. Fidejussor ad plus non obligatur, quam debitor principalis; ut proin, si ex post facto rescinditur debitorem ad nihil, vel ad minus obligari, quam pro quo fidejussor intercessit, a tota, vel à parte obligationis liber quoque erit fidejussor, juxta obligationem tempore debitoris. Unanimis juxta clara Jura *l. 8. §. 7. ff. h. t. & §. 5. Instit.* ibi: *Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quàm debet is, pro quo obligantur.* Rationem dat ibidem Legislator: *Nam eorum obligatio est accessoria principalis obligationis: nec plus in accessione potest esse, quam in principali.* Quod intelligendum etiam est de tempore, ita ut Fidejussor priùs non obligetur, quam obligatur debitor principalis *cit. §. 5. Instit. h. t.* ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: *Plus est enim statim aliquid dare, minus est, post tempus dare.* Concordat *l. Fidejussor 57. ff. h. t. Fidejussor antequam reus debeat, conveniri non potest.* Illud tamen contingere potest, quòd fortiùs obligetur Fidejussor quam debitor principalis; veluti si debitor principalis ex solo Jure naturali, vel solo humano obligatus est, fidejussor utroque Jure ad idem debitum obligari potest, & reverà obligatur: naturali quidem, quia quævis promissio etiam naturaliter obligat: humano autem, quia Leges humanæ passim fidejussorem ad solvendum pro debitore principali obligent, & compellant. Layman *lib. 3. tract. 4. c. 19. n. 1.* Vallensis *h. t. n. 1.* & communis aliorum *arg. §. 11. Instit. h. t.*

Resp. III. Si casu aliquo Fidejussor ad plus se obligat 40 quam Principalis reverà debet, non corruit vel extinguitur tota Fidejussio, sed tenetur Fidejussor in defectum debitoris principalis saltem illud solvere, quod per debitorem à parte rei debet. Perez *C. h. t. n. 1.* Azorius *in C. eod. n. 7.* Zoesius *ad ff. eod. n. 9.* Molina *Disp. 451. n. 3.* Gomez *l. 2. Var. Res. n. 2.* Haunold. *Tom. 3. tr. 9. c. 1. Contr. 6. n. 94.* Valensis *h. t. n. 2.* dicens, hanc esse communiorem ac de Jure verissimam. Est tamen contra Fachin. *l. 8. c. 51.* Glossam *in l. Græcè ff. h. t.* Bartolum, Accursium, & alios, putantes, totam Fidejussionem annullari, ita ut Fidejussor ad prorsus nihil teneatur. Probatur conclusio: quotiescunque ex errore plus quam oportuit, promissum est, non tota obligatio, sed superfluum solummodò infirmatur *arg. l. Hactenus 11. ff. de Pecun. const.* ibi: *Si quis centum aureos debens, ducentos constituat, in centum tantummodo tenetur, quia ea pecunia debita est & l. Sed & si 12. ff. eod.* ibi: *Sed & si decem debeantur, & decem & stichum constituit, potest decem tantummodò nomine teneri.*

Probatur secundò. Qui stipulanti decem, promittit 41 viginti, saltem ad decem tenetur, quia decem insunt illis viginti; textu claro *l. 1. §. 4. ff. de V. O.* Ergo idem dicendum de fidejussione, cum & ipsa sit species stipulationis. Confirmatur ex *Reg. 37. de R. J. in 6. Utile non debet per inutile vitiari*, quando ab invicem separari possunt; prout in nostro casu fieri posse, suppono: ergo.

Potissimum Adversariorum fundamentum, quod 42 obji-

objiciunt, est textus *in l. Græcè 8. § 7. ff. h. t. Illum commune est universis, qui pro aliis obligantur, quod, si fuerint in duriorem causam adhibiti, placuit eos omninò non obligari.* Ex quo sic inferunt: ad plus obligatus, quam debitum principale reverà efficit, *omnino non*, consequenter nec ad debitum reverà existens, obligatur. Sed respondetur, negando consequentiam; quia ly *omnino non* optimè intelligi potest, *in solidum*, id est in totum promissum non obligatur; quia ly *omnino* in Jure sæpè accipitur in solidum, *leg. Sive 3. ff. Qui satisdare cogant & leg. Voluntate 10. ff. Quibus modis Pignor. & Hypoth.* Et ita ad allegatum respondet Perez: vel dic cum Harprecht *omnino non*, id est, nec naturaliter, nec civiliter obligari Fidejussorem quoad excessum. Vel dici potest cum Haunold. ly *non* minùs rectò sensu esse postpositum; cum potiùs præponi, & dici deberet *non omnino* obligari: in qua positione terminorum textus est apertè pro nobis. Neque est quid novi in Jure, tales postpositiones fieri, v. gr. *Omnes non*, loco *non omnes*, uti videre *l. 9. ff. Si quis in cautionibus*, ibi: *Quia verum est, omnes statos non esse, loco non omnes statos esse, & l. Sedes 11. § 11. ff. Ad exhibendam* ibi: *Cibaria potest non recusare, loco non potest recusare.*

43 Resp. IV. Si quis ad certum duntaxat, & determinatum tempus Fidejubeat, & elapso illo tempore creditor tempus solvendi sine consensu Fidejussoris, aut renovatione Fidejussionis adhuc prorogat, ad nihil ampliùs tenetur Fidejussor. Glossa *in § Si quid vers. Solverit. Inst. h. t.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 29. n. fin.* Sylvester *vers. Fidejussor n. 12.* & alii *l. Item quæritur 13. §. Qui impleto 11. ff. Locati.* Ratio est, quia *contractus ex conventione legem accipiunt, l. 1. ff. Depositi.*

44 Resp. V. Si Fidejussio absolutè fiat, absque determinatione aliqua temporis, tunc, si debitor est in culpabili mora solvendi, indeque res credita v. g. pereat, vel deterior fiat, etiam Fidejussori nocet hujusmodi mora, ita ut obligatio ipsius inde non cesset, nec minuatur, textu claro *leg. Mora 88. ff. de V. O.* ibi: *Mora rei Fidejussori quoque nocet & l. Si à colono 58. ff. h. t.* ibi: *Cum facto suo reus Principalis obligationem perpetuat, etiam Fidejussori durat obligatio; veluti si moram fecerit in Stycho solvendo, & is decessit.* Concordat *l. Si servum, 91. §. 4. ff. de V. O.* ubi etiam ratio additur: *quia in totam causam spoponderant*, id est, præsumuntur Fidejubentes ejus esse intentionis, quòd creditorem velint servare securum, etiamsi culpabili mora debitoris principalis obligatio perpetuetur.

45 Resp. VI. Si quis modo, in conclusione præcedenti, allato fidejubet, non tenetur ad usuras, aut alias novas obligationes principali debito ex post facto accedentes *l. Fidejussores 68. §. 1. ff. h. t.* ibi: Pro Aurelio Romulo conductore vectigalis centum annua Petronius & alii fidejusserant: bona Romuli Fiscus ut obligata sibi occupaverat, & conveniebant Fidejussores tam in sortem, quam in usuras: qui deprecabantur. Lecta subscriptione Fidejussionis, quoniam in sola centum annua se obligaverant, non in omnem conductionem, decrevit, Fidejussores in usuras non teneri. Concordat *l. Centum, 8. ff. De eo, quod certo loco.* Ratio est; quia nisi aliud ex tenore Fidejussionis constet, nullus Fidejussor censetur se ad amplius, quam debitum principale obligare.

46 Resp. VII. Quòd si quis in omnem causam, & eventum, vel etiam in specie ad novas accessiones, vel usuras fidejubeat, tenetur usuras quoque solvere, & alia damna compensare, eo modo, quo debitor principalis tenetur. Rursus communis per clara Jura *l. Quæro 54. ff. locati*: ibi: *Quæro, an Fidejussor conductionis etiam in usuras non illatarum pensionum nomine teneatur &c. Paulus respondit, si in omnem causam conductionis etiam Fidejussor se obligavit, eum quoque exemplo coloni tardiùs illatarum per moram coloni pensionem præstare debere usuras.* Concordat *l. Fidejussor 10. C. h. t.* ibi: *Fidejussor seu mandator, si in usuras quoque obligatus est, justam causam recusandi eas solvere non habet*; eò quòd sibi adscribere debeat, si cum similibus clausulis fidejussionem præstet. Hinc cautos esse oportet fidejussores, ne in præstanda & clausulanda fidejussione se, & hæredes suos nimium gravent. Nam

47 Resp. VIII. Obligatio fidejussoris transit etiam ad hæredes ejus, ita ut illis in tantum, & taliter maneant obligati, in quantum, & qualiter obligatus erat ipse fidejussor. Est doctrina indubitata *l. Fidejussoris 24. C. h. t.* ibi: *Fidejussoris quidem hæres exemplo Fidejussoris tenetur, & §. 2. Instit. h. t. Fidejussor non tantum ipse obligatur, sed hæredem relinquit obligatum*: sive dein specialis hæredum fiat mentio, sive non; prout expressè dicitur *l. Veteris 13. C. de contrahend. & commit. stipulation.* ubi etiam ratio additur, *Cur enim quod in principali persona justum est, non ad hæredes, & adversus eos transmittatur?*

Resp. IX. *Si plures sint fidejussores super eodem debito constituti, quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur. Itaque liberum erit creditori, à quo velit solidum petere*: sunt verba *§. 2. Si plures 4. Instit. h. t.* ut proin si reliqui solvendo non sint, ille solus, qui solvendo est, ad totum in solidum solvendum teneatur. Imo potest creditor, postquam contra unum jam egit, & ab eo, qui forsan solvendo non erat, nihil, vel non totum obtinuit, *ad alium reverti: cùm nullus de his electione liberetur, l. Reos 23. C. h. t.* Quomodo autem, cui, & quando in simili casu pluribus fidejussoribus super eodem debito constitutis, competat beneficium Divisionis, dicetur infra *n. 56 & seqq.* 48

Quæritur II. Quales favores & beneficia de jure competant fidejussori? & quid importent? Resp. I. Quatuor competere fidejussori beneficia, videlicet, 1. Beneficium excussionis, seu ordinis, 2. Beneficium cedendarum actionum, 3. Beneficium divisionis, & 4. Beneficium liberationis. Quidnam importent, patebit ex conclusionibus sequentibus. 49

Resp. II. Beneficium excussionis, seu ordinis consistit in hoc, quòd (regulariter loquendo) si creditor solutionem debiti prætendat, ordine priùs non ipsum fidejussorem molestare, sed principalem debitorem accedere, eumque excutere, hoc est; videre & explorare debeat, an sit solvendo nec ne: & reperto, quod ipse totum debitum solvere adhuc possit, apud eum, & non apud fidejussorem solutionem quærere habeat: Si verò reperiat, debitorem principalem vel nihil ampliùs vel saltem non totum solvere posse, tunc primùm fidejussorem pro solutione vel totius, vel partis juxta defectum principalis convenire valeat. Ita clarè statutum habetur *Authent. Præsente C. h. t.* ibi: *Præsente tamen utroque* (videlicet debitore principali, & fidejussore) *non conveniri intercessorem convenire, priusquam reus inventus est in aliis idoneus sive in totum sive in partem.* Ubi ulterius statuitur, quid faciendum, si debitor principalis, tempore solutionis faciendæ sit absens, his verbis: Absente autem reo præsens intercessor jure quidem convenitur, ipso tamen desiderante Iudex definiet tempus intra quod deducat reum primum conveniendum, ipso in subsidium reservando. Nam transacto tempore cōpellitur intercessor satisfacere, cessis sibi à creditore actionibus. Idem & adhuc amplius habetur *in Novell. 4. c. 1.* cujus capitis summa copiosa, in allegata *Authent. Præsente* continetur. 50

Suntque per has dispositiones correcta Jura antiqua *L. 23. C. h. t.* creditori universaliter libertatem concedentia, pro libitu priùs conveniendi debitorem principalem vel fidejussorem. Ut proin hodierno Iure fidejussor à creditore priùs conventus, eum illicò remittere possit, ac dicere; excute priùs debitorem principalem, vide & proba, an non ipse sit solvendo, quam excussionem creditor tam exactè ac rigorosè præstare debet, ut usque ad saccum & peram fieri debeat. Jason *in § fin. n. 6. Instit. de Act.* & alii. Dicitur notanter *regulariter loquendo*. 51

Nam dantur casus in quibus fidejussor beneficio hoc uti non potest, sed respondere & satisfacere debet; si ante debitorem principalem conveniatur. Veluti I. Si notoriè constat, debitorem principalem non esse solvendo. Mynsing. *cent. 2. Observat. 15.* Engel *h. t. n. 9.* Ratio est; quia tunc frustra fieret excussio. 52

II. Si debitor principalis absens est. *Authen. Præsent. C. h. t.* ubi tamen etiam ordinatur, quòd in hoc casu possit petere à Judice determinationem temporis, intra quod debitorem afferre, & in eum actionem transferre liceat; uti patet ex textu *n. 49.* citato. 53

III. Si debitor sit difficilis conventionis. Haunoldus citans communem. Ratio est, quia in tali casu æquè incommodum est creditori principalem debitorem convenire, 54

Jus Canon. Anacl. Reiff. Tom. III. X 3 ac

ac in casu absentiæ illius, atqui in hoc non gaudet fidejussor excussionis beneficio: ergo neque in illo.

55 IV. Si fidejussor malitiosè negat fidejussionem, & posteà convincitur. Barbosa *in cap. 2. h. t. n. 6.* Molina *Disp. 545. vers. Item Fidejussor.* Engel *loc. cit.* cum communi. Ratio est, quia mendacium aufert privilegium *L. Penult. C. Contra Jus & utilitatem*: ibi: *Etsi Legibus consentaneum sacrum oraculum mendax precator attulerit, careat penitus impetratis.*

56 V. Si fidejussor beneficio excussionis expressè vel tacitè renunciavit. Molina *Disp. 545. nu. 12.* Engel *h. t. n. 10.* & communis aliorum. Ratio est, quia est *Regula Juris antiqui, omnes licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare, L. pen. C. de Pactis. Pacta autem conventa, quæ neque contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnino observanda sunt, cit. L. pen. C de Pact.* Censetur autem tacitè renunciare ordinis, seu excussionis beneficio, si solvit non opposita beneficii exceptione. Item, si in fidejussione se tanquam principalem debitorem obligat, & quòd velit esse *Schuldner und Baller.* Engel *l. c.* estque receptum communi praxi Germaniæ.

57 Resp. III Beneficium Divisionis fidejussoribus competens consistit in hoc, quòd quando plures fidejussores pro eodem debito fidejusserunt, & creditor unum ex illis, ut totum solvat, conveniat, uti potest; cum singuli in solidum teneantur, per textum ex *§. si plures 4. Inst. h. t. n. 47.* citatum, possit conventus excipere, & dicere, ut singulos æqualiter pro suis partibus conveniat; si sunt solvendo. Ita habetur ex Epistola Divi Hadriani, prout videre est *§. Si plures 4. Instit. h. t* ibi: *Ex Epistola D. Hadriani compellitur creditor à singulis, qui modo solvendo sunt, litis contestatæ tempore partes petere.* Concordat *l. Si contendat 28. ff. eod. l. Non rectè 3. l. Fidejussor 10. C h. t.* ibi: *Is, qui cum altero fidejussit; non solus conveniatur, sed dividatur actio inter eos, qui solvendo sunt.*

58 Limitatur Conclusio, ita ut Fidejussori beneficium Divisionis non competat. I. Si huic beneficio expressè vel tacitè renuntiat. Molina *Disp. 543* Engel *h. t. n. 11.* cum communi, *arg. l pen. C. de Pactis & l. Inter 26. ff. h. t.* Censetur autem tacitè renuntiare huic beneficio, si sine oppositione beneficii Divisionis ad instantiam creditoris totum debitum solvat. Engel *loc. cit.* quo tamen casu competit ei actio contra alios confidejussores prout magis dicetur infra *n. 60. & seqq.*

59 Limitatur II. Si Fidejussor, qui in solidum conventur, malitiosè negat, se esse Fidejussorem: textu claro *l. Si dubitet 10. §. 1. ff h. t.* ibi: *ita demum inter fidejussores dividitur actio, si non inficientur: nam inficientibus auxilium Divisionis non est indulgendum.* Sequitur communis DD.

60 Limitatur III. Quando plures fidejubent pro tutore in re pupilli; tunc enim conventus in solidum totam summam solvere tenetur, etiamsi confidejussores sint solvendo *l. fin. ff. h. t* Molina *loc. cit n. 7.* cum communi.

61 Resp. IV. Beneficium cedendarum actionum Fidejussoribus competens consistit in hoc, quòd, si unus Fidejussorum beneficio divisioni, vel excussionis non utatur, aut ex aliqua causa uti non valeat, sed à creditore conventus totam summam nomine proprio, Fidejussoris videlicet solvat, de Jure à creditore petere, & prætendere possit, ut sibi cedat omnes actiones, tam personales quam reales, etiam hypothecarias, ac pignoratitias, quas ipse tam contra debitorem principalem, quam contra confidejussores, ac Pignorum possessores habet, Molina *Disp. 544.* Engel *h. t. num 12.* & communis aliorum, *arg. l. Cùm alter 11. C. h. t. l Fidejussoribus 17. l. Cùm is 36. ff. h. t.* Quod, si creditor recuset actiones cedere solventi Fidejussori, cogere eum potest per Judicem, ut cedat. Lopez *l. 11. tit. 2. part. 5.* vel poterit retinere debitum, donec cedat actiones; imò etiam repetere jam solutum, tanquam indebitum. Glossa *l. fin ff. h. t.* Molina *loc. cit.* cum aliis.

62 Casu quo ergo creditor, ut tenetur, Fidejussori cedat actiones, quas habet, poterit tunc Fidejussor pro libitu vel contra debitorem principalem, vel contra reliquos Fidejussores agere, uti poterat ipse creditor, *arg. l. Cùm is 36. ff. h. t.* Si verò cessionem actionum non petat, vel actiones eidem non cedantur; nec contra debitorem principalem, nec contra confidejussores ulla ei competit actio: textus est in *l. Ut Fidejussor 39. ff. h. t. & l. Cùm alter 11. C. eod.* Non quidem contra Fidejussores reliquos, quia nec ex contractu, nec quasi contractu eidem obligati sunt, utpote qui non ipsi Confidejussori, sed creditori principali per fidejussionem se obligarunt. Nec contra debitorem principalem; quia pariter non cum ipso, sed cum creditore contraxit, eique se per Fidejussionem obligavit. Nihilominùs, si sciente de mandante, vel rogante debitore fidejussit, & solvit, habet contra eundem actionem mandati *§. 6. Instit. h. t.* ibi: *Si quidem autem fidejussor pro reo solverit, ejus recuperandi causa habet cum eo mandati judicium,* juncta *l. Si remunerandi 6. §. 2. ff. Mandati*: vel negotiorum gestorum, si debitore absente, vel ignorante fidejussit, & realiter solvit, *l. Sed videamus 4 ff. de Negotiis gestis* si verò pro vetante & contradicente, aut donando animo fidejuberet, caret omni actione, *arg. l. fin. C. de Negotiis gestis & cit. l. Sed videamus 4. ff. eod.*

63 Illud hic etiam specialiter observandum, quod cessio actionum à fidejussore totum debitum solvente, peti & obtineri possit non solùm ante solutionem, aut tempore solutionis, vel statim post illam, sed etiam ex intervallo, & tempore subsequente, ut benè docet Molina *Disp. 544. n. 4.* Engel *h. t. n 12.* Harprecht *in §. Si plures 4. Instit. h. t.* Azorius, Lopez, & alii *arg. l. Papinianus 28. ff. Mandati*, & ibi Glossa *fin. l. Stychum aut Pamphilum, §. Si mandato 10. ff. de Soluti* juncta *l. Si quid possessor 31. prin. ff. de Petit. hæred.* Ratio est; quia hoc ipso, quod nomine suo Fidejussoris nempe aliquid pro debitore principali solvit, censetur ea intentione, & tacita conditione, ac pacto solvere, ut sibi à creditore cedantur actiones.

64 Nec obstat, *l. Modestinus 76. ff. de Solution.* quæ contrarium statuere videtur; Nam, uti benè respondet Glossa ibidem, eam intelligi de illis fidejussoribus correis debendi, quorum singuli tenentur in solidum principaliter: aut de illis fidejussoribus, qui non nomine proprio fidejussorio, sed nomine debitoris solverunt, ut ait Glossa *fin. in l. Papinianus 28. ff. Mandati.*

65 Resp. V. Beneficium Liberationis, quo gaudet fidejussor, consistit in hoc, quòd in certis casibus, etiam antequam solvat, petere possit liberationem à fidejussione, & contra debitorem liberè recusantem agere, ut eundem liberet, solvendo nempe creditorem, vel alium idoneum Fidejussorem; aut sufficientia pignora substituendo. Hujusmodi casus tres enumerantur in *c. fin. h. t.* illis verbis: *Eum, pro quo fidejussorem te obligasti, si diu in debiti solutione cessavit, aut dissipare bona sua cæpit: seu super hoc condemnatus fuisti jure poterit convenire, ut te à fidejussione debeat liberare.* Concordat *l. Lucius 38 §. 1. ff. Mandati* ibi: *Si diu in solutione reus cessavit, aut certè bona sua dissipavit; præsertim si domi pecuniam fidejussor non habebit, qua numerata creditori, mandati actione conveniat.*

66 Primus itaque casus, quo fidejussor liberationem petere, eamque debitor præstare tenetur, est; si debitor diu negligit solvere, seu in culpabili mora solvendi est. *l fin. h. t. & l. Lucius ff. Mandati.* Ratio est, ne continuum, & quasi perpetuum sit fidejussoris periculum, et onus. Quamdiu autem in mora solvendi existere debeat debitor, ad hoc, ut fidejussor, antequam solvat, liberationem à fidejussione petere valeat, non conveniunt Doctores, alii enim, uti videre est apud Molina *Disp. 546. n. 8* volunt, sufficere biennium: alii contendunt, requiri decennium, prout videre est apud Gailum *lib. 2. Observ. 29. nu 6.* veriùs tamen, Jurique conformius dicitur, id consideratis circumstantiis, Judicis arbitrio relinquendum esse. Et ita docet Barbosa *in cit. c. fin. h. t. n. 4.* Gailus *loc. cit.* Menochius *de Arbitrar. casu 41. n. 3.* Molina *Disp. 546. n. 8.* cum communi aliorum, clareque desumitur ex *l. 1. §. fin. ff. de Jure deliberan.*

67 Secundus casus est, quando debitor principalis incipit esse prodigus & dissipare bona sua, *c. c. fin. h t. & l. Lucius ff. Mandati.* Ratio est; quia, cùm tunc periculum sit in mora, ne fidejussor sine spe aliquid à debitore recuperandi, cùm suo tempore solvere, sicque damnum incurrere debeat, meritò ante solutionem liberationem à fidejussione petit. Est autè intelligenda conclusio non de parva & modica, sed de magna & tali dilapidatione, qua rationabiliter timetur paupertas debitoris, & impotentia solvendi. Gailus *loc. cit. num. 8. arg. l. Scio 4. ff. de Restitut. in integr.* & ibi Glossa *vers. Summam.*

68 Limitatur Conclusio in casu, quo debitor tempore fidejussionis sciente fidejussore jam cæpit dilapidare bona sua, prout benè docet Glossa communiter recepta *in l. Si pro ea. 10. C. Mandati.* Gailus *loc. cit. n. 9.* Pirhing *h. t. n. 18. arg. l. Si creditores ff. de Privilegiis creditorum.* Ratio est; quia talis fidejussor periculum sponté in se suscepisse præsumitur. Non autem succurritur ei, qui se ultrò necessitati exponit: *neque enim meretur*, ait Ulpianus *l. Si Fidejussor 7. ff. Qui satisdare cogantur*; *qui ipse sibi necessitatem satisdationis imposuit.*

69 Barbosa *in c. fin. h. t. num. 6.* citans Tiraquell *cessante causa part. 1. in princ. nu. 22.* Manticam, & alios, limitat etiam Conclusionem; si debitor post inchoaram dilapidationem iterum ad meliorem frugem revertitur, & antequam ad inopiam vel impotentiam solvendi, aut periculum ejus perveniat, a dilapidatione cessat. Ratio est; quia cùm in tali casu res adhuc sit integra, cessetque causa petendi liberationem, periculum nempe damni Fidejussoris, nullatenùs poterit ante solutionem pro liberatione agere, eò quòd, nisi adsit legitima & justa causa, ante solutionem Fidejussor liberationem à Fidejussione petere nullatenus valeat, textu claro, *l. Si pro ea 10. C. Mandati.*

70 Tertius casus est; quando Fidejussor, ut pro debitore solvat, condemnatur: Tunc enim illicò agere potest adversùs debitorem, ut eum à Fidejussione liberet, ac indemnem servet, *cit. c. fin. h. t. & l. Lucius ff. Mandati*, juncta *l. Fidejussor 45. ff. h. t.* etiam antequam solvat; quia cùm sententia paratam habeat executionem, *l. Post rem 56. ff. de re Judicat.* perinde est, ac si jam solvisset. Addit Barbosa in *c. fin. h. t. n. 9.* Gailus *Observ. 29. n. 13.* Menochius *de Arbitrar. casu 41. n. 19.* Pirhing *h. t. n 18.* agere etiam posse Fidejussorem pro liberatione statim post conclusionem in causa; quia, etsi tunc condemnatus nondum sit, certum tamen est, quòd condemnandus sit, ut proin meritò jam habeatur pro condemnato. Idem dicendum, quando vi statuti sententia, seu condemnatio necessaria non est, veluti si Fidejussor per instrumentum confessionatum est obligatus &c. Barbosa *loc. cit. n. 10* citans plures alios, Gailus *loc. cit. n 12.*

71 Limitatur autem Conclusio, quando Fidejussore condemnato appellat debitor, Barbosa *loc. cit num. 11.* Pirhing *h. t. nu. 8.* Ratio est; quia per appellationem, nisi frivola sit, & frustratoria, suspenditur sententia, ut patet per ea, quæ diximus *Lib. 2. Tit. 28 §. 7. de Appellatione.* Præter hos casus *cap fin. h t & l Lucius, ff. Mandati*, contentos, assignantur à Doctoribus adhuc alii. Unde

72 Quartus casus præbens Fidejussori justam causam petendi liberationem à fidejussione est, si inter debitorem & fidejussorem graves vel capitales exortæ sunt inimicitiæ. Barbosa *loc. cit. num. 14.* Surd. *de Aliment. tit. 1. q. 45 n 73.* Pirhing *h. t. n 18. arg. l. Filius familias 8. §. fin. ff. de Procurat.* Intellige, si culpa debitoris, non item, si culpa fidejussoris inimicitiæ sint exortæ; alias enim pro libitu liberare se posset à fidejussione fidejussor, incipiendo nempe iniquè litem ac discordiam.

73 Quintus casus est, si inter fidejussorem & debitorem conventum est, ut eveniente certa conditione, aut elapso certo tempore liberaretur Fidejussor, Glossa in *c. fin. h. t. vers. Si diu.* Barbosa in *cit. cap. fin. h. t. n. 13.* Gailus *loc. cit. n. 13. & 14.* Menochius *de Arbitrar. casu 42. n. 26.* Pirhing *h. t. n. 18.* Ratio est, quia contractus ex conventione legem accipiunt *l. 1. §. 6. ff. Depositi*, & pacta justa servanda sunt, *l. pen. C. de Pactis.*

74 Sextus casus est, si fidejussor ex rationabili causa, v. g. negotiationis, studiorum, vel simili, vult peregre proficisci, Abbas in *c. fin. h. t n. 4.* Barbosa in *idem c. n. 16.* Pirhing *h. t. n. 18.* Gailus *lib. 2. Observ. 29. num. 15. arg. l Filius familias 8. §. fin. ff. de Procurat. l. Aut si 9. & l. Aut longa 23. ff. eod.* Sunt præter enarratos adhuc alii, minùs tamen in praxi occurrentes casus, in quibus pro liberatione agere potest fidejussor, quos vide apud Doctores, præsertim Socinum *Reg. 147.*

75 Quæri hic etiam posset, quæ actiones oriantur ex fidejussione? verum quia de hoc suprà à *num. 60.* de Beneficio cedendarum actionum sufficienter jam egimus, docendo, quòd creditori principali competat actio contra debitorem principalem, & fidejussorem, quam actionem fidejussori solventi, vel ad solvendum damnato cedere potest ac debet; ideò hic nihil repetimus, sed illuc Lectorem remittimus.

76 Id solùm notandum, quòd actio, quam creditor, vel ex hujus cessione fidejussor habet, non tantum detur contra debitorem principalem, ac fidejussorem, atque confidejussores, sed etiam contra hæredes eorum, *§. 2. Inst. h t.* ibi; Fidejussor non tantùm ipse obligatur, sed etiam hæredem relinquit obligatum, *& l. Fidejussor 24. C. h. t.* Etiamsi nulla hæredum fiat mentio, *l. Veteris 3. C. de Contrah. & committ. stipulat* ibi: Generaliter sancimus, omnem stipulationem sive in dando sive in faciendo, sive mixta ex dando & faciendo inveniatur, & ad hæredes & contra hæredes transmitti; sive specialis hæredum fiat mentio, sive non imò etiamsi fidejussoria obligatio taxativè concipiatur, & dicatur, quòd fidejussor solus, vel tantum duntaxat teneatur, contra hæredes ejus dabitur actio, *l. Si necessarias 8. §. 4. ff. de Pignor. action.*

T I T U L U S XXIII.

De Solutionibus.

1 *Ratio continuationis.*

Quandoquidem debitore principali non solvente, ad solvendum compellitur fidejussor, juxta vulgare illud Germanum adagium *die Burger muck man würgen* recto ordine post *Tit. de Fidejussor.* sequitur *Tit de Solutionibus*, quamvis solutionis obligatio etiam ex aliis capitibus oriatur.

§. I.

De Natura Solutionis; ac iis, qui solvere possint, & debeant: nec non de illis, quibus solvi possit ac debeat.

S U M M A R I U M.

2 *Solutio latè sumpta quid?*
3 *Solutio propriè sumpta definitur.*
4 *Omnis, qui debet, tenetur solvere per se vel per alium.*
5 *Si solvendo non est, tenetur cedere bonis.*
6 *Qui non habet in ære, luat in cute, quomodo intelligendum?*
7 *Solvendo non existens Clericus non tenetur cedere bonis, nec potest propterea incarcerari, aut aliter molestari.*
8 *Limitatur primo in Clerico Minorista*
Opinio contraria Fagnani. Ibid
9 *Secundo in Clerico malitiose negante debitum.*
10 *Tertiò, si Clericus debet ex delicto: item qui bona illicitè v. gr. cum meretricibus consumpsit.*
11 *Quartò, si est suspectus de fuga.*
12 *Quinto in casu, quo creditor magis eget, quam Clericus debitor.*
13 *Qui rerum suarum administrationem non habet, validè solvere non possunt.*
14 *Procurator tam specialis, quam universalis pro debitore solvere potest.*
15 *Imò quivis alius etiam pro invito solvere potest.*

16 *Successor Ecclesiasticus solvere tenetur debita ab antecessore pro Ecclesiæ utilitate contracta.*
17 *Non item alio titulo contracta.*
18 *Ut successor teneatur solvere debita antecessoris, debet priùs creditor probare, ea in Ecclesiæ utilitatem, vel necessitatem fuisse conversa.*
19 *Aut saltem, quod tunc temporis adfuerit Ecclesiæ necessitas.*
Subtilitas nimia in observando Jure subinde nocet. Ibid.
20 *Solutio primum fieri debet, ac potest creditori etiam invito, si administrationem suorum bonorum habet.*
21 *Ei verò, qui administratione caret, solutio fieri nequit.*
22 *Fieri tamen potest ejusmodi tutori, aut curatori, in quo casu securiùs quis facit, ut adhibeat authoritatem judicis.*
23 *Procuratori tam generaliter, quam specialiter ad solutionem accipiendam deputato rectè solvitur, & n. seq.*
25 *Idem est de servis, & filiis familias specialiter vel generaliter ad id deputatis.*
26 *Etiam creditori creditoris rectè fit solutio.*

2 Quæritur I. Quid sit solutio? Respond. I. Solutionem posse latè, ac generaliter; atque proprie & strictè sumi. Generaliter, & late sumpta significat omnem quamcunque satisfactionem, pro omni quacunque obligatione, sive per ultroneam promissionem, sive alio quovis modo contractam, *l. Solutionis verbum 54. ff. h. t.* ibi: Solutionis verbum pertinet ad omnem liberationem, quoquo modo factam, & *l. Solutionis verbo 176. ff. de V. S.* ibi: Solutionis verbo satisfactionem quoque omnem accipere placet: solvere enim dicimus, cum quis fecit, quod facere promisit.

3 Resp. II. Solutio proprie ac stricte sumpta, est idonea ac sufficiens debiti præstatio, seu satisfactio, tempore & loco convenienti legitime facta. Ita in re communis. Nec indiget aliqua declaratione; cum pateat ex terminis: Solum notanda verba legitime facta, quorum loco alii, sed minùs juridice, ponunt, creditori facta, quia uti ex *l. Solutam 49. ff. h. t.* constat, & ex infra dicendis patebit, vera solutio esse potest, etsi non ipsi creditori, sed alicui alteri personæ fiat.

4 Quæritur II. Quinam solvere teneantur, & possint? Resp. I. Solvere per se, vel per alium tenetur omnis, quicunque debet vel obligatur; sive dein sit Laicus, sive Clericus, sive Masculus, sive Fœmina. Ratio est; quia Justitia exigit, ut reddatur unicuique suum, seu quod ei debetur, notis Juribus: nec obligatio aut debitum tollitur nisi solutione, & satisfactione, *prin. Instit. Quibus modis toll. obligat.* ibi: Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur.

5 Resp. II. Si quis debitor solvendo ampliùs non sit, & est laicus, debet cedere bonis, ac permittere, ut bona ejus subhastentur. Germanis *sich auff die Gand schreiben lassen*. Ex quibus dein bonis cessis creditores servato Juris ordine §. III ponendo sumunt, quantum cuivis debetur, quamdiu aliquid adest, clara *l. 1. Qui bonis cedere possint* relictis tamen iis, quæ debitori ad sustentationem necessaria sunt. Nec enim fraudandus est alimentis quotidianis, ut dicit Ulpianus, *l. Qui bonis 6. ff. h. t.* Quo non obstante, si ad pinguiorem fortunam venerit, tenetur solvere, in quantum potest, *l. Is qui 4. ff. h. t.* ibi. Is, qui bonis cessit, si quid postea acquisiverit, in quantum facere potest, convenitur, cum concordantiis & *c. 3. h. t.*

6 Dices. Juxta tritum axioma, Qui non habet in ære, luat in cute, *l. 7 ff de Jurisdict.* ibi: Qui inopia laborat, corpus torquendum est, & *l fin. ff de In jus vocando*: ergo. Resp. distinguendo antecedens. In debitis ex delicto provenientibus, conceditur: ex mutuo, vel alio titulo provenientibus, negatur: quia dictum axioma tunc solùm procedit, quando quis delictum committit, cujus pœna pecuniaria est; nam in tali casu, si solvere nequit, luere debet in cute, ne delicta maneant impunita.

7 Resp. III. Quamvis, ut dictum, etiam Clerici solvere teneantur; nihilominùs, si ob inopiam solvendo non sunt, ob delictum bonis cedere non tenentur, nec excommunicari, incarcerari, aut aliter molestari non possunt. Abbas in *c. Odoardus 3. h. t. n. 3.* Barb. in *idem cod. n. 2.* Engel *h. t. n. 1.* Sannig *eod. c. 2. n. 1.* & communis aliorum *arg. cit. c. Odoardus 3. h. t.* Neque tenetur creditori ea cuncta cedere pro solutione debiti, quæ de præsenti habet, sed ea, quæ pro honesta sustentatione sunt necessaria deducere, ac sibi reservare. Glossa in *c. 3. h. t. v. Ad pinguiorem.* Menochius *de Arbitr. jud. casu 103. n 30.* Abbas *loc. cit. n. 8.* Engel *h. t. n. 1.* Covarruvias *Var. Res. lib. 2. c. 1. n 9.* cum communi aliorum, *arg. l. Is qui 4. ff. de Cession. bon.* Ratio est; quia sicut miles non tenetur solvere usque ad subtractionem sustentationis necessariæ, *arg. l. Miles 10. ff de re jud.* Ita dicendum de milite Christi, ut notat Glossa in dictam *l. Miles*.

8 Limitatur tamen Conclusio primò in Clerico; in minoribus primùm constituto, nisi serviat Ecclesiæ. Covarruvias *loc. cit. vers. Sed quo ad Decisionem.* Barbosa in *c. 3. h. t. n 8.* Menochius *loc. cit.* Molina *Disp. 121. n. 20.* cum communi aliorum, *arg. Conc. Trid. Sess. 23. cap. 6.* Quamvis Fagnanus in *cap. 3 h. t.* Juri vere conformiter doceat, quosvis etiam Minores Clericos gaudere beneficio, *cit. cap. 3. h. t.* cui tamen, quia praxis resistere videtur, adhærendum non videtur.

9 Limitatur secundo, si clericus malitiosè negans debitum, convincitur, Barb. in *c. 3. h. t. n. 11.* Bellettus *de Clerico debit. §. 2. n. 1.* Molina *loc cit n. 21* Fagnanus in *cit. c. 3. h. t. n. 55.* Put. *Dec. lib. 2. dec. 321.* Guttierez, & alii, *arg. c. 3 h. t.* ibi: Recognoscentem debita: id est, confitentem debita, uti bene exponit Glossa in *cit. c. 3. h. t. v. Recognoscente, arg. l. Si dubit. 10 §. 1. ff. de Fidejussoribus.*

10 Limitatur tertiò, quando Clericus convenitur pro debito descendente ex delicto, vel quasi delicto: tunc enim capi, & incarcerari potest, Barbosa *loc. cit. n. 13.* Bellet. *loc cit. num. 9.* Farinaccius *de Carcer. & carcerat. tom. 1. part. 1. quæst. 27. n. 72.* Abbas in *cap. Veniens 8. num. 4. de Transact.* Ratio est; quia male meritus publice, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet, *l. Bona fides, ff. Deposit.* Idem est de Clerico, qui ludo prohibito, aut cum meretricibus bona sua consumpsit. Bellet. *loc. cit. n. 6.* Barbosa in *cap. 3. h. t. n. 21* & teste Fagnano in *cap. 3. h. t. n. 39.* & 40 moderni communiter.

11 Limitatur quartò, si Clericus suspectus est de fuga, tunc enim capi cum bonis suis poterit etiam ab ipso creditore, ac tradi competenti Judici. Covarruvias *lib. 1. Variar. Resolut. lib. 2. cap. 1. nu. 9* Bellettus *loc. cit. n. 17. h. t. arg. cap. Olim 12. de Restitut. spoliat.* ubi licitum est cum moderamine inculpatæ tutelæ invadere Clericum pro rebus recuperandis, uti *loc. cit.* benè advertit Abbas.

12 Limitatur quintò in casu, quo creditor magis eget, quam ipse Clericus debitor. Barbosa *l. c. n. 7.* Belletus *loc. cit n 11.* & alii. Ratio est, quia in pari causa præferri debet, qui agit de damno vitando: sicut & in dubio pronuntiandum est pro eo, qui agit de damno vitando, uti DD. scribunt in *l. fin. §. Si autem C. de Iure deliberandi.* Plures alias limitationes vide apud Barbosam in *c. 3. h. t. a n. 6.* Bellet *de Clerico debitore §. 2.* & alios.

13 Resp IV. Ii, qui libera rerum suarum administratione carent, uti sunt pupilli habentes tutorem, minores, & prodigi habentes curatorem, sine authoritate curatorum, aut tutorum solvere non possunt, *l. Quod si 14. § fin. ff. h. t.* ibi: Pupillum sine tutoris authoritate solvere non posse, palam est. Concordat *§. fin. Instit. Quibus alien. licet.* Ratio est; quia solutio est quædam alienationis species, *Ibid* Quod, si nihilominus solvunt, non fit accipientis, cùm nullius alienatio eis sine tutoris authoritate sit concessa, ut dicitur *cit. § fin. Instit. Quibus alien. licet.* Concordat *cit. lib 14. § ult. ff. h. t.* ibi: Sed si dederit nummos, non fient accipientis, vindicarique poterunt. Planè si fuerint consumpti, liberabitur creditor à vindicatione. Pariter liber erit à vindicatione creditor, si pecunias à pupillo acceptas suis jam ita commiscuerit, ut dignosci nequeant. Zas. ad *lib. 19. §. 1. n 8. ff. de Rebus cred.*

14 Respond. V. Solvere pro debitore potest procurator ejusdem non tantùm ille, qui speciale ad id mandatum habet, sed etiam universalis, *l. Procurator 58. h. t.* ibi: Procurator, cui generaliter administratio rerum commissa est; potest exigere, aliud pro alio mutare. Additur lege immediatè sequenti, *ff eod.* Sed & id quoque ei mandari videtur, ut solvat creditoribus. Unde solutum à procuratore universali dominus repetere nequit; nam ut dicit Celsus *l. Quodlibet. 87. ff. h. t.* Quodlibet debitum solutum à procuratore meo (universali) uti patet ex contextu; non repeto.

15 Respond. VI. Non tantùm debitor principalis, aut procurator ejus, sed quicunque alius pro debitore etiam invito ac ignorante solvere, ac satisfacere, eumque à debito liberare potest, *l. Solutionem. 23. ff. hoc tit.* ibi: Solutionem vel judicium pro nobis accipiendo & inviti, & ignorantes liberari possumus. Idem habetur *l. Solvere 53. ff. eod.* Solvere pro ignorante & invito, cuique licet. Ratio ibidem redditur; quia nempe licet etiam ignorantis invitique meliorem conditionem reddere. Concordat *l. Solvendo 39. ff. de Negot. gest.* ubi eadem ratio additur, videlicet alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis & inviti, nos facere posse, deteriorem non posse. Ubi notandum, quòd si quis pro alio sciente, & volente solvat, habeat contra illum actionem mandati, *arg. l. Si remunerandi 6. §. 2. ff. Mandati.* Si pro ignorante, negotiorum gestorum actione repetere à debitore id, quod solvit, potest, *l. Cùm pecunia 43. ff. de Negotiis gest.* nisi, si quid debitoris interfuit, eam pecuniam non solvi, prout limitat, *cit l. Cùm Pecuniam* Si verò pro alio nolente ac contradicente solvat, nulla eidem actio, vel jus repetenti solutum competit, *arg. l. fi. C. de Negotiis gest.* & *c. l. 6. §. 2. ff. Mandati.*

16 Quæritur III. An Successor in Episcopatu, Prælatura, aut Beneficio solvere tenetur debita ab Antecessore facta? Respond. I. Affirmativè, si debita pro Ecclesiæ utilitate, vel necessitate fuerint contracta. Communis, textu claro *cap. 1. hoc tit.* ibi. Sicut filius debita patris solvere tenetur, ita Prælatus sui Prædecessoris pro Ecclesiæ utilitate contracta. Idem est de debitiss, quæ Antecessor pro sua necessaria, honesta, ac decenti sustentatione contraxit, Abbas in *cap. 1. h. t. n. 2.* Barbosa in *idem cap. n. 3.* Engel *h. t. n. 18.* Flamin. Paris. *de Resig. lib. 1. q 16 n. 15* Fagnan. In *idem ca. n. 10.* citans Rotæ decisionem. Ratio est; quia & hæc debita propter unionem, quam habet rector cum Ecclesia, pro necessitate Ecclesiæ censentur contracta, eò quòd Ecclesia teneatur Prælatum suum alimentare: cùm secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debet de altari, & qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede, *c. Cùm secundum 16. de Præb.*

17 Resp. II. Si Antecessor nec pro utilitate aut necessitate Ecclesię; nec pro necessaria aut honesta sui sustentatione, sed alio titulo debita contraxit, ea solvere Successor non tenetur, textu claro *c. 2 h. t. c. 4. de Fidejuss.* & *c. 1. de Deposito. can. 2. cau. 10. q. 2* juncta Glossa in *c. 1. h. t. v. Necessitate.* Accedit ratio, quia juxta *Reg. 56. Jur. in 6.* Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, & consequenter neque Clerici, debita contrahentis injuria vel prodigalitas nocere debet Ecclesiæ Hinc talia debita vel de Antecessoris relictis patrimonialibus solvi, vel his deficientibus insoluta manere debent: ut sibi adscribat, oportet, Fidejussor, vel creditor qui rectori Ecclesiæ ad alias, quàm Ecclesiæ necessitates quid mutuo dat, credit, vel pro eo fidejubet.

18 Respond. III. Ad hoc, ut Successor Ecclesiasticus teneatur solvere debita ab Antecessore contracta, debet creditor probare, pecuniam, vel rem creditam esse in utilitatem vel necessitatem Ecclesię, aut saltem necessariam Prælati sustentationem conversam, *ca 2. § 1 ad fi. ca. 20. q. 2.* ibi: Is creditor hic intelligatur, qui, quod credidit, probat, in utilitatem divinæ domus processisse. Concordat *cap. pen. de Fideiuss.* ibi: Nisi forsan manifeste constiterit, in utilitatem domus ipsius redundasse, ubi notanda verba: nisi manifestè constiterit.

19 Notant tamen communiter DD. uti Abbas in *cit. c. pen. n. 7. de Fidejuss.* Joan. Andreas In *cap. Ex præsentium de Pignor.* Hostiensis in *c. 1. h. t. n. 3.* Covarruvias *Var. Resol. li. 2. ca. 17. n. 3.* Fagnanus in *c. 1. h. t. n. 7.* Belletus de Clerico debitore *§. 3. n. 42.* & Glossa in *ca. 2. §. 1. ad fi. cau. 10. q. 2. v. Probat*, & alii, sufficere, si creditor probet, tunc temporis adfuisse casum utilitatis, vel necessitatis Ecclésiæ; etsi non probet, in eam pecunias, vel aliam rem creditam fuisse conversam, *arg. l. 1. ff. Quid si mutuum. 8. ff. de Exerc. Action.* & *l. Lucius 7. ff. eod.* Ratio est; tum quia, uti benè advertit Abbas, & Glossa locis citatis; nimis durum esse tam Prælato, quam creditori, si ille in quovis casu semper deberet mittere testes, vel aliter certificare, quòd pecunia mutuanda, vel res credito accipiēda actualiter in Ecclesię utilitatem expendatur: Vel hic, creditor nempe semper curiosé interrogare deberet, ad quem usum petatur, simulque attendere, in actu ipso ad Ecclesiæ utilitatem convertatur. Et profectò, si nimia subtilitate in hoc casu procederetur, timendum, ne potiùs in perniciem, quàm utilitatem Ecclesiæ verteretur, cùm vix inveniretur, qui cum Ecclesiæ Prælatis contraheret, prout Glossa *l c* ulteriùs benè notat, *arg. leg pen. prin. Cod. Ad S. C. Trebell.* ubi hujusmodi nimia Juris subtilitas in causa pupillorum rejicitur ex eadem ratione, illis verbis; Ne dum nimia subtilitate utimur circa res pupillares, ipsa subtilitas ad perniciem eorum revertatur.

20 Quæritur IV. Cuinam fieri debeat, aut possit Solutio? Resp. I. Primùm solutio fieri debet ac etiam invito potest ipsi creditori, dummodò is rerum suarū administrationem habeat, ipsaque solutio debito loco, & tempore fiat. Quòd si creditor solutionem in hujusmodi circumstantiis accipere nolit, poterit debitor pecuniam debitam Magistratui consignare, sicque se & à debito principali, & ab usuris liberare. Silvester *v. Solutio q. 4.* Engel *h. t. n. 2. ac 3.* Sannig *eod. cap. 2. n. 2.* ac communis, textu claro *l. Obsignatione C. h. t.* Porrò debet fieri creditori solutio; etsi ad mortem accusatus esset, *l. Reo 41. ff. h. t.*

21 Dicitur autem notanter in Conclusionem: dummodò rerum suarum administrationem habeat; huic enim, qui caret, sine authoritate tutoris, ac curatoris solutio securè non præstatur. Hinc si qui sine horum authoritate pupillo, minori, aut alii curatorem habenti, uti prodigo, amenti &c. solvit, & pecunia soluta perdatur, aut male consumatur, denuò pro solutione debiti conveniri potest. Ita DD. *l. c.* quia Pupillo solvi sine authoritate tutoris non potest *l. Pupillo 15. ff. h. t.* ubi tamen in favorem solventis additur: Si tamen solverit debitor, & nummi salvi sint, petentem pupillum doli mali exceptione debitor submovebit. Hinc

22 Resp. II. Creditore administratione suorum bonorum carente solvi potest ejusdem Curatori, vel tutori: textu claro *l. Quòd si 14. §. fi. h. t.* ibi: Curatori quoque furiosi rectè solvitur; item curatori sibi non sufficientis, vel per ætatem, vel per aliam justam causam, sed & pupilli curatori rectè solvi constat. Quo clarissimo, aliisque Juris textibus non obstantibus, securius facit debitor pupilli, aut minorennis, si adhibitam etiam authoritate Judicis solutionem præstat; secus enim pecunia soluta malè perdita, pupillo competit beneficium restitutionis in integrum, etsi pupillo cum authoritate Tutoris, aut curatoris, aut ipsi curatori, vel tutori debitum solverit *§ fin Instit. Quibus alienar. licet, vel, non.*

23 Respond III. Creditoris Procuratori speciale ad id, vel generale mandatum habenti solutio debiti legitimè fit: textu claro, *L. Vero 12. princ. ff. h. t.* ibi: Vero procuratori rectè solvitur. Verùm autem accipere debemus eum cui mandatum est vel specialiter, vel omnium negotiorum administratio mandata est; juncta *l. Qui omnem 34. §. 3. ff eod* Si verò mandato generali carens ad aliquid aliud, v. g. litem, specialiter constitutus est procurator, rectè eidem non solvitur, *l. Sed si 13. ff. de Pactis*, & *l. Hoc jure 86. ff h. t.* ibi: Hoc jurè utimur, ut litis procuratori non solvatur.

24 Porrò si creditor procuratorem suo officio privat, vel, ne solutionem accipiat, specialiter prohibet, idque debitor ignorat, liberabitur ab obligatione sua si hujusmodi procuratori solvat; secùs, si sciat, *cit. l. Vero 12 §. 2. ff. h. t.* ibi: Si quis mandaverit, ut Titio solvam, deinde vetuerit, eum accipere; si ignorans, prohibitum, eum accipere, solvam, liberabor; sed si scivero, non liberabor. juncta *l Qui hominem 34. §. 3. ff. eod.* ibi: Si Titium omnibus negotiis meis præposuero, deinde vetuero eum, ignorantibus debitoribus administrare mea negotia, debitores ei solvendo liberabuntur. Concordat *l. Dispensatori 51. ff. eod.*

25 Respond. IV. Servis quoque ac Filiis familias, si exi-

eng-

gendis pecuniis specialiter sint deputati, aut liberam acque universalem habent administrationem, ritè solvitur, per Jura *n. præc.* citata, ac *l. Si quis* 18. atque *l. Solutam pecuniam* 49 *ff. h. t.* ibi: Etsi jussu ejus alii solventur, vel servo actori, proficiet ei solutio.

26 Resp. V. Creditori creditoris, etiam sine hujus mandato vel consensu rectè solvi potest debitum, ita tamen, ut debitor per hujusmodi solutionem ipso Jure quidem nondum sit liberatus ab obligatione sua, liberare tamen exceptione doli mali illicò se possit, ac dicere; ergo jam solvi tuo creditori, casu quo ab illo solutionem prætenderet adhuc creditor, *l. Si opera* 6. *ff. de Doli mali except.* & ibi Baldus Sylvester *v. Solutio q.* 4. Perez *n.* 6. *h. t.* Nisi ex eadem causa, qua debitor obligatur creditori, hic obligetur alii priori creditori: v. g. debitor conduxit domum ab aliquo, qui eandem prius ab alio conduxerat: tunc enim ipso Jure liberatur debitor, solvendo creditoris, uti citati habent DD. *arg. l.* 36. *ff. de Negot. gest.* & *l.* 11. *§.* 5. *de Pignorit. act.*

§. II.

De eo, quod solvi, modoque, quo debitum solvi debet, ubi etiam de compensatione occulta.

S U M M A R I U M.

27 *Solvi debet idipsum in specie, quod debetur.*
28 *Non tamen tenetur debitor debitas pecunias in eodem specie monetæ, qua accepit, solvere, nisi ita conventum sit, aut aliàs creditor damnum pateretur.*
29 *Controversia de casu mutatæ monetæ.*
Mutatio monetæ alia intrinseca, alia extrinseca. Ib.
30 *Si sit intrinseca monetæ mutatio, debet fieri solutio juxta bonitatem intrinsecam monetæ tempore contractus, mutuò v. g. datæ.*
31 *Etiamsi id specialiter in pactum non deducatur, & num.* 32.
33 *Nisi augmentum, vel diminutio nimia esset.*
34 *In casu, quo species eadem monetæ conventæ haberi non posset, solutio fieri debet in alia specie ejusdem valoris.*
35 *Si tempore contractus nec de specie nec de numero monetæ aliquid conventum est, solutio fit in moneta tunc currente, sive extrinsecè, sive intrinsecè diminuta.*
36 *Idem est, si convenitur quidem, ut in certa specie monetæ fiat solutio, sed de certo numero nulla fiat mentio.*
37 *Nisi fiat mutatio monetæ ad certum solummodò ac determinatum tempus, vel etiam intrinsecè fieret.*
38 *Si debitor est in culpabili mora solvendi, contingente mutatione monetæ, damnum ad ipsum solum pertinet.*
39 *Qui factum debet, non satisfacit solvendo æquivalens interesse.*
40 *Solvitur objectio.*
41 *Regulariter loquendo, totum, quod debetur, simul & semel solvi debet.*
42 *Ponuntur quatuor limitationes.*
43 *Si quis ex pluribus causis debet, & aliquam Solutionem faciens non exprimat, quodnam debitum solvere velit, censetur semper solutum debitum magis onerosum.*
44 *Si tamen una cum capitali simul usuras debet, censeatur solutæ usuræ, etsi debitor capitale se solvere exprimat.*
45 *Si conventione speciali tempus solutioni præfixum est, servari debet.*
Dies interpellat pro homine. Ib.
46 *Si tempus in gratiam debitoris determinatum est, ante illud solvere potest debitor: secùs si etiam in gratiam creditoris determinatum invenitur.*
47 *Si nullum tempus est determinatum, potest debitor differre Solutionem, donec petatur.*
48 *Ponuntur aliæ limitationes.*
49 *Si certus locus Solutioni est præfixus, ibi fieri debet.*
50 *Quid Juris, si pro Solutione locus præfixus non est? usque ad n.* 55.
55 *Debitum absque solutione tollitur acceptilatione.*
Acceptilatio quid; ib.
56 *Restituens Chirographum, censetur tacitè remittere debitum; non item, si Pignus restituatur.*
57 *Licita est Compensatio tam publica quàm occulta, eaque debitum tolli potest.*
58 *Etiamsi ex parte utriusque concurrant debita inæqualia.*
59 *Ut Compensatio sit licita, requiritur primò ut debitum sit certum.*
60 *Secundò (loquendo de foro externo) ut fiat circa res ejusdem generis.*
61 *Tertiò, ut ordinaria via obtineri facilè nequeat.*
62 *In foro externo quorundam debitorum compensatio non datur. Et quorum.*
63 *Inter hæc etiam est debitum ex Commodato.*

Quæritur I. Quid solvi debeat? Respond. I. Idipsum, quod in specie debetur. Ratio est: quia, ut ait I C. Paulus *L.* 2. *§.* 1. *ff. de Rebus cred.* Aliud pro alio, invito creditori, solvi non potest. Unde non satisfacit debitor, si invito creditori rem aliquam æquè bonam vel pretium speciei debitæ solvat; cùm sæpè specialis affectio sit ad aliquam rem in specie, aliudque sit pretium, aliud res, *L.* 1. *ff. de Rerum Permutat.* & *L. Tantum* 88. *ff. de V. S.* Hinc etiam non liberatur ab obligatione debitor, si pro pecuniis dat, vel dare vult equum, bovem, agrum &c. tantundem valentem. Nam præter allegatam Juris rationem hujusmodi solutio haberet speciem emptionis: emere autem invitus, & vendere regulariter nemo tenetur, *l. Invitum*, 11. *C. de Contrahend. Emp.* 27

Respond. II. Priori Conclusione haud obstante, non tenetur debitor pecunias debitas, in eadem, qua accepit, specie solvere, sed satisfacit, si in alia quacunque demum specie dummodò proba, verbi gratia pro imperialibus sibi mutuò datis, Florenos &c. solvat, nisi expressè sit conventum, ut in eadem specie monetæ Solutio fiat, *l. Quæ extrinsecus*, 65. *§.* 1. *ff. de V. O.* Aut nisi ex Solutione in diversa specie monetæ damnum pateretur creditor, *arg l.* 99 *ff h. t.* Ratio conclusionis est; quia pecunia in genere suo regulariter mutuam functionem recipit, & in ratione proportionati valoris, nummi sunt ejusdem generis; nec in Solutione tam species, quàm valor ejusdem attenditur. Hinc *l.* 1 *§.* 1 *ac l. Titio*, 35 *ff. de Auro & Argento*, statuitur, quod si aurum, legatur, satisfacere hæredem, si vel aurum, vel pretium auri in alia specie monetæ præstet: si non certum genus Auri (v. g. aliqui certi extraordinarii valoris aurei) legatum sit, *cit. l.* 1. *ad fin. ff. de Auro, & Arg.* 28

Occasione præcedentis Conclusionis occurrit celebris inter DD. controversia examinanda. Quid Juris nempe, qualiter & in qua specie monetæ à debitore solutio præstanda; Item ad quem, debitorem nempe, an creditorem, damnum vel lucrum pertineat, casu quo valor monetæ, Principis dispositione mutetur? Ubi priùs notandum, duplicem esse, & fieri posse mutationem Monetæ, intrinsecam, & extrinsecam. Intrinseca est; quando ipsa materia Monetæ mutatur, ita ut eidem in pondere, vel detrahatur, vel deterior materia admisceatur, v. g. semicuprei quindenarii cudantur &c. Extrinseca verò est, si manente eadem bonitate materiæ, valor & æstimatio extrinseca mutetur, ita ut Thalerus priùs duobus Florenis constans, Principis dispositione quatuor vel quinque Florenis valeat. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 10. Engel *h. t. n.* 13. & communis DD. Hoc supposito 29

Respond. III. Si moneta mutata est intrinsecè, inspiciendum est tempus contractus, & Solutio præstanda in illa bonitate, ac valore Monetæ, quam tempore contractus habuit, ita ut vel eandem speciem Monetæ, vel si hanc non habet, novam deteriorem usque ad valorem tamen & æstimationem Monetæ habitæ tempore contractus solvat. Ita Gailus *lib.* 2. *Observ.* 73. *n.* 3. *ac* 6. Abbas in *c. Olim causam*, 20. *de Cen-*

sibus. Layman *loc. cit. n.* 19. Filliucius *tract.* 35. *p.* 2. *n.* 40. Covarruvias *de Collat. veter. numis. cap.* 7. *§. unico*, *nu.* 2. Engel *h. t. n.* 13. & communissima aliorum, *arg. c. Olim causam* 20. *de Censibus*, & *l. Cùm quid*, 3. *ff. de Rebus Creditis*. Ratio principalis est; quia justitia commutativa exigit, ut in omni debito tantundem in ea specie, seu genere, & qualitate solvatur, sicuti in obligationem fuit deductum; consequenter si ante viginti annos centum de bona materia cusos Thaleros mutuos accepisti, vel eisdem agrum creditò emisti; similibus Thaleris, vel certe alia monetæ specie secundum valorem & æstimationem intrinsecam eisdem æquivalente solutionem præstare teneris, neque satisfacis, solvendo in nova Moneta secundum valorem intrinsecum deteriori; licèt secundum æstimationem exteriorem per dispositionem Principis idem valente.

31 Sicut econtrà si contingat, post contractam obligationem in substantia, & materia meliorem Monetam cudi, non teneris in ejusmodi Moneta juxta valorem intrinsecum meliore solvere, sed potes in antiqua, tempore contractus, currente, vel secùndum æstimationem ejus solutionem præstare. Layman *loc. cit.* & alii. Nec refert, quòd aliquid specialiter in pactum deductum non sit; quia, uti dicitur *l. Cùm quid*, 3. *ff. de Rebus credit.* Cùm quid mutuum dederimus, etsi non cavimus, ut æquè bonum nobis redderetur, non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, reddere. Ratio ibidem additur: Nam in contrahendo, quod agitur, pro cauto habendum est; id autem agi intelligitur, ut ejusdem generis, & eadem bonitate solvatur, qua datum est.

32 Respond. IV. Si tempore contractus specialiter deductum est in pactum, ut in certa specie ac numero Monetæ suo tempore debitum solvatur, & interea mutatio extrinseca Monetæ fiat, damnum, vel lucrum creditoris erit ita ut tot Thaleros v. gr. solvere debeat, quot in pactum venerunt, sive valor eorum extrinsecè auctus, sive diminutus fuerit: v. g. Si creditò vineam emisti centum aureis in specie ac numero solvendis; vel mutuò 1000 Thaleros hoc pacto accepisti, ut solutio in specie & numero ejusdem Monetæ fiat, omninò teneris pro empto agro centum aureos in specie & numero, ac pro mutuo accepto, 1000. Thaleros in specie & numero solvere. Covarruvias *de Collat. veter. numis. ca.* 7. *§. un. concl.* 7. Abbas in *c. Quanto*, 18 *n.* 15. *de Jurejur.* Layman *loc. cit. n.* 13. eoque ac Covarruvia teste communis aliorum *arg l. Quæ extrinsecus*, 65. *ff. de V. O.* ac *l. penult. §. Mancipia*, *ff. Soluto Matrimonio*. Ratio est; quia contractus ex conventione legem accipiunt. *Reg.* 85. *Jur.* in 6 Nec aliud pro alio, invito creditori solvi potest *l.* 2. *§* 1 *ff. de Rebus credit.*

33 Limitat non immerito Conclusionem Engel *h. t. n.* 13. in casu, quo augmentum, vel diminutio Monetæ est nimis gravis; præsertim si ultra duplum fiat, tunc enim ait, quòd quamvis creditor ob pactum factum, ac susceptum periculum lucri, vel damni aliquid petere possit, id tamen fieri debeat, cum moderatione prudentis Judicis. Ratio est; tum quia Judicis arbitrium in causis, in quibus interesse prætenditur, requirit Legislator *l. unic. C. de Sententiis, quæ pro eo*; ubi etiam statuitur, hoc, quod interest dupli quantitatem minimè excedere; Tum quia verba contrahentium ad casus insolitos, de quibus tempore contractus verisimiliter cogitatum non fuit, cum rigore extendi non debent, *L. Continuus*, 137. *§. Cùm quis ff. de V. O.*

34 Casu quo tamen species Monetæ in pactum deductæ omninò periisset, aut reprobata esset, aut alia ratione haberi non posset, tunc solutio fieri potest, ac debet in alia Moneta ejusdem æstimationis, *arg. c. Olim de Censib.* Glossa *fin. in c. Olim* 20. *de Censib.* & ibi Abbas *n* 4. Layman *l. c.* Gailus *lib.* 2. *Obs.* 73. *n.* 7 dicens, esse communem omnium.

35 Respond V. Si nec certa species, nec numerus certus Monetæ in pactum fuit deductus, sed præcisè conventum est de quantitate, v. g. ut centum Floreni pro centum mutuò acceptis, vel agro empto &c. solverentur, & posteà contingat extrinseca Monetæ mutatio, potest & tenetur debitor in specie Monetæ tunc currente, sive sit aucta, sive diminuta, solvere, pertinetque lucrum, vel damnum ad ipsum, ita ut tantò pauciores nummos, vel corpora Monetæ obligetur solvere, quantò magis valor eorundem extrinsecus est diminutus. Covarruvias *loc. cit. §. un. n.* 3. *ad finem*, *ac concl.* 10. Abbas in *c. Quarto* 18. *n.* 2. *de Jurejur.* Hostiensis in *idem*. Minsinger *Cent.* 4. *Observ.* 1. Layman *loc. cit. n.* 15. Engel *h. t. n.* 14. Et alii. Et quamvis Conclusio ex Jure per textum aliquem sufficienter probari nequeat; Satis tamen probata manet per consuetudinem universalem saltem Romani Imperii, juxta quam aucta extrinsece Moneta, debita solvuntur minore numero corporum Monetæ; Ipso Ferdinando I. Anno 1559. in Comitiis Augustanis id approbante, ac concedente, ut debitores Florenis Rhenanis tribus crucigeris extrinsecè tunc auctis in eodē valore solvere debita sua potuerint. Ita de facto Ferdinandi, & consuetudine Imperii testatur Lay. *l. c.* De quibus verò causis, scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est, *l. De quibus*, 32. *pr in. ff. de Leg. & long. Consuetud.* Concordat *l* 33.

Procedit Conclusio etiam in casu, quo quidem conventum est, ut in certa specie monetæ, sed non in certo numero corporum ejusdem speciei solveretur: v. g. Si quidem dicat creditor; mutuò tibi trado hos centum aureos hac conditione, ut in aureis iterum solvas, sed non exprimat; ut centum hujusmodi in specie solvat secundum valorem extrinsecum tempore contractus currentem. Ita DD. *n præ.* citati, id probantes tum ex consuetudine allegata: tum etiam ratione: quia nempe auctio ac diminutio monetæ ideò fit, ut secundùm eam solutiones debitorum fiant; consequenter si aliud in pactum specialiter non deducitur, eidem debitores juitè se accomodant: præsertim cùm ipsi ante solutionem sint suarum pecuniarum domini, ad quos regulariter commodum & periculum rei spectat. Accedit, quòd in dubio benè fieri possit interpretatio contra creditorem; Nam in stipulationibus, cùm quæritur, quid actum sit, verba contra stipulatorem interpretanda sunt *l. Stipulatio* 38. *§. In stipulationibus* 18 *ff. de V. O.* quia stipulatori liberum fuit, verba latè concipere, id est, clarè exprimere *l. Quidquid* 99. *ff. eod.* ubi præterea universaliter statuitur: Quidquid adstringendæ obligationis est id, nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligendum est. 36

Limitatur autem etiam Conclusio primò, si mutatio monetæ non fuerit perpetua, idest sine determinato tempore, sed solummodò ad certum determinatum tempus. Layman *l. c. n.* 16. Engel *loc. cit. n* 14. *arg. l. Pretia rerum* 63. *ad finem ff ad l. Falcid.* Secundò limitatur, si mutatio monetæ non fiat à legitima potestate; uti per se patet. Tertiò, si moneta intrinsecè quoque mutetur, juxta dicta supra *n.* 30. 37

Resp. VI. Si debitor ritè interpellatus, ut solvat, est in culpabili mora solvendi, contingente monetæ mutatione ipse solus damnum sentire debet, Communis: Ratio est; quia universaliter, mora cuique sua, non alteri nocere debet. *Reg.* 25. *jur.* in 6. Putat quidem Engel, etiam hic intrare boni viri arbitrium; cùm justa causa, v. g. impossibilitas, aut magna difficultas dandi, à mora excuset, *l. Quod te* 5. *ff. de Rebus credit.* & ibi Glossa, cum Glossa in *cit. Regulam Mora*. Verùm; hoc est extra statum quæstionis, & conclusionis, quæ solum dicit, si debitor est in culpabili mora, qualis ibi non est, ubi adest justa differendi causa. 38

Resp. VII. Si quis obligatus est ad factum, non satisfacit, loco facti solvendo interesse æquivalens facto debito. Zoesius *ad ff. de V. O. n* 53. Konig. *h. t. n.* 19. & alii contra Harprecht, Ludivel, & communem aliorum. Probatur. Conclusio ex *l. Stipulationes* 72. *pr. ff. de V. O.* ibi: Stipulationes non dividuntur earum rerum, quæ divisionem non accipiunt, veluti itineris, actus &c. idem puto, si quis faciendo aliquid stipulatus sit, veluti fossum fodiri, insulam fabricari, vel operas &c. Accedit ratio; quia aliud pro alio invito creditore solvere non potest, *l.* 2. *§.* 1. *ff de Rebus cred.* 39

Obiicies cum Adversariis eandem *l. Stipulationes ff. de V. O.* ubi post textum allegatum ita pergit Lex: Celsus tamen refert, Tuberonem existimasse, ubi quid fieri stipulentur, si non fuerit factum, pecuniam dari oportere, idedque etiam in hoc genere dividi stipulationem: 40

secun-

secundùm quem Celsus ait, posse dici, justa æstimatione facti dandam esse petitionem. Favet etiam *l. 13. §. 1. ff. de Rebus cred.* cum concordantiis. Respond. subsequentem hunc textum legis Stipulationes, sicut & alia Jura solum velle, quòd post commissam moram creditor præstationem acceptare non teneatur, sed agere possit ad interesse: vel certè loqui de casu, quo factum præstari amplius nequit. Et ita respondendo concordantur Jura Juribus, juxta ordinationem, *c. Cùm expediat. 29. de Elect. in 6.* ibi: Cùm expediet concordare Jura Juribus, & eorum correctiones, si substineri valeant, evitari.

41 Quæritur II. Qualiter, seu quomodo fieri debeat solutio? Ante responsionem notandum, tria præcipuè ex parte modi solvendi requirere Jura. I. Ut totum solvatur. II. Ut debito tempore. III. Ut debito loco solvatur. De singulis singulas ponemus Conclusiones. Hinc Respond. I. Regulariter loquendo, obligatur creditor totum, quod debet, simul & semel solvere; nec tenetur creditor solutiones per partes accipere, quia v. g. debitor ad 1000. Florenos obligatus hodie 100. post annum ducentos solvere vellet. Est communis, caretque controversia *arg. l. Tutor 41. §. 1. ff. de Usuris l. 9. C. h. t. ac l. Planè 3. ff. Familiæ Erciscundæ*, ubi etiam Ratio additur, quia sæpè & solutio & exactio partium non minima incommoda habet.

42 Limitatur autem Conclusio primò; si creditor solutionem per partes ultrò accipiat. In quo casu intelligendus est textus *§. 1. ad fin. Instit. Quibus modis tollat. obligat.* ibi: Quod debetur, pro parte rectè solvitur; intellige, si invitus non est creditor; vel certè, si ita conventum, aut debitum per partes contractum est. Nam limitatur Conclusio secundò, si specialiter conventum est inter debitorem, & creditorem, quòd solutio per partes fiat, *l. Arbitrariæ. 2. §. 4. ff. de eo, quod loco.* Limitatur tertiò, si debitum per partes tantum contractum est, quia obligatio eo modo tolli potest, quo contracta est, *l. Nihil 35. ff. de Reg. Jur.* Gibal. *de Usur. leg. 1. cap. 3. art. 4. n. 2.* Limitatur quartò, si quis ex diversis causis debita contraxit, verbi gratia centum ex mutuo, viginti ex empto, decem ex locatione &c. *l. 1. C. h. t.*

43 Circa hanc limitationem quartam notandum venit, quòd si quis pluribus causis debitor existens, aliquid de suis debitis solvat, in ejus potestate sit, exprimere, quòd potiùs debitum per hanc particularem solutionem solutum velit: quod si verò nihil exprimat, libitum creditori maneat, pro quo debito solutionem acceptam habere velit. Ita expressè habetur *l. 1. ff. & C. h. t.* Additur tamen *l. 1. ff. h. t.* debitore nihil exprimente esse quidem in potestate creditoris, pro quo debito solutionem accipere velit, debere tamen eundem taliter se gerere, ut id constituat solutum, quod ipse, si deberet, esset soluturus, ita ut per aliquam partialem solutionem semper intelligatur illud debitum expunctum, quod magis gravat debitorem, eique onerosum magis, vel odiosum est. Ratio additur *cit. l. 1. ff. h. t.* illis verbis: Æquissimum enim visum est, creditorem ita agere rem debitoris, ut suam ageret. Concordat *l. In his 5. & l. Cùm ex pluribus, 97. ff. eod.* ubi etiam statuitur, quod etsi quis majorem quantitatem pecuniæ solvat, quam aliquod debitum efficit, nihilominus hujusmodi debitum, si magis odiosum est debitori, quia v. g. sub Infamia debet, ex toto, & proximè onerosum ex parte censeatur solutum.

44 Circa usuras tamen speciale quid statuere Jura, videlicet, quod si quis unà cum capitali simul usuras, aliquot, verbi gratia, annorum debeat, & aliquam solutionem præstet, priùs censeantur usuræ quàm summa capitalis solutæ; nec sit in potestate debitoris, priùs capitale quàm usuras solvere, licèt debitum summæ capitalis sit ei magis onerosum & odiosum, quàm usurarum; utpote cum ex illa, non item ex illis de novo iterum dare debeat usuras. Et ita statutum habetur *l. In his 5. §. 3. h. t.* Estque communis inter Doctores:

45 Resp. I. Si certum tempus ad solvendum, conventione speciali præfixum est, à debitore observari debet. Communis ac certa, *l. Solutum, 85. ff. h. t.* ibi: Solutum solvitur, non minus quantitate quàm die. Ratio est; quia contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. *Reg. 85. Jur. in 6.* & Pacta justa servanda sunt *leg. penult. C. de pactis.* Procedit Conclusio, etsi non urgeat solutionem creditor; quia dies interpellat pro eo, *c. fin. de Locat. Conduct.* & ibi Glossa *vers. Statuta* juncta *l. Magnam. 12. C. de Contrah. & committ. stipulat.* nec non *l. 2. C. de Jure Emphyteut.* Hinc si ob culpabilem moram determinato tempore solvendi; damnum patiatur creditor, resarciri debet à debitore, juxta *Reg. 25. Jur. in 6.*

46 Resp. II. Quando tempus determinatum fuit in gratiam debitoris, prout communiter contingere solet, *l. Cùm tempus 17. ff. de R. J.* potest debitor ante finitum tempus conventum solvere, teneturque solutionem creditor acceptare, *l. Quod certa 70. & l. Qui res 98. §. 4. h. t.* Ratio est; quia Regula Juris antiqui est, omnes licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare, *l. pen. C. de Pactis.* Si verò tempus in favorem creditoris determinatum fuit, prout fit quando pro summa capitali mutuò accepta dari debet usura, debitor ante illud tempus solutionem præstare non potest, nec eam creditor accipere tenetur *l. Javolenus 15. ff. de annuis legatis.* Et tradit communis Doctorum.

47 Resp. III. Si nullum tempus pro solutione fuit determinatum, potest eam differre debitor, donec creditor petat. Abbas in *c. Licet Heli de sim. n. 13.* Molina *Disp. 564. n. 7.* Lopez *leg. 8. tit. 14. p. 5. Glo. 1.* Caspor *p. 2. const. 28. defnit. 19.* ac communis aliorum, *arg. l. Debitores præsentes, 10. C. de Pignor. ac l. in fideicommissi 3. ff. de Usuris*: cum concordantiis. Probatur etiam à sensu contrario: quia hoc ipso, quod tunc solum monitio creditoris necessaria non sit, si tempus solutioni præfixum est; eadem monitio, seu petitio debiti necessaria rectè dicitur, si tempus præfixum non habetur. Ratio, quia quando in simili casu creditor solutionem non petat, prudenter præsumere potest debitor, creditorem quoad dilationem solutionis non esse invitum.

48 Limita tamen Conclusionem in casu quo debitum descendit ex delicto, v. g. furto; tunc enim etiam sine petitione in culpabili mora restituendi ac solvendi delinquens est. Sylvester *v. Mora, q. 1. Semper enim moram fur facere videtur, l. in re furtiva, 8. ff. de condict. furtiva.* Item limita, si debitor ex timore etiam reverentiali debitum petere non audet, aut illud ignorat; in hoc enim casu debitor in culpabili mora esse censetur ex eo tempore, quo arbitrio boni viri solvere potest ac debet. Sylvester *l. c.* & ita ad præsens intelligi debet *l. in omnibus, 14. ff. de R. J.* ibi: In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die habetur.

49 Resp. IV. Si certus locus solutioni præfixum est, Solutio fieri debet in loco convento, *l. 1. & l. 2. qui ff. de eo, quod certo loc. pet.* ibi: is, qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quàm in quo promisit solvere invito stipulatore potest. Nec potest creditor alio in loco à debitore solutionem justè petere *l. 2. §. 2. ff. eod.* Excepto casu, quo debitor vel data opera, vel etiam justa de causa ad locum conventum nunquam veniret, aut venire non posset, uti expressè habetur *l. 1. ff. eod.*

50 Resp. V. Si locus pro solutione determinatus non est, & debitum oriatur ex injusta acceptione, tenetur debitor propriis expensis restituere & solvere in eo loco, ubi creditor moratur, vel ubi dominus rem possessurus esset, si ablata non fuisset. Covarr. in *Reg. Pactum, p. 1. n. 9.* Lessius *l. 2. c. 15. dub. 8. n. 48.* Cajetanus *2. 2. q. 62. a. 5.* & communis aliorum. Ratio est; quia creditor injustè læsus, perfectè reddi debet indemnis, notis Juribus.

51 Si verò ex contractu quid debetur, & contractus in gratiam solius debitoris celebratus fuit, simulque talis est, in quo debitor aliquid, idem numero iterum restituendum accepit (uti fit in commodato v. g.) tenetur debitor propriis expensis restituere rem acceptam in eo loco, ubi accepit. Lessius *l. c. n. 52.* Gibal. *de Usur. l. 1. c. 3. a. 4. n. 7.* & alii. Ratio est; quia æquum non est, ut ejus expensis restituatur, cujus commodum in contractu non quæritur. Et econtra par est, ut qui sentit commodum & onus sentiat, *Reg. 55. de R. J. in 6.* Nec tamen tenetur ad locum remotum, quo forsan creditor migravit, remittere.

52 Econtra; si quid idem numero restituendum debetur ex contractu in gratiam solius creditoris celebrato, qualis est, si quis depositum custodiendum in gratiam debitoris accepit, expensis ipsius creditoris deponentis v. g. restituendum venit; nec tenetur illud debitor propriis expensis ad dominum remittere, sive præsens sit, sive alibi existat, sed satisfacit, si ibi, ubi accepit, tradat. Idem Lessius *l. c. n. 54.* & DD. communiter, ratione, & argumento, *præced. n.* à contrario sumpto.

53 Quod si autem quid debetur ex contractu gratuito, vi cujus aliquid accipitur, & nihil ampliùs redditur, uti fit in donatione, promissione, legato, solvitur res ibi, ubi tempore donationis v. g. existebat; nec tenetur donans, promissor, vel hæres rem donatam &c. expensis suis ad donatarium &c. transferre. Lessius *l. c. n. 59.* Ratio est; quia qui rem gratis donat, vel promittit, non intendit se ad amplius obligare; sed relinquit donatario, an rem donatam velit suis expensis auferre, nec ne. Actus autem agentium non operantur ultra intentionem eorum, *l. Non omnis, 19. ff. de rebus credit.* Barbosa *de Axiom. jur. vers. Actus.*

54 Si tandem quid debetur ex contractu, ratione cujus aliquid datur, & aliquid accipitur, veluti in emptione, locatione &c. locus solutionis illi erit, ubi res, pro qua datur alia, fuit accepta; nisi aliter inter se conveniant contrahentes Lessius *l. 2. c. 15. dub. 8. n. 56.* Engel *h. t. n. 7.* ubi testatur, ita communiter sentire DD. Ratio, quam proponit, & ad longum deducit Lessius *l. c.* est: quia nullus alius locus justitiæ magis congruit; eò quòd in similibus contractibus una res in locum alterius substituatur, quod perfectò modo fieri nequit, nisi idem locus servetur.

55 Resp. IV. Potest etiam debitor liberari à debito absque solutione per acceptilationem, textu claro *§. 1. Instit. Quibus modis toll. obligat. & l. In pluribus, 6. ff. de acceptilatione.* Est autem *Acceptilatio* imaginaria solutio, per interrogationem debitoris & responsionem creditoris facta, quod enim Titio debetur, si id Titius velit remittere, poterit, ut patiatur hæc verba debitorem dicere. Quod ego tibi promisi, habesne acceptum? & Titius respondeat, habeo: sunt verba *cit. §. 1. Instit. Quibus modis toll. obligat.* Ut autem acceptilatio valeat, fieri debet, cujus debiti remissio petatur *cit. l. In pluribus, 4. ff. de Acceptilat.* Hinc ibidem dicitur: Si ego aliud accepto tuli, aliud tu rogasti, nihil valere Acceptilationem.

56 Porrò potest talis remissio debiti non tantum per expressa verba, sed etiam tacitè fieri, & facta censetur; quando creditor debitori Chirographum restituatur, vel laceret, aut deleat, *l. 2. §. 1. ff. de Pactis* ibi: Si debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos convenisse, ne peterem. Non item, si ante solutionem Pignus restituat creditor, *l. 3. ff. de Pactis*, ibi: Postquam pignus verò debitori reddatur, si pecunia soluta non fuerit, debitum peti posse, dubium non est. Estque communis DD.

57 Quæritur III. Utrùm etiam per compensationem ritè fieri possit solutio, & debitum expungi? Ante responsionem scito, quòd Compensatio sit debiti & crediti inter se contributio, *l. 1. C. de compens.* quæ, si publicè fiat, publica erit; si occultè, occulta: sic v. g. Si quis tibi centum debet Florenos, & illos via ordinaria acquirere non valeas, ab eodem in occulto surripis totidem Florenos; vel debitor ejusdem occultus existens solutionem in æquivalenti non præstas, diceris occultam facere compensationem. Hoc notato. Resp. I. Si debitæ adsint conditiones, omni Jure licita est compensatio D. Thomas *2. 2. q. 66. a. 5. ad Testium.* Glossa in *c. jus Gentium 9. dist. 1. v. Sedium.* Abbas in *c. Sicut. 29. n. 14. & 15. de jurejur.* Navar. *Ma. c. 17. n. 112.* Sylvester *v. Furtum q. 13.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 9.* Molina *Disp. 691. n. 1.* Lessius *l. 2. c. 27. n. 16.* Engel *h. t. n. 15.* & communis aliorum *l. Dedisse 76. de V. S.* Dedisse intelligendus est, etiam is, qui compensavit. Non enim interest, solveris, an compensaveris; prout dicit Pomponius *l. Si debitor. 4. ff. Qui potiores Pig.* Concordat. *l. Si constat 4. C. de compensat.* Ratio est; quia Jure naturali, & gentium licitum est ex rebus debitoris sibi satisfacere, seque indemnem reddere: quando aliter solutionem obtinere quis nequit.

58 Nec refert, si debita sint inæqualia; v. g. tu debes alteri ducentos, & ille tibi ex alia causa centum Florenos: poteris enim nihilominùs uti compensatione quoad concurrentem summam, centum videlicet Florenorum Textus expressus habetur *L. l. 4. C. de Compens.* ubi etiam statuitur, quòd non tantùm tollat obligationem, ac si stat cursum à die, quo per debitorem opponitur compensatio, sed etiam à die, qua duo hujusmodi debita concurrerunt.

Dicitur notanter in Conclusione: *Si debitæ adsint conditiones.* Ut enim compensatio sit licita, & subsistat requiritur primò ut debitum sit certum, *L. 4. de Compensat.* & quidem pro foro externo, ac si publicè fiat, ut causa ex qua compensatur, liquida sit, & non multis ambagibus innodata, sed possit Judici facilè exitum sui præstare ut *Leg. 14. C. de Compensat.* ubi etiam monentur Judices, ut non proclives ad admittendas compensationes existant. Ratio est; quia in dubio melior est conditio possidentis. 59

Secundò requiritur pro foro externo, ut fiat compensatio circa res in eodem genere fungibiles: quare valet quidem, si per compensationem pecuniæ pro debito pecuniario, frumentum pro frumento, oleum pro oleo subripiatur: non item, si pecunia pro equo, aut equus pro bove &c. Abbas *in c. Bona fides, n. 12. de Compens.* Molina *Disp. 61. n. 1.* Layman *loc. cit. n. 9.* Engel *loc. c. n. 15.* & alii. Ratio est; tum quia *l. 2. §. 1. ff. de Rebus credit.* Aliud pro alio, invito creditori solvi non potest: tum quia diversa corpora diversæ sunt æstimationis; transiretque talis compensatio in novum contractum emptionis, vel permutationis; qualem inire invitus regulariter nemo tenetur, juxta superiùs dicta. Potest nihilominus in hoc casu res aliena diversi generis pro alia re debita retineri. Engel *l. c. arg. l. Si in sortem, §. 4. ff. de Condit. Indebit.* 60

Tertiò requiritur, ut alia convenientiori, & ordinaria via debitum facilè obtineri non possit. Glossa in *c. Jus gentium, 9. dist. 1. v. Sedium.* Abbas in *c. Sicut, 29. n. 15. de Jurejur.* ibi: Generali lege decernimus, neminem sibi esse judicem, aut jus sibi dicere debere. Layman *l. c. n. 9. arg. l. un. C. Ne quis in sua causa*; Molina *Dis. 691. n. 1.* 61

Porrò pro foro externo sunt quædam debita excepta ita ut in illis pro foro externo compensatio non valet, etiamsi sint ejusdem generis, & alia via obtineri nequeant. Veluti si quis Reipublicæ ex causa vectigalis, vel tributi debet, *l. 3. C. de compens.* Item si quis debet ex furto, rapina, spolio, fraude &c. *l. fin. C. de compens.* ibi: Possessionem autem alienam perperam occupantibus Compensatio non datur. Rursus si quis debet ex deposito, *c. fin. de Deposito*, ibi: Sanè depositori licuit pro voluntate sua depositum revocare, contra quod Compensationi vel deductioni non est locus. Ubi per ly deductioni compensatio ex parte intelligitur, Glossa in *cit. c. fin. v. Contra quod*, quæ fit, dum debita sunt inæqualia juxta dicta superiùs *n. 57.* 62

Utrum autem in foro externo etiam in Commodato compensatio valeat, nec ne, controversum est inter DD. Sylvester siquidem *v. Compensatio* Abbas in *cit. c. fin. de Deposit. n. 12.* citans communem, affirmativam tenet. Engel verò *h. t. n. 15.* Lessius *l. 2. c. 27. n. 16.* & alii negativam tuentur, quibus & nos adhæremus ob Juris textum reverà satis clarum *l. fin. C. de commodat.* ibi: Prætextu debiti, restitutio commodati non probabiliter recusatur. 63

Verùm pro foro interno conscientiæ hæc debitorum exceptio locum non habet: sed potest etiam fieri compensatio occulta, ita ut rem quamcunque creditoris etiam alterius generis in æquivalenti (si ejusdem generis haberi non potest) vel occultè surripere, vel, si jam habet (uti fit in deposito, commodato, re per furtum vel fraudem acquisita &c.) retinere debitor valeat; dummodò debitum sit certum; etsi illud probare nequeat; (uti pro foro externo requiritur *l. 14. C. de compens.*) & debitor rem suam ordinaria via acquirere commodè nequeat. Ita DD. *n. 56.* citati cum communissima aliorum, ob rationem ibidem citatam. 64

Monent tamen plerique, ut Molina, Layman *loc. cit.* Abbas in *c. Sicut 29. n. 15.* debitorem occultè compensantem, ut omni possibili modo vigilet, ac laboret, ne creditor vel hæres, ipsi debitori, vel hæredibus illius denuò solvat, aut ex erronea conscientia peccatum committant, omittendo solutionem, ad quam adhuc se obligatos existimant. Item attendat, monent, ne det scandalum, aut se ipsum infamet, ac tanquam alienæ rei invasor 65

vel

vel fur in foro externo habitus puniatur: sic enim per accidens etiam in foro interno peccatum committeret.

66 De occulta compensatione famulorum, & aliorum servitialium &c. dictum est suprà *Tit. de Locatione, & conduction. n. 105.*

§. III.

De Ordine inter creditores in solvendis debitis servando, dum debitor nimis obæratus moritur aut cedit bonis, ubi etiam de condictione indebiti.

SUMMARIUM.

67 *Condictio indebiti definitur.*
68 *Indebitum ac debitum triplex.*
69 *Qui utroque Jure indebitum per errorem solvit, repetere potest.*
70 *Solvens debitum Jure Civili, naturali verò indebitum repetere potest.*
71 *Pariter repetere quis potest solutum per ignorantiam facti, indebitum Jure Civili, & debitum jure naturali, dummodò ignorantia crassa & supina non sit.*
72 *Universaliter & absolutè loquendo, sive per Juris, sive per facti ignorantiam indebitum quis solvat, repetere potest.*
73 *Probatur, & confirmatur Conclusio ex Jure usque ad num. 77.*
77 *Qui sciens indebitum solvit, repetere non potest: secùs est, de eo, qui merè dubia & titubante solvit.*
78 *Asserens, se indebitum solvisse, probare debet: nisi solutum accipiens inficiè negaret, se aliquid recepisse.*
79 *Deficientibus ad cuncta debita solvenda meditis sequens ordo servari debet, ut primò solvantur, seu restituantur res alienæ apud debitorem existentes.*
80 *Secundò sumptus judiciales.*
81 *Tertiò impensæ funebres, ac illi creditores qui ad has intere aliquid subministrarunt.*
82 *Item illi, qui ad insinuationem testamenti, vel confectionem inventarii &c. aliquid subministrarunt.*
83 *Quartò debita contracta apud pharmacopœum, medicos, & chirurgos.*
84 *Tempore infirmitatis ultimæ, non item priùs contractæ.*
85 *Qui ad reficiendam, conservandam, ædificandam, vel emendam rem mutuò dant &c.*
86 *Quintò uxores quoad allatam dotem præferuntur etiam hypothecariis creditoribus, & quando?*
87 *Quoad dotem promissam, & nondum solutam nullo gaudens privilegio.*
88 *Sextò, pupilli, minores, ac reliqui curatorem habentes.*
89 *Septimo, Fiscus quoad bona eorum, qui cum illo contraxerunt, vel bona illius administrarunt.*
90 *Octavò, Creditores, hypothecarii expressam hypothecam habentes.*
91 *Quibus etiam comparantur provisitacia hypotheca.*
92 *Nono, Creditores Chyrographarii: qualis ordo inter ipsos.*
93 *Ordo de Iure Bavarico præscriptus.*

67 QUæritur I. Quid sit Condictio indebiti, & quando locum habeat? Resp. *Condictio* est actio personalis, quam quisque habet contra eum, cui indebitum, hoc est, aliquid, quod ei non debebat, per errorem solvit. Ita in re communis DD. *arg. tot. tit. ff. & Cod. de Condictione indebiti.* Declaratur definitio exemplo, v. g. si quis non amplius recordans, aut ignorans, à se, vel uxore, aut œconomo suo debitum aliquod creditori iam esse solutum, denuo solvat, potest dein, id reflciens, ita solutum tanquam indebitum condicere, id est, actione instituta repetere, si aliter reddere nolit creditor. Idem est, si quis ex ignorantia putet, se de Iure quid debere alicui, illudque solvat, quia uti *n. 72.* dicemus datur Condictio indebiti, non tantùm, si solutio per errorem facti, sed & si per errorem Juris facta est.

Pro secunda quæstionis parte prænotandum cum 68
Glossa *in cap. fin. h. t. vers. Indebitum* Abbate *in idem n.* 4. 7. & 8. *h. t.* & aliis: sicut debitum, ita indebitum varium, præsertim verò triplex dari. Primò enim datur indebitum Jure tam naturali quàm Civili, id est, quod nec Jure naturali, nec Civili debetur. Secundò datur indebitum jure naturali tantùm, Jure Civili verò debitum. Tertiò datur indebitum solo Jure Civili, naturali Jure verò debitum. Sic ex nudo pacto oritur obligatio, & debitum de Jure naturali, quod tamen de Iure Civili est indebitum, *l. Juris gentium, 7. §. Sed cum nulla, ff. de Pactis.* Hoc notato

Resp. I. Qui utroque Jure indebitum, id est, quod 69
nec Jure naturali, nec Civili debuit, per errorem solvit, solutum condicere, ac repetere potest. Communis ac certa, *tot. Tit ff. & Cod. de Condictione indebiti.* Ratio est; quia natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, *l. Nam hoc 14. ff. de Condiction. Indebiti* hoc autem iniquè fieret, si utroque Jure indebitum solutum repeti non posset.

Resp. II. Qui per errorem solvit indebitum Jure na- 70
turali, debitum verò Jure Civili, solutum pariter condicere, seu repetere potest. Glossa *loc. cit.* Abbas *in fin. h. t. n. 14.* Pirhing *eod. n. 32.* & alii, *arg. l. Si in fortem 26. §. Indebitum, 3. ff. de Condiction. indebit.* Ratio est; quia qui per errorem solvit, certat de damno vitando, is verò, qui solutum accepit, de lucro captando; in quo casu, nec Juris ignorantia nocet, *l. Error. 8. ff. de Iur. & facti. Ignorant.* ibi: Cæterum omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet.

Resp. III. Quando quis id, quod Jure naturali tan- 71
tùm, non item Civili debet, per ignorantiam facti solvit, condicere ac repetere solutum potest. Glossa *in cit. c. fin. h. t. vers. Indebitum.* Abbas *in idem n. 12. arg. l. Error. 8. ff. de Iur. & facti. Ignorant.* ibi: Error facti nemo rursus quidem in damnis & compendiis non sit. Dummodò supina, crassa, aut affectata non sit, *l. Nec supina, 6 ff. eod.* ibi. Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis. Ratio ibidem assignatur; quia hujusmodi ignorantia pro scientia habetur; ubi autem quis scit, se Jure naturali quid debere, haud dubiè solvere, aut solutum jam relinquere tenetur; etsi Jure Civili ad id non teneatur, eò quòd ignorantia talis non excuset, *cap. apostolicæ 9. de Cleric. excommun. ministr. & c. 2. de Constit. in 6.* Abbas *loc. cit.* & communis.

Resp. IV. Præcedentes Conclusiones procedunt ita, 72
ut indebitum solutum repetere quis possit, sive per ignorantiam Juris, sive facti solverit. Calvinus *vers. Condictio indebiti*: ubi citat alios. Quoad primam & secundam Conclusionem tenent etiam Abbas *in cit. cap. fin. n. 11. & 14. h. t.* Glossa *in idem vers. Indebitum.* Pirhing & alii. Quoad tertiam verò iidem, Abbas quidem *loc. cit. n. 12.* Pirhing verò *loc. cit. n. 33.* Glossa *loc. c.* distinguunt, *arg. L. 1. & seqq. ff. de Jur. & facti. Ignorant.* ubi expressè ac repetitis vicibus habetur, quòd Juris ignorantia non prosit, adeò ut *l. Reg. 9. princ. ff. eod.* pro regula ponatur; Regula est, Juris ignorantiam cuique nocere, facti verò ignorantiam non nocere. Accedit inquas se principaliter fundant Adversarii, *Leg. Cùm quis 10. Cod. eod.* quæ ad propositum loquens sic habet: Cùm quis Jus ignorans, indebitam pecuniam solverit, cessat repetitio: per ignorantiam enim facta tantùm repetitionem indebiti soluti comperere, tibi notum est.

Probatur autem nostra doctrina universaliter de 73
omnibus tribus Conclusionibus. Condictio indebiti introducta est ex æquitate naturali, *l. In summa 65. §. Quod ob rem 4. & l. seqq ff. de Condiction. Indebit.* atqui eadem est ratio æquitatis naturalis repetendi seu condicendi, sive per Juris, sive per facti errorem solvatur indebitum; cùm Jure naturæ reverà iniquum ac injustum sit; ut is qui indebitum accepit, cum alterius jactura locupletetur *l. Nam hoc 14. ff. eod.* ac *Reg. 206. ff. de Reg. Iur.* ibi: Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem; consequenter si quis offendere potest, se ex errore sive facti sive juris solvisse, quod non debuit, accipiens restituere debet; aliàs certè injustè retinet alienum; & facit injuriam solventi; consequenter cum illius detrimento ac injuria contra Jus naturæ locupletior fit. Confirmatur: Universaliter & absolutè loquendo, Juris error aut ignorantia illi, qui agit de damno amittendæ rei suæ non nocet, *Leg 8. ff. de Iuris & facti ignorant.*

74 Leges in contrarium allegatæ, si quid probarent, nimium probarent; probarent enim contra ipsos Adversarios, videlicet, quòd solutum indebitum per ignorantiam Juris etiam in casibus primæ & secundæ Conclusionis non prodesset, nec condictionem admitteret; cùm citatæ Leges universaliter ac indistinctè loquantur, Juris ignorantiam non prodesse, & hac ignorantia solutum indebitum repeti non posse, uti legenti patet. Ubi autem Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, juxta vulgatum Jurisdarum axioma, quod habetur in Summario, *l. de Pretio, ff. de Publician. in rem action.* Et verba generalia generaliter sint intelligenda, *cap. Quia circa, 22. de Privileg.*

75 Hinc ad Leges *ex ff. Tit. de Condiction. indebit.* citatas respondetur, ab iis exceptam esse Juris ignorantiam in casu condictionis indebiti, hoc ipso, quòd in pluribus Legibus, *ff. & Cod. de Condiction. indebit.* absolutè & indistinctè statuatur, per errorem, seu ignorantiam solutum indebitum condici, ac repeti posse.

76 Ad *L. 10. Cod. eod.* respondetur, eam loqui de casu particulari, in quo solvens forsan supinam habuit ignorantiam Juris, quæ hoc ipso, quòd æquiparetur scientiæ, *l. Nec supina, 6. ff. de Jur. & facti. Ignorant.* & is, qui scienter indebitum solvit, repetere non possit juxta dicenda inferiùs *n. sequentib.* benè in hoc sensu loquitur dicta *L. 10. Cod. de Condiction. indebit.* Favet etiam *l. Regula 9. §. 3 ff. de Jur & facti. Ignorant.* ibi: Sed juris ignorantiam non prodesse, Labeo ita accipiendum existimat, si Jurisconsulti copiam haberet, vel sua prudentia instructus sit, ut cui facilè sit scire, ei detrimento sit juris ignorantia; utpote in simili casu supina seu crassa.

77 Resp. V. Qui scit, se non debere, & tamen solvit, 77
non potest solutum condicere vel repetere, *L. 1. ff. de condict. indebit.* ibi: Si sciens se non debere, solvit, cessat repetitio. Idem habetur, *l. Si in fortem 26. §. 5. ff. eod.* Ratio est; quia talis præsumitur donare: Nam cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est, *l. Cujus 53. ff. de Reg. jur.* Nec refert, si hac mente dedit, quòd velit iterum repetere, *l. Quod quis 50. ff. de Condict. indebit.* ibi: Quod quis sciens indebitum dedit hac mente, ut postea repeteret, repetere non potest. Secùs foret, si animo dubio, incerto, aut titubante solvit, *l fin. C. eod.* Quia ut dicitur *Reg. 41. ff. de R. iur.* In re obscura melius est favere repetitioni, quàm adventitio lucro.

78 Resp. VI. Qui Condictionem intentat, & dicit, se 78
indebitum solvisse, probare debet, quòd fuerit indebitum; nisi adversarius negaret, se à condicente solutionem accepisse: tunc enim is de solutione accepta convincatur, ipse probare debet, id, quod solutum accepit, sibi revera debitum fuisse. Ita expressè habetur *cap. fin. h. t. ac l Cùm de indebito, 25. ff de Probat.* Ratio primæ partis est; quia præsumptio stat contra solventem, *cit. l Cùm de indebito. Qui enim solvit*, ut ibidem habetur, nunquam ita resupinus est, ut facilè suas pecunias jactet, & indebitas effundat. Ratio secundæ partis est; quia hoc ipso, quòd iniquè negans convincatur de mendacio, stat præsumptio contra ipsum, quòd causam iniquam foveat, ut proinde idem non immerito imponatur onus probandi, id, quod solutum accepit; sibi debitum fuisse, *cit. l. Cùm de indebito, & c. fin. h. t.* Licet enim aliàs actori incumbat probatio, nihilominùs si præsumptio stat contra reum in eundem onus probandi rejicitur; uti benè advertit Glossa *fin. de cit. cap fin. h. t. arg. l. Sive possidetis ib. C. de Probat.*

79 Quæritur II. Quo ordine Solutio facienda sit, seu cui ex creditoribus solutio prius præstanda, vel restitutio facienda sit, casu quo debitoris media non amplius sufficiunt ad cuncta debita solvenda, aut debitor moriatur, aut cedat bonis. Resp. sequentem ordinem servari debere. Primò omnium solvendi, ac cæteris cunctis præferendi sunt illi, qui res ibi proprias apud debitorem existentes habent: quales sunt, qui apud debitorem aliqua deposuerunt, vel ei commodarunt; vel si quæ ab eis furto ablata &c. apud debitorem existant; hæc enim ante omnia dominis suis restituenda veniunt. Molina *Disp. 536. n. 29.* cum communi, *leg. depositi 30. ff. de Pecul. leg. Procuratoris, 5. §. Sed si dedi. ff. de Tribut. act. leg. Cùm fundus, 31. ff. de rebus credit.* Ratio est; quia solutio fieri debet de propriis bonis debitoris, consequenter res alienæ priùs dominis suis restitui debent, nec de illis solvi potest aliis creditoribus.

Secundò solvendi veniunt sumptus Iudiciales, si quos 80
forsan ratione Processus edictalis, vel Inventarii &c. vel solutionis de bonis relictis ab ipso Judice creditoribus prælitæ fieri contingunt. Azorius *in Summa aurea, lib. 3. Cod Rubr. de spors. & sumpt.* Burglacher *de Privileg. credit.* Rhaat *in Disceptat. Jurid. ad Proceff. edict. Thes.* 11. Quamvis enim id ex Jure per textum aliquam probari non possit, Ratio tamen & æquitas naturalis dictat, ut cum Judices pro utilitate creditorum laborent, labores eorum dignam remunerationem recipiant. Idem decernitur *in statut. Bav. in Proceff. edict. art. 2.*

Tertio loco etiam ante creditores hypothecarios sol- 81
vendi veniunt sumptus funebres seu funeralia. Garzias *de Expens. & meliorat. cap. 8. n. 18. & 25.* Neguzan. *de Pignor. part. 3. memb. 2. l. 18. l. 19. l. Impensæ, 45. ff. de Relig. & sumpt fun.* ibi: Impensa funeris semper ex hæreditate deducitur, quæ etiam omne creditum solent præcedere; cùm bona solvendo non sint. Ratio est publica utilitas, ne cadavera maneant insepulta. Ob quam rationem, prælationis privilegio gaudet etiam ille, qui interea ad funerandum media subministravit, Molina *loc. cit. n. 32.* Garzias *loc. cit. n. 25.* Rhaat *loc. c. Thes. 30.* Sumptus funeris dicuntur, quidquid ratione corporis erogandum est, *L 37. de Reg. & sumpt. fun.* ubi res amplius declaratur. Debent autem impensæ funeris non excessivè cum detrimento creditorum, sed moderatè fieri juxta statum defuncti, & consuetudinem loci uti communiter notant plures Doctores.

Ad hunc locum referuntur ii creditores, qui aliquid 82
in Testamenti Insinuationem, vel inventarii confectionem, vel in alias necessarias causas hæreditatis probaverint, sese personi visse; uti verbis formalibus statuitur *l. fin. §. 9. C. de Iure delib.* Molina *l. c. n. 32.* & alii.

Ad eundem locum, vel potiùs quarto loco solvenda 83
veniunt debita tempore infirmitatis ultimæ, apud Pharmacopœum, Medicos, & Chirurgos contracta, Surdus *decis. 255. n. 26.* Rhaat *loc cit Thes. 33.* & Doctores communiter, *arg. l. in restituenda, 4. Cod. de Pertt. hæred. ac L 3. C. de Relig. & sumpt fun.* Ratio est: ne alias medicinæ & Medicorum defectu infirmi debitis obærati necessariò mori debeant, cùm Pharmacopœus, Medici, & Chirurgi rationabiliter prævidentes, se solvendos non esse, vel sine mercede debita laboraturos, auxilium, & remedia negarent.

Dicitur notanter tempore infirmitatis ultimæ; quia, 84
uti communiter notant DD. impensas Pharmacopœorum, Medicorum &c quæ ab antiquo restant, prælationis privilegio non gaudere. Ratio est: tum quia sibi imputare debent quod satisfactionem sibi debitam non priùs exegerint. Tum ne par timonium cum detrimento aliorum creditorum nimium exhauriatur, tum etiam, ut addit Berlich *lib. 1. conclus. 64 n. 98.* ne tribuatus eis occasio, ægroti necem procurandi, ex eo, quòd videant, se à creditore, ære alieno nimium gravato, debita obtinere aliter haud ampliùs posse.

Quintò veniunt, qui ad reparationem vel conserva- 85
tionem alicujus domus, vel alterius ædificii pecunias, vel materialia dedit, *l. Interdum 5. & l. Creditor 25. ff. de Credit & sicert. petat. ff Qui potior Pignor.* Mynsing. *cent. 1. Observ. 8. n. 7.* & alii. Ratio datur *l. Hujus 6. ff. qui potiores pignor.* quia ita mutuans *pecunia sua salvam fecit totius Pignoris causam.* Ad eundem locum pertinent, qui ad emendam, vel ædificandam novitèr domum vel aliud ædificium mutuas dederunt pecunias, hac tamen cum distinctione, ut dum ita mutuò dans privilegio hoc gaudere vult, sibi simul rem, ad quam emendam, vel ædificandam mutuas dat pecunias, sibi pro expressa hypotheca paciscendo statim reservet, textu claro *l. Quamvis 17. C. de Pign. & hypoth. & l. Licèt 7. ff. Qui potiores Pign.*

Sexto loco collocantur uxores quoad dotem allatam; 86
quia uxores pro hac tacitam hypothecam, & jus prælationis ante reliquos creditores actione personali gaudent-

dentes, habentur. Ita expresse habetur *l. Assiduis*, 12. *C. Qui potiores pign.* juncta *l. un. C. de Rei uxor. act.* Præferuntur etiam hypothecariis creditoribus, casu quo hypotheca primùm post matrimonium, & dotem allatam, non item si antea constituta est; uti cum communi aliorum benè docet Gailus *li. 2. Observ. 25. n. 10. Zoes. in §. Fuerat. n. 22. Instit. de action.* ubi dicit, hanc sententiam esse verissimam, eamque tenet Glossa *in cit. l. Assiduis, vers. Licèt anteriores.*

87 Dicitur notanter, quoad dotem actu jam allatam; quia quoad dotem tantùm promissam vel cautam, item confessam à marito, quasi data jam esset; cum data & numerata non sit, Communis tenet, uxorem nullo gaudere prælationis Privilegio; prout videre est apud Gailum *lib. 2. Observ. 91. per totum*, ubi etiam testatur, hanc esse in Camera approbatam opinionem. Ratio est; tum quia dotem numeratio, non scriptura faciat; & ideò non ignorans ita demum ad petitionem dotis admitti posse, si dotem à te re ipsa datam probatura es. Concordat *l. Si ex cautione 3 C. de non numerat. pecun.*

88 Septimus locus competit pupillis, & minoribus, atque aliis curatorem habentibus; ut sunt prodigi, amentes &c. item causis piis respectu bonorum, Tutorum, Curatorum, administratorum &c. utpote in quæ tacitam hypothecam, ac ideò jus prælationis præ cæteris, etiam anterioribus Chirographariis creditoribus, & posterioribus hypothecariis, non item anterioribus hypothecariis habent, sicut suprà de uxore dictum. De pupillis, minoribus, prodigis, res in Jure certa est, per *l. 4. §. 1. de Privileg. credit. ac L. fin. de Tut. ac ration. distrab.* cum concordantiis: De causis piis controversia est inter Doctores, uti videre est apud Berlich *lib. 1. conclus. 67. n. 47. & seqq.* tamen quia gaudent Jure Minorum, eisdem hoc privilegium denegandum non est.

89 Octavum locum possidet Fiscus in bonis eorum, qui cum eo contraxerunt, vel administrationem rerum ad Fiscum pertinentium habuerunt; quia Fiscus in horum bonis tacitum pignus habet; Nam certum est ejus, qui cum Fisco contrahit, bona veluti pignori titulo obligari, quamvis specialiter id non exprimatur, *l. 2 C. In quibus caus. Pignor. tacit. ac leg. Aufertur, 46. ff. de Iure Fisci*, cum concordantiis: Et hinc non tantum anterioribus creditoribus Chirographariis, sed etiam posterioribus hypothecariis, non item anterioribus præferuntur.

90 Nono loco ponuntur creditores, qui habent hypothecam expressam; hi enim quoad bona hypothecata vel oppignorata præferuntur reliquis suprà non recensitis, qui solam actionem personalem habent, *l. Eos 9. C. qui potiores pig.* ibi: Qui receperunt pignora, cum in rem actionem habeant, privilegiis omnibus, quæ personalibus actionibus competunt præferri constat, *leg. Si pignus 8. ff. Qui potiores Pig.* cum concordantiis. Molina *loc. cit. n. 33.* Quinam autem ordo sit observandus inter ipsos hypothecarios expressos, superiùs *tit. 21. de pig. n. 78. & seqq.* dictum est.

Hunc reducunt Faber *de Errorib. pragmat. Decad. 6. error 3* Rhaat *Asserei. 99.* per totum, & alii, etiam illos creditores, qui tacitam hypothecam habent. Ratio eorum est: quia cum tacita hypotheca æquè, ac expressa rem afficiat, *l. Si quis 8 C. de secun. nupt.* nec appareat ratio, cur hypotheca constituta ab homine sit majoris virtutis, ac constitura per Legem, meritò hypotheca tacita ejusdem efficaciæ cum expressa quoad propositum habetur, *l. 2. & 4. Cod. Qui potiores pignor* 91

Tandem veniunt creditores personales, seu Chyrographarii nullum jus prælationis habentes, quorum de Jure communi nullus præfertur alteri, etsi aliqui eorum potiores sint tempore, & antiquiorem prætensionem habeant; ut proin in his Juris regula, Qui potior tempore, potior est Jure, non attendatur; sed si media non sufficiant, singulis debita solvantur pro rata, ita ut qualis est proportio debiti ad debitum, quoad quantitatem, talis sit proportio ejus, quod quisque accipit, ad id, quod alii accipiunt, Molina *Dis. 536. n. 41.* Gailus *Observ. 25. n. 13.* ac alii, *arg. l. Privilegia, ff. de privileg. credit. l. Si hominem, 3 §. fin. ff. Deposit ac l. Pro debito. C. de bon. auth. jud. poss.* ibi: Æquali portione pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus consuli potest. 92

De Jure Bavarico in processu Edictali, Gand Processus sequens in solvendis creditoribus, casu quo debitor cedit bonis, servatur ordo à Jure communi haud multum difformis, & de reliquo æquitati summè consentaneus, uti legenti articulos patet, in quos late Illustrissimus D. Schmidt. Primo loco ponuntur sumptus Judiciales. 2. Impensæ funerales, cui æquiparantur expensæ in Pharmacopæum, Medicos, & Chirurgos. 3. Merces operariorum & famulitii domestici. 4. Qui ad reparandam, conservandam, ædificandam, emendam, domum &c. materialia, vel mutuas pecunias dederunt. 5. Uxor ratione dotis. 6. Pupilli, Minores, & aliæ causæ piæ. 7. Fiscus. 8. Creditores hypothecarii 9. Chirographarii habentes confecta Instrumenta coram Notario, & testibus. 10. Qui solum personale privilegium habent, ut Chirographariis simplicibus præferantur. De quibus vide in fonte, & ibi Illustrissimum D. Schmidt. 93

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

1 *Ratio Ordinis.*

1 Actum est in præcedentibus, de quibusdam contractibus onerosis, ex utraque parte obligationem inducentibus, videlicet de Emptione, & Venditione, Locato, Conducto, Permutatione &c. agitur nunc de nonnullis contractibus gratuitis, inter quos principalis est Donatio. De qua sit

§. I.

De natura ac divisione Donationis: item de requisitis ad eam, & effectu ejusdem.

SUMMARIUM.

2 *Donationis Definitio.*
3 *Debet esse merè liberalis: hinc remuneratoria donatio propriè talis non est.*
4 *Donatio alia est realis, alia verbalis.*
5 *Alia merè gratuita, alia remuneratoria: alia absoluta, alia conditionata.*
6 *Alia inter vivos, alia mortis causa.*
7 *Ad donationis valorem requiritur consensus donantis signo externo monstratus.*
8 *Potest donatio fieri absenti, & præsenti: ore tenùs & scriptis: tacitè & expressè.*
9 *Potest etiam ex conjecturis præsumi.*
10 *Requiritur etiam ex parte donatarii acceptatio.*
11 *Quæ fieri potest verbis & signis: imò si præsenti & tacenti fiat donatio, censetur acceptata.*
12 *Donatio Ecclesiæ, vel alii piæ causæ facta, illicò obligat, etsi à Rectore, vel Administratore causæ piæ nondum sit acceptata.*
13 *Probatur à pari de donatione facta Reipublicæ.*
14 *Donatio quingentos solidos excedens insinuari debet apud Iudicem. Insinuatio quid?*
15 *Solidus quid?*
16 *Donatio quingentos solidos excedens valet in pluribus casibus absque insinuatione. Veluti I. Si fit ad reparationem ædium incendio consumptarum. II. Si fiat ad causas pias.*
17 *Solvitur instantia ex jure.*
18 *Tertiò, si fiat à belli Duce militibus. Quartò valet donatio, quam princeps privato, aut privatus principi facit.*

Quin-

19 *Quinto, si est remuneratoria, vel ob causam facta.*
20 *Donari potest omnis res in commercium humanum veniens, etiam aliena, & quomodo?*
21 *Donare possunt omnes, qui rerum suarum administrationem habent, & lege non prohibentur.*
22 *Prohibentur autem donare plures, & quidem primò omnes qui administratione rerum suarum carent.*
23 *Secundò Tutores & Curatores de rebus, quas administrant, donare non possunt.*
24 *Nisi remunerationis causa: aut quæ de more & consuetudine donantur.*
25 *Tertiò pater donare non potest liberis nondum emancipatis.*
26 *Nisi ob causam, vel remunerationis gratia.*
27 *Mater verò tam emancipatis, quam non emancipatis valide donat.*
28 *Quartò Milites, & Clerici donare non possunt concubinis.*
29 *Quintò prohibentur Donationes inter virum & mulierem. Remissivè.*
30 *Donatio etiam verbalis acceptata obligat, & parit actionem.*
31 *Si quis verbaliter tantum promisit, quod promissum servans, alios creditores non ampliùs solvere, vel se sustentare posset.*

2 Quæritur I. Quid sit Donatio? Resp. Donatio, dicta à dono, quasi doni datio, *l. Senatus 35. §. 1. ff. de Mort. caus. donat.* est rei licitæ (id est donari non prohibitæ) nullo jure cogente, ex mera liberalitate facta collatio, seu datio, *arg. l. Donari, 82. ff. de reg. jur.* ibi: Donari videtur, quod nullo Iure cogente conceditur. Convenit cum dicta definitione etiam definitio, quam dat Doctor subtilis *in 4. dist. 15. qu. 2. §. Secundò* potest, dicendo: Donatio est datio rei merè liberalis. Explicatur definitio. Dicitur rei licitæ; quia, ut benè notat Abbas *ad Rubr. h. t.* rei illicitæ Donatio, sicut & venditio nulla est, *l. quod sæpè 35. §. Veneni mali ff. de contrab. Empt.* unde donans ad eam tradendam compelli non potest.

3 Dicitur nullo Iure cogente, videlicet nec naturali, nec humano: per quæ verba à Donatione propriè sumpta excluditur Donatio remuneratoria, quæ fit ex causa & debito gratitudinis ob præcedentia aliqua merita donatarii: licet enim ex hac nulla detur actio, aut jus exigendi nec in foro interno, nec externo: nihilominus quia est Iure naturali aliquo modo debita, vera donatio non est, utpote [illegible] allam causam facit, quam ut liberalitatem & munificentiam exerceat, Hæc propriè Donatio appellatur, [illegible] *prin. ff. h. t.* Unde *l. Aquilinus 27 ff. eod.* à vera Donatione excluditur illa, quam quis facit Magistro suo; cum rem [illegible] sequi & officii, quam liberalis datio sit. Abbas [illegible] Bartolus *in proœmio ff.* Clarus *§. donatio q. 3.* [illegible] & communis aliorum.

4 Quæritur II. Quotuplex sit Donatio? Resp. eam variè, & quidem primò dividi in realem, & verbalem. Ita est, qua quis rem alteri gratuitò donat, & actu tradit. Quæ Donatio est propriè talis, cui definitio *n. 1.* data convenit. Donatio verbalis est nuda promissio, seu conventio de [illegible], qua quidem res alteri per verba de præsenti actu donatur, sed actu non traditur, utpote forsan absenti, vel [illegible] tempus adhuc necessaria &c. Et hæc Donatio est imperfecta, ac impropriè talis, cum ei definitio ex Iure [illegible] *ff. de reg. jur. & l. Donari 27 ff. h. t.* desumpta non conveniat: non enim est datio, sed collatio; prout citata Iura requirunt.

6 Secundò dividitur in merè gratuitam, ac remuneratoriam. Illa est, quæ ex mera liberalitate absque ulla justitiæ, vel gratitudinis obligatione exercetur: & hæc propriè Donatio est, quam suprà definivimus. Remuneratoria verò est, quæ fit ex titulo gratitudinis ob præcedentia merita debitè. Quæ donatio juxta dicta *n. 2.* est impropria. Tertiò dividitur in donationem absolutam, quæ fit absque ulla conditione: & donationem conditionatam, id est, quæ sub certa aliqua conditione contingit, quæ pariter non propriè donatio dicitur, *l. [illegible] 1. ff.* [illegible]

6 Quartò, & quidem principaliter dividitur in donationem inter vivos, & donationem mortis causa. Donatio inter vivos est, quæ sine mentione, cognitione, aut suspicione mortis fit, vel fieri potest *l. Aliæ autem 2. institut. h. t.* Donatio mortis causa est, quæ ad nutum revocabilis, fit intuitu mortis, & facta mentione mortis, seu ut dicitur *§. 1. institut. h. t.* Cum quis ita donat, ut si quid humanitus ei contigisset, haberet is, qui accepit: sin autem supervixisset, is, qui donavit, reciperet; vel si eum pœnituisset, cui donatum est. De hac Donatione amplius agemus infrà *Tit. de Testamentis*. De Donatione inter vivos vero in præsenti principaliter tractabitur.

Quæritur III. Quænam requirantur ad hoc, ut donatio de Iure subsistat? Resp. Duo ad hoc principaliter requiruntur, videlicet voluntas & animus donandi ex parte donantis: & acceptatio ex parte donatarii, *l. In omnibus 55. ff. de oblig. & act.* Et quidem ex parte donantis consensus, seu voluntas donandi signo externo sufficienter expressivo manifestari debet. Neque enim in dubio præsumitur Donatio, sed probari debet, juxta vulgarem in ore omnium existentem regulam, uti loquitur Menochius *arg. l. cum de indebito 25. ff. de probat.* Ad cuius probationem elidendam, si alia conjectura, vel interpretatio apparet, sumitur Menochius *lib. 2. de Arbitr. Iud. cas. 88. n. 2.* Barbosa *de Axiom. usufreq. V. donare* Surdus *decis. 150. n. 4. l. Eleganter ff. de pignor.* Imò potiùs [illegible] quam Donatio præsumitur. Mascardus *de prob. Concl.* [illegible] Menochius *l. c. n. 3.* Barbosa *l. c.* Flamin. Parisius *de resig. Benef. lib. 9. qu. 19. n. 5. l. Sed etsi me putem 22. prin. ff. de Cond. indeb.* Ratio in *c. l. 25. ff. de prob.* continetur, quia nemo nullus suum jactare & perdere, sed acquirere, ditarique velle præsumitur. 7

Cæterum sufficit quivis manifestandi modus sive oretenus, sive in scriptis, sive præsenti, sive absenti fiat *arg. leg.* [illegible] *Si aliquid 13.* [illegible] Potest etiam facto solo tacitè manifestari voluntas donantis; uti fit, si quis sciens solvit, quod non debet: si reddat Chirographum &c. prout diximus suprà *Tit. præc. num. 50.* 8

Receditur tamen ab allegata Iuris regula, daturque præsumptioni locus: quando absunt conjecturæ. Menochius *l. c. n. 8.* ubi plures conjecturas enumerat. Veluti I. Si vir nobilis ac dives det aliquid non admodum notabile donare præsumitur, Gl. *in l. Si uxori 32. §. fin. ff. de Legatis 3.* Menochius *l. c. n. 49.* plures allegans, *arg.* [illegible] II. Quando quis alicui post merita ejusdem quid dat, donasse censetur in remunerationem. Menochius *l. c. n. 53. l. 12. §. Mandati.* Iason, & alii. Plures similes conjecturas vide apud Menochium *l. c.* qui ibidem *num. 8.* etiam docet, Iudicis arbitrio relinquendum, quænam ad præsumendam donationem sufficiat: quia conjecturæ in facto consistunt, *arg. l. Sed si quis 14. §. 7. ff. de reg. & sumpt. fun.* 9

Ex parte donatarii, quod requiratur acceptatio, indubitati Iuris est: cum vi hujus, ante ejusmodi acceptationem nullam obligationem pariat, indeque moderari, mutari, vel omnino revocari possit à donante *l. Absenti 10. ff. h. t.* Ratio est; quia ante acceptationem Donatio utriusque consensu nondum est perfecta; prout [illegible] Iure requiritur, *l. In omnibus 55. ff. de obl.* [illegible] turque donans potius donare [illegible] Clar. *§. Donatio q. 12. & 13.* Hinc si quis donans ab [illegible] moriatur, antequam donatarius donationem resciat, & acceptet, nihil ex donatione tali consequitur donatarius text. claro, *l. 2. §. 6. ff. h. t.* nisi ea mente res servo vel alii Donationem insinuaturo data fuerit, ut statim ejus fiat *citat. leg. Absenti, 10. ff. h. t.* 10

Potest autem acceptatio non tantum verbis, sed etiam signis fieri: imò si quis donat præsenti, isque tacet, consentire, & acceptare videtur. Ita contra Decium, & Tiraquell. docet Iulius Clarus *§. Donatio qu. 14. num. 5.* Azorius *p. 3. lib. 11. de Donat. cap. 5. quæ. 2.* Pirhing. *h. t. num. 2.* Engel. *eod. num. 2* cum communi aliorum: quia juxta *Reg. Jur. in 6.* Qui tacet, consentire videtur saltem in iis, quæ in ejus favorem cedunt: uti habet communis DD. 11

Porrò si Donatio verbalis fiat Ecclesiæ vel alteri piæ causæ, illicò obligat, etsi Rector, aut Administrator Ecclesiæ, vel alterius causæ absens sit, consequenter 12

eam non acceptet. Barbosa *l. 2. jur. Eccles. univ. cap. 13. num. 29.* Tiraquell. *de Privileg. piæ causæ privileg. 115.* Abbas, Molina, Engel. *hoc tit. num. 21.* ac alii plurimi à Barbosa citati, contra non paucos alios ab eodem citatos. Ratio est; quia quod donatur, vel promittitur Ecclesiæ, aut alii piæ causæ, censetur donatum aut promissum ipsi Deo, *arg. can. Nulli liceat 3. caus. 12. qu. 2.* qui ubique præsens, & acceptans est; Nec dicas cum Adversariis, talem Donationem immediatè fieri ipsi causæ piæ, non Deo. Nam contra est, quod mens dantis non feratur in rem creatam cui donat, sed in Deum, uti benè respondent Sanch. Sperell, & alii. Hinc etiam, ut iidem benè notant; Donatio aut promissio facta per modum voti, statim ante ullam acceptationem obligat, tametsi non immediatè ipsi Deo, sed causæ piæ fiat.

13 Confirmatur: si quis ex aliqua causa v. gr. ob reparationem incendii, ruinæ, ob gratitudinem &c. aliquid promittat Civitati, vel Reipublicæ, statim etiam ante ullam acceptationem obligatur, nec amplius promissionem revocare potest; toto fermè *tit. ff. de pollicit.* Ergo idem de promissione ex causa salutis animæ, facta causis piis: meritò dicitur: tum quia juxta communem DD. in *l. penul. C. de SS. Eccl.* à Republica, & Civitate ad Ecclesias & causas pias in favorabilibus bona est argumentatio. Tum quia indignum videtur, Ecclesias, & causas pias in eodem genere, minori gaudere privilegio & favore, quam causas profanas.

14 Quæritur II. An, & in quibus casibus ad Donationem requiratur insinuatio apud Judicem? Ante responsionem notandum, per insinuationem hic intelligi declarationem & petitionem donatoris, qua declarat, & manifestat, se donare, petitque, ut in Acta redigatur, ac desuper Instrumentum conficiatur, Jul. Clarus *§. Donatio q. 15. n. 3. & 4.* Azorius *loc. c. c. 6. qu. 1. arg. l. Donatio 25. & l. In Donationibus 31. C. h. t.* Hoc notato. Resp. I. Hodierno Jure insinuatio Donationis apud Iudicem nunquam requiritur, nisi Donatio excedat quingentos solidos. Ratio est; quia suæ quisque rei moderator, atque arbiter existit, *l. In re mandata C. Mandati* & de ea disponere potest, nisi à Jure prohibeatur; non prohibetur autem, nisi in casu conclusionis. Nam quamvis olim Donatio excedens ducentos, & posteà trecentos solidos insinuationem requisierit, *l. Sancimus 34. & l. penul. in fin. ff. hoc tit.* tamen hodie, si quingentos solidos Donatio non excedat, insinuari apud Judicem necessariò non debet, *textu claro §. Aliæ autem 2. Institut. hoc tit.* Estque certa apud Doctores. Ratio autem insinuationis est; tum ne excessivis Donationibus cives cum detrimento Reipublicæ ad egestatem redigantur: tum ut fraudibus in Donatione magnæ quantitatis obvietur.

15 Est autem solidus juxta receptam consuetudinem aureus ungaricus, seu apud nos ducatus qui veteri solido [illegible] Mysinger *in §. Aliæ autem Institution. h. t.* Sch[illegible]eben *ibid. num. 24.* Carpz *p. 2. Constitut. 12. defin. 12.* & post illos Pirhing. *h. t. num. 5.* ut proin quingenti solidi sint quingenti aurei, seu ducati, quos si excedat Donatio, apud Judicem insinuari debet. Quæ tamen insinuatio, si à donante omittatur, non vitiat totam Donationem: sed tantum quoad excessum; eo quod in iis, quæ dividi possunt, utile per inutile non debet vitiari, *l. Si sponsus 5. §. 2. ff. Donat. inter vir. & mulier.* & Reg. [illegible] *Jur. in 6.*

16 Resp. II. Dantur plures Donationes, quæ sine dicta insinuatione valent, etsi quingentos solidos excedant. Probatur inductione. Nam Primò valet Donatio facta alicui ad reparationem ædium, quæ ruina, vel incendio consumptæ sunt, *l. penult. §. eandemque 2. C. h. t.* vel pro redemptione captivorum, *c. l. in princ.* Ratio est, quia per hoc opus pietatis exercetur *cit. l. princ. ibi:* Piissimam administrationem. Ob eandem Juris ex *cit. l.* desumptam rationem. Secundò universaliter valet Donatio facta ad pias causas. Clarus *§. Donatio q. 17. nu. 1.* Pirhing *h. t. num. 6.* & communis tam Canonist. quam Theolog. contra Zoesium *ad ff. h. t. n. 48.* & alios. Probatur etiam textu Matth. 19. Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.

17 Nec obstant dispositiones Juris Civilis *leg. Illud 19. C. de SS. Eccl. & l. Sancimus, 34. C. h. t.* Nam contra est; Tum quia causæ piæ, dispositioni Juris Civilis non subjacent, *arg. c. Eccl. 10. de const.* sed secundum SS. Canones judicari debent, *cap. Relatum 11. & 12. de Test.* & ibi Glossa. Tum quia dictæ dispositiones civiles videntur sublatæ & correctæ ab ipso Iure Civili *c. l. 34. h. t.* ibi: Exceptis Donationibus, quæ in causas piissimas procedunt & *leg. 36. Cod. eod.*

Tertiò valet Donatio rerum mobilium quingentos solidos excedens, quas Duces militum præstant militibus tam ex sua substantia, quam ex spoliis hostium, sive in ipsa belli occupatione, sive in quibuscunque locis degere noscuntur, *l. Si quis 36. §. 1. C. h. t.* Quartò valet Donatio, quæ à Principe fit, *l. Sancimus 34. princ. h. t.* ibi: Exceptis donationibus imperialibus &c. & quæ à privatis in ipsum Principem fit Donatio Authen. immediatè *seqq. leg. 34. Cod. hoc tit.* 18

Quintò valet Donatio remuneratoria. Clarus *§. Donatio q. 16. n. 6.* Bart. *in l. Aquilius 27. n. 3. ff. h. t.* Pirhing. *eod. n. 6.* & communis aliorum *arg. c. l. Aquilius 27. ff. h. t.* Ratio ibidem assignatur, quia talis Donatio non est propria Donatio, utpotè quæ fit ex mera liberalitate, *l. 1. ff. h. t.* Ob eandem rationem etiam reliquæ Donationes ob aliquam causam, v. g. ad militiam, studia, nuptias &c. factæ subsistant: quia & hæ stipulationes, quæ ob causam fiunt, non habent Donationem, prout dicitur, *leg. Hoc Jure 19. §. Sed & hæ, ff. h. t.* Attendendum tamen in Donatione remuneratoria, ne excedat merita donatarii; quia quo ad illum excessum non valeret. Clarus *loc. cit. quæst. 3. num. 3. & 4.* Pirhing. *h. t. n. 6.* Azorius *p. 3. lib. 9. de Donat. cap. 6. qu. 4.* cum communi. 19

Quæritur III. Quid donari possit? Resp. Omne id, quod in commercium humanum venit, sive sit quid corporale, sive incorporale, mobile aut immobile. Azorius *l. c. c. 4. q. 1.* cum communi & certa aliorum, *tot. tit. ff. Donat.* Valet etiam Donatio rei alienæ saltem ad hoc, quod Donatarius rem donatam usucapere, & cum tempore præscribere possit; quamvis dominium ejus confestim non acquirat, *l. 2. & tot. fermè tit. ff. Pro donato.* Azorius *l. cit. q. 2.* quod si dein res evincatur, donans non tenetur de evictione, *l. Aristo 18. §. fin. ff. h. t.* ibi: Labeo ait, si quis mihi rem alienam donaverit, inque eam sumptus magnos fecero, & sic evincatur, nullam mihi actionem contra donatorem competere. Ratio assignatur, *l. Ad res 62. ff. de Ædilit. edict.* videlicet, ne eo casu liberalitatis suæ donator pœnam patiatur; nisi forsan sciens rem alienam mala fide & dolosè, ignoranti donasset; tunc enim saltem pro restituendis impensis agere contra eum posset donatarius, *cit. l. ad fin.* Imò si Donatio remuneratoria vel ob causam facta est, etiam de evictione tenebitur donator, etsi ignorans rem alienam donaverit, *l. 1. C. de Donat. quæ sub modo & l. Aquilius 27. juncta l. Si pater 34. ff. h. t.* 20

Quæritur IV. Quinam donare possint? Resp. I. Omnes qui dominium, ac rerum suarum administrationem habent, nec specialiter prohibentur. Communis ac certa. Ratio est: tum quia juxta l. In re mandata C. mandati, suæ quisque rei moderator, atque arbiter existit. Tum quia in materia communiter non prohibita concessum intelligitur, quod non expressè prohibetur, ut dicit Gloss. communiter [illegible] *Inter corporalia §.* [illegible] *arg. can. Jam nunc [illegible] 28. quæst. 1.* 21

Resp. II. Plures sunt, qui de Iure prohibentur donare. 22 Probatur inductione. Nam I. Donare non possunt pupilli, minores, furiosi, amentes, prodigi &c. Ratio est; quia universaliter omnes, qui administratione suorum bonorum carent, quales sunt præfati, etiam alienare & donare sine authoritate Tutoris vel Curatoris prohibentur, per vulgata juris.

Curatores ac Tutores licet magna polleant authoritate, ac potestate, donare aliquid de bonis, quæ administrant, non possunt, *l. Contra Juris 28. §. [illegible] ff. [illegible]* ibi: Iuliano placet, etiamsi maximam quis administrationem peculii habeat concessam, donandi tamen non habere juncta *l. Lucius 46. §. fin. ff. de administ. tut. & c. 3. de offic. vicar.* Ratio est; quia Tutores & Curatores dantur pro utilitate suorum principalium, *l. Tutor. 22.* & l. 23

& l. Lucius *ff. de administ. tut.* non verò, ut bona eorum perdant, quale est donare, *l. 27. prin. ff. h. t.*

24 Nihilominus licet dictis Tutoribus & Curatoribus pro facultatibus, ac dignitate principalium, proportionatas facere Donationes remuneratorias pro meritis & servitiis principali collatis, item tales, quæ pro more & consuetudine fieri solent. Textus expressus habetur, *l. Cum plures 12. §. 3. ff. de Admin tut. ac l. 13. ff. eod.* docetque communis DD.

25 III. Pater donare non potest filio, quamdiu hic in illius potestate est constitutus, *l. cum bonis 11. C. h. t. ac l. donat. 25. C. de don. inter vir. & mulier.* Rationem DD. communiter assignant hanc, quia scilicet, omne, quod filius à patre acquirit, ad peculium filii profectitium spectat; cujus peculii quia pater dominus est, non tam filio quam sibi dare censetur. Neque tamen omni utilitate caret talis donatio; eo quod saltem emancipationem, res priùs donata, statim transeat ad filium donatarium, si usque ad emancipationem pater donationem non revocavit, *l. Donationes 31. §. 2. ff. h. t.* ibi: Pater qui filiæ, quam habuit in potestate mancipia donavit, & peculium emancipatæ non ademit, ex postfacto donationem videbatur perfecisse. Concordat *l. Sive emancipatis, 17. C. h. t.* Filiis autem emancipatis (quales de Germaniæ consuetudine sunt etiam omnes illi, qui matrimonio juncti, in domo patris non habitant) pater validè donare potest, *cit. l. 17. h. t.* juncta *leg. 2. Cod. eod.* Quia in his cessat ratio peculii profectitii.

26 Imò etiam non emancipatis validè donat ratione studiorum, vel opificii addiscendi, *l. 15. Cod. de Negot. gest.* Item remunerationis gratia, *leg. Cum pater 77. §. 25. ff. de Legat. 2.* quia & hujusmodi donatio talis propria non est, juxta dicta superiùs *n. 3.* Pariter ex causa militiæ, ad gradum vel honorem adipiscendum validè donat filio pater, quia & in hoc cessat prohibitionis ratio *numer. præc.* adducta; cum ita donatum, efficiatur peculium castrense, vel quasi, in quo filius liberam dispositionem habet.

27 Porro Mater indistinctè tam emancipatis, quam sub potestate constitutis liberis validè donat. Molina *disput. 291. n. 5.* Layman *lib. 3. tr. 4. c. 13. n. 12.* Lessius *lib. 2. c. 18. n. 90.* Gomez *var. res. lib. 2. c. 4.* Engel *h. t. n. 4.* Ratio est: tum quia & in hac quoque ratio prohibitionis cessat: cum liberos in sua potestate non habeant *§. Fœminæ, 10. Inst. de Adopt.* Tum quia eidem donare prohibitum non est, *l. arg. Sed si ego 4. §. 1. ff. ad S. C. Vellejan.* Ratio ibidem additur; quia tam faciliter non donant, vel certè ordinario defectu administrationis multum donare non possunt. Nec obstat *l. Hæc ratio, 3. §. 4. ff. de donat. inter vir. & mulier.* ubi etiam matris donatio invalida declaratur illis verbis. Si mater filio, qui in patris potestate esset, donet nullius momenti esset donatio; quia patri quæritur. Resp. enim cum communi DD. in dicta Lege ideo præcisè matri prohibitum esse donare, ne donando liberis, eluderet Legem prohibentem donationes inter virum & mulierem: cum tempore illius legis conditæ, distinctio peculii adventitii introducta nondum esset, sed quidquid, exceptis castrensibus, ad liberos pervenerat, ad patrem de jure pertinebat, *§. 1. Inst.* Per quas personas cuique acquir. consequenter etiam donatum à matre liberis, illicò ad dominium patris devolveretur; prout ipsa Lex apponendo rationem clarè indicat: quia patri quæritur: sicque mater donando liberis, donare marito, & inde Legem de prohibita inter virum & mulierem donatione, pro libitu eludere posset. Jam vero, quia novissima Justiniani Imperatoris dispositione *cit. §. 1. Inst.* per quas personas, antiquo Iure sublato habemus, quod solummodò donata liberis à patre, ad patrem, reliqua verò aliundè acquisita ad liberos spectent, cessat Legis ratio, consequenter & Lex ipsa.

28 IV. Milites donare non possunt focariis, seu concubinis suis *l. 2. Cod. de don. inter vir. & mulier.* ubi etiam ratio additur: quia licet donatio meretrici ab aliis etiam ob rem turpem facta valeat, textu claro *Affectionis 5. & leg. Donationes in concubina, 31. ff. hoc tit.* Milites tamen meos (ait Imperator) à focariis suis hac ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo. Et quia Clerici ordinariè gaudent privilegio militum; cum ipsi quoque militare dicantur, ac blanditiis fœminarum depauperari valeant: hinc dispositionem *cit. l. 2. C. de Donation. inter vir. & mulier* etiam ad Clericos meritò extendit Rota *dec. 46. n. 6.* coram Seraph. teste Konig. *h. t. n. 10.* citans Cæsar. de Panimoll. *dec. 59. n. 38.* & Covar. *in c. Peccatum, de reg. jur in 6. p. 2. §. 2. n. 2.* qui ultimus tamen de hac re nihil resolvit.

V. Prohibetur donatio inter virum & mulierem, de qua amplius, *lib. 4. tit. 20.* de donatione inter virum & uxorem. 29

Quæritur V. Quis sit effectus donationis? Resp. I. Donationis verbalis, quæ absque actuali traditione rei donatæ fit, effectus est obligatio tradendi rem donatam, si donatio à donatario fuit acceptata, Communis ac certa, textu claro *§. Alias verò 2. Inst. h. t.* ibi: Donationes &c. etiamsi (res donatæ) non tradantur, habeant plenissimum & perfectum robur, & traditionis necessitas incumbat donatori, & *l. Si quis argentum 35. C. h. t.* ubi etiam conceditur donatario actio (quæ condictio ex Lege ibidem dicitur) contra donatorem ad tradendam rem verbaliter donatam. 30

Verùm, si actione ad tradendam rem donatam convenitur donator, debet prius debita aliis creditoribus, & potest necessaria propriæ sustentationi deducere, casu quo solvendo totum promissum, alios creditores non amplius solvere, vel se honestè sustentare amplius non posset, *l. Qui ex don. 12. ff. h. t.* ibi: Qui ex donatione se obligavit, in quantum facere potest, convenitur: sed enim id quod creditoribus debetur, erit detrahendum. Concordat *l. qui id 33. ff. eod.* ibi: Actione non in solidum, sed quantum facere potest, convenitur. Quod si in mora tradendi est, non tenetur fructus ex re donata interea perceptos, donatario restituere, *l. In ædibus 9. §. 1. ff. h. t.* ibi: Ex rebus donatis fructus percepti in rationem donationis non computantur. Idem habetur *l. cum de modo, 11. ff. eod.* Ratio est: quia ante traditionem donatarius nondum est dominus rei donatæ; cum traditionibus, non nudis pactis dominia rerum transferantur, *leg. Traditionib. 20. C. h. t.* Res autem domino suo fructificant. Neque tenetur ob dilatam traditionem usuras solvere, *l. Eum qui 22. ff. eod.* ibi: Eum, qui donationis causa pecuniam, vel quid aliud promisit, de mora solutionis pecuniæ usuras non debere, summæ æquitatis est. Ratio ulterior est, ne donatori sua liberalitas nimis sit damnosa. 31

§. II.

De Donationibus Episcoporum, Prælatorum ac Rectorum Ecclesiarum, Clericorum Religiosorum: ubi etiam de Revocatione Donationis.

S U M M A R I U M.

32 *Donationes magnas Ecclesiarum Rectores de rebus Ecclesiæ non possunt facere.*
33 *Quod si faciant, revocari possunt ac debent: à quibus?*
34 *Modicas tamen donationes de bonis Ecclesiæ ritè faciunt ibi: ubi ita donandi est consuetudo.*
35 *Imo etiam ibi, ubi non est consuetudo.*
36 *Dummodo per plures justo repetitas modicas donationes graviter non lædant Ecclesiam.*
37 *Nulla consuetudine introduci potest, quod Prælati de rebus Ecclesiæ donationes magnas faciant.*
38 *Quia talis consuetudo esset contra Ius divinum & naturale.*
39 *Doctrina practica pro prælatis multa donantibus.*
40 *Donationes remuneratorias etiam magnas facere possunt Ecclesiarum Rectores.*
41 *Dummodò non multum excedant merita & obsequia donatarii.*
42 *Tam Prælatus donans, quam donatarius probare debent, donationes magnas fieri, vel factas esse remunerationis gratia: casu, quo dubium emergat.*
43 *Debet insuper Prælatus Ecclesiæ solemnitatem Iuris adhibere, si bona immobilia, vel mobilia pretiosa*

tiosa remuntratoriè donet.

44 *Potest Ecclesiæ prælatus cum consensu Capituli, donationes magnas etiam immobilium facere, ut donatarium excitet ad benefaciendum, vel avertat à damno majori inferendo Ecclesiæ.*

45 *Causa pietatis & misericordiæ donare proportionaliter possunt Ecclesiæ prælati etiam magna.*

46 *De Redditibus ad propriam mensam pro honesta sustentatione deputatis indistinctè donare possunt.*

47 *Religiosi extra Monasterium beneficium cum libera administratione habentes, donare possunt, uti cæteri beneficiati sæculares, & n. seq.*

49 *Religiosi in Monasterio sine beneficio, & administrationis Officio degentes, penitùs nihil, nec pauperibus quidem, nisi in extrema necessitate donare possunt.*

50 *Donatio semel legitimè facta revocari amplius non potest.*

51 *Limitatur in tribus casibus.*

52 *Primò, si donatarius erga donantem ingratus est.*

53 *Veluti si ei verbis, vel facto injuriam atrocem inferat.*

54 *Vel violentas manus per se, vel per alium ei inferat.*

55 *Aut grave damnum in rebus fortunæ inferat.*

56 *Item, si eum in vitæ periculum conjiciat, etsi mors non sequatur.*

57 *Rursus, si conditiones in donationes appositas, donatarius non adimpleat.*

58 *Putant aliqui etiam ob alias (præter recensitas) ingratitudinis causas revocari posse donationem.*

59 *Contraria tamen sententia est probabilior.*

60 *Lex pœnalis ob paritatem rationis non est extendenda ad casus in Jure non expressos.*

Æquitatis ratio potiùs debet attendi, quam stricti Juris. Ib.

61 *Donator probare debet ingratitudinem, si ob illam revocare vult donatum.*

62 *Potestas revocandi donationem non competit hæredi, nec contra hæredem.*

63 *Probatur rationibus Iuris.*

64 *Si donator ingratitudinem donatarii ignoravit, vel agere contra eum impeditus fuit, possunt hæredes ejus revocare donationem.*

65 *In pluribus casibus donatio revocari nequit ob ingratitudinem, veluti primò, si sit causis piis.*

66 *Secundò, si est remuneratoria, vel sit ob causam.*

67 *Tertiò, si sit ratione Dotis.*

68 *Quartò, si jam est in tertium bona fide alienata.*

69 *Secunda principalis causa revocandi donationem est, si donatori liberis carenti posteà nascantur liberi.*

70 *Si notabilis, non item si modica tantum quantitas donata est.*

71 *Donatio facta Ecclesiæ, tantum usque ad legitimam revocatur, ob liberos posteà natos.*

72 *Solvitur instantia ex Iure.*

73 *Donatio remuneratoria non revocatur ob liberos posteà natos.*

32 Quæritur I. An, & quid Episcopi, aliique Prælati ac Ecclesiarum Rectores donare possint de redditibus, & proventibus, vel aliis bonis ac rebus Ecclesiæ Monasterii &c. Resp. I. Donationes magnas, seu in magna quantitate, Episcopi vel Ecclesiarum Prælati, sive Sæculares, sive regulares ex mera liberalitate facere de redditibus, & bonis Ecclesiæ non possunt. Communis ac certa, textu claro *c. 2. h.t.* ubi etiam ratio additur, videlicet, quod cum Episcopus, & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator (seu administrator) non dominus, conditionem Ecclesiæ meliorare potest, facere verò deteriorem non debet.

33 Resp. II. Donationes *præc. n.* specificatæ si ab Ecclesiarum Prælatis fiunt, revocari possunt ac debent, non tantum per Successorem, sed etiam per ipsum prælatum ita donantem: Imò in defectu horum quivis alius Clericus agere potest ad restitutionem bonorum Ecclesiasticorum præfato modo donatorum. Tota Conclusio constat ex iis, quæ diximus suprà *tit. 13. de rebus Eccl. non alien. à num. 59.* ubi similem conclusionem posuimus in casu, quo contra Jura sit mala & invalida alienatio rerum Ecclesiasticarum: qualis cum etiam sit Donatio textu expresso *cap. nullus 5. de reb. Eccl. alien.* Idem de ea dicendum est.

34 Resp. III. Donationes modicas, seu in parva quantitate etiam merè liberales, præfati Prælati validè ac licitè facere possunt, ubi est loci consuetudo. Abbas in *c. 3. h. t. n. 3.* Pirhing. *h. t. n. 13.* Barbosa *in c. 3. h. t. n. 2.* Bell. *Disq. Cler. § 5 n. 10.* Engel *h. t. n. 12.* cum communi & certa aliorum, ob textum clarum *c. 3. h. t.* ibi: Data rei quantitas, & illius terræ consuetudo (quæ tamen SS. Canonibus non obstet) est diligentius attendenda, & secundùm hoc est donum ratum, vel irritum judicandum. Ratio est; quia ubi est consuetudo, non possunt hujusmodi donationes moderatæ absque querela & suspicione avaritiæ omitti; consequenter meritò à Iure conceduntur. Quænam autem sit parva & modica quantitas, cum in Iure definitum non sit, id Iudicis, aut viri prudentis arbitrio dicendum relinquitur, prout ex communi DD & declaratione Cardinalium à Fagnano *in c. nulli n. 26. de reb. Eccl. alien.* allegata suprà jam diximus *tit. 13. de rebus Eccl alien. num. 38.*

35 Resp. IV. Possunt Ecclesiarum Prælati modica donare etiam ibi, ubi modica donandi non est consuetudo. Glossa *loc. cit.* Imola *in cap. 3. h. t. in fin* Pirhing. *hoc tit. n. 14. arg. cap. 2. hoc tit.* ubi solum prohibentur donationes graves & magni momenti; ergo à sensu contrario non graves conceduntur. Accedit ratio: tum quia hoc pertinet ad liberam administrationem, quam de Iure habent Prælati, *cap. Cum nobis 19. in fin. de Election* ibi: Liberam administrationem ei tam in temporalibus, quam spiritualibus committentes, *& cap. Is cui 42. eod. in 6.* ibi: Plena & libera administratio. Tum quia per hujusmodi modicas donationes evitatur avaritiæ suspicio, conservatur bona æstimatio & benevolentia hominum, indeque procuratur etiam Ecclesiæ utilitas. Nec obstat, quod Prælati non sint domini, sed tantum administratores; quia etiam sæculares administratores & curatores domini non sunt, & tamen modica donare possunt juxta dicta superius.

36 Colliges, quod dum defacto modica donandi videatur introducta & recepta consuetudo, ac etiam absque hac Prælatis donare liceat modica, Ecclesiarum Prælati in modicis donandis sine scrupulo esse possint. Dummodo non etiam per mutuas, plus justo repetitas modicas donationes Ecclesiam graviter lædant, uti benè observat Glossa *in cap. 2. h. t. V. Graves arg. l. Si quis plures §. 1. ff. de Jur. Patr.*

37 Resp. V. Nulla consuetudine introduci potest, quod Episcopi, vel alii Prælati bona Ecclesiæ immobilia, vel mobilia pretiosa, aut alias in magna quantitate, seu magni momenti suis consanguineis, vel ad aliam causam profanam donare valent. Abbas *in c 3 h. t. n. 3* cum aliis, *arg. c. c 3. h. t.* ubi illa tantum consuetudo donandi de bonis Ecclesiæ approbatur, quæ SS. Canonibus non obstat; atqui consuetudo donandi in magna quantitate obstat SS. Canonibus; cum sit contra bonum Ecclesiarum, ac in grave detrimentum eorum: consuetudo autem bono communi adversans, utpote irrationabilis obstat SS. Canonibus, ab eisque reprobatur; prout amplius diximus, *l. 1. tit. 4 à n. 34. de Consuetudine.*

38 Accedit, quod hæc consuetudo sit etiam contra Ius Divinum ac naturale, utpote justitiam continens ac fovens: semper enim injustum est domino rationabiliter invito auferre aliena, & alteri donare, etsi id faciendi consuetudo immemorialis adesset, *c. fin. h. t.* Atqui in casu nostro Prælati auferrent aliena domino rationabiliter invito: ergo. Unde sicut juxta unanimem DD. nulla consuetudo introduci potest, quod quis licitè, aut validè furetur; etsi furto ablatum alteri donet; ita etiam nulla consuetudine introduci potest; quod Prælati de bonis Ecclesiarum in magna quantitate Donationes ad causas profanas faciant, utpote aliena domino rationabiliter invito auferentes, adeoque etiam verum furtum, ac injustitiam committentes.

39 Colliges, pessimè facere, peccatisque caudatis gravissimis conscientias suas cum magno æternæ perditionis periculo gravare illos Episcopos, & Ecclesiarum Prælatos, qui de redditibus, & bonis Ecclesiarum in consanguineos suos, vel alios, graves donationes, seu in magna & notabili quantitate, absq; legitima à Iure approbata causa faciunt,

faciunt, non obstante, quod in multis locis, & etiam, ubi ipsimet degunt, ita donandi sit consuetudo; utpote quæ verissima est corruptela.

40 Resp. VI. Possunt Episcopi, & Ecclesiarum Prælati Donationes remuneratorias etiam magnas, seu gravis momenti facere ob merita à donatariis in Ecclesiam, vel ipsum Prælatum collata. Abbas in *c. 3. n. 3. h t.* & in *cap. 5. n. 6 eod.* Layman *lib. 3. tr. 4. c. 12. nu. 9.* Pirhing. *h. t. nu. 10.* Barbosa in *c. 5. h. t. n. 2.* Menochius *cons. 191. n. 32* Engel *h. t. n. 22.* & communis *arg. c. 5. h t.* ubi remunerationis causa, ut licita & valida approbatur infeudatio, licèt alias infeudatio sicut donatio sit prohibita, *Extrav. ambitiosæ de Reb. Eccl. non alienand & c. 2. de Feudis.* Ratio; quia uti ex dictis suprà *num. 3.* constat, datio remuneratoria, non est propriè donatio; cum non sit merè liberalis, sed ex titulo gratitudinis debita. Accedit, quod Tutores non tam ampla & perpetua administratione gaudentes ac Prælati, de bonis pupilli donationes remuneratorias etiam in notabili quantitate facere valeant *leg. Cum plures 12. §. 3. & l. seq. ff. de Administr. tutor.* consequenter à minori ad majus etiam Ecclesiarum Prælati.

41 Debent tamen donationes remuneratoriæ esse proportionatæ meritis & obsequiis præstitis; secus enim, in quantum donum excedit merita, donatio illicita erit ac invalida. Clarus *§. Donatio n. 3.* citans communem. Layman *l. c.* Pirhing. *h. t.* Intellige, si notabiliter excedat, modicum enim Prælatus etiam sine causa donare potest, juxta dicta *n. 35.*

42 Porrò in casu, quo donationes remuneratorias magnas facit Prælatus, non sufficit dicere, se remunerationis causa id facere, vel fecisse; sed debet Conventui forsan dubitanti, ac inde justè interroganti, merita specificare ac probare. Clarus *l. c. num. 2.* cum communissima aliorum. Ratio est; quia alias Lex prohibens semper eludi à Prælatis posset, dicendo, se remunerationis gratia donare, vel donasse. Hinc etiam ipse donatarius merita probare debet, si remunerationis gratia graves donationes eum accepisse dignoscitur, alias donatio revocari potest.

43 Insuper, si Prælatus donationes remuneratorias magnas de bonis immobilibus seu mobilibus pretiosis vult facere, debet necessariò etiam adhibere consensum Capituli. Ratio est; quia ad ista alienanda non sufficit justa causa, sed duo copulative necessariò requiruntur, videlicet justa causa & simul consensus Capituli, ita ut uno eorum deficiente actus sit invalidus; prout amplius diximus suprà *Titul. 13. de Rebus Eccl. alien. ind.*

44 Resp. VII. Potest Prælatus etiam sine præcedentibus meritis donationes non tantum modicas, sed & graves de rebus quoque immobilibus (cum consensu Capituli) facere ad hoc, ut donatarium, cujus opera, auxilio, gratia, vel beneficentia Ecclesia indiget, excitet ad benefaciendum, vel succurrendum, vel etiam ut damnum ac detrimentum ab eo injustè inferendum avertat. Suarez *Tom. 4. de Relig lib. 2 cap. 26. num. 14.* Pirhing. *h. t. num. 10.* Ratio manifesta est: quia ita dando procurat utilitatem Ecclesiæ, ob Ecclesiæ autem utilitatem bona ejusdem etiam gravis momenti alienare licet *arg. can. Sine exceptione caus 12. qu. 2* & amplius diximus suprà *Tit. 13. de Rebus Eccl alien. §. 2. n. 19. & 20* Monet tamen rectè *loc. cit.* Pirhing, ut in simili donatione semper habeatur respectus ad utilitatem Ecclesiæ, & ædificationem proximorum, ne scandalum, vel sinistra opinio generetur.

45 Resp. VIII. Prælati Ecclesiastici ex causa pietatis ac misericordiæ possunt de redditibus & bonis Ecclesiæ donationes proportionatas consideratis Ecclesiæ facultatibus, aliisque circumstantiis in causas pias, & pauperes etiam absque ullo Capituli consensu facere. Omnes. Ratio est; quia hæ donationes non tam ex liberalitate, quam obligatione, & quidem gravissima fiunt, ut magis dicemus, & probabimus *tit seq.* ubi etiam amplius declarabimus, quantum in causas pias, & pauperes præsertim consanguineos erogare valeant.

46 Notandum hic specialiter, quod Conclusiones hucusque positæ intelligendæ sint de proventibus, redditibus, & bonis ipsarum Ecclesiarum, sed ad eas pertinentibus:

quia quod donare indistinctè possint de redditibus illis, qui separati ab Ecclesiæ bonis, ad ipsorum mensam, atque honestam eorum sustentationem (exceptis superfluis) particulariter sunt deputati (prout in aliquibus locis dantur) est extra controversiam: uti pariter patebit ex *Tit. seq.*

47 Quæritur IX. An, & quid donare possint Religiosi privati? Resp. I. Religiosi privati, qui extra Monasterium degentes beneficium, ejusdemque de licentia Superiorum liberam administrationem habent, possunt, ac tenentur de redditibus beneficii disponere, donationesque de illis facere, uti alii beneficiati sæculares. Pirhing. *h. t. num. 16.* Molina *disp. 276. à num. 2.* & alii. Ratio est; quia inter Religiosos in Conclusione positos, & beneficiatos Clericos sæculares in ordine ad dispositionem redituum nulla adesse videtur disparitas; consequenter eadem utriusque potestas, ac obligatio; cum de similibus idem sit Iudicium, *cap. Translato de Const. cap. Inter corporalia de Translat. Episcop. & leg. Non possunt ff. de Leg.*

48 Resp. II. Religiosi, qui intra Monasterium degentes, aliquam bonorum temporalium administrationem sibi commissam habent: item illi, qui extra Monasterium degentes, beneficium quidem, sed cum limitata administratione habent, ita ut redditus Monasterio consignare debeant (uti plerumque fit in beneficiis Monasterio incorporatis) possunt quidem secundum limites, & conditionem administrationis, Eleemosynas, & alias donationes modicas facere, sed tamen non nisi dependenter ab ordinatione per Superiorem sibi data, de ejusdemque expressa, vel rationabiliter præsumpta licentia, atque juxta Ordinis statuta, locique consuetudinem. D. Thomas *2. 2. q. 32. à 8.* Roderiq. *Tom. 2. qq. Regul. q. 57. a 2.* Molina *loc. cit. num. 5.* Pirhing. *hoc tit. num. 16* Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 19. num 92.* Ratio est: quia hoc ipso, quod ex una parte, ipsa administrationis natura & officium aliqualem saltem donandi potestatem exigat; ex altera verò parte religiosus à Superiorum dispositione, Ordinisque regulis & statutis dependeat, tenor Conclusionis subsistit.

49 Resp. II. Religiosi cæteri in Monasterio sub obedientia Superiorum viventes, & nec beneficium, nec administrationem aliquam habentes, sine expressa vel tacita Superiorum suorum licentia penitùs nihil, nec pauperibus quidem donare possunt; nisi pauper existat in extrema necessitate, cui Monasterium, vel alii non succurrunt. D Thomas *2. 2. q. 8. ad 1.* Layman *l. c.* Molina *l. c. n. fin* Sanch *l. c. n. 95* Pirhing *h. t n. 16.* & teste Molina, alii omnes *arg c. Cum ad Monasterium 6. de statu Monach. & can. non dicatis 11. cau. 12. qu. 1.* Ratio est; quia hoc ipso, quod tales Religiosi defectu officii nullam administrationem, & ratione paupertatis nullum dominium, sed solum rerum usum habeant, nullam quoque disponendi de rebus Monasterii potestatem habent: ut proin toties contra paupertatem peccent, quoties absque tacita vel expressa Superioris licentia aliquid etiam pauperibus donet: uti bene notant citati DD. & statuitur in Bulla Clementis VIII. *Religiosæ Congregationis*, & Urbani VIII in Bulla, *Nuper à Congregatione*, quas per extensum refert Hyacinthus Donatus *Tract. 15. de Largitione munerum*: quamvis plures Doctores apud eundem velint, præfatas Bullas usu non esse receptas.

50 Quæritur X. An, quando, per quem, & à quo donatio iterum revocari possit? Resp. I. Regulariter loquendo donatio inter vivos legitimè facta, & acceptata revocari per donatorem non amplius potest. Communis ac certa. Textus expressus est *in l. fin. C. de Revoc don.* ibi: *Generaliter sancimus, omnes donationes Lege confectas, firmas illibatasque manere*, adeo quidem, ut nec per rescriptum Principis revocari valeant, *l Si Donationem, 5. C. eod.* ibi: *Si ritè fecisti; hanc authoritate rescripti nostri rescindi non oportet.* Ratio est: quia Iure suo invitus nemo privari potest; ne quidem authoritate Principis supremi, nisi ob bonum commune, seu utilitatem publicam, cui privatæ cedere haud dubiè debet, uti videmus in Præscriptione.

51 Dicitur autem notanter, *regulariter loquendo*: *quia* dantur tres causæ principales, ob quas donatio revocari

potest;

potest; videlicet. I Ob ingratitudinem Donatarii, II. Ob prolem susceptam. III. Si Donatio est inofficiosa, uti ex sequentibus Conclusionibus magis patebit

52 Resp. II. Donatio revocari potest ob ingratitudinem Donatarii. Caret Controversia, ob clara Iura *cap. fin. hoc tit.* ibi: *Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore Juris tam potuit revocare,* & *l. 1. C. de revoc. don.* ibi; *Si ingratus sit, omnis donatio, mutata patronorum voluntate, revocanda est.* Concordat *l. His solis,* & *l. fin. C. eod.* ubi etiam enumerantur ac specificantur casus; in quibus ingratitudo præbens facultatem revocandi, committi censetur.

53 Veluti Primò, Si Donatarius in Donatorem *injurias atroces effundat. cit. l. fin. & c. fin.* ibi: *Si injurias atroces inferre præsumpserit.* Quænam autem sit injuria atrox, meritò Iudicis arbitrio relinquitur; qui eam æstimare debet *ex facto, vel loco; veluti si in theatro, vel in foro, vel in conspectu prætoris facta est: vel ex persona, veluti si Magistratus injuriam passus est, vel Senatori ab humili persona injuria facta est, §. Atrox 9. Inst. de Injur.* Porrò potest fieri Injuria vel verbis, v. g. verbis graviter contumeliosis, ac injuriosis eum afficiendo: vel facto (absque tamen manuum injectione, quia hæc ad secundum *n. seq.* specificandum casum pertinet) v. g. Si Donatorem captivum teneat, Abbas *in c. fin. h. t. arg. c. Nuper. 39. de Sentent. excom.* Molina *disputat. 281. num. 1.* vel si adulterium cum uxore, aut stuprum cum filia committeret. Pirhing. *hoc titul. num. 34.*

54 Secundo ingratitudinem committit, si Donatarius manus impias ac violentas inferat, *cit. l. fin & c. fin. h. t.* ibi: *Si forte in ipsum impias manus injecerit.* Censetur autem impias manus injicere, vel inferre non tantum si manibus propriis eum invadat, graviter percutiat, fuste verberet, gladio vulneret, sed etiam, si lapidem in eum projiciat, sclopetum emittat &c. Molina *l. c.* & patet per ea, quæ Iura tradunt de percussione Clerici. Nec refert, sive per se, sive per alium id præstet: Nam *non solum is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, hoc est, qui percussit: verum ille quoque continetur, qui dolo fecit, vel curavit, ut cui mala pugno percuteretur,* uti dicitur, *l. Non solum, 11. princ. ff. de Injur.* Debet tamen percussio, seu impia manuum injectio esse injusta, simulque talis, quæ constituat culpam mortalem: alias enim hoc ipso non esset impia, vel non graviter injuriosa. Hinc benè infert Molina *l. c.* si quis pro Patriæ, vel propria, vel proximi justa defensione Donatori manus injiciat, ingratus dici non possit. Ratio est quia *vim vi repellere* omnia Iura permittunt. Pariter ingratitudinis reus non erit, si ex ignorantia, vel casu id faciat: quia animus injuriandi deest, quo absente injuria non fit, *l. 3. §. 1. ff. de Injur.*

55 Tertiò, *si Donatori grave rerum suarum damnum inferre præsumpserit, c. fin. h. t.* vel ut dicitur, *l. fin. C. de revoc. Donat. Si jacturæ molem ex insidiis ingerat, quæ non levem sensum substantiæ Donatori imponat.* Quid autem sit grave damnum, Iudicis arbitrio determinari debet. Abbas *in cap. fin. h. t. num. 2.* Molina *loc. cit. num. 2* Pirhing. *hoc tit num. 34.* Attentis circumstantiis, præsertim facultatibus Donatoris, ratione quarum id, quod in uno modicum, in alio grave damnum est. Non sufficit autem, si Donatarius solum attentet inferre damnum, sed requiritur, ut actu inferat. Ratio est, quia Lex concedens revocationem, pœnalis est, cujus verba sumi debent cum effectu, *arg. can. Hæc autem verba, de pœnitent. dist. 1.* ibi: *Hæc autem verba cum effectu accepimus,* & *Leg. 1. ff. Quod quisque Juris,* ibi: *Quid enim obfuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum.*

56 Quartò, si vitæ periculum aliquod intulerit, *l. fin. C. de Revocand. Donat.* & *cap. fin. h. t* ibi: *Si vitæ periculum inferre præsumpserit;* veluti si venenum præparet, sive per se, sive per alium faciat, *cit. l. Non solum, 11 prin. ff. de Injur.* etsi mors non sequatur. Abbas *in c fin. num. 2.* Molina *l. c.* quia Iura in hoc puncto ob solam attentationem seu positionem periculi, etiam effectu non subsecuto, revocationem expressè concedunt; & meritò, quia morte secuta, revocatio fieri non amplius posset, non à mortuo, uti patet, nec ab hæredibus, utpote quibus revocatio non competit, juxta dicenda *nu. 62.* nec à Iudice, eò quod revocatio non nisi ad instantiam fiat, uti infra dicemus.

Lex fin. C. de Revocand. Donation. etiam quintum casum addit, *si nempe quasdam conditiones, sive in scriptis Donationi impositas; sive sine scriptis habitas; quas Donationis acceptator spopondit, minimè implere voluerit.* Qui casus *c. fin. h. t.* non ponitur; quia, uti benè advertit Abbas *loc. cit.* in hoc casu non tam propter ingratitudinem, quam non servatam conditionem revocatio conceditur. 57

Controversia est inter DD. an præter allegatas quinque, etiam ob alias æquales, vel majores ingratitudines causas revocari possit Donatio? Clarus siquidem *§. Donatio, q. 21. n. 2. & 3.* citans communem. Abbas *in c. fin. h. t. n. 3.* Sylvester *V. donatio, q. 13.* & multi alii affirmativam tenent, docentque teneri v. g. donatarium alere Donatorem inopia pressum, & si non alat, Donatio revocari possit, saltem in casu, quo Donatarius donum in magna quantitate accepit, uti *loc. citat.* notat Abbas & Clarus addens; attendendas esse etiam præsentes facultates, an commodè possit. Fundamentum eorum est; tum quia, ubi est *eadem ratio, eadem est Legis dispositio leg. Illud 32. ff. ad leg. Aquil.* tum quia Donationem accipiens, in magna quantitate, filio comparari potest: ut putat Abbas *loc. citato*, filius autem tenetur alere parentem *Leg. Si quis, 5. ff. de liberis agnoscendis & alendis* quæ sententia licet æquitati naturali sit multum conformis. 58

Nihilominus contraria sententia, negativa nempe Juri conformior, adeoque in praxi amplectenda est; eamque tenent Molina *disp. 118. n. 8.* Engel *h. t. nu. 19.* Layman *l. c. n. 17* Zoesius *in comment. jur can. h. t. n. 12.* Konig *eod. n. 30.* & alii. Probatur ex *l. fin. C. de revocand. donat.* ubi verbis expressis ita statuitur. *Ex his tantummodo* NB. (quinque enumeratis) *causis, si fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ, etiam donationes in eos factas everti concedimus:* ergo ad alias causas contra expressum Juris textum non est extendenda revocandi licentia. 59

Confirmatur: Lex pœnalis, qualis est concedens facultatem revocandi donationes, non debet, nec potest extendi ad casus in Jure non expressos, etiam ob paritatem vel majoritatem rationis, ut habet communis, *arg. l. 40. ff. de pœnis*, juncta *reg. 15. & 49 de reg. Jur. in 6.* Ex quo argumento corruit fundamentum Adversariorum à paritate rationis desumptum. Nec subsistit Ratio Abbatis, Donatarium cum filio comparantem; quia in Jure non fundatur. Pariter non obstat, quod sententia Adversariorum æquitati naturali sit multum conformis, quamvis enim *in omnibus rebus præcipuam esse æquitatis quam stricti Juris rationem* velint Jura *leg. placuit Cod. de Judiciis & leg. In omnibus ff. de Regulis*; tamen quia hæ Juris dispositiones solum de æquitate Juris scripta sunt intelligendæ, juxta dicta *leg. 1. Tit. 2. num. 416.* & Rigor Iuris scriptus præferatur æquitati non scriptæ, ipso etiam fatente Abbate *loc. citat.* expressè scripta Juris dispositio *leg. fin. cap. de Revocand. Donat.* omninò attendi debet: quod videlicet Donatio ob solos quinque specificatos ingratitudinis casus revocari valeat. 60

Respond. III. Ad hoc, ut Donator cum effectu revocare valeat Donationem ob ingratitudinem Donatarii, debet prius ingratitudinem commissam actione instituta legitimè probare, & Iudicis expectare sententiam, antequam ingratus Donatarius donationem restituere non teneatur, textu claro *leg. fin. Cod. de Revocand. Donat.* ibi: *Ex his (ingratitudinis) causis, fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ.* Molina *loc. citat. numer. 5.* Pirhing. *hoc tit. num. 36.* & alii.

Resp IV. Potestas revocandi Donationem ob ingratitudinem competit soli Donatori, non item hæredibus ejus; & quidem contra solum Donatarium; non vero contra hæredes illius. Abbas *in cap. fin. h. t. n. 4.* Molina *loc. cit. num. 3.* Barbosa *in cap. fin. h. t. nu. 23.* Engel *h. t. num 20.* Pirbing. *eod. num 38* & communis aliorum. Prior pars clarè patet ex *capit. fin. h. t.* ibi: *Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non transit hæredes;* 61

& Leg.

& *l. fin. C. de revocand. don.* ubi etiam secunda pars probari videtur illis verbis. *Hoc tamen usque ad primas personas tantummodò stare censemus, nullam licentiam concedendo donatoris successoribus &c. etenim si ipse qui hoc passus est* (ingratitudinem nempe) *tacuerit, silentium ejus maneat semper, & non a posteritate ejus suscitari concedatur vel adversus eum, qui ingratus dicitur, vel adversus ejus successores.* Concordat, atque utramque partem probat *l. His solis 7. §. Actionem* ibi: *Nec in hæredem detur, nec tribuatur hæredi.*

63 Ratio Conclusionis est, quia actio hæc consurgit ex delicto & injuria Donatarii, atqui *injuriarum actio neque hæredi, neque in hæredem datur l. Injuriarum 13. prin. ff. de Injuriis & pœnæ catatenent suos Auctores l. Sancimus 22. C. de Pœnis.* Hinc si Donator, quandiu vixit, tacuit, nullamque ob Donatarii ingratitudinem, movit actionem, hæredes ejus nihil amplius movere possunt, *semel autem lite contestata, hanc actionem etiam ad successores pertinere,* verbis expressis habetur *cit. Leg. Injuriarum 13. prin. ff. de Injuriis*, in quo casu eadem actio etiam contra hæredes Donatarii datur, *Leg. un. Cod. Ex delict. defunct.* ibi: *Post litis contestationem &c. successores in solidum, alioquin in quantum ad eos pervenit, conveniri, absolutissimi Juris est:* Ratio additur; *ne alieno scelere ditentur.*

64 Imò competit hæredi Donatoris actio contra Donatarium, & hæredes ejus, etiamsi Donator absque lite contestata decesserit, casu quo ingratitudinem ignoravit donator, vel ad agendum tempus non habuit, vel impeditus fuit &c Abbas *l. c. num. 7.* Ioan. Andreas *ibid.* Sylvester *V. Donatio 1. qu. 1.*, Pirhing. *h. t. num. 38.* Engel *eod. n. 20.* & alii: argumento à contrario desumpto ex *c. fin. h. t. & l. fin. C. de Revoc. Donat.* in quo utroque loco dicitur, si Donator *tacuit*, non competere actionem hæredibus: ergo si non tacuit, competit: non dicitur autem tacere aliquid ille, qui id ignorat, aut loquendi seu agendi non habet tempus, vel aliunde impeditur, *c. fin. de dilat. & c. cum veteri 32. de elect.*

65 Resp. V Dantur casus, in quibus nec Donator, nec hæredes ejus Donationem ob ingratitudinem Donatarii revocare possunt. Probatur inductione. Primò enim Donatio facta Ecclesiæ, Monasterio, vel aliis piis locis, revocari nequit propter ingratitudinem Prælati, vel Capituli, vel utriusque simul, vel Administratoris. Barbosa *in cap. fin. hoc tit. num. 15.* Clarus *§. Donatio quæst. 2. num. 5.* citans communem Pirhing. *h. t. num. 37* Azorius *lib. 11 c. 8 quæst. 5* & alii contra Abbatem *in cap. Verum 4. num. 3. de condition. apposit.* ubi docet, tunc saltem revocari posse, si Prælatus & Capitulum simul sint ingrati. Ratio autem nostræ conclusionis est; quia quod Ecclesiis, causisque piis donatur, censetur principaliter donatum Deo, ut proin non Prælatus, vel Capitulum, nec ambo simul, licet Ecclesiam repræsentent, sed ipse Deus sit donatarius, qui nunquam ingratus est.

66 Secundo, Donatio remuneratoria, vel ob causam facta revocari ob ingratitudinem Donatarii non potest. Abbas *in cap. fin. h. t. n. 11.* Clarius *l. c. n 4.* Molina *disp. 281. num. 12.* Barbosa *loc. cit. num 17* Pirhing. *loc. cit. num. 37.* Engel *h. t. ad fin.* & communis aliorum *arg. l. Si pater. 34. & l. Aquilius 27 ff hoc tit.* Ratio est; quia Donatio remuneratoria, vel ob causam, non est propriè Donatio, cum non sit mere liberalis, uti suprà jam *n. 3* probatum est. Si tamen donatio excederet merita, quoad excessum ob ingratitudinem revocari posset. Pirhing. *l. c.* & alii. Ratio est; quia quoad excessum est merè liberalis, consequenter propria Donatio.

67 Tertiò. Donatio facta ratione dotis, ob ingratitudinem revocari non potest, *l. Si dotem 24. C de Jure dotium & l fin de Dotis promiss.* ibi: *Liberalitas talis maneat vera, & irrevocabilis.*

68 Quartò revocare non valeat Donator rem à tertio, cui eam Donatarius jam vendidit, donavit, permutavit &c. Engel *h. t. n. 20.* Harprecht *in §. 2. Inst. h. t. n. 167* Pirhing. *h. t. n. 36.* Zoesius *arg. l. His solis 2 C. de revocand. Don.* Ratio est, tum quia actio revocatoria ita personalis est, ut contra tertium non detur; nisi forsan in fraudem alienasset rem donatam, sciente eo, in quem alienatio facta est; cum *fraus & dolus nemini patrocinetur*; notis Iuribus; tum ne illi, ad quem res legitimo titulo pervenit, delicto præjudicetur alieno.

Resp. VI. Secunda causa principalis revocandi Donationem est, si quis liberis carens, omnia sua bona, vel majorem, aut dimidiam, vel notabilem partem donet, & posteà unum, vel plures liberos acquirat, textu claro, *l. Si unquam 8. cap. de Revocand. donat.* ibi: 69
„ Si unquam libertis patronus filius non habens, bona
„ sua omnia, vel partem aliquam Donatione largitus,
„ & posteà susceperit liberos, totum, quidquid largi-
„ tus fuerit, revertatur, in ejusdem, Donatoris ar-
„ bitrio, ac ditione remansurum. Quamvis enim textus tantum de Donatione libertis facta loquatur, tamen juxta communem DD. etiam ad extraneos, id est, illos, qui non sunt de numero liberorum, seu descendentium Donatoris, extenditur. Tum quia donans tacita hac conditione donasse præsumitur, *nisi mihi adhuc liberi nascantur*: cum nemo censeatur extraneos propriis præferre liberis. Clarus *§. Donatio q. 21. q. 1.* Ripa *in cit. l. Si unquam qu. 2.* dicens hanc esse communem Legistarum, & Canonistarum. Molina *Disp. 282. num. 2.* Engel *h. t. num. 17.* Pirhing *eod. num. 30.* cum communi, *arg. leg. cum avus 102. ff. de condit. & demonst. Leg. Cum acutissimi 30 C. de Fideicommissis.* Tum quia eadem utrobique militat ratio ob Leges jam allegatas, sicut & sequens, videlicet, quod verisimile sit Donantem de filio non cogitasse, consequenter in eum eventum, quo eidem liberi nascantur non donasse, *Reg. 8 de reg Jur. in 6.* ob quam etiam rationem procedit Conclusio, etsi unica tantum nascatur proles; præsertim cum appellatione liberorum etiam unicus comprehendatur filius, *Leg. non est 148. ff. de V. S.* Hinc etiamsi quis unicum filium habens donet, revocare Donationem nequit, etsi post Donationem plurimi alii eidem adhuc nascantur; quia *non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est, cit. leg. non est* Bruneman *ad l. 8. ff. de revoc. donat. num. 6.* Konig *hoc tit. num. 32.*

Dicitur notanter in Conclusione, *si notabilem partem donet*; quia modica donatio, ob liberos posteà natos revocabilis non est, juxta communem DD Quanta autem esse debeat Donatio ad hoc, ut sit revocabilis, Iudicis arbitrio determinari debet juxta Clarum *l. c. num. fin.* Covarruviam *var. res. lib. 1 c. 19. n. 13.* Menochium *de Arbitr. Jud. cas 133 n. 2* Molinam *disp. 282. n. 5.* & alios. Quamvis consentiant à priori non tantum dimidiam partem, sed etiam illam quantitatem sufficere, quam non donasset: si de filiis cogitasset, aut illos se suscepturum scivisset. 70

Cæterum limitatur Conclusio, si Donatio facta est Ecclesiæ vel aliis piis causis: tunc enim non nisi usque ad legitimam revocatur Abbas *in c. fin h t. n 5.* Clarus *§. donatio, q. 23. n. 2.* Molina *l. c. n. 10.* Engel *h. t. nu 18.* Covarruvias *l. c. num. 5.* Pirhing *h. t. num. 43.* & communis aliorum: Tum quia Ecclesia, aliæque piæ causæ habentur instar liberorum, *arg. Authent. Si qua mulier C. SS. Eccles* juxta communem DD. Donatio autem facta filio non in totum, sed tantum ad legitimam revocatur, *Leg 5. & 7. de Inof. donation* Tum quia donans Ecclesiæ, vel aliis piis causis, principaliter Deo donat, quem utique, sicut & animam suam plus quam liberos amare censetur, ut benè observat Abbas *loc. c.* consequenter donaturus præsumitur, etsi de filiis adhuc suscipiendis cogitasset. 71

Nec obstat *can. Quicunque: 43 caus. 17. q. 4.* ubi Augustinus de Episcopo, qui donatum Ecclesiæ iterum restituit Donatori ob liberos eidem natos, ita dicit: *In potestate habebat Episcopus, non reddere; sed jure fori, non jure poli.* Nam respondetur, quod per hunc textum imprimis confirmetur limitatio nostra quoad forum externum, per verba *Jure fori*: Dein per verba *non jure poli* non innuitur obligatio ex justitia, vel lethali culpa sed ex honestate aliqua & æquitate naturali; quatenus nempe Deo magis placitum est, magisque ad ædificationem populi cedit, si liberis postea natis totum Donatori reddatur, uti explicat Glossa *ib.* Molina *l. c. n. 10.* Layman *lib 3. tr. 4. c. 12. n 20.* Engel *h. t. n. 18.* Covarruvias *l. 1. c. 19. à nu. 5.* longam pro favore nostro explicationem dicti textus faciens. 72

73 Limitatur Conclusio secundo in Donatione remuneratoria vel ob causam facta, ob jura & rationes *num. 3.* allegatas.

74 Resp. VII. Tertia causa principalis revocandi donationem est; si sit inofficiosa, id est, tanta ut filiis non maneat legitima (hæc enim Donatio inofficiosa dicitur *tot. Tit. C. de inoff. donat.*) tunc namque liberi tam extantes tempore Donationis, quam postea nati post mortem donantis patris, vel matris *Novel 92.* revocare donatum possunt usque ad legitimam, *l. 1. 5. 7. & 8. C. de inoff. donat.* sive dein in unum aut plures filios, sive in extraneos facta sit inofficiosa Donatio, *l. 1. eod.* ibi: *Sive in quosdam liberos, sive in extraneos exhausit.* Porro facultas revocandi inofficiosam Donationem etiam parentibus competere potest; si nempe liberi eorum tam excessivas donationes faciant, ut non remaneat ejus de Iure debita legitima, casu quo præfati Donatores absque liberis, seu nepotibus moriantur. Molina *disp. 283.* & alii, *l. Si filius, 4. Cod. eod.* Ratio est, quod querela inofficiosæ Donationis in omnibus fuerit introducta ad similitudinem inofficiosi Testamenti, *l. fin. C. de inoffic. donat.* Querela autem inofficiosi Testamenti parentibus competit, *l. Nam etsi 15. ff. de inof Test.* ergo eisdem etiam querela inofficiosæ Donationis competit.

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

1 *Ratio continuationis.*

1 Opportunè inter Titulum de Donationibus, & Titulum de Testamentis, præsens Rubrica inseritur, ut meliùs intelligatur conditio bonorum, de quibus Clerici vel in vita Donationes, vel causa mortis testamentum, aliasque dispositiones facere, vel non facere possint.

§. I.

De Natura, ac divisione bonorum, seu Peculii Clericorum, eorumque dominio.

SUMMARIUM.

2 *Peculium Clericorum quid?*
3 *Est quadruplex: Patrimoniale nempe.*
4 *Quasi Patrimoniale, seu industriale.*
5 *Stolæ redditus secundum aliquos non sunt industrialia bona, sed Ecclesiastica.*
6 *Probatur.*
7 *Juxta communem verò sunt bona industrialia.*
8 *Præsentiæ, seu Distributiones quotidianæ an sint bona industrialia? controvertitur.*
9 *Probabilius est, quod non sint.*
10 *Solvitur instantia.*
11 *Bona Parsimonialia quid?*
12 *Ecclesiastica Clericorum quid?*
13 *Clerici habent perfectum dominium bonorum patrimonialium.*
14 *Et quasi patrimonialium seu industrialium, infertur doctrina pratica.*
15 *Atque parsimonialium.*
16 *Nec non Ecclesiasticorum ad honestam sustentationem necessariorum.*
17 *Probatur ex Jure.*
18 *Et Concilio Tridentino.*
19 *Nec non ratione.*
20 *Confirmatur.*
21 *Doctrina practica.*

2 Quæritur I. Quid sit, ac significet Peculium Clericorum? Resp. Esse, & significare idem, ac bonum, seu bona Clericorum: quæ in Rubrica hujus Tituli dicuntur *Peculium* ob quandam similitudinem, quam habent cum Laicorum Peculio descripto, *l. Deposit, 5. §. fin. ff. de pecul.* ubi *Peculium* dicuntur illa bona quæ servi, & etiam filii familias à bonis domini, vel patris separata habent. Quibus conformiter, quia bona sua Clerici à bonis ad Ecclesiam immediatè ac directè spectantibus, ejusdem Ecclesiæ permissu separata de facto possident, non immeritò *Peculium* vocantur. Appellantur etiam præfata Clericorum bona diminuto vocabulo à SS. Canonibus; ut tacitè innuant, pauca & modica esse debere bona Clericorum, qui pauperis Christi pauperumque Apostolorum vestigia sequi præ cæteris tenentur. Nam *Peculium dictum est quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum, cit. l. deposit, 5. §. 3. ff. de pecul.*

3 Quæritur II. Quotuplicia sint bona Clericorum? Resp. I. Esse quadruplicia, videlicet. I. Patrimonialia. II. Quasi patrimonialia, seu industrialia. III. Parsimonialia, & IV. merè Ecclesiastica. *Bona patrimonialia dicuntur*, & sunt illa, quæ Clericis ex hæreditate, donatione, arte, aliave industria, vel causa profana, quæ etiam Laici acquirunt, sive ante, sive post Clericatum susceptum obveniunt. Ita DD. communiter, nec est aliqua controversia de bonorum patrimonialium explicatione.

4 *Bona quasi patrimonialia seu industrialia* vocantur, quæ Clerici ex industria vel labore aliquo spirituali, & functionibus Ecclesiasticis, veluti ex celebratione Missarum votivarum, concionibus, administratione Sacramentorum, ex officio Vicarii Generalis &c. absque ullo intuitu Beneficii acquirunt. Neque in hoc est controversia inter DD. communiter asserentes, bona illa quasi patrimonialia seu industrialia vocari, quæ ex industria spirituali absque intuitu Beneficii acquirunt. Disputant tamen, an his bonis annumeranda sint etiam illa bona, quæ Parochi, & Curati acquirunt ex talibus functionibus spiritualibus, quas intuitu Beneficii & Officii Parochialis præstare tenentur, consequenter quæ intuitu ipsius Beneficii acquirunt, utpote non acquisituri, si Beneficium non haberent. Cujusmodi bona sunt, quæ Parochis ex benedictione Nuptiarum, administratione Sacramentorum, sepulcris &c obveniunt, atque dicto fructus Stolæ communiter appellantur.

5 Hostiensis siquidem *In Summa nu 3 h. t.* Pro regula universali ponit; omnia illa bona, quæ Clericus intuitu & prospectu Ecclesiæ vel beneficii acquirit, non acquisiturus, si non haberet beneficium, nullatenus bonis patrimonialibus seu industrialibus, sed merè Ecclesiasticis annumerari. Idem novissimè docet & ad longum probat Van Espen. in Jure Ecclesiastico univers. *p. 2. tit 32 de Peculio Cler c. 1. à n. 44.* & cum ipso Boetius Episcopus *c. 1. de Testamentis, n. 79 & 80. arg. l. Castrense 11. ff. de Castrensi Pecul.* Nam sicut ibi Peculium, seu bonum Castrense dicitur, quod intuitu militiæ acquirit Filiusfamilias, non acquisiturus, si non militaret; vel si acquireret, tamen bonum Castrense non esset: ita quod intuitu Ecclesiæ seu Beneficii acquiritur, non acquirendum, si beneficium non haberetur, bonum Ecclesiasticum dicendum erit. Probatur etiam ex *c. quia nos 9 de Testamentis*; ubi Pontifex manifestè indicare videtur, quænam sint bona merè Ecclesiastica, & quæ non, statuendo, Clericum de illis, quæ ad eum non habito ad Ecclesiam respectu pervenerunt, liberè disponere, ac etiam testari posse; non item de illis, quæ consideratione, seu intuitu Ecclesiæ percipit: verba Pontificis sunt ista; *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod licet Clerici de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sive adepti suo, dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant, de his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ (id est Beneficii) perceperunt, nullum de Jure possunt facere testamentum.* Hoc ipso autem, quod de bonis his intuitu Ecclesiæ acquisitis liberè disponere nequeat Clericus, bona industrialia non sunt; cùm de istis juxta communem Adversariorum liberrime disponere valeat.

6 Confirmatur: juxta communissimam etiam Adversariorum, bona mere Ecclesiastica sunt, & dicuntur illa, quæ intuitu Beneficii acquiruntur: atqui redditus Stolæ revera intuitu Beneficii acquiruntur; plane enim illud proprie intuitu Beneficii acquiri dici potest ac debet, quod Clericus non acquireret, nisi Beneficium haberet; ergo. Nec juvat dicere, bona Stolæ non dari intuitu Beneficii, sed intuitu industriæ & laboris spiritualis in administrandis Sacramentis, v. gr. sepeliendis defunctis, benedicendis Nubendis &c. habiti. Nam contra est, quod etiam redditus beneficiales dentur propter industriam & laborem spiritualem, recitationem nempe divini officii (*Beneficium enim datur propter Officium, cap. fin de rescript. in 6.*) & tamen non sunt bona industrialia; quia nempe, etsi Clericus Officium recitaret, non darentur, nisi Clericus simul etiam Beneficium haberet: Ergo etiam licet redditus Stolæ dentur Parocho propter industriam spiritualem, tamen quia non darentur, nisi beneficium Parochiale haberet, nullatenus bona industrialia, sed merè Ecclesiastica erunt, utpote intuitu Ecclesiæ seu Beneficii acquisitæ. Et hæc sententia probabilitate sua certè non caret. Profectò enim negari vix potest, rem aliquam propriè dici intuitu alicujus rei acquiri, quæ si non respiceretur, vel non adesset, non acquireretur, *arg. cit. l. Castrinse, ff. de Castren. Peculio, & §. 1. Instit. Per quas personas cuique acquir.* ubi in simili profectitium dicitur, quod intuitu patris datur filio, non dandum, si pater non respiceretur; juncto *c. Quia nos 9. de Testament.*

7 Econtra alii, & quidem hodie communis DD. docet, præfatos stolæ redditus bona industrialia seu quasi patrimonialia esse; ita namque sentiunt. Navarrus *tract. de reddit. eccl q. 1. Monito 19.* Layman *lib. 4. tract. 2. c. 3. num. 1.* Engel *eodem n. 2.* Konig. *h. t. n. 2.* Molina *disp. 142. n. 2.* Ratio est; quia fructus seu redditus stolæ Clerici etiam curati non intuitu beneficii, sed præcisè intuitu industriæ seu laboris spiritualis præstiti dantur tanquam stipendium & merces absque ullo tacito aut expresso onere superflua in causas pias erogandi, *dignus est enim operarius mercede sua, Lucæ 10.* ad quam mercedem ob labores spirituales percipiendam Clerici non minus jus habent, quam Laici ob labores profanos imò allegatæ Scripturæ verba proprie de Clericis prolata sunt. Neque ex hoc, quod Clericus eos non acquireret, si beneficium non haberet, dici debent intuitu beneficii acquisita; quia hoc esse videtur per accidens, cum dantes absque ullo respectu ad beneficium solummodò intuitu & consideratione industriæ & laboris spiritualis præstiti præfatos stolæ fructus Parocho largiantur, largituri, etsi beneficium non haberet, dummodò desideratos labores spirituales illis exhiberet: teste experientia, qua videmus, quod Laici ob præstita sibi similia servitia spiritualia Clericis mercedem, & stipendium tribuat, sive sint beneficiati, sive non.

8 Alia controversia circa bona industrialia inter DD. est; an nempe Distributiones quotidianæ, seu Præsentiæ, ut vocant, bonis industrialibus, vel potius merè Ecclesiasticis sint annumerandæ. Covarruvias *de Testament. in cap. cùm in officiis 7. de Testament. num. 14.* Pirbing *h. tit. num. 2.* Engel *h. t. num. 4.* Cardinal Tuschus *litter. D. conclus. 512. nu. 1.* citans Geminianum *Conclusion. 85. su. per princ. num. 18.* affirmativam docent. Ratio eorum est; quia etiam dari censentur tanquam stipendium & merces laboris.

9 Verum sententia contraria dicens, eas bonis mere Ecclesiasticis annumerari, probabilior est, eamque tenet Navarrus *de Reddition. Eccles Monit 30 num. 2.* Sanchez *lib. 1. cap. 2. dub 45. num. 4.* Sarmiento *de Reddition. par. 3. cap. 5. num 6.* Van. Espen, *loc. cit.* & alii. Ratio est, quia dictæ Distributiones quotidianæ de ipsis bonis merè Ecclesiasticis, seu redditibus beneficii ordinariè sumuntur, suntque tertia pars dictorum redditum, ut patet ex *Concil. Trident. Sess. 21. cap. 3. & Sess. 22. cap. 3.* atque intuitu beneficii acquiruntur, utpote non acquirendæ, si Clericus beneficium non haberet, etsi Chorum accederet.

10 Nec refert, quod memoratæ Distributiones sint defacto pars separata à redditibus, & fructibus grossis, denturque tanquam merces propter industriam & laborem. Nam contra est: tum quia separatio postea facta non abstulit, nec auferre potuit naturam eorum, ac finem Fundatorum volentium, ut non nisi ad pias causas applicentur. Tum quia etiam ipsi redditus grossi sunt merces, & dantur propter industriam & laborem, recitationem nempe Officii divini, *cap. final. de Præbendis in 6.* & tamen non sunt fructus industriales. Nec enim in dignoscendis bonis Ecclesiasticis, an sint merè industrialia necne, ad id præcisè attendi debet, utrum dentur propter laborem, & servitium; sed etiam, & quidem præcipuè, qua intentione, pacto, & fine sint datæ, vel dentur. Quapropter cum Distributiones quotidianæ non minus ac ipsi fructus grossi, utpote horum pars, indeque desumpti, ex intentione pactoque tacito vel expresso Fundatorum non nisi ad causas pias applicari valeant, nullatenus bona merè industrialia, sed merè Ecclesiastica sunt, & manebunt, sicuti ante separationem fuerunt, non obstante, quod ob laborem, & diverso modo acquirantur, cum diversus lucrandi modus non variet finem, ob quem percipitur lucrum, *L. 1. & l. Legatum 4. ff. de Administ. rerum ad Civit. & Clem. Quia contingit. de relig domib.*

11 *Bona Parsimonialia* dicuntur, & sunt illa, quæ Clerici ex redditibus merè Ecclesiasticis ad congruam sustentationem sibi competentibus, parcius, ac honeste possent, vivendo sibi subtrahunt, & congregant: ut si Clericus, considerato statu & conditione sua, pro honesta sustentatione de redditibus Beneficii annuatim possent impendere 1500. florenos, & tantum impendit 1000. florenos, erunt 500 floreni residui bona Parsimonialia. Ita DD. absque controversia.

12 *Bona tandem mere Ecclesiastica* vocantur, & sunt illa quæ intuitu, seu ratione & respectu ecclesiæ, sive Beneficii alicujus v. g. Episcopatus, Canonicatus, Parochiæ, aut alterius Beneficii titulo acquiruntur: uti sunt redditus eorum ordinarii, v. g Decimæ fructus agrorum, ac rerum ad beneficium ipsum pertinentium. Explicata itaque natura ac divisione bonorum ecclesiasticorum, ulterius

13 Quæritur III. An Clerici bonorum præfatorum habeant dominium? Resp. I. Bonorum Patrimonialium habent Clerici perfectum dominium. Ita Omnes textu claro, *c. quia nos 9. h. t.* suprà *nu. 5.* jam allegato. Ratio est; quia Clerici sæculares nullo modo abdicarunt dominium bonorum temporalium uti Religiosi: nec per Ordinem, seu statum Clericalem fiunt incapaces dominii, cum nullo id Jure, bene verò, quod dicit Conclusio, probari valeat, tum Juribus citatis: tum ex *can. Certè 8. caus. 12.* ibi: *Qui volunt habere aliquid proprium, non eis aufero Clericatum.*

14 Resp. II. Etiam bonorum quasi patrimonialium, seu industrialium dominium, perfectamque disponendi facultatem habent Clerici sæculares. Navarrus *loc. cit. q. 1. Monito 19.* Engel *h. t. n. 2.* Pirbing *h. t nu. 3.* Layman *lib. 4. tr. 2. cap 3. n. 1.* Zoesius *h. t. n. 2.* Sannig *eod. n. 2.* Castro Palao *de justit. & jur. disp. un. pun. 7. §. 2. nu. 3.* ac communissima aliorum. Ratio est; quia Clericis bona industrialia ut pura merces laborum, absque ullo intuitu Beneficii dantur: *dignus est enim operarius mercede sua, Lucæ 10* vel si non ut merces laboris; saltem dantur sine omni tacito, vel expresso dantis pacto aut onere, eas in causas pias erogandi, juxta communem sensum Fidelium; qui utique in hoc puncto maximè attendi debet. Et ex his duabus Conclusionibus infertur, quod si Clerici ex præfatis bonis quædam pro honesta sua sustentatione applicent, possint tantundem ex bonis ecclesiasticis superfluis sibi accipere, & expensas resarcire: quod etiam in Teologia nostra Morali *tract. 7 disp. 4. n. 27* notavimus.

15 Resp. III. Bonorum parsimonialium quoque verum dominium ac illimitatam de eis disponendi libertatem habent. Navarrus *loc. cit. Monito 26. n. 1* S. Thomas *2. 2. q. 185. art. 7.* Engel *h. t. nu. 7.* Covarruvias *de Testament. cap. 17. nu. 9.* Lessius *lib. 2. cap. 4. nu. 37.* & alii, contra

Ab-

Abbatem, & nonnullos alios. Ratio est; quia Parsimonialia desumuntur de bonis merè Ecclesiasticis honestæ sustentationi Clerici necessariis, suntque pars illorum, horum autem Clerici perfecti sunt domini, ut statim sequenti Conclusione probabimus, simulque Conclusionem præsentem stabiliemus: ergo. Omnes has tres Conclusiones etiam in Theologia nostra Morali jam dedimus *tract. 7. dist. 4 qu. 3.*

16 Resp. IV. Clerici beneficiati omnes etiam bonorum merè ecclesiasticorum perfectum dominium, perfectamque disponendi facultatem habent quoad illam partem, quæ honestæ eorum sustentationi competit, ac necessaria est. D. Thomas *loc. cit.* Navarrus *loc. cit. & Monito 43. ac 44.* ubi solvit objectiones, Engel *h. t. nu. 7.* Lessius *loc. cit.* Covarruvias *loc. cit.* Layman *lib 4. tr. 3. cap. 3. n. 2.* Molina *disp. 145.* Pirhing *h. t. nu. 4.* cum communissima aliorum contra Abbatem *in c. cùm esses 10. nu. 27 de Testament.* qui tamen non ex professo, sed tantùm per transitum quasi contrarium docet; uti benè observat Navarrus *loc. cit. Monito 44.*

17 Probatur Conclusio ex Jure *cap. un. de Præben. in 6.* ubi habetur, quod Clericus debite non residens Distributionum *perceptarum dominium non recipiat, nec faciat esse suas.* Pariformiter statuitur in Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 1. de Reformat.* de Episcopis, aliisque Clericis debitè non residentibus, eos *pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere:* ergo per argumentum à sensu contrario (quod fortissimum est apud Glossam receptam *in c. cùm Apostolica, de his quæ sunt à Prælatis ℣. Datur intelligi*) si debite resident, præfatos fructus Ecclesiasticos faciunt suos, saltem illos, qui honestæ sustentationi necessarii sunt.

18 Confirmatur ex eodem Concilio Trident. *sess. 24. cap. 12* ubi non tantùm negativè, sed & positivè insinuat, & asserit, Clericos debite residentes *fructus facere suos:* dum de indebite absentibus sic ait: *Aliquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac Residentiæ fecit suos,* ubi notanda verba: *Quos ratione Præbendæ ac Residentiæ fecit suos;* quibus Concilium profectò manifeste indicat, Clericum debite præsentem, fructuum merè Ecclesiasticorum acquirere & habere dominium, cùm rem suam facere, & ejus dominium acquirere sint idem, *arg. l. 2. §. 2. ff. de rebus credit. & c. un. cit. de Præbend. in 6.* ubi fructus suos facere, & eorum dominium acquirere pro eodem sumuntur: quod ipsum etiam in Concil. Trident. *sess. 22. de reform cap. 22.* fit.

19 Ratio Conclusionis est; quia illa pars bonorum Ecclesiasticorum, seu redditaum & fructuum beneficii ad sustentationem honestam necessaria, est vera & propria merces, justumque stipendium Clerici pro officio; & obsequio Ecclesiæ præstito prorsus debitum, cum secundùm Apostolum, *qui altari servit vivere debeat de altari; & qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede patet à simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur.* Et infrà, *Dignum est, ut Ecclesiæ stipendiis sustententur, in qua & per quam divinis obsequiis adscribuntur, c. cùm secundum 16. de Præbend.* ubi ut vides, Clericorum sustentatio honestum vocatur *stipendium, & merces* obsequii ecclesiæ præstiti; stipendium autem & merces laboris, ac obsequii transit in dominium, laborem & obsequium præstantis, non tantùm Laici, sed etiam Clerici: utpote qui non est deterioris conditionis ac ille, nec minùs dominii capax est.

20 Confirmatur: Exinde, quod Clericus dicatur bonorum honestæ sustentioni necessariorum habere perfectum dominium, plenamque de eis disponendi facultatem, nemini fit injuria, aut præjudicium; nec pauperibus, nec aliis piis causis, nec intentioni Fundatorum. Non pauperibus, & piis causis; quia hæ solummodo in superflua, non item in necessaria sustentationi bona jus habent; aliàs enim clericus sine illorum injuria, nec sibi dicta bona necessaria applicare posset. Non intentioni Fundatorum, quia horum finis, videlicet, ut bona ab ipsis collata in pias causas impendantur; æque perfectè jam censetur impleta, dum Clerico pro honesta sustentatione, ac si pauperibus, vel aliis piis causis dentur; cùm necessaria clerici sustentatio etiam causis piis æquiparetur, *cit. c. 16. de præbend.* indeque æquale cum pauperibus, & aliis piis causis in bonis acceptis jus habeat; atqui exinde, quod pauperes, aliæque piæ causæ dicantur acquirere, & verum habere dominium bonorum Ecclesiasticorum sibi collatorum, plenamque de eis disponendi facultatem, non fit injuria intentioni Fundatorum; ergo nec, si eorundem bonorum domini dicantur Clerici. Ratio utriusque est; quod dicta intentio Fundatorum pariat tantùm obligationem personalem stringentem dispensatores, vel administratores ad hoc, ut bona ab ipsis collata in pias causas distribuant, quo semel facto jam censetur perfectè impleta, neque ulterius se extendit, nec ampliùs obligat pias causas, quæ eorum bona acquirunt; ut proinde iis tanquam perfecti domini pro libitu disponere valeat.

21 Ex quibus colligitur, Clericos non tantùm de bonis patrimonialibus & industrialibus, sed etiam parsimonialibus, id est, illis bonis, quæ parcius ac tenentur, vivendo, reservant de merè Ecclesiasticis ad honestam sustentationem necessariis remanent, posse pro libitu disponere, & de illis ditare consanguineos, eisque succurrere. Et quidem de dominio bonorum hucusque recensitorum DD. satis communiter conveniunt, ita ut specialis difficultas & controversia de eis non sit. Celeberrima autem controversia inter eosdem versatur circa dominium bonorum merè Ecclesiasticorum superfluorum, id est illorum, quæ ad honestam sustentationem Clericis necessaria non sunt: Hinc de illis specialem Paragraphum facimus.

§. II.

De Clericorum bonis Ecclesiasticis superfluis, sive illis, quæ ad eorum honestam sustentationem necessaria non sunt.

S U M M A R I U M.

22 *Utile & necessarium scitu est, an superfluorum bonorum dominium habeant Clerici, nec ne?*
23 *Allegantur DD. affirmativam tenentes.*
24 *Probatio eorum ex jure.*
25 *Probatio ex Bulla Julii III.*
26 *Probatio ex ratione.*
27 *Probatio à simili.*
28 *Confirmatur ratione juris. Et n. seq.*
30 *Proponitur sententia negativa, & DD. eam tenentes.*
31 *Probatur ex jure.*
32 *Probatur ex SS. Patribus.*
33 *Concertatio DD. utriusque sententiæ usque ad num. 37.*
37 *Probatur ulteriùs sententia negans ex jure, & Concilio Trident.*
38 *Et SS Patribus.*
Membranam inutiliter occupat, dictio in lege vacans. Ibid.
39 *Pontifices dividendo bona Ecclesiastica non potuere mutare naturam eorum.*
40 *Quia hoc esset in damnum Ecclesiarum.*
41 *Uti probatur à pari.*
42 *Solvuntur Textus quibus dicitur Clericos facere fructus suos.*
43 *Respondetur ad Bullam Julii III.*
44 *Et ad argumentum ex ratione propositum.*
45 *Solvitur alia instantia.*
46 *Quare tolerentur, & non rescindantur contractus Clericorum de bonis superfluis pacti?*
47 *Dominus bonorum superfluorum Ecclesiasticorum Christus est.*
48 *Probatur à simili.*
49 *Quare bona Ecclesiastica vocentur patrimonium pauperum, & dicantur pertinere ad jus Sacerdotum, vel Ecclesiæ?*
50 *Sententia negativa agnoscitur probabilior.*

22 Quæritur, An Clerici bonorum Ecclesiasticorum superfluorum dominium habeant? Notandum priùs, hanc quæstionem non esse merè speculativam, sed summè practicam, indeque scitu summè utilem ac necessariam. Enim verò si Clerici dictorum bonorum verum habent dominium, facilè probari potest, eòs ad restitutionem non teneri, si quid de iis ad causas profanas expendunt; sed tantùm ad agendam pœnitentiam ob peccatum, quod impendendo dicta bona ad causas profanas committunt. Si autem dominio præfatorum bonorum carent, non tantùm peccant, sed etiam ad restitutionem tenentur, si quid de memoratis bonis ad profanas causas applicant.

23 Circa hanc quæstionem duæ immediatè sibi oppositæ celebres sunt sententiæ: una nempe, quæ dicit, Clericos etiam bonorum superfluorum Ecclesiasticorum verum habere dominium. Ita docent Covarruvias *in c. cùm in officiis 7. n 3. de Testament.* Molina *disp. 143 n. 2.* Barbosa *lib. 3. jur. Eccles. un. cap. 17* Fagnanus *in c. Si quis sanè ult. h t.* Lessius *lib. 2. cap 4. dub 6. n. 44.* Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 3 n 3.* Sanchez *in præcept. Decalogi lib. 2. cap 20. n 24.* Pirhing *h. t. n 5.* Fillsucius, Valent Bonac. Reginald Haunoldus, & Recentiores communiter.

24 Probatio hujus opinionis, atque fundamentum principale desumitur ex *c. un. de Præbend. in 6* & Concilio Trident *Sess. 22 de reform. cap. 3 Sess. 23. cap. 1. & Sess 24. cap. 12.* in quibus locis apertè habetur, quod Clerici sæculares beneficiati debitè non præsentes dominium fructuum, seu bonorum Ecclesiasticorum non acquirant, nec eos faciant suos, uti constat ex textibus suprà *nu. 17. & 18. allegatis:* ergo à sensu & argumento contrario, si debite sunt præsentes, dominium acquirunt, eosque faciunt suos.

25 Probatur etiam ex Bulla Julii III. *Cùm sicut nobis* edita ann 1550. & durante Conc. Tridentino publicata (invenitur in Tom 1. Bullarii) ubi §. 1 ita loquitur Pontifex: *Pecunias, & res alias, occasione Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum provenientes, postquam ad manus Beneficiatorum pervenerunt, & cum aliis ipsorum Beneficiatorum fructibus commixti sunt &c. non ulteriùs in Ecclesiasticis, sed potius in ipsorum Beneficiatorum propriis, & ab eis acquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo profanis haberi &c*

26 Probatur ulteriùs ratione, & argumento sequenti: Clerici etiam juxta contrariam sententiam sunt veri domini redditum seu bonorum merè Ecclesiasticorum honestæ sustentationi necessariorum; ergo etiam sunt domini superfluorum. Consequentia probatur. Clerici beneficiati redditus omnes Ecclesiasticos tam necessarios, quam superfluos promiscuè & commixtim accipiunt: ergo dici non potest, quod aliquorum acquirant dominium, & aliorum non acquirant; sed dici necessario debet, quod si unius, etiam alterius generis bonorum promiscuè acceptorum acquirant, & habeant dominium: præsertim quia etiam pecuniæ propriis ita mixtæ transeunt in dominium illius, cujus pecuniis miscentur; saltem si discerni amplius nequeant.

27 Confirmatur hoc argumentum à pari: Quando quis alicui centum v. g. florenos ad instituendam peregrinationem dat: hoc fine & pacto, ut, quod necessariis expensis superest, det pauperibus, acquirit acceptator verum dominium tam superfluorum quam necessariorum, quamvis cum obligatione superflua in pauperes erogandi: ergo idem dicendum de Clericis accipientibus bona Ecclesiastica tam necessaria, quam superflua promiscuè hoc pacto, & conditione, ut necessariæ sustentationi superflua tribuant pauperibus, & aliis piis causis. Ita argumentatur Layman *lib 4 tr. 2. cap. 3. nu. 4.* & ex ipso Pirhing *h. t. n 5.* ac plures alii.

28 Probant adhuc *n. 23.* allegatam opinionem DD ibi citati; quando habetur certum, ac manifestum fundamentum, non debet, nec expedit Clericis gravissimam obligationem, & periculosissimum conscientiæ onus imponi, sed qui docent, Clericos non esse dominos superfluorum, hoc ipso imponunt eis sine manifesto fundamento gravissimam obligationem & periculosissimum conscientiæ onus restituendi nempe iterum ad pias causas, quæ de superfluis in causas profanas expenderunt: ergo. Majorem ut certam supponunt: tum quia *in obscuris minimum est sequendum,* juxta *Reg. 30. Jur. in 6.* Obscurum autem, & non certum, utpote textibus Juris pro, & contra stantibus ac inter Doctores summè controversum est, an Clerici habeant dominium superfluorum; consequenter *minimum,* id est, quod minorem parit obligationem, sequendum est: tum quia *In pari causa potior est conditio possidentis:* Clerici autem in hac pari controversiæ causa sunt possessores bonorum superfluorum: ergo. Minor quoque certa videtur; quod enim præfata ex doctrina contraria, sequens obligatio esset gravissima, patet: quod foret simul periculosissima, nemo negabit: profectò enim stante obligatione, quod Clerici superflua ad profanas causas expensa, iterum ad pias restituere debeant, plurimi erunt in summo periculo æternæ suæ salutis: cùm multos videamus superflua in causas profanas expendere, paucos verò restitutionem facere, ubi autem *non restituitur ablatum, non dimittitur peccatum:* consequenter maximo cum periculo æternæ salutis vivitur: ergo.

29 Quod verò eadem obligatio, ac conscientiæ onus absque certo, ac manifesto fundamento imponatur, inde patet; quia Jura & Canones, quos pro se copiose allegant contrariæ opinionis Doctores, loquuntur vel exaggerative, vel de statu & tempore Ecclesiæ antiquo, in quo Clerici in communi vivebant: non item de tempore moderno, quo bonorum Ecclesiasticorum per Simplicium, & Gelasium Summos Pontifices circa annum Domini 470 divisio in quatuor partes facta, & cuique parti, suæ portionis dominium assignatum est: vel tandem, si qui Textus etiam de moderno tempore allegantur, illi vel obscuri sunt, vel plus non probant, quam quod Clerici teneantur superflua erogare in pauperes; non item, quod eorum dominium non habeant, indeque ad causas profanas expensa, ex justitia iterum restituere debeant. Hæc sunt potissimæ hujus opinionis fundamenta. Reliqua loco objectionum ponentur.

30 Altera sententia immediatè contrarium dicit, videlicet, quod Clerici beneficiati sæculares quicunque, prorsus nullum dominium bonorum Ecclesiasticorum superfluorum habeant, sed eorum meri dispensatores, administratores, & procuratores sint, consequenter ex justitia teneantur eadem juxta intentionem fundatorum in causas pias erogare, & aliter in causas profanas nempe expensa iterum restituere obligentur. Ita docent celeberrimi imò (fatentibus ipsis adversariis) penes omnes Canonistæ ac Theologi antiqui; signanter Navarrus *de Reddit. Eccles. quæstion. 1 Mon 21. & quæst. 2 nu. 7.* Abbas *in c. cùm secundum 16 num 4 de Præbend.* & alibi. Archidiac *in c. Statutum, § Assessorum, de Rescript. in 6.* Innocentius *in cap. Indecorum, de Ætat. & qualit.* Pelagius *de Planctu Eccles. cap. 28.* Angelus *℣. Clericus 3. numer. 1 & 3* B. Antonin *part 3. tit. 15. cap. 1. § 19.* Bellet. *Disquisit. Cleric. de Bonis Cleric. §. 2. numer. 5.* Sannig *de justit. & jur disp. 5 quæst. 4.* Van Espen. Eminentissimus Sfondrati, Joan Andreas. Ancboranus, Calerindus, Richardus, Hostiensis. Sylvester, Armilla, Alexander Alensis, Jason, Barbat. Petrus Sorus, Decius, Rosella, Masion dicens, *ante ipsius ætatem, nullum tenuisse contrarium:* & alii plurimi, quorum omnium vel nomina tantum citare nimis longum foret.

31 Probatur hæc sententia ex Jure, & SS Patribus, ratione, ac solutione fundamentorum contrariæ sententiæ. Ex Jure quidem: quia ibidem Episcopi, ac cæteri Clerici nunquam domini, sed tantum Dispensatores, Administratores, aut Procuratores bonorum merè Ecclesiasticorum vocantur; ipsaque bona Ecclesiastica, *res Dei, patrimonium Christi, & pauperum, vota Fidelium, pretia peccatorum* dicuntur. Audiamus Canones: *canon. Si privatum 28. caus. 12. quæstion. 1.* habetur: *Si privatum possidemus, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus. Can Episcopus 23. cit. caus. 12. quæst. 1.* dicitur: *Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, & timore Dei. Participet autem & ipse, quibus indiget, tam in suis, quam in fratrum necessariis usibus, ita, ut in nullo, qualibet occasione fraudentur, juxta Apostolum dicentem, habentes victum & tegumentum, his contenti sumus. Can. Quia 59. caus. 12. quæst. 1.* ita loquitur Synodus Romana; *Quia juxta SS. Patrum traditionem novimus, res Ecclesiæ vota*

esse

esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Dist. 42. in Rubrica: *Aliena rapere convincitur* (Clericus) *qui ultra necessaria sibi retinere probatur. Can. 1. caus. 12. quæst.* 1. Stephanus Pap. eadem bona, pecunias Christi vocant illis verbis. *Qui Christi pecunias, & Ecclesiæ aufert, fraudat, & rapit. can. Quia 8. caus. 12. quæst.* 1. de memoratis statuitur: *Omne, quod superest, in causis piis, & religiosis erogandum.* Concordant *can. Res Ecclesiæ 26. caus. 12. quæst. 1. can. Decima 66. caus. 17. quæst. 1. can. Quod autem caus. 23. quæst. 1. can. Apostolorum 37. &* 75. Similiter loquuntur Concilia, ut Aquisgranense *cap.* 116. Agathense *cap.* 6. Cartaginense *cap.* 46. & alia, quorum omnium Textus afferre, esset brevitatis leges transgredi, præsertim, cùm ex dictis satis jam constet, Clericos de Jure solos Dispensatores, Administratores, & Procuratores, non item dominus esse, bonaque Ecclesiastica superflua, *res Dei, & Ecclesiæ, patrimonium Christi, & pauperum*, consequenter non ipsorum esse.

32 Probatur eadem sententia etiam ex SS. Patribus, qui pariformiter loquuntur, S. Augustinus *Serm. 219. de Tempore*: *Quidquid* (ait) *excepto victu, & vestitu rationabili superfuerit, non luxuriæ reservetur, sed in thesauro cælesti per eleemosynam reponatur: quod si non facimus, res alienas invasimus.* Ecce juxta S Augustinum bona Ecclesiastica Clericorum superflua *aliena* sunt: ergo non propria Clericorum. Similiter loquitur S. Hieronymus *can. fin. caus. 26. quæst. 1. Quoniam quidquid* (superflui) *habent Clerici, pauperum est.* Gaudentius *de Sermone Villico nobis*, inquit, *credita est dispensatio* (non dominium) *facultatum Domini nostri, vel ad utendum eis sufficienter, vel ad distribuendum conservis; ideo non licet nobis eas in expensas usurpare superflua: cùm sit erogationis ratio Domino venienti reddenda.* Pariter loquuntur alii SS. Patres.

33 Ad hos, & similes SS. Conciliorum, Canonum, & Patrum textus vix non unanimiter respondent primæ sententiæ Auctores, videlicet, eos loqui, intelligendos esse, ac verificari de bonis superfluis Ecclesiasticis illis, quæ Episcopi ac Clerici habuere ante divisionem bonorum Ecclesiasticorum, factam circa annum 470. à Simplicio, & Gelasio Summis Pontificibus: non item de bonis acquisitis post illam divisionem, mediante qua dicti Pontifices bona Ecclesiastica in quatuor partes diviserunt, unam Ecclesiæ, alteram Episcopis, tertiam clericis; quartam pauperibus tribuentes: *can. Concesso 26. can. Quatuor 27. & can. 28. caus. 12. qu.* 2. per banc enim divisionem allegatas quatuor competentes, bonorum sibi assignatorum dominium acquisivisse, ajunt, sed non probant Doctores primæ sententiæ.

34 Contra autem hanc responsionem reponunt DD. secundæ sententiæ, & dicunt, probantque, extare similes SS. Conciliorum, Canonum, & Patrum Textus, qui etiam post dictam bonorum divisionem idem de bonis Ecclesiasticis dicunt, quod antiqui ante divisionem de iisdem dixerunt, consequenter communis hæc responsio DD. prorsus non subsisteret. Probant ant. ex *cap. Inquirendum 4 h t.* ibi: *Inquirendum est, si quis presbyterorum de redditibus Ecclesiæ, vel oblationibus, vel votis fidelium alieno nomine res comparævit: quia sicut nec suo, ita nec alieno nomine presbyter fraudem facere de facultatibus Ecclesiasticis debet: quoniam hoc sacrilegium, & par crimini Judæ furis: & cap. 2. de donat.* ubi dicitur; *quod Episcopus, & quilibet Prælatus Ecclesiarum sit procurator, non dominus.* Ad hos, & nonnullos alio Juris Textus post divisionem primum positos dicunt, eos loqui de bonis, quæ ad Ecclesiam ipsam immediate spectant, & à bonis Clericorum separata existunt, quorum dominium Clericos non habere, sed merè Oeconomos & Administratores esse, ipsimet fatentur: non item de bonis Ecclesiasticis, quæ separata ab Ecclesia immediate Clericis obveniunt.

35 Sed contra respondent secundæ sententiæ Doctores, dari textus Juris novi, qui de bonis ad Clericos immediate spectantibus loquentes, expresse indicant, Clericos eorum nullum habere dominium. Sic *c. fin. h. t.* de ipsis bonis Clericorum loquens ait: *Si quis sane Clericorum agella, vel vineolas in terra Ecclesiæ sibi fecisse probabitur, sustentandæ vitæ causa, usque ad diem obitus sui possideat, nec testamentario, aut successorio Jure cuiquam hæredum, probæredumve relinquat. & c. 3. eodem* statuitur: *ut unusquisque res, quas post dies consecrationis acquisierit* (occasione Ecclesiæ, uti benè observat Glossa ibid. *vers. Acquisierit.*) *propriæ Ecclesiæ relinquat. c. cùm in officiis 7. & c. Relatum* 12. ordinatur, *quod ipsorum Clericorum bona, intuitu Beneficii acquisita penes Ecclesiam debeant cuncta remanere*, ita ut hæredes eorum nec ex testamento, nec ab intestato quidquam inde acquirere valeant. Idem habetur de Episcopis *cap. 1. eod.* Ex quo manifeste patet, Clericos, neque in bona ab Ecclesiæ bonis distinta, & sibi acquisita aliquod habere dominium, hoc ipso, quod nec de iis testari, nec in eis hæredes ab intestato succedere valeant. Nam si præfata bona propriè ad Clericos spectarent, hique illorum haberent dominium, injuriam eis faceret Ecclesia, potestatem testandi adimendo, cùm hæc potestas de Jure & æquitate naturali cuivis competat. *Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis liberum quod iterum non redit, arbitrium, iis relinquatur, disponendi de bonis suis. L. 1. C. de SS. Eccles.* Unde æquitati huic conformiter, *cap. quia nos 9. de Testament.* liberrima testandi conceditur potestas Clericis de bonis suis, quorum dominium habent. Qua potestate quia carent circa bona superflua Ecclesiastica, signum evidens est non esse bona *sua*, seu ipsorum, nullumque eis in illa competere dominium.

36 Pariter faceret Ecclesia injuriam hæredibus ab intestato succedentibus, adimendo eis ea, quorum dominium ad Clericum consanguineum spectabat, & in quæ succedendi ipsi jus habent: Nec enim juvat dicere, hæredes succedere ab intestato non posse, quia præfata bona tenebatur Clericus in pias causas erogare. Nam contra est, quod Clerici juxta Doctores primæ sententiæ, tantùm ex charitate, vel religione, non item ex justitia id facere tenebantur, consequenter ex justitia adhuc pertinent ad hæredes, & penes eos jus adhuc remanet, quo illos propter obligationem ex virtute charitatis dictis bonis inhærentem, privare non potest Ecclesia, sicut juxta ipsos etiam Adversarios privare non potuisset, si memorata bona eisdem in vivis Clericus donasset, non obstante, quod contra virtutem Charitatis vel Religionis egisset.

37 Probatur ulteriùs ex Jure novo, quod Clerici bonorum superfluorum, intuitu Beneficii sibi acquisitorum, dominium non habeant, ex eo, quod præfata bona etiam Jure novo, uti in antiquo vocentur *Res Dei, Patrimonium Jesu Christi &c.* ut patet *c. cùm secundum 16. de Præbend.* ibi: *De patrimonio Jesu Christi & c. cùm ex to 34. de Elect. in 6.* ubi Bonifacius VIII. de redditibus Clericorum intuitu Ecclesiæ acquisitis conqueritur, quod *multi de patrimonio Jesu Christi sint sublimati.* Et novissime ex Concilio Trident. *Sess. 25. de reform. cap.* 1. ubi prohibet, ne ex redditibus Ecclesiasticis consanguinei ditentur, quia *Dei sunt*.

38 Probant ulteriùs sententiam suam ex SS. Patribus, ex quibus unicum brevitatis gratia adducere placet S. Bernardum, qui diu post divisionem vivens, ita de bonis Clericorum, intuitu Beneficiorum acquisitorum loquitur: *Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est*: atqui si ipsorum non est, & retinentes rapinam committunt, eorum dominium non habent, uti cuivis consideranti patet. Pariter loquuntur alii SS. Patres. Nec valet, quod dicant, SS. Patres, ex pia quadam exaggeratione loqui. Nam contra est: tum quia injuria videtur fieri Sanctissimis simul ac Doctissimis Patribus, dicere de eis, quod in re maximi momenti, & ubi agitur de periculosissimo, eodemque gravissimo conscientiæ onere, loquantur exaggerativè. Tum quia idem dicunt Jura antiqua & nova, uti patet ex *c. 4. h. t.* ubi, sicut in aliis locis fures vocantur Clerici, bona Ecclesiastica malè impendentes. Hinc etsi dato non concesso aliqui SS. Patres exaggerativè loquerentur, dicere saltem non possunt Adversarii, quod Jura, Canones, & Leges Ecclesiasticæ exaggerativè loquantur: cùm juxta illud receptissimum Glossæ *in c. Solitæ V. Tanquam de Majorit. & obedient. Nulla dictio debeat vacare in Lege aut Decreto, alioquin frustra membranam occupat.*

Con-

39 Confirmatur, quod etiam post divisionem Clerici non sint domini superfluorum bonorum. Clerici juxta ipsos etiam Adversarios, ante divisionem non fuere domini; ergo nec post illam. Probatur Consequentia. Pontifices nec potuere nec voluere mutare naturam bonorum Ecclesiasticorum, & transferre eorum dominium cum gravi, ac communi Ecclesiarum gravi detrimento: atqui Pontifices mutando naturam dictorum bonorum, & transferendo eorum dominium, grave damnum intulissent Ecclesiis, & causis piis, ergo. Major quoad primam partem, quod non potuerint, probatur, quia, quamvis eisdem plenè de Beneficiis disponendi competat potestas *cap. 2. de Præbend. in 6.* tamen eadem cum Ecclesiarum præjudicio abuti non possunt; uti communiter fatentur Doctores. Quod verò non voluerint, inde constat; tum quia neutiquam supponere, ac præsumere licet, Summos Pontifices per suas dispositiones id velle, quod in grave præjudicium Ecclesiarum esse aperte dignoscitur. Tum quia *acta operantium non operantur ultra finem eorum*: atqui Pontifices per divisionem bonorum Ecclesiasticorum solummodò intenderunt evitare scandala, rixas, ac dissensiones inter Episcopos, Capitula, & Clericos hinc inde exortas, quod Episcopis solis dispensatoribus existentibus, bona Ecclesiastica per sæpe indebite fuerint distributa, cui modo occurrere Pontifices constituendo plures dispensatores optime ac sufficientissime potuere, etsi hujusmodi dispensatoribus nullum jus in bona dispensanda tribuerent.

40 Minor verò, quod videlicet Pontifices per divisionem bonorum mutando naturam, & eorum transferendo dominium, grave, idemque commune damnum & præjudicium causassent Ecclesiis, ex hoc ipso liquet, quod quivis Clericus bona superflua Ecclesiastica, quæ priùs ad Deum, causasque pias pertinebant, & non nisi pro illis applicari poterat, pro libitu ad causas profanas saltem valide, & sine ullo restitutionis onere expendere, indeque grave damnum Ecclesiis, causisque piis inferre possent, hoc ipso, quod cuncta illa bona dictis causis piis in perpetuum decedant, quæ à Clericis profane expenduntur; & quæ dominio non translato ad ipsarum utilitatem fuissent expensa. Nec juvat; quod Clerici saltem licite non possint dicta bona ad causas profanas expendere, sed teneantur illa in pias causas applicare; quia non obstante hac obligatione, præfatum præjudicium non evitatur; teste etiam ipsa experientia, qua videmus, quod cum maximo, ac continuo Ecclesiarum, causarumque piarum præjudicio bona Ecclesiastica superflua ad causas profanas expendantur à Clericis, non obstante, quod certò sciant, se id sine peccato mortali facere haud posse.

41 Hinc sicut à pari dici non potest, non fieri præjudicium illi, cui quis aufert rem, sive dominium, ac proprietatem, illudque cum potestate liberè de illa, valideque disponendi, alteri tradit, etsi eidem simul obligationem imponat, vi cujus non nisi ad utilitatem illius, cujus res est ablata, rem traditam licite applicet: ita etiam dici non potest, factum non fuisse præjudicium Ecclesiis, aut causis piis, si ab eis Pontifices dominium bonorum superfluorum abstulissent, illudque Clericis cum potestate libere de illis, valideque disponendi tradidissent, etsi cum obligatione adjuncta fecissent, quod præfata bona non nisi ad utilitatem causarum piarum licite expendere valeront; præsertim, si finem pro bono communi tunc intentum, etiam absque dominii translatione, & inde subsequenti Ecclesiarum præjudicio habere potuerunt.

42 Ad fundamenta DD. primæ sententiæ, & quidem ad primum ex Jure deductum, ac *numer.* 31. allegatum respondent DD. sententiæ secundæ, distinguendo Consequens: ergo Clerici debite præsentes faciunt fructus suos, & acquirunt dominium illorum, qui sunt necessarii pro honesta eorundem sustentatione conceditur: illorum, qui sunt superflui, negatur Consequentia. Quæ responsio plane contemnenda non est: tum quia per illam facillimo negotio solvunt principale Adversariorum fundamentum ex Jure, & Concilio Trident. *loc. cit.* desumptum. Tum quia conformis est SS. Canonibus, dominium necessariorum sustentationi ubique concedentibus Clerico: tum etiam quia per illam absque omni absurdo optime concordantur Jura Juribus ad intentionem *cap. cùm expediat 29. de Elect. in 6.* simulque evitatur grave ac commune Ecclesiarum, causarumque piarum præjudicium suprà *nu. 40. & 41.* demonstratum, servaturque intentio Fundatorum, nullique sequitur vel minimum præjudicium, aut damnum, prout consideranti etiam Adversario patet.

43 Ad Bullam Julii III. Resp. eam pariter de bonis necessariis, non item de superfluis necessariæ sustentationi loqui: vel si loquitur etiam de superfluis, intelligenda est in casu, quo fructus Ecclesiastici superflui per accidens, per commixtionem nempe, acquirunt dominium pecuniarum de nuovo admixtarum; non verò quasi per factam à Pontificibus divisionem bonorum Ecclesiasticorum, eisdem dominium competeret; cùm non obstante tali dominio, commixtione per accidens acquisito, adhuc teneantur ex justitia, dicta bona superflua in causas pias erogare; simulque dominio eorum careant in casu, quo aliis pecuniis ipsorum non commiscentur; ut proin absolute loquendo benè dicatur, quod non sint domini bonorum superfluorum, cùm merè per accidens fit, quod hæc necessariis commisceantur. Sicut à pari, licet Depositarius, Tutor, Curator, Fur &c si pecunias depositas vel pupilli, aut minoris, vel furto ablatas commiscent propriis pecuniis, acquirant dominium, evadantque domini illarum, tamen absolute loquendo, non dicuntur domini, nec habere dominium illarum, eò quòd non per se, seu per ipsam depositionem Tutelæ, ac Curatoris officium; vel furtum dominium illarum acquirant, sed per accidens, quatenus nempe commixtione pecuniæ alienæ cum propria acquiritur dominium ejus, manente obligatione ex justitia tantundem restituendi, quantum in simili casu de alienis pecuniis commixtum est propriis. Quod autem Bulla de dicto commixtionis casu intelligenda sit, patet ex verbis ipsius Pontificis, ibidem ita loquentis: *Si ad eos pervenerint, & aliis ipsorum beneficiatorum fructibus fuerint commixti*; ubi, ut vides, non sufficit ad dominium superfluorum acquirendum, quod ad Clericos pervenerint, sed & *quod fuerint commixti* propriis Clericorum pecuniis; quia dictio & regulariter copulativa, ac conjunctiva est, *l. Si quis ita ff. de V. O.*

Et per hoc patet etiam responsio ad probationem ex ratione desumptam, ejusdemque confirmationem *num. 26. & 27* propositam, quod videlicet per accidens, commixtione nempe, acquirant dominium, dicunturque domini superfluorum; manente obligatione ex justitia dicta bona in causas pias erogandi; quam obligationem ipse etiam Adversarius fatetur Layman, qui dictum ex ratione desumptum argumentum aliàs contra DD. secundæ sententiæ proponit. 44

Ad probationem *nu.* 28. propositam negant DD secundæ sententiæ Minorem, videlicet, quod sine manifesto, ac sufficienti fundamento imponant onus & obligationem ex justitia, superflua profane expensa iterum ad causas pias restituendi. Ea propter etiam ad *Regulas Jur. in 6.* adductas, negant suppositum, quod versemur in obscuris, vel in pari causa 45

Sed objiciunt DD. primæ sententiæ ulteriùs; Summi Pontifices, aliique Superiores Ecclesiastici validos agnoscunt, hoc ipso, quod non rescindant, sed tolerent Clericorum contractus de redditibus Ecclesiasticis superfluis factos; ergo etiam agnoscunt, Clericos habere eorum dominium; secùs enim hujusmodi contractus utpote cum injuria domini pecuniarum, sicque injuste factos teneretur irritare ac rescindere. Resp. Negando ant. eò quòd contractus hujusmodi à Superioribus Ecclesiasticis non ideò tolerantur, quia validos eosdem agnoscunt; *cùm multa per patientiam tolerentur, quæ si deductæ fuerint in judicium, exigente justitia non deberent tolerari c. cùm jam dudum 18. de Præbend.* Sed ideò tolerant, & non rescindunt; quia difficillimum, litiumque continuarum occasio foret, velle semper examinare, an hic, vel ille contractus Clerici de bonis merè Ecclesiasticis superfluis, an verò de necessariis, aut patrimonialibus, industrialibus vel parsimonialibus, consequenter valide, vel invalide factus sit. 46

Ob-

47 Objiciunt adhuc: non potest ostendi, sub cujus dominio existant bona Ecclesiastica superflua, vel quinam eorum dominus sit si clerici eorum dominium non habent; ergo. Resp. Negando ant. Quia Dominus eorum optimè dicitur esse Christus, non quidem universali illa ratione, qua *domini est terra & plenitudo ejus*. *Psal. 21.* sed speciali, & quidem hac; quia Eidem, Ejusque intuitu offeruntur, ac sub nullius alterius dominio existunt. Et ob hanc rationem toties in Jure vocantur *Patrimonium Jesu Christi* uti *c. cùm secundum de præbend. c. cùm ex eo 34. de Elect. in 6.* eadem ratione dicuntur *Res Dei*, *Concil. Trident Sess. 25. de reform. cap. 1.* Item *Pecunia Christi can. 1. caus. 12. quæst. 2.* ibi: *Qui Christi pecunias aufert, fraudat, & rapit*. Hinc etiam *can. Nulli ead. caus. & qui* universaliter asseritur: *Omne, quod Domino consecratur* (id est, donatur, ut explicat Glossa *hic vers. Consecratur*) *domini erit, & ad jus pertinebit Sacerdotum* (intellige quoad necessaria, vel ad jus disponendi, juxta hactenus dicta) *propter quod &c. qui a Domino, cui competunt, aufert; invadit, vastat, vel eripit, ad restitutionem etiam sub excommunicatione tenetur*. Idem tenet Glossa *in c. cùm ex eo 34. de Elect. in 6. vers. Christi* dicens: *nota dominium bonorum Ecclesiasticorum esse penes Christum*. Abbas *in c. cùm secundum 16. n. 4. de præbend.* & alii:

48 Et sane mirari non debent Adversarii, quod Doctores secundæ sententiæ, quædam bona superflua, nempe Ecclesiastica constituant extra omne humanum dominium, eorumque Dominum, solum Deum asserant; quia idipsum fateri, & ipsi debent de bonis ad fabricam, ornatumque Ecclesiarum proprie designatis; cùm enim hæc bona non sint in dominio Laicorum, ut certum est, nec Clericorum, utpote qui juxta omnes Adversarios, illorum tantùm dispensatores existunt; neque dominus eorundem sit ipsi lapides & ligna, seu materialis Ecclesia: consequens est, præfata bona in penitùs nullo hominum, sed solius Dei, cui, & intuitu cujus offeruntur, dominio existere.

49 Nec refert, quod bona Ecclesiastica in Jure subinde etiam vocentur *Patrimonium pauperum*, *can. 59. caus. qu. 1.* nonnunquam verò dicatur pertinere ad Ecclesiam *c. 3. h. t.* Subinde ad *jus Sacerdotum*, *can. Nulli 3. caus. 12. q. 2.* quia uti benè post Innocentium observat Abbas *in c. cùm esses 10. de Testament. n. 29.* Navarrus *de Reddit. Eccles. q. 1. Mon. 21. n. 4. & 4.* Jura intelligenda sunt, bona Ecclesiastica esse *Christi*, quoad dominium *Sacerdotum* quoad *dispensationem*, & administrationem, *Ecclesiæ* verò & *pauperum*, quatenus ex intentione petentium, & voluntate Dei, pro Ecclesiæ conservatione & ornatu, pauperum autem necessitate expendi debent. His ac similibus itaque argumentis ac fundamentis probant opinionem suam Doctores secundæ sententiæ.

50 Quænam verò ex his duabus sententiis sit vera, quæ falsa, consequenter ex praxi unicè tenenda, non facile dixerim: quamquam enim prima sententia ob tantam Doctorum authoritatem damnari vix possit, & nosmetipsi in Theologia nostra Morali *Tract. 7 disp 5. nu. 29.* cum Theologis à potiori loquentes, eandem ut probabliorem defenderimus: nihilominùs certum ac indubitatum est, secundam longe tutiorem esse ac securiorem, imò etiam Juri conformiorem, consequenter in praxi cunctis beneficiariis suadendam: præsertim cùm Juris fundamenta, quibus DD. primæ sententiæ præcipue nituntur, à DD. secundæ sententiæ Juri conformiter faciliter solvantur, uti constat ex dictis *nu. 42.*

§. III.

De Clericorum obligatione erogandi bona Ecclesiastica superflua in causas pias, pauperes præsertim: ubi etiam de honesta sustentatione Clerici.

SUMMARIUM.

51 *Clerici graviter tenentur, superflua in pias causas erogare.*
52 *Etiamsi dicantur domini bonorum Ecclesiasticorum superfluorum.*
53 *Clerici tenentur ex Jure Divino superflua in causas pias erogare.*
54 *Consuetudo erogandi superflua in causas profanas illicita, & invalida est.*
55 *Controversia Doctorum, an Clerici ex justitia, vel alia virtute teneantur superflua in causas pias erogare.*
56 *Probabilius est, eos ex justitia teneri. Probatur authoritate DD.*
57 *Probatur, quod non teneantur ex charitate.*
58 *Nec ex virtute Religionis.*
59 *Quod fideles bona sua dederunt Ecclesiis hac intentione, conditione, & fine, ut ad causas pias applicarentur, consequenter aliter applicantes contra intentionem dantium, sicque contra justitiam peccent, probatur: sque ad n. 66.*
66 *Causæ piæ nomine quæ veniant?*
67 *Si qui pauperes in gravi, vel extrema paupertate existant, iis præ cæteris causis piis, bona superflua erogare debent: probatur ex Jure.*
68 *Et ratione.*
69 *Pauperibus, quibus aliunde providetur, non tenetur de bonis superfluis succurrere Clericus.*
70 *Doctrina practica contra clericos bona superflua in suarum reservantes.*
71 *Inter pauperes, præferuntur magis indigentes: Inter pariter indigentes magis justi: & cæteris paribus consanguinei præferuntur.*
72 *Clerici non possunt de bonis Ecclesiasticis pauperes sive consanguineos, sive alios ditare, vel ad majorem statum exaltare.*
73 *Cæteris paribus potius Ecclesiæ propriæ, quam piis locis eroganda, vel relinquenda, sunt superflua clericis.*
74 *Error aliquorum circa hoc.*
75 *Si Ecclesia propria non indiget, rectè aliis piis locis egentibus superflua dantur.*
76 *Honesta sustentatio clerici, quæ dicatur.*
77 *Doctrina practica.*
78 *Nobilibus.*
79 *Et litteratis major debetur sustentatio, quam aliis. Litterati comparantur Nobilibus. Ibid.*
80 *In computanda honesta sustentatione attendi etiam potest ac debet circumstantia temporis, & loci.*
81 *Sicut etiam consuetudo prudentium, ac timentium Deum.*
82 *Hospitalitas quoque, honesta recreatio, ac alia ad sustentationem decentem pertinent.*
83 *Clerici in computanda sustentatione sua debent esse memores, quod vivant de patrimonio Christi, & pauperum, sive de Eleemosyna.*
84 *Error circa hoc.*

Quæritur I. An, & quo Jure teneantur Clerici, 51
bona superflua Ecclesiastica erogare in causas pias? Resp. I. Clerici beneficiati omnes tam Majores quam Minores, nullo, nec episcopo excepto gravissime sunt obligati cuncta bona Ecclesiastica superflua, seu redditus Beneficii superfluos erogare in causas pias, pauperes præsertim, ita ut toties peccent, quoties de præfatis bonis aliquid in causas profanas expendunt, sive dicantur & sint domini dictorum bonorum, sive non. Ita certa ac indubitata omnium DD. tam Theologorum quam Canonistarum, ac etiam SS. Patrum, ut proin probatione non indigeat; *Cùm ea* (sunt verba Eminentissimi Cardinalis Sfondrati) *omnes Patres, omnes canones, omnes Leges Divinæ, & humanæ, ac denique omnes Theologi uno ore profiteantur, adeò hæc doctrina non pertineat ad illas sententias, quæ problematicæ sunt, & in utramque partem disputantur; sed ad eas, quæ dogmaticæ sunt, nullumque ambigendi locum relinquunt, & in quam omnes Doctores nullo excepto conveniunt*. Et quidem SS. Patres, quod attinet; *nihil frequentius ab eis creditum, nihilque sæpius, ac innixius inculcatum, quam, quæ viris Ecclesiasticis de fructibus Beneficiorum supersunt, non posse in causas profanas, ditandosve consanguineos, sed in solos pauperum usus, causasque pias impendi*. Laudatus pergit Eminentissimus Sfondrati: SS. Canones si spectemus, *ii nihil frequentius, nihilque clarius, quam hoc ipsum inculcant; adeò ut fateri oporteat, aut nihil SS. Canones probare, aut nihil magis probare, quam conclusionis tenorem*. Idem dicit Eminentissimus Sfondrati. Eandem doctrinam semper tenuere Concilia, ut *Hispalense*, *Carthaginense*, *Toletanum*, *Aquisgranense*, *Lateranense*, *Tridentinum &c.* Hinc Doctores, Theologos, & Canonistas conclusionem tenentes specifice allegare operosum nimis ac superfluum foret, hoc ipso, quod eam tradant omnes, quicunque de hac materia tractant.

52 Dicitur notanter in Conclusione, *sive dicantur & sint domini dictorum bonorum, sive non*; quia omnes etiam illi, qui Clericis bonorum superfluorum dominium tribuunt, fatentur Clericos nihilominùs graviter obligari ad eroganda bona præfata superflua in causas pias; eò quod (ajunt) dominium dictorum bonorum sit illis concessum tum tacito, vel expresso onere erogandi in causas pias: ut proin Clerici bona superflua in causam profanam expendentes, à peccato minimè sint immunes per hoc, quod dicant, se adhærere sententiæ docentium, Clericos bonorum superfluorum dominos esse.

53 Resp. II. Clericorum obligatio bona superflua Ecclesiastica in causas pias erogandi est etiam Juris Divini ut proin contra eam omnis introducta consuetudo invalida sit, & illicita. Ita Layman *lib. 4. tr. 2. cap. 3. num. 2.* Pirhing *de Testam. n. 42.* Molina *disp. 147. n. 31.* & communissima aliorum; ita ut Vasquez opusculo *de Eleemos. cap. 4. nu. 12.* testetur: *nullum legi, qui assereret, Jure tantum humano ad id teneri, cui per consuetudinem derogari possit, sed omnes asserunt ad hoc Clericos teneri Jure Divino, & naturali*. Eidem sententiæ in Theologia nostra Morali *tr. 7. disp. 4. nu. 34. ad finem*, item *tract. 8. disp. 3. n. 54.* jam adhæsimus. Ratio est: tum quia juxta omnes clericus bona ecclesiastica ad causas profanas applicans peccat vel contra charitatem, vel contra Religionem, vel contra justitiam; consequenter etiam contra Jus Divinum. Tum quia fideles dantes, & offerentes bona sua Ecclesiis, piis locis, hac intentione & fine, hocque tacito, vel expresso facto ac onere dant, ut non nisi ad Dei Gloriam & honorem, cultumque Divinum, in usus, & causas pias convertantur *arg. can. Pontifices 3. can. 12. q. 3. & can. Apostolicos 13. ead. caus. & q.* consequenter Clerici ad causam profanam præfata bona applicantes, contra intentionem & finem dantium, pactumque expressum, vel tacitè initum agunt; taliter autem agere, esse contra Jus Divinum, nemo dubitat.

54 Resp. III. Consuetudo passim vigens, bona superflua Ecclesiastica in causas profanas erogandi, non tantùm illicita, sed & invalida, ac pessima corruptela est. Hæc conclusio necessariò sequitur ex præcedenti, eamque tenere debent omnes illi, qui præcedentem amplectuntur, si consequenter docere volunt. Ratio manifeste patet; quia hoc ipso, quod talis consuetudo sit contra Jus divinum, etiam illicita atque invalida est: cùm juxta omnes quævis consuetudo contra Jus Divinum vel naturale militans, non tantùm illicita, sed & invalida, atque verissima corruptela sit, textu claro *c. fin. de consuetud.* Quod magis adhuc dicemus infrà *tit. 26. de Testament. §. de Testamentis Clericorum*, ubi singulariter examinabimus Quæstionem illam, an vi consuetudinis Clerici valide testentur; item an dari possit consuetudo, quæ sit valida, & non licita.

55 Quæritur II. An ex virtute justitiæ teneantur Clerici bona superflua erogare in causas pias, ita ut in causam profanam expendentes teneantur ad restitutionem? Ante responsionem notandum, hujus quæsiti decisionem potissimum dependere ex resolutione illius quæsiti, an Clerici sint domini suorum redditiuum. Unde sicut de hoc, ita etiam illo quæsito magna est controversia inter DD. Illi namque, qui docent, Clericos non habere dominium bonorum superfluorum, docent etiam consequenter, eos teneri ex justitia, dicta bona erogare in causas pias, obligarique ad restitutionem, si quid in causas profanas expendunt. Illi verò, qui dominium præfatorum bonorum Clericis concedunt, à potiori docent, memoratam obligationem bona superflua erogandi in causas pias, non ex justitia, sed vel ex charitate, vel ex Religione procedere, consequenter ad restitutionem non teneri Clericos, si quid in causas profanas erogant. Quod idem etiam in Theologia nostra Morali *tract. 7. disp. 4. nu. 34.* docuimus. Verum quia *§ præced. n. 50.* jam fassi sumus, sententiam Clericis dominium bonorum superfluorum negantem, non tantum in praxi securiorem, sed etiam SS. Canonibus conformiorem esse, hinc mutata illa, quam in Theologia Morali pro Theologis potius, quam Juristis dedimus, sententia, consequenter

Resp. Sententia docens, Clericos ex justitia teneri, 56
superflua bona Ecclesiastica erogare in pias causas, simulque ad restitutionem obligari, si quid in causas profanas expendunt, non tantum tutior ac securior, sed etiam SS. Canonibus conformior, ac probabilior, indeque in praxi omnino suadenda & amplectenda est. Probatur Conclusio primò Authoritate Doctorum. Nam imprimis hanc sententiam docent omnes Doctores qui Clerici dominium bonorum superfluorum denegant; quos supra *n. 30.* jam citavimus, inter quos Eminentissimus Cardinalis Sfondrati de Conclusione ita loquitur: *Veritas hujus conclusionis, si ex SS. Canonibus, sententiaque omnium Patrum, hoc est, ex principiis veræ Theologiæ petenda est, certissima erit, nullumque dubium admittet: sed hodierna die, alia docendi ratio invaluit: cùm enim aut pigeat Patres, Canonesque evolvere; quod otiosis, delicatisque Scriptoribus molestum est, aut non lubeat eorum sententias amplecti, quippe plerumque cupiditati adversas: & ad severitatem Evangelicam compositas, ideò alia Theologiæ methodus inventa est*. Petrus Soto ob insignem, qua fulgebat, pietatem, & doctrinam Confessarius Caroli V. Imperatoris *In Tractatu de vita Sacerdotum in principio*, sic ait: *Constat ex decursu totius Ecclesiæ ab Apostolis & ipso jure divino, omnia bona* (intellige superflua) *pauperum esse, nec ulla ratione, aut potestate humana posse in alios usus transferri, quam Ecclesiasticorum & pauperum, & contrarium credimus errorem gravissimum saltem contra bonos mores, & justitiam; quidni etiam contra Scripturam*. Tanner *tom. 3 Disp. 4. de justitia* asserit: *Sententiam hanc multo esse probabiliorem, imò speculativè, & ex propriis principiis unicè veram* Archidiaconus Canonista celeberrimus *in c Statutum § Assessorium, de rescrip. in 6.* dicere non dubitavit, *contrariam opinionem esse juris hæresin* Paulus Comitolus judicat, *contrariam opinionem esse novam ac periculosam post mille, & quingentos annos in Christi Ecclesia invectam*. Eandem sententiam tenet Felinus *in c Postulasti de rescrip. in 6.* Layman *lib. 4 tr. 2. cap 3.* Dionysius Carthusiens. Joan. de Ligna, Pisanus, Gandavensis, Petrus de Ubaldis, ac plurimi alii, imò fatentibus ipsis Adversariis ferme omnes Canonistæ & Theologi antiqui; qui tot tantique Doctores, si non superant, certè adæquant authoritatem Recentiorum cæteroquin celebrium Doctorum.

Probatur Conclusio secundò ratione. Omnes DD. 57
etiam Adversarii fatentur, Clericos superflua in causam profanam expendentes gravissime peccare; atqui hoc solide probare vix possunt, nisi dicant, præfatos Clericos etiam contra justitiam peccare, ergo Major est indubitata. Minor probatur. Quæritur enim, si contra justitiam non peccant; contra quamnam virtutem delinquant dicti Clerici? Respondet Fagnanus *in c. Si quis sane n. 1. h. t.* cum aliis eos peccare contra solam virtutem charitatis, & misericordiæ. Sed contra est, quod Lex charitatis & misericordiæ erga pauperes sub mortali non obliget, nisi adsint pauperes in extrema, vel gravi necessitate constituti, juxta communissimam & certam Theologorum. Potest autem contingere, quod in quibusdam locis, vel Provinciis nulli reperiantur pauperes gravem vel extremam paupertatem patientes, vel si qui sint, quod eis per Magistratum aut aliunde sufficienter provideatur: in quo casu dici non potest, quod Clerici graviter teneantur ex charitate & misericordia erogare bona superflua pauperibus; & tamen adhuc mortaliter peccant, si quid notabile de præfatis bonis in causas profanas expendunt: ergo contra aliam virtutem, quam charitatem & misericordiam.

Hinc Lugo *disp. 4. de justit. & jur. sect. 2. nu. 16. & seq.* 58
cum aliis respondet, eos peccare solummodò contra virtutem Religionis. Sed contra Quæritur, cur peccent contra virtutem Religionis? Respondet Lugo, quia bona Ecclesiastica juxta Concil. Trident. & SS. Canones

nes Res Dei sunt; quas in profanos usus expendere sacrilegum est. Sed quæritur ulterius: quare sint, & dicantur Res Dei? Respondet quia à fidelibus hoc fine, intentione, ac conditione data sunt; ut ad cultum Divinum, causasque pias impendantur. Verùm ex hac ipsa responsione immediatè sequitur, præfatos Clericos etiam contra justitiam peccare, hoc ipso, quod bona superflua profane expendendo, contra finem ac intentionem dantium ac Fundatorum expendantur; uti magis patebit ex argumento sequenti, quo

59 Probatur Conclusio tertiò. Quandocunque alicui sive cum, sive sine translatione dominii quid datur, aut donatur sub certa conditione, intentione, ac fine, tenetur donatarius ex justitia, vel conditionem ac intentionem, sub qua datum accepit, adimplere, vel restitutionem facere v. g. donat quis alteri certam quantitatem pecuniæ hac conditione, ac fine, tacitoque vel expresso pacto, ut quantum sibi pro aliquo itinere faciendo necessarium fuerit, inde sumat, reliquum verò in pauperes vel pias causas expendat, tenetur donatarius ex justitia, ut vel conditionem ac intentionem à donante præscriptam adimpleat, residuumque illud pauperibus distribuat; vel aliter impendens restitutionem faciat, *arg. l. 1 & 2. Cod. de Donat. quæ sub modo, vel conditione.* Atqui fideles dando & offerendo bona temporalia Ecclesiis, vel piis locis, semper hac intentione, conditione, & fine, pactoque tacito vel expresso dant, ut non nisi ad Dei cultum, causasque pias (inter quas etiam est honesta Clericorum sustentatio) applicentur; ergo Clerici, locorumque Sacrorum Rectores dicta bona accipientes, tenentur ex justitia, eas ad causas pias applicare, consequenter aliter applicantes restitutionem facere. Major est certa, & patet ex citatis Legibus, conceditúrque ab ipsis Adversariis.

60 Minor, in qua cardo vertitur, probatur ex SS Canonibus, ubi redditus Ecclesiastici ideò in pauperes, aliasve causas pias erogari jubentur; quia hac conditione, fine ac intentione à fidelibus oblata sunt. Sic namque *can. Pontifices 3. caus. 12 qu. 3.* habetur. *Ille, qui donat, pro redemptione animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur* & *can. Apostolicos 13. can. 12. q 2* declaratur, *redditus Ecclesiasticos ad Ministrorum proprium utilitatem* (honestam nempe sustentationem) *& ob escam pauperum & peregrinorum sustentationem esse.* Hinc ibidem aliter bona expendens Clericus *deponi jubetur, tanquam prævaricator Divinarum Legum, & præceptorum, can. Quia juxta 59. caus. 16 quæst. 1.* narratur de Carolo X. Francorum Rege; quòd ob res Ecclesiarum ablatas non tantum in æternum sit damnatus, sed etiam Angelo revelante, in inferno de facto *receptas pœnas propter peccata omnium, qui res suas & facultates in honore, & amore Domini ad Sanctorum loca in luminaribus Divini cultus, & alimoniis Servorum Christi; ac pauperum pro animarum suarum redemptione tradiderunt.* Ex quibus verbis utique manifeste patet finis, ac intentio, ob quam fideles bona sua locis piis contulerunt. Idem constat ex verbis Urbani Papæ relatis in Breviario Romano 25. Maii, ibi: *Ipsæ res fidelium; quæ Domino offeruntur, non debent in alios usus, quam Ecclesiasticos, & Christianorum, & indigentium conversi* (ratio ad propositum serviens additur) *quia sunt vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum.* Idem habetur *can. Indigno 21. caus. 1. quæst. 2.* cum Concordantiis.

61 Probatur ulterius eadem Minor principalis, videlicet, quòd fideles hac conditione, fine, ac intentione; bona sua conferant Ecclesiis, ut non nisi ad causas pias cultumque, & honorem Divinum applicentur, sequenti argumento. Omnes fideles tam præsentis, quam antiqui temporis, dando, & offerendo bona sua Christo, Sanctis, Ecclesiis, locisque piis voluerunt, ac intenderunt facere opus pium ac meritorium pro anima sua, [illegible] ubi propterea [illegible] vocantur *Vota fidelium*, ac *pretia peccatorum*, *can. Quia juxta 59. caus. 16. qu. 1.* & dari dicuntur *pro redemptione animæ suæ*, *can. Pontifices 3. caus. 12. qu. 2.* item *pro remedio peccatorum vel salute, & requie animarum suarum* [illegible] vel expresse etiam voluerunt, ut in pios usus converterentur: secùs namque bonum opus non fecissent, nec meritum aliquod pro remedio peccatorum, vel salute & requie animarum suarum habuissent: sicuti omni merito apud Deum careret, nec opus bonum aliquod, sed potiùs malum, vel certè profanum faceret; qui Clerico, vel Religioso, Ecclesiæ, vel Monasterio bona aliqua temporalia nulla habita pietatis consideratione conferret, dandoque concedere, quod accipientes, vel Rectores eorum, præfata bona convertere ad superfluam pompam, excessiva convivia, vel ædificia, ditandos consanguineos, vel alios similes malos, aut indifferentes usus applicare possent; uti cuivis consideranti patet.

Probatur insuper memorata Minor principalis ex ipsa confessione Adversariorum, utpote communiter fatentium, bona Ecclesiastica ideò vocari etiam *Res Dei, Patrimonium Christi, & pauperum*; quia hac intentione ac fine à fidelibus oblata sunt, ut ad Dei gloriam & cultum, pauperumque sublevamen applicarentur. 62

Confirmatur eadem Minor. Nisi dicatur, Christi Fideles hac conditione, intentione ac fine, tacitoque vel expresso pacto bona sua contulisse piis locis, ut non nisi ad pios usus converterentur; consequenter aliter applicantes contra finem ac intentionem dantium, indeque contra justitiam peccent, & per consequens ad restitutionem obligentur, nullum amplius superesset Adversariis fundamentum dicendi, quod Clerici bona superflua ad causam profanam impendentes illicite agant, vel peccatum aliquod mortale committant. Cùm enim juxta ipsos Clerici præfatorum bonorum sint domini, & juxta hypothesin ex intentione Fundatorum illa ad pias causas convertere non teneantur, nihil amplius obstat; quo minùs tanquam domini de rebus suis sicut Laici pro libitu validè ac licitè disponere possint. Quod tamen est contra omnes.

Nec valet, quod aliqui dicunt, Clericos nihilominùs vi præcepti Ecclesiastici teneri bona superflua ad usus pios convertere, consequenter ad causam profanam applicantes, adhuc peccare. Nam contra est: tum quia si solo Jure Ecclesiastico tenentur Clerici, posset Papa dispensare, quod tam in vivis, quam mortis causa possent Clerici cuncta bona Ecclesiastica ad causas profanas applicare: posset etiam consuetudo introduci, imò jam esset introducta contra dictam obligationem cùm contra Leges humanas licita & valida sit consuetudo legitimo tempore præscripta, *c. fin. de Consuet.* Quod tamen utrumque est contra ipsos Adversarios. Tum quia sequeretur, erogare bona Ecclesiastica in causas profanas esse solummodò malum, quia in Lege Ecclesiastica prohibitum, non verò prohibitum, quia malum: cùm tamen omnes Canones, ipsumque Concilium Tridentinum, illud per se jam malum supponant, ac se se in Jure Divino, ac naturali fundent, ideò prohibentes, ne Clerici bona Ecclesiastica ad causas profanas applicent; quia sunt *Res Dei, patrimonium Christi, & pauperum, vota fidelium, & pretia peccatorum.* 63

Objectiones, quas faciunt Adversarii contra hanc Conclusionem, fermè sunt eædem, quæ suprà *num. 42.* sunt allatæ contra sententiam dicentem, Clericos non esse dominos redditumm superfluorum: item & fundamenta, quibus Adversarii probare nituntur, Clericis præfatorum bonorum dominium competere; quæ verò ad hæc responsum jam est ibidem, Lectorem illuc remittimus. 64

Quæritur III. Quid nomine causarum piarum veniat, & quo ordine in eas bona superflua erogare teneantur Clerici? Resp. I. Nomine causarum piarum veniunt imprimis loca, ac instituta pia, qualia sunt Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia, Nosocomia, Confraternitates &c. Item pauperes omnes non tantùm ii, qui carent necessariis vitæ, aut naturæ, sed etiam qui necessaria vitæ habentes, egent necessariis ad decentem sustentationem juxta qualitatem & conditionem sui status, qualescunque possunt etiam Nobiles, Barones, Comites, imò & Principes, qui non ob excessivam pompam, & luxum, nec ob malam dilapidationem, nec ob aliam culpam propriam: sed ex infortunio, vel casu aliquo [illegible] na, bello, multitudine prolium &c. egent [illegible] statui, aut conditioni suæ. Ita communiter [illegible] Sanchez *lib. 2. cap. 2. dub. 27. n. 11.* Navarrus *de Reddit. Eccles. quæst. 1. mont. 26. 27.* Lugo *de Just. & jur. disp. 4. sect.* 65

sect. 3. num 37. Molina, & alii. Et quidem de locis piis constat ex *tit. de Relig. domib.* item ex *can. Pulchra 18 dist. 86.* ibi: *Maximè Sacerdoti hoc convenit, ornare Dei templum honore congruo, ut etiam hoc cultu Aula Domini resplendeat.* De Pauperibus verò innumeri extant Textus in Jure ut *can. Aurum 70. can. Gloria 71. can. 12. q. 2.* item *can. Consideranda 17. dist. 86.* ubi expressè etiam de iis fit mentio, qui divites, vel Nobiles ad egestatem absque proprio vitio perveniunt.

86 Resp. II. Quamvis Clericus obligationi suæ satisfaciat, si cæteris paribus bona Ecclesiastica superflua in aliquam ex dictis causis piis eroget, nihilominùs pro diversitate circumstantiarum, tenetur etiam inter dictas causas servare ordinem, ita ut uni potiùs, vel priùs succurrere, eique bona superflua Ecclesiastica dare debeat quam alteri. Et quidem, si de præsenti existant pauperes, in gravi vel extrema necessitate constituti, iis omnium primò succurrere tenetur, adeò, ut non satisfaciat conscientiæ, si iis neglectis, bona sua ad alias causas pias applicet, nisi sciat, dictis pauperibus aliunde jam sufficienter provideri. Ita communis, patetque ex variis Juris textibus, ubi pauperes cæteris causis piis adeò præferuntur, ut ipsa etiam bona locis piis collata, exigente necessitate, pauperibus distribui jubeantur: sic enim *can. Aurum 70. caus. 12. quæst. 2* habetur: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus.* Et infrà: *Nonne dicturus est Dominus, cur passus es tot inopes fame emori? Melius fuerat, ut vasa viventium servares, quàm metallorum. Si dicis: Timui, ne Templo Dei ornatus deesset: Respondebit Christus, ornatus Sacramentorum, redemptio est captivorum: & vera illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte: siquidem ad sublevandam pauperum necessitatem, vasa Ecclesiæ etiam initiata, confringere, conflare, vendere licet can. Gloria Episcopi 71. ead. caus. & qu.* Summarium sic habet: *Non parietes Templi ornare, sed pauperibus providere gloria Episcopi est.* Textus verò ita sonat: *Gloria Episcopi est, pauperum inopiæ providere: ignominia Sacerdotis est, propriis studere divitiis:* & infrà: *Accepisse, quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, vel cautum esse velle, vel timidum, aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.* Huc quadrat illud, quod Isidorus Pelusiota in Epistola ad Eusebium Episcopum illis verbis scribit: *Ajunt, te Ecclesiam Pelusii ædificare arte atque opere quidem pulcherrimo, sed iniquis rationibus, perque summam injuriam, ac magno pauperum malo, quorum impensis opus facis; quod profectò nihil aliud est, nisi Sion in sanguinibus, & Jerusalem in iniquitatibus ædificare*

68 Ratio Conclusionis est; quia existentibus in gravi, vel extrema necessitate pauperibus ipsi etiam Laici, de bonis suis, quorum tamen perfectum ac illimitatum dominium habent, subvenire pariter tenentur, ita, ut juxta unanimem DD. obligationi suæ non satisfaciant, si neglectis in gravi, vel extrema necessitate pauperibus, bona sua aliis piis locis, vel causis tribuant; ergo multò magis tenentur Clerici hujusmodi pauperibus subvenire de bonis Ecclesiasticis superfluis, utporè quæ alias jam dicuntur, & sunt *Patrimonium pauperum*, & ad quæ pauperes tempore dictæ necessitatis majus jus, quàm alii ad bona Laicorum habent.

69 Dicitur autem notanter in Conclusione: *Nisi sciant, dictis pauperibus aliunde jam provideri, vel esse provisum.* Hoc enim in casu: non tantùm conscientiæ satisfacere, & laudabiliter agere Clericos, si bona sua superflua ad alias causas pias impendant, nemo dubitat, hoc ipso, quòd in tali casu esset necessitas pauperum, & ratio eis succurrendi. Hinc *can. Pulchra 18. dist. 86.* dicitur: *Pulchra etiam liberalitas est, in ipso quoque dato mensuram tenere, & quantùm oporteat largiri pauperibus non superflua, sed competentia*; quia, uti *can. Dominus 15. ead. dist.* habetur: *Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari*; consequenter jam sufficienter provisis ulteriùs non tribuere.

70 Cæterùm ex Conclusione colligitur, in conscientia minimè securos esse illos Clericos, qui licèt pauperes in gravi, vel extrema necessitate existentes plures sciant, eis tamen parùm vel nihil tribuunt, palliata pietate se excusantes, se bona superflua in futurum reservare, & congregare, pro majori Dei gloria, pro fundandis videlicet Beneficiis, Anniversariis, vel similibus piis causis. Quamvis enim pia ac meritoria hæc sit cogitatio, & intentio, dum nulli existunt pauperes gravem, vel extremam necessitatem patientes, vel si existentibus aliunde jam sit provisum. Neutiquam tamen pia sed impia potiùs erit, si neglectis, & sine ulla cura habitis, existentibus dictis pauperibus, nullam provisionem aliunde habentibus, hujusmodi reservatio fiat, aut conservatio. In quo puncto multi Clerici non sine animæ periculo graviter decipiuntur, & errant.

Resp. III. Inter ipsos pauperes ii sunt præferendi, qui magis indigent: inter pariter egentes præferuntur magis justi; item qui mendicare meritò erubescunt: Cæteris autem paribus, consanguinei primum locum obtinent. Caret controversia. Et quidem, quòd potiùs ac priùs succurrendum sit magis indigentibus, dictat lumen naturale, patetque clarè ex *can. Consideranda 17. dist. 86.* ibi: *Consideranda est etiam in largiendo ætas, atque debilitas: nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, ut senibus plùs largiaris, qui sibi labore jam non queunt victum quærere. Similiter & debilitas corporis, & hæc juvanda promptiùs.* Quod verò inter æqualiter egentes justi præcedant, clarè habetur *can. Non satis 14. dist. 86.* illis verbis: *Nam etsi omnibus debetur misericordia, justo tamen ampliùs.* De mendicare erubescentibus constat ex *cit. can. Consideranda*, illis verbis: *Nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales.* Hunc faciunt etiam ultima verba ejusdem *can. Consideranda*, ibi: *Tum etiam, si quis ex divitiis cecidit in egestatem.* De consanguineis tandem patet ex *can. Cæterùm dist. 85.* ibi: *Cæterùm Dei traditio est, ut priùs pascas parentes & can. Est probanda 16. ead. dist.* ibi: *Est probanda etiam illa liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est, ab alienis sumptum deposcere.* Concordat *can. 1 dist. 30.* & ibi; Glossa *vers. Fideles.* Ratio est: quia consanguinei duplicem titulum, paupertatis nempe & sanguinis habent, consequenter cæteris paribus potiùs juvandi sunt, quam alii. 71

Resp. IV. Quamvis juxta dicta Clerici de bonis Ecclesiasticis superfluis possint & teneantur pauperibus succurrere, debent nihilominùs etiam in iis succurrendo modum servare, ita ut ex dictis bonis nec consanguineos nec alios pauperes ditare, vel ad majorem statum exaltare, aut plus, quam ad conditionem & decentiam status necessarium habent, conferre sine peccato non possint. Omnes. Textu claro *Concilii Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 1.* ubi Episcopis, & aliis Clericis beneficiatis *omninò interdicit, ne de redditibus Ecclesiæ, consanguineos, familiaresque suos augere studeant: cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant.* Concordat *can. Est probanda 16 dist. 86.* ubi conceditur quidem, ut pauperibus consanguineis de bonis Ecclesiasticis succurratur; *non tamen ut ditiores eo fieri velint, quod tu posses inopibus conferre. Neque enim propterea te Domino dedicasti, ut tuos divites facias. Putant se parùm poscere? pretium tuum quærunt; vitæ tuæ fructum adimere contendunt: & accusant, quòd eos divites non facias; cùm te illis velint æternæ vitæ fraudare mercede.* Quòd si autem de bonis Ecclesiasticis nec consanguineos, multò minùs extraneos pauperes augere, vel ditare licebit. Hinc quibuscunque pauperibus loquendo, *Quantum oportet largiri, non superflua, sed competentia*, vult *can. Pulchra 18. dist. 26. Nam pulchra liberalitas est, in ipso quoque pauperis dato mensuram tenere, cit. can. Pulchra*: præsertim *cùm Dominus non velit simul effundi opes, sed dispensari can. 15. dist. 86.* 72

Resp. V. Cæteris paribus, & Pauperibus præfatis non existentibus, vel aliunde jam provisis, si non obligatorium, saltem summè decens est; ut Clericus bona Ecclesiastica superflua det, vel relinquat propriæ Ecclesiæ, in qua beneficium habuit. Ita Lugo *de Just. & Jur. Disp. 4. Sectione 2. num. 38.* cum communi alio- 73

aliorum *arg. c. Ut unusquisque 3. h. t.* ubi *præcipitur, ut unusquisque Presbyter res, quas post dies Consecrationis acquisierit, propriæ relinquat Ecclesiæ.* Concordat *c. fin. eod. & c. 1. ac c. Cum in officiis 7. de Testam.* ubi pariter statuitur, ut Clerici bona Ecclesiastica propriæ relinquant Ecclesiæ. Ratio desumitur *cit. cap. 7. de Testament. Cùm in officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii, à quibus beneficium cognoscimus recepisse; econtra quidem Clerici cùm ab Ecclesiis suis multa beneficia receperint, bona per eos acquisita, in alios transferre præsumunt &c. Nos indemnitati ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesiam eadem bona præcipimus remanere.*

74 Hinc minùs perfectè, & meritoriè agunt illi Clerici beneficiati, qui ex privata aliqua devotione, aut relatione minùs rationabili, bona superflua in vivis applicant, vel post mortem per testamentum relinquunt aliis locis, vel causis, casu quo vident Ecclesiam propriam valdè pauperem, æquè vel magis indigentem esse decentibus vasis ac ornamentis carere, vel non habere sufficientia ad Ministros sufficienter sustentandos, luminaria & sartatecta conservanda &c. vel esse gravatam debitis ruinæ proximam &c. Certè Lugo *loco citat.* in similibus circumstantiis non tantùm decens, sed & obligatorium judicat, Ecclesiæ propriæ præ aliis locis, causisque piis, superflua Ecclesiastica relinquere.

75 Dicitur notanter in Conclusione *cæteris paribus*. Siquidem in casu disparitatis, quo Ecclesia propria alias jam abundat, vel saltem sufficienter jam provisa dignoscitur, non tantùm licitè; sed etiam ordinatè magisque meritoriè agit Clericus, si aliis magis indigentibus piis causis & locis bona Ecclesiastica eroget, vel relinquat *arg. cit. canon. Pulchra 18. dist. 86.*

76 Quæres IV. Quænam sit, ac dicatur, & quomodò dijudicari debeat honesta sustentatio Clerici? Meritò hæc quæstio hic subjungitur, cum enim juxta dicta non nisi honestæ sustentationi superflua in causas pias erogare teneantur Clerici, scire utique oportet, quænam sit, ac dicatur honesta Clerici sustentatio. Hinc Resp. I. Honesta & congrua Clerici sustentatio ea est, & dicitur, quæ spectatis omnibus prudenter spectandis, puta personæ, ejusque dignitatis, qualitatis, gradus, doctrinæ &c. item temporis, Regionis, & consuetudinis locorum nec excedit, nec deficit in iis, quæ pro re domestica, œconomia, famulatu, victu, vestitu &c. expendere ordinariè solent, & judicio prudentum, ac proborum possunt aliæ similis conditionis, ac timoratæ conscientiæ personæ. Sanchez *lib. 2. Consil. cap. 2. dub. 41.* Molina *Disp 35.* Engel *in Manual. Paroch. p. 4. cap. 4. num. 8.* Marchant. *tom. 2. tract. 2. tit. 4. sect. 2. quæst. 1. Appendice 2.* Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. univ. cap. 13. num. 183.* & communis aliorum, quibus etiam in Theologia nostra Morali *Tract. 11. disp. 2. n. 5.* jam adhæsimus. Patetque Conclusio ex variis Juris Textibus, ut *can. fin. caus. 1. q. 2. can. Vulteranæ 25. caus. 12. qu. 2. c. De multa 28. in fine de Præbend. can. Consuluit fin. dist. 74.* cum concordantiis, ubi apertè disponitur, ut juxta diversitatem circumstantiarum, Nobilitatis, scientiæ, meritorum &c. stipendia Ecclesiastica assignentur. Ratio est; quia talis prudenter præsumitur fuisse intentio ac voluntas dantium & Fundatorum; hoc ipso, quòd ubique ratio & ordo stipendiorum habenda sit, *l. Non omnes 5. ff. de Re militari.*

77 Infertur primò, cæteris paribus plus pro honesta sustentatione competere Episcopo, quam Præposito vel Decano: plus huic quam Canonico simplici: plus Canonico Cathedrali, quàm Ecclesiæ Collegiatæ: plus Parocho, quam simplici beneficiato non Canonico, prout benè advertunt Doctores citati, præsertim Lugo *loc. cit. n. 34. arg. citatis Juribus*, specialiter *c. fin. dist. 74.* ubi plus assignatur Presbytero quam Diacono beneficiato. Quod idem docet Glossa *in can. fin. caus. 1. q. 2. vers. Meritum.*

78 Infertur secundò, in dijudicanda honesta Clerici sustentatione attendendam etiam esse qualitatem personæ præsertim verò Nobilitatem, ac scientiam, ut proin plus pro honesta sustentatione concedatur Nobilibus, ac Litteratis, quàm nobilitate & scientia speciali carentibus, prout præter communem DD. benè advertit Gl. *in c. Conquerente 6. de Cleric. non resid. v. Sufficientia arg. c. De multa 28. ad fin. de Præb.* Ratio est; quia ita qualificati plus honoris & utilitatis conferunt Ecclesiæ, quam alii. *Sublimes* enim, seu nobiles Clerici sua Nobilitate, excellentia, authoritate &c. honorem, splendorem, & æstimationem non modicam tribuunt Ecclesiæ, indeque proportionato stipendio rationabiliter & meritò honorantur, ne alias Ecclesia, quod eidem turpe valdè ac indecorum foret, ob exiguitatem sustentationis non nisi viles, abjectas, & plebejas personas pro suo ministerio habere cogatur *arg. can. Consuluit fin. dist. 74.*

79 Insigniter *Litterati* verò præter honorem, magnam etiam doctrina ac labore suo conferunt Ecclesiæ utilitatem. Cùm horum vel unicus tantùm, ignorantes instruendo & docendo, hæsitantibus & anxiis consulendo, Leges & Canones interpretando; jura Ecclesiæ defendendo, ejusque membra ab erroribus, indeque subsequentibus confusionibus, & damnis tuendo, plus prosit Ecclesiæ, quam multi alii solida doctrina non imbuti, ut proin quoad collationem Beneficiorum, honorum, ac stipendiorum à SS Canonibus *c. De multa 28. de Præb.* hujusmodi insigniter Litterati, Sublimibus, ac valde Nobilibus meritò æquiparentur & pinguiori quam alii sustentatione etiam inde judicentur, quòd non tantùm turpe ac indecorum, sed insuper summè nocivum Ecclesiæ foret, doctis carere, ac insciis turgere ministris. Accedit, quòd scientia etiam nobilitet; uti advertit Glossa *in cit. cap. De multa 28. de Præb. vers. Sublimes arg. Leg. 1. ff. de Var. & extraord. cog.* Intelligunt autem Jura, & Doctores per Litteratos, solidè & insigniter doctos; non verò leviter tantùm, & obiter, vel mediocriter tinctos; cùm hi sicut nullum splendorem, vel honorem, ita nullam vel certè modicam conferant Ecclesiæ utilitatem, consequenter majori propter litteraturam præmio digni non sint.

80 Infertur tertiò, in computandis necessariis sustentationi honestæ, attendendam quoque esse circumstantiam temporis, & locorum: sicut enim uno *tempore*, unave in Regione, victualia, aliaque *necessaria* non nisi magno, aliis verò temporibus, aliisve in locis, levi acquiri possunt pretio; ita certe Clerico certis temporibus ac locis quædam sunt necessaria, quæ alio tempore, vel loco superfluunt; prout citati Doctores benè advertunt, indeque inferunt, Clericos præfatas circumstantias in computandis honestæ sustentationi necessariis debere conscientiosè examinare, ut sicut caso tempore majorem, ita caritate cessante, minorem bonorum Ecclesiasticorum quantitatem pro honesta sustentatione computent.

81 Infertur quartò, attendi etiam posse & debere rationabilem loci consuetudinem, adeoque tantùm pro honesta sua sustentatione Clericum expendere licitè posse, quantum alii ejusdem conditionis prudentes, & Deum timentes Clerici in eodem loco expendere solent. Ita DD. communiter præsertim Molina *Disp. 35. §. Quartum* & Lugo *de Justit. & Jure Disp. 4. Section. 4. n. 35. argum leg. final. de Consuetud. & canon. In his 7. dist. 11.* Dicitur autem notanter, *prudentes & Deum timentes Clerici*; cùm enim rem non intelligentes, ex ignorantia facilè errare possint. Cum verò parum timentes, sæpè errare, & SS. Canones transgredi soleant, nec hi [illegible] regula sequendæ esse possunt. Et quoniam his perversis Seculi temporibus, iniquitatis corruptelæ multis in locis irrepsere, non paucis pro universali regula, & principio habentibus, id sibi licere, quod ab aliis, vel alibi practicari vident, caute cuique salutis suæ sollicito in puncto consuetudinis erit procedendum, nec passim agendum, quod ab aliis fieri videt; *quamvis enim consuetudinis vis sit authoritas, non tamen usque adeò valeat, ut vel Juri positivo præjudicium generet, nisi fuerit rationabilis, vel legitimè præscripta*; qualis certè non est consuetudo plurium Clericorum, qui terminos honestæ sustentationis trasgrediendo, bona Ecclesiastica superflua ad causas profanas contra Jus Divinum applicant.

82 Resp. II. Ad honestam sustentationem etiam pertinent ea, quibus Clericus indiget ad exercendam debitam,

tam, & moderatam hospitalitatem, non solùm erga pauperes peregrinos (quæ inter maxima pietatis opera numerata, Clericis summè commendatur à Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 8.*) sed etiam erga consanguineos, & extraneos non pauperes; juxta qualitatem beneficii, & modestiam status Ecclesiastici, Lugo *de Just. & Jur. Disp. 4. sect. 4. n. 66.* Molina *disp. 35. §. Tertium.* Sanchez *lib. 2. Consil. cap. 2. n. 4. arg. cap. De Monachis 12. de Cleric. non resident.* & ibi Glossa *v. Hospitalitatem.* Ratio est: tum quia Clerici ad hospitalitatem maximè tenentur, Glossa *loc. cit. arg. §. 1. dist. 83.* Tum quia idem faciunt; qui alias moderatè se sustentant; uti advertit D. Thomas *Quodlibet 6. a. 23. ad ult.* Navarrus, Corduba, & alii, qui ob dictam rationem etiam docent, ad honestam sustentationem illa quoque spectare, quæ ad honestum, & moderatum convivium amicis subinde instituendum, moderatam donationem gratitudinis vel remunerationis causa faciendam: Item quæ ad honestam Clerici recreationem sunt necessaria. Non enim ad omninò parcam, vel avaram, sed honestam, decentem, & moderatam sustentationem, Jura, & Fundatores obligare intendunt Clericum. Item ad honestam sustentationem spectant pauperes parentes, fratres, ac consanguinei, *arg. can. 39. dist. 50.* Vallensis *tit. de Concess. Præbend.* & alii.

83 Resp. III. Quamvis, ut ex dictis patet, honesta clericorum sustentatio non consistat in indivisibili, sed diversa sit, major & minor, pro diversitate circumstantiarum, Dignitatis, Personæ, qualitatis, temporis, loci, consuetudinis rationabilis &c. Nihilominùs omnes & singuli, præsertim Nobiles, ac in Dignitate constituti clerici semper, & ubique in puncto sustentationis memores esse debent, se membra status Ecclesiastici esse, de *patrimonio Christi, & pauperum vivere, populi peccata comedere*; consequenter de dicto Christi & pauperum patrimonio penitus nihil ad ea, quæ pompam, luxum, fastum, aut vanitatem sæculi, vel abundantiam sapiunt, sed id solum, quod ad moderatam, modestam, decentem, & frugalem sustentationem requiritur, ac sufficit, expendere posse. Prout habet communis Doctorum, & paucis indicat Concilium Tridentinum *Sess. 25. de Reform. cap. 1.* ubi *non solùm jubet, ut Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat; quod à sancto hoc instituto sit alienum, quòdque non simplicitatem, Dei zelum, aut vanitatum contemptum præseferat. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem etiam in quibuscunque Beneficia Ecclesiastica tam Regularia, quam Sæcularia obtinendus, pro gradus sui conditione observari decernit.* Item dicit Concilium Carthaginense *cap. 15.* relato *can. Episcopus 7. dist. 41.* illis verbis: *Episcopus vilem supellectilem & mensam, & victum pauperem habeat, & dignitatis suæ authoritatem fide, & vitæ meritis quærat, cap. 45.* autem relato *can. fin. ead. dist.* ait: *Clericus professionem suam habitu, & incessu probet, & ideò nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat.* Concordat illud S. Bernardi Epistola 2. ad Fulionem Canonicum Lugdunensem: *Dignum est, qui altari servit, de altari etiam vivat. Conceditur ergo tibi, ut si benè deservis, de altari vivas, non autem, ut de altari luxurieris, ut de altari superbias.*

84 Infertur, haud dubiè graviter errare, restitutionique obnoxios esse, & in periculoso, animæ suæ statu versari illos Clericos Nobiles, qui status Clericalis, & quòd de patrimonio Christi, ac pauperum, seu de Eleemosyna vivant, immemores, prætextu Nobilitatis de bonis Ecclesiasticis æquè, vel etiam magis splendidè, ac similis conditionis vel status, Nobiles Laici ordinariè se gerunt in victu, vestitu, famulatu, conviviis, cæterisque sæculi vanitatibus: post quos proin clament pauperes illis S. Bernardi verbis Epistola 42. ad Senonensem Archiepiscopum: *Nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod expenditis: nostris necessitatibus demitur, quidquid accedit vanitatibus vestris.*

TITULUS XXVI.

De Testamentis, & Ultimis Voluntatibus.

1 Ratio continuationis.

1 DUplici de causa præcedentes titulos præsens immediatè sequitur, [illegible] notat Abbas *in Rubric. h. t.* Primò, ut quia [illegible] actum est de contractibus, & cæteris [illegible] ac dispositionibus inter vivos, videatur etiam quid Juris, de dispositionibus mortis causa, testamentis [illegible] & aliis ultimis Voluntatibus. Secundò, ut materia peculii Clericorum per immediatè præcedentem Titulum examinata, perfectè cognoscatur, dum ulterius indagatur, an, & quomodo de peculio suo, mortis causa disponere possint Clerici. Quamvis autem alias regulariter loquendo priùs agatur de genere quàm specie, indeque prius agendum videatur de ultima voluntate in genere, quàm de testamento, utpote quod est species sub Ultima voluntate tanquam genere comprehensum; cùm omne testamentum sit etiam Ultima Voluntas, non tamen econtra; Nihilominùs quia in Rubrica ly *testamentis* ponitur ante ly *Ultimis Voluntatibus*, ipsumque testamentum est principalis species Ultimæ Voluntatis, priùs de testamento in specie, deinde de reliquis Ultimis Voluntatibus tanquam secunda parte Rubricæ agemus. Cæterùm quia materia de testamento est summè practica, indeque scitu summè necessaria, eandem juvante Deo, exactè simul & practicè, servatis tamen brevitatis Legibus, tradere conabimur.

§. I.

De Natura & Divisione Testamentorum.

SUMMARIUM.

2 *Definitio Testamenti.*
3 *Hæredis institutio est de essentia testamenti.*
4 *Ad [illegible] testamentum certæ requiruntur solemnitates.*
5 *Testamentum aliud est publicum, aliud privatum.*
6 *Aliud solemne, aliud [illegible].*
7 *Solemne aliud scriptum seu clausum.*
8 *Aliud nuncupativum.*

QUæritur I. Quid sit Testamentum? Resp. I. *Testamentum* juxta nominis etymologiam ac appellatum, *quod sit mentis testatio*, *princ. Instit. de testament. ord.* benè definitur dicendo: *Testamentum est ultima voluntas cum directa hæredis institutione.* Ita [illegible] *fatere possint*, ubi testamentum à Modestino definitur: *Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.* Quæ definitio, licet à multis tanquam legitima agnoscatur, & recipiatur, nihilominùs quia à nonnullis ob omissam particulam *cùm hæredis institutione*, ut manca & imperfecta rejicitur, eò quòd hæredis institutio sit de essentia Testamenti, ut statim infrà *numer. sequent.* dicetur, hinc ad evitandam omnem inutilem controversiam, alia, eaque clarior, & in re tamen cum definitione Juris, quam aliis Doctorum definitionibus conveniens fuit posita. In qua dicitur primò 2

Ultima Voluntas loco generis, in quo Testamentum convenit cum cæteris Ultimis Voluntatibus, seu dispositionibus, quæ mortis causa fiunt, quales sunt Legatum, Codicillus, Donatio mortis causa &c. Nominatur autem *Ultima Voluntas*, non quasi post eam, nullum alium voluntatis actum quis exercere, vel aliam voluntatis dispositionem facere non valeret, sed quia non nisi per mortem, postquam alia dispositio amplius sequi non potest, confirmatur, & irrevocabilis redditur: Nam quamdiu Testator vivit, Testamentum suum, quantumvis perfectè conditum, variare, vel revocare pro libitu potest. *Ambulatoria est enim voluntas Testatoris usque ad vitæ supremum exitum L. Quod si 4. ff. de Adimend. Legat.* Dicitur secundò, *cum directa hæredis institutione*: loco differentiæ essentialis, in qua differt à reliquis Ultimis Voluntatibus, utpote in quibus directa hæredis institutio non fit. Hinc

3 Respond. II. Hæredis institutio est de essentia & substantia cujusvis Testamenti, adeò ut sine ipsa nullum Testamentum quantumvis privilegiatum valeat, vel subsistat. Communis ac certa, ob clara Jura §. *Imprimis igitur 2. Instit. de Fideicommissariis hæred.* ibi: *Inutile est Testamentum, in quo nullus hæres instituitur.* §. *Ante 34. Instit. de Legatis* ibi: *Testamenta vim ex institutione hæredis accipiunt, & ob id, velut caput, atque fundamentum intelligitur totius Testamenti, hæredis institutio l. Proximè 3. ff. De his, quæ in Testament. debent* ibi: *Non potest ullum Testamentum valere, quòd hæredem non habet.* Concordat *l. Jubemus 29. §. Quod si non fuerit Cod. de Testament. & Leg. 10. ff. de Jure Codicill.* Quid autem sit hæres? quomodo hæredis institutio fieri debeat? & quid juris ei competat? Dicemus §. 13. *De Hæredibus.*

4 Resp. III. Præter hæredis institutionem, requiritur etiam certa solemnitas extrinseca ad valorem Testamenti. De qua tamen, quia non est eadem pro quovis Testamento, sed diversa, major & minor, pro diversitate nempe Testamentorum, agemus *in §. his sequentibus*, in quibus singula Testamenta cum suis solemnitatibus eorum examinabimus.

5 Quæritur II. Quotuplex sit Testamentum? Resp. Testamentum variè dividi. Et primò quidem (dimissis tribus antiquis veterum Testandi formulis, de quibus § 1. *Instit. de Testam. ord.*) in Testamentum publicum & privatum. *Publicum* est, quod authoritate publica nititur; & fit, dum Testator absque alia Juris solemnitate Ultimam suam Voluntatem ad Acta tradit, vel precibus insertam Principi offert ad hoc, ut fide & authoritate publica sustineatur, ac defectus solemnitatum suppleantur *l. Omnium 19. Cod. h. t. Privatum* est, quod testimonio, & authoritate privatorum firmatur.

6 Secundò dividitur in Testamentum solemne, & non solemne seu privilegiatum. *Solemne* (*ein zierliches* Testament) est, quod habet omnes solemnitates à Jure requisitas. *Non solemne*, *seu privilegiatum* est, quod ex speciali Juris privilegio etiam absque solemnitatibus aliàs de Jure communi ad Testamentum requisitis valet: Cujusmodi est Testamentum militis in expeditione bellica factum: Testamentum parentum inter liberos. Testamentum, ad pias causas. Testamentum factum tempore pestis: Testamentum rusticorum, ac etiam Testamentum publicum, id est ad Acta traditum, vel Principi oblatum.

7 Testamentum solemne subdividitur in Scriptum, seu clausum, & in Nuncupativum. §. *fin. Instit. de Testam. ord.* *Testamentum solemne Scriptum* (vulgò *ein zierliches* Testament *in Schrifften*) est, quod in scripturam redactum, subscriptum, & subsignatum est servata Juris forma, *l. Hac consultissima 21. Cod. h. t.* præcipua, [illegible] qui etiam testes [illegible] [illegible], quod in Testamento continetur: non enim necesse est, ut Testator Testamentum scriptum praelegat, vel [illegible] manifestet, sed sufficit, si eisdem scripturam obsignatam, vel clausam, aut convolutam exhibeat, dicendo in illa, seu in hac [illegible] contineri suum Testamentum, *cit. l. Hac consultissima Cod. h. t.*; quod propterea etiam clausum Testamentum dicitur: de quo plura infrà.

8 *Testamentum solemne Nuncupativum* (*ein von Mund aus gesprochnes zierliches* Testament) est, quod sine scriptura ac etiam sine subscriptione, & subsignatione testium fit; dum Testator coram requisitis testibus hæredem oretenus nominat, simulque indicat, quid de bonis suis post mortem fieri velit, §. *fin. Instit. de Testam. Ord.* Et quamvis hoc Testamentum pro faciliori ejusdem probatione, & ne memoria excidat, etiam subinde in scripturam redigatur, tamen per hoc non cessat esse Testamentum Nuncupativum, eò quòd scriptura non necessariò, sed tantum pro majori commoditate, ac faciliori probatione adhibeatur, prout in simili dicitur *l. In re ff. de Fide instrum.* ibi: *Fiunt etiam de his scripturæ, ut quod actum est, per eas facilius probari possit: & sine his autem valet, quod actum est, si habet probationem*, Julius Clarus §. *Testamentum q. 4. numer. 2.* de quo, sicut & de reliquis recensitis speciebus testamenti specialiter agemus paragraphis sequentibus.

§. II.

De Testamento solemni Scripto, seu clauso, & solemnitatibus ad illud de Jure Civili requisitis.

S U M M A R I U M.

9 *Testamenti Scripti natura declaratur per* l. Hac consultissima. C. h. t.

10 *Requisita ad illud breviter recapitulantur.*

11 *Ad Testamentum solemniter Scriptum requiritur primò, ut sit in Scripturam redactum, & manu propria Testatoris scriptum, nisi ipse totum Testamentum scripsisset sua manu:*

12 *Secundò debent adesse septem testes idonei: & quinam hi?*

13 *Religiosi, & Confessarii possunt esse testes; quamvis pro possibili abstinere debeant à ferendo testimonio.*

14 *Hæres non potest esse testis in Testamento, nec pater ejus, si hæres filius adhuc in potestate illius sit: nec fratres ejusdem necdum emancipati.*

15 *Benè tamen consanguinei hæredis, & famuli, ac domestici ejusdem.*

16 *Legatarii & Fideicommissarii particulares possunt esse testes.*

17 *An, & quando filius possit esse testis in Testamento patris, & econtra? & an fratres.*

18 *Possunt plures ex eadem domo etiam consanguinei, v. g. pater & filius esse testes in eodem Testamento.*

19 *Testis inhabilis, qui communiter creditur habilis, non invalidat Testamentum.*

20 *Sufficit, & requiritur, ut testes tempore, quo fit Testamentum, sint habiles, quidquid posteà fiat.*

21 *In Testamento Scripto testes debent esse rogati: & quomodo.*

22 *Debent etiam ita præsentes esse, ne Testatorem non tantum audiant, sed & videant.*

23 *Testator coram testibus contestari debet, in papyro, quam scribendam exhibet, contineri suam Ultimam voluntatem.*

24 *Debet etiam [illegible] octavum testem [illegible] ipsius [illegible]*

25 *Testes omnes [illegible] subscribere debent. [illegible] tatio aliqua pro [illegible]*

26 *De Jure Bavarico potest unus testis pro alio litterarum [illegible] subscribere, dummodo saltem major pars [illegible] propria manu subscribat.*

27 *Testes non tantum suum, sed etiam testatoris nomen in subscriptione exprimere debent.*

28 *Et quomodo.*

29 *Omnes testes etiam signare debent Testamentum sigillo [illegible] vel alieno.*

30 *[illegible] annulus, sive alind sigillum.*

31 *Qualis subsignatio, qualeque sigillum de Jure Bavarico requiratur? Et n. seq.*

33 *Totum negotium debet uno contextu absolvi, nullo actu extraneo interveniente.*

34 *Exceptis actibus corporalis necessitatis.*

35 Com-

35 *Compendiosa notitia, & instructio de condendo Testamento solemni Scripto. Et n. seq.*

37 *Non requiritur ad illud Notarius publicus, quamvis consultum sit, ut adhibeatur.*

38 *Notarii officium quod?*

39 *Dissuadetur Testamentum solemne Scriptum: & quare?*

9 Quæritur I. Quid sit, & quas de Jure Civili solemnitates requirat Testamentum solemne Scriptum? Resp. I. Hujus Testamenti (quod etiam suprà *n. 7.* jam descripsimus) natura & solemnitates de Jure Civili requisitæ optimè declarantur *in l. Hac consultissima 21. C. h. t.* quæ Lex, quia continuò citatur, meritò hic quoad formalia sua ponitur: ibi: *Hac consultissima Lege sancimus, licere per scripturam conficientibus testamentum, si nullum scire voluerint ea, quæ in eo scripta sunt, consignatam, vel ligatam, vel tantum clausam, involutamque proferre scripturam, vel ipsius testatoris, vel alterius manu conscriptam, eamque rogatis testibus septem numero, Civibus Romanis, puberibus, omnibus simul offerre signandam vel subscribendam dum tamen testibus præsentibus testator suum esse dixerit testamentum, quod offertur: ibique ipse coram testibus sua manu, in reliqua parte Testamenti subscripserit. Quo facto, & testibus uno eodemque die ac tempore subscribentibus, & consignantibus, valere testamentum, nec ideò infirmari, quòd testes nesciant, quæ in eo scripta sunt testamento. Quòd si litteras testator ignoret, vel subscribere nequeat octavo subscriptore pro eo adhibito, eadem observari decernimus.* Et infrà: *Licèt alio tempore dictatum, scriptumque fuerit testamentum, sufficiet uno tempore, unoque die, nullo actu extraneo interveniente, testes omnes simul, nec diversis temporibus subscribere, signareque testamentum. Finem autem testamenti subscriptiones, & signacula testium esse decernimus. Non subscriptum autem à testibus, ac non signatum testamentum pro infecto haberi convenit. Ex imperfecto autem testamento voluntatem teneri defuncti, nisi inter solos liberos à parentibus utriusque sexus habeatur, non volumus.*

10 Ex hac, sicut ex aliis Legibus Juris Civilis deducunt DD. plures, & quidem sequentes solemnitates de Jure Civili ad Testamentum solemne Scriptum requiri: videlicet I. Ut ad Testamentum manu propria Testatoris, vel aliena in scripturam redigatur. II. Debent adesse septem testes idonei. Et quidem III. Rogati, ac IV. Ita præsentes, ut Testatorem audiant, & videant. V. Ut ita præsentibus testibus contestetur Testator, in charta, quam profert, contineri suam voluntatem. VI. Ut omnes testes subscribant. VII. Ut signacula propria apponant. VIII. Ut totus actus uno tempore peragatur; prout magis patebit ex sequentibus numeris, quibus singularũ solemnitatum necessitatem singulariter probabimus.

11 Primò igitur ad Testamentum solemne Scriptum requiritur ut, vel manu ipsius Testatoris, vel ejus jussu ab alio sit in scripturam relatum, ut suprà *num.* [illegible] dictum fuit, *arg. cit. L. Hac consultissima C. h. t.* ibi: *Vel ipsius testatoris, vel cujuslibet manu conscriptum.* Ratio est: quia proptereà Scriptum dicitur, cùm aliàs si scriptum non esset, scriptum dici non posset. Et quidem si manu propria Testatoris scriptum non est Testamentum, ipse Testator coram testibus subscribere, vel, si ipsemet subscribere nolit, vel ob ignorantiam aut debilitatem, aliud [illegible] impedimentum non possit, octavum testem adhibere debet, qui in loco illius subscribat *L. 21. & 28. C. h. t.* Si verò ipsemet manu propria Testamentum conscripserit, necesse amplius non est, ut nomen suum per propriam, vel octavi testis manu subscribat, *l. Cùm antiquitas 28. §. Cum autem h. t.* ibi: *Sancimus, si quis sua manu totum Testamentum, vel Codicillum conscripserit, & hoc specialiter in scriptura reposuerit, quòd [illegible] manu confecerit, sufficit ei totius Testamenti scriptura, & nulla alia subscriptio requiratur neque ab eo, neque pro eo ab alio.* Ratio est, quia totius chartæ manu propria exaratæ scriptura, si non majoris, utique tanti momenti est, quàm solius nominis subscriptio. Cæterum, nec refert, quo tempore scriptum, dictatumque sit Testamentum *cit. l. 21. C. h. t.* ibi: *Licèt alio tempore dictatum, scriptumque fuerit testamentum sufficiet.* Prima solemnitas [illegible] præscribitur à statutis Bavariæ *Tit. 34. a. 11.*

Secundo requiritur præsentia septem testium idoneorum *L. 21. C. h. t.* ibi: *testibus septem numero.* Ratio assignatur *L. fin. C. de Fideicom.* nempe, *ut per ampliores homines perfectissima veritas reveletur.* Dicuntur *testes idonei*, qui nulla Lege vel Jure ad testificandum sunt inhabiles. Declarantur autem inhabiles ad ferendum testimonium in Testamento, in primis omnes, qui in aliis causis testes esse non possunt, de quibus vide *Lib. 2. Tit. 20. §. 1. 2 & 3.* Concordat §. *testes 6. Instit. de testam. ord.* ibi: *Neque mulier, neque impubes, neque servus, neque furiosus, neque mutus, neque surdus, neque is, cui bonis interdictum est, neque ii, quos Leges jubent improbos, intestabilesque esse, possunt in numerum testium adhiberi, dum fit testamentum.* Huc reducuntur etiam cæci, ex eo, quòd Testatorem videre non possint, quod tamen requiritur juxtà dicenda *numero 22.* 12

Monachi tamen ac Religiosi, licèt aliàs comparentur servis, Glossa *in L. Tædius §. 1. ff. de Recept.* qui servi juxta dicta testes esse nequeunt, in Testamento testes esse possunt, Julius Clarus *testamentum q. 55. n. 7.* cit. communem: Illustrissimus D. Schmidt *in Statut. Bavar. T. 34. a. 2. n. 19.* Pirhing *h. t. n. 3.* Ratio est; quia quamvis servis comparentur, servi tamen non sunt, nec à ferendo testimonio in materia Testamenti per Jura arcentur. Nec refert, si in Testamento Monasterium eorum sit pro hærede, aut legatario institutum, *arg. c. Insuper 6.* Glossa *ibid. V. Ecclesiæ can. 1. cau. 14. q. 2. c. Cum nuncius 12. de Testibus.* Ratio est: quia causa Monasterii non est causa singulorum Religiosorum, sicut causa Ecclesiæ non est singulorum Clericorum; cùm damnum & lucrum non pertineat ad eos nomine proprio, sed ad ipsam Ecclesiam vel Monasterium, *ar. c. Insuper 6 de Testib.* & ibi: Glossa *V. Ecclesiæ, & c. Cum nuncius 12. eod. Non lateat prudentiam vestram, quòd Clerici non sunt à reddendo testimonio super negotio Ecclesiæ* [illegible] *impediat) repellendi.* Validum est etiam Religiosorum Testimonium, etsi sine præscitu & licentia Superiorum, testes in Testamento agant, Farinacius *de Testibus q. 91. num. 134.* Quamvis sine consensu Superiorum præscitu & licentia licitè non examinentur: unde praxis habet, quòd in casu, quo Religiosi confectioni Testamenti testes adfuere, à potestate sæculari Superior requiratur, ut vel ipse Religiosum examinet, & depositum testimonium transmittat, vel eundem examinari permittat. Ad multa etiam evitanda absurda, cavere debent Religiosi præsertim Confessarii, ne facilè testes agant in Testamentis, sed alios vocent, aut vocari curent, nisi necessitas, vel proximi charitas, vel alia causa rationabilis aliud exigat; prout contingere potest, [illegible] testes facilè haberi nequeunt, vel Testator [illegible] testes habere nolit &c. Nec dicas, saltem de Jure Bavarico Religiosi non possunt esse testes: quia vi eorum *Tit. 34. a. 1.* ii non possunt esse testes in Testamento, qui ipsi Testamentum facere non possunt; quales sunt Religiosi. Nam contra est, quod præfata statuta dum in citato art. à ferendo testimonio excludunt illos, qui Testamentum facere nequeunt, solùm intelligant illos, qui ex delicto [illegible] non possunt; quales sunt Usurarii [illegible] *de Usur.* [illegible] 6. Ratio hujus interpre[illegible] est [illegible] præfatus art. factus esse conformis [illegible] §. 6. *Inst. de Testam. ord.* ubi à testimonio ferendo repelluntur [illegible] testamenti condendi incapaces, seu qui [illegible] Tum quia aliàs etiam filiifamilias [illegible] non habentes testes esse non possent in Testamento alieno; cùm etiam hi Testamentum facere nequeant, *l. 6. prin.* [illegible] *Qui testam. facere*, sequela autem videtur esse absurda, utpote non tantùm contra Jus commune, sed etiam contra praxin Bavariæ: Ergo. Accedit, quod Illustrissimus D. Schmidt optimè ex praxi sciens [illegible] Legislatoris Bavarici, expressè doceat, Religiosos posse esse testes, uti videre est *l. c.* 13

Ad habilitatem testis in Testamento requiritur ulterius etiam, ut testis sit extra omnem suspicionem. Hinc in Testamento *neque hæres scriptus, neque is qui in potestate ejus est, neque pater ejus, qui eum habet in potestate; neque fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt*, testes adhiberi possunt, §. *Sed neque, 10. Instit. de Testam. ord.* De ipso hærede ratio ulterior est quia nullus testis idoneus esse potest in causa propria, 14

l. Nullus, 10. *ff. de Testib.* ibi: *Nullus in re propria idoneus testis intelligitur*, & *l. Omnibus*, 10. *C. eod.* ibi: *Omnibus in re propria dicendi Testimonium facultatem Jura submoverunt*. Quando autem hæres quis instituitur, de ejus propria causa in Testamento haud dubiè agitur. De reliquis in citato Textu allegatis personis ratio est; quia fictione Juris censetur una persona. Pater quidem cum filio non emancipato per *l. [illegible] ff. de Donation. inter vir. & mul.* Fratres verò non emancipati ex eo, quia hi cum hæredis patre fictione Juris pariter sunt una persona, consequenter etiam cum ipso hærede tanquam fratre suo, & filio ejusdem patris, cùm juxta Philosophos, quæcunque sunt eadem uni tertio sint eadem inter se. Quæ Ratio unitatis & identitatis, cùm in filio & fratribus emancipatis cesset, adeò tam pater in Testamento, ubi filius hæres est, quàm fratres emancipati testes esse possunt. Accedit, quod *Exceptio unius firmet regulam in contrarium in casibus non exceptis*: consequenter cùm Jura à testimonio ferendo in Testamento solos excipiant hæredis fratres in patria potestate adhuc constitutos, & patrem in sua potestate adhuc habentem hæredem institutum, illi testes omninò esse possunt, quos vinculum patriæ potestatis non impedit:

15 Hinc etiam testes esse possunt cæteri consanguinei & affines hæredis, necnon & famuli, officiales, ministri, ac domestici ejus; non obstante, quòd *cit. §. Neque hæres*, 10. *Instit. de Testam. ord.* pro teste idoneo declaratur *is, qui in potestate ejus* (id est hæredis) *est*, & *§. In testibus*, 9. [illegible] sit hac in re *Testimonium domesticum*. Quia [illegible] Textus intelligendus est de iis, quos vinculum patriæ potestatis unit cum hærede, ita ut qui [illegible] potestate est, filius nempe, & qui hac ratione domesticus illius reperitur, testis esse non valeat; prout communiter interpretantur Doctores.

16 Porrò, quæ de hærede, & conjunctis eidem patriæ potestatis vinculo dicta sunt, non extenduntur ad Legatarios & Fideicommissarios particulares; hi enim in Testamento testes esse nullibi prohibentur, sed permittuntur expressè, *l. Qui Testamento*, 2. *C. Qui Testamenta facere possint*, & *l. Distantibus*, 22. *C. h. t.* Nec obstat *L.* 10. *ff. de Testib.* & *l.* 10 *C. eod.* ubi prohibetur quis esse testis in causa propria. Nam contra est: tum quia in Testamento non principaliter, ac primario, sed minus principaliter ac secundariò tantum agitur causa Legatarii; cùm non Juris universi, sed rerum particularium tantum sit successor, uti dicitur *§. Legatariis*, 11. *Instit. de Testam. ord.*

17 Cæterùm ob vinculum unitatis ex patria potestate provenientis, nec filius in Testamento patris, nec pater in Testamento filii nondum emancipati, nec fratres nondum emancipati in Testamento fratris, sui testes esse possunt [illegible] *§. In testibus*, 9. *Instit. de Testamen. ord.* [illegible] consanguinei [illegible], necnon & famuli, [illegible] ales [illegible] nullo Jure prohibentur. Imò & fratres [illegible] emancipati, necnon & pater in Testamento filii [illegible] emancipati, item maritus in Testamento uxoris testes esse [illegible] unt: eò quòd in his omnibus cesset ratio Legis, vinculum nempe unitatis ex patria potestate proveniens.

18 Possunt insuper plures ex eadem domo, etiam sanguine juncti, & inter quos vinculum patriæ potestatis versatur, v. g. duo vel plures fratres, item pater & filius, testes esse in Testamento Testatoris simili vinculo [illegible] *l.* [illegible] *prin. ff. Qui Testamenta facere*, ibi: *[illegible] simul adhiberi possumus, ut ego, & pater, & plures, qui fuimus in ejus potestate*, *§. Pater*, 8. *Instit. de Testam. ord.* ibi: *Item duo fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt, utique testes in uno Testamento esse possunt*. Ratio est; quia [illegible] negotio alieno, eadem [illegible] esse [illegible], quod in *cit. §. Pater*, 8. *Instit. de Testam. ord.* innuitur illis verbis: *Quia nihil nocet, ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi*.

19 Illud etiam circa idoneitatem testium notandum, quòd, si aliquis ex testibus tempore conditi Testamenti fuerit inhabilis, v. g. servus, qui tamen communi opinione credebatur habilis, ita ut nec Testator, nec contestes de inhabilitate ejus aliquid sciverint, vel noverint; Testamentum subsistat per textum [illegible] 17. *Instit. de Testam.* & *l.* 1. *C. h. t.* Nec refert, si unus vel alter de communitate inhabilitatem sciverit; quia Leges communem æstimationem, & opinionem multorum, non unius vel alterius attendunt, *L.* 30 *§* 3. *ff. de Acquir. hæred.* & *l. Si quis*, 3. *prin. ff. ad S. C. Macedon.*

Pariter subsistet Testamentum, si unus vel plures testes moriente Testatore existant actu inhabiles, v. g. infames, qui tamen tempore conditi Testamenti fuerunt habiles; quia *conditionem testium tunc inspicere debemus, cùm signarent, non mortis tempore: si igitur tunc dum signarent, tales fuerint, ut adhiberi possint, nihil nocet, si quid posteà eis contigerit*. *l. Ad testium*, 22. *§* 1. *ff. Qui Testam. facere*. Ob quam Legem econtrà Testamentum invalidum est, cujus confectioni interfuit testis tunc inhabilis v. g. impubes: etsi posteà fiat, & decedente Testatore sit habilis, pubes v. g. Ratio est; quia Testamentum initio vitiosum, tractu temporis non convalescit, adeòque si tempore conditi Testamenti unus testis fuit inhabilis, consequenter Testamentum invalidum manebit tale. 20

Tertiò de Jure Civili requiritur ad testamentum solemne Scriptum, ut testes ad testificandum sint rogati, seu invitati ac moniti, *cit. l. Hac consultissima*, *C. h. t.* ibi: *Rogatis testibus*: ut proin Testamentum non subsisteret, si coram fortuitò præsentibus, vel ex alia causa convocatis Testator absque alia requisitione Testamentum faceret. Secus foret, si fortuitò, vel ex alia causa jam præsentes rogaret, aut de testis officio exercendo moneret, ut testes esse velint sui Testamenti; quia, ut communiter notant Doctores, specialis convocatio ad testificandum, necessariò non requiritur, sed sufficit, si aliàs jam præsentes, saltem rogentur, seu moneantur, ad agendos testes. Prout etiam habet Recessus Spirens. 1512. *Rubric. von Testamenten*: ibi: *Oder auffs wenigste ungeschickter dingen, unberufft zugegen waren darzu ermahnt und besprochen worden*: Quod idem habetur in statutis Bavariæ *T.* 34. *a.* 1. Nec requiritur certa rogandi formula, neque ut multis precibus consensus testium ad testificandum acquiratur, sed sufficit, si præsentes roget, vel requirat, ut conditi sui Testamenti velint esse testes, quacunque dein forma utatur. Imò sufficit, si de voluntate vel mandato Testatoris, ab alio testes ad testificandum rogentur, vel moneantur; hoc ipso enim, quod Testator præsens patiatur fieri requisitionem testium, eam ipse facere censetur, *arg. l. Qui patitur* 18. *ff. Mandati*. Illustrissimus Dominus Schmidt *ad Tit* 34 *a* 1. *n.* 5. Julius Clarus *§. Testamentum q.* 58. *n.* 5. testans de communi Doctorum, ac consuetudine recepta. 21

Quartò debent omnes testes ita esse præsentes, ut Testatorem non tantum audire, sed & videre valeant, Jul. Clarus *§. Testamentum*, *q.* 59. dicens, ita sentire omnes DD. Schnedwin *Rubr. de testamento solemni*, *n.* 7. Pihing. *h. t. num.* 3. & communis aliorum, *arg. l. Si non speciali*, 9. *C. h. t.* ibi: *Si testes non in conspectu testatoris, testimoniorum officio functi sunt, nullo Jure testamentum [illegible]*. Hinc si testes fortè interposito velo, aut interjecta [illegible] na solummodò loquentem audirent, non autem [illegible] Testatorem, non subsisteret Testamentum, etsi [illegible] ment, se loquelam, & vocem Testatoris optimè novisse. Ratio hujus requisiti est, ut in Testamento tanquam negotio maximi momenti, utpote, cujus de universo patrimonio & substantia [illegible] disponit, evitetur fraus, quæ alias [illegible] vocis, [illegible] posset, seu ut [illegible] *l. fin. C. de* [illegible] 22

Quintò requiritur, ut Testator coram testibus præsentibus dicat, vel per alium in sua persona dicere, in hac carta, papyro, vel scriptura, quam subscribendam exhibet, contineri suum Testamentum, *arg. cit. l. Hac consultissima*, *C. h. t.* ibi: *Dum tamen testibus præsentibus testator suum esse testamentum dixerit*, quod offertur, [illegible] vitandam fraudem, quæ aliàs supponendo Testamentum, fieri posset. 23

Sextò requiritur, ut Testamentum ita exhibitum ipse testator *manu propria subscribat, aut si litteras ignoret, vel subscribere nequeat*, octavum testem, qui nomine ipsius subscribat, adhibeat *cit. l. Hac consultissima*. Nisi forsan ipsemet prius totum Testamentum manu propria conscripsisset, prout diximus suprà *num.* 11. Quamvis & in hoc casu melius atque securius fiat, si ipse Testator nomen suum subscribat, vel per octavum testem subscribi faciat. 24

25 Septimo requiritur, ut quivis testium nomen suum manu propria subscribat *§. Sed cùm*, 3. *Instit. de Testam. ord. l. Hac consultissima*, 21 *C. h. t.* & *l. Ad Testium*, 22. *§.* 4. *ff. Qui Testament. facere*, ibi: *Si quis ex testibus nomen suum subscripserit, pro eo est, atque si adhibitus non esset*. Concordat *l. pen. ff. eod.* Rusticis tamen in loco, ubi tot testes scribere scientes haberi non possunt, conceditur, quòd testes litterarum periti, loco aliorum litteras non callentium subscribere valeant, *l. fin. C. h. t.* Quòd privilegium Civibus in civitate, vel oppido, ubi litterarum viget scientia, ibidem denegatur. Imò nec rusticis suffragatur, casu quo testes litterarum periti haberi possunt, *cit. l. fin. C. h. t.* ubi rusticis dictum privilegium concedendo sic ait: Ita tamen, ut ubi scientes litteras inventi fuerint, septem testes adhibeantur, ut unusquisque pro sua persona subscribat: ubi autem non inveniuntur litterati, septem testes etiam sine scriptura admitti &c. infrà: si verò unus, vel duo, vel plures fuerint litterati, liceat eis pro ignorantibus litteras, præsentibus tamen subscriptionem suam interponere.

26 De Jure Bavarico etiam aliis non rusticis, atque in loco, ubi litterati testes haberi possent, universaliter & absolutè conceditur, ut quotiescunque ex convocatis testibus aliqui scribere non sciunt, reliqui testes litterarum gnari, eorum loco subscribere valeant; ita tamen ut semper adsit major pars, qui litteras sciant, propriaque manu se subscribant: ac insuper, si pro alio quis subscribit, expressè addat, quòd, quia hic, vel ille testis scribere ignorat, rogatus ab eo, ejusdem loco subscripserit. Quod idem, si unus pro alio sigillum non habente suum apponit sigillum, observari mandat; uti videre est *Tit.* 34. *a.* 1. ibi: *Hette aber ein Zeug kein eigenes* Sigill *oder Pettschafft, oder Kunte nit schreiben somag Woll ein anderer Zeug sein Sigill fur igne, und seinen naminen gebrauchen, und al so das sel be Zweymal anhengen, oder furdrucken, auch sich fur igne unterschreiben doch das in dē unterschreiben solches ausdrucklich gemeldt werde, wie nemblich sein Mitzeug kein eignes Sigill habe, oder nit Chriben konte, und dessbalben ihne solches fur ihne zu thun erbetten habe*.

27 Porrò ut subscriptio ritè fiat, requiritur insuper de Jure communi, ut singuli testes in subscriptione non tantum suum, sed etiam Testatoris nomen exprimant, & annotent; *l. pen. ff. Qui Testament. facere*, ibid: *Singulos testes, qui in testamento adhibentur, proprio chyrographo adnotare convenit, quis & cujus testamentum signaverit*. Quamvis non desint docentes, hunc textum quoad expressionem nominis Testatoris non continere præceptum, sed consilium, eò quod terminus *convenit*, & non terminus *debet*, vel æquivalens adhibeatur. Verum securius est, ut & Testatoris nomen exprimatur. Jus Bavaricum circa hoc punctum ita disponit, ut si duo primi se subscribentes testes præter nomen suum etiam nomen Testatoris expresserint, simulque fassi sint, se à Testatore audivisse quòd in præsenti charta ultima ejus voluntas contineatur, sufficiat, si reliqui testes solum suum nomen subscribant, simulque addant, se fateri, & testari, uti præcedentes. *Tit.* 34. *a.* 1 *ad finem*, ibi: *Wan die Zwey erste Zeugen austrucklich in ihrer Unterschrifft gemeldet, das der* Testator (cujus nomen exprimitur) *Welcher massen in folgenden* Libell *sein Lezter will begriffen seye, Bekent, so ist genug das die andere Zeugen in ihrer untherschrifften melden, sie bekennen, wie die vor Unterschribene Zeugen*.

28 Colliges pro praxi, sequentem subscribendi formulam testium, Juri communi, & Bavarico conformem esse: Ego N. (scribatur nomen testis) testor, quòd ab N. (scribatur nomen Testatoris) audiverim in præsenti libello & carta contineri suam ultimam voluntatem. Qua, vel simili formula de Jure communi subscribere debent singuli testes: de Jure Bavarico autem saltem duo primi, reliquis sufficienter ita subscribentibus: Ego N. (exprimitur nomen) testor, ut primi Contestes.

29 Octavo requiritur, ut omnes testes subsignent proprio anulo, vel sigillo, si habent, vel alterius, si proprio carent. *§. Possunt*, 3. & 5. *Instit. de Testam. ord.* & *l. Hac consultissima*, 21 *C. h. t.* ibi: Non signatum Testamentum pro infecto haberi convenit *l. Ad testium*, 22. *ff. Qui testament facer.* *§.* 4. ibi: Si quis ex testibus nomen suum adscripserit, non tamen signaverit, vel econtrà, pro eo est, ac si adhibitus non esset. Possunt autem (dicitur *§* 5 *Inst. de testam. ord*) omnes testes & uno anulo signare testamentum &c. sed & alieno quoque anulo signare testamentum. Imò, si ab ipso testatore anulum accepero, & signavero, testamentum valet, quasi alieno signaverim, ait Legislator *cit. l.* 22. *§.* 2. *Qui Testament. facere*.

Hinc inutiliter aliqui controvertunt, an ad signandũ, necessario adhibere debeat anulus, an vero sufficiat aliud sigillum? Nonnulli enim putant, anulum necessario adhiberi debere, eo quod Leges ubique de anulo solummodo mentionem faciant: imò *L.* 22. *§.* 5. ad finem expressè decidatur, *magis esse, ut tantum anulo quis possit signare*. Verum sententia dicens, etiam aliud signum seu sigillum sufficere, communior ac probabilior hucusque recepta, & consuetudine universali roborata est. Ratio est: tum quia ad finem legis, evitandas nempe fraudes, & dolos in testamento penitus nihil refert, an signo rotundo, anulo sc. an vero quadrato quis utatur: tum quia Legislator per anulum intellexit quodvis sigillum, aut signum, cui forma & effigies pro usu signandi impressa est; uti colligitur ex *cit. L.* 22 *§* 5. *ad finem. ff. Qui Testam. facere*, ibi: *dum habet anulum, id est formam, insculptamque signis imaginem*: ut proin Leges præscribendo anulum, solummodò excludere voluerint alia instrumenta effigie destituta, atq; ad alios fines, quàm obsignandũ destinata Vinn. *ad §.* 5. *Inst. de Testam.* 3. Ludwel *de Ultim Vol. p.* 2. *c.* Pihing. *h. t. n.* 4. & alii. Accedit *consuetudo, quæ est optima Legũ interpres*. 30

Statuta Bavarica *Landrecht cit. tit.* 34. *a.* 1. in puncto subsignationis rursus differunt à Jure communi, dum volunt, ut saltem major pars testium proprio sigillo subsignet: &, si quis pro alio sigillum suum apponat, hoc in subscriptione exprimat; prout liquet ex verbis formalibus relatis suprà *num.* 26 Insuper differunt, quòd juxta eadem *tit.* 34. *a.* 1. non sufficiat quodvis sigillum testis proprium, sed requiratur, ut testis sigillum ordinarium habeat cassidem, & arma, *Schildt und Helm* consequenter sigilla, in quibus Sacerdotes calicem, Pistores spiram, Cervisarii spatham suam habent, ad Testamentum solemne scriptum in Bavaria non sufficiant, uti benè advertit Excellentissimus D. Schmidt *ad cit. a. n.* 19. & Klingensperger *lib.* 2 *tit.* 10 *q* 22. 31

Nec dicas, ex hoc sequi, quòd in dicta Bavaria Pistores, Cervisarii, Laniones, aliique cives communes vix unquam possint esse testes in Testamento solemni scripto; cùm plerique non nisi similibus insufficientibus sigillis ordinariè utantur. Nam contra est, quòd præfati cives in casu Testamenti solemnis possint aliquem ex contestibus requisitum sigillum habentibus rogare, ut ejusdem nomine subsignet, prout ipsa Bavariæ statuta *loc. cit.* præscribunt, ac concedunt, dummodò major pars testium sigilla requisita habeat, eaque apponat. 32

Nonò requiritur, ut totum negotium Testamenti solemnis scripti uno eodemque tempore, unoque contextu, nullo extraneo ad factionem Testamenti non pertinente actu excepto actu necessitatis naturalis juxta dicenda infrà *num. seq.* coram omnibus testibus simul in unum congregatis, audientibus, & videntibus absolvatur, claris Juribus *§. Sed cùm* 3. *Instit. de Testam. ord.* ibi: *Constitutum est, ut uno eodemque tempore, septem testibus adhibitis; & subscriptione testium signacula testamentis apponerentur*, & *l. Hæredes* 21. *§ fin. ff. Qui Testament. facere*, ibi: Uno contextu actus, testari oportet, est autem uno contextu nullum actum alienum testamento intermiscere, & *l. Hac consultissima* 21. *C h. t.* 33

Admittuntur autem actus, quos vel necessitatis corporalis, vel sanitatis causa ab ipso Testatore forsan ægroto, vel urgente natura, ab aliquo testium fieri contingit, ita tamen, ut actus quem exercet testis aliquis, brevis sit, prout providentissimè, simul ac prudentissimè sancitur, *l. Cùm antiquam*, 28. *prin C. h. t.* illis verbis: Si quid autem necessarium evenerit, & ipsum corpus laborantis (Testatoris nempe) respiciens contigerit, id est, si vel victus necessarii, vel potionis oblatio, vel medicaminis datio, vel impositio, quibus relictis ipsa sanitas 34

tas testatoris pericliterur, vel si quis necessarius naturæ usus ad depositionem superflui ponderis immineat, vel, testatori, vel testibus, non esse ex hac causa Testamentum subvertendum, licet morbus comitialis (quod & factum esse comperimus) uni ex testibus contigerit; sed eo, quod urget, & imminet, repleto vel deposito, iterum solita per testamenti factionem adimpleri Et si quidem à testatore aliquid fiat testibus paulisper separatis, cùm coram his facere aliquid naturale testator erubescat: iterum introductis testibus consequentia factionis procedere. Si tamen in quendam, vel quosdam testium aliquid tale contingat: si quidem ex brevi temporis intervallo necessitas potest transire; iterum eorundem testium reversum expectari, & solemnia peragi sancimus: sin autem longiori spatio refectio fortuiti casus indigeat, & maximè si salus Testatoris periclitantis immineat, tunc illo, vel illis testibus, circa quos aliquid tale eveniet, separatis, alios subrogari, & ab eo, vel ab eis, tam Testatorem, quàm alios testes sciscitari, si ea, quæ eorum præsentiam antecedunt, omnia coram ipsis processissent. Et si hoc fuerit undique manifestum, jubemus tunc eos, vel eum una cum aliis testibus, ea, quæ oportet facere, etsi in medio subscriptiones testium jam fuerint subsecutæ. Hactenus verba Legis, quibus, cùm sint clara, nihil addendum videtur.

35 Ut autem breviter sciatur, quænam solemnitates ad Testamentum solemne scriptum requirantur, & quomodò fieri debeat, hinc pro praxi in compendio brevis fit recapitulatio, ac instructio. Quicunque ergo facere intendit Testamentum solemne scriptum I. Cogitet, & se resolvat, quem velit bonorum suorum hæredem scribere, ac instituere, & cui velit legare. II. Resolutione apud semetipsum fact: Testamentum, hæredem nempe, atque legata (si quæ facere vult) scribat, vel per alium scribere faciat, antequam testes convocet, ne testes nimiùm expectare debeant: quamvis si velit, etiam præsentibus testibus Testamentum suum dictare, vel scribere valeat. III. Testamento conscripto, testes ad testificandum convocet, vel, si jam adsint eos, ut testificentur, roget, vel requirat ac moneat: dicendo v. g. Patroni, vel Domini, vel chari vicini, vel amici &c. cogito facere Testamentum, vel ultimam dispositionem circa bona mea temporalia: quapropter rogo vos, ne gravetis hujus esse testes. IV. Testibus rogatis, dictet, vel scribat suam Ultimam Voluntatem, si priùs non est scripta: si verò (quod melius est) priùs jam fuit scripta, ostendat, vel exhibeat testibus papyrum vel chartam, in qua Ultima ipsius Voluntas continetur, ita compositam, & convolutam, ut testes, quid contineatur in ea, legere non queant (casu quo, sicuti potest, testes latere vult, quod disposuit) dicatque coram eis, & contestetur, quòd in hac, quam exhibet, vel ostendit, charta aut papyro, contineatur ejusdem Ultima Voluntas. V. Hoc pronuntiato ipsemet coram dictis testibus præsentibus propria manu nomen suum subscribat, vel si scribere amplius nequeat, aut non sciat, per testem octavum ad id specialiter convocatum, suo nomine subscribi faciat, nisi forsan propria manu totum Testamentum prius ipse scripsisset; hoc enim in casu nec propria, nec alterius manu proprium nomen subscribere necesse erit, quamvis expediens, ac melius sit. VI. Nomine proprio subscripto, etiam testibus subscribendam offerat à se subscriptam Testamenti chartam, ita tamen dispositam ac convolutam, ut solum vacuum in quo testes subscribant, appareat spatium, testibus, quid contineatur, nihil legere valentibus, nisi contentum eisdem manifestare liberè velit. VII. Testes omnes ac singuli in vacuo ad subscribendum relicto chartæ spatio, successivè manu propria subscribant, simulque sigillum suum, si quod habent, aut ab alio commodatum apponant. Nec refert de Jure communi quale sigillum sit, benè verò de Jure Bavarico, ubi necessariò requiritur Sigillum cum casside, & armis *Schild und Helm*. Si quis testium scribere nequeat, ad testificandum de Jure communi in Testamento solemni scripto inhabilis est, excepto Testamento rustici, quod fit in loco, ubi litterati haberi nequeunt. De Jure Bavarico autem ignorans litteras, contestem, ut nomine ipsius subscribat, rogare potest in quovis Testamento; dummodò major pars testium manu propria subscribat, & qui pro alio subscribit, hoc in subscriptione exprimat. Si quis verò proprium sigillum non habeat, tam de Jure communi, quàm Bavarico contestem, ut pro se subsignet, invocare potest; hoc discrimine, quòd de Jure communi sufficiat quodvis sigillum, nec requiratur, ut major pars testium proprio sigillo utatur, neque ut in subscriptione mentio fiat, quòd subsignatio alieno sigillo facta sit. De Jure Bavarico autem major pars testium sigillum cum casside & armis necessariò habere, & apponere debet, à quibus dein cæteri testes simili sigillo carentes, hujusmodi, & non aliud commodatum accipere, simulque in subscriptione exprimere debent, quòd proprio debito sigillo carentes, alio sint usi. Tandem observare debet, ut cuncta hactenus recensita uno tempore, unoque contextu, nullo alio actu extraneo (nisi aliud naturæ necessitas exigat) interveniente, coram testibus omnibus simul congregatis & debitè præsentibus fiant: excepto, quòd Testamentum prius conscribi valeat.

36 Postquam autem Testamentum dicto modo ritè habetur confectum, necesse ulterius non est, ut etiam ad extra sigillo aliquo Testatoris, vel alterius signetur, & claudatur. Quamvis, si velit, id facere possit, & ut faciat, consultum sit, ne quivis illud apertum videns legere possit. Dum tamen ad extra quis sigillando illud claudit, expedit, ut etiam brevi aliqua subscriptione, quòd intus contineatur Testamentum, indicet: scribendo v. g. Testamentum N. N. scribat nomen, & cognomen suum.

37 Pariter, quamquam necesse non sit, ut ad Testamentum solemne scriptum adhibeatur Notarius; cùm à Jure nullibi requiratur, uti benè notant DD. nihilominus consultissimum est, ut adhibeatur ad conficiendum Testamentum publicum super negotio, & solemnitatibus Testamenti ritè observatis. Hoc enim nisi fiat, & interea, ante mortem nempe Testatoris unus, vel plures testes morerentur, totum testamentum corrueret, vel periculosissimæ liti exponeretur: quod totum evitatur, si Notarius adhibetur; utpote cujus Instrumento publico fit, quòd Testamenti valori nihil obsit, etsi plures, imò etiam omnes testes ante Testatorem morerentur. Hinc recepta praxis habet, quod in omni Testamento solemni Notarius publicus adhibeatur. Quòd ipsum statuta Bavarica *Landrecht tit. 34. art. 3.* summoperè suadent. Debet autem Notarius ad interessendum confectioni Testamenti, & erectionem Instrumenti publici specialiter etiam requiri, ac rogari, hoc ipso quòd sit persona publica, quæ officium suum non impertitur nisi rogata, prout cum communi aliorum benè observat Schimidt ad *cit. tit. 34. art. 1. num. 3.*

38 Porrò officium notarii est, ut benè attendat, num solemnitates debitæ observentur, & ritè observatas Instrumento inserat.

39 Et ex hactenus dictis colliges, quòd cùm valdè multæ solemnitates, ac Juris subtilitates ad Testamentum solemne scriptum requirantur, errorèsque facillimè contingere valeant, consequenter periculo litigiosæ impugnationis vix non semper subjectum sit, tale testamentum nulli consulendum, sed potius dissuadendum sit: econtrà suadendum Testamentum ad Acta, seu judiciale, utpote in quo authoritate publica non tantum supplentur omnes defectus solemnitatum, sed etiam idem, qui per Testamentum solemne scriptum, haberi potest finis, videlicet, ut testes etiam lateat, quid Testator per Ultimam suam voluntatem statuerit; cùm, ut infrà dicetur, in scriptis ad extra sigillo Testatoris clausum tradi possit, ita ut nec Judex, nec quivis alius de contexto aliquid scire valeat.

§. III.

De Testamento solemni Nuncupativo, & solemnitatibus ad illud de Jure Civili requisitis,

SUMMARIUM.

40 *Testamentum Nuncupativum plus non requiritur quàm ut adsint septem testes idonei.*
41 *Ad id rogati.*

42 Co-

42 *Coram quibus Testator Voluntatem suam palam pronuntiet.*
43 *Quacunque dein verborum formula.*
44 *Nec refert, an per se, vel per alium, oretenus vel ex scriptis suam voluntatem manifestet.*
45 *Dummodò testes moneat, quòd velit testari solummodò nuncupativè.*
46 *Brevis instructio de faciendo Testamento Nuncupativo.*
47 *Notarius ad illud necessarium non est, benè tamen valdè utilis.*
48 *Testamentum Nuncupativum cum relatione ad schedam secundùm aliquos valet.*
49 *Probabilius autem est, quòd non.*
50 *Probatur ex* l. Hac consultissima.
51 *Probatur ex fine Legis.*
52 *Confirmatur.*
53 *Valet Testamentum Nuncupativum, etsi nomen hæredis non exprimatur, dummodò alio indubitabili signo.*
54 *V. g. Digito præsens demonstretur.*
55 *Testamentum scriptum cum relatione ad Codicillum valet.*
56 *Testamentum ad interrogationem alterius variis modis fieri potest: & num. 57. & 58.*
59 *Valet Testamentum ad interrogationem alterius factum, si Testator illud prius jam conscripsit, vel dictavit, & ut testibus manifestaretur, rogavit.*
60 *Dummodò, quòd hoc fecerit, probari possit.*
61 *Doctrina practica ad propositum.*
62 *Si quis interrogatus ab alio tantùm annuit capito, invalidè testatur.*
63 *Qui interrogatus de testamento tantùm respondet ita, vel placet, invalidè testatur, si prius testamentum non scripsit, vel dictavit.*
64 *Valent tamen ita interrogati, ac respondentis legata, loquendo de Jure Bavarico, non item de Jure communi.*
65 *Qui interrogatus prudenter respondet, ac discurrit, validè testatur, si prius de testamento nihil cogitasset.*
66 *Nullibi prohibetur testamentum ad interrogationem alterius facere.*
67 *Doctrina practica ad propositum.*
68 *Testamentum in ratione scripti invalidum, valet in vim Nuncupativi.*
69 *Probatur ex Novella 42. Leonis Imperatoris.*
70 *Solvitur objectio.*
71 *Testamentum invalidum, non valet in vim Codicilli, nisi clausula Codicillaris expressè apposita sit.*
72 *Testamentum scriptum seu defectu solemnitatis invalidum, nec in vim Nuncupativi valet, si neque hujus solemnitates habet.*
73 *Prout ordinariè contingit.*

40 Quæritur I. Quid sit, & quales requirat solemnitates Testamentum solemne Nuncupativum *zu einem von Mund ausgesprochnen zierlichen* Testament? Ad primam partem quæsiti jam patet per dicta superiùs *n. 8.* Unde ad secundam partem Resp. I. Præter hæredis institutionem, quæ de cujusvis Testamenti essentia est juxta dicta *n. 3.* Ad hoc Testamentum in primis requiruntur septem testes ad testificandum convocati, vel rogati, debitè qualificati seu idonei taliter, qualiter requiruntur ad Testamentum solemne scriptum, ita tamen, quòd nec subscriptio, nec sigillatio eorundem, vel Testatoris sit necessaria. Communis ac certa, ob clara Jura, *l. Hac consultissima. 21. §. Per nuncupationem. 2. Cod. h. t.* ibi: *Per nuncupationem quoque, hoc est, sine scriptura Testamentum non aliàs valere sancimus, quàm si septem testes (ut supra dictum est) simul uno, eodemque tempore collecti, Testatoris voluntatem, aut Testamentum sine scriptura facientis audierint.* Concordant *l. In Testamentis. cap. eod. & § fin Instit. de Testam. eod.* ibi: *Si quis sine scriptis voluerit ordinare Jure Civili Testamentum, septem testibus adhibitis, & sua voluntate coram eis nuncupata, sciat hoc perfectissimum Testamentum Jure Civili, firmumque constitutum.*

41 Debent autem testes etiam esse rogati, prout communiter tenetur à Doctoribus, ut Schneidevv. *in Rubr. de testam. nuncup. num. 1.* Harprecht. *§. fin. num. 1. Instit. de testam. ord.* Pirhing *h. t. num 5. & 6* & alii, *arg. l. Hæredes 21. §. 2. ff. Qui testam. facere*, ubi expressè, & universaliter statuitur, quòd *in testamentis testes rogati adesse debeant*. Nec obstat *L. 26. C. h. t.* ubi dicitur *Testamentum Nuncupativum valere, etiamsi non ante hujusmodi dispositionem prædixerit testator, ideò eosdem testes convenisse, quòd sine scriptis suam voluntatem vel Testamentum componere censuit.* Quia per hæc verba solummodò videtur remissa solemnitas illa, qua præter requisitionem testes admonentur de fine, ob quem convenerunt, ut cum aliis benè observat Schmidt *in tit 34 a 4. num. 7.* Concordant statuta Bavarica *loc. cit.*

42 Resp. II. Ad idem Testamentum necessariò ulterius requiritur ut Testator coram præfatis septem testibus idoneis simul præsentibus Voluntatem suam Ultimam circa hæredem & legata, si quæ fieri cupit, palam pronuntiet, seu alias sufficienter manifestet. Rursus Communis. Patetque clarè ex *l. Hac consultissima. 21. §. 2. C. h. t.* & *§. fin. Instit. de testam. ord.* ibi: *In Testamentis sine scriptis faciendis omnem formalem observationem penitus amputamus, ut postquam septem testes convenerint, satis est, voluntatem testatoris vel testatricis, simul omnibus manifestari, significantis, ad quos substantiam suam pervenire velit, vel quibus legata dare, vel fideicommissa, vel libertates disponere.*

43 Porrò si Testator coram testibus præsentibus manifestat suam Ultimam Voluntatem, non requiritur certa verborum formula, sed sufficit quævis, dummodò per eam sufficienter patefiat voluntas Testatoris. Textus est *in l. Quoniam. 15. C. h. t.* ubi dicitur: *Verborum non esse necessariam observantiam, utrum imperativis, & directis verbis fiat, aut inflexis: nec enim interest, si dicatur: hæredem facio vel instituo, vel volo, vel mando, vel cupio, vel esto, vel erit; sed quibuslibet confecta sententiis, vel in quolibet loquendi genere formata institutio valeat, si modò per eam liquebit voluntatis intentio: necessaria sunt momenta verborum, quæ fortè semineci, & balbutiens lingua profudit.*

44 Dein necesse non est, quòd totam suam ultimam dispositionem coram testibus oretenus ipsemet pronuntiet, & suis verbis declaret; sed potest id per alium ad id deputatum, v. g. per Notarium vel Confessarium, aut aliquem alium, cum quo forsan prius de sua Voluntate Ultima jam egit, cumque ut venientibus testibus Voluntatem suam indicaret, rogavit. Potest item ex charta prælegere, vel per alium prælegi facere suam Voluntatem prius jam conscriptam: dummodo manifestata per alium sua voluntate, ipse posteà annuat ac ita suam esse voluntatem, vel ita se velle, affirmet: ita Clarissimus D. Glette in Tractatu Canonico Civili *de Testam. cap. 2. §. 2. num 2.* Fachin *lib. 10. Controv. cap. 12.* Kilingensperger *lib. 2. tit. 10 quæst. 26 & 27 arg. l. Hac consultissima 8 C. Qui Testam. facere.* Nec obstant Leges suprà *num. 40 & 41.* citatæ, utpotè quæ plus non requirunt, quàm ut Testator coram septem testibus suam voluntatem manifestet, testesque, quid ultimò velit, audiant & percipiant, quòd reverà fit, dum manifestata per alium voluntate ipse dicat, *ita est*, vel *ita volo*, vel *hæc est mea voluntas ultima*. Concordant statuta Bavariæ *tit. 34. a. 4.*

45 Illud tamen requiritur, ut, antequam voluntatem suam in charta scriptam testibus manifestet, prius eosdem moneat, vel per alium moneri faciat, se solummodò cogitare condere Testamentum Nuncupativum, *arg. l. Hac consultissima 8. C. Qui Testament. facere.* ibi: *Ad se vocatos, quòd sine scriptis testentur, edoceant*, quod maximè observandum, si per se, vel per alium ex charta prælegit ultimam suam Voluntatem, ne alii ob adhibitam scripturam decepti putent, Testamentum solemne scriptum fieri, consequenter ob debitas solemnitates omissas impugnari posse.

46 Cæterum ad Testamentum solemne Nuncupativum nil requiritur, ut proin in praxi Testamentum hoc à quovis faciliter fieri valet: cùm enim juxta dicta plus non requiratur, quàm ut septem idoneos testes convocet; eisque quòd Testamentum Nuncupativum facere

cere

cere velit, indicet, & illos, ut testes esse velint, requirat, atque coram eisdem Voluntatem suam per se, vel per alium oretenus, vel ex charta manifestet, nulla planè in eo condendo difficultas, nullumque periculum est.

47 Illud tamen notandum, quòd, licèt ad hoc Testamentum Notarius necessarius non sit, tamen optimè faciat Testator, si illum etiam adhibeat, ob rationem, quam suprà de Testamento solemni scripto dedimus, videlicet, ne aliàs Testamentum corruat, si forsan ante mortem Testatoris, unus vel plures testes morerentur; uti facilè contingere potest. Id ipsum suadetur à statutis Bavariæ *loc. cit. art.* 5. Et quidem in dictis hactenus de Testamento Nuncupativo ob satis clara Jura conveniunt DD. Controversia tamen inter eosdem est in iis, quæ in duobus sequentibus proponentur quæsitis.

48 Quæritur II. An valeat Testamentum Nuncupativum, in quo Testator remittit se ad schedam, vel scripturam aliquam, dicendo v. g. coram septem testibus: instituo hæredem bonorum meorum, quem in schedula, vel scriptura apud Confessarium meum deposita scripsi: vel in charta, quam post mortem meam in hac vel illa cista, aut loco reperietis: vel si manibus chartam tenens, coram septem testibus dicat: quod in charta continetur, est ultima mea Voluntas: sive instituo hæredem, qui in hac charta continetur, & post mortem meam videri potest. Affirmativam tenuere Jul. Clarus §. *Testamentum, quæst. 4. num. 3. & quæst.* 36. Berlich. *par. 3. conclus. 4. n.* 22. Ludwel *de Ultim. Volunt. par. 2. cap. 1. pag.* 190. & olim communissima DD. teste Jul. Clar. *loc. cit.* Fundamenta eorum infrà ponentur loco objectionum, quas faciunt contra sententiam negativam; quare ad quæsitum

49 Resp. Hujusmodi Testamentum penitus non valere. Mansi. *de Testament. tit. 14. quæst. 16. & seqq.* Bruneman *ad l. 21 ff. Qui Testament. facere, nu.* 3. Ferdin. Vasquez *tom. 1. lib. 2. §. 21. num. 16. & 17.* Sichard. & Gilchen *in l. Hac consultissima C. h. t.* idem habent statuta Bavar. *tit. 34. a. 4.* & ibi Schmidt *num.* 10. Probatur Conclusio ex variis, iisque claris Juris textibus. Sic enim *L. Jubemus 29. C. h. t.* expressè statuitur, quòd in Testamento Nuncupativo nomen vel nomina hæredum ita debeant manifestari & exprimi, ut *omnimodò sciant testes, qui sint hæredes*. Atqui si Testator se refert ad schedulam, eo mortuo primùm aperiendam & legendam, planè non sciunt testes, qui sit institutus hæres; sicut dici non potest servus scire mandatum vel voluntatem domini dicentis: auditu, hæc est mea voluntas vel mandatum, quòd in hac clausa charta continetur; in tali etenim casu scit quidem testis vel servus, quod in designata charta voluntas Testatoris, vel domini contineatur, sed non sciunt, quæ sit voluntas illorum, vel quis sit hæres.

50 Probatur ulterius ex Jure. Nam *l. Hac consultissima. 21. §. 2.* disponitur: Testamentum Nuncupativum non valere, *nisi septem testes Testatoris voluntatem, & Testamentum audiverint*; at rursus testes dici non possunt audivisse voluntatem, & Testamentum Testatoris, si non, quòd voluit, sed tantùm ubi voluntatis dispositio continetur, audierunt. Dein *L. Hæres. 21. prin. ff. Qui Testament. facere*, ita præcipitur: *Hæredes palam, ita ut exaudiri possunt, nuncupandi sunt*; sed profectò *palam* à testibus non auditur hæres, qui eis in schedula absconditur. Nec dicas, audire saltem & scire testes, quòd in certa schedula hæres contineatur. Nam contra est, quòd hoc nondum sit *palam audire, & omnimodò scire*, quis sit hæres quod tamen utrumque requiritur à Jure *cit. l. & l. 29. C. h. t.* ibi: *Omnimodò sciant testes hæredem*.

51 Confirmatur. Finis, ob quem Testamentum solemne scriptum inventum est à Jure, inter alia fuit, ut Testator voluntatem suam ultimam omnibus etiam testibus absconditam habere posset; si velit *arg. l. Hac consultissima, 21. C. h. t.* ibi; *Si nullum scire volunt ea quæ in eo Testamento scripta sunt*: atqui si valeret testamentum Nuncupativum cum relatione ad schedulam; vel chartam aliquam, finis præfatus penitus corrueret, frustaneus, ac superfluus esset; hoc ipso, quòd eundem habere quis possit per Testamentum Nuncupativum. Et sanè imprudens quivis esset, qui maxima cum cura, summoque cum invaliditatis periculo, ob varias solemnitates Juris Testamentis scriptis ordinariè connexo, faceret Testamentum scriptum, si omnem ejusdem valorem & finem longè minori labore, & absque alio nullitatis periculo per Testamentum Nuncupativum facillimè habere posset.

Confirmatur ulteriùs: Jura ideò solemnitates Testamentorum præscripserunt, & eo modo fieri volunt Testamenta, ut omnibus sufficienter obviaretur fraudibus, *& perfectissima haberi posset veritas l. fin. C. de Fideic.* atqui in Testamento nuncupativo facto cum relatione ad schedulam, vel chartam, nec sufficienter obviaretur fraudibus, nec veritas perfectè ac securè haberi potest, hoc ipso, quòd, cùm schedulam apud alium depositam, vel in cista jacentem non viderint testes, nec quid ibi contineatur, legerint, alia supponi facillimè posset, testibus similem fraudem avertere non valentibus: utpotè qui interrogati à Judice aliud dicere nequeunt, quàm quòd audierint à Testatore, in schedula hic, vel ibi existente contineri Testatoris ultimam Voluntatem, nesciant verò, an schedula, quæ modò producitur, sit illa, ad quam se retulit Testator, an verò alia loco alterius supposita: prout consideranti patet. 52

Objiciunt Adversarii I. Textum *l. Quoties, 9. §. Si quis, 8. ff. de Hæredibus instit.* ubi dicitur; *Si quis nomen hæredis quidem dixerit, seu indubitabili signo eum demonstraverit, quòd penè nihil à nomine distat &c. valet institutio*, atqui hoc habetur in Testamento cum relatione ad schedulam: ergo. Resp. I. cum distinctione valet institutio; si indubitabili signo ita demonstretur hæres, ut immediatè, seu uti loquuntur Jura, *palam, & omnimodò* sciant testes, quis sit hæres, conceditur: si tantum mediatè, seu ubi hæredis institutio sit invenienda cognoscunt: negatur. Resp. II. Negando suppositum, quòd in Testamento cum relatione ad schedam *indubitabili* signo demonstretur hæres; *hoc ipso* enim, quòd testes illicere nequeant, & reverà dubium esse possit: an schedula post mortem producenda sit illa, ad quam se retulit Testator, an verò alia loco illius supposita; ut in *n. præced.* jam dictum est, hæres indubitanter non demonstratur. Confirmatur responsio ex ipsamet l. contra conclusionem nostram citata §. statim sequenti, uti habetur: *hæres institui, nisi certè demonstretur, non potest*: atqui in Testamento facto cum relatione ad schedam hæres *certè* non demonstratur: uti patet ex dictis: ergo. 53

Objiciunt II. *l. certum est, 6. §. de rebus credit.* ubi dicitur; *Nihil referre, proprio nomine res appelletur an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demonstretur: quatenus mutua voce fungantur quæ tantundem præstent* ergo. Resp. per hunc textum plus non probari, quàm quòd necessario non requiratur, ut hæres instituendus proprio nomine exprimatur, dicendo v. g. *Titium hæredem instituo*: sed sufficiat, si absque nominis expressione digito vel alio signo indubitabili demonstretur dicendo v. g. *ille sit meus hæres, quem digito demonstro, seu cujus manus nunc apprehendo*. Ratio est quia dum digito ita demonstratur hæres, æquè in cognitionem illius veniunt hæredes præsentes, perfectaque haberi potest veritas, ac fraus quævis evitari, ac si nomen ejusdem exprimeretur, hoc ipso, quod hæres digito demonstratus censeatur esse præsens & quomodò digito demonstretur, videant testes, consequenter quis hæres sit, ab eisdem *palam, & omnimodò* cognoscatur, prout habetur *in l. nemo dubit. 58. ff de Hæred. instit.* ibi: *Nemo dubitat, rectè ita hæredem nuncupari posse*: hic (videlicet, quem digito, vel alio signo absque nominis enuntiatione demonstrat) *mihi hæres esto; cùm sit coram uti ostenditur*. Quibus verbis apertè innuitur, ideò taliter benè institui hæredem, quia *coram*, seu præsens est, seu quia testes immediatè seu *omnimodò* statim & *omnimodò* sciunt, quisnam sit institutus hæres; consequenter à sensu contrario institutionem tali modo rectè non fieri, si hæres *coram* seu præsens non est, & per consequens, quis institutus sit, testes ignorent: uti contingit, dum quis hæredem instituit, vel Testamentum facit cum relatione ad schedam, vel chartam, dicendo v. g. hic, vel ille sit hæres meus, qui in hac scheda, seu in scheda apud Titium existente, vel in cista deposita scriptus invenietur. 54

55 Objiciunt III. Valet Testamentum scriptum cum relatione ad Codicillum, v. g. *hæres meus sit, quem in Codicillo scripsero, l. Asse toto, 77. ff. eod.* ibi; *Asse toto non distributo ita scriptum est quem hæredem Codicillis fecero, hæres esto: Titium Codicillis hæredem instituit; ejus quidem institutio valet, ideò quòd licet Codicillis dari hæreditas non possit, tamen hæc ex Testamento data videatur*; ergo idem licebit in Testamento Nuncupativo. Resp. negando consequentiam & paritatem. Disparitas est: tum quia in Testamento scripto, scripturæ cujus contextus testes lateat, de jure conceditur *l. Hac consultissima, 21. C. h. t.* non idem in Testamento Nuncupativo, in quo ut hæres omnimodò manifestetur testibus, præcipitur per Jura superius citata. Tum quia dum in scripto Testamento fit relatio ad Codicillum, fit ad scripturam solemnizatam, & ad evitandas fraudes idoneam. Non sic in Testamento Nuncupativo. Tum quia Codicillus est pars Testamenti, de Jure autem licèt in quavis parte Testamenti scribere hæredem. Tum tandem quia, etiamsi in Testamento Scripto fiat relatio ad Codicillum, nullum emergit periculum fraudis, cùm nulli constet, an cum simili relatione ad codicillum, vel potius cum determinatione ac denominatione hæredis ibidem jam expressa Testamentum Scriptum, factum sit, hoc ipso, quòd hujus Testamenti tenor etiam Testibus occultetur *l. Hac consultissima, C. h. t.*

56 Quæritur III. An valeat Testamentum Nuncupativum factum ad interrogationem alterius? Ante responsionem notandum. Testamentum ad interrogationem alterius variè fieri posse. Et primò quidem taliter, quòd Testator Testamentum facere prius jam se resolverit, indeque illud, donec solemnitates adhibeantur ipsemet scripserit, vel per Notarium, aut ab alio scribi fecerit; vel saltem eidem Voluntatem suam oretenus indicaverit, eumque rogaverit, ut venientibus ad testificandum testibus prælegeret, aut Voluntatem Ultimam prius auditam ediceret: ipseque Notarius, vel alius à Testatore rogatus, aut deputatus, testibus præsentibus, & ad testificandum rogatis prælegat jam conscriptam, aut saltem oretenus manifestet communicatam sibi Ultimam voluntatem, addita interrogatione ad Testatorem: num ita adhuc vellet, vel etiam num hæc ejusdem esset Ultima Voluntas? Testatorque respondeat, *ita*, vel *sic volo*, aut *hæc est mea Voluntas*.

57 Secundò fieri potest, quod licèt Testator prius de testamento nihil cogitaverit vel resolverit, vel si resolvit, nihil tamen de eodem conscripserit, vel scribi fecerit, nec alicui Voluntatem suam oretenus communicaverit, multò minus: quod coram testibus aliquid proponeret, aliquem rogaverit, vel deputaverit: Nihilominus Notarius, vel alius quicunque convocet testes, eisque præsentibus interroget Testatorem, an non velit facere Testamentum, hunceque vel illum habere pro hærede; huic vel illi aliquid legare? Et Testator præ debilitate plus non possit, aut ob dolorum acerbitatem plus respondere nolit, quàm *ita*: vel *volo*, *placet* & præcisè annuat capite.

58 Tertiò fieri potest taliter, quod Testator etiam modo primum dicto interrogetur, ipse tamen non solum annuat capite, vel solis verbis, *ita*, *volo* &c. affirmet, sed ad diversa puncta pluribus verbis distinctè, ac diversimodè respondeat, aliqua neget, quædam affirmet, & forsan etiam subinde rationem addat. His notatis

59 Resp. I. Si primo modo *num.* 56. relato conditur Testamentum ad interrogationem alterius, validum est. Est certa apud omnes teste Fachin. *lib. 5. Controv. cap. 69. arg. l. Pamphilo 35. §. 1. ff. de Legatis 3. & l. Hac Consultissima 8. C. Qui Testament. facere*. Ratio est: tum quia in Testamento ita condito perfectè adimpletur, quod Jura suprà *num.* 41. & 45. citata ad Testamentum Nuncupativum requirunt, cùm immediatè, & quidem etiam absque periculo & suspicione fraudis in notitiam hæredis, & reliquæ ultimæ Voluntatis deveniant testes: tum quia, si quid valori obesset, esset, quòd in tali condendi modo ipse Testator ore proprio hæredem, & voluntatem reliquam non exprimat; hoc autem non obest, uti constat ex dictis; ergo. Concordat Jus Bavaricum *Tit. 34. a. 5.* ubi tamen requirit, ut Testator non tantum ad finem Testamenti ab alio lecti, vel oretenus manifestati affirmet, vel annuat dicendo, *ita*, vel *ita volo*, aut *hæc est mea voluntas*, sed hujusmodi affirmationem ad singula puncta in Testamento contento, & per alium proposito faciat: Quod tamen de Jure non requiritur, sed sufficere videtur, si ad finem affirmet, Clarus *vers. Testamentum q. 37. n. 4.* citans communem: dummodò aliàs constet, & probari possit, quòd voluntatem suam alteri communicaverit, vel dictaverit, eumque ut venientibus testibus prælegeret, vel manifestaret, requisierit: nisi enim de hoc sufficienter constet, Testamentum ab alio propositum, vel prælectum, atque ad interrogationem simili affirmatione *ita*, vel *sic volo*, confirmatum non valet, uti ex Conclusione sequenti patebit.

Ad probandum autem, quod Testator prius voluntatem suam alteri manifestaverit, vel dictaverit, & eum, ut testes ad testificandum convocaret, aut rogaret, eisque venientibus voluntatem suam manifestaret, sufficiunt duo testes: prout habet communis DD. Ratio est; quia universaliter loquendo, & quando Jura in aliquo casu expressè plures non requirunt, ad legitimam probationem sufficiunt duo testes *arg. l. Ubi numerus ff. de Testibus, & can. Testes §. Ubi numerus cau. 4. q. 3.* ibi; *Ubi numerus testium non adjicitur, & duo sufficiunt*. Prout amplius diximus *Libr. 2. Titul. 20.* § 8. 60

Infertur pro praxi, omninò consultum esse, ut, si quis ægrotum cùm aliquo v. g. Confessario tractat de Voluntate sua Ultima, eidem eam manifestando, vel dictando, vel rogando eum, ut domi conscribat, & rediens postea testibus convocandis nomine suo prælegat, vel manifestet coram testibus præsentibus, quod voluntate ei communicaverit repetat; vel, quod adhuc securius est, voluntate sua Confessario jam manifesta iterum vocet duos saltem domesticos testes, eisque præsentibus dicat, quod huic Confessario suo, vel alteri Voluntatem suam Ultimam jam indicaverit, eumque rogarit, ut illam venientibus testibus ad id convocandis communicaret. Hoc enim, nisi fiat, & Testator intereà, prout sæpè contingit, ita debilis evadat, ut plus dicere amplius non possit, quam *ita*, vel *volo*, aut *placet* &c. vel solo capite annuere valet, Testamentum ad interrogationem alterius etiam deputati non valet. 61

Resp. II. Si Testator venientibus testibus ita jam sit infirmus ac debilis, ut nullum verbum articulatum, *v. g.* nec *ita*, vel *placet*, *volo* &c pronunciare possit, & ad interrogationem solummodò annuat capite, invalidum est Testamentum; etiamsi prius Testamentum alicui dictaverit, vel communicaverit, & ut testibus proponeret, mandaverit. Schmidt in statut. Bavar. *Tit. 34. a. 5. n. 2.* hoc tanquam certum supponens, *ar. Leg. 29. C. h. t.* ubi etiam ratio assignatur, videlicet, quia *si talis Testator, ut neque scribere, nec articulatè loqui possit, mortuo similis est*. Accedit, quod, si æger tam debilis est, ut amplius nihil loqui, sed solo nutu capitis annuere valeat, certò non constat, an adhuc sit sibi perfectè præsens, sanumque adhuc habeat intellectum, qui tamen ad validum Testamentum requiritur. Dein tale Testamentum solo nutu factum subesset periculo fraudis, uti consideranti patet. 62

Resp. III. Si secundo modo *n.* 57. supra ad interrogationem alterius conditur Testamentum, invalidum est. Jul. Clarus *§. Testamentum n.* 7. Zoesius *Consil. 3. lib. 1. n.* 37. Joan. *in L. Jubemus ad fin. C. de Testam.* Covarruvias *in c. Cùm tibi n. 4. de Test.* citans communem. Fach. *lib.* 10. c. 5. ubi revocat doctrinam contrariam prius datam. Probatur duplici fundamento. Primò, quia ad valorem Testamenti Nuncupativi de Jure requiritur, ut testes à testatore, vel ejus jussu, ab alio sint rogati aut requisiti *l. Hæredes 21. §. 2. ff. Qui Test. facere*: in hujusmodi autem Testamento testes à Testatore, vel ejus jussu ab alio non rogantur: ergo. Secundò, quia ad valorem Testamenti requiritur, ut de seria voluntate Testatoris sufficienter constet, quod non habetur in præfato testandi modo, cùm præsumere non immeritò liceat, ægrum potius ad submovendam molestiam & importunitatem interrogantis, quam serio testandi animo respondisse *ita*, vel *sic volo, placet* &c. Concordant statuta Bavarica *l. cit.* ubi tamen disponunt, quod saltem legata tali modo facta sustineantur. 63

Num

64 Num autem circa Legata idem sit de Jure communi, non conveniunt DD quibusdam affirmantibus *arg. l. Nutu ff. de Legatis 3.* ibi: *Nutu etiam relinquitur Fideicommissum*: aliis negantibus *arg. L. Jubemus 29. de Testam.* ibi: *Si enim talis est Testator, ut neque scribere, nec articulatè loqui possit, mortuò similis est*; consequenter testari nequit: quæ ratio cùm etiam de legatis procedat, ad eandem Legem extendunt Doctores, cum quibus & nos sentimus, præsertim cùm *Lex Nutu 21. ff. de Legatis* dum dicit: *Nutu etiam relinquitur Fideicommissum*, expressè subjungat, *Dummodò is nutu relinquat qui & loqui potest; nisi superveniens morbus ei impedimento sit* id est, qui à natura mutus non est, & tantum morbo aliquo accidentali à loquela impeditur, & *nutu, litteris* nempe, Legatum relinquere potest, uti explicat Glossa *in cit. l. nutu V. Loqui*, volens, quod si quis facultate loquendi ob morbum destitutus, & simul litterarum sit ignarus, alio nutu, capitis v. g. legare nihil possit, *arg. l. Discretis 10. C. Qui Testam. facere*, ibi: *Si lingua ejus penitus sit præpedita, attamen si hunc peritum litterarum esse proponamus, nihil prohibet, eum scribentem hæc omnia facere*: consequenter secus dicendum, si litterarum peritus non est.

65 Resp. IV. Si tertio modo *n. 58.* specificato, ad interrogationem alterius fit Testamentum, validum est; dummodò cætera requisita adsint. Ratio est; quia per talem testandi modum testes immediatè veniunt in notitiam hæredis, & legatorum: abestque omne periculum fraudis; cùm uti patet, nullatenus ad submovendam molestiam, & importunitatem interrogantis, sed serio, ac deliberato animo voluntatem suam manifestet, hoc ipso, quod, ut supponitur, plenè sibi præsens prudenter, distinctè, ac determinatè respondeat.

66 Nec obstat, quod ad interrogationem alterius id faciat: quia Testamentum ad interrogationem alterius facere, nullo Jure prohibetur; imò positivè conceditur *l. Pamphilio ff. de Legatis 3. & l. Hac consultissima 8. C. Qui Testam. facere*. Dummodò cætera requisita adsint.

67 Infertur; si quis ægrotum de Testamento prius nil cogitantem, vel tractantem interroget, an non velit uxorem suam instituere hæredem suorum bonorum, & Testator respondeat; v. g. quia proles non habeo, & uxor mea mihi semper fuit fidelis, volo, rogoque præsentes, velint esse testes, quod uxorem meam hæredem modò instituam. Vel si interrogetur, an non duos fratres Cajum & Titium velit habere hæredes: & ægrotus respondeat; Cajum solum volo, quia Titius aliàs jam media sufficientia habet [illegible] ad hunc finem testes [illegible], ut, id [illegible], requirat. Nec obstat, quod tales interrogationes fiant ad instigationem personæ [illegible] v. g. uxor [illegible] non [illegible] hæredem instituendam [illegible] cum [illegible] intelligente. Ratio est, quia [illegible] prohibetur [illegible] vel per signa, ut [illegible] Testator [illegible] conscientius, nec [illegible] submovendam molestiam [illegible] voluntatem suam [illegible] respondere [illegible] in conclusione positus, [illegible] rationabiliter respondeat. Hinc [illegible] validum [illegible] Testamentum, quam [illegible] omnino [illegible] an non placeret, illum [illegible] Testamentum, & rogantem, [illegible] hærede.

68 Quæritur IV. An Testamentum Scriptum, ex defectu alicujus solemnitatis invalidum, valeat saltem in vim Nuncupativi [illegible] Scriptum [illegible] requisitas ad [illegible] Testamentum [illegible] excepta una vel altera, ob quam [illegible] Testamentum [illegible] non valet [illegible] Scriptum [illegible] Resp. I. Si hujusmodi Testamentum [illegible] ratione Scripti attentatum, sed ex defectu [illegible] solemnitatis invalidum, habet [illegible] solemnitates, quæ ad Testamentum Nuncupativum requiruntur, [illegible] in vim Nuncupativi, etiamsi non sit apposita clausula [illegible] si hoc

Testamentum non valet ut scriptum, valeat modo, quo potest meliori. Menochius *l. 4. de Præsumpt. Præsumpt. 2. n. 16.* Harprecht *ad §. fin. Instit. de Testam. n. 7* Perez *de Testam. n. 19.* Besoldus, Manz. & alii, inter quos etiam communiter citatus Clarus *§. Testam. q. 4. n. 2* sed immerito, cùm ibidem Conclusionem non absolutè, sed cum limitatione doceat. Probatur Conclusio ex illa universali Regula, qua unusquisque præsumitur velle, actum suum potius valere, quàm non valere; consequenter, si non valet modo, quo ipsum hic & tunc valere putat, valeat saltem modo, quo potest meliori, casu quo agenti, ejusque intentioni magis expediens sit, valere actum, quàm non valere: *arg. l. Quoties 12. ff. de Rebus dubiis*. Quæ Regula, quod etiam in materia Testamentorum locum habeat, apertè constat ex Jure *l. Si Miles 3. ff. de Militari Testamento.* ubi Testamentum militis, qui illud in forma communi condere volens, perficere non potuit, approbatur saltem, ut Testamentum militare, utpote cujus solemnitates habuit. Ratio ad propositum serviens continetur in textu, qui sic habet: *Si miles, qui destinaverit Jure communi testari ante defecerit, quam testaretur, Pomponius dubitat, sed cur non in milite diversum probet? Neque enim (ecce rationem ad propositum) qui voluit jure communi testari, statim beneficio militis renuntiavit. Nec credendus est quisquam genus testandi eligere ad impugnanda sua judicia; sed magis utroque genere voluisse propter fortuitos casus*. Ex quo à pari benè inferre licet, quod etiam Testamentum in ratione Scripti attentatum, valeat saltem in vim Nuncupativi; nam sicut miles intendens testari in forma communi, non renuntiat beneficio condendi Testamentum militare, minorem solemnitatem requirens; ita volens testari in scriptis, non renuntiat facultati testandi nuncupativè; consequenter sicut militis Testamentum in forma communi attentatum, sed non perfectum, subsistit saltem ut militare, ita etiam Testamentum in Scriptis attentatum, sed non perfectum, valet saltem ut Nuncupativum, supposito quod solemnitates ad Nuncupativum requisitas habeat.

Confirmatur ex *Novella 42. Leonis Imperatoris*, quæ quia Corpori Juris inserta habetur, non [illegible] est; ubi expressè statuitur, quod Testamentum in ratione Scripti attentatum, valeat saltem in vim Nuncupativi, si solemnitate Testamenti scripti destitutum, eam habet, quam Nuncupativum requirit. [illegible], ait Imperator, *ut, quod Testamentum respectu [illegible], quæ scripto Testamento adesse debent, imperfectum est, si tamen Nuncupativi Testamenti testimonio non indigeat, vigore Nuncupativi Testamenti firmum sit*. Sed 69

Objicies I. Qui vult testari in Scriptis, non vult testari Nuncupativè; ergo deficit voluntas testandi Nuncupativè; consequenter necessarium requisitum; cùm sine voluntate testandi Testamentum nullum sit. Resp. Distinguendo. Qui vult testari in Scriptis, non vult testari Nuncupativè explicitè & expressè, concedo; implicitè negatur: quia quicunque testatur, principaliter ita testari intendit, ut Testamentum valeat, consequenter etiam implicitè vult, ut si testamentum non valet modo, quo illud condere conatur, valeat saltem modo alio, quo potest meliori. Nam ut dicitur *l. Quoties 12. ff. de Rebus dubiis*: *Quoties [illegible] ambigua oratio est, commodissimum* [illegible] consequens [illegible] Scriptis [illegible] Testamentum attentatum [illegible] implicitè [illegible] testari Nuncupativè, [illegible] per quam res, Testamentum [illegible] *potius valeat, quam pereat*; præsertim [illegible] dubio in favorem Testamenti [illegible] *ff. de Test. Testam.* [illegible] *sententiam* [illegible] 70

Objicies II. Testamentum defectu solemnitatis [illegible] Codicillis [illegible] 71

[illegible] potest meliori [illegible] solemnitatem [illegible] *scriptum, & conclusum* [illegible] *cum* [illegible] *opinatus est*, [illegible]

nec Codicillis fecisse, Ideoque quod in illo testamento scriptum est, licèt quasi in Codicillis poterit valere, tamen non debetur: & ibi Doctores: ergo neque Testamentum Scriptum ex defectu solemnitatis invalidum, valebit in vim Nuncupativi nisi adsit clausula, *quod, si ut Scriptum non valet, illud saltem ut Nuncupativum valere velit*. Resp. negando consequentiam & paritatem. Disparitas est, quòd ex Testamento Scripto & Nuncupativo idem habeatur effectus; non item ex Testamento & Codicillo: cùm per illud quis testatur, per hunc verò intestatus decedat, consequenter qui Testamentum intendit, non hoc ipso etiam Codicillum condere intelligatur; nisi per clausulam Codicillarem id manifestè declaret. Accedit, quòd circa Codicillum specialiter disponant Jura, illum sine expressa clausula Codicillari præsumi non debere: non sic de Testamento Nuncupativo, de quo proin juxta communia alia Juris principia erit discurrendum; inter quæ & illud est, quòd quivis præsumatur velle, actum suum potius valere, quàm non valere.

72 Dicitur autem notanter in Conclusione; *si saltem habet omnes illas solemnitates, quæ ad testamentum Nuncupativum requiruntur*; si enim Testamentum Scriptum ex defectu alicujus solemnitatis etiam ad Nuncupativum requisitæ est nullum, v. g. si non interfuere sufficientes, aut debitè qualificati testes, neutiquam in vim Nuncupativi valebit, etiamsi adesset clausula, quòd in vim Nuncupativi illud valere velit. Omnes. Ratio est quia ut valeat Testamentum in vim Nuncupativi, non sufficit sola voluntas testatoris, sed adesse etiam debent solemnitates de Jure requisitæ. Pariter non valebit in vim Nuncupativi, si scriptum Testamentum ex defectu solemnitatis invalidum, testibus præsentibus, dum condebatur, prælectum non fuit. Prout pariter fatentur omnes ex eo, quòd una ex requisitis ad testamentum Nuncupativum solemnitatibus sit, ut hæres, & reliqua dispositio ultima palam manifestetur testibus juxta dicta *num. 49*.

73 Hinc infertur, Testamentum Scriptum ex defectu solemnitatis invalidum, in vim Nuncupativi rarissimè, & vix unquam valere; quia licèt aliàs requisitas ad Testamentum Nuncupativum solemnitates habeat, tamen plerumque & ordinariè in hoc deficit, quod testibus, quid contineatur, non manifestetur, hoc ipso, quòd Testamentum Scriptum ideò sit adinventum, & ordinariè ideò fiat, ut ipsos etiam testes lateat, id quod in testamento continetur.

Et hæc de testamento Nuncupativo, quod quomodò practicè fieri possit, ac debeat, compendiosè jam dictum est supra *num. 46*.

§. IV.

De Necessitate solemnitatum in Foro externo.

SUMMARIUM.

74 *Status quæstionis.*
75 *In Foro externo solemnitates sunt de substantia testamenti.*
76 *Doctrina practica.*
77 *Testamentum defectu solemnitatum nullum, valet quoad legata, si hæres ab intestato fatetur, se [illegible] defuncti voluntatem.*
78 *Etsi hæres existimat, quòd testamentum non habeat debitas solemnitates.*
79 *Si negat, se aliquid à testatore audivisse, potest ei offerri juramentum.*
80 *Probatur ex Jure.*
81 *Si hæres ab intestato non interfuit Ultimæ voluntati; tunc corruente testamento corruunt etiam legata.*
82 *Proponitur, & solvitur objectio.*
83 *Testamentum minus solemne valet etiam in Foro externo, casu quo hæres ab intestato ipse percepit, & fatetur defuncti voluntatem.*
84 *Probatur ex ratione Legis.*
85 *Leges solemnitatem præscribentes fundantur in præsumptione fraudis.*
86 *Universali, non particulari.*
87 *Hinc non se extendunt ad testamentum confessatum à parte adversa.*
88 *Lex debet esse utilis & necessaria.*
89 *Solvitur objectio.*
90 *Neganti hæredi ab intestato, se interfuisse testamento, potest offerri juramentum.*

Vidimus in præcedentibus Paragraphis, quænam solemnitates de Jure Civili requirantur ad Testamentum solemne tam scriptum, quam Nuncupativum. Videndum modò de necessitate earundem. An videlicet sint tantum necessariæ seu necessariò requirantur ad probationem, ita, ut si aliunde sufficienter constet de Voluntate Ultima testatoris, testamentum etiam absque solemnitatibus à Jure Civili præscriptis valeat. An verò sint etiam necessariæ, seu necessariò requirantur ad substantiam & valorem illius, adeò, ut si aliqua eorum desit, Testamentum ipso Jure nullum sit; etsi aliunde de Ultima Voluntate testatoris sufficienter vel certò constet, aut probari possit. Et quidem procedit quæstio pro Foro externo, quia quomodò pro Foro interno necessariæ sint solemnitates, dicemus §. sequenti. Hinc 74

Quæritur I. Qualiter Testamentorum solemnitates à Jure Civili præscriptæ sint necessariæ pro Foro externo? Resp. I. Sunt necessariæ non tantùm ad faciendam probationem, sed etiam ad substantiam & valorem Testamenti, adeò, ut si vel una deficiat, totum testamentum in Foro externo quoad hæreditatem, seu hæredis institutionem, sit nullum, & irritum, quantumvis aliunde certò constet de Voluntate Testatoris, nisi ipse hæres ab intestato perceperit, & fateatur defuncti voluntatem, Covarruvias *c. 10. de Testam. n. 14. & seq.* Bart *in l. Nemo potest ff. de Legat. 1.* & ibi Jason *n. 17.* sicut & *in l. 1. ff. de [illegible] indebit. n. 17.* Klingensperger *lib. 2. Tit. 10. qu. 8.* [illegible] *num. 1* [illegible], Decius, Ascinus, & communis [illegible] & nos in Theologia nostra Morali *Tract.* [illegible] *num 6.* idem docuimus. Probatur Conclusio ex variis Juris textibus, in quibus Testamentum debita solemnitate destitutum, dicitur irritum & nullum. Sic in primis de numero testium, *l. Si unus 12. Cod. de testament.* ita habet: *Si unus de septem testibus defuerit, vel coram testator omnes eodem loco testes suo vel alieno anulo non signaverint, Jure deficit testamentum*. De subscriptione & subsignatione testium ad testamentum Scriptum requisita, *l. Hac consultissima 21. Cod. h. t.* ita disponit: *Non scriptum à testibus, ac non signatum testamentum pro infecto haberi convenit*. De solemnitate, vi cujus testes testatorem videre debent, sic statuitur, *l. Si non speciali 9. C. h. t.* [illegible] *non in conspectu testatoris, testimoniorum officio functi fuerint, nullo jure testamentum valet &c.* Dein de omnibus & singulis solemnitatibus universaliter ita disponitur *l. Hac consultissima 21. C. h. t. Ex imperfecto autem testamento* (id est solemnitatibus debitis destituto) *voluntatem defuncti tenere, non volumus §. 7 Instit. Quibus modis testament. infirm.* dicitur: *Imperfectum testamentum sine dubio nullum est*. Concordat *l.* [illegible] *Cod. h. t.* ac plures aliæ, ob quæ clara Jura Doctores satis conveniunt, solemnitates *in Foro externo* esse de substantia Testamenti, præsertim [illegible] deficiente solemnitate ipso facto [illegible] nullum [illegible] pro tali declarari debet, [illegible] constet, vel evidenter probetur defuncti voluntas, uti magis [illegible].

Infertur, nullum ac irritum quoad hæreditatem In Foro externo esse Testamentum solemne Scriptum, si non interfuere septem testes, vel si septem adfuere, unus tamen fuit de Jure inhabilis, vel si non omnes subscripserunt; vel si non omnes sigillum apposuerunt; vel si non fuerunt rogati, aut requisiti; vel si non fuere ita [illegible], ut potuerint testatorem audire, & videre, vel [illegible] non fuit absolutum [illegible] est de Testamento Nuncupativo, si aliqua ad illud requisita solemnitas supra ex recensitis deest. Dicitur autem notanter in Conclusione *quoad hæreditatem, seu hæredis institutionem*. Nam 76

Resp. II. Etsi Testamentum careat una, vel pluribus solemnitatibus à Jure Civili requisitis, indeque quoad hæreditatem irritum ac nullum sit in Foro externo, valet nihilominus in eodem Foro quoad fideicommissa, & le- 77

& legata, casu quo hæres, Testamento invalido existente, ab intestato succedens ipsemet præsens audivit, & fatetur defuncti voluntatem, etiamsi testatoris dispositio neque solemnitates ad legatum vel fideicommissum requisitas habuerit. Jul Clarus §. *Testamentum q.* 90. *num* 2. citans communem. Alexander *in l. Nemo potest. ff. de Legibus*, & ibi Bart. quem DD. communiter, imo teste Capic. *decis.* 89. *q.* 2. omnes sequuntur, textu claro *l. Non dubium*, 16. *C.* [illegible] ibi: *Illud etiam adjiciendum est, ut qui ex testamento, vel ab intestato hæres extiterit: etsi voluntas defuncti circa legata, seu fideicommissa, seu libertates legibus non sit subnixa, tamen in sua sponte agnoverit, implendi eam, necessitatem habet.* Concordat *l. Etsi* 2. *C. de Fideicommiss.* ubi disponitur, quòd si quis alicui fideicommissum in testamento minus solemni, consequenter invalido relictum solvat, & tradat, revocari tale fideicommissum posteà non amplius possit. Ratio ibidem assignatur; quia præsumitur ita tradentem ipsummet audivisse, ac scivisse testatoris fideicommittentis voluntatem; consequenter urgente conscientia tradidisse; cùm in simili casu dispositio Testatoris quoad legata valeat, etsi requisitis aliàs solemnitatibus careat. Verba Legis sunt sequentia: *Et inutiliter* (id est absque debitis Juris solemnitatibus) *Fideicommissum relictum sit, tamen si hæredes comperta voluntate defuncti prædia ex causâ fideicommissi avo suo præstiterint, frustra ab hæredibus ejus de ea re quæstio movetur, cùm non ex ea sola scriptura* (solemnitatibus carente) *sed ex conscientia relicti Commissi defuncti voluntati satisfactum videtur.*

78 Infertur proinde, quòd si Judices etiam in Foro externo, testamentum aliquod annullent, & declarent nullum, hoc ipso non statim etiam legata; vel fideicommissa tanquam nulla ac invalida rejicere, sed prius videre debeant, an non confiteatur, vel jam confessus sit hæres ab intestato succedens, quòd ipsemet audiverit defuncti voluntatem; hoc enim si fatetur, ad legata, & fideicommissa eum compellere debent non obstante, quòd excipiat dicendo, testamentum non valere, neque habere requisitas ad legata solemnitates, uti patet ex citatis Juribus, & §. *fin. de Fideicommiss. hæredit.* ubi expressè statuitur: *Quòd si is confiteatur quidem, sed ad Legis sublimitatem recurrat, omninò solvere cogendus est.*

79 Quòd si neget, se aliquam dispositionem circa legata fideicommissa ab ipso testatore audivisse, ille verò, pro quo legatum aut fideicommissum factum est, sciat & affirmet, hæredem ab intestato ipsummet interfuisse præsentem, & dispositionem Testatoris propriis auribus percepisse, compellendus est dictus hæres ad præstandum juramentum, quòd nihil tale à testatore audiverit; casu quo ille, cui legatum vel fideicommissum relictum est, aliis probationis mediis destituitur; juramentum [illegible] *Si* [illegible] *neque ex scriptura* [illegible] *in fideicommissi legitimus* [illegible] *pauciores quam* [illegible] *tunc* [illegible] *qui fidem hæredis elegerit, &* [illegible] *si hæres perfidia tentus,* [illegible] *Voluntas testatoris* [illegible] *dis* [illegible] præfata legata voluntatem [illegible]

que requisitas ad legata solemnitates habeat, & hæres defectum solemnitatum excipiendo objiciat.

80 Idem habetur *l. fin. Cod. de Fideicommissis*, ubi etiam ratio reverà efficax additur, videlicet, quia propria confessio est optima probatio superans omnem aliam extraneam à testibus, vel aliunde desumptam probationem: verba Legis, rationem etiam pro conclusione nostra afferentis, sunt sequentia: *Cùm enim res per testium solemnitatem ostenditur, tunc & numerus testium, & nimia subtilitas Legis requirenda est: Lex etenim, ne quid falsitatis per duos fortè testes testamentum compositum, majorem numerum testium expostulat, ut per ampliores homines perfectissima veritas reveletur. Cum autem is, qui aliquid ex voluntate defuncti lucratur* (*maximè ipse hæres*) *dicere compellitur veritatem per Sacramenti Religionem: qualis locus testibus relinquatur, vel quemadmodum ad extraneam fidem recurratur, propria & indubitata fide relicta?*

81 Quæ verba & ratio legis Conclusionem ulterius confirmat quoad illa verba, *casu quo hæres ab intestato succedens ipsemet audivit, & fatetur defuncti voluntatem.* Si enim hæres ab intestato voluntatem defuncti ipsemet non audivisset, & Legatarius non ex propria confessione hæredis, sed aliunde verbi gratia per quinque testes legatum in testamento invalido sibi factum probaret, & prætenderet, nihil ei in Foro externo deberetur, nisi expressè apposita esset clausula Codicillaris, ut supra *n.* 70 jam diximus, *arg. l.* 1. *ff. de Jure Codicill. & l. Ex testamento*, 29. *Cod. de Fideicommiss.* Cujus ratio ulterior est; quòd Jura citata solummodò excipiant casum, in quo hæres ab intestato ipsemet fatetur voluntatem defuncti: Exceptio autem unius firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, *arg.* [illegible] *iis quæ, ff. de Legib.* ut proin in reliquis Regula sit: corruente testamento, corruere etiam legata profana, nisi apposita sit clausula Codicillaris *cit. l. Ex testament.* 29. *Cod. de Fideicommiss.* & *l.* 1. *ff. de Jure Codicill.*

82 Nec inferas: ergo Conclusio *n.* 77. data non subsistit, præsertim, quia Jura ibidem allegata non loquuntur de casu testamenti, sed Codicilli. *Resp.* Negando illatum. Ad probationem pariter nego, Jura pro Conclusione allegata non loqui de casu testamenti: cùm contrarium apertè non constet ex *leg.* 16. *Cod. hoc tit.*

83 Resp III. Testamentum debitis solemnitatibus destitutum non tantum quoad legata & fideicommissa, sed & quoad ipsam hæreditatem, seu institutionem hæredis, consequenter totum, etiam in Foro externo valet, casu, quo ille, qui aliàs ab intestato succederet, ipsemet audivit, & fatetur totam voluntatem testatoris. Molina *Disp.* 81. *num.* 17. & omnes illi, qui docent, solemnitates non esse de substantia, sed tantum de forma probatoria. Inter quos numeratur Bar. *in l. Nemo potest. ff. de Legat.* 1. & Ripa *num.* 25. cum aliis. Probatur Conclusio principaliter ex *l. fin. Cod. h. t.* ubi universaliter dicitur, *quod tunc tantum numerus testium, & nimia subtilitas sit requirenda, si res* (seu veritas) *per testium solemnitatem ostenditur:* si verò hæres propria confessio adversario occurrendum non ut ad extraneam probationem. Nec dicas ibi tantum esse sermonem de legatis & fideicommissis, non item de [illegible] *Illud* [illegible] velit:

velit: econtra verò si propria adversarii confessio habeatur, necesse non sit, *ut ad extraneam fidem decurratur, propria, ac indubitata fide* (confessione nempe propria) *relicta* prout contextus habet.

84 Confirmatur primò. Ratio & finis Legis solemnitatem præscribentis solus & unicus est, ut in Testamentis quævis evitetur fraus, & perfecta, atque secura habeatur veritas *cit. l. fin. C. de Fideicommiss.* ibi: *Lex etenim, ne quid falsitatis incurrat per duos fortè testes compositum Testamentum, majorem numerum testium expostulat, ut per ampliores perfectissima veritas reveletur*; atqui hæc ratio, & finis nunquam habet locum in Testamento, cujus tenorem hæres ab intestato ipsemet audivit & fatetur; cùm in tali Testamento nullo modo possit contingere fraus per solemnitatem evitanda & econtra ipsa veritas æquè, imò magis habeatur per confessionem propriam adversarii, quàm per dictam Juris solemnitatem, hoc ipso quòd propria confessio juxta omnes sit omnium optima ac plenissima probatio, vel potius probationis relevatio; prout ampliùs dictum est *Lib.* 2. *Tit.* 18. *de Confessis n.* 12. *& seqq.* Ergo Lex solemnitates præscribens non se extendit ad dicta Testamenta; præsertim, cùm juxta illud vulgare, *ratio Legis, fit anima Legis*, ac *cessante ratione Legis, cesset lex ipsa, l. In omnis ff de Adopt.* ipsaque *intelligentia dictorum ex causis dicentis sit assumenda c. Intelligentia de S V.*

85 Confirmatur secundo. Leges irritantes Testamenta debitis solemnitatibus destituta fundantur in præsumptione fraudis per Jura hactenus, præsertim *num. præced.* ex *l. fin. C. de Fideicommiss.* citata ibi: *Lex etenim ne quid falsitatis incurrat Testamentum, &c.* ergo ubi abest, vel adesse non potest fraus, ibi Lex non obligat, vel illo se non extendit, cum præsumptio cedat veritati, *arg. c. Tua nos & l. Is, qui fidem de Sponsal.* atqui in Testamento, quod hæres alias ab intestato succedens audivit, & fatetur, abest, imò nunquam adesse potest fraus, ergo ad illud se non extendit,

86 Ad hoc argumentum respondent Covarruvias *de testament. cap* 10. *n.* 15. Klingensperger *lib.* 2. *tit.* 10. *quæst.* 8. & Adversarii communiter, distinguendo Anteced. Leg. irritantes Testamenta fundantur in præsumptione fraudis universali, concedunt: in præsumptione fraudis particulari, negant. Eodem modo distingunt consequens, & ulterius dicunt, ad hoc, ut Lex cessare, vel non obligare dicatur, non sufficere, quòd cesset in casu particulari, sed cessare debere in universali, quod fieri non putant in casu nostro.

87 Verum hæc responsio potiùs firmat nostram probationem, quam quòd infringat; quia non tantum in particulari, sed in universali cessat ratio Legis in casu Conclusionis, eò quod non tantum in uno vel alio, sed universaliter in omni Testamento per partem adversam confessato absit fraus, omneque periculum illius, adeò ut non tantum aliqua fraus nunquam subsit, sed nec subesse possit, hoc ipso quòd hæres ab intestato tanquam adversarius Testamentum minus solemne impugnans, ipsemet sciat, & juxta suppositum fateatur, hanc reverà fuisse Testatoris voluntatem.

88 Confirmatur tertiò. Inter conditiones ad Legem requisitas est etiam, quòd sit *necessaria & utilis, can.* 1. *dist.* 4. atqui Lex ad evitandas fraudes, & acquirendam de voluntate Testatoris veritatem præscribens solemnitates Juris, non est *necessaria* neque *utilis*, sed superflua & inutilis in ordine ad Testamenta per hæredem ab intestato confessata; hoc ipso, quòd in illis fraus aliqua subesse nunquam possit, & insuper ubi adest confessio partis adversæ, alia probationis media ad eruendam veritatem amplius necessaria non sint, juxta dicta L. 2. *tit.* 19. *de Confessis num.* 1. *& seq.* nec attendere possit Judex subtilitatem Juris, quando obest veritati, *arg. l. Sicut re corporali. ff. Quibus modis Pig. vel hypoth. solv.* ergo præfata Lex ad memorata testamenta se non extendit. Et professo negari vix potest, superfluam, ac inutilem, imò injustam fore Legem, si habita per indubitatam ac infallibilem probationem, confessionem nempe propriam partis adversæ, statueret, ut eadem veritas per probationis media minus certa, & fallibilia adhuc probaretur, ita quidem, ut si per incerta hæc probationis media, veritas non probetur, probatio certa & infallibilis non respiciatur: prout consideranti patent.

89 Objicies textus Juris *nu.* 75. citatos, vi quorum omnia testamenta declarantur nulla, quæ requisitis Juris solemnitatibus carent; ergo etiam testamenta per partem adversam confessata. *Resp.* I. Distinguendo Anteced. Declarantur nulla illa testamenta, in quibus potest esse periculum, vel suspicio fraudis conceditur: illa, quæ ab omni suspicione & periculo fraudis sunt aliena, seu quæ fraudi subjacere non possunt, negatur Anteced Distinguo aliter: declarantur nulla omnia testamenta, quæ non à Jure habentur excepta, transeat; quæ excipiuntur, uti sunt testamenta confessata per partem adversam *l. fin. Cod de Fideicommissis*. negatur. Instabis, experientia ac consuetudine universali habetur, quòd testamenta quæcunque etiam confessata, in Foro externo pro irritis habeantur, *consuetudo autem est optima Legum interpres*; ergo. *Resp* negando anteced. quia quamvis in Foro externo consuetudo talis & praxis Legibus conformis vigeat quoad testamenta solemnitatibus destituta, quibus pars adversa non interfuit, vel se interfuisse, & voluntatem defuncti audivisse negat; tamen eadem non habetur quoad testamenta per partem adversam modo suprà dicto confessata, hoc ipso, quòd talia testamenta rarissimè vel nunquam fiant: tum quia, si Testator hæredem alias ab intestato successurum ab hæreditate excludit, illiusque loco alium hæredem instituit, excludendum præsentem esse, dum testamentum facit, non facilè patiatur: nec ei aliquid desuper communicare, sed potius ad avertendam aversionem animorum omnia abscondere soleat. Tum quia etsi in casu rarissimo hæres ab intestato succedens, sed per testamentum exclusus voluntatem testatoris præsens audiret, tamen hoc utpote sibi nocivum facile non fateretur, consequenter actus, ex quibus praxis & consuetudo allegata fieret, vel facta existeret, vix ostendi queant.

90 Manet itaque, quòd testamentum requisitis solemnitatibus destitutum valeat, etiam quoad hæredis institutionem, casu quo pars adversa, hæres nempe ab intestato succedens ipsemet testamento interfuit, & fatetur, se ipsum à testatore hanc voluntatem ac dispositionem audivisse, etsi dein ob defectum solemnitatis testamentum impugnet. Quòd si verò interfuit, neget autem se interfuisse, & præsentem audivisse testatoris voluntatem, potest ei hæres institutus deferre juramentum, eumque adigere, ut juret, se Ultimam Voluntatem testatoris non audivisse, prout in simili ex Jure diximus suprà *n.* 79. De legatis, fideicommissis, & de testamentis patet ex *l. fin. Cod. de Fideicommissis*. Molina *Disp.* 81. *n.* 17.

§. V.

De Necessitate solemnitatum pro Foro interno; ubi etiam de solemnitatibus de Jure Canonico requisitis

SUMMARIUM.

91 *Status quæstionis proponitur.*
92 *Doctores docentes, solemnitates pro Foro interno non esse necessarias, conantur id probare ex Jure.*
93 *Et ratione, videlicet, quia Leges fundantur in præsumptione.*
94 *Valent proin secundum ipsos Testamenta minus solemnia in Foro interno.*
95 *Enumerantur Doctores, & fundamenta sententiæ dicentis, solemnitates Testamenti etiam in Foro interno esse necessarias.*
96 *Sententia quædam media proponitur.*
97 *Distinguendum est inter testamenta, quibus interfuit hæres ab intestato, & inter ea, quibus non interfuit.*
98 *In casu, quo hæres ab intestato interfuit Testamento, defunctique voluntatem percepit, valet testamentum minus solemne in Foro interno quoad legata.*
99 *Imò etsi neget, dummodò reverà interfuit, & audivit voluntatem defuncti.*
100 *Probatur ex Jure.*

101 Te-

101 Testamentum minus solemne, quod hæres ab intestato ipse percepit, valet in Foro interno etiam quoad hæreditatem.

102 Hinc potest tam hæres, quàm legatarii tuta conscientia relictam in tali Testamento hæreditatem vel legata accipere & retinere

103 Tenetur que hæres ab intestato ea illis restituere.

104 Quòd si non restituat, possunt hæres & legatarii scripti uti occulta compensatione, vel agere contra eum. Et num. seq.

106 Testamentum minus solemne, cui hæres ab intestato non interfuit, valet in Foro interno, nisi hæres ab intestato excipiat.

107 Testamentum minus solemne parit obligationem naturalem.

108 De Jure gentium quivis facere potest testamentum.

109 Quòd testamentum minus solemne pariat obligationem naturalem, probatur à simili.

110 Lex irritans actum ob præsumptionem fraudis, non obligat in conscientia in casu, quo fraus abest.

111 Actus de natura validus valet in Foro interno, etsi à Lege irritetur.

112 Leges præscribentes testamenti solemnitatem non tollunt obligationem naturalem in testamento minus solemni.

113 Rejicitur regula Haunoldi.

114 Et ponitur vera regula, quando Lex irritans contractum, tollat etiam obligationem naturalem.

115 Probatur ex Jure, quòd Leges solemnitatem requirentes non tollant obligationem naturalem.

116 Respondetur ad fundamenta Adversariorum. Et numer. seq.

118 Testamentum minus solemne post Judicis sententiam nec in conscientia valet.

119 Probatur ratione.

120 Probatur à simili.

121 Judex authoritate Divina judicat.

122 Objicitur ex c. Cùm esses, h. t. quòd Leges Civiles solemnitatem requirentes sint contra jus Divinum.

123 Respondetur & duobus n. seq.

126 Leges Civiles solemnitatem præscribentes non sunt contra Ecclesiæ consuetudinem.

127 Non fundantur in particulari, sed universali præsumptione fraudis.

128 Veritas requirit adminicula Legis. Et n. seq.

130 Obligatio naturalis duplex est efficax, & inefficax.

131 Corollarium.

132 Et doctrina practica.

133 Solemnitas de Jure Canonico requisita, quæ? Jus civile est servandum etiam in Foro Canonico, ubi expressè à Canone non est correctum. Ibid.

134 Solemnitas Canonica eodem modo est de substantia testamenti, quo solemnitas Civilis.

135 Unumquodque Jus quoad solemnitatem est servandum in suo Foro.

Quæritur. An etiam pro Foro interno necessariæ sint solemnitates à Jure Civili ad testamentum requisitæ, ita ut sine illis Testamentum factum non subsistat? Hæc quæstio celeberrima est, non tantum quia & summè controversa inter Doctores, sed & quia summè practica, & vix non quotidiana est. Quã propter exactè ac conscientiosè discutere, vel ideo etiam expedit, imo necessarium videtur, quod in ea non liceat sequi probabilem relicta probabiliori, quia ejus materia concernit, & tangit interesse ac præjudicium tertii, in hujusmodi quæstionibus [illegible] licitum esse, relicta probabiliori, sequi probabilem, omnes fatentur, prout amplius dictum est in Theologia nostra Morali *Tract.* [illegible] *Dist.* 1. §. 2. Ut autem veritas magis elucescat, placet sententias aliorum cum fundamentis eorum præmittere, ac dein nostram mentem aperire.

90 Tres igitur [illegible] circa hanc quæstionem sententiæ Doctorum sunt. Prima dicit, solemnitates à Jure Civili præscriptas, pro Foro interno non esse necessarias, valere proin in dicto Foro Testamentum, etsi una, vel pluribus hujusmodi solemnitatibus careat, dummodo aliunde sufficienter constet de Voluntate testatoris. Ita docent Fagnanus in c. cùm esses, h. t. Abbas [illegible] Molina *Disp.* 81. Lessius *de Jure & Iustit. lib.* 2. *cap* 19 *dubit.* 3. Mastrius *Disp.* 4 *Teolog. Moral. n.* 52. Sannig *Disp.* 12. *de just. qu* 3. *n* 9 Jason *in l. Cùm quis* 10. *C. de jur. & facti ign.* Clarus §. *Testam. qu* 90. & alii, qui opinionem suam probare conantur duplici præcipuo fundamento. Primum desumunt ex Legibus suprà *n.* 77. *& seqq.* citatis, utpote vigore quarum ultima dispositio absque debitis solemnitatibus facta subsistit, casu quo aliunde, ex confessione nempe hæredis ab intestato de voluntate Testatoris constat.

Secundum fundamentum eorum est; quod Leges Civiles solemnitatem Testamentorum præscribentes fundentur in præsumptione fraudis *l. fin. Cod. de Fideicommiss.* ibi: *Lex etenim, ne quid falsitatis incurrat per duos fortè testes compositum Testamentum, majorem numerum testium exigit &c.* Atqui præsumptio cedit veritati, consequenter si aliunde sufficienter constat de voluntate Testatoris, omnemque fraudem abesse, clarè dignoscitur, Leges in conscientia saltem non obligant. 91

Hinc inferunt, quod licèt in Testamento solemni Scripto vel non adessent septem testes, vel ex septem unus vel plures ad testandum essent inhabiles, vel alia similis solemnitas deesset, Testamentum in Foro interno nihilominus valeret; consequenter hæredem institutum tutissima conscientia accipere, ac retinere posse hæreditatem, sicut & legatarius legata: econtrà hæredem ab intestato sine peccato mortali non posse impugnare tale testamentum, & teneri ad restitutionem, si impugnans in Foro externo causam lucretur: item posse legatarios, & hæredem in tali solemnitatibus destituto Testamento, uti occulta compensatione, casu quo hæres ab intestato hæreditatem & legata eisdem non restitueret. 93

Secunda sententia dicit, solemnitates Juris Civilis non tantum pro Foro externo, sed etiam interno absolutè, & ad substantiam esse necessarias, adeò ut hæredes, & legatarii vi Testamenti solemnitate præscripta carentis, nec aliquid accipere, nec si jam receperunt, illud tuta conscientia retinere valeant, sed heredibus ab intestato cuncta relinquere, vel restituere graviter obligentur, quantumcunque de voluntate Testatoris certò constet. Ita docent Covarruvias *de Testam. cap.* 10. *n.* 12. Herincx *Disp.* 2. *quæst.* 4. *de Testam* Haunoldus *Tract.* 6. *cap.* 1. *Controv.* 3. Vasquez *de Testam. cap.* 3. *n.* 4. Salas *disp.* 16. *qu. ult. n.* 52. Bonacina, Diana, Lugo, Dicastillo, & alii. Fundamentum hujus sententiæ præcipuum duplex est. Primò quòd Leges Civiles requirentes solemnitatem ad Testamentorum valorem justæ sint, uti supponunt. Lex autem justa in Foro externo, est etiam justa & obligat pro Foro interno per ea, quæ de Legibus diximus *Lib.* 1. *Tit.* 2. *de Constit.* Secundò quia ad valorem cujuscunque actus requiritur voluntas, & potentia *arg. cap. cùm super* 23. *de Offic. & potest. Delegat.* nemo autem testari potest sine solemnitatibus à Jure Civili præscriptis per textus *n.* 75. allegatos; ergo. 95

Tertia sententia docet, mentem Legislatorum solemnitatem Testamentorum præscribentium fuisse, Testamentis minus solemnibus resistere tantum civiliter tollendo actionem & obligationem civilem (ita videlicet, ut hæres, vel legatarius vi talis Testamenti nullam possint actionem in Foro externo instituere, aut hæreditatem, vel legatum ibidem repetere) non tamen tollere obligationem naturalem ex tali Testamento consurgentem, vi cujus hæredi, vel legatario competit jus accipiendi, vel retinendi legatum, aut hæreditatem in minus solemni Testamento sibi relictum, nisi per exceptionem Legis, vel per sententiam Judicis jus tale infirmetur, prout fieri posse fatentur, eò quòd obligatio naturalis, & jus ex Testamento imperfecto consurgens non sit tam firma, & efficax, quin exceptione Legis elidi queat: prout etiam diximus in Theologia nostra Morali *Tract.* 8. *Dist.* 3. à *n.* 15. & magis dicemus infra. Layman *lib.* [illegible] *tract.* 4. *c.* 17. Sa *V. Contractus* Bannes, Victor, & alii. 96

Præmissa [illegible] DD. controversia, quid nos sentiamus, per sequentes Conclusiones indicabimus, prius tamen notandum duximus, quosdam Doctores nec propriam sententiam solidè probare, nec fundamenta contraria sufficienter solvere posse ex eo, quòd sine [illegible] distinctione de hac controversia conclusionem universalem ponant, cùm tamen omnino facienda sit distinctio inter testamenta, quibus hæres [illegible] ab intestato succedens interfuit, 97

[illegible] volun-

voluntatemque defuncti ipse percepit & inter Testamenta, quibus dictus hæres non interfuit. Itaque

98 Resp. I. In casu, quo hæres ab intestato succedens ipsemet percepit voluntatem defuncti, non sunt necessariæ aliæ juris solemnitates ad hoc, ut hæres in Foro interno obligetur solvere legata, vel fideicommissa; sed tenetur ea solvere, etsi Testamentum, vel Codicillus omni solemnitate careat. Hæc Conclusio necessariò sequitur, ex Conclusione data suprà *nu.* 77. cùm enim ibidem per varia Jura, ut *l. Non dubium* 16. *C. h. t. l. Etsi* 2. *de Fideicommiss.* §. *fin. Instit. de Fideicomm. hæredit.* demonstratum sit, Testamentum absque solemnitate conditum, valere etiam in Foro externo, multo magis valebit in Foro interno; præsertim quod unica ratio, cur in Foro interno non valeret, esset, quia in Foro externo foret nullum: quæ ratio, quia cessat, Testamentum hujusmodi in Foro interno quoad legata, & fideicommissa procul dubio valebit, & obligabit. Hanc tenentur omnes *n.* 92. citati, utpote qui universaliter, consequenter etiam in hoc casu docent Testamentum carens solemnitatibus civilibus, valere saltem in Foro interno.

99 Resp. II. Pariter quoad legata & fideicommissa in Foro interno valebit, & obligabit, in casu quo testis ab intestato reverà ipsemet audivit, & percepit Testatoris voluntatem; etsi id neget, seu non confiteatur. Ita rursus omnes *n.* 92. citati, videlicet Fagnanus, Abbas, Molina, Clarus, Jason, Lessius, Sannig, Mastrius. Probatur hæc Conclusio, simulque confirmatur præcedens sequenti fundamento. Testamentum quodvis carens juris solemnitate parit saltem obligationem naturalem, vi cujus alicui competit jus accipiendi & retinendi ea, quæ ei naturaliter debentur: ergo obligat in conscientia. Antecedens patebit infrà *n.* 107. Conseq. probatur inde, quod juxta omnes obligatio naturalis quælibet obliget saltem in Foro interno, prout benè observat Fachin. *lib.* 4. *cap.* 65. *arg. c. Novit. de Judiciis.*

100 Confirmatur Conclusio specialiter etiam ex *l. Etsi* 2. *C. de Fideicommiss.* ubi fideicommissum in Testamento minùs solemni relictum, & per hæredem solutum, repeti non amplius posse statuitur, ob sequentem rationem, quod *non ex sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse videatur*; sive, quod non ideò fideicommissum solverit, quia ex scriptura insolemni cognovit defuncti voluntatem, sed *ex conscientia*, id est; quia ipsemet scivit, & percepit defuncti voluntatem. Ex qua ratione Legis manifeste sequitur, secundum ipsummet Jus Civile ex testamento minùs solemni oriri obligationem in casu, quo hæres ab intestato ipsemet audivit defuncti voluntatem, etsi eam audivisse non fateatur. Confirmatur ulteriùs, si in simili casu non oriretur obligatio saltem naturalis, posset hæres ab intestato fideicommissum vel legatum tanquam indebite solutum condicere, seu iterum repetere; Nam *quod indebitum per errorem solvitur, aut ipsum, aut tantundem repetitur, l. Quod indebitum ff. de Condict. indebiti* ac in specie *fideicommissum, vel legatum indebitum per errorem facti solutum repeti posse explorati Juris est l. Fideicommissum* 7. *Cod. eod.* atqui fideicommissum in Testamento minùs solemni relictum, & ab hærede solutum repeti non amplius potest *l.* 2. *C. de Fideicommiss.* ergo.

101 Resp. III Valet etiam quoad hæreditatem seu institutionem hæredis Testamentum in Foro interno, casu quo voluntatem defuncti percepit hæres ab intestato. Hæc Conclusio necessario sequitur ex Conclusione data *nu.* 83. ubi probavimus, valere tale testamentum etiam in Foro externo. Facit etiam pro ejus probatione ratio *num. præced.* allata.

102 Et quidem præcedentes hæ três Conclusiones, videlicet, quod in casu, quo hæres ab intestato succedens ipsemet percepit defuncti voluntatem, Testamentum minùs solemne in conscientia obliget, planè certum videtur ob clara jura: quidquid sit de aliis Testamentis minùs solemnibus, quorum tenorem hæres ab intestato ipsemet à Testatore non audivit, utpote de quibus clara Jura non extant. Hinc magis certa ab incertis per distinctas Conclusiones separare, & ex præmissis tribus tanquam magis certis inferre placuit. Primò, quod in casu, quo hæres ab intestato fatetur seipsum audivisse defuncti voluntatem, possit hæres, vel legatarii in illo instituti tutissima conscientia accipere ac retinere hæreditatem, vel legata in Testamento minùs solemni relicta.

Secundò, quòd hæres ab intestato in conscientia graviter obligetur, juxta tenorem Testamenti, hæreditatem, vel legata hæredi, aut legatariis institutis tradere, aut relinquere, etsi Testamentum solemnitatibus careat. 103

Tertiò, quod, si tradere recuset, contra eundem hæres & legatarii instituti agere possint in Foro externo: vel si id sine incommodo aut periculo suo facere nequeant, uti compensatione occulta per ea, quæ de compensatione occulta diximus supra *Tit. de Solut n.* 57. 104

Quartò, quod idem possint hæredes & legatarii instituti, casu quo hæres ab intestato ipsemet à Testatore percepit quidem Ultimam Voluntatem, sed id neget: possunt, inquam, vel contra illum in Foro externo agere, offerendo eidem juramentum juxta dicta suprà *n.* 90. vel, si illum falso juraturum prudenter timeant, aut alias absque incommodo & periculo eundem conventre in Foro externo nequeant, uti compensatione occulta, ob fundamenta *cit. tit. de Solut. n.* 57. allegata. 105

Resp. IV. Etiam in casu, quo hæres ab intestato factioni Testamenti non interfuit, nec ab ipso Testatore dispositionem ultimam percepit, valet Testamentum minùs solemne in Foro interno in tantum, ut hæredes, ac legatarii instituti tuta conscientia hæreditatem, vel legata accipere & retinere valeant, nisi exceptione Legis, vel Judicis sententia impediantur. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 17. Sa *V. Contractus n.* 1. & *V. Hæreditas n.* 3. Bannes, Victor, Sotus, & alii; idem in Theologia nostra Morali *tract.* 8. *dist.* 3. *n.* 15. diximus. Probatur Conclusio: quando sufficienter probari potest, quod Testamentum carens Juris solemnitate pariat saltem obligationem naturalem, & quod hæc obligatio naturalis per Leges sublata non sit, tunc reverà hæredi, vel legatariis in illo institutis competit jus accipiendi ac retinendi, quod eis naturaliter debetur; atqui Testamentum minùs solemne parit obligationem naturalem, quæ per Leges sublata non est, ergo. Major patet tum quia effectus præcipuus obligationis naturalis est, tribuere creditori jus accipiendi ac retinendi naturaliter debitum, si absque exceptione solvatur, prout diximus in Theologia nostra Morali *tr.* 8. *disp.* 3. *n.* 18. & communis DD. Tum quia obligatio naturalis sufficit ad transferendum dominium, prout pariter communis DD. habet. Tum etiam quia obligatio naturalis quævis saltem in conscientia vim habet, nisi elidatur. 106

Minor quoad primam partem, videlicet, quod pariat saltem obligationem naturalem, probatur ex *l. etsi* 2. *C. de Fideicommiss.* ubi Legislator prohibet repetitionem fideicommissi ex minus solemni Testamento soluti, & hoc ipso agnoscit obligationem saltem naturalem ex tali testamento oriri; alias enim fideicommissi sine obligatione aliqua, consequenter indebite soluti restitutionem minime prohiberet; cum omne id, quod absque obligatione aliqua per errorem solvitur, repeti possit *l. quod indebitum* 7. *ff. de Condict. indebit* ac in specie *Fideicommissum, vel legatum indebitum per errorem solutum repeti posse, explorati Juris sit*, uti habetur *cit. l. Fideicommissum* 7. *C. eod.* 107

Probatur eadem Minor ulteriùs: Factio Testamenti est Juris naturalis, & gentium, sive, non solo Jure positivo humano, sed de Jure naturæ & gentium quivis facere potest testamentum, ut habet communis DD. pluresque fatentur Adversarii, uti patebit ex dicendis infrà §. *de iis, qui facere possunt Testamentum*, ergo. Nec requiritur ad illud Juris solemnitas, sed valet de Jure naturali absque dicta Juris Civilis solemnitate, *c. cùm esses h. t.* ergo etiam de Jure naturali obligationem parit, cùm hæc ex Jure gentium per quemvis consensum quem quis præstare potest, semper oriatur, prout amplius diximus in Theologia nostra Morali *tract.* 8. *dist.* 1. *n.* 29. & 33. *arg. l. cùm amplius, ff. de reg. Jur.* ibi; *id natura debet, quam gentium jure dare oportet, cujus fidem secuti sumus.* 108

Probatur à simili in aliis actibus, pactis, & contractibus, v. gr. Electione, Alienatione rerum Ecclesiasticarum, Contractibus Minorum &c. Quamvis enim ad horum valorem Jura certas requirant solemnitates, nullumque & irritum ipso facto pronuntient quemcunque talem actum, qui sine præscripta solemnitate celebratus est, uti de Electione constat ex *c. quia propter* 109

de Elect. De Alienatione Ecclesiasticarum rerum ex *can. Sine exceptione caus. 12. q. 2. si quis c. 6. de Rebus Ecclesiast. alien.* cum concordantiis, & amplius diximus suprà *tit. 13. de Rebus Ecclesiast. alien. §. 3. n. 52.* De Contractibus Minorum per ea, quæ diximus *lib. 1. tit. 35. de Pactis §. 2.* Nihilominus dicti actus & contractus obligationem naturalem pariunt pro Foro conscientiæ, ibique valent adeò, ut sine debita solemnitate electus Beneficium, contrahens cum Ecclesiæ Rectoribus rem Ecclesiasticam emptam: contrahens cum Minori rem vi contractus sibi competentem, tuta conscientia accipere, ac etiam retinere valeant, nisi exceptione Legis, vel Judicis sententia in contrarium fiat, prout habet communissima DD. & dictum est suprà *cit. tit. 13. de Rebus Eccles. non alien.* Ergo idem dicendum de Testamento, videlicet, quod licet absque præscriptis solemnitatibus factum per Leges pronuntietur ipso facto nullum ac irritum, pariat tamen obligationem naturalem pro Foro conscientiæ; ibique valeat, ita, ut nisi exceptio Legis, vel sententia Judicis in contrarium obstet, hæredes & legatarii in Testamento minus solemni instituti tuta conscientia hæreditatem, & legata acceptare ac retinere valeant: cùm non sit major ratio de uno quam altero.

110 Confirmatur Conclusio. Quandocunque actus aliquis à Lege fundata in præsumptione fraudis dicitur nullus, valet adhuc in conscientia, ibique obligationem, & effectum suum parit, ita ut tuta conscientia accipere, ac retinere quis valeat, quod ratione actus alias debetur, si reverà fraus abest, uti docet Menochius *de Præsumpt. l. 1. Præsumpt. 80.* Innocentius *in c. quia plerique n. 3. de Immunit. Eccles.* Abbas *ibid. n. 5. & in c. is qui fidem nu. 4. de Sponsal.* cum aliis, ex illa ratione, quod in Foro conscientiæ spectetur veritas, eique cedere debeat quævis præsumptio: ergo idem dicendum erit de Testamentis, eò quòd Leges solemnitatem ad valorem illius requirentes, pariter fundentur in præsumptione fraudis, *l. fin. C. de Fideicommiss.*

111 Confirmatur ulterius. Quando actus & contractus aliquis de Jure naturæ valet, & à Lege tantùm communiter & non plenissimè quoad utrumque Forum irritatur, valet in Foro interno juxta dicta *lib. 1. tit. 2. de Constitut. [illegible] n. 155.* atqui Testamentum absque solemnitatibus civilibus factum, de Jure naturæ est validum, *arg. cùm esses 10. h. t.* nec plenissimè irritatur à Legibus, uti statim patebit; ergo.

112 Probatur nunc Minor *n. 106.* posita, etiam quoad secundam partem, scilicet, quod obligatio naturalis ex minùs solemni Testamento in conscientia consurgens non fuerit sublata, ex hac ratione; quia ex nulla Lege id probari potest. Nec dicas, hoc ipso, quòd Jura declarent ipso facto nullum Testamentum sine solemnitate debita factum, auferunt etiam obligationem naturalem. Nam contra est, quod plures actus sine præscripta solemnitate facti dicantur à Jure nulli ac irriti ipso facto, & tamen obligationem naturalem pariant, valeantque in Foro interno, juxta dicta suprà *n. 106.*

113 Nec [illegible] cum Haunoldo *tract. 6. cap. 1. controv. 3. n. 30.* quandocunque verba Legis sunt absolutè irritantia contractum vel actum aliquem, & non explicant alibi, se nolle tollere obligationem naturalem, tunc censendæ sunt etiam obligationem tollere, atque pro Foro interno irritare; atqui verba Legis absolutè irritant testamenta absque solemnitatibus debitis facta, *l. Hac consultissima 21. C. h. t. & §. 7. Instit. quibus modis Testam. infirm.* ibi: *Non imperfectum testamentum sine dubio nullum est,* cum concordantiis: & nullibi declarant, se obligationem naturalem nolle tollere; ergo. Nam contra respondetur, negando Majorem, quia Jura Alienationem rerum Ecclesiasticarum sine debita solemnitate factam absolutè irritant, nec alicubi declarant, se nolle tollere obligationem naturalem; & tamen alienatio dicta obligationem naturalem parit, ac in Foro interno valet, donec exceptione Legis, vel sententia Judicis rescindatur, seu potiùs declaretur, juxta dicta *n. 109.*

114 Hinc [illegible] falsæ regulæ, & majoris ab Haunoldo positæ ad [illegible] ascendum, an Leges irritantes actum, vel contractum, etiam in Foro interno obligent, plerique obligationem naturalem tollant; aliam [illegible] contra ponimus regulam suprà *nu. 111.* juxta positam [illegible]

cet: quando actus alias de Jure naturæ est validus, & tantùm communiter irritatur à Lege positiva humana, tunc retinet obligationem naturalem, valetque in Foro conscientiæ; si nemo se opponat, & exceptione Legis utatur, vel Judicis sententia non obstet; econtrà secùs si vel contractus ipso Jure naturæ est irritus, v. g. quia deest consensus agentis: vel si de Jure naturæ validus plenissimè à Jure irritatur quoad utrumque Forum, tunc etiam obligationem naturalem tollit, ac pro Foro interno obligat; uti constat de Matrimonio sine præsentia testium, & Parochi celebrato juxta Concilium *Trident. Sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* Vide quæ diximus *l. 1. tit. 2. de Constit. §. 11. De Lege irritante.*

115 Deinde negatur etiam Minor Haunoldi *n. 113.* posita, videlicet, quod leges Civiles irritantes Testamentum sine debita solemnitate factum, nullibi declarent se se nolle tollere obligationem naturalem; quia contrarium satis clarè patet ex *l. Etsi 2. de Fideicommiss.*

116 Respondetur modò etiam ad fundamenta adversariorum *n. 92.* posita: & quidem ad primum: *Lex justa in Foro externo est etiam justa, & obligat pro foro interno,* negatur, id universaliter ac indistinctè procedere; quia limitatur in Lege irritante, utpote quæ licèt sit justissima in Foro externo, tamen in Foro interno non semper, & universaliter obligat in casu, quo irritat actum & contrarium ex jure naturæ validum; sed tunc solummodo, quando similem actum plenissimè, & quoad utrumque Forum, tollendo etiam obligationem naturalem irritat, juxta dicta. Confirmatur Responsio: si dictum Adversariorum fundamentum universaliter ac indistinctè etiam in Lege irritante procederet; sequeretur, quod etiam Electio, & Alienatio rerum Ecclesiasticarum sine Juris solemnitate celebratæ, in Foro interno essent nullæ, etsi nullus se opponeret; hoc ipso, quia à Jure declarantur ipso facto nullæ & irritæ, *c. Quia propter de Elect. Clem. 1. & Extrav. Ambitiosæ, de rebus Eccles. alien.* atqui sequela est contra communissimam DD. ac ipsosmet Adversarios: ergo.

117 Ad secundum fundamentum, *Ad omnem actum requiritur voluntas & potentia;* sed sine solemnitate nullus potest facere Testamentum, ergo. Respondetur negando Minorem. vel distinguendo: sine solemnitate nullus potest facere Testamentum ita, ut valeat, & firmiter subsistat in Foro externo, conceditur Minor: ita ut valeat in Foro interno, negatur Min. Ratio jam patet ex dictis. Dicitur autem notanter in conclusione *n. 160.* data: *Nisi exceptione Legis vel Judicis sententia impediantur,* ob Conclusionem sequentem, qua ad quæsitum *n. 91.* positum.

118 Resp. I. Quando hæres ab intestato Testamentum sine solemnitate debita factum, beneficio Legis utens, impugnat & Judex, prout debet, idem irritum declarat, tunc etiam in Foro interno erit irritum, ita ut nec naturaliter amplius, obliget, vel valeat, consequenter hæres abintestato vi illius, hæredibus, vel legatariis institutis hæreditatem, & legata tradere nec in conscientia teneatur; econtrà hæredes, & legatarii, si quid jam acceperint, illud restituere obligentur Menochius *de Præsump. lib. 4. Præsump. 80. n. 7.* Layman *lib. 3. tr. 4. c. 17.* Sotus *lib. 4. de Justit. q. 3. a. 3.* Sa *V. Hæreditas n. 32. V. Testamentum* [illegible] Victor, & alii; quorum sententiam amplexi jam fuimus in Theologia nostra Morali *tract. 8. disp. 3. n. 5.* & seqq.

119 Probatur Conclusio. Primò ex doctrina generali de Legibus irritantibus, videlicet, quod si actum vel contractum ex natura alias validum non plenissimè irritent, valeat quidem in conscientia, si nemo se opponat, nec aliud Judicis sententia declaret; non autem si quis se opponat, & Judicis sequatur sententia; uti cum communi aliorum docuimus *lib. 1. tit. 2. de Constit. 13. num. 155.* consequenter cùm hujusmodi Leges irritantes sint etiam illæ, quæ præscribunt certam solemnitatem ad Testamentum, pariter de iis erit discurrendum.

120 Probatur secundò à simili, exemplis ex Jure desumptis. Sic enim sine debita forma Electus [illegible] tuta conscientia Beneficium retinere potest, si nemo se opponat, vel Electionem impugnat, [illegible] Electionem tamen postquam Judex illam [illegible] etiam in conscientia obedire, [illegible] ut cum communi doctrina [illegible] *lib. 1. tit. 6. de Election.* Pariter licet contrahens cum [illegible] ne authoritate Tutoris, naturaliter, & in Foro interno

no validè agat, tutaque conscientia retinere valeat, quod vi talis contractus accepit, *arg. l. Stichum, ff. de Solut.* Nihilominùs quando Judex contractum nullum & irritum declarat, acceptum restituere tenetur; prout ipsi fatentur Adversarii. Idem est in casu Alienationis rerum Ecclesiasticarum juxta dicta suprà *tit. 13. §. 3.*

121 Ratio horum, & ulterior Conclusionis probatio est; quod sententia juxta in Foro externo (nisi fundetur in falsa præsumptione) sit etiam servanda in foro interno, prout cum communissima aliorum docet Sanchez *lib. 1. Decalog. c. 10. n. 11.* Covarruvias *de testam. c. 10. nu. 13.* & alii, ex illo fundamento, quod Judex ex authoritate Divina sententiam ferat, eique justè judicanti ut obediatur, velint Leges Divinæ ac humanæ, *arg. can. Quæ Jure, dist. 8. c. Omnis anima 2. de Censibus,* ibi: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subjecta sit c. 2. de Majorit. & obedien.* ibi: *In libro regum legitur, qui non obedierit Principi, moriatur.* Deut. 17. *Præcepit Deus, venies ad Judicem, qui fuerit illo tempore, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram,* atqui sententia annullans testamentum minùs solemne est justa, hoc ipso, quod sit juxta Leges, *l. Hac consultissima, C. h. t.* & Judex juxta Leges judicare debeat *c. 3. dist. 8.* Nec fundatur in deceptione, vel falsa præsumptione; cùm Judex illam pronuntiare, Testamentumque minùs solemne irritum declarare teneatur, etiamsi certò sciat, nullam subesse fraudem, sed esse verissimam voluntatem Testatoris, uti benè advertit Covarruvias citans unanimem DD.

122 Objicies primò cum Fagnano *in c. cùm esses 10. h. t.* Leges Civiles requirentes solemnitatem, sunt injustæ, & contra Jus Divinum & naturale, SS. Patres [illegible] [illegible]

[illegible] ita loquitur: [illegible] *consuetudinem* [illegible] *voluntate* [illegible] *nisi* [illegible] *vel quinque* [illegible] *secundum quod* [illegible] *Lege & SS. Patrum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine, id esse noscitur alienum, cùm scriptum sit, in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, præscriptam consuetudinem improbamus; & Testamenta, quæ Parochiani coram Presbytero suo, & tribus, vel duobus aliis personis idoneis* [illegible] *fecerint voluntate, firma decernimus permanere,* [illegible] *sub interminatione anathematis prohibentes, ne quis* [illegible] *rescindere Testamenta.* Hæc ibi [illegible] [illegible] infert, & ad longum probare conatur, [illegible] solemnitatem requirentes, esse rerationabiles [illegible] inde tanquam iniquas, irrationabiles [illegible] declaratur à Jure Canonico, consequenter [illegible] vendas.

123 Sed respondetur negando Antecedens. Ad textum pro probatione allegatum dico, per illum [illegible] quam quod Leges Civiles solemnitatem [illegible] præscribentes sint *præter,* non verò contra [illegible] cùm enim dicti Capituli, *Cùm esses,* constitutio [illegible] Lege Divina, *In ore duorum vel trium* [illegible] hæc autem Lex tantùm velle, quod [illegible] ad testimonium publicum [illegible] ut patet ex *Deut. c. 17. vers. 6.* ibi: *In ore* [illegible] *aut trium testium peribit, qui interficietur. Nemo* [illegible] *contra se dicente testimonium.* Vel quod, quantum [illegible] Divino, ad veritatem [illegible] duorum vel trium testimonium [illegible] gitur ex [illegible] *vers. 17.* ubi Christus [illegible] *quia duorum hominum testimonium* [illegible] *qui mihi me* [illegible] non [illegible]

[illegible] Covarruvias [illegible] *Licet* [illegible] *sint* [illegible] *testes* [illegible]

124 [illegible]

[illegible] *Tom. III.*

casu liceret plurium quàm duorum vel trium testimonium exigere, vel præscribere, atque in eo sensu deberet intelligi *cap. cùm esses h. t.* sequeretur manifestè, quod dictum *cap. cùm esses,* sibi ipsi contradiceret, & immediatè ageret contra Jus Divinum, hoc ipso, quod ibidem præter duos vel tres idoneos testes, etiam Parochum loci requirat, qui tamen de Jure Divino nullatenus requiritur. Imò plures Canones essent contra Jus Divinum, ut *can. Præsul. 2. quæst. 4.* juxta quem *Præsul. non condemnabitur, nisi 72. testibus &c.* & *can. Nullam 3. ead. caus. & quæst.* ubi idem disponitur. Pariter contra Jus Divinum egisset Concilium Tridentinum, ad valorem contractus Matrimonialis requirendo præter duos testes etiam Parochum loci, *Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 1.* [illegible] autem nemo admittit: ergo.

125 Urgebis cum Fagnano *loc. cit. num. 150.* Si dictæ Leges essent tantùm præter, & non contra Legem Divinam, malè fuissent damnatæ sub pœna anathematis, *cap. Cùm esses,* quia quod est tantùm præter Legem Divinam, non est peccatum; quod autem peccaminosum non est, anathemate non feritur: ergo. Respondetur, negando suppositum, quod leges Civiles solemnitatem præscribentes, sub anathemate sint damnatæ, *cap. cùm esses,* cùm [illegible] patet [illegible] Leges, sed novam condat, eamque [illegible] tis observari præcipiat, ut pro [illegible] mediatè non afficiat Leges Civiles [illegible] sit peccaminosæ, & anathemate dignæ essent, sed transgressores Legis novæ Legibus Civilibus contrariæ, quam sub anathemate (pro Territorio Pontifici subjecto) juxta statim dicenda, observari præcepit Alexander III.

126 [illegible] Fagnano *num. 123.* Leges Civiles [illegible] contra *generalem Ecclesiæ* [illegible] [illegible] notat [illegible] Resp. cum [illegible] *caus. 5. quæst. 5.* & alios [illegible] distinguendo, sunt contra consuetudinem generalem Ecclesiæ Hostiensis, de qua ibi expressè [illegible] sunt contra consuetudinem Ecclesiæ [illegible] negatur. Plures aliæ objectiones ex fundamento Fagnani *loc. cit.* formari possent ad probandum, quod Leges Civiles solemnitatem ad Testamentum requirentes, sint contra Legem Divinam, & ideò tanquam iniquæ [illegible] Jure Canonico reprobatæ. Verùm quia Doctrina [illegible] nium ferme judicio rejicitur, ut benè notat Covarruvias *cap. 10. numer. 7.* & Objectiones sunt faciles [illegible] ex brevitatis causa hic omittimus, & ad alias solvendas [illegible]

127 Objicies II. Leges Civiles, sicut etiam sententia Judicis irritantes Testamenta minùs solemnia fundantur in præsumptione fraudis, *l. fin. Cod. h. t.* atqui Lex & sententia hujusmodi non obligant absente fraude, eo quod [illegible] cedat veritati, *arg. c. Tua nos de* [illegible] in casu, quo certè constat. Testamentum [illegible] absque [illegible] [illegible] legare censuit, saltem [illegible] vis in Foro externo obediret, & hæreditatem & legata relinquere [illegible] tamen in Foro interno [illegible] [illegible] per sententiam [illegible] Resp. cum [illegible] distinguendo [illegible] irritantes testamentum minùs solemne fundantur in præsumptione fraudis particulari [illegible] præsumptione fraudis universali [illegible] Major. Pariter distinguitur Minor: Lex & sententia Judicis fundamenta in præsumptione fraudis particulari, absente fraude non obligat, conceditur; fundata in præsumptione fraudis universali [illegible] fraude particulari non obligat, negatur [illegible] Ad exemplum pro confirmatione adductum [illegible] paritas; quia cùm ibi sententia [illegible] feratur, ob præsumptionem particularem, quæ videlicet supponit, quod testes vera deposuisse,

se, meritò dicitur sententiam illam in Foro interno non obligare, quin per illam condemnatus uti possit occulta compensatione. Secùs est in casu nostro, ubi licet in particulari casu juxta hypothesin fraus, & ratio Legis cesset, non tamen universaliter cessat periculum fraudum, quæ ob avaritiam hominum non rarò contingerent, nisi eisdem per Leges irritantes testamenta, sine requisitis solemnitatibus facta obviaretur. Hinc etiam venit, quod etsi certò ac indubitanter per testes omni exceptione majores, & in aliis casibus ad probandum sufficientes certò constaret, Testamentum absque fraude esse conditum, nihilominùs si aliqua solemnitas deest, & res ad Judicium deducatur, Judex illud irritum declarare non tantùm possit, sed & debeat, hoc ipso, quod juxta Leges, quæ similia Testamenta pro nullis habent, *leg. Hac consultissima. Cod. h. t.* cum concordantiis, judicare teneatur, *can.* 3. *dist.* 8. Covarruvias *de testament. cap.* 10. *nu.* 13. Layman [illegible] quod non sit in sententia ex falsa præsumptione particulari, lata; utpote quæ juste ferri non potest, quando per legitimas probationes falsitas patet.

128 Objicies III. In Foro interno principaliter spectanda est veritas, nec tenetur quis obedire Legi contra veritatem pugnanti, *cap.* 1. *dist.* 9. ergo in casu, quo certò constat de veritate Testamenti, Leges Civiles, & sententia Judicis illud ob defectum solemnitatum irritantes non obligabunt, quin saltem occulta compensatione uti queant, etsi in Foro externo [illegible] evitanda obedire debeant [illegible]. Resp. negando [illegible] non [illegible] cum [illegible]

[illegible] veritas, *leg. Cum ita legatum, ff.* [illegible] tamen veritas debet esse condita [illegible] Constitutionum, & habere Legis adminicula, ubi illa requirunt Jura [illegible] *de Fideicommiss.* [illegible] *Bona fide* [illegible] essent [illegible] solemnitatem ad quolibet [illegible] requirentes, si eisdem nec post Judicis [illegible] teneremur [illegible] Nec [illegible]

129 Accedit [illegible]

130 [illegible] ficacem, negatur [illegible] & [illegible]

131 Et [illegible] cet, quod Testamentum sine debitis solemnitatibus factum, ante sententiam Judicis [illegible] ponit, pro Foro interno [illegible] valere [illegible] & legatarii in eo instituti [illegible] tuta conscientia [illegible] retinere valeant hæreditatem, vel legata [illegible] Testamentum [illegible] terno sit nullum [illegible] ut tuta conscientia [illegible] possint [illegible] acceptum [illegible] teneantur [illegible]

132 Infertur, quod ex Testamento minùs solemni hæredes hæreditatem, & legatarii legata [illegible] re valeant. I. Si vel hæredes ab intestato [illegible]

teantur defuncti voluntatem. II. Si hæres, vel legatarius ipsemet interfuit, & audivit, consequenter certò scit defuncti voluntatem. III. Si defuncti voluntatem à duobus saltem testibus perceperunt. Nec tenentur hæredibus ab intestato manifestare, quod testamentum careat solemnitate, etsi hæredes ab intestato id invincibiliter ignorent, cui cum aliis benè observat Menochius *de Præsump. Præsump.* 80. Econtra hæredes ab intestato videntes, Testamentum carere solemnitate debita, nec hæreditatem, nec legata profana tradere tenentur institutis hæredibus, vel legatariis: sed, si ipsimet non audierunt defuncti voluntatem, beneficio Legis uti, ac excipere possunt dicendo; Amice! nihil tibi debemus; quia Testamentum invalidum est: possuntque tutissima conscientia impugnare; etsi unica tantum solemnitas, v. gr. sigillatio unius testis desit; licet cæteroquin omnes testes jurato deponant de voluntate defuncti, ut cum aliis benè observat. Layman *Lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 17. *numer.* 3. Imò hæredes vel legatarii instituti, hæreditatem, vel legata jam accepta restituere tenentur, postquam Judex Testamentum nullum declaravit.

Quæritur II. Quænam solemnitates de Jure Canonico requirantur in Testamento ad causam profanam? 133
Resp. Hoc Jure plus non requiri, quam ut adsint duo testes idonei, & Parochus loci. Ita expresse [illegible] *in c.* [illegible] 10. *h. t.* Fagnanus *cit. c. cùm esses* intelligens per testes inidoneos, non tantùm illi, qui à testimoniendo absolute repelluntur, uti sunt [illegible] tes, [illegible] &c. sed etiam qui à Jure Civili in causa Testamenti testes esse non possunt; quales sunt impuberes, servi, mulier., hæres &c. ut contra Anchoranum [illegible] *esses h. t. nu.* 6. & alios benè docet Fagnanus [illegible] 36. Ratio est; quia ubicunque dispositio [illegible] non reperitur expresse immutata, vel correcta [illegible] Canonico, debet Jus Civile etiam in Foro Canonico & Ecclesiis servari, ut cum communi [illegible] Anchoranus *in c. canonem statuta de Const.* [illegible] *c. cùm esses h. t. nu.* 5. & ibi Abbas [illegible] consequenter cum [illegible] numerum testium expresse [illegible] reliqua solemnitas [illegible] Canonico [illegible] Testamenti requisita, etiam [illegible] etiam servari debet, ut proin testes de Jure [illegible] esse rogati, prout ulterius [illegible] Anchoranus [illegible] *cùm esses h. t. num.* 6 bene observat Fagnanus [illegible] 17.

[illegible] Juris rationem, videlicet, quod [illegible] 134
[illegible] non reperitur expresse contraria dispositio [illegible] etiam in Foro Canonico observari [illegible] nem, an solemnitates Juris Canonici [illegible] vel forma probatoria tantùm [illegible] Canonico? Respondetur eo modo, quo supra [illegible] necessitate solemnitatis Civilis [illegible] videlicet, quod in Foro externo [illegible] hæres ab intestato ipsemet audiverit, & [illegible] voluntatem, ut proin invalidum sit [illegible] etiam in Foro Canonico, cui [illegible] testes non fuere rogati [illegible] tare Testatoris. In Foro interno [illegible] 135

[illegible] Parocho præter [illegible] servandum [illegible] Romano Imperio subjectis [illegible] Canonico [illegible] Ratio est; [illegible]

ximus in Procemio *n.* 217. si manifesta sit contrarietas inter Jus Canonicum, & Civile, eaque versetur circa causam profanam, quodlibet Jus id suo Foro servandum est: hoc autem fit in proposito casu: ergo. Accedit, quod *cap. cùm esses h. t.* inscribatur Hostiensi Episcopo; Civitas autem Hostiensis est de temporali jurisdictione Pontificis: ergo. Et hæc de solemnitatibus Testamentorum non Privilegiatorum, atque ad causas profanas.

§. VI.

De Testamentis Privilegiatis ad pias causas.

SUMMARIUM.

136 *Testamentum ad causam piam est, ubi causa pia est hæres.*
137 *Causæ piæ nomine quid veniat?*
138 *Testamentum ad causas pias est in utroque Foro privilegiatum.*
139 *Probatur ratione.*
140 *Et universali consuetudine.*
141 *Solvitur objectio ex Jure.*
Exceptio unius firmat regulam in contrarium. Ibid.
142 *Etiam de Jure Civili videtur Testamentum esse privilegiatum ad causas pias.*
143 *In testamento ad pias causas requiruntur duo testes legitimi, casu quo aliunde non constet de voluntate testatoris.*
144 *Duo testes non sunt de substantia testamenti ad pias causas.*
145 *Testamentum ad pias causas est æque privilegiatum, testamentum inter liberos.*
146 *Debent in eo adesse saltem ea, quæ requiruntur à Jure naturæ.*
147 *Testamentum ad causam piam valet, quando sine omni teste adest manus propria testatoris: vel hæres ab intestato ipsemet audivit defuncti voluntatem.*
148 *Vel si hæres pius, v. gr. pauper solus audivit defuncti voluntatem: loquendo de Foro interno.*
149 *Doctrina practica ad propositum.*
150 *Valet etiam solo nutu ad interrogationem alterius factum.*
151 *Ac etiam, si incertus hæres instituitur, vel alterius arbitrio committitur.*
152 *Si aliunde non constat de voluntate testatoris, necessariò requiruntur duo testes.*
Unus testis, nullus testis. Ibid.
153 *Doctrina practica pro Confessariis.*
154 *Testes in testamento pio non necessariò debent esse rogati.*
155 *Potest etiam mulier esse testis.*
156 *An verò esse possint testes omnes alii, qui solo Jure Civili, non item Jure naturæ sunt inhabiles, controvertitur, & affertur sententia affirmativa.*
157 *Eligitur sententia negativa: & quomodo?*
158 *Quænam personæ in testamento pio possint esse testes.*
159 *Mulier potest esse testis: & quare?*
160 *Solvitur objectio.*
161 *In testamento ad causas pias valent etiam legata profana:*
162 *Solvitur objectio ex Jure.*
163 *Quod quisque juris in alterum statuerit, vel obtinuerit, uti eo & ipse debet.*
164 *Corruente testamento profano, valent legata pia.*
165 *Resp. ad* [illegible], *Accessorium sequitur naturam principalis.*
166 *Testamentum dicitur imperfectum ratione voluntatis.*
167 *Et ratione solemnitatis.*
168 *Imperfectum ratione voluntatis, nec ad causam piam valet.*
169 *Solvitur objectio ex Abbate.*
170 *Doctrina practica.*
171 *Imperfectum ratione solemnitatis, in Foro externo quoad legata profana non valet;*
172 *Et quid in Foro interno? Remissive.*
173 *Quoad legata pia valet in utroque Foro.*
174 *Solvitur objectio.*
Ambulatoria est Ultima Voluntas usque ad supremum halitum. Ibid.
175 *Testamentum ad pias causas est magis privilegiatum, quam inter liberos.*
176 *Doctrina practica.*
177 *Quomodo faciliter fieri possit testamentum pium.*
178 *Testamentum ad pias causas est mixti Fori.*

VIsis Testamentis solemnibus, seu non privilegiatis, & solemnitatibus ad ea requisitis, videndum modo de Testamentis non solemnibus, seu privilegiatis, inter quæ quia frequentissimum est Testamentum ad pias causas, ideo de eo ante reliqua in præsenti Paragrapho agimus. De hoc igitur

Quæritur I. Quid, & an Privilegiatum sit Testamentum ad causas pias? Resp. I. Testamentum ad causas pias est, in quo pro hærede instituta est causa pia. Communis ac certa. Ratio est; quia forma essentialis dat esse rei: hæc autem in testamento est hæredis institutio juxta dicta suprà *n.* 3. consequenter, an aliquod Testamentum ad causas pias sit, ab hæredis institutione, sive ab hærede instituto desumendum erit, ita, ut testamentum, in quo hæres est causa profana, dicatur testamentum ad causam profanam; etsi etiam contineat aliqua legata ad causas pias: econtrà ubi hæres est causa pia, Testamentum ad causam piam nominetur, licet aliqua legata ad causas profanas immixta habeat. 136

Nomine autem causæ piæ hic veniunt omnia loca ac instituta pia, qualia sunt Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia, Nosocomia, Confraternitates, item pauperes omnes non tantùm, qui carent necessariis vitæ & naturæ, sed etiam qui necessaria vitæ habentes egent necessariis ad decentem sustentationem juxta qualitatem & conditionem status, uti cum communi supra *tit. præced. de Pecul. Cleric. num.* 66. jam diximus. Dummodo eisdem principaliter ob honorem Dei, & animæ salutem hæreditas vel legata relinquantur, uti potest Glossam benè advertit Abbas *in rubric. h. t. n.* 7. *arg. c. requisivisti* 15. *eod.* Hinc omnino consultum est, ut si quis alicui pauperi, præsertim consanguineo hæreditatem, vel legatum relinquat, coram testibus vel in scriptura exprimat, quod eum tanquam pauperem pro hærede instituat, & legatum ei relinquat, ne alias Testamentum, vel dispositio ad causam profanam reputetur, sicque ob defectum solemnitatis in Foro externo rejiciatur, casu quo dubitatur, an institutus hæres reverà sit pauper, vel an ei ob honorem Dei, & animæ suæ salutem, vel potius ex alio motivo profano hæreditas aut legatum sit relictum. 137

Resp. II. Testamentum ad causas pias perfectè, & pro utroque Foro est privilegiatum, ita ut non tantùm in Foro interno, sed etiam externo valeat, etsi careat solemnitatibus à Jure Civili alias ad Testamentum requisitis; dummodò aliunde sufficienter constet de Testatoris ultima Voluntate. Fagnanus *in c. Cùm esses h. t. num.* 11. & ibi Abbas, & egregiè Bart. *in l. Habeat. à nu.* 70. *Cod. de SS. Eccles.* Jul. Clarus §. *testamentum quæst.* 6. *num.* 1. Covarruvias *cap.* 11. *de testament. num.* 1. Pirhing *h. t. num.* 19. Engel *eod.* & hodie ferme omnes tam Civilistæ, quam Canonistæ, ac Theologi, ita ut hæc Conclusio hoc tempore sit extra controversiam. Probatur autem principaliter ex *c. Relatum* 11. *h. t.* ubi expresse statuitur, quod Testamentum ad pias causas coram duobus testibus factum valeat, & quod *cùm aliqua talis causa*, simile nempe Testamentum aut dispositio ad causas pias (dictio enim *talis* est restrictiva ad similia, & dissimilium exclusiva, ut post Baldum benè observat Fagnanus *in cit. c. Relatum numer.* 4.) *ad examen Judicii nempe externum fuerit, ea non secundùm Leges, sed* [illegible] *Decretorum*, id est Canonum, *statuta tractetur.* 138

Ratio Conclusionis est; quia in causa & materia spirituali, qualis est Testamentum, ac aliæ dispositiones ultimæ ad causas pias, servandum est Jus Canonicum in utroque Foro tam Civili, quam Ecclesiastico, ac in quovis loco seu territorio, *arg. c. Quæ in Ecclesiarum* 7. & *c. Ecclesia S. Mariæ* 10. *de Constit.* juncto *can. Cunctæ per mundum caus.* 9. *q.* 3. atque amplius dictum est in Procemio *num.* 217. 139

Confirmatur, Praxis, & consuetudo universalis 140

ubique recepta habet, quod Testamenta, & dispositiones ad causas pias in utroque Foro judicentur juxta Canones, *consuetudo autem est optima Legum interpres*, *L. 37. & 38. ff. de Legib.* ergo judicare debemus quod *c. Relatum* 11. pro utroque foro, Civili nempe & Canonico sit positum, consequenter in utroque Foro servandum.

141 Dices *l. Generali 13. Cod. de SS. Ecclesiis* apertè statuitur, quod Testamentum etiam ad causas pias non subsistat, nisi debitas solemnitates Juris habeat: ergo saltem pro Foro Civili non est privilegiatum Testamentum ad causas pias. Confirmatur *l. Hac Consultissima. C. h. t.* omne Testamentum solemnitate Civili carens est nullum & irritum: ergo etiam Testamentum ad pias causas, eo ipso, quod Lex generaliter loquens, generaliter sit intelligenda, *c. Quia circa 22. de Privileg.* & *l. de Pretio. ff. de Publiciana in rem act.* Accedit, quod licèt Leges Civiles aliqua Testamenta in specie ut Testamentum militis, ac inter liberos à solemnitate excipiant, de Testamento tamen ad pias causas taceant, consequenter in Lege universali includant: cùm *exceptio unius firmet regulam in contrarium in casibus non exceptis*, *l. In iis quæ ff. de Legibus*: ergo pro Foro Civili Testamentum ad pias causas non est privilegiatum. Resp. Transmittendo, quod Testamentum ad causas pias non sit privilegiatum de Jure Civili; negando verò, quod non sit privilegiatum de Jure Canonico. Sufficit autem, ut per Jus Canonicum sit privilegiatum; ad hoc, ut dicatur pro utroque Foro privilegiatum, ac in utroque Foro obligare, eo quòd Testamentum hoc contineat causam piam, quæ juxta dicta non secundum Leges Civiles, sed secundùm Canones in utroque Foro tractari, & judicari debet. Hinc Doctores communiter fatentur, Leges Civiles solemnitatem in Testamento ad causas pias requirentes, esse correctas à Jure Canonico per *cap. Relatum 11. h. t.* ut proin licet Testamentum ad causas pias non sit privilegiatum per Jus Civile, sit tamen privilegiatum pro Foro Civili à Jure Canonico, in materia spirituali pro utroque Foro, obligante.

142 Dixi in responsione notanter, *transeat*, quia, quod etiam de ipso Jure Civili privilegiatum sit Testamentum ad causas pias, non obscurè desumitur ex *L. 38. ff. de Fideicommiss. libert.* ubi licèt pater in imperfecto Testamento libertatem cuidam reliquerat, eam nihilominùs manumittere debuerint filii. & *l. 1. C. de SS. Ecclesiis*, sicut & ex generali illa regula ac principio, quod à milite, & liberis, nec non à quacunque causa favorabili bona sit argumentatio ad Ecclesiam, & causas pias, uti advertit Engel *h. t. n. 8.* & plurimis aliis congestis, Menochius *lib. 3. consil. 224. n. 62.* consequenter cùm Testamentum inter liberos de Jure Civili sit privilegiatum *l. Hac consultissima, C. h. t.* de eodem jure privilegiatum quoque erit testamentum ad causas pias.

143 Quæritur II. An, & qualis ergo de Jure Canonico requiratur solemnitas in Testamentis ad causas pias? Resp. I. De Jure Canonico in Testamentis ad causas pias plus non requiritur, quam ut adsint saltem duo testes legitimi, ita tamen, ut duo testes non sint necessarii ad substantiam & valorem Testamenti ad causas pias, sed tantùm ad probationem in casu, quo aliunde non constat, nec probari potest voluntas Testatoris, nisi per testes; ut proin, si aliunde de voluntate Testatoris sufficienter constet, Testamentum ad causas pias [illegible] tam interno, quam externo, Civili & Canonico, etiam sine testibus validum existat, dummodò adsint ea, quæ requiruntur de Jure naturæ & gentium. Covarruvias *de Testament. cap. 11. n. 12.* Fagnanus *in c. cùm esses* [illegible] *n. 8.* Menochius *lib. 3. consil.* [illegible] Pirhing *h. t. nu. 20.* Engel [illegible] Tiraquell. *in Tract. de Causa pia 2. Privil.* Layman [illegible] *n. 5.* [illegible] & communis aliorum, complures citans [illegible] Menochius *lib.* [illegible] Prima pars Conclusionis [illegible] quod duo requirantur testes [illegible] *Mandamus, quatenus* [illegible] *Testamentum nempe ad causas pias ad vestrum examen fuerit deductum, non secundùm Leges, sed secundum Decretorum statuta tractetis, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis.*

144 Secunda pars, quod scilicet duo testes sint de substantia, probatur ex eo, quia in primis in testamentis ad causas pias solemnitas Legum Civilium non attenditur, juxta dicta *nu. præced.* & *num. 39.* Deinde in Jure Canonico nullibi reperitur Decretum irritans Testamenta ad causas pias sine testibus facta; prout tamen circa alios contractus reperitur, quando testes requiruntur ad substantiam; uti de Contractu Matrimoniali constat ex Concilio Trident. *Sess. 24. de reform. cap. 1.*

Confirmatur: valet Testamentum patris factum inter liberos sine omni teste, si aliunde ex manu nempe propria Testatoris conste: de voluntate Testatoris *L. Hac consultissima 21. C. h. t.* & *Authent. sequenti*, magisque patebit *§. seqq*: ergo etiam Testamentum factum ad pias causas; cùm hoc, si non magis, saltem æque privilegiatum sit ac Testamentum inter liberos, ut habet communissimam DD. apud Menochium *lib. 3. consil. 224. nu. 64.* Accedit, quod Constitutio *cap. Relatum 11. h. t.* in favorem causæ piæ facta, sit favorabilis, nam *summa est ratio, quæ pro religione facit*, *l. Sicut personæ 43. ff. de religios. & sumptib. fun.* consequenter amplianda, cùm *odia restringi, & favores conveniat ampliari reg. 15. Jur. in 6.* atqui magis favorabile est causæ piæ, si dicatur in Testamento ad causas pias testes non requiri de substantia: ergo. 145

Dicitur autem notanter in Conclusione: *Dummodo adsint ea, quæ de Jure naturæ & gentium requiruntur ad testamentum*: videlicet libera voluntas testandi, & capacitas Testatoris, ut scilicet habeat sufficientem rationem, ac intellectum; quia, si horum aliquid desit, Testamentum etiam ad pias causas invalidum esse, omnes fatentur. An autem ad valorem Testamenti pii requiratur etiam testandi potestas Civilis, ita, ut nullum sit Testamentum ad causas pias factum ab iis, qui de Jure Civili nequeunt testari, quales sunt prodigi, damnati ad mortem, deportati, impuberes &c. dicemus infrà §. 10. agendo de iis, qui testari possint. 146

Intereà ex prædictis duabus Conclusionibus infertur I. pro praxi, validum esse Testamentum ad causas pias non tantùm illud, quod coram duobus testibus, sed etiam quod absente quovis teste fit, si aliunde sufficienter constat de voluntate Testatoris: v. gr. si reperiatur Testamentum manu Testatoris scriptum, vel saltem ejusdem manu propria subscriptum, prout cum communissima aliorum bene observat Fagnanus *in cit. c. relatum 11. h. t. num. 9.* Menochius *loc. cit.* Pirhing & alii *numer. 143.* citati. Item si ipse hæres ab intestato sine omni teste audivit defuncti voluntatem: hoc enim in casu omninò tenetur in Foro interno adimplere defuncti voluntatem; imò etiam in Foro externo; si fatetur, se eam audivisse: si negat, offerri ei potest juramentum, juxta dicta suprà *num. 77. & seqq.* 147

Infertur II. Quod valeat etiam pro Foro saltem interno, ad hoc ut accipi & retineri valeat relicta hæreditas, vel legatum, si hæres pius, pauper v. gr. ipsemet interfuit & audivit defuncti voluntatem: licet nec scriptura, nec testibus id probare valeat. Quæ doctrina servit valdè in casu, quo herus vel domina cuidam fideli & pauperculæ famulæ, vel famulo tanquam pauperi in secreto, absentibus aliis, aliquid legat, dicendo v. gr. post mortem meam accipe in hoc vel illo loco, has vel illas pecunias, vel aliam rem, quam tibi tanquam pauperculæ lego; potest enim in secreto accipere, & retinere, loquendo de Foro interno, & si nemo [illegible] (secus foret [illegible] externo, vel si hæres ab intestato [illegible]) Ratio autem [illegible], quæ prius [illegible] quia de Jure naturæ sufficit ad transferendum dominium [illegible] transferre dominium [illegible] voluntatem transferentis, eamque acceptet: sicut à pari adhoc, ut quis rem donatam [illegible] accipere, ac retinere valeat, sufficit, [illegible] sciat voluntatem donantis, eamque acceptet, licet in Foro externo conventus [illegible] saltem testibus [illegible], vel non probans [illegible] hæredibus ab intestato relinquere, aut jam acceptam restituere deberet. 148

Ex eadem ratione infertur III. Quod, si testator [illegible] cui etiam soli in secreto committat, ut [illegible], accipiat existentes in certo loco pecunias, easque pauperibus, vel aliis causis piis distribuat, vel pro anima defuncti Missas legi faciat, possit talis commissaria persona (loquendo de Foro interno) tales pecunias accipere, ac juxta intentionem datam ad causas pias applicare: licet in Foro externo ei non crederetur, neque in Foro interno credere eidem teneretur hæres ab intestato, sed executionem impedire, vel etiam ad restitutionem compellere tuta conscientia posset, casu quo resciret, quod aut vellet ita distribuere, aut jam distribuisset deputata persona. 149

150 Infertur IV. Quod licet Testamentum ad interrogationem alterius, solo nutu factum non valeat de Jure Civili, *l. Jubemus, h. t.* & diximus suprà *nu 63.* valeat tamen ad causas pias. Layman *loc. cit.* Menochius *loc. cit. n. 64.* Tiraquell. *in tract. de Privileg. causæ piæ Privileg. 8.* Julius Clarus *§. Testamentum quæst. 6. n. 7.* citans communem, Abbas *in rubric. h. t. nu. 9.* & communis aliorum. Ratio est, quia nutu testari non est prohibitum Jure naturæ vel gentium; sed à Lege Civili, quæ in Testamentis ad causas pias non attenditur.

151 Infertur V. Quod, quia solo Jure Civili, non item naturali invalida est dispositio, qua quis hæredem incertum instituit, vel hæreditatem aut legata alterius arbitrio distribuenda committit, juxta dicenda infrà *§. 12. de Hæredibus, & institutione eorum*, tamen valeat ad causas pias in utroque Foro, ut proin legitima sit dispositio, si quis manu propria scribat, vel coram duobus legitimis testibus dicat: pro hærede instituo Deum, & causas pias: vel præcise causas pias, vel pauperes illos, quos elegerit, vel quibus hæreditatem meam dare voluerit hic vel ille meus executor, vel bonus amicus, &c. vel illos, qui venerint in Civitatem. Item valet, si dicat: instituo animam meam pro hærede, [illegible] censetur velle [illegible] mea salute [illegible] in pias causas [illegible]. Pariter valet, si dicit; instituo pro hæredibus animas in purgatorio; velle enim censetur, ut pro hæreditate relicta [illegible] pro animabus in purgatorio [illegible]. Clarus *§. Testamentum* [illegible] *n. 5.* Molina *disp. 134. n. 3. & ult.* Layman *loc. cit. nu. 7.* Abbas *consil. 32. n. 3. lib. 2.* Covarruvias *de Testam. in c. cùm tibi nu. 12.* Pirhing *h. t. n. 23.* & communis aliorum, qui etiam valere dicunt testamentum ad causas pias, si Testator præcise dicat; omnia bona mea dispositioni Titii committo: seu juxta arbitrium Caii distribuenda relinquo, *arg. c. cùm tibi 13. h. t.* quia licet in tali Testamento causa pia nec in communi exprimatur, censetur tamen tacite velle testari ad causas pias, ita ut commissarios deputatos teneatur omnia erogare in causas pias. Ratio ulterior est, quia cùm Ultima Voluntas in dubio semper ita intelligi debeat, ut potius valeat, quam non *arg. c. Abbate 25. de V. S.* & *l. Quoties* [illegible] Testamentum autem ita factum non valeat [illegible], interpretari debemus, mentem Testatoris [illegible] causam piam testari, quod ipsum notat Summa [illegible] *c. cùm tibi.* & egregie pertractat Covarruvias [illegible].

152 Resp. II. Quando per scripturam [illegible] testatoris, vel aliunde de voluntate testatoris sufficienter non constat, tunc in testamento ad pias causas necessariò requiruntur duo testes legitimi juxta Canones, adeò ut nec in Foro interno hæres ab intestato credere teneatur uni testi, licet omni exceptione majori, testimonium suum etiam juramento confirmanti. Layman *lib. 3. tract. 5. c. 2.* [illegible] & communis aliorum. Paterque tum ex *c. Relatum 11.* [illegible] duo saltem vel tres testes ad valorem Testamenti requiruntur (intellige, si non aliunde [illegible]) per testes de voluntate testatoris constat. Tum ex illa universali Juris Regula, quod unius testis ad probandum non sufficit [illegible] *de testib.* & amplius dictum est *lib. 2. tit. 20. de testibus §. 8.* Hinc illud vulgare verum dictum, *Unus testis, nullus testis*, & quod cùm suo, vel alterius præjudicio nullus teneatur credere soli, etiam omni exceptione majori.

153 Infertur [illegible], ac periculosum fore, tam testatori, qui uni soli, v. gr. Confessario manifestat, quam ipsum Confessarium, qui suscipit Ultimam voluntatem referendam hæredibus ab intestato, hoc ipso [illegible] uni soli, quisquis ille sit, credere non tenentur hæredes ab intestato, dispositio talis ultima periculo nullitatis semper exponitur. [illegible] hæredi ab intestato committit [illegible] dispositionem ad piam causam; vel quod melius est, manu propria scribat, aut duos testes adhibeat testator.

Non tamen est necesse, ut testes sint rogati. Jul. Clarus *loc. cit. n. 3.* citans communem, Covarruvias *cap. 11. de Testam. n. 5.* Bartolus, & Baldus, Pirhing *h. t. nu. 21.* Abbas *in c. Relatum eod. n. 3.* Fagnanus *in idem c. n. 12.* & communis aliorum. Ratio jam sæpè dicta est; quia nempe solo Jure Civili, quod in his Testamentis non attenditur, non verò Jure naturæ, gentium, vel Canonico ad probandum requiruntur rogati testes. Nec obstat, quod *c. Relatum 11. h. t.* dicat *coram duobus testibus requisitis*, quia hoc non ita intelligendum est, quasi testes deberent esse rogati à testatore; sed quia *requiruntur* ad probationem, si aliæ probationes deficiunt. 154

Ob eandem rationem etiam mulier potest esse testis in testamento ad pias causas, Covarruvias *loc. cit. nu. 7.* citans communem, Pirhing *loc. cit.* Clarus *loc. cit. n. 4.* Abbas *loc. cit.* Fagnanus *in c. cùm esses 10. h. t. n. 35.* & communissima aliorum. Accedit, quod mulier in quavis causa Civili (qualis etiam est Testamentum) possit esse testis de Jure Canonico; & solùm per Jus Civile, quod in pio testamento non attenditur, repellatur à ferendo testimonio, in testamentis. 155

Num autem etiam alii testes, qui à solo Jure Civili ad ferendum testimonium in testamento sunt inhabiles, v. g. servi, infames &c. possint esse testes [illegible] difficultas; Anchoranus siquidem *in c. cùm* [illegible] Fagnanus *in idem c. eod. n. 35.* & [illegible] dent, nec sine fundamento; quia, cùm communissima DD. teneat, in Testamentis ad causas pias non aliam [illegible] exigi solemnitatem, quam quæ requiritur de Jure naturæ & gentium, necessario sequitur, etiam servos & infames esse posse testes, [illegible] de Jure naturæ ad [illegible] Idem in [illegible] communis aliorum, [illegible] ad causam piam [illegible] gnant rationem, quod in hujusmodi testamento testes esse possint quicunque de Jure naturæ & gentium à ferendo testimonio non repelluntur. Quo non obstante, 156

Resp. III. In casu, quo non nisi per testes de voluntate testatoris constare potest, etiam in testamento ad causas pias necessariò (saltem pro Foro externo) requiruntur duo testes legitimi de Jure Canonico, adeò ut inhabiles sint, non tantùm qui de Jure naturæ & gentium, sed etiam qui de Jure Canonico ad ferendum testimonium communiter, seu regulariter non admittuntur. Covarruvias *cap. 11. de Testament. num. 11.* citans Corneum *Consil. 166. vol. 3.* Paterque Conclusio satis clare ex *c. Relatum 11. h. t.* ubi expressè statuitur, ut Testamenta ad pias causas in judicium deducta tractentur *requisitis duobus testibus legitimis secundum Decreta*, SS. Canones. Ex quo sic argumentor: vigore hujus *c. Relatum*, in Testamento ad pias causas necessariò requiruntur *duo Testes legitimi secundum Canones*: ergo qui secundùm Canones, seu de Jure Canonico non sunt testes legitimi, seu à testimonio ferendo communiter repelluntur, in Testamento pio non sunt testes habiles seu legitimi. [illegible] patet [illegible] & considerantibus textum. Concordat [illegible] *de* [illegible] in causa Civili [illegible] qualis est de testamento, pro testibus inhabilibus universaliter declarantur, [illegible] in crimine, ac infames etiam emendati, qui tamen de Jure naturæ & gentium ad ferendum testimonium inhabiles non sunt. 157

[illegible] Infertur, quod [illegible] personæ ad ferendum testimonium à Jure Canonico communiter reputantur inhabiles, [illegible] videlicet servi *can. Testes §.* [illegible] & *§.* [illegible] *20. de V. S.* infames infamia [illegible] *Nullus* [illegible] *c. Præterea 7. de Testib.* excommunicati [illegible] *illi qui etiam infames caus.* [illegible] Criminosus non [illegible] crimen obiiciatur, *c. Testimonium* [illegible] *de Testib.* &c. Pauperes minus honestæ vitæ, & qui ob [illegible] in paupertatem venerunt, de quibus tamen [illegible] Vide *lib. 2. tit. 20. de Testibus*, præsertim *§. 3. 4.* quod, inquam, hi omnes etiam in Testamentis ad causas pias sint inhabiles; quia nempe secundum Canones, testes legitimi non sunt. 158

159 Econtrà verò, quia mulier in causis saltem Civilibus pro teste habili à Jure Canonico agnoscitur, *c. 2. de Judiciis in 6.* & *can. Ex eo, quod causa 15 q. 3* cum concordantiis, pro testamento pio testis omnino esse potest: licet de jure civili in testamentis pro legitimo teste non agnoscantur *§. Testes 6. Instit. de testam. ord.* Idem de muliere sentiunt Doctores ferè omnes, qui tamen à potiori de aliis testibus secundum Leges inhabiles, de natura verò habiles, v. g. servis, infamibus, &c. abstrahunt.

160 Objicies contra Conclusionem *nu. 43.* datam. Sufficiunt ad Testamentum pium ea, quæ de Jure naturæ ac gentium sufficiunt; atqui hoc Jure sufficiunt de Jure Canonico inhabiles: ergo. Resp. Disting. Major. sufficiunt [illegible] quam per testes de voluntate testatoris [illegible] constat, conceditur: in casu, quo non nisi per testes dicta voluntas probari potest, negatur major: & concessa Minori, subdata distinctione conceditur, & negatur Conseq. Ratio jam suprà allegata est; quia nempe in casu, quo voluntas ultima per testes probari debet, Jus Canonicum *testes juxta Decreta legitimos* requirit, præcipitque, *ut juxta Canones* Testamentum pium judicetur.

161 Quæritur III. An Testamentum absque solemnitate Civili ad causas pias conditum, valeat etiam quoad legata profana eisdem inserta? Et econtrà, an corruente ob defectum solemnitatis Civilis Testamento ad causam profanam facto, corruant etiam legata pia in eo contenta? Resp. I. Testamentum absque solemnitate Civili factum ad [illegible] valet [illegible] legata profana [illegible] [illegible] communem, quamvis [illegible] & communior alio[illegible] *Ecclesi. in* [illegible] *§. Ex imperfecto* [illegible] Conclusione nullum legisse & [illegible] *q. 12. obed. 2.* Ratio est; [illegible] *Jur.* [illegible] *Accessorium sequitur* [illegible] sequentes, si testamentum [illegible] valet, etiam legata utpote *Accessorium* valebunt [illegible] *Authen. Quod sine C. de testament.* in Testamento [illegible] inter liberos sine solemnitate ordinaria facto, valuit etiam legata [illegible].

162 Nec obstat text[illegible] *Hac consultissima 21. §. Ex imperfecto C. h. t.* ubi dicitur [illegible] testamentum ratione solemnitatis imperfectum valere inter liberos tantum, *& si alia extraneis personis mixta* [illegible] *taxat* [illegible] *profanum pro nulla haberi* [illegible] *crescere.* Resp. enim, quod [illegible] cum illi [illegible] cec[illegible] *Hac consultissima,* & [illegible] subsequuntur [illegible]

[illegible]

163 [illegible] mento [illegible] valerent [illegible] hæredi institut[illegible] versum jus Testatoris [illegible] atqui [illegible] [illegible]

164 Resp. II. [illegible] ad causam p[illegible] attenditur, [illegible] *datum 11. h. t.* [illegible] ctu solemnitatis Civilis Testamen[illegible] profana, valet tamen quoad legata pia [illegible].

Nec obstat *reg. 42. Jur. in 6. Accessorium naturam sequi principalis*; & consequenter corruente principali, Testamento nempe profano, corruere etiam legata pia inserta, utpote accessoria. Resp. enim, Regulam illam habere plures limitationes, & præsertim non procedere, quando in Accessorio habetur specialis ratio, quæ non reperitur in principali, ut hoc corruente, illud sustineatur; prout in proposito est favor Religionis. Quod si urgeas, etiam in legatis profanis respectu Testamentorum ad causas pias haberi eandem diversitatem, quæ habetur in proposito, ergo & in casu *nu. 161.* proposito citata Regula Juris malè allegatur pro probatione. Resp. Negando consequentiam: etsi enim habeatur aliqua disparitas ibi, non tamen habetur specialis ratio, cur subsistente testamento ad causas pias, debeant corruere legata profana; qualis tamen specialis ratio habetur, ut corruente Testamento profano, valeant legata pia; nimirum favor Religionis. 165

Quæritur IV. An Testamentum imperfectum, sive aliquo modo cæptum, sed non perfectum, vel absolutum valeat quantum ad pias causas? Intricata hæc est Quæstio, & inter DD. multùm controversa. Pro clariori intelligentia priùs notandum, dupliciter posse intelligi Testamentum imperfectum: Respectu nempe voluntatis; & respectu solemnitatis. Primò modo dicitur imperfectum in casu, quo Testator cogitat, vel revolvit facere Testamentum, ad quem finem vocari facit testes, interea annotat aliqua, vel discurrens cum aliquo, vel pluribus dicit, se se in Testamento hunc, vel illud ordinaturum, hujus vel illius personæ specialiter memorem &c. ut ea dein testibus facilius proponere, & coram eisdem cum solemnitate aliqua juxta propositum testari valeat; ante adventum testium verò [illegible], vel illis advenientibus loquela, aut rationis usu privatur, seu aliàs impotens ad testandum redditur. Quamvis enim in tali casu mentem suam de futura dispositione in scriptis, vel oretenùs facienda jam jam aliqualiter manifestaverit, tamen Testamentum aliquod nondum fecit, nec [illegible] reverà & propriè incepit, sed tantùm [illegible] [illegible] præparavit, aut quomodo coram te[illegible] cere vellet, [illegible] solvit, hoc ipso, quod [illegible] annotationis scriptura, nec coram [illegible] [illegible] sua dispositione discurrebat, [illegible] tibus aliis ad id vocatis testibus testar[illegible], hoc Testamentum respectu voluntatis imperfectum dicitur, prout explicat Molina *disp. 134. nu. 9.* Covarruvias *in c.* [illegible] *de testam. n. 13.* & alii communiter. 166

Secundo modo, seu respectu solemnitatis imperfectum dicitur Testamentum, quando quis coram testibus [illegible] incipit testari dicendo verbi gratia hæredem [illegible] hunc; aut illum; vel huic, vel illi [illegible] [illegible] plura ordinare, antequam [illegible] veni[illegible] moritur, aut aliàs incapax redditur [illegible] enim in casu [illegible] ea, quæ proposuit [illegible] jam dicitur perfect[illegible] voluntatis, hoc ipso, quod [illegible] proposuit [illegible] [illegible] hic [illegible] adhuc dici[illegible] [illegible] imperfecta ratione solemnitatis, eò quod donec Testamentum [illegible] sit, [illegible] 167

[illegible] 168

[illegible] Nec

169 Nec dicas cum Abbate [illegible] adesse voluntatem & consensum naturalem, qui in Testamento sufficit. Resp. enim distinguendo: adest consensus, & voluntas testandi de præsenti negatur: de futuro, venientibus nempe testibus vocatis, conceditur. Hæc autem voluntas non sufficit; alias enim etiam sufficeret ad valorem dispositionis ultimæ pro causa pia, si quis sanus adhuc coram duobus diceret, ego aliquando hoc vel illud Monasterium instituam pro hærede &c. quod tamen nec ipsemet Abbas concedit.

170 Hinc infertur pro praxi, si quis advertit, se ita constitutum, ut periculum sit, ne ante adventum testium alias ad solemnitatem requisitorum, è vivis decedat, vel incapax ad testandum reddatur, maximè consultum sit, ut interea, si potest, scribat suam Ultimam Voluntatem; vel, si hoc non valet, obvios testes etiam domesticos saltem duos numero convocet, & oretenùs coram eis, vel si scribit, suam voluntatem in charta de iis saltem, quæ pro causis piis relinquere cogitat, actu testetur, exprestè dicendo, vel addendo testibus, vel in scriptura, se de facto coram eis, aut hac charta velle Testamentum, vel Codicillum facere ad has vel illas causas, testesque alios tantum vocare pro valore eorum, quæ ad causam profanam relinquet; vel pro majori solemnitate, casu quo tunc jam causam piam pro hærede instituit; hoc enim in casu duo testes obvii etiam mulieres sufficiunt ad totum Testamentum, etiam quoad legata profana eidem inserta.

171 Resp. II. Si secundo modo seu defectu solemnitatis Testamentum, vel Codicillus habetur imperfectus, valet dispositio saltem [illegible] ad causam piam, licet in foro externo [illegible] profanam. Sec[illegible] Conclusionis [illegible] est [illegible] controversiam; [illegible] Abb. [illegible] textu claro *l. Si,* [illegible] *ff. h. t.* [illegible] *magis cepisse fa*[illegible] cord[illegible] *l. Furiosus 9.* [illegible] furioso [illegible] [illegible] Testamentum, tamen si illud facere incipit, & ante [illegible] Testamenti cum furor invasit, totum Testamentum sit nullum. Rationem dant Iurisconsulti hanc, videlicet, quod Testamentum secundum Leges sit quid individuum ut proin, qui tantum partem facit, nihil fecisse censetur; consequenter, etsi hæredem jam denominasset, tamen Testamentum in foro externo foret nullum, si legata, quæ facere destinaverat, deficiunt; ut benè notat Iason *in rubr. ff. de Legat.* [illegible]

172 Dicitur notanter *in foro externo*, quia quid [illegible] Foro interno [illegible] supra *n. 18.*

173 Prima vera [illegible] videlicet, quod hujusmodi Testament[illegible] tantum ad causam piam, docet [illegible] Covarruvias [illegible] Molina *disp. 134. n. 9.* Abbate [illegible] 6. Tiraquell. *Privil. q.* Bartolo *in* [illegible] *ff. de* [illegible] *hæred.* Decio *cons. 159.* dicente [illegible] Iasone, Alexandro, & comm[illegible] Clarum *§. Testamentum qu. 7.* [illegible] suam opinionem esse communem. Ratio Conclusionis est; quia, ut suprà cum communi aliorum, ipso etiam non dissentiente Claro, di[illegible] Testamento ad causas pias sufficiunt ea, quæ de Iure naturæ requiruntur; atqui [illegible] Iure naturæ non requiritur, ut quis [illegible] testamentum, prout ordinaverat, absolvat, sed potest quis per[illegible] disponere de aliquibus, ita [illegible] ter dispo[illegible] de præsenti [illegible] perfecta dispo[illegible] nendi volunt[illegible] quamvis aliter [illegible] Civili, [illegible] *l. Si is qui 25. ff.* [illegible] Ius Civile in [illegible] attenditur.

174 Dices cum [illegible] in [illegible] dici non [illegible] teste quotidian[illegible] tores in ipso actu [illegible] de [illegible] liberos [illegible] imò secundum [illegible] privilegiatum [illegible] testamentum ad causas pias [illegible] Clarus *q.* [illegible] Resp. negando [illegible] reverà inceptum [illegible] ea, de quibus [illegible] jam [illegible], ratione voluntatis non sit perfectum, ex eo, quod dispositionem mutare potuerit, & teste experientia mutare sæpè soleat testator. Hoc enim si quid probaret, probaret etiam, quod nec testamentum totaliter absolutum, dici posset perfectum ratione voluntatis; cum & hoc adhuc mutare possit, & sæpè soleat testator, *Ambulatoria est enim voluntas Testatoris, usque ad vitæ supremæ exitum, l. Quod si 4. ff. de Adim. Leg.* Hinc, licèt mutare possit voluntatem suam testator, tamen, si re ipsa non mutat, censetur voluntas de jure naturali, & Canonico perfecta circa ea, quæ actu jam disposuit, ut cum aliis benè advertit Bartolus *l. c.*

Nec valet exemplum de testamento inter liberos pro confirmatione adductum. Tum quia testamentum inter liberos, etsi sit privilegiatum, tamen adhuc subjacet dispositioni Legis Civilis, ut patet ex *Authen. Quod sine & Auth. Hoc inter C. h. t.* Tum quia negatur suppositum, quod testamentum inter liberos sit æquè privilegiatum, ac ad causas pias, cum hoc longè majori fruatur favore, uti benè advertit Covarruvias *l. c.* Abbas *in c.* [illegible] *1. de Success. ab intest.* Bartolus, Menochius, & alii. 175

Infertur, quod si quis non aliter, quam coram convocatis, vel alias jam præsentibus testibus cogitans testari, incipit testamentum facere, & nominato hærede ad pias causas, moritur, vel pergere non amplius potest, testamentum in utroque Foro valide existat, totaque substantia relicta pertineat ad hæredem piam causam denominatam: licet destinaverit etiam aliquid legata v. g. consanguineis facere; quia, ut infrà dicetur [illegible] *Hæredibus* hæres succedit in universum jus defuncti, nec tenetur cuipiam aliquid dare, nisi id expressè disponat Testator. Valet licet ad legata profana, si hæres est causa pia juxta dicta *n. 161.* etsi totaliter non sit absolutum testamentum. Si verò hæres est causa profana, & inserta legata pia, valebunt legata pia, [illegible] erit quoad hæreditatem, [illegible] idem jam sunt admixta, [illegible] 176

[illegible] practicè fieri posset ac de[illegible] dispositio ad causas pias, videlicet, quia, cum juxta dicta & probata, ad illud plus non requiratur, quam ut per ea, quæ de Iure naturæ ad probationem sufficiunt, constet de voluntate Testatoris, possit Testator vel manu propria absque ullo teste suum Testamentum scribere, vel ab alio scriptum subscribere, qui modus [illegible] facillimus cuivis, qui sua causis piis relinquere cogitat, etiam tempore sanitatis, suadetur, ut saltem in [illegible] eventum, quo fortè morte, vel gravi morbo interveniente testari ampliùs non posset, juxta sanctam intentionem suam adsit dispositio; vel quando voluntatem suam indicare hæredi ab intestato; quomodo [illegible] qui non coram hæreditatem, sed tantum aliqua legata causis piis relinquunt, si alia hæredem ab intestato fidelem, & conscientiosum notum, vel duobus [illegible] domo propria, vel è vicinia convocatis duobus testibus (qui etiam mulieres esse possunt) voluntatem [illegible] circa causas pias valeat [illegible] modus est securior utroque priore. [illegible] (quamvis pauci sint) [illegible] propriam [illegible] absque omni teste, [illegible] tamen, [illegible] dispositionem pro causis piis [illegible] [illegible] modu[illegible] quod aliquis vel [illegible] dare, [illegible] IX.) [illegible] qui [illegible] non possunt, [illegible] morte, aut [illegible] 177

[illegible] *h. t. n. 22.* 178
[illegible] *Quæst. lib. 1.* [illegible] mixti Fori *arg. cap.* [illegible] *de hæred.* [illegible] Ibi: [illegible] arbitrio [illegible] aut legatum [illegible] Ecclesiastico petere, casu [illegible] executio Testamenti est [illegible] haud dubiè coram Ecclesiastico [illegible] causa pia ab eo hæreditatem [illegible] prætenderet, eò quod Clericus coram judice laico conveniri non valeat. Si pro hærede causa pia invenitur instituta, quæ se defendere nequit,

tamen utrumque alias de Iure Civili ad Testamentum requiritur *L. 21. C. h. t. & §. 6. Inst. h. t.* Resp. concessa Majori, distinguendo Minorem: In Testamento ad causas pias non attenditur solemnitas juris Civilis, illa in qua jus ipsum dispensavit, seu quam remisit, conceditur; non attenditur illa, in qua jus non dispensavit, seu quam non remisit, sive quæ etiam expressè requiritur ad testamentum inter liberos, negatur Minor; & ita distincto consequenti, conceditur etiam, & negatur consequentia. Quia licet *l. hæc consultissima, §. Ex imperfecto, C. h. t.* jus ipsum in solemnitate Civili dispensaverit, declarando quod etiam Testamentum imperfectum; id est, non omnes solemnitates habens valeat, si est inter solos liberos; tamen non dispensavit in omnibus, ita, ut sine omni solemnitate Civili valeret; prout patet ex *Novell. 107.* ubi ad valorem scripti Testamenti etiam inter liberos necessario requiritur, ut omnia in illo *non signis, sed litterarum consequentia declarentur, ac singula liberorum nomina exprimantur, & tempus apponatur &c.* prout amplius diximus suprà *nu. 183 & 184.* & concedunt ipsimet Adversarii, licèt hæc solemnitas de Iure Civili minimè requiratur.

194 Talis autem solemnitas à jure dispensata, est etiam illa, vi cujus in Testamento inter liberos requiritur, ut cuivis portio legitima relinquatur titulo institutionis hæredis, uti patet tam ex *cit. Novell. 115. c. 3.* tum ex eo, quod dispositio juris Civilis *cit. l. hæc consultissima, §. Ex imperfecto, C. h. t.* cum concordantibus declarans imperfectum Testamentum parentum inter liberos validum, sit factum in favorem liberorum, consequenter in eorundem filiorum favorem; & non in odium eorum interpretanda veniat, quia *quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, Reg. 61. Jur. in 6.* atqui si dicitur, quod etiam in illa solemnitate, qua filiis in Testamento relinqui debet portio legitima titulo hæredis, fuerit dispensatum, dispensatio, & dispositio hæc non esset in favorem, sed odium filiorum; cum non tantum honorabilius, sed etiam longe utilius, & favorabilius sit cuivis liberorum titulo hæredis quam legati v. g. habere sibi deputatam in Testamento portionem legitimam, ut cum communi aliorum benè advertit Clarus *§. testamentum, q. 38. n. 1.* patetque ex eo; tum quia si filio portio legitima titulo hæredis assignatur, succedere is potest, & hæreditas ei accrescit, casu quo cohæredes repudient hæreditatem, vel alii hæredes esse non possunt, *l. Liber homo, 59.* [illegible], *3. ff. de hæredit. inst.* Secùs vero, si tantùm titulo legati, vel fideicommissi assignatam portionem habet, *arg. l.* [illegible], *14. C. de Fideicom.* Tum quia institutus hæres propria authoritate capit, non item legatarius. Tum etiam, quia hæres scriptus potest intentare remedium [illegible] *Divi Adrian. toll.* & petere, ut mittatur in possessionem, non item legatarius; ergo.

195 Objicies II. Juxta *Auth. Novissima C. de inofficioso test.* sufficit, dummodo liberis legitima relinquatur *quocunque titulo.* Idem habetur *Novel. 18. c. 1.* ubi sufficere dicitur, *sive institutionis modo, sive per legati, sive per fideicommissi occasionem relinquatur portio legitima*; ergo. Resp. utramque hanc juris dispositionem, utpote priorem, & antiquiorem fuisse correctam per *Novell. 115. c. 3.* tanquam recentiorem & posteriorem; nam eadem hæc Novella non tantum recentior quam *Auth. novissima*, sed etiam posterior *Novell. 18.* est. Nam dicta *Novell. 18.* promulgata est Anno Christi 536. *Novel. 115.* autem promulgata habetur ab Anno Christi 541. ut ibidem in fine sub *lit. C.* Gothofredus notat.

196 Objicies III. Valet Testamentum ad causas pias, in quo liberis solo titulo legati, vel fideicommissi, non institutionis hæredis relinquitur legitima, [illegible] etiam Adversariorum, prout videre est apud [illegible] *q. 6. n. 8.* ergo etiam Testamentum inter liberos, [illegible] alteri portio sua non relinquatur titulo hæredis, sed legatarii, cum hoc Testamentum æque sit privilegiatum ac Testamentum ad pias causas. Resp. concesso Antecedente, negatur consequentia, & paritatem. Disparitas est, tum quia Testamentum ad pias causas totaliter, & per omnia exemptum est à dispositione juris Civilis, juxta dicta *nu. 143.* non sic Testamentum inter liberos; quod propterea etiam minus privilegiatum communiter dicitur, quam Testamentum ad pias causas. Tum quia etsi Testamentum ad pias causas dicatur privilegiatum etiam quoad illam Iuris solemnitatem, qua liberis in Testamento debet relinqui legitima titulo hæredis, non sequitur aliquod præjudicium, vel detrimentum causis piis, in quarum favorem Testamentum factum est privilegiatum: sicut tamen sequeretur detrimentum liberorum, in quorum favorem Testamentum parentum inter liberos factum est privilegiatum, si hoc Testamentum etiam privilegiatum foret in illa solemnitate juris, qua filiis legitima titulo hæredis, in Testamento relinqui debet, juxta dicta *n. 94.* consequenter in Testamento pio cessat etiam ratio, ob quam Testamentum inter liberos præfatæ solemnitati subjecta est.

197 Infertur, quod etsi validum sit Testamentum ad causas pias, in quo liberis legitima solo titulo legati, vel fideicommissi, & non titulo hæredis relinquitur, dicendo v. g. hæredem instituo hanc vel illam causam piam; filio autem, vel liberis lego 1000. florenos vel volo, ut hæres extradat 100. florenos (supposito, quod hæc summa attingat saltem legitimam, de qua infrà §. 13.) eo quod præter fundamenta jam dicta licet legitima liberis debeatur Iure naturali vel gentium, *l. Scripto §. 1. ff. Unde liberi & l. cum ratio 7. ff. de Bonis damnat.* eisdem tamen dicto jure naturali non debeatur, ut portio illis assignetur titulo hæredis: cum hoc solummodo debeatur ex dispositione Iuris Civilis, *Novel. 115. c. 3.* quod Ius in Testamento pio non attenditur, *c. Relatum h. t.* Licet, inquam, validum sit Testamentum pium ita conditum.

198 Nihilominus validum non est Testamentum parentis inter liberos, in quo parens unum vel plures liberos pro hærede instituit, cæteros vero præterit, vel eisdem solo titulo legati vel fideicommissi, & non titulo hæredis portionem legitimam assignat dicendo v. g. Filium meum Ioannem, vel filios meos Ioannem, & Petrum pro hærede universali instituo; filiæ vero Mariæ quingentos florenos lego. Ratio, & fundamentum suprà *n. 91.* jam dictum est.

199 Pariter invalidum est testamentum parentum inter liberos, si nullus in eo hæres instituitur: hoc enim in casu jam non Testamentum, sed Codicillus tantum habetur, hoc ipso, quod nullus in dispositione reperitur institutus hæres, consequenter filii ab intestato succedere habeant.

200 Ubi notandum, quod aliud sit quærere, an valeat testamentum parentum inter liberos, in quo omninò nullus reperitur institutus hæres, & aliud, an valeat, si una vel altera proles pro hærede quidem invenitur instituta, una tamen etiam vel plures præteritæ, seu quibus legitima solo titulo legati v. g. non item hæredis est assignata. In primo casu, Testamentum invalidum esse, omnes concedunt, hoc ipso, quod ibi hæres non reperitur institutus, Testamentum esse nequeat, sed tantum Codicillus sit juxta dicta supra *n. 179.* consequenter habeat locum successio ab intestato. In secundo autem casu invalidum quidem etiam est Testamentum, non tamen juxta omnes, sed juxta communem per dicta *n. 192.*

201 Pariter aliud est quærere: An testamentum ad pias causas valeat, ubi omnino nullus reperitur institutus hæres: & aliud, an valeat testamentum, in quo parens pro hærede instituit causam piam, unum tamen, vel omnes liberos præterit, seu solo titulo legati vel fideicommissi & non hæredis [illegible] relinquit. In primo casu [illegible] testamenti non valere, certum est, [illegible] juxta dicta; ubi hæres non [illegible] Testamentum esse nequeat, prout etiam diximus *n.* [illegible]. In secundo autem casu testamentum validum est per dicta *n. 196. & 197.* quæ prolixius annotare placuit ad evitandam omnem confusionem, & malam intelligentiam [illegible] conjecturam; quando quæstiones indiscriminatim, & indistinctè proponuntur, vel resolvuntur, uti videre est apud Lessium [illegible].

202 Illud etiam ad propositum hic specialiter notandum, quod si testamentum parentis inter liberos ex defectu solemnitatis Civilis v. g. quia unus filius fuit præteritus, vel [illegible] a non fuere expressa, vel signis tantum & [illegible] seu quantitatis pecuniæ relictæ, [illegible] valeat ut Testamentum, valeat saltem ut Codicillus non solum, si clausula Codicillaris expressè habetur

betur apposita, qua Testator dicit: si hæc dispositio mea non valet pro Testamento, volo ut valeat tanquam Codicillus, seu modo, quo potest meliori, sed etiam si hæc clausula non expressè habetur apposita uti cum communi bene docet Iason *in Auth. Novissima C. de inof. test. nu. 21.* Menochius *l. 4. Præsumpt. 21. n. 16.* Gailus *l. 2. observ. 112. n. 1.* Covarruvias [illegible] & plures alii ab his citati. Ratio est: quia jure præsumitur, parentem voluisse hanc clausulam [illegible] inclusam, ut si dispositio [illegible] valeat in [illegible] testamenti valeat saltem alio, quo potest modo inclusa.

203 Quæritur II. An Testamento parentum inter liberos minus solemni [illegible], valeant, & subsistant etiam dispositiones quoad extraneos eidem insertæ? Resp. I. Si in hujusmodi Testamento extraneis aliquid relinquatur titulo hæredis invalida est dispositio [illegible] extraneis & liberis accrescit, licet testamentum [illegible] subsistat. Omnes textu claro [illegible] *Ex imperfecto* ibi: „Ex imperfecto [illegible] voluntatem „tenere defuncti nisi inter solos [illegible] volumus. „Si vero in huiusmodi voluntate [illegible] extranea „persona certum est, eam voluntatem defuncti quan„tum ad illam duntaxat [illegible] personam pro nullo „haberi, sed liberis accrescere. Concordat *l.* [illegible] *C. Familiæ Herciscund.* ut proin Testamentum, quo maritus dicit: liberos meos & uxorem pro [illegible], vel quo uxor dicit, proles [illegible] to, nec uxori [illegible] tates ad Testamentum [illegible] requisitas, vel ad Acta tradatur.

204 [illegible] rente [illegible] *committi, & libertates* [illegible] Ratio [illegible] quia *Accessorium naturam sequi congruit principalis, Reg. 42. Iur. in 6.* consequenter, si Testamentum minus solemne inter liberos valet etiam legata eidem inserta, [illegible] accessorium quid valebunt. Nec obstat [illegible] *l. fin. C. Familiæ Herciscund.* [illegible] hi textus intelligendi sunt [illegible] contradicerent [illegible] *C. de veteri jure enucl.* [illegible] „quis subscriptionibus [illegible]

205 Pariter [illegible] „Si tamen [illegible] uxori, aut extraneis [illegible] „voluerit (parens in testamento [illegible] „liberos) relinquere [illegible] „libertates, & [illegible] charta [illegible] Sensu enim [illegible] inter liberos, extraneis [illegible] Testamentum [illegible] successorio privilegio.

206 Nec obstat in contrarium [illegible]

commodè explicari possunt in sensu diviso, ita ut loco *dictaque* intelligatur *dictave*, consequenter sensus sit; in testamento minùs solemni parentum inter filios possunt fieri etiam legata extraneis, si aut manu testatoris propria aut coram duobus saltem testibus (qui in tali Testamento Nuncupativo requiruntur, juxtà dicta *nu. 188.*) dicta fuerint: cujus interpretationis ratio hæc est, quia alias, si nempe ordinaria solemnitas requireretur ad extranea legata, sine effectu forent illa textus verba, quibus dicitur, legata non esse rejicienda ex eo, quod non [illegible] Testamentorum solemnitates. Accedit [illegible] *C. h. t.* quæ est compendium dictæ *Novellæ* [illegible] sine ulla requisitione alicujus solemnitatis [illegible], in Imperfecto Testamento parentum [illegible] etiam aliis legari, fideicommitti, & libertates [illegible] posse. Nec inconveniens est, quod loco *dictaque*, [illegible] ex [illegible] Vide [illegible] 57.

207 Verum hæc [illegible] probabilis apparet [illegible] legata in Testamento [illegible] valere [illegible] probabilior [illegible] indistincte dicunt, Testamentum [illegible] inter liberos quoad extraneas personas non valere [illegible] *& l. fin. C. Familiæ Herciscund.* ergo neque quoad [illegible]. Præsertim cum *in cit. novel. 107.* expresse requiratur [illegible] scriptis testans pro extraneis vult [illegible] sola scriptura manu propria [illegible] *dictaque* [illegible] pro extraneis [illegible] principio, [illegible] testatoris scripto, [illegible] pro invalidis [illegible] sequitur ex hac sententia [illegible] licet in Novella [illegible] solemnitates [illegible] dicitur, eadem [illegible] Codicillum [illegible]

208 Quæritur III. An Testamentum parentum minus solemne [illegible] Resp. [illegible] Testamento patris inter filios [illegible] stans com- [illegible] tamen [illegible]

209 [illegible] solemne, [illegible] pro hærede [illegible] *n. 20.* [illegible] quia [illegible] legitimis [illegible] *§. Novissimè Inst.* [illegible] Plura de his, [illegible] intestato.

210 [illegible] quænam ad Testamentum [illegible] videlicet, quod [illegible] cogitat Testamentum facere inter liberos, [illegible]

sine omni adhibito teste facere, si nempe manu propria illud ipsemet scribat, vel ab alio scriptum subscribat, vel à cunctis liberis subscribi curet, juxta dicta *n.* 181. Dummodo in eo cuivis ex liberis saltem legitimam portionem titulo hæredis relinquat, simulque singulorum nomina, & quod cuivis relinquit, claris verbis ac litteris, non verò signis exprimat, juxta dicta *n.* 183. Vel si scribere nesciat, aut nolit, idem coram duobus testibus etiam non rogatis, qui & fœminæ [illegible] possunt, conficere queat, pronunciando coram [illegible] cuivis ex liberis, hæreditatis titulo relinquere [illegible] modus priori ideo securior est, quia facile contingere posset, quod unus ex liberis videns in Testamento [illegible] plus, quam sibi assignatum esse, characterem [illegible] negaret, quo casu Testamentum haud dubiè liti exponeretur, excepto casu, quo singuli liberi Testamentum patris [illegible] subscripsissent. Quod [illegible] Testamento velit etiam [illegible] uxorem [illegible] necessariò ad [illegible] Acta, [illegible] tantum ali- [illegible] in [illegible] valere [illegible] Testamentum [illegible] tentia id negans [illegible]

[illegible]

De [illegible] Militum, Rusticorum, & tempore pestis factis.

SUMMARIUM.

[illegible]

QUæritur I. Quid sit Testamentum Militis? quando? & quomodo privilegiatum? Resp. I. Testamentum militis est & dicitur illud, quod miles [illegible] cit. Omnes. Circa hoc Testamentum tripliciter [illegible] potest, videlicet I. De Testamento militis, [illegible] miles in expeditione bellica, aut actuali prælio, vel conflictu constitutus. II. De eo, quod condit miles [illegible] quidem in actuali prælio, nec in expeditione bellica [illegible] tamen in castris existens, *so zu Feld ist*. III. De [illegible] quod fit à milite nec in expeditione, nec in prælio actuali, nec in castris, [illegible] v. g. vel alibi existente. De singulis singulas [illegible] Conclusiones. Hinc

Resp. II. [illegible] Testamentum, quod miles in expeditione bellica, prælio, vel conflictu actuali, [illegible] ter in periculo ac discrimine belli constitutus [illegible] tus nulla Juris Civilis solemnitas requiritur, [illegible] si de voluntate militis satis constet, quomodocunque dein innotescat, ut proinde valeat non tantum illud Testamentum, quod propria manu in charta scripsit miles, sed etiam *si quid in vagina aut clypeo litteris* [illegible] *adnotaverit, aut in pulvere inscrip*[illegible] *modi voluntatem stabilem esse oportet* [illegible] *Militis in expeditione degentes*, 15. *C de Test. milit.* [illegible] *L.* 1. *ff. eod.* ibi: *simplicitati eorum* (militum [illegible] *existimavi, quomodo testati fuissent* [illegible] *voluntas. Faciant igitur Testamenta, quo*[illegible] *modo poterint* [illegible] *ad bonorum* [illegible] *nuda voluntas Testatoris* [illegible]

[illegible]

expeditionib. [illegible] Sequuntur DD. [illegible] ter, & concord [illegible]

Militibus in expeditione bellica [illegible] 213

[illegible]

Resp. III. At Testamentum militis [illegible] bellica [illegible] Ita hodie [illegible] 214

[illegible] 215

[illegible] 216

[illegible] 217

Testamento à jure solemnitatibus in expeditione bellica milites sunt exempti, etiam sequentia privilegia eorundem Testamentis conveniunt. I. Quod factum in expeditione bellica per integrum adhuc annum validum subsistat, postquam miles à militia jam dimissus, *Abgedanckt* vel à castris rediens in alio securo loco degit, ibi: *Quod in castris fecerint Testamentum non communi Jure, sed quo modo voluerint, post missionem intra annum valebit*. Concordat *l. quod dicitur*, 38. *ff. eod.* ut proin hæres institutus hæreditatem vi talis testamenti caperet, si miles intra annum moreretur in sua domo v. g. II. Non subjacet Legi Falcidiæ *l.* 17. *ad finem, ff. de test. milit.* Nec querelæ inofficiosi Testamenti, *l. fin. C. de inof. test.* IV. Potest in eis institui deportatus pro hærede, *l. idem est*, 13. *de test. milit.* De quibus vide DD. *in tit. C. & ff. de test. milit.*

218 Quæritur II. An, & quomodo privilegiatum sit Testamentum Rustici. Resp. Testamentum Rustici, id est illud, quod Rusticus facit, non admodum quidem, aliqualiter tamen est privilegiatum: cujus privilegium declaratur *L. fin. C. h. t.* his verbis: ibi, „In illis locis, in
„ quibus rarò inveniuntur homines litterati; per præ-
„ sentem Legem Rusticanis concedimus, antiquam eo-
„ rum consuetudinem Legis vicem obtinere: ita tamen,
„ ut ubi scientes litteras inventi fuerint, septem testes
„ (quos ad testimonium vocari necesse est) adhibean-
„ tur, ut unusquisque pro sua persona subscribat. Ubi
„ autem non inveniuntur litterati; septem testes etiam
„ sine scriptura testimonium adhibentes admitti. Sin
„ autem in illo loco minimè inventi fuerint septem te-
„ stes, usque ad quinque [illegible] omnibus testes adhiberi
„ jubemus: minus autem nullo modo concedimus. Sin ve-
„ ro unus, aut duo, aut plures fuerint litterati, liceat
„ eis pro ignorantibus litteras [illegible] tibus [illegible] sub-
„ scriptionem [illegible] ere, sic tamen [illegible] te-
„ stes cognoscant Testatoris voluntatem, [illegible]
„ quem, vel quos [illegible] sibi relinquat [illegible]
„ hoc [illegible] mortem Testatoris jurati [illegible] Quod
„ igitur [illegible] Rusticorum (sicut prædictum est) pro
„ suis rebus disposuerit, hoc omnimodè, Legum subti-
„ litate remissa, firmum, validumque consistat.

219 Ex quibus claris Legis verbis absque ulteriori investigatione patet, in quonam consistat privilegium Testamenti à Rustico facti, videlicet, quod possit validè fieri coram quinque testibus, casu quo rusticus in loco, ubi testatur, septem testes de jure alias ad Testamentum requisitos *L.* 21. *C. h. t.* commodè habere nequit. Quo privilegio tamen non gaudent rustici habitantes in pagis ubi septem testes facilè haberi possunt. Sicuti neque, si in urbe, vel oppido [illegible] licet alias ordinariè ruri habitent; [illegible] ne advertit Clarus *l. c. q.* 56. *n.* 6. Ratio [illegible] sunt in loco, ubi testes habere nequeunt, [illegible] testes quicunque, sed debent adhiberi [illegible] scientes legere ac scribere (si haberi possunt) qui omnes [illegible] subscribant. Quod si non omnes, unus tamen vel plures [illegible] tes facilè inveniri possunt, possunt & debent [illegible] rum litteras ignorantium, Testamentum subscribere. Idem observandum est, si deficientibus septem testibus, coram quinque Testamentum erigitur [illegible] textu.

220 Quod si verò nullus litteratus haberi possit, [illegible] sticus etiam oretenus coram septem testibus (si haberi possunt) vel coram quinque, si septem facilè [illegible] nequit, validè testari per verba, *ubi autem non inveniuntur litterati*, coram paucioribus autem, quam quinque nullo modo valet testamentum rustici: ut proin intestatus necessariò decedere debeat, in loco, ubi quinque testes habere non potest per verba citatæ Legis: *minus autem nullo modo concedimus*.

221 Porrò testes in Testamento [illegible] necessariò debent esse etiam rogati, seu convocati, *arg. cit. l.* ibi: *Quos ad testamenta vocari necesse est*. Debent insuper esse masculi, puberes, & universaliter ita qualificati, prout ad aliud Testamentum non solemne requiruntur, de quibus suprà *n.* 12. *& seqq.* Francisc. Borrsi *de test. l.* 1. *tit.* 2. *n.* 9. Schmidt *in tit.* 34. *a.* 7. *n.* 7. *&* 8. Vasquez, & alii. Ratio est; quia hoc ipso, quod jura solummodò in numero testium dispensent, seu ab ordinaria solemnitate eximant Testamenta rusticorum, reliquis solemnitatibus subjecta cen-
sentur; cum *exceptio unius firmet regulam in contrarium l. In iis, quæ ff. de Leg.*

Controversia est inter DD. an præfato privilegio gaudeant non tantum rustici, sed etiam alii ruri habitantes? qualessunt quidam Nobiles in castris, & pagis habitantes: eadem est controversia de Civibus, & aliis ad pagos, negotiationis causa se conferentibus, & ibi ægrotantibus, ac ideò ibidem testantibus, casu quo testes requisitos habere nequeunt. Non desunt, qui etiam his privilegium competere asserunt, uti videre est apud Ioan. Dauth. *ad l. fin. C. h. t.* Schmidt *ad tit.* 35. *a.* 7. *n.* 3. Vasquez & alios. Moventur hoc fundamento, videlicet, quod in his eadem militet ratio; defectus nempe testium, consequenter eadem Legis dispositio, *arg. l. Ideo ff. de leg.* 222

Verum sententia negativa videtur probabilior, jurique conformior, eamque tenet Jul. Clarus §. *test. q.* 56. *n.* 6. Bartolus *in c. l. fin C. h. t. n.* 2. & communis aliorum. Ratio est: tum quia non solum ob defectum testium *in c. l. fin. C. h. t.* privilegium rusticis est concessum, sed etiam & primariò ob simplicitatem, & imperitiam rusticorum, uti patet ex verbis Legis, „Homines rustici, & in qui- 223
„ bus non est litterarum peritia, quomodo possunt tan-
„ tam Legum subtilitatem custodire in ultimis volunta-
„ tibus? ideo necessarium duximus per hanc Legem eo-
„ rum simplicitati subvenire. Tum quia Lex expressè id insinuat illis verbis, „In locis, in quibus rarò inveniun-
„ tur homines litterati, rusticanis concedimus, hoc ipso enim, quod de solis *rusticanis* concedat, cæteris implicitè negat, etsi habitent, vel existant etiam in loco, ubi litterati non inveniuntur.

Quæritur III. An, & qualiter privilegiatum sit Testamentum tempore pestis confectum? Ante responsionem [illegible] m, magnam esse circa hoc quæsitum controversiam inter DD. qui in tres præcipuè opiniones divisas [illegible] quod [illegible] Testamentum hoc ea sola [illegible] entium requiruntur, [illegible] Testamentum coram duobus testibus factum [illegible] Ita sentiunt Florian. *in l. Milites* [illegible] Porrius §. *fin Inst. h. t.* Paul. Comiol [illegible] *concl.* 2. Fundamentum eorum præcipuum est, quod in casu necessitatis recedatur à regulis juris communis, [illegible] cui illa non subjacet, *L. ubi absunt.* 19. *ff. de Furor.* [illegible] *l.* 15 *ff. de publico* [illegible] *l.* 7 *&* 8. *ad S. C. Treb.* 224

Secunda opinio dicit, ad dictum Testamentum quinque saltem requiri & sufficere testes, casu quo plures haberi non possunt. Baldus *in l. fin. C. h. t. n.* 1. dicens hanc esse communem. Clarus §. *test. q.* 56. *n.* 6. Decius *Cons.* 289. *n.* 5. *in fin.* & plures alii à Mascard. *concl.* [illegible] *n.* 18. citati, quorum fundamentum præcipuum [illegible] quod tempus belli, & tempus pestis æquiparentur, cum invalescente pestilentia Deus cum hominibus bellum gerere, & arma mortis in eos torquere videatur, ut notat Bartolus *in l. Naturaliter* 5 *ff. de usurp & usucap. n.* 23. atqui in bello sufficiunt quinque, imò etiam duo vel tres testes juxta dicta suprà *n.* [illegible] ergo. 225

Tertiam sententiam pandit Conclusio sequens, qua [illegible] Resp. I. Loquendo de rigore juris communis ad Testamentum [illegible] tempore pestis non usque [illegible] entis, [illegible] Testamentum alias requisiti commodè haberi [illegible] testes, & omnes [illegible] juris solemnitates [illegible] nec [illegible] excepto, quod testes [illegible] semel congregati esse debeant, sed successivè venire [illegible] consequenter necesse non sit, ut Testamentum uno contextu fiat, prout alias de jure ad Testamentum [illegible] requiritur, *l. Hæredes* 2. §. [illegible] Ita Gail. *lib.* 5. *controv.* [illegible] 2. Alexander *cons.* [illegible] Molina *disp.* 127. § *de Jure communi*. [illegible] *n.* 17. & aliorum communior. Probatur Conclusio evidenter ex *l. Casus majoris, & C. h. t.* ubi sic disponitur. *Casus majoris, ac novi contingentis ad istius adversus timorem contagionis, quæ testes deterret, licet aliquid de Jure relaxatum est: non tamen prorsus reliqua testamentorum solemnitas perempta est: testes enim hujusmodi morbo oppressos, eo tempore jungi, atque sociari remissum est, non etiam conveniendi numeri eorum observatio sublata est*. Ex quibus verbis utique clare patet, Legislatorem præcisè in eo, quod Testes confectioni Testamenti simul interesse, & actus uno contextu fieri debeat, 226

non

non item in numero testium, nec in alia solemnitate dispensasse, cum juxta vulgarem Regulam *exceptio unius firmet Regulam in contrarium* in casibus non exceptis, *leg. Quæsitum 12. §. Denique 43. ff. de instr. & inst. leg.* cum concordantiis: Accedit, quod dispensationes sint odiosæ, & ideò restringendæ, nec extendendæ de uno ad aliud, *arg. c. fin. de Filiis Presb. in 6.* Glossa *in c. Ordinarii, de offic. ord. in 6.* Jason *in l. Omnium C. h. t. n. 13.* consequenter cum Legislator solum in unitate contextus dispensaverit, ulterius extendere dispensationem non debemus.

227 Nec quidquam in contrarium evincunt rationes & fundamenta Adversariorum. Nam ad primum *n. 224.* positum respondetur, in casu necessitatis recedi quidem à regulis juris communis, at non perpetuo, prout tamen fieret in proposito. Dein etiam in casu necessitatis à Jure communi non receditur, quando Leges cavent, ne recedatur, prout in proposito, cum *l. Casus majoris 8. C. h. tit.* expressè disponat, quod etiamsi pestis tanquam necessitatis casus præsens urgeat, tamen septem testes saltem successivè adhibendi sint. Concordat *l. fin. C. h. t.* vi cujus licet rustici defectum testium necessario patiantur, ita ut nec quinque testes habere nequeunt, sicque quoad numerum Testium in vera necessitate degant, tamen Testamentum eorum, nisi coram quinque saltem testibus fiat, invalidum est, eo quod jura expressè ita caveant.

228 Ad secundum *n. 225.* ad [illegible] respondetur, magnam in jure esse disparitatem inter [illegible], eo quod in Testamento militis [illegible] simpliciter [illegible] solemnitates sunt remissæ [illegible] *n. 222.* allegatus: non sic in Testamento [illegible] tempore pestis [illegible] *arg. c. l. Casus majoris* [illegible]

229 Res [illegible] in casu, quo ob sævientem pestem incolæ partim in tuta loca se jam receperunt, partim per mortem sublati sunt, partim morbo correpti actualiter decumbunt, residuis ob similis periculi timorem ad testificandum vel non, vel non nisi ægerrimè volentibus comparere, non requiruntur septem testes, sed sufficiunt quinque vel etiam duo. Gallus *l. 2. observ. 118. n. 18.* dicens ita practicari in Camera Imperiali, Mynsing. *cent. 3. observ. 96.* Ludvvel *de ult. vol.* Jason *in l. Et ab antiquis C. h. t. n. 3. 4. & 5.* ubi longum quæstionem discutit Clarus *q. 36. n. 6.* & plures alii. Probatur Conclusio ex eo, quod in dubio illa opinio sit eligenda, quæ favet Testamentis, ut cum communi tenet Jason [illegible] *n. 7.* Gallus *l. c. arg. l. Si pars prin.* [illegible] *test.* quia causa conservationis Testamenti concernit utilitatem publicam, [illegible] *negare §. ff. quemad. test. aperiem.* Accedit, quod ubi clarus non habetur textus *optima legum* [illegible] *consuetudo, l. Si de interpretatione* [illegible] *ff. de Leg.* [illegible] consuetudo & praxis jam recepta [illegible] Conclusionis etiam duo testes sufficiant [illegible] practicatur in [illegible] & Mynsinger [illegible] ac alii.

230 Ne [illegible] legem claram & certam [illegible] *C. h. t.* consequenter rationes [illegible] enim negando [illegible] quamvis enim clare [illegible] tempore contagionis requirantur septem testes [illegible] *num. 326.* tamen non dicit, quod in quavis [illegible] contagione totidem requirantur [illegible] dubium est, quid Lex intenderit [illegible] ad consuetudinem tanquam optimam Legum interpretem; præsertim cum eadem [illegible] æquitati summè consentanea [illegible] tempore vehementis pestis vix [illegible] multi milleni intestati decedere necessario deberent, non sine detrimento boni publici, [illegible] *ff. quemad. test. aperiun.*

231 Tenendum ergo, quod tempore pestis non adeò sævientis, ubi septem testes commodè haberi adhuc possunt, ii una cum cæteris juris solemnitatibus adhiberi debeant, excepto, quod necesse non sit, negotium uno contextu absolvere, juxta dicta *n. 226.* Tempore autem vehementis, & ita sævientis pestis, ut requisitus numerus testium commodè haberi non possit, sufficiant pauciores, etiam duo testes.

232 Jura Bavarica *tit. 34. a. 16.* circa hoc ita disponunt, quod si pestis in aliquo loco ita invaluit, ut talis locus jam sit bannisatus, possit à quovis etiam peste non infecto validè fieri Testamentum coram quinque testibus: si vero locus bannisatus adhuc non sit, possint etiam personæ peste infectæ, non item aliæ à peste liberæ coram quinque testibus facere Testamentum. Addunt ibidem, quod necessarium non sit, ut testes intrent cubiculum, ubi peste infectus decumbit, sed sufficiat, si eum à longe videant, & audiant: quod idem de jure communi, tempore pestis sufficere fatentur DD. communiter.

§. IX.

De Privilegiatis Testamentis publicis, videlicet, Principi oblatis, seu coram Principe factis: & ad Acta datis vel coram Actis factis.

S U M M A R I U M.

233 *Testamentum Principi oblatum, seu coram eo factum quid?*
234 *Potest etiam coram deputatis à Principe fieri,* [illegible] *offerri.*
235 *Testamentum Principi oblatum propriè est aliud*
236 *Quàm Testamentum coram Principe factum.*
237 *Testamentum Principi oblatum, vel coram eo factum valet absque omni solemnitate.*
238 *Dummodò constet, & probari possit, quod sit oblatum.*
239 *Ad quod probandum serviunt duo testes.*
240 *Potest Principi offerri Testamentum clausum.*
241 *Solvitur objectio.*
242 *Quomodo oretenus fieri possit, ac debeat testamentum coram Principe.*
243 *Et quomodo in scriptis. Eidem offeratur.*
244 *Testamentum ad Acta datum, vel coram Actis factum quid? vocatur etiam judiciale.*
245 *Testamentum ad Acta datum potest* [illegible] *quovis Judici.*
246 *Etiam* [illegible] *Assessores, vel Actuarium non habente.*
247 *Probatur ex praxi.*
248 *Potest etiam fieri coram Judice incompetente, id est, non habente jurisdictionem in testatorem*
249 [illegible] *practica.*
250 [illegible] *est testamentum ad Acta, quod coram deputa*[illegible] *Judice extra locum judicii in domo testatoris* [illegible]
251 *Probatur ratione.*
Voluntariæ Jurisdictionis actus, coram quovis Judice fieri possunt. Ib.
252 *Acta ibi esse dicuntur, ubi aliquis sit authoritate judicis* [illegible]
253 [illegible]
254 *Solvitur objectio.*
255 [illegible] *fiat testamentum coram judice, debet* [illegible] *quiri.*
256 *Testamentum ad Acta* [illegible] *valet absque omni solemnitate.*
257 [illegible] *quod reverà datum sit ad Acta.*
258 *Testamentum* [illegible] *judice, in communitate consistente factum, non requirit testes* [illegible] *quamvis ad Acta datum.*
259 *Idem est, si sit extra locum judicii coram aliquibus deputatis.*
260 *Sufficit autem, quod duo ex Communitate* [illegible] *cum Actuario: vel unus cum actuario.*
261 *Vel unus sine Actuario, adhibitis tamen duobus testibus.*
362 *Si Testamentum coram Judice particulari personam publicam, vel Assessores non habente fiat, debent adhiberi duo testes.*
Judici soli non creditur. Ib.
263 *Duo testes quare requirantur, & sufficiant?*
264 *Testamentum coram solo Judice non valet; benè verò coram judice & Actuario; vel coram judice, & duobus testibus privatis.*
265 *Coram solo Actuario, vel alio privato per judicem delegato secundum aliquos non valet testamentum, nisi adhibiti fuerint testes.*
266 *Statuitur sententia contraria.*
267 *Et datur doctrina practica.*
268 *Testamentum potest in scriptis clausum ad Acta dari.*
269 *Testamentum per tertium ad Acta mitti non posse, plures volunt.*
270 *Eligitur sententia contraria, & solvuntur objectiones, n. 271. & 272.*
273 *Quamvis prior in praxi suadeatur.*
274 *Testamentum ad Acta suadetur.*
275 *Quomodò practicè fieri possit testamentum ad acta in scriptis, in loco judicii.*
276 *Et quomodò extra, v. g. in domo propria?*
277 *Quomodò oretenus faciendum sit Testamentum ad Acta?*
278 *Etiam ille, qui legere, & scribere nescit, testamentum in scriptis clausum ad Acta dare potest.*

Hactenus egimus de Testamentis privatis: sequitur modò de Testamentis publicis, id est, fide & authoritate publica, Principis nempe, vel Judicis juxta dicta *num. 5.* Hinc

233 Quæritur I. Quid sit Testamentum Principi oblatum, seu coram Principe factum? Resp. I. Esse illud, quòd testator prius jam absque ordinaria Juris solemnitate ad testamenta requisitis, factum, supremo Principi, vel ejus nomine deputatis offert; vel coram eisdem absque ordinaria solemnitate facit, rogans, ut id Authoritate Principis sustineatur. Ita in re communis, *arg. l. Omnium 19. C. h. t.* licèt enim ibidem de solo Imperatore, [illegible] Testamentis Eidem oblatis, vel coram [illegible] factis [illegible] tamen hanc Legis dispositionem [illegible] *Conclus. 122. nu. 67.* & Doctores communiter ad omnes Reges, & Principes Superiorem non agnoscentes extendunt: Imò sub eadem Konig. *h. t. num. 5.* Myllesus *de Principibus & stat. Imper. cap. 28. num. 1.* & alii, adjuvante consuetudine; etiam supremos R. I. Principes, licèt Superiorem, nempe Imperatorem habeant, intelligi volunt, ut proin Testamentum Cæsari, & Principi Supremo cuicunque oblatum, vel coram eo factum ejusdem naturæ ac privilegii sit, communiterque testamentum Principi oblatum, vel coram eo factum, vel precibus insertum dicatur.

234 Cùm quibus idem est testamentum, quod non immediatè ipsi Principi, sed ejusdem nomine deputatis, Secretariis v. g. Consiliariis vel Cancellariis offertur, vel coram eisdem erigitur; prout contingere solet, si testator testamentum Principi offerre volens, domi infirmus decumbit, vel est unus ex plebeis, ad quos Principem personaliter venire, vel illos ad præsentiam Principis admittere, non convenit, Konig. *h. t. num. 5.* citans Clarissimum D. à Somering, Illustrissimum D. Schmidt *ad Tit. 34. a. 10. n. 15.* Ratio & fundamentum infrà *num. 262.* patebit, ubi dicemus, quòd in testamentis ad Acta datis, etiam Judices inferiores, v. g. Magistratus, possint aliquos deputare; qui testamentum ad Acta recipiant, vel coram quibus testamentum testator condat. Et hinc in definitione testamenti Principi oblati notanter dicitur, *quod Supremo Principi, vel ejus nomine deputatis offertur &c.*

235 Proponitur autem sub eodem quæsito Testamentum *Principi oblatum, & coram eodem factum;* eo quòd gaudeat utrumque eodem privilegio, indeque plerumque confundatur, & promiscuè sumatur; licèt aliqualiter inter ea diversitas sit, ita ut propriè loquendo, Testamentum Principi oblatum fiat, sit, & dicatur, quando Testator absque solemnitate voluntatem suam prius in scripturam redigit, eamque sic scriptam & factam Principi offert, rogans, ut illam sua Authoritate sustineat: vel ut magis conformiter *l. Omnium, 19. C. h. t.* loquamur, est, & fit, quando Testator preces, & supplicationem in scriptis facit, eique voluntatem suam Ultimam inserit, ac Principi offert, rogando eundem, ut eam sua Authoritate manuteneat; quod proptereà etiam Testamentum *precibus insertum* subinde vocari solet, *arg. cit. l. 19. C. h. t.* Item *scriptum, vel in scriptis Principi oblatum.*

Testamentum verò coram Principe factum propriè fit, est, & dicitur, quando Testator voluntatem suam ultimam coram Principe, vel deputatis ab eo oretenus declarat, & manifestat, rogando, ut Principis Authoritate sustineatur; siquidem non solum in scriptis jam factum, Principi offerri, sed etiam oretenus coram eodem fieri posse Testamentum absque omni solemnitate, docent communiter DD. habetque praxis, & consuetudo communiter recepta. 236

Quæritur II. Qualiter privilegiatum sit? & quomodò fieri possit, ac debeat Testamentum Principi oblatum, vel coram eo factum? Resp. I. Ad *Testamentum Principi oblatum, seu coram Principi factum* penitus nulla requiritur Juris Civilis solemnitas; potestque fieri absque omni teste; dummodò aliàs constet, & probari possit, quòd reverà Principi oblatum, vel coram eo factum sit Testamentum. Covarruvias *part. 2. Rub. de Testam. n. 5.* Tuschus *l. T. Concl. 122. num. 67* Berlich. *par. 3. concl. 4. num. 2. & 3.* ubi ait, ita sentire omnes Doctores, Jason *in l. Omnium, 19. C. h. t. in princ.* Mascardus *concl. 1359. num. 47.* Laym. *lib. 3. tr. 5. cap. 2. num. 15. arg. l. Omnium, C. h. t.* ubi dicitur, quod æque securus sit Testator, sive auribus privatorum (adhibita solemnitate ordinaria) sive coram principe testetur, ibi. *Qui nobis mediis; & toto Jure (quod in nostris est scriniis constitutum) teste succedit.* Ratio est; quia Principis Authoritas omnem solemnitatem superat. Accedit, quòd Princeps nunquam solus, sed semper nobilibus, aliisque probatis personis stipatus esse censeatur, *cit. l. Omnium, 19. C. h. t.* ibi: *Omnium testamentorum solemnitatem superare videtur* [illegible] *insertum mora, fide precibus, inter tot nobiles,* [illegible] *personas, etiam conscientiam Principis tenere.* 237

Dicitur autem notanter; *Dummodò legitimè constet, & probari possit, quod reverà Principi oblatum, vel coram eo factum sit testamentum,* [illegible] *arg. cit. l. Omnium, 19. ad fin. C. h. t. ibi: Nec institutus* [illegible] *pertimescat, cum oblatas preces secundum voluntatem* [illegible] *idoneis testibus possit approbare;* consequenter à sensu contrario timère debet, si, quòd oblatum sit, probare nequit hæres. Ratio est; quia, licèt Principis Authoritas tollat Juris solemnitatem, ita, ut ea necessaria non sit ad condendum Testamentum Principi offerendum, vel coram eo faciendum, tamen non tollit probationem veritatis, seu facti; seu non facit, quo minus ritè probari debeat, quando dubium emergit, an hoc vel illud Testamentum Principi reverà oblatum, vel coram eo factum sit, nec ne. Quale dubium facilè oriri potest; casu quo Princeps ante Testatorem moritur, vel ratione ac intellectu privatur, ita ut ipse testificari nequeat, sibi oblatum, vel coram se factum esse Testamentum. 238

Hinc Clarus *cit. q. 36. nu. 7.* Layman. *loc. cit.* Bartolus *in cit. l. Omnium, 19. C. h. t.* & communis aliorum docent, quod si quis coram Principe oretenus Testamentum faciat, duos testes adhibere debeat ad probandum, quòd suam voluntatem coram Principe manifestarit. Quod idem dic, si Testamentum scriptum Principi offeratur; nisi defectus testium alio id probandum sufficienti medio suppleatur, prout suppleri [illegible], si Princeps per Secretarium intimum, vel alium quendam in exteriori facie annotari faciat, annum, diem, & locum, quo Testamentum Principi oblatum [illegible] Principe receptum sit, ipseque Princeps manu propria subscribat, ac proprium Sigillum apponat, ut teste Schmidt *cit. 34. a. 10. num. 17.* fieri solet in Bavaria; vel si Princeps dat Recepisse, id est, attestationem, quòd Testamentum sibi oblatum receperit. 239

Illud tamen cum Berlich *part. 3. concl. 4. n. 3.* Schmidt *loc. cit. num. 15.* & communi aliorum contra Herman. Volc. specialiter notandum, quòd si Testator in scriptis Principis, vel ejus nomine deputatis suum offerat Testamentum, necesse non sit, ut Principi vel deputatis ab eo prælegat, & manifestet tenorem Testamenti, sed possit illud obsignatum & clausum offerre, dicendo; in hac clausa charta continetur mea voluntas ultima; rogo proin, ut Principis Authoritate sustineatur, *arg. l. testa-* 240

l. testamenta 18. & *l. Consulta Divalia*, 27. *C. h. t.* ubi dicitur, quòd Testamentum ad Acta datum (quod ejusdem cum Testamento Principi oblato Privilegii est) non possit, nisi à certis ibidem denominatis aperiri: ergo supponitur, quòd clausum sit oblatum; consequenter clausum offerri possit.

241 Nec dicas cum Vult. hoc esse contra *l. Omnium*, 19. *C. h. t.* ubi ad valorem hujus Testamenti requiri videtur, ut Testator apud Principem, vel apud Acta, (si ad Acta tradit) voluntatem suam publicet, & manifestet. *Resp.* enim, Testatorem hoc ipso, quòd coram Principe vel deputatis ejus dicat, in charta, quam clausam exhibet, & offert, contineri suam voluntatem, manifestare suam voluntatem saltem implicite: quòd sufficit, cum Lex majorem & explicitam manifestationem non requirat. Imò quòd dicta *l. Omnium*, 19 *Cod. h. t.* de implicita tantum manifestatione intelligenda sit, patet ex praxi & consuetudine recepta, utpote *quæ est optima Legum interpres*, *l. 37. ff. de Legib.*

242 Et ex his facilè colligitur secunda quæsiti pars, videlicèt quomodò Testamentum Principi offerri, aut coram eo fieri possit, ac debeat, videlicet, quòd, si Testator testamentum Nuncupativum condere coram Principe cogitat, prius audientiam Principis procurare (si est persona nobilis vel spectabilis) eaque procurata coram eo comparere, & coram duobus saltem testibus voluntatem suam ultimam oretenus indicare debeat: vel (si est persona plebeja, quæ ad præsentiam Principis non facile admittitur, aut si Nobilis, ad accedendum tamen ob infirmitatem impotens) debet per tertium, aut libellum supplicem rogare Principem, ut unum, vel plures, qui ejusdem nomine voluntatem ultimam percipiant, deputare dignetur; ac dein deputato cum duobus testibus voluntatem suam manifestare, additis precibus, ut Principis Authoritate sustineatur.

243 Si autem, quod melius, comodius, ac securius est, in scriptis voluntatem suam Principi offerre intendit, scribat manu propria suam voluntatem, vel ab alio scriptam subscribat, simulque (si Principi tenorem testamenti manifestare non vult, vel non tenetur) sigillo claudat, & ita clausum vel ipsi Principi, vel deputatis ab eo offerat, additis precibus, ut Authoritate Principis sustineatur. Ubi tamen advertat, necesse esse, ut dum offert, vel duos testes adhibeat, vel Recepisse, sive attestationem oblati Principi testamenti obtineat, vel saltem subscriptionem Principis in exteriori facie, [illegible] fieri curet, ad hoc, ut emergente dubio [illegible] quæat.

244 Quæritur III. Quid & [illegible] sit testamentum *ad Acta datum*, seu *apud* [illegible]? Resp. I. *Testamentum ad acta datum*, vel *apud Acta factum*, est illud, quod factum, & in scripturam redactum, Judici, vel deputatis ab eo offert; vel coram eodem aut deputatis ab ab oretenus facit. Ita in re communis. Patetque Conclusio ex terminis: ubi solum [illegible] venit, quòd sicut suprà *n.* 233. Testamentum *Principi oblatum*, & *coram eo factum* sub eodem [illegible] quæsito, ita modò Testamentum *ad Acta datum*, vel *apud Acta factum* proponamus pariter sub eodem quæsito; [illegible] ejusdem Privilegii, passimque commendantur, & pro eodem sumantur; licèt aliqualis sit diversitas; cum Testamentum *ad Acta datum* propriè sit, & dicatur illud, quod Testator prius jam absque solemnitate factum, & in scripturam redactum, Judici offert: Testamentum *apud Acta factum* verò propriè fiat, & dicatur, quando Testator voluntatem suam coram Judice vel deputatis ab eo oretenus declarat, sicque declarando, coram eodem Testamentum facit. Solet hoc Testamentum aliàs communiter etiam vocari *Testamentum Judiciale*, quia Judici offertur, vel coram eo fit.

245 Intelligitur autem hìc per *Judicem* omnis ille, qui veram aliquam jurisdictionem habet, sive major sit, sive minor, sive Judicium penes integram Communitatem, totum Magistratum v.g. vel Consilium; vel unum solum maneat, prout habet cum communi aliorum Lauterbach. Eckolt, Glettle infrà *n. seq.* citandi, *arg. l. Omniū*, 19. *C. h. t.* ibi: *Qui actis cujuscunque judicis mentis suæ judiciū publicavit.* Quamvis enim aliqui, inter quos est Berlich. *p. 1. Decis. Aurear. Decis.* 85. velint, Testamentum coram solo Judice Assessores, vel Scabinos, vel saltem Actuarium secum non habente, factum, nullo gaudere privilegio, nec dici, fieri ad Acta, etiamsi Judex pro Tribunali sedeat *arg. c. 28. de Testib. & Attestat.* Alii verò cum Carpz. *p. 3. constit. 3. defin.* 17. doceant tale Testamentum dici, *fieri ad Acta*, & esse privilegiatum, si coram Judice, pro Tribunali sedente, non item, si coram eodem sine præsentia Assessorū vel Actuarii extra locum judicii fiat.

Tamen probabilior, Jurique conformior sententia est, 246 Testamentum etiam coram solo Judice, nec Assessores, nec Actuarium secum habente, sive in loco judicii, sive extra illud factum, verè dici, *fieri ad Acta*, esseque privilegiatum: dummodò per duos saltem testes probari valeat, quòd reverà coram eo factum, vel eidem oblatum sit, juxta dicenda infrà *n.* 257. *& seqq.* Eckolt. *ff. Qui Testam. facere poss.* §. 8. Lauterbach *de Testam. judic. nu.* 17. Glettle *in Tract. Canon. Civil. cap.* 3. §. 5. *de Testam. judicib.* ac alii. Ratio est; quia ex nullo jure probari potest necessitas præsentiæ Assessorum, vel Actuarii, eò quòd *l. Omnium*, 19. *C. h. t.* præcisè requiratur, ut fiat coram Actis judicis; Acta autem censentur esse, ubi judex, ut judex judicii officio fungens præsens est; uti Ipsi fatentur Adversarii juxta dicenda *num.* 252.

Accedit praxis & consuetudo recepta, qua videmus, 247 quòd judices particulares soli, tam in loco judicii, quam extra illud apud ægrotum v. g. Testamenta ad Acta recipiant, solis adhibitis duobus testibus necessariis non ad ipsam formam, sed ad probandum factum: Et certè si solus judex sine præsentia Assessorum recipere non posset Testamentum sine præsentia Assessorum, aut personæ publicæ, pauci in Oppidis, & pagis facere possent *Testamenta ad Acta*, eò quòd ibidem judices particulares sæpè nec Assessorem, nec ullam personam publicam adjuvantem, sed à potiori unum privatum scribam habeant. Ad *c. 28. de Testib. & Attest.* patebit infrà *nu.* 60. & 62. videlicet, quòd, quia soli judici non creditur, persona publica, vel saltem duo testes privati sint necessarii ad probandum, Testamentum reverà fuisse ad Acta traditum, non item ad formam Testamenti.

Porrò ob textum *L. 19. C. h. t. Actis cujuscunque judicis* 248 unanimiter concedunt Doctores, non [illegible], ut judici competenti, seu apud judicem competentem, id est illū, sub cujus jurisdictione Testator vivit, Testamentum offeratur, aut fiat, sed sufficere, etsi coram incompetente, & alieno fiat, vel eidem offeratur. Ratio est; quia factio Testamenti est voluntariæ jurisdictionis, Glossa communiter recepta *in L. Testamenta* ¶. *Solent. C. h. t.* Berlich. *loc. cit. concl. 4. n. 12.* Carpz. *loc. cit.* Nec requiritur, ut judici offeratur, aut coram eodem fiat, nisi quis ejusdem Authoritate illud sustineri desideret; hujusmodi autem actus etiam coram judice incompetente expediri queunt; *l. Data jam pridem* 27. & *l. In hac* 30. *C. de Donation.*

Hinc valeat Testamentum, sive Consilio Aulico, sive 249 Regimini, sive Magistratui, sive particulari loci Præfecto, vel judici offeratur aut coram eisdem fiat. Item valet, si Civis Frisingēsis testator Magistratui Monachensi, vel Præfecto Mospurgensi testamentum suum offerat, aut illud coram eis faciat. Pariter valet, si Laicus apud judicem Ecclesiasticum, vel econtra Clericus apud judicem Laicum testamentum suum deponat, vel coram eo id faciat: Quia nempe depositio seu factio testamenti apud Acta, est voluntariæ jurisdictionis, indeque coram quovis judice veram jurisdictionem habente (qui [illegible] enumera[illegible] potest, *l. Omnium* 19. *C. h. t.*

Imò valet testamentum, non solum, si apud aliquem 250 ex præfatis judicibus fit, vel deponitur, sed etiam, si eorum nomine deputatis offeratur, vel coram eisdem erigitur. Berlich. *loc. cit. n.* 10. *& seqq.* Evessenbach. *in Comment ad Tit. ff. Qui Testam. facere*, *n.* 10. Stuvius *Exercit. ad ff.* 32. *Thes.* 9. Eckolt *ff. Qui Testam. facere* cod. Quod intellige, etiam apud tales deputatos non in loco judicii, ubi acta existunt, sed in alio loco testamentum per testatorem deponatur, vel fiat, v.g. si testator domi suæ ægrotus decumbens, vel ob aliam causam, judicem adire nequit, indeque eundem rogari facit, ut vel ipse veniat; vel aliquos suo nomine deputet, qui suum testamentum ad Acta suscipiant, Berlich. *l. cit.* Carpz. *p. 3. Constit. 3. defin.* 16. Dauth. *ad l. Omnium* 19. *C. h. t. n.* 4. & alii contra Vult. *arg. l. Curet Magistr. 22 ff. de testib.* ibi: *Curet Magistr. cujusque loci testari volentibus, & seipsos, & alios testes, vel signatores præbere*, *quo facilius negotia explicentur, & probatio rerum salva sit.*

251 Ratio est; quia juxta dicta *nu.* 248. & communem aliorum, ipsumque Adversarium Vult. *Consil. 34. n.* 55. Salycet *l. Omnium*, 19. *C. h. t.* factio Testamenti est voluntariæ jurisdictionis, actus autem hujusmodi fieri potest coram Judice ubique locorum, & non tantum pro Tribunali sedente, vel in loco Judicii existente, sed ubique, *arg.* §. *Servi autem*, 2. *Instit. de libertin. L. 2. ff. de Offic. Proc.* ibi: *Omnes Proconsules, statim, quam Urbem ingressi fuerint, habent jurisdictionem, non contentiosam, sed voluntariam* &c. Concordant *l. Actus*, 8. *C. de Feriis*, *L. 3. C. de Emancip. lib. L. 7. & 8 ff. de Manumissi vindicta.*

252 Confirmatur ex eo, quòd ibi intelligantur esse Acta, ubi aliquid sive in loco Judicii, sive extra illum fit authoritate Judicis, *arg. l. An apud se*, 5. *ff. de Manumissi vindict.* Carpz. *loc. cit. defin.* 16 Berlich *loc. cit. numer.* 11. Jason *in l. Is*, *apud quem*, *n. 4. C. de Edend.* & alii; consequenter apud Acta, vel coram Actis fieri dicatur, quod coram Judice, vel deputatis ab eo, quocunque tandem in loco peragitur.

253 Accedit praxis communis, & consuetudo recepta, quæ est Optima Legum interpres *L. 37. ff. de Legib.* videmus enim ubique practicari, quòd pro Testamento *ad Acta dato*, vel *coram Actis facto* reverà habeatur illud, quod ægrotus locum Judicii accedere non valens, coram Judice ad se vocato, vel coram deputatis ab eo facit, aut in scriptis jam factum, eisdem tradit: Et meritò, quia alias ægrotis per Leges satis consultum non esset; utpotè qui Testamenta ad Acta dare, vel coram eis facere nunquam possent; cum tamen testamenta plurima ab ægrotis fiant.

254 Dices cum Vult. *loc. cit.* ad hoc, ut Testamentum ad Acta dari, vel apud Acta fieri dicatur: non sufficit, ut Judici offeratur, & coram illo fiat, sed etiam necesse est, ut in loco, ubi Judici Acta asservantur, id fiat, *l. Omnium*, 19. *C. h. t.* ibi: *Si Actis cujuscunque Judicii publicavit*, & *l. Sancimus*, 27. *C. eod.* ibi: *Si inter Acta manifestaverit*: ergo extra locum Judicii in domo ægroti v.g. Testamentum ad Acta dari, vel fieri non potest; eò, quòd secundum proprietatem verborum, vulgatumque modum loquendi, qui utique attendi debet, nemo apud Acta Judicii quid facere dici possit, quod domi suæ peragit. Resp. negando Antecedens ob rationem suprà *num.* 252. jam insinuatam. Ad rationem pariter negatur, quòd juxta vulgatum modum loquendi apud Acta fieri non dicatur, quod coram Iudice fit: quamvis enim apud Acta quid facere quis dici non possit, quod domi suæ absque præsentia Iudicis facit; secus tamen est, si idem in præsentia Iudicis ad id vocati, & officio Iudicis fungentis fiat. Berlich *loc. cit. num.* 13.

255 Notandum tamen, ad hoc, ut testamentum extra locum judicii coram judice ordinario, vel delegato valeat, necesse esse, quod judex à Testatore sit prius rogatus, vel requisitus, prout benè advertit cum communi aliorum Berlich. *cit. conc. 4. n.* 17. Schmidt *ad tit. 34. n. 10. n.* 33. & alii: ut proin Testamentum coram judice non requisito, sed ex alia causa præsente factum, non valeat, nisi prius ibidem etiam requiratur, & ut, authoritate judicis adesse velit, imploretur.

256 Resp. II. Ad valorem Testamenti ad Acta dati, vel coram Actis facti, sive in loco judicii, sive extra illud fiat, nec testis, nec alia requiritur juris Civilis solemnitas; dummodò aliàs legitime constet, & probari possit, Testamentum reverà ad Acta fuisse datum. Carpz. *p. 3. constit. 3. defin.* 11. & 13 Berlinch *conc. 4. n.* 4. Dauth. *in l. Omniū*, *C. h. t. n.* 2. & 3. Jason *ibid. n.* 15. ubi plures rationes affert, & contrarias solvit, Mynsing. *cent. 6. Obser.* 29. Tuscus *lit. T. conc.* 122. *n.* 69 *& seqq.* cum communi aliorum, *arg. l. Omnium*, 19. *C. h. t.* ubi testamentum ad Acta, & testamentum Principi oblatum in ratione privilegii æquiparantur; testamentū autem Principi oblatum absque ullo teste, & solemnitate valere, concedunt Omnes, juxta dicta *n.* 237. & *l. Sancimus*, 27 *C. h. t.* ubi id, quod apud Acta fuit manifestatum, meretur æqualem fidem cum eo, quod per testes invenitur probatum: idipsum etiam *in l. Omnium*, *C. h. t.* habetur ubi testamentum apud Acta depositum, seu ibidem factum, in valore æquiparantur testamento cum ordinaria solemnitate condito. Ratio est; quia in testamentis ad Acta authoritas judicis requisitas solemnitates supplet, imo superat, *l. Omnium*, 19. & *l. Sancimus*, 27. *C. h. t.* ut proin meritò dicatur *l. In Donationibus*, 31. *C. de Donat. Superfluū est Testamentum privatorum, cùm publica monumenta habeantur*, ubi propterea etiam statuitur, *In Donationibus, quæ Actis insinuantur, non esse necessarium, vicinos, vel alios testes adhibere.* Addunt alii communiter etiam hanc rationem; quòd, ubi Acta sunt: ibi semper censeatur etiam copia hominum esse. Verum quia hæc ratio non in omni Testamento ad Acta procedit; cum in Testamento ab ægroto domi suæ condito locum non habeat, probationis loco hìc non additur.

Dicitur autem notanter in Conclusione: *dummodo aliàs legitimè constet*, *& probari possit*, Testamentum ad 257 Acta fuisse reverà datum, aut coram eis factum. Nam sicut suprà *n.* 238 de testamento Principi oblato diximus, quòd licèt ad ejus valorem nulla requiratur solemnitas, nullusque necessarius sit testis, ob Legem, & rationem ibidem allatam; tamen alias debeat legitimè constare, vel probari, quòd testamentum Principi reverà oblatum sit, sic idem modo de testamentis ad acta dicimus. Quomodò autem constare; vel probari sufficienter possit, aut debeat, patebit ex sequentibus conclusionibus.

Resp. III. Si Testamentum in loco judicii fit coram Iu- 258 dice, vel in eodem loco offertur judici in Communitate consistenti, ità ut Iudicium & Iurisdictio sit penès illam v.g. Magistratum, Consilium, Regimen. &c. tunc neque ad probandum, quòd testamentum ad acta datum, vel coram eis sit factum, requiruntur testes vel alia solemnitas, aut probatio. Omnes. Ratio est; quia in tali casu sufficientissimè jam constat de veritate; cum membra hujuscemodi Communitatis eminenter sint testes, consequenter intret vulgare illud Iuris: *l. In Donationibus*, 31. *C. Donat. Superfluum est testam. privatorum, cum publica habentur.* Accedit praxis & consuetudo *optima Legum interpres*, *l. 37. ff. de Legib.* cum ubique videamus, testamenta coram tali Communitate, Magistratu v.g facta, vel eidem oblata, pro validis haberi, etsi nullus adhibitus fuerit testis.

Resp. IV. Si testamentum extra locum Iudicii v.g. in 259 domo testatoris ægroti coram aliquibus ex tali Communitate deputatis fit, vel eisdem ibidem offertur, rursus valet absque omni teste alio adhibito. Carpz. *p. 3. const. 3. defin.* 12. Schmidt *ad tit. 34 n. 10 n.* 36. Berlich *p. 3. concl. 4. n.* 13. *& seqq.* cum communi aliorum, ob rationem, & Legem *in præc. concl.* allatam. Quibus etiā accedit consuetudo, qua constat, quòd testamenta, quæ in his partibus, corā deputatis duobus ex Magistratu, & Actuario, vel Segretario, aut Registratore fiunt, vel quæ eidem ab ægroto offeruntur, pro validis absque omni controversia agnoscantur. Quotnam autem deputati esse debeant, dicetur *num. seq.*

Resp. IV. Ad hoc, ut testamentum ad acta dari, vel 260 coram eis etiam extra locum judicii fieri dicatur, & absque aliis testibus valeat, sufficit, duos deputare ex Communitate jurisdictionem habente, vel unum cum persona alia v.g. Notario publico, vel publico Actuario, *Marckt oder Stadt Schreiber* vel Secretario. Quòd duo de Communitate sufficiant, concedunt communiter, uti videre est apud Carpz. *p 3. constit. 3. defin* 17. Berlich *loc. citat. concl 4. num.* 15. Quòd vero sufficiat unus ex Communitate una cum persona publica deputatus, tenet Vvesembach *in Comment. ff. Qui Testam. facere*, *num.* 1. cum aliis contra Carpz. *loc. cit. defin.* 18. & Berlich *loc. cit. nu.* 16. Probatur autem manifestè ex *c. 28. de Test. & Attestat.* ubi expressè statuitur quòd ad hoc, ut Iudici fides adhibeatur, sufficiat, si secum habet aliquam personam publicam. Nec obstat, quòd Carpz. *loc. cit defin.* 18. objicit, nempe Actuarium v.g. vel aliam similem personam publicam non esse membra Communitatis Iudicem repræsentantis, *l. Universos*, 15. *C. de Decurion.* Nam contra est, quòd necesse non sit, ut duo ex Communitate simili deputentur; cùm uni soli Iurisdictio deputari possit, & persona publica addatur præcisè, ut absque suspicione fraudis fidem mereatur delegatus.

Infertur proin, quòd quamvis securius sit, ut duo ex 261 Communitate unà cum Secretario, vel Actuario, *Stadat oder Marckt Schreiber* deputentur, ut laudabilis habet consuetudo, tamen etiam sufficeret, si unus solus v. g. Cancellarius, Consiliarius, Consul &c. unà cum persona publica mitteretur; vel si solus mittitur, si duo testes privati adhiberentur, *arg. cit. c. 28. de Test. & Attestat.*

262 Resp. VI. Testamentum fiat coram Judice, qui solus absque Communitate Jurisdictionem exercet, nec Assessores, nec Scabinos, vel aliam personam publicam, v. g. Notarium publicum, vel Actuarium juratum, *Gericht. Stadet oder MarcK Schreiber* secum habet, vel si eidem soli offeratur, requiruntur saltem duo testes non quidem ad valorem & formam Testamenti, sed ad probandum, quòd Testamentum ad Acta reverà datum, & coram eis factum sit; sive dein fiat, aut offeratur Testamentum Judici in ipso loco Judicii pro Tribunali, sive extra sedenti. Patet Conclusio ex dictis *n.* 234 ubi simile quid de Testamentis Principi oblatis docuimus ex *l. Omnium*, 19. *C. h. t.* Tenetque Clarus *q.* 56. *n.* 7. Carpz. *p.* 3. *Constit.* 3. *de fin.* 15. *n.* 15 cum communi aliorum: Probaturque ulterius ex *c. Cùm à nobis* 28. *de test. & Attestat*, ubi expressè sic statuitur: *Et Canonica, & Civilia Jura sequentes districtius inhibemus, ne unius judicis, quantæcunque fuerit Authoritatis, verbo credatur in causis, sive super testamentis, sive quibuslibet aliis contractibus quæstio agitetur. Nec scriptum eorum obtineat firmitatem (nisi testium adminiculo fulciatur) quin et possit, & debeat duorum, vel trium testium testimonio prævalere.* Ratio est, ne alias per improvidentiam aut iniquitatem Judicis aliis præjudicetur, *can. Quoniam* 11, *de Probat.* ubi propterea etiam statuitur, *ut tam in ordinario Judicio, quam extraordinario judex semper adhibeat aut publicam (si potest habere) personam, aut duos viros idoneos, qui videlicet universa judicii Acta conscribant &c. ut, si fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas probari, quatenus hoc adhibito mederamine, sic honestis & discretis [illegible] judicibus.*

263 Quòd autem duo saltem requirantur testes (si publica persona cum Judice non sit) Ratio est, quia Testimonium unius privati ad probandum non sufficit, *arg. c. Licet* 23. *de test. & Attestat.* Quòd verò duo sufficiant, ratio est; quia, cùm hic testes non requirantur ad formam Testamenti, sed tantum ad probandum, quòd Testamentum ad Acta reverà sit datum, *arg. l. Ubi numerus, ff. de Testib. & can. Si testes, cau.* 4. *q.* 3.

264 Infertur, quòd si solus Testator Judicem accedat, vel Judex rogatus ad Testatorem ægrotum solus veniat, Testamentum non subsistat, quod solus coram solo facit, aut eidem offert; licèt Prothocollo & Actis illud inserat Judex. Valeat verò, si vel duos testes etiam privatos adhibeat: vel saltem personam publicam v. g. *Gericht Schreiber* &c. secum habeat, *arg. cit. c. Cùm à nobis* 28 ibi: *Aut publicam personam, aut duos idoneos.*

265 Utrum autem valeat pro Testamento ad Acta, si particularis Judex ad Testatorem venire impeditus delegat solum Actuarium publicum, vel suum privatum scribam, aut aliam personam, ut unà cum duobus testibus testamentum ad Acta recipiat, major est controversia: quæ eadem est de casu, quo Judex in Communitate consistens, nullum ex Communitate, sed solum Secretarium, vel Actuarium, aut etiam aliam personam privatam delegat, ut nomine Magistratus v. g. coram duobus testibus privatis testamentum ad Acta ab ægroto testatore recipiat. Carpz. *loc. cit. defin.* 28. putat, extra dubium esse, quòd Testamentum tale non valeat. Ejusdem opinionis est Schmidt *ad tit.* 34. *a.* 10. *n.* 32. ubi ineptè reputat, quòd, à Consilio, vel Senatu deputetur aliquis Registrator, vel Actuarius pro suscipiendo Testamento ad Acta, eò quòd hoc munus excedat sphæram activitatis eorum.

266. Sed ut verum fatear, non video, quòd Testamentum hujusmodi non valeat. Licet enim suscipere Testamentum ad Acta sit extra sphæram activitatis Actuarii quà Actuarii, seu alterius personæ privatæ quà talis, non tamen est extra sphæram eorum, quà delegatorum, seu quatenus delegati non suo, sed Judicis nomine & authoritate hoc munus exercent; cùm enim certum sit, quòd à Judice ordinario quivis delegari valeat, qui à natura, moribus, aut Legibus non prohibetur *l. Cùm prætor. ff. de judiciis* [illegible] *Tria sunt cau.* 3. *q.* 7. dictumque est amplius *l.* [illegible] 39. [illegible] 5. *n.* 66. ac rursus certum sit quòd delegatus in causa sibi delegata authoritatem, & jurisdictionem delegantis participet, juxta dicta *lib.* 1. *tit.* XXIX. & rursus certum sit, ex jure ostendi non posse, quòd in causa Testamenti ex sola Communitate aliqui delegari debeant vel Actuarius, aut alius delegari ad hoc officium non valeat, certum planè de jure videtur, quòd Testamentum coram unico delegato quocunque tandem valeat, si duo simul interfuere testes.

267 Infertur proin, quòd quamvis consultum non sit, ut Judex in Communitate consistens solum Actuarium, vel alium, qui de Communitate non est, deleget tamen, si id facit, de Jure validum sit Testamentum, quod ægrotus coram tali facit, vel eidem, præsentibus duobus testibus, offerat. Pariter de Jure validum & ad Acta traditum, vel coram eisdem factum censendum est Testamentum, quod in domo ægroti fit, vel offertur coram duobus testibus, soli Actuario *Gericht Schreiber*, vel alii à Judice particulari loci ad id delegato. Ubi tamen pro praxi advertendum, quòd, si Judex particularis aliquem delegaret, consultum foret, ut etiam duos testes assumeret, dum delegationem facit, ut eam in casu controversiæ probare posset.

268 Resp. VII. Potest Testator Testamentum tam extra locum Judicii in domo ægroti v. g. quàm in loco Judicii coram Judice ordinario aut delegato non tantum oretenus facere, sed etiam in scriptis clausum offerre, exhibendo scripturam & dicendo v. g. in hac charta, quam clausam hic exhibeo, continetur meum Testamentum, rogo proin, dignetur illud suscipere ad Acta. Berlich *p.* 3. *concl.* 4. *n.* 25. Carpz. *p.* 3 *Const.* 3. *defin.* 28. Schmidt *ad tit.* 34. *a.* 10. *n.* 31. & communis aliorum, per Leges suprà *n.* 240. citatis, ubi idem de Testamentis Principi oblatis diximus. Quibus & hæc additur ratio, videlicet, quòd Testamentum ad Acta in ratione valoris æquiparetur Testamento coram septem testibus facto, *l. Omnium*, 19. *C. h. t.* atqui hoc valet, si Testamentum in scriptis clausum fiat, etsi testibus tenor non prælegatur, *l. Hac consultissima. C. h. t.* ergo idem dicendum de Testamento ad Acta. Accedit consuetudo *optima Legum interpres*, *L.* 37 *ff. de Legib.*

269 Quæritur IV. Utrum etiam per nuntium, vel procuratorem liceat mittere Testamentum ad Acta? vel, quod idem est; an sit, & dici possit Testamentum ad Acta quando quis illud domi conscripsit & claudit, sicque clausum per tertium aliquem ad Judicem mittit, eique coram duobus testibus tradi facit, rogans, ut id sumere velit ad Acta? Berlich. *p.* 3. *concl.* 4. *n.* 31. Carpz. *p.* 3. *Constit.* 3. *defin.* 23. Konig *h. t. num* 6. Struvi. *Exercit.* 31. *thes* 9 & plures negativam tenent, eamque multis probare conantur rationibus, infrà loco objectionum ponendis, quibus non obstantibus

270 Resp. De Jure loquendo, omninò probabile est, tale Testamentum reverà esse & rectè dici ad Acta, consequenter absque Juris solemnitate valere. Ita apud Berlich *loc. cit.* docet Andreas Gerhard *de Testam. Disp.* 2. *Thes.* 14. Fulgos. in *l. Omnium. C. h. t. n.* 2. & ibi Alexander *n.* 35. Ratio & fundamentum Conclusionis est quia nec in *l. Omnium C. h. t.* nec in alio Juris textu specialiter requiritur præsentia personalis Testatoris: ubi autem ad aliquem actum persona & industria specialiter non requiritur procedunt Juris Regulæ, *Potest quis per alium, quod potest per seipsum*, Reg. 68. Jur. in 6. & *Qui facit per alium, est perinde, ac faciat per seipsum*, Reg. 72. eod.

271 Objicies I. Cùm Adversariis, *l. Omnium* 19. *C. h. t.* requiritur, ut Testator voluntatem suam coram Actis vel Judice declaret, successorem designet &c. atqui hi actus videntur exigere ipsam personam Testatoris: ergo. Resp. Distinguendo: requiritur, ut voluntatem suam coram Judice declaret per se, vel per alium, conceditur; necessariò per seipsum, negatur; quia hoc ex Lege nullo modo evincitur.

272 Objicies II. *Si non speciali* [illegible] *& l. Si unus*, 12. *C. h. t.* debent testes in testamento adhibiti ita esse præsentes Testatori, ut eundem videre, & audire valeant; atqui in Testamento Judiciali, Judex adhibetur loco testium eorumque vicem obtinet, *arg. l.* 19. *C. h. t.* ibi: *Meditis nobis, & toto Jure teste*, ergo & ipse testatori, consequenter & hic illi debet esse præsens. Non valere argumentum à testamento privato, ad Testamentum Judiciale, eò quòd in hoc, Judiciale nempe, omnes Juris Civilis solemnitates sint remissæ, *arg. l. Omnium*, 19. *C. h. t.* Hinc sicut valet Testamentum ad Acta, etsi aliis Juris Civilis solemnitatibus careat, sic etiam valebit, etsi judex vicem testium obtinens testatorem non videat, dummodò aliunde ritè constet, quòd hæc, quæ offertur coram judice, sit vera voluntas testatoris; quòd sufficienter habetur, si testator testamentum totum vel ipse scripsit, vel saltem subscripsit, præsertim; si illud coram duobus testibus alicui, ut judici coram eisdem ad Acta offerat, committit.

273 Verum, quamvis hæc sententia probabilis sit de jure, consultius tamen est, ut Testator ipsemet in persona coram judice in loco judicii compareat; aut si non potest, vel ex certa causa nolit, ad se judicem vocet, eique personaliter Testamentum tradat, vel idem coram illo, aut deputatis ab eo faciat. Et hoc, ut omne periculum, litisque occasio evitetur. Ob quam rationem & ipsi Judices Testamenta per tertium allata, ad Acta suscipere non facilè deberent. Quod ipsum in his partibus observari videmus.

274 Cæterum, quia ex hactenus dictis constat, facillimum simul ac securissimum esse Testamentum ad Acta cùm in eo nullæ requirantur juris Civilis solemnitates & requisitus judex ubivis fermè ad manum sit; cum judex quivis ad illud sufficiat, Modus hic testandi præ omnibus suadetur. Cujus notitia ut adhuc expeditior habeatur, dicta in compendio hic recapitulamus, & subjungimus, qualiter & quam faciliter Testamentum ad Acta fieri queat.

275 Quicunque ergo Testamentum ad Acta facere, vel tradere desiderat, cogitet prius, & resolvat, an in scriptis, vel oretenus illud condere, item an judici tenorem Testamenti manifestare, vel occultare velit. Si vult, ut judicem lateat tenor Testamenti, consequenter si in scriptis clausum Testamentum facere velit; scribat ipse, vel per alium scribi faciat, ipseque saltem subscribat suam ultimam voluntatem, in eaque hæredem, & legata, prout disponere vult, exprimat, posteà claudat, & sigillo proprio obsignet. Quo facto conferat se ad Judicem aliquem quemcunque tandem proprium, vel alienum; quia juxta dicta *n.* 248. quivis etiam incompetens quadrat, v. g. ad Consilium Aulicum, vel ad Regimen, vel ad Magistratum Civilem, vel ad præfectum, aut Judicem Civitatis, Oppidi, aut Pagi &c. eumque roget, ut Testamentum, quod clausum hic exhibet, ad Acta sumere non gravetur. Ubi notandum, quòd si soli Judici particulari Assessores, vel aliam personam publicam secum non habenti Testamentum ad Acta tradat; duos testes adhibere debeat, ad probandam traditionem ad Acta esse factam, juxta dicta *n.* 262. Qui tamen testes necessarii non sunt, si tradit Testamentum Judici in Communitate consistenti; v. g. Consilio Ecclesiastico, Consilio Aulico, Regimini, Magistratui &c. juxta dicta *n.* 258.

276 Quòd si verò morbo impeditus Judicem ipsum personaliter adire non possit, aut ex rationabili causa nolit, mittat per tertium ad aliquem ex præfatis Judicibus, eumque roget & requirat, ut vel ipse venire, vel aliquos deputare dignetur, qui Testamentum suum ad Acta suscipiant: ubi notandum, quòd si ad Acta Judicis in Communitate consistentis tradere vult Testamentum, mittere debeat ad primarium Communitatis, v. g. ad Præsidem Consilii, vel ad Vicedominum, vel ad Cancellarium, vel ad Consulem, qui pro tempore officio fungitur, eumque rogare, ut aliquos deputare dignetur, qui Testamentum ad Acta suscipiant: venientibus dein debita reverentia Testamentum tradat, rogando, ut illud ad Acta suscipere dignentur. Ubi rursus est observandum, quòd si judex ipse quidem sed solus, seu deputatus ab eo aliquis solus adveniat, coram duobus testibus illud tradere debeat: si verò judex ipse cum aliqua persona publica v. g. Notario publico, vel publico Actuario *Gericht, oder MarcK Schreiber* venit: vel si duo, aut tres ex Consilio, vel Magistratu deputati, sive cum, sive sine Actuario comparent, nullis testibus aliis opus est juxta dicta *n.* 560. *& seq.* sed sufficit, quòd eisdem Testamentum clausum tradat dicendo v. g. Domini mei in hac charta continetur mea ultima voluntas, rogo proin, ut eandem ad Acta suscipere, & Recepisse mihi dare dignentur: quamvis enim tale Recepisse, seu attestatio Judicialis, dati Testamenti ad Acta, necessaria non sit, tamen valdè utile est: unde & illud petere consultum est, si quis personaliter in Judicii loco comparens Testamentum ad Acta tradit.

277 Si autem Testamentum Nuncupativum facere vult (quod plerumque fieri solet, si ægrotus ob infirmitatem scribere ampliùs non potest, vel periculum mortis urget) conferat se ad aliquem ex præfatis Judicibus vel si illuc se conferre non potest, aut non vult, rogari eum per tertium faciat, ut vel ipse veniat, vel aliquos deputare dignetur: & dein coram actu præsentibus hæredem denominet, cæteraque legata clarè exprimat: & quidem coram duobus testibus, si judex vel deputatus solus est: sine testibus autem, si judex, cum persona publica v. g. Actuario publico, vel duo aut tres ex Consilio, vel Magistratu, cum vel sine Actuario adsunt, juxta dicta *num. præced.* Ubi Judex, vel deputati providè faciunt, si per se, vel per alium manifestatam Testatoris voluntatem diligenter statim annotent, seu scribant, scriptamque Testatori adhuc prælegant, interrogando eundem, an ita adhuc velit; & num hæc ultima ejusdem sit voluntas, ad quam interrogationem Testator affirmare & annuere debet, si ita adhuc velit; vel monere, si quid mutatum cupit, ut benè monent DD. sic enim fit, ut è memoria nihil amplius excidat, & Testamenta ad Acta reponi illico possit. Quamvis illa annotatio absolutè necessaria non sit si Testator in domo sua Testamentum oretenus condit: sed sufficit, quòd Judex, vel deputati voluntatem ex ore defuncti percipiant, & desuper testimonium deponant, cùm eisdem plena fides sit adhibenda, uti cum aliis benè docet Carpz *p.* 3. *Constit.* 3. *de fin.* 24. Imo eisdem creditur, si charta, in qua voluntas Testatoris coram Judice vel deputatis manifestata, fuit conscripta, perditur, comburitur, aut aliàs perit, ut idem Carpz. *loc. cit. de fin.* 29. cum aliis docet; eò quòd juxta dicta, scriptura in tali casu non sit absolutè necessaria, sed tantum adhibeatur pro futura rei memoria.

278 Quæres hic incidentaliter, an, & quomodò testamentum in scriptis clausum ad Acta facere valeat, qui nec legere, nec scribere potest? Ratio dubitandi, & negativam tenendi est, quòd hoc ipso, quia talis nec totum Testamentum scribere, nec ab alio scriptum, subscribere, nec, quid sit scriptum, legere valeat, inconveniens, & periculis fraudum expositum esse videatur, si hujusmodi Testator Testamentum in scriptis clausum condat. Quo non obstante Resp I. Potest quæstionatus Testator etiam in scriptis clausum facere, & offerre Testamentum ad Acta. Probatur Conclusio. Testamentum clausum ad Acta dare potest sciens litteras: ergo etiam ignarus litterarum; præsertim cum Jus non distinguat; nec ullibi litterarum peritum requirat pro faciendo Testamento ad Acta; ipsumque Testamentum robur suum neutiquam acquirat à manu propria testatoris, sed ab Authoritate Judicis, coram quo fit, vel cui offertur, juxta dicta.

Confirmatur. Potest ignarus litterarum facere Testamentum solemne scriptum clausum *l. Hac consultissima*, 22. *C. h. t.* ergo etiam idem facere potest ad Acta, quia non est major ratio de uno, quàm de altero; præsertim cum defectus solemnitatum, qui solus pro diversitatis ratione assignari potest, suppleatur Authoritate publica Judicis, *l. Omnium*, 19 *& l. Sancimus*, 27, *C. h. t.* Nec obstat ratio in contrarium *num præced.* allegata: quia, ut consideranti patet, eadem prorsus militat in Testamento solemni Scripto per ignarum litterarum condito; cum nec ho[illegible] scribat, nec subscribat, nec quid in eo contine[illegible] legere valeat, [illegible] dem legant, [illegible] testes, [illegible] valet; ergo non obstante [illegible] valebit Testamentum clausum ad Acta [illegible] Testator litterarum inscius, cond[illegible] solemne Scriptum, fidere potest, [illegible] Testamentum scribenti, & prælegenti [illegible] Nam octo testibus posteà ad testificandum convenientibus non prælegitur, *arg. Sæpe, cit. l.* 21. *C. h. t.*) ita etiam fidere potest, ac debet ejusmodi Testator, Testamentum clausum condens, defectum testium, & reliquæ solemnitatis, supplente Authoritate Judicis, *l. Omnium*, 19. *Cod. h. t.*

Ex quo etiam inferre licet, quod nec ille, qui litteras callet, Testamentum propria manu scribere vel subscribere necessariò debeat: quamvis, ut faciat consultius sit, si clausum ad Acta offerre vult testamentum.

§. X.

De iis, qui possunt, & iis, qui non possunt facere Testamentum.

S U M M A R I U M.

279 *Testamentum facere quilibet potest, qui non prohibetur.*
280 *Testamenti factio est de Jure naturæ & gentium.*
281 *Testamenti condendi incapaces sunt varii.*
282 *Jure naturæ Testamentum facere nequit infans.*
283 *Nec furiosus, nec ullus alius ratione privatus.*
284 *Tempore, quo caret usu rationis.*
285 *Possunt tamen facere testamentum tempore lucidi intervalli.*
286 *Dummodo durante lucido intervallo totum absolvant.*
287 *Et certò constet, testatorem habuisse lucidum intervallum, quod probare hæres scriptus debet, casu quo testator incurabiliter, vel longo tempore insania laborat.*
288 *Si verò per modicum tempus solummodo rationis privationem patitur, præsumitur fuisse sanæ mentis, nisi privatio rationis probetur.*
Accidentia non præsumuntur, sed probari debent. Ibid.
289 *Muti & surdi quandonam Testamentum facere nequeunt.*
290 *Mutus & surdus quis intelligatur?*
291 *Cæci quomodo facere possint testamentum?*
292 *Impuberes facere non possunt testamentum.*
Impuberes qui? Ibid.
293 *Non requiritur, ut ætas pubertatis sit mathematicè completa.*
Dies cœpta habetur pro completa in favorabilibus, secùs in odiosis. Ibid.
294 *Impubes nec authoritate tutoris facere potest testamentum.*
295 *Filiifamilias etiam cum consensu patris testari nequeunt de bonis profectitiis, vel adventitiis.*
296 *Etiam illis, quorum usufructum pater non habet.*
297 *Solvitur objectio.*
298 *De peculio Castrensi, vel quasi Castrensi testari possunt filiifamilias.*
299 *Mancipia ac servi propriè dicti testari non possunt.*
300 *Capti ab hostibus quando facere non possunt testamentum? Et n. seq.*
302 *Obsides non possunt testari, nisi eis permittatur.*
303 *De Clericis & Religiosis. Remissivè.*
304 *Damnati ad libellum famosum testamentum facere non possunt.*
305 *Idem est de Damnatis ad mortem.*
306 *Quamvis hodie contrarium etiam probabile sit.*
307 *Incarcerati [illegible] mortem, ante sententiam validè condit [illegible] testamentum; imò etiam post sententiam, si [illegible] appellaverit.*
308 *Deportati, & Banniti à Cæsare [illegible] nequeunt.*
309 *Benè tamen [illegible] & Banniti [illegible] Imperii Principe.*
310 *Rei criminis læsæ Majestatis testari non possunt. Idem est de Proditoribus patriæ.*
311 *Hæretici de Jure testari non possunt. Excipiuntur aliqui hæretici in Germania.*
312 *Percutientes, & offendentes Cardinalem testari non possunt.*
313 *Usurariis [illegible] manifestis prohibitum est testari.*
314 *N[illegible] saltem restituant, vel cautionem [illegible].*
315 *Solvitur [illegible].*
Non [illegible] tractu temporis, quòd ab initio de Jure non subsistit. Ibid.
316 *Contrahentes incestuosum matrimonium non possunt testari.*
317 *Nec prodigi [illegible] declarati.*
318 *Imò secundum aliquos etiam prodigi manifesti, etsi non declarentur, testari nequeunt.*
319 *Excommunicati, & infames testari non prohibentur.*
320 *Ex natura inhabiles ad testamentum faciendum, etiam ad causas pias testari non possunt.*
321 *De Jure Civili tantum inhabiles, possunt facere testamentum ad causas pias de illis bonis, quorum dominium retinent.*
322 *Testamentum ad pias causas non subjacet dispositioni juris Civilis.*
323 *De bonis quorum dominium quis non habet, nec ad causam piam testari valet.*
324 *Hinc Rei criminis læsæ Majestatis, incestuosè nubentes, Deportati, Banniti à Cæsare, Hæretici, Filiifamilias testari ad causas pias non possunt.*
325 *Benè verò prodigi, impuberes, & damnati ad mortem.*

QUæritur I. Quinam, & quo Jure facere possunt Testamentum? Resp. I. Testamentum facere potest quilibet, qui Jure aliquo non prohibentur. Communis ac certa *arg. L. Ex facto, 43. prin ff. de Vulg. & pupill. subsistit.* ubi dicitur, *iniquum esse auferre testamenti factionem homini sanæ mentis*; supple, nisi Justa de causa eam Jus ipsum auferat; & *L. 1. C. de SS. Eccles.* ubi etiam ratio additur illis verbis; Nihil enim est, quod magis omnibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam velle non possunt, sit licitum, quod iterum non redit, arbitrium. Addunt Doctores communiter etiam hanc rationem; videlicet, quòd factio Testamenti sit de genere non prohibitorum seu communiter permissorum, de quibus procedit illud Glossæ communiter receptæ *in c. Inter corporalia V. Non invenitur, de Transl. Episc.* Regula: *Concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur, arg. Leg. 1. §. 1. ff. de Testib. & Leg. 43. §. 1. ff. de Procurator.* 279

Resp. II. Non solo Jure Civili, sed etiam naturali, & gentium quivis condere potest Testamentum, qui aliquo jure non prohibetur: licèt hodiernos modos certis cum solemnitatibus testandi sit à Jure Civili introductus. Jul. Clarus §. *Testamentum, qu. 2.* Covarruvias *lib. 3. Variar. resolut. cap. 6. num 7.* Bartolus *in l. Interdum num. 7. de Condictione indebit.* Jason *in Repetit. l. Admonendi post num. 184. V. Subdit tamen ff. de Jurejurand* Engel *h. t num. 5.* cum communissima aliorum. Patetque Conclusio tum ex Juris textibus *præced. num.* citatis: tum ex *l. Lege obvenire 130. ff. de Verb. signif.* ubi habetur, quòd Jure 12. Tabularum, consequenter primo Jure Romano, & Civili Successiones Testamentariæ confirmentur. Ex quo satis patet, Testamenti factionem jam ante Jus Civile, sicque jure gentium, & naturali extitisse, hoc ipso, quòd confirmatio nihil novi inducat, sed antiquum, & jam præexistens ratificet, *l. Et quia 6. ff. de Jurisdict. & c. cùm inter 3. de Sent. & re judicat.* juncto *cap. 4. de confirm. ult. & inutil.* Accedit, quòd tam ex profanis, quàm sacris historiis habeatur, Testamenta longe ante conditas Leges Civiles à variis gentibus esse facta: ergo. Nec obstat, quòd modus & certa forma testandi sit introductus à jure Civili; quia etiam non obstante hujusmodi forma per Legem humanam in contractu Matrimoniali, adinventa, contractus Matrimonialis est de jure naturali, & gentium. 280

Quoad secundam Rubricæ partem, nempe de iis, qui facere Testamentum non possint, notandum prius, plures esse condendi Testamenti incapaces; quos pro majori claritate in tres Classes dividere, & pro singulis Classibus, singula quæsita instituere placet: videlicet. Primo de illis, qui ab ipsa natura, ob defectum nempe naturalem corporis, vel animi ad facienda Testamenta sunt incapaces. Secundo de iis, qui à natura capaces, per Legem humanam Civilem, vel Canonicam sine respectu ad culpam, vel delictum, ob defectum ætatis v. g vel ob conditionem personæ aut status testari prohibentur. Tertio de iis, quibus per eandem Legem humanam ob culpam, & delictum adempta est potestas testandi. Itaque 281

Quæritur II. Quinam ab ipsa natura à faciendo Testamento arceantur? Resp. Sequentes I. Infantes ante usum rationis; quales de jure præsumuntur esse omnes [illegible] mum annum nondum attigerunt. Omnes [illegible], quia ut actus humanus valeat, etiam jure naturali requiritur, ut agens careat usu rationis, *arg. §. Item furiosus. Instit. Quibus non est permissum facere testam.* juncta *Leg. 2. & Lege In adversa 17. ff. Qui testament. facere.* 282

II. Fu-

283 II. Furiosi, amentes, mente capti, & universaliter omnes, qui usu rationis carent, Jure naturali Testamentum facere prohibentur, eo tempore, quo usu rationis actualiter privati existunt. Rursus communis ac certa. Ratio eadem est, quæ *in præcedenti num.* de infantibus dicta est. Textus habentur *in §. 1. Institut. Quibus non est permissum.* ibi: *Item furiosus, quia mente caret. & L. 2. ff. Qui testam. facere,* ibi: *in eo, qui testatur, ejus temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda l. In adversa 17. ff. eod.* ibi. *In adversa corporis valetudine mente captus, eo tempore testamentum facere non potest.* Concordat *l. furiosus 9. C. eod. & l. Furiosi 20. ff. de R. I.*

284 Dicitur autem notanter, *eo tempore quo usu rationis actualiter privati existunt.* Quia, si quis Testamentum fecit, antequam in furorem vel insaniam incideret, dum adhuc usu rationis gaudebat, absque dubio validum erit: non obstante, quòd posteà furor, insania, vel alia rationis privatio sequatur, ut omnes concedunt, textu claro *l. Qui Testamento, 20. §. 4. ff. Qui Testam. facere,* ibi: *Testamentum quoque, quod ante furorem consummavit, valebit & §. 1. Inst. Quibus non est permissum,* ibi: *Certè eo, quod ante furorem fecerint, testamento valente;* ubi etiam ratio assignatur illis verbis: *Nam neque Testamentum rectè factum, neque ullum aliud negotium rectè gestum postea furor* (vel alia rationis privatio) *perimit.* Cui consonat *l. In ambiguis §. 5. ff. de R. I.* ibi: *Non est novum, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licèt ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt.*

285 Pariter valent Testamenta condita à furiosis, vel aliàs usu rationis privatis, condita tempore, quo habuerunt lucida intervalla, textu claro *cit. §. 1. Instit. Quibus non est permissum,* ibi: *Furiosi autem, si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, Jure testari videntur,* & *l. Furiosum 9. C. qui testam. facere poss.* ibi: *Si verò voluerit in dilucidis intervallis aliquod condere testamentum, & ultimam voluntatem, & hæc sana mente inceperit facere, & consumaverit, nullo tali morbo* (rationis usum impediente) *interveniente, stare Testamentum sive quamcumque ultimam voluntatem censemus: si & alia omnia accesserint, quæ in hujusmodi actibus legitima observatio requirit.*

286 Verum ut valeat Testamentum, vel alia ultima voluntas, non sufficit, eam ante insaniam, furorem, aut aliam rationis privationem, vel tempore serenæ mentis, lucidivè intervalli incipere, sed necessariò requiritur, ut omninò & totaliter sit absoluta & completa, adeò, ut si durante testandi actu in furorem, amentiam, vel insaniam incidat, aut aliàs usu rationis privetur, tota dispositio sit nulla, & si hæredem, vel aliqua legata, serena mente jam pronunciarit Testator. Sichard. *ad Rubric. C. Qui testam. facere num. 15.* [illegible] *de testament. tit. 2. num. 54. & seqq.* & communis aliorum, *arg. cit. L. 20. § 4. ff. Qui testament. facere,* ibi: *testamentum consummatum valebit,* & *l. Furiosum 9.* ubi dicitur, *si cœpto testamento eum furor,* (vel alia rationis privatio) *invasit, tale testamentum hominis, qui in ipso actu testamenti adversa valetudine tactus est, pro nihilo esse:* iis tamen exceptis, quæ disposita sunt ad causas pias, juxta dicta suprà *n. 171. & seqq.* ubi docuimus, quòd licèt Testamentum cœptum, & non perfectum, sit nullum in ordine ad ea, quæ concernunt causas profanas, subsistat tamen quoad dispositiones pias.

287 Porrò ad hoc, ut valeat ultima dispositio tempore lucidi intervalli facta, requiritur, ut certò, ac liquidò constet de lucido intervallo, & quòd eo tempore Testamentum factum atque perfectum sit, casu quo Testatori furor, insania, amentia, aut alia rationis privatio perpetuò ac insanabiliter, aut longo tempore notoriè inhæret. Ratio est; quia in tali casu Testator semper præsumitur talis, nisi aliud manifestè probetur. Menoch. *lib. 6. Præsumpt. 44 num. 2. & 7.* dicens hanc esse sententiam omnium, item *Præsumpt. 45. num 59. & seqq* ubi plurimos alios refert: inter quos est Abbas *c. Cùm inter Canonicos, de Elect. num. 16.* Jason *L. Patre furioso num. 6. ff. De his qui sunt sui.* Ratio est; quia in ita affectis hominibus mentis serenitas, seu sanitas, accidens esse videtur; accidentia autem non præsumuntur, sed probari debent, Menoch. *loc. cit & Præsumpt. 45. num 64. arg. l. Si verò §. Qui pro rei qualitate ff. Qui satisdare coguntur.* Ut proin hæredi scripto incumbat probatio, quòd Testator totum Testamentum tempore lucidi intervalli absolverit, non obstante, quòd constet, vel probatum sit Testatorem subinde habuisse dilucida intervalla. Censetur autem lucidum intervallum habuisse, sanæque fuisse mentis, quando producit actus homini sanæ mentis convenientes, sua negotia rectè peragit, & ad interrogata convenienter & prudenter respondet. Menoch. *loc. cit. num. 21.* citans Rotam, ac plures alios DD.

Secus est in casu, quo Testator non perpetuò, nec incurabiliter, nec ad longum tempus, sed per accidens ad modicum tempus, vel aliquot dies evasit furiosus, aut usu privatur rationis. Quod idem dic in casu, quo non constat, Testatorem prius fuisse furiosum, insanum, aut usu rationis privatum: his enim in casibus testator præsumitur fuisse sanæ mentis, incumbitque asserenti probare, quòd tempore conditi testamenti testator non habuerit usum rationis. Menochius *loc. cit. præsumpt. 45. n. 18.* Mynsing. *ad §. 1. Instit. Quibus non est permissum num. 7.* Bartolus *in l. Filium ff. de Acquir. hæred.* Baldus *in l. Ne Codicillos C. de Codicill.* & communis aliorum, *arg. c. Cùm dilectus de Success. ab intestat.* & ibi Glossa *vers. Competem. ac l. Ne Codicillos 5. C. de codicill.* Ratio est; quia natura ordinariè parit homines sanos, consequenter qui contrarium asserit, probare debet: cum ei adversetur præsumptio à natura descendens. Hinc etiam fit, quòd inter testes disconvenientes magis credatur deponentibus de sana ratione, quàm deponentibus de insania. Menochius *loc. cit* Decius, Socinus, & alii. Quomodo autem quis probare valeat, testatorem tempore conditi testamenti non habuisse usum rationis, aut saltem sana cum mente illud totum non absolvisse, vide Menochium *loc. cit. præsumpt. 45.* ubi *n. 22. & seqq* ponit septemdecim signa ex quibus carentiam rationis probare licet. 288

II. A natura incapaces ad Testandum sunt surdi & muti simul à natura, *§. Item surdus 3. Instit. Quibus non est permissum, Testamenta facere l. qui in potestate 6. §. 1. ff. qui Testam. facere,* & *l. Discretis 10. C. eod.* ubi tamen distinguit Legislator, & ita disponit; quòd licèt surdi & muti simul à natura, incapaces sint condendi testamenti; condere tamen illud valeant, si non à natura, sed primum in decursu vitæ per accidens tales effecti sunt; dummodò litteras edocti, scribere, & voluntatem suam litteris exprimere valeant. Item disponit, quòd si Testator sive à natura, sive per accidens mutus quidem, non tamen simul surdus sit, & scribere valeat, Testamentum facere validissimè possit. Vel contrà si surdus quidem sive à natura, sive per accidens, non tamen simul mutus sit, sed articulatè loqui possit, Testamentum tam ore tenus, quàm in scriptis condere queat. Unde per hanc *l. 10. Cod. h. t.* correctæ censentur dispositiones Digestorum *l. Si mutus aut surdus 17. & l. Filiifamilias 16 ff h. t.* [illegible] ad condendum Testamentum incapax [illegible] sive surdus, vel mutus est. Sequuntur [illegible] niter, ut Pirhing. *h. t n. 25.* Perez *ad tit. [illegible] Testam. facere.* Layman *lib 3 tr. 5. cap. 3 n. 2.* & [illegible] Concordant statuta Bavariæ *Landrecht. tit. [illegible]* 289

Intelliguntur autem hic per sur[illegible], qui difficulter vel minus clarè audiunt, [illegible] omninò nihil percipiunt. Sicut pariter per [illegible] non intelliguntur illi, qui tardè, vel difficulter loquuntur, sed illi soli, qui nihil eloqui valent, *arg. cit. l. Discretis 10. C. h. t. & §. Item surdus 3. Instit. quibus non est permissum,* ibi: Utique autem de eo surdo loquimur, qui omninò non exaudit, [illegible] qui tardè exaudit: nam mutus is intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tardè loquitur. 290

Occasione defectuum, ob quos Jure naturæ quis censetur inhabilis ad Testandum, meritò hic etiam fit mentio de cæcis, dicendo, quòd licet cæcis sive à natura, sive ex accidenti talibus condere Testamentum prohibitum non sit; nihilominus si Testari volunt, nuncupativum Testamentum facere debeant ob- 291

 ser-

servata forma *l. Hac consultissima 8. C. qui Testam. facere*, præscripta; ubi requiritur, ut testator præter septem testes, & alias Juris solennitates, etiam Notarium adhibeat ad hoc, ut Testamentum à testatore coram testibus oretenus enuntiatum conscribat; quod conscriptum testes omnes subscribere, & signare debent; Notario quoque sigillum suum apponente. Quòd si Notarius haberi nequit, loco illius octavum testem, qui munus Notarii obeat, adhibere testator cæcus debet. Vide legem ipsam *7. C. qui testam. facere*. Concordat Recessus Imperii 1512. *Tit. von Notarien §. aber tu eines Blinden*.

292 Quæritur III. Quinam de Jure naturæ capaces, per legem Civilem, vel Canonicam sine respectu ad culpam, vel delictum sint incapaces ad faciendum Testamentum? Resp. Sunt sequentes. I. Impuberes, Masculi quidem ante annum decimum quartum, & Fæmellæ ante annum duodecimum completum. Unanimis, claris Juribus *l. Si frater. 4. Cod. qui Testam. facere*, & *l. A qua ætate, 5. ff. eod.* ibi: A qua ætate vel masculi, vel fœminæ Testamentum facere possint videamus. Verius est in masculis quidem quartumdecimum annum spectandum, in fœminis verò duodecimum completum. Concordat *§. Præterea. Instit. quibus non est permissum*, ibi: Præterea Testamentum facere non possunt impuberes. Ratio subjungitur; quia nullum eorum animi judicium est. Quam rationem ulterius extendit, & ob eam etiam militibus nondum puberibus Testamenti factionem denegat Imperator *l. fin. C. de Militari testam.* illis verbis: Indignum nostris temporibus esse videtur, eum qui stabilem mentem nondum adeptus est, propter privilegium militum, sapientum hominum jura pertractare, & in tam tenera ætate, ex tali licentia parentibus fortè suis, vel aliis propinquis nocere propriam substantiam extraneis relinquendo.

293 Verum licèt tempus pubertatis debeat esse completum, citatis Juribus, non tamen requiritur, ut sit completum in omni rigore, de momento in momentum, ita ut totum absolverit, indeque jam aliqualiter excedat testator, *arg. cit. l. A qua ætate 5. ff. qui Testam. facere*, ibi: Utrum excessisse debeat quis quartum decimum annum, ut Testamentum facere possit; an sufficiat complesse? propone aliquem Calendis Januarii natum, Testamentum suum ipso natali suo [illegible] quartodecimo anno an valeat Testamentum? dico valere. Plus arbitror, etiamsi quis pridie Calendarum fecerit post sextam horam noctis (quæ apud nos est duodecima hora noctis) valere Testamentum: jam enim complesse videtur quartumdecimum annum, ut Marciano videtur. Ratio est; quia quamvis in odiosis, ac illis materiis, ubi agitur de præjudicio tertii, tempus requisitum debeat de momento in momentum compleri; uti videre est in materia præscriptionis: *arg. l. In omnibus [illegible] ff. de Diversis temp. præscript.* [illegible] tamen est in favorabilibus, utpote in quibus dies [illegible] habetur pro completa; factionem autem Testamenti esse favorabilem constat ex *l. In Testa[illegible]* [illegible] Dauth. *ad tit. qui Testam. facere n. 146.* cum communi aliorum.

294 Cæterum Impuberes ad Testamentum condendum adeò reputantur incapaces, ut nec authoritate Tutoris illud facere valeant, Sichard *ad Rubric. C. qui Testam. facere n. 6.* Mant. *de testam. tit. 2. n. 55.* cum communi: *arg. [illegible] ff. de tutel. & rat. distrah.* Ratio est; quia ultima voluntas non potest pendere ab alieno arbitrio, *arg. l. Illa [illegible] instit.* Neque convalescit Testamentum ab impubere factum, licèt ut pubes moriatur, *l. Si filiusfamilias 19. ff. qui Testam. facere*, & *§. Præterea 1. Instit. quibus non est permissum*, ibi: Nec ad rem pertinet, si impubes posteà pubes factus sit, & decesserit. Ratio est, quia in materia testamenti, illud tempus, quo fit Testamentum, attendi debet, *l. 2. ff. qui testam. facere*, & quia quod ab initio est nullum, tractu temporis non convalescit, *Reg. 18. de Reg. Jur. in 6. & l. 29. ff. de R. J.*

295 II. Filiifamilias sub patria potestate adhuc constituti, per leges testari prohibentur; etsi parens eisdem testandi facultatem concedat, [illegible] textu expresso *prin. Instit. Quibus non est permissum*, ibi: Iis, qui alieno juri subjecti sunt, Testamentum faciendi jus non habent, adeò quidem, ut quamvis parentes eis permiserint, nihilo magis de Jure testari possint. Idem dicitur *l. qui in potestate, 6. ff. qui testam. facere*, ibi: Qui in potestate parentis est, faciendi Testamenti jus non habet: adeò ut quamvis pater ei permittat nihilo magis tamen Jure testari possit: etiamsi filiusfamilias bona profectitia vel adventitia quæcunque non tantum communia & regularia, sed etiam irregularia, id est, talia habeat, quorum ususfructus, ad patrem non pertinet, textu claro *l. penult. & ult. C. Qui Testamento facere.* Schmidt *ad tit. 34. a. 11. n. 3.* Konig *h. t.* Covarruvias, Fachin. Harprecht, & teste Haunoldo *tr. 6. cap. 4. Controv.* communis Theologorum & Juristarum.

296 Nec obstat, quàm Hunn. *2. Variar. Resolut. 5 quæst. 10.* & alii objiciunt, *l. Cùm non. 8. §. 5. C. de Bonis quæ liberis*, ubi de iis duntaxat bonis adventitiis filii familias testari prohibentur, quorum usus fructus ad parentes pertinet, & consequenter à sensu contrario testari eis conceditur de iis bonis adventitiis, quorum usumfructum pater non habet; qualia sunt illa bona, quæ eis dantur, vel relinquuntur conditione hac adjecta, ne ad patrem perveniat ususfructus, *Auth. Excepts. C. eod.* Item illa, quæ filiusfamilias acquirit, succedendo unà cum patre vel matre in bona defuncti fratris aut sororis. *Authen. Item C. eod.* nec non & illa, quorum usumfructum pater filio liberè relinquit, *l. Cùm oportet. 6. §. Non autem 2. C. eod.* Nam contra est, quòd argumentum à sensu contrario non valeat contra expressum textum, qualis est *l. penult. C. eod.*

297 Pariter non obstat *Novell. 117. cap. 1. §. 1.* ubi dicitur, quod de præfatis bonis adventitiis, quorum ususfructus ad patrem non pertinet, filiusfamilias etsi sub patria potestate adhuc constitutus, *quo velit modo*, disponere valeat. Nam rursus contra est, quòd verba illa generalia, *quo velit modo* sint restringenda ad dispositionem inter vivos, aliàs enim sequeretur correctio Juris prioris *l. penult. C. de bonis quæ liberis*, quæ correctio pro possibili evitari debet *arg. c. Cùm expediat 29. de Election. in 6.* Accedit, quod Lex generalis posterior non tollat Legem specialiter loquentem priorem, sed per hanc distinguatur, & limitetur, prout amplius diximus *lib. 1. tit. 2. de Constitut. n. 296.*

298 Limitatur tamen doctrina *num. 295.* posita, in bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus, juxta communem & certam, Textus expressi sunt *in prin. Institut. Quibus non est permissum*, & *§. ult. Instit. de testam. milit. l. penult. & ult. C. Qui testament. facere*, ibi: *Omnibus omnino quibus quasi Castrensia peculia habere ex Legibus concessum est, habent licentiam in ea tantummodò ultimas voluntates condere.* Ratio est; quia in his bonis filius habetur loco patrisfamilias, ut proinde iis etiam invito patre pro libitu testari valeat: dummodò pubes sit, *arg. cit. Juribus num. 292.*

299 III. Mancipia, seu servi propriè dicti ex dispositione Juris facere Testamentum nequeunt, *l. Filiusfamilias prin. 16. & l. 19. ff. Qui testam. facere*, juncto *can. Illud 5. cau. 13. q. 2.* ubi Glossa *vers. Contradicat*, observat, in multis locis vigere consuetudinem, quod servi saltem filiis suis peculium, quod habent, relinquere possint. Notant autem Mynsig. *Cent. 2. Observ. 23.* Konig *h. t. n. 17.* Gletele *tract. Canonico Civili, c. 4. § 5 n. 3.* Gailus, & alii, servis propriè dictis non annumerari homines proprios, apud nos *Leibaigne*; eo quòd, licèt in quibusdam locis dure admodum tractentur, reverà tamen adhuc liberi ac ingenui sunt.

300 IV. Absque respectu ad culpam, vel delictum, facere Testamentum per Leges prohibentur capti ab hostibus in bello justo, *l. Ejus qui 8. prin. ff. Qui Testam. facere*, ibi: *Ejus, qui apud hostes est, Testamentum non valet, quamvis redierit.* Idem habetur *§. fin. Instit. Quibus non est permissum*; ubi etiam additur, quòd licet non valeat Testamentum, quod captivus fecit tempore, quo apud hostes detentus existit, nec convalescat [illegible] à captivitate liberatur; valeat tamen, quod ante captivitatem condidit, etsi in captivitate moriatur. Concordat *Leg. 8. & 12. ff. Qui testam. facere*. Ratio autem, cur captivi in bello justo testari nequeant, est, quia statim, ac capiuntur, fiunt servi, uti cum aliis benè observat, & ex Jure inspiciet [illegible] Covarruvias *in Relect. cap. Peccatum part. 2. §. 11.* per totum.

301 Verùm notat idem Covarruvias *loc. cit. num. 6.* citans Bart. Abbatem, & alios, quòd hodie capti in bello etiam justissimo, quod Christiani cum Christianis gerunt, non fiant servi capientium; cùm vi consuetudinis reciproce à capientibus ut servi non habeantur, nec ut tales tractentur, sed solummodò detineantur, donec certa peculiarum quantitate redimantur; consequenter Testamentum, quod in hujusmodi captivitate Christiani detenti condunt, validum meritò reputetur. Idem dicendum existimat citatus Covarruvias *loc. cit.* de Christianis in bello captis per Turcas, & Saracenos; eò quòd hi contra Christianos ex odio Christiani nominis ordinarie dimicent, consequenter injustum bellum gerunt, sicque capti ab eis, servi eorum reverà non evadant, quantumvis ab eis pro talibus habeantur, Unde Testamentum, quod Christianus apud Turcas captivus condit validum erit. Econtrà tamen, si Turcæ à Christianis capiuntur, veri & proprii servi Christianorum evadunt; ut cum aliis observat Schneidewin *ad §. penult. Instit. de Jure person.* Ratio est; tum quia bellum Christianorum adversus Turcas justum est: tum quia Jure talionis pro servis meritò habentur capti Infideles, qui capientes Christianum non nisi ut servum habent.

302 Captis in bello aliqualiter æquiparantur obsides, qui publicarum conventionum firmandarum causa ab uno populo traduntur alteri quasi pignoris loco; hac tamen differentia, quòd libertatem non statim amittant, nec statim fiant servi illius, cui traduntur; sed tunc tantùm, quando pacta à parte Obsides dante non servantur. Verumtamen *Obsides testari non possunt, nisi eis permittitur*, *Lege Obsides 11. ff. Qui Testam. facere.*

303 V. Sunt Clerici, & Religiosi: de quibus tamen specialiter *§. seq.*

304 Quæritur IV. Quinam per [illegible] ob defectum morum, vel ob culpam, & delictum sint incapaces faciendi Testamentum? Resp. [illegible] I. Damnati ob libellum famosum, vulgò *Pasquillum*, *Leg. Is cui 18. § 1. ff. Qui Testam. facere*, ibi: Si quis ob carmen famosum damnetur, Senatu consulto expressum est, ut intestabilis sit. Idem habetur *l. 21. ff. de testibus*.

305 II. Damnati ad mortem naturalem vel civilem, Abbas *ad Rubric. h. t. num. 4.* Jul. Clarus *§. Testamentum quæst. 21. num. 1.* citans communem, Pirhing *h. t. n. 25.* Covarruvias *in Rubric. de Testament. p. 3. num. 27.* Layman *loc. cit. num. 2.* & communis aliorum, *arg. l. Ejus, qui 8. §. 1. ff. Qui Testam. facere*, & *l. Si quis 6. §. 6. ff. de Injusto rupto*, ubi etiam ratio additur; ibi: Sed & si quis fuerit capite damnatus, vel ad bestias, vel ad gladium, vel aliam pœnam, quæ vitam adimit, Testamentum ejus irritum fiet & cùm [illegible] servus efficitur. Imò etiam illud Testamentum, quod ante crimen vel condemnationem fecit, secuta damnationis sententia nullum & irritum fit, *cit. lib. Ejus qui 8. §. 1. ff. Qui Testament. facere*, ibi: Si cui aqua & ignis interdictum sit, ejus nec istud Testamentum valet, quod antea fecit, nec istud, quod posteà fecerit. Idem est de Donationibus mortis causa, *L. Si aliquis 7. ff. de Mortis causa Donat.* Excepta donatione conjugi facta, utpote quæ ante crimen facta, etiam post sententiam condemnatoriam subsistit, *l. Res C. de Donat. inter virum & mulier.* nisi donans sit reus criminis læsæ Majestatis, ob quod memoria delinquentis damnanda est. *Leg. Cùm hic status §. Cùm maritus 2. ff. de Donation. inter virum & mulier.* Donationes tamen inter vivos post crimen commissum, sed ante damnationem factæ subsistunt, *l. Post contractum 15. ff. de Donat.*

306 Non desunt tamen qui docent, etiam post latam jam sententiam & condemnationem, damnatos hodierno Jure validè testari, & alias dispositiones mortis causa facere posse; ita namque sentiunt Salicet *in Auth. Sed hodie n. 2. C. de Donation. inter virum & mulier.* & plures alii apud Clarum *loc. cit. in Addit.* citati; ipseque Clarus fatetur, ita fere ubique observari, quod idem dicit Imola *in cap. Quia ingredientibus: h. t. num. 30. in fine.* Ratio eorum est; quia antiqui Juris cessat ratio, consequenter ejusdem dispositio: siquidem hodierno Jure propter nullum delictum quantumvis grave, quis pœnæ servus efficitur, *Auth. Sed hodie, C. de Donation. inter virum & mulier.* ac *Novell. 22. cap. 8.* nec damnatum ampliùs comitatur publicatio bonorum nisi sit reus criminis læsæ Majestatis, *Auth. Bona damnatorum, C. de Bonis proscrip. seu damnat. & Novell. 134. cap. ult. ad finem.* Ob quæ Jura, licèt sententia hæc improbabilis de Jure non videatur, in praxi tamen attendenda circa hoc videtur locorum consuetudo, ut benè observat Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 3. num. 2.*

307 Illud certum est, quod, si quis ante condemnationem condit Testamentum, atque ante eandem decedit, Testamentum valeat, licet ad mortem jam incarceratus sit, *l. Si quis, 9. ff. Qui Testam. facere*, *ibi*: Si quis post accusationem in custodia fuerit defunctus indemnatus, Testamentum ejus valebit. Imò, si quis in Capitali crimine damnatus appellaverit, & tempore pendentis appellationis fecerit Testamentum, & ita discesserit, valebit ejus Testamentum, ut dicit *l. Qui à latronibus, 13. §. 2. ff. eod.* Quæ notentur ab eis, qui incarceratos, vel damnatos ad mortem visitant.

308 III. Sunt Deportati, id est illi, qui à toto Romano Imperio ejiciuntur, ita ut non tantùm amittant omnia bona, sed etiam Civitatem Romanam, cessentque esse Cives Romani Imperii. *Authen. Delegatus, ff. de Interdicto & relegatis*, *ibi*: Deportatio civitatem, & bona adimit, *l. Ejus qui 8. §. 2. ff. Qui Testament. facere*. Imò deportatis non tantùm adimitur testandi facultas, sed etiam infirmantur Testamenta ante deportationem ab eisdem facta, *cit. lib. 8. ff. Qui Testament. facere*. His hodie æquiparantur Banniti, seu proscripti ab Imperatore, vel Camera Imperiali, *welche in die Reichs Acht erkent seyen* utpote pariter cessant esse Cives Romani Imperii, & pro hostibus ejusdem habentur. Gailus *de Pace publica; lib. 2. cap. 12. n. 3. & 5.* Concordant statuta Bavariæ *tit. 34. a. 11.* ubi Bannitis seu proscriptis ab Imperatore, *welche in des Kaysers Acht seyn* testandi facultas specialiter adimitur.

309 Relegati tamen, id est illi, qui non ex toto Imperio, sed à certa aliqua Provincia exulare coguntur, potestate testandi gaudent, *Authen. Relegatus, ff. de Interdictis & Relegat.* Ratio est; quia hi cives Romani esse non cessant; nec bona aut jura sua amittunt, *L. Relegati, ff. de Interdict. & relegat. ibi*: Relegati in potestate sua liberos retinent, quia & alia omnia sua retinent: & bona quoque sua omnia retinent. Concordat *Auth. Relegatus, Digestis eodem ibi*: Magna est differentia inter Deportationem, & Relegationem; nam deportatio Civitatem & bona adimit: Relegatio neutrum tollit. Relegatis similes sunt, qui tantùm ab aliquo Principe, vel Electore Imperii proscribuntur, dum à Provincia sua exulare coguntur: Sicut Deportatis assimilantur Banniti à Cæsare. Plura de Relegatis, & Deportatis qui desiderat, videat apud Jul. Clarum *§. Testamentum, quæst. 19. & 21.* Schmidt *ad tit. 34. a. 11. n. 51.* & alios.

310 IV. Testari prohibentur Rei criminis læsæ Majestatis, id est, qui hostile quid contra [illegible] Principem, vel ejus Consiliarios moliuntur: [illegible] *C. ad l. Jul. Majestatis*, ubi etiam aliæ pœnæ [illegible] criminis Reis dictantur: Inter quas *L. 6. C.* [illegible] est, quòd hæredibus quoque eorum bona [illegible] criminis læsæ Majestatis, communi [illegible] Juris æquiparantur proditores patriæ [illegible], qui in patriæ perniciem conspirant, vel [illegible] moliuntur. Concordant statuta Bavariæ *loc. cit.*

311 V. Ob delictum per Leges prohibentur testari Hæretici, *l. Manichæos 4. & Arians 5. C. de Hæreticis*, ubi plurimi Hæretici in specie enumerantur. Idem dic de receptoribus, defensoribus, & fautoribus Hæreticorum, *Authen. Credentes, C. eod. ibi*: Præterea receptores, defensores, & fautores Hæreticorum, quilibet talium &c. sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Concordat Jus Canonicum *c. Excommunicamus 13. §. Credentes de Hæret.* ubi tenor *Authen. Credentes* ad verbum refertur. Notandum tamen, vi pacis Westphalicæ Lutheranos, & Calvinistas in Imperio tolerati, indeque ibi-

ibidem & factionis Testamentorum, & aliorum Iurium Civilium capaces esse.

312 VI. Omnis ille, qui S. R. E. Cardinalem fuerit hostiliter insecutus, vel percusserit, aut ceperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandavit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit, vel favorem, aut posteà receptaverit, vel defensaverit scienter eundem &c. sit intestabilis, ut nec Testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex testamento, vel ab intestato vocetur. Sunt verba *c. Felicis, 5. de Pœnis in 6.*

313 VII. Sunt Usurarii manifesti, horum enim Testamenta ipso jure sunt nulla, nisi priùs usuras restituant, aut de restitutione facienda idoneam cautionem præstent textu expresso *c. fin. ad finem, de Usuris in 6.* ibi: Testamenta quoque manifestorum Usurariorum aliter (id est, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent idoneam cautionem) facta non valeant, sed sint irrita ipso jure. Quod intellige etiam de Testamento, quo Testator priùs, antequam usuras exerceret, condidit, Covarruvias *lib. 3. Variar. Resolut. cap. 3. ad finem*, Imola *in c. 2. de testam. n. 25.* & alii à Covarruvia citati. Ratio desumitur ex textu citato, ubi indistinctè quodvis Testamentum usurarii, nisi restituat, vel cautionem præstet, nullum dicitur; atqui Testamentum ante practicatam usuram factum, verè dicitur Testamentum usurarii tempore illo quo Testator usuræ subjacet; ergo nullum erit, nisi restituat, vel cautionem præstet. Quinam verò censendi sint usurarii manife[illegible] dicetur *lib. 5. tit. 19. de Usuris.* Videri e[illegible] Covarruvias *loc. cit. num. 5.* & Menochius *de Arbitrar. jud. lib. 2. casu 235.*

314 Utrùm autem Testamenta ante usuræ usum, vel tempore, quo usuris subjacet Testator, facta convalescant, si non ante, sed post factum jam Testamentum restitutionem facit, vel cautionem præstat Testator; licet magna sit controversia inter Doctores, ut videre est apud Jul. Clarum *loc. cit. q. 26. n. 3.* Covarruviam *loc. cit.* communis tamen docet, Testamentum omnino convalescere; dummodò ante mortem adhuc restituat, vel cautionem præstet usurarius Testator Jul. Clarus *loc. cit.* Covarruvias *loc. cit.* Joan. Andreas, & Anchoranus *in c. fin. de Usuris, in 6.* & ibidem Glossa *vers. Aliter facta*, Schmidt *ad tit. 34 art. 11. n. 68.* & communis aliorum. Ratio est; quia talis reverà satisfacit Canonicæ Constitutioni *c. fin. de Usuris in 6.*

315 Nec obstant, quas Adversarii objiciunt, & ob eas de Jure veriorem judicant sententiam contrariam, *Reg. 18 jur. in 6.* Non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non subsistit: & *l. 29. ff. de R. I.* Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. Nam contra est, quòd per *c. fin. de Usuris, in 6.* Testam[illegible] Usurariorum non absolutè ac simpliciter, sed sub conditione videantur declarata nulla, videlicet, nisi [illegible] mortem adhuc restitutionem faciat, vel de ea [illegible] cautionem præstet Testator.

316 [illegible] ob culpam testari non possunt, qui [illegible] nuptias contraxerunt. Ratio est; quia horum [illegible] bona statim Fisco addicuntur, consequenter de eisdem disponere nequeunt. *Novel. 12. c. 1.* ubi tamen additur, quod si liberi ex legitimis nuptiis extent, præferantur Fisco.

317 [illegible] Prodigi quibus bonorum administratio in[illegible] *Quibus non est permissum, ibi:* [illegible] administratio in[illegible] testamentum facere non potest, sed id, [illegible] quam inter dict[illegible] bonorum suorum ei [illegible] ratum. Idem habetur *l. Is cui 18. ff. qui testam. facere* [illegible] textibus Doctores communiter inferunt [illegible] Testamentum Prodigi, non tantum illud [illegible] ante prodigalitatis vitium fecit; sed etiam [illegible] fecit, si prius prodigus nondum [illegible], ubi expressè dicitur, [illegible] Testamentum, quod ante fecit, quam interdictio [illegible] ratum sit. Mynsing. *in cit. §. Item [illegible] Quibus non est permissum*, & ibi [illegible] *§. testamentum n. 36* & Glossa communiter recepta in *l. Is cui 18. ff. qui testament. facere.* Bartolus, Jason, Dauth. M[illegible] & alii. Rationem dant, quia non ipsa prodigalitas, sed declaratio, & Judicialis interdictio inhabilem ad testandum facit.

318 Non desunt tamen docentes, testamentum, quod manifestè prodigus facit, etiam ante declarationem prodigalitatis invalidum esse. Moventur hac ratione, quòd prodigus dicatur bonis Lege interdici, *l. 1 ff. de Curat. furios. & l. Is cui. L. 18. ff. qui testament. facere*: id autem Lege fieri dicitur, quòd sola fit lege, nullo hominis facto interveniente, *arg. l. legitimos 5. princ. ff. de legitim. Tutor.* cum concordantiis. Verùm quia *§. Item 2. Instit. Quibus est permissum*, valdè clarè sonat, quod valeat testamentum prodigi, antequam interdictio ei fiat, à communi sententia non videtur recedendum.

319 Hactenus enumeratis ad testandum inhabilibus addunt aliqui Excommunicatos non toleratos: communis tamen sententia contraria est, uti videre est apud Pirhing *h. t. num. 25.* Abbatem *ad Rubric. h. t. n. 5.* eò quòd nullo Jure videantur prohibiri testari, excepto casu, quo excommunicantur ob delictum inhabilitatem testandi inducens, quale est *Hæresis c. 13. de Hæret. & c. Filius 5. eod. in 6.* Idem est de infamibus, ut benè advertit Molina *Disp. 137. num. 9.* Covarruvias *lib. 3. Variar. Resolut. cap. 3. n. 8.*

320 Quæritur V. An hucusque recensiti ad testandum inhabiles, etiam ad causas pias testamentum facere nequeant? Resp. I. Illi, qui ex natura ad testandum sunt inhabiles, videlicet infantes, amentes, insani, furiosi, muti & surdi simul à natura, nec ad causas pias facere possunt testamentum. Communis ac certa. Patetque Conclusio ex dictis suprà, ubi cum communi aliorum diximus pro valore testamenti ad causas pias saltem ea adesse debere, quæ de Jure naturæ requiruntur; consequenter ubi potestas testandi Jure naturali deest, nullum etiam ad causas pias fieri poterit testamentum.

321 Resp. II. Qui solo Jure Civili sunt inhabiles ad testandum, validè ac licitè possunt facere testamentum de iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent. Riccius *in Praxi aur[illegible] 4. Resolut. 8. per totum* Bartolus *in l. 2. C. de SS. Eccl.* [illegible]ngel *h. t. n. 4.* Molina, Lessius, Sanchez & alii *arg.* [illegible] *E. C. de SS. Eccles.* ubi Imperator *unicuique* absque lim[illegible]one, consequenter etiam alias inhabilibus licentiam concedit testandi ad piam causam. Nam natura dictionis *unusquisque* est, neminem excludere, *l. 29. ff. de Hæredib. instit. ibi*: Hoc articulo unusquisque omnes significantur. Nec dicas cum adversariis per ly *unusquisque* intelligi unumquemque de Jure habilem, non verò inhabilem. Nàm contra est: tum quòd in dicta *lib. 1.* concessum est causis piis speciale privilegium; atqui non esset privilegium, si per ly *unusquisque* tantùm intelligerentur alias jam habiles, ut benè observat Riccius *loc. cit.* & consideranti patet.

322 Probatur etiam ratione, videlicet; quia testamentum ad pias causas nullo modo subjacet dispositioni Juris Civilis, sed secundùm Canones, Juraque naturæ & gentium judicandum venit, *arg. [illegible] Relatum 11. h. t.* prout ipsi etiam fatentur Adversarii, qui propterea communiter docent, quod in testamento ad causas pias mulier possit esse testis; item quòd testes necessariò non debeant esse rogati &c. non obstante, quod Jus Civile contrarium disponat: ergo pariter non obstante, quod quis Jure Civili testari nequeat, potuerit saltem testari ad causas pias, si de Jure naturæ ac gentium inhabilis non est. E[illegible] nulla apparet [illegible] ratio, cur testamentum ad pias causas coram testibus fœminis valeat, & non valeat testamentum ad pias causas à prodigo v. g. factum, cum de Jure Civili non minus invalidum sit testamentum coram testibus fœminis, quàm à prodigo factum: & Ratio, ob quam testamentum ad pias causas coram fœminis factum valet, videlicet, quia in testamento ad pias causas non attenditur dispositio Juris Civilis, æquè militet in testamento ad pias causas à prodigo facto: ubi autem eadem est ratio, ibi eadem esse debet dispositio.

323 Dicitur autem notanter in Conclusione [illegible] bonis, *quorum perfectum dominium adhuc habent*: quia de bonis aliquo modo alienis, & de quibus sine præjudicio tertii testamentum à dictis inhabilibus fieri nequit, neque ad causam piam testari valent. Ratio est; quia Ecclesia, & SS. Canon[illegible] causis piis privilegium cum præjudicio aliorum concedere neutiquam intendunt *arg. cap. fin. de Sepult. in 6.* ubi propterea filius familias de bonis adventitiis (quorum usumfructum parens habet, consequenter quorum dominium perfectum ad filiumfamilias non pertinet) etiam ad causam piam testari prohibetur; ne videlicet alias præjudicium emergat patri, utpote qui usufructu, de Jure sibi competente, si tale testamentum ad pias causas valeret, privaretur. Idem universaliter dic de omnibus illis, qui etsi solo Jure Civili testari prohibeantur, tamen ob delictum Confiscationem omnium bonorum inducens, sunt inhabiles ad testandum, quia cùm Leges Civiles talibus delinquentibus bona justè auferant, eaque Fisco attribuant, non intendit Ecclesia cum præjudicio Fisci, talibus concedere privilegium testandi ad causas pias.

324 Infertur proin, quòd, quia juxta dicta, Rei criminis læsæ Majestatis contrahentes incestuosum matrimonium, Deportati & Banniti à Cæsare; & Hæretici illicò sua amittunt bona, eaque Fisco cedere debent, testamentum etiam ad causas pias facere non valeant; licèt sola Lege Civili ad testandum sint inhabiles. Pariter quia filiusfamilias bonorum profectitiorum, & adventitiorum perfectum dominium non habet; cùm usufructus regulariter ad patrem pertineat, juxta dicta *n. 295.* nec ad causam piam testari valeat. Aliud est de illis bonis profectitiis & adventitiis, quorum usumfructum pater non acquirit, cum enim horum perfectum habeat dominium filiusfamilias, testandoque nulli causet præjudicium, testari de illis ad pias causas poterit. Quænam autem sint talia profectitia, vide quæ diximus suprà *num. 296.*

325 Infertur ulteriùs, quòd, quia prodigi rerum suarum dominium retinent, testari ad causas pias valeant, non obstante, quod administratione bonorum careant; cum hujus privatio, Testamenti factionem neutiquam impediat; prout videre est in minore pubere, qui testari juxta omnes potest; licèt administrationem rerum suarum non habeat. Idem est de impuberibus pupillis septimum annum jam egressis, judicium sufficiens ac naturale ad peccatum mortale, consequenter etiam ad valorem naturalem aliorum actuum jam habentibus. Pariter, quia juxta dicta suprà *n. 306.* bona damnatorum ad mortem non confiscantur, testari saltem ad causam piam poterunt taliter damnati.

§. XI.

De Testamentis Clericorum tam Regularium, quàm sæcularium: tam Majorum, quàm inferiorum.

SUMMARIUM.

326 *Clerici testari possunt de bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus.*
327 *Sicut & de patrimonialibus.*
328 *Solvitur Objectio.*
329 *De bonis Ecclesiasticis superfluis, nec ad piam causam testari potest Clericus, loquendo de Jure.*
330 *Vi consuetudinis possunt de præfatis bonis testari ad causam piam.*
331 *Talis consuetudo passim habetur introducta.*
332 *Solvitur Objectio.*
333 *Doctores scribentes vi consuetudinis posse Clericos validè & licitè testari ad causas profanas.*
334 *Alii volunt, id validè sed non licitè fieri posse.*
335 *Probabilius est, quòd nec licita, nec valida, consuetudo testandi ad causas profanas dari possit.*
336 *Probatur ratione duplici. Et n. seqq.*
338 *Consuetudo irrationabilis nec licita.*
339 *Nec valida est.*
340 *Implicat consuetudinem aliquam esse validam, & non licitam.*
341 *Probatur dilemmate.*
342 *Vi Juris quidem, sed non vi consuetudinis esse quidem potest illicitum, & tamen validum.*
343 *Solvitur objectio. Et n. seq.*
345 *Clerici bona superflua Jure Divino tenentur erogare in causas pias.*
346 *Licèt Papa det licentiam testandi de bonis Ecclesiæ superfluis.*
347 *Tenentur Clerici Jure Divino dicta bona ad causas pias erogare, & quare? ac n. seq.*
349 *Acquisibilia privilegio, sunt etiam acquisibilia consuetudine.*
350 *Consuetudo testandi ad causas profanas cur toleretur?*
351 *Probabilius est, eam nullibi inveniri.*
352 *Respondetur ad rationem Adversariorum.*
353 *Hæredes profani nec ex testamento, nec ab intestato accipere, vel retinere possunt bona Ecclesiastica.*
354 *Si sciunt, vel prudenter præsumere possunt illa talia esse.*
355 *Secùs si id ignorant.*
356 *Doctrina practica quoad hoc.*
357 *Nullus Religiosus potest facere testamentum.*
358 *Neque ad pias causas.*
359 *Neque cum licentia Superioris.*
Nemo potest dare quod non habet, Ibid.
360 *Nec aliam ultimam voluntatem facere possunt Religiosi.*
361 *Novitii quovis tempore facere possunt testamentum.*
362 *Nec tenentur ad formam Concil. Trident. Et nu. seq.*
364 *Testamentum ante Professionem factum, post Professionem subsistit.*

SUppono priùs ex dictis suprà *præced. Tit. nu. 3. & 4.* Quænam sint, & dicantur bona Clericorum patrimonialia, quasi patrimonialia, seu industrialia, parsimonialia, & merè Ecclesiastica.

326 QUæritur I. An, & de quibus bonis Clerici sæculares facere possint Testamentum? Resp. I. De Bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus, seu industrialibus Clerici sæculares omnes tam majores, quam minores, æquè ac Laici facere possunt Testamentum. Jul Clarus *§. Testamentum q. 27.* Abbas *in c. 1. h. t. n. 1.* Pirhing *h. t.* Navarrus *de Reddit. Eccles. q. 1. n. 59.* & 82 cum communi, & certa aliorum. Claris Juribus, *c. Quia nos 9. h. t.* ibi: Consultationi tuæ respondemus, quòd Clerici de his, quæ paternæ successionis vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant. De his tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure facere possunt Testamentum. Concordat *can. 1. & 2. caus. 12. q. 3. & can. Episc. 19. ead. caus. q. 1.* ibi: Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, relinquant.

327 Resp. II. Etiam de Parsimonialibus bonis possunt Clerici facere Testamentum. D. Thomas *2. 2. q. 185. art. 7 in respons. ad 2.* Covarruvias *de testament. cap. 7. nu. 9.* Navarrus *de Reddit. Eccles. q. 1. mon. 26. & 43. ac 44.* Pirhing *h. t. n. 33.* Konig *eod. n. 27.* estque communiter recepta sententia: ita ut Barbosa *in c. Cùm in officiis n. 3. h. t.* dicat, ita de facto sentire omnes, etsi contrarium teneat Garcias *de Benefic. p. 2. cap. 1. n. 9.* Ratio Conclusionis est; quia ut suprà *Tit. præced. num.* [illegible] dicimus, Clerici bonorum parsimonialium [illegible] domini, habentque illimitatam potestat[illegible] libitu disponendi; ergo etiam testandi, [illegible] *19. caus. 12. q. 1.* ubi de *propriis rebus* testar[illegible] conceditur; consequenter etiam de bonis parsimonialibus, utpote propriis, & ad dominium Clerici spectantibus juxta dicta.

328 Nec obstat *c. Quia nos h. t.* ubi dicitur, quòd Clerici de bonis, quæ intuitu Beneficii perceperunt, qualia etiam esse videntur bona parsimonialia, nullum de Jure facere possint Testamentum. Nam contra est quòd ibi sit sermo de solis Ecclesiasticis superfluis, hoc ipso, quòd bona sustentationi necessaria, postquam Clerico ad hunc finem semel data fuere & collata, cessent esse bona Ecclesiastica, sicut bona superflua à Clerico pauperi data; eò quod finis Fundatorum jam sit impletus; ut proin sicut pauper ita acceptorum perfectus sit dominus, perfectèque de eis disponere potest, ita & Clericus de bonis ad suam honestam sustentationem sibi collatis, perfectè disponere potest.

Resp.

329 Resp. III. De bonis Ecclesiasticis superfluis Clerici penitùs nullum, nec ad causam piam, de Jure facere possunt Testamentum. Omnes, ob clarissima Jura *cit. c. Quia nos q. h. t.* ibi: *Quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt; nullum de Jure facere possunt testamentum* & *c. Ad hæc* 8. *eod.* ubi licèt concedatur, quòd Clerici in vivis existentes de Bonis Ecclesiasticis eleemosynam dare queant, tam etiam eleemosynæ causa, consequenter ad piam causam testari prohibentur, ibi: *Præsentibus innotescat, quòd Clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de Jure testari non possint: viventes tamen, & sui compotes moderatè valent aliqua de bonis ipsis, non ratione testamenti, sed eleemosynæ intuitu erogare in ægritudine constituti*: Concordat *c.* 1. & *c. Cùm in officiis* 7. & *c. Relatum* 12 ac alia *h. t.* Ratio autem, ob quam Ecclesia etiam ad pias causas de bonis Ecclesiasticis testari prohibuit Clericis, secundum Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 3 *num.* 6. Navarrum, & alios, videtur fuisse hæc, ut Clerici videntes, nullam sibi superesse facultatem de bonis suis mortis causa disponendi, à turpi illa ac nociva erogandi cura, & sollicitudine liberi, bona sua superflua adhuc in vivis in pias causas, pauperes præcipuè, quorum patrimonium alias jam sunt, libentius erogarent.

330 Quæritur II. An non saltem vi consuetudinis Clerici de bonis Ecclesiasticis superfluis pro libitu tam ad profanam, quam piam causam testari valeant? Resp. potest induci legitima consuetudo, vi cujus Clerici sæculares de bonis Ecclesiasticis superfluis Testamentum ad pias causas validè, & licitè condere queunt. Molina *Disp* 147. *n.* 25. Pirhing *h. t. num.* 40. Abbas *in cap. Cùm in officiis h. t. num.* 5. Layman, Navarrus, cum communi & certa aliorum *arg. c. Relatum* 12. *h. t.* Ratio est, quia testari ad causas pias Clericis prohibitum est solo Jure humano; contra Jus autem humanum validè, & licitè introduci potest consuetudo, *cap. fin. de Consuetud.* ergo.

331 Et quidem hujusmodi consuetudo de bonis Ecclesiasticis superfluis testandi ad causas pias, passim, præsertim in Germania habetur introducta à Clericis inferioribus; non item ab Episcopis, ut proin illi, non item isti de præfatis bonis Testamentum ad pias causas facere validè ac licitè possint, Quamvis teste Molina *loc. cit.* etiam Episcopis Pontifex licentiam ad pias causas testandi concedere soleat, quod ipsum pro ratione Conclusionis confirmat, videlicet, ita testari esse solo Jure humano prohibitum; secùs enim ita testandi licentiam dare Pontifex non posset, utpote cui potestas in Jure Divino, vel naturali dispensandi nulla competit; hoc ipso, quòd Lex superioris per inferiorem tolli non possit. *Clem. Nec Romani, de Elect.*

332 Dices juxta dicta *Tit. præced.* Clerici non habent dominium bonorum superfluorum Ecclesiasticorum; ergo [illegible] consuetudinis de illis testari possunt; eò quòd non [illegible] de propriis suis bonis [illegible] testari valeat: *arg. c.* [illegible] & Testamentum aliqua species Donationis [illegible] rebus alienis [illegible] posse, non videtur. Resp. [illegible] Consequentiam. Ad rationes dico, Clericum non tam suo, quam Ecclesiæ vel Christi nomine, ad quem dominium [illegible] de superfluis Ecclesiasticis testari, eo modo, quo [illegible] eadem bona [illegible] donat, non obstante, quod eorum nullum [illegible] dominium: vel eo modo, quo Tutor juxta dicta [illegible] modica de rebus pupilli donare potest, [illegible] dominium illorum non sit: vel etiam eo [illegible] communem Religiosi prælati facul[illegible] testari valent; licet nullius rei dominium [illegible]. Quamvis etiam absolutè negari possent ratio[illegible] juxta dicta donatio rei alienæ, & jux[illegible] ejusdem valeat.

333 Quoad alteram quæsiti partem de Clericorum consuetudine testandi ad profanas causas, notandum magnam esse controversiam inter Doctores, qui in tres diversas opiniones abeunt. Prima est docentium, consuetudine introduci posse, ut validè ac licitè ad causas profanas de bonis Ecclesiasticis superfluis testentur, ita sentiunt Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles univ. cap* 17. *n.* 67. & 68. item *in c. Cùm in officiis* 7. *h. t. n.* 6. & 7 Garcias *de Benefic. p.* 2. *c.* 7. *n.* 16. & *seqq.* Azorius *p.* 2. *l.* 7. *c.* 9. *q.* 1. pro eadem sententia citat Pirhing *n.* 39. etiam Covarruviam, & Lessium, sed immeritò cùm uterque doceat talem consuetudinem validam, sed non licitam esse, uti videre est apud Lessium *lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 43. & 44. & Covarruviam *in c. Cùm in officiis* 7. *h. t. n.* 27. ubi postquam *n.* 23. ad longum probare conatur, valere tamen consuetudinem, ad finem *num.* 27. addit, Clericos nihilominus peccare, si vitalis consuetudinis in causas non pias quid distribuant.

Secunda sententia est, validam quidem, sed non licitam esse consuetudinem testandi ad causam profanam, seu, quod idem est, consuetudine introduci posse, quod Clericis de bonis Ecclesiasticis superfluis validè testentur ad usus profanos, non verò quod licitè testentur, consequenter non obstante consuetudine etiam immemoriali, ii omnes peccent mortaliter, qui de præfatis bonis ad causam profanam testātur, licet testamentum valeat, ita ut hæredes profani instituti hæreditatem tuta conscientia acceptare, & retinere valeant. Ita docent Lessius, & Covarruvias *loc. cit.* Molina *Disp.* 127. *n.* 26. & 31. Zoesius *h. t. n.* 27. & alii. Fundamenta utriusque sententiæ infrà ponemus loco objectionum contra tertiam sententiam, quam proponit Conclusio sequens, qua 334

Resp. II. Non potest introduci aliqua consuetudo, vi cujus Clerici sæculares sive majores, sive inferiores de Bonis Ecclesiasticis superfluis Testamentum ad causas profanas licitè, vel validè testari possint: sive quod idem est, non tantum illicita, sed etiam invalida est Clericorum consuetudo testandi ad causas profanas, ut proin Clerici de bonis Ecclesiasticis ad causam profanam testantes non tantum mortaliter peccent, sed etiam invalidè agant, nullumque ac irritum sit Testamentum hujusmodi ad causam profanam conditum; consequenter hæres profanus in eo scriptus, hæreditatem tuta conscientia nec accipere, nec retinere possit, & acceptam sub gravi culpa ex justitia iterum restituere teneatur. Tres partes habet Conclusio. Quarum prima est, quod illicita sit talis consuetudo, seu quòd vi consuetudinis licèt testari ad causas profanas non possint Clerici, docetur à Navarro *Disp.* 147. *n.* 31. Lessio *loc. cit. num.* 44. Abbate *in c. Cùm in officiis h. t. n.* 5. & *c. Cùm esses nu.* 29. & 30. Covarruvia *loc. cit. num.* 27. Zoesio *loc. cit.* Laymano *lib* 4 *cap.* 3. *num.* 7. Pirhing *h. t. num.* 42. Engel *in Manuali paroch. part.* 4. *cap.* 4. *num.* 26. Tanner *Tom.* 3. *Disp.* 4. *quæst.* 6 *dub.* 8. *num.* 249. Sylvestro, & communissima aliorum, contra Doctores *num.* 333. relatos, nempe Barbosam, Garciam, Azorium, & nonnullos alios, quorum tamen sententia hodie vix non unanimiter rejicitur. 335

Probatur Conclusio in primis ex dictis *tit. præc. de Peculio Cleric.* §. 3. *num.* 53. ubi probavimus, quòd Clerici de Jure naturali ac Divino teneantur, bona superflua Ecclesiastica erogare in causas pias: Ex hoc enim manifestè sequitur, consuetudinem aliter erogandi licitam non esse, sed potius illicitam & iniquam corruptelam, cùm juxta omnes quævis consuetudo Juri naturali, vel Divino contraria, illicita, & pessima sit corruptela, *arg. l. fin. de consuetud.* paterque ex dictis *Lib.* 1. *tit.* 4. *de consuetud* §. 2. Verùm, quia sunt nonnulli docentes, Clericos solo Jure Ecclesiastico, non item Divino vel naturali teneri bona superflua Ecclesiastica in causas pias erogare: ideò etiam contra illos & universaliter contra quosvis illos. 336

Probatur Conclusio efficaciter sequenti argumento à Pirhing, Layman, Lessio, & aliis proposito. Juxta omnes DD. etiam Adversarios Clerici non obstante consuetudine mortaliter peccant, si quid notabile de bonis Ecclesiasticis superfluis ad causam profanam in vivis applicat: seu, quod idem est, nulla consuetudo efficere potest, quod Clerici in vivis bona Ecclesiastica superflua in causas profanas licitè applicent: ergo multo minùs vi consuetudinis id fieri potest per dispositionem mortis causa: cum quia rursum juxta omnes Doctores, Clerici majorem potestatem habent disponendi de bonis Ecclesiasticis inter vivos, quam mortis causa, textu claro *c. Ad hæc* 8. *cum concord. h. t.* Tum quia penitùs nulla ratio vel fundamentū assignari potest, ob quam Clerici vi consuetudinis per dispositionem mortis causa, possint bona sua superflua ad causas profanas applicare, & non per dispositionem inter vivos. 337

Secun-

338 Secunda pars Conclusionis, videlicet quòd etiam invalida sit memorata consuetudo, sive quòd vi consuetudinis de bonis Ecclesiasticis superfluis nec validè testari valeant ad causam profanam, docetur à Navaro *loc. cit.* Abbate *in c. Cùm in officiis n.* 5. *h. t.* & *in c. Cùm esses eod. n.* 29. 30. Pirhing *h. t. n.* 42. Layman *loc. cit.* Engel *loc. cit.* ac insuper *h. t. num.* 3. Tann. *Tom.* 3. *Disp.* 40. *qu.* 6. *dub* 8. *num.* 349. Sylvestro *vers. Clericus* 4. Archidiac. Majeron. Barbat. Angel. Alvar. Pelag. Cajetan. & teste ipso Adversario Covaruvia *loc. cit. num.* 23. magis communis aliorum contra Doctores relatos *num.* 344. Probatur autem nostra sententia taliter: Illa consuetudo non est valida, quæ non est rationabilis; atqui consuetudo Clericorum de bonis superfluis Ecclesiasticis testandi ad causas profanas non est rationabilis, ergo. Majorem omnes, etiam Adversarii concederent, ob clarum textum *cap. fin. de Consuetud.* ubi expressè habetur, consuetudinem non valere, *nisi fuerit rationabilis*, dictumque est ampliùs *Lib.* 1. *tit.* 4. *de Consuetud.* §. 2. Minor probatur: Consuetudo nutritiva peccati, seu præbens occasionem peccati, sive quæ sine periculo exerceri nunquam potest, non est rationabilis, sed irrationabilis; utpote contra Deum & animam militans: atqui talis est consuetudo memorata: ergo. Major rursus conceditur ab omnibus etiam Adversariis, *arg. cit. c. fin.* & *Ex parte* 10. *de Consuetud. cap. Extirpandæ de Præb. c. Non satis* 8. & *c. Cùm in Ecclesia* 9. *de Simon.* juncto *can. Mala consuetudo* 3. *dist.* 8. & *c. fin. de Præscript.* Minor contra Adversarios *n.* 333. relatos est probata supra *n.* 337. ab Adversariis verò *n.* 334. adductis ultrò conceditur; utpote qui ipsi docent, talem consuetudinem esse illicitam, & sine peccato practicari non posse: ergo.

339 Probatur Secundo, & quidem specialiter contra DD. secundæ sententiæ *n.* 334. citatos. Consuetudo militans contra jus naturale non tantum est illicita, sed etiam invalida, & potius corruptela; atqui consuetudo præfata militat contra jus naturale, ergo. Major est certa & evidens, concedique debet à quovis sanæ mentis, textu clarissimo *cit. c. fin. de Consuetud.* ibi: *Nemo sanæ mentis intelligit naturali juri (cujus transgressio periculum salutis inducit) quacunque consuetudine (quæ dicenda est verius in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari.* Minor constat non tantum ex dictis, & probatis suprà *n.* 336. sed etiam ex propria confessione Adversariorum *n.* 334. citatorum, uti videre est apud Molina *Disp.* 147. *n.* 31. ergo.

340 Probatur tertiò: Implicat, consuetudinem aliquam esse illicitam, & tamen validam: ergo si, uti concedunt DD. *n.* 334. allegati, & contra citatos *nu.* 333. probatum est, Consuetudo præfata est illicita, ergo etiam erit invalida: Consequentia patet. Antecedens probatur, consuetudo illicita, & quæ sine peccato practicari non potest, est irrationabilis per jura citata *n.* 338. sed implicat consuetudinem irrationabilem esse validam *l. fin. de Consuetud.* ergo etiam implicat, consuetudinem illicitam esse validam.

341 Confirmatur sequenti dilemmate Adversarios secundæ sententiæ [illegible] plane difficili. Consuetudo Clericorum de Bonis Ecclesiasticis testandi ad causam profanam, vel est rationabilis, vel non? Neutrum, quin se intricent, dicere possunt Adversarii; ergo. Si enim dicunt, eam non esse rationabilem: illicò doctrina ipsis contraria legitimè infertur: ergo neque est valida; cum non nisi rationabilis consuetudo contra Legem sit valida, ipsismet fatentibus Adversariis, textu expresso *c. fin. de Consuetud.* Si respondent, eam esse rationabilem, rursus doctrina ipsis contraria sequitur: nempe: ergo etiam est licita; cùm quævis consuetudo rationabilis non tantùm valida, sed etiam licita sit prout omnes concedunt, *arg. Sæpè cit. c. fin. de Consuetud.*

342 Nec dicas, multa esse illicita, & tamen valida, prout videre est in casu, quo quis injustè resilit à Sponsalibus de futuro, & sine consensu sponsæ prioris, & matrimonium de præsenti contrahit cum alia, ubi matrimonium est validum, non obstante, quod sit illicitum, seu illicitè contrahatur: idem contingit in aliis innumeris casibus & contractibus; ergo non implicat, quin idem fieri possit, in materia Testamenti, quod nempe quis illicitè, sed tamen validè condere possit Testamentum, juxta vulgata Juris. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint roboris obtinent firmitatem.* Nam respondetur distinguendo Antec. multa sunt illicita, & tamen valida, vi consuetudinis, negatur: sunt illicita, & tamen valida ipso Jure naturali, vel humano conceditur Ant. & ita distincto Consequenti, conceditur, & negatur Consequentia. Et per hoc patet etiam ad exemplum adductum; quia matrimonium contra fidem prioris sponsæ illicitè contractum, non est validum vi consuetudinis, sed vi Juris communis, *arg. c. Si inter de Sponsal.* Pariter respondetur ad illud Juris: videlicet, quod multa fieri prohibita, postquam sunt facta, roboris obtineant firmitatem vi ipsius juris, non autem vi consuetudinis. Ratio est; quia nullus actus, vel contractus de Jure illicitus & invalidus, per consuetudinem validari potest, nisi sit legitima & rationabilis, si autem est legitima & rationabilis, actum non solummodò validum, sed etiam licitum reddit *cit. c. fin. de Consuetud.* Sed audiamus adhuc alias objectiones Adversariorum.

Objiciunt primò: Clerici solo Jure humano prohibentur de bonis Ecclesiasticis superfluis testari, *cap.* 1. 2. 7. 9. & alii *h. t.* atqui contra Jus humanum licita simul ac valida est consuetudo; ergo. Resp. I. Transmissa Majori, distinguendo Min. contra Jus humanum licita & valida est consuetudo rationabilis, conceditur irrationabilis, negatur, *arg. cap. fin. de Consuetud.* Pariter distincto Consequenti, conceditur, & negatur consequentia. Quòd autem Clericorum consuetudo testandi ad causas profanas, sit irrationabilis, patet ex eo, quia juxta dicta & probata *n.* 338. semper est illicita, & fovens peccata: cùm, etsi dato non concesso, solo Jure humano prohibitum esset, testari ad causas profanas, Clerici non obstante quavis consuetudine peccarent, si de præfatis bonis aliquid in causas profanas, inter vivos disponerent; consequenter etiam & multò magis, si mortis causa id faciant. 343

Dicitur notanter in responsione *Transmissa Majori*, nam aliter Respondetur II. Distinguendo Majorem. Clerici solo Jure humano prohibentur testari ad causas pias conceditur, ad causas profanas negatur. Cùm enim juxta dicta *Tit. præc. n.* 53. Clericis Jure Divino universaliter ac indistinctè sit prohibitum, bona Ecclesiastica superflua in causas profanas erogare, vel expendere, eodem Jure Divino etiam eis prohibitum erit, dicta bona, per dispositionem mortis causa in usus profanos destinare: cum quia eadem, imò major est ratio de dispositione mortis causa, quam inter vivos, juxta dicta *n.* 337. *arg. c.* 8. *h. t.* tum quia ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus: tum etiam quia eo modo quo prohibetur genus, eodem censetur etiam prohibita species; nam *in toto partem contineri, non est dubium, Reg.* 80. *Jur. in* 6. consequenter quia erogatio bonorum Ecclesiasticorum in causas profanas generaliter ac indistinctè est prohibita Jure Divino, eodem etiam prohibita erit erogatio eorundē bonorum ad causas profanas per dispositionem mortis causa. 344

Nec dicas, non posse solido fundamento ostendi, quòd Clericis Jure Divino sit prohibitum, erogare bona superflua Ecclesiastica in causas profanas: præsertim cùm ostendi nequeat, contra quam virtutem peccent Clerici tale præceptum transgredientes. Nam Respondetur, id satis solidè ostensum fuisse *Tit. præced. num.* 53. & 56. ubi probavimus Clericos ex justitia teneri, erogare bona superflua in causas pias, sicque aliter erogantes contra justitiam, & consequenter contra Jus Divinum peccare. 345

Urgebis, si quævis erogatio bonorum Ecclesiasticorum superfluorum, & consequenter Testamentum de eisdem ad causas profanas esset Jure Divino prohibita, non posset Papa licentiam, & facultatem dare de præfatis bonis ad causam profanam inter vivos, vel mortis causa licitè disponendi; cùm inferior non possit dispensare in lege superioris, *Clem. Ne Romani de Elect.* atqui Papa Clericis dedit licentiam & facultatem tam inter vivos, quam mortis causa de bonis Ecclesiasticis superfluis disponendi ad causas profanas, ut patet ex Bulla Sixti IV. Quæ incipit, *Etsi universis Calend. Jan.* 1474. edita, & Bulla Julii III. *Cupientes ut. Aliàs* 1550. edita, estque quinta inter Constitutiones dicti Pontificis in Bullario Cherubini, cujus tenor sic sonat. *Motu proprio &c. Statuimus & ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, omnes & singuli Urbis incolæ, cujuscunque dignitatis, status, gradus, conditionis, præeminentiæ vel conditionis existant;* 346

stant; etsi Cardinalatus honore, aut Patriarchali, Archiepiscopali &c. vel quavis dignitate Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant &c. de omnibus & singulis eorum immobilibus, mobilibus, & se moventibus bonis, juribus, actionibus; & rebus aliis in dicta Urbe & ejus districtu pro tempore existentibus, & per eos etiam ex fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiarum & Beneficiorum Ecclesiasticorum &c. acquisitis, cujuscunque quantitatis, qualitatis, summæ, valoris, & pretii, seu conditionis existant, tam donatione inter vivos, quam causa mortis, etiam Testamento, Codicillis, fideicommissis, legatis, aut quovis alia ultima voluntate, in favorem consanguineorum, & affinium, & quarumvis aliarum personarum disponere licitè valeant &c. quodque si ab intestato decesserint, eorum bona & hujusmodi ad ipsorum pro tempore proximos agnatos, & alios &c. qui eis (nisi essent Beneficiati) de Jure succedere deberent, alias juxta Juris dispositionem liberè devolvantur. Quam Constitutionem denuò confirmavit Paulus V. in Constitutione, *In Eminenti. 18. Aprilis* 1606. edita, quæ est XVIII. apud Cherubinum.

347 Ad hoc argumentum respondetur, concedendo, quòd non possit Summus Pontifex universim cuilibet dare facultatem de bonis Ecclesiasticis ad causam profanam pro libitu dispensandi; cùm ipse non sit Dominus omnium bonorum Ecclesiasticorum, sed tantum Administrator à Deo constitutus non ad dissipandum, sed ad legitimè dispensandum, & rationabiliter expendendum tanquam res Dei, seu ad cultum Divinum oblata, & donata, uti benè advertit Abbas in *Repetit. c. Cùm esses* 10 *h. t. n.* 20. Molina *disp* 147. *n.* 33. & 34. Layman *loc. cit.* & alii, *arg. c.* 1. *dist.* 40. & *can. Non liceat Papæ*, *caus.* 12. *q.* 2. Quo tamen non obstante in casu vel loco particulari ex rationabili causa similem facultatem ad causas profanas testandi concedere potest Pontifex; eò quòd nullus fidelium sua bona ita offerre potuisse, vel voluisse censendus sit, quin adhuc Pontifici tanquam universali Dispensatori & Administratori bonorum Ecclesiasticorum remaneat libera potestas disponendi de iis prout causa rationabilis, & bonum Ecclesiæ requisierit, *arg. c.* 2. *de Præb. in* 6 *c. Si Papæ* 10. *de Privileg. in* 6. & *Clement. un. Ut lite pendent*. Cujus ratio est, quòd dum Papa ex rationabili causa, & pro bono Ecclesiæ in casu vel loco particulari licentiam de bonis Ecclesiasticis ad causam profanam testandi concedit, facultatem, hoc ipso, ob piam causam, consequenter in favorem causæ piæ concedat, ita ut ipsa concessio & erogatio ad causam profanam concessa, in favorem causæ piæ indirectè redundet. & per consequens Papa ita concedendo, Jus Divinum, vi cujus bona Ecclesiastica in solas causas pias expendi debent, minimè lædat, sed exactè observet; sicut idem observat Clericus, qui ex rationabili causa, remunerationis intuitu v. g. in vivis alieni Diviti aliquid de bonis Ecclesiasticis donat, *arg. c. Relatum* 12. *h. t.*

348 Et per hoc liquet, quòd nihil contra nos probent exempla *nu.* 346. allata; quia, ut patet, vi illorum Pontifices non universaliter cuivis Clerico, sed particulariter Clero, & populo Romæ existenti dedere potestatem ad causas profanas testandi ex causa haud dubiè rationabili in bonum Ecclesiæ, & consequenter in favorem causæ piæ indirectè redundante, uti patet tum ex præfatione Bullæ; tum ex eo, quòd, cùm Papæ, & per consequens Ecclesiæ specialiter ac multum intersit, Populum & Clerum Romanum habere sibi fidelem, devotum, ac benevolum, ac gratiosa concessione eum sibi devincire, & in quovis emergenti casu benevolum reddere merito fuerit conatus.

349 Dices juxta vulgare illud, *quæ sunt acquisibilia privilegio sunt acquisibilia consuetudine*, præsertim immemoriali, *arg. l.* 3. *§. Ductus aquæ; ff. de aqua quotidiana* & *æstiva*, & *c. Oper. in* 6. ergo quia Privilegio acquiri potest potestas testandi ad causas profanas, eadem acquiri poterit consuetudine. Resp. I. negando suppositum; cùm juxta dicta, Pontifex non universaliter, vel passim absque justa causa, sed tantum ex justa causa in favorem causarum piarum redundante, privilegium testandi ad causas profanas concedere possit. Resp. II. Negando consequentiam; quia dictum illud, *Acquisibilia privilegio &c.* non universaliter procedit, prout *Lib.* 1 *Tit.* 4. *de Consuet. n.* 63. jam diximus, & ex Jure probavimus, addentes, dictum illud etiam non procedere, quando consuetudo est à Jure probata, qualis est consuetudo testandi ad causas profanas, utpote irrationabilis juxta dicta.

350 Objicies II. Praxis, & consuetudo in universo penè Orbe (ut dicit Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles. univ. cap.* 17. *n.* 67.) obtinuit, & habet, quòd Clerici de bonis omnibus, etiam Ecclesiasticis superfluis ad causam profanam pro libitu testentur, hæredesque, vel legatarii profani hæreditatem relictam absque omni scrupulo accipiant & retineant, Pontifice, & Superioribus Ecclesiasticis non tantùm scientibus & tolerantibus, sed insuper hujusmodi Testamenta Clericorum ad causas profanas positivè exequentibus: ergo consuetudo hæc licita & valida est; secùs enim non tantùm Clerici ita testantes, sed hæredes relicta accipientes, imò Pontifex, aliique superiores Ecclesiastici idem tollerantes, ac positiva executione foventes graviter peccarent ac in periculo æternæ damnationis existerent, quòd sanè de tot, tantisque Viris absque temeritatis nota dici vix potest. Resp. I. Transmisso Ant. negando consequentiam, eò quòd Superiores Ecclesiastici Clericorum Testamenta de bonis Ecclesiasticis ad causas profanas facta non ideò tolerent; quia eadem valida, & licita agnoscunt; *cùm multa per patientiam tolerentur quæ si deducta fuerint in Judicium, exigente justitia non debent tolerari; c. Cùm jam dudum* 18. *de Præb.* sed ideò tolerant, quia (ut in simili diximus *Tit. præced. n.* 46.) difficillimum, litiumque continuarum cùm hæredibus occasio foret, velle examinare, & judicare, an Testamentum Clerici de bonis mere Ecclesiasticis, consequenter invalidè; an verò de Patrimonialibus, quasi patrimonialibus, seu industrialibus, vel parsimonialibus, consequenter licitè & validè factum sit.

351 Dicitur notanter, *Trasmisso Antecedente*, quia etiam absolutè negari potest, vigere in toto penè Orbe, Clericorum praxin, & consuetudinem de bonis Ecclesiasticis superfluis testandi ad causas profanas: cùm potiùs contrarium doceat experientia, qua constat, potissima Clericorum Testamenta vel esse ad causas pias, dum in eis plerumque aut consanguineos, quoad statum suum pauperes, sicque conditionem causæ piæ jam habentes, aut alias pias causas pro heredibus instituunt, insertis subinde quibusdam legatis profanis, quæ quia de propriis bonis facile esse, & fieri possunt, de eisdem facta, consequenter Legem in nullo violatam, meritò præsumi debet, *arg l. In obscuris* 114. *ff. de R. I.* vel, si ad causam profanam testantur, Testamentum non de bonis merè ecclesiasticis superfluis, sed de patrimonialibus, quasi patrimonialibus, aut parsimonialibus condere, vel de iis condidisse justè præsumantur, hoc ipso, quòd Clerici similia bona facilè habere, & per dicta suprà *n.* 326 licitè & validè de eisdem testari valeant; consequenter de iis tanquã licitis, & non de merè Ecclesiasticis seu illicitis Testamenta fecisse, meritò præsumantur; *arg. c. l.* 114. *ff. de R. I.* ibi: *in obscuris inspici solet; quod est verisimilius*, & *Reg.* 56. *ff. eod.* ibi: *Semper in dubiis benigniora sunt præferenda.*

352 Et per hæc etiam patet ad rationem num. 350. allatam; cùm ex sententia nostra minimè sequatur tot, tantosque viros in periculo æternæ damnationis versari: non Clericos ipsos Testatores, quia nulli, vel certè pauci de bonis merè Ecclesiasticis ad causas profanas testantur; non Superiores tolerantes, vel etiam exequentes; cùm quia examinare, & judicare, an testamentum ad causam profanam de merè Ecclesiasticis; an verò de bonis Clerici propriis factum sit, sine continuis litibus non possunt, consequenter ad majora evitanda mala justè tolerant, & conscientiæ hæredum relinquunt: tùm quia illud de bonis propriis ipsius Clerici conditum esse, ordinariè meritò præsumunt, & per consequens justè exequuntur. Non denique ipsos hæredes profanos, utpote qui ordinariè pariter meritò præsumere possunt Testatorem Clericum non de bonis merè Ecclesiasticis, sed propriis, patrimonialibus nempe, quasi patrimonialibus, vel industrialibus, consequenter validè & licitè Testamentum condidisse, præsertim si quæ etiam legata pia in testamento habentur inserta, utpote per quæ Clericus obligationi suæ, qua tenetur superflua Ecclesiastica in causas pias expendere, jam satisfecisse saltem inmerito præsumi potest.

353 Quod si tamen testamentum, vel legatum de bonis merè

merè Ecclesiasticis ad causam merè profanam fieret, ultrò fatemur, illud non obstante quavis consuetudine illicitum, ac invalidum fore, ita ut nec hæredes tuta conscientia accipere, multo minùs retinere valerent, sed omninò tenerentur restituere hæreditatem in tali Testamento sibi relictam ab Intestato, si sciunt, vel prudenter præsumere possunt, eam ex bonis merè Ecclesiasticis superfluis consistere.

354 Possunt autem, & debent id prudenter præsumere, si benè sciunt, defunctum Clericum consanguineum, ante obtentum Beneficium, pauperem fuisse; & tempore habiti Beneficii nulla patrimonialia, vel quasi patrimonialia acquisivisse; nec parcè, sed lautè, vel statui suo conformiter vixisse: consequenter nec parsimonialia congregasse, *arg. c.* 1. *de Pecul. Cleric.* & *cap.* 1. *h. t.* junctis rationibus & Juribus pro Conclusione hactenus adductis.

355 Si verò nesciunt, vel dubitant hæredes, an relicta bona sint merè Ecclesiastica superflua, nec ne, validè ac licitè accipere, ac retinere valent, quidquid eisdem ex Testamento relinquit Clericus, qui vir timens Deum, & rem intelligens fuisse noscitur. Ratio est; quia prudenter se resolvere, ac præsumere possunt, hæreditatem de bonis patrimonialibus, vel industrialibus esse, hoc ipso, quòd alias vir prudens ac timens Deum, eam hæredi profano cũ propriæ salutis periculo, vel dispendio non reliquisset.

356 Dicitur autem notanter, *bona, quæ ex Testamento Clericus vir timens Deum, & rem intelligens reliquit*; quia si intestatus moritur, vel fecit quidem Testamentum, fuit tamen parùm timens Deum, vel rem minùs intelligens, omninò tenentur ejusdem hæredes profani, conscientiosè indagare, ac examinare, num bona relicta sint merè Ecclesiastica necne, & juxta compertam, vel prudenter præsumptam veritatem procedere, intactamque nempe relinquere, vel acceptam restituere hæreditatem, quam de bonis Ecclesiasticis esse norunt, aut prudenter præsumunt. Quod quia multi non faciunt, magnum sanè animæ periculum incurrunt, & nullum, vel sanè modicum emolumentum temporale percipiunt bonis Ecclesiasticis ita acquisitis, parùm vel nihil fructificantibus, imò subinde etiam plus damni, quam lucri temporalis afferentibus, teste experientia veroque vulgari adagio. *Clericorum donum rarò affert lucrum.*

357 Quæritur II. An Religiosi facere possint Testamentum? Resp. omnes ac singuli Religiosi professi, tam Prælati, quàm subditi incapaces sunt condendi Testamenti. Jul. Clarus *§. Testamentum q.* 28. Covarruvias *cap.* 2. *de Testam. n.* 6. Molina *Disp.* 141. *n.* 1. Pirhing *h. t. n.* 44 cum communi & certa aliorum *c.* 2. *h. t.* & *can. Quia ingredientibus* 7. *caus.* 19. *quæst.* 3. ibi: *quia ingredientibus Monasterium ulteriùs nulla sit testandi licentia, sed res eorum Monasterii jura fiant, aperta Legis definitione decretum est*. Idem habetur *Authent. Ingressi Cod. de SS. Eccles.* Ratio est; quia ob votum obedientiæ & paupertatis, omni libertate & proprietate se privant, ita ut nec velle, nec nolle, nec quidquam proprium, de quo disponere possent, ampliùs habeant, *arg. cit. Juribus*, juncto *can. Non dicatis* 11. *caus.* 12. *quæst.* 1.

358 Intellige Conclusionem etiam de Testamento ad causas pias. Molina *Disp.* 141. *n.* 1. Barbosa *in cap.* 2. *h. t. n.* 5. Sanchez *lib.* 7. *Moral. cap.* 8. *n.* 3. Pirhing *h. t. n.* 47. & communis aliorum. Ratio est; tum quia Jura indistinctè intelligenda sunt, *arg. c. Quia circa* 22 *de Privileg.* Tum quia Juris rationes æquè in Testamentis ad pias causas, ac aliis locum habent; ut consideranti patet.

359 Nec refert, quòd Prælatus licentiam testandi tribuat; eò quòd nec ipse Prælatus testari possit Molina *loc. c. n.* 9. Barbosa *l. c. n.* 6. Sanchez *l. c.* Pirhing *l. c. n.* 48. cum communi aliorum. Nemo autem *potest plus juris transferre in alterum, quam sibi competere dignoscatur*: *Reg.* 79. *de Reg. Jur. in* 6. & *Reg.* 54. *ff. de Reg. Iur.* cum nemo possit dare quod non habet, *l. Traditio ff. de Acquir. rerum dominio.*

360 Porrò quòd dictum est de Testamentis, etiam intellige de Codicillis, & aliis ultimis voluntatibus, Barbosa, & alii Doctores *loc. cit.* Ratio est, quia regulariter loquendo, qui Testamentum facere non potest, etiam ullam voluntatem ultimam condere nequit, non quidem Codicillum; quia *Codicillum is demum (id est solùm) facere potest, qui & testamentum facere potest*, *l.* 6. *§.* 3. *ff. de Jure Codicill.* nec Donationem mortis causa, *arg. l.* 1. *§.* 1. *ff. de Tutel. & rat. distrah.* Excipe, nisi de re modica fiat donatio mortis causa: hanc enim cum consensu Prælati, & multò magis ipsum Prælatum facere posse, tenent Barbosa *loc. cit.* Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *n.* 4. Sanchez *loc. cit. num.* 11. Pirhing *loc. cit. num.* 48. Bartolus, & alii communiter. Ratio est; quod, cum modicum quid inter vivos Prælatus ipse donare, & donandi licentiam dare possit, non appareat, cur non idem mortis causa fieri queat. Illud certum est, quòd, si Religiosus de utensilibus, & munusculis sibi concessis, dispositionem non obligatoriam sed precatoriam faciat, rogando, ut post mortem suam huic vel illi Ecclesiæ applicentur, vel fratri, consanguineo, aut amico dentur, Prælatus talem dispositionem (si de modicis est) ratificare possit. Layman *loc. cit.* & alii communiter.

361 Resp. III. Religiosi non professi, seu Novitii, etiam absque omni licentia Episcopi, vel Superioris Regularis possunt æquè ac Laici facere Testamentum. Jul. Clarus *loc. cit. num.* 2. Molina *Disp.* 139. *nu.* 8. Covarruvias *de Testament cap.* 2. *num.* 5. Pirhing *h. t. num.* 53. & communis aliorum *arg. Authen. Nunc autem Cod. de Episcop. & Cleric.* & *can. Si qua mulier* 9. *fin. caus.* 19. *quæst.* 3. Fundamentum est; quia in Novitiis locum non habet Juris prohibitorii ratio; cùm ipsi libertatem voluntatis suæ, velleque ac nolle, sicut & perfectum dominium suarum rerum adhuc possideant, hoc ipso, quòd nec obedientiam, nec paupertatem adhuc voverint. Nec obstat, quòd *cit. can.* 7. *caus.* 19. *quæst.* 3. & *Authen. Nunc autem Cod. de SS. Eccles.* dicatur, ingressos Monasterium non posse testari, quia ut DD. communiter interpretantur, illi textus intelligendi sunt de ingressu irrevocabili per professionem Religiosam confirmato.

362 Pariter non obstat Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *de Regular. cap.* 16. ubi videtur, consensum Episcopi, vel Vicarii Generalis requirere illis verbis: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiam si cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, ac nullius effectus*. Nam contra est, quòd Concilium hic tantùm loquitur de Novitii dispositionibus inter vivos, renuntiationibus v. gr. donationibus &c. easdem absque præscripta solemnitate factas infirmando, ne alias per illas utpote de Jure illicò validas, Novitii bonis temporalibus privati, libertatem redeundi ad sæculum amittant, & manere in Religione quodammodò cogantur. Quæ ratio, quia non procedit in Testamento, cùm per illud utpote ad professionem usque, semper revocabile Novitius bonis suis non privetur, ad illud dispositio Tridentina extendi non debet, *arg. cap. Intelligentia de V. S.* Zoesius *h. t. num.* 17. Pirhing *eod. n.* 55. Navarrus, & alii.

363 Ut proin Novitius quovis tempore Novitiatus, imò etiam ante ingressum Religionis absque ulla requisita Episcopi, vel aliorum Superiorum licentia licitè & validè condere possit Testamentum, *arg. cit. Iuribus*, quibus pro valore Testamenti ante ingressum in Religionem facti, adde etiam *Novell.* 5. *cap.* 5. ibi: *Illud quoque decernimus, ut qui Monasterium introire voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licentiam habere suis uti, quomodò voluerit*. Securiùs tamen facit Novitius, si juxta formam à Conc. Trident. *præced. n.* allegatam testetur.

364 Quòd si quæras, an Testamenta ante ingressum, vel post ingressum quidem, sed ante professionem tempore Novitiatus facta, post professionem subsistant, vel potiùs per eam utpote mortem Civilem inducentem rumpantur, & invalidentur, ita ut dein vel ipsum Monasterium bonorum capax, vel hæredes ab intestato succedant, casu, quo Testator Religionem bonorum temporalium incapacem profitetur? Respondetur, testamentum minimè invalidari, sed omninò etiam secuta professione subsistere, hac tamen cum differentia, quòd si Testator Religionem omnis dominii, etiam in communi incapacem (qualis est Seraphicus Ordo noster) profitetur, hæreditas illicò transeat ad hæredes institutos: si verò Religionem bonorum temporalium capacem ingrediatur, Monasterium interim frui possit bonis Testato-

statoris usque ad ejus mortem, qua secuta hæreditas ad hæredem institutum transeat. Covarruvias *de Testam. cap 2. n. 7. & seqq.* Abbas *in cap. Præsentia de Probat. n. 32.* Zoesius *h. t. num. 15* Jul. Clarus §. *Testamentum q. 28. n. 4. & 5.* Layman *lib 3. tract. 5. cap. 3. n. 3.* Sanchez *de Matrim. lib. 6. Disp. 17. n. 9.* Molina *Disp. 140. num 4.* cum communi aliorum, contra nonnullos alios, quorum aliqui volunt, Testamentum per professionem totaliter invalidari: alii verò distinguunt, dicendo; illud Testamentum, quod quis fecit nihil cogitando adhuc de ingredienda Religione, validum subsistere, non verò illud, quod resolutione de ingressu Religionis jam facta, vel etiam tempore Novitiatus, factum dignoscitur. Alii autem docent in omni casu valere Testamentum, dummodò Monasterio titulo institutionis relinquatur legitima: prout videre est apud Jul. Clarum, Covarruviam, & alios *loc. cit.* Ratio autem, & fundamentum nostræ responsionis videlicet, quòd Testamentum valeat, sive Testator de Religione cogitaverit, sive non, sive aliquid, sive nihil Monasterio in Testamento reliquerit, est, quia Jura citata sine ulla distinctione liberam facultatem Testamenti ante professionem faciendi concedunt. Accedit, quòd hæc facultas frustranea esset: si Testamentum ante professionem factum, post illam rumperetur

§. XII.

De Testamentis præsertim reciprocis, seu mutuis conjugum.

SUMMARIUM.

365 *Testamentum reciprocum inter Conjuges, quid? Potest etiam ab aliis fieri reciprocum testamentum, ibid.*
366 *Conjuges in testamento reciproco possunt vel se invicem instituere hæredes.*
367 *Vel sibi invicem usumfructum relinquere, dummodò relinquant prolibus legitimam sine onere.*
368 *Ad quam tamen ad tempus dimittendam eos per certas clausulas indirectè cogere possunt.*
369 *Declaratur exemplo.*
370 *Et datur instructio practica.*
371 *Testamentum inter Conjuges reciprocum potest fieri oretenùs, & in scriptis, in una vel diversa charta: & quomodo?*
372 *Variæ reciprocè testandi formulæ.*
373 *Dispositio de usufructu omnium bonorum quomodò intelligenda?*
374 *Non comprehendit legitimam.*
375 *Si ususfructus omnium bonorum claris verbis uxori legatur, debetur eidem etiam quoad superflua etsi extent liberi.*
376 *Idem est, si nullis extantibus liberis legatur ususfructus minùs claris & specificis verbis.*
377 *Si extantibus liberis maritus tantùm per verba generalia omnium bonorum legat usumfructum alti, uxori v. g. intelligi debet de necessario ad alimenta secundùm aliquos.*
378 *Probabilius intelligitur etiam de superfluo.*
379 *Probatur fundamento Juris.*
380 *Et solvitur objectio.*
381 *Testamentum reciprocum à quovis Conjugum pro sua parte liberè revocari potest, etiam inscio ac invito altero.*
382 *Si una pars clandestinè illud revocat, censetur etiam plerumque ab altera tacitè revocatum Testamentum.*
38[illegible] *[illegible] modi, ac instructio practica faciendi Testamenta conjugum tam reciproca, quam alia usque ad n 393.*
394 *Per se loquendo nemo tenetur facere Testamentum, benè verò per accidens: & quando?*

Quæ frequentissimè in praxi occurrunt Testamenta præsertim reciproca Conjugum, & nonnihil spe[illegible] continent, specialem de eisdem Paragraphum instituere placuit.

365 Quæritur I. Quid sit, & quomodò fieri possit, ac debeat Testamentum reciprocum inter conjuges *ein Testament, welches die Eheleuth gegeneinander aufrichten?* Resp. I. *Testamentum reciprocum, seu mutuum inter conjuges* est illud, in quo conjuges consilio, ac mutuo consensu se invicem hæredes instituunt, vel aliud in eo ad invicem ordinant. Ita in re communis Doctorum. Qui etiam docent, Testamentum reciprocum faciendi non esse speciale privilegium conjugibus, sed quibuslibet personis concessum, ita ut non tantùm duo conjuges, sed etiam duæ aut plures aliæ personæ nulla ratione conjunctæ, mutuo consilio aut consensu possint se invicem hæredes instituere, vel quid aliud ordinare, dicendo v. g. *Si ego ante te decessero, hæredem bonorum meorum te instituo, vel usumfructum omnium bonorum ad dies vitæ tibi lego &c.* & alter reciprocè; *si ego ante te obiero, te quoque hæredem instituo, aut hoc vel illud tibi lego &c. arg. l. Licèt C. de Pactis, & l. Eo quòd C. Si certum petatur.* Peck *de Test. Conjug.* Molina *Disp. 152. n. 1.* Gailus *lib. 2. Obs. 117 n. 1.* Alvar. Valasc. in Consult. *n. 1.* Gailck *in l. Licèt C. de Pactis n. 2.* Schmidt *ad t. 34. a. 12. n. 1.* & communis aliorum.

Resp. II. Testamentum reciprocum inter conjuges 366
(idem proportionaliter semper intellige de aliis reciprocum Testamentum facientibus? potest variis modis fieri, & quidem I. Quando conjuges in Testamento reciproco, communi consilio ac consensu se invicem hæredes instituunt, dum maritus v. g. dicit, *si ante uxorem meam mortuus fuero, hæres bonorum meorum sit uxor mea:* uxor verò dicat: *econtrà si ego ante maritum meum decessero, bonorum meorum hæres sit maritus meus.* Et hoc propriissime dicitur Testamentum reciprocum inter conjuges; atque tunc maximè fieri solet, ac potest, quando conjuges liberis carentes necessarium hæredem non habent. Licèt enim etiam fieri possit à conjugibus proles, sicque necessarios hæredes habentibus; tamen, ut in hoc casu subsistat, liberis necessariò relinqui debet Legitima sine omni onere, & quidem ex titulo hæredis, *arg. Novell. 18. cap. 3. & Authen. Novissima C. de Inofficios. Testament.* prout habent Doctores communiter, patebitque magis ex dicendis. Intereà Conclusio, cùm in sola explicatione terminorum consistat, alia probatione non indiget.

II. Fit, quando dicti conjuges non quidem se invicem 367
hæredes instituunt, sed relictorum bonorum usumfructum, vel quid aliud mutuo consensu sibi invicem relinquunt, aut legant, prolibus, vel aliis pro hærede institutis. Ubi rursus notandum, quòd, si proles extent, una pars conjugum non possit usumfructum omnium penitus bonorum alteri cum effectu legare, sed debeat necessariò saltem legitimam liberis una cum usufructu, ac sine omni alio onere relinquere; textu claro citata *Novell. 18. cap. 13.* ubi Legislator conjuges aliter testantes increpando ita statuit: *Novimus aliqua Testamenta, secundùm quæ morientes, non paterne, nec ut viros oportebat, sed nimis molliter atque remissè Institutiones fecerunt uxoribus; siquidem illis omnium rerum suarum reliquerunt usumfructum, filiis autem proprietatem nudam &c. filiis forte fame peremptis &c Non licebit igitur de cætero, ulli omninò filios habenti tale aliquid agere, sed modis omnibus, eis, hujus legitimæ partis, quam nunc deputavimus, & usumfructum, insuper & proprietatem relinquat.* Hinc Doctores unanimiter conveniunt, quòd etsi una pars conjugum alteri usumfructum omnium bonorum ad dies vitæ in Testamento universaliter leget, vel relinquat, tamen semper exceptus intelligatur ususfructus Legitimæ, ita ut extantes post mortem Testatoris liberi possint à patre, vel matre, cui ususfructus omnium bonorum relictus est, petere legitimam una cum usufructu. Gailus *lib. 2. observ. 144 n. 1.* Decius *consil 590. n. 8.* Jason *in l. Extraneum n. 6. C. de Hæred. instit.* &, ut dictum, DD. unanimiter omnes: *arg. l. Quoniam 32. de Authen. Novissima C. de Inofficios. Testament.* Ratio est; quia legitima liberorum non à voluntate parentum dependet, sed Lege debetur Civili & naturæ, *l. Cùm ratio 7. ff. de Bonis damnat.* prout magis patebit *ex § seqq.*

Notandum tamen, posse & solere nonnunquam ma- 368
ritos certis Testamento adjectis clausulis liberos indirectè cogere, ut usufructu omnium bonorum Matri per Testamentum relicto, legitimam de Jure sibi debitam, usque ad mortem matris non petant: ut, si v. g. conjux in Testamento sequentem apponit clausulam; *Si liberi, mei, vel unus ex eis hac mea dispositione minùs contenti, matri*

matri legatum usumfructum omnium bonorum relinquere noluit, sed legitimam suam una cum usufructu illius prætenderent, teneatur quidem mater eisdem deferre, ita tamen, ut illico ac mater petitam legitimam eis dederit, cætera omnia matri non tantum ad usumfructum, sed etiam quoad proprietatem accrescant, adeò, ut de iisdem tam inter vivos, quam mortis causa liberè tanquam perfecta domina disponere valeat. Cum enim per appositam similem clausulam liberi benè videant, se petendo legitimam, maximo cum damno amittere majoris portionis proprietatem, alias vi Testamenti sibi debitam, indirectè coguntur, potius ad tempus carere usufructu suæ legitimæ, eumque matri relinquere, quam tantum damnum proprietatis incurrere.

369 Declaratur res exemplo, seu casu, quo trium prolium pater possidens prædia, vel Summam Capitalem 9000. florenorum, in Testamento tres proles instituat pro hæredibus, uxori vero ad dies vitæ relinquat usumfructum omnium dictorum bonorum addita clausula, quod si unus, vel plures hac dispositione minùs contenti essent, mater minùs contento vel contentis Legitimam quidem una cum usufructu dare teneatur, ita tamen, ut portio, dempta præcisè legitima, manens residua, matri tam quoad proprietatem, quam usufructum accrescat, & remaneat. In hoc casu si liberi Testamento patris acquiescunt, quilibet ex eis proprietatem 3000. florenorum acquirit, quæ eis post mortem matris una cum usufructu tradi debet: Si vero unus, vel plures dispositioni paternæ non acquiescentes, quod de Jure sibi debetur, prætendunt, acquirit quilibet minùs contentus solummodò 1000. florenos, reliqui pleno jure accrescunt matri; hoc ipso, quod Legitima cuivis debita in hoc tantum efficiat 1000. florenos: *arg. Authent. Novissima. C. de inofficios. Testament.* ibi: *Novissima L. cautum est, ut si quatuor sunt filii, vel pauciores, ex substantiæ deficientis Trientis, si plures sint, semis debeatur,* cum concordantiis.

370 Verum quamvis modus ita testandi, & clausulandi Testamentum omnino validus sit & licitus cum parens de Jure liberis plus quam Legitimam dare non teneatur, & de cæteris pro libitu disponere valeat, *arg. cit. Auth. Novissima.* Nihilominus paternæ providentiæ & amori omninò conveniens videtur, ut matri imponat onus, de usufructu saltem illos alendi, ac sustentandi liberos, qui aliunde sustentationis media non habent; ne alias mater cum tempore unum, vel alterum minus diligens, ad petendam legitimam, indeque amittendam reliquam portionem hæreditariam, vel eam vendendam indirectè cogat. Nam licet mater alias jam de Jure teneatur alere prolem, quæ alia sustentationis media non habet, nec habere potest; secus tamen est in casu, quo eadem media, si vult, facile & libere habere potest, uti foret in casu præsenti; quo mater benè de Iure dicere posset: „ Chara proles, scio quidem, quod parens de Jure naturæ alere, & sustentare teneatur prolem aliunde media sustentationis non habentem: verum quia tu media hujusmodi facilè habere potes, vel petendo tuam portionem legitimam, vel vendendo totam proprietatem ex Testamento tibi debitam, ideò de usufructu mihi assignato nullam tibi sustentationem debeo.

371 III. Fieri potest Testamentum conjugum tam reciprocum, quam non reciprocum, oretenùs vel in scriptis. Et quidem quod specialiter notandum; si Testamentum reciprocum condunt in scriptis, possunt illud ambo conjuges in eodem libello vel charta, si volunt, coram iisdem testibus, ac eodem tempore: vel si magis placet, in duplici charta, ac coram diversis testibus facere. Gailus *lib. 2. observ. 117. num. 1.* Molina *disp 152. num. 1* Jul. Clarus §. *Testamentum num: 1.* Peck *de Test conjug.* Schmidt *ad tit. 34. a. 12 num. 1.* & Communis aliorum, *arg. l. Eo quod C. Si certum petatur. & l. Licet C de Pactis,* ubi tamen advertendum, quod si uno libello, & coram iisdem testibus Testamentum reciprocum condant, uterque conjux illud signare, & subscribere, testesque ad ferendum testimonium rogare seu requirere debeat: ipsi verò testes in subscriptione non tantum proprium suum, sed etiam utriusque conjugis nomen separatim ac specificè exprimere debeant, *arg. L. 21. C. h. t. & l. penul. ff. Qui testam. facere.* Ratio est quia, licet in una charta ambo conjuges ultimam suam voluntatem exprimant, duplex tamen Testamentum est. hoc ipso, quod quivis tantum de sua substantia testetur. Gailus *l. c.* Berlich *in Aureis decis dec. 92. n. 4.* Mynsinger *cent. 1. observ. 8. n. 6.* & alii suprà citati cum Communi *arg. l. qui tabernas ff. de Contrah. empt. & l. Servi electione §. cum fundus ff. de Legat. 1.* Ob eandem rationem ambo conjuges necessario debent rogare testes, casu quo coram eisdem testibus eodem tempore simul Testamentum reciprocum oretenus erigunt. Cæterum non refert, an conjuges æqualiter, vel inæqualiter se invicem instituant, uti cum aliis ex Iure & praxi probat Berlich *in Aureis dec. dec 92.*

Infertur, validas ac legitimas esse omnes sequentes 372
reciprocè testandi formulas: dum v. g. ambo conjuges in eadem charta voluntatem suam ultimam scribunt, vel scribi faciunt, dicendo in plurali „ Nos infrascripti conjuges hisce testamur, quod unus alterum post mortem suam instituat hæredem: vel unus alteri omnium bonorum relinquat usumfructum cum hac clausula &c. „ vel committat administrationem &c. vel si quivis conjux distinctè ac in singulari in eodem libello declaret suam voluntatem; dum maritus v. g. prius ita incipit: „ Ego N. hisce testor, quod post mortem meam volo pro hærede habere uxorem meam &c. vel lego eidem bonorum omnium, vel certorum usumfructum, aut hoc vel illud proprium &c. Et econtra uxor voluntate mariti finita, subjungit: Et ego N. reciprocè instituo maritum meum pro hærede, vel ei usumfructum aut hoc vel illud lego, ac insuper volo &c. addat id, quod volt; dummodo quivis dein testes, ut testimonium ferre dictoque modo sigillare, & in relicto vacuo spatio (contextu tecto, si illum latere volunt) subscribere velint, requirat. Idem etiam in separatis duabus chartis, vel etiam oretenus præstare poterunt. Porro pro majori intelligentia dictorum.

Quæritur II. Quomodo intelligenda sit dispositio con- 373
jugis mariti, v. g. qui absque illa *n. 368.* allegata, vel simili clausula in Testamento reciproco (vel etiam non reciproco, quia eadem est quæsiti ratio de utroque) alteri conjugi usumfructum omnium bonorum simpliciter relinquit? an nempe ita intelligi debeat, ut uxor habeat usumfructum solummodò in tantum, in quantum necesse habet pro sua honesta sustentatione? an vero etiam superfluum, ita ut de toto usufructu quantumvis superfluo, tanquam propriè suo liberè disponere valeat? Maxima circa hoc quæsitum est controversia inter DD. licet in aliquibus conveniant, uti patebit ex Conclusionibus sequentibus. Nam

Resp. I. In casu, quo adsunt liberi, & unus conjux 374
alteri in Testamento sive reciproco, sive non reciproco usumfructum omnium bonorum sive titulo legati, sive hæreditatis relinquunt, possunt liberi, si volunt, Legitimam suam una cum usufructu ejusdem illico petere, ut proin legatum de usufructu omnium bonorum de usufructu Legitimæ intelligi non possit, nisi clausula *nu. 368.* posita addatur. Ita certa & unanimis. Patetque absque alia probatione manifestè ex dictis *n. 397. arg Novell. 18. cap 3.*

Resp. II. Si conjux in Testamento claris, & omni 375
dubio carentibus, nullamque aliam præsumptionem patentibus verbis relinquat usumfructum omnium bonorum v. g. si ita dicit maritus „ Uxori meæ ad dies „ vitæ lego omnium bonorum meorum usufructum, „ non tantum illum, qui ei ad honestam sustentationem necessarius est, sed etiam omnem alium quantumvis superfluum, standum est Testamento, ita ut omnis etiam superfluus ususfructus (solo Legitimæ usu excepto) uxori pleno jure competat. Gailus *lib. 2. Observ. 144. num. 5* Decius *Consil 454. num. 1.* Mynsinger *cent. 5. Observ. 35. num. 5.* Schmidt *ad tit. 34. a. 14. num. 11.* cum Communissima aliorum. Ratio est, quia etiam conjuges non minus ac alii de Jure liberè ac pro libitu suo disponere possunt de cunctis suis bonis, dummodò liberis relinquant Legitimam, *arg. Leg. 43. ff. de Vulg & pupill.* ergo si clarè constat, quod mens Testatoris conjugis fuerit, alteri conjugi relinquere usumfructum etiam superfluum, ea (solo dempto Legitimæ usufructu) servari debet. Præsertim, cum

in tali casu præsumptio aliqua (quæ sola obesse potest) pro liberis locum habere nequeat, *arg. l. Ille 25. ff. de Legat.* 3. ibi: *Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quæstio.* Gallus *l. c.* cum Communi aliorum.

376 Resp. III. Si nullis extantibus liberis conjux extraneum hæredem v.g. fratrem, consanguineum, vel alium, etiam causam piam instituit, uxori verò usumfructum omnium bonorum legat, intelligi debet dispositio non tantum de necessariis sustentationi uxoris, sed etiam de superfluis, etsi maritus id clarissimis & specificis verbis non exprimat, sed simpliciter dicat v.g. *Uxori meæ ad dies vitæ lego usumfructum omnium bonorum meorum.* Gailus *l. c. n. 7. & l. 2. observ. 143. nu. 2.* Ant. Gab. *lib. 5. de Usufruct. conclus.* 3. per totum. Baldus *in l. Id quod pauperibus n. 27. C. de Episc & Cleric.* Covarruvias *var. res. lib. 2. c. 2. n.* 5. Concordant statuta Bavariæ *tit.* 34. *art.* 14. & ibi Schmidt *n.* 5. cum communi & veriori aliorum, adeò ut Alexander *Cons.* 262. *n.* 3. dicat, contrariam opinionem tanquam iniquam esse rejiciendam; quamvis contrarium teneat Jo: Andreas apud Gailum *l. c.* Ratio est: tum quia per *vulgaria Juris*, deficientibus hæredibus necessariis quivis de re sua pro libitu disponere potest: Tum quia, ubi nulla specialis ratio aliter præsumendi, aut interpretandi habetur, *verba generaliter sunt intelligenda c. Qui circa 22. de Privil.* ubi ratio additur: *Cum nihil exceperit, & potuerat excepisse.* In casu autem Conclusionis nulla suppetit ratio aliter interpretandi: ergo. Et quidem de tribus his Conclusionibus specialis controversia inter DD. non est.

377 Maxima autem controversia inter eosdem versatur in casu, quo extantibus liberis conjux unus alteri usumfructum omnium bonorum absque specifica explicatione vel declaratione sensus, legat, simpliciter dicendo v.g. *Filios meos hæredes instituo, ita tamen, ut uxori meæ ad dies vitæ ususfructus omnium bonorum meorum seu totius hæreditatis remaneat: vel uxori meæ omnium bonorum seu totius hæreditatis usumfructum lego, aut relinquo &c.* Gallus siquidem *lib. 2. observ. 144. n. 2.* citans communem Menochius *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 139. n. 4. & 8.* Bartolus *in l. Titia cum Testamento §. fin. n. 3. ff. de Legat* 2. & ibi Doctores communiter, Iason, Imola, Decius, Tiraquel. & plurimi alii tam apud Gallum, quam Menochium citati cum Glossa *in Authent. Hoc locum. C. Si Secundò nupserit*, & statutis Bavariæ *tit.* 34 *art.* 14. docent, in tali casu dispositionem ac mentem Testatoris intelligi debere solummodò de ususfructu necessario ad alimenta, seu honestam sustentationem, adeò ut uxor de relictæ hæreditatis ususfructu plus, quam necessaria ejusdem alimentatio requirit, sibi sumere, vel appropriare non possit, & consequenter residuum liberis restituere, ac desuper rationem reddere debeat. Concordant statuta Bavariæ *l. c.* Fundamentum eorum præcipuum hoc est, quod, cum pater censeatur magis diligere proles, quam conjugem, *l. Cum acutissimi C. de Fideicommiss & l. cum avus ff. de Condit. & Demonstr.* verba dispositionis ejusdem: *Lego uxori meæ usumfructum omnium bonorum meorum*, in eo sensu intelligi non possint, ex quo sequeretur defectus sustentationis, fames item, ac interitus prolium; prout tamen sequeretur, si vi verborum uxori competeret omnium bonorum ususfructus etiam superfluus, nullo fructu liberis relicto, *arg. Novel 18. c. 3.* ibi: *Filiis fortè fame peremptis &c* sed debent in favorem prolium intelligi in alio sano & accomodo sensu: videlicet, quod per dicta & similia verba præcisè intenderit maritus uxori legare necessariam sustentationem ex ususfructu capiendam; residuo vel superfluo autem post mortem suam ei committere administrationem omnium bonorum, eamque constituere rerum gubernatricem, seu administratricem, ut sic in priori statu & præeminentia conservetur, & à prolibus non contemnatur vel vilipendatur. Quibus non obstantibus

378 Resp. IV. Quamvis *num. præc.* allegata doctrina communis sit, Iuri nihilominus conformius, consequenter probabilius est, per dictum legandi modum pleno Iure uxori competere non solum necessarium, sed etiam superfluum usumfructum (solo excepto Legitimæ ususfructu, qui juxta dicta *n.* 367 detrahi potest) omnium bonorum, ita ut de illo tanquam suo, pro libitu disponere valeat. Ita Fachineus *lib. 5. controv. cap.* 47. Baldus & Salicetus *in Auth. hoc locum. C. Si secundò nupserit*, & alii apud Menochium *l. c. n.* 8. Probatur Conclusio tum ex illo generali principio supra jam allegato. *Verba generalia generaliter sint intelligenda, c. Quia circa 22. de privileg.* tum ex alio itidem generali principio, videlicet, quod in causa Testamentaria à propria significatione verborum *recedere non oporteat, quam cum manifestum est, aliud sensisse Testatorem*; prout dicitur *leg. non aliter 69. de Legat.* 3. atqui horum vel similium verborum, *uxori omnium bonorum, vel totius hæreditatis usumfructum lego*, propria sua significatione revera indicat omnem usumfructum, nullo excepto, hoc ipso, quod generaliter ac universaliter sonet, *arg. cit. cap. 22. de Privileg.* nec manifestum sit aliud sensisse testatorem; ergo.

379 Probatur Conclusio argumento Fachin. reverà efficaci desumpto ex *Novella 18. c.* 3. ubi Imperator reprehendit maritos illos, qui in Testamento liberis nudam proprietatem, uxori *verò omnium rerum usufructum relinquunt*; eo quod, ait Imperator, ut talis Testamenti penitus nullum fructum haberent, consequenter aliis sustentationis mediis destituti fame perire deberent liberi. Ex hoc enim merito infert Fachin. ergo ipsemet Legislator, Jusque ipsum hæc & similia verba *lego uxori usumfructum omnium bonorum* in eo sensu intelligit, quod vi talium verborum competeret ususfructus omnis etiam superfluus, & non tantum necessarius honestæ sustentationi, alias enim immerito reprehenderet maritos, quod liberis nudam proprietatem sine ullo ususfructu relinquant, si quod volunt Adversarii, per præfata generalia verba uxori sola alimentatio, filiis autem præter proprietatem, etiam residuus competeret ususfructus, prout consideranti patet.

380 Nec obstat alterius præsumptionis ratio *n.* 377. allegata, quia negatur suppositum, quod ex nostro interpretandi sensu, in casu posito sequatur fames prolium, vel defectus sustentationis eorundem, eo quod liberis adhuc maneat saltem Legitimæ ususfructus juxta dicta *n.* 367. quod ipsum etiam & non plus voluit *novel. 18. c.* 3. dum prohibuit, ne filiis nuda proprietas, & uxori totius hæreditatis relinquatur ususfructus.

381 Quæritur II. An cuivis conjugum liceat Testamentum reciprocum iterum pro libitu revocare? Resp. Affirmativè Gailus *lib. 2. observ. 117. n.* 2 Mynsinger *cent. 1. observ. 8. n.* 5. Berlich *in Aureis decis. decis* 92. Peck *de test. conjug. lin. 1. c.* 43. & communissima aliorum: ratio est; quia *ambulatoria est voluntas defuncti usque ad vitæ supremæ exitum: l. 4. ff. de adim.* Nec effectum aliquem habet ante mortem Testatoris *per vulgaria jura*. Ob quam rationem DD. conclusionem communiter intelligunt non tantum in casu, quo unus conjux jam obiit, sed etiam, si ambo adhuc vivunt, sive dein alter conjux revocationem sciat, & consentiat, sive nesciat, seu contradicat; hoc ipso, quod valor Testamenti neutiquam dependere possit à voluntate, vel arbitrio alterius, *l. Illa institutio ff. de hæred. inst.* Nec obstat, quod in una charta reciprocum Testamentum conscripserint, vel scribi fecerint; quia non obstante identitate chartæ, duplex distinctum ac separabile nihilominus censetur esse Testamentum, ita ut quivis de suis bonis præsumatur Testamentum fecisse, consequenter pro sua parte illud denuò revocare valent; uti cum communi aliorum citati Authores bene observant.

382 Notandum tamen cum Peck *l. c.* Menochio *de præsumpt. lib. 4. præsumpt* 165 *n.* 20. & aliis, quod, si sufficienter constet, maritum à conjuge ideo esse institutum, quia ab eo reciprocè fuit instituta, vel econtrà; & pars una, inscia altera, Testamentum suum clandestinè revocet, etiam compars suum Testamentum tacitè revocasse, vel potius, illud expirasse censeatur, hoc ipso, quia sub spe & conditione tacita factum præsumitur, quod nullus ante mortem alterius Testamentum revocare, sed potius unus alteri in eventum mortis tali Testamento favere velit. Idem habetur in statutis Bavariæ *tit. 3. art.* 13. ubi universaliter statuitur, quod si unus conjugum Testamentum inter eos reciprocè factum, clandestinè revocet, etiam alterius Testamentum revocatum censeatur; Si verò

nibus

unus non clandestinè, sed sciente altero Testamentum revocavit, remaneat conjugis alterius Testamentum in suo valore; si post revocationem ab altero factam, tamdin adhuc vixit, quod etiam ipse suum Testamentum facile revocare, vel mutare expressè potuisset, & tamen non fecit; quod ultimum num etiam de Jure procedat, Jurisperitis ampliùs examinandum relinquimus.

383 Cæterum ex dictis colligitur, quomodo conjuges practicè facilè facere possint, ac debeant Testamentum tam reciprocum, quam non reciprocum. Volentes namque testari, in primis attendant, num adsint liberi, nec ne. Si liberi non habentur, res omni difficultate caret; tunc enim conjuges eo modo, quo soluti, de rebus suis liberrimè disponere, seque invicem, vel alios pro hæredibus instituere, idque vel in reciproco, vel non reciproco testamento: Et si in reciproco, id vel oretenùs, vel in scriptis, item in uno, vel duplici libello vel charta juxta dicta *num.* 371. *& seq.*

384 Si vero adsunt liberi, considerent, & se resolvant, an unus alterum de bonis suis hæredem instituere, aut de iisdem bonis aliquid determinatum, ut proprium legare, vel usumfructum, eumque vel omnium rerum, vel certorum prædiorum, agrorum, vel summæ Capitalis relinquere velint. Nam quodvis horum pro libitu facere possunt, idq; rursus vel in reciproco, vel non reciproco testamento.

385 Et quidem si extantibus liberis unus alterum etiam hæredem esse velit, poterit id facere vel instituendo eundem æqualiter cum liberis, dicendo v.g. *liberos & uxorem pro hæredibus universalibus æqualiter denomino ac instituo*: vel potest, si vult, uxori, sicut contra hæc illi majorem partem hæreditatis assignare, dicendo v.g. *liberos & uxorem pro hæredibus meis instituo, ita tamen ut liberis non nisi præcisè legitima portio de jure debita detur, reliqua omnia verò tam mobilia quam immobilia uxori ut propria remaneant.* Ubi tamen advertendum. quod si una cum liberis etiam uxorem, vel hæc maritum pro hærede instituere velit, omnes solemnitates ad solemne Testamentum requisitas adhibere, vel certè ad Acta dare, aut coram iis condere, vel coram Principe facere debeat; eo quod alias Testamentum quoad uxorem tanquam extraneam, ac non privilegiatam personam non valeret, ipsaque uxori assignata hæreditas, ipso jure liberis accresceret, *arg. leg. Hac consultissima C. h. t.*

386 Si vero maritus solos liberos pro hæredibus instituere, uxori verò, vel hæc marito solummodo quid legare cogitat, rursus consideret, an eidem aliquid proprium, vel tantum rerum usumfructum legare, vel etiam, an bonorum administrationem eidem solummodò committere velit. Si proprium legare vult, specificet, ac determinet illud pro libitu etiam in magna quantitate, si placet; quia potest conjux unus alteri de jure etiam per modum legati tantam quantitatem relinquere, quæ longè excedat portionem hæreditariam liberorum, sicque cum eodem, vel etiam cum majori effectu per legatum consulere uxori, vel hæc marito, quam si eundem hæredem cum liberis fecisset; dummodò liberis Legitima remaneat. Sic v.g. in casu, quo pater duorum aut trium liberorum, aliquod bonum immobile 2000. florenorum, ac simul paratas pecunias, vel Summam Capitalem 10000 florenorum habet, poterit dicere: *Liberos meos pro hærede universali instituo, uxori vero 6000. vel 7000. florenos lego:* vel, *Uxori lego meum prædium N. simulque 4000. florenos, quos ei liberi illicò tradere teneantur:* ubi, ut vides, sola uxor tantum, vel etiam plus accipit per modum legati, quam omnes liberi simul per modum hæreditatis: Et hoc quidem de jure validissimè; eo quod parens de jure liberis plus relinquere non teneatur quam Legitimam; qualem in casu haberent, utpote capiente 3000. florenos, qui in causa posito jam efficiunt, imò superant tertiam totius hæreditatis partem, quæ est legitima portio, quando plures non adsunt liberi quàm quatuor.

387 Si autem non quid proprium, sed tantum usumfructum legare velit uxori, vel hæc marito: Idem deliberet, an omnium bonorum, an vero certorum tantum bonorum usumfructum legare expediat. Si hoc secundum resolvit, specificet, ac determinet illud, dicendo v.g. *liberos meos pro hæredibus instituo, uxori verò lego ad dies vitæ usufructum hujus vel illius prædii, vel horum agrorum, aut hujus domus &c. vel interesse annuum hujus aut illius Capitalis &c.*

388 Si primum, videlicet, usumfructum omnium bonorum eidem legare velit, exprimat illud benè, claris ac omnem aliam præsumptionem excludentibus verbis, non præcisè dicendo v.g. *uxor ad dies vitæ lego usumfructum omnium meorum bonorum, aut totius hæreditatis*: sed insuper data, *non solummodo quantum necessarius est ad ejus sustentationem, sed universaliter omnem etiam superfluum.* Licet enim prior modus sine tali additamento sufficeret, juxta dicta *n.* 378. nihilominùs, quia circa hoc magna controversia est inter DD. juxta dicta *n.* 377 uxorem periculo litis exponeret, nisi sensum manifestum poneret. Insuper excipiat usumfructum Legitimæ prolibus debitæ; quamvis enim de jure jam censeatur exceptus in casu, quo ususfructus omnium bonorum maritus uxori, vel hæc marito legat, juxta dicta *n.* 367. Nihilominùs melius, Jurique præsertim *Novellæ 18. c.* 3. conformius fit, si Testator ipsemet excipiat, dicendo v.g. *liberos meos pro hæredibus instituo, uxori vero omnium bonorum usumfructum non tantum sustentationi necessarium, sed etiam superfluum dempto legitimæ usufructu lego:* nisi forsan per clausulam suprà *n.* 368. positam, liberos indirectè cogere velit, ut matri etiam Legitimæ, consequenter omnium prorsus bonorum usumfructum ad dies vitæ relinquant.

389 Si tandem maritus uxori non usumfructum, sed administrationem omnium bonorum relinquere, sicque matrem curatricem, aut tutricem prolium facere velit, pariter id exprimat. Quamvis enim officium administrationis, extantibus post mortem mariti liberis, alias de jure jam competat matri ad secundas nuptias non transeunti, adeo ut, si velit, omnibus aliis (exceptis datis per Testamentum patris) præferatur: textu claro *novella 118. c & novel. 94. c. 2.* cum quibus etiam Bavariæ statuta Concordant *T. 5. a* 3 Nihilominùs firmius erit, si id in Testamento etiam exprimat maritus.

390 Illud porrò notandum, quod, si maritus uxori, vel hæc illi Testamento aliquid legat, securè faciat, si solemnitates saltem ad Codicillum requisitas adhibeat, vel ad Acta tradat; ne alias litis periculo factum legatum exponat, ob sententiam plurium DD volentium Testamentum minùs solemne inter liberos validum, quoad legata pro esse invalidum extraneis inferta juxta dicta supra *num* 162.

391 Insuper etiam advertendum, quod si maritus uxori, vel hæc illi proprium quid, vel usumfructum legare velit necesse non sit, ut faciat Testamentum, sed possit id per solum Codicillum, adhibitis ad id quinque testibus juxta dicenda §. 20. & 21. præstare, dummodo coram testibus manifestet, quod non intendat facere Testamentum, sed tantum Codicillum, in quo præcisè legata pro uxore, vel etiam pro anima sua, vel pro aliis indicare, liberis autem ab intestato successuris hæreditatem dividendam relinquere velit.

392 Tandem conjuges monendi, quod quamvis unus alteri tam in reciproco, quam non reciproco Testamento usumfructum, vel etiam proprietatem omnium bonorum (sola excepta Legitima) de Jure Civili legare valeat; nihilominùs si vident, quod liberi per solam portionem legitimam, sustentationis necessariæ media non habeant, nec se aliunde sustentare valeant, quivis conjux saltem de Jure naturali teneatur plus relinquere liberis, hoc ipso, quod ad præstanda eisdem alimenta Jure naturali teneatur, *per vulgaria juris*. Limita monitionem in casu, quo maritus v.g. probè scit, matrem pro liberis omnino fore sollicitam, legatamque sibi substantiam vel usumfructum in liberorum utilitatem applicaturam, vel saltem conservaturam, ut proin similia legata in liberorum detrimentum non vergant, sed tantum ad id serviant, ne mater à liberis despiciatur, aut minùs honoretur, aut ne ab eis dependere debeat; vel etiam, ne liberi sua immaturè consument, ac dissipent &c. tali enim casu tam de Jure naturali quam Civili validè ac licitè aget, etsi usumfructum, vel proprietatem omnium bonorum, excepta Legitima, uxori, vel hæc marito relinquat.

Quæ cuncta à *num.* 383. hucusque prolixius dicta sint in gratiam minùs peritorum in Jure, vel praxin non habentium, ut in frequentissimis conjugum Testamentis sibi, aliisque facilius consulere valeant, præsertim in locis, ubi Jurisperiti, aut practici alii haberi non possunt.

393 Quæritur III. An sit aliqua obligatio, faciendi Testamentum? Resp. per se loquendo, nulla datur talis obligatio, benè verò per accidens. Prima pars, quod per se non detur talis obligatio, communiter conceditur, indeque patet; quia nulla Lex Divina, nec naturalis, nec humana assignari potest ad id obligans. Secunda vero pars tanquam certa docetur à Molina *disp. 135. n. 1.* Dicitur autem per accidens & indirectè obligari, quando quis prævidet, quod, nisi condat testamentum, sint secutura multa scandala, odia ac dissidia, vel præjudicium tertii, v. g. creditorum &c. Ratio est; quia quivis dum facile potest, tenetur similia mala avertere, si non ex justitia, saltem ex charitate.

Infertur proin, Clericos sæculares habentes bona Ecclesiastica merè superflua graviter teneri præfata bona vel in vivis erogare in causas pias, vel ad easdem causas facere Testamentum; eo quod alias, nisi videlicet alterutrum faciant, bona residua Ecclesiastica ab intestato capiant consanguinei cum magno eoque injusto præjudicio causarum piarum. Limita tamen hanc illationem in casu, quo Clerici consanguinei ab intestato successuri ita sunt pauperes, ut omnibus residuis indigeant: cum enim talibus bona superflua tam in vivis donare, quam per Testamentum relinquere posset, eadem illis & intestatus cedere potest.

§. XIII.

De Hæredibus, & eorum institutione, variisque modis instituendi.

SUMMARIUM.

394 *Hæres, & hæreditas quid?*
395 *Hæres alius est ab intestato, alius ex testamento.*
396 *Alius necessarius, alius voluntarius: necessarius alius suus, alius non suus.*
397 *Extranei hæredes, & voluntarii qui olim?*
398 *Et qui nunc? Et n. 400.*
399 *Hæredes necessarii hodierno Iure qui?*
401 *Hæres esse potest omnis, qui non prohibetur.*
402 *Prohibentur autem plures esse hæredes, & quinam?*
403 *Fratres Minores non possunt institui hæredes; benè tamen legatarii.*
404 *Hæredes hodierno Jure necessario instituendi sunt non tantum liberi & nepotes respectu testamenti paterni, & ascendentium illius.*
405 *Sed etiam respectu testamenti materni, & ascendentium illius.*
406 *Probatur ex Jure.*
Prohibita seu illicita de Lege, sunt etiam invalida. Ib.
407 *Maternum, & ascendentium illius testamentum valet, si descendens in eo sit præteritus; dummodò causa præteritionis sit incerta.*
408 *Non tantum liberi adhuc sui, sed etiam emancipati sunt necessarii hæredes.*
409 *Solvitur instantia ex Jure.*
410 *Liberi illegitimi, alii naturales, alii spurii, & alii ex damnato coitu.*
411 *Liberi ex damnato coitu nunquam sunt necessarii hæredes.*
412 *Benè verò naturales legitimati.*
413 *Naturales non legitimati sunt necessarii hæredes respectu matris, non item respectu patris.*
414 *Quid de his statuta Bavariæ?*
415 *Deficientibus descendentibus, ascendentes sunt necessarii hæredes.*
416 *Testamentum parentum vel liberorum ob solam præteritionem nullum, valet quoad legata.*
417 *Fratres & sorores nunquam sunt hæredes necessarii: possunt tamen impugnare testamentum, casu quo turpis persona est instituta.*
Fratres consanguinei, Germani, Uterini, qui? Ib.
418 *Turpis persona ad propositum quænam dicatur?*
419 *Jus instituendi querelam inofficiosi testamenti Fratribus competit, non competit eorum liberis.*
420 *Hæreditas tota vocatur As, dividitur in 12. Uncias, & partes certa nomina babentes.*
421 *Ad institutionem nulla requiritur verborum formula.*
422 *Potest quis vel solus, vel cum alio institui in re certa.*
423 *Si solus instituitur, est hæres ex Asse.*
424 *Nec obstat, si testator expressè declaret, hæredem re certa sibi assignata debere esse contentum. Et n. seq.*
426 *Quando plures instituuntur in re certa, capiunt singuli rem illam certam Jure prælegati, in reliquo æqualiter ut hæredes ex Asse succedunt.*
427 *Quando pluribus institutis extraneis, unus simpliciter & universaliter, alius vero in re certa invenitur institutus, tunc hic venit loco legatarii.*
428 *Secus dicendum, si plures hæredes necessarii sunt instituti.*
429 *Doctrina pratica.*
430 *Hæredes necessarii debent institui titulo hæredis.*
431 *Quid juris, si plures instituantur hæredes. Et n. seq.*
433 *Incerti hæredis institutio non valet, nisi ad causas pias.*
434 *Idem est de institutione hæredis alterius arbitrio commissa, & n. seq.*
436 *Potest ex pluribus certis incertus instituendus alterius arbitrio committi.*
437 *Hæredis institutio etiam sub conditione fieri potest. Conditio varia. Ib.*
438 *Hęredes extranei possunt sub quavis conditione honesta.*
439 *Non item hæredes necessarii.*
440 *Instituti, tamen sub conditione de præsenti vel pretterito purificata non possunt.*
441 *Conditio turpis vel impossibilis apposita hæredi extraneo habetur pro non adjecta: apposita vero liberis annullat Testamentum.*
442 *Institutio sub conditione facta suspenditur; & deficiente conditione corruit.*
443 *Limitatur in duobus casibus, & n. seq.*
444 *Conditio habetur pro impleta, si non stat per eum, ad quem pertinet: limitatur.*

Quæritur I. Quid, & quotuplex sit hæres. Resp. I. Hæres (cujus nomen derivatur ab hero; quia veteres, *hæredes pro dominis appellabant §. fin. inst. de hæred. qual.*) est, qui in universum jus defuncti vel ex Testamento & dispositione Testatoris, vel ab intestato, & dispositione Legis succedit. Ita in re communis, parterque ex *l. hæredem 59. ff. de reg. jur* ibi: *Hæredem ejusdem potestatis jurisque, esse, cujus fuit defunctus, constat:* & *leg. hæres 37. ff. de Acquirend. hæred.* ibi *hæres in omne jus mortui, non tantum singularum rerum dominium succedit.* Hinc etiam universum jus defuncti *hæreditas* ab hærede vocatur, *l. hæreditas 62. ff. de reg. jur.* ibi: *hęreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuit.* An autem, & quomodo quis possit hæres institui, in parte certa, vel etiam in parte determinata, sicque hæres esse rei certæ, ac determinatæ salva definitione data, patebit ex Conclusionibus dandis ad quæsitum sextum, faciendum infrà *n. 420.* 394

Resp. II. Hæredem primò dividi in hæredem ab intestato, & in hæredem ex Testamento sui institutum *Hæres ab intestato* est, qui ex dispositione Legis succedit in universum jus illius, *qui intestatus decedit, qui nempe aut omninò Testamentum non fecit, aut non Jure fecit: aut id, quod fecerat, ruptum irritumque factum est: aut si ex eo nemo hęres extiterit prin. inst. de hęred* Concordat *l. 1. ff. de Suis & legit.* Hujusmodi hęredes ab intestato sunt proximi consanguinei intestatorum: de quibus hæredibus specialiter *in tit. seq. de Successionsab intestat. hęredes ex testamento,* seu *instituti* sunt, qui ex speciali dispositione Testatoris, in Testamento hæredes nominati, ac instituti in jus defuncti succedunt: *per vulgaria* 395

Secundò dividitur hæres in necessarium, & voluntarium sive liberum, qui etiam extraneus vocatur. *Necessarii hęredes* olim subdividebantur in Necessarios *suos*, & Necessarios *non suos*. *Necessarii ut sic illi vocabantur,* qui si hæredes scribebantur, nolentes volentes hæreditatem etiam cum suo præjudicio, vel damno adire debebant. §. 1. *Institution. de hęreditat. qualitat. Necessarii* & simul *sui* erant filii & filiæ, ac nepotes in Testatoris patria potestate adhuc constituti, §. 2. *inst. de hęred. qualit.* ibi: *Sui autem & necessarii hęredes sunt, veluti filius, filia, nepos, neptisve ex filio, & deinceps ceteri liberi, qui in potestate morientis modo fuerint.* Ubi etiam Legislator, quare ita 396

re ita vocentur, explicat illis verbis: *Sui quidem hæredes ideò appellantur; quia domestici hæredes sunt:* item, quia hæreditatem priùs quodammodò jam suam obtinent, *l. in suis. 21. ff. de liberis & posthumis. Necessarii verò ideò dicuntur; qui omninò, sive velint, sive nolint, tam ab intestato, quàm ex testamento hæredes fiunt*, adeò, ut Testator à Testamento sine justa exhæredandi causa eos excludere non possit, ipsi verò hæredes *necessarii* & *sui* hæreditatem sive ex testamento, sive ab intestato eis competentem repudiare olim non potuerint, *cit. § 2. Instit. de Hæred. qualit.* Quamvis hodierno Jure in hoc ultimo sint dispensati, eò quòd *suis* quoque hæredibus concedatur, repudiare hæreditatem, si velint, *Instit. de Hæred. qualit* & *l. Necessarii. 57. ff. de Acquirend. hæredit.* Ut proin liberi & nepotes in patria potestate constituti, non ampliùs sint hæredes *necessarii* in hoc sensu, quòd necessariò hæreditatem adire debeant, eamque repudiare non possit; sed quòd necessariò debeant hæredes institui, vel exhæredari.

397 *Hæredes voluntarii*, sive *extranei* erant cæteri omnes etiam liberi emancipati, & etiam liberi non emancipati, in casu hæreditatis maternæ, *cit. §. 3. Instit. de Hæred. qualit.* ibi: „ Cæteri, qui testatoris juri subjecti non sunt, „ extranei hæredes appellantur. Itaque liberi quoque „ nostri, qui in potestate nostra non sunt, hæredes à nobis instituti, extranei hæredes nobis videntur. Qua de „ causa, & qui hæredes à matre instituuntur, eodem numero sunt: quia fœminę in potestate liberos non habẽt.

398 Verùm licèt liberi jam emancipati, & universaliter liberi in casu hæreditatis maternæ, in sensu Juris antiqui, nec *sui*, nec *necessarii* hæredes fuerint; hodierno tamen Jure omnes liberi tam emancipati, quàm non emancipati, sive adhuc in patria potestate constituti, æqualiter dicuntur hæredes *necessarii* in hoc sensu, quòd vel necessariò debeant institui hæredes, vel nominatim exhęredari. §. 5 *Instit de Exhęred.* ut proin hodierno Jure, in puncto successionis inter liberos nondum emancipatos tanquam hæredes *suos*, ac *necessarios*; & inter liberos emancipatos tanquam hæredes *non suos* hodierno tamen Jure, in præfato sensu *necessarios* nulla sit differentia: nisi quòd secundùm Gomez, Vasquez, Hunium, & alios, hæredes *necessarii sui*, id est, liberi & nepotes in potestate Testatoris paterna adhuc constituti; ipso Jure acquirant hæreditatem quoad dominium (non quoad possessionem) absque additione, eamque transmittant ad hæredes, *arg. l. in suis hæredibus. 11. ff de liberis & posthum* Emancipati verò utpote hæredes hodierno Jure *necessarii* quidem, sed *non sui*, primùm per aditionem hæreditatis acquirant illius dominium, & absque aditione dicta hæreditatem ad hęredes sibi cedentes non transmittant, *arg. cit. § 3. Instit. de hæred. qualit.*

399 Porrò hodierno Jure & stylo per hæredes *necessarios* ordinariè intelliguntur omnes & soli illi, qui in Testamento saltem quoad legitimam hæredes necessariò institui debent, sunt liberi, ac deficientibus liberis, eorum nepotes, ac cæteri descendentes in linea recta, §. 5 *Instit. de Exhæred lib.* His autem deficientibus ascendentes in linea recta, ita tamen, ut quamdiu ad sunt descendentes, ascendentes inter hæredes *necessarios* non computentur, *Novell. 118 cap. 2.*

400 Per hęredes *voluntarios* verò, & *extraneos* intelliguntur illi, qui in Testamento institui necessariò non debent. Quales exceptis descendentibus, & ascendentibus, sunt omnes reliqui, adeò, ut Testator nec fratrem, nec sororem, nec uxorem, nec maritum, nec consanguineum, nec ullum alium pro hærede instituere, vel eis legatum facere Jure teneatur, sed possit illis neglectis suam hæreditatem cuivis hæreditatis capaci pro libitu relinquere (sola excepta persona turpi, juxta dicenda infrà) ut habet Communis & certa, patebitque magis dicendis.

401 Quæritur II. Quinam possint esse hæredes? Resp. I. Regula est; Omnes homines non tantùm singuli & privati, sed etiam integræ Communitates, causæque piæ, & profanæ institui, & esse possunt hæredes, nisi Jure specialiter prohibeantur Communis ac certa. *arg. leg Non Juris. 31. ff. de Hæred Instit & princ. Instit. eod.*

402 Resp. II. Sequentes de Jure specialiter prohibentur institui hæredes I. Judæorum communitas, *l. 1. Cod. de Judæis*. II. Hærerici, eorumque receptores, & defensores. *l. Manichæos. 4. & l. fin.* juxta *Authen. Credentes. Cod. de Hæreticis*; ibi: *Credentes prætereà defensores, & fautores hæreticorum, nec testandi babeant potestatem, nec ad hæreditatis successionem accedant* Excipiuntur tamen Lutherani & Calvinistæ, utpote qui saltem in Imperio Romano hæredes esse possunt vi pacis Monasteriensis. III. Apostatæ à Christiana fide *l. Hi qui. 3. C. de Apostatis*: ibi: *Apostatæ à fide Christiana nulli in hæreditate succedant, à nemine scribantur hæredes.* IV. Qui percutiunt, vel persequuntur Cardinalem *cap. 5. de Pœnis in 6.* ibi: *Nec ad alicujus bona ex testamento, vel ab intestato vocentur.* V. Peregrini, qui jus Civitatis Romanæ ex causa pœnæ amiserunt, quales sunt Deportati, *l. 1. C. de Hæred. Instit.* ibi: *Qui deportantur, si hæredes scribantur, tanquam peregrini capere non possunt: sed hęreditas in ea causa est, in qua essent, si scripti non fuissent* Secùs est de peregrinis sine causa pœnæ, seu alienigenis; hi enim, quia facere possunt Testamentum. *Authen Omnes peregrini C. Communia. de Success* etiam hæredes instituti possunt, eò quòd Testamenti factio activa tanquam nobilior annexam habere soleat passivam. VI. Damnati ad ultimum supplicium, eò quòd statim ac damnantur, peregrini evadant. *l. Qui ultimo. 29. ff. de Pœn. 8* Servi pœnæ *l. 3. ff de His, quæ pro non script. habentur*. VII. Liberi rebellium, & perduellium, *l. Quisquis 5. §. 1. C. ad Legem Jul Majestat.* ibi: *Filii verò à materna, vel avita, omnium etiam proximorum hęreditate, ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant &c.* VIII. Spurii ex damnato coitu nati, *Authen. Ex complexu. C. de Incest. nupt.* & *Authen. Licèt. C. de Natural lib.* ibi: *Sed qui ex damnato sunt coitu, omni prorsus beneficio secludantur.* IX. Ex Testamento vel ab intestato hæres esse nequit, qui occidit Testatorem, *leg. 7 §. penult ff de Bonis damnat.* & *l 15. § fi. ff & C l. C Silaniano.* X. Nihil capit ex Testamento, qui manifestissimè comprobatus est, id egisse, ut per negligentiam vel culpam suam illa persona, à qua hæres institutus est, moreretur, *l. Indignum. 3. ff. de His, quæ ut indignis.* Tãdem institui hæredes non possunt omnes illi, qui ob delictum, Testamentum facere nequeunt, de quibus suprà n. 304. egimus Item & illi, quibus ob delictum aufertur hæreditas & adjudicatur Fisco. Plura de iis, qui institui hæredes non possunt, qui desiderat, videat apud Legistas.

Præter enumeratas personas specialiter etiam vi Regulæ, & altissimæ paupertatis, hęredes institui prohibentur Fratres Minores Ordinis S. Francisci Regulam ejusdem purè & absque dispensatione observantes, quales sunt Observantes, Reformati, & Capucini: textu claro *Clem un §. Quia igitur. de V. S.* ubi etiam ratio additur illis verbis: *Quia in successionibus transit non solùm usus rei, sed & dominium suo tempore in hæredes*, domini autem, omnisque juris politici, vi Regulæ, & altissimæ paupertatis omnino incapaces sunt dicti Fratres tam in communi, quàm in specie; uti patet tum ex Regula, tum ex *c. Exiit. 3 de V. S. in 6 & cit. Clement un eod* Quo tamen non obstante possunt eisdem relinqui legata per modum eleemosynæ, *cit. cap. Exiit. 3. §. Ad hæc. de V. S* dummodò ita excessiva non sint, ut in fraudem facta præsumi queant, *cit Clem un § Quia igitur. de V. S.* ibi: *Nec licet eis valorem hęreditatum, vel tantam earum partem, quod presumi posset hoc in fraudem fieri, quasi sub modo, & forma legati sibi dimitti facere, vel sic dimissa recipere: quin potiùs ista sic fieri ab eis simpliciter prohibemus*. De quo magis infrà. 403

Quæritur III. An, & quinam sint hæredes *necessarii*, ita ut necessariò institui debeant hæredes? Resp. I. Omnes liberi legitimi, adhuc *sui*, seu nondum emancipati, tam masculi, quàm fœminæ respectu patris & ascendentium ejusdem, videlicet avi, aviæ, proavi & proaviæ &c. paternorum sunt hæredes omninò *necessarii*, necessarioque vel hæredes institui, vel nominatim exhæredari debent; ita quidem, ut Testamentum, in quo pater filium, vel filiam, aut avus, vel avia paterna nepotem, vel neptem præterit, vel nominatim non exhæredat; causa legitima exhæredationis express. Testamentum ipso Jure sit nullum Ita certa apud omnes textu claro *prin Instit. de Exhæred lib.* & *§ 5 Instit. eod.* ubi antiqua Constitutio de solis masculis nondum emancipatis loquens ampliatur illis verbis; „ Sed hęc quidẽ vetustas introducebat, nostra verò Constitutio inter masculos & fœminas in hoc Jure „ nihil interesse existimans; quia utràque persona in ho- 404

,, minum procreatione, simili naturæ officio fungitur: ,, ideò simplex ac simile jus & in filiis, & in filiabus & ,, in cæteris descendentibus per virilem sexum personis ,, non solum jam natis, sed etiam posthumis introduxit, ,, ut omnes sive sui, sive emancipati sint vel hæredes ,, instituantur, vel nominatim exhæredentur: & eun- ,, dem habeant effectum circa testamenta parentum ,, suorum infirmanda. Concordat *novel.* 115. *c.* 3.

405 Resp. II. Præfati liberi & nepotes etiam respectu matris & ascendentium illius avi nempe, aviæ, proavi, & proaviæ maternorum pari modo sunt hæredes *necessarii*; ita ut vel institui, vel exhæredari, vel saltem causæ exhæredandi in Testamento exprimi debeant: Ita tenent Clarus §. *testamentum q.* 47. citans Communem Grassus §. *testamentum q.* 36. *n.* 1. Manz *tit.* 8. *n.* 54. Corneus *conf.* 118. *in lit. A. lib.* 2. ubi dicit, ita sentire DD. omnes ubique, licet Adversarii non careat, ut Cujac. *in leg.* 4 *circa finem ff. de lib. & posthum. hær. inst.* Duaren *ad ti. de inof. test. c.* 3. Donel. *in Auth. ex causa n.* 5. *C. de liber. præterit.* ibi ,, Mater, vel avus maternus necesse non habent liberos suos ,, aut hæredes instituere, aut exhæredare, sed possunt ,, eos silentio omittere, nam silentium matris aut avi ,, materni, & cæterorum per matrem ascendentium tan- ,, tum facit, quantum exhæredatio patris &c. Sed aliud liberis adminiculum servatur; videlicet *querela inofficiosi testamenti*, per quam petere possunt rescissionem hujusmodi Testamenti, *l.* 3. *& l. Filiam* 15. *Cod. de inofficioso test.* juncto §. *fin. inst. de exhæred. liber.* & *prin.* & *inst. de inof. test.*

406 Verum citatis Juribus non obstantibus verior Iurique conformior est Conclusio nostra, eo quod citata jura utpote vetustiora correcta sint à novo, *in novell.* 115. *c.* 3. ibi ,, Sancimus igitur, non licere penitùs patri, vel ma- ,, tri, vel avo, vel aviæ, proavo, vel proaviæ suum fi- ,, lium, vel filiam, vel cæteros liberos præterire, aut ,, exhæredes facere in suo testamento &c. nisi probabun- ,, tur ingrati, & ipsa ingratitudinis causas, parentes suo ,, inseruerint testamento &c. Si autem hæc observata ,, non fuerint, nullum exhæredatis liberis præjudicium ,, generari, sed quantum ad institutionem hæredum per- ,, tinet, testamento evacuato, ad parentum hæreditatem ,, liberos tanquam ab intestato ex æqua parte pervenire. Concordat *Authen. Non licet. C. de Liber.* ibi: *Non licet parenti* (quo nomine non solum pater, sed & mater, cum utriusque ascendentibus intelligitur, Calvinus *in Lexic. Jurid. ar. l.* 1. *&* 3. *ff. de Grad.*) *aliquem ex liberis exhæredare, nisi probetur ingratus, & ingratitudinis causa nominatim inseratur Testamento.* Ex his enim Testibus claré patet etiam Testamentum matris, & ascendentium illius, ipso jure irritum esse, nisi in eo liberi instituantur hæredes, eò quod, quæ à Lege prohibentur, etiam irrita sint, *l. non dubium*, 5. *C. de Legibus*, ibi: *Quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licet legislator fieri prohibuerit tantum*

407 Dixi notanter in Conclusione, *vel saltem causa exhæredandi exprimi debeat*; quia DD. Communiter concedunt, Testamentum maternum, & ascendentium ejusdem valere, etsi prolem nec instituant hæredem, nec exhæredent; dummodò saltem causam præteritionis testamento inserant: nam cum Iure antiquo §. *fin. inst. de hæred. liber.* mater, & ascendentes ejusdem, liberos pro hæredibus instituere necessariò non debuerint; & novella illud corrigens expressè addat, nisi forsan *probabuntur ingrati, & ipsas nominatim causas ingratitudinis, parentes suo inseruerint testamento*, palam est, Ius antiquum manere in suo valore casu, quo mater, vel ascendentes ejusdem saltem causam exhæredationis testamento inserunt: Quamvis contra illud querelam instituere possit proles exhæredata, se injustè exhæredatam putans.

408 Resp. III. Non tantum *sui*, seu nondum emancipati, sed etiam *non sui*, id est, jam emancipati liberi & nepotes ita necessarii sunt hæredes, ut nisi instituantur, vel nominatim exhæredentur, vel saltem (si est Testamentum maternum) causa præteritionis exprimatur, testamentum ipso Iure sit nullum Molina *disp.* 175. *n.* 35. Covarruvias *in c. Raynutius*, *in prin. a n.* 3. *h. t.* cum Communi contra Alciatum, Perez *C. h. t. n.* 4. Grossum §. *Sultas. q.* 4. *n.* 9. & alios, docentes, Testamentum hujusmodi non esse nullum ipso Iure, posse tamen annullari. Probatur Conclusio nostra ex *c.* §. *Inst. de Exhæred. liber.* ubi relato Iure antiquo novum statuitur hujus tenoris: *Ut omnes sive sui, sive emancipati sint, vel hæredes instituantur, vel nominatim exhæredentur: & eundem effectum habeant circa testamenta parentum suorum infirmanda.* Concordat *novella* 115. *c.* 3 ubi sine discrimine inter *suos* & *emancipatos* absolutè statuitur, *penitus non licere patri, vel matri, filium vel filiam vel cæteros liberos* (utique emancipatos, utpote qui liberi esse non cessant) *præterire*.

409 Dices, *cit.* §. 5. *Inst. de exhæred. lib.* statuitur, Testamenta, in quibus liberi emancipati sunt præteriti, esse infirmanda; ergo ipso jure non sunt infirma seu nulla. Resp. ly *infirmanda* ibi non sumi in sensu stricto, quasi vero Testamenta hujusmodi ex se firma essent, & primum per Iudicis sententiam infirmari deberent; sed quod ipso jure jam infirma, pro talibus declarari debeant: alias enim sequeretur etiam Testamenta, in quibus *sui* sunt præteriti, de jure esse firma, & primum infirmanda fore cum textus de utroque Testamento pariter loquantur, ut legenti patet. Sequela autem est contra omnes etiam adversarios, Accedit, quod ratio Legis novæ jus antiquum corrigentis etiam militet in emancipatis; videlicet, *quia utraque persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur*, *cit. novel.* 115. *c.* 3.

410 Quæritur IV. An etiam liberi illegitimi necessariò institui debeat hæredes? Ante responsionem notandum, illegitimos alios esse naturales: alios spurios, alios ex damnato coitu natos. *Naturales* sunt, qui procreantur à parentibus solutis ad contrahendum matrimonium tempore conceptionis habilibus. *Spurii* propriè dicti sunt, qui quidem gignuntur à parentibus solutis, & ad contrahendum habilibus, matre tamen existente publica meretrice, ita ut certò constare non possit, quisnam ex fornicatoribus sit verus pater, *l. Vulgo*, 23 *ff. de Statu hominum*. *Nati ex damnato coitu* dicuntur, qui proveniunt à parentibus tempore conceptionis ad contrahendum matrimonium inhabilibus, prout sunt liberi ex adulterio, vel à Sacerdotibus, aut consanguineis nati, quamvis hi etiam spurii passim vocentur, de quibus omnibus *Infra lib.* 4. *tit* 7. *qui filii sint legitimi* Hoc notato

411 Resp. I. Liberi ex damnato coitu nullatenus sunt *necessarii* hæredes. Communis ac certa Patetque Conclusio ex dictis suprà *num.* 202. ubi diximus, quod nati ex damnato coitu, neque possint institui hæredes, *Auth. Licet. C. de Natural.*

412 Respond. II. Liberi naturales, si sunt legitimati, æquè sunt *necessarii* hæredes ac legitimè nati, ita ut vel necessario institui, vel nominatim exhæredari debeant. Clarus *parag. Testamentum, qu.* 84. Hunn. *in Encyclop. Jur. part.* 4. *tit* 7. *cap.* 1. *num.* 27. Decius *consil* 52. *num.* 1. Iason, Gailus, & Communis aliorum. Ratio est; quia regulariter loquendo legitimati æquiparantur legitimis.

413 Resp. III. Liberi naturales non legitimati sunt *necessarii* hæredes respectu Testamenti materni, non item paterni, ut prolis Testamentum matris sit nullum, in quo proles naturalis instituta, vel nominatim exhæredata, non sit. Ita Communis. Et quidem de Testamento materno patet ex *l. Modestino*, & *Unde cognati*, & *l.* 1 §. *Sed & vulgo*, *ff ad S.C. Tertul.* ubi sine differentia inter legitimatos, & non legitimatos liberi naturales una cum legitimis necessariò succedere debent. De Testamento paterno autem constat ex *Auth. ex complexu C. de incest. nupt.* Quamvis enim ibidem tantum sit sermo de natis ex damnato coitu; tamen eadem Iuris dispositio etiam ad naturales communiter extenditur à DD. ob rationem, quod dicta dispositio in favorem legitimorum, & in odium fornicatorum sit facta, Gailus *lib.* 2. *observ.* 88. Clarus *q.* 42. *n.* 4. cum Glossa communiter recepta *in l.* 1. *prin. ¶. Naturales*, *ff. de bonis possess.*

414 Statuta Bavariæ *tit* 39. circa illegitimos in aliquibus differunt à jure communi, præsertim quod mater illegitimos naturales instituere non possit, nisi sint legitimati. Si vero legitimati non sunt, & mater legitimos liberos, aut parentes suos adhuc habeat, illegitimis non nisi honestam sustentationem relinquere valeat: casu quo vero legitimis descendentibus careat, naturales etiam non legitimatos hæredes instituere possit. Cæterum,

an, & quid illegitimis alias dare possint, vel teneantur parentes, dicemus alibi.

414 Quæritur V. An, & quando *necessarii hæredes* sint parentes? item fratres & sorores? Resp. I. Qui habet legitimos descendentes, de Jure non tenetur instituere parentes, vel alios ascendentes; sive quod idem est, existentibus descendentibus Testatoris, ascendentes ejusdem non sunt *hæredes necessarii*. Si vero nullos habeat descendentes Testator, debet parentes, vel alios ascendentes in linea recta saltem quoad Legitimam necessariò instituere, vel nominatim exhæredare, causa exhæredationis expressa. Communis ac certa. Prima pars patet ex *Novel.* 118. *c.* 1. vi cujus ascendentes omnes totaliter excluduntur à successione per extantes descendentes. Secunda verò pars liquet ex *novel.* 115. *c.* 4 *prin.* ibi ,, Sancimus itaque non licere liberis parentes suos præterire, ,, aut quolibet modo à rebus suis, in quibus habent te- ,, standi licentiam, eos omninò alienos facere, nisi cau- ,, sas, quas enumeravimus, specialiter in suis Testa- ,, mentis nominaverint, vel descripserint. Et §. 9. Si ,, autem hæc omnia non fuerint observata, nullam vim ,, hujusmodi Testamentum quantum ad institutionem ,, hæredum habere sancimus, sed rescisso Testamento ,, (per declarationem nullitatis) eis, qui ab intestato ,, ad hæreditatem defuncti vocantur, res ejus dari dis- ,, ponimus: legatis videlicet & aliis capitulis suam ob- ,, tinentibus firmitatem.

415 Ex quibus ultimis Novellæ verbis DD. unanimiter inferunt, Testamentum prolis ob solam præteritionem parentis, vel alterius ascendentis nullum, valere quoad legata & fideicommissa eisdem inserta. Sicut à pari etiam Testamentum parentis ob solam præteritionem prolis nullum, valet quoad legata & alias dispositiones eisdem insertas *c. novel.* 115. *c.* 3 ibi ,, Si vero contigerit in ,, quibusdam talibus testamentis (parentum) quædam ,, legata, vel fideicommissa, aut libertates, aut tuto- ,, rum donationes relinqui, vel quælibet alia capitula con- ,, cessa Legibus nominari: ea omnia jubemus adimpleri, ,, & dari illis, quibus fuerint derelicta, & tanquam in ,, hoc non rescissum obtineat testamentum.

416 Porro quænam sit Legitima parentibus debita, ac quomodo institui debeant? item quæ causæ eos exhæredandi sint? dicetur *n.* 420. & §. *seq.*

417 Resp. II. Quamvis fratres & sorores in nullo casu de Jure sint hæredes propriè *necessarii*; & quodvis Testamentum alias legitimè factum de jure validum sit, etsi fratribus & sororibus penitus nihil in eo relinquatur, merique extranei hæredes alii & legatarii instituantur: nihilominus in casu quo soror aut frater in Testamento fratres & sorores totaliter præterit, & turpem personam pro hærede instituit, possunt fratres & sorores consanguinei (id est ab eodem patre nati, *leg.* 4. *ff. Unde cognati* & *leg.* 3. *de lib. Tut. & par. Cæterum inst. de leg. agnat. suc.* sive de in eandem sive diversam matrem habeant, *l.* 1 3 6 *& l.* 14. *C. de Legit. hær. cum concord.* qui tamen, si simul ab eadem matre sunt, etiam Germani vocantur) non item Uterini (id est, ab eadem matre, sed diversis patribus progeniti, hujusmodi Testamentum per querelam Inofficiosi Testamenti rumpere, non vero dicere nullum. Clarus *qu.* 5. Berlich *p.* 3 *concl.* 11. *n.* 12. Gomez *var. res. to.* 1. *c.* 11. *n.* 3. & Communis aliorum Patetque Conclusio claré; & §. 1. *inst. de Inof test. & l. Fratres* 27. *C. eod.* ibi ,, Fratres, & ,, sorores uterini ab Inofficiosi actione contra testamen- ,, tum fratris, vel sororis penitus arceantur: consangui- ,, nei autem, durante agnatione vel non, contra testa- ,, mentum fratris sui, vel sororis de inofficioso quæstio- ,, nem movere possunt, si scripti hæredes infamiæ, vel ,, turpitudinis, vel levis notæ macula aspergantur. Item habent statuta Bavariæ *tit.* 36. *art.* 7. ubi tamen aliqua à jure communi reperitur differentia in hoc consistens, quod sorores, & fratres non solum per querelam Inofficiosi impugnare possint Testamentum hujusmodi, sed illud etiam dicere nullum. Multum autem refert, an Testamentum ipso jure sit nullum, & consequenter an nullum dici possit, an vero solam querelam inofficiosi contra illud instituere, & invalidare possit hæres ab intestato; quia, ut DD. communiter advertunt, jus dicendi nullum Testamentum, durat per 30. annos: jus vero instituendi querelam inofficiosi Testamenti, tantum ad quinquennium; intra quod si quis Testamentum non impugnat, posteà impugnare amplius nequit.

418 Porro Turpes personæ ad propositum sunt primò omnes infames infamia Iuris de quibus *l.* 1. *& seqq ff qui notantur infamia*, *l.* 2. *& tot. tit. C. ex quibus caus. infam. irrog.* Secundo etiam infames infamia facti, id est illi, quos morum, aut vitæ turpitudo inquinat, *l. ea q.* 13. *C. eod. & l.* 2. *C. de dign.* quales sunt concubinarii, meretrices, mimi, lenones, bonorum dilapidatores, & quicunque malæ famæ apud probos existunt. Gomez *tom.* 1. *var. res. c.* 11 *n.* 38 Clarus *in Addit. n.* 1. Haunoldus *tr.* 6. *c.* 7 *n.* 428 cum Communi, *arg. cit. l.* 27. *C. de inof. test.* ibi: *Si scripti hæredes, infamiæ, vel turpitudinis, vel levis notæ macula aspergantur*. Num autem Turpibus personis ad præsens etiam annumerentur Spurii, controversia est inter DD Jason *in c. l.* 27. *C. de inof. test. n.* 10. Bartolus, Baldus & alii affirmativam tenent. Negativa vero octo solidissimis argumentis ex Jure defenditur in Additionib. Clari §. *testamentum quæst.* 50. *à num.* 3. ubi vide. De Iure Bavarico certum est, quod nomine Turpium ad præsens veniant omnes illegitimè nati, uti patet ex *tit.* 36 *art.* 8.

419 Illud etiam cum Gomez *l. c.* Berlich *p.* 3. *concl.* 11. *nu.* 14. & communi aliorum notandum, jus instituendi querelam inofficiosi Testamenti competere solis fratribus & sororibus, non item eorum liberis, eo quod hanc querelam ad solos fratres, & sorores consanguineos restrinxerint Iura. De Iure Bavarico tamen, quia juxta dicta *num.* 417. Testamentum tale est ipso Iure nullum, etiam Fratrum liberi succedunt. Schmidt *ad cit. tit.* 36. *art.* 8 *n.* 13.

420 Quæritur IV. Quomodo fieri possit, & debeat hæredis institutio? Præsertim an quis in re certa? item an quis incertus institui possit hæres? Notandum priùs, quod tota hæreditas, quæ à Iure *As* vocatur, communiter, & nisi aliter Testator exprimat, in duodecim partes seu uncias dividatur, quæ singulæ pro numeri diversitate, diversa sortiuntur nomina; omnes autem simul sumptæ *Assem* constituant; ex quo venit, quod hæres totius hæreditatis, hæres ex *Asse* nominetur *arg.* §. *Hæreditas* 5. *inst. de hæred. instit.* ubi etiam habetur, quod in potestate Testatoris sit, in quot partes hæreditatem dividere velit: ibi ,, Hæreditas plerumque divi- ,, ditur in duodecim uncias, quæ Assis appellationes con- ,, tinentur: habent autem & hæ partes propria nomina, ,, ab uncia usque ad Assem, utpote hæc. Sextans, id est sexta pars Assis, quæ facit duas uncias: *quadrans*, sive quarta pars Assis continens tres uncias: *Triens*, sive tertia pars Assis, complectens quatuor uncias totius Assis: *Quincux*, sive quinque unciæ: *Semis*, sive dimidium Assis comprehendens sex uncias: *Septunx*, sive septem unciæ: *Bes*, id est octo unciæ: *Dodrans*, sive novem unciæ: *Dextans*, sive decem unciæ: *Deunx*, sive undecim unciæ, & tandem *As* sive omnes partes simul sumptæ, seu tota hæreditas.

421 Resp. I. Ad institutionem hæredis nulla requiritur certa verborum formula, sed potest fieri quibuscunque verbis; dummodò ex eis voluntas Testatoris sufficienter pateat: Communis ac certa, ob clarissimam juris dispositionem *l. quoniam* 15. *C. h. t.* quam per extensum retulimus supra *n.* 43. Imo valet institutio hæredis, etsi omisso vocabulo *hæres* aliis verbis æquivalentibus hæredem sufficienter innuentibus fiat; uti si v. g. Testator dicit: *Omnia mea exceptis certis legatis relinquo Titio*, vel *post mortem meam omnia bona mea pertineant ad Titium &c.* Hunn. *p.* 4. *tit.* 7. *cap.* 2. *n.* 15. Grassus *in tr. de Success.* §. *institut. q.* 14. *num.* 4. Natta *in rep. l.* 21. §. *Ex imperfecto C. h. t. nu.* 115 & alii, *arg. leg. In Testamentis* 26. *C. h. t.* ibi: *In testamentis satis est voluntatem testatoris, vel testaricis manifestari, ad quos substantiam suam pervenire velit &c.* Ratio est; quia hoc ipso, quod Testator aliquem denominet, ad quem sua bona post mortem devolvi cupit, hæredem instituit: cum juxta dicta *num.* 394. hæres aliud non sit, quàm is, qui in universum jus defuncti succedit: quod idem circa Testamentum ad causam piam suprà *numer.* 179. jam diximus. Securius tamen semper est, si vocabulo *Hæredis* utatur Testator: quo nomine si non utatur, & alicui determinatum ac certum quid in ultima voluntate relinquit, v. g. *Titio relinquo*

meam demum &c. in vim Testamenti non valebit, sed tantum in vim Codicilli, eo quod nec explicita, nec implicita adsit institutio hæredis, quæ est de essentia Testamenti juxta dicta *n. 173. & 179.*

422 Resp. II. Potest aliquis non tantum extraneus, sed etiam filius, vel alius hæres necessarius, vel solus, vel cum aliis in re certa institui. Hunn. *h.c.c. 5. n. 6.* Grass. *l.c. q. 22. n. 1.* Tuschus *l. 1. concl. 3. n. 2.* Jason ad *l. quoties cod. de hæred. inst. n. 4.* in eandem Sichard. *n. 3.* cum communi textu claro *l. 1. §. 4. & l. 9. §. 13. ff. de hæred. inst. & Novel. 115. c. 5.* ubi etiam de institutione *necessariorum* Jus loquens, ita disponit: *Si qui hæredes fuerint nominati, etiamsi certis rebus jussi fuerint esse contenti, hoc casu quidem testamentum nullatenus solvi præcipimus.* Nec dicas, juxta dicta *n. 394.* hæres succedit in universum jus defuncti; ergo non potest institui in re certa. Nam contra est, quod etiam in re certa institutus vel succedat in universum jus defuncti, juxta dicenda, vel strictè loquendo hæres non sit. Ubi tamen notandum, multum referre, an quis solus, vel una cum aliis in re certa instituatur, ob diversos effectus inde provenientes, ut statim patebit ex Conclusionibus sequentibus. Nam

423 Resp. III. Si quis solus sine cohærede instituitur in re certa seu determinata, v. g. si Testator in Testamento dicat: *Titium pro hærede instituo, eique pro hæreditaria portione assigno meam domum vel 1000. florenos*, reputatur hæres ex *Asse*, succeditque in tota hæreditate relicta: dummodo Testator adhibeat vocabulum *hæredis*. Hunn. *p. 4. lit. 7. c. 5. n. 12.* Tuschus *l. c. n. 23.* Jason. *ad l. Extraneum C. de hæred. inst.* Peregrin. *de Fideicom. art. 5. n. 34.* Donel. Cujac. & Communis aliorum, *arg. l. 1. §. 4. ff. de hæred. inst.* ibi: *Si ex fundo fuisset aliquis institutus, valet institutio detracta fundi mentione.* Ratio est: quia nemo potest partim testatus, partim intestatus decedere, *l. jus nostrum, 7. ff. de R. I.*

424 Dicitur autem notanter: *Dummodo testator adhibeat vocabulum hæredis*: quia si nec expressè per dictum vocabulum *hæres*, vel implicitè per designationem universi juris, seu totius hæreditatis constet de hærede, censetur potius Codicillus, quam legatum, Hunn *l. c. n. 14.* Menochius *lib. 4. præsump. 20. n. 3. & 9.* Dauth. *Rubr. de materia test. n. 23.* Haunoldus *tom. 2. tr. 6. c. 5. contr. 3. n. 300.* Ratio est: quia institutio hæredis est de essentia Testamenti, qua deficiente deficit Testamentum, juxta dicta *n. 3. & 179.* Hinc infertur, neutiquam pro Testamento haberi sequentem vel similem dispositionem: *Titio, vel filio meo relinquo hoc prædium, aut 1000. florenos* benè verò, si dicit; *Titius, aut filius meus hæres sit in prædio N.* vel *Filio tanquam hæredi, seu titulo hæredis relinquo 1000. florenos.* Idem citati Doctores, volunt, si Testator omisso vocabulo *hæres*, utatur saltem vocabulo *instituo*, dicendo; v. g. *Filium meum instituo in hoc N. prædio.* Verum quia terminus *instituo* generalis & communis est, etiam legatariis competens, cum & hi institui dicantur, ultimum hunc modum securum non judicamus.

425 Porro limitant aliqui Conclusionem in casu, quo Testator expressè declarat, hæredem unicum in re certa institutum, illa re debere esse contentum, dicendo v. gr. *Titium hæredem instituo, voloque, ut ei detur domus mea, & nihil aliud &c.* hoc enim in casu putant, non adesse Testamentum, sed succedere hæredes ab intestato, ita tamen, ut & Titio tanquam legatario, restituant rem illam determinatam, detracta, si opus est, *Trebellianica* Haunoldus *tr. 6. c. 5. controv. 3. n. 304.* Gumez, Grassus, Molina, iisque testibus Communis aliorum, *arg. l. 9. §. 13. ff. de hæred. inst.* ibi: *Si modo voluntas patrisfamilias manifestissimè non refragatur.* Ratio est, quod cum in tali casu certo constet de Testatoris voluntate, eaque certo [illegible] adimplenda, *§. disponat. Auth. de nupt.* Casu [illegible] quo impletur, verus hæres in universum jus [illegible] hoc ipso jam dispositio ut Testa[illegible] utpote esse [illegible] hæredes [illegible].

426 [illegible] Fachin. *lib. 4. controv. 15.* Hunn. [illegible] Menoch. *l. c. n. 4.* Imola *a. c. n. 64.* Alexander *ad l. quoties, C. de hæred. inst. n. 11.* Tuschus *l. 1. concl. 232. n. 47. 55. & 78.* Peregrin. *de Fideicom. art. 5. n.* [illegible] volunt, etiam in hoc casu institutum in re certa, esse verum hæredem, & succedere in universum jus defuncti, *arg. cit. l. 1. §. 4. ff. de hæred. inst. & l. Si ita quis hæres, 74. ff. eod.* ibi: *Si ita quis hæres institutus fuerit excepto usufructu hæres esto; perinde erit jure Civili, atque si sine ea res hæres institutus esset*: In his juris casibus, ut patet, certo constat, quod Testator totam hæreditatem hæredi instituto relinquere noluerit, tamen à Jure eidem adjudicatur: ergo non obstante, quod testator expressè declaret, hæredem unicum in re certa institutum, debere illa re esse contentum, hæreditas tota ad eum tanquam verum hæredem pertinebit, exceptis legatis, si quæ fortè in Testamento continentur. Ratio est: quia *nemo potest in suo testamento cavere, ne leges in suo testamento locum habeant*: ut dicitur *leg. Nemo potest. 55. ff. de Legat. 1.* Tum quia nullus partim testatus, partim intestatus decedere potest, *leg. Jus nostrum, 7. ff. de Reg. Jur.* Ad textum ex *leg. 13. ff. de hæred. inst.* allatum, Respondetur, illum loqui de casu, quo plures hæredes sunt instituti, circa quem est Conclusio sequens, qua

427 Respond. III. Quando plures instituuntur hæredes, & singuli in re certa sive æqualis, sive inæqualis valoris, tunc quivis eorum rem certam illam, in qua institutus est, capit tanquam prælegatum, in residua autem hæreditate æqualiter succedunt *hæredes ex Asse*. Hunn. *loc. citat. numer. 15.* Sichard. *ad Leg. Quoties, Cod. de hæred. institut. numer. 6.* Donell. *ad eand. numer. 5. & lib. 6. Comment. cap. 18. § Sed quod dicitur.* Tuschus *litter. I. Conclusion. 232.* Konig *hoc tit. numer. 36.* cum Communi aliorum, *arg. Leg. quoties, 9. §. 13. de hæred. inst.* ibi „ Si duo sint hæ„ redes instituti; unus ex parte tertia fundi Corne„ liani, alter ex Besse ejusdem fundi, Celsus expe„ ditissimam Sabini sententiam sequitur, ut detracta „ fundi mentione, quasi sine parte hæredes scripti po„ tirentur, si modo voluntas patrisfamilias manife„ stissimè non refragatur. Qui textus quod in sensu Conclusionis intelligendus sit, patet inde, quia aliàs discordaret cum aliis Juribus præsertim *leg. Ex facto 35. ff. eod.* ubi clarè habetur, quod duo instituti in re certa succedant, uti in Conclusione diximus. Nec obstant dicti §. 13. ultima verba, *si modo voluntas &c.* ob quæ verba nonnulli volunt, plures institutos hæredes *in re certa*, purè ut legatarios succedere in re illa determinata, in reliquo succedere hæredes ab intestato, casu quo manifestè constat de voluntate Testatoris, quo quivis institutorum contentus esse debeat re sibi assignata. Nam contra est, quod præfata verba aliter, videlicet ita intelligenda sint, ut sensus sit, hæredes in sensu Conclusionis succedere, nisi manifestè constet, voluntatem Testatoris fuisse, ut, sicut inæqualiter instituti sunt in rebus certis, ita etiam inæqualiter succedant in reliqua non determinata hæreditate, uti observat Fachin *loc. cit.* Haunoldus *loc. citat. numer. 303.* Perez. & alii, *arg. cit. Leg. Ex facto, 35. ff. de Hæred. institut. & leg. Nemo potest. 55. de Legat. 1.* juncta *l. jus nostrum, 7. ff. de R. I.*

428 Resp. IV. Si plures instituuntur *hæredes merè extranei* & unus vel plures eorum in re certa, unus vero, vel plures universaliter, vel simpliciter, vel indeterminata parte hæreditatis, v. g. si dicit Testator, *Titium & Cajum pro hæredibus instituo, voloque ut Titio pro sua portione hæreditaria detur mea domus, vel prædium N. aut 100. floreni,* tunc ille, vel illi, qui in re certa instituti sunt, habentur tanquam legatarii, & ut tales capiunt rem certam sibi assignatam; reliqui vero universaliter vel simpliciter instituti, succedunt æqualiter in tota residua hæreditate. Hæc est communis ac certa textu claro *l. quoties, 13. de hær. inst.* ibi „ Quoties certi quidem ex certa re scripti „ sunt hæredes, vel certis rebus pro institutione contenti „ esse, jussi sunt, quos legatorum loco haberi certum est: „ alii vero ex certa parte, vel sine parte qui veterum Le„ gum tenore ad certam unciarum institutionem referun„ tur, eos tantummodo omnibus hæreditariis actioni„ bus [illegible] & conveniri decernimus, qui ex certa parte, „ vel sine parte scripti fuerint, nec aliquam diminutio„ nem [illegible] earundem actionum occasione hæredum ex cer„ ta re scriptorum fieri. Ex qua Lege [illegible] patet, „ [illegible] inter se differre, & aliud esse in re cer„ ta, aliud in certa parte institui. [illegible] citur, cui res certa in individuo, vel certa pecuniæ quantitas assignatur, v. gr. *hæc domus, hoc prædium, centum floreni &c.* & ita institutus tanquam legatarius habetur, si cohæredem vel universaliter, vel simpliciter, vel in certa parte institutum secum habet. *In parte certa* autem institui dicitur, cui certa pars hæreditatis, v. g. *Bes, quadrans, triens &c.* assignatur, non assignando individuum aliquod, vel certam quantitatem; licèt similis certa pars totius hæreditatis multa ac varia contineat individua, & varias pecuniarum quantitates efficere possit.

Dicitur autem notanter, si plures instituuntur *hæredes merè extranei*. Nam

Resp. V. Si plures instituuntur, quorum unus aut plures vel etiam omnes sunt *hæredes necessarii*, v. g. liberi, tunc omnes necessarii etiam in re certa instituti habentur loco hæredum saltem in hoc sensu, quod illi, qui in re certa inveniuntur instituti, non possint quasi præteriti, & legatarii Testamentum dicere nullum, vel illud impugnare, sed debeant esse contenti illa certa re sibi assignata: illi vero, qui vel simpliciter, aut universaliter, vel in parte certa instituti sunt, succedant in tota reliqua non determinata hæreditate, sive dein sint *hæredes necessarii* sive *extranei*. Tuschus *litt. I. Conclus. 232. n. 8. & seqq.* Grassus *de Success. § Institutio, quæst. 22. nu. 1. & 2.* Jason *ad l. Quoties. Cod. de Hæred. instit. nu. 4.* Sichard. *in eand. nu. 3.* & Communis. Probatur Conclusio manifeste ex eo, quia si necessarius hæres in re certa institutus, non esset hæres, sed legatarius, posset dicere Testamentum nullum, *arg. Novell. 115. cap. 3.* atqui hæres necessarius in re certa institutus Testamentum nullum, vel se præteritum dicere non potest, sed re illa certa, sibi assignata tanquam hæres particularis contentus esse debet; dummodo Legitimam attingat, textu claro *Novell. 115. cap. 5.* ibi: *Cæterùm si qui hæredes* (parentes, vel liberi) *fuerint nominati: etiamsi certis rebus jussi fuerint esse contenti, hoc casu quidem Testamentum nullatenus solvi præcipimus, quidquid autem minùs legitima portione eis relictum est, hoc secundùm alias leges ab hæredibus adimpleri: sola enim serenitatis nostræ intentio est a parentibus & liberis injuriam præteritionis, & exhæreditationis ferre:* ergo.

429 Infertur, validas, & ad amussim servandas esse sequentes institutiones, quibus Testator dicit, v. g. *Omnes meos liberos hæredes instituo, ita tamen, ut Titio detur mea domus: Cajo relinquatur prædium N. Sempronio dentur 1000. floreni, Simplicius verò reliquum habeat*: vel dicit; *Filium, vel filios & uxorem hæredes instituo, ita tamen, ut liberis non nisi Legitima detur. vel ut cuivis ex liberis pro sua portione legitima 100. floreni extradantur, reliquum verò totum uxoris sit*: dummodò portiones certæ liberis assignatæ Legitimam efficiant, de qua §. *seq.*

430 Resp. VI. Omnes liberi, sicut & parentes, in casu, quo necessariò institui debent, instituendi sunt titulo hæredis, adeo quidem, ut Testamentum nullum dicere possint, si alio titulo v. gr. legatarii, fideicommissarii &c portio etiam Legitimam excedens eis relinquatur. Omnes, patetque Conclusio tum ex dictis suprà *n. 404. & seqq.* tum ex *Novell. 115. cap. 13.* ibi: *Sancimus, non licere parentibus &c. per quamlibet aliam donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium quemcunque modum dare Legibus debitam portionem &c.* De liberis respectu parentum patet ex *Novell. cit. cap. 4.* per textum *cap. 14.* citatum.

431 Resp. VII. Si plures simul instituuntur hæredes simpliciter, vel universaliter, & nullus eorum in re certa vel parte determinata, omnes æqualiter succedunt, sive dein omnes sint *hæredes necessarii*, sive *extranei*, sive invicem mixti, *extranei* nempe cum *necessariis*. Communis, textu claro *§. Si plures 6. Instit. de Hæred. instit.* ibi: *Si plures instituantur &c. satis constat, nullis partibus nominatis, ex æquis partibus eos hæredes esse*: ut proin non tantùm liberi simpliciter, vel universaliter instituti, sed etiam extranei, v. g. uxor, fratres, consanguinei, aut alii cohæredes cum liberis æqualiter succedant: v. gr. si dicit, *Filios meos* (non nominando illos) *& uxorem, vel fratrem meum hæredes instituo*, capit uxor, vel frater tantum, quantum quivis filius.

Limita Conclusionem in casu, quo plures *hæredes necessarii*, inter quos est ordo successionis ab intestato, instituuntur, ut dum dicit Testator *Filium meum, & nepotes instituo hæredes*; tali enim in casu præsumitur solus institutus proximus hæres ex *Asse*, alter verò substitutus, successurus primùm post mortem sui patris tanquam filii avi: ita cum communi Mantica *de Conject. lib. 4. tit. 7. nu. 1.* Menochius *lib. 4. Præsump. 17. n. 15.* Covarruvias *in cap. Raynutus h. t. §. 2. nu 6.* Dauth. *de Testam. rubr. de Hæred. instit.* cujus doctrinæ communis textus Juris clarus, vel fundamentum aliud dari nequit, quam præsumptio de mente Testatoris.

Secùs est, si plures, *non necessarii*, sed *extranei* instituantur hæredes, etsi inter eos sit ordo successionis: ut si Testator dicat, *Cajum, & filium ejus instituo hæredes*; tali namque in casu patrem & filium æqualiter & immediate succedere, rursus & communiter docent DD ut Hunn. *loc. cit. cap. 3. num. 2.* Menochius *loc. cit. num. 15.* Mantica *loc. cit. num. 17. & 18.* Peregrin. *de Fideicommiss. art. 17. num. 20.* & alii. Imò etiam *necessarios hæredes*, inter quos est ordo successionis ab intestato, æqualiter succedere, volunt citati Doctores, in casu, quo Testator non utitur dictione &, sed *simul una cùm* &c ut si v. g. non dicit, *Filium, & nepotem meum instituo*, sed filium una cum nepote.

Limita secundò, in casu, quo Testator unum particulariter, alios verò collectivè instituit, dicendo v. gr. *Cajum filium meum, & Titiæ filiæ meæ defunctæ liberos hæredes instituo*, tunc enim singuli non æqualiter, sed Cajus in media parte hæreditatis, & liberi Titiæ omnes simul alteram mediam partem æqualiter inter se dividendam capiunt, textu claro *l. Interdum 13. princ. & L. Liber homo 59. §. Titius, ff. de Hæred. instit.* Ratio est; quia in hujusmodi institutione plures collectivè nominati, loco unius, veniunt, ut post Glossam *in cit. l. Interdum*, communiter advertunt DD. signanter Menochius *l. 4. Præsump. 18. n. 10.* citans plurimos alios.

Resp. VIII. Si plures instituti sunt, & nullus eorum *in re certa*, benè tamen *in parte certa*, observari debet, quod statuitur *§. 6. 7. & 8. Instit. de Hæred. instit.* ibi: „ 432
„ Si plures instituantur hæredes, ita demum in hoc ca„ su partium distributio necessaria est, si nolit testator „ eos ex æquis partibus hæredes esse &c Partibus autem „ in quorundam personis expressis; si quis alius sine par„ te nominatus erit: si quidem aliqua pars Assis deerit, „ ex parte hæres fit, & si plures sine parte scriptis fue„ rint, omnes in eandem partem concurrunt. Si verò to„ tus As completus sit, ii, qui nominatim expressas par„ tes habent, in dimidiam partem vocantur: & ille, „ vel illi omnes in alteram dimidiam. Nec interest, pri„ mus, an medius, an novissimus sine parte hæres scri„ ptus sit: ea enim pars data intelligitur, quæ vacat. „ Videamus, si pars aliqua vacet, nec tamen quisquam „ sine parte sit hæres institutus, quid juris sit, veluti si „ tres ex quartis partibus scripti sunt: Et constat va„ cantem partem singulis tacite pro hæreditaria parte „ accedere, & perinde haberi ac si ex certis partibus „ hæredes scripti essent. Et ex diverso, si plures hære„ des [illegible] portionibus sint, tacite singulis decresce„ re: ut si v. gr. ex certis partibus hæredes scripti sint, „ perinde habeantur, ac si unusquisque ex quarta parte „ hæres scriptus fuisset. Etsi plures unciæ quàm duode„ cim distributæ [illegible], qui sine parte institutus est, „ quod dupondio deest, habebit. Idemque erit, si du„ pondius [illegible] tus sit. Quæ omnes partes ad Assem re„ vocantur, quamvis sint plurium unciarum.

433 Resp. IX. Hæredis institutio, ut de Jure valeat fieri debet de persona, vel personis certis; quia *hæres institui, nisi certa demonstretur, nemo potest*, prout dicitur *l. Quoties 9. §. 9. ff. de Hæred. instit.* Sequitur unanimis DD. qui tamen etiam Conclusionem unanimiter limitant in Testamento ad causam piam juxta dicta *n. 51.* ut proin licet non valeat Testamentum, quando Testator dicit, *hæredem instituo unum ex cognatis meis*, valeat tamen si dicit, *hæredem instituo causas pias, vel pauperes, vel animas in purgatorio*, etsi nullam causam piam, vel pauperem specificet, *arg. l. Quod id 24. C. de Episc. & Cler.* ibi: *Id quod pauperibus testamento, vel Codicillis relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis, ratum & firmum subsistat.* Concordat *l. Nulli 28. in princ. C. eod.*

Resp.

434 Resp. X Pariter non valet hæredis profani institutio, alterius arbitrio commissum: ut si v. g. dicit Testator, *Hæredem instituo, quem Cajus voluerit*, vel *hæredem post mortem meam nominandum Cajo committo, seu relinquo*. Rursus Communis ac certa, textu claro *l. Illa institutio 32. ff. de Hæred instit.* ibi: Illa institutio, quos Titius voluerit, ideò vitiosa est, quod alieno arbitrio permissa est; nam satis constanter veteres decreverunt, Testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere.

435 Dicitur notanter *hæredis profani*, quia si causa pia est hæres, valet institutio etiam alterius arbitrio commissa, prout supra *num. 51.* cum Communi aliorum jam dictum est; *arg. c. cùm tibi 13. h. t.* ibi: *Dicimus, quod qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus*. Quam Juris dispositionem licet aliqui etiam ad hæredem profanum extendant, sicque per eam Jus Civile correctum velint; nihilominùs communis, ac recepta opinio est, eam de sola dispositione ad causam piam procedere.

436 Illud tamen communiter receptum habetur apud DD. ut Hunn. *loc. cit. cap. 2. n. 10.* Sichard. *ad Rubr. C. de Hæred. instit. n. 5* Haunold. *loc. cit. nu. 332* & alios, quod possit persona, seu hæres incertus ex pluribus certis, alterius arbitrio eligendus institui, dicendo v. g. *Ex fratribus meis illum hæredem instituo quem Titius elegerit*. Rationem dant: tum quia nulla lex resistit: tum quia in tali casu institutio non verè committitur libero arbitrio alterius; cum non possit aliquem pro libitu, sed teneatur necessariò unum ex designatis eligere.

437 Quæritur VII. An, & quomodo fieri possit institutio hæredis sub conditione? Ante responsionem notandum, conditiones alias dici [illegible] potestativas; alias casuales, alias mixtas, alias impossibiles, alias turpes, alias verò honestas & possibiles. *Potestativa conditio* ad præsens dicitur, quæ in potestate hæredis, seu illius, cui apponitur, est, ita ut, si velit, eam facile implere valeat. *Casualis* est, quæ in potestate hæredis non existens à casu fortuito dependet. *Mixta* est, quæ aliquid de utroque participat. *Impossibilis* est, quæ vel à natura non implebilis, vel à Lege prohibita est: si prohibita à Lege est, etiam turpis dicitur. *Possibilis* est, quæ adimpleri potest; & *honesta*, cujus adimpletio per nullam Legem habetur prohibita. Ita Communis, patetque ex terminis. Resp. I. Certum est; quod hæredis institutio etiam sub conditione fieri valeat. Omnes *arg. tot. tit. ff. de Condit. Instit.*

438 Resp II. Extraneus hæres potest sub quavis conditione possibili & honesta tam potestativa, quam casuali, & mixta institui, Hunn. *par. 4. tit. 7. cap.* [illegible] Jason *ad L. Si pater C. de Instit. & substit. n. 11.* Gomez *Var. resol. tom. 2. cap. 2. n. 22.* cum Communi & certa aliorum. Ratio est, quia hoc nullo Jure prohibitum reperitur.

439 Resp III. Hæredes necessarii omnes institui quidem possunt sub *conditione potestativa*, non tamen omnes sub *casuali* aut *mixta*. Prima pars est certa, textu claro *L. 4. ff. de Hæred. instit.* ibi: *Suus quoque hæres sub conditione institui potest; sed excipiendus est filius, qui non sub omni, sed sub ea conditione institui potest, quæ in ejus potestate est*. Concordat *l. fin. ff. de condit. instit.* ibi: *Si filius sub conditione hæres erit &c. ita demum testamentum ratum est, si conditio fuit in filii potestate*. Secunda pars etiam certa est, quantum ad hoc, quod non omnes hæredes necessarii sub *casuali*, vel *mixta* institui possint, cùm, ut patet ex Lege primùm citata filii (idem est de reliquis liberis) sub sola *potestativa conditione* institui queant. Controversia tamen est, an, & quinam hæredes necessarii etiam sub *conditione casuali & mixta* institui valeant? Quibusdam ut Hunn. *loc. cit. nu. 5.* Jason *ad l. Si pater. C. de Instit. & substit. nu. 6* Perez, Pachov. & aliis volentibus, nepotem, & neptem etiam sub *casuali conditione* institui posse: quorum sententia de Jure antiquo certa videtur, *arg. cit. L. 4. & lege 6. §. 1. ff. de Hæred. Instit.* ibi: *Nepotes autem, & deinceps cæteri &c. sub omni conditione institui possunt*. Econtrà Clarus *qu. 37. nu. 4.* & alii volunt, Jus antiquum in hoc puncto esse correctum ita ut hodie nulla sit differentia inter liberos, & nepotes in puncto conditionalis institutionis: cujus controversiæ decisionem vide apud Civilistas.

440 Illud tamen hic notandum, quod licet institutio liberorum sub *conditione casuali* de futuro non valeat, valeat tamen facta sub conditione de præsenti, vel præterito, conditione purificata. Hunn. *loc. cit. n. 6.* cum communi; textu expresso *l. 10. ff. de Condit. instit.* ubi etiam ratio redditur illis verbis: *Cùm nulla conditio sit, quæ in præteritum fertur, vel quæ in præsens*.

Resp. IV. Si quis hæres extraneus instituitur sub *conditione turpi*, vel *impossibile*, habetur conditio pro non adjecta, valetque Testamentum, ac si conditio adjecta non esset: si verò filius instituitur sub tali conditione, Testamentum est nullum, daturus locum successioni ab intestato. Ita Communis ac certa. Prima pars Conclusionis clare patet ex *§. Impossibilis. Inst. de Hæred. instit.* ibi: *Impossibilis conditio in institutionibus & legatis, nec non fideicommissis, & libertatibus pro non scripta habetur, & l. Conditiones 14. ff. de Condition. inst.* ibi: Conditiones contra Edicta Imperatorum, aut contra Leges, aut quæ Legis vicem obtinent, scriptæ, vel quæ contra bonos mores, vel derisoriæ sunt, aut hujusmodi quas Prætores improbaverunt, pro non scriptis habentur, & perinde ac si Conditio hæreditati, sive legato adjecta non esset, capitur hæreditas, legatumve. Secunda verò pars de casu, quo liberis apponitur, constat ex *l. Filius 15. & l. fin. ff. eod* quibus iisdem Legibus probatur, Testamentum quoque nullum esse, etsi filius sub *Conditione possibili & honesta, casuali* tamen vel *mixta* instituatur saltem in casu, quo Conditione deficiente exhæredatus est, nec cohæredem habet, Jason *in l. Si pater. C. de instit. & substit. n. 4.* Donell. *in eandem n. 3. & seq.* Hunn *loc. cit. c. 7. nu. 14.* Gilcken *ad eandem n. 5.* cum Communi aliorum. 441

Resp. V *Conditio honesta & possibilis* legitime apposita suspendit valorem Testamenti, & deficiens regulariter irritat Testamentum. Mantica *de Conject. l. 10. tit. 5. n. 2* Gomez *Variar. Resolut Tom. 1. cap. 12. n. 59.* Hunn. *loc. cit. cap. 7.* cum Communi & certa aliorum, textu claro, *l. un. §. Sin autem 7. C. de Caduc. toll.* Ratio est, quia deficit intentio Testatoris. Dicitur autem notanter, *regulariter loquendo*. 442

Limitatur Conclusio I. In casu, quo Conditionis eventus impediatur ab eo, qui aspirat hæreditatem v. gr. ab hærede ab intestato successuro, *l. Jure Civili 161. ff. de Reg. Jur.* ibi: In Jure Civili receptum est, quoties per eum, cujus interest Conditionem non impleri, fiat quo minus adimpleatur, perinde haberi; ac si impleta Conditio fuisset, quod ad libertatem, & legata, & hæredum institutionem perducitur. 443

Limitatur II In *Conditione potestativa* si absque culpa & negligentia hæredis instituti deficiat, *l. Uter 26. ff. de Condit. instit* ibi: *Plerumque enim hæc Conditio, si uxorem duxerit, si dederit, si fecerit; ita accipi oportet, quod per eum non stet, quo minus ducat, det, aut faciat*, similia exempla plura habentur in Jure, ut *L. 1. C. de Instit. & substit. & L. 11. ff. de Cond. instit.* Ratio est, quia universaliter juxta *Reg. 66. Jur. in 6. cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus Conditio adimpleatur, haberi debet proin ac si impleta esset*. Sublimita tamen hanc, & præcedentem Limitationem: nisi certò & manifeste constet, Testatorem simpliciter & absolute voluisse allegare institutionem eventui Conditionis. Hinc licet pro impleta habeatur Conditio, qua Testator dicit: *Cajum instituo hæredem, si Titiæ nupserit*, dummodo postea Cajus Titium nubere voluerit, illa autem nuptias recusaverit, *arg. cit. Juribus*: tamen pro impleta non habetur Conditio, qua Testator aliquem ita instituit: *Sempronium hæredem instituo, si filius acquisierit*; licet Sempronius [illegible], & penes eum non stet, quò minus liberos acquirat. Ratio est, quia in hoc casu manifeste patet, quod Testator institutionem conditioni, procreationis nempe filiorum intuitu stematis vel familiæ alligaverit; Haunoldus *tr. 6. cap. 6. Controv. 2. n. 346.* 444

§. XIV.

De Legitima, Falcidia, & Trebellianica.

SUMMARIUM.

445 *Legitima quid? debetur liberis, & quanta?*
446 *Legitima nepotis quando, & quanta debeatur? Et nu. 447. 448. seqq.*
449 *Legitima parentibus quando, & quanta debeatur, duob. nu. seqq.*
452 *Legitima fratribus quando, & quanta debeatur?*
453 *Liberis & parentibus Legitima relinqui debet titulo institutionis.*
454 *Etiamsi in vivis portionem suam jam accepissent.*
455 *Quid juris, si pars aliqua titulo institutionis relicta Legitimam non attingat?*
456 *Legitima sine onere debet relinqui: onus additum habetur pro non adjecto.*
457 *Sub Conditione potestativa, ac favorabili potest Legitima relinqui.*
458 *Doctrina practica.*
459 *Legitima debetur, computaturque ex solis*
460 *Et omnibus bonis Testatoris, deducto ære alieno.*
461 *Hæres pro libitu aliquid loco Legitimæ arripere non potest.*
462 *Nisi Testator aliter expresse disponat.*
463 *Ad computationem Legitimæ conferuntur etiam bona, quæ hæredes necessarii in vivis jam receperunt.*
464 *Limitatur præcedens doctrina.*
465 *Falcidia quid; & unde origo ejus?*
466 *Trebellianica quid? & unde?*
467 *Falcidia ex quibus bonis deducatur, & computetur?*
468 *Quantitas bonorum in computatione Legitimæ attenditur solùm illa, quæ adfuit tempore mortis.*
469 *Falcidiæ subjacet etiam donatio mortis causa, ac fideicommissum particulare.*
470 *Falcidia non habet locum in Testamento militis.*
471 *Nec deducitur à legatis privilegiatis: secùs de jure Bavarico.*
572 *Neque à profanis. si Testator expresse ita cavet, prout de Jure communi potest; non item Jure Bavarico.*
473 *Dicta de Falcidia, intelligenda veniunt etiam de Trebellianica.*
474 *Limitatur in aliquibus.*
475 *Liberi præter Legitimam deducunt etiam Trebellianicam, vel Falcidiam. Et n seq.*

445 Quæritur I. Quid sit Legitima, quibus, qualiter. & quanta relinqui debeat? Resp. I *Legitima* ad propositum est illa portio hæreditaria, quæ necessariis hæredibus, puta liberis, nepotibus, & aliis descendentibus (iisque deficientibus) parentibus in Testamento necessariò relinqui debet. Est extra controversiam, patetque ex terminis. Et quidem imprimis debetur liberis, estque hodierno Jure *triens*, seu tertia pars totius hæreditatis relictæ, deductis expensis funeralibus, & ære alieno computanda; si non sunt plures liberi, quam quatuor; si verò sunt quinque aut plures. Legitima erit *Semis*, seu pars media inter præfatos liberos sive masculos, sive fœminas æqualiter dividenda. Ita hodie unanimis, *claris Juribus Novell. 18 c. 1.* & Authen *Novissima C. de Inoffic Testam.* ibi: *Novissima lege cautum est, ut si quatuor sint filii, vel pauciores, ex substantia deficientis Triens, si plures sint, Semis debeatur &c. ex æquo scilicet eos dividendus* Dicitur autem notanter *hodierno Jure*, quia Jure antiquo erat quarta pars, *l. Papinianus §. Quarta ff. de Inoffic. Testam.* quod hodie non ampliùs attendendum. Hinc pro hodierno Jure sunt vulgares illi versiculi.

Quatuor aut infra dant natis Jura Trientem.
Semissem verò dant natis quinque vel ultra,
Arbitrium sequitur Substantia cætera patris.

446 Resp. II Etiam nepotibus, quorum parentes jam mortui sunt, debetur Legitima, & ita quidem, ut si una cum liberis Testatoris extent, tunc præfati nepotes, sive pauci, sive multi sint, pro sua Legitima plus non accipiant, quam præmortuus eorum parens accepisset, nec in ordine ad computandam Legitimam plus augeant numerum, quam parens eorum supervivens auxisset: consequenter si extant tres liberi, & decem nepotes ex dictorum liberorum fratre mortuo residuæ proles, Legitima horum omnium tam liberorum quam nepotum non erit *Semis*, sed *Triens*: nepotum autem dictorum quarta pars *Trientis*, eò quòd hanc portionem solam pater eorum accepisset. Communis ac certa, Berlich. *concl. 12. art. n. 40.* Tuschus *litt. L. concl. 182. n. 1. & seqq.* per totum, Salycet. *in Authen. Novissima C. de Inoffic. q. 6. n. 96.* Schmidt *ad tit 36. ar. 2.* & Communissima aliorum, *arg. Authen. de Triente, & Semisse*.

Resp. III. Si nullius extantibus liberis soli nepotes existunt, non unius, sed diversorum filiorum, & filiarum Testatoris, ii omnes in stirpem succedunt, ita tamen, ut legitima pars computanda sit à numero parentum illorum, consequenter omnes simul capiant *Trientem*, si parentes eorum plures non fuere, quam quatuor, *Semissem* verò, si quinque vel plures. Ita DD. citati, *arg. cit. Authen. de Triente, & Semisse*. 447

Resp. IV. Si verò nullis extantibus liberis existunt nepotes unius tantùm filii, vel filiæ præmortuæ, succedunt hi nepotes in capita faciuntque in ordine ad computandam Legitimam tantum numerum, quantum facerent, si veri filii Testatoris essent, adeò, ut si quinque aut plures hujusmodi extant nepotes, Legitima eorum in capita, dividenda sit *Semis*, seu media pars hæreditatis: si verò tantùm quatuor aut pauciores essent, Legitimam in capita dividendam haberent *Trientem*, seu tertiam partem totius hæreditatis. Ita Doctores citati *num. 446. arg. cit. Authen. de Triente & Semisse*. Concordant quoad omnes has quatuor Conclusiones statuta Bavariæ *tit. 36. art. 1. & 2.* 448

Resp. V. Deficientibus descendentibus, debetur parentibus quoque Legitima, quæ universaliter est *Triens*, seu tertia pars hæreditatis illius, quam nullo existente Testamento, ab intestato accepissent. Covarruvias *de testament. in cap. Raynutius § 9. n. 12.* Fachin. *lib. 4. c. 28.* Sichard. *ad Auth. Novissima C. de Inoffic. testam. n. 12.* Hunn. *par. 4. tit. 11. cap. 4. nu. 6.* Ratio est; quia in casu Conclusionis & hi sunt hæredes necessarii, *arg. Novell. 115. cap. 4.* Necessariis autem hæredibus debetur Legitima *Auth. & Triente, & Semisse*: & quidem universaliter *Triens*, quando plures non sunt, quam quatuor necessarii hæredes in capita succedentes: qualiter plures parentes respectu unius Testatoris non erunt: ergo. 449

Dicitur autem notanter, *tertia pars hæreditatis illius, quam nullo existente testamento ab intestato accepissent*, ad denotandum, parentum Legitimam non semper esse *Trientem* totius hæreditatis, sed tunc tantùm, quando nulli fratres aut sorores extant, vel extantes cum eis non instituuntur hæredes: quando autem hi cum illis hæredes instituuntur, Legitima parentum erit sola tertia pars illius hæreditariæ portionis, quam parentes ab intestato accepissent: ut proin, si tota hæreditas efficeret 900. florenos, & duo fratres cum matre v. g. instituti essent, Legitima matris plus non efficeret quam 100. florenos, utpote efficientes tertiam partem illius portionis hæreditariæ, quam mater in casu hoc ab intestato accepisset, cùm enim ab intestato cum extantibus fratribus non nisi æqualiter in capita succederet, ita autem succedendo tantùm 300. florenos acquireret, tertia verò hujus partis efficiat 100. florenos, consequens est quod in præfato casu legitima matris essent tantùm dicti 100. floreni. Ita discurrunt, ac docent Fachin. *lib. 4. cap 29.* Tuschus *lit. L. conclus. 183. n. 28.* Berlich. *par. 3. conclus. 12. n. 53.* cum communi aliorum *arg. sæpe cit. Novell 18. cap. 1.* ubi satis clare innuitur quod imposterum pro legitima præstanda sit tertia pars quo modo antiquitus præstari debuit quarta pars, atqui olim erat computanda juxta portionem, quam quis ab intestato accepisset, *l. Papinianus §. si quis, ff de inoffic. testam.* ergo hodierna tertia pariter erit computanda. Concordant statuta Bavariæ *tom. 36. art. 1.* 450

Quod si verò Testator fratres & sorores præteriret, solamque matrem, vel una cum ea extraneum hæredem, honestam personam institueret, Legitima matris esset tertia pars totius hæreditatis: uti cum communiori & veriori aliorum bene docet & solutis decem argumentis in contrarium egregie probat Berlich *loc. cit n. 51.* Tuschus *loc. cit. & concl. 185. n. 19.* Grassus *§. legitima q. 8.* Schmidt 451

ad tit. 1. & seq. Julian in suis Novellis. C. de Inofficios. testam. n. 24. & plures alii. Rainer. Arlet. cons. 1. tum quia non admittitur ad partem, qui non facit partem. S. Sed non-dum, Inſtit. de Succeſſ. libert. l. Plane §. 4. S. Diodorus, & Ord. Hiſpaniol. l. 84. §. 3. Tiber. §. de Legat. 1. Tum quia inſi-quum eſt, ut qui dimittunt partem, quam ipſe non eſt habiturus ex §. ad noſtra, de Ord. Pupillorum, §. Libertas, de Bonor. poſſeſſ. contra Tab. Accipiatur ex eo tenore hære-de cum unate inſtituto non admittente ad partem alle-gata inofficiuſi caſe ſi hæreditas diminueretur, pars ea adveniret; ergo partem non facit, nec Legitima diminuit conſequenter matris Legitima erit tertia pars totius hæreditatis, ſicuti fuit, quilibet frater coniſcen-

452 Reſp VI. Fratribus & ſororibus naturalibus debetur Legitima inſi in caſu, quo inſtituitur turpis perſona. Com-munis eſt Doctorum Ratio eſt, quia, cum ex lege ſint ſa-tis & ſorores nunquam tum hæredes neceſſarii, quam in caſu pofito. Eſt autem Legitima eorum quarta pars illi-bus, quæ ab inteſtato ſuccederent. Ita Bart. in l. cum ſi-mi 71 Hunn. loc. cit. n. 4. 9. 29 Mach. de affiſtit Decif Pede-pal. 204. n. 3. 4. cum Communi aliorum, contra nonnul-los aliàs Doctores citato, videlicet, quos citavit Faxinet. Le-gitimam reſervem eſſe Ratio autem prioris partis eſt, quia ſure antiquo l. Papinianus, ff. de inoff. teſt. dida Legitima erat quarta pars; quæ poſtea, poſt, cum diſtum fuit nullis Invenitur correctum quoad fratres.

453 Reſp. VII. Liberis, nepotibus, & reliquis deſcen-dentibus (de deſcendentibus) patentibus neceſſe eſt relin-qui debet legitima tituli inſtitutionis, ſeu hæredis ; adeò, ut ſi relinquit, alio tituli v. g. legati, fideicommiſ-ſi &c. reliquerint, poſſit ſi 1. 32. ubi omnes quod hæredis inſtitutionem dicere nolim. Patet Concluſio ex edictis ſuperi n. 404. Lotel. Recke. loc. c. 2. Potefi autem eſſidem pro Legitima certa ſui tempore relinquere, ſignanti, dummodo pro Legitimis debitum attin-gat, uti ſupra n. 422. dictum eſt, & dicetur infra n. 455. Concordant Barbo Barbat. Rebuff. & alii Scribæ Novell. 18. c. 1. ubi dicitur: idem eſt dicere ſoli quos ſi-bi ſed inſtituendo, quos, ſive per legati, ſive per fideicommiſſi relinquat ſecundum. Ratio eſt ea, quod dicit Novella quod hoc correcta ſit Novella 115. c. 3. ubi expreſſe dicitur, verum non ſufficere, ſi per quamlibet di-mationem relinquatur vel fideicommiſſum, vel alium quem-cunque modum ei dederit. Legibus debitum portionem.*

454 Reſp. VIII. Etiamſi hæres inſtitutus, filius v. g. ve-ſilia ſuam legitimam in vita Teſtatoris juri ceſſerit, vel ſimiliter omni futuræ hæreditati renuntiaverit, pront cóingens Doctor, parens filia ſuæ, vel alteri quicquam aut filio ad certum finem quid tribuit, debet nihilominus in Legitima tituli hæredis adhuc inſtituti, non quidem quaſi de ea portione teneretur quicquam relinquere, ſed quod debeat jam dantum in Legitimam computari, do-cendo v. g. *Titium filium, vel Titiam N. pro hæredeinſtitu-to, vel pro Legatario aſſigna id, quod ſatis eſt pro Legitima.* Gloſſ. 9. Legitima. n. 7. n. 10. Gabr. de Legit. concl. 8. n. 14. Schil-mad. tit. 26. n. 9. n. 10. & l. cit. Rataus Bavarus. Ratio eſt, quia quæ legitima neceſſaria debetur, ea inviabiliter in-loquidi debet tituli inſtitutionis propter jus accrefcendi, & alias ſi non, quia inſtitutio habet, arg. Novell. 115. c. 3. & 4. Quòd ſi portio illa, quam filio v. g. dedit, non ſit ſa-lis dotis & in Teſtamento pro Legitima eidem inſtitu-to aſſignat. Legitimam non attingeret, poſſet taliter in-ſtitutus ſupplementum petere, quia, non vult Te-ſtamentum ut dicere nullum, vel illud per querelam inofficioſi teſtamenti, prout generaliter ex concluſione ſequenti*

455 Reſp IX. Si liberis vel pretereuntibus inſtitutis nis relinquitur certa res, vel determinata pars, quæ quantitatem Legitimæ ſuæ Legitimam non effecit, poſ-ſunt ita inſtituti agere ad ſupplementum Legitimæ, non verò Teſtamentum dicere nullum, vel contra illud tan-quam inofficioſum querelam inſtituere. Ita Communis, & *Sed haec §. Inſtit. de Inoffic. Teſtam ibi: Sed haec lex ita acci-pienda fuit. Subiicit ratione Teſtamentorum illi Teſtamentorum ſimili. Idem nec ſtante antiquo jure haredibus ab inteſtato vel ſtante de inofficioſi querela querelæ ſuccederent, id, quod ita deciſi ſuque ad quantum? hodie tertiam Legitimæ partem ex-plevit. Idem nec ſtante illo ſtatutorum uſu Novell 115. c. 3. & merito ita cum ſuper ſubſtantiam ſuam quivis ſuperfluè, non tardi invertere tenue Teſtamenta, ſi hæredes neceſſa-*

rii in re vel parte certa Legitimam non attigente Te-ſtamentum impugnare poſſent.

Reſp. X. Legitima debita debet reliqui abſque omni onere. gravamine, & conditione odioſa. Covarruvias *loc. Recopilados. §. n. 2. Acroſan. Natta conſil. 116. n. 3.* Richard *in tract. Novisſimo. n. 24. C. de Inoffic. ſeſtam. Cu-bias loc. c. ubi n. 2. cum Communi & certa aliorum, Gambolan. 3. de Univerſit. 3. §. 5. & Decius Conſil. 1. Tum quia* Bavarus *T. 36. n. 1.* Quòd ſi tamen onus, vel conditio odioſa adjiceretur, ob hoc Teſtamentum in-tegrum inofficioſum non facitur, nec Legitimis diminuit conſequenter matris Legitima erit tertia pars totius hæreditatis, ſicuti fuit, quilibet frater coniſcen-

452 Reſp VI. Fratribus & ſororibus naturalibus debetur Legitima inſi in caſu, quo inſtituitur turpis perſona. Com-munis eſt Doctorum Ratio eſt, quia, cum ex lege ſint ſa-tis & ſorores nunquam tum hæredes neceſſarii, quam in caſu pofito. Eſt autem Legitima eorum quarta pars illi-bus, quæ ab inteſtato ſuccederent. Ita Bart. in l. cum ſi-mi 71 Hunn. loc. cit. n. 4. 9. 29 Mach. de affiſtit Decif Pede-pal. 204. n. 3. 4. cum Communi aliorum, contra nonnul-los aliàs Doctores citato, videlicet, quos citavit Faxinet. Le-gitimam reſervem eſſe Ratio autem prioris partis eſt, quia ſure antiquo l. Papinianus, ff. de inoff. teſt. dida Legitima erat quarta pars; quæ poſtea, poſt, cum diſtum fuit nullis Invenitur correctum quoad fratres.

453 Reſp. VII. Liberis, nepotibus, & reliquis deſcen-dentibus (de deſcendentibus) patentibus neceſſe eſt relin-qui debet legitima tituli inſtitutionis, ſeu hæredis ; adeò, ut ſi relinquit, alio tituli v. g. legati, fideicommiſ-ſi &c. reliquerint, poſſit ſi 1. 32. ubi omnes quod hæredis inſtitutionem dicere nolim. Patet Concluſio ex edictis ſuperi n. 404. Lotel. Recke. loc. c. 2. Potefi autem eſſidem pro Legitima certa ſui tempore relinquere, ſignanti, dummodo pro Legitimis debitum attin-gat, uti ſupra n. 422. dictum eſt, & dicetur infra n. 455. Concordant Barbo Barbat. Rebuff. & alii Scribæ Novell. 18. c. 1. ubi dicitur: idem eſt dicere ſoli quos ſi-bi ſed inſtituendo, quos, ſive per legati, ſive per fideicommiſſi relinquat ſecundum. Ratio eſt ea, quod dicit Novella quod hoc correcta ſit Novella 115. c. 3. ubi expreſſe dicitur, verum non ſufficere, ſi per quamlibet di-mationem relinquatur vel fideicommiſſum, vel alium quem-cunque modum ei dederit. Legibus debitum portionem.

454 Reſp VIII. Etiamſi hæres inſtitutus, filius v. g. ve-ſilia ſuam legitimam in vita Teſtatoris juri ceſſerit, vel ſimiliter omni futuræ hæreditati renuntiaverit, pront cóingens Doctor, parens filia ſuæ, vel alteri quicquam aut filio ad certum finem quid tribuit, debet nihilominus in Legitima tituli hæredis adhuc inſtituti, non quidem quaſi de ea portione teneretur quicquam relinquere, ſed quod debeat jam dantum in Legitimam computari, do-cendo v. g. *Titium filium, vel Titiam N. pro hæredeinſtitu-to, vel pro Legatario aſſigna id, quod ſatis eſt pro Legitima.* Gloſſ. 9. Legitima. n. 7. n. 10. Gabr. de Legit. concl. 8. n. 14. Schil-mad. tit. 26. n. 9. n. 10. & l. cit. Rataus Bavarus. Ratio eſt, quia quæ legitima neceſſaria debetur, ea inviabiliter in-loquidi debet tituli inſtitutionis propter jus accrefcendi, & alias ſi non, quia inſtitutio habet, arg. Novell. 115. c. 3. & 4. Quòd ſi portio illa, quam filio v. g. dedit, non ſit ſa-lis dotis & in Teſtamento pro Legitima eidem inſtitu-to aſſignat. Legitimam non attingeret, poſſet taliter in-ſtitutus ſupplementum petere, quia, non vult Te-ſtamentum ut dicere nullum, vel illud per querelam inofficioſi teſtamenti, prout generaliter ex concluſione ſequenti

455 Reſp IX. Si liberis vel pretereuntibus inſtitutis nis relinquitur certa res, vel determinata pars, quæ quantitatem Legitimæ ſuæ Legitimam non effecit, poſ-ſunt ita inſtituti agere ad ſupplementum Legitimæ, non verò Teſtamentum dicere nullum, vel contra illud tan-quam inofficioſum querelam inſtituere. Ita Communis, & *Sed haec §. Inſtit. de Inoffic. Teſtam ibi: Sed haec lex ita acci-pienda fuit. Subiicit ratione Teſtamentorum illi Teſtamentorum ſimili. Idem nec ſtante antiquo jure haredibus ab inteſtato vel ſtante de inofficioſi querelæ querelæ ſuccederent, id, quod ita deciſi ſuque ad quantum? hodie tertiam Legitimæ partem ex-plevit. Idem nec ſtante illo ſtatutorum uſu Novell 115. c. 3. & merito ita cum ſuper ſubſtantiam ſuam quivis ſuperfluè, non tardi invertere tenue Teſtamenta, ſi hæredes neceſſa-*

rii in re vel parte certa Legitimam non attingente Te-ſtamentum impugnare poſſent.

Reſp. X. Legitima debita debet reliqui abſque omni onere. gravamine, & conditione odioſa. Covarruvias *loc. Recopilados. §. n. 2. Acroſan. Natta conſil. 116. n. 3.* Richard *in tract. Novisſimo. n. 24. C. de Inoffic. ſeſtam. Cu-bias loc. c. ubi n. 2. cum Communi & certa aliorum, Gambolan. 3. de Univerſit. 3. §. 5. & Decius Conſil. 1. Tum quia* Bavarus *T. 36. n. 1.* Quòd ſi tamen onus, vel conditio odioſa adjiceretur, ob hoc Teſtamentum in-tegrum inofficioſum non facitur, nec Legitimis diminuit conſequenter matris Legitima erit tertia pars totius hæreditatis, ſicuti fuit, quilibet frater coniſcen-

ſe, & pretia ſortem ea manumiſſo. . . . non demum ex . . . ſtque illa ratio de Legitima, ne ea in quarta ex . . . quod hæredem ornament, vires vero portio tenet legatum ad diſtribuendum, prora-tis ſolliciti partibus ejus. quod cuique eorum ſi quam ſortit . . .

Quantitas autem bonorum in eodine ai alterabundam 468 *Falcidiam* illa præcipitè attendituc & computatur, quæ poſt mortem Teſtatoris dodicto ære alieno adhæc, ſive ſolum ante ſolutionem Legatarii, ſive alitis ſuerit audia, vel diminu-ta. §. 2. *Inſtit. de Lege Falcidia ibi: Quantitas autem bo-norum eſt, quæ morte Teſtatoris nostra deducto ære alieno ſupere-ſſent ſuccedenti.* Achorum enim quantitatem etiam refer-tur, ſi Teſtator bareedi præter hæreditatem etiam quid reliquiſſet legatum, ſi ſolum ſuper hæreditatem ſuccedat in Falcidiam, ſed conſecutur ad quantitatem omnium bonorum, cujus quarta pars *Falcidiæ* erit detrahenda proportionaliter ex omnibus, & ſingulis illis, quæ Teſta-tor per modum legati ſpecialiter reliquit. *In quantum §. ſi ſed ſtatim Falcid. ibi: In quam tamen hæreditatis, quam per Legata Titio relicta, ſi ſolvere debet, retinere poteſt; quas jure hæreditario capit, non quas jure legati, aut fideicommiſſi Cic. nam hæc in quantum non imputatur*

Porrò *Falcidia* non tantum in bonis legata, ſed 469 etiam donationis mortis cauſa *l. 3 quia §. 18. C. de Leg. Fal-cid. ibi: Si enim cum mortis cauſa donatio percipit, & ſua bonorum Legi Falcidiæ excedat, parce pro modo donationis repetit eam penuriam, quæ ultra modum Legis Falcidiæ corpoſcal-pere quidam dicta eſt. Lege autem in paratitlo Cod. mortis cauſa Concordat l. 31 mortis §. 2. Cod.* Eidem decuntiam dedu-da funt ſolecommiſſa particularia, l. 2. §. 3. *C. eod.*

Limitatur 1. ſi Teſtator Legatarii hæredis nam in 470 *Teſtamento mittis Legem Falcidiæ, & ſi legatis, & fideicommiſſis reſtet copiosus? juris eſt, l. 22. C. de Teſtam. mili.*

Limitatur 2. ſi legati ſpecificatis, quia tunc ſolum 471 cum perpetua inalienabilitate relinquuntur; ab his enim *Falcidia* non detrahitur, *Auth. Sed & C. ad Leg. Falcid. ibi: Sed & pro ſpecie Falcidiæ, quæ in rebus conſiſtit, ne alienetur, ſed permaneat apud ſuccedentes ejus, cautella, quam Iuſtinianus Falcidiæ exemptæ dat legata pia, & Auth. Similiter C. ad ibi: Similiter Falcidiæ locum in his quæ ad pias cauſas ſit ſui Diffort* In hoc aliquiliter ſui Barbatius cum Communi, quod ſi Teſtator ſolvere ſolitus ſi legatis pias, & alios ei inſtituendis hæres deducere poſſit *Falcidiam*, quando legata prolana non ſufficiunt ad con-ſtituendam Legitimam, prout videre eſt in

Limitatur III. in caſu, quo Teſtator prohibet *Falci-* 472 *diæ* detractionem à legatis &c. Textus eſt *in auth. Sed non Teſtator. ibi: Sed non Teſtator hoc ſolum prohibere valet, non legatum, quo modo ea ſit partienda, ſuſtan Falcidia.* Concordat *Novella 1. c. 2. in fine.* Quibus limitis correc-ſtum eſt Legis Falcidiæ, quod ſcilicet Teſtator non poſſit prohi-bere detractionem *Falcidiæ*, cui tamen adhuc obtarent jus Bavarium in T. 38. ant. a. expreſſe ſtatuens quod non obſtante jure contrario Teſtator detractionem *Falcidiæ* prohibere nequeat.

Reſp. XI. Ex quo de computatione & detractione 473 *Falcidiæ* dicta ſunt, à portiori etiam proportionaliter ſo-lvigenda ſunt de *Trebellianica* detrahenda à Fideicom-miſſis, quatenus ſcilicet bona ſint hæredis ex cenſu. Textus eſt, quia *Falcidia & Trebellianica in jure novo ſunt aequiparatæ & omnibi minus etiam alia venit, prout videre eſt ex. Novella 1. §. ſi quis. n. 1. & 2.*

Dicitur tamen notanter à *potiori*; quia interdum non 474 quod *Falcidia* à legatis, donationibus ſuperveniat, ac deducendum ſit *Trebellianica*, *Trebellianica* detrahi, & fideicommiſſi univerſali detrahatur, etiamſi hoc deferant, quod legatum hæredibus ſidecommiſſo univerſali gra-vatis *Falcidia* non detrahatur, *Trebellianica* detrahi, tex-tus eſt. *l. 1. ff. ad leg. Falcid. ibi: Sed in fideicommiſſaria he-reditate reſtituenda, ſive legatum, vel fideicommiſſum da-tum ſit hæredi, ſive deducere, ſive præcipere, vel minime ſuſpe-ſt. in quantum ſi imputatur . Socius eſt de Falcidia* dicta *Auth. Sed non. ibi: ut l. 32. ff. cod.* Aliam adhuc differentiam affert Faſchin. *lib 2. Controv cap. 5.* videli-cet, quod ſive communi poſſit teſtator prohibere detra-ctionem *Falcidiæ*, non tamen *Trebellianicæ*. Verum Mo-lina *dict. 185. num. 23.* Covarruvias *c. Teſtam quod* 62. cum Communi aliorum concludit contrarium, quoniam *Trebellianica* tam jure novo quæ *Trebellianica*, ac *Falcidia* deve-

ctionem prohibere posse ob rationem *n. præced* allatam.

475 Quæritur V. An liberi Fideicommisso universali, aut nimiis legatis gravati possint præter Legitimam etiam *Falcidiam*, vel *Trebellianicam* detrahere? Celeberrima est hæc quæstio, & summe controversa inter DD. in tres sententias abeuntes, quorum prima absolute negativam tenet, Cujacius 8. *Observ.* 5. Hortoman. *Illust. q.* 44. Hunn. Perez, Zoesius, & alii. Altera docet, posse liberos præter Legitimam deducere etiam *Falcidiam* casu quo legata sub conditione, seu in diem sunt relicta: non item, si pure sunt relicta. Gailus *lib.* 2. *Observ.* 121. Molina 187. *nu.* 5. & alii. Tertiam sententiam pandit Conclusio sequens.

476 Resp. Simpliciter & absolute loquendo possunt liberi præter Legitimam, etiam *Falcidiam*, vel *Trebellianicam* detrahere, casu quo nimiis legatis, vel fideicommisso universali gravantur. Ita docet celeberrimus Legista Fachin *lib.* 5. *c.* 2. Besoldus *in Delib. Jur. ex L.* 35. *ff. q.* 1. Abbas, & Glossa *in c. Raynutius*, *& c. Raynaldus h. t.* Engel *h. t. n.* 7. ac plures alii, *arg. cit. c. Raynutius*, *& c. Raynaldus h. t.* ubi sententia nostra expresse videtur decisa, adeò ut plures ex ipsis Adversariis fateantur, de Jure Canonico sententiam nostram esse veram, non item de Jure Civili. Verùm Fachin. *loc. cit.* cum aliis DD. eandem etiam ad longum deducit ex Jure Civili; apud quos vide. Ratio Conclusionis est: quod *Legitima* debeatur liberis Jure naturæ, *cit c. Raynutius* §. *cùm autem*; *h. t.* ibi: *Legitima portio jure naturæ debita*: *& l. cùm ratio, ff. de Bonis damnat. Trebellianica*, verò, vel *Falcidia* debeatur Jure Civili ob aliam rationem juxta dicta superius; atqui ubi eidem personæ duo diversa accidunt Jura, illa est censenda jure duorum, quorum sustinet vices, *arg. l.* 51 *Consul. ff. de Adopt.* itaque quia secundùm Leges tota hæreditas in 12 partes seu uncias regulariter dividitur, filius universali fideicommisso gravatus, imprimis Jure naturæ pro *Legitima* sua detrahet tertiam: seu quatuor uncias: & quia postmodum remanent adhuc octo unciæ, ex his pro *Trebellianica* detrahet quartam partem, id est; duas uncias, adeoque universim sex uncias, seu dimidiam partem totius hæreditatis, prout amplius explicat Abbas, & Gloss. *loc. cit.* Concordat Jus Bavar. *c.* 38. *ar.* 6.

§. XV.

De Exhæredatione Hæredum necessariorum.

SUMMARIUM.

477 *Exhæredatio quid? competit solis hæredibus necessariis.*
478 *Exhæredatio descendentium, ut rite fiat, debet fieri nominatim.*
479 *Et circa totam hæreditatem.*
480 *Atque ex legitima causa Testamento inserta.*
481 *Quæ ab hærede scripto probari debet.*
482 *Conditiones requisitæ ad exhæredationem descendentium, requiruntur etiam ad exhæredationem ascendentium.*
483 *Causæ exhæredandi descendentes, sunt quatuordecim sequentes. I. Si descendens parenti manus violentas injicit.*
484 *II. Si gravem ei injuriam infert.*
485 *III. Si criminaliter accusat: non item, si civiliter.*
486 *IV. Si cum maleficis versatur.*
487 *V. Si vitæ parentis insidiatur.*
488 *VI. Si cum noverca sua rem carnalem habet.*
489 *VII. Si defert patrem cum ejusdem præjudicio gravi.*
490 *VIII. Si pro patre incluso filius recusat fidejubere.*
491 *IX. Si parentem testari impedit.*
492 *X. Si arenariis, & mimis se associat. Arenarii & Mimi, qui? Ibid.*
493 *XI. Si filia recusatis honestis nuptiis luxuriosam vitam ducit.*
494 *XII. Si proles parenti in amentiam lapso, competens non præstat obsequium.*
495 *XIII. Si parentem ab hostibus captum non redimit.*
496 *XIV. Si proles non est catholica.*
497 *An ob alias æque graves causas fieri possit exhæredatio? controvertunt Doctores.*
498 *Quævis gravis injuria est causa sufficiens.*
499 *Liberi sine consensu parentum nubentes, an exhæredari possint? Controversia, usque ad n.* 502.
502 *Quid circa hoc disponant statuta Bavariæ?*
503 *Enumerantur octo causæ, ob quas exhæredari possint parentes.*
504 *Causa exhæredationis cessat, si ante conditum testamentum parens cum liberis, vel hi cum illo reconciliantur.*
505 *Item si proles Monasterium ingrediatur.*
506 *Frater in casu personæ turpis institutæ, ob quas causas exhæredari possit?*

Quæritur I. Quid sit exhæredatio hæredum necessariorum? Resp. *Exhæredatio*, est exclusio hæredis alias necessariò instituendi, ab hæreditate ob causam legitimam facta. Est inde communis, patetque ex terminis, solùm notanda verba, *hæredis alias necessariò instituendi*; qui soli hæredes necessarii, non item extranei propriè dicuntur exhæredari, *arg. l. quidam* 132. *ff. de V. O.* ubi dicitur, *in extraneo Exhæredationem esse rem ineptam*. Hinc exhæredatio tantùm respectu descendentium: & his deficientibus ascendentium: & in casu institutæ personæ turpis etiam fratrum fieri potest. Quia verò respectu horum non eodem modo, nec ob easdem causas fit Exhæredatio, ideò plura instituuntur quæsita. 477

Quæriter II. Quomodo fieri possit ac debeat Exhæredatio descendentium? Resp. I. Ad hoc, ut Exhæredatio ritè fiat, suumque effectum sortiatur, plures requiruntur conditiones, quarum Prima est, ut nominatim exhæredentur, *prin. inst. de Exhæred lib.* ibi: *Parens curare debet, ut filium instituat, vel exhæredem eum nominatim faciat, alioquin, si eum silentio præterit, inutiliter testabitur*: & §. 5. *eod.* ibi: *Omnes sive sui, sive emancipati sint, vel hæredes instituantur, vel nominatim exhæredentur.* Si tamen unicus est filius, vel filia, non est necesse, eum nomine suo vocare, sed sufficit, si Testator dicat, *Filius meus exhæres esto*, §. 1. *inst. eod.* 478

Secunda conditio est, ut Exhæredatio fiat ab omnibus bonis paternis, *arg. l. Cùm quidam* 19 *ff. de Lib. & posthum.* ubi exhæredatio universaliter facta, reprobatur illis verbis: *Cùm quidam filiam ex Asse hæredem scripsisset, filioque, quem in potestate habebat, decem legasset, adjecit: & in cætera parte exhæres mihi erit; & quæreretur, an recte exhæredatus videretur, Scævola respondit, non videtur; & in disputando adjiciebat, ideò non valere, quoniam nec fundi exhæres esse jussus recte exhæredatur.* Nec dicas: potest quis in re certa institui, ergo etiam in re certa exhæredari. Nam respondet citata *l. Cùm quidam* ad finem, *aliam esse causam institutionis, quæ benigne accipienda est, Exhæredationes autem non esse adjuvandas.* 479

Tertia conditio est, ut causa legitima Exhæredationis in Testamento specifice exprimatur, *Novell.* 115 *cap.* 3. ibi: *Et ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo instruerint testamento.* Utrùm autem Testamentum, in quo proles sine expressione causæ exhæredata invenitur, sit ipso jure nullum, an verò per querelam inofficiosi Testamenti primum rescindendum, pro, & contra multum disputant DD. uti videre est apud Fachin *lib.* 4. *c.* 9 Covarruvisam *de testam c.* 16. Gomez 1. *variar. resolut.* 11. Zoesium *ad ff. de lib. & posthum. n.* 10 & alios. Porrò quænam sint causæ legitimæ exhæredandi, dicetur *n.* 483. 480

Quarta conditio est, ut causa Exhæredationis Testamento inserta, ab hærede scripto legitime probetur *arg. cit. Novell.* 115. *c.* 3. *prin.* ibi: *Nisi probabuntur ingrati* &c. Et per hoc correcta sunt jura antiqua, vi quorum Exhæredato incumbebat probare suam innocentiam, & non hæredi scripto causam Exhæredationis. 481

Resp. II. Eædem conditiones, quæ ad Exhæredationem liberorum etiam ad Exhæredationem parentum requiruntur. *Novella* 115. *cap.* 4. & *Novella* 22. *c.* 47. 482

Quæritur III. Quænam sint legitimæ causæ exhæredandi descendentes? Resp. I. Causæ justæ ac legitimæ exhæredandi liberos, & alios descendentes sunt quatuordecim, quas enumerat *Novella* 115. *c.* 3. ut sequitur. I. *Si quis parentibus manus intulerit*, suppose injuste violentas; v. gr. percutiendo, caput ad parietem allidendo, tundendo, aut simili modo. Ab hac tamen causa immunis est filius, qui pro patria pugnans, patrem hosti adhærentem percutit, vel occidit: sicut & ille, qui pro defensione vitæ & membrorum contra patrem injuste, aut immoderate castigantem, violentis manibus servato moderamine inculpatæ tutelæ se defendit. Covarruvias *in c. Raynutius, de testam. n.* 13. Ratio est; quia; *quod quisquis ob tutelam corporis sui facit, jure fecisse æstimatur l.* 3. *ff. de I. & I.* 483

484 II. *Si gravem & inhonestam injuriam eis intulerit.* Quænam autem sit gravis injuria; vel levis, vide apud Menochium *de Arbitr. Jud. causa* 263 Harprecht *ad §. fin. inst. de Exhæred. lib.* & alias. Putat Clarus § *Testam. quæst.* 42. *n.* 3. Joan. Andreas *in c. princ. de Donat.* & teste Claro Communis aliorum, huc referri etiam gravem injuriam verbalem, v. g. si quis patrem nominet proditorem patriæ. Rationem dant; quia gravis injuria verborum æquiparatur verberibus: præcipue si inferatur parenti, utpote cui summus honor & reverentia Jure Divino & humano debetur. Verùm Harprecht *ad § fin. inst. de Exhæred. lib nu.* 23. putat, injuriam gravem ad propositum esse judicandam sine respectu ad personam *parentis*; eo quòd alias vix esset levis injuria parenti illata, *l. Prætor* 7. § 8. *ff. de injur.*

485 III. *Si eos in criminalibus causis accusaverit, quæ non sunt adversus Principem, vel Rempublicam* Vel sponte & non coactus in causa criminali proles contra parentem testimonium ferat. Glossa *in cap. Veniens, de testib. in* 6. Covarruvias *de Testam. cap.* 16. *n.* 15 Ratio est; quia accusare, & testimonium in caput alicujus dicere, paria sunt, *l. Quidam* 14. §. 5 *ff. de Bonis libert.* Nec excusatur filius, si crimen patris verum sit. Covarruvias *loc. cit. arg. cit. Novell* 115 *cap.* 3. *Civiliter* autem agens contra patrem, eumque accusans filius exhæredari non potest, *arg. cit. Novella.* Ratio est: quia *qui jus suum prosequitur, nemini facit injuriam*, *l.* 145 *ff. de R. I.*

486 IV. *Si cum maleficis hominibus ut maleficus conversatur.* Ex quibus verbis patet, non sufficere ad Exhæredationem, si proles cum maleficis conversationem aut societatem habeat, sed etiam requiri, ut ipsa quoque malefica, vel venefica sit.

487 V. [illegible]*æ parentum suorum per venenum, aut alio modo insidiari tentaverit.* In quæ verba *Novellæ* notat cum aliis Covarruvias *loc. cit. n.* 17. sufficere conatum, etsi effectus non sequatur; putà, quia parens insidias prius deprehendit, vel efficaciter se defendit, *arg. cit. Novell. Si tentaverit* Ratio est, quia valdè detestabile crimen est, uti liberi attentent illis adimere vitam à quibus vitam acceperunt. Accedit, quod si requireretur etiam eventus, hæc causa nunquam effectum haberet, hoc ipso, quod parens jam occisus exhæredare amplius non posset. Putat tamen Covarruvias *loc cit* Exhæredationis causam cessare, si filius parato jam veneno v. g. pœniteat, antequam deprehendatur, vel illud adhibeat

488 VI. *Si novercæ suæ, aut concubinæ patris filius sese immiscuerit*, id est, rem carnalem cùm ea habuerit. Jus Bavaricum *tit* 35. *art.* 2. extendit hanc causam etiam ad filiam carnaliter se commiscentem cum vitrico suo, sive cum marito matris suæ.

489 VII. *Si delator contra parentes filius extiterit, & per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere*, sive in corpore, sive in fama, sive in fortuna. Quantum autem esse debeat dispendium, ut dicatur grave, Judicis arbitrio relinquitur, *l.* 1. § 2. *ff. de Jure delib. & c. de Causis* 4 *de Offic. deleg.*

490 „ VIII Si quemlibet ex dictis parentibus inclusum
„ esse contigerit, & liberi, qui possunt ab intestato ad
„ ejus successionem venire, petiti ab eo, ut unus ex his,
„ in sua cum fidejussione noluerit suscipere, vel pro per-
„ sona, vel pro debito, in quantum esse, qui petitur,
„ probatur esse idoneus. Hoc tamen, quod de fidejus-
„ sione censuimus, ad masculos tantummodò liberos vo-
„ lumus pertinere. Quibus formalibus *Novellæ* verbis,
quia clara sunt, nihil addendum videtur.

491 IX. *Si quis ex liberis prohibet vel impedit, ne parens faciat testamentum*, juste exhæredatur: imò ipso jure exhæres est, casu quo, ob tale impedimentum prolis, parens testamentum facere nequit; uti contingit, si testes impedit, sigilla abscondit &c. c. *Novell.* 115. *cap* 3. §. 9.

492 X. *Si præter voluntatem parentum, inter Arenarios, vel Mimos sese filius sociaverit, & in hac professione permanserit: nisi forsan etiam parentes ejusdem professionis fuerint.* Sunt formalia *Novellæ citatæ* §. 10. *Arenarii* vocantur, qui in arenam pugnandi causa descendunt, ibique sive cum bestiis, sive cum hominibus publice pugnant, *l. hæ demum* 38 *ff. de Oper. libert.* His annumerantur hodie ii, qui omnis generis armatura inter se concurrunt & se invicem pro pecunia inspicientium cædunt, vulgo Federfechter, Marthruder, Luchruder. Per Mimos intelliguntur non tantùm illi, qui pro mercede publice coram Communitate ludos faciunt, vulgò die Bauckler, Sailltantzer, Schälcksnarzn, sed etiam jaculatores illi, qui dominis ludi causa serviunt, & qui ut tales eorum conviviis se inserunt, & omni generis jocos inserunt. Sichard. in *Lex. Jurid.* V. *Mimi.*

XI. Si alicui ex dictis parentibus volenti, suæ filiæ, vel nepti maritum dare, & dotem secundùm vires suæ substantiæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit. Quamvis enim filia ex eo, quòd nuptias à parente oblatas recuset, exhæredari nequeat, *l. Cùm te* 18. *C. de Inoffic. Testam.* tamen exhæredationi subjacet, si honestis nuptiis oblatis, luxuriosam vitam ducat. 493

XII Si liberi parentibus in furorem, vel dementiam lapsis obsequium & curam competentem non præbuerint, à parentibus ad sanitatem redeuntibus exhæredari possunt, *cit. Novell.* 115. *cap.* 35 §. 12 ubi etiam statuitur, quod casu quo parentes in tali statu moriantur, hæreditas ab intestato deveniat ad eum, qui ita constituto parenti usque ad mortem succurrebat; dummodò prius liberos, quod parenti succurrat, per attestationem certos faciat, & illi nihilominùs parentem negligant 494

XIII Si liberi parentem in captivitate hostis detentum non redimunt, dum possunt, juste exhæredantur à patre. Imò ipso jure exhæredes sunt, ipsaque hæreditas pro redemptione applicanda devolvitur ad Ecclesiam, ex qua captivus oritur, casu, quo parens in tali captivitate absque Testamento moriatur, *cit. Novell.* 115. *c.* 3. §. 13. 495

XIV. Si quis ex prædictis parentibus orthodoxus constitutus senserit filium suum vel liberos non esse catholicos fide, nec in Sacrosancta Ecclesia communicare, in qua omnes beatissimi Patriarchæ una conspiratione, & concordia fidem rectissimam prædicant, & sanctas quatuor Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam. Ephesinam primam, & Chalcedonensem amplecti seu recitare noscuntur: licentiam habeant pro hac maxima causa ingratos eos, & exhæredes in suo scribere Testamento. 496

Hæ quatuordecim exhæredandi liberos causæ breviter comprehenduntur in sequentibus versiculis.

Bis septem ex causis exhæres filius esto,
Si patrem feriat, vel maledicat ei,
Carcere detrusum si negligat, aut furiosum,
Criminis accuset, vel paret insidias.
Si dederit damnum grave, si nec ab hoste redemit,
Testarique vetet, se societque malis,
Si Mimos sequitur, vitietque cubile parentum,
Si mutet Fidem, filia sit meretrix.

Num autem præter enumeratas, etiam ob alias æque graves, vel graviores causas exhæredari possint liberi, controversia est inter DD. Negant Molina *disp.* 170 Perez *de lib. præter n.* 18. & nonnulli alii, ducti verbis *Novell.* 115 *c.* 3. *princ.* ibi: Nulli liceat ex alia Lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus Constitutionis serie continentur. Affirmant Fachin. *lib.* 6 *c.* 78. Jul. Clarus § *Testamentum q.* 14. Covarruvias *de Testam. c.* 16. *n.* 23. & Communis, imò teste Fachin. receptissima aliorum, qui nituntur præcipue illo trito: ubi est eadem ratio, eadem est Legis dispositio, & textu *l. Non possunt, ff. de leg* ibi: Non possunt omnes articuli singillatim aut Legibus, aut Senatus consultis comprehendi, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, & ita judicare debeat. Verum ad hunc textum facile respondent Adversarii dicendo, procedere illum, nisi Lex ipsa extensionem ob paritatem rationis expresse prohibeat; prout fit in casu nostro. *arg. cit Novell* 115. *c.* 3. *princ* 497

Hinc huic quantumvis communi sententiæ plene deferendum non videtur. Illud tamen eidem etiam Adversarii concedere debent, quod licet non omnis alia æque gravis ingratitudo præbeat justam causam exhæredandi 498

liberos, hanc tamen subministret omnis quæcunque tandem gravis injuria parenti illata, consequenter adhuc in aliquo sensu verum sit, quod in dicta *Novella 115* non omnes exhæredandi causæ in specie sint expressæ, cum §. 2 in genere dicatur ad exhæredandam prolem sufficere, si gravem & inhonestam injuriam parenti intulerit. Quænam autem illa sit, plane arbitrio Judicis relinquendum videtur, juxta dicta *n.* 484. & 489.

499 Specialiter autem controvertunt DD. an gravis injuria, consequenter justa causa exhæredandi prolem sit, si proles contra voluntatem parentis certæ personæ nubat. Et quidem imprimis communiter negativam tenent in casu, quo proles absque parentis consensu, vel contra eundem nuptias celebrat cum honesta persona, uti videre est apud Jul. Clarum *q. 41. n. 4.* Abbatem in *cap. 1. de Sponsal. impub. n. 5.* Covarruvlam *de Matrim. par. 2 cap. 3. §. 8. num. 5.* Jasonem *in Authen. Sed si post, C. de Inofficios. Testam.* & alios. Ratio est; quia nulli facit injuriam, qui utitur jure suo, *l. 155. ff. de R. J.* atqui de Jure potest quis etiam sine consensu parentum contrahere matrimonium præsertim cum honesta persona, *arg. cap. Gemma, h. t. & Trident. Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 9. & l. Cum re 18. C. de Offic. Testam.* ergo.

500 Multùm autem controvertunt de casu, quo proles absque consensu parentum nubit personæ inhonestæ. Glossa siquidem *in can. de raptoribus, V. Excusata, caut. 36. q. 1.* Alexander *in l. 1. ff. solut. Matrim.* Paul. Parisien. *vol. 3. cons. 29.* Felin. *in c. Idem n. 13 h. t.* ac nonnulli alii tenent, in hoc casu omninò justam adesse causam exhæredandi prolem contra voluntatem parentis ante annum 25 indigne ac turpi personæ nubentem, saltem si pater alias honestas nuptias obtulit, vel eas non impedivit, *arg. Authen. Sed si post C. de Inoffic. Testam* ibi: Sed si, & sine consensu suo (parentis) marito se, libero tamen copulaverit, eam exhæredare non potes: ergo, Inferunt à sensu contrario, si sine consensu parentis marito non libero, vel turpi personæ se copulet, exhæredari potest. Contrarium docent Covar. *loc. cit. n. 5.* & apud eum Imola *in c. Accedens de Procurat* Jason. *in Authen. Sed si C. de Inoffic. Testam.* Haunoldus *tract. 6. c. 7. n. 470* Molina *disp. 170.* Clarus *loc. cit.* cum communi aliorum, cum quibus etiam sentiunt omnes illi, qui docent, præter causas in *Novella 115. cap. 3.* expressas, nullam aliam esse, ob quam parens liberos exhæredare posset, *arg. Juribus nu. præc. allegatis.* Ad *Authen. Sed si* respondent, eam vel contrarium non docere, vel si docet, attendendam non esse utpote pugnantem in hoc contra Canones, contra quos Leges Civiles in materia matrimoniali nil obtinent, *arg. c. Tuàm de Ord. cognit. & c. Causam 7. Qui filii sint legitimi* juncto Concilio Trident. *Sess. 24. can. 12.* ibi: Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.

501 Verùm contra respondent prioris sententiæ DD. Leges Civiles per hoc nihil præjudicare SS. Canonibus, sed potius eos adjuvare; cùm enim juxta Canones, & Leges Ecclesiasticas saltem [illegible] sit, contra voluntatem parentum cum turpi [illegible] contrahere matrimonium, utique [illegible] tanquam illicitum etiam Leges Civiles sub pœna exhæredationis prohibere, sicque prohibendo, Canones adjuvare possunt; sicut prohibent transgressionem aliarum Legum Ecclesiasticarum. Quæ sane ratio sententiam hanc DD. facit satis probabilem.

502 Statuta Bavariæ *tit. 40. art 9.* circa hoc punctum sequentia disponunt, videlicet, I. Quod si liberi nondum emancipati sine præscita & consensu parentum aliquibus inferioris status, & conditionis, *welche ihnen im Stand und Der Kommen nicht gemess*, se conjungunt, exhædari quidem non possint, tamen eisdem nec dotem, nec aliud auxilium in vivis præstare teneantur; imò filia ita nubens privetur dimidia parte illius, quod aliàs ab intestato habuisset, [illegible] parens absque Testamento discedat. II. Si fi[illegible], filius verò ani[illegible] annos absque [illegible] nubit non tantùm inæquali, [illegible] personæ, possunt à parentibus omninò [illegible] Si verò parentes sine Testamento discedunt, [illegible] dimidiam partem Legitimæ capere non queunt. III. Si liberi absque consensu parentum, personæ conditionis æqualis nubunt, nec exhæredantur, nec ab intestato aliqua parte hæreditatis aliàs sibi debitæ privantur; parentibus tamen liberum manet, an ita nubentibus dotem, aliudvè auxilium in vivis præstare velint nec ne.

503 Quæritur IV. Quænam sint causæ, ob quas licet liberis exhæredare parentes, vel alios ascendentes. Resp. esse octo sequentes, *citata Novella 115 cap. 4.* comprehensas. Quarum I. est, Si parentes ad interitum vitæ liberos suos tradiderunt, nempe, ut Glossa ibidem explicat, accusando eos de crimine, pœnam mortis inducente, citra causam tamen, quæ ad Majestatem pertinere cognoscitur. II. Si venenis, aut maleficiis, aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiari probabuntur. Quod cum proportione intellige in eo sensu, quem explicavimus supra. III. Si pater nurui suæ, aut concubinæ filii sui sese immiscuerit. Cujus sensum desume ex dictis supra. IV. Si parentes, filios suos Testamentum condere prohibuerint in rebus, in quibus habent testandi licentiam: omnibus videlicet in hujusmodi Testamentorum prohibitione servandis, quæ in parentum persona distinximus. V. Si pater uxori suæ, vel hæc illi venenum præbet, aut vitæ insidiatur, potest à liberis ejusdem exhæredari, *§. 5. cit. Novell.* VI. Si liberis, vel uno ex his in furore constituto, parentes eos curare neglexerint: omnia & hic observari præcipimus, quæ de parentibus furiosis superiùs disposuimus: *sunt verba Novellæ, vide de hoc n. 494.* VII. Si liberi in captivitate detenti negliguntur à parentibus, *§. 7. cit. Novell.* vide de hoc *n. 495.* VIII. Tandem filius catholicus exhæredare potest patrem hæreticum, *§. 8. cit. Novell.* Hę causę comprehenduntur in sequentibus versibus.

Si pater accuset capitalis criminis, aut se
Adjungat nurui, vitæque est insidiatus,
Testari prohibet gnatum, matrique venenum
Præparet, inclusum in carcere, vel furiosum
Negligat, & veram contemnat Religionem.

504 Concordat in his causis Jus Bavaricum *Land-Recht tit. 35. art. 3.* ubi ad finem addit, quod tam hæ quam præcedentes causæ exhæredandi cessent, si in vivis adhuc parentes liberis, vel hi illis, ante conditum testamentum reconcilientur: non item in reconciliatione post testamentum, cui Exhæredatio jam est inserta, [illegible] testamentum revocet priùs factum. De Jure communi quoque causa exhæredandi cessat, stante testamentum conditum fiat reconciliatio, prout cum communi aliorum docet Clarus *q. 41. n. 9. & 10. Gloss. §. Testamentum q. 42. n. 9.* Bartolus, & alii: quod variè probatur in additionibus Clari *loc. cit.* Si verò post testamentum jam conditum exhæredationem sibi insertam habens, reconciliatio contingat, exhæredationem de Jure communi cessare, communiter negant: quamvis Bartolus in *l. 3. §. fin. cum l. seq. ff. de Adimplet. leg* & Jason apud Covarruviam *de Testam. cap 16. n. 24.* contrarium sentiant.

505 Porrò, si proles post datam Exhæredationis causam Monasterium ingreditur, ipso jure Exhæredatio cessat, etsi reconciliatio subsecuta non sit; prout docet Covarruvias *loc. cit. n. 28.* Abbas *vol. 2. cons. 7.* Felinus *in c. Rodolphus, de rescrip.* Gloss. *in l. Deo nobis, C. de Episc. & Cleric. arg. can. fin. caus. 19. q. 3.* ibi: Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hæreditate repellere Monachos factos; quamvis dum Laici fuerint, in causam ingratitudinis inciderint. Non desunt tamen [illegible] nam hujus *n.* negant, ex eo, quod Gratian[illegible] dicat, se hunc textum sumpsisse ex *Novell. 123. cap. 59.* ubi nihil de hoc invenitur. Verùm Covarruvias, & alii defen[illegible] Gratianum ost[illegible], quod licet textus citatus non inveniatur in cita[illegible] 9. ejus tamen substantia sit in cap. 41. ejusdem Novellæ 123. [illegible] proin in decreto Gratiani error calami, vel Typographi irrepserit, præsertim cùm in citata Novell. tantum quadraginta quatuor sint Capita.

506 [illegible] Quæritur V. Quæ sint causæ exhæredandi fratres in casu, quo turpis persona instituta est hæres? Resp. Eas breviter comprehendi in *Novella 22. cap. 47.* illis verbis: illum solum tanquam ingratum circa fratrem effectum participari hoc lucrum non concedimus, qui mortem voluit fratri, aut criminalem inducere contra eum [illegible]scriptionem, aut substantiæ ei præparavit inferre [illegible]cturam: ejus enim portio tam ad reliquos fratres, quam matrem veniat. Brevius has causas indicant sequente Versus.

Tres licet ob causas ingratum pellere fratrem,
Si fratri insidias, perniciemque ferat,

Si scelera pingat, ferro, fatoque plenda,
Aut si fraternas perdere tentet opes.

§. XVI.

De Jure deliberandi; de Inventario; de Petitione; Aditione; Repudiatione; Abstentione, & Renuntiatione hæreditatis.

SUMMARIUM.

507 *Jus deliberandi quid? & quare concedatur?*
508 *Etiam hodie conceditur petenti.*
509 *Inventarium quid?*
510 *Et qualia afferat privilegia?*
511 *Regulariter loquendo, nemo tenetur facere Inventarium.*
512 *Limitatur in aliquibus usque ad n. 515.*
515 *Inventarium quando inchoari, & perfici debeat?*
516 *Requisita ad legitimam confectionem Inventarii.*
517 *Hæreditatis petitio quid?*
518 *Hæreditatis aditio & immixtio quid?*
519 *Hæreditatis aditio quomodo fiat, & fieri præsumatur?*
520 *Hæreditatem adire potest, qui se obligare potest.*
521 *Dummodò hæreditas ei sit delata, ipseque sit certo hæres*
522 *Aditio hæreditatis habet plures effectus. I. Namque transmittit hæreditatem ad hæredes.*
523 *II Confert jus & dominium totius hæreditatis.*
524 *Non tamen possessionem.*
Possessio hæreditatis quomodo acquiratur? Ibid.
525 *III. Transfert in hæredem omnem obligationem defuncti, etsi vires hæreditatis excedat; si Inventarium non fecit.*
Hæres, & defunctus sunt una persona, ibid.
526 *IV. Facit hæredem obligatum ad solvenda legata, & adimplendam voluntatem defuncti, salva detractione* Falcidiæ, *ac* Trebellianicæ.
527 *Repudiatio & abstentio hæreditatis quid?*
Hæreditas delata quæ dicatur? ibid.
528 *Repudiare hæreditatem potest, qui eam acquirere potest*
529 *Qui semel hæreditatem adiit, eam repudiare ampliùs non potest: & econtrà.*
530 *Limitatur in hærede* Suo, *qui repudiatam hæreditatem adhuc adire potest.*
531 *De repudiatione hæreditatis facta à Prælato sine consensu Capituli. Remissivè.*

507 Quæritur I. Quid sit, ad quid, & quamdiu concedatur jus deliberandi? Resp. I. Jus deliberandi ad propositum est facultas hæredi concessa ad certum tempus deferendi resolutionem, an hæreditatem adire velit nec ne, ac intereà inquirendi, quid hæreditas importet, quæ non debita extent, consequenter an utile sit, hæreditatem adire. Communis, *arg. tot. tit. ff. & C. de Jure delib.* introducta est à Jure hæc facultas ad evitandum omne periculum in aditione hæreditatis alias subeundum: cùm enim hæres statim ac hæreditatem adit, contrahat obligationem solvendi omnia debita defuncti, etiam hæreditatem excedentia, Jura præfatam facultatem hæredi concesserunt, ne ignarus hæreditatis, & debitorum defuncti, adeundo hæreditatem periculum damni incurrat. Hinc debet Prætor hæredi subvenire, eique copiam Instrumentorum inspiciendorum facere, ut proinde instruere se possit, expediat nec ne, agnoscere hæreditatem; prout dicitur *l. Aristo ff. de Jure delib.* Et quamvis hæc facultas hodie videatur frustranea ob noviter introductum beneficium Inventarii, ut benè advertit, *l. fin. §. C. eod.* Nihilominùs

508 Resp. II. Etiam hodie adhuc volenti conceditur jus deliberandi, ita tamen ut Princeps non nisi tempus unius anni, Magistratus verò novem mensium spatium deliberandi concedere possint. Textus expressus est in *cit. l. fin. C. eod.* Incipit autem hoc tempus deliberandi primùm elapsis novem diebus post mortem illius, de cujus hæreditate agitur: Nam ante hos dies elapsos, utpote tempus ad luctum concessum, nulli licet hæredes defuncti molestare, *Authen. Sed neque C. de Sepulchro viol.* ibi: Sed neque ante novem dies ab obitu numerandos ulla prorsus fiat molestia adversùs quemlibet ex persona defuncti. Si quæ enim cautio, si quid simile fiat, inutile erit: ex hoc nullo præjudicio creditori generando.

Quæritur II. Quid, & cujus effectus sit Inventarium? 509
Resp. I. Inventarium ad propositum est scriptura, in qua res inventæ in hæreditate defuncti describuntur; prout definit Glossa *in §. Si verò absunt. Authen. de hær. & Falc. coll. 1.* Vel, est legitima bonorum in hæreditate defuncti repertorum annotatio, & in scripturam redactio, prout eam DD. communiter definiunt, *arg. l. fin. C. de Jure delib.* Dicitur notanter ad propositum; quia præter Inventarium hæreditatis dantur etiam alia Inventaria, quæ fiunt a Tutoribus & Curatoribus circa res pupillorum vel Minorum, de quibus *l. Tutores 24. C. de Administ. Tutor.* Item à creditoribus in possessionem creditorum missis, *l. Cùm plures 15. ff. de Rebus auth. Jud. poss.* De quibus hic non agimus.

Resp. II. Inventarium plures, præsertim verò sequen- 510
tes habet effectus, & commoda. I. Quòd hęres conficiens, vel confici curans Inventarium, sit immunis ab omni periculo adeundæ hæreditatis, possitque hæreditatem absque ullo suo damno iterùm repudiare, ut proinde nullo indigeat jure deliberandi, an velit hæreditatem adire nec ne; cùm etiam adeundo extra omne periculum sit, dummodò cum beneficio Inventarii adeat, prout clarè habetur *l. fin. §. 2. C. de Jure delib.* & unanimiter docent DD. signanter Hun. *p. 4. tit. 17 c. 5.* Scard. *ad l. fin. §. Si præsertim num. 4. C. de Jure delib* Fachin. *lib 7. cap. 13.* & alii. Hinc II. Non tenetur creditoribus solvere ultra vires hæreditatis, *cit. l. fin. § 4. & 5. C. de Jure delib.* III. Potest cuivis creditori liquido solutionem præstare nec tenetur examinare, quis ex creditoribus potius aut prius privilegium habeat, *cit. l. fin. § 5 C. eod.* IV. Potest detrahere Falcidiam à legatis, etsi hæreditas solvendo non sit. Hunn. *loc cit.* Tholos. *in Syntag. Jur. lib. 46. c. 3 n. 17* Jason *ad cit. l. fin. § Etsi præfatam n. 1.* Sichard *in eand n. 5. arg. cit. l. fin. § 5.* V. Potest unum pro alio v. g. rem pro pretio creditori etiam invito solvere, *c. l. fin. §. Sin verò C. eod.* licet alias Juris regula sit, quòd unum pro alio, creditori invito solvi nequeat, *l. 2. § Si Mutui dato ff. Si certum petatur.* VI. Quòd à creditoribus intra tempus ad confectionem Inventarii à Jure concessum conveniri, aut molestari non possit, *cit l. fin. §. Donec 11. C. eod.* Conveniunt in his etiam DD. & statuta Bavariæ *Tit. 43. art. 7.*

Quæritur III. Quinam, & quando teneatur conficere 511
Inventarium? Resp. I. Quamvis per se loquendo, nullus teneatur, nec cogi possit ad conficiendum Inventarium, præsertim, quando certò constat, quòd hæreditas pro omnibus debitis sufficiat, vel hæres sit solvendo, ita ut nulli aliquod damni periculum immineat, prout habet Communis; eò quòd Inventarium principaliter introductum sit in favorem hæredum; favore autem & privilegio uti nemo teneatur, *l. Si quis 29. C. de Pactis* Cui concordant statuta Bavariæ *tit. 43. d. 1.* Nihilominùs, qui periculum in adeunda hæreditate sæpè occurrens, pœnamque Legis evitare vult, Inventarium conficere omninò debet, Tholos. *in Syntag. Iur. lib. 46. c. n 12.* Hunn *loc cit. cap 1* Schneidevv. *in §. Extraneis Instit. de Hæred. qualit. & differ n. 12.* Hartman. *pract. Observ. tit. 41 Observ 2. n. 12.* cum communi aliorum. Ratio patebit ex dicendis infrà.

Resp II. Dantur casus, in quibus confectio Inventa- 512
rii necessariò fieri debet. Patet inductione. Sic imprimis tenentur ad Inventarium Tutores, & Curatores, casu quo eorum curæ commissi v. g. pupilli, minores, prodigi, furiosi, amentes &c. hæredes sunt: quod si non faciant, debent non tantùm illi, cujus curam gerunt, sed etiam creditoribus ultra vires hæreditatis satisfacere, si damnum inde exoritur. Hunn *loc cit n. 13.* Sebast. de Monciul. *de Inventario c. 5. n. 43.* & Communis aliorum. Ratio est; quia omnes, qui præstandarum rationum obligationem habent, ad confectionem Inventarii tenentur, *arg. l. 1 ff de Tut. & rat. distrah.*

II. Debet fieri Inventarium ab hæredibus, vel eis invitis, à Judice ex officio, quando periculum est, ne illo omisso cohęredes absentes, creditores, legatarii, aut alii damnum patiantur, prout contingere posset, si pręsentes hęredes hęreditatem intereà distraherent, partem occultarent, vel dilapidarent, vel tam pauperes essent,

ut restitutionem Lege debitam facere non possent &c. Molina *Disp.* 219. Hunn. *loc. cit.* & communis aliorum, *arg. cit. l. fin. C. de Jure delib.* & Novella 1. *cap.* 2. §. 1. Concordat Jus Bavar. *tit.* 43. *a.* 1. ubi etiam mandat, quòd apud Rusticos universaliter fieri debeat Inventarium.

513 III. Gravati Fideicommisso universali tenentur ad Inventarium. Molina *Disp.* 219. citans Communem, Hunn. *loc. cit. cap.* 1. *n.* 22. Peregrin. *de Fideicom. art.* 35. *v.* 25. Thuscus *Tom.* 4. *Concl.* 249. *n.* 20. & communis aliorum, *arg. cit. l. fin. C. de Jure delib. & Novell.* 1. *cap.* 2. *§.* 1. Ratio est, quia hoc ipso, quòd vi Fideicommissi teneatur alteri restituere hæreditatem, Inventarium facere debet, ne aliter adeundo hæreditatem dici possit aliquid subtraxisse, aut neglexisse.

514 Quæritur IV. Quando, & quomodo fieri possit, ac debeat Inventarium? Resp. I. Confectio inventarii intra triginta dies à tempore aditæ hæreditatis inchoari, & cœpta intra sexaginta dies (si hæreditas præsens est) si verò absens est intra annum absolvi debet. Textus clarus habetur *l. fin. §. Sin autem dubius* 2 *& §. Sin autem à locis* 3. *C. de Jure delib.* De Jure Bavarico Confectio inventarii intra triginta dies à die obsignationis factæ inchoari, & cœpta, quamprimùm & quidem uno die, si fieri potest, vel proximis diebus, ad summum autem intra mensem perfici debet, si hæreditas præsens est: si verò absens intra sexaginta dies, *tit.* 43. *art.* 2.

515 Resp. II. Ad hoc, ut Inventarium ritè perficiatur, requiritur I. Ut fiat in præsentia Notarii publici, ab ipsoque conscribatur. Hun. *p.* 4. *tit.* 17. *cap.* 2. *n.* 28. Tholosan. *in Syntag. Jur. lib.* 46 *cap.* 3. *n.* 10. Schneidvv. *ad §. Extraneis n.* 13 *Inst de Hær. qualit. arg. cit. l. fin. §.* 2. *C. de Jure delib.* II. Debent adhiberi saltem duo idonei testes. Hun. *loc. cit. n.* 24. Jason *ad cit. l. fin n.* 4. Sichardus *ad eandem n.* 24. Schneidvven. *loc. cit.* Matta *consil.* 214. *n.* 14. *& seqq. arg. cit. l. fin. §.* 2. *C. de Jure delib.* qui testes debent hæredem cognoscere. III. Requiritur, ut citentur creditores & legatarii, Hunn. & Schneidevv. *loc. cit.* IV. Ut hæres formato priùs signo Crucis in principio Inventarii propria manu subscribat, simulque fateatur, omnia absque dolo, & fraude esse facta, *cit. l. fin. §.* 2. *de Iure delib.* Quod si hæres litterarum est ignarus, specialem adhuc Notarium, qui loco illius subscribat, adhibere debet, *arg. l. fin. cit. §. C. de Jure delib.* Plura de Inventario vide apud Legistas. Statuta Bavariæ de illo tractant *Tit.* 43. *ubi a* 3. ex speciali privilegio conceduntur, quòd moriente Nobili, possint Nobiles consanguinei absque interventu Judicis, & Notarii in præsentia testium conficere Inventarium, uti & obsignare.

517 Quæritur V. Quid sit hæreditatis petitio? Resp. Hæreditatis petitio est actio, qua quis hæreditatem, vel totam vel pro parte petit, seu vindicat ab eo, qui illam pro hærede, aut pro possessore possidet. Calvinus *vers. Petitio hæreditatis arg. l. Licèt minimam* 10. *ff. de Hæred. petit. & l.* 27. *ff. de Rei vindicat, Pro hærede autem possidet,* qui putat se hæredem esse, *l. Pro hærede* 11. *ff. de Hær. petit.* Pro possessore verò possidet, qui causam suæ possessionis aliam reddere nequit, quam quia possideo *cit. l.* 11. *& seqq. ff. eod.* Uterque tenetur petitione hæreditatis, nam regulariter definiendum est, inquit Ulpianus *l. Regulariter* 9. *ff. eod.* eum demum teneri petitione hæreditatis, qui vel jus pro hærede, vel pro possessore possidet, vel rem hæreditariam. Cautelam pro Advocatis in faciendis Libellis quoad petitionem hæreditatis ponit Gailus *lib.* 1. *Observ.* 68.

518 Quæritur VI. Quid sit adire hæreditatem, & quomodò aditio hæreditatis fiat? Resp. I. Adire hæreditatem aliud non est, quam se pro hærede declarare, seu hæreditatem amplecti, agnoscere, seu admittere. Ita in re communis. Textus est in *l. Pro hær.* 10. *& l. Gerit* 88. *ff. de Acquir. hær.* Et quamvis solus extraneus propriè adire hæreditatem, hæres suus verò se immiscere hæreditati dicatur, *l. Ei qui se. ff. eod. & §. Extraneis Inst. de Hær. qualit. & diff.* juncta *l.* 4. *ff. Quibus ex causis in possess.* Cujus ratio est, quod hæres suus viventibus adhuc parentibus quodammodò jam sit dominus, *l. In suis ff. in Suis & legit. hær.* tamen in Jure sæpè confunduntur, ita ut adire hæreditatem, & immiscere se eidem pro eodem sumantur, prout post Sichard *ad Rubr. C. de Jure delib. n.* 16, benè notat Hunn. *p.* 4. *Tit.* 16. *de Aditione hær. n.* 4.

Resp. II. Aditio hæreditatis variis modis contingere potest, videlicet verbis, factis, aut aliis signis, dummodo tacitè vel expressè quis significet, quod se pro hærede declarare, habere, aut agere velit *l. Pro hærede* 22. *& l. Gerit* 88. *ff. ad Acquirend. hær.* Hinc non tantum ille adire hæreditatem dicitur, qui expressis verbis pro hærede se declarat, de quo *cit. l. Gerit ff. eod.* sed etiam ille, qui actum non nisi hæredi competentem facit, *cit. l. Pro hærede* 22. *§. Papinianus, ad finem ff. eod.* Hujusmodi actus copiosos enumerant Doctores. Præsertim Menochius *lib.* 4. *Præsumpt.* 102. ubi vide: idem *cit. lib.* 4. *præsumpt.* 100. copiosè agit, quomodo ex verbis cognoscatur, adire quem hæreditatem. Illud universaliter notandum, per actus indifferentes communes, tam heredi, quam aliis hæreditatis aditionem non præsumi, nisi alia conjectura concurrat. Hunn. *l. c.* Tholos. *l. c. n.* 3. Mantica *de Conject. ultim. vol. lib.* 12. *tit.* 12. *n.* 7. Sichard *ad l. Potuit n.* 15. *C. de Jure delib.* cum communi *arg. cit. l. Pro hærede §. Papinianus ff. de Acquir. hered.* Inter hos actus indifferentes etiam reputatur, facere actum Religiosum, v. g. sepelire defunctum. Menochius *loc. cit. præsumpt.* 101. *&* 70. Hunn. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 26. Mantica, & alii. 519

Quæritur VII. Quinam adire hæreditatem possint, & quid requiratur ad hoc, ut ritè adeatur? Resp. I. Regula est: Omnis, qui se obligare potest, etiam adire hæreditatem valet. Communis. Infertur ex ea: quòd pupillus sine authoritate Tutoris hæreditatem adire non valeat, *l. potuit* 5. *C. de Iure delib.* Idem dic de furiosis, mente captis, prodigis &c. Ratio est; quia obligare se non possunt. Potest nihilominùs eorum Curator, vel Tutor eandem adire, *l Si Infanti* 18. *C. de Iure delib.* ita tamen, ut si pupillus sit infante major, excedens nempe septem annos, Tutor sine hujus consensu hæreditatem solus adire non possit *l.* 5. *C. eod.* 520

Resp. II. Ad hoc, ut hæreditatem adire quis possit, debet ei priùs ex Testamento, vel ab intestato esse delata hæreditas, ac sufficienter constare, quòd adire volens, sit certò hæres. Hunn *p.* 4. *tit.* 16. *c.* 3. Donell. *lib.* 7. *Commen. c.* 4. *§. Non satis* Tholos. *in Syntag. Iur. lib.* 46 *c.* 4. *n.* 16 & alii, inferentes inde, quòd quamdiu dubium est, an Testamentum subsistat, vel quis sit legitimus hæres ab intestato aditio hæreditatis validè non fiat. 521

Quæritur VIII. Quosnam pariat effectus Aditio hæreditatis? Resp. Parere plures, præsertim sequentes. I. Quòd hæreditatem transmittat ad hæredes hæredis: non adita autem non transmittatur, excepto casu, in quo hæres suus nondum adiit hæreditatem, textu expresso *l.* 1. *§ In Novissimo*, ibi: Hereditatem etenim, nisi fuerit adita, transmitti nec veteres concedebant, nec nos patimur, exceptis liberorum personis. 522

II. Per aditionem hereditatis acquirit quis jus, & dominium omnium rerum hereditariarum, quas defunctus habuit. Gailus *lib.* 2. *Observ* 129 Hunn. *p* 4 *tit.* 16. *c.* 3. *n.* 56. Matta *Consil.* 448 *n.* 4. *& seqq.* Sichard ad *l. Si foror* 14. *n.* 1. *& seqq. C. de Jure delib* cum Communi, *arg. l.* 1. *§. Veteres & l. Cùm heredes* 23. *ff. de Acquir. & amitt. possess.* ibi: Adita hereditate omnia jura ad nos transeunt: etiamsi eorum possessionem actu, & corporaliter nondum acceperit, eò quòd aditio hereditatis solo animo fieri possit, & in nuda voluntate consistat, dummodò de ea sufficienter per signa externa constet, *§ fin. Inst. de Her. qualit. & differ.* ibi: Nuda voluntate extraneus heres fit. 523

Possessio tamen ipsa, nisi quis eam naturaliter etiam apprehendat, per solam aditionem hereditatis non acquiritur Gailus *loc. cit. n.* 2. Iason *in l.* 3. *ff. eod. n.* 31. & ibidem Zas. *n.* 27. cum Communi DD. *ff. ad cit. tit. de Acquir. possess.* Textus expressus, & *in cit. l.* 23. *ff. eod.* ibi: Adita hereditate omnia quidem jura ad nos transeunt: possessio tamen, nisi naturaliter comprehensa, ad nos non pertinet. Ratio est; quia possessionem sic dictam à pedum positione *l.* 1. *ff. eod.* adipiscimur corpore, & animo, neque per se animo, neque per se corpore; ut dicitur *l.* 3. *princ. ff. eod.* Licèt semel acquisita, solo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest. Ex quo colliges malam esse consequentiam: Sum heres, adii hæreditatem; ergo sum possessor hereditatis; prout benè advertit Gailus *loc. cit. n.* 8. ubi insuper cum communi Doctores *in l.* 3. *ff. eod.* docet, quòd quis per possessionem unius rei hereditariæ v. g. fundi in hoc loco, non acqui- 524

rat aliarum rerum aliis in locis existentium possessionem: tametsi hoc in aliis casibus, veluti in emptione &c. fallat, *arg. cit. l.* 1. *§. Veteres, & l. Prædia ff. de Acquir. possess.*

525 III. Adeundo hæreditatem contrahit quis obligationem solvendi omnia debita & obligationes defuncti, omnesque actiones passivas in se recipit, Sichard. ad *Rubr. C. de jure delib.* & in *l. Si infanti prin. C. eod.* Hunn. *p.* 4. *tit.* 16. *c.* 3. *n.* 4. Laym. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 6. Tholos. *loc. cit. c.* 5. *n.* 5. & 8. Schrader *Tract. Feud. p.* 3. *sect.* 4. *n.* 66. cum communi aliorum, *arg. l. fin. C. de Iure delib.* cum concordantiis, etiamsi vires hæreditatis excedant, casu quo non fecit Inventarium, vel sine beneficio Inventarii hæreditatem adiit, ut habet communis, *l. fin. §. Sin autem C. de Iure delib. &c. In litteris* 5. *de Raptorib.* Ratio est; quia heres & defunctus fictione Juris censentur una persona, *l. Cùm à matre C. de rei vendic.* & *l. Quoties C. de Hæred. instit.* Sichard ad *l.* 3 *n.* 4. *C. de Fideicomm.* Hunn. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 6. cum communi. Nam ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet, *l. Ex qua* 149. *ff. de Reg. Iur.* & Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, à quo jus in me transit.

526 Resp. IV. Post aditionem hæreditatis tenetur hæres solvere cuncta legata & fideicommissa, totamque adimplere voluntatem defuncti, ita tamen, ut detrahere possit à legatis Falcidiam, vel à fideicommissis Trebellianicam, si fecit Inventarium, de obligatione adimplendi voluntatem defuncti est. Communis ac certa *l.* 1. *C. de SS. Eccl.* De detractione Falcidiæ & Trebellianicæ patet ex dictis. Dicitur autem notanter, si fecit Inventarium; quia qui sine beneficio Inventarii adit hæreditatem, Falcidiam detrahere non potest, textu claro *l. fin. C. de Iure delib.* Utrùm autem etiam deductionem Trebellianicæ perdat hæres hæreditatem sine Inventario adiens, magna est controversia inter DD. nonnullos ut Hunn. *loc. cit. n.* 11. Covarr. *cap.* 16. §. 11. *n* 16. *de Testam.* Clar. §. *Testamentum q.* 66 cum aliis affirmativam tenentibus; aliis verò, ut Gail. *lib* 2. *Observ.* 134. *n* 4 ubi ait, sententiam contrariam non observari in praxi, Grass. *de Success §. Trebellianica q.* 7. *per tot.* Fachin *lib.* 4 *controv.* 38. negativam tenentibus; utraque sententia inspectis Juris fundamentis ab eisdem allegatis, videtur probabilis.

527 Quæritur IV Quid sit repudiare hæreditatem, & abstinere ab ea: vel quid sit repudiatio hæreditatis, vel abstentio ab ea, & à quo fieri possit? Resp. I. Repudiare, est, hæreditatem jam delatam recusare, seu rejicere, vel non admittere. Communis. Dicitur hæreditatem delatam: quia quæ delata nondum est, repudiari non dicitur, textu claro *l.* 1. *§ Decretalis ff. de Success edict.* Dicitur autem hæreditas delata alicui, quando mortuo jam illo, de cujus hæreditate quæritur, potest hæreditatem, si vult, statim adire & acquirere, vel repudiare: uti cum Communi docet Molina *Disp.* 274. *n.* 20. Calvinus *vers. Delata.* Baldus in *l. Potuit C. de Iure delib.* Torre *de Pactis Success. lib.* 2 *c.* 1. *n.* 15. *l. Delata ff. de V. S. & l.* 1 *§. Decretalis ff de Success edict.* Hinc hæreditas, vel aliud jus, quod de præsenti volens adire non potest, nondum dicitur delatum, & ob id hæreditas futura, nondum defuncti, quia nondum delata est, repudiari non dicitur. Abstinere ferè coincidit cum repudiare, ipsaque abstentio & repudiatio idem significant, eosdemque juris effectus habent, solumque in hoc differunt, quòd abstinere dicatur hæres necessarius suus; extraneus verò repudiare; Calvinus *vers. Repudiatio*, cum communi, *arg. §.* 5. *&* 6. *Inst. de Hæred & qualit. & differ.* sicut suprà diximus circa adire hereditatem, & immiscere se eidem: quòd nēpe adire hereditatē dicatur extraneus, immiscere verò se eidem dicatur hæres suus: quamvis nonnunquam confundantur, ita ut & hæres suus repudiare hereditatem dicatur.

528 Resp. II. Omnis is potest repudiare hereditatem, qui & acquirere potest, ait *l. Is* 18. *ff. de Acquir. hæred.* Hinc sicut pupillus (idem dic de furiosis, amentibus &c) se solo non potest adire hereditatem, ita etiam nec repudiare valet, *l. Pupillorum* 5 *C. de Repud vel abstinen. hær.* ibi: Pupillorum repudiatio delatæ hereditatis, sine Tutore Authore facta, nihil eis nocet.

529 Resp. III. Regulariter loquendo, qui semel hereditatem adiit, eam repudiare ampliùs non potest: sicut econtrà, qui eam repudiavit, illam adire ampliùs nequit. Communis ac certa. Textus expressus habetur *l. Sicut* 4. *C. de Repud. hær.* ibi: Sicut major 25. annis, antequam adeat delatam hæreditatem, repudians successionem, post quærere non potest, quæsitam renuntiando nihil agit, sed ejus, quod habuit, retinet.

Dicitur notanter regulariter loquendo; quia limitatur Conclusio in hærede suo, utpote qui repudiatam hæreditatem adhuc adire potest, si nondum alienata est, *l Si suus C. eod.* ubi etiam tempus determinatur, intra quod hæredi suo hæreditate semel repudiata, eam iterùm adire licet: ubi vide, sicut & Jason. dictam *l. Si suus C. eod.* 530

Hic etiam examinare solent DD. an liceat Prælato sine consensu Capituli, ac aliis Juris solemnitatibus repudiare hæreditatem vel legatum Ecclesiæ factum? Verùm quia de hac re *tit.* 10. §. 2. jam egimus, Lectorem illuc remittimus. 531

§. XVII.

De Renuntiatione Hæreditatis & Jure accrescendi.

SUMMARIUM.

532 *Renuntiatio hæreditatis quid?*
Spes futuri juris renuntiari, & in pactum deduci potest, ibid.
533 *Renuntiatio hæreditatis multiplex.*
534 *Renuntiatio futuræ hæreditatis in genere, vel personæ incertæ valet.*
535 *Renuntiatio & pactum contra hæreditatem adhuc viventis, cum hujus consensu valet. Et n. seq.*
537 *Dummodò consensum non revocet.*
538 *Consensus debet præstari tunc, quando fit Renuntiatio.*
539 *Nec sufficit, si posteà sequatur, & quare?*
540 *Consensus debet esse expressus, nec sufficit tacitus.*
541 *Renuntiatio de hæreditate viventis, sine hujus consensu facta non valet.*
542 *Etsi juramento confirmata sit.*
543 *Et alicubi contraria sit consuetudo.*
544 *Juramentum contra bonos mores, vel jus naturale, vel in præjudicium tertii non obligat.*
545 *Renuntiatio hæreditatis plurium, uno absente aliis præsentibus valet, quoad præsentes, & non valet quoad absentes.*
546 *Renuntiatio Matris quando noceat liberis? Et n. seq.*
548 *Renuntiatio est strictè interpretanda.*
549 *Et non extenditur ad Feudalia bona.*
550 *Renuntians hæreditati paternæ potest eam à patre vel alio iterùm acquirere.*
551 *Ac retinet jus ad alimenta.*
552 *Renuntiatio sub conditione deficit, deficiente conditione.*
553 *Sicut etiam facta ex certa causa deficit, deficiente causa.*
554 *De renuntiatione remissivè.*
555 *Jus accrescendi quid?*
556 *Et quibus competat?*

QUæritur I Quid sit renuntiatio hæreditatis? An & quomodo fieri possit? Resp. I. Renuntiatio hæreditatis est cessio, seu remissio juris; quod quis ad hæreditatem habet, vel habere potest Est in re communis, *arg. l.* 1. *C. de Pactis* dicitur autem notanter, vel habere potest, ut etiam includatur. Repudiatio futuræ hæreditatis: quia non tantùm juri jam quæsito, sed etiam quærendo, seu futuro quis renuntiare potest, *arg. l.* 1. *C. de Pactis.* Quamvis enim jus quærendum, ac primò futurum in bonis nostris esse non dicatur, nec valeat de eo dispositio, *arg. l. Si filius* 14. *& l. Constante* 2 *C. de Donat.* tamen renuntiari, & in pactum deduci potest spes, quam habemus ad jus futurum, *arg. cit. l.* 1. *C de Pactis & l Spem* 3. *C. de Donat.* juncta *l. Si jactum* 12. *ff de Action. empt.* 532

Resp. II. Renuntiatio hæreditatis varia est, & variè fieri potest. Patet inductione. Alia enim est, & fieri potest super hereditate paciscentium inter se. Alia super hæreditate Tertii. Renuntiatio hæreditatis Tertii rursus alia est, & fieri potest in genere, qua nempe quis renuntiat omni cuicunque tandem hæreditati, quam unde- 533

cunque habere potest. Alia in specie, dum nempe quis renunciat hæreditati certæ, vel certarum personarum. Insuper alia est, qua quis remittit, vel dimittit hæreditatem actu jam aditam. Alia, qua quis renuntiat hæreditati futuræ nondum delatæ, seu potiùs spei, & juri incerto, quod quis habet ad futuram hæreditatem alicujus adhuc viventis, uti jam dictum *n. præc.* Talis foret Renuntiatio, qua quis renuntiat hæreditati consanguinei, cui succedendi spem habet. Renuntiatio adhuc alia est, & fieri potest in favorem tertii, vocaturque ab aliis Renuntiatio extinctiva, ac etiam Translativa, quatenus renuntians in alterum transfert jus, quod ad hæreditatem habet. Alia est, quæ fit simpliciter, & in nullius favorem qua quis declarat, se nolle succedere, quisquis dein succedat. Potest autem fieri renuntiatio vel ex sola ac simplici voluntate solius renuntiantis, absque concursu voluntatis alterius, & hæc propriissimè dicitur Renuntiatio. Torre *l.c.n.37.* Galler *de Renun lib.1. cap.8 n.6.7. & 8.* Alia, quæ fit cum consensu voluntatis alterius per modum pacti, & conventionis, quæ non differt à priori nisi quòd non possit tam faciliter revocari Torre *l.c.* Galler *l.c.c.3.* in præsenti præcipuè erit quæstio de renunciatione hæreditatis futuræ adhuc viventis, eò quòd de cæteris vel nulla, vel modica sit difficultas. De quibus tamen videri potest Torre *de Pactis futuræ successionis, lib. 2. c. 1. & seqq.* Passerinus in *c. Quamvis de Pactis, in 6. n. 61.* & alii.

534 Quæritur II. An, & quando valida sit renuntiatio præsertim jurata hæreditatis futuræ, alicujus adhuc viventis. Resp. I. Renuntiatio seu pactum circa hæreditatem alicujus adhuc viventis incerti, seu in genere licitè & validè fieri potest; etsi fiat in favorem tertii, Molina *Disp 412. & 579.* Sanchez *lib. 7. Moral. c. 2. n. 31.* Layman *lib. 3. tract. 5. c. 7. n. 3.* Torre *de Pactis fut. succ. lib. 1. c. 26 n. 1.* cum Communi aliorum, *arg. l. 3. ff. Pro socio.* Ratio est; quia in hujusmodi renuntiatione abest periculum voti captandæ mortis, ob quod alias Iura prohibent renuntiationem hæreditatis futuræ hominis adhuc viventis in favorem tertii, *arg. l. fin. C. de Pactis.* Hinc valida erit sequens renuntiatio: Renuntio & cedo tibi omnem hæreditatem, quę mihi aliquando à quocunque tandem obventura erit: hoc ipso enim, quòd nullius certi hæreditas specificetur, nullius vita ob cupiditatem illius, cujus fit renuntiatio, periculum patitur.

535 Resp. II. Quævis renuntiatio, & pactum circa hæreditatem hominis viventis adhuc, etiam in alterius favorem facta valet, si fiat cum consensu illius, de cujus hæreditate fit pactum, seu renuntiatio; dummodò talis consensum suum usque ad mortem non revocet: Layman *loc. cit. n. 3.* Menochius *consil. 1. nu. 166.* Seraphin. *de Privil. juram Privil. 20. n. 6.* Torre *de Pactis fut. succ. lib. 1. c. 26. n. 1.* eoque teste DD. omnes. Textus expressus habetur *cit. l. fin. C. de Pactis*: ubi postquam damnata sunt pacta super hæreditate viventis, apponitur sequens limitatio: Nisi ipse forte, de cujus hæreditate pactum est, voluntatem suam eis accommodaverit, & in ea usque ad extremum vitæ suæ spatium perseveraverit: tunc enim sublata acerbissima spe licebit eis illo sciente, & jubente hujusmodi pactiones servare. Ratio est; quia cum in favorem illius, de cujus hæreditate agitur, sint prohibitæ renuntiationes & pacta circa hæreditatem viventis, potest talis consentiendo renuntiare favori suo, hoc ipso, quòd omnes licentiam habeant his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare, *l. Si quis 29. C. de Pactis.* Et scienti ac consentienti non fit injuria, *c. scienti, de Reg. Jur in 6.*

536 Hinc valet pactum, quo liberi de futura hæreditate patris adhuc viventis, ipso sciente & consentiente paciscuntur: dicendo v.g. Si das mihi modò mille Florenos, cedo, & renuntio tibi omnem hæreditatem paternam mihi aliquando obventuram: vel si gratis unus ex eis dicat: Renuntio meam aliquando mihi obventuram hæreditatem paternam in favorem hujus, vel illius &c.

537 Dicitur notanter, dummodò talis consensum suum usque ad mortem non revocet; quia si revocat, uti potest, omnis valor renuntiationis factæ evanescit, *arg. cit. l. fin. C. de Pactis.* Etiamsi jurarit, se consensum non revocaturum; quia licèt in tali casu pater v.gr. consensum revocans perjurus esset; revocatio nihilominus valida foret, factamque renuntiationem invalidaret. Molina *Disp. 579. n. 4.* Sanchez *lib. 7. Mor. c. 2. n. 18.* Torre *l.c.* Alciatus ad *l. fin. C. de Pactis* cum communi aliorum.

538 Debet autem hic consensus præstari tunc, quando fit renuntiatio, seu pactum de hæreditate consentientis, ita ut non sufficiat, si posteà primùm sequatur, seu ratificet. Torre *de Pactis fut. success. lib. 1. cap. 29. n. 34.* Merend. *Controv lib. 1 cap. 18. n. 7.* Bolognet. *ad l. fin. C. de Pactis, n 46.* Hodiernus *Controv. c. 28. n. 29.* ubi plures allegat Rotæ Decisiones, & alii. Ratio est: tum quia, quando consensus requiritur ad integrandam paciscentium personam, debet consensus in ipso actu intervenire, nec sufficit, si posteà sequatur, *arg. §. Tutor Instit. de Author. Tutor.* Tum etiam, quia quando agitur de præjudicio tertii, vel contra jus publicum, uti fit in renuntiatione hæreditatis, debet consensus requisitus præstari tunc, quando fit actus, uti cum citatis Doctoribus benè advertit Daniel *de Nobil. disp 82. n 80.*

539 Nec obstat *c. Ratihabitionem, de Reg. Iur. in 6.* dicens Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari, non est dubium. Nec si dicas in casu, quo consensus solummodò exigitur ad evitandum præjudicium tertii, sufficere, si posteà consensus sequatur. Nam contra est, quòd hæc tantùm procedant in casu, quo actus præcisè ideò prohibetur propter delictum, & ob jus publicum, prout res se habet in præsenti; ubi renuntiatio seu pactum circa hæreditatem viventis, eo non consentiente, ideò prohibetur, quia est contra bonos mores, *l. fin. C. de Pactis,* & jus publicum, *l. fin. C. de Legit Hæred.* Hinc ille, de cujus hæreditate agitur, ab initio per suum consensum facere quidem potest, quòd fiat sine delicto, vel injuria *l. Volenti, ff. de Reg. Iur.* post factum tamen, consensu suo facere non potest, desinere delictum, vel actum cum delicto factum non esse; *l. Qui ea mente, ff. de Furto.* Illud tamen fatendum, sufficere consensum subsequentem, si renuntiatio ad ratificationem illius, de cujus hæreditate agitur, expressè facta est.

540 Porrò non sufficit consensus tacitus, sed requiritur expressus. Merlin. *de Pignor. & Hypoth l. 1. q. 40. n. 1.* Bolognet. *ad l. fin. C. de Pactis,* Hodiern. *Contr. l. 1. c. 28. n. 18.* Flamin. Parisien. *l.c.* & alii contra Sanchez *l. 7. in Decal. c. 2. n. 11.* & alios, *arg. cit. l. fin C. de Pactis* ibi: Sciente & jubente &c. Ratio est; quia tacitus consensus non sufficit, seu tacens non habetur pro consentiente, quando agitur de præjudicio tacentis, nisi Jus specialiter quid disponat, prout latiùs probavimus supra *lib. 2. tit. 12. n. 177.*

541 Resp. III. Omnis Renuntiatio, vel pactum circa hæreditatem unius vel plurium viventium in specie, sine hujus vel horum consensu, in favorem alterius facta etiamsi juramento fuerit confirmata, nulla atque invalida est. Prima pars, quòd talis renunciatio absque juramento facta invalida sit, fatentur Omnes, textu claro, *l. fin. C. de Pactis*: ubi etiam ratio habetur; quia nempè hujusmodi pactiones odiosæ videntur, & plenæ tristissimi exitus, ac contra bonos mores sunt.

542 Altera Conclusionis pars, quòd videlicet nullæ sint; etsi juramento confirmentur, est Communissima, multisque Decisionibus Rotæ firmata, ut proin teste Torre *de Pactis succes l. 2. c. 3. n 68.* de veritate hujus Conclusionis hodie non amplius sit ambigendum. In specie eam tenent Torre *l.c. n. 67.* Bolognet. *in l. fin. C. de Pactis n. 59.* Baldus in *c. Ad nostram de Iurejur. n 7.* Soc. Sen. *vol. 3 cons. 73.* Fach. *l. 8. c. 72.* Sanch *lib. 7. c. 2. n. 33.* Tholosan. *Syntag. Iur. univ. lib. 41. n. 13* Laym *lib. 3. tr. 5. c. 7. n. 3.* Galler. *de renunt. lib 3 c. 2. n. 60.* & communissima aliorum. Ratio est; hujusmodi renunciationes & pacta sunt contra bonos mores, *l. fin de Pactis.* Non est autem obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, *Reg 58. de Reg. Jur. in 6.* nec actum jure nullum validat, si ideò est nullus; quia est contra bonos mores, vel Jus naturale, *§ Sed naturalia, instit de Jure natural gent. & Civ.* vel si est in prejudicium tertii, *c. Cùm contingat 28. de Jurejur.* uti res se habet in casu nostro; utpote in quo inducitur votum captandi mortem alterius, *l. fin C. de Pactis,* quòd tanquam iniquum non solùm à Jure Civili, sed & Canonico reprobatur *c. 2. de Concess. Præb. & c. 2. art. 3 eod. in 6.*

543 Procedit Conclusio, etiamsi alicubi vigeret contraria consuetudo: quia & hæc etiam invalida est, si est contra Jus naturale vel fovet peccatum, *c. fin. de Consuetud.*

Ta-

Talis autem foret consuetudo renuntiandi hæreditatem viventis absque hujus consensu. Peccatum siquidem foveret, quia, utpote contra bonos mores nunquam exerceri posset sine peccato. Contra Jus naturale verò, quia in præjudicium tertii vergit, quippe inducens votum captandæ mortis.

544 Nec dicas, per juramentum universaliter convalidari actus, & contractus alias de Jure nullos: ergo etiam Renuntiationem de hæreditate viventis, Textu claro *c. quamvis 2. de Pactis in 6.* ibi: Quamvis pactum patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum regressum ad bona paterna haberet, improbet Lex Civilis, si tamen juramento non vi nec dolo, præstito firmatum fuerit, ab eadem omninò servari debet; cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alteris detrimentum. Resp. enim distinguendo Ant. Confirmat actus, & contractus de Jure nullos, si non sunt contra bonos mores, nec fovent peccatum, nec vergunt in præjudicium tertii, concedo: Si una ex his qualitatibus affecti sunt, uti renuntiatio hæreditatis viventis, *nego Ant. & conseq.* Dices, etiam renuntiatio posita in *c. Quamvis de Pactis in 6.* est de hæreditate viventis, & tamen juramento firmatur: ergo. Resp. negando rationem & paritatem. Disparitas est, tum quia in dicto casu accessit consensus illius, cujus hæreditas renuntiabatur, patris nempe: tum quia facta non est in favorem tertii, consequenter absque periculo voti captandæ mortis, sicque in nullius præjudicium, nec contra bonos mores *arg c. Licet.*

545 Illud etiam hic advertendum, quòd, si quis hæreditati plurium in specie renuntiat, uno vel altero præsente, & consentiente: altero verò absente, & consequenter consensū non prestante talis renuntiatio foret valida quoad consentientes, invalida verò quoad illos, quorum consensus deficit. Torre *de Pact. succ. lib. 2. c. 5. n. 67.* cum pluribus aliis à se citatis. Ratio est; quia in materia separabili, utile per inutile non debet vitiari, *c. Utile 37. de Reg. Jur. in 6*

546 Quæritur III. An renuntiatio, qua filia dote accepta ritè & validè renuntiat, noceat liberis ex tali filia natis, vel generandis? Resp. I. Si in renuntiatione expressum est, quòd pro se & hæredibus renuntiet, etiam liberis nocet. Ita satis communis. Tenentque omnes, qui universaliter docent, liberos excludi per renuntiationem factam à Matre, inter quos est Surdus *cons. 133. n. 11. & 12. lib. 1.* Decius *cons. 118. & in l. Pactum dotale de Collat.* & alii citati per Fachin. *lib. 3. c. 23.* Ratio est; quia quantùm ad bona fortunæ, & jura sua potest quis se, & hæredes obligare, per vulgaria Juris: consequenter, si ita expressè paciscitur mater, liberi acquiescere debent.

547 Resp. II. Si nulla de hæredibus facta est mentio in renuntiatione, non nocet liberis, casu quo mater eorum ante avum, vel aviam fuit mortua. Fachin. *lib. 3. c. 23.* Carpz *p. 3. const. 35. defin. 11.* Dauth. in *c. Quamvis de Pactis in 6. n. 44.* Covarr. in *c. Quamvis de Pactis in 6. p. 3. § 2. n. 4.* Azorius *Tom. 2. lib. 2. c. 28. n. 13.* Bartolus in *l. Qui superstitis ff. de Acquir. hæred.* & alii contra Molina *Disp. 579. n. 4.* Surd. *consil. 133. n. 11. & 12. lib. 1.* Fundamentum est, quòd licet mater per talem renuntiationem sit exclusa ab omni successione; per hoc tamen non manent exclusi liberi, utpote qui mortua matre, jure proprio succedunt avo, vel aviæ, *arg. l. Si quis filio ff. de Injusto rapto.* Accedit, quòd renuntiatio habeat tacitam hanc conditionem, si hæreditas fuerit delata, *arg. l. 1. ff. de Hæred. & act. vend. & l. 174. ff. de R. J.* & *l. Qui superest ff. de Acquir. hæred.* atqui si filia renuntians ante matrem, aut patrem renuntiatarium moritur: hæreditas ei non fuit delata *arg. cit. l. 1. ff. de Hæred. & act. vend.* patetque ex dictis: ergo. Nec obstat, quòd in renuntiatione filia acceperit dotem. Nam contra est quòd pater teneatur dotare filiam *l. fin. de Dotis promiss.* & sola dos non impediat, quin filia dotata adhuc succedat; dummodò conferat dotem, *l. Illam C. de Collation.*

548 Quæritur IV. Quomodò sit interpretanda renuntiatio? ad quæ bona, & quousque se extendat? ac quando exspiret? Resp. I. Renuntiatio est strictè interpretanda, nec extendenda ultra verborum proprietatem, aut communem renuntiandi consuetudinem, ac ita intelligenda, ut renuntianti minùs præjudicet, Carpz *p. 2. const. 46. defin. 12. n. 6.* Layman *lib. 3. tract. 5. c. 7. n. 2.* Gailus *lib. 2. Observ. 77. n. 5.* Decius *Consil. 352. n. 7.* Torre *loc. cit. lib. 2. c. 15. n. 81.* ac plurimæ Rotæ Decisiones, *arg l. Tres fratres 35. l. Si unus §. Pacta 4. & l. Emptor 45. § Lucius ff. de Pactis.* Ratio est; quia quæ contra Jura sunt, uti renuntiatio de futura successione, *arg. c. Quamvis de Pact. in 6.* strictè interpretanda veniunt, per vulgaria.

Resp. II. Renuntiatio non se extendit ad bona Feudalia, nisi expressa de eis mentio fiat, Covarr. *p. 3. in c. Quamvis pactum de Pactis in 6. n. 9.* Molina *Disp. 579 n. 22.* Layman *l.c.* Torre *de Pactis fut. success. lib. 2. c. 38. n. 12. & seq.* Menoch. *consil. 16. n. 25.* Sanchez *lib. 7. Moral. c. 7. n. 8.* & communis aliorum. Ratio est: quia bona Feudalia non tam jure hęreditario, quam ex pacto primi acquirentis devolvuntur: ut patet ex dictis suprà *tit. 20. de Feudis.* 549

Resp. III. Renuntians hæreditati paternæ vel maternæ potest eam jure hæreditario adhuc acquirere à fratre vel alio, ad quem renuntiata hæreditas devenit; si tali vel ab intestato, vel ex Testamento succedit. Molina *l.c. n. 20.* Covarr. *l.c. n. 2.* Sanchez *lib. 7. Moral c. 7. n. 6.* Menochius *consil. 335.* & communis aliorum. Ratio est; quia renuntians in tali casu non petit bona tanquam hæreditatem paternam, cui renuntiavit, sed fraternam, vel aliam, cui non renuntiavit. 550

Resp. IV. Renuntians hæreditati paternæ habet jus ad alimenta in casu necessitatis. Covarr. *p. 2. in c. Quamvis pactum §. 6. n. 12* Baldus in *l. Pactum C. de Collat. q. ult.* Sanchez *loc. cit. n 4.* Menochius *Consil. 71. a n. 5.* latè probans, & plures alii contra non paucos apud citatum Covarr. & Sanchez. Ratio est; quia Jure prohibitum est futuris alimentis renuntiare, *l. Cùm hi 8. ff. de Transact.* 551

Resp. V. Renuntiatio facta sub conditione regulariter loquendo evanescit, deficiente conditione. Torre *de Pactis futuræ success. lib. 2. c. 33. & 40.* Merlin. *Decis. 253. n. 5.* cum Communi & certa aliorum. Ratio est: tum quia universaliter dispositio conditionalis deficiente conditione est ipso jure nulla *arg. l. 1. C. de Donat. quæ sub modo l. Qui hær. & Mævius ff. de Condition & demonstrat.* Tum quia conditio nihil parit in esse; & hinc actus conditionalis non valet, conditione deficiente, *l. Cedere die ff. de V. S. & l Si quis sub cond. ff. Si quis omissa causa.* Et ideò sequens renuntiatio, qua dicit soror: renuntio hæreditati paternæ in favorem fratris mei, si hic nubit, & filios acquirit, invalida erit, si vel non nubat, vel nubens filios non acquirat. 552

Resp. VI. Renuntiatio facta ex certa causa finali cessat, quando causa non adimpletur, vel cessat, aut non evenit. Donad. *de Renunt. Tom. 1. c. 19. per tot.* Fontan. *de Pactis Nuptial. p. 1. Claus. 9.* Glossa *un. n. 83.* Torre *de Pact. fut. success. lib. 2. cap. 33. n. 224. & seqq.* Molina *Decis. 229. & Decis. 362. n. 12.* & Communis aliorum, *arg. cit. l. 1. C. de Donat. Quæ sub modo.* Ratio est; quia universaliter causa expressa regulat actum, & datum ex aliqua causa, revocatur causa non subsecuta *l. 1. ff. de Condict. causa data.* Vide Barbosam *de Axiom. Jur. Axim. 40.* 553

Plura de Renuntiationibus vide apud Civilistas, præsertim in *l. fin. C. de Pactis,* quorum aliqui integros Tractatûs scripsere de hac materia. Idem apud Canonistas in *c. Quamvis pactum de Pactis in 6.* In quod pulchrè Covarr. Insigniter etiam *de Pactis fut. success.* integrum Tractatum scripsit Joannes Torre. Specialiter etiam hic agendum esset de Renuntiationibus, quæ fiunt à Novitiis, vel sæcularibus intuitu ingressus in Monasterium. Sed de hac infrà *tit. 29. de Reg.* 554

Quæritur V. Quid sit, & quibus competat Jus accrescendi? Resp. I. Ut sic est jus, quo pars vacans cedit, & accrescit parti sub uno toto quasi sociæ jam occupatæ. Calvinus in *Magno Lexi Jur. vers. Accrescendi jus* & est in re communis. Dicitur autem Ut sic; quia non tantùm in materia hæreditatis sed etiam in aliis datur. Ad præsens autem specialiter loquendo in materia hæreditatis: Est jus, quo alicui jam habenti aliquid de hæreditate accrescit alia hæreditatis portio ex certa causa vacans. Calvinus *loc. cit.* Ludvvel. *de ultim. vol. part. 1. c. 5.* cum Communi, *arg. l. 9. ff. de Suis & Legitim. hæred.* 555

Resp. II. Quandocunque plures instituuntur hæredes, & unus, vel plures adeunt hæreditatem; unus verò, vel plures eandem repudiant, vel ex alia ratione eam acquirere nolunt, aut non possunt, tunc horum portio 556

vacans accrescit adeunti hæreditatem. Communis ac certa textu claro, *cit. l. Si ex pluribus 9 ff. de Suis & legitimis hær.* ibi: Si ex pluribus hæredibus legitimis quidam omiserint adire hæreditatem, vel morte, vel qua alia ratione impediti fuerint, quo minus adeant; reliquis, qui adierint, accrescit illorum portio.

Reliqua de Jure accrescendi relinquimus Legistis, qui hanc materiam pro una ex difficillimis & subtilissimis in Jure reputant, ut putat Vult. ad *§. fin. Instit. de Donat. nu. 1.* adeò, ut nulla in Jure spinosior sit, ut opinatur Hotom *Ill. qu. 44.* benè de hoc jure discurrit Ludvvel. *loc. cit.* Tuschus *Litt. I. concl. 565. & seq.*

§. XVIII.

De Substitutionibus.

S U M M A R I U M:

557 *Substitutio quid?*
558 *Alia est directa, alia indirecta.*
559 *Differentia inter utramque.*
560 *Substitutio directa adhuc multiplex est.*
561 *Alia est enim vulgaris: & quæ?*
562 *Valet Substitutio vulgaris, sive institutus nolit, sive non possit adire hæreditatem.*
563 *Et consequenter substitutus totum id, quod institutus habuisset.*
564 *Continet Substitutio vulgaris expressa tacitam pupillarem.*
565 *Et facit ex hærede suo voluntarium.*
566 *Substitutio vulgaris expirat, post aditam hæreditatem.*
567 *Nisi impubes sit hæres.*
568 *Vel pubes intra annum, voluntatem defuncti adimplere negligat.*
569 *Exspirat etiam, si substitutum ante institutum, vel ante aditam ab ipso hæreditatem moritur.*
570 *Pupillaris Substitutio quid;*
671 *Alia est Pupillaris expressa: alia tacita.*
572 *Solis impuberibus in potestate patria testatoris constitutis fieri potest pupillaris institutio.*
573 *Mater non potest facere Substitutionem pupillarem.*
574 *Requisita ad validam Substitutionem pupillarem.*
575 *Substitutus pupillariter succedit tam in bonis pupilli quam Testatoris substituentis.*
576 *Substitutio pupillaris expressa continet tacitam vulgarem.*
577 *Et excludit matrem à successione impuberis.*
578 *Enumerantur casus, in quibus Substitutio pupillaris exspirat. Et n. seq.*
580 *Etsi exspiret substitutio pupillaris expressa, per hoc nondum exspirat vulgaris tacita, & duobus n. seq.*
583 *Substitutio exemplaris quid?*
584 *Potest fieri tam à matre, quam à patre.*
585 *Potest fieri furiosis, mente captis, prodigis, mutis, ac surdis.*
586 *Quinam substitui possint, ac debeant?*
587 *Substitutio exemplaris potest variè fieri.*
588 *Habet eosdem effectus, quos pupillaris.*
589 *Ita, ut etiam excludat matrem furiosi, vel amentis.*
590 *Exspirat autem hæc substitutio, si ille, cui fit, per notabile spatium liberatur à sua infirmitate.*
591 *Præsertim si tempore lucidi intervalli facit testamentum.*
592 *Item exspirat, si amenti postea nascantur liberi.*
593 *Substitutio Reciproca, seu breviloqua quæ?*
594 *Non requirit certam formulam.*
595 *Pro diversitate modi, quo fit, diversas continet alias substitutiones.*
596 *Juxta quarum naturam etiam exspirat.*
597 *Substitutio Compendiosa quæ? Et cujus effectus.*

POstquam hucusque egimus de principali specie Ultimæ Voluntatis, pergimus modò ad reliquas Ultimarum Voluntatum species, Substitutiones nempe, Fideicommissa, Legata, & Donationes mortis causa, & Codicillos. Et quia inter has principalior est substitutio, utpote propinquius accedens ad essentiam testamenti, priùs de hac in præsenti Paragrapho agemus. Hinc

557 Quæritur I. Quid, & quotuplex sit Substitutio? Ante responsionem nota, multùm, sed plenè inutiliter controvertere aliquos DD. circa definitionem Substitutionis nonnullis amplectentibus definitionem datam *l. 1. ff. de Vulg. & pupill. subst.* ubi definitur substitutio, quod sit hæredis secunda institutio: aliis eandem ut minus sufficientem rejicientibus. Resp. I. Substitutio est subordinata hæredis institutio, aut revocatio ad rem aliquam ex Ultima Voluntate. Pirhing *h. t. n. 60.* Vvesenbec. *in l. 1. ff. de Vulg. & pupill. subst.* Estque in re communis, *arg. cit. l. 1. ff. de Vulg. & pup. subst.* Et patet ex terminis. Solùm notanda verba, aut vocatio ad rem aliquam ex ultima Voluntate: quæ ideò sunt addita, ut conveniat cuivis Substitutioni etiam indirectè, ac in legatis factæ. Quamvis enim proprissimè Substitutio dicatur, si in locum unius hæredis substituatur alius, casu quo primus hæreditatem adire nollet, vel non potest, *arg. cit. l. 1. ff. de Vulg. & pup. subst.* Tamen etiam indirectè, ac in legatis fieri potest Substitutio, ut benè advertit Covarr. *de Testam. c. 16 §. 4. n. 2.* Textu claro *l. Ut hæred. 50. ff. de Legatis II* ibi: Ut hæredibus substitui potest, ita & legatariis. Hinc ut omni Substitutioni definitio conveniret, addita sunt præfata verba.

558 Resp. II. Substitutio primò dividitur in directam, & indirectam, seu obliquam Covarr. *l. c. n. 2.* Pirhing *h. t. l. c.* Hunn *p. 4 tit. 18. n. 6.* & communis aliorum. Directa est qua quis immediatè ab ipso testatore absque ullo ministerio alterius instituti, hæreditatem consequitur: ut si Testator dicit: hæredem instituo Titiũ, qui si hæres non erit, puta quia non vult, aut non potest, hæres mihi sit Cajus, sive hæredem substituo Cajum. Indirecta verò seu obliqua substitutio (quę etiam Fideicommissaria appellatur) est, qua quis hæreditatem non immediatè ab ipso Testatore, sed mediante alio prius instituto juxta dispositionẽ tamen Testatoris accipit, dum nempe institutum rogat, eique mandat, & fidei ejus committit, ut hæreditatem ex toto vel ex parte substituto restituat. Talis est, si Testator dicat: Lucium hæredem instituo, voloque vel mando, aut rogo, ut eam Sempronio restituat. Ita cum communi aliorum DD. citati, quibus adde Schneidevv. *ad Prin. Instit. de Vulg. & pup. subst. n. 6* Abbas *h. t. in c. Raynutius.* Jason in *Rub. ff. de pup. subst.* In dubio præsumitur Substitutio directa, textu claro *c. 1. h. t. in 6.* Ratio est; quia regulariter mavult Testator, ut substitutus à se, quam ab alio hæreditatem capiat.

559 Differt autem substitutio directa ab indirecta in pluribus. Et I. quidem, quòd directè substitutus capiat totam hæreditatem sine ulla diminutione: indirectè verò substitutus pati debet detractionem Trebellianicæ, quàm facere potest directè institutus juxta dicta superius *n. 473.* II. Quòd si directè institutus non adeat hæreditatem, vel ante Testatorem moriatur, exspiret substitutio indirecta, seu Fideicommissaria: non item directa.

560 Substitutio directa ulterius dividitur in Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, Reciprocam seu breviloquam, & Compendiosam. Covarruvias *loc. cit.* Pirhing *loc. cit.* Schneidevv. & communis aliorum.

561 Quæritur II Quid sit, & quos effectus habeat substitutio Vulgaris? Resp. I. Est substitutio directa, qua quivis (testandi capax) quemvis (hæreditatis, vel legati capacem) substituere, seu in locum alterius vocare potest. Covarruvias *loc. cit. n. 3.* Schneidevv. *l. c. n. 8.* Bart. *in l. 1. n. 5 ff. de Vulg & pupill. instit.* Hunn. *loc. cit. n. 2.* Pirhing. *h. t. n. 61.* & communis aliorum. Dicitur Vulgaris, quia cuivis, tam suo nempe, quam extraneo hæredi fieri potest. Covarruvias *loc. cit.* citans Teophil. *in prin. instit. de pupill. substit.* Potest autem hæc substitutio cõ duplicem casum fieri; videlicet, vel quia hæres institutus hæreditatem adire non vult; aut quia non potest, utpote præmortuus, vel Lege impeditus. Qui uterque casus à Testatore potest vel generalibus, vel specificis & expressis verbis exprimi. Generaliter exprimitur uterque; si Testator absolutè & generaliter dicit: Titium hæredem instituo, qui si hæres non erit, Titium substituo, vel Titius hæres esto, vel si dicit, Cajum & Sempronium hæredes instituo, illosque sibi invicem substituo. Specialibus verbis fit: si Testator dicat v.g. Titium hæredem instituo, qui si hæres non potuerit, vel noluerit esse, substituo Cajum: vel si tantum unum casum exprimat dicen-

dicendo v. g. Cajum hæredem instituo, cui, si hæres esse nolit, Mævium substituo. Controversia modò est inter DD. an substitutio semper ad utrumque casum extendatur ac intelligenda sit? Ad quam decidendam

562 Resp. II. Substitutio Vulgaris ad utrumque casum extenditur non tantum, quando verbis generalibus, vel specialibus uterque casus tam impotentiæ, quam nolleitatis scilicet exprimitur, sed etiam quando verbis expressis unicus casus, v. gr. sola impotentia hæredis, vel sola contraria voluntas succedendi in Testamento exprimitur, dicendo, v. g. Titium hæredem instituo, cui si hæres esse nolit, Cajum substituo: aut Pium hæredem substituo eique, si hęres esse nequeat, Mævium substituo. Prima & secunda pars est certa apud Omnes unanimiter concedentes, substitutionem, quà dicitur: Titium hæredem instituo, eique vel nolenti, vel non potenti adire hæreditatem, substituo Lucium, esse validam, sive nolit, sive non possit institutus hæres adire hæreditatem. Menoch. *de Præsumpt. lib. 4. Præsumpt. 65.* Gras. *de success. v. substit. q. 1. n. 7.* Surd *cons. 236. n. 23.*

563 Tertia pars docetur à Covarruvia *c. 16. h. t. §. 4. n. 5.* Molina *disp. 183. n. 2.* Gomez *variar. resolut. cap. 3. n. 10.* Grass. *loc. cit.* & communissima aliorum, *arg. l. Gallus, ff. de Liberis, & posthum. & l. fin. C. de posthum. hæred. instit.* Fundamentum ulteriùs desumitur tum ex præsumpta voluntate Testatoris: tum ex identitate rationis: Nec enim est major ratio, cur vellit Testator substituto assignare hæreditatem, si hæres institutus adire nolit, & non si adire prohibetur à Lege, vel econtrà. Et certè meritò præsumitur, quòd, si Testator dicens, se velle Cajum substitutum, si Titius institutus adire hæreditatem non possit, interrogatus fuisset, an non eundem substitutum velit, si adire nolit, esset responsurus affirmativè: habetur autem hoc pro disposito, de quo si fuisset Testator ipse interrogatus, verosimiliter respondisset, se ita velle, ut tradit Glossa in *l. tale pactum, §. Qui provocavit ff. de Pactis*, & ibi copiosè Jason, ac post alios Decius in *cons. 89. n. 1.*

564 Resp. III. Substitutio Vulgaris plures, præcipuè autem sequentes habet effectus. I. Est, quòd si institutus hæreditatem adire nolit, aut non possit, morte v.g. præventus, aut aliàs Lege prohibitus, succedat substitutus, tantumque consequenter, quantum consecutus fuisset hæres institutus, cui substitutus est. Schneidevv. *lib. 2. tit. 15. de vulg substit.* Ludvvell. *de Ultim. Volunt. p. 2.* Pirhing *h. t. n. 61.* cum communi & certa aliorum *arg. l. Quamdiu 69. ff. de Acquir. & amittend. hæred.* Et consequenter testamentum: quòd in instituto deficit, à substituto vires, & valorem accipiat, *arg. l. 3. ff. de Liberis, & posthum.* De bonis tamen ipsius instituti substitutus nihil consequitur, in quo differt à Pupillari Substitutione juxta dicenda infrà. Schneidevvin. Pirhing *loc. cit.* Sylvester *vers. Hæreditas 4. quæst. 4.*

565 II. Quòd Vulgaris substitutio expressa contineat tacitam Pupillarem. Covarruvias *h. t. c. 16 §. 4. num. 6.* Schneidevvin. *loc. cit.* Ludvvell. *de Ultim. Volunt. par. 2. c. 2.* & communis aliorum, *arg. l. Jam hoc jure 4. ff. de Vulg. & pupill. substit.* Hinc si pater dicit: Filium meum hæredem instituo, eique, si hæres non erit, Titium substituo, est substitutio Vulgaris expressa, includit tacitam Pupillarem ita, ut si filius post aditam hæreditatem ante annos pubertatis moriatur, Cajus vi tacitæ Pupillaris Substitutionis succedat. Limitat autem Covarruvias *loc. cit.* Ludvvell. *loc. cit.* Jason *in l. Precibus 8. C. de Impuber. n. 6.* & Communis aliorum, hunc effectum, in casu, quo mater impuberis adhuc in vivis degit, hanc enim præferri substituto, probatur ex *cit. l. Precibus*, ibi: Eo defuncto ad te (matrem nempe) omninò ejus pertineat institutio, & *l. fin. C. de instit. & subst.*

566 III. Quòd ex hærede suo & necessario voluntariam efficiat, ita ut non tantùm Iure Prætorio, sed Civili hæreditatem repudiare valeat. De quo sicut & aliis Vulgaris substitutionis effectibus vide apud Bartolum, & alios Legistas *ad l. 1 ff. de Vulg. & pupill. subst.* bene etiam de eisdem scribit Ludvvell. *l. c.* Hunn *p. 4. tit 18.* & alii.

Quæritur III. Quandonam exspirat Substitutio Vulgaris? Resp. I Regula est; quam primum hæres institutus adit hæreditatem, Substitutio Vulgaris exspirat, & evanescit. Communis ac certa, Textus expressus est in *L. Post aditam 5. C. de Impub.* ibi: Post aditam hæreditatem directæ substitutiones non impuberibus factæ exspirare solent. Ratio est; quia substitutio Vulgaris fit sub conditione, videlicet, si institutus hæres non erit; consequenter si institutus hæres fit, conditio defecit, sicque actus sub conditione factus, conditione deficiente deficit, *arg. l. 1. Cod. de Donat. quæ sub modo*, & aliis Juribus *n. 552.* citatis.

567 Limitatur tamen Conclusio I. in casu, quo substitutione Vulgari facto pupillo, hic ante pubertatis annos exspirat, quia in hoc casu Vulgaris expressa continet tacitam pupillarem juxta dicta *n. 564* Unde notanda verba in *cit. l. post aditam*; substitutiones non impuberibus factæ.

568 Limitatur II. Si hæres post aditam hæreditatem, intra annum voluntatem defuncti non adimplet, tunc enim Lex hæreditatem instituto aufert, & substituto, si de adimplenda voluntate defuncti cavet, applicat, Ludvvell. *loc. cit.* Hunn. *loc. cit. cap. 5. & 7.* & communis aliorum. *Auth. hoc amplius C. de Fideicom.* ibi: Qui defuncti judicium monitus à Judice intra annum non implet, excluditur &c. hoc autem cum onere suo, danda super hoc cautione, defertur primò substitutis.

569 Resp. II. Pariter exspirat substitutio Vulgaris, si substitutus ante institutum, vel saltem ante aditam ab ipso hæreditatem moritur. Molina *disp. 183. num. 8.* Pirhing *h. t. n. 61.* & communis aliorum. Ratio manifesta est; quia hæreditas non adita non transmittitur ad hæredes, *l. unic §. In novissimo, C. de Caduc. toll. & l. Sed si plures 10. ff. de Vulg. & pupill. subst.*

570 Quæritur IV. Quid, & quotuplex sit substitutio Pupillaris? cur, à quo, & quomodo fieri possit? Resp. I. Substitutio Pupillaris est, qua parentes liberis adhuc impuberibus hæredibus institutis alium hæredem substituunt. Schneidevv. *lib. 2. tit. 16. de Pupill. substit.* Hunn. *loc. cit. tit. 19.* Covarruvias *h. t. c. 16. §. 5.* Ludvvell. *loc. cit.* & Communis aliorum *arg. prin. Instit. de Pupill. Substit.* ubi etiam causa originalis hujus substitutionis allegatur, videlicet, ut, quia pupilli impuberes Testamentum facere non possunt, pater eorum loco faceret.

571 Resp. II. Substitutio Pupillaris duplex est, una expressa, altera tacita expressa est, quando testator expressis verbis etiam meminit conditionis, quòd si filius impubes ante annos pubertatis decedat, velit hunc vel illum substitutum. Tacita est, ipsa Vulgaris expressa, qua impuberi absque expressa mentione primùm dictæ conditionis instituto hæredi substituitur alius: quia juxta suprà *n. 564.* dicta Vulgaris expressa semper continet tacitam Pupillarem Sic v. g. Substitutio pupillaris expressa erit, si Testator ita dicit: Filium meum hæredem instituo, eique si hæres non erit, vel si hæres erit, tamen ante annos pubertatis moritur, Cajum substituo: vel si omisso primo membro absolutè dicat; Filius, aut filia mea hæres sit, cui, si ante annos pubertatis decedat, substituo Titium; vel cujus loco, si ante pubertatem moritur, hæres sit Titius Substitutio verò tacita Pupillaris erit sequens: Filius meus impubes, vel absolutè, filius meus hæres sit; qui si hæres non erit, hæres sit Titius; vel substituo Titium. Schneidevv. *loc. cit. n. 4.* Covarruvias *loc. cit.* Hunn. *n. 5.* Donell. *lib. 6. Comment.* Pirhing *h. t sect 3. §. 3.* & communis aliorum *arg. princ. Instit. de Pupill. subst.* ibi: Liberis suis impuberibus, quos quis in sua potestate habet, non solum ita, ut suprà diximus, id est ut si hæredes ei non extiterint, alius sit ei hæres (quæ est vulgaris expressa, & tacita pupillaris) sed eò ampliùs, ut si hæredes ei extiterint, & adhuc impuberes mortui fuerint, sit eis aliquis hæres: veluti, si quis dicat hoc modo: Titius filius meus hæres mihi esto; & si filius meus hæres mihi non erit, sive hæres erit, & priùs moriatur, quam in suam tutelam venerit, tunc Sejus hæres esto. Concordat, *l. 2. ff. de Vulg.*

572 Resp. III. Solis liberis impuberibus etiam posthumis, & nepotibus in patria potestate testatoris adhuc constitutis, & consequenter à solo illo, qui hos in sua potestate habet, substitutio pupillaris fieri potest. Gras. *de Success §. Substit. q 62* Sichard. *ad l. Precibus n 16. de Impub. & aliis subst.* Schneidevv. *loc. cit.* Hunn. *loc. cit. tit. 19 cap 1.* cum communi aliorum: Textu claro, *l. 2. ff. de Vulg.* ibi: Moribus introductum est, ut quis liberis

beris impuberibus Testamentum facere possit, donec masculi ad quatuordecim annos pervenerint, fæmellæ ad duodecim. Quòd sic erit accipiendum, si sint in potestate. Cæterum emancipatis non possumus. Posthumis planè possumus; nepotibus etiam possumus. Et deinceps si qui non sunt te latet, quòd avus nepoti, vivente hujus patre, non semper efficaciter possit aliquem pupillariter substituere; licèt enim nepos de Jure communi sit in potestate avi, etiam vivente adhuc patre; quia tamen dum moritur avus, nepos illicò relabitur in potestatem patris, vi dictorum ultimorum verborum: Avus nepoti ita relabenti substituere non potest. Sed si eos patres præcedant (pergit citata *L. 2.*) id est, si pater nepotis, ante nepotem impuberem moritur, ut proin in ejus potestatem nepos avi non incidat, substitui ei potest.

573 Infertur, quòd mater nunquam facere possit substitutionem pupillarem. Covarruvias *loc. cit. n. 18.* Bart. ad dictam *L. 2.* & Doctores communiter. Ratio est; quia liberi nunquam sunt, neque dicuntur esse in potestate matris, sed patris, vel avi.

574 Resp. IV. Ad hoc, ut substitutio pupillaris ritè fiat, & valeat, plura requiruntur. Patet inductione. Nam præter hoc, quòd non nisi impuberi in potestate Testatoris constituto fieri debeat, requiritur ulterius I. Ut substituens prius faciat pro se testamentum, *l. 2. §. 1. ff. de Vulg.* ibi: Quisquis autem impuberi Testamentum facit, sibi quoque debet facere. Cæterum soli filio facere non potest; nisi fortè sit miles. II. Ut in dicto Testamento prius illum, cui substituere vult, scribat hæredem, vel exhæredet, quod ita necessarium est, ut si prius substituat, & posteà hæredem scribat, substitutio sit nulla, *cit. l. 2. prin.* ibi: Si instituti vel exhæreditati fuerint (ubi nota, etiam exhæreditatis substitui posse) & § 4. ibi: Prius autem sibi quis debet hæredem scribere deinde filio substituere, & non convertere ordinem scripturæ. Cæterum, si autem filio (per substitutionem) deinde sibi Testamentum faciat, nil valere. III. Ut proles, cui substituitur, ante mortem Testatoris substituentis non attingat annos pubertatis, & maneat adhuc in ejus potestate, *arg. l. Cohæredi; 41. §. Cùm filiæ c. 2. ff. de Vulg. & l. In pupillari, 14. ff. eod.* ibi: In pupillari substitutione licèt longius tempus comprehensum fuerit, tamen finitur substitutio pubertate. Pariter finietur, si impubes vivo substituente fuerit emancipatus, Schneidevv. *loc. cit n 9.* Geilcken. *ad l. Post aditam, C. de Impub & aliis subst.* Jason. *in l 2. num. 21. ff. de Vulg.* Grassus *loc. cit. q. 23. n 10.* cum Communi. IV. Requiritur, ut substitutus hæreditatem patris Testatoris adeat, hanc enim si repudiat, nec impuberis hæreditatem adire potest. Communis ac certa, textu claro *l. 2. § 1. ff de Vulg.* ibi: Nisi adita quoque patris hæreditas sit, pupillare Testamentum evanescit, & *leg. Sed si plures 10. §. 4.*

575 Quæritur IV. Qui sint effectus substitutionis pupillaris? Resp. Esse præcipuè tres sequentes. Primus & principalis effectus est, quòd vi illius substitutus succedat non tantum in bonis, seu hæreditate Testatoris substituentis, sed etiam in bonis illius, cui substitutio facta est, undequaque dein, sive à patre, à matre, sorore, donatione &c. illa habeat, casu quo talis ante pubertatem moritur. Communis ac certa textu claro, *l. Sed si plures, 10. § 5. ff. de Vulg.* ibi: Ad substitutos pupillares pertinent, & si quæ posteà pupillis obvenerint, ubi etiam ratio additur: Neque enim suis bonis Testator substituit, sed impuberis. Alia ratio assignatur, *prin. instit. de Pupill. subst.* nempe quia pater substituens pro impubere jam fecit testamentum, ibi: Nam moribus introductum est, ut cum ejus ætatis filii sint, in qua sibi ipsi Testamentum facere non possunt, parentes eis faciant. Et in hoc principaliter differt à substitutione Vulgari, utpote vi cujus substitutus in solis bonis Testatoris substituentis, & non illius, cui substituitur, succedit, juxtà jam dicta *num. 563.*

576 Secundus effectus est, quòd substitutio pupillaris expressa contineat Vulgarem tacitam, sicut suprà *n. 564.* diximus, in vulgari expressa contineri tacitam pupillarem, sive dein fiat verbis Vulgarem quoque exprimentibus, v. g. dum pater ita testatur: Filium meum hæredem instituo eique, si hæres non erit, vel si erit, tamen ante pubertatem moritur, Cajum substituo: sive fiat verbis solam Pupillarem expressè manifestantibus, v. g. Filium hæredem instituo, eique si ante pubertatem decedat, Cajum substituo: Covarruvias *loc. cit. § 5.* Schneidevv. *loc. cit. n. 14.* Mantica de *Conject. Ultim. volunt. lib. 5. tit. 3.* Zasius *de subst. pupill. n. 18.* & Communis aliorum, *arg. l. Jam hoc jure, ff. de Vulg.* ibi: Jam hoc jure utimur; ut cum pater impuberi filio in alterum casum substituisset, in utrumque casum substituisse intelligatur: sive filius hæres non extiterit, sive extiterit, & impubes decesserit. Hinc fit, si post mortem Testatoris superstes non adeat hæreditatem, substitutus adhuc hæreditatem paternam capiat saltem vi tacitæ Vulgaris substitutionis.

577 Tertius effectus est, quòd substitutio pupillaris expressa excludat etiam matrem à successione impuberis intra annos pubertatis decedentis. Covarruvias *de Testam. cap. 16. §. 5. n. 20.* Schneidevv. *loc. cit. num. 16.* Pirhing. *h. t. n. 66.* Bartolus in *l. 2. ff. de Vulg.* & Communis aliorum, *l. Lucius 45. ff. eod. l. Papinianus, 8. §. Sed nec impuberis, ff. de Inoff. Testam.* juncto *c. 1. h. t. in 6.* Dicitur autem notanter Pupillaris expressa; quia pupillaris tacita in Vulgari expressa comprehensa matrem non excludit, juxta dicta *num. 564.*

578 Quæritur V. Quandonam exspiret substitutio pupillaris? Resp. Plures quidem à Doctoribus assignari casus, in quibus substitutio pupillaris exspirat, ut videre est apud Schneidevv. *loc. cit.* Bart. & alios; quia tamen plures per se patent, ideò aliquos tantùm adducere placet. Et quidem universaliter exspirat, quoties Testamentum rumpitur, revocatur, aut rescinditur, Tholosan. *in Syntag. Iur. lib. 42. c. 20. n. 2.* Hunn. *p. 4. tit. 19.* Duaren. *in Comment. tit. de Vulg. & pupill. subst. c. 16.* cum communi. Et patet; quia cum non nisi à testamento substituentis vim suam habeat hæc Substitutio, utique illo deficiente, & hæc deficiet: Cùm cessante causa cesset effectus.

579 II. Exspirat, si proles impubes hæres constitutus venit ad annos pubertatis. Communis ac certa textu claro § *pen. Instit. de Pupill. substit.* ibi: Si hoc tempus (pubertatis) excesserit, Substitutio evanescit. *Concordant, l. 14. ff. de Vulg.* Ratio est, quia proles pubes facta, sibi ipsi Testamentum facere, & hæredem pro libitu instituere potest, *l. A qua ætate 5. ff. Qui Testam. facere poss.* III. Si Testator breviùs tempus, quàm pubertatis præfixit, illudque elapsum sit v. gr. Si dicit Testator: Filium hæredem instituo, & si intra 10. annos ætatis suæ moriatur, substituo Cajum: elapsis 10. annis, exspirat pupillaris Substitutio. Textu expresso *l. Si ita quis 21. ff. eod.* ibi: Si ita quis substituerit: si filius meus intra decimum annum decesserit, Sejus hæres esto, dein hic ante quartumdecimum, post decimum decesserit, magis est, ut non possit bonorum possessionem petere substitutus. Rationem statim subjungit Legislator: Non enim videtur in hunc casum substitutus. IV Exspirat si substitutus hæreditatem paternam non adit, *l. 2. §. 1. & l 10. § 4 ff. eod.* Et de his nulla est inter DD. controversia, bene verò circa casum, de quo

580 Quæritur VI. An spirante ob pubertatem adveniente Substitutione pupillari, expirat etiam tacita Vulgaris comprehensa in expressa pupillari? Sensum quæsiti capies ex sequenti casu, quo parens filium impuberem hæredem instituit, eique Pupillariter substituit Cajum, dicendo v. g. Filium meum hæredem instituo, eique, si ante annos pubertatis decedat, Cajum substituo: filius verò post mortem patris pubes vel impubes existens repudiat hæreditatem ejusdem: quæritur jam, an post adventum pubertatis expiret non tantùm Substitutio pupillaris juxta dicta *num. præced.* sed etiam tacita Vulgaris, ita ut substitutus non tantùm à successione bonorum puberis sed etiam hereditatis paternę, quam alias vi tacitæ Substitutionis arripere posset, excludatur.

581 Resp. Quamvis olim opinio affirmativa valdè communis fuerit, hodie tamen communior & verior est negativa. Covarruvias *de Testam. cap. 16. § 5. n. 9.* ubi Conclusionem per undecim rationes & Juris Fundamenta solidè propugnat, solutis argumentis in contrarium adductis. Hannoldus *Tract. 7. cap. 1. de Substit. pupill. Controv. 4. n. 99.* Socinus, Imola, & alii à Covarruvia citati, *arg. l. Jam hoc jure princ. ff. de Vulg. & pupill.* Ra-

Ratio autem desumitur ex præsumpta voluntate Testatoris substituentis: hoc ipso enim, quòd Testator in casu, quo filius impubes hæres quidem esset, tamen ut impubes decederet, voluerit tam sua, quàm pupilli bona ad substitutum venire, *l. Sed si plures, 10. §. Ad substitutos, 5. ff. eod.* meritò præsumitur voluisse, quòd si filius patris esse nolit, bona saltem, sua paterna nempe ad dictum substitutum devenirent, *arg. l. Hæredes mei, 57 §. 1. ff. ad S. C. Trebell.*

582 Colliges, quòd si filius institutus hæres post mortem patris, hujus hæreditatem repudiet, substitutus Pupillariter illicò capere possit hæreditatem paternam, sive dein filius ut pubes jam, sive impubes repudiet hæreditatem paternam. Quòd si ut impubes adhuc repudiet eandem hæreditatem, & intra annos pubertatis moriatur, substitutus, etiam in bonis pupilli defuncti succeder, quia per repudiationem hæreditatis paternæ ab impubere factam, pupillaris Substitutio non exspirat.

583 Quæritur VII. Quid sit Substitutio exemplaris, à quo, cui, & quomodò fieri possit? Resp. I. Substitutio exemplaris (sic dicta quia ad exemplum pupillaris fit, unde & quasi pupillaris dicitur) est, qua parens liberis furiosis, vel mente captis (aut simili modo testari à Lege prohibitis) hæredibus institutis, alium hæredem substituit in eventum, quo in tali statu moriantur. Ita in re Communis, *arg. §. 1. Instit. de Pupill. substit. & l. Humanitatis, 9. C. de Impub. & aliis substit.*

584 Resp. II. Exemplariter non tantum pater, sed & mater & quivis ascendentium substituere possunt. Covarruvias *de Testam. c. 16. §. 6. n. 1.* Ludvvel. *p. 2. c. 2.* Schneidevv. *loc. cit. de Exemplari substit* Molina *Disp 185. arg. cit. l. Humanitatis, 9. C. de Impub & aliis subst* cum Communi aliorum Ratio est; quia hæc Substitutio non fundatur in patria potestate, sed in humanitate & affectu parentum erga liberos, *arg. cit. l. 9. C. eod.* ibi: Humanitatis intuitu parentibus indulgemus &c. ubi Jus, uti patet, non distinguit inter parentes. Et meritò, quia eadem censetur in parentibus erga liberos humanitas, pietas & affectio, *l. Maximum 4 C. de Liber. præter.*

585 Resp III Substitutio exemplaris omnibus, & singulis furiosis, & mente captis, sicut & ob alium corporis defectum testari impeditis, ut putà mutis, surdis, item & prodigis, sive dein sint puberes, sive impuberes, sive in patria potestate constituti, sive emancipati, fieri potest. De furiosis & mente captis, ferè conveniunt Doctores ob clara Jura. De mente captis quidem *§. 1. Instit. de Pupill. substit.* ibi: Si qui mente captos habeant, & *L. 9. C. de Impub subst* ibi: Si mente captus, vel capta sit. De furiosis autem *l. Divus Marcus, 14. ff de Offic. Præsid.* ubi furiosus mente captus dicitur, & reputatur. De mutis verò, surdis, & prodigis, docet Covarruvias *loc. cit. §. 6. n 1.* Molina *Disp. 185. n. 1.* Hunn. *p. 4 Tit. 22. c. 2. n. 5.* Schneidevv. *loc. cit. n. 4* Gomez *variar. Resolut. Tom 1. c 6. n. 5.* & Communis aliorum, contra Perez & paucos alios, *arg l. Ex facto, 34. ff. de Vulg.* Fundamentum desumitur ex identitate rationis fundatæ in humanitate & pietate parentum, juxta dicta *n. præced.* Ultima pars, videlicet, Sive sint puberes sive impuberes &c. communiter conceditur, *arg. cit. §. 1. Instit. de pupill.* ibi: Etsi sint puberes &c. Ratio autem jam est allegata, videlicet, quòd potestas patria in hac substitutione non attendatur.

586 Resp. IV. In Substitutione exemplari, necesse est, ut ordo in personis substituendis servetur, ita videlicet, ut si ille, cui fit Substitutio, habet descendentes, hi necessariò debeant substitui: si verò descendentibus carens fratres habeat, hi quoque ante alios necessariò instituendi sint: si verò nec descendentes, nec fratres illius existunt, quivis extraneus juxta libitum Testatoris substitui possit. Communis & certa. Textus expressius Conclusionem adhuc clarius explicans est *in l. Humanitatis 9. C. de Impub. & aliis subst.* Concordat *§. 1. Instit. de Pup. substit.*

587 Cæterum ad Substitutionem exemplarem non requiritur certa verborum formula, potestque fieri verbis generalibus, & implicitis sine expressa aliqua furoris, vel amentiæ mentione, dicendo v. g. Filium meum hæredem instituo, eique Cajum substituo: Covarruvias *loc. cit. §. 6. n. 9.* Menoch. *lib 4. Præsumpt. 49. n. 5.* Zasius *ad l. Ex facto, ff. de Vulg. n. 35.* Hunn. *loc. cit. c. 4.* & alii. Ratio est; quia hoc ipso, quòd furioso vel amenti alius substituatur, præsumitur Substitutio exemplaris, casu quo tales substituit, qui de *L. 9. C. de Impub. & aliis subst.* substitui debēt. Deinde fieri potest verbis specialibus facta furoris v. g. mentione, ita: Filio meo furioso, aut amenti Cajum substituo: cujusmodi Substitutionem vocat Covarruvias & Menochius *loc. cit. exemplarem specialem.* Item fieri potest taliter: Filium furiosum hæredem instituo, & si hæres erit, atque in furore decesserit, Cajum substituo, quæ Substitutio exemplaris singularis à citatis DD vocatur.

588 Quæritur VIII Qui sint effectus Substitutionis exemplaris? Et quando exspiret? Resp. I. Effectus hujus Substitutionis esse penè eosdem, cum effectibus Substitutionis pupillaris. Ratio est; quia ad exemplum, seu similitudinem hujus introducta, indeque exemplaris, seu quasi exemplaris dicta est, *arg. l. Humanitatis 9. C. de Impub & aliis substit.* atque dictum est suprà. Hinc I. efficit, quòd substitutus non tantum bona substituentis Testatoris, sed etiam furiosi, vel amentis, cui substituitur, cuncta acquirat, si is in furore, seu amentiæ statu decedat. Ludvvel. *p. 2. c. 2.* Schneidevv. *lib. 2. tit 16. §. de Exemplari substit.* Covarruvias *loc cit. n. 10.* Bartolus in *l Ex facto, n. 30. ff de Vulg* & Communis aliorum *arg. cit §. 1. instit. de Pupill. substit. & l. 9. C de Impub & aliis substit.* II. Quòd sicut pupillaris, ita & exemplaris contineat tacitam vulgarem; ut proin in casu, quo filius patris hæreditatem non adit, sed in furore decedit, nihilominus substitutus capiat bona. Schneidevv. & Ludvvell. *loc cit.* Zasius in *tractat. Success. cap. 3.* cum Bartolo, & communi aliorum.

589 Num autem III Per Exemplarem Substitutionem mater etiam quoad Legitimam excludatur à successione in bonis amentis filii, sicut excluditur per pupillarem expressam à successione in bonis impuberis, major est controversia inter DD Molina siquidem *disp 185 n. 5.* Gomez *Tom. 1. variar. resolut. c 6. n 7* Baldus. & Jason negativam tenent, dicta ea ratione; quia Imperator hoc ipso, quòd in casu, quo existunt fratres amentis, eos præ aliis extraneis substitui velit, censetur id à potiori de matre, utpote magis propinqua, velle Verum opinio affirmativa est communior, Jurique conformior: tum quia exemplaris ad similitudinem pupillaris est introducta, consequenter ejusdem effectus, ubi jus aliud expressè non disponit: tum quia hoc ipso, quòd Imperator fratres existentes amenti substitui imperet, & matris non recordetur, eam exclusam velle censendus est, cum exceptio unius firmet Regulam in contrarium in casibus non exceptis. Et ita sentiunt Covarruvias *loc. cit. n. 10.* Ludvvell. *loc cit* Bartolus *loc cit.* Curt. Jun. in *cit l. Humanitatis 9. C. de Impub & aliis substit.* ac testibus ipsis Adversariis, communis aliorum.

590 Resp. II. Substitutio exemplaris exspirat I. Quando ille, cujus substitutus alius est, liberatur à furore, amentia, aut alia infirmitate incapacem reddente ad testificandum. Omnes, textu claro § 1. *Instit de Pupill.* ibi. Sin autem resipuerint, eandem institutionem infirmari: Limita, nisi statim, vel brevi iterum relabatur in antiquam infirmitatem; hoc enim in casu Substitutio non totaliter expirat, uti benè advertunt Gomez *loc. cit.* Covarruvias *loc. cit. n 11.* Menochius *lib. 4. Præsumpt. 50 n 6.* Jason in *l. Ex facto, ff. de Vulg. n. 43.* & communis aliorum. Ratio est: tum ne aliàs inanis & ludibriosa videatur talis substitutio, *arg. l. Cùm aliis, 6. C. de Curat. furios. & prodig.* Tum quia in simili casu potius ad tempus cessare, & suspendi, quàm extingui censenda est talis Substitutio; prout in simili loquitur I. C in *l. Qui res, 98. §. Aream, 8. ff. de Solut.* Quòd si tamen furor vel amentia per notabile temporis spatium cesset, Substitutionem penitus exspirare, meritò volunt multi Doctores apud Ludvvell. *loc. citat.*

591 Illud certum est, quòd si furiosus tempore lucidi intervalli fecit Testamentum, prout potest juxta dicta superius *n. 285 & 286.* Substitutio exemplaris totaliter expirat, Mantica *de Conject. ult. vol. lib. 5. tit. 16. num. 26.* Zasius *ad l. Ex facto, ff. de Vulg. n. 41* Gilcken. *ad l Humanitatis, C. de Impub. & aliis, n. 54.* Ludvvell. *loc. cit. arg. l. Ex facto, 43. ff. de Vulg.* Ratio est; quia hoc ipso, quòd Testamentum tale valeat, Substitutio ei contraria evanescit.

II. Ex-

592 II. Extinguitur Substitutio exemplaris, si post eam furioso nascantur liberi. Schneidevv. *loc. cit. n.* 15. Ludvvell. *loc. cit.* & alii, textu claro *l. ex facto*, 43. *in fine prin. ff. de Vulg.* Nec obstat, quod dicit Zasius, Furiosum non gignere liberos; adeoque casum hunc non habere locum: nam contra est, quòd quamvis furiosis & amentibus matrimonium contrahere non liceat, contractum tamen ab eis valeat, in eoque liberos habere possint, *arg. l. Ex parte 8. ff de His, qui sui, vel alien. Jur.* III. Exspirat primo, & quarto modo, quo suprà *n.* 578. *& seq.* pupillarem exspirare diximus.

593 Quæritur IX. Quid sit Substitutio reciproca, seu breviloqua? Quomodo fiat? Quos effectus habeat? & quando exspiret? Resp. I. Substitutio reciproca est illa, qua Testator plures hæredes instituit, eosque sibi invicem substituit. Est in re communis: patetque ex *l. Jam hoc Jure, 4. ff. de Vulg.* ibi: Si pater duos filios hæredes instituat, eosque invicem substituat, in utrumque casum, reciprocam Substitutionem factam videri, concordat, *l. Qui plures 23. l. Lucius, 45. ff eod.* juncto §. 1. *Instit. eod.* Dicitur autem Reciproca, quia verè reciprocè sibi invicem substituuntur plures hæredes: Breviloqua autem, quia brevibus fit verbis, juxta Glossam *in l. Lucius, ff. de Vulg. vers. Non ad matrem.*

594 Resp. II. Ad hanc Substitutionem non requiritur certa verborum formula, potestque variis fieri modis, dummodò reciproca institutio sufficienter percipiatur: sic v.g. erit Substitutio hujusmodi; Petrum, & Paulum instituo pro hæredibus, eosque sibi invicem substituo, *arg. l. Lucius, ff. de Vulg.* Quæ Substitutio specialibus verbis expressa dicitur à Covar. *l. cit.* §. 7. *n.* 2. Item si dico: Titium, & Cajum instituo & Titio substituo Sempronium, Sempronio autem Titium, *arg. c. l. Jam hoc Jure.* Quæ substitutio singularibus verbis facta dicenda est juxta citatum Covarruviam. Potest etiam fieri generalibus, ac implicitis verbis: v. g. Sejus, & Cajus uterve eorum vivet, hæres mihi esto, prout in his terminis adducitur *l. Titius 24. ff. de Hæred. inst.*

595 Resp. III. Effectus, & vis hujus Substitutionis maximè in hoc consistit, quod sub diversitate substitutorum & modi substituendi, diversas alias Substitutiones contineat, earumque effectus participet, Covarruvias *l. c. n.* 3. asserens, id omnium consensu receptum esse. Et inde communiter tenent DD. eam ab aliis non propriè sed tantum in modo concipiendi distingui. Hinc si fit circa duos hæredes extraneos, continet duas Vulgares. Deinde continere potest duas Pupillares, quando nempe duo impuberes invicem substituuntur. Potest etiam duas Fideicommissarias continere, si verbis obliquis Substitutio reciproca fit. Vide de his Covarruviam *loc. citat.* Schneidevv. *loc. cit. §. de Reciproc. substit.* Menochium *lib. 4. Præsumpt.* 60. Hunn *p. 4. tit. 20. cap.* 1. Bartolum & DD. *in l. Lucius, ff. de Vulg.*

596 Resp. IV. Substitutio reciproca exspirat eo modo, quo quælibet species substitutionis in ea contenta extinguitur. Covarruvias *loc. cit. nu.* 5. citans Bartolum *in l. Lucius, ff. de Vulg.* Jason, & Zasius. Ratio patet, quia hoc ipso, quòd hæc Substitutio à parte rei non differat ab aliis, quas continet, utique eodem cum eis modo exspirare debet.

597 Quæritur X. Quid sit Substitutio compendiosa? Resp. esse illam, quæ verborum compendio plures sub se continet Substitutiones, secundum diversa tempora, & ætatem, pupillarem nempe, & pubertatis: prout fit in sequenti substitutione, qua testator dicit: Filium meum hæredem instituo, eique, quandocunque decesserit, Cajum substituo. Hæc quidem substitutio erit Vulgaris, si filius ante patrem Testatorem decedat; si verò mortuo patre supervivat, & hæreditatem repudiet, vel adeat quidem, tamen ante annos pubertatis moriatur, erit pupillaris, itaut vi illius non tantum bona paterna, sed etiam ipsius impuberis defuncti capiat substitutus. Si post pubertatem moritur, erit rursus Vulgaris, vel Fideicommissaria si verbis obliquis facta est. Si Filius incidit in furorem vel amentiam, erit Exemplaris. Covarruvias *de Test. c. 16.* §. 9. Schneidevv. *loc. cit. §. de Compendiosa.* Bartolus *in l. Centurio, 15. de Vulg.* Hunn. *loc. cit. tit. 21.* Menochius *lib. 4. Præsumpt.* 51. & alii cum Glossa *in c. Raynutius, 16. h. t. vers. Si absque liberis.*

Differt autem à Reciproca, quod hæc inter plures sibi invicem substitutos fiat; Compendiosa verò, dum unus vel plures sine reciproca substitutione substituuntur. Schneidevv. *l. c.* Effectus hujus substitutionis est idem cum effectu illius substitutionis, quam juxta diversitatem temporis repræsentat: unde & eodem cum illa modo extinguitur ob rationem *num. præced.* de Reciproca allegatam. Plura de hac substitutione vide apud Legistas præsertim Bartolum *in cit. l. Centurio, 15. ff. de Vulg.* Schneidevv. & Hunn. *loc. cit.* Item apud Covarruviam *loc. cit.* Præcipuè etiam apud Menochium *lib. 4. Præsumpt. 51. & seqq.*

Explicatis speciebus substitutionis directæ, examinare restat substitutionem indirectam, seu Fideicommissariam. Quia verò speciales de eadem difficultates, & amplior materia se offert, specialem sequentem de eadem Paragraphum instituere placet.

§. XIX.

De Substitutione indirecta, seu Fideicommissaria: Et de Fideicommissis.

SUMMARIUM.

598 *Substitutio Fideicommissaria quid?*
599 *Potest in & extra Testamentum fieri.*
600 *Conditionatè, vel absolutè.*
601 *Inducit veram obligationem.*
602 *Restituendi hæreditatem totam, vel partem ejus prout mandat, vel rogat Testator.*
603 *Potest fieri non tantum indirectis verbis, sed etiam communibus.*
604 *Fideicommissum, Fideicommissarius, Fideicommissarius hæres, & Fiduciarius hæres quid?*
605 *Fideicommissum aliud universale, aliud particulare.*
606 *Aliud absolutum, aliud conditionatum.*
607 *Fideicommisso gravare regulariter potest quivis.*
608 *Quemvis, cui vel ab intestato.*
609 *Vel in Testamento hæreditatem, aut legatum.*
610 *Fideicommissum fieri potest pro libitu Testatoris. Quandonam vocetur; & sit Primogenitura, vel Majoratus? Ibid.*
611 *Fideicommissarius hæres tenetur omnia juxta dispositionem Testatoris restituere.*
612 *Exceptis fructibus post aditam hæreditatem collectis.*
613 *Potest etiam cogi, ut hæreditatem adeat, eamque Fideicommissario restituat.*
614 *Fideicommissum regulariter vendi nequit.*
615 *Limitatur in 6. casibus, usque ad n. 621.*
621 *Fideicommissum purum, non item conditionatum transmittitur ad hæredes Fideicommissarii.*
622 *Si liberi Fideicommisso universali gravantur, semper subintelligitur conditio, si absque liberis discedant.*
623 *Non discedit absque liberis; qui unicam prolem, sive masculam, sive fæmellam habet.*
624 *Si Proles Fideicommisso gravata sub conditione: Si sine liberis discedat, ingreditur Monasterium, devolvitur hæreditas ad Monasterium.*
625 *Nisi de contraria voluntate Testatoris aliunde constet.*
626 *Vel hæres iniquo animo fraudandi Substitutum hæreditate, intraret Monasterium.*
627 *Vel si substituta esset causa pia.*
628 *Fideicommissum quandonam exspiret.*

Quæritur I. Quid sit substitutio Fideicommissaria? 598 & quomodò facienda? Resp. I. Est Substitutio indirecta, qua hæres ex Testamento, vel ab intestato succedens, vel absolutè, vel sub conditione gravatur, seu obligatur hæreditatem totam, vel certam aliquam partem ejusdem, mediam v. g. vel tertiam, vel certam rem alteri restituere. Ita Molina *disp* 162. *n.* 12. Estque in re communis, *arg. §. 1. & 2. instit. de Fideicom. hæred* Dicitur autem substitutio loco generis, in quo convenit cum aliis substitutionibus. Dicitur indirecta; per quam particulam

culam jam à reliquis Substitutionibus, & quidem principaliter in hoc differt, quòd substitutus directè, immediatè, ac proprio jure, sine ministerio alterius capiat hæreditatem. Substitutus autem indirectè, eandem non nisi mediatè, mediante nempe alio, hærede scilicet, hæreditatem capere possit: adeò, ut si hæres directè institutus hæreditatem non adeat, regulariter evanescat Fideicommissum, quamvis substitutus Fideicommissarius monere, imò etiam cogere possit hæredem institutum, ut hæreditatem adeat, excepto casu, quo causa pia facta est substituta; illa enim capit Fideicommissum, etsi hæreditas ab alio non adeatur, ut plurimis citatis notat Tiraquell. *Privileg. causæ piæ*, 32. & 66. Porro evanescit Fideicommissaria substitutio, si hæres directè institutus, & Fideicommisso gravatus moritur ante testatorem; ob rationem jam dictam, quia nempe Fideicommissarius non nisi ab hærede ad id gravato Fideicommissum accipere potest.

599 Dicitur ex Testamento, vel ab intestato succedens, ad denotandum, non tantum hæredem institutum in testamento, sed etiam hæredem ab intestato per Codicillum gravari posse Fideicommisso, sive substitutione Fideicõmissaria; prout habet communis textu claro, §. *Imprimis*, 2. & §. *Præterea, 10. instit. de Fideicom hæred* ibi: Præterea intestatus quoque moriturus potest rogare eum, ad quem bona sua, vel legitimo jure, vel honorario pertinere intelligit, ut hæreditatem suam, partemve ejus, aut rem aliquam (veluti fundum, hominem, pecuniam) alicui restituat. Concordat §. 2. *Inst. de Codic.* ibi: Nam per fideicommissum hæreditas Codicilli jure relinquitur.

600 Dicitur absolutè vel conditionatè gravatur; quia utroque modo fieri potest substitutio Fideicommissaria, §. 2. *Inst. de fideicomm.* ibi: Liberum est, vel purè, vel sub conditione relinquere fideicommissum, vel ex certo die. Absolutè fit, quando Testator absque omni conditione apposita dicat, v. g. Titium hæredem instituo, eumque rogo, vel mando eidem, ut totam vel mediam hæreditatem restituat Cajo. Conditionatè fit, si honesta conditio apponitur v. g. Titium hæredem instituo, voloque, ut, si liberos non acquirat, post mortem illius hæreditas restituatur Cajo.

601 Dicitur ulterius, gravatur, & obligatur ad denotandum, quòd quamvis antiquo Jure in libertate illius, qui Fideicommisso gravabatur, positum fuerit, an Fideicommissum præstare velit, nec ne, *arg. § 1. Inst de Fideicomm. hæred.* ibi: Sciendum est, primis temporibus omnia Fideicommissa infirma fuisse; quia nemo invitus cogebatur præstare id, de quo rogatus fuerat: hodierno autem Jure fideicommissa veram obligationem inducunt ut habet unanimis *cit.* §. 1. *Instit. eod.* quod procedit non tantum, quando verè ita sic se velle manifestat Testator, aut ita mandat, dicendo v. g. Titium hæredem instituo, voloque, vel mando, ut tertiam partem ejus statim restituat Cajo; sed etiam si solummodò rogando, vel deprecando id faciat, v.g. Titium hæredem instituo, eumque rogo, ut mediam ejus partem Cajo restituat Communis. Textus habetur *in §. 2. instit de fideicom. hæred.* ubi similis Fideicommissio formata præscribitur illis verbis: Cùm igitur scripserit aliquis: Lucius Titius hæres esto: potest adjicere; rogo te Luci Titi, ut cum primum poteris, hæreditatem meam adire, eam Cajo, Sejo reddas, restituas.

602 Dicitur, hæreditatem totam, vel certam aliquam partem ejusdem, v. g. mediam, quia non tantum tota hæreditas, sed & pars ejusdem fideicommitti potest, textu claro *cit.* § 2. *Inst. eod.* ibi: Potest autem quisque, & de parte restituenda hæredem rogare. Imò etiam certa aliqua res, textu expresso §. 10. *Inst. eod.* ibi: Præterea potest rogare, ut rem aliquam (v. g. fundum, hominem, pecuniam) alicui restituat: hinc additur ad finem, vel certam rem alteri restituere.

603 Resp. II. Quamvis substitutio Fideicommissaria ordinarie fiat indirectè & obliquis verbis, quibus hæres rogatur, aut jubetur hæreditatem totam, vel partem ejus alteri restituere; nihilominus potest, & solet hæc substitutio etiam aliis non obliquis, præsertim verò communibus, & ad utrumque sensum tam directum nempe, quàm obliquum accommodabilibus verbis fieri: qualia verba sunt: hæreditas deveniat, pertineat, eam habeat &c. dummodo Testator manifestet, & disponat ut hæreditas illius post mortem hæredis instituti veniat ad designatos: ut proin non tantum sequens, aut similis dispositio: Titium hæredem instituo, eumque rogo, vel jubeo, ut hæreditatem totam, vel tertiam partem restituat Cajo, sit Substitutio Fideicommissaria, ipsaque hæreditas verum Fideicommissum; sed etiam sequens, qua ita disponit: Titium hæredem instituo, voloque, ut post mortem ejus hæreditas mea ad Cajum perveniat: vel, ita tamen, ut post mortem illius hæreditas mea ad Cajum pertineat: vel Titium hæredem instituo, voloque, ut hæreditas mea, vel hoc aut illud Castrum post mortem illius maneat apud natu majorem à Titio descendentem, deficiente verò sexu masculino, hæredes sint etiam fœminæ adicto Titio descendentes. Bartolus *l. Quoties n. 3. ff. de hæred. Institut.* Mantica *de Conject. Ult. Vol. lib. 8. tit. 1. num.* 31. Carpz. *p. 3. const. 7. def.* 18. Ratio est; quòd etsi nec terminus Fideicommissum in tali Substitutione appareat, nec verbis obliquis Fideicommissum exprimatur, tamen pro Fideicommisso hæreditas, vel relictum aliud censendum sit, si ita fuisse voluntatem Testatoris ex conjecturis desumi potest; uti bonus textus est, *in l. Unum ex familia, 67. §. penult. & ult. ff. de Legat. 2. & l. Cum pater 77 § Cùm ex imperfecta, 22. ff. eod* Talis autem conjectura vel maximè est, si Testator disponit, ut post mortem hæredis, hæreditas ad certos alios deveniat; ergo.

Quæritur II. Quid, & quotuplex sit Fideicommissum? 604
Resp. I. Fideicommissum nil aliud est, quàm ipsa hæreditas, vel pars illius, quam vi dispositionis ultimæ, Testamenti nempe, vel Codicilli alteri restituere rogatur, aut jubetur hæres; sive quod vi dictæ dispositionis ultimæ post mortem hæredis, ad alios à Testatore designatos, necessariò pervenit, vel pertinet. Molina *disp.* 182 cum communi aliorum, *arg. tot. tit. C. de Fideicom. & instit. de Fideicom hær.* Ubi etiam notandum, quòd hæres, qui jubetur, vel rogatur restituere hæreditatem, vel partem ejus, vocetur hæres Fiduciarius, item hæres gravatus, *l Sejum 46. ff. ad S. C. Trebellian.* Item hæres fideicommissarius. Ille verò, cui restituere debet Fideicommissarius simpliciter, *§ Sed quia, 7. Instit. de Fideicom. hær.* propriè enim non est hæres, etiamsi cum effectu quodammodo sit hæres, & loco hæredis habeatur, §. 3. *Instit. de Fideicommiss. hær.* Molina *loc. cit.* cum Communi.

Resp. II Fideicommissum principaliter dividitur pri- 605
mò in universale, & particulare. Universale est, quando tota hæreditas, vel certa quota ejus debet alteri restitui, *Instit. de Fideicomm. hær.* Particulare est, quando res aliqua in singulari restitui debet, *Inst. de singulis rebus per Fideicomm* Harprecht, Schneidevv. *lib. 2. tit. 23. de Fideicom. n. 7.* Pirhing. *h. t. n.* 72. & communis aliorum. In præsenti præcipuè est sermo de Universali: de Particulari enim in sequenti erit sermo, agendo de Legatis; nam per omnia exæquata sunt Legata Fideicommissis particularibus, *L. 1. ff de Legat.* 1.

Secundò dividitur in Purum seu Absolutum, & in 606
Conditionale. Purum est, quòd fit non tantum sine ulla conditione apposita, sed etiam absque omni dilatione, ita, ut statim post mortem testatoris ab hærede restitui debeat substituto Fideicommissario Tuschus, *lit. F V. Fideicomm. concl.* 246 *n.* 1. Bartolus *in l. Si quis servum in fine, ff de Condit. & Demonstrat.* cum Communi, *arg. §. 1. Inst. de Fideicomm. hær.* Talis est, si Testator dicit: Titium hæredem instituo, voloque, ut eam restituat Cajo. Conditionale est, quod vel sub certa aliqua conditione, vel sub eventum mortis hæredis alteri restitui debet. Tuschus, *l. c. n.* 4 Alexander *cons. 14. lib.* 1. & alii. Talis est, si dicit Testator: Filium hæredem instituo, & volo, ut post mortem ejus, hæreditas mea deveniat ad Cajum: item, si dicit, Cajum hæredem instituo, eique, si absque filiis decedat, substituo Titium. Notat tamen Tuschus *l. c.* cum Communi aliorum, fideicommissum Conditionale, eveniente seu purificata conditione evadere purum, *arg. l. Cedere diem 213. ff. de V. S. & l. 1. ac 4. ff Quando dies legat.*

Quæritur III. Quis, quem, & quomodò possit fideicommisso præsertim Universali gravare? Resp. I: Omnes illi Substitutionem Fideicommissariam facere, seu Fideicommisso aliquem gravare possunt, qui jus habent

habent testandi. Hunn. *part. 4. titul. 24. cap. 2. n. 15.* Peregrin. *tractat. de Fideicommiss.* & communis aliorum, *arg. l. 1. ff. ad S.C. Trebell.* Ratio est; quia in materia communiter non prohibita concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur, juxta sæpè dicta.

607 Resp. II. Omnes, & soli illi, quibus ab intestato relinquitur hæreditas, vel qui in Testamento, aut Codicillo honorati sunt, id est, quibus vel hæreditas, vel legatum, vel fideicommissum per ultimam voluntatem relictum est, fideicommisso gravari possunt. Prima pars patet ex dictis *n. 599.* nec non ex *l. conficiunt, 8. ff. de jure Codicilli* Nec obstat *§. 2. inst. fideicomm. hær.* ubi dicitur, ad fideicommissum opus esse, ut prius quis hæres in Testamento instituatur. Respondetur enim distinguendo: Opus esse, si in Testamento fideicommissum relinquatur, conceditur: si extra Testamentum, negatur.

608 Secunda pars, quòd omnes honorati per ultimam voluntatem Testatoris gravari possint, patet ex *l. 9. C.* de Fideicommissis, nec non ex *l. 1. §. 6. ff. de Leg. 3.* ibi: Sciendum est autem, eorum fidei committi quem posse, ad quos aliquid perventurum est, morte ejus, vel dum eis datur, vel dum non admittitur. Item docet cum Hunn. *loc. cit.* Sichard. *ad cit. l. 9. C. eod.* & Communis aliorum. Ratio est; quia juxta *Reg. 55. Jur. in 6.* Qui sentit commodum, sentire debet & onus à Testatore impositum, consistens in dando, vel faciendo aliquo juxta dispositionem Testatoris. Dummodò sit proportionatum gravamen, & non plus gravetur, quàm accepit hæres, Sichard. *loc. cit. n. 3.* Peregrin. *de Fideicom. art. 12. n. 24.* Quòd verò soli in hoc, *& præc. num.* allegati Fideicommisso gravari valeant, tenet præter citatos Parisius *consil. 18. num. 11. vol. 2.* & communis aliorum. Textus est in *l. Sed etsi, 6. §. 1. ff. de Legat. 3.* ubi etiam ratio redditur videlicet, recipiendum non esse, ut cui nil dederis, cum rogando obliges.

609 Resp. III. Substitutio Fideicommissaria, & Fideicommissum pro libitu Testatoris fieri potest, videlicet, vel absolutè, vel conditionatè, *§. 2. Instit. de Fideicomm. Hær.* Item potest unum, vel plures substituere, eosque vel simul, vel successivè successuros. Et quidem, si substituit hæredes plures alios, vel totam familiam, ita tamen, ut semper unus solus, & quidem primogenitus succedat, vocatur Primogenitura, quæ aliud non est, quam Fideicommissum individuum in una tantum persona, eaque primogenita deferendum, excludens concursum simultaneum aliorum, uti cum aliis benè docet Card. Luca de Fideicommissis, *disc. 6. n. 6* ubi etiam contendit, idem esse Majoratum, adeò ut Majoratus, & Primogenitura sint synonima ad exemplum Majoratus, & Primogenituræ in Feudis Imperii.

620 Quæritur IV. Qui sint effectus fideicommissi? Resp. Esse varios, præcipuè verò sequentes; I. Obligat, & facit, ut juxta tenorem dispositionis fideicommissariæ hæreditas, vel pars illius restituatur fideicommissariis à Testatore substituente seu fideicommittente designatis. Omnes *toto tit. Instit. de Fideicommiss. hær. & C. de Fideicommiss.* Et quidem si est Fideicommissum ita universale, ut rogetur, seu jubeatur hæres Fiduciarius restituere totam hæreditatem: vel si disponit ipse Testator, ut tota hæreditas post mortem hæredis obveniat certis à se designatis; tunc restitui debent omnia tam mobilia, quàm immobilia in hæreditate reperta, sive quæcunque hæres titulo hæredis acquisivit, uti pro Regula tradunt Menochius *lib. 4. Præsumpt. 197. n. 2.* Mantica *de Conject. Ultim. Vol. lib. 7. n. 10. & tit. 8. n. 1.* Hunn. *p. 4. tit. 24. cap. 4.* II. Item pretium, quòd ex venditione rerum fideicommisso subjectarum comparatum est, Hunn. *loc. cit. n. 9.* Peregrinus *l. c. art. 10 n. 30.* III. Credita per hæredem gravatum exacta, Mantica *de conject. Ult. Vol. lib. 7. tit. 6. n. 2.* Item res pecunia hæreditaria comparatæ, quæ cuncta patent ex *tit. C. de Fideicommissis, & Instit. de Fideicom. hær & de singulis rebus per Fideicom. relict.* Vide de hoc Menoch. *lib 4. Præsumpt. 197.*

612 Fructus tamen, & redditus ex Fideicommisso post aditam jam hæreditatem ab hærede collecti restituendi non sunt, Menochius de *Arbitrar. Jud. 236. n. 8.* Peregrinus de *Fideicom. art. 6. num. 39.* textu claro *l. In Fideicommissaria, 34. & l. Postulante, 44. §. 1. ff. ad S.C. Trebellian.* Ratio est; quia adeundo hæreditatem hæres fit dominus hæreditatis; consequenter ex ea tanquam sua fructus pro se percipere potest, *arg. l. 1. §. Veteres, de Acquir. possess.* & ibi Jason. *n. 14.* Aliud est de fructibus ante hæreditatem à Testatore jam collectis: Menoch. *cit. Præsumpt. 197. n. 2.* Notandum tamen, quòd hæres gravatus detrahere possit Trebellianicam juxta dicta suprà *n. 473.*

Secundus principalis effectus Fideicommissi est, quòd 613
vi illius hæres gravatus cogi possit, ut hæreditatem adeat, eamque juxta dispositionem Testatoris Fideicommissario restituat, casu quo eandem adire nollet. Pirhing. *hoc. tit. n. 72.* Molina *Disp. 586. n. 2.* Gomez *tom. 1. Variar. Resolut. cap. 5. n. 13.* & communis aliorum textu claro *§. Ergo 6. in medio Inst. de Fideicom. hær. l. Recusare, 6. l. Nam quod, 14. §. Compulsus, 4. ff. ad S.C. Trebellian.* ubi insuper statuitur, quòd si quis cogi debeat ad hæreditatem adeundam, hoc ipso amittat, quartam Trebellianicam, etsi pœniteat, quòd liberè non adierit, ibi: Qui compulsus adiit hæreditatem, sicut ceteris commodis caret, ita hoc quoque casu careat, ne possit pœnitudo quartam retinere. Verum, quando ita cogitur hæreditatem adire eamque totam restituere Fideicommissario, transeunt etiam ad Fideicommissarium unà cum hæreditate omnes actiones contra hæredem, ac cætera hæreditatis incommoda, ita ut commodum cum incommodo accipere debeat, nullo nec damno, nec commodo apud hæredem remanente, ut dicitur *§. Sed 7. ad finem Instit. de Fideicommiss. hær.*

Tertius effectus Fideicommissi est, quòd regulariter 614
loquendo, per hæredem alienari, aut pignori vel hypothecæ subjici non possit; si est Fideicommissum purum, vel ad certum diem textu claro, *l. fin. §. Sed quia 2. C. Communia de Legat.* ibi: Nemo itaque hæres ea, quæ purè, sub certa die relicta sunt, vel quæ restitui aliis disposita sunt, vel substitutioni supposita, putet imposterum alienanda, vel pignoris, vel hypothecæ titulo assignanda: Ratio ibidem statim subjungitur illis verbis: Quia satis absurdum est, & irrationabile, rem quam in suis bonis purè non possidet, eam ad alios posse transferre, vel hypothecæ pignorisque nomine obligare, vel alienam spem decipere.

Dicitur autem notanter, regulariter loquendo, item, 615
si est Fideicommissum purum, vel ad certum diem: quia limitatur effectus iste I. Si est conditionatum; valet enim ejus alienatio usque ad mortem gravati hæredis, seu quamdiu jus ejus durat, & donec conditio eveniat, illa tamen eveniente, illicò evanescit; potestque substitutus Fideicommissum statim vendicare. Tuschus *litt. F. Concl. 283. n. 43.* Jason. *in l. Filius, §. Div. ff. de legat. 1. n. 83.* & Communis aliorum, textu claro *cit. l. fin. C. Communia, de Legat. §. Sed quia.*

Limitatur II. Si fit alienatio pro solutione debitorum 616
Testatoris. Tuschus, *litt. C. consil. 283. n. 16.* Gloss. *in l. Filiusfamilias, §. Div ff. de legat. 1.* & ibidem cum Bart. & aliis Jason. in *Lectura 2. n 11. & Lectura 2. n. 4.* Ratio est; quia Lex prohibere alienationem cum præjudicio creditorum non intendit, *arg. l. Creditoris arbitrio, ff. ad l. Falcid.* Intellige tamen hanc limitationem in sano sensu, ita ut immobilia non distrahantur, si pecunia vel alia mobilia ad solvendum sufficientia adsunt. Cardinal. de Luca *de Fideicom. discurs. 161. n. 5. & 8.* & magis in *Summa n. 305. & 306.* item *discurs. 162. num. 8.*

Limitatur III Si est necessaria distractio pro detractio- 617
ne competentis Legitimæ, & Trebellianicæ. Tuschus *loc. cit. n. 22. & seqq.* Baldus *lib. 4 consil. 163. n. 4.* Parisius *lib. 2. consil. 17. & 18.* & communis aliorum. Ratio est, quia detractio præfata hæredi de Jure debetur, consequenter si non aliunde, quàm vendendo haberi potest, vendi debet. Limitatur IV. In rebus, quæ servando servari non possunt, Fus. *q 73. n. 4.* Card. de Luc. *disc. 99. n. 9.* cum communi, & certa dummodò pretium inde comparatum posteà restituatur substitutis juxta dicta *n. 611.*

Limitatur V. Si est alienatio necessaria pro compe- 618
tenti dote, *Authen. Res, quæ C. Commun. de legat.* Tuschus *litt. F. concl. 284. num. 1.* citans communem: vel pro alimentis hæredis gravati, & suorum descendentium. Cardinal. de Luca *de Fideicommiss. disc. 170. & 171.* Tuschus *loc. cit.* vel pro liberatione possessoris ab hostibus, vel latronibus Cardinal. de Luca *de Fideicommiss. in Summa num. 294.* & Communis aliorum.

Limi-

619 Limitatur VI. Si distractio est utilis, uti fit in casu permutationis Fideicommissi pro bono utiliori, ipsi gravato, ac ulterius substitutus, Card. de Luca *Disc. 157. n. 7. & 8* Tuschus *loc. cit. concl. 283. n. 84.* Ratio est, quia in tali casu, & Testatoris, & aliorum tacitus præsumitur adesse consensus; cum nulli fiat injuria, nec damnum, sed commodum.

620 Limitatur VII Si omnes substituti, in quorum Favorem Fideicommissum factum est, ad alienationem consentiunt. Tuschus *loc. cit. n. 41.* dicens ita sentire omnes; & meritò ob textum clarum, *l. Quoties, 11. ff. de Fideicom.* ibi: Quoties ab omnibus, qui alienatione facta ad Fideicommissum petitione adspirare possunt, venditio celebretur, aut quibusdam vendentibus alii consenserunt, contractus authoritas convelli nequaquam potest. Plures limitationes vide apud Tuschum *loc. cit.*

621 Quartus effectus est, quòd Fideicommissum purum transmittatur ad hæredes fideicommissarii (nisi alii sint substituti) etsi hic ante hæredem gravatum, vel aditam ab ipso hæreditatem moriatur. Tuschus *lit. F. concl. 228.* Hunn. *part. 4. tit 24. cap. 5. n. 1.* Gailus *lib. 2. observ. 121. in prin. arg. l. Postulante, prin. ff. ad S.C. Trebellian. l. Cogi, § Idem Marinus, ff. eod. & l. 3. C. de Fideicom* Secus est in Fideicommisso Conditionali, hoc enim, si Fideicommissarius ante hæredem gravatum vel conditionem adimpletam moritur, ad hæredes Fideicommissarii non transmittitur. Doctores citat' cum Communi aliorum, *arg. l. un. §. 7 de Caducis. toll.*

622 Quæritur V. Quomodò interpretanda sint Fideicommissa, quibus parens liberos gravat; præsertim addita conditione; si sine liberis discedant? Resp I. Si pater filium hæredem institutum gravat Fideicommisso universali, semper tacita subintelligitur conditio, nisi eisdem liberi nascantur, ita ut quævis proles præferatur extraneo substito, *l. Cùm avus, 10. ff. de Condit. & Demonst. & l. Cùm acutissimi, 30. C. de Fideicommiss.* ibi: Si quis filium suum hæredem instituit, & restitutionis post mortem oneri subegit, non alter hoc videri disposuisse, nisi cum filius ejus sine sobole vitam suam reliquerit. Ubi etiam ratio subjungitur, videlicet, quia meritò præsumitur hæreditatem suam potius propriis descendentibus, quàm alienis relinquere voluisse.

623 Resp. II Quando filius hæres sub dicta conditione tacita, vel expressa, si sine liberis decesserit, gravatur Fideicommisso universali, deficit Fideicommissum, si unica proles gravati sive mascula, sive fæmella tempore mortis Testatoris existat, etsi posteà statim decedat. Tuschus *litt. F. concl. 225.* Baldus *consil. 386. lib. 3.* Anchoranus *consil 369.* & Communis aliorum, *arg l. Acutissimi, 30. C. de Fideicommiss* Ratio est; quia liberorum appellatione veniunt etiam fæmellæ: & qui vel unicam prolem post suam mortem relinquit, non dicitur sine liberis decessisse, *l. 148 de V. S* ibi: Non est sine liberis, cui vel unus filius, unavè filia est: hæc enim enuntiatio, habet liberos, non habet liberos, semper plurativo numero profertur. Quòd si verò filius hæres gravatus liberos quidem genuit, si tamen ante ipsum adhunc sunt mortui, Fideicommissum procedit, & devolvitur, ad Fideicommissarium à Testatore designatum. Tuschus *loc. cit. concl. 254.* Ruin. *lib. 2. consil. 7. num. 5.* & Communis aliorum *arg. cit. l. 30. C. eod.* Ratio est; quia purificatur conditio, & verum est, quòd sine liberis decedat; etsi prius aliquos habuerit.

624 Resp. III. Si Filius sub præfata conditione fideicommisso universali gravatus ingreditur Monasterium bonorum capax, ibique profiteatur, excluditur substitutus, & succedit Monasterium, Covarruvias *lib. 1. Variar. Resolut. cap 19.* Layman. *lib. 3. tract. 5. cap. 9.* Pirhing *h. t. n. 74.* & Communis aliorum, *Authen. Nisi rogati. C. ad S. C. Trebellian. & cap. In præsentia 8. de Probat.* ubi simili casu proposito, pro Monasterio judicatum est. Ratio desumitur ex præsumpta voluntate Testatoris, qui si de Monasterio, in quo filius profitetur, cogitasset, illud præ alio extraneo amaturum, & in favorem ejus dispositurum fuisse, meritò præsumitur.

625 Limitatur autem Conclusio in casu, quo de Testatoris contraria voluntate constat, ut si dicit, uti potest: Si filius Monasterium ingreditur, aut Clericus fiat &c. obveniat hæreditas Titio &c. Covarruvias *loc. cit.* Layman. *loc. cit.* Molina *Disp. 190. ℣. Hæc verò* Sanchez *lib. 7. Moral. cap 16. n. 12.* Pirhing. *h. t. n. 76.* Ratio patet; quia præsumptio cessat, ubi versamur in claris, Barbosa *de Axiomat. Jur. vers. Præsumptio n. fin.* Idem dic, si eadem Testatoris voluntas aliunde potest colligi; prout contingit in Primogenituris, ac Majoratibus, qui ad conservandum splendorem Familiæ eriguntur: in his enim excluso Monasterio succedere proximum agnatum, communiter fatentur DD. ut videre est apud Layman. *loc. cit.* Sanchez *lib. 7. cap. 15. n. 19.* Azorium, *tom. 1. lib. 12. cap. 8. quæst. 5.* Covarruviam *loc. cit.* Molina *Disp. 623.* Ratio est; quia nec Monasterium, nec Religiosus filius pro conservanda Familia servit, consequenter à Fideicommisso exclusi intelliguntur.

Limitatur secundò, in casu, quo hæres iniquo animo 626
fraudandi substitutum Fideicommisso, intrat Religionem, Menochius *lib. 4. Præsumpt. 83. n. 56.* Sanchez *lib. 7. c. 16. n. 54. & 55.* Pirhing. *h. t. n. 76.* Abbas in *c. In præsentia 8. de Probat. n 46.* Ratio est; quia fraus & dolus nulli patrocinari debet, juxta vulgaria. Præsumitur autem is in fraudem, vel odium substituti Religionem intrare, si prius minatur substituto, se in illius odium Religionem ingressurum, Menochius *loc. cit. n. 83.* Pirhing. *loc. cit.* Abbas *loc. cit.* & alii. Limitatur tertiò, si hæres filius ingreditur Monasterii bonorum incapax: Cujusmodi sunt Monasteria Franciscanorum, ac Capuccinorum; tunc enim filio Religionem profitente, substitutus illicò succedit in Fideicommisso Omnes. Ratio est; quia in tali casu filius habetur loco mortui, Sanch *loc. cit. n. 13. & 16.*

Limitatur quando in casu substituitur alia causa pia, 627
v. g dicendo: S. filius, vel alius hæres meus sine liberis obierit, substituo pauperes, vel volo, ut hæreditas erogetur in pauperes, aut pro ædificando Nosocomio, Hospitali &c. Abbas *loc cit n. 36* Pirhing *loc. cit. n. 76.* Glossa in *cit. c. In præsentia 8. de Probat.* cum Communi Ratio est; quia si privilegiatus concurrit cum privilegiato, tunc privilegiis non attentis servandum jus Commune; consequenter, si hærede Religionem ingrediente liberi eidem non nascantur, hæreditas juxta conditionatam substitutionem restituenda erit piæ causæ substitutæ, *arg. cap. Cùm causa de Proben*

Quæritur VI Quandonam exspiret Fideicommissum? 628
Resp Exspirat potissimum in sequentibus casibus. I Si hæres gravatus moritur ante Testatorem, juxta dicta *num 598.* II. Si moritur ante aditam hæreditatem, *l. 13. §. 3. ad finem, ff ad S. C Trebellian.* nisi forsan de adeunda hæreditate mandatum jam acceperit à Judice, post hoc enim si moritur, Fideicommissum non exspirat, etsi ante aditam hæreditatem moriatur *l Non justam, 4. C. eod* Pariter non exspirat ob non aditam hæreditatem, si hæres gravatus hæreditatem transmittit ad hæredes, uti benè observat Bartolus in *cit l. 13. ff. ad S. C. Trebellian.* III. Exspirat, si purificatur conditio in Fideicommisso Conditionali: v. g. si Testator dicit: filium meum hæredem instituo, voloque, ut si absque liberis decedat, hæreditas obveniat Cajo: expirat si filius relicto uno, vel pluribus liberis decedat Ratio est; quia actus sub conditione non valet, nisi existente conditione. Per vulgaria.

§. XX.

De Legatis, & Fideicommissis particularibus.

S U M M A R I U M.

629 *Legatum, & Fideicommissum particulare sunt idem.*
630 *Legatum sumitur vel pro ipso actu legandi; vel pro re ipsa legata.*
631 *Definitur Legatum sumptum pro actu legandi.*
Pars certa, & res certa hæreditatis non sunt idem, ibi.
632 *Legatum sumptum pro re ipsa legata definitur; sicut etiam Fideicommissum particulare.*
Legatarius quid? ibid.
633 *Omnes & soli, qui testari, etiam legare possunt.*
634 *Qui incapaces sunt hæreditatis, sunt etiam incapaces Legati.*
635 *Excipiuntur Fratres Minores, quibus legari potest modera-*

derata quantitas; etsi non possint esse hæredes.
636 *Ut tamen Legatum valeat, modo illicito fieri non debet. Et quis talis modus illicitus, vel licitus? Ibid.*
637 *Hæres nolens præstare fratribus Legatum, potest cogi à Judice: qui, ut officio suo fungatur, etiam à fratribus rogari & moneri potest.*
638 *De Annuis Legatis. Remissivè.*
639 *Legata in & extra testamentum fieri possunt, oretenus, & in scriptis.*
640 *Legatum est multiplex. Aliud* purum
641 *Aliud* in diem
642 *Aliud* conditionatum. *Conditio propriè quid? Ibid.*
643 *Legatum sub conditione de futuro, quando valeat? Conditio potestativa, casualis, mixta, turpis, possibilis, impossibilis, honesta &c. Quid? Ibid.*
644 *Conditio,* si non nubat, *Legato apposita, habetur pro non adjecta.*
645 *Si Legataria nunquam adhuc fuit juncta matrimonio: secus, si est vidua.*
646 *Nec refert, an Legataria persona sit masculus, vel fæmella.*
647 *Valet conditio: si non nupserit Titio: vel uni ex certis determinatis.*
648 *Item valet conditio: Si Cajo, vel uni certo nupserit; vel si liberos acquisierit.*
649 *Verumtamen evanescit conditio, debetque legatum, si legatarius minimè nubens Religionem ingreditur.*
650 *Aut sacros Ordines suscipiat.*
651 *Dummodò talis Clericus usque ad mortem in Clericatu maneat, & tale legatum ad causas pias applicet.*
652 *Valet conditio apertè manifestata: si Religionem ingreditur, vel Clericatum assumit, nihil, vel minus lego.*
653 *Solvitur instantia, & ostenditur, quòd similis conditio iniqua non sit.*
654 *Pariter valet conditio: Si Religionem ingreditur vel Clericus sit, hæredem instituo, vel eidem plus lego.*
655 *Idem, quòd de Legatis dictum de hæreditate intellige.*
656 *Legatum* sub modo *quid sit, & quomodò fiat?*
657 *Legatum* sub causa *quid?*
658 *Etsi causa non subsistat, subsistit* Legatum sub causa *factum.*
659 *Nisi hæres probet, testatorem legaturum non fuisse, si causam non subsistere scivisset, vel sit error circa substantiam personæ.*
660 *Legatum* cum demonstratione *quid? valet, etsi falsa sit demonstratio.*
661 *Dummodò res legata existat.*
662 *Et non sit error circa substantiam personæ, vel nisi probetur legaturum non fuisse, si errorem scivisset Testator.*
663 *Ad legatum Testamento insertum, eadem requiritur solemnitas, quæ ad Testamentum.*
664 *Limitatur in quatuor casibus.*
665 *Ad legatum sine testamento requiruntur quinque testes.*
666 *Excipitur legatum pium, & casus, quo hæres fatetur defuncti voluntatem.*
667 *Quinque testes non necessariò rogari, benè verò simul præsentes esse debeat.*
668 *Doctrina practica, quòd sæpè expediat sola legata, & non Testamentum facere.*
669 *Quævis res propria Testatoris legari potest.*
670 *De Jure Civili etiam alienæ rei legatum valet.*
671 *Si Testator scivit rem esse alienam: secus si ignoravit, nisi legetur persona propinqua.*
672 *Legatarius tenetur probare, Testatorem scivisse, rem esse alienam.*
673 *Etiam de Jure Canonico valet legatum rei alienæ.*
674 *Respondetur* ad c. Filius, h. t. *usque ad n. 677.*
677 *Res propria legatoris legari non potest.*
678 *Debitum, quomodò creditori legare possit Testator?*
679 *Creditum debitori legando remittere potest Testator.*
680 *Legati dominium acquiritur post aditam hæreditatem.* Cedere, & venire diem, *quid sit? Ibid.*
681 *Fructus, qui sunt pars legati, pertinent ad legatarium.*
682 *De aliis fructibus controversia est inter DD. & n seq.*
684 *Fructus legati indeterminati, vel in genere pertinet ad hæredem, si non est in mora solvendi legatum.*
685 *Legatum in diem, aut sub conditione non debetur ante diem, vel conditionis adventum.*
686 *Legatarius habet actionem personalem, & hypothecariam, nec non hypothecam tacitam in bonis defuncti.*
687 *Non potest propria authoritate capere legatum.*

629 AGimus hic sub una Rubrica de legatis & Fideicommissis particularibus, eò quòd licèt antiquo Jure magna fuerit diversitas inter Legatum & Fideicommissum particulare; hodie tamen inter eadem penitus nulla quoad effectum, & in re ipsa sit differentia: prout apertè constat ex *l. 1. ff. de leg. 1.* ibi: Per omnia exæquata sunt legata Fideicommissis, supple, particularibus. Concordat *l. 2. C. Communia de legatis, & §. Sed non Inst. de leg.* ibi: Necessarium esse duximus, omnia legata Fideicommissis exæquare, ut nulla sit inter ea differentia: sed quod deest legatis, per hoc crescat Fideicommissorum natura. Nulla itaque in effectu, vel re ipsa est differentia, sed tantum in modo, quo fiunt, & relinquuntur, & à quo quodvis suam denominationem accipit. Nam legata fiunt verbis immediatè ad legatarium directis; ut dum dicitur v. g. Titio lego meam domum, vel centum aureos. Fideicommissum particulare verò verbis respectu Fideicommissarii indirectis, & obliquis, utpote non immediatè ad ipsum, sed ad alium, hæredem præcipuè directis, qui rogatur, vel jubetur ut rem aliquam certam alteri restituat, v. g. Jubeo, vel rogo Cajum hæredem meum, ut hanc meam domum, vel centum aureos Titio det, & restituat. Hinc, quia utrumque in re planè convenit, quidquid de Legatis dicemus, de Fideicommissis particularibus (id est, illis, quibus aliquod determinatum in specie verbis obliquis alicui relinquitur) dictum volumus.

630 Quæritur I. Quid sit legatum? à quo, & cui fieri possit? Notandum prius, legatum dupliciter accipi ac definiri posse, videlicet, vel pro actu, aut dispositione, qua res aliqua legatur; vel pro ipsa re, quæ legatur. In præsenti sequentes praxin Doctorum, definiemus Legatum, prout sumitur pro ipso actu, quo quis rem aliquam alteri legat, seu relinquit. Ex hujus enim definitione facilè patebit definitio Legati sumpti pro *re ipsa legata*. Hinc

631 Resp. I. Licet multæ in Jure afferantur definitiones legati, receptissima tamen ea, & optima videtur, quæ *§. 1. Instit. de legat.* datur illis verbis: legatum est Donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda. Dicitur 1. Donatio loco generis, in quo convenit cum aliis Donationibus tam inter vivos, quàm mortis causa. Differt verò per id à Testamento, utpote quòd non est Donatio liberalis vel gratuita, sed onerosa, habens annexa onera hæredis, de quibus suprà dictum est. Dicitur quædam, id est, cujusdam rei particularis, quæ hæreditatis rationem non habet: quia legata non nisi circa res particulares, ac in specie, vel potius in individuo determinatas fiunt: v.g. certa domus, utensilia, certa pecuniæ quantitas, vel alia certa bona mobilia, vel immobilia. Et ideò per hanc particulam differt legatum, & Fideicommissum particulare à Fideicommisso universali, utpote cui tota definitio aliàs convenit, solo excepto, quòd non fiat circa res aliquas in particulari; sed vel circa totam hæreditatem, vel aliquam certam partem, v.g. circa mediam, tertiam, vel quartam hereditatis. Nec enim est idem certá ac particularis res aliqua hæreditatis: ac certa pars hæreditatis *l. 13. Cod. hæred. instit.* quia certa pars, v. g. tertia pars hæreditatis participat de quavis re certa particulari totius hæreditatis. Dicitur à Defuncto relicta: quia Legata non nisi post mortem legantis robur & firmitatem suam habent; cum usque ad mortem semper pro libitu revocari possint *l. 3 §. fi. ff de Adim. leg.* ibi: Non solum autem legatum, sed & Fideicommissa adimi possunt: & quidem nuda voluntate. Et per hoc differt à Donationibus inter vivos, utpote, quæ statim ac fiunt, & acceptantur, inter vivos adhuc valent juxta dicta suprà *tit. 24. de Donationibus*. Quomodo autem differat à Donatione mortis causa, dicetur infrà *n. 21.* Dicitur tandem ab hærede prestanda: quia, quamvis Legatarius statim à die mortis acquirat dominium Legati, vel saltem certum jus ad illud, juxta dicenda: *n. 680. & seq.* tamen propria authoritate absque pœna Legis illud occupare non valet *l. 5. C. de legat.* sed expectare debet; donec sibi ab alio tradatur: quod ordinariè fit ab hærede; licèt etiam non-

nunquam ab alio, v.g. a legatario, vel herede heredis, imò & ab ipso testatore præstari possit legatum, *l. Lucius 12. ff. de legat. 2. & l. Hujusmodi, 84. §. Titio, ff. de leg. 1.* Per quod non infirmatur definitio, utpote quæ data est à Legislatore circa ea, quæ ut plurimum & ordinariè fiunt: Nam quæ semel aut bis accidunt, contemnunt Legislatores, *l. Jura, & seq. de legat.*

632 Et ex his facile colligitur, quid sit, & quomodo definiatur Legatum acceptum pro re ipsa, quæ legatur; Est nempe res aliqua particularis verbis ad legatarium directis à defuncto relicta, ab hærede præstanda. Fideicommissum particulare pariter est res hujusmodi particularis verbis non ad Legatarium, sed hæredem immediatè directis, à defuncto relicta, ab hærede præstanda. Ille, cui Legatum seu res præstanda est, vocatur Legatarius, seu Fideicommissarius particularis.

633 Resp. II. Omnes, & soli illi legare possunt, qui jus testandi habent. Est extra controversiam. Textu claro *l. 2. ff. de legat. 1.* ibi: Sciendum est, eos demum Fideicommissum (adeoque etiam Legatum utpote idem cum illo, *l. 1. ff. eod*) posse relinquere, qui testandi jus habent. Quinam autem jure testandi, consequenter etiam legandi careant, vide suprà *§. 10.*

634 Resp. III. Regulariter illis solis legari quid potest, qui heredes institui possunt. Communis ac certa. Textus est in *§. Legari, 24. Inst. de leg.* ibi: Legari autem illis solum potest, cum quibus testamenti factio est. Hinc venit, quod, licèt uxor marito donationem inter vivos facere non possit, eidem tamen legare quid possit, eo quod eundem hæredem instituere queat. Porro quinam hæredes institui nequeant, & per consequens Legatorum incapaces sint, vide suprà *§. 13.*

635 Dicitur notanter regulariter; quia limitatur Conclusio in Fratribus Min. Ord. S. Francisci; utpote quibus legatum fieri potest, etsi heredes institui nullatenus possint, *c. Exiit 3. §. Ad hæc de V. S. in 6. & Clem un eod.* dictumque jam est suprà *n. 403* ubi etiam notavimus, attendere debere Fratres, ne legata in nimia quantitate recipiant, ex qua fraus præsumi meritò posset. Nec enim licet eis (inquit Pontifex *Clem. un. §. Quia igitur de V. S.*) valorem hæreditatum, vel tantum eorum partem, quòd præsumi possit, hoc in fraudem fieri, quasi sub modo, & forma legati sibi dimitti facere, vel sic dimissa recipere; quin potius ista sic fieri ab eis, simpliciter prohibemus. Quænam autem sit quantitas excessiva, ita ut in fraudem præsumi possit, Ministri, & Custodes, non item Guardiani ex præsenti vel imminenti necessitate arbitrari debent Rodriq. *qq. Reg. Tom. 2. q. 27. a. 1.* Sanchez *loc. cit.* Sorb. in *Comp. Priv. V. legata*, & alii, *arg. c. Exiit §. Insuper utensilia de V. S. in 6.* Qui Ministri non unius, sed plurium Conventuum necessitatem attendere possunt ac debent, ut proin licèt legatum respectu unius Conventus videatur immoderatum, tamen respectu Provinciæ, seu aliorum Conventuum sit necessarium.

636 Porrò ut legatum Fratribus Minoribus factum valeat, illudque Fratres licitè acceptare queant, necesse est, quòd factum non sit tali modo, qui Fratribus est prohibitus in Regula: qualis foret, si testator legaret vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, aut similia verba in similibus proferret, aut modos similes in relinquendo servaret: uti dicitur *c. Exiit. de V. S. 6.* ubi præcipitur, ut à tali legato, & ejus receptione per omnem modum Fratres abstineant. Concordat *Clem. Exivit eod. §. Licet verò*, ubi pariter præcipitur, quòd si legaretur ager, vel vinea ad excolendum, vel hortus, ut olera vel hortalitia pretio distrahantur &c. à tali legato abstineant Fratres, ratio additur: videlicet, quia præmissa habere, ut pretium fructuum statis temporibus habeatur, ad naturam, & formam proventuum (qui Fratribus sunt prohibiti) appropinquat.

637 Si verò modum licitum Fratribus in legando expresserit Testator, ut si diceret: Lego pecuniam pro Fratrum necessitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam, & similia, ad hoc, quòd per certam personam, vel personas idoneas distrahantur, & pecunia de rebus ipsis accepta, in ædificia, vel alia Fratrum necessaria convertantur: aut in legando similibus modis, vel verbis utatur, securè legatum accipere possunt Fratres, in quacunque de in re, sive mobili, sive immobili consistat, prout expressè deciditur, *citat. cap. Exiit de V. S. in 6.*

638 Pariter absque ullo scrupulo accipere possunt quodvis non excessivum legatum, si Testator aliquid generaliter absque modi expressione legat, *cit. c. Exiit. de V. S. in 6.* Ratio ibidem assignatur; quia tale legatum sub modo licito intelligitur, & præsumitur relictum, ita, quòd nec legans merito, nec Fratres ipsi effectu relicti fraudentur.

639 Quòd si heres legatum Fratribus licito modo relictum tradere nollet, cogi posset à Judice tam sæculari, quàm Ecclesiastico etiam nemine petente, uti benè docet Sanchez *l. 7. Moral. c. 26. n. 60 & 61* Barbosa in *c. Exiit de V. S. in 6. n. 14.* & alii, *arg. cit. c. Exiit.* ubi etiam hortatur Papa, ut Prælati & sæculares, quibus de jure vel consuetudine provisio ista competeret, cum expedierit, se se officio suo promptos exhibeant ad pias voluntates deficientium adimplendas. Possunt etiam ipsi Fratres Judicem extrajudicialiter rogare, & monere, ut officio suo fungatur. Sanchez *l. c.* Sylvester *V. Hæred. 1 q. 7. dict. 1. n. 10.* Corduba, Rodriq. & alii à Sãchez citati. Ratio est, quia ita monendo, & rogando nec actionem instituunt, prout non possunt, *arg. Clem. Exivi. §. Cupientes, de V. S.* nec jus aliquod in hujusmodi legatum prætendunt, consequenter nulla ratione illicitè agunt. Plura de legatis factis Ordini Minorum vide apud Sanchez *loc. c.* Rodriquez *Tom. 2. qq. Regul. q. 17.* Sorb *V. legata.* Corduba, & Expositores Regulæ. Insignem etiam tractatum de Morientium Eleemosynis, & legatis scripsit Cyrillus Bubeus Capuccinus.

640 An autem, & quomodò Fratres Minores sint capaces legatorum annuorum, præsertim perpetuorum, dicemus infrà *tit. 29 de Censibus.*

641 Quæritur II. Quotuplex sit, & quomodo fieri possit legatum? Resp. I. legata fieri possunt tam in, quàm extra Testamentum: tam oretenus, quam in scriptis. Tota Conclusio communis est, ac certa. Et quidem, quòd in Testamento fieri, eisque inseri possint, abundè patet ex dictis. Quòd verò absque illo, seu sine illo fieri queat, constat ex *tot. tit. ff de legat. Item Inst. & C. de Codic.* Quòd non tantum in scriptis, sed & oretenus fieri valeant, expressè dicitur *c. Indicante, 4. h. t.* ibi: Nudis verbis &c. & *fin. §. 3. C. de Codic.* ibi: Sive in scriptis, sive sine scriptis conficiatur voluntas.

642 Resp. II. Possunt legata, vel purè, vel in diem, vel sub conditione, vel sub modo, item vel sub demonstratione, vel sub causa fieri. Et hinc alia sunt, & dicuntur legata pura, alia in diem; alia conditionata seu sub conditione; alia sub modo; alia sub causa; alia sub demonstratione. Molina *Disp. 205. n. 1.* cum communi. Patetque inductione. Legatum purum est, pureque fieri dicitur, quando absque ullo adjecto tempore, conditione, vel modo simpliciter fit. *§. Omnis. 2. Inst. de Verb. oblig.* Quamvis etiam alias latius sumatur, prout nempe omne illud dicitur legatum purum, quod sine conditione in futurum fit, prout constat ex *l. Hæres meus 79. princ. ff. de cond. & demonstr.* ibi legatum in diem purum dicitur, quia sub conditione factum non est; dicit namque Lex: Hæres meus, cum morietur Titius, centum ei dato, purum legatum est, quia non conditione sed mora suspenditur.

643 Legatum in diem est; & fit, quando testator quid legat tradendum certo post mortem tempore determinato, ut si dicat testator; Lego Titio centum florenos tradendos eidem biennio post mortem meam elapso, *arg. tot. tit. ff. Quando dies legat. cedat & cit §. Omnis Inst. de oblig.* ibi: In diem, quando adjecto die, quo solvatur, fiat. Ubi tamen notandum: quòd si dies vel tempus incertum apponatur, legatum conditionatum, & non in diem appelletur, *l. Dies incertus ff. de Cond. & Demonst.* ibi: Dies incertus conditionem testamento facit. Cæterum legatum in diem hanc proprietatem habet, quòd transmittatur ad hæredes, si Legatarius post mortem Testatoris moritur ante diem solutioni determinatum, *l. Si post diem, 5. prin. & l. Si dies apposita, 21 ff Quando dies legat. cedat.* Ratio est; quia post aditam hæreditatem dies statim cedit, ita ut illicò contrahatur obligatio legatum solvendi, non quidem statim, sed pro die vel tempore per testatorem denominato, *l. 1. §. Cùm dies ff. de Cond. & Demonstrat.* Cedere enim diem aliud non est, quàm incipere obligationem, licèt executioni mandari non statim debeat.

644 Legatum conditionatum, seu sub conditione est, & fit quan-

quando quid non nisi sub certa conditione de præterito, præsenti, vel futuro præstandum legatur: v. g. sub conditione de præterito fit; dum dicit testator: Lego Titio centum, si navis ex India jam advenit, *l. Conditio in præteritum 110. ff. de V. obl.* Sub conditione de præsenti fit, quando testator dicit: v. g. Si Rex Romanorum adhuc vivit, centum lego, *l. Cùm in præsens 37. ff. de reb. cred. & si cert. petat.* Sub conditione de futuro fit, v. g. dicendo: Centum lego, si navis non erit submergenda; si consul fies &c. *arg. §. Sub cond. Inst. de V. obl.* Et hoc dicitur propriè legatum conditionatum, seu sub conditione factum; id verò quod sub conditione de præsenti, vel præterito fit, non nisi impropriè; eò quòd sola conditio de futuro sit propriè conditio, *arg §. Sub cond. Inst. de V. O.* & *l. Itaque ff. de cond. & Demonstr.* ibi: Itaque tunc potestatem conditionis obtinet cùm in futurum confertur. Hinc legata sub conditione de præsenti, vel præterito nullatenus suspenduntur, sed, si conditio vera est, illicò debentur, si non, evanescunt, *c. l. Cùm ad præsens, ff. Si certum petat.* ibi: Conditiones, quæ ad præsens, vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omninò non differunt: nam si ea ita non sunt, nihil valet: si autem ita se habet, statim valet.

643 Porrò legatum sub conditione de futuro contingenti eodem ferè modo se habet, quo institutio hæredis sub conditione, de qua suprà *n. 437.* ita, ut fieri possit, & valeat, si sit honesta & possibilis, potestativa vel casualis, aut mixta: Si verò conditio sit turpis, vel impossibilis, habeatur pro non adjecta; consequenter legatario legatum etiam deficiente conditione debeatur, ac si sine omni conditione eidem factum fuisset. Quid vero conditio potestativa, casualis, mixta, turpis, honesta, possibilis, ac impossibilis, vide suprà *num. 437.*

644 Quæritur III. Quid Juris de legatis conditionatis? si nupserit, vel non nupserit: Item si religionem ingrediatur, vel non: Si Ordines suscipiat, vel non. Resp. I. Si alicui, quæ hucusque nunquam erat matrimonio juncta, quid legatur hac conditione, si non nubat, seu si maneat in statu cœlibatus, habetur conditio pro non adjecta, capitque legataria persona totum legatum, etsi nubat. Communis ac certa, claris juribus *l. Sed si hoc. 62.* cum duobus *seq. ff. de Cond. & demonst.* Ratio est; quia videtur talis conditio esse contra favorem Matrimonii, & Reipublicæ bonum ex procreatione prolis proveniens, *arg. l. Hoc modo 64 ff. eod.*

645 Dicitur autem notanter, alicui quæ nunquam erat juncta matrimonio; quia si sub tali conditione viduæ quid legatur, conditio adimpleri debet, adeò, ut licèt talis vidua dicens, se velle conditionem servare, & à secundis nuptiis abstinere, petere possit legatum, nihilominus tamen cautionem præstare debeat, quòd nubens iterum restituere velit acceptum legatum, textu claro *Authen. Cui relictum. C. de Indict. viduit. toll. & Novell. 22. cap. 43.* Et per hoc correcta sunt Jura antiqua *præc. num.* citata, vi quorum talis conditio etiam in legato viduæ facto habebatur pro non adjecta.

646 Cæterum, quæ de legato sub dicta conditione facto fœmellæ dicta sunt, intelligenda etiam sunt de legatis hujusmodi factis masculo, ita ut conditio habeatur pro non adjecta, si uxorem adhuc non habuit: valet verò, si sit viduus, *arg. cit. authen. Cui relictum. C. de Indict. vidult. toll.* & ibi Glossa cum communi DD. advertit. Accedit identitas rationis suprà positæ.

647 Resp. II. Cùm ita legatum sit, Si Titio non nupserit? vel ita, Si neque Titio, neque Sejo, neque Mævio nupserit, & denique, si plures personæ comprehensæ fuerint, magis placuit, cuilibet eorum si nupserit, amissuram legatum: sunt verba *l. Cùm ita 63. ff. de condit. & demonstr.* ubi etiam ratio subjungitur, videlicet, quòd per talem conditionem Matrimonium absolutè non prohibeatur; cùm alii cuilibet satis commode possit nubere.

648 Resp. III. Conditio legato apposita: si nupserit, & liberos acquisierit; vel si certæ alicui personæ v. g. Titiæ nupserit, valida, & observanda est, *l. Cùm ita 63. & l. Titio centum § 1 ff. de cond. & demonstr.* ubi etiam ratio additur, videlicet, quia licitum est ad Matrimonium certa lege invitare. Limitatur tamen Conclusio in casu, quo persona, cum qua legatarius vi conditionis contrahere deberet, esset inhonesta, vel nuptiis alterius indigna, Textu claro *cit. l. Cùm ita 63. §. 1. ff. eod.*

Resp. IV. Quamvis Conditio, si nupserit, & liberos procreaverit: vel absolute si nupserit, valida & servanda sit juxta dicta *præc. Conclus.* tamen habetur pro non adjecta, si legatarius aut Religionem ingrediatur, aut Sacros Ordines suscipiat. Prima pars de ingredientibus Monasterium, docetur à Pirhing. *h. t. n. 74.* Covarruvia *lib. 1. var. Res. cap. 19. a. n. 7. usque ad 11.* ubi plures alios citat, Molina *Disp. 207. n. 13.* dicens, in hoc convenire. Omnes, *arg. Authen Nisi rogati C. A. C. Trebellian. & Novell. 123. cap. Si quis sub conditione 37.* ubi expressè ita statuitur: Sancimus, si personæ totalibus conditionibus subjectæ; sive Masculi sive Fæminæ, Monasteria ingrediantur, aut Clerici fiant, tales conditiones invalidas, & pro non scriptis esse. Ratio est; quia quando non expressè constat de contraria voluntate Testatoris, meritò præsumitur voluisse excipere à conditione casum, quo Legatarius Religionem ingrediatur. 649

Secunda pars, quòd annullentur similes conditiones etiam casu, quo legatarius Monasterium non ingreditur, sed manens in sæculo Sacros Ordines suscipit, docetur ab eodem Pirhing. *h. t. n. 75* Menoch. *lib. 4. Præsumpt. 83. n. 65. & seqq.* Felin. in *cap. 8. Probat. nu 56.* Decis *Consil. 259. n. 5. & 6.* Covarruv. *loc. cit. n. 10. arg. cit. Novell. 123. cap. 37.* ubi divisive loquitur textus: Si Monasteria ingrediantur, aut Clerici fiant: consequenter satis insinuat alterutrum sufficere, cùm dictio divisiva *Vel* in quovis ex divisis membris verificetur, *arg. l. Ubi autem §. Illud ff. de V. O.* Accedit, quòd quando lex de Monachis & Clericis mentionem simul facit, per hos ultimos semper intelligat Clericos seculares, *arg l. Deo nobis 56. C. de Episc. & Cleric.* Imò textus ipse apertè indicat, quòd per ly Clerici ibidem intelligat Clericos sæculares, hoc ipso, quòd aliter de ingredientibus Monasterium, aliter de Clericis loquatur, statim subsequentibus illis verbis: Hoc autem solatio Clerici Ecclesiarum fruantur, si usque ad suam vitam in his perseveraverint, ut res sub tali conditione donatas, aut relictas, ad pia opera expendant & relinquant (Ecce dispositionem de Clericis) in personis enim quæ in Monasterium ingrediuntur, Monasterio res sub tali conditione donatas, aut relictas, cum alia eorum substantia competere volumus: Ecce etiam dispositionem de ingredientibus Monasterium. Nullatenus proin attendendus est Abbas, qui in *c. In præsentia 8. de Probat. num. 43.* Textum allegatum pro sententia contraria interpretari conatur. 650

Verùm fatentur Doctores citati cum Communi aliorum, duo requiri ad hoc, ut Clericus sæcularis accipere possit legata sub conditione, si nupserit, vel liberos acquisierit, sibi facta; videlicet primò, ut in clericatu usque ad mortem perseveret: secundò, ut talia legata; vel hæreditatem ad causas pias applicet; per textum in citata Novella 123. *cap. 37.* allegatum. 651

Limitatur autem Conclusio *n. 649.* posita, iisdem in casibus, quibus suprà Conclusionem *n. 624.* positam limitari diximus, præcipue autem, si Testator manifestè voluntatem suam exprimit, quòd filio, aut filiæ seu extraneo legatum vel totum, vel partem denegari, vel adimi velit in casu, quo vel Sacerdos, vel Monachus fiat, expressè v. g. dicendò: Titio lego ducentos florenos, si nupserit, aut in sæculo remaneat; si vero Ordines Sacros suscipiat, aut religionem aliquam ingrediatur, solummodò centum vel nihil, vel volo ut præfati ducenti Cajo restituantur, omninò valida & servanda est conditio. Covarr. *loc. cit.* cum pluribus aliis ab eodem citatis, Molina *loc. cit. n. 14. & 15.* ac aliis suprà *n. 625.* citatis, ob Juris fundamentum ibidem allegatum. 652

Nec dicas, turpe esse, ac viro Christiano indignum, suæ dispositioni apponere conditionem, qua quis retrahatur à statu perfectiori, qualis est status Religionis, aut Clericatus, respectu laicalis; atqui talis est conditio, qua Testator dicit: si Titius in sæculo manet, vel si nubat, vel si liberos acquirat &c. hæredem instituo, vel ducentos Florenos lego &c. Si verò Religionem ingrediatur, aut sacros Ordines suscipiat, Cajum substituo, vel solummodò viginti, aut nihil lego. Item si dicit: liberos meos, si in sæculo manent, hæredes æqualiter instituo; si verò unus vel plures Religionem ingrediantur, aut Ordines suscipiant, volo, ut eis sola relinquatur legitima, reliquum cæteris accrescat &c. ergo. Nam contra est, quòd licèt 653

licèt turpe, consequenter illicitum sit, similes conditiones vel ex odio religionis, vel absque justa causa ex hoc solo fine apponere, ut hæredes vel legatarii instituti à Religione vel statu Clericali retrahantur; minimè tamen turpe est, si id ex aliqua justa causa fiat, uti facilè fieri potest: v. gr. si fit ad conservationem Familiæ, vel Stemmatis: vel si remanenti in sæculo plus quam ingredienti Religionem ideò relinquitur [illegible] legatur; quia ille majori, [illegible] minori sustentatione indiget; vel quia sæcularis non [illegible] Religiosus [illegible] habet: vel quia sæcularis à Religioso nihil amplius, benè verò Religiosus à sæculari aliquid temporale sperare aut acquirere potest, vel per Testamentum, vel ab intestato, uti post Covarr. [illegible] benè advertit Molina *loc. cit. n.* [illegible] & alii.

654 Resp. V. Conditio, si Religionem ingrediatur, vel Sacerdos, aut Clericus fiat, valet, & [illegible], vel legatum sub ea factum dimittendum [illegible] Covarr. *lib. 1. var. res. cap. 19. n. 10.* Gomez *tom. 1. var. res.* [illegible] *n. 8.* Molina *disp. 207. n. 6.* & alii *arg.* [illegible] *de Cond. apposit. & l. Titio, §. 1. ff. de Cond. & Demonst.* Ratio est; quia dicet sub spe lucri temporalis aliquem ad Religionem, vel Clericatum invitare; *arg. cit. c. de Condit. apposit.* Nec obstat, quod juxta *nu. 644.* & Jura ibidem allegata, conditio si non nubat habeatur pro non adjecta: conditio autem si Religionem ingrediatur, aut Sacerdos fiat, tacitè involvant dictam conditionem, [illegible] quam præsumendum est [illegible] annullationem conditionis non [illegible] voluerint conditionem [illegible] Religionem, seu Monasterium, vel Clericatum [illegible] inomnibus [illegible] moperè [illegible] conditi[illegible] vel [illegible] Monasterium [illegible] [illegible]

655 [illegible] eà, [illegible] hujus [illegible] ximus, [illegible] intelligenda [illegible] *Novell. 123. cap. 37.*

656 Legato sub conditione plurimum affinis est Legatum sub modo, quod tunc fieri & esse dicitur, quod Testator cum certo aliquo gravamine, onere, vel moderamine in [illegible] quid legat, dicendo: v. g. Titio lego mille Florenos, ita tamen ut singulis bonis Cajo det decem, vel [illegible] faciat, *arg. tot. tit. Cod.* [illegible] Differt [illegible] à conditionato [illegible] purificationem [illegible] adimpletionem legatarius [illegible], & notat Glossa in *c. Verum* [illegible] verò Legatum sub modo statim valet [illegible] onere ad hæredes, si per [illegible] impleri potest; uti benè observat Glossa [illegible] *Donat. quæ sub mod.* Molina *disp. 20*[illegible] DD. Solet autem modus regulariter exp[illegible] nem *Ut*, sicut conditio per *Si*, & causa per [illegible] versiculum Glossæ citatæ [illegible] quod [illegible] conditio, *quia* causa. Nec refert, quod Testator [illegible] legatum sub modo [illegible] conditio, dicendo [illegible] lego Titio bis mille hac conditione, ut Cajo [illegible] *arg. c. Verum 4. de Cond. apposit.* & ibi Glossa [illegible]. Plura de Legato sub modo vide apud [illegible] Molinam, *cit. disp. 208.* [illegible]

657 Quæritur [illegible] Quid sit? quomodo fiat? & [illegible] valeat [illegible] seu ex certa causa? Resp. I. Legatum [illegible] exprimit [illegible] præsentem vel præteritam [illegible] dicendo: v. g. Quia Titius pauper est [illegible] vel quia [illegible] lego ei mille [illegible] perditiones, quia, quoniam, cum [illegible] ob quam tanquam [illegible] causa [illegible] futuros [illegible] ex causa [illegible] cum Communi, & [illegible] aliorum explicat [illegible] Molina *disp.* [illegible] *arg. l. Demonstratio falsa*, [illegible] *cum seq. 72.* [illegible] *ff. de Cond. & Demonst.*

658 [illegible] causa [illegible] Testator legatum [illegible] [illegible]

non subsistat, valet, nihilominùs legatum, nisi expressè, vel saltem præsumptive, indubitanter tamen constet, idque hæres sufficienter probet, quod Testator hoc, quod alicui ex certa causa legavit, non legasset, si scivisset, causam non subsistere. Gomez *tom. 1. var. resol. c. 12. n. 66.* Molina *loc. cit. n. 8.* cum communi aliorum. Claris Juribus *§. Longe 31. Inst. de leg.* ibi: Legato falsa causa adjecta non nocet; veluti si quis dixerit; Titio, quia me absente negotia mea curavit; Stichum do, lego &c. vel ita: Titio, quia patrocinio ejus capitali crimine liberatus sum, Stichum do, lego. Licet enim negotia Testatoris nunquam gesserit Titius, neque patrocinio liberatus sit, legatum valet, *l. Demonstr. falsa 17. §. Quod autem, & l.* [illegible] *§. Falsam 6. ff. de Cond. & Demonst.* ibi: Falsa causa legato non obesse, verius est. Rationem addit: quia ratio legandi legato non cohæret; subjungit tamen, quod pro secunda parte Conclusionis nisi &c. facit: sed plerumque doli exceptio locum habebit, si probetur, alias legaturus non fuisset. Concordat *l. 1. & fin. C. de fals. caus. adject. & l. Si pater C. de Hær. inst.*

Hinc regulariter loquendo hæredi incumbit probatio, quod Testator alicui legatum non fecisset, si causam non subsistere scivisset, *arg. cit. l.* [illegible] *§. Falsam ff. de cond. & Demonst.* Limita tamen hoc, si Testator in substantia personæ erravit, putans eum esse Filium, Fratrem &c. cùm tamen talis non esset, tunc enim absque ulteriori probatione præsumitur, quod testator non legasset, si errorem scivisset: quod idem est, si in instituendo hærede circa personam fiat error. textu claro *l. Quoties 9.* [illegible] *ff. de Hær. inst.* ubi etiam ratio habetur illis verbis: [illegible] *voluntatem deficitur.* Concordat *l. Neque profes-* [illegible] *& l. Si pater 4. de Hær. inst.* 659

[illegible] causa multum affinis est legatum cum demonstratione [illegible] dicitur, si testator circumscribit [illegible] circumstantiis [illegible] accidens exprimit dicendo: v. g. Centum [illegible] vel quæ Cajus mihi debet [illegible] Sylvius donavit, lego Titio vel Titium [illegible] mille &c. *arg. l. Falsa Demonstr. princ.* [illegible]. Circa hujusmodi legata illud Jura statuunt [illegible] illa, & [illegible] ea, quam legavit, [illegible] cui legavit, valeat legatum, etsi testator in demonstratione erret: textu claro *cit. l. Falsa Demonstratio* [illegible] *princ. & §. 1. ff. eod.* ubi expressè dicitur; quod Demonstratio falsa, sive sit circa rem, sive circa personam, non obest legato ibi: Si ita servus legatus sit, Stichum cocum, Stichum sutorem lego, [illegible] coquus, neque sutor [illegible] ad legatarium pertinebit, [illegible] testatorem conveniat. Nam etsi in persona legatarii designanda aliquid erratum fuerit, constat autem, cui legare voluerit, perinde valet legatum [illegible] nullus error intervenirct, *l. Quibus diebus 40. §. Qui* dotalem fundum nullum habebat, ita legaverat: fundum Cornelianum, quem illa mihi [illegible] dedit: ei hæres esto: responderunt [illegible] legatum esse: quia cùm fundum [illegible] in rerum natura sit, demonstratio falsa [illegible] [illegible] legatum non perime[illegible] 660

[illegible] 661 [illegible] Lego Titio centum [illegible] qui in [illegible], & ibi nulli [illegible] reperiantur, invalidum est [illegible] *ff. de Dote Prælig.* [illegible] in arca habeo, vel [illegible] nihil [illegible]. Quod si tamen [illegible] designata pecunia [illegible] fuerat, valeret legatum [illegible] *208 §. Qui quinque* [illegible] *ff. de legat.* [illegible] quinque in arca habebat, ita legavit [illegible] decem [illegible] habeo, legatum valebit [illegible] quinque ex testamento debeantur. [illegible] dicit: Lego Titio decem, quæ Cajus [illegible] non valebit legatum, si Cajus testatori nihil [illegible] *legat. 1.* ibi: Si nihil [illegible] debet, inerit legatum, neque Titio [illegible] eit nullum esse Legatum.

Pariter non valet Legatum, si in falsa demonstratione [illegible] 662

Ee [illegible]

sit error circa substantiam personæ: item si hæres sufficienter probat, Testatorem legaturum non fuisse, si errorem cognovisset; per Jura *n. 658.* citata. Et in hoc limitatur doctrina *n. 660.* posita.

663 Quæritur V. Quæ forma, & solemnitas requiratur ad legatum? Resp. I. Si legata fiunt in Testamento, seu inferuntur Testamento, eædem solemnitates regulariter requiruntur [illegible] Testamenti [illegible] ut si Testamentum ex defectu [illegible] corruant etiam Legata [illegible] nisi Testamentum appositam [illegible] clausulam Codicillarem. Communis ac certa [illegible] Textus expressus est *in leg. 1. ff. de Jure Codicill.* [illegible] *29. Cod. de fideicommiss.* ibi: Ex testamento [illegible] quod Jure non valet, nec fideicommissum (particulare) peti potest: & dictum est supra [illegible] & 81.

664 Limitatur tamen Conclusio I. In casu, quo Testamentum præcise est nullum ex causa præteritionis hæredis necessarii: textu claro *Novell. 115.* [illegible] *13. ad finem:* ibi: Si vero contingerer in quibusdam talibus testamentis (ob injustæ præteritum necessarium hæredem nullis) quædam legata &c. relinqui, ea omnia jubemus adimpleri: II. Si hæres ipsemet fateatur defuncti voluntatem *leg. Non dubium 16. Cod. h. t.* prout amplius dictum est supra *n. 77.* III Si inserta sint legata pia, hæc enim etiam corruente Testamento valent juxta dicta [illegible] si apposita est clausula Codicillaris, de qua [illegible]

665 Resp. II. Si legatum [illegible] vel sine Testamento [illegible] Quæ verba legis tam clara sunt, ut capere non valeam, quod [illegible] *cit.* docere non dubitet, sufficere ad legatum extra Testamentum conditum duos vel tres. Nec enim quidquam pro ipso probat [illegible] *indicante 4. h. t.* tum quia ex illo plus non probatur, quam quod legatum [illegible] nullis verbis, id est, absque [illegible] utpote [illegible] conse- quenter ex illo *c.* pro legatis [illegible] Ad- [illegible]

666 [illegible]

[illegible]

668 [illegible]

instituere, qui de Jure ab intestato succedunt, uti fit apud parentes v. gr. liberis gaudentes; sic enim possunt permittere, ut sine Testamento liberi ab intestato succedant, & nihilominus uni vel alteri proli pro libitu aliquid prælegare, aut alia legata pia pro sua [illegible] vel etiam profana facere. Et quidem, si sola legata pia faciunt; sufficit, duos testes quoscunque obvios etiam fœminas adhibere, vel voluntatem suam manu propria annotare: si verò etiam profana legata faciunt, quinque saltem testes, qui & fœminæ esse possunt, adhibere debent: Ubi specialiter illud attendat quivis, oportet, ut, dum sine Testamento legata ordinat, testibus prius indicet, se nolle facere testamentum, sed tantùm legata, vel Codicillum, &c. ne alias hæredes ab intestato similem dispositionem seu voluntatem ultimam impugnent credentes, & dicentes, defunctum voluisse testari, & defectu solemnitatum, invalidum condidisse testamentum.

669 Quæritur VI. Quænam res, præsertim an aliena legari possit? Resp. I. Quælibet res propria testatoris tam mobilis, quam immobilis: tam præsens quam futura [illegible] humano commercio existens legari potest. Est extra controversiam, per vulgaria. Solum notandum, per futuram rem hic intelligi rem, quæ nondum existit, sed [illegible] obveniet, v. g. fructus agri jam seminati & [illegible] necdum in re, sed tantùm in spe existant, [illegible] Textu claro §. *Ea quoque 7. Instit.* [illegible] quoque res, quæ in rerum natura non est, [illegible] rectè legatur, veluti fructus qui [illegible] nascentur, aut quod ex illa ancilla natum erit.

670 Respond. II. Certum est, quod Jure Civili [illegible] gatum rei alienæ nec ad testatorem, nec ad [illegible] ctantis; si testator scivit, eam esse alienam [illegible] rò si hoc ignorans putavit, esse rem suam [illegible] controversiam ob clara Jura §. *Non solum* [illegible] Non solùm autem testatoris, vel [illegible] etiam aliena legari potest, ita ut hæres [illegible] vel si eam non potest redimere, [illegible] dare. Quapropter si testator rem alienam [illegible] tenetur hæres illam à domino justo [illegible] dominus eam vendere nolit, tantum [illegible] quantum res illa æstimatur.

671 Dicitur tamen notanter, si testator [illegible] esse alienam &c. Nam statim subjungit [illegible] *Non solùm.* Quod autem diximus alienam [illegible] ita intelligendum est, si defunctus sciebat [illegible] alienam, non si ignorabat. Ratio additur, [illegible] si scivisset alienam [illegible] Quæ ultima verba indicant [illegible] legantes rem alienam [illegible] cessat in casu, quo [illegible] conjunctis personis, ut [illegible] vide [illegible] et legatum [illegible] ignoraverit. [illegible] *rem alienam* [illegible]

inter Jus Civile & Canonicum, sed lex Civilis etiam in Foro Ecclesiæ servari, nisi apertè à Jure Canonico inveniatur immutata, prout amplius diximus in Prœmio *§. 13. à num. 224.*

674 Nec obstat, quod ab Adversariis communiter objicitur *c. Filius 5. h. t.* ubi dicitur: Et quidem leges sæculi hoc habent, ut hæres ad solvendum cogatur, si actor ejus rem legaverit alienam, sed quia lege Dei, non autem lege hujus sæculi vivimus, valde mihi videtur injustum, quòd res tibi legatæ, quæ cujusdam Ecclesiæ esse perhibentur, à te teneantur, qui aliena restituere debuisti. Ex quibus verbis aliqui putant, legem Civilem à Jure Canonico tanquam iniquam correctam fuisse. Nam contra est: tum quod Pontifex ibidem non improbet Legem Civilem, sed tantùm iniquam detentionem Legatarii, qui rem alienam sibi legatam, invito rei domino retinere voluit, quod ab ipsa etiam Lege Civili reprobatur, utpote quæ nullatenus concedit, ut rei alienæ legatæ dominus ad eam vendendam cogatur; multo minùs admittit, ut ea eidem invito auferatur, vel eodem invito retineatur; sed tantum disponit, quod, si dominus rem legatam, vel penitus non, vel non nisi immoderato pretio vendere velit, hæres æstimationem illius præstare debeat Legatario, *argument. cit. c. Non solum 4. Instit. de legat. l. Qui quatuor 30. §. fin. & leg. Non dubium 14. ff. de leg. 3.* ibi; *Si redimere non possit, quod dominus non vendat, vel immodico pretio vendat, justam æstimationem inferat.*

675 Aliter *ad cit. c. Filius h. t.* respondet Innocentius dicens, illud tantùm intelligendum esse in casu, quo legatur res aliena Ecclesiastica, sive ad Ecclesiam pertinens: hæc enim cùm non nisi difficulter, & adhibitis Juris solemnitatibus vendi queat, utiliter legari nequit. Idem sentit Glossa *in can. Episcopus 5. caus. 12. q. 5.* ℣. *Legaverit.* Quæ tamen eadem Glossa *in c. Filius h. t.* ℣ *Restituere*, aliter sentit, dicens, tantùm *cit. c. Filius*, intelligendum esse de benignitate Canonica, non de rigore Juris.

676 Alii cum Covarruvia putant, Pontificem ibidem solummodo factum iniqui detentoris, qui pro suæ injustæ detentionis defensione Legem Civilem allegaverat, quasi verò vi illius liceret eidem rem alienam sibi legatam, etiam invito domino arripere, ac retinere, reprehendisse dicendo, quod etsi Leges Civiles hoc concederent licitum non foret, utpote militans contra Legem Dei, quæ rem alienam invito domino rapere aut retinere non permittit, & hoc dicere voluisse per verba, Et quidem Leges sæculi hoc habent: Quidquid autem de sensu hujus Canonis sit, sufficit, quod communis Doctorum concedat, vi illius Legatum rei alienæ non improbari, & consequenter etiam de Jure Canonico valere, cùm alius Textus contrarius non reperiatur.

677 Resp IV Quamvis rei alienæ Legatum præfato modo factum valeat, etiamsi sit ipsius hæredis, *arg. cit. §. 4. Instit. de Legat. & l. 67. §. 8. ff. de Legat. 2.* Tamen invalidum est Legatum rei alienæ ad ipsum Legatarium pertinentis. Textus expressus est *in l. Proprias 13. C. de Leg.* ibi: Proprias tuas res legari, vel committi tibi non potuisse, certum est. Hinc nullum, & elusorium quoque est Legatum rei, quæ priùs jam debetur, dicendo v. g. Mille, quæ Cajo debeo, eidem lego, nisi forsan aliquod saltem emolumentum inde haberet Legatarius: ut si v. g. ei Testator debet mille per partes, post multos annos solvenda: validum & utile erit Legatum, si dicit: Lego creditori meo mille, quæ eidem debeo. Ratio est: quia vi legati potest totum simul statim petere, textu claro *leg. 82. ff. de Leg. 2. & l. 28. ff. de leg. 1.*

678 Porrò, si debitum, quod legat Testator, est purè *legale*, aut *statutarium*, cujusmodi sunt legitima, Dos, donatio, propter nuptias in tantum valet, ut per illud solvatur, & expungatur debitum hujusmodi legale, adeò ut vi legis amplius quid solvere hæredes non teneantur, *argum. Authen. Præterea, C. unde vir & uxor. & l. omnimodo 30 Cod. de inofficios. Testament.* Si verò non sit legale, seu à lege, legisve provisione introductum, sed ex contractu, vel quasi contractu, delicto, vel quasi delicto debitum, tunc legatum valet, debentque hæredes præter illud etiam debitum solvere, nisi aliter exprimat Testator dicendo v. gr. In compensationem debiti hoc lego, aut lego mille, quæ debeo, *argument. l. un.* *§. de Rei uxor. act. & leg. 85. ff. de leg. 2.* Klingenperger *lib. 2. tit. 20. quæst. 12.* Menochius *lib. 4. Præsumpt. 109.* Fachin. *lib. 5 cap. 33.* Infertur proin, in casu, quo Testator debet Titio centum, & legando dicit: lego Titio centum, debere hæredes præter legatum etiam debitum solvere: nisi addat: lego centum, quæ debeo, vel in solutionem debiti.

Illud etiam certum est, posse Testatorem id, quod ei debetur, debitori legare. Textu claro *§. 13. instit. h. t.* ibi: Si quis debitori suo liberationem legaverit, legatum utile erit: & neque ab ipso debitore, neque ab hærede ejus potest hæres petere: sed & potest à debitore conveniri, ut liberet eum. 679

Quæritur VII. Quandonam legatarius acquirat dominium, & fructus legati sibi facti? Resp. I. Quando res certa, ac determinata individuo purè legatur v. g. hæc domus, hic ager, & prædium &c. verum illius dominium acquirit illicò post aditam ab hærede hæreditatem, sed non ante. Gomez *var. resolut. cap. 12.* Fachin. *lib. 1. cap. 94.* Molina *disput. 181. & 194.* cum communi aliorum, *leg. Si tibi homo 86. §. 2. ff. de legat. 1. leg. Si nemo 181. ff. de R. I.* ibi, Si nemo subierit hæreditatem, omnis vis testamenti solvitur, *leg. Nemo 1. ff. de testament. tutel.* ibi: Si nemo hæreditatem adierit, nihil valet ex his, quæ Testamento scripta sunt. Rationem dant Doctores; quia nemo est, à quo legata petantur, cùm solus hæres ea præstare debeat. Dicitur autem notanter verum dominium; quia quando post aditam hæreditatem Legatarius acceptat Legatum, fictione Juris retrotrahitur dominium ad diem mortis, eò quòd dies legati statim à die mortis cedat. *l. Si post diem 5. § 1 ff. quando dies leg. ced.* ibi: Itaque si purè legatum est, ex die mortis dies ejus cedit: id est debetur, *l. Cedere 213. ff. de V. S.* ibi: Cedere diem significat incipere debere pecuniam: Venire diem significat, cum diem venisse, quo peti potest pecunia. Porrò licet legatarius post aditam hæreditatem dominium legati etiam ante acceptationem illius, imò ignorans acquirat, tamen donec acceptet, revocabile est, potestque adhuc repudiare legatum: post acceptationem autem redditur irrevocabile, *argum. cit. l. Si tibi homo 86. §. 1. ff. de l. 1.* Hinc Alexander in eandem l. apud Molinam *disp. 181. num. 1.* ad conciliandos Doctores, & Jura, triplex distinguunt legati dominium. Videlicet verum sed revocabile, quod legatarius post aditam ab hærede hæreditatem, ante acceptationem legati acquirit. Secundò Fictum quod juxta dicta à die mortis habet. Tertiò verum irrevocabile, quod ei competit post legatum, hæreditate jam adita acceptatum. Limitatur autem Conclusio in legatis piis utpote quæ debentur, etiamsi hæreditas non adeatur, eò quod juxta dicta in his juris subtilitas non attendatur. 680

Resp. II. Fructus illi, qui aliquo modo evadunt pars rei legatæ; omnes pertinent ad legatarium à die mortis. Est extra controversiam, textu claro *leg. 20. ff. de leg. 1.* ibi: Grege legato, & quæ postea accedunt, ad legatarium pertinent; & *§ 10. Instit. de leg.* ibi: Grege autem legato etiam eas oves, quæ post Testamentum factum gregi adjiciuntur, Legato cedere Julianus ait. Ratio est; quia illa capita evadunt pars gregis. Idem dic de fructibus soli; aut agri legati pendentibus, aut hærentibus ante mortem Testatoris. 681

De aliis verò fructibus magna est controversia inter Doctores, quorum aliqui, ut Vasquez, Molina *disp. 194. n. 1.* Gomez *Var. res. tom. 1. c. 12. n. 5 & 22.* Bartolus & alii volunt, eos deberi à die mortis, vel saltem à die aditæ hæreditatis, *arg. l. Titia ff. de Partis*, & ibi Glossa finalis, & *l. cùm servus 86. §. 2. ff. de leg. 1.* Rationem dant; quia fructus sequuntur dominium rei, cujus sunt fructus per vulgaria; consequenter cùm juxta dicta legatarius post aditam hæreditatem acquirat dominium legati, taleque dominium post acceptationem fictione Juris retrotrahatur ad diem mortis, fructus à tali tempore ad eundem pertinebunt. 682

Alii verò cum Godefred-Cujacio, & Vvadingo docent non nisi illos fructus deberi legatario, qui fuere percepti postquam hæres fuit in mora solvendi, *arg. l. fin. C. de Usur. & fruct. leg. 1.* ibi: In legatis & fideicommissis post litis contestationem, non ex die mortis consequuntur, sive in rem, sive in personam agatur. Ex quo inferunt, quòd licèt legatarius post aditam hæreditatem, statim petere 683

possit legatum, tamen si petere differt, fructus legati interea percepti ad hæredem pertineant. Et quoniam verba legis sunt valdè clara, sententia horum Doctorum sanè æque probabilis videtur, ac præcedens; præsertim cum Jura in contrarium allegata non malè interpretentur, & ad rationem benè respondeant; fructus rei sequi dominium ejus, si non aliter expresse disponatur in Jure, conceditur: secùs verò, quando aliter disponitur, uti in præsenti casu.

684 Resp. III. Si legatum non est quid determinatum, sed in genere, tunc fructus intermedii acquiruntur hæredi, nisi sint in mora solvendi. Gomez *tom 1. Var. res. c 12. n. 22.* Molina *disp. 194. n. 13* Bartolus, & alii, *l. Si quis bonorum 23. ff. de leg. 1.* ibi: Si quis bonorum partem legaverit, ut hodie fit, sine fructibus restituitur: nisi mora intercesserit hæredis.

685 Resp. IV. Quando legatur aliquid in diem, vel sub conditione de futuro, non transit dominium in legatarium, donec dies determinata adveniat, & conditio adimpleatur. Communis *arg. l. Unica §. Sin autem 7. C. Communia de leg.* Ratio patet; quia ante adventum conditionis nondum debetur, imò conditione non adimpleta omninò exspirat juxta dicta: ergo dominium ad eundem non transit, consequenter nec fructus ejus.

686 Resp. V. A die, quo legatarius comparat dominium legati, habet non tantùm actionem personalem, & hypothecariam, sed etiam rei vindicationem. Molina *disp. 194. n. 15.* Covarr. *h. t. c. 16. §. 10. nu. 2.* cum Communi *arg. l. 1. C. Communia de legat.* Priùs autem, antequam dominium comparet, habet solam actionem personalem, & hypothecariam, non item realem. Doctores citati. Ratio est; quia, qui dominium non habet, ei actio in rem non competit: habet tamen talis legatarius tacitam hypothecam in omnibus bonis defuncti, *arg. cit. l. C. Communia de legat.* Hinc colliges, quod licet legatarius dominium legati in genere etiam post aditam hæreditatem non acquirat: nec legati in specie ante aditam hæreditatem, semper tamen habeat ad illud jus & actionem personalem; nec non etiam hypothecam in bonis defuncti usque dum legatum suum consequatur.

687 Quæritur VIII. An legatarius propria authoritate capere possit legatum? Resp. Negativè: imò si propria authoritate illud capere attentat, id, quod capit, amittit. Communis. Textu claro *l. Non dubium 5. C. de leg.* ibi: Non est dubium, denegari actionem legatorum ei pro portione competenti in his rebus, quas subtraxisse eum de hæreditate apparuerit. Limita in casu, quo id ex licentia, aut dispositione ipsius Testatoris faciat. Molina *disp. 194.* Gomez *loc. cit nu. 10.* & communis aliorum, *arg. l. Titia cum Testamento 34. ff. de leg. 2.* Idem dic, si de voluntate hæredis accipit. Ratio est; quia tunc propria authoritate capere non amplius dicitur *arg. l. Si ex stipulatione 5. ff. de Acquir. poss.*

Quandonam autem debeatur legatum, & à quo peti possit? dicemus infrà §. 23 *de Executoribus & Executionibus Testam. & aliorum Ult. Vol.*

§. XXI.

De Donationibus mortis Causa: item de Codicillis, & clausula Codicillari.

SUMMARIUM.

688 *Definitur Donatio mortis causa. In dubio præsumitur Donatio inter vivos.*
689 *Doctrina practica.*
690 *Donatio mortis causa requirit acceptationem donatarii.*
691 *Nec perfecta censetur ante mortem donantis.*
692 *Tres modi Donationis mortis causa referuntur.*
693 *Potest hæc donatio quovis tempore, etiam à sano fieri, dummodo intuitu mortis, & facta mentione ejusdem fiat.*
694 *Donatio in mortis periculo, aut in infirmitate facta exspirat statim, quando ad sanitatem redit, vel periculum evadit donans.*
695 *Donare mortis causa potest, qui testari valet.*
696 *Econtrà qui testari nequit, nec mortis causa donare potest.*
697 *Cuivis mortis causa donare licet, qui legatorum capax est.*
698 *Quævis donatio mortis causa pro libitu revocari potest.*
699 *Solvitur instantia ex Jure.*
700 *Donatio mortis causa exspirat, seu tacite revocatur quatuor modis: primò, quando cessat infirmitas, seu periculum mortis, occasione cujus quis donavit.*
701 *Secundò, si donatarius moritur ante donantem usque ad num. 707.*
707 *Codicillus definitur.*
708 *In Codicillo hæreditas per Fideicommissum indirectè dari potest.*
709 *Codicillus ad quid serviat?*
710 *Ad Codicillum requiruntur quinque testes simul præsentes, qui in scripto Codicillo etiam se subscribere debent.*
711 *Etiam Fœminæ esse possunt testes in Codicillo.*
712 *In Codicillis parentum inter liberos, & ad pias causas sufficiunt duo testes.*
713 *Codicillum facere potest omnis, qui testari potest, gerinus, & in scriptis: cum & sine Testamento post illud.*
714 *Et ante illud.*
715 *Potest quis plures facere Codicillos.*
716 *Dispositio volentis testari, nec ut Codicillus valet, si non habet clausulam Codicillarem.*
717 *Vel dispositio sit inter liberos, vel ad causas pias.*
718 *Clausula Codicillaris tacita & expressa quid?*
719 *Facit, quod Testamento existente nullo, nihilominus præstari debeant legata.*
720 *Ac restitui tota hæreditas (deducta Trebellianica) per modum Fideicommissi hæredi instituto.*
721 *Etiamsi ob præteritionem, vel exhæredationem hæredis necessarii, Testamentum sit nullum.*
722 *Vi dictæ clausulæ potest hæres institutus agere, vel ex Testamento, vel in vim Codicilli.*
723 *Clausula Codicillaris nil operatur, nisi dispositio saltem illam solemnitatem habeat, quæ ad Codicillum requiritur. Et nu. seq.*
725 *Refertur clausula in Bavaria præcipuè usitata.* Quidquid in vacuo Testamenti spatio, vel in separata charta adjecero, volo, ut valeat, ac si ab initio Testamenti fuisset insertum, *usque ad n. 729.*
729 *Refertur clausula inutilis.*

Quæritur I. Quid sit? quomodo? & quando fieri possit Donatio mortis causa? Resp. I. Donatio mortis causa est illa, quæ intuitu mortis, & expressa cum mentione ejusdem fit. Ita in re Communis: convenitque cum illa, quæ datur §. 1. *Inst. de Donat.* ibi: Mortis causa donatio est, quæ propter mortis fit suspicionem. Dicitur autem notanter in nostra definitione cum expressa mentione mortis. Quando enim nulla fit mentio mortis, præsumitur Donatio inter vivos, etiamsi interdè intuitu mortis donare intenderit, ipsamque Donationem in summo mortis periculo fecerit Donator; prout habet Communis, *arg. l. Seja 42. § 1. ad fin. ff de Donat.* ubi etiam ratio habetur, dum dicitur, Eum qui absolutè donaret, non tam mortis causa, quam morientem donare. Hinc allegànti Donationem hanc incumbit probatio; cùm etiam in dubio semper præsumatur Donatio inter vivos, hoc ipso, quod hæc sit propriè Donatio, verba autem ordinariè in proprio accipiantur sensu. 688

Infertur Sequentem Donationem ab aliquo in mortis articulo constitutum. Titio dono centum florenos: vel meam domum: esse Donationem inter vivos; quia nulla fit mentio mortis: sequentem verò esse mortis causa: quia video, me brevi moriturum: vel, quia omnes moriemur: vel, quia & ego aliquando mori debeo, dono Titio meam domum &c. Ratio est; quia ob expressam mortis mentionem clare patet: Donantem intuitu, & consideratione mortis donasse. 689

Resp. II. Ad hoc, ut Donatio mortis causa plenum, ac irrevocabilem sortiatur effectum, requiritur acceptatio Donatarii: nec ordinariè perfecta censetur, donec sequatur mors Donantis. Prima pars tenetur ab omnibus. Ratio est; quia juxta dicta suprà *tit. 20. n. 10. de Donat.* ad omnem donationem requiritur acceptatio, *l. Absenti 10. ff. de Donat.* consequenter etiam ad Donationem mortis causa. Hinc etsi quis utatur verbo Donatio in sua ultima dispositione, tamen Donatio non erit, sed Legatum, vel Fideicommissum, si quis ita disponit, quod ille, cui donatur, acceptare ob ignorantiam v. g. non possit; prout fit, si quis in clausula Scripturæ facit Donationem, mandans, ut primum post mortem suam aperiatur, textu expresse *l. 75. ff. de leg 2. & l. 77. §. 26.* 690

691 Altera verò pars liquet ex *l. 32. ff. eod.* ubi expresse habetur: Non videtur perfecta Donatio mortis causa facta, antequam mors insequatur. Nec obstat *l. 2. ff. eod.* ubi dicitur: Esse etiam speciem donationis mortis causa, si quis ita donat, ut statim fiat accipientis. Nam contra est, quod etiam hæc Donatio adhuc sit revocabilis, consequenter in effectu nondum omninò perfecta; prout magis dicetur infrà.

692 Resp. III. Tribus præcipuè modis fieri potest Donatio mortis causa, qui referuntur *l. 2. de Mortis causa Donat.* ibi: Tres esse species mortis causa Donationum, Julianus ait. Una, cùm quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat. Aliam esse speciem mortis causa Donationum ait; cùm quis imminente periculo commotus, ita donat, ut statim fiat accipientis. Tertium esse genus Donationis, ait, si quis periculo motus non sic donat, ut statim fiat accipientis; Sed tunc demum cùm mors fuerit secuta.

693 Resp. IV. Potest Donatio mortis causa fieri non tantùm in evidenti & præsenti, sed & futuro mortis periculo, & in quavis infirmitate, imò etiam tempore perfectæ sanitatis; dummodo intuitu mortis fiat, & mentio mortis expressa habeatur. Communis ac certa, textu claro *cit. l. 2. de Mortis causa Donat.* ibi: Cùm quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat, & *l. Senatus 35. §. 4. ff. eod.* ibi: Mortis causa Donatio fit multis modis. Alias extra suspicionem ullius periculi à sano, & in bona valetudine posito, & cui ex humana sorte mortis cogitatio est. Alias ex metu mortis, aut ex præsenti periculo, aut futuro; siquidem terra, marique, tam in pace, quam in bello, & tam domi, quam militiæ multis generibus periculum mortis metui potest. Concordat *l. 3. 4. & 5. ff. eod.*

694 Et tamen notabile discrimen inter Donationem mortis causa factam præsenti vel imminenti periculo, aut infirmitate, & illam, quæ absente omni periculo à sano fit. Prima siquidem ipso Jure exspirat, quamprimum donans à periculo mortis, vel infirmitate, in qua donavit, liberatur, *arg. § 1. Inst. de Donat.* Ratio est; quia talis præsumitur sub tacita conditione donasse si in hac infirmitate vel periculo decedat. Altera verò donatio, nisi revocetur, perdurat, & completur, quandocunque, & quocunque mortis genere decedat; Ratio differentiæ est; quia hoc ipso, quod quis omni absente mortis periculo plane sanus Donationem fecerit, eam certo mortis generi tacite allegasse, præsumi prudenter non potest.

695 Quæritur II. Quinam. & cui donare mortis causa possit? Resp. I. Quicunque testari nequit, etiam mortis causa donare non potest. Prima pars caret controversia, patetque clare ex *l. Marcellus 15. ff. de Mortis causa Donat.* ubi ideò mortis causa Donatio approbatur, quia facta est ab eo, qui testari potest. Adhuc clariùs Conclusionem probat *l. cùm hic status 32. §. Similes 8. ff. de Donat. inter vir & uxor.* ubi ita habetur, Mortis causa donare poterit, cui testari permissum est. Unde bene infert Fachin. *lib. 5. c. 16* post Jasonem *in l 2. ff. de leg. 1.* Alciatum *in l. 2. n. 2. ff. de V. O.* & alios. Minorem puberem etiam sine Tutoris authoritate, mortis causa donare posse, quia sine ejusdem authoritate testari potest. Item, licet conjugum donationes ad invicem inter vivos non valeant, valere tamen eorum donationes mortis causa, *arg. l. Si eum 9. § 2.* ubi expresse dicitur: Inter virum & uxorem donationes mortis causa receptæ sunt. Rationem subjungit immediate *l. 10. ff. eod.* illis verbis. Quia in hoc tempus excurrit donationis eventus, quo vir & uxor esse desinunt.

696 Altera pars est communis, & probatur ex *l. 1. ff. de tutel & rat. dist.* ubi ideò pupillus mortis causa donare prohibetur, quia testari non potest; ita enim loquitur Lex. Nam sicut testamenti factio pupillis concessa non est, ita nec mortis causa donationes permittendæ sunt; quinam autem testari nequeant, vide supra *n. 281. & seqq.*

697 Resp. II. Omnibus mortis causa (donatio) permittitur, qui scilicet & legata accipere possunt; sunt verba *l. Omnibus 9. ff de Mortis caus. Donat.* Quæ cum sint clara, nil eis addendum videtur.

Quæritur III. An, & quomodo Donatio mortis causa revocari possit? Item quandonam ipso Jure exspiret? Resp. I. Donatio mortis causa propriè talis, quævis etiam acceptata, ad libitum Donantis revocari potest. Fachin. *lib. 5. cap. 23* Menochius *lib. 3. Præsumpt. 35. n. 21.* Julius Clarus, *§. Donatio, quæst 4. in fin.* Mascardus *de Probat. concl 561 n. 6.* & communis aliorum volentium, Conclusionem adeò veram esse, ut si pactum, vel promissio de non revocanda Donatione mortis causa fiat, eo ipso jam non censeatur donatio mortis causa, sed inter vivos. Fundamentum Conclusionis est; quod de natura hujus Donationis sit, esse revocabilem usque ad mortem hoc ipso, quod Donans pœnitere possit, & ad ipsum, si pœniteat, donatum revertatur, *§ 1. instit. de Donation* ubi natura dictæ Donationis ita describitur; Mortis causa donatio est, quæ propter mortis fit suspicionem cùm quis ita donat, ut si quid ei humanitus contigerit, haberet is, qui accepit; sin verò supervixisset, is, qui donavit, reciperet, vel si cum Donationis pœnituisset, aut prior decesserit is, cui donatum. Concordat *l. 1. ff. de Mortis caus. Donat.* Pariter de natura hujus Donationis esse dicitur, quod Donans donatum potiùs sibi manere, quam Donatarii esse, semper velit; consequenter, quoties vult, Donationem iterùm revocare, remque donatam iterùm perfectè suam facere valeat: Verba legis sunt sequentia. Mortis causa Donatio, cùm quis habere se vult, quam eum, cui donat; magisque eum, cui donat, quam hæredem suum. Accedit, quod si in aliquo casu Donatio mortis causa esset irrevocabilis, jam hoc ipso ante mortem esset perfecta, quod tamen est contra expressum textum *cit. l. Non videtur 32. ff de Mortis causa donation* Confirmatur Conclusio specialiter ex clarissimo textu *l. ubi ita 27. ff. eod.* ibi: Ubi ita donatur mortis causa, ut nullo casu revocetur, causa donandi magis est, quam mortis causa Donatio, & ideò perinde haberi debet, atque alia quævis inter vivos donatio: ideoque inter vivos, & uxores non valet; & ideò nec Falcidia locum habet, quasi in mortis causa donatione. 698

Objiciunt Adversarii volentes Donationem mortis causa saltem tunc revocari non posse, quando Donator promisit se non revocaturum, *l. Si alienam 13 §. 1. ff. eod.* ibi: Sic quoque potest donari mortis causa; ut nullo casu sit ejus repetitio, id est, nec si convaluerit quidem donator. Quæ verba repetuntur, *leg Senatus 35. §. 4. ad fin. eod.* Ad hanc textum variè respondetur à Doctoribus; receptior tamen responsio est, quod, si ita donatur, jam hoc ipso mortis causa donatio propriè non sit, sed tantùm ita vocetur, quia mors est causa impulsiva donandi, *arg. cit. leg ubi ita 27. ff. eod* & aliis Juribus *præc. n.* citatis. 699

Resp. II. Quatruplicìter præcipuè ipso Jure exspirat, seu tacitè revocata censetur mortis causa Donatio, prout videre est, *§ 1. Instit. de donat.* videlicet: Primò, quando cessat infirmitas, seu mortis periculum, occasione, & intuitu cujus donatio facta est: ibi: Sin autem supervixisset, is, qui donavit, reciperet. Glossa, *Ibid. V. Supervixisset.* Menochius *lib. 3. Præsump 37 n 3.* Ratio est; quia, qui in tali statu donat, sub tacita hac conditione donare censetur, si in hoc periculo, vel infirmitate decedat, consequenter, si non decedat, sed evàdit periculum, deficit conditio, & per consequens etiam tacitè conditionata donatio. 700

Secundò cessat ipso Jure absque ulla expressa revocatione, vel voluntate declaratoria si donatarius moritur ante donatorem, textu claro *cit. §. 1. Instit. de donat.* ibi: Aut prior decesserit, cui donavit. Concordat, *leg. Si vir uxori §. uxor. viro ff. de donat. inter vir. & uxor.* 701

Tertiò exspirat, quando donatorem pœnitet donationis factæ, *cit § 1. instit de donat.* ibi: Vel si eum donationis pœnituisset, & *l.* Qui mortis causa donavit, ipse ex pœnitentia conditionem, vel utilem actionem habet. Potest autem pœnitentia donatoris vel expresse, vel tacite significari. Expresse: si clarè dicat, se pœnitere de facta donatione. Tacite fit illis modis, quibus tacite revocari censetur Legatum, *arg. leg. Illud 37. ff. eod.* Quomodo autem tacite revocetur Legatum, dicetur infrà *seqq. §.* Vide etiam de hoc Menochium *citat. lib. 3. Præsump. 37. à nu. 9.* 702

Quartò exspirat ipso Jure, si donator pœna capitis affi- 703

afficitur, *l. Si aliquis 7. ff. eod.* ibi: Si aliquis mortis causa donaverit, & pœna fuerit capitis affectus, removetur donatio ut imperfecta: quamvis cæteræ donationes sine suspicione pœnæ factæ valeant.

704 Quæritur IV. In quibus differat donatio mortis causa à Legato, & donatione inter vivos? Resp. I. Quamvis *l. Illud 37. princ. ff. de Mortis caus. donat.* dicatur: Illud generaliter meminisse oportebit, donationes mortis causa factas, legatis comparatas: Quandocunque igitur in legatis quid juris est, id in mortis causa donationibus erit accipiendum, & *§. 1. Instit. de donat.* quod donatio mortis causa, per omnia fere legatis annumeretur. Nihilominùs in aliquibus ab eo differt. Et quidem I. Quod ad donationem mortis causa requiratur acceptatio ante mortem donantis, non item ad Legatum, uti patet ex dictis. II Quod donatio mortis causa ab infirmo, vel in mortis periculo constituto facta, reconvalescentia donantis ipso Jure exspiret, non item Legatum: prout rursus ex dictis habes. III. Quod Donatio mortis causa, morte donantis confirmetur independenter ab aditione hæreditatis: secus in Legato, *arg. l. Post legatum 5. §. 17. ff. de His quæ ut indig.*

705 Resp. II. Donatio mortis causa à Donatione inter vivos in pluribus, præsertim verò in sequentibus differt. I. Quod donatio inter vivos semel ritè facta, ordinariè non amplius sit revocabilis; bene verò donatio mortis causa, juxta dicta. II. Quod donatio mortis causa evanescat moriente ante donatorem donatario, nec transmittatur in hoc casu ad hæredes; secùs in donatione inter vivos. III. Quod ad donationem inter vivos quingentos solidos excedentem requiratur insinuatio apud Judicem, *arg. §. Aliè autem 2. Instit. de donat.* Non item ad donationem mortis causa, *l. fin. C. de donat. Mortis caus.*

706 Quæritur V. Quænam solemnitas requiratur ad donationem mortis causa? Resp. Eandem, quæ ad Codicillum, *arg. l. fin. C. de Codicill.*

707 Quæritur VI. Quid sit Codicillus? ad quid serviat? à quo, & quomodo fieri debeat? Resp. I. Codicillus est Ultima Voluntas, sine directa hæredis institutione facta, per quam donationes mortis causa, Legata, Fideicommissa etiam universalia fieri, ac Testamentum declarari, salvaque hæredis institutione immutari, minui, & augeri potest. Est in re Communis, desumiturque ex *tot. tit. Instit. & C. de Codicill.* nec non ex *tit. ff. de Jure Codicill.* Dicitur ultima voluntas loco generis. Dicitur, Sine directa hæredis institutione facta; quia in Codicillis hæres institui non potest, sicut nec hæreditas hæredi auferri, *§. Instit. h. t.* Nam Codicillis hæreditas directe nec dari, nec adimi potest, ne confundatur jus Testamentorum, & Codicillorum. Concordat, *l. 2. & l. Si idem C. eod.* ubi etiam habetur, quod per hoc maxime differat Codicillus à Testamentis.

708 Dicitur autem notanter, sine directa hæredis institutione, quia indirecte per Fideicommissum in Codicillis hæreditas dari, consequenter in Codicillis hæres indirecte suo modo institui potest; prout contingit, si quis absque Testamentum decedens facit Codicillum, in eoque rogat hæredem ab intestato, ut hæreditatem vel totam, vel partem restituat alteri; debet enim in hoc casu parere hæres; quamvis Trebellianicam deducere possit. Communis ac certa, textu claro, *§. 2. Instit. de Codicill.* ibi; Nam per fideicommissum hæreditas Codicilli Jure relinquitur. Concordat *l. 2. C. eod.*

709 Cætera verba ponuntur loco differentiæ, qua differt à cæteris Ultimis Voluntatibus; patetque ex eis ad secundam quæsiti partem, ad quid serviat. Servit namque illis, qui testamentum facere nolentes, libenter aliqua legata, vel donationes mortis causa facerent. Item servit illis, qui testamentum jam factum, libenter immutarent, declararent, minuerent vel augerent, adderent, demerent &c hæc omnia namque per Codicillum fieri possunt; dummodo salva semper maneat hæredis institutio facta, hæc enim, ut dictum, per Codicillum tolli non potest, & consequenter nec ipsum testamentum quoad essentiam vel substantiam, quæ in hæredis institutione consistit, revocari valet aut immutari. Item potest quis intestatus decedens, per Codicillum indirecte substituere hæredem, rogando hæredem ab intestato, ut hæreditatem alteri restituat, juxta dicta *n. præc.*

Resp. II. Ad Codicillum nulla alia requiritur Juris solemnitas, quam quinque testes, sive fœminæ, sive masculi, sive rogati, sive fortuito, eodem tamen tempore simul præsentes; qui se subscribere, non item subsignare debent, si erigitur Codicillus in scriptis; quæ subscriptio necessaria non est, si oretenus fit. Omnes, ob clarum textum, *l. fin. C. de Codicill.* ibi; In omni ultima voluntate excepto testamento; quinque testes, vel rogati, vel qui fortuitò venerint, in uno eodemque tempore debent adhiberi: sive in scriptis, sive sine scriptis voluntas conficiatur: testibus videlicet, quando voluntas in scriptis componitur, subnotationem suam accomodantibus. Ubi disponentes admonendi, quod si Codicillum oretenus factum, in scripturam, ob memoriæ adjutorium redigunt, coram testibus exprimant, se non in scriptis, sed nuncupativum facere Codicillum, scripturamque solummodo adhibere, ut facilius memoria retineatur. 710

Porrò, quod etiam fœminæ possint esse testes, docent Tuschus, *litt. C. concl. 405. n. 1.* Baldus *consil. 283. circa finem lib. 3.* Molina *disput. 131. n. 6.* & Communis aliorum. Ratio est; quia in requisito numero testium non requiruntur soli masculi, nec fœminæ excluduntur, sicut in testamento: Concordat Jus Bavar. *tit. 37. art. 1.* Debent tamen, sicut alii testes ad Codicillum requisiti, ad testificandum de Jure idonei, & omni exceptione majores esse, *arg cap. relatum 11 h. t.* 711

Limitatur Conclusio in Codicillis inter liberos, & ad pias causas factis; quia cùm ad testamenta inter liberos, vel ad causas pias facta coram duobus testibus valeant, utique etiam Codicillus, utpote ad sui formam, minorem requirens solemnitatem valebit; uti cum aliis bene advertit Tuschus *lit. C. concl 405. n. 11.* & Molina *disp. 131. n. 8.* quod valdè inservit pro parentibus, qui licèt sublinde testamentum illibenter faciunt, libenter tamen ob certas causas uni ex liberis plusquam alteri, vel quid speciale legarent; possunt namque hoc facere absque ullo Testamento per Codicillum coram adbibitis duobus obviis testibus etiam fœminis factum. Idem est de illis, qui Testamentum condere nolentes, libenter pro anima sua quid legarent, aut disponerent. 712

Resp. III. Codicillum omnis, & solus facere potest, qui testari valet; & quidem oretenus, vel in scriptis: Item sine Testamento, & cum Testamento: sicut & ante, ac post illud. Prima pars Conclusionis patet ex *l. Divi 8. de Jure Codicill* ibi: Codicillos is demum facere potest, qui & Testamentum facere potest. Secunda pars constat ex *l. fin. C. de Codicill.* ibi: Sive in scriptis, sive sine scriptis voluntas conficiatur. Quod absque testamento fieri valeat, controversia caret. Textus est in *l. Non idcirco 4. C. eod.* Quod cum testamento, & quidem quod post illud fieri possit, omnes concedunt, *arg. l. Si quis 3. ff. de Jure Codicill.* 713

Quod verò etiam ante testamentum factus Codicillus valeat, dicitur *§. 1. Inst. de Codicill.* dummodo appareat, eum, qui testamentum fecit, à voluntate, quam in Codicillis expresserat, non recessisse, uti notanter dicitur *cit. §. 1.* Quod si testator in testamento subsequenti expresse confirmant Codicillum priùs factum, certo valebit, *arg. l. Sive initio 6. C. eod. & cit. Inst. eod* ibi: Sed cum ante testamentum factum, facti Codicilli erant, Papinianus ait. 714

Resp. IV. Potest quis non tantum unum, sed plures Codicillos facere, textu expresso *§. 1. Instit. eod.* ibi: Codicillos autem plures quis facere potest. Nec revocatur prius per posterius, nisi quatenus sibi contrarii sunt, *l. 3. C. eod.* Nec refert, quod testamentum prius rumpatur per posterius, *§. 2. Instit. Quibus modis testam. infirm.* Nam disparitas est; quod testamentum sit integra voluntas de omnibus bonis, atque ideò per posterius rumpatur: Codicillus autem integram omnium bonorum dispositionem non contineat, consequenter priori per posterius non detrahatur, nisi in quantum contrarium est. 715

Resp. V. Ultima Voluntas illius, qui dicit, vel exprimit, se velle Testamentum facere, non valet per modum Codicilli, si ex defectu solemnitatis non valet ut Testamentum, etsi omnes solemnitates ad Codicillum adessent; nisi dispositio clausulam habeat Codicillarem. Caret controversia. Textus expressus est in *l. 1. ff. de Jur. Codicill.* ibi: Sæpissime rescriptum, & constitutum est, eum qui Testamentum facere opinatus est, nec voluit, qua- 716

quasi Codicillos id valere, videri nec Codicillos fecisse. Ineoque, quod in illo testamento scriptum est, licet quasi Codicillus poterit valere, tamen non debetur: Quod idem sentiendum in casu, quo quis expresse quidem non dicit, quod testari velit, tamen hæredem instituit, vel exhæredationem facit; quia præsumitur, quod testari voluerit, *l. Non Codicillum 13. C. h. t.* ibi: Non Codicillum, sed testamentum aviam vestram facere voluisse, institutio, & exhæredatio facta probant evidenter. Limitatur tamen Conclusio, si sit adjecta clausula Codicillaris, *arg. l. fin. §. 1. C. de Codicill.* patebitque magis ex sequentibus.

717 Limitatur II. In testamento parentum inter liberos, & ad causas pias, in quo, etsi clausula Codicillaris non sit inserta, tamen semper tacite censetur apposita, prout communiter advertunt DD.

718 Quæritur VI. Quid, & cujus effectus sit clausula Codicillaris? Resp. I. Clausula Codicillaris est, quam Testator Testamento apponit, & per eam expresse, vel tacitè declarat, quod, si Voluntas sua Ultima, ex defectu solemnitatis non valeret ut testamentum, valeat tamen ut Codicillus. Dicitur, Expresse vel tacite. Duplex enim est Clausula Codicillaris Expressa nempe, & tacita. Expressa est, dum expresse dicit, v. g. Si hæc mea dispositio non valet ut Testamentum, volo ut valeat ut Codicillus. Tacita est, quando id non expresse, sed tacitè innuit, dicendo nempe: Si hæc mea dispositio non valet ut testamentum, volo, ut valeat modo, quo potest, meliori: in hac siquidem clausula tacite jam insinuat, quod voluntatem suam valere velit etiam per modum Codicilli, hoc ipso, quod valere eam velit omni meliori modo. Ita terminos explicat Communis DD. *arg. l. 1. ff. de Jure Codicill & l. fin. C. de Codicill.* juncta *l. Ex ea scriptura 29. ff. Qui Testament. facere* Hodierna praxis utramque clausulam Codicillarem tam expressam nempe, quam tacitam cuivis testamento apponere solet dicendo v g Si hæc mea Ultima dispositio non valet ut testamentum, volo ut valeat tanquam Codicillus, vel alio modo, quo potest meliori. Quæ praxis ideò meritò imitanda est, quia multum disputant DD. quænam ex his duabus clausulis melior sit, ac pinguiores producat effectus; quamvis alii bene demonstrent, esse omnino ejusdem effectus. Quidquid autem sit, utriusque effectus Testator habebit, si utramque dicto modo apponit.

719 Resp II Effectus clausulæ Codicillaris sunt plures, præcipue autem sequentes. Primus est, quod in casu, quo testamentum ex defectu alicujus solemnitatis est nullum, v g. quia [illegible] adfuere sex vel quinque testes vel non omnes rogati, [illegible] debite subscripserunt, vel non sigillarunt &c. valeat [illegible] clausula dispositio ut Codicillus, vi cujus proin hæres [illegible] succedens tenetur solvere omnia Legata, ac Fideicommissa particularia in hujusmodi nullo testamento [illegible] Communis ac certa. Textus est in *l. fin. §. 1. C. de Co[illegible] Ex ea scriptura 29. ff. Qui Testam facere.* Concordant [illegible] Recht Bavariæ, *tit. 37. art. 3*

720 Secundus effectus est, quod hæredes extranei ab intestato venientes teneantur hæredi in hujusmodi irrito Testamento instituto per modum Fideicommissi restituere totam hæreditatem, sola dempta Trebellianica, quam pro se deducere possunt, si Inventarium fecerunt. Gailus *lib. 2 Observ. 114.* Tuschus *litt. C concl. 404 & seqq item conclus 292* Jason *in Authent. Ex Causa 22. C. de lib. præter.* Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 8. n 4* & Communis aliorum, *arg. l. Scævola 76 ff. ad S C. Trebellian. l. Si frater C. de Fideicommiss* juncta *l. 29. ff Qui Testam. facere.* Concordant Land Recht Bavariæ *loc. cit.* Ratio est quia cùm juxta dicta in Codicillo indirecte saltem, per Fideicommissum dari possit hæreditas, testamentum verò irritum clausula tamen Codicillari provisum, valeat saltem ut Codicillus; consequens est, quod hæredes ab intestato saltem per modum Fideicommissi hæreditatem restituere debeant hæredi instituto.

721 Eadem obligatio incumbit hæredibus necessariis, liberis v.g. in testamento parentum scienter, etsi injuste præteritis, vel indebite exhæredatis, hoc solo cum discrimine, quod sicut hæredibus extraneis competit detractio Trebellianicæ, ita hæredibus necessariis detractio Legitimæ, & Trebellianicæ simul, juxta dicta supra *n. 475.* Ita

Doctores citati. Tuschus *Litt. C. concl. 292. n. 1.* Clarus *§. Testam. q. 46.* & Communis aliorum, ita ut Gailus *loc. cit. n. 3.* dicat, in hac doctrina non esse dubium; quamvis Fachin. *l. 4. c. 11.* & alii velint, in casu præteritionis hæredem necessarium non teneri restituere hæreditatem vi clausulæ Codicillaris. Ratio autem nostræ ac communis doctrinæ est, quod, quia parens potuisset filium tali Fideicommisso per Codicillum gravare, uti omnes concedunt, jam hoc ipso censeatur gravatus, si clausula Codicillaris est apposita, *arg. cit. Jurib.* prætertim *l. 29. ff. Qui testam. facere.* Concordant Land-Recht Bavariæ *cit. tit. 37. art. 3.*

Tertius effectus est, quod hæres in testamento clausulam Codicillarem habente institutus agere pro libitu possit vel ex Testamento, vel in vim Codicilli: id est, posset vel vi Testamenti petere totam hæreditatem in Testamento sibi designatam: vel timens Testamentum non subsistere, agere in vim Codicilli, vique illius petere, ut hæreditas per modum Fideicommissi sibi restituatur. Ubi tamen notandum, quod si hæres institutus semel incæpit agere ex Testamento, amplius variare, & hæreditatem in vim Codicilli petere non possit; nisi esset ex agnatis usque ad quartum gradum, vel ex cognatis usque ad tertium gradum. Ita clarè dicitur *l. fin. n. 1. & 2. de Cod.* 722

De aliis minùs principalibus effectibus clausulæ Codicillaris vide apud Legistas, ac Tuschum *loc. cit.*

Resp. III Ad hoc, ut clausula Codicillaris effectus præfatos operetur, necesse est, ut Testamentum saltem illas solemnitates habeat, quæ ad Codicillum requiruntur. Communis ac certa. Ratio patet; quia dispositio ultima in vim Codicilli valere plane non potest, quæ solemnitatem, & Juris requisita ad Codicillum non habet. Infertur proin: si non fuere adhibiti quinque testes, vel interfuere de Jure inhabiles ad testificandum, vel si Testamentum factum est ab incapace testandi, regulariter nec in vim Codicilli valere Testamentum. 723

Hic tamen in memoriam revocanda doctrina *nu. 77. & seqq* posita; ex qua colligitur, quod etsi Codicillus separatim à Testamento factus, vel Testamentum habens clausulam Codicillarem careat solemnitate ad Codicillum requisita, nihilominus hæredes ab intestato teneantur restituere hæreditatem, casu quo ipsimet interfuere, & perceperunt defuncti voluntatem: & quidem in Foro interno semper juxta dicta *n. 98.* In Foro externo verò, si libere, vel juramento (quod oblatum præstare teneantur) compulsi fateantur defuncti voluntatem, ob rationes & Jura allegata *c. n. 77. & seq.* 724

Præter præfatam duplicem clausulam Codicillarem Jura Bavarica *Land-Recht. tit. 37 art 2.* adhuc aliquam adducunt DD. illius tenoris, quo Testator dicit: Volo insuper, ut quidquid huic meo testamento, vel in vacuis foliis aut spatio ipsius testamenti, vel in scheda separata scriptis adjecero, valeat eodem modo, ac si priùs jam huic testamento insertum esset. De hac clausula ita disponunt Jura Bavarica, quod nempe vi illius omninò valeat, totumque suum effectum habeat id, quod vel in vacuo spatio testamenti, vel quod in separata schedula scribitur ipsique testamento adjicitur; dummodo constet de manu propria testatoris, vel totum novum textum, ut dispositionem scribentis, aut ab alio scriptam [illegible] subscribentis, diesque & annus appositus [illegible] vel [illegible] manu propria testatoris dubitatur, si per duos testes, qui ipsum testatorem in vacuis testamenti spatiis scribere, vel subscribere viderunt, probari possit. Qui testes insuper se subscribere debent, casu, quo non in vacuis testamenti scripti spatiis, sed in separata scheda ulterior voluntas testatoris scribitur; nisi forsan per Notarium publicum fieret Instrumentum testificans, quod Testator in præsentia duorum testium similem schedulam scripserit, vel subscripserit; tunc enim valet, etsi testes non audiantur, vel jam mortui sint. 725

Hanc clausulam non solùm Jure speciali Bavarico, sed etiam communi Cæsareo procedere, effectumque suum sortiri *loc. cit. n. 3.* bene probat Schmidt, citans Besold. & alios, *arg. l. Si ita scripsero 38 ff. de Cond. & Dem.* ac insuper *n. 5. & 6.* defendit, quod vi hujus clausulæ valeat voluntas in vacuis testamenti spatiis, vel in separata schedula scripta, non tantùm quoad legata, & Fideicommissa particularia, sed etiam quoad hæredis institutionem, & immutationem, eò quòd virtu[illegible] 726

nis, quam supracitata clausula habet, quidquid ex post-facto scriptum, & testamento adjectum fuerit, quasi ab initio factum, & testamento insertum censeatur, fitque pars illius testamenti, ejusdemque virtute, & non sua propria valeat, prout etiam in Consilio Aulico ita decisum esse refert, *arg cit. l 38. ff. de Cond. & Dem.* ubi dicitur, quod si quis in testamento dicat, se id velle dispositum, quod in Codicillis, vel epistola, consequenter in separata schedula scripserit, valeat ex ipso testamento, seu vigore & virtute testamenti.

727 Nec dicas, Testamentum quoad institutionem hæredis immutari non posse nisi per novum testamentum juxta dicenda *n. 754.* Resp. enim, id verum esse, nisi testamentum immutetur per scripturam subsequentem, quæ ipsius testamenti prioris pars, & de substantia ipsius esse censetur; prout juxta dicta contingit in casu nostro. Verùm hæc doctrina quoad instituendum, vel immutandum hæredem per similem Schedulam, difficultate & controversia non caret; ut proin ad evitandum omne periculum melius faciat testator, quod, si mutationem hæredis in testamento facere vult, de novo aliud testamentum condat, juxta dicenda infrà *n. 754 & seq.*

728 Cæterùm admodum utilis, & præcipue quoad facienda; immutanda, addenda, minuenda legata, & Fideicommissa particularia, proficua est præfata clausula: ubi enim illa apposita non est, sine numero quinque testium legata, aut fideicommissa de novo fieri, aut immutari non possunt: cum econtrà, ubi illa adest, duo testes, vel sola manus propria testatoris certò in Bavaria, & probabilissime de Jure communi etiam alibi sufficiunt; juxta dicta *nu. 926.*

729 Hucusque enumoratis clausulis aliqui etiam sequentem in testamento apponere solent: Reservo mihi potestatem, hanc meam ultimam Voluntatem semper revocandi, immutandi, addendi, vel detrahendi. Verùm cùm cuivis hæc potestas de Jure jam competat, *arg. l. 22. de legat. 2. & l. 4. de Adim. legat.* ex quorumdam stylo & consuetudine superflue addi videtur, uti bene observat Klingensperger *lib. 2. tit. 25. qu. 6.* licet non noceat, si addatur.

§. XXII.

De Irritatione, Destitutione, Ruptione, Revocatione, ac Mutatione Testamentorum, ac aliarum ultimarum Voluntatum.

SUMMARIUM.

730 *Testamentum antiquitus lapsu decennii infirmabatur.*
731 *Irritari testamentum quid sit? ibi.*
732 *Capitis diminutione maxima, media, & minima irritatur.*
Capitis diminutio quid? ibi.
733 *Destitui testamentum dicitur, quando nullus ex eo existit hæres.*
734 *Si hæres non repudians hæreditatem, intra annum ad deliberandum concessum, decedat, transfertur jus adeundi hæreditatem ad hæredes.*
735 *Rumpi hæreditatem quid sit? Rumpitur nativitate legitimi hæredis.*
736 *Et quando post testamentum quis testatoris efficitur hæres suus.*
737 *Ac revocatione.*
738 *Quivis testamentum suum pro libitu revocare potest; etsi se obligaverit, quod nolit revocare.*
739 *Dummodo in secundo testamento mentionem faciat, quod non obstante tali obligatione velit revocatum testamentum prius.*
740 *Quæ tamen mentio necessaria non est, si secundum testamentum juramento confirmet Testator.*
741 *Quid si juravit se non revocaturum testamentum, revocare illud non potest.*
742 *Nisi gravis prius non prævisa emergeret mutatio circumstantiarum.*
743 *Nudis verbis revocari non potest Testamentum, nisi elapso decennio fuit coram tribus testibus, vel apud Acta.*
744 *Jure Bavarico nudis verbis revocatur coram septem testibus, si testator dicit, se velle intestatus mori.*
745 *Idem aliqui de Jure communi affirmant, alii probabilius negant, usque ad n. 751.*
751 *Deleto nomine hæredum, probabiliter valent legata non deleta.*
752 *Per delationem unius legati, non censetur deletum alterum.*
753 *In dubio testamentum consulto supponitur deletum, quando fuit asservatum apud ipsum testatorem, secùs si alibi.*
754 *Testamentum facto revocatur per posterius, etsi hoc non sortiatur suum effectum.*
755 *Et in priori sit institutus hæres ex Asse, in posteriori autem in re certa.*
756 *Dummodo posterius sit rite factum: vel si non ritè sit factum; institutus sit, qui alias ab intestato succederet.*
757 *Testamentum prius solemne revocatur, & rumpitur per posterius privilegiatum.*
758 *Solvitur instantia ex Jure.*
759 *Testamentum prius ad Acta datum revocatur per posterius in absentia Actorum erectum.*
760 *Specialis Constitutio circa revocationem testamenti parentum inter liberos. Et n. seq.*
762 *Practica instructio circa revocationem Testamenti.*
763 *Etiam aliæ Voluntates Ultimæ revocari possunt.*
764 *Legata revocari possunt verbis, & quomodo?*
765 *Revocantur etiam deletione, vel cancellatione, aut confectione alterius testamenti, non verò alterius legati, nisi contrarii.*
766 *Revocari etiam possunt solo nutu, & quomodo?*
767 *Tacite revocatur, si illud in vivis alteri donet testator: etsi donatio sit invalida.*
768 *Vel necessitate non urgente alienet titulo oneroso.*
769 *Vel si graves inimicitiæ oriantur inter testatorem & Legatarium, vel hic illi gravem irroget injuriam.*
770 *Item, si Legatarius ante Testatorem moriatur.*
771 *Solemnitas ad revocationem Legati requisita quæ.*

Quia Testamentum, ac aliæ Ultimæ Voluntates, 730 etiam rite confectæ multis modis infirmari possunt, meritò de his modis, postquam testamentorum naturam examinavimus, in præsenti nuncagimus. Ubi ante omnia notandum venit, quod, licet antiquitus testamentum lapsu decennii, ipso Jure fuerit infirmum, tamen hodie jus antiquum in hoc passu sit correctum. adeò ut nullo etiam longissimo tempore testamentum aliquod infirmum aut nullum reddatur, textu claro *l. Sancimus 27. princ. & fin. C. h. t.* ibi; Testamenta mortuorum per decennii transcursionem evanescere nullo modo patimur: prioribus Constitutionibus, quæ super hujusmodi testamentis evacuandis latæ fuerant, penitus antiquandis. Rationem reddit illis verbis. Quod enim non mutatur, quare stare perhibetur. Unde pro Regula generali ponitur *prin Inst. Quibus modis testam. infirm.* testamentum Jure factum usque eo valere, donec rumpatur, irritumque fiat.

Quæritur I. Quid sit irritari testamentum? & quomodo irritetur? Resp I. Irritari dicitur testamentum, quando non ex parte ipsius testamenti, sed testatoris accidens, defectus, vel vitium aliquod emergit, vi cujus testamentum prius validum infirmatur, & redditur nullum *§. 4. 5. & 6 Inst eod* ubi etiam habetur, quod licet testamenta ex alio capite nulla, dicantur irrita, tamen quia sic commodius erat, singulas singulis appellationibus distingui, ideò quædam non Jure facta dicuntur, quædam Jure facta rumpi, & quædam irrita fieri. 731

Resp. II. Testamentum præcipue irritatur, quando testator patitur statum mutationem, seu, ut Jura loquuntur, capitis diminutionem; nam capitis diminutio est status mutatio, *prin. Inst. de Capitis diminut,* ubi ulterius dicitur, quod capitis diminutio sit triplex, Maxima nempe, quæ fit, cùm quis libertatem amittit, & servus efficitur Minor seu media, quæ contingit, cum quis Civitatem amittit. Minima, quæ fit, cùm quis prius sui juris alterius juri subjicitur, ut fit, si testator alteri arrogandum se tradit; prout amplius explicatur *§. 1. 3. & 4. Instit. eod. & l. 1. ff. eod.* Quavis autem ex dictis tribus capitis diminutionibus, si nempe testator, aut servus evadit, aut Civitatem amittit, aut ab altero arrogatur, irritatur testamentum ipso Jure, *arg. 4. §. 4. Inst. Quibus modis test.* ibi: testamenta Jure facta infirmantur, cum is, qui fecit testamentum, capite diminutus sit: quod quibus modis accidat, libro primo retulimus. Concordant *l. Si quis 6. §. 5. & seqq. ff. de injusto rupto, & l Conficiuntur 8. §. 3. ff. de Jur. Codic.* Utrum autem testamentum ob capitis diminutionem irritum factum, maneat irritum, etsi ante mortem testator recuperet pristinum statum, litigant legistæ. Negat cum aliquibus Harprecht *ad §. 4. Inst. quibus modis test. infirm.* Affirmat cum Raath, quorum sententia Juri conformior videtur, *arg. §. 6. Inst. Quibus modis test. infirm & l. 11. §. 2. ff. de bonorum possess. secundum tabul.* 732

733 Quæritur II. Quid sit destitui? & quomodò destituatur testamentum? Resp. Destitui testamentum dicitur, quando nullus ex eo hæres existit, *arg. l. In quantitate prin. 75. ff. ad l. Falc.* ibi: Ne destituto testamento & *§. 2. Inst. quibus modis test infirm.* Quod dupliciter contingere potest, videlicet, quia institutus hæres vel non vult esse hæres, seu hæreditatem repudiat, vel abea abstinet, vel quia non potest, *cit. §. 2. Inst. eod.* ibi: Ideoque si quis aut noluerit esse hæres, aut vivo testatore, aut post mortem ejus, antequam hæreditatem adiret, decesserit, aut conditione, sub qua hæres institutus est, defectus sit, in his casibus paterfamilias intestatus moritur. Rationem subjungit: Cum nemo ex eo hæres existerit.

734 Notandum tamen, quod si hæres institutus hæreditatem non repudians, intra annum pro deliberando concessum decedat, jus adeundi hæreditatem ad suos hæredes transfertur, prout habet Communior DD. Textu ad propositum valde claro, *l cum 19. C. de jure delib.* ibi: Ideoque sancimus si quis vel ex testamento. vel ab intestato vocatus, deliberationem meruerit: vel si hoc quidem non fecerit non tamen successioni renuntiaverit, ut ex hac causa deliberare videatur &c prædictum arbitrium in successionem suam transmittat, ita tamen, ut unius anni spatio eadem transmissio fuerit conclusa.

735 Quæritur III. Quid sit rumpi? & quomodo rumpatur Testamentum? Resp. Rumpi dicitur Testamentum, cum in eodem statu manente Testatore. ipsius Testamenti jus vitiatur, sunt verba *prin. inst. quibus modis test. infir.* Tripliciter autem de iure rumpitur Testamentum. Primo, si post conditum Testamentum nascitur suus hæres legitimus, proles nempe legitima. *l. Posthumi 3. §. 4. ff de injusto rupto*: dummodò vivus, & verus homo in monstrum non declinans veniat in lucem; nam si vel mortuus editus est, vel vivus quidem, sed declinans in monstrum, nativitate sua Testamentum non rumpitur, textu claro *l. 3. C. de Posthum hær inst* ibi: Sancimus, si vivus perfectè natus est, licet illicò, postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis decessit, nihilominùs Testamentum rumpi: hoc tantummodo requirendo, si vivus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium.

736 Secundo rumpitur, si post Testamentum conditum aliquis Testatori suus hæres efficiatur, ut si naturalis filius post Testamentum legitimetur, *novel. 89. c. 11.* vel si ab ascendente quis in filium adoptatur, *§ 2. Inst. de adopt.* vel si quis à quocunque arrogatur, *§. 1. inst. quibus modis test. infirm.* ibi: Si quis enim post Testamentum factum adoptaverit sibi filium per Imperatorem, eum, qui sui juris, aut per Prætorem, secundum nostram Constitutionem, eum, qui in potestate parentis fuerit, Testamentum ejus rumpitur, quasi agnatione sui hæredis Limitatur tamen in casu, quo adoptatus, antequam adoptaretur, fuit in Testamento institutus hæres; tunc enim Testamentum in suo valore manet *l 24. § Si Titius, ff. de liber & posthum.* ibi: Si Titius hæres institutus loco nepotis adoptetur, defuncto postea filio, qui pater videbatur, nepotis successione non rumpitur Testamentum ab eo, qui hæres invenitur.

737 Tertiò rumpitur per revocationem, & mutationem. De quibus, quia speciales extant difficultates, specialiter

738 Quæritur IV. An, & quomodò Testator possit suum revocare, aut mutare Testamentum. Resp. I. Potest testator usque ad mortem semper, & pro libitu suum Testamentum vel penitus revocare, vel mutare. Est extra controversiam apud Omnes, *arg. l. Si quis 22. ff. de legat. 3.* Ratio redditur, *l. quod si 4. ff. de Adim. legat.* ibi: Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad supremum vitæ exitum Quod adeò verum est, ut nullo pacto, clausula, vel conditione à revocando, vel mutando Testamento seipsum impedire, vel ab alio impediri quis valeat eo quod nemo sibi eam possit dicere Legem, ut à priori (voluntate) ei recedere non liceat: prout habetur *cit. l. si quis 22. ff. de legat. 3.* Concordant Jura Bavarica, Land-Recht *tit. 34 art. 15* & sequitur Communis DD.

Notandum tamen, quamvis DD. conveniant, quod non obstante clausula derogatoria revocari possit Testamentum, si revocans expressam mentionem facit hujusmodi clausulæ, dicendo v. g. Licet testamento meo priori inseruerim, ac promiserim, quod illud non ampliùs revocare velim: aut. quod velim omnem revocationem, vel Testamentum futurum contrarium irritum, nihilominus volo revocatum prius; aut volo valere hoc meum posterius Testamentum. Quamvis, inquam, in hoc conveniant DD. tamen multum controvertunt, an etiam sine mentione prioris clausulæ derogatoriæ possit revocari vel censeatur revocatum, seu ruptum, per posterius Testamentum. Affirmat Bartolus, *in l. Si quis 22. n. 9 ff. de legat. 3* Faber, Merend & alii. Negat verò Fachin. *lib. 4. c. 29.* Menochius *lib. 4. præsump 166. n. 25. & 26.* ubi plurimos alios citat, vereque asserit, hanc esse receptam & communem sententiam; *arg. c. l Si quis 22. ff de legat. 3.* ubi postquam dictum est, neminem posse sibi eam legem ponere, quod à priore voluntate ultima ei recedere non liceat, statim subjungitur: Sed hoc ita locum habebit, NB si specialiter dixerit, prioris voluntatis se pœnituisse. Quibus sanè verbis satis clarè innuitur, requiri specialem mentionem clausulæ prioris derogatoriæ. 739

Limitatur tamen hæc doctrina communiter in casu, quo quis secundum Testamentum juramento confirmavit: tunc enim meritò præsumitur pœnitere prioris voluntatis, etsi penitus nullam mentionem faciat prioris testamenti, aut clausulæ derogatoriæ eidem insertæ. Covarruvias *de test. p. 2. Rubr. n 59.* Molina *disp. 153. n. 26* & communis aliorum. 740

Major difficultas est, an revocari possit Testamentum quod se nullatenus revocaturum juramento confirmavit Testator; Legistæ communiter affirmant, ut videre est apud Clarum *§ testamentum q. 94 n. 3.* Alexander *in l. Stipulatio hoc modo n 5. ff. de V. O* ubi asserit, ita concludere omnes, Dauth *de Mut test. n. 89. & seqq* & alii. Id expressè statuitur in jure Bavarico Land-Recht *tit. 34 art. 15 arg c l Si quis 22 ff. de legat 2.* Verum attendendo punctum Juris, negativa, quod videlicet saltem licitè revocari nequeat, videtur probabilior. quam tenet Glossa *can ultima voluntas, 3 cau 13 q 2.* Molina *disp. 153.* & communior Canonistarum, uti apud Clarum *l. c.* fatetur Albert. *in l 1 C de SS Eccl. arg c. Cum contingat. 28. & c Si vero 8. de jurejur.* ubi universaliter statuitur, omne juramentum, quod non vergit in præjudicium tertii, & quod sine dispendio salutis æternæ servari potest, servandum esse, etsi caderet super actu Legibus infirmato. 741

Aliud & cum legistis sentiendum foret, in casu, quo quis simpliciter juramento confirmavit testamentum, non item juravit, se non revocaturum: tunc enim liberè, & absque omni perjurio illud revocare potest, eo quod solummodo censeatur jurasse, hanc revera suam esse voluntatem, non autem, quod eam revocare nolit; consequenter, cum quævis voluntas ultima revocari valeat, & juramentum non immutet, sed sequatur naturam actus, cui adjicitur, non obstante tali juramento, eam revocare poterit testator: imo etsi quis jurarit, se Testamentum non revocaturum, potest illud revocare, si gravis causa eam revocandi emergat; v. g. graves inter Testatorem, & hæredem oriantur inimicitiæ, eo quod juramentum sicut & cæteri actus tacitam habeant conditionem rebus sic stantibus, prout habet Communis. *arg. c. quemadmodum 25. de jurejur* ubi expressè deciditur, quod licet quis jurarit certam ducere uxorem, eam ducere non teneatur, si post juramentum mulier illa meretrix, vel leprosa, aut paralytica fieret, vel oculos, vel nares amitteret. Potest autem testamentum verbis revocari, & facto: unde 742

Quæritur IV. An, & quomodo revocari possit verbis? Resp. Testamentum prius rite conditum revocari potest. 743

potest verbis. Ut autem revocatio nudis verbis facta valeat, duo copulativè requiruntur. Videlicet I. Ut coram tribus saltem testibus, aut coram Actis, seu apud Acta fiat. II. Ut elapsum jam sit decennium à tempore conditi Testamenti: una ex his conditionibus deficiente revocatio verbalis est nulla, etiamsi coram viginti testibus & nescio qua solemnitate fieret. Clarus *l.c.q.* 91. Alexander *in l. 27 C. h.t. n. 8.* cum Communi DD. claris Juribus §. 1. *Inst. quibus mod. Test. infirm. C. h.t.* ubi præfatæ conditiones enumerantur illis verbis: Si Testator tantummodò dixerit, non voluisse prius stare Testamentum: vel aliis verbis utendo contrariam aperuerit voluntatem, vel inter Acta manifestaverit, & decennium fuerit emensum: tunc irritum est Testamentum tam ex contraria voluntate, quam excursu temporali. Ex quo colligitur, revocationem verbalem non adeò esse commodam; meliusque ac facilius agere Testatorem, si facto revocet Testamentum, uti patebit ex sequentibus.

744 Notandum hic est, de jure Bavarico nudis verbis coram septem testibus semper fieri posse revocationem prioris Testamenti: dummodò addat testator, quod sine Testamento mori velit: quo addito non obstante novum Testamentum facere potest. Land-Recht, *tit. 34. art. 15.*

745 Idem de Jure communi procedere, defendit Covarruvias *h.t p. 2. Rub. V. Sexta conclusio* Clarus §. *Testamentum, q. 92.* Mantica *de Conject. ultim. Volunt. lib. 2. tit. 14. n. 18.* & valdè communis aliorum, *arg. l. 1. §. si hæres, ff Si tabul. test. nullæ ext.* Rationem dant, quia, qui dicit, se velle intestatum decedere, hoc ipso videtur instituere hæredes ab intestato. Verum quia textus, *l. Sancimus*, valdè clarus est, & sæpius in Jure, uti *c. Militis, §. Veteranus, ff. de Milit. test. & §. Ex eo, inst. Quibus modis test. infirm.* repetitur, testamenta nudis verbis revocari non posse, nisi adsint præscripta, *l. 27. C. h.t.* Juri conformior est sententia dicens revocationem solam verbalem coram septem testibus factam non rumpere testamentum prius, etsi revocans addat, se se velle intestatum decedere, & ita tenent Fulgos. *in cit. l. Sancimus C. h.t.* Fachin. *lib. 4 controv. 8.* & alii: ut proin in hoc passu differentia admittenda sit inter Jus commune & Bavaricum.

746 Quæritur V. An, & quomodo facto revocetur Testamentum? Resp. I. Omninò posse facto revocari Testamentum, & quidem primò per cancellationem, deletionem, incisionem, lacerationem, inductionem, corruptionem, vel alio simili modo à Testatore, vel ejus mandato ab alio factam. Secundò per confectionem novi Testamenti validi, prout patebit ex sequentibus conclusionibus. Primò igitur facto revocari, & rumpi censetur Testamentum scriptum Cancellatione à testatore vel ejus mandato per alium consulto facta, textu claro, *l. 1. & 2. ff de his quæ in test. delend.* Est autem Cancellatio ad propositum nihil aliud, quam inducere calamum per medium scripturæ in modum Crucis; sicque transversis seu cancellatim ductis lineis scripturam delere: uti notat Farin. *crim. p. 2 q. 153. n. 30.* Calvinus *in Lex. jur. V. Cancellare.* Idem est, si alia consimili ratione deletur, aut inducitur, *arg. c. l. 1 ff. de his quæ in test. delent.* Pariter revocatur facto, si testator Testamentum, vel signacula incidat, auferat, destruat, vel laceret, aut alio simili modo corrumpat, *arg. cit. Juribus, juncta l. penult. h. tit.* ibi: Si Testator linum, vel signacula inciderit, vel abstulerit, Testamentum non valere, & *l. 1. §. 8. ff. Si Tabul. Test. extab.* ibi: Si incisæ tabulæ, vel cancellatæ, vel si alia ratione voluntatem Testator mutavit, voluitque intestatus decedere, dicendum, ab intestato rem habituros eos, qui bonorum possessionem acceperunt. Ratio Iuris est; quia ex hujusmodi actione sufficiens habetur signum mutatæ voluntatis, *arg. cit. l. pen. C. h.t.* ibi: Utpote hus voluntate mutata. & *l. 1. §. 8 ff si tab. test. ext.* ibi: Quia Testator voluntatem mutavit.

747 Dicitur autem notanter in conclusione, si consultò; quia si fortuitò, aut præter voluntatem Testatoris cancellatio, incisio, aut alia deletio fiat, nullatenus revocatum, aut ruptum censetur Testamentum, dummodò hæres institutus adhuc legi possit. Omnes, textu claro *l. 1 ff. de his quæ in test. delib.* ibi: Quæ in Testamento legi possunt, ea inconsulto deleta, & inducta, nihilominus valent: consulto, non valent: id vero, quod non jussu domini scriptum, inductum, deletumve est, legi autem sic accipiendum, non intelligi, sed oculis perspici, quæ sunt scripta &c. Sufficit autem, si legibilia sint inconsultò deleta, sive ab ipso, sive ab alio &c. Quod igitur incautè factum est, pro non facto est, si legi potuit &c. Sed si legi non possunt, quæ inconsulto deleta sunt, dicendum est, non deberi: sed hoc ita demum, si ante consummationem Testamenti factum est.

Ubi propter ultima Legis verba distinguendum cum DD. & attendendum est: An deletio ante consummationem Testamenti facta sit, vel illo jam consummato. Nam si ante ipsam Testamenti factionem, vel dum actu illud scribit, aut scribi curat Testator, scriptum aliquid consulto iterum delet, pro non scripto habetur: si inconsulto, valebit; dummodò legi possit: si verò legi non possit, invalidum erit, etsi aliunde intelligi queat, & inconsulto omissum sit. Ludvvell. *p. 1. c. 10 fol. 172.* Duaren *ad tit. de inst. rupto c. 5* Castrens. & Communis aliorum, *arg. cit. l. 1. princ. & §. 1. 2. ac 3. ff. de his quæ in test. delen.* Quod si post Testamentum consulto fiat deletio, tunc Testamentum non quidem statim ipso Jure infirmatur, sed ope exceptionis infirmari potest, juxta Communem *l. 1 §. 3. ff eod.* ibi: Exceptione repelluntur. Si vero inconsulto, id, quod in deleta scriptura exprimitur, peti potest, sive legi possit, sive non; dummodo aliunde probabiliter possit intelligi: ita DD. citati, *arg. Sæpè c. l. 1 §. 3. ff eod.* ibi: Inconsulto vero, non repelluntur, sive legi possunt, sive non possunt. Ratio diversitatis; quod si Testator in ipsa factione aliquid ita delet, ut amplius legi nequeat, idque posteà advertens non emendat, sed ulterius disponit, & Testamentum absolvit, deletionem, seu cancellationem hoc ipso approbasse meritò præsumatur: consequenter pro invalido tam à Lege, quam à DD. justè reputetur: quæ ratio, quia non militat in deletione post Testamenti factionem contingente, mirum non est, quod aliter de ea & Jura disponant, & DD. sentiant. 748

Et hæc præcipuè quidem de Cancellatione [illegible] tione totaliter Testamenti; nam quid [illegible] ex parte cancelletur, seu deleatur, dabunt Conclusiones sequentes.

Resp. II. Si Testator non totum Testamentum delet, seu incidit, sed tamen aliquid [illegible], sine quo ultima voluntas consistere nequit; ut si delet nomina testium, aut infringit, vel aufert Sigilla; totum Testamentum etiam quoad legata nullum est. Dauth. *l. 21. C. h. t. n. 15.* [illegible] *Syntag. Jur. civil. Exercit. 33* Raath *disp. 37.* & alii, *arg. l. 1. §. Si hæres, ff si tabul. t. st. ext. & l. penul. C. h. t.* Ratio est; quia in tali casu meritò præsumitur totam mutasse voluntatem, ac intestatum decedere voluisse. 749

Resp. III. Si plures instituti sunt hæredes, & Testator unius solummodo, vel alterius, non item omnium nomina delet, & cancellat, Testamentum non rumpitur, sed [illegible], ita tamen, ut tota hæreditas [illegible] non deletis. Si vero unus tantum [illegible], & ejus nomen deletur: vel si plures, & omnium [illegible] deleantur, Testamentum quoad institutionem corruit, & datur successio ab intestato. Tota conclusio [illegible], uti videre est apud Gilken *in l. 30. C.* [illegible] *in l. 3. ff de his, quæ in test. delen.* [illegible] *lib. 12* [illegible] *21.* & alios. Ratio prioris [illegible] est, quia nemo partim testatus decedere potest, [illegible] *nostrum 7 ff. de R. J.* Fundamentum posterioris desumitur ex Legibus in casu deletionis hucusque citatis. 750

Utrum autem deleto nomine omnium hæredum præter institutionem, etiam invalida sint legata non deleta, gravis est controversia inter DD. A [illegible] Cujac. & plures alii in *l. 3. de his, quæ in test. delen.* affirmativam tenent, [illegible] *ff eod.* ubi etiam ratio allegatur, quia nempe invalido existente Testamento, etiam invalida sunt legata, *arg. l. Ex testamento, C. de* [illegible] Econtra Ludvvell *l.c. fol. 173.* Castrensis in *c. l. 3. ff. de his, quæ in test. deleb.* Gilken *in l. 30. C. h. t.* & ibidem Bruneman cum aliis docent, legata non deleta nihilominus valida esse, & deberi, *arg. cit. eadem l. 3.* [illegible] ubi rupto propter deletionem [illegible] testamento, legatum deberi, deciditur. Nec obstat, quod ibidem sit sermo de speciali casu, quo libertas est legata: Nam contra est, quod ratio ibidem allegata universaliter de quovis alio legato procedat: videlicet, quod in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minùs justius est, quam tutius; sunt verba Legis. Pariter non obstat, quod *num. 749.* dictum sit, deleto substantiali (quale est institutio hæredis) deleta etiam censeri Legata. Nam contra est, quod limitetur præfata doctrina in casu, quo jura quid aliud specialiter statuunt, uti in præsenti. 751

753 Illud certum, & ab omnibus concessum est, quod deletio, vel cancellatio legatorum nihil obsit institutioni hæredum: sicut etiam deletio & cancellatio unius legati non destruat legatum deletione aut cancellatione non affectum, per Jura suprà allegata, præsertim *l. 1. ff. de his, quæ in test. delen.*

754 Tandem prætermittendum non est, quod in dubio, an Testamentum, vel pars ejus consulto, aut inconsulto deleta sit, consulto præsumatur deletum, si Testamentum apud Testatorem fuit asservatum, Ludvvel. *l. c. fol. 172.* Mantica *l.c. lib. 2. tit. 1. n. 28.* Zoes. *lib. 1. cons. 2. nu. 1.* Salycet, Gilk & Bruneman ad *l. 12. C. de test.* Ex ea ratione, quod maxima circa ultimas voluntates propria soleat esse solertia: ob cujus rationis defectum idem non præsumitur, si in aliena custodia asservatur, DD citati, & alii.

755. Quæritur VI. An, & quomodo facto revocetur Testamentum per confectionem alterius? Resp. I. Certum est, quod Testamentum etiam ritè factum, rumpatur, & etiam revocatum censeatur per Testamentum posterius legitimè factum, etiamsi hoc posterius suum non sortiatur effectum, putà, quia hæres in illo institutus non adiit, sed repudiavit hæreditatem, vel conditio de futuro, sub qua hæres institutus est, defecit. Communis ac certa, ob claram Juris dispositionem, *§. 2. Inst. quibus modis test. infirm.* ibi: posteriori quoque Testamento, quod Jure perfectum est, superius (id est prius) rumpitur; nec interest, extiterit aliquis hæres ex eo, an non; hoc enim solum spectatur, an aliquo casu existere potuerit. Ideoque, si quis aut noluerit esse hæres, aut vivo Testatore, aut post mortem ipsius, antequam hæreditatem adiret, decesserit, aut conditione, sub qua hæres institutus est, defectus sit, in his casibus paterfamilias intestatus moritur. Concordat, *l. 1. ff de injusto rupto.* Dicitur autem notanter, vel conditio de futuro deficit; quia si apponitur conditio de præterito, vel præsenti, eaque deficiat, prius Testamentum non rumpitur per posterius, eo quod deficiente conditione tali Testamentum statim ab initio sit nullum, *arg. l. Conditio 100. ff. de V.O. & §. Præsens inst. eod.*

756 Ampliatur Conclusio; etsi in primo Testamento hæres fuisset ex Asse institutus: in secundo autem in re certa, *§ 3. Inst quibus mod. test. infirm.* ibi: Etiamsi in certis rebus in eo hæredem instituerit, superius tamen sublatum esse Testamentum, Divi Severus. & Antoninus rescripserunt. Ampliatur ulterius, etsi prius Testamentum clausulam Testamenti derogatoriam contineat; dummodo hujus clausulæ in posteriori fiat mentio juxta dicta *n. 738. & seq.*

757 Resp. II. Ad hoc, ut testamentum prius per posterius rumpatur, necesse est, ut posterius ritè seu legitimè cum requisitis Juris solemnitatibus sit factum, nam si ex defectu alicujus solemnitatis posterius esset nullum, prius maneret in suo valore. Omnes *arg. cit. §. 2. Inst. quib. mod. test. infirm* ibi: Posteriori Testamento, quod jure perfectum est, superius rumpitur, & *l. 2. ff. de injusto rupto,* ibi: Tunc autem prius Testamentum rumpitur, cum posterius ritè perfectum est. Subjungitur tamen statim duplex limitatio illis verbis: Nisi fortè posterius vel militari jure sit factum, vel in eo scriptum est, qui ab intestato venire potest; tunc enim & posteriore non perfecto superius rumpitur: quia si Testamento Testator tales instituit hæredes, qui aliàs ab intestato succederent, rumpetur prius Testamentum, & valebit posterius; dummodo coram quinque Testibus fuerit erectum, textu expresso, *l. hac consultissima, 21. ff. 3. si quis, C. h. t.*

758 Oritur hic dubium apud DD. An Testamentum prius solemniter factum, rumpatur per posterius privilegiatum v.g. datum ad Acta, vel factum ad causas pias, vel tempore pestis? Et econtra, an Testamentum apud Acta factum, vel coram eis oblatum possit revocari per Testamentum posterius solemne quidem, sed non ad Acta datum? Ratio dubitandi, & quoad primam partem negativè respondendi desumitur ex *cit l. 2. ff. de injust. rupto;* ubi postquam dictum est, non nisi per ritè factum Testamentum posterius revocari prius, duos solummodo casus suprà *n. præc.* specificatos excipit, consequenter reliquos includit, cum exceptio unius firmet regulam in contrarium in casibus non exceptis, per Vulgaria.

Verum non obstante ratione dubitandi, affirmativa sententia communior, Jurique conformior, ac usu recepta est. Carpz *p. 3. const 3. defin 42* Salycet *in l. Sancimus 27. C. h. t. n. 3.* Harprecht *ad §. 2 Inst. quibus mod. Test. infirm.* Covarruvias *de test. p. 2 Rub. n. 2. & seqq.* Mantica, & alii. Ratio est, quia ut prius Testamentum per posterius revocatum, censeatur, plus de Jure non requiritur, quam quod jure, seu ritè, sive legitimè cum requisitis Juris solemnitatibus sit factum, uti videre est *cit. §. 2. Inst. eod. l. 1. & 2. ff. de inj. rupto,* ac *l. 21. C. h. t.* Atqui tale Testamentum ad Acta, vel pias causas, habens solemnitatem illam, quæ de jure ad id requiritur, etsi careat solemnitate ordinaria ad aliud non privilegiatum requisita; ergo. Ratio ulterior est, quod Testamentum privilegiatum habet eandem vim ac solemne, *arg. l. 1. & 24. ff. de Milit. Test.* 759

Nec in contrarium obstat *l. 2. ff. de injusto rupto,* & exceptiones ibidem factæ; quia ibi est sermo de Testamento posteriore ex defectu solemnitatis invalido, ut sensus sit, per Testamentum posterius, etsi alias defectu solemnitatis requisitæ de Jure nullum sit, tamen rumpi prius, si posterius militare, vel in eo hæredes aliàs ab intestato successuri instituantur; casu quo quinque saltem adhibentur testes in hoc posteriori. 760

Altera pars dubii, videlicet, quod Testamentum apud Acta, vel coram Principe factum revocari valeat per subsequens aliud Testamentum sine Actis, seu in absentia Actorum, ordinaria, vel privilegiata solemnitate factum, communiter docetur, ut videre est apud Jul. Clarum § *Testamentum q. 94. n. 2.* Baldum *in l. omnium n. 3. C. h. t.* Covarruvias *l.c.* Carpz *l.c* & alios, *arg. l. omnium 29. §. Nec sanè C. h. t.* accedunt rationes, & Jura *n. præc.* allegata. Illud extra dubium est, Testamentum ad Acta datum, per aliud ibidem factum rumpi: non item per nudam verbalem revocationem ibidem factam, nisi elapsum sit decennium juxta dicta *nu. 743. arg. l. Sancimus 27 hoc tit.* 761

Resp III. De revocatione Testamenti parentum inter liberos specialiter statuunt Iura, quod non aliter quam per aliud Testamentum coram septem testibus legitimè factum revocari valeat, etsi prius coram duobus tantum factum esset. *Novel. 107. & Authent. Hoc inter C. h. t.* ibi: Hoc inter liberos Testamentum ita infirmatur, si parens septem Testibus adhibitis, declaret, se nolle tale Testamentum valere, & aliam disponat voluntatem, vel in Testamento perfecto, vel in non scripto perfecta voluntate. Ex quibus verbis benè inferunt DD. requiri etiam, ut posteriori Testamento inseratur expressa mentio revocatoria prioris. 762

Notant tamen Gilch. in *cit. Auth. hoc inter C. h. t* Menochius *lib. 4. præsump. 166. n. 62.* & alii, per secundum Testamentum privilegiatum inter liberos rumpi prius, casu, quo posterius est favorabilius liberis: quia forte in priori liberi inæqualiter, in posteriori vero æqualiter, fuere instituti. Ratio est, ne quod favore introductum, in eorum odium retorqueatur, *leg. quod favore C. de legat.* 763

Ex his colliges, quomodo practicè habere se debeat, qui Testamentum suum revocare intendit. Potest enim illud verbis, vel facto revocare, aut mutare; solis tamen verbis ante elapsum decennium revocare non potest & post cursum decennii non nisi coram tribus testibus, vel saltem coram Actis juxta dicta *n. 743.* unde consultum non est, nudis verbis revocare: sed præstat facto revocare. Et quidem, si citò, & absque mora illud revocare, ac intestatus decedere vult, optimè facit, si id statim cancellet, totumque deleat, incidat vel auferat: tunc enim illico suum habet intentum per dicta *n. 746.* Si vero aliud 764

aliud Testamentum condere cogitat, & seipsum ex priori recolligere intendit, petat illud à Iudice, ad cujus Acta dedit, statim enim tradere tenetur, *arg. l. Omnium 19. C. h. t* vel si alibi disposuit, accipiat, & pro libitu aliud disponat. Nec est necesse, ut secundum eo modo, vel eadem solemnitate, quo prius condat; quia prius per quodvis posterius, sive juxta ordinariam, sive privilegiatam solemnitatem rite factum, & validum, rumpitur ac revocatur per dicta *n. 757. & seqq.* ut proin Testamentum ad Acta datum, per testamentum solemne domi factum, vel per Testamentum aliud privilegiatum rumpere possit: & econtra per testamentum ad Acta, vel aliud privilegiatum posterius rumpere ac revocare Testamentum prius solemniter factum. Neque est necesse, ut testamentum prius dilaceret, vel ab Actis revocet, sed potest illud in suo loco intactum relinquere; quia sola confectio posterioris rumpit prius: quod illis notandum, qui libenter in occulto aliud Testamentum condere desiderantes timent ne avocando prius Testamentum, mutandi intentio advertatur.

763 Quæritur VII. An, & quomodo revocari possint, & quando revocata censeantur aliæ Ultimæ Voluntates, Donationes nempe mortis causa, Legata, & Codicilli? Resp. I. Certum est, quod æquè aliæ voluntates ultimæ ac Testamentum revocari valeant. Ratio est; quia non tantum Testamentum, sed quævis Ultima voluntas defuncti ambulatoria est usque ad supremum vitæ exitum, *l. quod si 4. ff. de adm. legat.* Quomodo autem revocentur, & quando revocata censeantur, patebit ex sequentibus Conclusionibus. Et quidem de revocatione Donationis mortis causa, jam patet ex dictis. Hinc de legatis loquendo

764 Resp. II. Possunt legata revocari verbis, facto & signis, in & extra Testamentum tacite, & expressè: dummodo adsint eæ solemnitates, quæ ad ejusdem confectionem requiruntur, quinque nempe Testes. Communis & certa, patetque Conclusio ex *tot. tit. ff. de Adm. Legat. & §. un. de Adempt. Legat.* ibi: Ademptio legatorum, sive eodem Testamento adimantur, sive Codicillis; firma est sed & sive contrariis verbis fiat ademptio, velut si quis ita legaverit, do, lego: ita adimatur: non do, non lego, sive non econtrariis, sed aliis verbis. Ex quibus verbis satis patet, Legata verbis expressis in & extra Testamentum revocari posse. Et in hoc differt revocatio legatorum à revocatione Testamenti, utpote quod solis verbis ante decennium validè revocari nequit, *num. 743.*

765 Facta revocantur legata, quando delentur, cancellantur, aut calamo inducuntur, *l. 1. princ. & l. 3 ff. de his, quæ in Test. delen.* Item, quando totum Testamentum per confectionem alterius, aut per totalem cancellationem vel destructionem, aut revocationem verbalem rumpitur, aut revocetur: eo quod juxta dicta *n. 663.* rupto vel invalido existente Testamento legata non debentur. Excipe limitationes *n. 664.* positas, & casum, quo nomen hæredis; non vero legata delentur, aut cancellantur juxta dicta *n. 749.* Cæterum licet confectione Testamenti alterius revocetur prius Testamentum, & legata ei inserta: tamen confectione posterioris legati, vel Codicilli, legatum aut Codicillus antecedens non revocatur, nisi in quantum eidem contrarius existit *arg. §. 3. inst. de Codicil*

766 Quod etiam sola nuda voluntate, signis, nutu, v. g. vel litteris etiam ad interrogationem alterius manifestata revocari queat legatum, apertè docetur *l. si quis 3. §. 11 ff. de adm legat.* ibi: Non solum autem legata, sed & Fideicommissa adimi possunt, & quidem nudà voluntate. Dummodò legans alias sit perfectè præsens, loqui tunc possit, vel si non morbo aliquo accidentali absque infirmitate lethali sit impeditus, *arg. l Nutu 21. ff. de Legat. 3.* Si enim ex mera infirmitate, & debilitate loqui non amplius posset, sicque morti jam propinquus esset, solo nutu ad interrogationem alterius dato legatum revocare probabiliter non posset, eo quod taliter constitutus idem nec facere valeret per leges, & rationes suprà *n 63. & 64* allegatas: Quamvis Molina *disp. 127. n. 6. & 212. n. 1.* Covarruvias in *c. cum ibi h. t. n. 3.* & multi alii contendant, etiam tali statu Legatum solo nutu, & fieri, & revocari posse *arg. l. Nutu 21. ff. de Legat. & l. cum proponebatur 64. ff. de Legat.* Quorum sententia improbabilis sanè non est.

767 Tacitè revocatur, vel potius revocatum ipso Iure censetur legatum variis modis, & quidem primò. Si rem legatam Testator vivus alii donaverit, omnimodò extinguitur legatum, nec distinguimus, utrum propter necessitatem rei familiaris, an mera voluntate donaverit, sunt verba *l. rem legatam 18. ff. de adm. legat.* Nec refert, si donatio sit invalida, *l. legatum 24. ff. eod.* ibi: Sed etsi non valeat Donatio, tamen minuisse legatum intelligitur. Secundò revocatum censetur, si nulla urgente necessitate titulo oneroso illud alienet, vendat v. g vel commutet, *l. Fideicommissa quoque 11. Si rem 12. ff. de legat. 3. & l. rem legatam 18. ff. de adim. legat.* ac Glos. *in l. quid post V. Dedit C. de legat.* Porro non reviviscit legatum per donationem, vel alienationem revocatum, etsi illud postea Testator emptione, vel alia ratione iterum recuperet, *l. cum servus 15. ff. de adim. legat. & l. qui res 98. §. 8. ff. de Solut.*

768 Quando vero necessitate aliqua urgente rem legatam titulo oneroso alienat Testator, puta quia aliàs erat peritura, vel tunc necesse erat ad providendam Familiam, legatum revocatum non censetur, sed adhuc valet, debetque hæres illud redimere, vel æstimationem ejus dare; nisi idem hæres sufficienter probet intentionem & voluntatem Testatoris fuisse, legatum tali alienatione adimere, seu revocare. Idem est, si necessitate compulsus legatum hypothecæ, aut pignori subjicit Ita expressè statuitur *§. Si rem suam Inst. de legat. & l. Fideicommissa 11. §. Si rem 12. ff de legat. 3.* ibi: Si rem suam Testator legaverit, eamque necessitate urgente alienaverit, Fideicommissum peti posse: nisi probetur adimere ei Testatorem voluisse: probationem autem mutatæ voluntatis ab hæredibus exigendam. Concordat *leg. qui post 3. C. de legat* Atque in hoc sensu ad concordanda jura intelligi debet *l Si ex toto 8 prin. de legat. 1.* Nec obstat, quod per donationem etiam urgente necessitate factam, revocatum censeatur legatum *cit. l rem legatam ff. de adm. legat.* quia ratio diversitatis allegatur in *ead. l. rem legatam ad finem*: ubi dicitur, quod distinctio inter donationem liberaliter, & ex necessitate factam in munificentiam donantis non cadat: cum nemo in necessitatibus liberalis existat.

769 Tertiò tacitè ipso jure revocatum censetur legatum, si capitales & graves inimicitiæ oriantur inter Testatorem, & Legatarium: non item, si solummodo leves: dicitur namque *l 3. § fin. ff. de adim. leg.* Si quidem capitales, vel gravissimæ inimicitiæ intercesserit, ademptum videri; quod relictum est: sin autem levis offensa, manet fideicommissum, & *l. si inimicitiæ 9. ff. de his, quibus ut indig.* Si tamen ante mortem in amicitiam redeunt; reviviscit iterum legatum: prout verbis ferè formalibus statuitur *l. 4 immediatè sequenti ff. eod.* Idem est, si legatarius Testatori, verbo aut facto gravem irroget injuriam, aut gravem accusationem, vel damnum attentet, Textu expresso *cit. l. Si inimicitiæ 9. ff. eod. & c. fin. §. Seja 2. ff. de adim. leg.*

770 Quartò revocata, vel potius expirata censentur legata, si legatarius ante Testatorem, vel ante completam conditionem moriatur, vel si hæreditas non adeatur, uti patet ex dictis.

771 Resp. III. Ad hoc, ut revocatio legati valeat, adhiberi debent eædem solemnitates, quæ ad confectionem legati requiruntur, septem nempe Testes, casu quo legatum verbis aut signis revocatur. Molina *disp. 212. n. 1.* & Glossa recepta in *l. Fideicommissum C. de Fidei[com.]* & Communis DD. *arg §. ex eo 7 inst. quibus mod. Test. infir. & §. un. inst de adempt. legat.* In casu autem quo legata facto, vel tacitè revocantur, tantæ solemnitates necessariæ non sunt, sed sufficit, si aliunde satis constet, vel sufficienter ordinaria probatione, duobus nempe testibus omni exceptione majoribus probetur. Molina *l. c. num. 5.* Covarruvias *de Testam. p. 2. Rubricæ num. 2* Hinc sufficit, si facto constet, Legatum esse cancellatum, deletum &c. vel si duobus Testibus probari possit, quod Legatum fuerit alienatum, vel quod graves inimicitiæ fuerint exortæ &c.

Porrò quæ de revocatione Legatorum dicta sunt, proportionaliter de Codicillis intelligenda sunt; eo quod

quod illa extra Testamentum non nisi per hos fiant. Hic etiam aliqui agunt de Commutatione Legatorum piorum in alios usus pios facienda post mortem Testatoris. Verum de hoc *§. seq.*

§. XXIII.

De Executoribus, & Executione Testamentorum, & aliarum Ultimarum Voluntatum.

SUMMARIUM.

772 *Executor Testamenti quid?*
773 *Alius est* legitimus, *alius* Testamentarius, *alius* dativus: *alii* universales, *alii* particulares.
774 *Si nullus in Testamento deputatur, Executor illius est hæres, exceptis Legatis pro alimentis pauperum.*
775 *In defectu aliorum Executorum, Executor est Episcopus, præsertim in relictis ad causas pias.*
776 *Executor potest deputari unus, vel plures, Clerici, vel laici, etiam feminæ.*
777 *Etiam Religiosus cum licentia Superioris.*
778 *Sine qua secundum aliquos executio est valida.*
779 *Secundùm alios verò, invalida.*
780 *Ipsi Superiores sine ulteriori licentia esse possunt executores.*
781 *Fratres Minores non possunt esse executores.*
782 *Possunt tamen dare executoribus consilium.*
783 *Potest etiam Testator committere Fratri Minori, ut ipse aliquem executorem denominet: item potest obligare executorem, ut nonnisi illis pauperibus, vel causis piis legata distribuat, quos denominaverit Frater Minor.*
784 *Regulariter nullus cogi potest ad suscipiendum munus executoris.*
785 *Ex causa tamen rationabili Clericus ab Episcopo, & laicus à Judice suo ad id cogi potest.*
786 *Executores, quamprimum possunt, tenentur exequi Ultimam Voluntatem.*
787 *Nisi certum tempus à testatore sit designatum.*
788 *Tam laicus Judex, quam Episcopus potest compellere executores negligentes, sive sit ad causam piam.*
789 *Sive profanam.*
790 *Legatario non capace petendi legatum, tenetur Judex ex officio compellere executorem.*
791 *Judex Laicus executorem Clericum compellere non potest.*
792 *Judex post aditam hæreditatem, statim compellere potest executorem, ut exequatur.*
793 *Etsi Testator id prohibuerit.*
794 *Executor semel monitus, si intra annum non adimplet Voluntatem defuncti, amittit omne commodum ex testamento sibi competens.*
795 *Bis monitus, si pia legata exequi negligit, amittit præfatum commodum etiam ante annum lapsum.*
796 *Qui intra sex menses legata pia etiam sine admonitione exequi negligit, debet illa cum fructibus restituere.*
797 *Executore negligente potestas exequendi devolvitur ad episcopum.*
798 *In Executione Ultimæ Voluntatis, ipsa voluntas testatoris principaliter attendi debet.*
799 *Pluribus constitutis executoribus, an, & quando unus sine alio procedere valeat?*
800 *Religiosus, vel Clericus executor potest suo Monasterio, vel Ecclesiæ quid applicare, si dispositio est ad causam piam in genere.*
801 *An vero etiam sibi ipsi, si dispositio est pro pauperibus in genere? dubitatur.*
802 *Affirmativa est probabilior.*
803 *Si Testator ignoraverit paupertatem executoris.*
804 *Nullus executor potest dispositionem pro una causa pia in aliam mutare.*
805 *Nisi nova causa, vel prius ignorata emergat.*
806 *Vel respectu eleemosynæ sit nimium onus spirituale, v. g. Missarum, quas tunc reducere licet.*
807 *Papa tamen ex rationabili causa semper potest pias Voluntates ab uno in alium usum pium mutare.*
808 *Monitio Concilii Tridentini circa hoc.*
809 *Etiam Episcopus cum hærede, si relictum ad determinatam etiam causam applicari nequit.*
810 *Exspirante causa pia ante mortem testatoris, debet legatum eidem relictum in alium pium usum converti.*
811 *Legato pro pauperibus in genere relicto, non potest executor pro libitu id distribuere, sed debet ordinariè procedere.*
812 *Et quidem prius incolis quam exteris dare.*
813 *Et inter pauperes loci, magis egenos eligere.*
814 *Inter æqualiter egenos loci e prius conjunctis Testatori, quàm aliis succurrere.*
815 *Item debet meliores præsertim Religiosos pauperes aliis præferre.*
816 *Malevolis ac otiosis pauperibus omnino nihil est dandum.*
817 *Cæteris paribus fœminæ præferuntur maribus.*
818 *Relicta pro pauperibus non potest executor uni solidare.*
819 *Et universaliter nulli plus, quam necesse habet.*
820 *Quomodo exequenda dispositio pia?* Volo, ut hæc applicentur pro Dei Gloria; vel salute animæ meæ.
821 *Executores tenentur facere Inventarium, & reddere rationem expensorum, etsi id remiserit Testator.*

772 Quæritur I. Quid, & quotuplex sit Executor Testamenti, vel alterius Ultimæ Voluntatis. Resp. I *Executor* ad propositum ille est, & dicitur, qui vel ex dispositione Legis, vel Testatoris, vel Judicis exequitur defuncti voluntatem. Ita in re Communis. Definitionis bonitas inde constat, quia convenit omni & soli definito, ejusque naturam clarè explicat, ut magis patebit ex sequenti Conclusione; qua

773 Resp II. Executores Ultimarum Voluntatum varii sunt, varieque dividuntur. Alii enim sunt *Legitimi*, alii *Testamentarii*, alii *Dativi*. Et quidem *Legitimi* sunt & dicuntur illi, qui ab ipso Jure seu à Lege dantur, sive quibus munus exequendi à Lege competit. *Testamentarii* sunt, qui ab ipso Testatore in Testamento dantur, & designantur. *Dativi* sunt, qui à Iudice, aut Magistratu dantur, casu quo hæres institutus Executor esse nequit, aut deputatus in Testamento munus exequendi accipere nolit, vel non possit. Vocantur ita ad imitationem Tutorum, quorum alii sunt Legitimi, alii testamentarii, alii Dativi, *arg tot. tit ff. de Test. tutel. & T. ff. de Tutor & Curator.* Executores *Testamentarii*, & *Dativi* rursus alii sunt & dicuntur *universales*, quibus nempe totius ultimæ voluntatis executio committitur. Alii *particulares*, illi videlicet, quibus non integram voluntatem, sed unam vel alteram tantum dispositionem particularem exequi, committitur.

774 Quæritur I. Quinam de jure sint executores? Resp I. Si Testator in Testamento nullum Executorem denominat, ipso iure executor est hæres institutus, eique munus exequendi de jure incumbit, adeò ut integram defuncti voluntatem etiam quoad Legata pia exequi possit, & teneatur, si hæreditatem adit. Molina *disp 247 n. 2.* Abbas *in c. 3. h. t. n 4.* Pyrhing *h. t. n* 101. Layman *lib. 3. tr. 6 c. 11. q. 1.* Covarruvias *in c 3. h. t. n. 11* & Communis aliorum *arg. c. 3 & c. Si hæredes 6 h. t* juncta *l. nulli 28. C de Episc. & Cler.* & *novel.* 131. *c.* 10 Limita tamen Conclusionem in casu, quo aliqua relicta sunt pro redemptione captivorum, vel pauperum alimentis; horum enim executio non ad hæredes, sed loci Episcopum tanquam communem patrem pauperum, & miserabilium personarum de jure pertinet, uti ex citatis juribus & *c. 11. cit. Novel.* 130 allegati docent DD. quamvis & in hoc attendenda sit consuetudo loci, ut benè observat Layman *l. c. num. 1*

775 Resp. II In defectu aliorum executorum, munus exequendi pertinet ad Episcopum loci præsertim in relictis ad causas pias: veluti si Testator animam suam pro hærede instituit, aut pauperes, vel causas pias in genere. Layman *l c. n. 4.* Molina *l. c. n. 4.* Sylvester *V. Test. 2. q. 8.* Abbas *l. c. n. 4. art. cit. Novel.* 130 *c. 11.* Idem est si hæres, aut executor deputatus voluntatem defuncti exequi negligit. Layman, & DD. citati, *arg. c. tua 17. h. t.* & ibi Glossa *V. Piis voluntatibus* juncta *l. Hæreditas 50. ad finem, ff. de Petit. hæred:*

776 Quæritur II Quinam possint deputari, & esse executores ultimarum voluntatum? Resp. I. Potest Testator unum, vel plures deputare executores ultimæ suæ volun-

luntatis: hosque vel masculos, vel fœminas, vel Clericos, vel Laicos, sive ex hæredibus, sive ex extraneis. Molina *disp.* 247 Layman *l. c. n.* 2. Pirhing. *l. c. n.* 102. & Communis aliorum. Quod non tantum unus; sed plures, & quidem tam Clerici, quam Laici esse possint executores, patet ex *c. Joannes* 19 *h. t.* ibi: *Joannes Clericus & P. Laicus executores ultimæ voluntatis.* Quod etiam fœminæ esse possint Executrices ultimæ voluntatis, colligitur ex *c. nos quidem* 3. *h. t.* & *l. a Filio* 15. *prin. ff. de legat. aliment.* & tenet præter citatos etiam Bartolus *in c. l. a Filio*. Covarruvias *c.* 17 *n.* 3. cum Communi aliorum. Imò admittitur ad hoc officium etiam minor 25. annis; dummodo septemdecim annos excesserit, Molina *l. c. n. fin.* Sylvester *l. c. q.* 1. Pirhing. *l. c. n.* 102. Glossa *in c.* 2. *h. t. in* 6. *V. Religiosus*; ubi testatur etiam de consuetudine. Ratio est; quia in hac ætate constitutus quivis potest esse procurator ad negotia, textu claro *c. quia generaliter* 5. §. *fin. de Procur. in* 6.

777 Resp. II. Etiam Religiosi quicunque (exceptis Fratribus Minoribus) possunt deputari, & esse executores ultimarum voluntatum, tam quoad profanas, quam pias causas; dummodo ad exequendum habeant licentiam à legitimo Superiore. Communis ac certa ob claram Iuris dispositionem *c.* 2. *h. t. in* 6. & *Clem. un. h. t.* ubi insuper disponitur; quod Religiosus etiam exemptus teneatur reddere rationem Episcopo de munere Executionis peracto. Porro per superiorem, qui licentiam dare potest, intelligitur ad propositum, Superior localis, seu Prælatus Monasterii, Conventus, aut domus Religiosæ, nisi specialia Statuta aliud ordinent, Layman *l. c.* Pirhing. *h. t. n.* 108. Sanchez *lib.* 6. *Moral. n.* 15. & 16.

778 Utrum autem executio, quam Religiosus absque licentia Superioris sui suscepit, ac peregit, valeat, multum disputant DD. & quidem affirmativam cum communi aliorum tenet Felinus *in c.* 2. *de judiciis*. Layman *l. c. n.* 4. Pirhing. *h. t. n.* 109. Sanchez *l. c.* Ratio eorum est; tum quod licet SS. Canones prohibeant, tamen non annullent executionem a Religioso absque licentia Superioris facta: tum quia, quamvis Religiosus *velle & nolle* non habeat, habet tamen consensum naturalem, qui una cum consensu Testatoris sufficiens esse videtur ad hoc officium, *arg. l. Filiusfamilias §. Veterani ff. de procurat.* ubi habetur, quod licet miles esse nequeat procurator in Iudicio, tamen, si non repellatur, actus ab eo gestus valeat.

779 Verum negativam docet, & egregiè propugnat Covarruvias *de Test. c.* 17. *n.* 2. Molina *l. c. n.* 9. Sylvester: & alii. Probant suam sententiam ex *l. non dubium C. de leg.* ubi decernitur,,, ut ea, quæ Lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet Legislator prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est; atqui *c.* 2. *h. t. in* 6. expressè prohibetur, imo ibidem *c. c.* 2 *h. t. in* 6 expressè dicitur, quod Religiosus *non possit esse executor* sine licentia sui Superioris. Et quidem ex ea ratione, quia *velle & nolle* non habet; ergo. Nec sufficere videtur consensus naturalis, alias enim etiam minor septemdecim annis, utpote naturali consensu gaudens validè esse posset executor. Neque in contrarium quid probat *l. filiusfamilias*; tum quia id jura expressè concedunt: tum quia longè strictius deponit Monachus *velle ac nolle* quam miles. Confirmatur ex Gloss. communiter recepta *in reg.* 1. *jur. in* 6. ubi manifestè ostenditur, quod quando dicit Lex *non potest esse* actus in contrarium gestus non tantum illicitus, sed & invalidus sit. Quorum consideratione posterior hæc sententia sanè videtur probabilior, & juri conformior: licet prior probatione non careat.

780 Illud tamen hic notandum, quod Superior, qui alteri dare licentiam exequendi ultimam voluntatem & ipse valeat sine ulteriori licentia, exequi talem ultimam voluntatem: quia universaliter possunt Superiores uti facultate, quam aliis præbere valent: prout benè docent Molina *l. c. n.* 9. Sylvester *l. c. q.* 2. & Communis aliorum. Possunt etiam Religiosi extra Monasterium degentes, v. g. aliquo beneficio Ecclesiæ provisi sine Superioris licentia dictum munus assumere, juxta Glos. *in c.* 2. *in prin. V. Religiosus*, quia cum hic & nunc sub obedientia Prælati non vivant, aliquo modo *velle & nolle* habent, consequenter cessante ratione Legis, sine licentia petita executores esse possunt.

Resp. III. Fratres Minores nullatenus possunt esse executores ultimarum voluntatum, etiam ad causas pias factarum; neque possunt Superiores ad hoc munus eisdem dare licentiam. Communis ac certa, textu claro *Clem. Exivi §. verum etiam de V. S.* ibi,,, Prædictis Fratribus non licet, nec competit, quin potius considerata puritate status sui debent sibi scire interdictum, quod hujusmodi executionibus, & dispositionibus se exponant. Ratio ibidem & proponitur, & subjungitur,,, cum dictis ordinis professores pro nulla re temporali possint in Iudicio experiri &c. hęc autem sępius absque litigio, & contrectatione, vel administratione pecuniæ nequeant expediri. 781

Veruntamen in his dare consilium, ipsorum statui non obsistit, pergit *cit. Clem. exivi*, ob rationem, quam statim subjungit, *cum ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla jurisdictio, sive actio in Iudicio, sive dispensatio tribuatur.* Ex quo Covarruvias *de test. c.* 17. *n.* 1. Sanchez *lib.* 6. *moral. c.* 11. *n.* 28. Barbosa *in cit. Clem. exivi de V. S. n.* 26. Molina *disp.* 247. *n.* 12. & Communis aliorum inferunt, posse Fratres Minores dare consilium executionis non tantum, quando libere interrogantur ab executoribus, sed etiam posse Testatorem mandare executoribus, ut ad executionem non procedant, nisi petito prius consilio à Fratribus; quamvis consilium datum sequi executores non teneantur: uti bene notat Sanchez *lib* 6. *moral. c.* 11. *n.* 28. Barbosa *l. c.* Pirhing *h. t. n.* 112. Roderiquez *QQ. Reg. to.* 3. *q.* 70. *art.* 2. & Communis aliorum. Ratio est; quia universaliter jussus aliquid facere cum consilio alterius, tenetur quidem consilium petere, ast non tenetur sequi, ut habet Communis apud Sanchez *l. c. & lib.* 1. *de matr. disp.* 34 *n.* 24. 782

Ulterius docet Sanchez *cit. lib.* 6. *Moral c.* 11 *n.* 32. & 41. Abbas *in Clem. Religiosus n. pen. de relig.* Covarruvias *l. c.* Barbosa *l. c.* Bartolus, Emmanuel Rodriquez *QQ. regul. tom.* 3. *q.* 70. *ar.* 2. contra Molinam *dis.* 247 *n.* 12. & alios à Sanchez citatos, posse Testatorem committere Fratribus Minoribus, ut ipsi denominent unum, vel plures executores: item præcipere posse executoribus, ut non nisi illis pauperibus, vel causis piis hæreditatem, vel legata distribuant, quos Fratres Minores elegerint, vel commendaverint. Ducuntur hoc fundamento, quod in tali casu cesset ratio prohibitionis, cum hoc munus sine litigio, & contrectatione, vel administratione pecuniæ omnino valeant exequi, quale enim litigium contrectatio, vel administratio pecuniæ? si dicente Testatore: *ille sit meus Executor, quem hic aut ille Frater Minor, aut Guardianus denominaverit*: Guardianus dicat, *ego denomino Cajum*: vel quando Testator in Testamento ita ordinat: *Lego mille florenos distribuendos pauperibus illis, quos Guardianus loci hujus nominaverit, vel pro quo rogaverit, aut quem commendaverit.* Et Guardianus dicat, *ego denomino, & commendo hos, vel illos*: vel si Testator ita disponit, *Lego annuatim mille distribuendos viginti pauperibus illis, quos recommendaverit, aut denominaverit ille vel hic Frater Minor* & designatus Frater certos recommendat. Accedit quod ita denominare pauperes, vel executores, sit solummodo facti, & non Iuris, *arg. l. cum pater.* 79. §. *Hæreditatem de leg.* 2. Hinc non immeritò hæc doctrina contra Molinam manuteneri, & vel ideo etiam sine scrupulo à Fratribus practicari potest; quia, præterquam quod inde in nullo maculetur eorum status, persæpè testatores rationabilissimum tale munus committunt Fratribus, utpote quibus ex Confessionali, vel aliunde plerumque magis quam aliis noti sunt veri, & eleemosyna præ cæteris digni pauperes. Vide Emmanuel Roderiq. *l. c.* 783

Quæritur III. An executor in testamento deputatus cogi possit ad exequendam ultimam defuncti voluntatem. 784
Resp. Regulariter loquendo talis cogi non potest, ut munus exequendi in Testamento sibi oblatum acceptet, & exequatur, etiamsi dispositio sit ad causam piam, postquam tamen tacitè vel expressè acceptavit, omnino etiam invitus cogi potest, ut defuncti voluntatem exequatur, ac proin eidem amplius liberum non est, munus semel susceptum iterum recusare. Abbas *in c. Ioannes* 19. *h. t. n.* 3. & ibi Io. Andreas, Molina *disp.* 248. *n.* 3. Covarruvias *de test. c.* 19. *n.* 3. Pirhing *h. t. n.* 113. & Communis aliorum, *arg. c. c. Ioannes* 19 *h. t.* ibi: *Post susceptum mandatū cogi debent.* Ratio est: quia universaliter *mandatū non suscipere cuivis liberum est, susceptum autem consummandum est.*

Dixit *Regulariter*: quia ob causam rationabilem potest 785

test Episcopus Clericum in Testamento Executorem denominatum cogere, ut munus suscipiat, vel nullo executore denominato, eidem hoc mandare, ut voluntatem defuncti exequatur: in quo tamen casu non erit executor Testamentarius, sed Dativus, vel potius Commissarius aut Delegatus Episcopi, Abbas *l. c.* Covarruvias *l. c.* & alii DD. *n. præc.* citati. Ratio est; quia universaliter potest Episcopus, quando eidem executio aliqua competit, munus suum alteri delegare, delegatumque, ut obediat, compellere: dummodo sit suæ Iurisdictionis, ut benè advertit Abbas *l. c.* Sylvester *V. Testamentum* 2. *q.* 3. *arg. l. un. c. qui pro sua jurisdictione*. Pariter potest Iudex Laicus ob justam causam Laicum suæ jurisdictionis compellere, ut munus executionis suscipiat, & peragat, *arg. cit. l. un. C. qui pro sua jurisdiction.*

786 Quæritur IV. Quandonam executores teneantur exequi ultimam voluntatem defuncti? & à quo negligentes compelli possint, ac quibus pœnis subjaceant debito tempore non exequentes? Resp. I. Executores tenentur quamprimum poterunt, exequi ultimam voluntatem, nisi certum tempus ab ipso Testatore sit designatum, Abbas *in c. si hæredes* 6. *n.* 5. Covarruvias *ib. n.* 4. Layman *lib.* 3. *tr.* 5. *c.* 11. *n.* 12. Sylvester *V. Testamentum* 2. *q.* 6. & 9. *arg. c. si hæredes* 6. *h. t.* & *l. cum res* 47. *ff. de legat.* 1. ubi expressè præcipitur, ut Legata sine mora præstentur. Ratio est; quia adita per hæredem hæreditate, etiam Legatarius statim evadit dominus Legati [illegible] 86. § 2. *ff. de legat.* 1. Hinc Layman, Sylvester, & alii docent, mortaliter peccare executores, si ex negligentia diu differant exequi ultimam voluntatem. Nec obstat, quod juxta Iura [illegible] annus conceda[illegible] toribus, [illegible] profanas & [illegible] [illegible] defuncti voluntatem.

787 Dicitur autem notanter. *Nisi certum tempus ab ipso Testatore sit designatum*, hoc enim in [illegible] voluntatem exequi tempore per Testatorem designato, *arg. novel.* 22 *c.* 2. ubi dicitur, quod voluntas Testatoris sit pro Lege tenenda, quamvis illud pervenire liceat cum talis præventio non sit contra Testatoris voluntatem. Molina *disp.* 251. *n.* 1. Abbas *in c. nos quidem* 3 *n.* 10. *h. t.* Pirhing. *h. t. n.* 19. & Communis aliorum *arg. c. post mortem* 12. *c. de* [illegible]

788 Resp. II. Tam Iudici Laico, quam Ecclesiastico, Episcopo [illegible] potestas monendi, ac compellendi ex[illegible] ad exequendam voluntatem defuncti, [illegible] Legata sint ad causam profanam, sive pi[illegible] mixti Fori, deturque locus præventioni, [illegible] *hæredes* 6. *nu.* 3. Covarruvias *ib. n.* 1 Molina [illegible] Pirhing. *h. t n.* 115. cum Communi aliorum. [illegible] Episcopo competat hæc potestas, si Legata, [illegible] defuncti sit ad causas pias, etsi Testator [illegible] troversia caret, textu claro *c. tua* 17 *h. t.* ibi,,, [illegible] ,,tibus ultimis piis voluntatibus per locorum Episcopos ,,providendum sit, ut secundum defuncti voluntatem ,,[illegible] procedant &c. [illegible] executores ,,Testamentorum hujusmodi, ut bona ipsa fideliter, & ,,[illegible] in usus prædictos expendant, monitione præ,,[illegible] compellas. Concordat *c. nos quidem* [illegible] *c. si hæredes* [illegible] Quod autem etiam Laico in [illegible] luntas [illegible] causam piam competat dicta potestas, patet ex *Auth.* [illegible] *de fideicom. & novel.* 131 *cap. si quis ædificationem* [illegible] etiam Legata pia [illegible] *rum Episcopi* [illegible] *jubentur* [illegible]

789 Porro, quod in [illegible] ad causam profanam, & Testator [illegible] Laicus, Iudici Laico competat potestas compellendi executores certum est apud Omnes. Quod vero in tali casu eadem potestas etiam Episcopo competat, etsi Testator, & executor sit Laicus, tenet [illegible] *in c. si hæredes* 6. [illegible] Abbas [illegible] Molina *disp.* 250. *n.* [illegible] Covarruvias *ib. n.* 3. Hostiensis *in* [illegible] *h. t.* Pirhing *h. t. n.* 115. & Teste Covarruvia Communis aliorum, *arg. c. si hæredes* 6. *h. t.* ubi absque [illegible] Episcopo [illegible] tribuitur facultas compellendi executores ad exequendam defuncti voluntatem [illegible] quia Iudicia Ecclesiastici est, subvenire per-

sonis miserabilibus, ac destitutis auxilio, *c. super quibusdam* 26. *de V. S.* Talis autem persona censetur etiam esse defunctus, utpote quia ipse agere non potest ut voluntas sua adimpleatur. Ab. *l. c.* & *in c. cum esses* 10. *n.* 33. *h. t.*

Resp. III. Quando is, cui aliquid in Testamento relictum est, id non exigit, seu exigere non potest, uti sunt Fratres Minores juxta dicta supra, potest, ac tenetur Iudex ex officio sive Ecclesiasticus, sive Laicus compellere executorem, ut solvat. Abb. *in c.* 3. *h. t.* Molina *disp.* 251. *n.* 10. Laym *l.* 3. *tr.* 7 *c.* 10. *n.* 15 Barbos. Pirhing. *h. t. n.* 18 & alii. *arg. c. c.* 3. *h. t.* ubi nemine petente Episcopus ex officio procedit. 790

Illud etiam notandum; quod etsi juxta dicta Iudex Laicus possit executores compellere ad exequendam Ultimam Voluntatem pro causis piis factam, si executor est Laicus, non item si est Clericus: eo quod in hunc penitus ulla jurisdictio Iudici Laico competat, per vulgaria. 791

Resp. IV. Iudices præsertim Ecclesiastici, statim post aditam ab hærede hæreditatem, monere, quin & compellere possunt executores, ut voluntatem defuncti executioni mandent etiamsi Testator id expressè inhibuerit. Prima pars Conclusionis patet ex *n.* 785. hoc ipso enim, quod juxta ibidem dicta teneantur executores voluntatem defuncti statim adimplere, *arg. l. cum res* 47. *in prin. ff. de legat.* 1. & *l.* [illegible] *domus* 7 [illegible] à Iudicibus ad id nolentes compelli [illegible] valeat, ut obligationi suæ satisfaciat [illegible] cutores non incurrant pœnam [illegible] jure statutam, nisi intra tempus à jure determinatum voluntatem exequi negligant; uti patebit ex Conclusionibus *n.* 794. & *seq.* [illegible] tamen ante illud tempus elapsum possunt [illegible] ad executionem compelli: prout benè docet [illegible] *si hæredes* 6. *h. t. n.* 4. & ibi Abbas *n.* [illegible] 29. 792

[illegible] compelli possint, etsi Testator [illegible] Ratio est; quia privata persona non potest generalem Constitutionem publici Iuris Ecclesiastici, vel Civilis immutare aut impedire, *l. nemo potest* 55. [illegible] & *c. Requisisti* *h. t.* junct. [illegible] 793

Resp. V. Si executor semel monitus à Iudice, sive Ecclesiastico, sive Laico voluntatem [illegible] intra annum non adimplet, perdit omne id, quod [illegible] ex Testamento competit, sive hæreditas, sive Legatum sit, Molina *disp.* 251. *n.* 3. Covarruvias *in c. si hæredes* 6. *h. t.* Pirhing *h. t. n.* 126. Textu expresso [illegible] C. *de Fideic. & novel.* 1. *c.* 1. §. 1. juncto *c. Nos quidem* 3. & *c. si hæredes* 6. *h. t.* ubi etiam ratio additur; nempe ut hac ratione *vota defuncti adimpleantur*. Alia ratio habetur *l. si patroni* 55. §. *Sed nec illud ff. ad S. C. Treb.* ibi: *Cur enim non videatur indignus, ut* [illegible] *qui destruit supremas defuncti preces, consequatur quid ex voluntate?* Limitatur tamen Conclusio in hærede necessario, utpote cui Legitima (sola tamen) nihilominus debetur, *arg. cit. Iur.* nisi forsan [illegible] talis, quæ dividi non possit, uti sunt Regna, [illegible] *c. licet* 6. *de Voto*; ubi Filio Regis [illegible] privatio Regni, si defuncti patris voluntatem [illegible] adimplet [illegible] *V. Testamentum* [illegible] 794

Resp. VI. Si executor [illegible] positionem ad causas pias [illegible] ante annum privatur commodis ex Testamento eidem alias competentibus. Textus [illegible] habetur *in novel.* 131. [illegible] Covarruvias *in c. si hæres* 6 [illegible] & ibi Abbas [illegible] Bart. & Balgees [illegible] Quod si perperam [illegible] piis causis, condemnandus est [illegible] statuitur in §. *Mixta* [illegible] DD. citati. 795

Resp. [illegible] legitimo impedimento Legatum [illegible] sex menses à die insinuati Testamenti [illegible] exequatur, debet in pœnam [illegible] Legata, una cum omnibus fructibus [illegible] à tempore mortis Testatoris [illegible] potuissent, ita verba benè formalia *novel.* [illegible] *autem Legatum* & sequuntur DD. communiter. 796

Illud etiam hic notandum, quod si executor [illegible] modum 697

monitus, intra annum voluntatem defuncti, præsertim circa causas pias adimplere negligat, potestas exequendi devolvatur ad Episcopum, ita expressè habetur *Novell. 131. c. 10. & c. nos quidem 3. h. t.* Quod si bis admonitus exequi negligat, etiam ante annum dicta exequendi potestas ad Episcopum devolvitur *cit. novel. 131. c. 11. §. si autem qui hoc facere.* Covarruvias *in c. nos quidem 3. h. t. n. 8.* Abbas *ib. n. 11.* & alii.

798 Quæritur V. Quomodo adimpleri, seu executioni mandari debeat ultima voluntas defuncti? Resp. I. In omnibus principaliter observanda; & pro Lege habenda est ipsa voluntas, ac dispositio Testatoris *l. verbis 120. ff. de V. S. & novel. 22. c. 2.* ibi *Disponat unusquisque super suis, ut dignum est, & sit Lex ejus voluntas:* hæc enim in ultima Testatoris dispositione tanquam Regina denominatur, *l. Conditionibus 19. prin. ff. de cond. dem.* dummodo Legibus non repugnet, *novel. 1. in præf. §. 1.* ibi „ Justum est competentes deficientium dispositiones, quæcunq; non repugnant Legibus, omnibus modis adimpleri; quia nemo potest in testamento cavere, ne leges in suo testamento locum habeant; prout dicitur *l. nemo potest 55. ff. de lega. 1.*

799 „ Pluribus à Testatore executoribus simpliciter deputatis uno eorum mortuo, vel in remotis agente, aut id exequi fortè nolente, ne voluntas Testatoris impediri, vel nimium differri contingat, poterit alius (etiam unicus ex deputatis) nisi Testator aliud expresserit, officium executionis injunctum liberè adimplere, sunt verba *c. fin. h. t. in 6.* ubi tamen Gl. *V. in remotis* notat, quod si absens intra tempus designatum possit venire, debeat expectari adventus [illegible]. Idem est de alio impedimento, [illegible] vel plures ex sociis executoribus [illegible] executio differri debeat, si simile impedimentum brevi, vel in termino assignato finiendum dignoscitur; secus verò, si nimium extenderetur.

800 Resp. II. Si Testator disposuit, ut hæreditas, vel Legata dividerentur in pauperes, vel causas pias in genere, nullam specificando, poterit executor Religiosus suo Monasterio, aut Clericus suæ Ecclesiæ, vel alius quicunque executor suis pauperibus Consanguineis dicta Legata applicare. Sanchez *l. 2. mor. c. 11. n. 59.* Layman *lib. 3. tr. 6. c. 11. n. 6.* Anchoranus *conf. 84. n. 9. & 10.* Sylvester *V. Test. 2. q. 2. dicto 5.* Pirhing *h. t. n. 109.* & alii. Ratio est; quia in his jam adimpletur voluntas defuncti, eo quod tam Ecclesia, quam Monasterium reverà veniant nomine causæ piæ, consequenter voluntas [illegible] adimpleta, si Testator simpliciter disposuit, ut in causas pias erogentur: sicut etiamsi suis pauperibus consanguineis distribuit executor, casu quo dispositio in genere [illegible] pauperibus Legata dentur. Nec valet objicere, quod Religiosus, vel Clericus suo Monasterio, vel suæ Ecclesiæ quid tribuens videatur in propria causa executionis authoritatem præbere. Nam contra est, quod causa Monasterii [illegible] Ecclesiæ vel Monasterii, [illegible] diximus *lib. 2. tit. 20. de Testibus num. [illegible]*

801 Num autem pauper executor, quicunque tandem, sibi ipsi applicare possit Legata, quæ [illegible] dispositionis tenetur in pauperes, vel causas pias erogare, gravis est controversia inter DD. uti videre est apud Sanchez *l. c. n. 50. & seqq.* Mantica siquidem *de conject. ult. volunt. lib. 8. tit. 5. n. 9.* Anchoranus [illegible] Abbas *in c. fin. n. 4.* [illegible] nunquam posse executorem [illegible] in tali casu sibi ipsi aliquid applicare de legatis hujusmodi [illegible] quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio *arg. c. Per [illegible]* ubi propterea non conceditur, [illegible] seipsum præsentare. Nihilominus

802 Resp. III. In casu, quo Testator in genere disposuit, ut Legata, vel hæreditas erogaretur in pauperes, vel causas pias, potest executor etiam sibi ipsi quidquam applicare, si reverà pauper est, ipsiusque paupertatem ignoravit Testator. Sanchez *l. c. n. 54.* D. Thomas *2. 2. qu. 32. art. 9. ad 1.* Menochius *lib. 4. præsump. 125. n. 17.* Pirhing *h. t. n. 109.* Layman *l. c.* ac plures alii à Menochio & Sanchez citati. Ratio est; tum quia executor non est deterioris conditionis [illegible] pauperes. Tum quia reverà adimpletur voluntas defuncti, qui nil aliud intendit, quam ut vera eleemosyna detur pauperibus, quod planè etiam fit, si sibi ipsi, ut pauperi quid reservat executor. Accedit, quod etiam servetur distinctio inter dantem & accipientem; cum in hoc casu non executor: sed Testator reverà dicatur dare eleemosynam: Executor verò sit tantum Minister; sicut si in vivis quis per servum elargitur eleemosynam, non servus, sed dominus reverà dicatur dare eleemosynam; adeoque inter dantem & accipientem eleemosynam, etiam in hoc casu videatur esse distinctio. Per quod etiam patet ad rationem Adversariorum; præterquam quod etiam adsit disparitas; quia Patronus ob vitium ambitionis seipsum præsentare nequit quod non procedit in casu nostro.

Dicitur autem notanter in Conclusione, *ipsiusque paupertatem ignoraverit Testator;* limitant enim DD citati, præsertim Sanchez, ac Menochius Conclusionem in casu, quo Testator benè cognitam habuit paupertatem executoris; & merito, quia verisimile est, quod, si testator voluisset etiam executorem aliquid habere, eidem jam indicasset, ut pote paupertatem illius sciens ut proin hæc limitatio fundetur in contraria Testatoris voluntate. Notat tamen Sanchez posse executorem pauperem sibi aliquid attribuere, si scivisset quidem Testator executorem egentem esse, sed non scivit, quod tam gravi inopia premeretur. 803

Quæritur VI. An executores possint mutare ultimam defuncti voluntatem ad pias causas, in alium usum pium saltem in casu, quo Legatum ad designatum pium usum non sufficit, vel applicari non potest? Resp. I. Regulariter loquendo nullus præter summum Pontificem executor, nec Episcopus quidem relicta ad certas pias causas, in alios usus, vel causas, etsi evidenter meliores essent, commutare potest, si voluntas determinata defuncti commodè ac justè adimpleri potest, Molina *disp. 249. n. 1.* Layman *l. 3. tr. 5. c. 11. n. 11.* cum Communi ac certa aliorum. Probatur imprimis ex Juribus *n. 798.* citatis, ubi dicitur, quod Voluntas Testatoris pro Lege habenda sit. Probatur ulterius ex *c. nos quidem, 3. h. t. & can. 4. caus. 13. q. 2.* ibi „ Ultima Voluntas defuncti omnibus modis [illegible] ri debet Clem. quia contingit de Relig. [illegible] „ expresse dicitur, quod ea quæ ad [illegible] largitione sunt destinata fidelium ad [illegible] debeant, non „ ad alium (salva quidem Sedis Apostolicæ authoritate) converti. 804

Dicitur *Regulariter*, quia limitatur Conclusio primò in casu, quo causa aliqua vel de novo incidat, vel Testatorem latuit, quam si scivisset, & prævidisset, aliter disposuisset, & nunc quoque, si viveret, contentus foret, [illegible] in alium pium usum converteretur, Layman *l. c. n. 11.* Sylv. *V. Testamentum n. 33.* Covarruvias *in c. 17. de test. n. 12.* cum aliis concedit, quod si pecunia in usum minùs necessarium vel utilem sit legata; possit authoritate Episcopi in alium Christianæ Reipublicæ magis necessarium usum, cui aliunde sine magna difficultate subveniri non potest, converteres. Pariter si Testator certas pecunias legavit pro [illegible] Sacristiæ; quia tunc indigebat [illegible] ornamentis abundanter aliunde providetur; [illegible] Ecclesia ruinæ proxima est, poterit Episcopus cum consensu hæredis, vel executoris deputati dictas pecunias pro reparatione Ecclesiæ ruinosæ applicare & id quidem non ex alia potestate propria dispensandi, vel commu[illegible] voluntatem defuncti, sed ob rationabiliter præsumptam voluntatem testatoris secundum Episcopi [illegible] benè observant DD. citati. 805

Limitant aliqui secundò, si contingit in quibusdam „ vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum „ ex variis defunctorum relictis impositum esse, [illegible] „ [illegible] à testatoribus præscriptis, nequeat sufficere, vel eleemosynam pro illis celebrandis adeò tenuem „ esse, [illegible] non facilè inveniatur, qui velit huic semuneri „ sufficere, unde depereunt piæ testantium voluntates, & „ eorum conscientiis, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur: tali enim in casu Episcopos & Generales ordinum potestatem habere in suis respectivè ecclesiis, reducendo & mutando ordinare, quod magis ad Dei cultum, atque Ecclesiarum utilitatem videbitur expedire ex verbis C. Tr. docent. Verum hæc limitatio hodie non procedit, eo quod per decretum Urbani VIII. infra *in tit. de cel. Miss.* ad [illegible] universaliter omnibus etiam 806 Episcopis, & Generalibus prohibeatur, nec ullam reductionem missarum sine Sedis Apostolicæ licentia faciant, habetur præfatum decretum etiã in Bul. Cherub. Incipit *Cum sepè*, estque 45. inter Constitutiones dicti Pontificis.

807 Dicitur autem notanter in Conclusione, *præter Summum Pontificem*, quia hic ex justa & rationabili causa licitè & validè potest defunctorum commutare voluntates in alios pios usus, etiamsi voluntas defuncti adimpleri commodè possit, uti cum citatis communiter tenent DD. *arg. cit. Clem. quia contingit. de Religios. dom.* ibi: *Salva Sedis Apostolicæ authoritate* Concordat *l. 1. & 4. ff. de Administratione rerum ad Civit. pertin.* Ratio est; quia cum is toti Reipublicæ Christianæ Præpositus, quæ magis eidem utilia sunt, providere & ordinare debeat: utique poterit relicta ad causam vel usum pium, convertere in alium Ecclesiæ magis utilem. Accedit, quòd quævis voluntas, & dispositio pia Testatoris tacitè se submittat ordinationi ac dispositioni summi Ecclesiæ Capitis, tacitamque habeat clausulam, *salva authoritate Summi Pontificis.*

808 Et quia plerumque contingit, quod Summi Pontifices in commutatione ultimarum voluntatum ad instantiam & preces aliorum facienda, negotium committant Episcopis locorum, ordinavit Concilium Tridentinum *Sess. 22. de Reform. c. 4.* ut *in commutationibus ultimarum voluntatum tanquam Delegati Sedis Apostolicæ non procedant, nisi prius summariè & extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum.*

809 Resp. II. Si relicta pia vel non possunt applicari ad pium usum à Testatore designatum, vel non sufficiunt, vel converti nequeunt eo modo, quo voluit Testator, possunt & debent Episcopi cum consensu tamen hæredis, vel executoris deputati, ad aliam piam causam [illegible] convertere, ita tamen, ut quantum fieri potest, servetur voluntas defuncti. Abbas *in c. 3. h. t. n. 6.* & ibi Covarruvias *h. t.* Molina *disp. 249. nu. 7.* Laym. *loc. cit. n. 10.* & communi aliorum, *arg. c. 3. h. t. & l. Legatum 16. ff. de Usu & usufruct.* Sed unum semper nota, ait, *l. c.* Abbas, *quòd ista conversio non potest fieri per solum Episcopum*, sed cum consensu hæredis aut Executoris, nisi forsan hic absque justa causa consentire recuset, *arg. cit. c. 3. h. t.*

810 Inferunt ex hac Conclusione DD. citati, quòd etsi juxta dicta aliàs legatum exspiret moriente ante testatorem legatario, tamen si quis alicui pauperi, vel Religioso certæ piæ causæ quid legat, vel relinquit, non in favorem ipsius personæ vel causæ, nec principaliter intuitu ipsius, sed ob animæ suæ salutem, tanquam ob piam causã (quod in dubio præsumi debeat simile relictum, dicto modo ad alium pium usum per Episcopum & hæredem applicari; etsi talis pauper, vel Religiosus, vel causa pia ante Testatorem moriatur, exspiret, vel inanis reddatur.

811 Quæritur VII. An possit Executor, vel ejus defectu Episcopus relicta ad causam piam, pro [illegible] vel pauperi, cui vult etiam uni soli erogare; si testator [illegible] sine ulla determinatione dicit: *Volo, ut hæc bona [illegible] tur pauperibus*, vel *applicentur pro piis causis*, vel *pro honore Dei*, vel *pro salute animæ meæ.* Resp. I. Etsi testator in genere dicat, *volo ut hæc pecunia distribuatur pauperibus*, tamen non possunt Executores pro libitu, multò minus pro affectu suo particulari distributionem facere, sed omnino tenentur ut consideratis cõsiderandis ordinatè procedant, & in elargiendo illos præ cæteris respiciant, quos testator magis voluisse rationabiliter præsumitur. Menochius *l. 4. Præsumpt. 125.* Bartolus *cons. 194. n. 3. in fine.* Konig *h. t. n. 60.* Zypeus *l. 3. consult. 1. de Parochiis*, & alii.

812 Hinc debent Executores in tali casu pauperes Civitatis, vel loci præ exteris eligere, uti docet Glossa *in c. 1. Pauperes h. t. in 6.* Menochius *loc. cit. n. 6.* Tiraquell. *de Privileg. piæ causæ, Privileg. 56.* & alii. Rationem dant; quia, nisi aliunde contrarium constet, magis his quàm exteris, ut succurratur, testatorem voluisse meritò præsumitur, *arg. l. præses, C. de Servit. & aqua.*

813 Inter pauperes loci magis & prius succurrendum est magis indigentibus, quàm minus egentibus, D. Thomas *2. 2. q. 32. a. 3.* ad primum. Menochius *loc. cit. n. 10.* & DD. citati *n. 811.* Ratio est, iterum præsumpta voluntas Testatoris, utpote qui meritò præsumitur id voluisse quod est magis meritorium; magis autem meritorium est, dare eleemosynam magis egeno, quàm minus egeno. D Thomas *loc. cit.* Menochius *loc. cit.*

Inter æqualiter egenos præferendi sunt conjuncti, ac consanguinei Testatoris. Menochius *loc. cit. n. 3.* D. Thomas *2. 2. q. 32. a. 9.* Ratio est: quia Testator præsumitur voluisse ordinatam charitatem; hæc autem propinquos præ exteris respicit; *arg. l. Præses C. de Servit & aqua* & *1. ad Tim. 5.* Advertit tamen D. Thomas *loc. cit.* inter ipsos conjunctos esse etiam habendam rationem, ut potius succurratur magis, quàm minus conjuncto; & prius magis, quàm minus egeno. 814

Cæteris paribus, meliores præferendi sunt, præsertim illi qui bono communi magis sunt utiles, imò hos etiam ipsis propinquis præferendos esse, vult D. Thom. *2. 2. qu. 32. a. 9. in corpore.* Hinc Menochius *loc. cit. num 12.* vult Pauperes Religiosos aliis pauperibus præferendos esse: quamvis enim nec Religiosi, nec personæ in Xenodochiis, ac Hospitalibus existentes, qui ex annuis redditibus sufficientem suam sustentationem habent, nomine pauperum hìc veniant, & consequenter Executor illis de relictis elargiri nihil possit, casu quo testator mandavit, ut inter pauperes relicta dividerentur, uti benè observat Layman *l. 3. tract. 5. c. 11. n. 8.* citans Palud. *in 4. dist. 15. q. 3. a. 7. concl. 4.* Aliud tamen est de Religiosis nullos redditus habentibus & ex incerta Fidelium eleemosyna viventibus, quales sunt Fratres Minores. 815

Porrò malevolis, & otiosis pauperibus penitus nihil dandum esse, communiter docent DD. post D. Thom & S. Augustinum; quia eleemosyna hujusmodi pauperibus scandalum, occasio peccari, & ruina animæ est, eò quòd eleemosynæ innitentes, in desidia, otio & aliis vitiis, quorum fæcunda mater, & nutrix, ipsiusque diaboli pulvinar, & sponsa, otium est, pergere vivant non sine magno proprio, & aliorum etiam Reipublicæ detrimento. ut proin meritò dixerit D. Augustinus *in Epist. 84.* ad Vincentium Donatistam *Melius esurienti panis tollitur si de cibo securus justitiam negligat quàm esurienti panis frangitur si injustitia seductus acquiescat.* Accedit Verbum Divinum Eccl. 12. *Da bono, & non receperis peccatorem: benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dare.* 816

Cæteris paribus fœminæ pauperes præ masculis sunt juvandæ, præsertim verò pauperes Moniales. Menochius *loc. cit. nu. 7. & seqq.* Baldus *in l. multis in fin. ff de Statu hominum*, & alii. Rationem dant; quia fœminis paupertas periculosior est, quàm masculis. 817

Resp. II. Quando testator disponit in plurali, ut quædam distribuantur inter pauperes, regulariter non possunt Executores uni soli relicta dare, sed debent proportionaliter in plures distribuere. Felinus *in can. Omnes leges dist. 1.* Baldus *in leg. 1. n. 19. C. de SS. Eccles.* Jason. *in l. Gallus §. quòd si is n. 12. ff. de liber. & posthum* & alii citati à Menochio *loc. cit. n. 24.* contra nonnulles alios apud eundem Menochium. Ratio est, quia ita esse præsumitur voluntas testatoris in plurali loquentis. 818

Resp. III. Largiendo relicta pauperibus non possunt Executores uni soli plus dare, quàm necessarium habet. D. Thomas *2. 2. q. 32. a. 10.* Menochius *loc. cit. n. 26* & Communis aliorum docentium pauperi superfluum dare vitium esse. Non enim datur eleemosyna, ut pauper dives efficiatur, sed ut necessaria habeat. 819

Quæritur VIII. Quomodo habere se debeant Executores? si testator dicit: *Volò, ut hæc impendantur pro salute animæ meæ* vel *pro Dei gloria.* Resp. In hoc casu satisfacere Executores si relicta applicent uni, vel pluribus piis causis, inter quas haud dubiè etiam sunt pauperes, adeò ut in simili casu etiam uni soli pauperi tota relicta substantia dari queat, si eadem indiget, Menoch. *l. c. n. 1.* & Cõmunis aliorũ. Ratio est; quia reverà satisfit voluntati defuncti cum quidquid pro causa pia sive una sive pluribus expenditur, ad Dei gloriã, & animæ salutem cedat. 820

Tandem circa Executores notandum, quod ante Executionem factam teneantur reddere rationem acceptorum, & expensorum, etiamsi testator id remiserit, vel prohibuerit, ne Executor ad reddendam rationem cogeretur. Molina *disp. 251. n. 8.* Pirhing. *h. t. ad finem* Sylvester *V. Testamentum 2. q. 8. circa finem arg. Clem un. h. t. & Authen. Licet C. de Episc. & cleric.* juncta *Novell. 131.* Ratio est; quia Exactio hujusmodi est munus publicæ potestatis introductum ob bonum commune, unde à privato Testatore impediri nequit. 821

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab intestato.

1 *Ratio Ordinis.*

1 DUplici via acquirunt homines hæreditatem defuncti, videlicet *vel ex Testamento, vel ab intestato §. fin. Instit. per quas personas, nob. acquir.* ita tamen ut quamdiu hæreditas ex Testamento adiri potest, Successio ab intestato locum non habeat, *l. Quamdiu 89. ff. de R. J. & l. Antequam, 8. C. Communia de Successione.* Hinc Compilator Juris Canonici postquam egit de Testamentis, competente ex eis Successione, rectè agit de Successionibus ab intestato.

§. I.

De Natura, & Divisione Successionis ab intestato: ubi etiam de Computatione Consanguinitatis graduum in ea observanda.

[S]UMMARIUM.

2 *Intestatus quis dicatur?*
3 *Successio ab intestato definitur.*
4 *Est duplex una in stirpes, altera in capita.*
5 *Ordo Succedentium breviter enarratur.*
6 *Graduum computatio in linea recta.*
7 *Graduum computatio in linea transversali utriusque Juris.*
8 *Graduum computatio civilis pro Successione hæreditaria etiam à jure Canonico servatur: & graduum computatio Canonica pro matrimoniis etiam à jure Civili servatur.*

2 PRo faciliori notitia Successionis ab intestato notandum prius, quòd *Inte[illegible] ille dicatur, Qui vel omninò Testamentum non fecit, aut non Jure* (id est non legitimè seu validè) *fecit, aut id, quod fecit, ruptum, irritumque factum est, aut si ex eo nemo hæres [illegible]*, juxta verba Justiniani *prin. Instit de Hæred. quæ [illegible]* Qui igitur tali succedit, dicitur intestato, seu ab intestato succedere, & hæres ab intestatò vocatur. Nec refert, an quis noluerit, aut non potuerit facere Testamentum, quivis enim quoad effectus Successionis pro intestato habetur: *Nam licèt, qui testari non [illegible] non fit intestatus, puta impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est; tamen hon. quoque [illegible] debemus*, ait Ulpianus *l. pr. de Suis & Legitim.*

3 Queritur I. Quid, & quotuplex sit Successio ab intestato? Resp. I. Est acquisitio hæreditatis absque Testamento, vel dispositione hominis Legibus debita *tot. Tit. ff. Si quis omissa causa Testam.* dicitur *acquisitio hæred.* loco generis. Dicitur *absque Testam.* per quod differt à Successione ex Testamento. Additur: *vel dispositione hominis Legibus debita*, quibus verbis differt ab acquisitione hæreditatis per [illegible] renunciationem cum consensu illius, de cujus hæreditate agitur, factam: hæc namque ex speciali dispositione & conventione hominum inter se acquiritur: Successio ab intestato autem absque ulla hominis dispositione Legibus debetur: unde & Successio *legitima* ipsaque hæreditas ab intestato acquisita, *legitima*, [illegible] Legibus debita vocatur *L. 3. §. 2. Pro socio l. Legitimæ 2. ff. de R. J. & hæred. & l. Quamdiu 89. ff. de R. I.*

4 Resp. II. Successio ab intestato duplex est, seu potius dupliciter fit in capita nempe, & in stirpes. *Successio in capita* fit, & est, quando plures ejusdem gradus personæ æqualiter succedunt, ita ut una de hæreditate plus non accipiat, quàm altera, totque fiant portiones seu partes hæreditatis æquales, quot sunt capita, seu personæ: ob quod Successio in capita dicitur *Novell. [illegible] in pr. Successio in stirpem*, seu *stirpes* fit, & est, qua unus, vel plures nulla habita ratione multitudinis vel paucitatis personarum, loco alterius ita succedunt, ut omnes simul, sive multi, sive pauci sint, tantam portionem de hæreditate accipiant, quantam accepisset ille, cujus loco succedunt: quamvis dein talem portionem inter se æqualiter ac in capita dividant. Exemplũ est in casu, quo pater intestatus moriens duos liberos, ac sex nepotes ex filio prædefuncto relinquit: hòc in casu sex nepotes succedunt *in stirpẽ*, id est in locum sui patris, à quo tanquã stirpe proveniunt, ac omnes plus non accipiunt quàm pater eorum, si viveret, accepisset, tantum nempe, quantum quivis ex duobus fratribus suis adhuc viventibus. Eandem portionem acciperent, si plures, vel pauciores essent nepotes v. g. duodecim, vel duo aut tres, vel unus, *§. Cùm filius 6. & §. fin. Instit. de Hæred. quæ ab intest. & Authen. In successionem C. de suis & legitim.*

5 Quæritur II. Quinam, & quo ordine ab intestato succedant? Resp. Sequentes ordine sequenti succedere: videlicet. Primò Descendentes defuncti Secundò Ascendentes illius. Tertiò Collaterales consanguinei, fratres v. g. illius. Quartò Conjux. Quintò Fiscus. Ita antiquato Jure antiquo statuitur *Novell. 118. cap. 1. 2. & 3.* ac *tot. Tit. ff. & C. Unde vir. & uxor, totque Tit. C. de Bonis vacantium*; patebitque ex sequentibus; quia de quovis ordine succedentium horum specialiter agemus.

6 Quæritur III. Quomodo computentur gradus consanguinitatis in ordine ad dignoscendum, quis sit gradu proximior consanguineus defuncti? Meritò præmittitur hæc quæstio subsequentibus Paragraphis: Nam quia in illis dicemus, eum, qui est proximior gradu, esse etiam priorem in successione, ita ut remotiorem excludat, *§. plures. Instit. de Legit. agnat. success.* omninò prius explicare & scire oportet, quomodo computatio graduum [illegible] debeat ad dignoscendum, quis sit proximior. Itaque Resp. I. In linea recta ascendentium, & descendentium eodem modo computantur gradus consanguinitatis secundum Jus Civile, quo secundum Jus Canonicum, ita ut utrobique recepta hæc sit Regula unica: *Tot sunt gradus in linea recta ascendente ac descendente, quot sunt personæ una dempta, communi nempe stipite, à quo incipit numeratio*: consequenter *tot gradibus distant in linea recta duæ personæ, de quibus quæritur, inter se, quot sunt personæ à communi stipite, una dempta.* Sic v. g. Pater & filius in primo gradu sunt conjuncti: avus & nepos in secundo: proavus & pronepos in tertio: & sic deinceps, Textu claro *can. Ad sedem, 2. caus. 35 quæst 2. & §. 1 ac seq. Instit. de Grad. cognat.* caret Conclusio omni controversia.

7 Resp. II. In linea collaterali, seu transversali, tam æquali quàm inæquali aliter computantur gradus à Jure Civili in ordine ad capiendam hæreditatem: aliter à Jure Canonicò in ordine ad contrahenda matrimonia. Omnes textu aperto *cit. can. 2. caus. 35. quæst 2.* de Jure Canonico enim pro linea collaterali æquali habetur illa Regula: *Quot gradibus singulæ personæ, de quibus quæritur, distant à communi stipite, tot gradibus distant inter se.* Pro linea collaterali inæquali autem recepta est sequens Regula: *Quot gradibus persona remotior distat à communi stipite tot gradibus distant duæ personæ collaterales inter se* [illegible] patebit ex dicendis infra *l. [illegible] de Spons. & Matr.* [illegible] de Jure Civili pro computandis gradibus lineæ collateralis tam æqualis, quàm inæqualis habetur alia, & quidem unica sequens Regula: *Tot sunt gradus, quot sunt ex utraque parte, vel linea personæ una dempta, communi nempe stipite*; consequenter *tot gradibus duæ personæ in linea transversali distant inter se, quot ex utraque parte numerantur personæ usque ad communem stipitem, in quo ambæ [illegible] una dempta, ipso nempe stipite communi.* Sic v. g. duo fratres secundũ Jus Civile in ordine ad capiendam hæreditatem, distant duobus gradibus inter se: quia sunt tres personæ, duo fratres nempe, & pater, in quo tanquam communi stipite conveniunt, consequenter una dempta duo gradus. [illegible] de Jure Civili in linea transversali non dicitur gradus

dus primus. Pariter duo patrueles sunt in quarto gradu inter se; quia enim utraque parte seu linea usque ad communem stipitem sunt quinque personæ, ipsi nempe duo patrueles, duo ipsorum patres, & avus, una autem persona, avo nempe dempto, sunt quatuor personæ, consequenter quatuor gradus. Rursus nepos & patruus, id est frater patris distant inter se tertio gradu; quia nempe usque ad communem stipitem, avum scilicet ex utraque parte numerantur quatuor personæ, una verò dempta, sunt tres, consequenter tres gradus. Ita unanimis ob claram Juris dispositionem *arg. tot. Tit. Instit. de Gradib. cogn. & c. 2. caus. 35. q. 2.* ubi etiam exempla afferuntur illis verbis. *Fratres itaque, qui secundum Leges sæculares dicuntur in secundo gradu, juxta Canones numerantur in primo. Filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo: & sic deinceps.* Rationem diversitatis meritò servandæ inter Canones & Jus Civile ibidem allegat Pontifex diversam causam; ait namque: *dum ventilatis Legibus & Ss. Canonibus districtè invenimus, ob aliã, atque aliam causam, alteram Legum fieri, alteram Canonum computationem. In legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hæreditas, vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos transferatur. In Canonibus verò ob hoc progenies computatur, ut apertè monstretur usque ad quartam generationem, à consanguineorum nuptiis sit abstinendum &c.*

8 Illud tamen notandum, quòd computatio graduum Juris Civilis in ordine ad Successiones hæreditarias non tantum in Foro sæculari ac civili, sed etiam Ecclesiastico & Canonico sit observanda; quia quoad hoc leges Civiles approbatæ, & canonizatæ sunt à SS. Canonibus, *arg. cit. can. 2. caus. 35. quæst. 5.* Et econtrà computatio graduum Juris Canonici in ordine ad contrahendum matrimonium non tantum in Foro Ecclesiastico, sed etiam [illegible] sit servanda, prout ipsi etiam fatentur Civilistæ *arg. cit. can. 2. caus. 35. qu. 5.* ut [illegible] verum sit dicere, quoad successionem hæreditariam, eodem modo fieri computationem graduum à Jure Canonico, & Civili; Et econtrà computationem graduum in ordine ad contrahendum matrimonium, pariter eodem modo fieri ab utroque Jure, consequenter Jus utrumque in computatione graduum non nisi penes diversa objecta differre, idque ob rationem *n. præced.* allegatam.

§. II.

De Successione Descendentium, liberorum nempe, nepotum, ac pronepotum.

SUMMARIUM.

9 *Liberi varii afferuntur.*
10 *Liberi legitimi & naturales [illegible] succedant?*
11 *Legitimati per Matrimonium [illegible] eodem modo, quo legitimi.*
12 *Sicut etiam adoptati liberi.*
13 *Legitimati per Rescriptum Principis, vel Comitis Palatini, quomodò succedant?*
14 *Legitimatio Rescripto Principis facta non exspirat nativitate subsequente filiorum.*
15 *Naturales liberi qui? & quomodò succedant?*
16 *Spurii qui? & quomodò succedant?*
17 *Spurii impropriè dicti juxta Canones qui?*
18 *Liberi ex damnato coitu parentibus non succedunt, alimenta tamen ab eis percipiunt.*
19 *His comparantur liberi parentis rei criminis læsæ Majestatis.*
20 *Nepotes cum liberis existentes succedunt in stirpem.*
21 *Sicut etiam, si soli sine liberis extent, & à diversis parentibus proveniunt.*
22 *Si filius superstes succedere aut nolit, aut non possit, succedunt nepotes.*
23 *Nepotes naturales legitimati quomodò succedant?*
24 *Nepotes naturales non legitimati succedunt aviæ maternæ.*
25 *Utrum verò paterno avo succedant, magna est controversia. Et n. seq.*
[illegible] *Contra Jus commune habent statuta & consuetudines locorum circa Successionem ab intestato, præsertim in Bavaria.*

QUæritur I. Quinam liberi, & quomodò succedant ab intestato? Ante Responsionem notandum. Liberos esse in varia differentia; alii enim sunt, & dicuntur spirituales; alii affines seu privigni; alii legitimi & naturales simul; alii legitimi tantum, alii naturales tantum. *Naturales* rursus alii propriè tales, alii spurii; alii ex damnato coitu; alii legitimati; alii non legitimati. *Filii spirituales* alicujus dicuntur illi, quos quis in Baptismo, vel Confirmatione tenuit, *arg. can. 1. caus 30. qu. 3.* Et de his certum est, quòd penitus nullum habeant jus succedendi ab intestato parentibus suis spiritualibus; quia nulla inter eosdem habetur ratio consanguinitatis, prout dicitur *cit. can. 1. caus. 30. q. 3. Liberi affines*, sive *Privigni* sunt & dicuntur respectu Vitrici, seu Novercæ. De quibus pariter certum est, quod in nullo casu ab intestato succedant parenti vitrico, sive novercæ, *l. Affinitatis, 7. C. Communia de Successione*, ibi: *Affinitatis jure nulla successio permittitur, & l 3. C. eod.* ibi: *Vitrico privigni successionem intestato Civili, vel honorario non deberi, certissimum est.* His itaque extra omnem controversiam positis, dabimus de aliis liberis Conclusiones sequentes. 9

10 Resp. I. Liberi primi gradus, naturales & legitimi simul, sive, quòd idem est, liberi ex legitimo matrimonio procreati omnes sine ulla status differentia, sive fœminæ, sive mares, sive sui, sive emancipati; sive laici, sive clerici, etiam Religiosi in capita & æqualiter ab intestato ita succedunt patri & matri, ut excludant non tantum collaterales consanguineos, v. g. patruos, avunculos & c. sed etiam ascendentes, & descendentes nepotes, casu quo horum, nepotum nempe patres adhuc in vivis existunt. Unanimis ac certa claris Juribus *Novell. 118. cap. 1. & Authen. In Successione C. de Suis & legitim.* Ratio desumitur tum ex præsumpta voluntate defunctorum, qui utique liberis suis potiùs, quàm extraneis bona sua congregasse, & relinquere voluisse meritò censentur; tum ex jure & æquitate naturali, ut ex bonis paternis liberi alimenta consequantur, *l. Cùm ratio, 7. ff. de Bonis damnat.*

11 Resp. II. Liberi naturales legitimati per subsequens matrimonium, eodem modo, quo legitimè nati ab intestato succedunt parentibus, *§. 2. Instit. de Hæred. quæ ab intest. & c. Tanta 6. Qui filii sint legitim* & ibi Glossa *V. Legitimi*, cum Barb. *n. 14.* Pirhing. *h. t. n. 6.* Engel. *eod. num. 8.* Gailus *lib. 2. Observ. 141. n. 1.* & Communissima aliorum docentium, legitimatos per subsequens matrimonium per omnia æquiparari legitimè natis: eo quod magna vis matrimonii omnia præcedentia purget. Glossa *loc. cit.* Dicitur autem proles naturalis per matrimonium legitimari, quando pater illius cum matre, ex qua proles concepta erat, posteà contrahit matrimonium, sive dein hoc fiat ante, vel post nativitatem prolis naturalis, etiam in mortis articulo: imò etsi interea aliam duxerit, dummodo aliquando ducat, & dummodò tempore conceptionis habiles ad contrahendum erant, *arg. cit. c. Tanta 6. Qui filii sint legit.* & ibi DD. communiter, præsertim Barbosa; diceturque amplius *in lib. 4. cit. Tit. Qui filii sint legitimi.*

12 Resp. III. Filii legitimi tantum id est adoptivi etiam eodem modo, quo legitime nati equaliter in capita succedunt adoptanti, vel arroganti *l. [illegible] C. de legitim. hæred.* ibi: *Si is pater in cujus potestate [illegible] in adoptionem dedit cum filiis [illegible] & post acquisitis defuncto ab intestato succedere [illegible].* Dummodò ante mortem adoptantis per emancipationem adoptatio non dissolvatur, *l. Cùm in adoptivis, 10. §. 1. C. de Adopt.* Ad successionem tamen agnatorum & cognatorum adoptantis non admittuntur, *l. 10. §. 1. C. de Adopt.*

13 Resp. VI. Liberi naturales Legitimati per Rescriptum Principis, vel Comitis Palatini quoque æquali jure cum legitimè natis succedunt ab intestato parentibus suis, si tres concurrant conditiones, videlicet Primò, si nulli extent liberi legitimi. Secundò si pater peracta generatione matrem ex justa causa ducere, sicque per subsequens matrimonium prolem legitimare non potuit. Et tertiò, si proles in legitimationem consenserit Ita expressè statuitur *Novell. 74. cap. 2. & Novell. 89. cap. 9.* Observat tamen circa primam conditionem Gailus *lib. 2. Observ. 142. n. [illegible]* citans Commaden, quod supremus Princeps de plenitudine potestatis suæ possit naturalem etiã extantibus legitimis ad successionẽ ab intestato legitimare cum cl[illegible] Diplomati inserta, *non obstante quòd adsint legit.* [illegible]

in præjudicium legitimorum. Ratio est; quia potest antiquas Leges abrogare, & novas ordinare, *arg. l. Disputare, 3. C. de Crim. Sacril.* & *l. 5. C. de Divers. Rescript.* Quæ ratio, cùm cesset in Comite Palatino, ei ita legitimandi potestas non competit; nisi eidem speciali expresso privilegio concessa inveniatur; uti post Baldum *in l. Cùm filiusfamilias, ff. de Testam. milit. n. 1.* notat Gailus *loc. cit.*

14 Utrum autem legitimatio filii naturalis per Rescriptum Principis, tempore, quo nulli existebant liberi, facta, quoad Successionem ab intestato expiret, quando posteà legitimos liberos pater generet? gravissima est controversia inter Doctores. Affirmativam multi tenent citati à Tiraquell. *in l. Si unquam, n. 275. C. de Revoc. donat. arg. leg. Existimo, 98. princ. ff. de V. O.* Negativam verò tuentur Gailus *loc. cit. n. 5.* Bartolus *in l. Ex facto, n. 3. ff. de Vulg. & pupill.* Baldus *ibid. n. 1.* ac etiam Jason *n. 45.* ubi citat Communem. Fundamentum eorum desumitur ex illa Juris Regula, quòd semel perfecta & consummata non irritentur, etsi ad eum casum perveniant, à quo incipere non potuissent, *l. In ambiguis, 85. §. 1. ff. de R. J.* ibi: *Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licèt ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt, &c. factum, 73. de R. J. in 6.* ibi: *Factum legitimè retractari non debet, licèt casus posteà eveniat à quo non potuit inchoari.* Et videtur hæc sententia omninò probabilis.

15 Resp. V. Filii naturales non legitimati, id est, procreati ex duabus personis liberis, tempore conceptionis ad matrimonium inter se ineundum non inhabilibus, matre vel concubina, vel saltem non meretrice publicà, aut pluribus ità exposita, [illegible] æquali jure [illegible] ab intestato, etsi mater [illegible]. Ita claré Jura *l. 2. Unde cognati, §. Novissimè Inst. ad S. C. Orfitian. l. pen. ad S. C. Orfit.* & *l. Si qua illustris, ad fin. C. eod.* ibi: *Si autem concubina* (erat illustris) *liberæ conditionis constituta filium vel filiam ab homine libero habita procreaverit, eos etiam cum legitimis liberis ad materna venire bona, quæ jure legitimo, in suo patrimonio possidet, nulla dubitatio est.* Patri verò ab intestato non succedunt, si proles, vel nepotes legitimi, vel uxor ejusdem adhuc extent: his verò omnibus deficientibus capiunt tales liberi naturales præter nutrimentum, sextam partem bonorum, seu duas uncias cum matre sua dividendas, ita, ut una prolibus naturalibus, altera verò unica matri remaneat. *Novell.* [illegible] *Novell. 89. cap. 12. Si quis autem 4.* ibi: *Si quis autem* [illegible] *fuerit; legitima ei omnino sobole non extante*, [illegible] *dicimus aut nepotum, aut deinceps successionis*, [illegible] *deinde moriatur non disponens de sua substantia* [illegible] *libera mulier in schemate concubinæ sociata*, [illegible] *ex ea, & alimentum damus eis, & intestatis parentibus duas paternæ substantiæ uncias habere cum matre partiendas*, [illegible] *filii, & unius filii portionem* [illegible] *mater ex una sola*, [illegible] *plures* [illegible] *liberos habeat* [illegible] *tum præfato beneficio Legis* [illegible] *paternæ*; prout in citatis *Novell.* ulterius ordinatur, [illegible] concordat *authen. licèt. C. de Natural. lib.*

16 Resp. VI. Liberi *Spurii* propriè [illegible] *quæsiti*, id est, procreati quidem à duabus personis [illegible], & tempore conceptionis ad contrahendum matrimonium habilibus, matre tamen communi meretrice, vel saltem pluribus ita [illegible] ex fornicatoribus pater [illegible] *Vulgò quæsiti, ff. de Statu hominum*, patri [illegible] succedunt [illegible] *Inst. de* [illegible] *cognat.* Ratio patet; [illegible] nesciatur [illegible] naturales [illegible] ab intestato succedunt, [illegible] illustris, [illegible] *Novissimè* [illegible] *Orfitian.* [illegible] *Novissimè sciendum est* [illegible] *qui vulgò quæsiti sunt, ad matris hereditatem ex* [illegible] statuit [illegible] *cognati* [illegible] *nisi mater fuerit illustris* [illegible] quidem, non autem spurii succedunt, [illegible] habet, [illegible] verò, si legitimis careat, textu [illegible] *ad S. C. Orfitian.* ibi: *Sancimus,* [illegible] *neque ab intestato* [illegible] *existentibus* [illegible] *ab Illustribus matribus ad spurios perveniat.*

17 Dicitur [illegible] nati ex damnato [illegible]

noniftis, *arg. cap. Tanta. Qui filii sint legitim.* qui pro in spurios, & natos ex damnato coitu promiscuè accipiunt, qui tamen in sensu Juris Civilis propriè *spurii* non sunt.

Resp. VII. Liberi ex damnato coitu, id est, procreati ex illis, inter quos tempore congressus matrimonium esse non potuisset, quales sunt filii Presbyterorum, liberi ex adulterio; item liberi ex incestu, nec patri, nec matri ab intestato succedunt; etiamsi nulli legitimi extent, textu claro *Novell. 89. cap. fin.* & *Authen. Ex complexu. Cod. de Incest. nupt.* ubi etiam alimenta eis denegantur, ibi: *ex complexu nefario aut incestu, aut damnato coitu liberi nec naturales sunt nominandi omnis paternæ substantiæ indigni beneficio, aut nec alantur.* Quamvis quoad alimenta à Jure Canonico Jus Civile mitigatum sit, ita ut his quoque liberis à parentibus alimenta debeantur, *arg. c. Cùm habent 5. de Eo, qui duxit in matr.* Concordat Jus Bavaricum *tit. 39. art. 7.* statuens, ut hujusmodi liberi tamdiu saltem de parentum bonis sustententur, donec ipsimet labore manuum suarum, aut arte panem necessarium sibi acquirere valeant. 18

Liberis ex damnato coitu equiparantur, ita ut ab omni successione ab intestato excludantur liberi, quorum parentes ob crimen læsæ Majestatis sunt condemnati, *l. Quisque, 5. §. 1. C. ad leg. Jul. Majest.* Item liberi eorum, qui propter hæresin damnantur, *c. Excommunicamus, 3. §. Damnati de Hæret.* quod tamen limita in Germania, ubi Hæretici tolerantur. 19

Quæritur II. Quinam, & quomodò succedant nepotes ab intestato? Resp. I. Quando cum liberis legitimis primi gradus concurrunt legitimi nepotes, vel pronepotes &c. Tunc parentibus eorum præmortuis, avo vel aviæ ab intestato succedunt tales nepotes, vel pronepotes æquali jure cum liberis, hac tamen cum differentia, quòd liberi in capita, nepotes verò, vel pronepotes in stirpes succedant. Unanimis ac certa, apertis Juribus, *§. Cum filius, 6. Instit. de Hæred. quæ ab intest. Novell. 118.* & *Auth. In successionem, C. de Suis & legit.* ibi: *In successionem patrisfamilias, seu filiifamilias liberi ejus, si sunt, omnes* [illegible] *lati succedunt. Primi quidem gradus æ*[illegible] *nepotes verò, & ulteriores in stirpes* Ratio [illegible] Juris repræsentant patrem, sicque jure [illegible] repræsentationis veniunt, *arg. cit. §. 6. Instit. de hæred.* [illegible] *in capita*, & quid in stirpes succedere, [illegible] suprà *n. 4.* 20

Resp. II. Si nullis existentibus liberis primi gradus soli existant nepotes ex diversis liberis primi gradus, tunc omnes jure repræsentationis in locum parentum succedunt in stirpes, & non in capita, sive æqualis, sive inæqualis sint numeri; ut si Titius tres liberos habuisset, ii verò ante Titium mortui essent, & unus eorum tres liberos, alter verò quinque, tertius autem unum tantum, nepotes avi reliquissent, omnes in stirpes ita succederent, ut unicus nepos ex tertio succedens, tantum caperet de substantia avi, quantum quinque ex altero provenientes, vel tres illi ex primo procreati, eò quod idem & non plus quivis horum parens, quem repræsentant, & in cujus locum succedunt, accepisset. Idem dic, si plures in [illegible] pronepotes, aut abnepotes extent, sive æquali sive inæquali numero, sive ejusdem, sive diversi gradus, quivis [illegible] talium, [illegible] semper repræsentat parentem, [illegible] in locum succedit, tantumque & non plus [illegible] ab intestata capit, quantum parens [illegible] *l. 2. C. de Suis & legitim.* *Nepotes ex diversis* [illegible] *succedentes ab intestato non pro virilibus portionibus* [illegible] *ex stirpibus* [illegible] *dunt.* Adhuc clarius atque [illegible] habetur [illegible] *filium, & §. fin. Instit. de Hæreditatibus* [illegible] Ex [illegible] jure Communi [illegible] succe- repræsentationis [illegible] parentes sunt [illegible] excludantur à successione [illegible] 21

[illegible] 22

vel servus pœnæ efficiatur, sine dubio nepos loco filii succedit. Accedit, quod etiam in his procedat Juris ratio, videlicèt memoriæ sui in posteris propagatio, *l. Liberorum. 220. ff. de V. S.* Et quia etiam tales verè ex sanguine avi descendunt.

23 Resp. IV. Nepotes naturales legitimati per subsequens Matrimonium, eodem modo, quo legitimè nati avo ab intestato succedunt per jura *n. 21.* citata. De Legitimatis verò per Rescriptum Principis idem proportionaliter dicendum, quòd de liberis Legitimatis *n. 13. & seqq.* diximus. Ratio est, quia nomine liberorum etiam nepotes veniunt, ubi Jura aliter specialiter non disponunt *l. Liberorum 220. ff. de V. S.*

24 Resp. V. Nepotes naturales non legitimati, etiam spurii propriè tales succedunt aviæ maternæ, aliisque ascendentibus ex linea materna. Est communis *l. Modestinus, 8. ff. Unde cognati* ibi: *Modestinus respondit, non ideò minus ad aviæ maternæ bona ab intestato nepotes admitti, quòd vulgò quæsiti proponuntur.* Concordat *§. Novissimè 3. Instit. ad S. C. Orfitian.* & *l. 5. C. eod.* ubi tamen limitatur Conclusio in casu, quo mater est persona illustris, ac nepos spurius.

25 Utrum autem, & quomodò naturales nepotes succedant avo paterno, magna controversia est inter Doctores, qui tamen in hoc conveniunt, quòd spurii propriè tales avo paterno nullatenus succedant, eò quòd certum patrem non habeant. De Nepotibus naturalibus verò Schneidevv. in *lib. 3. t. 1. de success. liber. natur.* & alii dicunt, eos avo paterno nullatenus nec in duabus unciis succedere, *arg. l. fin. C. de Natural. lib.* ubi postquàm statutum est, quòd avus ex Testamento pro libitu quædam relinquere possit nepotibus naturalibus, additur: *Sed hoc in his tantummodò sancimus, in quibus voluntate aliquid consecuti sunt: Jura etenim ab intestato in avi successionem nemini eorum penitus aperimus.* Hanc sententiam amplectuntur *Land. Recht. t. 39. a. 4.*

26 Econtrà Covarruvias *de Matrim. p. 2. c. 8. §. 4 nu. 18.* cum aliis docet, nepotem naturalem eodem modo succedere avo, quo modo parens ejus defunctus, quem repræsentat, successisset, in duabus nempe unciis, si nulli legitimi descendentes, nec legitima extet uxor juxta dicta suprà *n. 15 arg. Eadem l. fin. C. de Natural. liber.* ibi: *Et hæc non solum eis accedere censemus à substantia avi paterni naturalis, vel etiam proavi, vel ejus cognationis.* Ex quibus verbis jus succedendi avo paterno ab intestato pro nepotibus eruere conantur. Verum prioris sententiæ DD. hæc verba Legis aliter interpretando respondent, videlicèt quòd intelligenda sint & referenda ad priorem textum, ut sensus sit, quòd non tantum avus paternus, sed & [illegible] possint in Testamento suam substantiam relinquere nepotibus naturalibus. Et sanè hæc interpretatio DD. consequenter etiam sententia eorum Juri videtur conformior, quamvis etiam Covarruviæ opinio sua probabilitate non careat. Ulteriorem hujus controversiæ examinationem relinquimus Legistis.

27 Cæterum, quæ hactenus circa Successionem Descendentium ab intestato dicta sunt, de Jure communi procedunt, contra quod varia habentur statuta particularia ac consuetudines locorum. Inter quæ etiam est, quod in aliquibus locis soli primogeniti succedant. In quibusdam locis fœminæ etiam legitimæ cum masculis Nobilibus æqualiter non succedunt, sed contentæ esse debent certa per statuta municipalia, vel consuetudinem assignata portione, relicta substantia tota remanente masculis pro conservatione familiæ quod idem etiam habetur statutum in Bavaria per Novellam editam à Serenissimo Electore Ferdinando Maria. 1672. 2. Aprilis. Eadem Bavariæ statuta etiam in hoc differunt à Jure communi, quod nepotes naturales cum legitimis extantibus aviæ maternæ ab intestato non succedant, *cit. tit. 39. a. 5.*

§. III.

De Successione Ascendentium, & Collateralium, fratrum nempe, & aliorum sanguine junctorum.

SUMMARIUM.

28 *Deficientibus Descendentibus, & fratribus germanis succedunt soli Ascendentes.*
29 *Et quidem æquales in gradu, in stirpes æqualiter.*
30 *Etiamsi bona defuncti vel ex toto, vel à potiori ab uno parentum veniant.*
31 *Si cum Ascendentibus existunt fratres germani, succedunt omnes in capita.*
Proximus quis? Ibid.
32 *Fratres uterini, vel consanguinei soli excluduntur ab ascendentibus.*
33 *Germanorum proles, non item nepotes succedunt cum ascendentibus.*
34 *An præmortui germani proles sine aliis germanis extantes succedant cum parentibus, alii negant.*
35 *Alii affirmant.*
36 *Ascendentes quomodò succedant naturalibus?*
37 *Deficientibus Descendentibus, Ascendentibus succedunt fratres & sorores germani.*
38 *Eorumque præmortuorum proles, ita tamen, ut hæ in stirpem, & illi in capita veneant exclusis uterinis.*
39 *Soli defuncti præmortuorum fratrum existentes liberi succedunt in capita.*
40 *Solvitur instantia ex Jure.*
41 *Si existunt cum eis defuncti fratres uterini, vel consanguinei, tunc liberi germanorum succedunt quidem, sed in stirpes.*
42 *Deficientibus germanis, & liberis eorum succedunt uterini vel consanguinei cum eorum liberis.*
43 *Et fratres ac sorores quidem æqualiter non habita ratione, an à patre vel matre bona provenerint: & tribus seqq. n.*
47 *Nullis existentibus fratribus & sororibus eorum, succedunt cæteri collaterales juxta gradus prærogativā.*
48 *Adoptivi filii non succedunt legitimis liberis patris adoptantis.*
49 *Fratres naturales ac spurii, cæterique collaterales illegitimi ex parte tantum conjuncti, nec sibi invicem, nec legitimis, nec hi illis succedunt.*
50 *Conjuncti verò ex linea materna, & sibi invicem, & legitimis, ac cum illis, uti legitimi succedunt.*
51 *Nati ex damnato coitu, ab omni successione repelluntur.*

Quæritur I. Quomodò succedant parentes, & alii ascendentes casu quo nulli extent descendentes defuncti? Res. I. Si quis intestatus moritur sine liberis & nepotibus, ac etiam sine fratribus & sororibus germanis, id est ex utroque vinculo conjuncti & sine horum liberis eidem ab intestato succedunt soli ascendentes tamen, ut gradu proximior semper excludat gradu remotiorem; pater v. g. vel mater, avum & aviam defuncti. Omnes quia ita, & ad longum statutum habetur *Novell. 118. c. 2* per quam etiam correctum est Jus antiquum, vi cujus mater excludebatur à successione filiorum *prin. Inst. Ad S. C. Tertyll.* Ordinatur insuper citata *Novell. 118. c. 2.* quòd pater & mater ab intestato liberis æqualiter succedant in capita, etiamsi omnia vel plura filii v. g. bona ab uno parentum patre v. g. vel linea paterna proveniat juxta dicenda infrà *num 30.* 28

Resp. II. Quando plures ascendentes in secundo vel ulteriori gradu sine fratribus vel sororibus defuncti existunt, v. g. avus & avia paterni, unà cum avo & avia materni, aut cum solo avo materno, aut econtra, tunc succedunt æqualiter non quidem in capita, sed in stirpes, ita ut in tali casu mediam capiat avus & avia paterni, alteram verò avus & avia materni, vel unus horum, si solus cum aliis existit. Caret iterum controversia ob apertam Juris dispositionem *cit. Novell. 118. c. 2* ibi: *Si plurimi ascendentium vivunt, qui eundem habent gradum, ex eo inter eos hæreditas dividatur, ut medietatem quidem accipiant à patre ascendentes, quanticunque fuerint; medietatem verò reliquam à matre ascendentes, quantoscunque eos invenire contigerit.* 29

30 Resp. III. Ascendentes tam in primo, quam secundo, aut ulteriori gradu æquali, præfato modo æqualiter succedunt Descendenti intestato, etsi hic cuncta, vel saltem plura à patre vel linea paterna, quàm à matre, aut econtra acquisita habeat: Fachin *lib.6.c.4.* Mynsinger *Cent.6. Observ.55.n.3.* dicens doctrinam Conclusionis practicari in Camera Imperiali, Nicol. de Ubald. *de Successhon. ab intest.p.2.n.4.* Pirhing. *h.t.n.12.* cum Communi aliorum contra Berlich. *p.3. concl.20. n.14.& seqq.* Schneidevvin, Bartol.& nonnullos alios, *arg. l. Si plures 10. §. Filio, ff. de Vulg.& pupill. substit.& cit. Novell. 118. cap.2.* ubi Imperator generaliter, ac sine ulla distinctione bonorum dicit, hæreditatem Descendentium inter Ascendentes esse æqualiter dividendam. Ratio est; quia cuncta bona propria filii unum patrimonium, unamque hæreditatem efficiunt; nam *hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit, l. Hæreditas, 62. ff. de R. I.* & *l. Nihil 24. ff. de V. S.* ergo, quia Novella dicit, totam hæreditatem æqualiter dividendam esse inter Ascendentes, distinguere inter bona non debemus.

31 Resp. IV. Si cum Ascendentibus æqualis gradus, extant etiam germani fratres aut sorores defuncti, tunc omnes succedunt æqualiter & in capita, ità ut tot fiant portiones æquales, quot sunt capita, seu personæ; v.g. existunt una cum matre & patre defuncti tres fratres, fiunt quinque portiones æqualiter dividendæ. Item si deficientibus etiam parentibus defuncti existunt ejusdem avus, & avia paterna, una cum avo materno, & tribus fratribus fiant sex æquales portiones, ut proin concursus fratrum faciat, quòd successio ascendentium, quæ, si soli essent, fieret in stirpes, juxta dicta *num.29.* fiat in capita. Ita desumitur ex *Novell.* sæpè citata 118. *cap. 2.* ibi: *Si cum ascendentibus inveniantur fratres aut sorores ex utrisque parentibus conjuncti defuncto, cum proximis gradu ascendentibus vocabuntur, si & pater aut mater fuerit, dividenda quippe inter eos hæreditate secundum personarum numerum, uti & ascendentium, fratrum singuli æqualem habeant portionem.* Et ibi Gloss. communiter recepta *Vers. Proximis.* Covarruvias *in Epitome de Success. ab Intestat.n.6.* Fachin *lib.6 cap.7.* Pirhing. *h.t.n.15.* & Communis aliorum. Nec obstat, quod in citata Novella dicatur, *fratres succedere cum proximis gradu*, hi autem sint parentes, non item avus v.g. vel alii in ulteriori gradu ascendentes, ergo si parentes tanquam in proximo, utpote primo gradu non existunt, fratres soli, & non cum cæteris descendentibus succedent defuncto. Nam contra est, quòd proximus in Jure dicatur, quem hic & nunc nemo antecedit, *l. Proximus, 92. ff. de V. S.* ibi: *Proximus est, quem nemo antecedit*: consequenter cùm deficiente patre & matre, avum v. g. & aviam in gradu nemo antecedat, inter ascendentes proximi erunt, & cum fratribus, hique cum illis succedere habebunt.

32 Dicitur tamen notanter in conclusione *Fratres Germani*, quia fratres, aut sorores uterini, id est, ex sola matre, vel consanguinei ex solo patre, excluduntur per ascendentes, prout docet Pirhing. *h.t.n.15.* & communiter pro Regula traditur à Legistis, *arg. cit. Novell. 118. c.2.* ibi: *Si inveniantur fratres & sorores ex utrisque parentibus conjuncti.*

33 Porrò, si cum ascendentibus existunt fratres aut sorores germani, simulque hujusmodi fratris prædefuncti proles, etiam hæ cum illis, sed non nisi in stirpem succedunt, quatenus nempe jure repræsentationis veniunt in locum patris. Ita expressè statuitur *Novell. 127. c. 1.* ac etiam corrigitur *Novell. 118. c.3.* ubi tales proles in dicto casu à successione exclusi erant: verba *Novell. 127.* ita sonant. *Hoc itaque justè corrigentes sancimus, ut si quis moriens relinquat ascendentium aliquem, & fratres qui possunt cum parentibus vocari, & alterius præmortui fratris filios, cum ascendentibus & fratribus vocentur etiam præmortui fratris filii, & tantam accipiant portionem quantam eorum futurus erat pater accipere, si vixisset.* Nepotes verò vel pronepotes præmortui fratris hoc privilegio non gaudent, sed à parentibus fratribus excluduntur; tum quia hæc Novella est correctoria prioris, consequenter ultra casus expressos non extendenda, *c. Quæ à jure communi 28. de R. I. & l. 141. ff. eod.* Tum quia jus repræsentationis ultrà fratrũ filios locum non habet in linea Collaterali, *arg. Auth. post fratres, fratrumque filios C. de legit. hæred.*

Num autem præmortui fratris filii simul succedant in casu, quo præter ascendentes, nulli extant fratres aut sorores germani; non conveniunt DD. Negativam tenent Cujac. *ad dict. Novell. 118.* Zoesius *ad ff. de Suis & legit. hær. n.28.* Perez *in tot. C. ad S.C. Tertyll.* Pirhing. *h.t.n.14. ar. cit. Novell. 127.* ubi in illo duntaxat casu admittuntur liberi fratris præmortui, quo simul cum eis existunt etiã adhuc alii fratres ipsius defuncti, consequenter, ajunt, cùm hæc Novella sit correctiva Juris anterioris, ultra casus expressos extendenda non est, *ar. præter Jura cit. n. præced. l. Præcipimus, 32. C. de Appellat.* Et *Exceptio unius firmet Regulam in contrarium*, per vulgaria. 34

Econtra alii, ut Forsterus *de Success. 3. cap. 7.* Schneidevvin. *lib.2. tit.1. de Secundo gradu success. n.29.* ubi citat Cyn. *in Tract. Success. ab intest. §. Nunc in hac part. 2. n.5. & 9.* & alii, quorum sententiam veriorem etiam judicant Haunoldus *Tract. 5. c.3. nu.478.* affirmativam docent, idque probare conantur tum ex *Novell. 127.* Rubrica, ita sonante: *Ut fratrum filii succedant pariter ad imitationem fratrum etiam ascendentibus extantibus*; ubi ut legenti patet, nulla distinctio est inter filios fratris sine aliis, vel cum aliis fratribus extantes. Tum ex eo quòd penitus nulla ratio assignari queat, ob quam præmortui fratris filii succedant, si adhuc extant fratres aut sorores defuncti: & non, si sine hujusmodi fratribus soli sint: prout consideranti liquet. In qua opinionum varietate id satè fatendum est, quòd utriusque sententiæ Authores passim fatentur, utramque nempe sententiam probabilem; adeoque Transactioni locum esse. Posteriori tamen sententiæ adhæret Jus Bavariæ *Land-Recht tit. 40 a. 4.* 35

Resp. V. In iis casibus, in quibus filii naturales, ac illegitimi succedunt parentibus, succedunt parentes illis. Covarruvias *in Epitome Success. ab intestat. num 19.* Pirhing. *h. t. n.16.* Bartolus *in l. ult. ff. de His, quibus ut indig.* Baldus *in Authen. Licet C. de Natural. ar. Novell. 89. c. 13.* ibi: *In quibus casibus naturales filios vocavimus ad successionem, in iis quoque & ipsi decentem naturalem patribus devotionem servent eandemque mensuram, sicut parentes prospiciunt naturalibus filiis secundum nostram Legem, & ipsi parentibus compenset, in successionibus, sive in alimentis.* 36

Quæritur II. Quando, & quomodò ab intestato succedant Collaterales? Resp. I. Si quis intestatus moriens nec descendentes, nec ascendentes reliquit, succedunt eidem sanguine juncti Collaterales taliter, quòd proximior gradu semper totaliter excludat remotiorem. Et quidem omnium primò fratres & sorores germani, id est ab utroque parente tam matre nempe, quàm patre conjuncti defuncto *die rechte Schvvester, und Brüder, Sive de geschvvistert von beyden Banden, oder Voller Geburth* æqualiter & in capita succedunt, penitus exclusis fratribus & sororibus consanguineis, id est, ex solo patre, & uterinis, sive ex sola matre junctis. Caret controversia, ob clara Jura *Novell. 118 cap.3 & Authen. Itaque C. Communia, de Success.* ibi: *Itaque mortuo patrefamilias, si filius decedat intestatus sine liberis, relictis fratribus & sororibus aliis consanguineis, aliis uterinis, & quibusdam ex utroque parente conjunctis, in eos solos transmitti hæreditatem qui ex utroque latere connexi sunt.* Ratio est; quòd licet etiam consanguinei & uterini æquè sint in primo gradu, ac fratres germani, tamen quia duplex vinculum plus ligat quàm simplex, meritò Jura germanos aliis fratribus præponunt. 37

Resp. II. Si una cum defuncti fratribus & sororibus germanis extent etiam aliqui fratris aut sororis germanæ prædefuncti liberi, tunc hi quoque cum illis ab intestato succedunt, ita tamen, ut fratres & sorores in capita, liberi verò hujusmodi in stirpem loco patris jure repræsentationis veniant, tantum omnes simul capientes, quantum eorum parens, si viveret, accepisset. Unanimis & certa, apertis Juribus *Novell. cit. 118. c. 3. §. Si autem defuncto* ibi: *Si autem defuncto fratres fuerint, & alterius fratris, aut sororis præmortuorum filii, vocabuntur cum illis ad hæreditatem etiam isti, & quantamcunque fuerint, tantam ex hæreditate percipient portionem, quantam eorum parens futurus erat accipere, si superstes esset.* Idem habetur *in Auth. C. de Legitim. hæred.* ubi etiam, sicut & *in cit. Novell. 118. c 3.* ordinatur, quòd hujusmodi præmortui fratris liberi etiam excludant fratres & sorores ex uno parente tantum conjunctos; licèt enim (addendo rationem pergit Novella) frater vel soror ex uno parente sit in secundo gradu junctus defuncto, præmortui fratris germani, liberi autem in tertio, nihilominus quia hi privilegio Juris suum patrem repræsentant, ejusque loco succedunt, pater autem eorum, si viveret, utpote germanus defuncti frater excluderet uterinos & consanguineos, etiam liberi ejusdem excludunt: ob eandem rationem præmortui fratris liberi excludunt patruum defuncti, id est, fratrem sui patris, & avunculum, id est, fratrem suæ matris: sicut & amitam, sororem scilicet patris, & materteram sororem nempe matris, *cit. Novell. 118. c.3. §. Illud palam*, & *Authen. Post fratres autem C. de Legit. hæred.* Notandum tamen, quòd jus repræsentationis, quo cum defuncti fratribus in stirpem succedunt fratrum liberi ulterius non extendatur ad descendentes collaterales, ut proin, si præmortuus frater defuncti relinqueret nepotes, hi cum fratribus defuncti, vel fratrum liberis non succederent, nec etiam fratres aut sorores ex uno parente excluderent; uti expressè cavetur *cit. Novell. 118. c. 3. V. Hujusmodi verò privilegium* Ratio est; quia jus repræsentationis ultra fratrum filios in linea collaterali se non extendit, *arg. Authen. post fratres, fratrumque filios. C. de Legit Hæred.* 38

39 Resp. III. Quando nullis defuncti fratribus aut sororibus germanis, nec aliquibus ex uno parente conjunctis extantibus soli supersunt ex defuncti fratribus & sororibus germanis, liberi, tunc hi omnes succedunt in capita, etiamsi plurium fratrum; aut in diverso numero sint liberi; v. g. Si Titius relinquit tres liberos ex præmortuo fratre germano, & sex ex præmortua sorore germana, dividitur hæreditas in novem partes æquales æqualiter inter novem dictos liberos dividendas. Ita Fachin. *lib.6. cap.3.* Molina *Disp 164 nu.12.* Covarruvias *in Epitome success. n 12.* Mynsinger *Cent. 3. obser. 94.* Pirhing. *h.t.* cum communiori & veriori aliorum, quos copiosè citat Harprecht contra Glossam *in Authen. Cessante vers. Stirpes C. de Legit. hæred.* Accurs. *in dictam Auth. Cessante* & plures alios. Probatur Conclusio ex *L. 2. §. 2 ff de Suis & legit. hæred.* ibi: *Duos fratres habui, unus ex his unum filium; alius duos relinquit, hæreditas mea in tres partes dividetur* & *l. penult. ad fin C. de Legit. hæred.* ubi de liberis fratrum & sororum ita habetur: *Illo procul dubio observando, ut successio non in stirpes, sed in capita dividatur, & is gradus in ordinem legitimum transferatur.* Eandem sententiam speciali Constitutione in Comitiis Spirensibus cum consensu Statuum Imperii approbavit Carolus V. Imperator 1529. *Ti Keyserliche Constitution und gatung vvir brüder und schvvesterkinder &c.* ut proin in terris Imperii sententia nostra omnino præferri debeat. Ratio est; quia quando filii fratrum soli existunt, nulla opus est repræsentatione, cùm in tali casu filii proprio conjunctionis jure, & ex propria persona succedant; consequenter etiam hæreditatem æqualiter, utpote æquales in gradu dividant.

40 Dices, Jura allegata correcta fuisse à Jure novo *Novell. 118. c.3.* ubi apertè habetur, quòd filii fratrum, patruo suo jure repræsentationis, consequenter in stirpes succedant; ergo. Resp. neg. antec. quia dicta Novella Jus antiquum solummodò corrigit, filiosque fratrum patruo suo in stirpem succedere dicit in casu, quo cum eis etiam concurrunt defuncti fratres & sorores: ibi: *Si defuncto fratres fuerint, & alterius fratris, aut sororis præmortuorum filii*: consequenter cùm in hoc solo casu Jus antiquum corrigat, in reliquo illud intactum relinquit: præsertim cùm *Exceptio unius firmet Regulam in contrarium*, & Juris correctoria non sint extendenda, *c. Quæ à communi 28. de R. I. in 6.* & *Reg. 14. ff. eod.*

41 Resp. IV. Si præmortuis fratribus & sororibus germanis existunt liberi cum fratribus & sororibus ex uno parente conjunctis defuncto, tunc soli quidem tales liberi exclusis patruis suis ex uno parente conjunctis ab intestato succedunt in stirpem, non autem in capita. Fachin *lib.6. cap.3.* Pirhing. *h.t. n.20.* Harprecht, Manz. & communior aliorum, quoad secundam partem, quòd nempe non in capita, sed in stirpes tali in casu succedant, prima enim pars, quòd excludant patruos ex uno parente conjunctos, certa est, clareque patet ex *cit. Novell. 118. c.3. Vers. Unde consequens.* Ex quo eodem loco etiam secunda pars deducitur. Cujus ratio est, quia, quando liberi præfati cum defuncti fratribus ex uno parente concurrunt, non nisi jure repræsentationis succedere, & dictos fratres excludere possunt; quia nempe pater illorum, eosdem excluderet, atqui si jure repræsentationis succedunt, in stirpes succedunt, ut patet, ergo.

Resp. V. Quando nec fratres nec sorores ex utroque parente conjuncti, nec liberi eorum post mortem defuncti existunt, tunc ab intestato succedunt fratres & sorores ex uno parente conjuncti, consanguinei nempe & uterini *die Stieff oder halbe Bruder und Schvvestern* simulque horum præmortuorum liberi. Unanimis Jure ita disponente, sæpè citata *Novell. 118. c. 3. Vers. His autem* ibi: *His autem non existentibus in secundo loco illos fratres vocamus, qui ex uno parente juncti sunt defuncto, sive per patrem solum, sive per matrem.* Et *Authen. Post fratres autem C. de Legit. hæred.* ibi: *Post fratres autem ex utroque parente, & eorum filios admittuntur ex uno latere fratres, sororesvè, cum quibus & filii eorum, si qui ex eis jam discesserit.* Servatur autem idem succedendi ordo inter hos, qui inter defuncti fratres germanos, & prædefunctorum liberos: videlicet, quòd si liberi cum fratribus concurrunt, succedant fratres in capita, liberi in stirpem utpote in locum patris jure repræsentationis: si verò soli horum fratrum liberi extent, succedant in stirpem, utpote proprio jure, non jure repræsentationis vocati, juxta dicta suprà *n. 39.* Et sicut fratres ejusmodi excludunt patruum, & avunculum &c. ita etiam eorum liberi; idque jure repræsentationis, textu claro *Authen. Post fratres autem C de Legit. hæred.* Ratio est eadem, quæ suprà. 42

Controversia hic est inter DD. An si defunctus relinquat consanguineos & uterinos fratres, an hi æqualiter sine distinctione bonorum, in capita succedant: an verò uterini in bona materna, id est, illa, quæ defunctus à matre obtinuit, consanguinei verò in paterna, id est, illa, quæ à patre obtinuit, succedant. Covar. *in Epitome Success. num. 13. §. Tertiò est advertendum.* Molina *Disp. 164. num. 7.* Bartolus *in Authen. Itaque C. Communia de Success.* Jason *in Leg. Post dotem ff. Soluto Matrim.* Pirhing. *h.t.* & Communissima aliorum cum Glossa *in Auth. Post fratres autem, Vers. Filii eorum*, docent omninò habendam esse bonorum differentiam in successione ita ut fratres uterini, id est, à matre conjuncti defuncto eidem succedant in bonis, quæ à matre ad eum pervenerunt: consanguinei verò in bonis paternis, seu quæ à patre defuncto obtinuit, in aliis verò bonis æqualiter succedant. Fundamentum eorum præcipuum, & vix non unicum est, *C. de mancipatis, 13. §.2. Exceptis maternis, C. de legit hær.* ubi sic habetur: *Exceptis maternis rebus, in quibus, si de eadem matre fratres vel sorores, sunt, eos solos vocari oportet.* Quibus non obstantibus 43

Resp. VI. Etsi concurrant fratres & sorores partim uterini, partim consanguinei, id est, partim à sola matre, partim à solo patre conjuncti defuncto, nihilominus eidem in omnibus bonis æqualiter succedunt, nulla habita ratione, an bona à patre, vel matre proveniant. Ita Fachin *lib 6. cap.5.* Fulgos. & Corneus *in Authen. Itaque, C. Communia de Success.* Haunoldus *Tract. 5. c. 3. Controv. 4. n.515.* Baldus, Salycet. Bachov. & alii; inter quos etiam numeratur Manz. dicens, oppositam sententiam authoritate potius, quàm Jure niti. Probatur autem Conclusio imprimis ex *Novell. 118. c. 3.* ubi expressè habetur; quòd deficientibus germanis succedant illi fratres, *qui ex uno parente conjuncti sunt defuncto, sive per patrem solum, sive per solam matrem*, ubi, ut vides, Imperator æqualiter vocat consanguineos & uterinos ad successionem defuncti, nulla facta mentione differentiæ bonorum, quam certè fecisset, imò facere debuisset, si hujusmodi differentiæ rationem haberi voluisset, hoc ipso, quòd condens Novellam promiserit, se omnes successiones ab intestato clara graduum divisione velle disponere, in eum nempe finem, ut jus successionis liquidum, & ab omni controversia liberum esset. Ratio Conclusionis est; quia postquam bona à patre, & matre venerunt ad fratrem, desierunt esse bona paterna & materna, & illicò inceperunt esse bona propriè fraterna; atqui ad hæc vigore *cit. Novell. 118.* consanguinei sine differentia illa æqualiter succedunt; ergo. 44

Confirmatur. Ex sententia opposita sequitur 45

plura absurda: Et quidem Primò, quòd in casu, quo cuncta bona à patre, & nihil à matre forsan paupere ad defuncti fratres pervenirent, consanguineus uterinum totaliter excluderet, solusque in cuncta bona succederet, uterino penitus nihil capiente, quod est planè contra mentem & verba Imperatoris, utpote qui in citata *Novell.* 118. ambos universaliter & pro omni casu ad successionem vocat. Sequeretur secundò, quòd uterini etiam cum germanis admittendi essent ad successionem bonorum à matre provenientium, & consanguinei ad successionem bonorum à patre habitorum, quod tamen contra ipsos Adversarios, & expressum textum *Novell.* 118. est. Tertiò sequerentur ex opposita sententia continuæ ac innumeræ lites inter uterinos & consanguineos, singulis, hæc vel illa bona à matre potius quàm a patre, vel econtra provenire contendentibus: sententiam nostram sequuntur statuta Bavariæ *Land-Recht Tit.* 41. *a.* 2.

46 Ad *l.* 13. *C. de Legit. hæred.* respondent aliqui, eam esse correctam à *Novell.* 118. *cap* 3. Fachin. verò *loc. cit.* dicit, textum ibidem non loqui de uterinis, qui à sola matre conjuncti sunt defuncto, sed de germanis, idest, illis, qui tam à patre quam à matre conjuncti sunt defuncto, quod Imperator ibidem quoad bona à matre provenientia præferri volebat consanguineis, etiam illo tempore, quo olim consanguinei cum germanis succedebant. Quòd verò textus ibidem non de uterinis, sed germanis loquatur, ostendit Fachin. ulterius solidè ex eo, quia eo tempore uterini nullatenus ad successionem fratrum fuerunt admissi; cùm hæc eisdem primum fuerit concessa *per l. Meminimus*, 15. *C. de legit. hæred.* quæ est posterior *l. de Emancipatis*, 13. *C. eod.*

47 Resp. VII. Penitus nullis existentibus fratribus & sororibus, nec liberis eorum, succedunt ab intestato cæteri Collaterales sanguine juncti, sine ulla distinctione aut differentia agnationis, vel cognationis, vel bonorum paternorum aut maternorum, secundum prærogativam gradus, ita ut gradu proximior excludat remotiorem, pares autem gradu pariter succedant non in stirpes; sed in capita; textus expressus habetur in sæpè citata *Novell.* 118. §. 1. *& Authen. Post fratres*, *C. de legit. hæred.* ibi. *Post fratres, fratrumque filios vocantur, quicunque gradu sunt proximiores ut pares in gradu pariter admittantur, sub* [illegible] *differentia masculorum & feminarum. Fit autem divisio in capita non in stirpes*. Quo usque autem, sive ad quem usque gradum hæc successio Collateralium extendatur, an in infinitum, ut aliqui volunt, an verò solum usque ad decimum gradum, inutilis videtur quæstio, eò quòd ultrà decimum gradum casus successionis ab intestato vix contingat.

48 Cæterum quę hactenus de successione fratrum, & collateralium diximus, intelligenda sunt de legitimis & naturalibus simul sive de procreatis ex legitimo Matrimonio, de Reliquis sunt Conclusiones dandæ ad subsequens Quæsitum.

49 Quæritur III. Quomodò legitimi tantum seu adoptivi, & illegitimi collaterales succedant? Resp I. Filius adoptivus non succedit fratribus naturalibus, id est, filiis patris adoptantis, nec aliis agnatis, vel cognatis, nec isti fratri filio adoptivo. Schneidevv. *lib.* 3. *Tit.* 1. *de Tertio ordine succedentium n.* 41. & alii. Textus est *in l. penult.* §. 1. *V. Et ideò*, *C. de Adopt.*

50 Resp. II. Fratres naturales, spurii, ac cæteri hujusmodi naturales ex uno patre, vel linea paterna, diversis tamen matribus provenientibus, sibi invicem ab intestato nullatenus succedunt. Ita statuitur *l. Si Spurius*, 4. *unde cognati* Schneidevv. *loc cit.* 42 Engel. *h. t. n.* 13. Covarruvias *de Matrim. p.* 2. *c.* 8. §. 5. *n.* 26. dicens hanc esse receptam omnium sententiam. Neque succedunt fratri legitimè procreato, nec legitimato, nec isti illis. Schneidevv. *l. c. arg. Novell* 89. *c.* 4. ubi deciditur, quòd filius naturalis etiam legitimatus soli patri, non autem cæteris Collateralibus succedat: & per consequens nec hi illis; quia hęc successio reciproca est, ita ut legitimus succedere non possit illegitimo, in casu, quo illegitimus succedere non valet legitimo: uti post alios bene advertit Covarruvias *in Epitome Success. ad finem arg. cit. Novell.* 89. *c.* 4.

51 Resp III. Fratres naturales, ac spurii, cæterique hujusmodi Collaterales uterini, seu ex materna linea conjuncti succedunt, & sibi invicem, & collateralibus legitimè natis, & cum illis eodem modo, acsi legitimè nati forent. Covarruvias *de Matrim. l. c.* Schneidvv. *l. c. n.* 44. Engel *l. c.* & communis aliorum, textus expressus habentur in *l.* 2. *& l. si spurius*, 4. *ff. Unde cognati*.

Resp. IV. Nati ex damnato coitu collaterales, nec sibi invicem, nec legitimis, nec hi illis ab Intestato succedere possunt, sive dein ex linea paterna, vel materna sint conjuncti. Covarrovias *l. c.* Schneidevv. *l. c. n.* 37. Decius *consil.* 311. Fachin *lib.* 6. *c.* 10. & teste Schneidevv. Communis aliorum contra Nicolaum de Ubald. *de Success. ab intestat. p.* 3. *col.* 4. Cur. juniorem *Consil.* 123. & alios apud Covarruviam, *art. cit. Auth. Ex complexu. C. de incest. & inut. nupt. & Novell.* 89. ubi adeò odibiles reputantur taliter nati, ut non tantum ab omni successione, sed etiam ab alimentatione parentum excludantur; ergò multò magis à successione Collateralium. Concordant statuta Bavariæ, *Land-Recht Tit.* 39. *a.* 7.

§. IV.

De Successione Conjugum, & Fisci: ubi etiam specialiter de Successione in bona Clericorum.

SUMMARIUM.

52 *Omnibus deficientibus Consanguineis defuncti succedit conjux.*

53 *Si fuerit Matrimonium legitimum: nec adfuit divortium tempore mortis.*
Causa cessante cessat effectus. Ibid.

54 *Et nisi in contrarium adsint pacta dotalia, & statuta vel consuetudines particulares.*

55 *Uxor pauper accipit quartam partem, vel partim virilem ab intestato.*

56 *Nisi obsit divortium, vel pacta dotalia, aut statuta.*

57 *Unde aliunde bona sufficientia habens penitus excluditur à successione per sanguine junctos.*

58 *Num autem etiam maritus pauper, uti uxor succedat? controversia est.*

59 *Nullo alio hærede existente succedit Fiscus. Et n. seq.*

61 *In bona clerici patrimonialia, & quasi patrimonialia succedunt consanguinei:*

62 *Vel his deficientibus Ecclesia, in qua beneficium habuit.*

63 *Si non habuit, fiscus Episcopalis.*
Fiscum habet Episcopus. Ibid.

64 *In bona Clericorum merè Ecclesiastica ab intestato succedit successor: & quomodò?*

65 *Consuetudo; vi cujus succedunt consanguinei illicita, & invalida est.*

66 *Clerici tenentur facere Testamentum ad causas pias vel bona superflua in easdem causas adhuc in vivis erogare.*

Quæritur I. Quando, & quomodò sibi invicem succedant Conjuges? Resp. I. Quando nec descendentes, nec ascendentes, nec collaterales sanguine juncti defuncto supersunt, tunc eidem succedit conjux excluso Fisco; nisi in contrarium adsint pacta dotalia, aut statuta, vel consuetudines locorum. Communis ac certa, claris Juribus *l. un. C. Unde vir & uxor.* ibi: *Maritus & uxor ab intestato invicem sibi in solidum pro antiquo Jure succedunt, quoties deficit omnis parentum, liberorumve, seu propinquorum legitima, vel naturalis successio, Fisco excluso.* Etsi matrimonium non sit consummatum; quia nuptias non concubitus, sed consensus facit, *l. Nuptias*, 3. *ff. de R. I.* 52

Dummodò Matrimonium sit legitimum *l. un. ff. Unde vir & uxor* ibi: *Justum matrimonium esse oportet. Et nihil enim capi propter injustum Matrimonium potest.* Et tempore mortis unius nullum inter eos fuerit divortium etiam quoad thorum, vel cohabitationem *cit. l. un. Unde vir. & uxor.* ibi: *Ut autem hæc successio locum habeat, oportet uxorem esse mortis tempore, sed si divortium secutum sit, hæc successio locum non habet.* Ratio est quia causa hujus mutuę successionis est individua conjunctio maris & fæminæ *l.* 1. *ff. de Ritu nupt* quæ quia per divortium cessat, cessat etiam jus succedendi, *cùm cessante causa cesset etiam effectus c. cessante*, 60. *de Appell.* 53

Dici-

54 Dicitur autem notanter in Conclusione *nisi in contrarium adsint pacta dotalia, vel statuta, aut consuetudines locorum*; quia ut cum communi aliorum benè advertit Schneidvv. *lib.* 3. *tit.* 1. *de Tertio ordine success. de Success. inter virum & uxorem.* Engel *h. t. n.* 15. Mynsing. *Cent.* 2. *observ.* 33. ante omnia attendendum est, an, & quæ adsint pacta dotalia sive nuptialia inter conjuges. Germanis *Deysthe*[illegible]*ild* atque juxta eadem procedendum; quamvis enim pacta etiam dotalia futuræ successionis alias de Jure sint invalida, *l. Pactum* 15. *& fin. C. de Pactis*, *& l. Hæreditas* 5. *C. de Pactis conventis*, juncta *l. Stipulatio* 61. *ff. de V. O.* consuetudine tamen ubique saltem in Imperio Romano recepta valent, & observari debent, *arg. c. fin. de consuetud.* Deficientibus verò pactis dotalibus attendenda erunt statuta, & consuetudines locorum, utpote quæ Juri communi derogant *arg. cit. c. fin. Consuetud.* juncta *l. De quibus*, 32. *ff. de Leg.*

55 Resp. II. Si moriens maritus dives relinquat liberos, vel alios sanguine junctos, & uxorem, indotatam verò, ac pauperem, capit uxor ab intestato quartam partem hæreditatis, si non sint plures quam tres liberi: si verò quatuor aut plures liberi extant, succedit in parte virili, id est, accipit tantam portionem, quantam quævis prolex legitima *einen Kinds-Theil*. Pariter cum Collateralibus ab intestato in quarta parte succedit, si hi deficientibus defuncti descendentibus vel ascendentibus ab intestato succedunt. Ubi tamen notandum, quod si uxor una cum liberis marito succedat, tantùm usumfructum portionis sibi debitæ ad dies vitæ habeat, proprietatem autem liberis asservare debeat; si verò cùm collateralibus succedat, etiam proprietatem suæ portionis acquirat. Ita clarè statutum habetur *Auth. Præterea*, *C. Unde vir & uxor*, *& Novell.* 117. *c.* 5. *& Novell.* 53. *c. fin.* In hanc tamen portionem imputatur etiam illud, quod eidem à marito legatum vel relictum est, *cit. Authen. Præterea*. Ratio autem Conclusionis est; ne uxor in opprobrium conjugis defuncti mendicare, aut alias non secundum statum decenter vivere cogatur: adeoque in honorem & reverentiam benè transacti matrimonii, *arg. l. Unum ex familia* 67. §. *fin ff. de leg.* 2. & ne afflictio addatur afflictæ.

56 Porrò, ut præfata Conclusio locum habeat, requiruntur etiam conditiones *n.* 53. positæ, ac tamen cum limitatione, quòd si maritus sine legitima causa repellat a se uxorem, hęc nihilominùs cum liberis, vel collateralibus portionem sibi debitam acquirat, textu expresso *Novell.* 117. Insuper requiritur, ne pacta dotalia, aut statuta vel consuetudines locorum obsint, per dicta *n.* 54.

57 Dicitur autem [illegible] in Conclusione, *uxorem indotatam & pauperem* [illegible] dotem viro attulit, uxor verò soluto matrimonio [illegible] repetit, *c. fin. de Donation. inter virum & uxor.* [illegible] eidem de bonis mariti nil debetur, *arg. cit. Auth.* [illegible], ibi: *Si absque dote*: dummodò uxori ad [illegible] sufficiat; modica enim aut ad sustentationem [illegible] non impedit uxorem, quò minus cum liberis aut sanguine junctis præfato modo succedat; uti cum aliis benè advertit Schneidevv. *loc. cit. n.* 17. eò quòd stante tali dote, adhuc eadem ratio & æquitas militet, ne videlicet mendicare cogatur, aut indecenter vivere. Insuper pauper esse debet, etsi enim dotem viro non attulerit, aliunde tamen media sua habet, nihil ei de bonis mariti debetur. *Authen. Præterea, C Unde vir & uxor.* ibi: *Si superstes laboret inopia.* Concordat *Novell.* 53 *c. ad finem*: ibi: *Nam si aliunde habet, non erit justum gravare filios per successionem.* Quandonam autem uxor dicatur inops & pauper, & quando vir dives, relinquitur arbitrio Judicis. Juxta Glossam *in cit. Authen. Præterea*, *vers. Locuples*, qui considerabit substantiam superstitis, an ad victum & vestitum congruum pro qualitate personæ sufficiat; & econtrà an substantia præmorientis ad victum & vestitum hæredis ac conjugis superstitis sufficiens sit, computatis semper inopis superstitis in quartam partem, juxta DD. *in præfat. Authen.*

58 Cæterum, utrum Conclusio procedat etiam de marito, ita ut hic reciprocè cum liberis, aut sanguine junctis uxoris succedant in quartam vel virilem partem casu quo uxor dives præmoriens relinquat pauperem maritum, difficultate non caret; quamvis enim Schneidevv. *l. c. n.* 17. Engel *h. t. n.* 15. Glossa *prim. in c. Authen. Præterea*, & ibi DD. communiter affirmativam teneant *arg. cit. Authen. Præterea*, *C. Unde vir & uxor.* ubi indistinctè de conjuge superstite ita habetur, *Præterea si matrimonium sit absque dote, conjux autem præmoriens locuples sit, superstes verò laboret inopia, succedat una cum liberis communibus alterius ex matrimonii in quartam, si sint tres, vel pauciores, quòd si plures in virilem portionem*, & *Novell.* 53. *c.* 6. ubi hęc sententia expressè traditur illis verbis: *Si inops aut vir aut mulier inveniatur, & moriens quidem aut vir, aut mulier locuples sit, ille verò, vel illa superstes pauper existat.* Cui etiam identitatis ratio accedere videtur. Nihilominùs scrupulum movent novissimę Constitutiones *Novel.* 117. *c.* 5. in fine; *virum enim talibus casibus quartam secundùm priorem nostram Legem ex substantia mulieris accipere, omnibus modis prohibemus*. Quæ verba considerationi legentium, præsertim Legistarum relinquuntur.

Quæritur II. An, & quando ab intestato succedat Fiscus? Resp. I. *Si nullum ex qualibet linea aut Juris titulo legitimum reliquerit institutum hæredem*, sunt verba *l. Vacantia* 4. *C. de Bon. vacant.* Antequam autem Fiscus bona intestati capiat, prius facienda est publica promulgatio, qua denuntietur ut si quis ad hæreditatem jus habere putet, compareat inter certum præfixum tempus intra quod si nemo se insinuat, bona vacantia censetur *l. fin. C. eod.* Limitatur tamen Conclusio in casu morientis peregrini, utpote cujus bona si hęres ignoratur, aut bona eidē tradi non possunt, per manus Episcopi in pias causas erogari debent textu claro *Auth Omnes peregrini C. Communia de success.* ibi; *Peregrini, si intestati decesserint nihil ad hospitem pertinet, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in pias causas erogentur* 59

Resp. II. Insuper succedit Fiscus in casu, quo alicui ut indigno hæreditas aufferțur. Quibus autem tanquam indignis hæreditas aufferatur, vide *tit ff. & C. de quibus ut indignis hæreditas aufferatur*, & ibi Legistas. 60

Quæritur III. Quinam succedat in bona Clericorum? Resp I. In bona Clericorum patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia, & parsimonialia ab intestato succedunt consanguinei legitimi Clericorum, eodem modo & jure, quo in bona Laicorum succeditur. Abbas *in c.* 1. *h. t. n.* 1. Barbosa *ib. n.* 2. Engel *h. t. n.* 1. Glossa *in c.* 1. *vers. tradantur h t.* cum communi *arg. can. fin. caus.* 12. *q.* 5. Ratio est; quia cum horum perfectus sit dominus clericus, ita ut de eis pro libitu disponere possit juxta dicta *Tit.* 20. *de Pecul. Cleric.* eodem modo, quo de bonis Laicorum quoad successionem ab intestato discurrendum est. Dicitur autem notanter *legitimi*, quia de illegitimis idem dicendum est, quod de illegitimis consanguineis Laicorū diximus, ut proin filii Clericorum ex damnato coitu non nisi alimenta ex hæreditate Clerici parentis capiant. 61

Resp. II. Si Clericus consanguineos successionis capaces non habet, in dicta bona patrimonialia industrialia, & parsimonialia, succedit Ecclesia, cui servivit, seu in qua Beneficium habuit, excluso Fisco Episcopali Abbas *in c.* 1. *h. t. n.* 2. & 3 Barbosa *ib. n* 2. Pirhing *h. t. n.* 26. Engel *eod. n.* 22. Bellet *Disquisit. Cleric. p.* 1. §. 14. *n.* 2 & Communis aliorum, textus expressi habentur *can.* 1. *caus* 12. *q.* 3. *& can. fin. ead. caus. q.* 5. juncto *c.* 1. *h. t.* ubi Summarium sic habet: *Clericus bona propria dare potest cui vult, sed si decedat intestatus, & non habet consanguineos succedit Ecclesia* idem dicit textus. Ratio congruentiæ est; quia Ecclesia Clerico est loco sponsæ & uxoris, unde sicut uxor laici, deficientibus consanguineis succedit excluso Fisco laico, ita etiam succedet Ecclesia tanquam uxor Clerici. 62

Resp. III. Si Clericus intestatus moriens Beneficium non habuit, nec consanguineos reliquit, succedit in bonis propriis, patrimonialibus nempe, quasi patrimonialibus, & industrialibus Fiscus Episcopalis. Abbas *in c.* 2. *h t. n.* 2. Bellet. *Disquisit. Cleric. p* 1. § 14. *n.* 2. Engel *h. t. n.* 22. Pirhing *h t. n.* 16. Peregr. *de Jure Fisci l.* 4. *tit.* 3. *n.* 10 & Communis aliorum. Ratio desumitur à pari; Nam sicut deficientibus consanguineis & uxore Laici succedit Fiscus sæcularis, juxta dicta *n.* 59. sic deficientibus consanguineis & Ecclesia tanquam uxore Clerici, succedit Fiscus Ecclesiasticus, cùm etiam episcopus suum Fiscum, ac jura Fiscalia habeat, uti benè notat Ab. *loc. cit.* Engel *h. t. n.* 22. Bellet *loc. cit. n* 8. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 109. *n.* 16. Notant tamen DD. citati, præsertim Abbas *l. c.* [illegible] *c.* 1. *ad finem* non posse Episcopum in tali casu sibi [illegible] appro- 63

appropriare hujusmodi bona propria Clericorum ad Fiscum suum pertinentia, sed debere erogare in causas pias.

64 Resp. IV. In bona merè Ecclesiastica Clericorum, seu in bona respectu & intuitu Ecclesiæ seu Beneficii acquisita, ab intestato semper succedit successor Beneficii, & quidem solus, si Clericus non fuit ex Communitate vel Collegio, Clericorum, ut sunt Episcopi, Parochi, Beneficiati simplices privati; totum verò Collegium, seu Communitas, quando Clericus Beneficiatus illius membrum fuit (uti Canonici Cathedrales, & Collegiati) succedit, ita tamen, ut hæreditatem non sibi appropriare possint, sed in usus pios fideliter distribuere debeant. Pirhing *h. t. n. 27. & tit. de Testam. n. 36.* Engel. *eod. n. 22.* Abbas *in c. Relatum 12. de Testam. n. 1.* & ibi Doctores communiter *arg. c. 1. & c. Relatum 12. de Testam.* ibi: *Respondemus, quòd generaliter bona quælibet per Ecclesiam acquisita, eis ecclesiis debent juxta Lateranense Concilium post acquirentis obitum remanere. Nomine autem ecclesiæ non Episcopus, vel successor clerici morientis ubi est Collegium Clericorum, sed Communis Congregatio intelligitur quæ illarum rerum debet Canonicam distributionem, & curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum unus est ordinandus, is ea bona, sicut & alia ipsius Ecclesiæ in Dei timore dispenset.*

65 Resp. V. Quamvis passim, præsertim in Germania vigeat consuetudo ut consanguinei Clericorum, in cuncta eorundem bona tam Ecclesiastica, quam propria indistinctè ab intestato succedant; nihilominùs consuetudo hæc quoad bona Ecclesiastica, illicita & invalida est, ac per consequens non tantùm peccant, sed etiam ad restitutionem tenentur dicti consanguinei, si quid de bonis merè Ecclesiasticis scienter accipiunt. Hæc Conclusio necessario sequitur ex dictis *Tit. 25. de Pecul. Cleric. à n. 30. & 52.* cùm enim juxta dicta Clerici non sint domini bonorum Ecclesiasticorum, neque de iis validè aut licitè testari valeant, sed omnia Jure Divino teneantur erogare in pias causas, non obstante quacunque consuetudine, consequens est, neque consuetudine fieri posse, quòd in dicta bona ab intestato succedant hæredes profani, consanguinei nempe Clericorum; cùm non nisi in bona propria defuncti detur successio ab intestato, & contra Jus Divinum non tantùm illicita, sed & invalida sit consuetudo: prout ampliùs dictum & probatum est *cit. tit. 25. de Pecul. Cleric. à n. 51. & tit. præced. n. 333. & seqq.* ubi etiam Objectiones Adversariorum solvimus.

66 Hinc repetimus etiam doctrinam *in præced. tit. n. 393.* traditam, quòd videlicet Clerici bona superflua merè Ecclesiastica habentes, teneantur sub peccato mortali ea vel in vivis erogare in causas pias, vel ad easdem causas de iisdem bonis facere Testamentum, aut aliam ultimam voluntatem, nisi forsan hæredes consanguinei Clericorum ab intestato successuri ita sint pauperes, ut cunctis bonis Ecclesiasticis Clericis superfluis ipsimet indigeant. Ratio est; quia, cùm sciant, vi corruptelæ introductæ consanguineos cuncta ab intestato accepturos, sicque magnum præjudicium causis piis illaturos, debent, si facilè possunt illud impedire; possunt autem facillimè, disponendo nempe ad causas pias, consequenter disponere tenentur, & non disponens est causa indirecta gravis damni causarum piarum, indeque reus gravis delicti.

Dicitur tamen notanter, *nisi consanguinei ejusdem adeò essent pauperes &c.* bis enim sicut licitè, & validè Testamentum, ita etiam ab intestato relinquere potest bona Ecclesiastica superflua Clericus: cùm non sit major ratio de uno, quam alio.

Agendùm hic foret etiam de Successione ab Intestato, quia Monasteria loco Professorum suorum succedunt. Verùm, quia de hoc *in tit. de Regular.* agemus, hic supersedemus.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

1 *Ratio continuationis.*

IN præcedentibus ultimis duobus Titulis actum est de Testamentis, & aliis ultimis voluntatibus, nec non de Successione ab intestato, quæ non nisi post mortem suum sortiuntur effectum, *c. cùm Marthæ 6. de Celebr. Miss.* Hinc quia mortem illicò sequitur Sepultura, rectò ordine præfatis præcedentibus sequentem subjungit Titulum Compilator Canonum.

§. I.

De Natura, Locò & Jure Sepulturæ.

SUMMARIUM.

2 *Varia acceptio Sepulturæ.*
3 *Sepulturæ definitio.*
4 *Locus Sepulturæ ordinariè est Cæmeterium.*
5 *Quæ etiam ab Ecclesiis remota esse possunt: & quare?*
6 *In Ecclesiis olim nemo poterat sepeliri: benè tamen hodie.*
7 *Dissuadetur abusus, quo nimis multi sepeliuntur in Ecclesiis. Et n. seq.*
9 *Ubi quis eligit Sepulturam, ibi sepeliri debet.*
10 *Si nulla eligitur Sepultura, quivis sepelitur in sepulchro Majorum*
11 *Majorum & parentum nomine qui veniant? Item quid Juris, si Majores in diversis jacent sepulchris?*
12 *Qui non habet sepulturam Majorum, nec aliquam sibi eligit, sepelitur in sua Parochia*
13 *Clerici non Beneficiati ibi sepeliuntur, ubi Laici.*
14 *Beneficiati verò ibi, ubi Beneficium habent etsi alibi domicilium habeant.*
15 *Solvitur objectio. Et duobus n. seqq.*
Domicilium habet Clericus ubi residet. Ibid.
18 *Religiosi sepeliuntur in suo Monasterio, si ibi, vel extra in loco tamen propinquo moriuntur, si in remoto loco, ibidem, vel in sepultura electa sepeliuntur.*
19 *Si è loco propinquo deferuntur ad Monasterium, nihil debetur Parocho loci.*
20 *Novitii sepeliuntur in Monasterio.*
Gaudent privilegiis Religiosi. Ibid.
21 *Domestici & servitiales Religiosorum, in eorum Ecclesia, vel Cœmeterio sepeliuntur.*
22 *Uxor vidua sepelitur in sepulchro viri, etsi post mortem mariti in aliam Parochiam secedat.*
23 *Uxor adhuc ligata ubi sepeliatur?*
24 *Idem quod de uxore, etiam reciprocè de marito dicendum est ratione sepulturæ.*
25 *Solvitur objectio.*
Vocabulo fœmineo non continetur masculus. Ibid.
26 *Hospites & peregrini transeuntes sepeliuntur in propria Parochia, si illuc commodè portari valent: secus in Parochia loci, ubi decedunt.*
27 *Solvitur instantia.*
28 *Peregrini & advenæ diu alicubi habitantes sepeliuntur in loco, ubi moriuntur.*
Consuetudo est optima Legum interpres. Ibid.
29 *Jus Sepulturæ de Jure communi competit Ecclesiæ Parochiali.*
30 *Item Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus ex speciali privilegio.*
31 *Invitis Regularibus apud eosdem nemo sepeliri potest.*
32 *Ad eligendam alicubi Sepulturam nemo potest induci.*
33 *Pacta inter Superiores locales, & Clericos sæculares circa Sepulturam observari debent.*
34 *Corpus defuncti qui Sepulturam apud Regulares elegit, non possunt Regulares sine requisitione & præsentia Parochi levare, & ad suas Ecclesias deferre, nisi Parochus requisitus consentire, vel venire recuset.*
35 *Non tenentur corpus priùs deferre ad Ecclesiam Parochialem.*
36 *Exequias, & actum Sepulturæ peragunt Religiosi, non Parochus loci.*
37 *Regulares, & Communitates comitantes funus debent priùs ad Ecclesiam Parochialem pergere, & inde primùm cum Clero ad domum defuncti.*
38 *Hæredes non tenentur curare Officia, & Missas fieri in Ecclesia Parochiali, casu quo apud Regulares electa est sepultura.*

2 NOtandum priùs *Sepulturam* tripliciter accipi. I. Pro Jure sepeliendi corpora, seu cadavera mortuorum, *a. Clem. 2. h. t.* & aliis Juribus *infra citandis.* II. Pro ipso loco, in quo cadavera sepeliuntur *can. Aurum caus. 12. q. 2. & c. 3. h. t.* cum concordantiis III. Pro actu, ritu, seu officio quod in humandis & sepeliendis corporibus impenditur *can. Dictum 105. caus. 1. q. 1. & can. Præcipiendum 15. cau. 13. q. 2.* In præsenti præcipuè erit sermo de Sepultura in secundo sensu quatenus nempe significat locum, in quo cadavera mortuorum sepeliuntur. Et de hac

3 Quæritur I. Quid sit Sepultura? Resp. *Est locus authoritate Episcopi benedictus, in quo cadavera Catholicorum piè decedentium sepeliuntur.* Ita Glossa *in can. 14. cau. 13. q. 4. vers. si terra.* Abbas *in Rubr. h. t. n. 1.* & in re Communis, paterque definitio ex terminis. Dicitur *Locus benedictus*, quia quamvis olim ipsa corporis humatione, seu per ipsum corpus humatum seu sepultum locus redderetur Religiosus & benedictus, uti expressè habetur *l. 2. & l. cùm in diversis 44. ff. de relig. & sumpt. funer.* hodie tamen specialiter authoritate Episcopi benedici debet, ad hoc, ut dici possit Sepultura, uti habet Glossa communiter recepta in can. *In Ecclesiastico 14. cau. 13. q. 2 vers. si terra arg. c. 4. de Religios. dom.* Dicitur *Catholicorum* quia juxta dicenda infra *n. 77. & 78.* qui Catholicus non est, in Sepultura ritu Catholico benedicta, sepeliri non potest; sicut neque Catholicus in statu gravis peccati notoriè decedens & ideò etiam additur *piè decedentium.*

4 Quæritur II. Ubinam, & quæ loca deputari & servire possint pro Sepultura; Resp. I. Regulariter loquendo, locus Sepulturæ est atrium, aut porticus, vel aliud terræ spatium prope Ecclesiam, quod hodie Cœmeterium communiter vocatur. Communis textu claro *can. Præcipiendum 15. cau. 13. q. 2.* ibi: *Præcipiendum est etiam secundùm Majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur: sed in atrio, porticu, aut in exedris Ecclesiæ.* Vocatur autem *Cæmeterium, can. 2. cau. 13. q. 2.* & alibi, quod græcè idem significet, ac *Dormitorium*: quia ibi requiescunt corpora Catholicorum, qui ob spem resurrectionis non tam mortui jacere, quam dormire dicuntur *Joan. c. 11. & 2. ad Thessalon. 4.* ibi: *Nolo vos ignorare de dormientibus,* in quem textum S. Hieronymus ait, *eos dormientes appellari, quia certum est, eos resurrecturos.*

5 Porrò licèt, ut dictum, Cœmeteria plerumque prope Ecclesiam fiant, possunt nihilominùs etiam in remotis ab Ecclesia locis constitui, ibique sepeliri cadavera, præsertim tempore pestis, uti post Sylvestrum *v. Sepultura q. 1.* benè notat Van. Espen. *p. 2. tit. 38. de Sepult. c. 2.* Pirhing *h. t. n. 2.* & alii, consuetudine addente robur. Imò. *L. 3 §. 5. de Sepulch. violato,* sub pœna 40. aureorum statuit, ne quis in Civitate sepeliretur, ne scilicet Communitas fœtore inficeretur. Et quamvis hæc Lex non stringat ampliùs, tamen ob rationem Legis factum esse, credibile est, quòd hodie in magnis Civitatibus Cæmeteria extra Civitatem erigantur, *Gotts Acker* vocant. Dicitur autem notanter in conclusione *regulariter loquendo*, nam

6 Resp. II. Quamvis olim in solis Cæmeteriis, & nullus in Ecclesia sepeliri potuerit; uti patet ex *cit. can. Præcipiendi 15. can. 13. q. 2.* ubi habentur hæc verba *Intra Ecclesiam verò & prope Altare, ubi Corpus & Sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur,* & *can. Nullus 18. ead. caus. & q.* ibi: *Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles Laici:* ubi per *fideles Laicos* intelliguntur Laici in fama sanctitatis, & miraculis clari juxta Glossa ibidem *vers. Fideles*, tamen hodie & Jure, & consuetudine introductum habetur, quòd quivis Catholicus sive Clericus, sive Laicus etiam in Ecclesiis sepeliri queat *c. Ex parte 5. & c. Cùm liberum 6. h. t.* juncto *can. Cùm gravia 17. caus. 13. q. 2.* ubi ratio (quæ etiam de Cæmeteriis prope Ecclesiam militat) additur, videlicet ut *defunctorum proximi ad eadem loca sacra* (Cæmeteria nempe, & per ea ad Ecclesias) *veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordentur, & pro eis Domino preces fundant.* Est & alia ratio, ut crebrò illuc venientes homines mortalitatis, & mortis sibi imminentis utiliter recordarentur. Varro, *lib. 3. de Lingua Latina.*

7 Notat tamen Bernard. Van. Espen. *p. 2. Tit. 28. de Sepulturis, cap. 2. n. 34.* magnum circa sepeliendos in Ecclesia abusum hodierno vigere tempore, ita ut Ecclesiæ videantur quasi Cœmeteria divitum, Cœmeterio communi in solam pauperum Sepulturam relicto. Quem abusum non tantum rationibus dissuadet, sed & necessariam ejusdem eliminationem ex pluribus recentioribus Conciliis demonstrat. Inter quæ Concilium Rothomagense 1581. *T. de Curatorum officiis, n. 31.* sic ait: *Non adeò promiscuè mortui sepeliantur in Ecclesiis, sed de hoc servetur Deo sacratis specialiter hominibus, eò quòd præ aliis eorum corpora templum sint Christi, & Spiritus sancti & aliis in sublimitate & dignitate tam Ecclesiastica quam seculari constitutis; quandoquidem & isti Dei ministri sunt, atque Organa Spiritus sancti: Aliis insuper, qui nobilitate, vel virtutibus, vel meritis erga Deum, & Rempublicam fulgent. Cæteri piè & Religiosè in Cæmeteriis ad hoc dedicatis Sepulturæ tradantur,* Concil. Remense 1583. *T. de Sepulturis* ordinavit: *Ut omnes Christiani, quibus sepultura non est interdicta, in Cæmeteriis, non autem in Ecclesiis sepeliantur, nisi fortè de consensu Superiorum. Superiores autem non passim omnibus id privilegium concedant, sed in ejusmodi concessionibus delectum habeant personarum.* Imo idem Concil. ad tollendus abusus statuit, *ut in Ecclesiis deinceps nulli sepeliantur nisi fuerint Sacerdotes, vel Sacris initiati, vel Religiosi, Ecclesiarumque patroni. Aliis autem, qui nobilitate, authoritate, meritisque in Deum, & Religionem commendati fuerint, ad id cum licentia Episcop. admittantur. Cæteros verò in Cæmeteriis, quæ olim etiam Illustriores non aspernabantur, sepeliri mandamus.*

8 Concordat Rituale Romanum sub Paulo V. editum, dum dicit: *Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Cæmeterio, retineatur, & N B. ubi fieri potest, restituatur.* Addit insuper: *At verò ubi locus Sepulturæ dabitur in ecclesia, humi tantùm detur, cadavera autem prope Altaria non sepeliantur.* Hinc in multis locis Decreta Synodalia extant, vi quorum sine expressa Episcopi licentia in Ecclesia nemo sepeliri potest. Certè Episcoporum erit, intuitu tot Conciliorum, vigilare, ut abusus hic in Diœcesibus eorum tollatur. Van Espen *l. c. n. 43.*

9 Quæritur II. Ubinam quivis, seu in quo Cæmeterio, vel Ecclesia sepeliri debeat? Resp. I. Qui sibi eligit Sepulturam, in ea sepeliri debet, etsi sit aliena, *c. 1. h. t.* ibi: *Nulli tamen negamus propriam eligere Sepulturam, etiam alienam: Dominus enim Magister elegit alienam & propriam.* Concordat *c. Cùm super 8. & c. In nostra, 10. h. t.* sicut & *c. 1. & 2. eod. in 6.* dummodò non eligat locum profanum, sed Religiosum, cui vel à Jure communi, vel ex privilegio jus Sepulturæ competit, *c. 3. h. t. & c. 16. & 17. de Excess. Prælat.* & eligere sibi sepulturam per Jura non prohibeatur. Quibus autem locis jus Sepulturæ competat, dicetur infrà *n. 49.* Qui verò eligere Sepulturam de Jure non possint, dicetur *§. seq.*

10 Resp. II. Qui sibi ipsis Sepulturam non eligit, sepeliri debet in sepulcro Majorum suorum. Caret Controversia, claris Juribus *c. 1. h. t.* ibi: *Statuimus, unumquemque in Majorum suorum sepulchro jacere, ut Patriarcharum exitus docet.* Concordat *c. 2. & 5. eod. in 6.* ibi: *Is, qui non electa sepultura decedit, in ea, in qua Majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit, dummodò absque periculo ad ipsum valeat deportari.* Sequuntur DD. communiter, signanter Abbas *in c. 1. h. t. n. 1.* Engel *h. t. n. 4.* Pirhing *eod. n. 3.* Veniunt autem nomine *Majorum*, pater, avus, proavus, cæterique ascendentes in linea recta *l. Jurisconsultus 10. ff. de Gradib.*

11 Controvertunt autem Doctores, ubinam quis sepeliri de-

debeat, casu quo Majores in diversis jacent sepulchris: Probabilior tamen, & Juri conformior doctrina videtur sequens, videlicet I. Quòd si abavus, proavus, & avus in uno, pater verò in alio specialiter sibi electo loco jaceret, filius sepeliri non deberet in sepulchro patris, sed Majorum, nisi pater pro se, & posteris aliam sepulturam expressè elegisset. Glossa *in c. Is qui 3. vers. Ab antiquo b.t. in 6.* Engel *eod. n.6.* Sylvester *v. Sepultura q. 8.* & alii, *arg. c.1. & 3. b.t.* ubi semper in plurali fit locutio, ut in sepulchro *Majorum*: item in sepulchro *patrum & parentum* (quo nomine etiam Majores veniunt *c. l. 10. §. 7. ff. de Gradib. affinit.* ibi: *Parentes usque ad Tritavum nominantur*) item *in sepultura Majorum ab antiquo*, *c. Is qui 3. h.t. in 6. sepeliantur*, atqui hæc Jura magis verificantur, si in præfato casu, filius non in sepulchro solius patris, sed majorum antecedentium sepeliatur, ut consideranti patet, ergo. Dicitur autem notanter. *Nisi sepulturam pro se & posteris expressè*: hoc enim in casu filius utique in sepultura patris sepeliri deberet, *arg. can 3. §. Item in novo caus. 13. q 2.* Ratio est; quia si posteri aliam sepulturam non eligant, in similem patris electionem consentire, sicque sibi ipsis sepulturam tacitè elegisse censentur. Sepultura autem electa omnes præcedit per dicta *n.9.* ergo. II. Si abavus & proavus in uno, avus verò, & pater in alio quiescant loco, filius sepeliendus erit cum patre & avo, Engel *l. c.* Pirhing *l. c. n.4.* Sylvester *l c. q.28* Barb. *de Offic. & potest. Par. c.26. n. 32. & in c. 1. h.t. n.2.* Old. *Consil.25.* Ratio est; quia unio sepulturæ procedit ex quadam charitate & mutua dilectione, quæ fuit inter vivos: major autem filii charitas seu dilectio præsumitur fuisse erga proximiores Majores, patrem nempe, & avum, quam erga remotiores, abavum nempe & proavum; ergo cum proximis sepeliendus est; præsertim, cum tunc æquè satisfiat Juris textibus, ac in sepulchro remotiorum sepeliretur. III. Si quivis Majorum in alio jacet sepulchro, sepeliendus erit filius in propria Parochia. Barb. *in c.1. b.t. n.2.* Engel *b.t. n.6.* & alii. Ratio patet; quia tunc censetur carere sepultura Majorum; carens autem sepultura Majorum sepeliri debet in sua Parochia, uti statim dicetur *n. seq.* nisi pater pro se & posteris sepulturam elegisset, ob rationē superiùs dictam.

12 Resp. III. Si quis sepulturam Majorum non habet, nec sibi ipse aliquam elegit, vel si habet, aut elegit quidem, sed ad eam commodè portari nequit, sepeliendus est in propria Parochia, ubi domicilium habuit, Sacramenta percepit, Divina audivit. Ita communis & certa *arg. c. 1. §. Ex parte 5. & c. In nostra 10. b. t.* juncto *c. 1. & 3. In 6.* Ratio est; quia cùm dignus sit operarius mercede sua, meritò quivis ibidem sepeliri jubetur, ubi in vivis refectionem spiritualem percepit, ut operarius Parochus nempe, occasione sepulturæ etiam mercedem recipiat ab illo, cui in vivis operas spirituales exhibuit prout innuitur *c. 1. b. t* indeque etiam præcipitur, ut si quis in alieno sibi electo, vel Majorum sepulcro sepeliatur, ob dictam rationem Parocho portio Canonica tribuatur, de qua magis *§. seq.* Et hæc de Sepultura Catholicorum in genere, quia verò Jura de Sepultura quorundam in specie specialiter disponunt, ideò circa speciales

13 Quæritur III. Ubinam sepeliendi sint Clerici sæculares? Resp. I. Clerici Beneficium non habentes ibidem, ubi Laici, sepeliri debent, in sepultura nempe sibi electa, vel in sepultura Majorum, si habent, vel denique in Parochiali sua Ecclesia. Unanimis. Ratio est, quia cum Jura speciale de eis nihil statuant, idem de eis dicendum, quod de Sepultura Catholicorum ut sic Jura communiter statuunt: *Nam ubi Ius non distinguit, nec nos distinguere debemus*, *l. de Pretio ff. de Publician in rem act* & verba generalia generaliter sunt intelligenda, *c. Quia circa 22. de Privileg.*

14 Resp. II. Clerici Beneficiati tam simplices, quam Curati, qui sepulturam Majorum non habent, nec aliquam sibi specialiter eligunt, sepeliri debent in Ecclesia, vel Cœmeterio illius Parochiæ, ubi Beneficium habent, & servitium cum residentia exhibent, etiamsi in aliena constanter & perpetuò habitent, ibique moriantur. Ita Barbosa *in c. 1. b.t. n.4.* Vallensis *b. t. n. 6.* Sannig *b. t. n. 8.* Bellet. *Disquisit. Cleric. p 1. § 3. nu 9.10.11. & 20.* Tuschus *Lit. P. Concl. 99* [illegible] *in l. Familiaria ff. de Relig. & sumpt. fun.* Bursat. *Consil. 226. nu. 18. & 19.* Pirhing *b.t. n.9.* Murga & communis aliorum, *arg. c.1. b.t. & c.2. eod. in 6.* ubi statuitur, illos, qui sepulturam sibi non elegerunt, & Majorum sepulturam non habent, sepeliri debere, ubi *pabulo cælesti refici consueverunt*, *c.1. b.t.* seu ubi *officia consuevit audire Divina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta*, *c.2. b.t. in 6.* seu *à quibus receperunt salutis pabula*, *c.4. b.t.* Atqui clerici Beneficiati ibi Divina audiunt, & Sacramenta percipiunt, ubi Beneficium habentes, servitium cum residentia exhibent, prout certum est, ergo. Ratio est; quia Clericus beneficiatus verè ibidem parochianus est; cum alias non ibi, sed alibi Sacramenta percipere, & Divina audire statutis à Jure temporibus deberet, *arg. c. Omnis utriusque 12. de Pœnis & Remiss.* & Conc. Trid. *Sess. 14. can. 14.* Accedit, quòd Parocho jus sepeliendi suos Parochianos à SS. Canonibus attribuatur tanquam merces laboris spiritualis, quem in Sacramentorum, & officiorum Divinorum administratione Parochianus, in vivis exhibet, *arg. cit. c. 1. b t. & c. fin. de Paroch.* ibi: *Ab eis temporalia non exigant, quibus spiritualia non ministrant*: ergo, quia præfatis Clericis non Parochus loci, in quo habitant, sed Parochus loci in quo Beneficium habent, Divina administrat, non ille, sed iste jus sepeliendi habebit, & per consequens Parochus erit.

Dices: ubi quis domicilium habet perpetuum, ibi Parochianus est; ergo etiam ibidem sepeliri debet, *arg. c. Is qui 3. b.t. in 6. & c. fin de Paroch.* Resp. Disting. Ant. Ubi quis domicilium habet ibidem Parochianus est, si ibidem statutis à Jure temporibus Divina & Sacramenta percipit, conceditur: secùs negatur Ant. & conseq Unde quia Clericus Beneficium cum residentia habens, ibi percipit Sacramenta, ubi ratione beneficii residere, & Divinum obsequium exhibere debet, alibi Parochianus non erit, etsi ibidem materiale domicilium, seu habitationem habeat. Resp. II. Negando suppositum, quòd Clericus Beneficiatus in aliena Parochia perpetuò habitans, ibidem verum ac proprium domicilium in sensu juris ad propositum habere dicatur; cum ratione beneficii domicilium contrahat ibi, ubi residere tenetur, uti benè advertit Donatus *Tom. 3. tract 9. q. 26.* Bursat. *cons. 226. n. 18.* Vallensis *b.t. §.2. n.6. arg. c. 3. de Temporib Ord.* Nam sicuti à pari Clericus aliquis Cathedralis, vel alius Beneficiatus ad residentiam adstrictus, in Ecclesia sua residere dicitur, si ibidem temporibus suis debitum obsequium Divinum exhibet, licèt in loco alterius Parochiæ domicilium & habitationem materialem habeat: ita etiam domicilium in sensu Juris habere, ibique Parochianus esse dicitur, ubi residet, & Divina percipit; licèt alibi seu in alia Parochia corporaliter habitet; cùm hoc ad præsens prorsus sit per accidens, *arg. cit. Juribus.* 15

Instabis: Clericus beneficiatus recipit viaticum, & extremam Unctionem à Parocho loci, in quo corporaliter habitat, seu ubi domicilium & habitationem suam materialem habet, licèt alibi Beneficium cum residentia habeat: ergo etiam Parochi parochianus, & per consequens ab eodem sepeliendus erit: cùm viaticum & extremam Unctionem non nisi proprius Parochus impertiatur. Resp. Concess. ant. negando conseq. quia in ordine ad Sepulturam SS. Canones non attendunt locum, ubi quis in extremis reficitur, sed ubi in vivis Cœlesti pabulo refici consuevit (notetur terminus *consuevit*) prout dicitur *c. 1. b. t.* seu ubi in vivis *officia consuevit audire Divina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta*, uti habetur *c. 2. eod. in 6.* Unde quia Clericus in vivis Sacramenta percipere consuevit in loco Beneficii, ibidem sepeliri debet, non obstante, quòd Viaticum à Parocho loci, ubi habitat, recipiat; quia hoc non recipit, quasi verè dicti Parochi parochianus esset, sed quia Parochus proprius fines & territorium Parochi, ubi habitat intrare, ibique Divina ipso invito administrare nequit, *arg. can. 1. cau. 3 q. 1.* Hinc etiam fit, quòd si quis recreationis, vel negotii causa in villam extra fines suæ Parochiæ sitam se conferat, ibique moriatur, non ibidem, sed in propria Parochia sepeliri debeat, etsi in aliena Viaticum & extremam Unctionem receperit, textu claro *c. Is qui 3. b. t. in 6.* 16

Urgebis, allegando præsentis controversiæ Decisionem apud Donatum *l.c.* ex qua habetur, quòd Clericus in illa Parochia, ubi habitat, non ubi servit, sepeliri debeat. Resp. ibi non esse sermonem de Clerico beneficium perpetuum habente, sed de Clerico servitore, seu ser- 17

vitium temporale ad nutum revocabile præstante, consequenter ad propositum nihil contra, sed pro nobis probare, præsertim quia ibidem fatetur citatus Author, etiam servitorem Ecclesiæ perpetuum sepeliri debere in Ecclesia ubi servit, non ubi habitat: ergo multo magis beneficiatus perpetuus, utpote qui magis unitus est Ecclesiæ, quam aliquis servitor. Unde etiam idem Donatus non obstante dicta Decisione nostræ Conclusioni adhæret *l.c n.1.* dum dicit: *Beneficiatus sepeliri debet in Ecclesia, ubi est Beneficiatus*: nec refert, quod addat *supplecum cura & residentia*: quia ly *&* ibi sumi debet pro *vel*: tum quia ibidem allegat DD. qui omnes in sensu diviso loquuntur: tum quia ipsemet *ib. n.4.* fatetur, etiam servitorem Ecclesiæ perpetuum, qui nullam animarum curam habet sepeliri debere in Ecclesia cui servit, licèt alibi habitet: ergo multò magis beneficiatus. Nec est absurdum particulam conjunctivam ei pro disjunctiva capere, quia etiam in Jure non rarò ita accipitur, vide apud Barbosam *de diction. vers. Et.*

18 Quæritur IV. Ubi sepeliendi sint Religiosi, eorum Novitii, & reliqui famuli aut domestici? Resp. I. *Religiosi, nisi forsan à propriis Monasteriis adeo sint remoti; quòd ad ea, cum moriantur, commode portari non possint, nequeunt (cùm velle & nolle non habeant) sibi eligere sepulturam. sed sunt apud sua Monasteria tumulandi.* Sunt verba *c. fin. b.t. in 6.* Ubi notanda verba, *Nisi à propriis Monasteriis adeò sint remoti, ut ad ea commodè portari non possint*: tali enim in casu utique sepulturam eligere sibi possunt Jure ipso per dictam limitationem concedente; & tenet Glossa, ibi: *In casu.* Donatus *tom. 3. tr. 10. q. 2.* Engel *b. t. n. 11.* & alii. Ratio est [illegible] ratione incommoditatis & periculi permittitur, quod alias permissum non est [illegible] *in 6. & c. Si duo* [illegible] *in 6.* [illegible] modi casu sepulturam aliud non eligant [illegible] Parochia, in qua moriuntur, [illegible] expensis [illegible] si bona in communi possident. Donatus *l. c.* Glossa [illegible] *c. fin. b.t. in 6.* ubi citat communem DD.

19 Si verò decedit in loco propinquo, à quo commodè ad Monasterium portari valet, ibidem sepeliri debet, *arg. cit c. fin b.t. in 6* & ibi Glossa *fin.* cum communi DD. In quo casu nihil tenentur solvere Parocho loci, in quo decessit, etsi Religioso infirmo Viaticum & extremam Unctionem dederit: uti declaravit S. Congregatio 1615. [illegible] apud Donatum *loc. cit. tract. 10. quæst 2.* Barbosa *de Offic. & potest. Paroch. cap. 26. n 68.* possuntque dicti Regulares inconsulto Parocho defunctum deferre ad suum Monasterium, prout eadem S. Congregatio 1610. [illegible] uti videre est apud Barbosam & Donatum [illegible]

20 Resp. II. Novitii [illegible] non eligentes, in Monasterio, ubi decedunt [illegible] expensis ipsius Monasterii, & absque ulla obligatione [illegible] portionem Canonicam Parocho loci Engel [illegible] communi aliorum. Ratio est; quia Novitii in [illegible] nomine Religiosorum eorumque privilegiis [illegible] *arg. c. Religios. 21. de Sentent Excomm. in 6.* Accedit specialia circa hoc privilegia Religiosis concessa (de quibus testatur Donatus *l. c.*) & universalis Religionum consuetudo, quæ utique etiam deroget Legi, si quæ in contrarium foret *c. fin. de Consuet.* Procedit Conclusio, etsi Novitius in proposito fuisset redeundi ad sæculum. Sylvester *vers. Sepultura q.8* Engel *loc. cit.* Ratio est; quia non voluntas & affectus, sed factum mutat statum & domicilium, *l. Domicilium 20 ff. ad Municipalem.*

21 Resp. III. Famuli, ac Serviciales domestici Religiosorum pariter absque onere solvendi portionem Canonicam sunt sepeliendi in Ecclesia, vel Cœmeterio Monasterii, si intra illius septa moriantur, nec aliam sibi sepulturam eligant. Rodericquez *tom. 2. q. 68. a. 2.* Layman *loc. cit. n.9.* Molina [illegible] *n.16.* Pirhing *b.t. n.9.* Sorbo *vers. Sepultura n.2.* Sannig [illegible] *cap. 5. n.5.* Donatus *par. 3. tr. 10. q. 21.* dicens, id dubio carere, cum Communi aliorum. Fundamentum Conclusionis est privilegium à Summis Pontificibus specialiter ad id concessum, uti videre est apud Sorb. & Rodericquez *loc. cit.* Pirhing *loc. c.* [illegible] citat compendium privilegiorum Societatis.

21 Quæritur V. Ubinam sepeliri debeat uxor sive vidua, sive actu adhuc ligata? Resp. I. Uxor vidua, etsi sepulchrum Majorum habeat, tamen non in eo, sed in sepulchro mariti sepeliri debet. Caret controversia, textus expressus habetur *in can. Ebron. 2. caus. 13. quæst. 2.* etiam ratio redditur illis verbis: *Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt, & quos Deus conjunxit, homo non separet.* Quòd si mulier *plures viros habuit successivè, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet, & honorem, tumulanda*, juxta Constitutionem Bonifacii VIII. *c. Is qui 3 §. Mulier b. t. in 6.* Etiamsi talis mulier post mortem ultimi mariti locum habitationis mutet. & ad patrem v. g. vel aliorsum extra fines & locum sepulturæ mariti se conferat. Pirhing *b.t. n.12.* Sylvester *vers. Sepult. q.8. dict. 5.* Joan. Andreas *in c. Is qui 3. h. t. in 6.* & alii. Ratio est; quia non tantùm in vita mariti *l. fin. §. 3. ff. ad Municipalem*, sed etiam post mortem ejusdem, uxor retinet domicilium illius, *arg. cit. c. Is qui 3. b.t.* ibi: *Cujus domicilium retinet*, *& c. Ex parte 15. de Foro compet.* juncta *L. 3. C. de Privileg. Schol. & can. 3. caus. 13 quæst. 2.* ibi: *Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte.* Accedit, quòd etiam in tali vidua aliorsum se conferente militet ratio Juris allegata, scilicet, *ut quos unum conjunxit conjugium, conjungat unum sepulchrum.*

Resp. II. Si uxor actu adhuc ligata, ante virum moritur, nulla sibi electa sepultura, debet sepeliri in sepultura mariti, si hic aliquam sibi jam elegit, aut in sepulchro Majorum sepeliri statuit. Abbas *in c. 3. b.t. in 6.* Barbosa *ibid. n.4.* Pirhing *b.t. n.12.* Sylvester *vers. Sepultura q. 8. dict. 5. arg. cit. can. 2. caus. 13. q. 2.* Ratio est; quia maritus animi destinatione ibidem jam censetur esse sepultus. Si verò maritus voluntatem suam circa sepulchrum non declaravit, sepelienda erit uxor in sepulchro Majorum [illegible] vel in Parochia, ubi decedit, conformiter dispositioni Juris communis supra allegati. Ita Doctores citati. 24

Porrò utrum ea, quæ dicta sunt de sepultura uxoris reciprocè etiam dicenda sint de sepultura mariti, ita ut hic quoque in sepultura uxoris sepeliendus sit, si nullam sibi sepulturam eligat? controversia est inter Doctores. Sylvester enim *loc. cit.* quem sequitur Pirhing *b.t. num. 10.* negativè respondet: tum quia *cit. can. 3. caus. 13. quæst. 2.* solùm dicitur, *quòd mulier sequi debeat virum & in vita, & in morte*: non autem dicitur econtrà de viro: tum quia absurdum est, si maritus sequitur dispositionem mulieris, *arg. l. Si ita 45 ff. de Leg. 2.* Abbas verò *in c. de Uxore 7 b. t. num. 7.* affirmativam tenet, quæ sanè videtur probabilior; eo quod reverà eadem prorsus militet Juris ratio in marito, quæ in uxore, *can. 2 caus. 3. quæst. 2.* expressa, videlicet, *ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum; quia sunt una caro, & quos Deus conjunxit, homo non separet*, ubi autem eadem ratio, eadem est Juris dispositio, *arg c. Inter corporalia 2. de Translat. Episc. & l. Ideò ff. de Leg.* ibi: *Semper quasi hoc Legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, & ad eas res pertineat, quæ quandoque similes erunt: quia non possunt articuli singillatim comprehendi, sed cùm in aliquo* [illegible] *eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet*, [illegible] habetur *l. Non possunt ff. eod.* 24

Nec obstant rationes in contrarium [illegible] quamvis enim vir non teneatur tam in vita, quam post mortem sequi uxorem, sicut uxor tenetur sequi virum, tenetur tamen hic illam sequi post mortem, si non vigore *can. 3.* tamen vigore *can. 2. caus. 13. q. 2.* ob Juris omnimodam identitatem. Nec est absurdum, si sequitur vir dispositionem uxoris, si aut Jura ita exigant, aut mulier rationabiliter disponat. Neque in contrarium stat *l. 45. ff. de Legat. 2.* ab Adversariis citata utpote ubi non id, quod ipsi dicunt, sed illud tantùm dicitur, quòd vocabulo *feminæ masculus non contineatur*; supple nisi aliunde præsertim ex ratione Juris contrarium appareat. Accedit, quòd vir uxorem sequi ad eundem locum sepulturæ necessario non teneatur, cùm possit, si velit, propriam sibi eligere sepulturam, quam si non eligit, sepulcrum uxoris tacitè eligere [illegible] affectu maritali illud Juris velle videtur, *ut quos conjunxit idem matrimonium, conjungat idem sepulchrum.* 25

Quæritur VI. Ubi sepeliri debeant Viatores, transeuntes, hospites, peregrini, & advenæ? Resp. [illegible] Qui in aliena Parochia existens, animo [illegible] 26

gam ibidem non trahendi, moritur, sepeliri debet in sepulchro Majorum, vel si non habet, in propria Parochia, dummodò illuc commodè & sine periculo portari possit, secus verò in Parochia loci, ubi decedit. Abbas *in cap. 1. h. t.* Molina *disp.* 214. *num.* 17. Barbosa *in cap. 1. h. tit.* Pirhing. *h. t. n.* 8 Sylvester *V. Sepultura. q. 8. dict. 2.* Van. Espen. *p. 2. Tit. 28. de Sepult. cap 3. n. 9. & 10. arg. c. 1. h. t. & c. Is qui, 3. eod in 6.* ibi: *Is, qui habet domicilium in civitate, vel castro, quando ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa Sepultura decedat ibidem, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali, vel in ea potius, in qua Majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debet; dummodò absque periculo ad ipsam valeat deportari.* Ratio prioris partis est quæ supra *num.* 12. Ratio posterioris verò, quòd videlicet sepeliri debeat in Parochia, in qua decedit, casu quo ad sepulchrum Majorum, vel propriam Parochiam portari nequit, est; quòd tunc Parochus loci præ cæteris potissimum jus habet: tum quia Parochus loci peregrinis administrat Sacramenta *arg. cap. de Celebrat. Miss.* tum quia Parochus habet fundatam intentionem super omnibus provenientibus spiritualibus intra illius Parochiam proventibus, uti benè notat Abbas *loc. cit. num. 4. arg. c. Pastoralis, 9. de His, quæ fiunt à Prælat.*

27 Dices cum Bellet. *Disquisit. Cleric. par. 1. de Cleric. debitore, §. 3. n. 21.* Hoc ipso, quòd peregrinus in aliena Parochia, ubi moritur, percipit Sacramenta, censetur sibi ibidem elegisse sepulturam; ergo ibidem sepeliri debet, etiamsi ad propriam Parochiam commodè portari posset, [illegible] præcedat per dicta *n. 9.* Resp. [illegible] militans contra expressum textum *c. h. t. in 6.* Sacramenta enim ibi suscipit, non quòd intendat per hoc ibidem eligere sepulturam, sed quia eam aliunde habere nequit, juxta dicta *n. 16.* Est tamen etiam attendenda consuetudo loci.

28 Resp. II. Illi, qui alicubi proprium domicilium habentes ad alium locum se conferunt, animo ibidem non quidem perpetuò, sed tantum per aliquod tempus, tam diu tamen permanendi, ut quasi domicilium ibi contrahant (quales sunt studiosi, & famuli conductitii) si in tali loco moriuntur, in Parochia illius loci sepeliri debent; si aliam sepulturam sibi non eligant. Abbas *loc. cit.* Vallens. *h. t. §. 2. num. 4.* Molina *disp. 214. n. 28.* Pirhing. *h. t. num. 7.* Van. Espen. *loc. citato. 8.* Ratio est: tum quia ratione quasi domicilii ibidem acquirunt parochiam, adeò, ut non tantum Sacramentum Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis, sed etiam Matrimonii [illegible] percipere valeant, ut ex communiori docet Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp. 23. num. 12. & 13.* Tum quia id exigit casuum frequentia, & ordinaria distantia à loco proprii domicilii, ob quam, ad evitandos labores, & expensas multa aliàs prohibita permittuntur, ut [illegible] *cap.* [illegible] *integr. restit.* [illegible] Accedit [illegible] recepta consuetudo, quæ tantum in dubiis est optima Legum interpres, *l. Si de ff. Leg.* sed etiam claræ Legi derogat *cap. fin. de Consuetud.*

29 Quæritur VII. Quibus locis competat jus Sepulturæ ad hoc, ut defunctorum cadavera ibidem sepeliri possint, ac debeant? Resp. I. Jus sepulturæ de Jure communi competit Ecclesiis Parochialibus, eorumque Cœmeteriis, quæ habent fundatam pro se intentionem, ita ut omnes Parochianos ibidem sepeliri, non tantum possint, sed & debeant, nisi probetur, quòd defunctus habeat sepulchrum Majorum, vel aliam sepulturam sibi elegerit, Abbas *in c. Certificari, num. 7.* & [illegible] Sylvest. *Verb. Sepultura q. 3.* Molina *disp. 214. num.* [illegible] cum communi aliorum, *arg. cap. 1. 3. & 10. h. t. c. 2. h. t. in 6. Clem. 2.* [illegible] *h. t.* juncto *tom. 1. sau. 13. q. 1.* Ratio est supra [illegible]

30 [illegible] Ex speciali privilegio Juri communi hodie [illegible] in Ecclesiis Fratrum Prædicatorum, & [illegible] competit jus Sepulturæ in tantum, ut omnes [illegible] possint, & debeant (si Religiosi consentiant) [illegible] sepulturam ibidem elegerunt. Molina *disp. 214.* [illegible] *c. Certificari, 9. h. t. n. 8.* Donatus *tom. 3. tract.* [illegible] Pirhing. *h. t.* [illegible] Sannig. [illegible] Roderiquez [illegible] & Communis aliorum, textu claro, *Clem. Dudum, 2. §. Hujusmodi, h. t. & Extravag. Super cathedram, 2. §. Hujusmodi, h. t.* ubi statuitur, *ut Fratres dictorum Ordinum in Ecclesiis, vel locis suis ubilibet constitutis, liberam (ut sequitur) habeant sepulturam; videlicet, quòd omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, & Ecclesiis memoratis.* Idem privilegium posteà Augustinianis, & Carmelitis concessum est, ut notat Abbas *loc. cit.* Item etiam aliis Religiosis partim per speciale privilegium, partim per communicationem privilegiorum. Mol. & Pirhing. *loc. cit.*

31 Dicitur autem notanter, *Si Religiosi consentiant*; quia ipsis invitis, vel sine expressa licentia Superioris, Regularis, nemo potest sepeliri in Ecclesia, vel Cœmeterio eorum; nec possunt ibidem Benedictiones, Processiones, & Officia mortuorum, Exequiæ, aut alia Divina peragi, absque dicta Superioris licentia. Donatus *par. 3. tr. 9. quæst. 19.* Sannig. *h. t. c. 5. n. 4.* cum communi, & certa aliorum ob clara Privilegia ad id à pluribus Pontificibus concessa, ut à Clemente IV. per Bullam, *Virtute conspicuos*; quę est quarta constitutio dicti Pontificis apud Cherub. & à Julio II. Estque declaratum à S. Congregatione teste Bordon. *Tom. 2. Constitut.*

32 Ne autem occasione privilegii sepulturæ, seditiones, & scandala oriantur, mutuaque præjudicia sibi invicem causarent Clerici sæculares, & Religiosi, Bonifacius VIII. *c. 1. h. t. in 6. Universis Religiosis, & sæcularibus Clericis, cujuscunque status, vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ* (consequenter sub gravi culpa) *districtissimè prohibuit, ne aliquos ad vocandum, vel jurandum, vel fide interposita, aut aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant; vel jam electam ulterius non immutent:* contrafacientes tenentur corpus (si jam est sepultum) cum omnibus proventibus intra decendium restituere sub pœna Interdicti, cui Ecclesiæ & Cæmeteria eorum tam diu subjacent, donec satisfecerint. Electio verò ad hujusmodi inductionem facta, ipso Jure est nulla: debentque ita eligentes ibi sepeliri, ubi nulla electione facta, aliàs de Jure sepeliri debuissent, prout ulterius [illegible] tuitur *cit. c. 1. h. t. in 6.*

33 Idem Pontifex *c. 1. & fin. h. t. in 6.* statuit, ut, si Religiosi cum Parocho aut Clerico alicujus loci specialiter paciscantur, quod privilegio sepulturæ pro Ecclesiis & locis suis concesso, ex toto, vel ex parte uti nolint, vel non nisi cum certis circumstantiis, pactum hujusmodi omninò servare debeant, *quamquam aliquid apud eos sepeliri liberè elegerint;* prout dicitur *cit. cap 1. h. t. in 6.* ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: *Cùm per dictum pactum* [illegible] *hujusmodi derogetur:* etsi factum sit sine præ[illegible] consensu Generalis & Provincialis, dummodò à *Prioribus aut Guardianis cum conventuum consilio & assensu sit factum & approbatum;* uti expressè statuitur *c. fin. h. t. in 6.* & notat Molina *loc. cit. num. 22.*

34 Quæritur VIII. Quænam observanda circa sepulturam, casu quo quis eam apud Regulares eligit? Resp. I. Ante omnia [illegible] hoc attendendam esse consuetudinem loci, & pacta specialiter erecta juxta dicta *n. præced. arg. cap. 1. & fin. de Pactis in 6.* Resp. II. Nullo speciali pacto existente possunt Regulares etiam irrequisito ac invito Parocho asportare corpus defuncti, illudque ad sepulturam [illegible] levare, & ad locum sepulturæ deferre [illegible] prius requisito, & exspectato Parocho [illegible] vel nisi requisitus consentire, vel præsens [illegible] enim etiam [illegible] to, & absente Parocho [illegible] & ad propriam Ecclesiam recto tramite deferre valent. Donatus *loc. cit. quæst.* 12. Barbosa *de Offic. & potest. Parochi, par. 3. cap. 26. num. 66. & seqq.* Peyr. *Tom. 1. Privileg. Minim. in Constit.* 16. Leonis X. *§. 16. num. 20.* Sannig. *loc. cit. cap. 5. num.* 2. & 21. & hodie Communis aliorum. Patet Conclusio ex Constitutione Leonis X. in Concilio Lateran. ubi statuit: *quod Fratres quorumlibet Ordinum non possint intrare Parochias cum cruce ad levanda corpora defunctorum, qui apud Ecclesias eorundem Fratrum suam elegerint sepulturam, nisi priùs præmonito, ac requisito,* [illegible] *Parochiali Presbytero &c.* uti refert Roderiq. [illegible] *quæst. 58. art. 2.* Donatus *loc. cit. num.* [illegible] Nec juvat [illegible] quod subsequentes Pontifices de novo concesserint eis privilegium, irrequisito Parocho cum cruce intrandi Parochiam ad levanda & deferenda corpora defunctorum, uti *loc. cit.* benè probat Roderiq. Nam contra est, quòd denuò novissima emanarint Decreta Sac. Congregat. id, quod Conclusio dicit, expressè habentia, prout videre est apud Barbosam *loc. cit.* Donat. *loc. cit. num. 5.* ubi simile Decretum per extensum refert, in quo ad propositum illa habentur verba: *Declarat, & statuit, quibusvis Regularibus, quorumcunque Ordinum & Congregationum tam Mendicantium, quam non Mendicantium existant, nullo modo licere Parochias cum cruce processionaliter, aut alias, ad efferenda & levanda defunctorum funera intrare, vel illa levare, & efferre, nisi vocato, & exspectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem præsente; vel nisi requisitus dissentiat, aut venire expressè recuset &c.* quod Decretum editum est 20. Januarii 1604. Simile per extensum refert editum 1639. 14. Januarii Brugnoli *Tract. 4. cap. 15.*

35 Resp. III Nec Regulares, nec hæredes defuncti cogi possunt, ut defuncti corpus priùs ab ædibus defuncti ad Ecclesiam Parochialem deferant, ibique deponant, pro accipienda ultima quasi Benedictione & Vale à Parocho, & Ecclesia; sed possunt Regulares, apud quos defunctus sepulturam elegit, recto tramite corpus ab ædibus ad suam Ecclesiam deferre, Parocho tamen priùs requisito & vocato, eoque præsente, qui si requisitus consentire, ac venire nolit, etiam eo absente & invito id facere possunt. Donatus *loc. cit. q. 13.* Pirhing *h. t. n. 31.* Roderiq. *Tom. 3. q. 85. a. 23.* Sannig *loc. cit.* Barbosa *loc. cit. num. 56.* Lezana *vers. Defunctus*, & Communis aliorum. Ita enim expressè declaravit Sixtus IV. uti per extensum videre est apud Roderiq. *loc. cit.* Donatum *loc. cit.* Lezanam *loc. cit.* quibus ultimi plura quoque [illegible] referunt Decreta Sac. Congregationis [illegible] edita. In quibus tamen etiam illud habetur, quod ad Parochum loci spectet, cadaver in ædibus defuncti benedicere, & ultimum Vale dicere *aussegnen*; si verò venire recuset; liberum est Regularibus corpus levare, & ad sepulturam electam deferre: casu quo autem consentientibus & volentibus hæredibus corpus priùs ad Ecclesiam Parochialem deferretur, ibique deponeretur, nihil propterea deberetur Parocho prêter alia jura Parochialia, uti expressè declaravit Sac. Congregatio apud Barbosam *loc. cit. num. 72.* ut proin attendenda non sit doctrina contraria à Van. Espen. *p. 2. tit. 38. num. 12. & 13.* absque fundamento posita.

36 Resp. IV. Dum defertur corpus ad sepulchrum, non defertur [illegible] Parochialis Ecclesiæ, sed illius Ecclesiæ, in qua sepelitur, Barbosa *loc. cit. n. 78.* citans Sac. Congregationis Decreta [illegible] Lezana *loc. cit. num. 78.* Potest tamen Parochus loci etiam [illegible] funus comitari usque ad Ecclesiam Regularium [illegible] illam intrare, ibique permanere, nullo modo [illegible] se immiscere in actu Sepulturæ, vel Officia defunctorum [illegible] aut preces, vel Psalmos publicè recitare, [illegible] omnia hæc ab ipsis Fratribus fieri debent; prout aliis pluribus Decretis Sac. Congregationis docet Barbosa [illegible] *à num. 76.* & habent Decreta tum à Lezana, tum à Donato per extensum allegata, & inserta cuidam Decreto Auditoris Cameræ pariter per extensum apud citatos DD. relato; ubi vide.

37 Resp. V. Penes hæredes est, an, & quot Sacerdotes, aut Religiosos, vel Confraternitates pro comitando funere vocare, item an, & quot cereos dividere velint. Barbosa *loc. cit. n. 57.* ex Decreto Sac. Congregationis ibidem relato: vocati autem Regulares, si comparere volunt, debent se omnes priùs conferre ad Ecclesiam Parochialem defuncti, indeque cum Parocho, & Clero pergere ad ædes defuncti; nec licet eis neglecta Ecclesia Parochiali statim ad domum defuncti accedere, vel alibi, donec se immisceant, exspectare, Barbosa *loc. cit. n. 62.* per plura Decreta ibidem allegata

38 Resp. VI. Hæredes defuncti nullatenus cogi possunt, ut, præter Officia, & missas, quæ in Ecclesia Regularium, apud quos defunctus elegit Sepulturam, in Exequiis juxta dicta *n.* 36. celebrantur, etiam in Ecclesia Parochiali celebrari faciant. Donatus *loc. cit. num.* 17. [illegible] *Respons. part. 2. casu. 12.* Lezana, & alii, post Declarationem ac Decretum Sac. Congregationis apud Donatum *loc. cit.* Ratio est libertas Sepulturæ, quam Regulares habent, *Clem. Dudum h. t.* Quę libertas nimium læderetur, si hæredes cogi possent ad duplicanda Officia & Missas; sic enim absterrerentur ab eligendo Sepulturam apud Regulares, ut consideranti patet.

§. II.

De Electione Sepulturæ, ac Portione Canonica: ubi etiam de eo, quod peti & accipi potest pro Sepultura.

S U M M A R I U M.

39 *Eligere Sepulturam quilibet sibi potest, etiam uxor, & filius familias.*
40 *In quovis loco Religioso, etiam in privata Capella.*
41 *Impuberes prohibentur sibi eligere Sepulturam: Parentes eorum loco eligunt.*
42 *Religiosi subditi professi non possunt sibi eligere Sepulturam: benè tamen Prælati supremi.*
43 *Ac Novitii, item Professi in remotis decedentes.*
44 *Quando quis sepelitur extra suam Parochiam, debetur Parocho loci Portio Canonica.*
45 *Si quis duo habuit domicilia, in quibus æqualiter habitavit, dividitur in duos Parochos dicta Portio.*
46 *Portio Canonica Episcopalis, & Parochialis quid? vocatur etiam Quarta funeralis.*
47 *Quantitas Portionis Canonicæ certa ac indivisibilis in Jure non est determinata.*
48 *Ordinariè tamen est quarta pars eorum, quæ per ultimam voluntatem obveniunt Ecclesiæ alienæ, in qua quis sepelitur.*
49 *Portio Canonica debetur de omnibus & solis, quæ Ecclesiæ alienæ* [illegible] *funeris, vel per ultimam voluntatem defuncti obveniunt. Et n. seq.*
51 *Limitatur in relictis causæ piæ; & in casu decedentis Novitii, aut servitialis Religiosorum.*
52 *Ac ubi est consuetudo de aliquibus non dandi Portionem.*
53 *Solvitur instantia ex* Clem. Dudum.
54 *Sola Ecclesia aliena, in qua defunctus sepelitur, tenetur ad Portionem Canonicam.*
55 *Regulares quamplures sunt exempti à Portione Canonica.*
56 *Observanda circa usum privilegiorum in hoc puncto, annotantur: & affertur Constitutio Concilii Trident. Pii V. & Gregorii XIII Et duobus num. seqq.*
59. *Portio Canonica Episcopalis quid?*
60 *Quantitas ejusdem quæ?*
61 *Portionem Episcopalem dare tenentur omnes Ecclesiæ, & loca pia.*
62 *Limita in Monasteriis, & Ecclesiis exemptis.*
63 *Ac etiam in Ecclesiis non exemptis, casu quo eis quid relinquitur pro fabrica, luminaribus &c.*
64 *Hæc Portio consuetudine passim est sublata.*
65 *Pro terra Sepulturæ deputanda nondum benedicta aliquid exigi vel accipi potest.*
66 *Non verò pro terra jam benedicta.*
67 *Nisi ubi adsit consuetudo, vel liberaliter quid offeratur.*
68 *Ratione situs etiam,* [illegible] *potest.*
69 *Solvitur instantia.*
70 *Parochus neminem cogere potest ad dandum aliquid per Officio sepulturæ, Exequiis &c.*
71 *Benè tamen liberaliter recipere: & ubi dandi consuetudo est, Episcopum* [illegible] *ut ad dandum compellat.*
72 *Solvitur instantia.*
73 *Abusus Parochorum in petendo aliquid pro Sepultura & Exequiis, & n. seq.*

Quæritur I. Quinam, & ubi eligere sibi possit Sepulturam? Resp. I. Omnes & singuli pro libitu eligere sibi possunt Sepulturam, quibus à Jure specialiter non est prohibitum. Est communis ac certa, textu claro *c. 1. h. t.* ibi: [illegible] *propriam eligere Sepulturam, vel alienam.* [illegible] loco subjungitur exemplum Christi [illegible] illis verbis: [illegible] *Dominus enim & Magister alienam elegit* [illegible] *propriam.* Etiam uxori competit hæc facultas [illegible] presso *c. De uxore h. t.* ubi dicitur, *Quod nulla* [illegible] 39

inter virum & mulierem sit facienda distinctio. Ratio additur; *cùm electio ista ad eum potiùs statum pertineat, in quo mulier solvitur à lege viri*. Item licèt filiusfamilias pro anima sua nullam circa temporalia non Castrensia facere possit dispositionem ultimam, tamen absque patris consensu sibi potest liberè eligere sepulturam, *c. Licèt 4. h. t. in 6.* Ratio est; quia quoad jura spiritualia quale est etiam jus sepulturæ *can. Quæst. 12. caus. 13. q. 2.* filiusfamilias patriæ potestati subjectus non est.

40 Resp. II. Habentes jus eligendi sepulturam possunt sibi in quovis loco Religioso eligere, etiamsi alias eidem jus sepulturæ non competat, qualis est Capella, vel alia Ecclesia sepulturam non habens, & in qua rarò celebrantur Missæ. Abbas *in c. 3. h. t. n. fin. ad fin.* Gonzalez *ibid. num. 9.* Pirhing *h. t. n. 17.* & alii apud Fagn. *in cit. c. 3. h. t. num. 1. arg. cit. c. 1. h. t. & c. 2. Si quis h. t. in 6.* ibi: *Si quis antiqua dimissa novam etiam in loco minùs Religioso elegerit sepulturam, electionem hujusmodi (licèt Jura super hoc videantur esse diversa) nequaquam volumus impugnari* & ibi Glossa in casu. Nec obstat *c. Fraternitatem 3. h. t.* ubi sepultura *in loco minùs Religioso* electa expressè reprobatur. Nam contra est, quod in hoc textu per *locum minùs Religiosum* intelligatur vel locus omnino profanus, vel si aliquo modo Religiosus, tamen irrationabiliter & malitiosè, vel non soluta portione Canonica Ecclesiæ Parochiali electus: *In c. 2. h. t. in 6.* verùm per *locum minùs Religiosum* intelligitur talis locus, qui Religiosus quidem est, tamen minùs talis utpote in quo minùs frequenter Officia Divina, Missæ, aut publicæ orationes fiunt, uti cum Doctoribus citatis benè docet [illegible] vel ideò recipienda, quia sic [illegible] correctio. Notat tamen ibidem Glossa, melius & utilius esse, sepulturam in magis Religioso loco eligere, præsertim in tali, *ubi orationes & Missarum solemnia tam pro vivis, quam pro defunctis frequentiùs celebrantur*, *c. 3. h. t.* Ratio est; tum quia ibi sepulti plus de piis operibus participant; tum quia eorundem ob populum ibidem magis concurrentem frequentior fit memoria, uti cum Glossa *cit.* notat Fagnanus *in c. 3. h. t.* & Doctores communiter. Hic iterum in memoriam revocanda sunt dicta suprà *n. 32* ne aliquis ad eligendam alicubi sepulturam inducatur, *arg. c. 1. h. t. in 6.*

41 Resp. III. Sepulturam sibi eligere à Jure prohibentur sequentes I. Impuberes [illegible] *Licèt 4. h. t. in 6.* ibi: *Nequeunt antequam ad annos pubertatis pervenerint, eligere se sepulturam*. Conceditur tamen ibidem, quod *pater (si consuetudo terræ id habeat) quò voluerit, impuberem sepelire; hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed cum suis Majoribus, vel in parochiali Ecclesia sunt tumulandi*. Quæ ultima verba juxta ordinem Scripturæ, non in sensu divisivo sunt intelligenda, [illegible] quod [illegible] consuetudine non possit pater [illegible] vel in sepultura Majorum, vel in Parochia propria, [illegible] debeat illum necessariò in sepultura Majorum [illegible], si verò non habet, tunc primùm in Parochia sepeliri facere, ut benè docet Glossa *in cit. c. Licèt 4. h. t. vers. vel in Parochiali*. Anchoranus *ibid. not. 4.* Barbosa *de Offic. & potest. Paroch. part.* [illegible] 26. ubi affert pro hac Declarationem S. [illegible] Congregationis.

42 Resp. IV. Religiosi subditi professi in claustris morientes, non possunt sibi eligere sepulturam, Communis ac certa [illegible] *c. fin. h. t. in 6.* suprà *num. 18.* allegatum, [illegible] habetur, videlicet, quia *velle & nolle non habent*. Dicitur autem notanter *subditi*; quia Religiosi *Prælati* saltem illi, qui alium superiorem, nisi [illegible] Episcopum non habent, quales sunt Generales Ordinum, ac Abbates non exempti, juxta communem DD. sepulturam sibi eligere valent. Abbas [illegible] Rode[illegible] *eod n. 20.* Sannig *eod.* [illegible] *p. 2. q. 61. n. 5.* & alii contra Donatum [illegible] *arg.* à sensu contrario desumpto, quia [illegible] *velle & nolle* habent, utpote [illegible] Clerici sæculares dicuntur [illegible] Papæ & Episcopo. Abbas [illegible]

43 D[illegible] ulterius *professi*, quia limit[illegible] utpo[illegible] sibi eligere sepultu[illegible] Engel [illegible]

Resolut. 109. & alii, *arg. cit. c. fin. h. t. in 6.* ubi ideò præcisè prohibetur Religiosis eligere sepulturam, *quia velle & nolle non habent*; ergo à sensu contrario; quia Novitii *velle & nolle* adhuc habent; cùm obedientiam nondum promiserint, haud dubiè sepulturam eligere sibi poterunt. Dicitur insuper *in Claustris morientes*, quia extra Monasterium decedentes, si comodè ad Monasterium portari nequeunt, sepulturam sibi eligere valent, per dicta *n. 18.*

44 Quæritur II. Quid Juris & emolumenti Parochus defuncti habeat, casu quo aliquis in aliena Parochia sepulturam eligit, vel in sepultura Majorum extra propriam Parochiam existente sepelitur? Resp. I. Regulariter ac juxta Jus commune loquendo, in hoc casu debetur defuncti Parocho portio Canonica de omnibus, quæ Ecclesiæ illi, in qua defunctus sepelitur, per ultimam defuncti voluntatem obveniunt, vel occasione funeris deferuntur, sive dein in propria, sive aliena decedat Parochia. Abbas *in c. Cùm super 8. h. t. n. 5.* Engel *h. t. nu. 13.* Vallen. *eod. §. 5. n. 1.* Pirhing *eod. n. 44.* Sannig *eod. c. 3. num. 1.* cum Communi ac certa aliorum, clara Jura *c. 1. 2. 8. 9. & 10. h. t.* & *Clem. Dudum 2. Hujusmodi h. t.* cum concordantiis. Ratio assignatur *cit. c. 1. h. t.* videlicet, *quia dignus est operarius mercede sua &c.* & juxta Apostolum *sint socii consolationum, uti fuerunt passionum*; consequenter cùm Parochus in administrandis Divinis vivo Parochiano, onus, & laborem habuit, dignum est, ut de funere ipsius capiat emolumentum.

45 Resp. II. Si quis in duabus distinctis Parochiis habet domicilia, in quibus æqualiter, vel quasi æqualiter per diversa anni tempora moratur, dividenda est Portio Canonica inter duos Parochos, casu quo defunctus in tertio loco sepulturam eligit, vel in sepultura Majorum extra ambas Parochias existente sepelitur. Doctores *n. præced.* citati, textu expresso *c. 2. h. t. in 6.* ibi; *Cùm ab eo, qui duo habet domicilia se collocans æqualiter in utroque loco in tertio eligitur sepultura, domiciliorum Ecclesiæ habebunt inter se dividere Portionem Canonicam*. Ratio est; quia cùm ubique verum domicilium contraxerit, *l. Ejus* [illegible] *27. §. Celsus ff. ad Munic.* utrobique Divina, prout [illegible] tuit, accepisse, consequenter Parochi ambo in ministrandis Divinis laborantes mercede digni [illegible] censentur, *arg. cit. c. 1. h. t.*

46 Quæritur III. Quid, quotuplex, & quanta sit Portio Canonica? Resp. I *Portio Canonica* [illegible], *est quædam pars bonorum defuncti, Episcopo, vel Parocho debita*. Definitio est clara ex terminis, & desumitur ex Juribus *n. 44.* citati juncto *c. Requisivisti 15 de Testam.* patebitque magis ex statim dicendis. Nam Resp. II. *Portio Canonica* est duplex: *Episcopalis* nempe, & *Parochialis*. *Episcopalis* declarabitur per Conclusiones dandas ad quæsitum sequens *n. 19.* ponendum. *Portio Canonica Parochialis* est certa Parocho defuncti debita pars bonorum illorum, quæ ex defuncti voluntate ultima, vel occasione funeris obveniunt alienæ Ecclesiæ, in qua defunctus sepulturam elegit, vel ubi tanquam in sepultura Majorum sepelitur. Est in re communis, & constat ex jam citatis Juribus *n. 44.* [illegible] Portio subinde *Canonica*, ut *cap. 4.* [illegible] quia per SS. Canones constituta. Subinde [illegible] *Quarta Parochialis* [illegible] *In præsentia 10. h. t.* quia Parocho defuncti debita. Subinde *Quarta funeralis*, *Concil. Trid.* [illegible] *25. de reform.* [illegible] quia, ut dicetur, *Quarta pars eorum*, [illegible] obveniunt loco, in quo quis sepelitur, [illegible] proprio defuncti parocho.

47 Resp. III. Quamvis ex Jure [illegible] ac determinata quantitas *Portionis Canonicæ Parochialis* pro quovis casu, & loco non habeatur, ac proinde circa quantitatem consuetudo locorum attendenda sit. Nihilominùs ubi consuetudo aliud non habet, sola quarta pars eorum, quæ per [illegible] voluntatem, vel ratione funeris Ecclesiæ, in qua sepelitur, obveniunt, Ecclesiæ Parochiali debetur. Prima pars Conclusionis docetur à Molina *Disp. 215 n.* [illegible] Engel *h. t. n. 13.* Pirhing *eod. n. 58.* & Communis aliorum. Probaturque ex eo, quod non una eademque, sed diversa quantitas Portionis Canonicæ Parochialis assignetur in Jure: subinde enim [illegible] media pars [illegible] ibi: *Omnium rerum me* [illegible] *Ecclesiæ relinquant*. Subinde assignatur tertia pars [illegible] ibi: *Tertiam* [illegible] *Ecclesiæ* [illegible] *pabulo* [illegible] Subinde assignatur quarta [illegible] *In no-*

stra 10. ibi: *Quarta Parochialis*. Item *Quartam partem habeant c. Cum super 8. h. t.* ibi: *Quarta portio relinquatur*, *Clem. dudum 2. h. t.* Trid. *c.* ibi: *Quarta, quæ funeralium dicitur*. Idipsum habet, & hanc primam Conclusionis partem certam reddit textus, *c. certificari 9. h. t.* ibi: Cum autem super hoc articulo diversa Antecessorum nostrorum manaverint instituta. Leone justitiam illam quandoque tertiam partem, quandoque mediam, & Urbano quartam fore censentibus, nos tale præbemus in hac veritate responsum, ut sicut B. Hieronymus inquit, Unaquæque Provincia in suo sensu abundet secundum rationabilem consuetudinem Regionis, illa justitia circa medietatem, vel tertiam, vel quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur.

48 Secundam partem tenet Gl. *In c. 2. h. t. in 6. prin.* Abbas *in c. certificari 9. h. t. n. 3.* Molina *l. c. n. 5.* Pirh *h. t. n. 56.* & alii. Ratio est: tum quia quartæ partis frequentior fit mentio in jure, videturque confirmata novissimo jure Conc. Tr. *cit. sess. 25. de ref. c. 13.* tum quia in quarta parte tanquam minori Summa concordant omnia jura, uti post Gl. benè advertit Abbas *l. c. arg. de arbitr. in 6* ibi: *Licèt cum unus in quindecim, alius in decem, tertius verò in quinque pronuntiat, illius, qui dixit de Summa minori (cum in illa omnes concordes existant) sententia efficax censetur*. Ut proin Parochus præcisè quartam partem prætendere queat, nisi probet, vi consuetudinis sibi plus deberi.

49 Quæritur IV. De quibus rebus, & à quibus locis solvi debeat Portio Canonica Parochialis? Resp. I. Regulariter ac de jure communi loquendo, debetur dicta portio de omnibus, & solis rebus, quæ vel per ultimam voluntatem defuncti, vel ratione funeris obveniunt Ecclesiæ alienæ, in qua defunctus elegit sepulturam, vel ubi tanquam in loco sepulturæ Majorum sepelitur. Patet Conclusio ex dictis, & Juribus ibidem citatis, præsertim verò ex *Clem. dudum 2. § hujusmodi h. t.* ubi etiam alias privilegiatis locis & personis Religiosis Ordinis S. Dominici, & S. Francisci authoritate Apostolica præcipitur, „ ut de obventionibus „ omnibus tam funeralibus, quam quibuscunque, & quomodocunque relictis distinctè, vel indistinctè, ad quoscunque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam „ quarta seu Canonica Portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de Jure, vel non de datis, vel qualitercunque donatis in morte, seu mortis articulo, in infirmitate dantis, vel donantis, de qua decesserit, quomodocunque directè vel indirectè Fratribus ipsis, vel aliis pro „ eisdem quartam partem (quam authoritate Apostolica „ taxamus, & etiam limitamus) parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus seu Curatis largiri integrè teneantur.

50 Infertur, quod debeatur quarta etiam de candelis, cereis, faculis ac intorticiis accensis, quæ circa crucem & cadaver deferuntur, aut ponuntur, Barb. *de offic. & pot. Parochi p. 3. c. 25. n. 41.* item de libris, blanderiis, culcitra, pallio, seu panno, quo feretrum tegitur, ac aliis, quæ ibidem appenduntur, vel apponuntur Barbosa *l. c. n. 44.* & Communis aliorum. Idem dic de equis & armis, nisi in subsidium Terræ sanctæ offerantur, aut sepultura eligantur apud hospitalarios, *arg. c. In nostra 10. h. t.* Porro debetur Quarta de relictis Ecclesiæ alienæ, ubi defunctus sepelitur, per ultimam voluntatem, sive per modum institutionis, sive legati, sive donationis mortis causa fiat, per Jura citata, & sequuntur DD. communiter.

51 Limitatur tamen Conclusio in aliquibus, ita ut de iis Portio Canonica Parocho etiam de Jure communi non debeatur. Et quidem primò nihil debetur de relictis per ultimam voluntatem, Ecclesiæ, vel alii pio loco (in quo sepelitur defunctus) aut ad divini cultus obsequium veluti pro fabrica, luminaribus, vestibus, aut paramentis, Anniversariis perpetuis &c. Barb. *l. c. n. 47. & 52.* Molina *dis. 215 n. 8.* Sylvester *V. Canonica portio*. Pirhing *h. t. n. 61.* & Communis aliorum post Gl. *in c. 2. h. t. V. Decrevit.* textu claro *c. fin. de test.* ibi: *De his quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, vel trigesimo Die, sive aliis ad perpetuum cultum legantur ecclesiis, vel reliquis piis locis Canonica Portio (dummodo in fraudem non fiat, ut ea Episcopus, seu Parochialis ecclesia debeat defraudari) deduci non debet*. Secundo non debetur de equis & armis, quæ vel in subsidium Terræ sanctæ offeruntur, vel si defunctus apud Hospitalarios sepelitur.

Tertiò non debetur de relictis, quæ offeruntur occasione funeris Novitii: ac Quartò, quæ offeruntur in funere domestici aut servitialis Religiosorum intra septa Monasterii decedentis, juxta dicta *n. 20. & 21.*

52 Quintò nihil debetur de iis, de quibus vi consuetudinis nihil datur, ut habet Communis, *arg. c. in nostra 10 h. t. ac c. fin. de consue.* Consuetudo autem passim introducta ac recepta habetur, quod non nisi de iis, quæ occasione funeris (non item quæ per dispositionem aliquam ultimam) & quidem in solo die depositionis, aut Sepulturæ, Ecclesiæ alienæ obveniunt, v. g. de candelis, faculo, panno feretræ, armis, equis, insignibus, culcitra &c. solvatur Portio Canonica, teste Molina *disp. 215. n. 9.* Roderiquez *tom. 1. QQ. reg. q. 39 a. 2.* Sannig. *h. t. c. 2.* Pirhing. *eod. n. 60* & alii, patetque experientia.

53 Nec his obstat *Clem. dudum 5. §. hujusmodi h. t.* ubi expressè habetur, quod omnibus & singulis vel per voluntatẽ ultimam vel occasione funeris, obveniunt, debeatur Portio Canonica: ac etiam de illis, *de quibus* (sunt verba Pontificis) *Quarta seu portio Canonica dari, vel exigi non consuevit vel non debet de jure*. Nam contra est quod, cum dicta *Clementina* quoad hoc sit apertè correctoria Juris veteris, sit restringenda, & ad Fratres Prædicatores & Minores, de quibus solis *Clementina* ibi loquitur, non extendenda, consequenter solis dictis Fratribus, non item cæteris piis locis, aut Ecclesiis obsistit; uti benè advertit Gl. *in cit. Clem. V. de jure a 2 quæ à jure 28. de R. I. in 6.* patetque ex dictis *in li. 6 tit. 2. de consi n 241* Accedit, quod etsi Lex aliqua præteritam revocet, aut infirmet consuetudinem, per hoc non faciat, quo minùs nova consuetudo in futurum introduci queat; nisi sit corruptela, juxta dicta suprà *in tit. de consuet.* Ex quo apparet, nimis zelosè pro Parochis locutum fuisse aliàs Doctissimum Van. Espen *p. 2. tit. 38. de Sepul. c. 5. n. 31. & seqq.* ubi *Clementinam* illam universaliter ad omnes Ecclesias ac pia loca indistinctè extendit. Nec suffragatur eidem Gl. *In cit. Clem. v. Funeralibus*, ubi dicit, quo licet sit nimis rigorosa Bulla, tamen sit observanda quoad omnia & singula, nullo penitus excepto. Nam rursus contra est, quod Glossa ibi tantum dicat, Bullam etiam respectu Fratrum Prædicatorum & Minorum esse nimis rigorosam: non autem respectu aliorum, utpote quos non tangit, prout ipsa Glossa in statim sequenti *v. de Jure* fatetur.

54 Quæritur V. Quinam, & quæ loca teneantur solvere Portionem Canonicam, seu Quartam parochialem, sive funeralium? Resp. I De Jure communi, atque seclusa consuetudine & privilegio, omnes & solæ illæ Ecclesiæ, vel loca pia, in quibus alienus Parochianus sepelitur, dictam Portionem tenentur solvere. Communis ac certa claris juribus suprà *n. 44.* citatis. Hinc DD. post *Glos. in c. 1. h. t. v. Judicium*, communiter inferunt, illas Ecclesias vel loca pia, in quibus defunctus sepultus non est, de sibi relictis, vel legatis Canonicam Portionem Parochialem solvere non teneri. Dicitur autem notanter, *de jure communi loquendo*; quia plures regulares, seu potius Ecclesiæ & loca eorum sunt exempti à solutione Portionis Canonicæ, prout patebit ex *concl. seq.*

55 Resp II. Fratres Minores, ac complures aliæ religiones, eorumque Ecclesiæ ac loca pia, per specialia privilegia sunt exempti ab omni solutione Portionis Canonicæ Parochialis. Probatur Conclusio allegando dicta privilegia: sic enim pro Fratribus Minoribus hujusmodi privilegium concessit Julius II. Leo X & alii Summi Pontifices, prout videre est apud Sorb *v. Canonica Portio*: Sannig *h. t. c 5 n. 6.* Paulus III. apud Donatum *tom. 3. tr. 11. q. 5.* in Decisione Rotæ, quam per extensum refert. Pro Carmelitis concessit Nicolaus V. Sorb. *l. c.* ac Julius II. Donatus *to. 3 tr. 11. q. 4.* Prædicatoribus Sixtus IV. & Alexander IV. Sorb. & Donat *l. c.* Fratribus Minimis Julius II Sorb. & Don. *l. c.* Leo X. Congr. Camaldulensi. Cælestinus V. suæ Congreg. Roderiquez *tom. 1. q. 39. a. 3.*

56 Circa usum tamen dictorum privilegiorum præ oculis habenda novissima Constitutio Concilii Tridentini *Sess. 25. de Reform. cap. 13.* sic habens: Decernit Sacr. Synodus quibuscunque in locis; jam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunque privilegio aliis Monasteriis [illegible] talibus, aut quibuscunque locis piis concessa, eadem pote-

potestas posthac integro jure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persolvatur, non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque. Ex his Tridentini verbis infertur, illa sola Monasteria, quæ 40. annis ante Conc. Tr. (quod promulgari cœpit 1563) erectam Canonicam portionem Parochialem tot annis jam dare consueverunt, eandem eodem quo prius modo, dare teneantur, non obstantibus privilegiis privatis. Econtra vero Monasteria eorumque Ecclesiæ, & loca pia, quæ quidem ante dictos 40. annos fuere erecta. Portionem tamen præfatam dare tot annis soliti non sint, nec imposterum dare teneantur, sed privilegiis allegatis uti valeant. Idem est de illis Monasteriis, quæ 40. annis citra fundata existunt, sicut etiam quæ post Conc. fuere erecta, & quotidie eriguntur, ad penitus nullam Portionem tenentur, sed memoratis privilegiis gaudent. Barb. *de offic. & pot. Paroch. p. 2. c. 25. à n. 12.* citans Decretum Sac. Congr. & Decisiones Rotæ. Donatus *tom. 3. tr. 11. q. 5.* Layman *lib. 3. tr. 5. c. 12. n. 13.* Roderiquez ubi suprà, Sannig *h. t. c. 5. n. 7. &* 8. & alii.

57 Huc servit etiam Bulla Pii V. *Etsi mendicantes*, edita paucis annis post publicatum Conc. Tr. anno 1567. in Bullario Cherub. 41. Inter Constitutiones dicti Pontificis, ubi §. 11. sic habet: Quartam autem funeralium, *d. Sess. 25. c. 13.* nequaquam solvere teneantur Monasteria, quæ à quadraginta annis circa existunt, postquam Conc. Trid. ipsum loquitur tantum de Monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam Quartam solvere consueverunt; & ubi solvi consuevit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur; non autem de Missis, seu legatis, vel aliis, Fratribus ipsis, seu Monialibus hujusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis, solvi debet: sicque intelligi Concilii decretum quoad Quartam hujusmodi solvendam debere decernimus. Ubi verò non est consuetudo solvendi Quartam hujusmodi, de nulla suprascriptorum solvi debere declaramus.

58 Nec dicas hanc Pii V. Constitutionem revocatam esse per Greg. XIII. in Bulla, *In tanta mole*, quæ est 9. inter Constitutiones dicti Pontificis in Bullario Cherub. Nam contra est, quod Gregorius XIII. tantum revocaverit Bullam Pii V. in iis, quibus conceditur aliquid contra Conc. Trid. non vero in iis, in quibus dictum Conc. solummodo declaratur, aut eidem nihil contrarium conceditur, uti benè observat Barb. *l. c. n. 14.* Donatus *l. c.* Roderiquez *l. c.* Tambur. *de Jure Abb. tom. 1. dis. 15. q. 17.* & alii communiter: prout etiam declaravit Sac. Congregatio apud Barbosam & Donatum *l. c.* atque sæpius secuta est Rota.

59 Quæritur VI. Quid & quanta sit? à quo, & cui debeatur Portio Canonica Episcopalis? Resp. I. *Canonica portio Episcopalis* est quædam pars juxta SS. Canones Episcopo debita de iis bonis, quæ per ultimam voluntatem relinquuntur Ecclesiis, vel aliis locis piis. Barbosa *de offic. & pot. Episc. p. 2. alleg. 86. n. 1.* Donatus *to. 3. tr. 11. q. 1.* Pirhing. *de test. n. 94.* & in re Communis aliorum, *arg. c. requisivisti 15. de test. c. Officium, 14. eod. c. conquerente 16. de offic. ordin.* juncto *can. 1. & seq. 10. q. 2.* Vocatur *Canonica portio, c. fin. de test.* & alibi, quia per SS. Canones fuit introducta. Barbosa *l. c.* item *Quarta mortuariorum*, *c. conquerente 16. de offic. ordinar.* quia de relictis in morte, seu per ultimam voluntatem, Gl. *in c. c. conquerente*, *V. Mortuariorum*.

60 Resp. II. Quantitas *Portionis Canonicæ Episcopalis* non ubique est eadem, sed diversa pro diversitate consuetudinis locorum, ut proin circa quantitatem attendendum sit ad loci consuetudinem, prout in simili diximus suprà de Portione Canonica Parochialis: patetque clarè ex *c. c. Requisivisti, 15. de test.* ibi: *Regulariter verum est quod Episcopus secundum diversas consuetudines tertiam vel quartam portionem debet habere.* Tertia pars assignatur etiam *can. de his 7. & can. Decernimus 10. cau. 12. q. 1.* Quarta determinatur *ca. Vulteranæ 25.* & plur. seq. *cau. 12. q. 2.* sicut etiam *can. conquerente, de offic. ordinar.* subinde etiam Medietas *can. Antiquus 8. cau. 10. q. 1.* ut proin consuetudo meritò attendenda sit, quæ ubi deest, quarta pars eligenda est per jura allegata supra *n. 48.* ubi in simili Quartam probavimus in *Portione Parochiali*.

61 Resp. III. *Portionem Canonicam* debent Episcopo omnes & solæ Ecclesiæ locaque pia intra suam Diœcesin existentia, suæque Jurisdictioni subjecta. Barbosa *l. c.* Pirh. *l. c. & §. de offic. ordinar. n. 106.* Sylvester *V. Canonica portio q. 3.* Donatus *l. c. n. 1.* Abbas *in c. Requisivisti, 15. n. 9. de test.* Layman *lib. 3. tr. 5. c. 12. n. 13.* & Communis aliorum juribus suprà *n. 59.* citatis. Ratio est: tum quia non tantum Ecclesia Cathedralis, sed & aliæ Ecclesiæ, ac loca pia eisdem sunt subjecta, *c. cum Episcopus, 7. h. t. de offic. ordinar.* consequenter omnia ad Portionem hanc sicut ad alia Jura Episcopalia (de quibus *in c. Conquerente, de offic. ord.*) in signum recognitionis tenentur: tum quia circa omnes onus gerit & curam Episcopalem, consequenter ab omnibus mercedem meretur, *arg. c. 1. de Sepult.* Barbosa *l. c. num. 7.*

62 Limitatur autem conclusio *Primo* in Monasteriis, Ecclesiis & locis exemptis; hæc enim ad Quartam Episcopalem non teneri; Communis, ac probabilior tenet DD. Signanter Barbosa *l. c. n. 10.* ubi testatur de Communi & vera, Abbas *in c. officium, 14. nu. 6. de test.* dicens, esse *communius & verius*, Sylvester *V. Canonica portio, q. 3. n. 4.* Engel. *eod. verb. n. 7.* Miranda *in Manual Prælat. tom. 2. q. 48. a. 2.* Pirhing. *de test. n. 100.* Azorius *p. 2. lib. 9. c. 12. q. 5.* & alii, Fundamentum est; quod rationes, ob quas alia loca pia teneantur Episcopo solvere Portionem Canonicam, cessent in locis exemptis utpote respectu quorum Episcopus nec est Superior, cum ab eius jurisdictione exempti sint, & eorum Ordinarius sit Summus Pontifex, ubi benè observat Glossa communiter recepta *in can. nulla 8. dist. 94. V. Acephalos* nec specialem curam & onus circa eosdem, quippe curæ illius non subjectos, habeat. Accedit, quod Episcopus nec cætera jura episcopalia recipiat à locis exemptis, *c. cum Episcopus 7. de offic. ordinar. in 6.* & ibi Glossa recepta *vers. Exempto.* His adde, quod etsi exempti etiam de Jure communi tenerentur ad solvendam Quartam Episcopalem, tamen complures Religiones præsertim suprà *n. 55.* allegatæ essent ab hoc onere liberæ ob specialia privilegia per Pontifices ibidem adductos concessa, vide apud Doctores *eod. n.* citatos.

63 Limitatur *secundò* in casu, quo Ecclesiis, & locis piis etiam non exemptis legatur vel relinquitur aliquid pro fabrica, luminaribus, ornamentis, Anniversariis &c. textu claro *c. fin. de Test.* & ibi Abbas *n. 2.* Covarruvias *n. 4.* Barb. *l. c. n. 23.* & alii. Limitatur *tertiò*. si quid legatur pauperibus in genere, Barbosa *l. c. n. 22.* Ratio est quia in tali casu legatum non fit loco pio, sed personis, de relictis autem personæ non debetur Portio Episcopo *c. Ex parte 31. de V. S.* ergo; alias Limitationes vide apud Barbosam *loc. cit.*

64 Illud tamen etiam circa Portionem Canonicam, seu Quartam Episcopalem addendum, quod hodie in pluribus Diœcesibus contraria consuetudine penitùs sublata sit, prout testatur Laym. *l. 3. tr. 5. q. 12. n. 13.* & alii, patetque experientia; prout etiam videmus in ordinatissima Diœcesi Frisingensi in qua Rever. Ordinarii de legatis & relictis Ecclesiæ vel loco pio cuicunque, Portionem Canonicam nunquam prætendunt, vel exigunt.

65 Quæritur VII. Num aliquid peti possit pro Sepultura? Resp. I. Quamvis terræ fundus nondum benedictus emi & vendi possit ad hoc, ut dein benedicatur, & in Cœmeterium, vel aliam sepulturam privatam erigatur; tamen pro eadem jam benedicta, aut Authoritate Episcopi in Sepulturam Ecclesiasticam deputata penitus nihil peti potest, non obstante consuetudine. Prima pars caret omni controversia, eamque cum Gl. *in cap. Abolendæ 13. h. t. vers. Sepulturæ*, tenent DD. unanimiter, *arg. can. Aurum 70. cau. 17. q. 2. & l. locum 9. C. de Religios. & sumpt.* ubi utraque pars Conclusionis illis verbis habetur: *Locum quidem religiosum distrahi non posse manifestum est, verum agrum purum monumento adhærentem profani Juris esse, idque efficaciter venundari, non est incertæ opinionis:* ubi *per purum agrum* terra nondum benedicta intelligitur, *l. 2. §. Purus 4. ff. de Religios.* habetur ibi: *Purus autem locus, qui neque Sacer, neque Sanctus, neque Religiosus est.* Ratio est; quia cum juxta dicta hujusmodi terra vel fundus sit quid prorsus profanum utique à domino ejusdem liberè vendi, & ab alio emi potest: *cum quivis rei suæ moderator, & arbiter sit l. in re mandata C. Mandat.* Nec tenetur dominus talem fundum pro sepultura gratis dare, utpote minimè obligatus ad beneficium faciendum de suo *can. Aurum 70 cau. 12 q. 2.*

66 Altera Conclusionis pars pariter est certa, eamque tenet Glossa *l. c. V. Sepultura* Abbas *in c. abolendæ 13. h. t. n. 1.* Barbosa *ib. n. 1.* Pirhing *h. t. n. 36. & 37.* Sannig. *eod. c. 4. n. 7.* & Communis aliorum, *arg. can. q. 12.* & tribus seqq. *cau. 13. q. 2.* ubi contraria praxis vocatur *prava consuetudo c. abolendæ 13. h. t.* ibi: Abolendæ consuetudinis perversitas inolevit: ut decedentibus non prius permittatur effodi sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur &c. Mandamus, quatenus cum loci Diœcesanus existas, inhibeas Clericis ne quidquam omnino præsumant exigere hac de causa juncta *l. locum C. de Religiosis.* Concordant *c. non satis 8. & c. cum in 9. de Simonia*, ubi reprobatur etiam contraria consuetudo *eo quod tanto graviora sint crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam, c. c. 9. & quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget:* Ratio est; quia ipsa benedictio Sepulturæ adhærens emi ac vendi consequenter res temporalis pro spirituali dari censetur, quod simoniacum est, *arg. tot. tit. de Simon.*

67 Resp. II. Potest nihilominùs pro Sepultura liberaliter Ecclesiæ oblatum aliquid temporale accipi; Imò, ubi consuetudo pro ea quid dandi viget, etiam peti, absque tamen turpi exactione, quamvis Laici, si talem consuetudinem observare detrectent, à loci Episcopo ad id compelli possint, funeralibus tamen prius peractis. Abbas *in c. Abolendæ 13. h. t. n. 7.* Sylvester *V. Simonia q. 11. dist. 1.* Pirhing. *h. t. n. 40* & alii infrà *n. 70.* citandi ubi, quod similiter pro Exequiis, & actu Sepulturæ quid peti & accipi possit, dicemus, & ulterius probabimus *arg. cap. ad Apostolicam 42. de Simon.* ubi consuetudo pro Exequiis aliquid dandi non tantum approbatur, sed etiam observari præcipitur. Ratio autem, cur pro Sepultura aliquid accipi, & stante consuetudine etiam peti possit, est conservatio, ac reparatio fabricæ, & aliorum Ecclesiæ, ob quam Pontifices similes laudabiles consuetudines aliquid Ecclesiæ dandi meritò approbant, & observari præcipiunt. Roderiquez *tom. 3. q. 58. a. 2.* & alii.

68 Resp. III. Probabile est, posse etiam per modum pretii & contractus aliquid peti & accipi pro honoratiori situ & loco Sepulturæ, v. g. ut quis sepeliatur in Ecclesia, Capella &c. Roderiq. *to. 3. QQ. reg. q. 58. a. 2.* Bellet *disq. Cler. p. 1. de clerico debitore §. 3. n. 30.* Barb. *in c. abolendæ 13. h. t. n. 7.* & plures alii à Barbosa citati; quamvis non omnes ab eo citati Conclusionem teneant, uti patebit inspicienti fontes, contra Pirhing *h. t. n. 38.* Ratio est; quia in tali casu non attenditur ipsa Sepultura, sed honor & præeminentia, quæ ut quid profanum pretio æstimabile est, & ordinariè defuncto, vel hæredibus ejus intenditur, utpote qui alias in Cœmeterio aliquam communi loco Sepulturæ, & ad id specialiter benedicto sepeliri permittent defunctum. Accedit praxis quotidiana Doctissimorum & timoratissimorum virorum ex utroque tam sæculari quam Regulari Clero pro Sepultura in Ecclesiis vel aliis similibus honoratioribus locis sine omni scrupulo pasciscentium, & pretium accipientium, scientibus & tolerantibus Rever. Ordinariis, imò idipsum per suos practicantibus qui omnes sanè continuæ Simoniacæ pravitatis argui absque temeritate vix possunt.

69 Dices cum Adversariis; locus, & quævis res sacra sub nullius sunt dominio, *l. in tantum 6. § sacræ ff. de rer. div.* ergo pretio temporali distrahi non possunt. Resp. Negando suppositum argumenti, quod nempe ipse locus sacer pretio distrahatur, cum juxta dicta non pro illo, sed tantum pro honore & præeminentia concessa pretium exigatur; sicut à pari contingit, si pro pretio Ecclesia Laico concedit honoratiorem locum, seu sedem, sive banchum in Ecclesia, quod fieri posse, etiam Adversarii concedunt.

70 Quæritur VIII. An Clerici aliquid exigere possint pro actu, & officio Sepulturæ, pro Exequiis, deductione funeris &c. Resp. I. Illi Clerici, quibus cura sepeliendi ratione beneficii incumbit, quales sunt omnes Parochi coactivè nil possunt exigere, seu neminem possunt compellere, cogere, seu adigere, ut aliquid det pro actu Sepulturæ, Exequiis &c. etsi ita compellendi & exigendi alicubi vigeat consuetudo. Est communis ac certa, claris juribus *c. abolendæ 13. & c. non satis 8. de Simon.* ibi pro Sepultura quoque nulla cujuscunque pretii exactio attentetur, nec sub prætextu cujusquam consuetudinis reatum suum quis tueatur: quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget *c. cum in Ecclesia 9. eod.* ibi: Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro sepultura & exequiis mortuorum aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non attendentes, quod tanto graviora sint crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam &c.

71 Resp. II. Possunt nihilominus præfati Clerici spontè oblata pro exequiis accipere; imò etiam, ubi aliquid dandi viget consuetudo, dandum petere, & ut dent, Laicis obligationes insinuare, absque tamen coactione & compulsione, utpote quæ non ipsis Parochis, sed Episcopo loci competit, casu quo Laici laudabilem dandi consuetudinem alicubi introductam observare detrectarent *arg. c. ad audientiam 24. de Simon.* ubi ad propositum ita statuit Pontifex: *Pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari*, & infrà: *per Episcopum loci compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinē immutare.* Ratio autem, cur Pontifex hanc consuetudinem tanquam laudabilem approbet & observari præcipiat, esse censetur honesta Parochorum sustentatio, cujus titulo etiam pro spiritualibus temporalia accipere licet, prout videre est in Missis, ac aliis laboribus spiritualibus; nec immeritò *cum dignus sit operarius mercede sua c. 1. h. t.* Nec multum fit quod quis pro sua sustentatione ab eo accipiat temporalia, cui subministrat spiritualia, teste Doctore gentium: Et secundum eundem Apost. *qui altari servit de altari vivere debeat c. cum secundum 16. de præb.*

72 Nec dicas: Parochus aliunde jam v. g. ex Decimis, oblationibus &c. suam habere sustentationem. Nam contra est, quod licet aliqui forsan essent, hoc per accidens foret, cum major pars honesta ac decenti sustentatione careat, nisi eidem funerales, & alii ex laudabili consuetudine, v. g. pro benedictione nuptiarum, administrandis Sacramentis debiti redditus competerent; præsertim postquam hodie Decimæ reales & mixtæ passim ad capitula Canonicorum, Monasteria & Nobiles transiere: Decimæ verò personales passim omninò in desuetudinem jam abierunt, ob continuam difficultatem in perscrutando, quidnam singulis annis quivis lucratus, consequenter ad quam quantitatem titulo Decimarum personalium obligatus esset. In quarum proin Decimarum personalium locum, præfatam & similes consuetudines laudabiles introductas, & à Summis Pontificibus approbatas fuisse, verisimile est, uti ex Concilio Camerac. benè advertit Van. Espen *p. 2. tit. 38. de sepul. c. 4. n. 40.*

73 Observant tamen Abbas *in c. c. abolendæ 13. h. t. n. 3.* Barbosa *ib. n. 8.* & DD. communiter, quod Episcopus non tantum attendere debeat, ut Laici laudabiles consuetudines observent, sed etiam vigilare teneatur, ne in hoc à Parochis excessus fiant, ut loco laudabilium consuetudinum pravæ corruptelæ introducantur; inter quos est *Primò*, si ipsi Parochi sua authoritate Laicos cogunt, & compellunt ad dandum id, quod vi laudabilis consuetudinis tenentur, *arg. c. non satis de Simon. & c. cum in Ecclesiæ 9. eod. Secundò* Si nimium prætendunt, & quasi pro libitu, & affectu augent, vel diminuunt funeralia, præsertim, quando hæredes defuncti alias non adeò divites, sed in statu suo egentes sunt. Pro evitando hoc excessu in pluribus locis laudabilissimè habentur certæ quædam taxæ ab Episcopis, alibi à Synodis, & in nonnullis locis, communitatis consiliis, Authoritate Ecclesiastica, & Laicali positæ, quas transgredi nec Clericis, nec Laicis licet. Habetur quidem similis taxa etiam in Bavaria per specialia concordata inter Reverend. Ordinarios & Principem Territorialem inita, in hoc puncto præscripta. Verum quia dicta taxa pro moderno tempore, quo cuncta honestæ sustentationi necessaria majori sunt comparanda pretio, pro Clericis videtur nimis modica hodie non amplius observatur, Parochis ipsis taxam pro libitu, & discretione sua facientibus. Uti proin haud dubiè utile, & ad multa evitanda inconvenientia conducens foret, ad exemplum aliarum Diœcesium denuò certam, & proportionatam tempori secundum personarum morientium & exequiarum diversitatem præscribere, plura exempla ad propositum affert Van. Espen *l. c.*

74 *Tertiò* fit excessus quando Parochus defunctum prius sepelire recusat, antequam eidem certum pretium persolvatur, aut promittatur, qui excessus, *abolendæ consuetudinis perversitas* vocatur, *c.c.abolendæ 13.h.t.* gravissimè ibidem prohibetur.

75 *Quartò*, quando cogunt, & variis modis adigunt hæredes defuncti, ut præter Exequias, ac Depositionis Officium etiam Tertium, Septimum, vel Trigesimum pro lucro, & commodo Clericorum celebrari faciant; cum Tertium, Septimum, vel Trigesimum celebrandi nulla de Jure obligatio, sed mera liberalitas sit, prout etiam in diversis Diœcesibus, ac specialiter, in ordinatissima nostra Frisingensi judicatum habetur, quod etiam annotavit Schmidt in Statuta Bavariæ, ad processum *edit. tit. 2. art. 3. n. 13.*

§. III.

De iis, quibus Sepultura Sacra concedi, vel negari debet.

SUMMARIUM.

76 *Omnes Fideles baptizati, etiam damnati ad mortem (exceptis suspensis, & rotæ affixis) in loco sacro sepeliri debent.*
77 *Sepeliri in loco sacro prohibentur plures veluti Infideles, inter quos etiam sunt infantes non baptizati.*
78 *Item hæretici, eorumque fautores, & defensores.*
79 *Enumerantur plures Sepultura indigni: præsertim Duellantes.*
80 *Si in ipso Duello occumbunt.*
81 *De Duellantibus remissivè.*
82 *Sepultura etiam sunt indigni Usurarii, Interdicti.*
83 *Religiosi proprietarii.*
84 *Notoriè excommunicati.*
85 *Etiamsi non sint vitandi.*
86 *Suicidæ etiam privantur sepultura.*
87 *Limitatur tamen in aliquibus casibus. Et duobus numer. seqq.*
90 *Sepultura privantur omnes in notorio peccato mortali decedentes.*
91 *Si excommunicatus denuntiatus, aut infidelis sepelitur in loco sacro, polluitur Ecclesia, debetque corpus iterum exhumari.*
92 *An etiam reliqui indigni exhumari debeant, est controversia.*
93 *Certum tamen, quod per hos Ecclesia non polluatur.*
94 *Pœna sepelientis indignum quæ? & n. seq.*
96 *Per sepelientes quinam intelligantur.*

78 QUæritur I. Quinam in loco sacro sepeliri possint, ac debeant? Resp. I. Regula est: *Omnes & soli Fideles baptizati in loco sacro sepeliri possunt ac debent, nisi à jure prohibeantur*. Unanimis, *à can. qui divina 28. cau. 13. q. 2.* ibi: *Christianorum per omnem modum humari oportet corpora defunctorum. can Ecclesiam 28 de consec. dist. 1.* cum concordantiis. Nec refert, quod sint ad mortem damnati, textu expresso, *can. 30. cau. 12. q. 2.* ubi etiam ratio redditur illis verbis, „Si omnibus de peccatis suis „puram Confessionem agentibus, & dignè pænitenti„bus Communio in fine secundùm Canonicum jussum „danda est: cur non eis (de suspensis in patibulo est sermo „qui pro peccatis suis pænam extremam persolvunt.: „scriptum est enim, non vindicat Deus bis in idip„sum. Intellige tamen hæc, si à Potestate sæculari permittitur, vel nisi ab eadem prohibeatur: dicitur enim *l. 1. ff. de Cadaver. punit. Hodie eorum in quos animadvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quamsi fuerit petitum, & permissum, & nonnunquam non permittitur.* Nec est hæc Lex injusta, uti post Glossam *in c. can. 3. cau. 13. q. 1. ℣. in patibulis*, docet Covarruvias *l. 2. var res c. 1. nu. 11.* contra aliquos à Covarruvia citatos, sed approbatur hodierna praxi, qua videmus in patibulo suspensos in loco sacro non sepeliri, imò ad justitiam [illegible] aliorum nonnunquam etiam in[illegible] s rel[illegible] cum Abbate in *c. ex p. 11* [illegible] 10. [illegible]

c. 12 n. 10. Pirhing. *h.t.n. 62.* Communis doceat, ad mortem damnatos, si pænitentes decedant, posse sepeliri in loco sacro, & divina pro ipsis peragi; fatentur tamen etiam, patibulo suspensos, vel rotæ illigatos, sine Principis licentia deponi non debere.

Resp. II. Plures sunt, qui in loco sacro sepeliri non 77
possunt. Patet inductione. Sic enim *in primis* omnes non baptizati; quales sunt Infideles Christi, ut Judæi, Turcæ & c. *can. Ecclesia 27. & 28 de consec. dist. 1* Huc pertinent Infantes Catholicorum sine Baptismo decedentes; nisi certo constet, eos in utero matris jam esse mortuos, tunc enim cum matre sunt sepeliendi, si hæc simul moritur. Engel *h.t n. 17.* Pirhing. *h.t.n. 63.* Layman *l.c. ℣. Sepultura n. 4.* & communis aliorum. Ratio est; quia *partus antequam edatur, mulieris portio est, seu viscerum, l. 1. §. ex rescripto 1. ff. de Inspici. vent.* Quod si post mortem matris dubitetur, an fætus adhuc vivat, scindenda est mater, ut fætus extrahatur, & baptizetur: si vero dubium sit de vita infantis, illeque saltem sub conditione, aut etiam sub forma, vel materia dubia sit baptizatus, sepultura sacra privari non debet, Engel *h.t.n. 17. arg. c. In obscuris, 30. de R. J.* Pariter huc pertinent Cathecumeni, quia & ipsi Baptismo adhuc carent, Layman *loc. c.* Palud *in 4. dist. 4. q. 3. a. 1.* Pirhing *h. t. l. c.* & Communis aliorum.

Secundò. Hæretici, & in puncto hæresis receptores, 78
defensores, fautores &c. textu expresso, *c. sicut 8. & c. Excommunicamus, 13. § Credentes de hæret.* juncto *c. 2. eod. in 6.* etiamsi hæresis primum post mortem eorum fuerit detecta, *arg. c. Sanè, 6. cau. 24. q. 2.* Quod si tamen hostili, vel alio tempore sub comminatione gravium malorum à potentioribus urgeretur, ut Hæreticus in loco sacro sepeliretur, eidem ad evitandum grave malum deferri posset, si non in contemptum Ecclesiæ, sed pro Familiæ splendore, aut conservando honore & respectu desideraretur; eo quod Leges humanæ non obligent cum periculo gravi; uti cum Communi docuimus suprà *lib. 2. tit. 2. de const.* Quamvis cessante periculo, cadaver iterum exhumari deberet, si ab aliis dignosci queat. Si vero in Ecclesiæ contemptum id peteretur, deneganda foret Sepultura etiam cum periculo mortis, vel alterius gravis mali, *arg. can. eos 18. de consecr. dist. 4. can. quisquis 80 cau. 11. q. 3. & c Sacris, 5. de his, quæ vi metusque causa.* Ratio est; quia cooperari ad contemptum Ecclesiæ non tantum humana, sed etiam Divina Lege prohibitum est *arg. Matth. 18.* Engel *h. t. num. 18.* & alii.

Tertiò Ecclesiastica Sepultura privantur, qui per an- 79
num integrum confiteri, & tempore Paschali sacram Synaxin sine justa causa omittunt, *c. omnis 12. de pœn & remis.* *Quartò* qui in torneamentis, & *Quintò*, qui in duello occumbunt, etsi pænitentes moriantur, juxta Conc. Tr *sess. 25 de ref c 19.* juncta Bulla Gregorii XIII. *ad tollendam*, quæ est 78 Constitutio dicti Pontificis apud Cherub. & Clementis VIII *Illius vices*, quæ est apud Cherub. 11 Constitutio dicti Pontificis; qui duo Pontifices varias, easque gravissimas alias pœnas statuere in Duellantes, & eorum patrinos, spectatores, consilium & auxilium præstantes &c de quibus infrà. Intereà ad propositum notandum, Sepultura, juxta Clementem VIII. carere etiam privatè absque patrinis & consuetis solemnitatibus duellantes, si in duello ad certum locum & tempus condicto quis occumbit: Clemens VIII. *l.c.* Constitutionem Concilii, & Antecessorum extendit, & vult „locum habere ubique gentium & terrarum, inter quas„cunque personas etiam armatas, & in castris, seu pro„pugnaculis militantes, &c. Idem quoque juris censen„dum esse, si miles aliquis etiam Ducum permissu ex „condicto ad singulare certamen descendat, aut illum „promoveat &c. Ad finem statuit, ut hæc Bulla à die pu„blicationis Romæ factæ, ibidem obliget, post triduum „eos verò, qui extra Urbem Romanam citra montes, „post duos menses: ultra montes verò post quatuor men„ses, omnes perinde arctet & afficiat, ac si eorum cui„libet personaliter intimatæ fuissent. Legatur Bulla, quia digna lectu, ubi etiam illud apparet; quod licet quidam tempus, & locum non determinent, pœnis subjacere dummodo ad certamen provocent, & compareant.

Hic tamen observandum, quod etsi Duellantes aliis 80
pœnis semper subjacent, Sepultura tamen Ecclesia[illegible]stica

stica non priventur, si non in ipso conflictu decedant, prout bene notat Engel *h. t. nu. 21. arg. Conc. Trident. l. c.* ubi dicit; *Si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica Sepultura.* Ergo à sensu contrario, si non in conflictu, sed alibi decedant, etsi in conflictu, seu duello lethaliter vulnerati fuerint, sepultura non carebunt præsertim, [illegible] in *pænis benignior est interpretatio facienda. c. In pœnis 49. de R. J. in 6.*

81 Utrum autem illi, qui pro defendendo honore, & ne reputentur pro timidis, sicque minus æstimentur, vel promoveantur, ut omnino priventur officio suo, offerre, vel acceptare possint duellum, major est controversia inter DD. circa quam respondebitur *lib. 5. tit. 14.* de Clericis pugnantibus in duello. Intereà breviter dicimus *regulariter* loquendo, nec tales excusari, si tenorem & finem Bullarum, præsertim Clementis VIII. attendimus: vide interim Engel *h t.* & alios.

82 *Sextò.* Sepultura sacra privantur Usurarii manifesti, *c. 4. de Usuris*, etsi pœniteant, ac etiam in ultima voluntate mandent, ut per usuram acquisita iterum restituantur, nisi actu restituant, vel saltem de restitutione facienda idoneam cautionem præstent; prout expressè statuitur *c. 2. eod. in 6.* ibi, „Quamquam Usurarii manifesti de usu„ris quas receperunt, satisfieri expressa quantitate, vel „indistinctè in ultima voluntate mandaverint; Nihilo„minus tamen eis Ecclesiastica Sepultura denegetur, do„nec de Usuris ipsis fuerit (prout patiuntur facultates eo„rum) plenariè satisfactum, vel illis, quibus facienda „est restitutio &c. idonee de restitutione facienda sit „cautum.

83 *Septimò.* Religiosi proprietarii, qui nempe peculium vel aliud proprium sine licentia Superioris retinent: nisi in fine pœniteant, ac proprium resignent *c. 2. & 4. de statu Monach. Octavò.* Qui decimas ad Ecclesiam pertinentes non restituit, *c. prohibemus 19. de Decimis. Nonò.* Nominatim Interdicti, *Clem. 1. de Sepul* nisi ante mortem pœniteant, *c. si is cui 20. de sent. excom. in 6.*

84 *Decimò.* Notoriè excommunicati, *can. 1. cau. 24. q. 2. & c Sacris 12. h t.* Ratio utrobique illa redditur: Quia *quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus*, nisi ante mortem fuerint absoluti ab excommunicatione, *c. fin. h. t* (quæ absolutio in mortis articulo etiam à Sacerdore simplici dari potest, juxta Trid. *sess. 14. c. 7.*) vel saltem signa pœnitentiæ dederint, ac per eos non steterit, quo minùs absolvantur; hæc enim si adsunt, excommunicatus etiam post mortem ritu ab ecclesia præscripto absolvi, sicque absolutus in loco sacro sepeliri potest ac debet, *c. A nobis. 28. de sent excom. in 6.* Accedit Declaratio Cardinalium apud Barb. *de offic. & potest. Paroch p. 3. c. 26. n. 40.*

85 Controvertunt hic DD. an omnes notoriè excommunicati, an vero soli excommunicati vitandi, ac publicè denuntiati careant Sepultura Ecclesiastica? Navarrus siquidem *in Manuali c. 27 n 36.* item *lib. 3. conf. 5. h. t. n. 2.* Suarez *disp. 12. de Censuris, sect. n. 5* Layman *lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 4. n. 4. & 9.* Pirhing. *h. t. n 68.* Henriquez *lib. 13. c. 11. §. 3.* & alii volunt, solos denuntiatos ac vitandos carere Sepultura: Moventur ab *extravag. Martini V. ad evitanda scandala*, ubi decernitur quod imposterum nullus excommunicatus sit vitandus, nisi sit publicè denuntiatus, aut publicus Clerici percussor: ex hoc enim inferunt; ergo cæteri excommunicati, etsi notoriè tales, sepultura non privantur, cum in his cesset Juris ratio suprà allegata: *Quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus*: possumus enim cum vivis non denuntiatis communicare; ergo etiam cum mortuis.

86 Econtra vero Avila *p. 2. c. 6. disp. 9. dub. 6.* Engel *h. t. n. 19* Covarruvias *in c. Alma mater p 1. §. 2. n. 11.* & alii docent, quemvis notorie excommunicatum etiam non vitandum carere Sepultura; quorum opinionem etiam in nostra Teologia Morali *tr. 13. dist. 2. n. 26.* secuti sumus, & amodò sequimur, non obstante Bulla Martini V. Ratio est; quia per dictam Bullam Pontifex in nullo voluit gratificare excommunicatis, nec eos ab aliqua Juris pœna eximere, sed tantum relevare fideles innocentes, eisque concedere, ut ad evitanda pericula possint cum quovis excommunicato nondum denuntiato communicare, prout patet ex ipsa Bulla (quam per extensum refert Covarruvias *l. c.*) præsertim ex ultimis ejusdem verbis ita sonantibus: *Per hoc tamen excommunicatos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* Ex quo sic argumentari licet: De jure communi *can. 1. q. 2. & c 12. h. t.* certum est quod notoriè excommunicatus etiam non vitandus careat sepultura Ecclesiastica, nisi eundem ab hac pœna eximat ac relevet Bulla Martini V. prout ipsi fatentur Adversarii; atqui dicta Bulla ab hac pœna eundem non relevat, cum in nullo, consequenter nec pœna privationis sepulturæ eum relevare intendat: ergo Nec refert, quod cessat ratio Legis: quia etiam cessante expressa ratione Legis, non cesset Lex ipsa, quando ita jus ipsum declarat (prout fit in proposito) quia tunc tacitè innuit, præter expressam esse adhuc & latere aliam rationem Legis: qualis in casu nostro facilè esse potest odium excommunicati.

Illud tamen velut certum ab omnibus conceditur, quod occultè excommunicato sepultura Ecclesiastica deneganda non sit: cum enim privatio sepulturæ sit publica, requirit causam publicam, ne aliàs, qui publicè habetur bonus, hac via infametur; prout etiam in Morali nostra *l. c.* jam diximus.

Undecimò. Sepultura Ecclesiastica privantur, qui ex impatientia, ira, tædio vitæ, desperatione, vel alia simili causa seipsos occidunt. Farinac. *in praxi Crimin. q. 128. n. 17* Sannig *h. t. c. 4. n. 3.* Covarruvias *var. res. lib. 2. c. 1. num 11.* Pirhing. *h. t. n 64.* & communis aliorum, *arg. can. Placuit, 12 cau. 23. q. 5.* ibi, „Placuit, ut qui „sibi ipsis voluntariè aut per ferrum, aut per venenum, „aut per præcepitium, aut per suspendium, vel quoli„bet modo violentam inferunt mortem ad sepulturam „eorum cadavera non deducantur, Gloss. *ib. ℣. Sepulturam.* Ratio est: quia qui seipsos occidunt, in peccato mortali decedunt *can. si non licet 9. cau 23. q. 5.* ita autem decedentes sepultura sacra non gaudent, uti statim dicetur infrà.

Limitant tamen DD. citati cum Sylvestro *℣. Sepultu-* 87
ram, q. 9. & Communi aliorum, I. In casu, quo quis ex amentia, vel mentis alienatione seipsum interimit; quia talis utpote ratione privatus non peccat, II. In casu; quo quis absque intentione se occidendi, sed vel mortem, vel aliud grave malum evadendi, in manifestum mortis periculum se conjicit: prout fit, si quis ad declinandas flammas conflagantis domus è fenestra se præcipitat, etsi per accidens dein in tali periculo pereat. Ratio est; quia, uti supponitur, talis nullatenus se occidere cogitat, sed mortem etiam in periculo, in quod se conjicit, evadere adhuc aliqualiter saltem sperat: consequenter mors per accidens subsecuta eidem ad culpam imputari, sicque ipse sepultura privari non debet, uti benè observat Glossa *in c. ex p 11 h. t. ℣ Non spontè.* Secùs foret, si absque spe evadendi simile quid attentaret, quia tunc intentione seipsum occidendi in periculum se conjicere censeretur, *arg. c. c. 11 h. t.* & ibi Glossa citata: nisi forsan talis subesset causa, ex qua seipsum indirectè occidere licet: de cujusmodi causis vide apud Theologos, & in Theologia nostra Morali *tr. 9. dist. 3. n. 11.*

Limitatur III. Si quis animose occidendi lethaliter 88
quidem se vulneravit, ante mortem tamen adhuc pœnituit. Sylvester *l. c. n. 9.* Pirhing. *h. t. n. 65* Konig. *eod. n. 10.* & alii, *arg. c. 2. & 4. de Statu Monach. & c. Is cui 20. de sent. excom. in 6* ubi pariter sepultura conceditur, aliàs privatis, si in morte pœniteant. Ratio est: quia talis in peccato mortali non decedit.

Porrò observat ad propositum Barbosa *de offic. & potest.* 89
Paroc. p. 3. c. 26. n 49 Covarruvias *lib. 2. var. res. c. 1. n. 11.* Pirhing. *h. t. n. 65* Socinius jun. *Conf. 51. lib. 1.* Navarrus *lib. 3. Conf. 7 h. t* Konig. *l. c.* & alii, quod si quis reperiatur in flumine vel puteo submersus, vel laqueo suspensus, veneno, aut ferrò interfectus, sepultura privari non debeat, nisi aliunde constet, quod se ipsum occiderit; id quod in dubio præsumendum non est: cum in dubio delictum præsertim tam grave de nemine præsumatur, *l. Merito 51 ff pro socio* Accedit, quod potuerit talis per insidias, aut vi per alium in flumen præcipitari, aut suspendi: aut ex amentia, vel mentis alienatione seipsum occidere, uti benè advertunt DD. citati. Secùs foret, si mentis compos prius jam ex tædio vitæ, impatientia, desperatione, vel alia simili causa cogitationes, & consilia seipsum occidendi agitasset: vel si ex circum-

cumstantiis manifestè appareret, quod à nullo alio, quam à se ipso sibi benè præsente interfectus fuerit.

90 *Duodecimò* Tandem omnes Sepultura sacra privantur, qui in notorio, ac certo peccato mortali absque pœnitentia decedunt, ut habet communis ac certa cum Gl. *in c. ex p. 11. h. t. ℣. Communicabatur arg. can. Quibus peccata 16. cau. 22. q. 2. can. non æstimemus, 19. & can. pro obeuntibus, 21 ead. cau. & seqq.* Hinc, qui in actuali furto, rapina, fornicatione, adulterio occiduntur, in loco sacro non sepelluntur, *arg. cit. jur.*

91 Quæritur II. Quid Juris, si quis juxta SS Canones sepultura indignus sepeliatur in loco sacro? An nempe, & quando iterum exhumari; & locus reconciliari debeat? Resp. I. Si publicus Clerici percussor, aut excommunicatus denuntiatus, vel Infidelis, aut Paganus sepelitur in loco sacro, polluitur Ecclesia: debetque iterum exhumari, si ossa discerni possunt, & Ecclesia reconciliari; quod donec fiat, nemo interea ibidem sepeliri potest. Prima Pars de Excommunicato est certa apud omnes textu claro *c. Sacris 12 h. t. & c. Consuluisti 7. de consec. Eccles.* De Infidelibus tenet Communissima DD. ut videre est apud Barbosam *in can. Ecclesiam 27. de Consecr. dist. 1.* paterque manifestè ex *cit. can. 28. & 29. de consecr. dist. 1.* ibi: *Evulsis corporibus &c.* Quod autem ante reconciliationem nemo sepeliri ibidem possit, expressè deciditur *c. un. de consecr. Eccl. in 6.*

92 Resp. II. Utrum reliqui juxta SS. Canones sepultura indigni exhumari debeant, casu quo in loco sacro sepeliuntur, nihil certum habetur in Jure. Quamvis enim affirmativam teneant Vallensis *h. t. n. 4. & 5.* Sannig. *eod. c. 4. n. 4.* quibuscum consentire videtur Engel *h. t. n. 18.* ubi ait, quemvis hæreticum iterum exhumari debere, & Farinacius in praxi criminal. *q. 128. n. 17* solidum tamen ex jure non afferunt fundamentum, quia *c. 12. h. t. & c. 3. de consec Eccles.* quod allegant, solummodo de Excommunicatis vitandis loquuntur. Ratio nihilominus esse posset; quia hoc ipso, quod loco sacro per SS. Canones reputentur indigni, ibidem tolerari non debent. Nec videtur major ratio, cur cadaver Infidelis debeat exhumari, & non cadaver alicujus seipsum occidentis, vel in peccato notorio mortali decedentis &c. Si dicis, rationem, ob quam Excommunicati denuntiati: ac Infideles debeant exhumari, esse; quod quia cum illis adhuc vivis non communicavimus, nec cum mortuis communicare possimus, *arg. c. Sacris 12. h. t.* Contra est: tum quod cum infidelibus vivis communicare non sit prohibitum: tum quod multis aliis communicare in vivis liceat, qui tamen sepeliri in loco sacro non possunt, ut patet de Usurariis, manifestis peccatoribus &c. ergo disparitas data nihil probat. Favet huic doctrinæ specialiter etiam *c. 2. de Hæreticis in 6* ubi omnes sepelientes hæreticum quemcunque tandiu excommunicationi subjacent, donec sepultum iterum extumulent, ut proin saltem de notoriis hæreticis sententia Juri conformior sit, eos exhumari debere; præsertim, quod isti notoriè etiam sint excommunicati; hi vero exhumari iterum debeant, etsi denuntiati non sint, juxta dicta *n. 85.*

93 Illud certius est, Ecclesiam per sepulturam talium indignorum (exceptis percussoribus Clericorum notoriis, & excommunicatis denuntiatis; imo conformiter dictis *n. 85.* etiam non denuntiatis, notoriis tamen) non pollui; prout magis dicemus infrà *T. 40. de cons. Eccles.* ubi etiam modum reconciliandi afferemus.

Quæritur III. Quas pœnas incurrunt, qui indignos in loco sacro sepeliunt? Respondet ad Quæstionem *Clemens V. Clem 1. h. t.* illis verbis ,, Eos, qui propriæ temeritatis au- 94
,, dacia, defunctorum corpora, non sine contemptu cla-
,, vium Ecclesiæ, in Cœmeteriis interdicti tempore,
,, in casibus non concessis à jure, vel excommunicatos pu-
,, blicè, & nominatim Interdictos; vel Usurarios mani-
,, festos scienter sepelire præsumunt, decernimus ipso
,, facto excommunicationis sententiæ subjacere &c. nul-
,, lo eis exemptionis, vel quovis alio privilegio sub qua-
,, cunque verborum forma concesso aliqualiter suffragan-
,, te. Eadem excommunicationis pœna statuitur in scien-
,, ter sepellentem hæreticos, credentes, receptores, vel fautores eorum *c. 2. de hæret. in 6.*

Ex quibus verbis DD. cum Glos. *in cit. Clem.* inferunt, 95 dictæ pœnæ excommunicationis solos & omnes etiam exemptos & privilegiatos subjacere, qui vel aliquem tempore Interdicti: vel excommunicatum publicè, vel personaliter nominaliter interdictum: vel manifestum Usurarium, vel hæreticum, aut ejus defensorem, fautorem, vel receptorem, non item qui suicidam, vel decedentem in peccato mortali, vel infantem non baptizatum &c. sepeliunt. Ratio est; quia lex hæc utpote pœnalis ultra casus & personas expressas non est extendenda, prout amplius diximus *lib. 1. t. 2. de const §. 17. à n. 427.* A qua tamen pœna etiam ex præfatis aliquem sepelientes excusantur, qui ex ignorantia, vel gravi metu coacti id faciunt; *arg. cit. Clem. & c. 2. de hæret. in 6.* ibi: *Qui scienter, & propriæ temeritatis audacia præsumunt.* Pirhing. *h. t. n. 79.* Gl. *ib. ℣. Scienter.* Item illi, qui tempore Interdicti sepeliunt in casibus à jure concessis: veluti si Clerici servantes Interdictum in secreto sine campanarum pulsu, aut privilegiati confratrem sepeliunt Gl *ib. ℣. à jure.*

Porrò quinam per sepelientes hic intelligantur, optat 96 Gl. *in cit. Cl 1. h. t. ℣. Sepelire* declarationem Principis. Anchoranus tamen *in ci. Clem. 1. h. t n 10* Pirh. *h. t. n. 80.* & alii volunt, huic pœnæ subjacere non tantum, qui propriis manibus mortuum in sepulchrum immittunt, sicque materialiter sepeliunt, sed etiam qui procurant, mandant, aut concedunt, uti Rectores, aut Parochi Ecclesiarum sicuti & qui exequuntur sepulturam: item juxta Anchoranum *l. c.* dissentiente Pirhing. qui comitatur funus; crucem portant, luminaria deferunt, sepulchrum aperiunt &c. Ratio est; quia omnes isti participant in crimine criminoso, consequenter omnes dictæ pœnæ subjacent, *arg. c. Nuper & c Concubinæ de sent. excom.*

Cæterum licet pro sepelientibus reliquos non specifi- 97 catos indignos nulla certa reperiatur pœna in Jure, peccant tamen mortaliter, utpote in gravi causa agentes contra prohibitionem Ecclesiæ, & subjacent arbitrariæ pœnæ ab Episcopo infligendæ, utpote qui potest quosvis transgressores Legum Ecclesiasticarum punire.

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

SUMMARIUM.

1. *Ratio continuationis.*
2. *Parochia impropriè.*
3. *Et propriè sumpta quid, & unde?*
Parochus non potest alterius Parochi terminos intrare ibid.
4. *Parochias erigere, & dividere præter Papam solus potest, & debet Episcopus.*
5. *Parochus non est ad nutum amovibilis; habet varia nomina.*
6. *Ad Parochiam requiritur primò, ut authoritate Episcopi sit erecta. Secundò, ut habeat certum districtum, ac populum.*
7. *Tertio, ut habeat unum, eumque perpetuum parochum.*
8. *Cum cura animarum.*
9. *Jura Parochialia quæ?*
10. *Parochianus proprius, & alienus quis?*
11. *Laici prohibiti mutare possunt Parochiam, & Diœcesin: non item Clerici.*

Quan-

1 QUandoquidem Sepultura in ecclesia Parochiali est peragenda, nisi alia eligatur, vel habeatur Sepultura Majorum: Hinc Compilator Canonum præcedenti Titulo de Sepulturis præsentem de Parochiis meritò subjungit.

2 Quæritur I. Quid sit Parochia? à quo erigi possit? & quæ ad eam constituendam requirantur? Ante responsionem notandum, Parochiæ duplicem esse acceptionem in jure. Aliquando enim accipitur, sed impropriè, pro tota Diœcesi, uti patet ex *can. si quis 4 & duobus seq. dist. 92. & c. Apostolicæ de Decimis* ibi: *De Parochia unius Episcopi in Diœcesin alterius.* Unde etiam Parochianus pro Diœcesano sumitur *c. 3. h. t.* ibi: *Nullus Episcopus alterius Parochianum judicare præsumat.* Regulariter autem ac propriè loquendo sumitur, ut indicat Conclusio sequens

3 Resp. I. *Parochia*, quæ alias etiam *Paræcia* dicitur, est certum territorium, seu districtus per Papam, vel Episcopum determinatus, habens unum Rectorem stabilem cum potestate populum ibidem existentem regendi & judicandi, eique Sacramenta, aliaque Divina administrandi. Additur *per Papam vel Episcopum determinatus*: quia quævis Parochia habet certos ac determinatos limites, certumque assignatum, ab aliis distinctum districtum, intra quem, & non extra, jurisdictionem in Foro pœnitentiali habet, & exercere potest Parochus, *arg. c. 1. cau. 13. q. 1.* Pro quo sciendum, quod licet olim curam animarum totius Diœcesis solus Episcopus per Sacerdotes pro suo libitu missos, & ad nutum amovibiles administrarit, assignatis cuivis laboranti Sacerdoti iis sustentationis mediis, quæ Episcopus pro tali judicaverit sufficientia, ut propterea tota Diœcesis meritò diceretur Parochia, *arg. cit. Juribus n. præc.* Tamen, quia successu temporis experientia docebat, hunc regendi modum ob multitudinem populi continuò crescentem, & ob alia incommoda, minùs proficuum esse ac utilem Reipublicæ Christianæ, quælibet Diœcesis secata, & partita fuerit in plures ecclesias Parochiales, seu Parochias, assignato cuivis earum certo ac stabili Rectore, seu parocho, qui intra illam Parochiam, seu certum sibi assignatum districtum, populum ibidem existentem in spiritualibus debitè pasceret, ac regeret. Unde ab hac partitione nomen Parochiæ derivatum putat Abbas *in rubr. h. t. n. 1.* ut *Parochia* idem sit, ac *partitio curæ*: quamvis alii aliam derivationem afferant; ut videre est apud Vallensem *h. t.* Præter divisionem parochiarum divisa sunt etiam bona merè Ecclesiastica, prius soli dispensationi Episcoporum commissa, assignatis cuivis parochorum suæ Parochiæ Decimis, una cum reliquis Juribus parochialibus, de quibus infrà *n. 9.* Idque totum patet ex *can. 1. cau. 13. q. 1.* ubi ita narrat Dionysius Papa ,, Ec-
,, clesias singulas singulis Presbyteris dedimus: Paro-
,, chias, & Cæmeteria eis divisimus: ec quicuique jus
,, proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus
,, alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat, sed sit
,, unusquisque suis terminis contentus, & taliter Eccle-
,, siam, & plebem sibi commissam custodiat.

4 Porrò dicitur notanter in definitione parochiæ, *per Papam, vel episcopum*, ad innuendum, quod nemo, nisi Papa, vel Episcopus parochias erigere possit, prout colligitur ex *cau. Nullus omnino 11. cau. 16. q. 17.* & docet ibi Barbosa cum communi DD. Accedit novissima Constitutio Conc. Tr. *Sess. 24. de ref. c. 13.* ubi mandat etiam S. Synodus Episcopis, ut in iis Civitatibus & locis, ubi
,, nullæ sunt Parochiales Ecclesiæ, quamprimum fieri
,, current, non obstantibus privilegiis quibuscunque &
,, consuetudinibus immemorabilibus. Eandem potestatem parochias erigendi adhuc magis auget idem Concil. Trid. *Sess. 21. de ref. c. 4.* ubi ulterius Episcopis concedit, quod etiam nimis amplas parochias dividere valeant, imo, ut dividant, mandat, casu quo id necessarium videatur, verba relatu digna sunt sequentia ,, Episcopi et-
,, iam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, in omnibus
,, Ecclesiis Parochialibus, vel baptismalibus, in quibus
,, populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit
,, sufficere Ecclesiasticis Sacramentis administrandis,
,, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel
,, alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc
,, munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta ex-
,, hibenda, & cultum divinum celebrandum. In iis ve-
,, ro, in quibus ob locorum distantiam, sive difficulta-
,, tem, Parochiani sine magno incommodo ad perci-
,, plenda Sacramenta, & divina officia audienda acce-
,, dere non possunt, novas Parochias etiam invitis Re-
,, ctoribus juxta formam Constitutionis Alexander III.
,, Quæ incipit, ad audientiam, constituere possint. Illis
,, autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis no-
,, viter erectis præficiendi, competens assignetur portio
,, arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem
,, quomodocunque pertinentibus: & si necesse fuerit,
,, compellere possit populum ea subministrare, quæ suf-
,, ficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam
,, non obstantibus quibuscunque &c. Formam ad quam se remittit Concilium parochiam dividendi, exhibet *c. ad audientiam, 3. de Ecclesiis ædificand.* quod lege.

Dicitur ulterius *habens unum rectorem stabilem*; quia 5 amplius ut olim non ad nutum amovibilis, sed stabilis ac perpetuus præest ac instituitur in quavis parochia Rector: qui ordinariè vocatur parochus juxta Concilium Tr. *l. c.* subinde verò *Rector Ecclesiæ Parochialis*; dicto *Conc. Tr.* olim etiam *Plebanus* dicebatur, *c. Scriptum 40. de elect.* à plebe seu populo, qui sub ejusdem cura spirituali in parochia degit. Nonnunquam *Sacerdos proprius*, *cap. Omnis utriusque 12. de pœnit. & remiss.* Aliquando etiam *Capellanus*, tunc nempe, quando in Ecclesia Monachorum curam gerit, *c. 1. de Capellis Monachor.* Frequenter etiam *Curatus*, à cura spirituali, qua commissum sibi populum regit. Regulariter autem & ordinariè, ut dictum, hodie *Parochus* appellatur. Reliqua verba adduntur ad indicandum officium & potestatem Parochi.

Resp. II. Plura requiruntur ad constitutionem paro- 6 chiæ, seu ad hoc, ut Ecclesia aliqua dicatur, sit & probetur Parochialis. Et quidem *Primò* requiritur, ut authoritate Papæ, vel Episcopi sit erecta, prout patet ex dictis *n. 4.* Præsumitur autem erecta Episcopi authoritate, ex lapsu temporis, quo Rector Ecclesiæ officia peregit, Sacramenta administravit, ac reliqua parochialia præstitit, & recepit, *Afflict. dec. 368. n. 5.* Barbos. *de Offic. & Potest. Paroch. p. 1 c. 1. n. 30.* & alii ab eodem citati. *Secundò* requiritur certus locus, ac districtus cum certis limitibus ab Episcopo determinatis juxta dicta *num. 3. arg. can. 1. cau. 13. q. 1.* In quo loco decem saltem esse debent mancipia, seu, ut alii legunt, municipia, id est domus aut familiæ, *can. Unio, 3. cau. 10. q. 3.* ubi statuitur *Ut Ecclesia, quæ decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdotem: quæ verò minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Ecclesiis.* Ratio est; quia decem faciunt plebem, ut benè ibidem advertit Gloss. *℣. Mancipia.* Verum hodierna praxi & consuetudine in erectione parochiæ non tam attenditur ad numerum populi, quam ad id, an, & quomodo parochus instituendus congruam possit habere sustentationem; item an populus ad Ecclesiam parochialem commodè convenire, ibique Sacramenta percipere, & divina officia frequentare valeat.

Tertium est, ut unum solum, ac perpetuum Recto- 7 rem seu parochum habeat, Conc. Tr. *Sess. 24. de ref. c. 13.* ibi: *Cuicunque Parochiæ suum perpetuum peculiaremque parochum assignet, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant.* Qui parochus juxta dicta *n. 5.* varia sortitur nomina in Iure, quæ tamen in effectu regulariter sunt synonima, uti benè advertit Barbosa *loc. cit. 43.*

Quartum est, cura animarum, & potestas Fori pœ- 8 nitentialis competens soli Rectori Ecclesiæ, ita ut Jure ordinario in parochianos nullus alius, sed solus ac unicus parochus prædictam habeat curam *arg. cit. Conc. Trident.* ibi: *Peculiarem Parochum, a quo solo licitè sacramenta suscipiant &c.* & *can. In apicibus 41. cau. 7. quæst. 1.* Nam sicut una sponsa non potest habere duos aut plures sponsos, *cap. 1. de Sponsa duor.* nec unum corpus duo capita, *c. Quia plerisque de Offic. Ordinar.* ita una Ecclesia non potest habere duos sponsos seu Rectores, *c. Cum non ignores 15 de Præb* ibi: *Una Ecclesia unius debet esse Sacerdotis, qui non per Vicarium, sed per seipsum illi deserviat in ordine, quem Ecclesiæ cura requirit, nisi fortè dignitati, vel præbendæ parochialis Ecclesia esset annexa, ut* dicitur, *c Extirpandæ 30. eod.* Et hæc sunt principalia requisita, quorum unum si deest, contraria præsumptio indu-

inducitur. Ponunt aliqui etiam pleraque jura parochialia pro requisitis ad eam; verum quia potest ecclesia parochialis esse, & dictis Juribus carere, ideò inter principalia requisita non numerantur, quamvis aliquam pro ecclesia parochiali præsumptionem faciant, uti benè observat Barbosa *p. 1. c. 1. à n. 27.* Gonzalez *ad reg. Cancel. Glossa 6. n. 66. & seqq.*

Quæritur II. Quænam sint Jura parochialia, ecclesiæ & parocho competentia? Resp. Præter potestatem Fori pœnitentialis esse potissimum sequentia. I. Quod parochiani proles suas proprio parocho teneantur baptizandos offerre, *arg. Conc. Florent. in decreto Eugenii*, & docet cum Communi aliorum. Layman *lib. 5. tr. 2. c. 7. n. 2.* Barbosa *de Offic. & potest. Paroch. p. 1. c. 18. n. 1.* dicentes, parochianum graviter peccare, si absque licentia proprii parochi prolem baptizandam alieno offert. II. Ut diebus Dominicis & Festivis in ecclesia parochiali Missam audiant, *c. 2. h. t.* Num autem & quando alibi audientes satisfaciant præcepto, dicemus infrà *tit. de celebr. Miss.* III. Ut semel in anno parocho proprio confiteantur, textu claro *c. Omnis utriusque 12. de Pœnit. & remiss.* ibi: *Omnis utriusque sexus Fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno proprio confiteatur Sacerdoti.* Ex consuetudine tamen & privilegio *Clem. Dudum. 2. §. Statuimus etiam.* & alibi habetur, quod dicti parochiani etiam tempore Paschali confiteri possint Religiosis Mendicantibus IV. Ut reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum ibidem suscipiant, *c. c. omnis utriusque*. V. Ut non nisi à proprio parocho Sacramentum extremæ Unctionis percipiant. *Clem. 1. de privil.* ubi etiam exemptis ac privilegiatis Regularibus sub pœna excommunicationis prohibetur, nè absque licentia parochi Sacramentum hoc alicui parochiano administrent. VI. Quod mortui in parochiali ecclesia, vel Cæmeterio sepeliri debeant, nisi alibi sepulturam Majorum habeant, vel propriam eligant, juxta dicta *tit. præc.* VII. Quod in ecclesia parochiali coram proprio parocho Matrimonia, & Nuptiæ solemni ritu celebrentur, *c. 1. de Clandest. despons. & can. 1. caus. 30 q. 5.* juncto Conc. Tr. *Sess. 24. de ref. matr. c. 1.* de quo magis infrà *lib. 4.* VIII. Quod parocho solvi debeant Decimæ, primitiæ, & oblationes, juxta dicenda Titulo sequenti. IX. Quod limites fines seu termini Parochiarum nec per tempus immemorabile præscribi valeant, *a. c. Super eo 4. h. t.* & amplius dictum est *l. 2. tit. 26. de præscriptione.* Plura de quovis horum jurium in suo loco.

Quæritur III. Quoad alteram Rubricæ partem, quinam sint, & dicantur proprii & alieni Parochiani? Resp. Omnes & solos illos esse, & dici parochianos, qui intra limites alicujus Parochiæ verum, vel saltem quasi domicilium habent, sive dein sint Laici, sive Clerici (nisi alibi beneficium cum residentia habent, ibique resideant ob dicta suprà *num. 14.* dicunturque proprii respectu illius parochi, in cujus Parochia degunt; alieni vero respectu alterius Parochi, in cujus Parochia domicilium non habent. Tuschus *V. Parochiani concl. 99. n. 1.* Vallensis *h. t. §. 1. n. 12.* Engel *eod. n. 22.* & communis aliorum. Patetque ex terminis; *Parochiani* enim à *Parochia* dicuntur: si quis in duabus Parochiis domicilium habet, ibique æqualiter, vel quasi æqualiter habitat, utrobique Parochianus est, Barb. *de offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 32. n. 69.* citans plures Rotæ Decisiones *a. c. Cum quis 2. de Sepult. in 6.* Si vero inæqualiter in illis habitat, ibi parochianus erit, in quo per notabiliter majorem anni partem moratur. Barbosa *l. c. n. 70.* Menochius *Cons. 398. nu. 16. & 17. à. l. 1. §. æstatem ff. de Aqua quotid. & æstiv.* Quod si domicilium seu domum in confinibus duarum parochiarum habet, ibi parochianus erit, ubi domus aditum habet Bart. *in l. 6. n. 6. in fin. ff. de damno infect.* Barbosa *l. c. n. 71.* Ratio est; quia ex aditu judicatur domus, cujus sit, Baldus *cons. 60. n. 5. vol. 1.* Casu quo autem domus hujusmodi duas haberet portas, seu aditus, erit ibi parochianus, ubi porta principalis, & aditus magis frequentatus habetur. Riccius *in praxi Fori Eccl. dec. 133. n. 1.* Barb. *l. c. n. 71.* & alii. Cæterum quid sit domicilium verum, & quasi tale, vide *l. 2. tit. 2. §. 2. de Foro compet.* ubi de hoc latè. 10

Quæritur IV. An quis prò libitu domicilium, consequenter etiam parochiam mutare valeat? Res. Quamvis Laici id liberrimè possint, ita ut absque ulla licentia non tantum ab una parochia, sed etiam ab una Diæcesi ad aliam migrare possint, in quo casu etiam jura parochi, & Episcopi cum eo migrant juxta communem *arg. c. ult. h. tit.* & ibi Gl. *V. habitatores.* Clerici tamen ab una Diæcesi ad aliam absque licentia & Dimissoriis proprii Ordinarii transire, vel ab alieno recipi non possunt, *a can. 7. & seq. dist. 71.* juncto *c. 1. & 2 de Clericis peregr.* quod si inconsulto Episcopo proprio Diæcesin deserant, eisdem Sacrorum exercitium interdici debet, juxta Conc. Trid. *Sess. 23. de ref. c. 16.* vide Fagnanum *in c. fin. h. t.* 11

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

1. *Ratio ordinis.*

1 INter Jura Parochialia unùm ex præcipuis est jus percipiendi Decimas, Primitias, & Oblationes, Quapropter ordine non incongruo post Titulum de Parochiis præsens subjungitur. Et quoniam materiam summè practicam, ac continuò occurrentem continet, idemque celebris habetur, eum pro dignitate sua explanare conabimur.

§. I.

De Natura, & Divisione Decimarum: ubi de Jure, quo introductæ sunt, & debentur.

S U M M A R I U M.

2 *Decimæ definiuntur.*
3 *Aliæ sunt prædiales seu reales, aliæ personales.*
4 *Decimæ mixtæ non agnoscuntur.*
5 *Decimæ prædiales aliæ majores, aliæ minutæ.*
6 *Aliæ purè spirituales & ecclesiasticæ, aliæ laicales.*
7 *Decimæ aliæ formaliter, aliæ materialiter & secundum substantiam sumptæ: Hæ debentur Jure naturali.*
8 *Divino, & humano.*
9 *De Decimis formaliter sumptis est controversia.*
10 *Recentiores volunt eas deberi solo jure humano.*
11 *Quia per consuetudinem, & privilegia tolluntur.*
12 *Explicantur textus in contrarium apparentes.*
13 *Eligitur sententia contraria, videlicet, quod Decimæ etiam formaliter sumptæ sint de jure divino.*
14 *Probatur variis textibus ex Jure.*
15 *Distinctio inter Decimas formaliter, & materialiter sumptas non est fundata in jure.*
16 *Nec fuit in veteri testamento.*
17 *Decimæ non tantum debentur pro honesta sustentatione Clericorum, sed etiam pro usu pauperum, & in signum supremi dominii.*
18 *Decimæ debentur integræ, consequenter formaliter.*
19 *Responsio ad fundamenta Adversariorum.*
20 *Defraudans Decimas peccat contra Religionem.*
21 *Et contra justitiam.*

22 *Defraudans Decimas potest, & debet excommunicari.*
23 *Gravissimæ pœnæ defraudantibus Decimas à Deo infliguntur: solventibus verò benedictiones emittuntur.*
24 *Et hoc præcipue intuitu pauperum.*

2 QUæritur I. Quid, & quotuplices sint Decimæ? Resp. I. *Decimæ* ad propositum bene definiuntur quod sint *decima pars omnium fructuum & proventuum justè acquisitorum, Deo in recognitionem universalis supremique dominii debita, atque Ecclesiæ Ministris solvenda.* Est in re communis. Patetque declarando singulas particulas. Dicitur *Decima pars* loco generis, in quo convenit cum quavis alia parte decima cujuscunque rei etiam ad profanum finem ordinatæ, cujusmodi *Decima* multiplex reperitur in Jure Civili, ut *l. cuncti 3. C. de metall.* ubi fossores privati Decimas de Metallis solvere jubentur Fisco; simile quid habetur *§. 1. Instit. de Pœnit. tempor. litig. & l. 2. § 2. de pollicit.* Dicitur *omnium fructuum & proventuum justè acquisitorum, nam fidelis homo de omnibus quæ licitè potest acquirere, Decimas erogare tenetur*, ut dicitur *c. ex transmissa 23. h. t. & c. non est 22. eod.* diceturque magis infra *n. 25. & seqq.* Dicitur *Deo in recognitionem universalis supremique dominii debita*: quibus verbis indicatur primarius & principalis finis dandi Decimas, videlicet, ut iisdem colamus Deum, contesteturque illum universi Dominum Creatorem, & Datorem omnium, à quo bona cuncta procedunt, *c. Tua nobis 26. h. t.* ibi: *Decimæ, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcipit, suas esse Decimas & primitias asseverans*, & in Concil. Trid. *Sess. 25 de reform c. 12. cùm Decimarum solutio debita sit Deo*, quod idem dicitur *cit. c. Tua nobis, h. t.* Dicitur *Ecclesiæ ministris quotannis solvenda*: his enim Dei loco solvi debent, *arg. can. Decimas Deo 6. caus. 16. qu. 7. & cit. c. Tua nobis, h. t.* diceturque magis infra *§ 5. & 6.* ubi etiam patebit, quando & quare solvendæ sint Laicis.

3 Resp. II. Decimæ dividuntur in Prædiales, seu reales, & personales, *arg. c. Ad Apostolicæ 20 h. t.* ibi: Glossa *vers. Personales Prædiales*, seu *reales* sunt, quæ solvuntur de prædiorum, agrorum, vinearum, pratorum, hortorum, arborum, domus elocatæ, silvarum, & omnibus terræ fructibus: nec non & de animalibus. *arg. cit. c. ad Apostolicæ 20. h. t.* & ibi Glossa, juncto *c. cùm in tua 30. h. t. & cap. fin. de Paroch. personales* sunt, quæ solvuntur ex acquisitis proprio cujusque labore, solertia, & industria, utputà, negotiatione, scientia, artificio, militia, mercatura, officio *c. arg. cit. c. ad Apostolicæ 20 c. non est 22 & c. Pastoralis h. t.* juncto *can. Decimæ 66. caus. 16. qu. 1.* ibi: *De militia, de negotio, de artificio redde Decimas.*

4 Præfatis duobus generibus Decimarum *realium* nempe & *personalium*, addunt aliqui tertium genus, nempe Decimas *mixtas*. hasque illas esse volunt, quæ partim reales, partim personales sunt, quatenus nempe partim e natura, partim ex industria hominum proveniunt: quales sunt, quæ ex caseo, lacte, melle &c solvuntur. Verùm alii hoc tertium genus distinctum non agnoscunt; sed ad genus Decimarum prædialium reducunt: & meritò, quia alias etiam omnes prædiales dici deberent Decimæ mixtæ; cùm etiam illæ partim à natura partim ab industria hominum proveniant uti consideranti patet, in frumento, vino, & oleo &c utpotè ad quæ producenda non tantùm natura, sed & industria hominis in excolendis v. g. agris multum concurrunt: ut proin cùm Glossa *in c. ad Apostolicæ 20. h. t. vers. Personales*, Engel *eod. num. 1.* & aliis probabiliter dicatur, duo tantùm genera Decimarum esse *prædialium* nempe seu *realium*, & *personalium*; quas ipsas etiam & non alias adducunt SS. Canones *cit. c. ad Apostolicæ 20. h. t.* nulla alicubi facta mentione de *Decimis mixtis.*

5 *Decimæ reales seu prædiales* subdividuntur in majores, & minores seu minutas, vulgò *grossen und kleinen Zechent c. 3. & c. cùm in tua 30. h. t.* & ibi Glossa *vers. Minutæ*, cum Communi. *Majores*, vel etiam grossæ sunt, quæ de frumento, vino, & oleo solvuntur: *Minores* seu *Minutæ* sunt, quæ de partu animalium, puta, de agnellis, vitulis, suculis, pullis (quæ apud nos etiam Decimæ carnaticæ *Bult Zechent* dicuntur) item de lana, caseis, butyro, & hortorum fructibus, ac leguminibus solvuntur. Glossa *in c. cùm in tua 30. h. t. vers. Minutæ*. Zoesius *h. t. n. 14.* Van. Espen. *par. 2. tit. 32. c. 6. nu. 26.* Pirhing *h. t. n. 5.* & alii. Quamvis etiam circa hoc consuetudo attendenda sit. Jus Bavaricum *Land. Recht. tit. 28. art. 12. de Majoribus & Minutis* specialiter ita disponit: *Zu den Kleinen Zechent ghoren, Kraut, Rueben, Flachs, Hanff, Brein, und dergleichen geringe Fruchten, auch das Obs, und Blut Zechent: aber Arbeis, Haidl, Brein Bonnen und Linsen sollen zu den grossen Zechent gerechent werden waere dann an in, oder anderen Orthein anders vie Rechts wegen her Kommen, so solle es darbey verbleiben.*

Porrò Decimæ Ecclesiasticæ rursus aliæ sunt purè spirituales, & strictè Ecclesiasticæ: aliæ Laicales, & minùs Ecclesiasticæ. *Priores* sunt, quæ in signum universalis dominii Dei super nos, solvuntur Clericis pro honesta eorum sustentatione, intuitu laborum spiritualium eisdem debita. *Posteriores* sunt, quæ ad dictum finem primitus instituta, ex concessione Ecclesiæ ob justam causam solvuntur Laicis. Gregor Tholos. *l. 2. Syntag. c. 20.* Laym. *l. 4. tr. 6. c. 1. n. 1.* Pirhing *h. t. n. 5.* & alii. 6

Quæritur II. Quo Jure sint introductæ, & debeantur Decimæ? Ante Responsionem notandum juxta Doctores plures, præsertim recentiores, Decimas dupliciter considerari posse, videlicet vel materialiter & secundum substantiam, quatenus nempe sunt necessarium ob præstita servitia stipendium Ministrorum Ecclesiæ pro honesta & necessaria eorum sustentatione: vel formaliter & secundum certam ac determinatam quotam, *decimam* nempe *partem* fructuum & obvenientium H. N. Resp. I. *Decimæ* in prima acceptione, quatenus nempe sunt necessarium stipendium pro honesta sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, debentur iis Ministris Jure naturali, Divino, & humano D. Thomas *2. 2. q. 87. art. 1. in corp.* Guttieres *can. qq. cap. 11. n. 9.* Layman *l. 4. tr. 6 cap. 2. n. 1.* Navarrus *de Reddit. Eccles. q. 1. monit. 58.* Pirhing *h. t. in 6.* Engel *h. t. n. 2.* Sannig *h. t. cap. 2. n. 5.* & communissima aliorum. Probatur prima pars de Jure naturali; quia ratio naturalis & Lex justitiæ naturalis dictat, ut, qui alicui servitium præstat, ab eodem stipendium justum recipiat: ergo quia Ministri Ecclesiæ Laicis servicia spiritualia ministrant, utique eisdem à dictis Laicis naturaliter debetur stipendium, quod juxta dicta sunt ipsæ Decimæ secundum substantiam seu materialiter consideratæ. 7

Probatur secunda pars de Jure Divino, ex variis textibus S. Scripturæ, ut Matth. 10. ubi Christus de Ecclesiæ Ministris loquens ait: *Dignus est operarius mercede sua*, & 1 ad Corinth. 9. ibi: *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiaverunt, de Evangelio vivere*, cum Concordantiis. Idem frequenter innuunt SS. Canones: *ut can. 2 caus. 16 q. 2:* ibi: *Decimas, quas ipse Deus dare constit. can. 1. caus. 16. q. 7.* ibi; *Decimas, quas fideles præcipiente Domino offerunt. can. Revertimini 65. can. Decimæ tributa 69 sad caus. & q.* & *c. Parochianos 14. h. t.* ibi; *Decimæ non ab homine, sed ab ipso Domino sunt institutæ c. tua 24. h. t.* ibi: *Divina constitutione debentur & c. 26 eod.* ibi: *Decimæ quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit.* Qui textus, si non de Decimis formaliter sumptis, saltem de Decimis secundum substantiam intelligi debent. Tertia pars, quod etiam Jure humano debeantur, patet ex toto *Tit. de Decimis*, qui etiam in *Sexto, Clem. & Extrav.* existit, ubi solutio Decimarum passim præcipitur. Item ex Concilio Triden. *Sess. 25 de refor. c. 12.* & pluribus *can. caus. 16 q. 1. & 7.* Ex quidem de Decimis secundum substantiam sumptis nulla est controversia inter DD. 8

Magna verò inter eosdem agitatur controversia de Decimis formaliter sumptis: an nempe hæ etiamnum in novo Testamento sint de Jure Divino, sicut erant in veteri: an verò solùm de Jure humano. Recentiores siquidem Canonistæ ac Theologi ferè omnes cum D. Thoma contra antiquos Canonistas docent, quod licet Decimæ formaliter spectatæ, seu secundum certam & determinatam quotam, decimam nempe partem omnium bonorum justè acquisitorum in veteri Testamento ex Jure Divino positivo fuerint debitæ; in novo tamen Testamento Jure duntaxat ecclesiastico debeantur Prima pars de antiquo Testamento est certa ex variis antiqui Testamenti textibus: ut *Levit. 27.* ibi: *Omnes Decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.* 9

Exodi c. 22. *Decimas tuas non tardabis reddere.* Rursus *Levitici* 27. ibi; *Omnium Decimarum bovis & ovis, & capræ, quidquid demum decimum venerit, sanctificabitur Domino.*

10 Secundam partem de novo Testamento docent D. Thomas *2. 2. q. 87. art. 1. in cor.* Pirhing *h. t. n. 7* Van Espen *par. 2. tit. 33. n. 4.* Engel *h. t. n. 2.* Layman *l. 4. tr. 6. cap. 2. n. 1.* Covarruvias *Variar. Resolut. l. 1. cap. 17. n. 2.* Gutierez *lib. 2. can. qq. cap. 21. n. 9.* &, ut dictum, communissima tam Theologorum, quam Canonistarum recentiorum; ac ita probant. Certum, & ab ipsius Adversariis concessum est, quod Decimæ formaliter sumptæ non debeantur de Jure naturali. Certum insuper est, quod nullus textus, nullaque Lex Divina in toto novo Testamento ostendi valeat, ex quo probari possit obligatio dandi Decimas: ergo solo Ecclesiastico debentur, per varios textus *h. t.* Nec refert, quod in veteri Testamento Jure Divino obligarint. Nam contra est, quod cunctæ leges & præcepta veteris Testamenti cæremonialia & judicialia (inter quæ fuit etiam præceptum dandi Decimas formaliter sumptas, utpote non fundatum in ratione aliqua naturali, consequenter nec morali) in nova Lege fuerunt abolita, uti aperte constat ex *Epist. Paul. ad Hebr. c. 7. & 8. & ad Galat. c. 4.* cum Concordantiis, *& c. un. de Purificat. post partum*, tenetque unanimis DD.

11 Confirmat. Decimæ formaliter sumptæ, variis in locis per consuetudinem fuere diminutæ & alteratæ; imo quoad quosdam Regulares per Pontificia privilegia omnino sublatæ, prout constat ex *c. ex par. 10. c. licet 11. & c. In aliquibus 32. h. t.* atqui hoc nec licitè, nec validè fieri potuisset, si Decimæ etiam formaliter sumptæ essent adhuc de Jure Divino: cùm contra hoc nec valeat consuetudo, *c. fin. de Consuet.* nec in illo dispensare possit Pontifex; hoc ipso, quod Lex superioris per inferiorem tolli nequeat, *Clem. ne Romani de Election.* ergo.

12 Ad antiquos Canones supra *n. 8.* allegatos, in quibus expresse dicitur, decimas etiam num deberi Jure Divino, respondent, illos Textus intelligi debere de decimis secundum substantiam, quatenus nempe solvuntur in debitum stipendium Ministrorum Ecclesiæ pro honesta eorundem sustentatione. Verùm quantumvis probabilis appareat, & hodie recepta habeatur Recentiorum doctrina, recedendum non videtur ab antiquis Canonistis, unde cum ipsis

13 Resp. II. Decimæ saltem prædiales formaliter sumptæ etiamnum in novo Testamento sunt de Jure Divino. Abbas *in c. in aliquibus 32. h. t. n. 9. & 10. ad finem, & idem in rubr. & c. 1. h. t. n. 1.* Hostiens. *in c. a nobis 24. & in c. In aliquibus 32. h. t.* Innocent. *in c. fin. de Paroch.* dicens, hæreticum esse, aliter sentire. Anchor. *in c. 1. h. t. in 6. n. 2.* ibid. Archid Jo. Andr. *in rub. h. t.* Glos. *in c. In aliquibus 32. h. t. & in c. 1. h. t. in 6.* cum communissima Canonistarum antiquorum. Probatur: Certum est apud omnes, etiam Adversarios in dubiis & controversiis, an quid sit de Jure Divino, nec ne, debere nos stare & acquiescere interpretationi Ecclesiæ, ac Summorum Pontificum, uti cum Communi bene observat Abbas *in c. in aliquibus 32. h. t. ad finem arg. c. Per venerabilem 13. qui filii sint leg.* ut proin illud divini Juris esse censere ac credere debeamus, quod Ecclesia & Pontifex ita esse, asserit; etsi ex Scriptura id clarè non pateat; atqui Ecclesia, Summi Pontifices, & Concilia Generalia universaliter & absque distinctione inter formaliter & materialiter acceptas decimas, expresse declarant, dicunt, & clarè pronuntiant, decimas esse, ac deberi de Jure Divino; ergo Major est certa. Minor probatur ex multiplicibus, iisque clarissimis Juris textibus partim jam citatis, partim adhuc citandis.

14 Sic imprimis *c. decimas 47. caus. 16. q. 1.* expresse dicit Paschalis II. *Decimas à populo Sacerdotibus, & Levitis esse reddendas, Divinæ legis sanxit Authoritas.* Quid clarius? *can. 2. caus. 16. q. 2.* dicitur: *decimas dare, ipse Deus constituit. can. 1. caus. 16. quæst. 7.* Gregorius VII in Concilio Lateranensi ait, *decimas, quas fideles præcipiente Domino offerunt*; ecce; de moderno tempore loquitur, quas nempe *de præsenti* offerunt, præcipiente Domino offerre. Pariter pro moderno tempore loquens Alexander III. *c. Parochianos 14. h. t.* clarissime verbis formalibus declarat, quod *decimæ non ab homine, sed ipso Domino sint institutæ.* Rursus de præsenti tempore loquens Innocentius III. *c. Tua 26. h. t.* ait: *Decimæ Divina institutione debentur.* Tandem *c. Tua nobis 26. eod.* ait: *Decimas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit*; & ideò adhuc de facto *Deo debita est solutio decimarum.* Pariter in Concilio Generali relato *c. cùm non 43. eod.* loquitur dicens: Quod *Deus in signum universalis dominii, quasi quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit.* Concordant *c. Quicunque 5. c. omnes decimæ 5. c. Majores caus. 16. q. 7. c. revertimini 65. c. Decimæ tributa 66. caus. 16. q. 1.* pariter loquuntur sancti & Doctissimi Patres, uti Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, S. item Gregorius Papa, qui *c. Quadragesima 16. dist. 5. de Consecrat.* de præsenti tempore loquens ait: *Jubemur etiam ab Omnipotente Deo, omnium bonorum nostrorum decimas dare.* Quid quæso clarius? quis non ob tot, tamque claros Juris textus cum Antiquis sentiat, decimas etiam formaliter sumptas esse de Jure Divino.

15 Nec dicas omnes præfatos textus intelligi posse ac debere de decimis non formaliter, sed materialiter, seu secundum substantiam sumptis, quatenus nempe sunt stipendium necessarium ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ. Nam contra est *primo*, quod distinctio hæc inter decimas formaliter & materialiter, seu secundum substantiam sumptas, in toto Jure non inveniatur, imò nec termini hi quoad decimas ibidem reperiantur, ut proin hæc in præfatis terminis data distinctio, utpote solùm à Recentioribus pro manutenenda sententia eorum inventa, & introducta in puncto Juris parum sit attendenda, præsertim cùm, ubi *Lex non distinguit, nec nos distinguere debeamus, l. de Pretio ff. de Publiciana in rem actione & Verba generalia generaliter sint intelligenda, c. quo circa 22. de Privileg.* ac insuper verba intelligenda sint secundum suam propriam significationem, nisi manifestum sit aliud sensisse Legislatorem, *l. Non aliter ff. de Legatis 3.* atque *in re dubia melius sit verbis edicti servire l. 1. §. Si is ff. de Exercitatoria action.* ly *Decimæ* autem in propria significatione semper significent decimam partem, *can. quicunque 4. can. 16. q. 7. & c. Decimæ 66. caus. 16. q. 1.* consequenter decimas formaliter sumptas.

16 Contra est *secundò*, quod Pontifices, & Concilia dum dicunt, decimas etiam hodie deberi de Jure Divino, eodem modò, eodemque utentes termino, loquantur, quo Lex antiqua; cùm utrobique sine ulla distinctione adhibeatur simplex terminus *Decimæ* debentur Jure Divino, *Decimas* præcipit dari Deus: consequenter vel etiam Lege antiqua solæ decimæ materialiter, & non formaliter sumptæ erant de Jure Divino quod contra ipsos Adversarios vel etiam in Lege nova formaliter sumptæ erunt de Jure Divino.

17 Contra est *tertiò*, quod Decimæ de Jure Divino non tantùm debeantur pro necessaria sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, sed etiam pro sustentatione pauperum, *arg. c. Decimæ 66. caus. 16. q. 1. & c. tua nobis 26 h. t.* ibi: *Decimæ tributa sunt egentium animarum*, pro fabricis Ecclesiæ, & aliis piis causis *c. fin. caus. 16 q. 1.* Insuper & quidem principaliter *in signum universalis dominii Dei*, textu clarissimo *cit. c. Tua nobis 26. h. t.* ibi: *Decimæ, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit & c. cùm non 33. eod.* ibi: *cùm autem in signum universalis dominii quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit*: cùm etiam hodie adhuc velit Deus, ut homines præstatione decimarum fateantur, *quod neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, prout bene Pontifex *cit. c. 33. h. t.* ut proin; etiamsi Ministri Ecclesiæ absque decimis, aliunde sufficientes redditus haberent, consequenter materialiter, seu secundum substantiam, sive quod idem est, pro sustentatione Ministrorum decimæ necessariæ non essent, neque obligarent, adhuc & quidem Jure Divino in signum nempe supremi dominii reddi deberent decimæ Clericis, dividendæ ab his, inter pauperes, vel aliis causis piis applicandæ; uti bene advertit Abbas *ad rubr. h. t.* dicens, ita docere omnes Doctores. Huc quadrat illud Augustini *c. decimæ 66. caus. 16. q. 1.* ubi etiam in casu quo Ecclesiæ Ministris suam necessariam sustentationem jam habentibus, de decimas non solvente sic ait: *Quanti pauperes in locis, ubi ipse illo decimas non dante, fame mortui fuerunt, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni judicis apparebit: quia rem à Deo pauperibus delegatam suis usibus reservavit.* Ubi clarè vides, quod non tantùm pro sustentatione Clericorum, sed etiam pro usu pauperum Jure Divino in signum universalis dominii sint reddendæ Clericis, dividendæ ab his, quæ suæ sustentationi superfluunt. Concordat *can. Revertimini 65. eod. caus. & q.*

18 Contra est *quartò*, quod etiam hodie decimæ Jure Divino solvi debeant integræ, *c. Tua nobis 26. h. t.* atqui non integræ solvuntur, si non formaliter, id est, quoad determinatam decimam partem redduntur: Decimam autem partem non dat, qui minorem dat, *c. Quicunque 4. caus. 16. q. 7.* sicut Quadragesimam servare non dicitur, qui non omnibus diebus Quadragesimæ jejunat, prout bene observat Abb *in c. 1. h. t. n. 1. arg. can. Quadragesima 16 de Consecrat. dist. 5.*

19 Et per hæc patet ad responsionem Adversariorum *num. 12.* datam. Ad primum autem eorum fundamentum constat ex *n. 13.* Ad secundum patebit ex dicendis infra § 4. ubi dicetur, quod decimæ consuetudine absque Pontificis consensu nec tolli, nec minui possint. Item, quod nec Pontifex in iis dandis proprie dispensare valeat.

20 Quæritur III. Quomodo peccet, & quibus pœnis subjaceat decimas defraudans, vel non solvens? Resp. I. *decimas defraudans, vel non solvens*, dupliciter peccat, contra virtutem Religionis nempe, & Justitiæ, Pirhing *h. t. n. 9* Azorius *par. 1. lib. 7. c. 23. q. 8.* Lessius *lib. 2. cap. 39. n. 8.* & alii, quibus etiam in Theologia nostra Morali *tr. 11. dist. 4. n. 3.* adhæsimus. Probatur prima pars. Decimæ etiam num debentur in contestationem & *signum universalis domini Dei super nos*: juxta dicta supra *n. 17. arg. c. Tua nobis 26. h. t.* ergo qui eas defraudat, contra cultum Deo debitum, consequenter contra Religionem agit, sicque Sacrilegium committit, *can 1 caus. 16. q. 7.* ubi dicitur; defraudentes decimas, *Sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere.* Nec refert, quod non Deo, sed Sacerdotibus, & Ecclesiæ Ministris solvantur; quia Deus præcipit, ut in sui locum dictis personis solvantur, solutasque his, quasi sibi datas accipit, textu claro *cit. c. Tua nobis 26. h. t* ibi: *Cùm Deo debita sit solutio decimarum in tantùm, ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse suo cultu concessit, Laici sint cogendi* item *c. revertimini 65 caus. 16. q. 1. & can 2. q. 7.* ubi dicitur, *quod præcipiente Domino fideles offerant Sacerdotibus decimas.* Qui Clerici dein necessaria sibi reservantes, superflua pauperibus, & aliis causis piis erogare debent, *arg Jure mox. 17. cit. & caus. fin. caus. 16 q. 1.* cum Concordantiis.

21 Secunda pars patet ex dictis *num. 7* ubi diximus, quod abstrahendo à cultu Divino teneantur Laici Clericis Divina ministrantibus decimas tanquam justum stipendium ex Justitia, vi enim hujus virtutis *Dignus est operarius mercede sua*, Matth. 10. *Nemo militat suis stipendiis unquam* 1. ad Corint 9. *Et* [illegible] *diligiter, repelli non debet à mercede c. cùm secundum 16. de Præb* Confirmatur ex Concil Trid *Sess 25. c. 12.* ubi defraudantes decimas ad restitutionem obligantur, quod non [illegible] nisi ad eas solvendas Laici ex justitia tenerentur.

22 Resp II. Defraudans, vel non solvens decimas potest & debet excommunicari Barb. *in c Omnes decimæ 5 can. 16. q 7* & in Conc Trid. *Sess. 25. de refor. c 12.* Monet. *de Decimis c. 8. q 6 n. 64.* Molina *disp. 756. n 4* & communis aliorum. Textus est *in cit. c Omnes Decimæ 5 caus. 16 q. 7.* ibi: Decimas dare nolentes, secundum Domini nostri præceptum admoneantur semel, bis, tertiò: qui si non se emendaverint, anathematis vinculo feriantur, usque ad satisfactionem, & emendationem congruam & *c. Pervenit 5 h. t.* ubi statuitur, ut præmissa monitione Parochiani sub excommunicationis districtione compellantur, decimas cum integritate persolvere. Concordat *c Ex par. 21 & c. Tua nobis 26. h. t.* juncto Conc. Trid quod *l. c.* sic habet. *Qui verò eas* (Decimas) *subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.* Notat tamen Barb *in cit. Textu n. 5* & cum eo DD. communiter, hanc Excommunicationem non esse sententiæ latæ, sed ferendæ, & quidem non nisi præmissa monitione prævia trina, vel una tribus æquivalente, prout satis liquet ex ℣. *Excommunicetur*, & textibus citatis, præsertim *c. Omnes decimæ 5 caus 16 q. 7. & c. 5 h. t.*

23 Præter allegatam pœnam Ecclesiasticam, gravissimas alias temporales & spirituales minantur Deus, & SS Patres defraudantibus decimas; sicut econtra fideliter solventibus omnem benedictionem promittunt: ut videre est *Malach. c. 3.* ubi Deus conqueritur, quod configatur à populo ob non solutas decimas, indeque dicit: *In penuria vos maledicti estis*: econtra adhortando populum ad solutionem decimarum ait: Inferte omnem Decimam in horreum, & sicut cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum: & beatos vos dicent omnes Gentes: eritis enim vos terra desiderabilis. Super quem textum benè discurrit S. Hieronymus *c. revertimini 65. caus. 16. q. 1.* S. Augustinus relatus *c. decimæ tributa 66. ea cau. & q.* ad propositum ita loquitur: Si decimas dederis, non solùm abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis & animæ consequeris. Non igitur Dominus Deus præmium postulat sed honorem: Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatus est accipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam, sed si tardius dare peccatum est, quanto pejus est non dedisse? De militia, de negotio, de artificio redde decimas: cùm enim decimas dando, & terrena & cœlestia possis præmia promereri, quare pro avaritia duplici benedictione fraudaris. Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si illi decimam non dederis, ad decimam redigaris: dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti & *c. Majores nostri caus. 16. q. 7.* Idem S. Augustinus ait: Majores nostri ideò copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modo autem quia discessit devotio Dei, accessit indictio Fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas: modo autem totum tollitur: Hoc tollit Fiscus quod non accipit Christus.

Similes Textus habentur plures tam in Scriptura Sacra, quam in SS. Patribus: quamvis à potiori intuitu pauperum similes maledictiones, & benedictiones sint factæ, uti patet, si citati Canones toti perlegantur: & ratio est; quia ex Decimis honestæ sustentationi Clericorum superfluis sustentari debent pauperes, qui proin necessariis destituuntur, si decimæ defraudantur, ob quod tam acriter locuti sunt SS. Patres, prout videre est *cit. c. 66. caus. 16. q. 1.* ubi S. Augustinus ita incipit: *Decimæ tributa sunt egentium animarum*: dein primum pergit: *Si decimas non dederis* & paulo post infert: Quanti pauperes in locis ubi ipse habitat, illo decimas non dante, mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni Judicis apparebit; quia rem pauperibus à Deo delegatam suis usibus reservavit. Et S. Hieronymus *cit. c revertimini 65. §. Si quando caus. 16. q. 1.* post enarratam decimarum obligationem ait; Si quando fames, & penuria, & rerum omnium egestas opprimunt mundum, sciamus hoc ex Dei ira descendere, quia in pauperibus, si non accipiunt eleemosynam, fraudari se loquitur: & suas possessiones possumus decimas interpretari. Ex quo etiam infertur omnes has maledictiones in Clericos redundare, si Laicis decimas fideliter dantibus, illi superflua non in pauperes, nec causas pias, sed in profana applicant. 24

§. II.

De Rebus, ex quibus debentur Decimæ: item de modo, tempore, & loco, quo solvi debent.

SUMMARIUM.

25 *Decimæ debentur de omnibus licite acquisitis.*
26 *Decimæ prædiales etiam de illicite acquisitis solvi debet.*
27 *Sicuti & personales, si illicite acquisita, licite retinentur.*
28 *Decimæ prædiales solvi debent sine deductione expensarum.*
29 *ac sine deductione tributorum, & censuum.*
30 *Personales verò non nisi deductis expensis: & quare? ac num. seq.*
Fructuum nomine quid veniat? Ibid.
32 *Decimæ prædiales statim, ac fructus colliguntur, solvi debent.*
33 *Nisi aliud habeat consuetudo, & contractus.*
34 *Debentur sæpius in anno, si sæpius crescunt fructus.*

35 De-

35 *Decimæ prædiales commode simul solvuntur ad finem anni.*
36 *Decimæ expensis Parochianorum ad domum Parochi sunt vehendæ.*
37 *Nisi aliud habeat consuetudo.*
38 *Parochianus non potest colligere fructus, nisi prius Parochum moneat ratione decimarum; nisi consuetudo sit in contrarium.*
39 *Nolenti dare decimas Parochus non potest vim inferre, nec vi exigere, nec Sacramenta negare.*

25 QUæritur I. Ex quibus rebus solvendæ sint Decimæ? Resp. I. Spectato Jure communi Decimæ prædiales debentur de omnibus & singulis fructibus rerum omnium tam mobilium, quam immobilium licite acquisitorum. Personales verò etiam de omnibus lucris, & proventibus per actionem, & industriam hominum licite acquisitis. Unanimis, & certa claris Juribus *c. Ex transmis. 23. h. t.* ibi: *Fidelis homo de omnibus, quæ licite acquirere potest, decimas erogare tenetur c. Non est 22. eod.* ibi: *De omnibus bonis Ecclesiæ Ministris sunt solvendæ c. Tua nobis 26. eod.* ibi: *De cunctis omnino proventibus decimæ sunt reddendæ*, cum Concordantiis. Hinc in specie *de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ*: sunt verba *c. Non est 22. h. t.* item *de universis leguminibus c. 3. h. t.* item *de proventibus molendinarum, piscinarum, fœno, c. Pervenit. 5. eod.* Pariter *de negotio & artificio, c. Decimæ 66. caus. 16. quæst. 1.* Plura hujusmodi specificata reperies in toto Titulo de decimis, & *cauf. 16. quæst. 1. & 7.* Dicitur notanter in Conclusione *De omnibus licite acquisitis*: nam quid Juris de illicite acquisitis, dicit Conclusio sequens.

26 Resp. II. Quamvis aliqui absolute velint, de illicite acquisitis decimas nec dari, nec accipi debere, *arg.* à sensu contrario, cùm *c. Ex transmissa 23. h. t.* tantùm de licite acquisitis præcipiat Decimas solvere: eo quod *hostiæ impiorum sint abominabiles, quæ offeruntur ex scelere: & quidquid ex scelere offertur, Omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat: ac scriptum sit, honora Dominum de tuis justis laboribus*, uti dicitur *c. Non est putanda 27. caus. 1. q. 1.* Nihilominus decimæ prædiales etiam ex rebus injuste ac illicite acquisitis exigi possunt, & [illegible] debent. D. Thomas *2. 2. q. 87. art. 2 ad 2.* Abb[illegible] *c. Ex transmissa 23. h. t. ad finem.* Glossa ibidem [illegible], *ad finem.* Innocentius *in idem c.* Pirhing *h. t. num. 18.* & communis aliorum, *arg. c. De terris 16. h. t.* Ratio est; quia Decimæ prædiales sunt onus reale ipsi terræ, ac cæteris rebus inhærens, transiensque ad quemvis possessorem, ut proin non debeantur ex injusta actione, sed ex terræ, & aliarum rerum fructibus, qui ex dono Dei proveniunt, *c. Tua nobis 26. h. t.*

27 De Decimis personalibus distinguendum & videndum est, an non tantùm illicite acquirantur, sed & illicite retineantur, ita ut restitutioni adhuc obnoxia sint, nec eorum dominium acquisierit possessor: qualia sunt, quæ acquiruntur ex furto, rapina, usura, simonia, injusto bello, fraude, injusto contractu &c. An verò solummodo illicite acquirantur, acquisita autem licite retineantur, eorumque dominium acquirat possessor ad restitutionem minimè obligatus: qualia sunt, quæ acquirit meretrix ex turpi actu, uxor ex adulterio, conductus quicunque pro actione aliqua illicita &c. De illis itaque, quæ illicite acquiruntur, ac illicite retinentur; decimæ nec dari, nec accipi debent. Ita Glossa citata, Abbas *loc. cit. n. 3* Azorius *par. 1. lib. 7. cap. 24. q. 13.* D. Thomas, & Innocentius *loc. cit. arg. c. Non est putanda 27. caus. 1. q. 1.* Ratio est; quia hoc ipso, quod possessor talium rerum dominus non sit, sed eas restituere teneatur, non reputantur inter bona ejusdem sed censentur aliena, *l. Non possunt 11. ff. de Jure Fisci.* Nulli autem licitum est, aliena cuiquam concedere præter domini voluntatem, *c. Tua nobis 26. h. t.* De iis verò, quæ illicite acquisita, licite retinentur, atque in dominium transeunt possessoris, Decimæ dari debent, & accipi possunt. Glossa citata cum Doctoribus citatis, *arg. c. Quia habet 14. caus. 12. q. 5.* Ratio est, quia cùm talia licite retineat, licite etiam eadem erogare potest, consequenter Decimas [illegible] erogare tenetur, cùm delictum [illegible]. *Relegatorum §. fin. ff. de interdict. & releg.* Monet tamen Glossa *loc. cit.* sicut & DD. communiter, Ecclesiæ Ministros etiam de hujusmodi illicite acquisitis non debere accipere Decimas, donec acquirentes se emendent, & pœnitentiam agant, ne videatur eorum malas actiones approbare, sicque scandalum præbere: unde ab Ecclesia oblationes aliquorum respuuntur ratione criminis, *c. Oblationes 2. dist. 9. & c. Minor. 8. caus. 17. quæst. 4.*

Quæritur II. Quomodo solvendæ sunt Decimæ? an nempe deductis prius expensis, censibus, tributis, & oneribus? an verò integræ absque hujusmodi deductione? 28
Resp. I. Decimæ prædiales seu reales integræ sunt solvendæ, absque ulla deductione seminis, vel expensarum, quæ in colendo agro, v. g. colligendis fructibus, pro custodia animalium &c. factæ sunt. Barbosa *de Offic & potest. Par. par. 3. cap. 28. §. 1. n. 4.* Pirhing *h. t. n. 23.* Castro Palao *tom. 2. tract. 10. disp. un. punct. 8. n. 1.* Monet. *de decimis c. 6. quæst. 4. à n. 28.* Engel *h. t. n. 13.* Layman *lib. 4. tr. 6. cap. 1. n. 4.* & communis aliorum claris Juribus *c. cùm homines 7. & c. Ex par. 21. c. Non est 22. h. t.* ibi: *Præcipimus, quatenus antequam ullas deducatis expensas, decimas Ecclesiis cum integritate debita persolvatis.* Concordant, & Conclusionem expresse etiam continent, *c. Tua nobis 26. & c. Pastoralis 28. eod.*

Resp. II. Insuper debentur decimæ præfatæ prædiales absque ulla deductione tributorum, & censuum prædialium, vel aliarum exactionum, ita ut ante præstationem illorum integrè solvi debeant, vel si de fructibus tributa, & census jam fuere præstiti, iidem decimari, isque, qui eos accipit, de acceptis decimas dare teneatur, ita clare statutum habetur *c. cùm non sit 33. h. t.* ubi etiam ratio habetur, & ideò per extensum totus textus adducitur, qui sic sonat: *Cùm non sit in homine, quid semen serenti respondeat, quoniam juxta verbum Apostoli, neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; Ipsum qui de mortificato semine plurium fructum affert, nimis avare quidam in decimis defraudare nituntur, census & tributa, quæ interdum indecimata prætereunt, de frugibus primitus deducentes. Cùm autem in signum universalis domini quasi quodam titulo speciali, sibi Dominus decimas reservaverit, nos & Ecclesiarum dispendiis, & Ecclesiarum periculis obviare volentes, statuimus, ut in prærogativam dominii generalis exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum; vel saltem hi, ad quos census & tributa indecimata pervenerint, quoniam res cum onere suo transit, ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesiis, quibus de jure debentur.* 29

Resp. III. Decimæ personales non nisi deductis prius expensis solvi debent. Barbosa *loc. cit. n. 38.* Engel *h. t. n. 13.* Pirhing *loc. cit. n. 28.* Gonzalez *in c. 7. h. t. n 8* Castro Palao *loc. cit. pun. 6. n 7.* Rebuff Moneta, & communis aliorum, *arg. c. Pastoralis 28. h. t.* Ratio autem cur in personalibus, non item in realibus, seu prædialibus decimis expensas deducere liceat, quamvis varia assignetur, ut videre est apud Barbosam *loc. cit. n. 35.* optima tamen videtur esse illa, quam dat citatus Barbosa, D. Thomas *2. 2. q. 87. art. 2.* Gonzalez *in c. 7. h. t. n. 8.* Pirhing *eod. n. 30.* & alii, videlicet, quod decimæ personales debeantur de fructibus civiliter consideratis, quorum nomine illi soli veniunt, qui deductis expensis supersunt, *l. Fructus 7 princ. ff. soluto matrim.* ibi: *Fructus eos esse, constat, qui deductis expensis supererunt*, & *L. 1. C. de Fruct. lit.* ibi: *Hoc fructuum nomine continetur, quod justis sumptibus deductis superest.* Decimæ verò prædiales solvantur ex fructibus naturaliter consideratis, id est, non quatenus lucrum afferunt domino, sed secundùm se, & quatenus ex terra, & re ipsa proveniunt, munere & beneficio Dei, sine quo etiam post factas expensas nihil crevisset, juxta illud 1. ad Corinth. 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*: in cujus contestationem specialem, & in signum, quod ab eo tanquam Authore cuncta proveniant, Decimæ de hujusmodi fructibus sine ulla expensarum deductione solvuntur. 30

Si dicis, etiam ad fructus ex industria hominum requiri auxilium Divinum. Respondetur; verum quidem esse, tamen quia magis cernitur operatio Divina in fructibus, in quibus humana industria minus concurrit, ideò ex istis Decimæ absque ulla expensarum deductione solvuntur. Accedit, quod Decimæ prædiales ad exemplum Legis veteris sint introductæ, *arg. c. Ex parte h. t.* in veteri autem Lege hæ Decimæ pariformiter solvi debebant, *cit. cap. 22. h. t.* ergo. 31

32 Quæritur III. Quandonam, & quoties solvi debeant Decimæ? Resp. I. Spectato Jure communi Decimæ reales seu prædiales ordinarie & regulariter solvi debent statim ac fructus sunt à solo separati, & collecti, vel alias percepti. Abbas *in c. cùm homines 7. h. t. nu. 3.* Sylvester *V. Decima q. dict. 5.* Layman *lib. 4. tr. 6. cap. 5. nu. 1.* Pirhing *h. t. n. 93.* Rebuffus *q. 11. n. 3.* cum Glossa *cit. c. cùm homines 7. h. t. vers. Fructibus collectis*, & communi aliorum, texto claro *cit. c. cùm homines 7. h. t.* ibi: *Mandamus, ut Decimam statim fructibus collectis persolvant.* Concordat illud *Exodi 22.* ibi: *Decimas tuas, & primitias non tardabis reddere*: ut proin peccet non tantum ille, qui eas omninò non solvit, sed etiam qui tardius ac debet easdem tradit, *can. Decimæ 66. can. 16. quæst 1.* ibi: *Sed si tardius dare Decimas peccatum est, quanto pejus est, non dedisse.* Procedit Conclusio, etsi Parochianus è Parocho vel alio decimandi jus habente priùs non moneatur, nec ab eo decimæ petantur, eo quod ipsum solutionis tempus interpellet pro creditore; *arg. c. fin. de Locat.* prout bene advertit Abbas & cæteri DD. citati cum Glossa citata; qui ulterius consequenter inferunt, Parochianum teneri ad resarciendum damnum, si quod ex culpabili mora solvendi in decimis sequatur, *arg. l. cùm res 47. §. fin. ff de Legat. 1.*

33 Dicitur autem notanter *Spectato Jure communi, & ordinarie seu regulariter loquendo*; quia variis in locis consuetudo, vel inita pacta aliud tempus determinat: vi quorum etiam multis in locis coloni etiam fructuum Decimas in horreum proprium convehunt, ibique primum decimationem faciunt; vel ab excussis granis Decimas segregant, & opportuno tempore eis, quibus competunt, afferunt. Pariter sunt quædam decimæ reales, quæ non statim commode solvi possunt, uti sunt fœtus animalium v. g. utpote qui non statim, sed paulò post partum, quando nempe sine matre commode vivere possunt, decimari solent ac debent, *quamcitius & competentius solvi possunt*, qui idem notat Layman *loc. cit.* Pirhing *loc. cit. nu. 93.* & alii.

34 Resp. II. Quamvis ordinarie loquendo decimæ prædiales non nisi singulis annis solvantur, *arg. c. Revertimini 65. caus. 16. q. 1.* ibi: *Ecce annus expletus est*: eo quod plerumque non nisi semel in anno iidem fructus crescant. Nihilominus, si idem ager sæpius in anno seminatur, & fructus profert; sæpius [illegible] de iis decimæ solvi debent. Glossa *in cit. c. revertimini vers. Annus.* D. Thomas *2 2 quæst. 87. art. 2. in corpore.* Pirhing *h. t. nu. 13.* & alii, textu expresso *c. Ex part. 21. h. t.* & ibi Glossa *vers. Unius*: Idem dic de aliis terræ fructibus [illegible] animalium, &c. Ratio est; quia ob quam [illegible] decimæ debentur ex uno semine, debentur etiam ex alio, prout *loc. cit.* bene observat Glossa.

35 Resp. III. Decimæ personales omnes simul commode ac competenter solvuntur sub finem anni, sicut alii census, & tributa pendi solent. Abbas *in c. Pervenit 5. num. 3. h. t.* Glossa *in can. Revertimini 66. vers. Annus caus. 16. quæst. 1.* Layman *loc. cit.* Pirhing *loc. cit.* & alii. Ratio est; quia si de cujusvis laboris, negotii, vel industriæ fructu, vel lucro *statim* dari deberent Decimæ, nimis incommodum foret, non tantùm ipsi datori, sed etiam acceptatori Decimarum; cùm *particularis solutio multa incommoda afferre soleat*; *l. Plane 3. ff. Famil. Hercisc und.* Verùm quia de hoc nihil certi scriptum habetur in Jure, ad locorum consuetudinem in hoc passu multum erit attendendum; Nam *de quibus causis, scriptis Legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine introductum est*: dicit Ulpianus *l. De quibus 32. ff. de Legibus.*

36 Quæritur IV. Ubinam, seu in quo loco solvendæ sint Decimæ? Resp. Spectato Jure communi tenentur Parochiani propriis sumptibus Decimas prædiales in horreum, vel domum Parochi deferre, maximè quando publicum & commune aliquod horreum pro Decimis extat, [illegible]que absque magnis sumptibus Decimæ deferri queunt. Abbas *in c. Pervenit. 5. h. t. num. 3.* Covarruvias *lib. 1. Variar. Resolut. cap. 17. nu. 8.* Gonzalez *in cap. 7. h. t. num. 6.* Guttierez *lib. 2. Canon. qq. cap. 12. numer. 23.* cum communi aliorum, & Glossa *in c. Revertimini 65. caus. 16. quæst. 1. vers. In horrea* contra Barbosam *de Offic. & potest. Paroch. cap. 28 §. 2. num. 24.* Layman *lib. 4. tract. 6. cap. 5. numer. 2.* Pirhing *h. t. numer. 94.* & alios, *arg. cit. can. Revertimini*: ibi: *Inferte omnem decimationem in horreum meum* & ibi Gloss. *vers. In horreum.* Ratio est; quia Christiani non minùs tenentur præstare Decimas in signum universalis dominii Dei, quam quivis subditus tenetur tributa sua & census solvere terreno Domino in signum dominii ejusdem *arg. c. Tua 2. h. t.* atqui terreni subditi tenentur census & tributa in signum Dominii debita, propriis sumptibus deferre ad domum Domini, *arg. l. Pro locis 6. ff. de Ann. & tribut.* docetque experientia: ergo.

Dicitur autem notanter, *Spectato Jure communi*; quia consuetudine jam passim, præsertim in Germania, teste Canisio *de Decimis c. 7.* introductum habetur, quod Parochi, aliique decimatores ipsi decimas fructuum in agro relictas, sicut & alias decimas prædiales colligere, & propriis expensis in domum deferre debeant, exceptis decimis de fœtibus animalium, ovis &c. quorum decimas plerumque ipsi rustici ad domum Parochi ferunt. Verùm quia non eadem ubique consuetudo habetur, ubique qualis vigeat, attendendum erit, prout citati DD. etiam Adversarii fatentur. 37

Illud etiam cum Abbate *in c. Ex par. 21. n. 6. h. t.* Covarruvias *loc. cit.* Guttierez *loc cit. n. 49* Pirhing *h. t. n. 94.* & communi aliorum notandum, quod non possint Parochiani frumentum, aliosque fructus colligere, & in propria horrea condere, nisi priùs Parochos certiores faciant; ut ipsi vel eorum deputati collectioni & decimationi fructuum præsentes assistere queant; & hoc ne aliqua fraus, deceptio, vel defraudatio à Laicis fiat, *arg. l. Si suspectæ 29. ff. de inoffic. testam.* Quamvis etiam in hoc consuetudo contraria valeat, & attendenda sit, uti citati fatentur DD. patetque experientia, qua videmus, quod tempore messis publicæ Parochis nullatenus monitis, fructibus libere colligantur, & decimæ vel relinquantur in agro, vel etiam una cum aliis fructibus in horreum deferantur, indeque primum Parocho reddantur. 38

Quæritur V. An in casu, quo Parochianus injuste recusat dare decimas, vel eas non integre, vel non debito loco, tempore, vel modo solvit, possit eum Parochus per vim compellere, aut vi eripere, & extorquere decimas; vel saltem propterea negare Sacramenta, & alia Divina? Resp. Negative. Navarrus *lib. 3. consil. de Decimis consil. 2.* Layman *lib. 4. tr. 6. cap. 5. n. 3.* Rebuffus *quæst. 9. in fine.* Pirhing *h. t. n. 96.* quod vim facere non possint. Ratio est; quia Parochus non habet jurisdictionem Fori externi in suos Parochianos: dein etsi haberet, non posset in hoc vim inferre; quia nemo potest esse Judex in propria causa, etsi alias Judex sit, *l. Qui jurisdictioni 10. ff. de Jurisdiction.* Nec ulli licet creditori vi & authoritate propria occupare debitoris bona, eumque usu illorum privare, ut debitum suum recuperet, *l. Extat ff. Quod metus caus. & l. Si quis C. Unde vi & c. In litteris 5. c. Item 6. c. Conquerente 7. de restit. spoliat.* Quod autem Sacramenta subtrahere nequeat, patet; quia non nisi publice indignis, & manifestis peccatoribus Sacramenta negare potest; qualis esse non præsumitur defraudans Decimas, utpote qui forsan jus aliquod, vel justam excusationem prætendere potest, vel habere se credit. Quare in tali casu, causam ad Episcopum deferat, oportet, qui ea discussa Parochianum compellere potest ac debet, etiam per Excommunicationem, si post trinam monitionem non satisfaciat, juxta dicta suprà *n. 22.* per Jura ibidem citata. 39

§. III.

De Personis, quæ tenentur ad solvendas Decimas.

S U M M A R I U M.

40 *Ad Decimas solvendas quivis Fidelis tenetur, nisi [illegible] specialiter exemptus.*

Etiam

41 *Etiam Hæretici.*
42 *Ac Judæi, & Infideles.*
43 *Etiam Jure personali.*
44 *Convertentes se Infideles compelli possunt ad solvendas Decimas neglectas.*
45 *Clerici simplices non Curati tenentur ad Decimas bonorum patrimonialium, eo modo, quo Laici.*
46 *Ac etiam Curati de bonis patrimonialibus.*
47 *Et quidem obligatione personali.*
48 *Solvitur objectio, & ostenditur, quomodo sibi ipsi det Decimas Parochus.*
49 *Clerici ex redditibus Beneficii non dant Decimas.*
50 *Nisi Ecclesia habeat agros, aut fundos, ex quibus Decimæ prius solvebantur.*
51 *De quibus tamen etiam Decimæ non dantur antiquæ Ecclesiæ, si dividitur Parochia.*
52 *Parochi etiam tenentur dare Decimas: & quas?*
53 *Religiosi de Jure communi tenentur ad Decimas.*
54 *Non item pauperes in extrema necessitate.*
55 *Bene tamen pauperes in gravi necessitate.*
56 *Ita ut nec differre possint solutionem; quamvis solventibus iterum restituere debeant clerici.*
57 *Communi necessitate laborantes pauperes ad Decimas tenentur.*
58 *In casu, quo res elocatur alteri, quisnam teneatur ad Decimas, Dominus, an Conductor.*

40 QUæritur I. Quinam obligentur solvere Decimas? Resp. I. Omnis Fidelis baptizatus, per se, & ex debito personali tenetur solvere Decimas, nisi justo aliquo titulo, aut Jure ipso specialiter sit exemptus. Unanimis & certa, ob clara Jura *c. Ex transmissa 23. h. t.* ubi dicitur, quod *quivis fidelis homo Decimas erogare tenetur*, & *c. A nobis 24. eod.* ibi: *Quilibet decimas solvere tenetur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus*, vel ut infrà dicitur, *nisi ostendat, quare sit immunis.* Ratio est: tum quia quivis baptizatus subjectus est alicui Parocho, vel proprio Sacerdoti, à quo recipit Divina: consequenter quivis ad reddendam eidem mercedem tenetur per textus & Jura suprà *n. 8.* citata. Tum quia Decimæ juxta dicta *n. 13.* in signum universalis dominii debentur Jure Divino, *c. Tua nobis 26.* Hinc bene inferunt Barbosa *de Offic. & potest. Paroch. cap. 28. §. 3. nu. 1.* Moneta *de Decimis cap. 5. n. 26.* Gonzalez *in c. 4. h. t. n. 7.* cum communi aliorum, & cum Glossa *in c. Omnes Principes 4. de Majorit. & obedient.* teneri ad Decimas etiam Imperatorem, Reges, Principes, & quosvis alios in quacunque Dignitate constitutos; eò quòd Jus de omnibus indistincte loquatur, & ratio Juris omnes tangat.

41 Resp. II. Etiam Hæretici ex debito personali tenentur solvere Decimas. Abbas *in c. De terris 16. h. t. nu. 6.* Pirhing *eod. n. 36.* Zoesius *eod. n. 16.* Suarez *Tom. 1. de Religios. tr. 2. lib. 1. cap. 16. n. 3.* Ratio est, quia & ipsi Juri Divino, & Ecclesiastico, quo utroque Decimæ obligant, sunt subjecti: præsertim quia per Baptismum facti sunt Christiani, & subditi Legibus Ecclesiæ, à cujus jurisdictione per suam contumaciam non eximuntur, ne alias ex iniquitate sua commodum reportent, contra *l. [illegible] 12. ff. de Furtis.* Nec refert, quod à Ministris Catholicis non recipiant Divina; quia hoc per accidens, & ex propria ipsorum culpa venit; cùm Ministri ex parte sua ad ea præbenda essent parati & ex officio obligati; ipsique Hæretici ad eadem suscipienda, Sectamque erroneam derelinquendam teneantur. Accedit, quod Decimæ obligent de Jure Divino juxta dicta *nu. 13.* ad quod utique etiam Hæretici tenentur.

42 Resp. III. Etiam Judæi, & Infideles Decimas dare tenentur prædiales ex fundis & prædiis, quæ antequam ad eos pervenerunt, Decimis erant obnoxiæ. Abbas *in c. De terris 16. h. t.* Barbosa *loc. cit. n. 4.* Moneta *de Decimis cap. 5. à n. 36.* textu claro, *c. Quanto 18. ad finem de Usur.* ubi statuitur expresse, quod *Judæi compellendi sint ad dandas Decimas de domibus & possessionibus aliis de quibus, antequam ad Judæos quocunque titulo pervenissent, Christiani Decimas dare consueverant.* Ratio subjungitur; ut *sic Ecclesiæ conserventur indemnes.* Idem statutum habetur *can. De terris 16. h. t.* ob eandem rationem, videlicet, *ne aliàs Ecclesiæ valeant suo jure fraudari.* Dicitur autem notanter *Jure Ecclesiæ reali*, quia Decimæ sunt onus reale ipsis prædiis & fundis annexum, consequenter cum re transeunt, ad quemvis etsi alias Jure personali ad Decimas obligatus non esset, uti Abbas *loc. cit.* bene observat; eò quòd onus reale transeat ad quemvis possessorem, *c. Ex litteris 16. h. t.* ubi Pontifex alternative sic mandat, ut *eos* (Judæos) *ad Decimas persolvendas, vel possessiones penitus renuntiandas cum omni districtione compellas.* Idem est de Hæreticis.

Num autem Jure quoque personali de fundis & prædiis quibuscunque etiam illis, qui nunquam in Christianorum manibus fuere, Judæi teneantur dare Decimas? major est controversia inter DD. Negant Barbosa *in cit. c. De terris h. t.* Rebuffus *de Decimis q. 5. n. 11.* Pirhing *eod. nu. 38. arg. cit. c. De terris h. t. & c. Quanto de Usur.* Rationem dant, quia nempe non sunt subditi Ecclesiæ: & cessat Legis ratio, ob quam alias Decimæ debentur. Abbas econtrà *loc. cit. numer. 5.* Oldr. *Consil. 25.* & alii affirmant; quorum sententiam, ut probabiliorem, amplectimur. Ratio est; quia Decimæ obligant ex Jure Divino; solvique debent in signum universalis dominii juxta dicta suprà *n. 2. arg. cap. 25. & 26. h. t. easque in signum universalis dominii quasi quodam speciali titulo sibi Dominus reservavit*, uti dicitur *c. cùm non 33. eod.* atqui ad hoc non minùs tenentur Judæi, quam Christiani: ergo. Unde licet non teneantur ad Decimas ex una ratione Legis Divinæ vel humanæ, v. g. non ratione obedientiæ ad Ecclesiam, nec ratione damni eidem illati, nec ratione laboris spiritualis Ministrorum, cui mercedem deberent; tenentur tamen ex Jure Divino & universali ratione ejusdem Legis Divinæ de dandis Decimis, videlicet; ut iis contestemur universale dominium Dei super nos, ab eoque cuncta bona provenire fateamur: non enim propter unam; vel alteram solam rationem debentur Decimæ, uti supponere videntur Adversarii, sed propter plures inter quas præcipua est, ut iis contestemur supremum & universale Dei dominium; *cit. can. 26. & cap. 32. h. t.* quæ ratio certè Judæos æque, ac Christianos, tangit.

Infert proin Abbas *loc. cit.* quod si aliqua Provincia, quæ nunquam fuit Christiana, converteretur ad fidem, ibique aliqui adhuc infideles in suis possessionibus manerent, possent omninò compelli ad Decimas solvendas: quod idem à fortiori dic de Hæreticis. Imò ulterius addit, quod compelli quoque possent omnes noviter conversi ad solutionem Decimarum præteritarum, ab eis hactenus neglectarum, *arg. l. Imperatores ff. de Pub. & l. Competit. C. de Præscr. 30. vel 40. annor.* Quamvis Ecclesia soleat, & ex condecenti debeat cum noviter conversis infidelibus & hæreticis clementius agere, eisque præteritas Decimas remittere, ut idem notat Abbas. 44

Quæritur II. Et quidem specialiter, an etiam Clerici sæculares teneantur ad Decimas? Ante responsionem ex dictis suppono, bona Clericorum alia esse Ecclesiastica, alia patrimonialia, vel quasi talia: item Clericos alios esse simplices, alios Curatos. De singulis pro majori claritate singulas dabimus conclusiones; & quidem imprimis de bonis patrimonialibus. Resp. I. Clerici *simplices* seu non Curati eodem modo, quo Laici tenentur dare Decimas de lucris, bonis, & fructibus titulo temporali, puta, hæreditate, patrimonio, donatione, emptione &c. acquisitis. Barbosa *de Offic. & potest. Paroch. cap. 28. §. 3. n. 6. & seqq.* Gutierez *lib. 2. can. qq. cap. 21. nu. 26.* Covarruvias *lib. 1. Variar. resolut. cap. 17. vers. Primum hinc constat.* D. Thomas *2. 2. q. 87. art. 4.* Glos. *in cap. 2. h. t. vers. A Clericis* cum communi aliorum, *arg. c. Si quis 42. & cap. 44. c. 16. q. 1.* juncto *cap. 2. h. t.* ibi: *Illi profectò Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent.* Ratio est; quia quoad hæc bona, in puncto Decimarum, considerantur ut cæteri fideles, qui sine distinctione ad Decimas obligantur, *c. 23. & 24. h. t.* Unde eædem rationes quoque, ob quas Laici obligantur, ipsi quoque tenentur dare Decimas. 45

46 Resp. II. Clerici *Curati* quoque in quacunque Dignitate constituti, ut Episcopi, Decani, ac Parochi tenentur ad Decimas prædiales de fructibus bonorum, titulo sæculari seu temporali acquisitorum. Barbosa *loc. cit. n. 10.* Pirhing *h. t. n. 40.* Konig *eod. nu. 7.* Covarruv. *lib. 1. Variar. resolut. cap. 17. n. 8.* D. Thomas *2. 2. quæst. 87.* & communis aliorum. Ratio est, quæ prior. Cui accedit, quod *res transeat cum onere suo c. cùm non 33. h. t. & c. Ex litteris 5. de Pignor.* consequenter si Clerici etiam *Curati*, sive Episcopi, sive Parochi titulo temporali acquirunt prædium aliquod, agrum, vel aliam rem oneri Decimarum prius subjectam, onus hoc cum re ad ipsos quoque transit, *c. Si quis 42. & duobus seqq. can. 16. q. 1.* Item quòd Decimæ prædiales Jure Divino debeantur *in signum universalis dominii Dei*, *cit. c. Tua nobis 26. & c. Cùm non 33. h. t.* ad quod etiam specificati in Conclusione non minùs quam alii tenentur: & quidem Jure personali quoque.

47 Nec enim placet in hoc opinio Pirhing *h. t. num. 40.* Layman *lib. 4. tract. 6. cap. 3. n. 1.* & aliorum dicentium Episcopos, & Parochos solo Jure reali, non item personali obligari posse ad dandas Decimas, quia, ajunt, nullus est, qui ab eis Decimas exigere posset, & cui eas illi dare deberent; cùm ex debito personali nemo ab aliquo exigere possit Decimas, nisi ordinarius Pastor, à quo quis recipit Sacramenta & Divina, qualis Pastor in eadem Parochia præter Parochum nullus alius datur: Episcopus autem Parocho subjectus non sit, consequenter ei Decimas dare non teneatur.

48 Nam contra est, quòd fideles ad Decimas non solùm ob receptionem Sacramentorum, ac aliorum Divinorum, sed etiam & quidem principaliter *in signum universalis Dominii* teneantur *c. 26. & c. 33. h. t.* consequenter dari possit obligatio etiam personalis dandi alicui Decimas, a quo Divina non percipiuntur. Licèt enim ordinariè loquendo Decimæ non nisi ordinario Pastori debeantur, tamen etiam aliis jus Decimas accipiendi competere potest juxta dicenda infrà *n. 56 &c.* Quibus proin Decimas dare etiam Parochus teneretur. Deinde etsi nullus alius præter Parochum haberet jus Decimandi, deberet is nihilominùs de præfatis bonis sibi ipsi dare Decimas applicandas fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, quorum tributa sunt Decimæ, *arg. can. Decimæ tributa sunt 66. caus. 16. q. 1. & c. Tua nobis 26. h. t.* & quibus Decimæ, honestæ sustentationi Clericorum superfluæ, Jure Divino distribui debent. Dices, nemo potest esse sibi ipsi obligatus, *l. Tutor ff. ad S. C. Vellejan.* ergo nec Parochus sibi ipsi Decimas dare tenebitur. Resp. Distinguendo Ant. sub eadem ratione conceditur: sub diversa negatur ant. & ita distincto consequenti conceditur, & negatur consequentia: quia Parochus tanquam persona privata sibi ipsi tanquam Rectori Ecclesiæ, ac fideli dispensatori bonorum ecclesiasticorum reddit Decimas applicandas quoad superfluum vel in pauperes, vel Ecclesiæ fabricam; uti benè post Innocentium observat Abbas *in c. 2. h. t. n. 4. arg. l. Quoties 19. ff. de Admist. & pecul. Tutor.* ubi etiam Tutor tanquam debitor solvit sibi ipsi tanquam Tutori.

49 Resp. III. De bonis Ecclesiasticis, titulo Beneficii, aut alio Clericali acquisitis, Clerici non *Curati* seu *simplices* non tenentur ad Decimas, exceptis prædiis, agris, & aliis fundis, ex quibus antequam in dotem Beneficii assignata fuerint, Decimæ fuerunt solutæ. Prima pars Conclusionis est communissima, & vix non unanimis inter DD. uti videre est apud Barbosam *in c. 2. h. t.* Abbatem *ibid. n. 4. & seqq.* Rebuffus *de Decimis q. 5. n. 6.* Bellet. *Disquisit. Cler. p. 1. § 12. n. 36.* Pirhing *h. t. n. 41.* & alios, cum quibus etiam sentit Glossa *in cit. c. 2. h. t. V. Clericis arg. c. 2. h. t.* ibi: *Novum genus exactionis est, ut Clerici à Clericis Decimas exigant; cùm nusquam in lege Domini hoc legamus; non enim Levitæ à Levitis Decimas accepisse leguntur.* Qui textus licèt varias habeat interpretationes, receptior tamen est Glossa *ibid. loc. cit.* videlicet, quod Clerici Clericis dare non debeant de bonis Ecclesiasticis, benè tamen de patrimonialibus vel quasi talibus, uti suprà jam dictum. Ratio præter allegatam in textu est; quia redditus Beneficiales instar Decimarum sunt, cùm etiam ob officium Divinum, & alia ministeria spiritualia reddantur, suntque pluribus Clericis simplicibus, ut Canonicis Decimæ formales pro redditibus assignatæ. Ex Decimis autem decimas non dari, manifestum est.

50 Dicitur autem notanter in Conclusione *Exceptis prædiis, agris, & aliis fundis, ex quibus antequam in dotem Beneficii assignati fuere, Decimæ solvebantur*, quia de his Clerici simplices Parocho loci, in quo prædia hujusmodi sita sunt, Decimas dare omninò tenentur, sive dein in propria, sive aliena Parochia existant, etiamsi in dotem Beneficii sint assignati, consequenter bona Ecclesiastica existant. Fagnanus *in c. Nuper 34. n. 10. h. t.* Abbas *ibid. n. 1.* Card. de Luca *de Decimis, discurs. 2. n. 5. & 6.* Barbosa *in c. Ecclesiæ 43. caus. 16. q. 1.* & alii, contra Pirhing *h. t. n. 42.* absolutè & distinctè docentem, Clericos simplices ad nullas teneri decimas de prædiis sitis intra Parochiam, in qua ipsi degunt. Probatur autem doctrina nostra manifestè ex *cit. c. Ecclesiæ 43. caus. 16. q. 1.* ubi indistinctè præcipitur, ut *Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec Decimis, nec ulla possessione priventur; ita ut novis Oratoriis tribuantur.* Idem habetur *can.* immediatè sequente, ibi: *Omninò providendum est Episcopo, ut Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam, aut Decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvantur.* Concordat *c. Nuper 34. h. t.* etiam Religiosi jubentur dare decimas de prædiis & fundis noviter acquisitis, si de iisdem decimæ priùs erant solutæ. Ergo etiamsi intra eandem Beneficium erigatur, seu jam erecto prædium aliquod decimis prius obnoxium pro dote addatur, nihilominùs Beneficiatus Decimas antiquiori Ecclesiæ dare tenetur de fundis & prædiis, ex quibus priùs decimæ reddebantur eidem. Ratio est: tum quia similia prædia, & quævis *res transit cum onere suo c. Cùm non 33. h. t.* Tum quia Ecclesia prior alias privaretur jure suo, gravemque pateretur jacturam, quod admittendum non est, cùm non sit uni consulendum cum alterius jactura, *arg. can. Si quis verò 13. caus. 11. q. 3. & can. Denique 10. caus. 14. q. 5.* ibi: *Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum adjuvari, quam gravari alterum*, cum concordantiis. Neque erigendum est Altare contra Altare.

Neque limitatur doctrina in casu, quo una Parochia in duas dividitur juxta formam Concilii Tridentini *Sess. 21. de Reform. c. 4.* de quo suprà, *& c. Ad audientiam 3. de Eccles. ædificand. & fin. eod.* quia etiam tali in casu decimæ debentur Ecclesiæ antiquæ matrici, prout contra communem dicemus infra *n. 104. & seqq.* 51

Resp. IV. Quamvis Parochi nullas teneantur dare decimas de bonis merè Ecclesiasticis in propria Parochia acquisitis; tenentur tamen ad decimas prædiales ex prædiis, fundis, & agris etiam Ecclesiasticis, seu Ecclesiæ dotalibus (Germanis *Vendit bumb Guter, oder Vrudtbumb Hoff*) in alterius Parochia sitis, si de illis antequam in dotem Parochiæ pervenerunt, decimæ alteri Parocho fuere solutæ: Imò etiamsi in propria Parochia existant. Prima pars est communissima inter DD. *arg. c. 2. h. t. & c. 1. de Censi.* Ratio est eadem quam supra pro Conclusione tertia allegavimus. Secunda pars docetur ab Abbate *in c. 2. h. t. in 6.* Covarruvia *lib. Variar. Resolut. cap. 17. n. 8.* Card. *Consil. 88.* Glossa *in c. 1. de Censib.* Pirhing *h. t.* & communi aliorum per Jura & rationes *num. 50.* allegatas. Tertia pars patet ex dictis *n. 47. & 48.* 52

Quæritur III. Num etiam Religiosi teneantur ad Decimas? Resp. I. Spectato Jure Communi præsertim antiquo, Religiosi omnes non minùs ac Laici ad decimas tam personales quam prædiales obligantur, nisi privilegio ac alio justo titulo sint exempti, Suarez *Tom. 1. de Relig. t. 2. lib. 1. c. 17.* Layman *lib. 4. t. 6. c. 3. Sess. lib. 2. de justit. & jure c. 39. n. 23.* cum communi & certa aliorum. Patetque clarè ex *c. Ex multiplici 3. c. Commissum c. Dilecti 8. c. Ex parte 10. h. t.* cum concordantiis, juncto *c. 2. §. Cæterum eod. in 6.* ubi ita statuitur: *Cæterum Religiosi tam exempti, quam non exempti de terris & possessionibus acquisitis hactenus, & amodò acquirendis Decimas integrè solvant illis Ecclesiis, quibus eædem possessiones & terræ priùs fuerunt Decimales, nisi super hoc speciali jure, vel privilegia sint muniti.* Ratio est: quia rationes, ob quas Laici tenentur dare Decimas, etiam in Religiosis militant: præsertim cùm spectato Jure communi, & abstrahendo à privilegiis, etiam Religiosi sint subjecti pastori seu parocho loci, ab eoque Sacramenta, ac alia Divina percipere debent, & olim percipiebant; uti patet ex *can. Alia 6. can. Ecclesia 7. can. Interdicimus 40. & can. Questi 46. caus. 16. q. 1.* Dicitur autem notanter, *nisi privilegio, vel alio justo titulo sint exempti*; quia hodie omnes Religiosi aliquo saltem modo à solvendis Decimis sunt exempti per privilegia partim Juri communi inserta, partim specialiter concessa; de quibus *§. seq.* 53

Quæritur IV. An etiam pauperes teneantur solvere decimas; Resp. I. Pauperes qui laborant extrema necessitate, vel ea laboraturi essent, si decimas darent, easdem non tenentur. Abbas *in c. Cùm homines 7. h. t. n. 5.* Pirhing *h. t.* 54

h. t. n. 46. Layman *lib.* 4. *tr.* 6. *cap.* 3. *n.* 6. Rebuffus *de Decimis q.* 5. *n.* 14. cum communi aliorum. Ratio est; quia in necessitate extrema omnia sunt communia; *arg. L.* 2. *ff. Ad Leg. Rod. §. Cùm in eadem*, ita ut licitè & absque ullo restitutionis onere alienum accipere, vel retinere valeat; prout habet ferè unanimis tam Theologorum, quam Canonistarum, & diximus in nostra Theologia Morali.

55 Resp. II. Pauperes in gravi tantùm necessitate existentes, vel illuc ex præstatione decimarum reducendi, à solutione decimarum non sunt immunes. Abbas *in c. Cùm homines* 7. *h. t. n.* 5. & ibi Joan. Andreas, Engel *h. t. n.* 58. Rebuffus *eod. q.* 5. *n.* 14. Sylvester *de Decimis n.* 13. & communis DD. cum Glossa *fin. in can. Quæ tua cau.* 22. *q.* 1. Ratio est: tum quia Decimæ ex debito sunt solvendæ, *c. Parochianus* 14. *h. t.* In debito autem non habetur respectus ad inopiam gravem, nisi postquam debitor cessit bonis; uti cum aliis benè advertit Abbas *loc. cit. arg. l. Continuus* 13. *§.* 4. *ff. de V. O. & L.* 1. *C. Qui bonis cedere possunt*. Tum quia propter inopiam gravem non est deserenda justitia, *can. Habebat* 17. *caus.* 12. *q.* 2. decimæ autem debentur etiam ex justitia, juxta dicta; ergo.

56 Observant hic Doctores, ut Layman *lib.* 4. *tr.* 6. *cap.* 3. *n.* 6. Pirhing *h. t. n.* 46. Zoesius *eod. n.* 19. & alii, quòd licèt in gravi necessitate sit nemo totaliter immunis à solvendis decimis, tamen solutionem earum differre possit, donec ad pinguiorem fortunam veniat. Rationem dant; quia juxta receptam Theologorum sententiam ob gravem necessitatem debitoris solutio etiam ex justitiâ differri potest; nisi creditor sit in pari necessitate. Verum ne hujusmodi dilationibus jus exigendi decimas nimis reddatur incertum, & immunitas passim prætendatur, præsertim his temporibus, quibus miselli rustici; sicut & alii gravi necessitate plerumque premuntur, rectiùs sentire videtur Abbas *loc. cit.* Engel *h. t. n.* 58. Klingensperger *de Decimis cap.* 2. *assert.* 14. *n.* 6. cum Glossa *in c. Quicunque* 4. *caus.* 12. *q.* 7. quòd etiam in gravi necessitate sine dilatione solvendæ quidem sint decimæ, eas tamen remittere, vel iterum donare debeant Clerici, nisi parem necessitatem patiantur, eò quòd juxta superiùs dicta Clerici superfluas decimas pauperibus erogare teneantur, ipseque Decimæ sint *Tributa egentium animarum*, *can. Decimas* 66. *caus.* 16. *q.* 1. *& can. fin. ead. cau. & quæst.*

57 Resp. III. Communi paupertate laborantes, ac respectivè tantùm pauperes, seu potiùs non divites, tenuia quidem, tanta tamen media habentes, quæ ad sustentationem suæ personæ ac familiæ sufficiunt, ad solutionem decimarum omninò etiam sine ulla dilatione tenentur. Ita cum D. Thomâ 2. 2. *q.* 87. *n.* 4. *ad* 4. Pirhing *h. t. n.* 45. Layman *loc. cit. n.* 5. & communissima tam Theologorum, quam Canonistarum. Probatur ex Juribus pro Conclusione præcedenti allegatis. Accedit, quòd communis talis necessitas obligationem debiti nec extinguat, nec differat juxta receptam: Nec possit Jus aliquod vel ratio pauperes hujusmodi à solutione, vel dilatione decimarum eximens assignari.

58 Quæritur V. An Dominus, vel conductor teneatur ad decimas, casu quo quis prædium, vel alium fundum proprium alteri elocavit? Resp. Cum distinctione si Dominus rem suam conductori ita locavit, ut conductor pro certa pensione pecuniaria omnes rei, prædii *v. g.* percipiat fructus, tenetur conductor solus integras solvere prædiales decimas: Dominus verò ad Decimam partem pensionis, quam à conductore accipit: si autem Domino aut locatori à conductore, seu colono certa fructuum, media *v. g.* vel tertia pars ex prædio datur, tenetur quivis proportionaliter ad decimas illorum fructuum, quos percipit: & quidem quilibet sine deductione expensarum, pensionum, vel aliorum onerum. Abbas *in c. Tua nobis* 26. *h. t. n.* 14. & 15. Pirhing *h. t. n.* 48. *& seqq.* Azorius, Suarez, Innocentius, & communis aliorum, *arg. c. Non est* 22. *& c. A nobis* 24. *h. t.* ibi: *A dantibus, & recipientibus possessiones ad firmam, de fructibus, quos percipiunt, Decimæ sunt solvendæ*. Simile quid habetur *c. Tua nobis* 26. *eod.* ibi: *de cunctis omnino proventibus Decimæ sunt reddendæ, sicut colonus de parte fructuum, quæ sibi remanet ratione culturæ, sic & dominus de portione, quam percipit ratione terræ, Decimam reddere sine diminutione tenetur*. Concordat *c. Cùm non sit* 33. *eod.* & alia Jura suprà *nu.* 40. citata.

§. IV.

De modis, quibus quis eximitur à solvendis Decimis: præcipuè de Privilegiis.

S U M M A R I U M.

59 *A Decimis prædialibus substantialibus per privilegium Pontificium dispensari nemo potest.*
60 *Exemptio à Decimis prædialibus quoad substantiam non est propriè dispensatio, vel privilegium.*
61 *Sed impropriè seu remissio Juris Divini certo modo facta.*
62 *Regulares omnes hujusmodi dispensatione impropria exempti sunt à solis Decimis Novalium, hortorum, item & nutrimentis animalium.*
63 *Nec Cistercienses hodierno Jure plus exempti sunt.*
64 *Nisi quòd exempti sint à solvendis Decimis omnium prædiorum acquisitorum ante Concilium Generale.*
65 *Non item cæteri Regulares loquendo de Jure communi.*
66 *Benè verò per specialia privilegia Corpori juris non inserta.*
67 *Quæ tamen non valent nisi habeant clausulam Concilii Generalis derogatoriam.*
Concilio Generali non derogatur per dispositionem subsequentem nisi ejusdem expressa fiat mentio. Ibid.
68 *In communicatione generali privilegiorum non fit communicatio privilegii exemptionis à Decimis, nisi exprimatur.*
69 *Regulares tenentur probare exemptionis privilegium.*
70 *Novalia regularium quid? de iis debentur Decimæ, si aliis elocantur: vel propriis sumptibus non coluntur.*
71 *Quomodo regulares exempti sint à Decimis hortorum, & nutrimentorum animalium?*
72 *Privilegia eximentia regulares à Decimis de prædiis non de solis novalibus, sed universaliter sunt intelligenda.*
73 *Quando, & à quibus debeantur Decimæ de prædiis regularium, casu quo aliis colenda traduntur? Et num. seq.*
75 *Privilegia de Decimis sunt strictæ interpretationis: universaliter tamen data, universaliter intelligenda.*
76 *Privilegium eximens à decimis cessat, quando incipit esse enormiter præjudiciosum Ecclesiis Parochialibus.*
77 *Quinam judicare habet, an Privilegium sit enormiter præjudiciosum.*
Interpretari Legem, & privilegia ad quem pertineat? Ibid.
78 *Ulterius amittitur tale privilegium per non usum 40. annorum.*
79 *Non item per non usum 30. annorum.*
Præscriptio contra Ecclesias non datur, nisi 40. annorum. Ibid.
80 *Amittitur etiam transactione, & pacto.*
81 *Si fiat cum consensu legitimorum Superiorum.*
82 *Compendiosa notitia de Privilegiis Religiosorum quoad exemptionem à Decimis: usque ad n. 86.*
86 *Laici per nullam consuetudinem eximi possunt à solvendis Decimis.*
87 *Nisi adsit consensus, & approbatio Papæ.*
Taciturnitas Papæ non minuit tacitum consensum Ibid.
88 *Solvuntur textus Juris pro consuetudine allegati. Et num. seq.*
90 *Immemorialis consuetudo licèt æquivaleat privilegio, non eximit à solvendis Decimis.*
91 *Quid de consuetudine passim vigente non solvendi Decimas.*

NOtandum prius, quatuor assignari à Doctoribus recentioribus modos, quibus aliquis a solvendis Decimis eximi potest, videlicet, privilegium, consuetudinem, præscriptionem, contractum vel pactum. Verùm, quia Canonistæ antiquiores ut plurimùm contradicunt, de singulis singula ponemus Quæsita.

59 Quæritur itaque I. An possit aliquis privilegio eximi à solvendis Decimis? Resp. I. A solvendis Decimis prædialibus quoad substantiam, quatenus nempe sunt necessariæ ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, nullo nec Pontificio privilegio eximi quis potest à solvendis Decimis, si exinde Parochus privilegiati seu dispensati, necessaria careret sustentatione. Ita Barbosa *de offic. & potest. Parochi par.* 3. *c.* 28. *§.* 3. *n.* 12. & Canonistæ non tantum antiqui, sed recentiores fere omnes. Ratio est; quia tam hi, quam illi unanimiter fatentur, Decimas quo ab substantiam esse de Jure Divino per Jura *n.* 7. citata. Contra Jus autem Divinum, neque Pontificium privilegium aliquid valet; cum in dicto Jure dispensare nequeat, ut habet communissima Theologorum & Canonistarum, *arg. can. Sicut quidam* 6. *caus.* 25. *q.* 1. *c. Litteras* 13. *de restit. spoliat.* cum Concordantiis: eò quòd inferior in Lege superioris dispensare nequeat, *arg. Clem. Ne Romani de Elect.*

60 Resp. II. Etsi possit aliquis per Pontificem eximi à Decimis prædialibus tam quoad substantiam, quam formaliter sumptis, si non obstante tali exemptione Ecclesiæ Minister adhuc congruam & sufficientem sustentationem habet, nihilominùs talis exemptio nec propria dispensatio, nec proprium privilegium est. Prima pars hodie caret controversia; patebitque ex *n.* 62. *& seq.* ubi dicitur, quod plures de facto exemerit Papa à solvendis Decimis omnibus. Altera pars docetur à Glossa *in c. A nobis* 24. *h. t.* & omnibus iis, qui docent Decimas etiam formaliter sumptas esse de Jure Divino, & dictis suprà *n.* 13. ubi latè probavimus, Decimas non tantum quoad substantiam, sed etiam formaliter, id est, secundùm determinatam quantitatem, decimam nempe partem sumptas, esse de Jure Divino: in jure Divino autem nequit Pontifex proprie dispensare, uti primum *n. præced.* diximus: ergo.

61 Si quæris, quid ergo sit illa Pontificia exemptio, qualiter item, & quomodo à Decimis Jure Divino debitis eximere aliquem possit Pontifex. Resp. Esse remissionem Juris Divini, quam facit tanquam Administrator totius patrimonii Christi. Nam sicut Procurator cum libera & generali administratione potestatem habet, res administrationi suæ commissas distrahendi, commutandi, ac etiam pro justo arbitrio suo subinde nomine Principalis remittendi *L. Procurator* 58. *ff. de Procur.* ita etiam Papa similem potestatem habere censetur circa dispositionem Decimarum, & aliarum rerum ad patrimonium Christi spectantium, utpote plenarium jus administrationis earundem habens, *arg. c.* 2. *de Præb. in* 6. ut proin nec mirum nec malum sit, si potestate sua utens, pro arbitrio suo, & ad bonum finem aliquibus Decimas Jure Divino debitas, subinde remittat, *arg. can. Sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. eo ferè modo, quo obligationem ex voto, indeque Jure Divino debitam, remittit. Ita ad propositum sentit Gutierez apud Barbosam *de offic. & potest. Paroc. par.* 3. *cap.* 28. *§.* 3. *n.* 12. Abbas *in c. A nobis* 24. *h. t. n.* 4. Glossam *in c. A nobis* 24. *h. t. V. Exemptus* & Canonistæ antiqui plerique.

62 Quæritur II. An aliqui, & quinam hodie privilegio seu impropria hujusmodi dispensatione Pontificia seu remissione Juris Divini sint exempti à solvendis Decimis? Resp. Omninò esse aliquos, quorum aliqui sunt exempti privilegio Corpori Juris inserto; alii autem privilegio speciali. Patet inductione. Et quidem *primò* per privilegium Juri communi insertum omnes Regulares, sicut etiam Clerici in Communi viventes exempti sunt à solvendis Decimis personalibus omnibus, à prædialibus verò solis illorum fructuum, quos de hortis suis, & de nutrimentis animalium percipiunt, nec non illorum, qui ex Novalibus, quos propriis manibus, vel sumptibus excolunt, proveniunt, Barbosa *de offic. & potest. Paroch. loc. cit. n.* 27. Anchoranus *in c. Ex parte II* 2. *h. t. n.* 3. Rebuffus *de Decimis q.* 14. *n.* 45. & communis aliorum, *arg. can. decimas* 47. *caus.* 16. *q.* 1. *c.* 3. *h. t. & c. ex par.* 10. *eod.* ubi Regularibus Alexander III. indulsit, *ut de novalibus suis, quæ propriis manibus vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persolvant. De aliis verò rebus Decimas non possint subtrahere.*

63 *Secundò*, Cistercienses, Templarii, & Hospitalarii in præfato *c.* 10. *sicut & in c. Ad audientiam* 12. *eod.* ulteriùs exempti sunt à decimis prædialibus non tantùm novalium, sed etiam omnium aliorum prædiorum quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt. Verùm ampliatum hoc privilegium, postea restrictum fuit in Concilio Generali, & statutum, ut de prædiis & terris non novalibus noviter acquirendis, etiamsi ea propriis manibus, vel sumptibus excolant, Decimas solvant si de talibus prædiis ac fundis, antequam ad ipsos pervenerunt, Decimæ solvebantur, *c. penult. h. t.* ibi: *Decernimus ut* (Cistercienses) *de alienis terris, & amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus, aut sumptibus excolant, Decimas persolvant Ecclesiis, quibus antea solvebantur nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. Et hoc ipsum ad alios Regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi volumus, & mandamus*: ut proin in privilegio exemptionis à solvendis Decimis de terris post Concilium Generale *c. penult. h. t.* allegatum acquisitis, Cistercienses ab aliis Regularibus de Jure communi plus non differant, quam in hoc, quod illi; non item isti exempti sint à decimis prædialibus etiam non novalibus illorum fundorum, ex quibus Decimæ priùs, antequam ad eos pervenerunt, non solvebantur.

Quoad Decimas verò de terris ante dictum Concilium 64
acquisitis, in hoc differunt ab aliis Regularibus, quod Cistercienses de illis Decimas dare non teneantur, etsi antequam ad eos pervenerunt, Decimæ fuerint solutæ Fagnanus *loc. cit. n.* 18. *&* 19. eoque teste omnes, *arg. cit. c.* 34. *h. t.* ibi: *de terris & amodò acquirendis tenentur solvere decimas*: ergo à sensu contrario de terris priùs habitis non tenentur, sed manet antiquum privilegium. Alii verò Regulares de Jure communi etiam de terris anteà acquisitis (exceptis hortis, nutrimentis animalium, & novalibus, quæ propriis manibus aut sumptibus colunt) Decimas solvere teneantur, si de illis antea solvebantur, *arg. c. Ex par.* 10. *h. t.* ubi expresse statuitur, ut Regulares cæteri de omnibus rebus quandocunque acquisitis Decimas solvant, nisi sint novalia, hortus, aut nutrimenta animalium. Nec in contrarium facit, quod dispositio *c. penult. h. t.* Cistercienses eximens, etiam ad alios Regulares extendatur: Nam contra est, quod dicta dispositio non absolute ad omnes alios Regulares sed cum limitatione ad alios Regulares, qui gaudent *similibus privilegiis*, qualibus gaudent Cistercienses: hinc quia de Jure communi omnes cæteri Regulares *similibus privilegiis* non gaudent, textu claro *cap.* 10. *h. t.* sed tantùm aliqui, & quidem privilegio speciali Juri communi non inserto, Regulares cæteri ex *cit. cap. penult.* nihil favoris habent, consequenter de Jure communi à solvendis Decimis de terris etiam ante Concilium Generale acquisitis non sint immunes.

Hinc Fagnanus *loc. cit. art.* 18. Pirhing *h. t. n.* 57. & alii 65
cum grano salis sunt intelligendi, dum universaliter de omnibus Regularibus docent, duo copulativè requiri ad hoc, ut Regulares teneantur ad Decimas prædiales. *Primò*, ut prædia & fundi eorum sint acquisita primùm post Concilium Generale. *Secundò*, quod antequam ad ipsos pervenerunt, Decimis fuerint obnoxia; hæc enim doctrina non de omnibus Regularibus, sed solis Cisterciensibus, & illis, qui *similibus* cum eis *gaudent privilegiis* (quales sunt Templarii & Hospitalarii *cit. cap.* 10. *h. t.* & nonnulli alii specialia privilegia extra Corpus Juris habentes) intelligi potest & debet *arg. cit. c. penult. & cap.* 10. *h. t.* ut proin cæteri Regulares de Jure communi ad Decimas de terris tam antequam post Concilium acquisitis teneantur, etiam si de illis, antequam ad illos pervenerunt, decimæ non fuerint solutæ: nisi forsan similia prædia privilegio reali Pontificio, aut consuetudine cum consensu Pontificis ab onere essent exempta juxta dicenda infrà. Ex quo infertur, quod si Regulares simili cum Cisterciensibus privilegio non gaudentes emant, vel donata, aut mutata accipiant prædia à Cisterciensibus, teneantur de illis dare decimas, licèt prius de illis Cistercienses vi privilegii sui personalis decimas non dederint, sicut dare tenerentur Laici, si à Cisterciensibus hujusmodi prædia emerent; cùm cæteri Regulares de Jure communi ad Decimas prædiales æquè teneantur ac Laici, solis exceptis novalibus, hortis item, & nutrimentis animalium, quæ propriis manibus & sumptibus colunt, *arg. sæpè cit. cap.* 10. *h. t.*

Dicitur autem notanter *de Jure communi*: quia ex spe- 66
cialibus privilegiis Corpori Juris non insertis ferè omnes Regulares, teste Barb. *de offic. & potest Episc. par.* 3. *c.* 28.

§. 30. num. 20. hodie exempti sunt à solvendis Decimis prædialibus de prædiis & fundis cunctis, sive ante, sive post Concilium Generale acquisitis, quæ propriis manibus, vel saltem sumptibus propriis excolunt. Quinam autem Regulares in specie hujusmodi privilegia specialia à Pontifice concessa habeant, quia facti est, cuivis Religioni propria privilegia omnium optime scienti respondendum relinquimus; vel non contentum Lectorem remittimus ad Barbosam *de offic. & potest. Paroch. par 3. cap. 28 §. 3. n. 21. & seqq.* Miranda *tom. 2. quæst. 49. art. 12.* Roderiq. *tom. 2. q. 44. art. 4. & 5.* Portel. *in dub. regul. vers. Decimæ*, qui non tantùm Religiones hujusmodi privilegiis gaudentes, sed & Pontifices concedentes, nec non & Bullas eorundem adducunt.

67 Notandum tamen circa præfata Regularium specialia privilegia, quod, quia per Concilium Generale c. *Nuper 34. h. t.* allegatum, derogatum est omnium Regularium privilegiis, vi quorum exempti erant à solvendis Decimis, de prædiis & terris, quas manibus vel sumptibus colunt, privilegia ejusdem Tenoris de novo concessa non valeant, nisi dentur cum clausula derogatoria dicti Concilii Generalis; prout allegatis pluribus Decisionibus Rotæ benè advertit Barbosa *loc. cit. n. 37. & 38.* Fagnanus *in c. Nuper h. t. n. 27.* & alii. Ratio sumitur ex defectu intentionis in concedente, quia Pontifex Constitutioni Concilii Generalis nunquam censetur derogare, nisi clausulam Concilii expressè derogatoriam adjiciat, ut cum citatis DD. docent Archidiaconus *in c. 1. de Constit. in 6. n. 2.* Felinus *in c. Nonnulli de rescrip.* cum communi aliorum, & sæpè decidit Rota apud Barbosam, & Fagn. *loc. cit. arg. cap. 3 de Capell. Monach.* Censetur autem dicto Concilio sufficienter derogatum, non tantùm si præfato c. *Nuper h. t* in specie derogatur; sed etiam si alicujus alterius Generalis Concilii, cum addito & *aliorum Conciliorum* sit derogatio, vel si in genere dicitur *non obstante aliqua Constitutione etiam in Concilio Generali edita* prout teste Fagnano *loc. cit. n. 31.* sæpè resolvit Rota, & tenet Decius *Consil. 341. n. 10* Garcias *de benefic. par. 4. cap. 5. n. 40.*

68 Insuper notandum, quod in Generali communicatione privilegiorum quantumvis ampla, non communicetur privilegium exceptionis à solvendis Decimis, prout allegatis Rotæ Decisionibus, ac S. Congregationis Decretis docet Fagnanus *loc. cit. n. 33.* Barbosa *loc. cit. n 41.* Felinus *in c. Sede n. 3. de rescrip.* & alii. Ratio est; quia Communicatio privilegiorum non se extendit ad ea, quæ non nisi cum magna difficultate conceduntur, uti cum citatis habent Doctores, præsertim Jason *in L. 1. ff. de Legat 1. nu. 21. & 22.* Ant. de Butr. *Consil 19.* testeque Fagnano S. Congregatio, & Rota. Exemptio autem à solutione Decimarum non nisi cum magna difficultate conceditur, Joan. Andreas, *in c. Dudum n. 5. de Privil.* & DD citati. Rota *in Valentina decimarum 28. Novemb. 1630. coram Cardinale Lancelloto Juniori* quod procedit, etsi in Litteris Communicationis fiat etiam expressa mentio de *Decimis*; quia intelligenda est de Decimis extraordinariis, non item de ordinariis & prædialibus, nisi etiam & horum expressa fiat mentio. Barbosa & Fagnano *loc. cit.* Felinus *loc. cit. n. 3.* Baldus *in l. Fistulas 3. Frumenta in fin. ff de Contrah emot.* Pirhing *h. t. n. 62.*

69 Rursus notandum, Parochos & Rectores Ecclesiarum habere intentionem Juris fundatam pro se contra Regulares quoad solutionem Decimarum (si novalia nutrimenta animalium, & hortos eorum excipias) ita, ut hi docere, & probare teneantur exemptionis privilegium, si à Decimis solvendis immunes esse volunt. Barbosa *loc. cit. n. 42* citans Decretum S Congregationis. Ratio patet: quia cùm etiam Regulares de Jure communi ad decimas teneantur, utique exemptionis privilegium probare debent, si ab obligatione liberi esse volunt.

70 Quæritur III. Quomodo interpretanda ac intelligenda sint tam communia, Jurique communi inserta quam specialia privilegia exemptionis à solvendis Decimis? Resp. I. Privilegium *c. Ex par. 10. h. t.* quo Regulares eximuntur à solutione Decimarum de Novalibus *Reubruch, Reutreuth*, intelligi debet de illis terris, & fundis, qui priùs nullos, aut modicos fructus afferebant, & quæ ultra memoriam hominum absque cultura fuêre, *arg. c. fin. de Privileg.* ibi: *Terra, de qua non extat memoria, quod aliquando culta fuisset, redacta per Religiosos viros ad culturam, perpetuò debet quoad immunitatem de non solvendis Decimis, Novalium Jure censeri.* Concordat *c. Quid Novalium 21. de V. S.* ut proin ex terra, & fundo, qui per decem v. gr. aut plures annos memoriam hominum non excedentes incultus jacebat, de novo cultis Decimas dare teneantur. Debent insuper à colonis & conductoribus Decimæ dari de Novalibus etiam propriè dictis, quando ea pro pensione annua Regulares elocat. Abbas *in c. 10. h. t. n. 4.* Barbosa *ibid. n. 2* & communis aliorum, textu expresso *c. Licet 11. h. t.* concordat *c. Ex par. 10. eod.* ubi solummodò datur exemptio à solvendis Decimis de Novalibus, *quæ propriis manibus & sumptibus excolunt.* Ratio est; quia privilegium hoc est personale, non reale, consequenter cum re non migrat ad colonos, vel conducentes; vel emptores, prout pluribus citatis Rotæ Decisionibus benè docet Barbosa *in c. 11. h. t. n. 1.* Pariter tenentur ipsimet dare Decimas de Novalibus, quæ ab aliis conducunt, textu claro *c. 8. h. t.* Accedit *c. penult. eod.* ubi universaliter statuitur, ut de *alienis terris* etiam Religiosi Decimas reddant.

71 Resp. II. Privilegium *cit. c. 10. h. t.* Regularibus concessum, quo immunes sunt à solvendis Decimis *de pascuis & nutrimentis animalium, & hortis suis*, intelligi debet de pascuis, & hortis solis propriis, non conductis *arg. cit. c. 8. h. t. & c. 10. eod* ibi: *De suis* juncto *c. penult. eod.* Item *de solis suis*, quæ propriis manibus, vel sumptibus colunt, & colligunt, non quæ aliis elocant, *arg. c. 11. h. t.* obrationem *præced. n.* allegatam, & tenet cum communi aliorum Barbosa *in c. 10. h. t. n. 2.* allegans plures Rotæ Decisiones, Abbas *loc. cit. n. 3 & 4.* ubi insuper addit, dictum privilegium intelligi debere de solis hortis, pascuis &c. quæ ad proprium usum colunt non item de illis, ex quibus olera, herbas, & fructus ad vendendum colligunt; alias multæ possent committi fraudes, & non levia emergerent præjudicia locorum Parochis, & aliis jus Decimandi habentibus, ut si v. g Regulares prædia vel agros Decimis priùs obnoxios fraudulenter reducerent ad hortos superfluos: prout considerenti patet.

72 Resp. III. Privilegia specialia Corpori Juris non inserta cum derogatione Concilii Generalis *c. penult. h. t.* allegati, concessa, vi quorum Regulares eximuntur à solvendis Decimis de prædiis, terris, & fundis intelligi debent non tantùm de Novalibus, sed etiam de aliis, textu claro *c. Audientiam h. t.* ubi ratio additur illis verbis. *Nam si intelligeremus tantummodo de Novalibus, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus.* Dummodò ea propriis manibus, vel sumptibus colant; quia de prædiis, quæ aliis elocantur, vel ad colendum alienis sumptibus traduntur, Decimæ à conductoribus, vel colonis solvi debent, *arg. c. Ex par. 10. h. t. & c. Licet 11. h. t.* ibi: *Licèt de benignitate Sedis Apostolicæ sit vobis indultum, ut de laboribus, quos propriis manibus, vel sumptibus colitis nemini Decimas solvere teneamini: propter hoc tamen non est licitum vobis Decimas de terris vestris subtrahere, quas aliis traditis excolendas.*

73 Pro cujus majori intelligentia notandum, variis modis posse prædia, agros, fundos &c. aliis excolendos tradi. *Primò* ut nudis ministris, & famulis, qui sumptibus ipsius domini pro mercede sibi constituta, sive in pecuniis, sive in fructibus consistente fundum excolant: in quo casu certum est Regulares à Decimis immunes esse; quia licèt non propriis manibus, tamen propriis sumptibus fundum colunt, quod sufficit ad exemptionem à Decimis quoad novalia, hortos & nutrimenta animalium, *c. 10. h. t.* nec non quoad alia prædia, si specialia de eis privilegia habent eos eximentia à præstatione Decimarum de prædiis & fundis, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt, *arg. cap. Ad Apostolicam h. t. Secundò* tradi possunt prædia & fundi aliis colenda pro certa pensione annua sive pecunia, sive pecuniaria, sive frumentaria; seu in alia re consistente, ita, ut colonus propriis sumptibus & periculo proprio totum colat, omnesque fructus pro se colligat; præstans pro his Domino singulis annis vel certam quantitatem pecuniæ, vel certam mensuram frumenti, vel alterius rei, prout fit in Locatione, & Emphyteusi &c. in quo casu certum est, quod colonus de hujusmodi prædiis dare debeat Decimas, *arg. cit. can. Ex parte & c. Licet 11. h. t.* Ratio est; quia Regulares nec propriis manibus, nec propriis sumptibus colunt. Abbas *in c. 10. h. t. n. 2. Tertiò* tradi alicui potest prædium, vel fundus ad excolendum pro aliqua certa v. g. quarta, tertia & dimidia parte fructuum gignendorum ex tradito fundo, ita tamen, ut colonus talis partiarius propriis sumptibus totum colere, atque determinata parte ex fructibus gignendis contentus esse debeat, sive paucos, sive multos, sive nullos fructus fundus afferat. In hoc casu pariter non eximitur fundus, vel prædium à Decimis, quia propriè dici non potest coli fundus sumptibus Domini, sed coloni partiarii, hoc ipso, quod pars coloni partiarii subjiciatur fortunæ, ita ut si casu aliquo fundus nihil produceret, vel fructus, antequam colligerentur, grandine aut alio modo destruerentur, nil pro laboribus suis perciperet, cùm in tali casu verum esset dicere, dominum pro labore culturæ nihil solvisse, seu propriis sumptibus fundum non coluisse, consequenter à præstatione Decimarum immunem non esse. Abbas *loc. cit. gl. in Clem. 1. h. t. vers. Excolendas arg. cit. c. 10. & 11. h. t.* Secùs foret, si in omnem eventum certa mensura frumenti, vel aliorum fructuum præberi deberet colono, sive aliquid, sive nihil produceret fundus: tunc enim verè sumptibus propriis colere diceretur dominus; prout jam annotavimus in primo modo tradendi. Abbas & Glossa *loc. cit.* Pirhing *h. t. n. 68.*

74 Præfatam tamen doctrinam intellige, quando privilegium Regularium est personale, ipsis nempe personis Regularium, & non terris ipsorum datum, ut, si dicitur: *Regulares hos &c. eximimus à solutione Decimarum, de terris & fundis, quos propriis manibus, aut sumptibus colunt.* Nam quando privilegium est reale, ipsis etiam Regularium terris & fundis concessum tali v. g. modo; *Eximimus hos Religiosos, eorumque prædia, terras &c. à Decimis:* vel *Omnia prædia, fundi &c. horum Religiosorum immunes sint à Decimis*; tunc etiam coloni alieni suis sumptibus colentes prædia talia, sunt immunes à solvendis Decimis, uti docet Glossa *Clem. 1. h. t. vers. Extollendas.* Abbas *loc. cit. n. 4.* Pirhing *h. t. n. 69.* & alii. Ratio est; quia licèt privilegium personale non egrediatur personam, *l. in omnibus 68 ff. de R. I.* tamen privilegium reale transit cum re, sicut cum eadem transit onus, *arg. c. 33. h. t.* cùm contrariorum eadem sit ratio & disciplina *arg. L. 1. ff. de his, qui sunt sui & alien. & l. fin. ff. de Leg. 3.* Nec refert, quod privilegium reale agris Religiosorum concessum sit intuitu ipsarum personarum, quia Regulares vim & effectum privilegii tamen percipiunt, dum nempe majorem pensionem exigunt à colono, ob locatum prædium à Decimis immune.

75 Resp. IV. Cæterùm universaliter loquendo, licèt privilegia eximentia à Decimis ex parte eorum, quibus conceduntur, sint favorabilia beneficia, nihilominùs sunt strictæ interpretationis, ita ut nullo modo extendi debeant ultra casum proprium, aut propriam usitatamque significationem verborum, etsi adsit paritas, vel majoritas rationis. Abbas *in c. Licet 11. h. t. n. 2.* Innocentius *in c. cùm dilecti de donat.* Suarez *lib. de decimis cap. 18. n. 6.* Pirhing *h. t. n. 70.* Ratio est; quia sunt in præjudicium tertii, Parochorum nempe, & aliorum jus Decimandi habentium, utpote qui per similia privilegia Decimis privantur. Privilegium autem in præjudicium tertii est strictæ interpretationis, ita ut cum incommodo alterius concessum non intelligatur, nisi exprimatur, *L. 2. §. Si quis à Principe 16. ff. Ne quis in loco pub.* Quo non obstante privilegium circa Decimas absolutè, universaliter, ac indefinitè datum, taliter etiam debet intelligi, ut non tantùm ad bona jam possessa, sed etiam acquirenda extendendum sit, textu expresso *c. Quoniam 22. de Privil.* ubi etiam ratio additur: *Cùm nil exceperit, & potuerit excepisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda*, quantum nempe patitur proprius casus, ac propria verborum significatio juxta dicta ab initio hujus *nu.*

76 Quæritur, quandonam iterum amittantur, vel exspirent privilegia eximentia à solutione Decimarum? Resp. I. Quando tale privilegium progressu temporis incipit esse nimis præjudiciosum, & nocivum Ecclesiis Parochialibus, vel aliis jus Decimarum habentibus ipso Jure cessat; ut si v. g. alicui Monasterio modicos fundos, vel non adeò multos habenti concessum est tale privilegium, cessat, si posteà ejus possessiones agri, & fundi, sive dein donatione, sive emptione, sive per ingredientium Professiones acquisiti nimium augentur, uti si v.g. media, vel major pars agrorum possideatur, consequenter Decimæ successivè nimium subtrahuntur, indeque Parochi enormiter læduntur. Abbas *in c. Suggestum 9. h. t. n. 3. & 4.* Barbosa *ibid. n. 2.* & communis aliorum, *arg. cit. c. Suggestum 9. h. t. & c. Quid per novale 21. de V. S. & c. penult. de Clericis non resident.* ubi privilegium non residendi, Clericis datum exspirat, ob præjudicium, quod ex defectu Ministrorum emergebat Ecclesiæ. Ratio est: tum quia emergente tam gravi præjudicio res ad eum casum devenit, quem si Pontifex prævidisset, tam generale privilegium non dedisset; *arg. cit. Juribus.* Tum quia universaliter loquendo, quodvis privilegium cessat, quando incipit esse enormiter præjudiciosum tertio, uti habet Glossa communiter recepta *in reg. decet. 16. de R. I. in 6. V. decet.*

77 Quandonam autem privilegium eximens à præstatione Decimarum censeatur enormiter præjudiciosum Parochis, vel aliis, & quis de hoc judicare habeat, ponit Abbas *loc. cit. n. 4.* hanc regulam, videlicet, quod si notorium, & indubitatum est, privilegium esse notabiliter, & graviter præjudiciosum, cesset ipso Jure, possitque de hoc judicare, seu declarare etiam Judex inferior, Episcopus v. g. per citata Jura; & *l. Ex facto 43. princ. ff. de Vulg. & pupill.* Si verò sit dubium, esse ad Summum Pontificem pro declaratione, an enormiter sit læsivum, recurrendum, *arg. c. cùm venisset 12. de Judiciis* ubi Innocentius III *cùm super privilegiis Sedis Apostolicæ vertatur quæstio nolumus de his per alios judicari.* Ratio est; quia ejus est interpretari, cujus est condere, *arg. c. Inter alia 31. de Sententia*, ibi: *Unde jus procedit, interpretatio quoque procedit*, & *l. fin. C. de Leg.* Unde si Parochus putat, notorium & manifestum esse, se per Regularium privilegia in Decimis nimium gravari, accedat Episcopum, eique causam proponat, qui dein vel ipse declarabit, vel existente dubio Actorem ad Sedem Apostolicam diriget. Ubi notandum Episcopo, quod existente præjudicio enormi notorio non possit reducere ad debitam moderationem, sed debeat privilegium totaliter revocare, vel potiùs cessans declarare, uti post Abbatem *in cit. c. Suggestum 9 nu. 4. h. t.* notat Pirhing *h. t.* & alii. Ratio est; quia non apparet ratio quare magis debeat consistere in una parte, quam in alia, *arg. l. 1. §. Trebatius 18. ff. de Aqua quotid. & æstiv.*

78 Resp. II. Privilegium non solvendi Decimas *secundò* amittitur per non usum, seu potiùs usum contrarium, quo privilegiati Regulares Decimas per 40. annos solvunt. Abbas *in c. Accedentibus 15. de Privileg. n. 4.* Barbosa *in cit. c. Accedentibus & c. Si de terra 6. h. t. n. 3.* Felinus *in c. cùm accessissent de Const. n. 99.* Pirhing *h. t. n. 75.* & communis aliorum. Textus expressus habetur *cit. c. Accedentibus 15. de Privileg.* ubi etiam ratio habetur illis verbis: *cùm enim tanto tempore contra indulta privilegia Decimas solverint, eis renuntiasse tacitè præsumuntur.*

79 Nec obstat *c. Si terra 6. eod.* ubi claris terminis dicitur, sufficere ad amittendum privilegium præfatum, si per 30. annos privilegiati solvant decimas. Nam contra est, quod citatum *c. Si terra 6. h. t.* Jus antiquum continens sit correctum à *c. Accedentibus*, utpote Jus recentius continente; uti benè advertunt DD. citati. Accedit; quod Jure novo universaliter contra Ecclesiam etiam minorem quamcunque, ac privilegia ejusdem non nisi quadraginta annorum admittatur præscriptio, textu claro *cap. de Quarta 4. & c. Illud 8. de Præscrip.* ibi: Illud autem te scire volumus, & tenere, quod adversus Ecclesias minorem præscriptionem quam quadraginta annorum Romana Ecclesia non admittat, licèt quidam Canones comprobent triennalem. Plura de hoc infrà *l. 5. tit. 33. de Privil.*

80 Resp. III. Ulteriùs amitti potest privilegium non solvendi decimas *transactione, conventione*, seu *pactione* facta inter partes, Parochum v.g. & Regulares, si hi privilegium vel ex toto, vel ex parte remittunt. Caret controversia textu claro *c. 3. c. Dilecti 8. in fine c. Suggestum 9. & c. penul. h. t.* Ratio est; quia *unicuique liberum est suo juri renuntiare c. Si de terra 6. de Priv.* Et quidem talis transactio seu conventio absolutè facta extendit se etiam ad futura ac nova privilegia, ita ut per hæc nullatenus derogetur priori conventioni seu transactioni super Decimis factæ; nisi

nisi in novo privilegio de tali conventione expressa fiat mentio, eique expresse derogetur, textu claro *c. Ex multiplici 3 b. t* & ibi Abbas *n. 1.* Barbosa *n. 1.* Anchoranus, & Jo Andreas *ibid.* cum communi.

81 Ut autem talis compositio consistat, fieri debet cum consensu legitimorum Superiorum juxta Ordinis Statuta & regulas, ita ut privilegio alicui toti Religioni, aut Provinciæ concesso, à privatis Prælatis, vel à Superioribus renuntiari non possit. Ratio est: quia *pacto privatorum Jure communi derogari minime potest c. Si diligenti 12. de Foro compet.* Secùs est, si alicui Monasterio soli, aut Conventui privilegium sit concessum, tunc enim Prælatus cum consensu Capituli, conventione privilegio renuntiare valet *arg. cit. Ex multiplici 3. b. t.*

82 Porrò ut in compendio sciatur, quinam Religiosi, quomodo, & à quibus Decimis solvendis per privilegium sint exempti? sit sequens brevis recapitulatio dictorum. Videlicet, quod *primò* omnes Regulares de Jure communi, seu per privilegium juri communi insertum, sint exempti à solvendis Decimis de Novalibus, quæ vel propriis manibus, vel propriis sumptibus colunt per dicta *n 62.* Cui privilegio nec in minimo derogatum est per *c. Nuper 34. b. t.* uti cum Abbate *in cit. c. 34. b. t. n. 3. ad finem*, Fagnano *ibid. n. 22.* Pirhing *b. t. nu. 58.* & aliis docet communis, eò quòd *in cit. c.* prorsus nulla mentio fiat de Novalibus, sed contra quorundam privilegia solùm statuatur, ut Decimas solvant de terris alienis; nec non & de propriis illis, de quibus priùs, antequam nempe ad eos pervenerunt, Decimæ solvebantur: quæ Constitutio nullo modo afficere potest Novalia, utpote terras, quæ juxta dicta *nu. 70.* ultra memoriam hominum absque cultura existentes, de novo ad culturam rediguntur; de talibus enim, hoc ipso quod incultæ ac infrugiferæ fuerint Decimæ priùs non solvebantur.

83 *Secundò*, eodem jure communi omnes Regulares sunt exempti à solutione Decimarum de hortis & animalium nutrimentis quæ propriis manibus, aut sumptibus colunt, per dicta *num 62. Tertiò*, Cistercienses dicto jure communi ulteriùs specialiter sunt exempti à solutione Decimarum etiam de prædiis & terris non novalibus illis, de quibus, antequam ad eos pervenerunt, Decimæ non solvebantur per dicta *n. 63.*

84 De reliquis autem prædiis, terris, agris, & fundis omnibus, etiamsi eas propriis manibus, & sumptibus colant, de jure communi Decimas dare omnes Regulares, nullo excepto, æque tenentur ac Laici, per dicta *n 53. arg c. ex par 10. & c. penult. b. t.* Quod intellige non tantùm de fundis, terris, agris, prædiis &c quæ emptione, vel alio contractu oneroso acquirunt, sed etiam quæ eisdem pro fundatione Monasterii, Ecclesiæ, aut ipsorum Religiosorum donantur, Abbas *in cit. c. Nuper. 34 b. t. not. 1* Fagnanus *ibid. n. 10.* & alii Limita tamen in fundis, quibus ipsum inædificatur Monasterium, Fagnanus *loc. cit.* quia postquam in fundo aliquo Monasterium fuit ædificatum nullum amplius affert fructum fundus ille, consequenter frustra ibi quæruntur Decimæ.

85 Insuper tenentur ad Decimas de omnibus terris, etiam novalibus, quæ ab alienis conducunt. Pariter debentur Decimæ de Novalibus propriis Religiosorum, si ea aliis elocant per dicta *n. 72* Quod si contra jus commune privilegium speciale objiciunt, illud probare tenentur, per dicta *num. 69.*

86 Quæritur IV. An per consuetudinem, vel præscriptionem quis eximi possit à solvendis Decimis? Resp. Laici nulla consuetudine, vel præscriptione eximi possunt à solvendis decimis; nisi adsit consensus & approbatio Summi Pontificis, Glossa *in c. In aliquibus 32. ℣. Lege Divina b. t.* &. Abbas ibi *n. 7.* ac Innocentius, Felinus *in c. causam, quæ de Præscr.* Cardin. à Turrecrem. *in c. revertimini caus. 26. q. 1. n. 14.* Paul. Paris. *lib. 4. consil. 25.* & communis antiquorum contra recentiores ferè omnes tam Theologos, quam Canonistas. Conclusio necessariò sequitur ex conclusione suprà *n. 13.* posita, ubi probavimus, decimas etiam formaliter sumptas esse de jure Divino: hoc enim supposito, certum est, Laicos à decimis jure Divino debitis, nulla consuetudine aut præscriptione eximi posse, cum nulla contra Jus naturale aut Divinum valeat consuetudo *c. fin. de Consuet.* cum Concordantiis.

87 Dicitur autem notanter, *nisi adsit consensus, & approbatio Summi Pontificis*: hic siquidem si adest, consuetudinem validam esse, omnes fatentur: si enim Summus Pontifex absque consensu consuetudinis eximere quem potest à solvendis decimis, multò magis id poterit, concurrente consuetudine, modo nempe, quo diximus suprà *n. 61* Utrùm autem taciturnitas Pontificis consensum tacitum, atque sufficientem innuat, olim controversum erat etiam apud veteres Canonistas, uti videre est apud Abbatem *loc cit. n. 8.* ubi affirmativam amplectitur, ne tot animæ damnentur. Verùm negativa juri tam veteri, quam novo conformior, & vel ideò tenenda est, tum quia in jure repetitis vicibus habetur, decimas integras deberi jure Divino, uti vidimus suprà *nu. 14.* Tum quia Pontifex ad plurimas alias consuetudines, & corruptelas contra jus Divinum, ac naturale passim vigentes tacet, & tamen tacendo eas approbare non censetur; ergo nec consuetudinem non solvendi decimas jure Divino debitas taciturnitate approbare dicendus erit; cùm non sit major ratio de uno quam altero: ubi autem eadem est ratio, pariter est discurrendum; cùm de similibus idem sit judicium *l. Non possunt & seq. ff. de Legib. & §. Rectè Instit. Mandati*: unde ad punctum taciturnitatis reponitur illud juris *Multa per patientiam tolerantur, quæ si in judicium deductæ fuerint, tolerari non debent.* Accedit novissima Constitutio Urbani VIII. quæ incipit *Romanus Pontifex*, & est 159. inter Constitutiones dicti Pontificis in Bullario Cherub. ubi expresse protestatur: quod *per tolerantiam, vel taciturnitatem, aut conniventiam* nullatenus velit suffragari alicui in iis, quæ sunt præjudiciosa Ecclesiis, cujusmodi utique etiam est consuetudo Laicorum non solvendi decimas, ut etiam observat Fagnanus *in c. In aliquibus 32. b. t. n. 14.*

Objicies I. Plures textus juris, ex quibus aperte colligi videtur, consuetudinem in decimis universaliter attendendam esse; sic enim dicitur *c. cùm sint homines 18. b. t. in hujusmodi dubitatione* (circa Decimas) *ad consuetudinem duximus recurrendum c. Ad Apostolicæ 20. eod.* ibi: *Tu eligas in hoc casu* (Decimarum) *quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum*, cum Concordantiis Resp. Per hos & alios juris textus, in quibus habetur, in materia decimarum attendendam esse consuetudinem locorum, penitus nihil pro se probare Adversarios. quia in nullo eorum, nec in toto jure habetur, quod quis per consuetudinem omninò, vel ex parte immunis sit, vel esse possit à solvendis decimis, sed tantùm, quod attendi debeat consuetudo circa modum, quo solvi, & locum, in quo solvi debeant decimæ, uti aperte constat legenti citatos *cùm sint homines, & c. Ad Apostolicæ b. t.* unde mirum, quod Adversarii ex his textibus probare nitantur, consuetudine acquiri posse exemptionem à solvendis decimis. 88

Objicies II. *c. In aliquibus 32. b. t.* ubi dicitur *illæ Decimæ necessariò solvendæ sunt, quæ debentur vel ex lege Divina, vel loci consuetudine approbata*: ex quo manifeste patere videtur, non omnes sed aliquas tantùm decimas deberi jure Divino. aliquas verò videlicet formaliter sumptas sola consuetudine quæ per contrariam consuetudinem iterum tolli potest per ea, quæ diximus *l. 1. tit. 4. de Consuetud. §. 8.* Resp. cum Glossa hunc textum intelligendum esse, sicut *c. 18. & 20. b. t.* videlicet, quod circa modum & locum attendenda sit consuetudo: vel esse intelligendum de consuetudine approbata à Summo Pontifice, ita ut vi consuetudinis à Pontefice approbatæ fieri possit quod non integras decimas, sed tantùm partem earum v. gr. vigesimam aut trigesimam dare teneatur locus aliquis: quæ responsio conformis est textui, ubi tantùm est sermo de consuetudine approbata circa obligationem solutionis decimarum non integrarum, utpote ad quas de Jure jam debitas nec consuetudo, nec approbatio requiritur, sed secundùm partem tantùm. Deinde responderi potest concedendo, quod aliquæ Decimæ sola consuetudine debeantur, illæ nempe quæ solvuntur à personis de jure ad solvendas decimas non obligatis; quales sunt Clerici *cap. 2. b t.* item secundùm aliquos decimæ personales, utpote secundùm communissimam solo jure humano debitæ. Et ex his responsis patet, nec textum *c. In aliquibus 32. b t.* nec alium textum quidquam probare pro Adversariis. 89

Objicies III. Consuetudo immemorialis æquivalet privilegio, ut habet communis apud Covarruviam *lib. 1. Var. resol. cap. 17. n. 5. arg. l. fin. ff. de Aqua, & aquæ pluviæ arg.* ergo saltem per hanc acquiri potest exemptio à solvendis Decimis. Resp. Transmisso ant. negando consequentiam; quia Bulla Urbani VIII. suprà *n. 87.* citata expresse contradicit: uti benè observat Fagnan. *in c. In aliquibus 32. b. t. n. 14. & in c. de Consuet. n 57.* Nec valet dicere, dictam Bullam in his locis non esse promulgatam, vel saltem non receptam. Nam contra est, quod in eadem expresse etiam inter alia habeatur, non licere eidem contra venire *sub prætextu, quod non fuerit publicata, vel usu recepta, aut usu contrario quantumlibet longissimo abrogata*: sunt verba *§. 4. ejusdem Bullæ.* 90

91 Objicies IV. Per consuetudinem passim sublatæ sunt non tantùm Decimæ personales, sed etiam in plerisque locis prædiales & reales minutæ, ac in nonnullis locis etiam Decimæ majores, & in aliis locis sunt diminutæ: ergo vel consuetudo hæc valida erit & licita: vel certè innumeri homines etiam alias timorati, qui huic consuetudini ubique se accommodant, graviter peccabunt. Resp. Illos, qui vi solius consuetudinis Decimas reales non solvunt, secundùm Antiquorum (cum quibus & nos sentimus) sententiam, reverà peccare omnes, quos non excusat ignorantia, vel bona fides, qua credunt, se male non agere sequendo communem gravissimorum DD. opinionem. Cæterùm relinquimus judicio prudentis Lectoris, quænam sententia Antiquorum nempe, an Recentiorum in hoc puncto sit probabilior. Solummodo monemus Doctiores teneri sedulò indagare veritatem, illamque sententiam, quam revera judicant probabiliorem ipsosmet non tantùm sequi, sed & interrogatos aliis consulere, eò quòd juxta omnes non liceat sequi sententiã probabilem relicta probabiliori in materia tangente præjudicium tertii, qualis est materia Decimarũ.

§. V.

De Personis, quibus Decimæ sunt solvendæ.

SUMMARIUM.

92 *Decimæ Jure Divino debentur Clericis Ecclesiæ Ministris, olim per Episcopos dividendæ.*
93 *De Jure communi Decimæ debentur Parochis.*
94 *Decimæ prædiales pertinent ad Parochum loci, in quo prædia existunt.*
95 *Nisi aliud habeat consuetudo.*
96 *Quomodo, non obstante, quòd Decimæ debeantur Jure Divino, valeat consuetudo? Et nu. seq.*
98 *Parocho proprio non fit injuria, si Decimæ prædiales alieno Parocho solvantur.*
99 *Decimæ personales debentur Parocho, à quo quis recipit Divina.*
100 *Parochi habent fundatam intentionem in Jure super Decimis contra quemvis.*
101 *Ob quam tamen Decimas alienas invadere non possunt nec invadentes manutenentur.*
102 *Doctrina practica.*
103 *Ecclesia Baptismalis, & Matrix quæ?*
104 *Quando dividitur aliqua Parochia, remanent Decimæ prædiales apud Matricem, nisi aliter ordinet Episcopus.*
105 *Probatur ex Jure.*
106 *Nec est necesse, ut Episcopus omnes Decimas assignet.*
107 *Episcopis debetur quarta de singulis Decimis.*
108 *De quibus habet fundatam intentionem.*
109 *Enumerantur casus; in quibus Episcopo debentur integræ Decimæ, usque ad n. 112.*
112 *Etiam aliis Clericis Beneficiatis debentur Decimæ: & quando?*
113 *Secùs est de non Beneficiatis.*
114 *Decimæ solvi debent Clericis Ecclesiæ Ministris, etsi hi sint divites.*
115 *Vel malæ vitæ.*

92 Quæritur I. Cuinam solvendæ sint Decimæ? Ante responsionem notandum quod Jure Divino Decimæ solvi debeant Clericis Ecclesiæ Ministris, prout patet ex dictis suprà *n. 13* ac *c. Tua nobis 26. b. t.* ubi expresse dicitur quod *Deus decimas in signum universalis dominii sibi reddi præceperit, & in tantum, ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse suo cultu concessit, Laici sint cogendi*: quibusnam autem Ecclesiæ Ministris singulæ Decimæ essent solvendæ, determinandum Deus reliquit Ecclesiæ, ejusque summo Capiti visibili, nempe Papæ, qui pro diversitate temporum & circumstantiarum Decimas Ecclesiæ Ministris diversimode assignavit. Et quidem olim Decimæ omnes solvebantur loci Episcopo, ad hoc, ut ille easdem Clericis Ecclesiæ Ministris, cuivis pro merito & exigentia in sua Diœcesi fideliter distribueret, prout videre est *in can. 1 caus. 16. qu. 7.* ibi: *Decimas sub manu Episcopi esse censemus, ut ille, qui cæteris præest, omnibus juste distribuat, &c. quia inhonestum videtur, ut alii Sacerdotes habeant, & alii detrimentum patiantur.* Concordat *can. Pervenit. 3. ead. caus. & qu.* ubi Episcopus vocatur *Divini mandati transgressor*, quod Decimas Laicis, & non propriæ Diœcesis Sacerdotibus distribuerit. Verùm Jure novo aliter diposuere Pontifices, uti dabunt Conclusiones sequentes.

Ref. I. Hodierno Jure communi post factam Parochiarum, ac bonorum Ecclesiasticorum divisionem, Decimæ solvi debent Parochis. Barbosa *de offic. & potest. Paroch. par. 3. c. 28. §. 2. nu. 7. & seq.* Fagnan. *in c. cùm contingat 29. b t.* Pirhing *b. t. n. 80.* cum communi aliorum, claris juribus *c. cùm contingat. 29. b. t.* ibi: *Perceptio Decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertinent. & c. cùm in tua 30. eod.* ibi: *Ad Ecclesias Parochiales de Jure communi spectat perceptio Decimarum* Nec est controversia inter DD. circa Conclusionem de Parochis in genere propositam: quia verò varii Parochi, & Ecclesiæ Parochiales sunt, proprii nempe & alieni, Baptismales & non Baptismales; aliqua controversia est inter DD. cuinam Parocho debeantur Decimæ? Pro cujus decisione faciunt Conclusiones sequentes. 93

Ref. II. De jure communi Decimas prædiales Parocho loci solvere debent non tantùm Parochiani proprii, sed etiam alieni de agris & prædiis, quæ intra limites talis Parochiæ existunt, nisi in contrarium sit loci consuetudo. Prima pars de propriis Parochianis est communis ac certa, patetque ex Juribus *præced. n.* allegatis. Altera pars docetur à Glossa *in c. fin. de Paroch. ℣. Prædiorum & in c. Apostolicæ 20. ℣. consuetudo*, nec non *in c. cùm sint 18. ℣. Diversæ b. t.* Fagnan. *in c. cùm contingat. b. t. n. 21.* Abbas *in c. cùm sint 18. b. t. in 6.* Pirhing *b. t. n. 85* Engel *eod. n. 6.* Sylvester *℣. Decimæ n. 14.* Navarrus *b. t. consil. 1. n. 6.* & communis aliorum, *arg. c. fin. de Paroch & c. Quoniam 13 b. t.* ubi universaliter ac indistincte statuitur, *ut si terræ intra certam alicujus Ecclesiæ Parochiam fuerint, Decimæ earum eidem Ecclesiæ debeant assignari.* Ratio est: tum quia juxta dicta superiùs Decimæ prædiales sunt onus reale inhærens ipsis rebus; in oneribus autem realibus non inspicitur colonus, sed locus, ubi res sita est, *arg. leg. Forma 4. ff. de cens. & c. de terris 16. b. t.* Tum quia valde difficile, & confusionis periculo expositum esset, si unus Parochus in alterius Parochia Decimas colligeret, uti bene notatur *cap. cùm sint 18. b. t.* 94

Dicitur tamen notanter *nisi in contrarium adsit consuetudo*; quia si alicubi viget consuetudo, quod Parochiani non alienò, sed proprio suo Parocho solvant decimas etiam de agris, & fundis in aliena parochia sitis, eidem standum est: prout fatentur omnes, ob clara Jura *c. cap. cùm sint 18. b. t.* ubi expresse statuitur, ut *in hujusmodi casu ad consuetudinem sit recurrendum*, quod item dicitur *c. Ad Apostolicæ 20. b. t.* illis verbis: *Decimas verò messium, vel fructuum, arborum, si coluerint in alia Parochia, quam in ea, in qua habitant: tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum.* 95

Dices, Decimæ tam materialiter quam formaliter sumptæ debentur de Jure Divino juxta dicta suprà *n. 8. & seq.* ergo nihil circa eas valet consuetudo, utpote quæ contra Jus divinum nullam vim habet *cap. fin. de consuet.* Resp. Distinguendo Ant. decimæ debentur de Jure divino in tantùm, quantum pro signo supremi dominii Ecclesiis, seu Clericis Ecclesiæ Ministris debeant solvi, conceditur: in tantum, ut de Jure divino uni certo Ecclesiæ Ministro, & non alteri Ministro solvi debeant. 96

negatur Ant. quia uti *n. 62.* diximus, Deus tantùm præcepit, ut pro cultu Decimæ dentur Clericis, relinquendo dein Vicario suo, & Ecclesiæ ut easdem pro meritis & exigentia circumstantiarum dividat; consequenter quia Ecclesia Decimas prædiales illi Parocho assignat, cui ex consuetudine dari consueverunt, sive dantis proprius sit Parochus sive non, consuetudo hæc attendenda erit.

97 Instabis: Decimas de Jure Divino debet quivis illi Parocho, à quo recipit Sacramenta, & alia Divina; Cùm Jure Divino *dignus sit operarius mercedi sua; arg. c. 1. de Sepulturis*, ergo per consuetudinem fieri non potest, ut neglecto Parocho proprio Decimas quis solvat alieno Parocho. Resp. rursus distinguendo Ant. Decimas materialiter sumptas, quatenus nempe sumuntur pro honesta sustentatione, de Jure Divino debet quivis illi, à quo percipit Divina, conceditur: Decimas formaliter sumptas, negatur; hæ enim, ut dictum, ex Divino Jure solummodo debentur Ecclesiæ, & Clericis Ecclesiæ Ministris in genere, ita ut quantum est de Jure Divino, & nisi Ecclesia aliud ordinasset, præcepto huic quis satisfaceret, cuicunque tandem Ecclesiæ, & Ministro ejus Decimas daret: adeoque de Jure Divino non referat, quænam Ecclesia vel Minister ejus Decimas percipiat; cùm, uti bene observat Abbas *in c. cùm sint 18. h. t. num. 6.* omnes Ecclesiæ censeantur una Ecclesia, *arg. can. Loquitur 18. caus. 18. qu. 1.* & quivis Clericus Beneficiatus eodem modo & obligatione teneatur in pauperes, & causas pias erogare, quidquid ex Decimis honestæ sustentationi superfluum habet, *arg. can. Decima 66. caus. 16. qu. 1.*

98 Neque fit injuria proprio Parocho, si vi consuetudinis Decimæ prædiales dentur alieno, illi nempe, ubi ager, vel fundus dantis Decimas existit. Tum quia pari jure in simili casu & ipse gaudet, ut nempe ab alieno Parochiano, habente in sua Parochia prædia, decimas, percipiat: tum quia remanent eidem adhuc omnes decimæ personales, ac etiam prædiales de agris intra limites suæ Parochiæ sitis: tum etiam quia omnibus deficientibus habet jus ad decimas materialiter sumptas, seu ad honestam sustentationem, ad quam, si necesse est, etiam illi proprii Parochiani concurrere debent, qui alieno Parocho decimas formaliter sumptas vi consuetudinis solvunt de suis fundis in aliena Parochia sitis.

99 Resp. III. Decimas personales de Jure communi quisque tenetur solvere proprio Parocho, à quo recipit Sacramenta, & alia Divina, etiamsi alibi lucrum ex negotiatione v. gr. faciant. Abbas *in c. Ad Apostolicæ 20. h. t. n. 1.* & ibi Barbosa, Jo: Andreas, Pirhing *h. t. nu. 84.* cum communi & certa aliorum, textus expressus habetur *c. cap. Ad Apostolicæ 20. h. t.* ibi, *Noveris itaque, quod æquum est ut illi Ecclesiæ Decimæ personales reddantur ab eis, in qua Ecclesiastica percipiunt Sacramenta*, Concordat *c. fin. de Parochiis*. Ratio est; quia Decimæ personales non sunt onus reale, sed personale ex dispositione Ecclesiæ assignatæ Parocho proprio in sustentationem ejusdem pro mercede laboris spiritualis, quem Parochiano exhibet, *arg.* citatis Juribus, *& c. Decimis 45. caus. 16. qu. 1.*

100 Resp. IV Decimæ modo in præcedentibus tribus conclusionibus specificato, usque adeò debentur parochis, ut hi etiam habeant pro se fundatam intentionem in Jure contra quemcunque etiam Clericum, Monasterium imò & Episcopum, consequenter emergente dubio vel lite de Decimis, onus probandi non Parocho, sed aliis afferentibus, quod Decimæ pertineant ad se, incumbat. Fagn. *in c. cùm contingat 29. n. 21.* Rebuffus *de decim. q. 7. n. 5* Barbosa *de Offic. & potest. Paroch. par. 3. c. 28. §. 2. n. 8* Pirhing *h. t. n. 80.* & teste Fagnano omnes alii, *arg. c. cap. cùm contingat 29. & c. cùm in tua 30. eod.* per textus *n. 93.* allegatos, juncto *c. 2. de restit. spoliat. in 6.* ubi etiam statuitur, quod licèt alias spoliatus ante omnia sit restituendus, *arg. c. fin. de Ordine cognit.* spoliatus tamen à Parocho super Decimis non restituatur, nisi priùs de jure suo plenè docuerit.

101 Verùm ultima hæc doctrina cum grano salis est accipienda, ita videlicet, quod Decimis spoliatus per Parochum non restituatur, casu, quo Parochus spolians aliquamdiu jam modico saltem tempore est in possessione: non item si priùs nullam possessionem habuit, ut bene advertit Engel *h. t. n. 4.* Barbosa *de offic. & potest. Paroch. loc. cit. n. 10.* citans plures Decisiones Rotæ, quæ hodie communiter resolvit, quod sola Juris assistentia, & intentio in eo pro Parocho fundata non sufficiat, ut Parochus manuteneatur, nisi possessionem probet, vel de ea constet. Et meritò, quia alias daretur ansa Parochis, aliorum jura liberè invadendi, litem movendi, & quemvis Decimis spoliandi, contra universalem Juris Regulam, quod etiam verus dominus rem suam apud alium existentem violenter invadere nequeat, *l. Si quis 7. C. Unde vi & §. 1. Inst. de vi bon. rapt. & c. In litteris 5. de restit. spoliat.* ubi etiam *prædo secundum rigorem Juris restituendus est*.

102 Infertur proin pessimè agere Parochos, si violenter eripiunt Decimas aliis, qui in possessione Decimandi sunt: vel si eas via facti ante adventum illorum colligunt: vel eos in colligendis Decimis perturbant, impediunt &c. etiamsi putent, quod alius Decimator in possessione existens, verum jus Decimandi non habeat, vel si de eo dubitet: sane in hoc casu Decimatores spoliati à Parocho sunt ante omnia restituendi, & in sua possessione manutenendi, solumque eò adigendi, ut dubio existente, de justo titulo & Jure Decimas percipiendi doceant per Jura, & rationes *nu. præced.* allatas.

103 Et quidem hactenus dicta de jure Decimarum Parochis competente procedunt in casu, quo eadem Ecclesia est simul Baptismalis & Parochialis, prout ordinarie fit. Quid Juris enim si cum Ecclesia Baptismali seu Matrice concurrit una, vel plures Ecclesiæ Parochiales ab illa distinctæ; prout fit, si una Ecclesia Parochialis in plures Parochias dividitur juxta præscriptum *Concil. Trid. Sess. 21. c. 4. & c. Ad audientiam de Eccles. ædificand.* an nempe in hoc casu Decimæ quoad limites novæ Parochiæ assignatos pertineant ad novum Parochum instituendum? an verò ad Parochum Ecclesiæ antiquæ, quæ fuit divisa (communiter *Baptismalis* dicta, eò quòd ad eam baptizandi adhuc deferri debeant infantes intra limites novæ erectæ Parochiæ nati: quo respectu etiam *Ecclesia Matrix* appellatur; quia sicut mater generat, ita Ecclesia Baptismalis baptizando omnes regenerat, sicque omnium Ecclesia Matrix meritò dicitur, prout notat Glos. *in Clem. 1. de sentent. excomm. vers. Matricem*) gravissima hic erat controversia inter DD. uti videre est apud Fagnan *in c. c. cùm contingat. h. t. n. 31. & seq.* ubi sex diversas opiniones cùm fundamentis earum per extensum adducit, & ad singulas solidè respondet. Verùm tota difficultas hodie sublata est per S Congregationem Concilii Tridentini, juxta quam

104 Resp. V. Quando Parochia aliqua dividitur in plures, tunc Decimæ prædiales etiam de limitibus Parochiæ noviter erectæ pertinent ad Ecclesiam Matricem, seu potiùs apud eam remanent, nisi in erectione novæ Parochiæ Episcopus una cùm limitibus certis, etiam dictorum limitum Decimas Parocho expressè assignet. Fagnan. *in c. cùm conting. 29. à nu. 42.* cum nonnullis aliis contra communem aliorum, inter quos est Pirhing *h. t. nu. 91.* Layman *l. 4. tract. 6. cap. 4. num. 3.* & alii, docentes, quod quando Authoritate Episcopi nova Parochia per divisionem erigitur, ipso jure & facto transeat jus Decimandi ad novum Parochum in limitibus sibi assignatis. Probatur autem Conclusio nostra efficaciter ex Decreto S. Congregationis *edito 1617.* existente Secretario ipso Fagnano (prout *loc. cit. n. 51.* ad finem refert) cum enim eo tempore in causa Mediolanensi circa hanc quæstionem dubitaret Rota, nec se resolvere posset ob verba Concilii Trident *Sess. 21. c. 4. assignetur competens portio*, confugit ad S. Congregationem Cardinalium dicti Concilii Interpretum, ab eaque declarationem petiit, quæ facta matura discussione declaravit id, quod dicit conclusio nostra. Et quamvis alia probatione opus non esset, eò quòd Declaratio Cardinalium habeat vim obligandi juxta dicta in Procemio nostro §. 8. *n. 130.*

105 Nihilominùs eum citato probatur, quam meritò dicta S. Congregatio allegatam Declarationem dederit. Et quidem ex ipsis verbis Concilii Trid. *loc. cit.* ubi postquam Episcopis potestatem dedit per divisionem novas erigendi Parochias, mox subdit: *Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi,*

com-

competens assignetur portio, arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam Matricem, quomodocunque pertinentibus: ubi verba *assignetur competens portio arbitrio Episcopi*, apertè probant Conclusionem: si enim post factam divisionem portio competens primùm assignari debet arbitrio Episcopi; utique non transit ipso Jure, nam terminus *assignetur*, est verbum facti, & requirit ministerium hominis *arg. l. Si quis §. fin. ff. Nautæ, caupones &c.* Dein, dum dicit *arbitrio Episcopi* assignetur, indicat, eam non transire ipso Jure. Rursus verba *competens portio* satis indicant, non omnes, ergo nec aliquæ certæ de certis limitibus ipso Jure debentur: cùm non sit major ratio de uno quam de alio; consequenter erit primùm assignanda, prout vult Concilium, arbitrio Episcopi.

106 Porrò dicta verba *competens portio arbitrio Episcopi assignetur ex fructibus quomodocunque ad Ecclesiam Matricem pertinentibus* manifestè indicant non semper esse necesse, ut Episcopus omnes Decimas de limitibus novæ Parochiæ datis Parocho novo assignet, sed tantas solummodò, quantæ sufficiunt una cum cæteris juribus ad competentem portionem: omnes nempe, si omnes necessariæ sunt; aliquas verò, si aliquæ sufficiunt pro competente portione, ac honesta sustentatione, prout benè advertit Fagnanus *l. c. n. 48. arg. c. Extirpandæ 30. & Exposuisti 33. in fine, de Præb.* Cæterùm dicit notandum in Conclusione *Decimæ prædiales*; quia quòd Decimæ personales spectent ad Parochiam noviter erectam, ipsoque Jure ad ipsam transeant, est ferè unanimis cum Glossa *in c. Ad audientiam 3. de Eccles. ædif. vers. Obventiones*, & benè notat Fagnanus *l. c. n. 52.* Ratio est, quia Decimæ personales de Jure debentur illi Parocho, à quo quis recipit Divina; prout teste Abbate *in c. Cùm contingat h. t. n. 16.* & Fagnanus *in idem, n. 20. & 32.* concedunt omnes *arg. can. Quæsitum caus. 16. q. 1. & c. Ad Apostolicæ 20. h. t.* ibi: *Æquum est, ut Decimæ personales illi reddantur Ecclesiæ in qua Ecclesiastica percipiuntur Sacramenta*: Nec in contrarium est Declaratio S. Congregationis, utpote quæ de solis prædialibus interrogata, de iisdem solis dedit responsum, teste Fagnano *l. c.* tunc temporis existente S. Congregationis Secretario.

107 Quæritur II. An, & quando hodierno Jure communi etiam Episcopis solvi debeant Decimæ? Resp. I. De Jure communi debetur Episcopo *Quarta* de singulis Decimis. Abbas *in c. Cùm contingat 29. n. 7. h. t.* & ibi Fagnanus *n. 23.* ubi affert Rotæ Decisiones, & ait esse communem omnium ferè DD. contra Glossam *in cit. c. Cùm contingat h. t. vers. De Jure communi* textus expressus est *in c. Conquerente 16. de Offic. Judic. ordin.* ubi inter Jura Episcopis competentia numeratur *quarta Decimationum*. Concordat *c. Quoniam 13. eod.* ubi jubetur Episcopus Decimas Ecclesiæ Parochialis restituere, *sua sibi parte quarta nempe retenta, & c. De quarta 4. de Præscript.* ubi etiam habetur, quòd Clerici, præsertim Parochi (ab his enim Episcopus *quartam* de Decimis jam collectis accipit, prout post Abbatem benè observat Barbosa *de Offic. & potest. Paroch. p. 3. cap. 28. §. 2. n. 11.*) quadragenaria præscriptione immunes se reddere possint à solvenda Episcopo quarta Decimarum, ibi: *De quarta Decimæ Clerici ab impetitione quadragenaria præscriptione temporis se posse tueri videntur*. Et quoniam eadem *quarta* sola dispositione Juris humani Episcopis debetur, etiam consuetudine lucrum tolli potest, *arg. c. fin. de Consuetud.* atque de facto multis in locis est sublata.

108 Porrò sicut juxta *n. 100.* Parochus ratione *Decimarum*, ita etiam Episcopus ratione *quartæ* earundem fundatam habet intentionem: Barb. *l. c. n. 10.* Fagnan. *l. c. n. 23.* & communis DD. *arg. c. Dudum h. t.* intuitu cujus tamen eidem mandatum de manutenendo non debetur, nisi probet, se aliquo saltem tempore in possessione fuisse, ob Jura, & rationes suprà *n. 101.* in simili de Parochis allata.

109 Resp. II. Dantur aliqui casus, in quibus soli Episcopo solvi debent integræ Decimæ. Patet inductione: sic enim I. In Diœcesibus, in quibus nulla existit divisio vel distinctio Parochiarum, soli Episcopo debentur, quemadmodùm easdem olim percipiebat, non quidem, ut sibi soli eas reservet, sed ut eas fideliter distribuat, conformiter dictis *n. 92.* Fagnanus *loc. cit. n. 29.* Barbosa *loc. cit. n. 15.* Abbas *in c. Cùm contingat h. t. n. 7.* Puteus *Decis. 371. n. 6. l. 2.* & communis aliorum, *arg. can. 1. cau. 16. q. 7.*

110 II. Quando sunt in Diœcesi prædia, quæ intra nullius Parochiæ assignatos limites existunt, seu nulli certæ Parochiæ sunt assignata. Fagnanus *loc. cit. n. 28.* Barbosa *loc. cit.* Abbas *loc. cit. n. 7.* Pirhing *h. t. n. 79.* & communis aliorum, *arg. c. Quoniam 13. h. t. in fine*. Ratio est; quia si prædia intra nullius Parochiæ limites existunt, censentur esse sub potestate Episcopi, juxta antiquam Juris dispositionem dividendæ, uti benè observat Gl. *in c. Cùm contingat h. t. v. Jure Communi, arg. cit. can. 1. caus. 16. q. 7.*

111 III. Quando Episcopus est etiam immediatus Pastor, sive Curatus in aliqua certa Parochia, quam per Vicarium administrat, sive dein hæc sit Ecclesia Cathedralis, sive alia Parochialis. Fagnan. *l. c. n. 2.* Pirhing *l. c. n. 79.* & alii. Ratio est; quia hoc ipso, quòd in aliqua Parochia sit ipse immediatus Pastor, sicque Parochus, gaudet etiam juribus Parochi, inter quæ est perceptio Decimarum.

112 Quæritur III. An etiam, & quando aliis Clericis præter Episcopum, & Parochum de Jure solvendæ sint Decimæ? Resp. Etiam Clericis Beneficiatis non Curatis, putà, Canonicis Cathedralibus, Collegiatis, ac aliis simplicia Beneficia habentibus; de Jure communi solvi debent Decimæ secundùm eam portionem, quæ eorum mensis vel Beneficiis legitima Authoritate Ecclesiastica est assignata; sicut & quando eorum Beneficia ex Decimis legitimè sunt fundata. Suarez *lib. 1. cap. 29. n. 3.* Pirhing *h. t. n. 81.* & alii, *arg. c. ex parte 21. h. t.* ubi mandat Pontifex, ut etiam Canonicis Decimæ solvantur absque diminutione. Ratio est; quia non tantùm Curatis, sed etiam Clericis Ecclesiæ Ministris in genere, ut sui loco Decimæ solvantur, præcepit Deus, *arg. c. Tua nobis 26. h. t.* relinquendo Ecclesiæ, ejusque Rectori Principali, Papæ nempe, tanquam suo in terris Vicario, ut præfatas Decimas Clericis Ecclesiæ Ministris ritè distribueret; consequenter si legitima Ecclesiæ authoritate præfatis Clericis certæ Decimæ sunt assignatæ, eisdem omninò debentur. Accedit, quòd non tantùm in administratione curæ, sed & in aliis, Clerici Ecclesiæ Ministri servitia spiritualia exhibeant, & propterea etiam digni sint mercede.

113 Clericis tamen non Beneficiatis Decimæ aliquæ ratione solius status Clericalis in jure assignatæ non reperiuntur; adeoque, nisi specialem titulum exhibeant, Decimæ eisdem de jure communi non debentur: quod eidem etiam de Religiosis, qua talibus dicendum, eò quod nec isti, nec illi ex vi sui status, vel ex obligatione alicujus officii spiritualis, populo in spiritualibus inserviant, aut spiritualia administrant, *arg. can. Alia causa 6. can. penult. 8. caus. 16. q. 1.* ad quod tamen in dividendis & assignandis Decimis respicere solet Ecclesia: quo non obstante saltem aliis titulis, v. g. præscriptione, privilegio &c. jus Decimandi acquirere valent, juxta dicenda §. *seq.*

114 Quæritur IV. An Episcopis, Parochis, & aliis Clericis Ecclesiæ Ministris solvi debeant Decimæ etiam in casu, quo ipsimet sunt divites, & aliunde jam sufficientes, vel abundantes habent redditus, aut media? Resp. Affirmativè, Covarruvias *lib. 1. Variar. resolut. cap. 17. n. 4.* Valensis *h. t. §. 6. ad finem*, Pirhing *eod. n. 82.* ac teste Covarruvia omnes. Ratio est; tum quia Decimæ Clericis non dantur ex eo, quod pauperes sunt, sed quia Deus præcepit, ut in signum supremi dominii sui loco dentur Clericis juxta Ecclesiæ dispositionem, *arg. c. Tua nobis 26 h. t.* & quia spiritualia ministrant, nullus autem propriis stipendiis militat, etsi dives sit: nec debet aliquis privari jure suo, ex eo, quod dives sit. Accedit, quod Clerici Decimas honestæ sustentationi superfluas erogare teneantur in causas pias, & pauperes, *Decimæ namque tributa sunt egentium animarum, can. 66 cau. 16. q. 1.* ubi propterea etiam dicitur, *Decimas defraudantes pauperibus præjudicare*.

115 Pariter debentur Clericis Decimæ, etsi malè vivant, aut in malos, ac profanos usus eas applicent, uti benè notat Abb. *in c. Tua nobis 26 h. t. n. 1.* Valensis *eod. §. 9. n. 13.* Rebuffus *de Decimis q. 13. princ.* Pirhing *h. t. n. 82. arg. cit. c. Tua nobis 26. h. t.* ubi Papa increpat Laicos, qui Decimas ob malam Clericorum vitam defraudabant. Addit rationem; quia nempe Decimæ in signum supremi dominii Clericis sui loco Deus dari præcepit. Nec excusantur per hoc, quòd dicant Laici, se easdem pauperibus, & in his Christo dare, consequenter meliùs agere, quam si Clerico in malos usus applicanti solverent,

arg. cit. c. Tua nobis 26 h. t. ibi: *Prætextu nequitiæ Clericorum nequeant eas pro suo arbitrio pauperibus v. g. erogare; cùm nulli sit licitum aliena cuiquam concedere præter Domini voluntatem.*

§. VI.

De variis modis, quibus Clerici jus Decimandi acquirere possunt.

SUMMARIUM.

116 *Clerici acquirere possunt jus Decimandi privilegio.*
117 *Transactione, & Compositione.*
118 *Quæ ut obliget successores, debet fieri cum consensu Superiorum: secùs obligat solos Transigentes.*
Pacta an, & quando præjudicent successoribus?
119 *Transactio super Decimis extendit se etiam ad futuras.*
120 *Etiam per Compromissum acquirunt Decimas, in quo tamen Laicus solus Compromissarius esse nequit.*
Laici nequeunt spiritualia tractare negotia. Ibid.
121 *Compromissio fieri debet cum Juris solemnitate.*
122 *Quæ etiam ad Permutationem Decimarum requiritur.*
123 *Sicut ad donationem Decimarum.*
Episcopus non potest jus uni Ecclesiæ auferre, & alteri attribuere.
124 *Clericus acquirit Decimas etiam præscriptione.*
125 *Decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes, si fit contra Laicum, vel causam non privilegiatam.*
126 *Quadraginta verò annis cum sola bona fide contra causam piam & Ecclesiam non Parochialem.*
127 *Contra Ecclesiam autem Parochialem 40. anni cum titulo, aut tempus immemoriale requiritur.*
128 *Quid juris, si Parochus præscribit Decimas de bonis sui Parochiani in alia Parochia existentibus? Et num. seq.*

116 Queritur I. Quibus modis Clerici acquirere valeant jus Decimandi, quòd alias ipso Jure eis non competeret? Resp. Variis modis Clerici acquirere possunt jus Decimandi. Patet inductione. I. Acquirere illud valent *Papæ concessione, seu Privilegio*; quo fit, quod Decimæ alias de Jure ad Parochum spectantes solvi debeant Ecclesiæ non Parochiali, v. g. Regulari, aut Beneficiato simplici. Communis, ac certa, *arg. c. 2. h. t. in 6.* Ratio est; quia cùm Jure Divino cuncti Clerici sint capaces Juris Decimandi, *arg. c. Tua nobis 26. h. t.* utique poterit Pontifex, cui juxta dicta *n. 92.* divisio Decimarum inter Clericos facienda concessa est, aliquibus assignare jus Decimandi, quibus alias de Jure assignatum non est; præsertim si bonum Ecclesiæ id exigere dignoscitur.

117 II. Acquirere jus Decimandi valent per *Transactionem* & amicabilem compositionem: ut si v. g. lis oriatur, ad quem ex Parochis, vel aliis Clericis Ecclesiæ Ministris, vel etiam Religiosis pertineant Decimæ, possunt partes litigantes transigere, & componere, ut Decimæ alias uti Parocho v. g. debitæ dentur alteri vel certa pars earum. Glossa *in c. Ex multiplici 3. h. t. V. Conventionem.* Barbosa *de Offic. & potest. Parochi p. 3. cap. 28. n. 24.* Rebuffus *de Decimis q. 13. n. 26.* Pirhing *h. t. n. 120.* Layman *lib. 4. tract. 6. cap. 6. n. 1.* & communis aliorum, *arg. c. Ex multiplici 3. & c. Suggestum 9. h. t.* dummodò pretium pro titulo spirituali non interveniat, prout communiter monent DD. eò quòd temporale dare pro spirituali Simoniacum sit, *tot. Tit. de Simonia.*

118 Observat tamen benè Glossa *cit.* Barbosa *loc. cit.* Abbas *in cit. c. Ex multiplici h. t. n. 3.* Layman *loc. cit.* & alii, quòd ad hoc, ut talis compositio seu transactio sit perpetuò obligans etiam successores, fieri debeat cum legitima authoritate & consensu Superiorum, *arg. c. Veniens 8. de Transact.* ubi declaratur, successores non teneri stare Transactioni super Decimis factæ absque authoritate legitima Superioris. Concordat *c. 2. eod.* ibi: *Statuimus, ut si super Decimis inter vos, & aliquam personam Ecclesiasticam de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi facta fuerit rata, & inconcussa persistat.* Nihilominùs talis transactio seu compositio super Decimis absque consensu facta valet inter ipsas profanas transigentes, prout cum Glossa docent citati DD. Fagnanus *in cit. c. Veniens n. 2.* & secundùm Joan. Andream hic omnes; *arg. c. Jurib.* ut proin per talem transactionem quivis sibi ipsi, quamdiu Ecclesiam possidet, præjudicare valeat, successorem verò sine consensu Superioris gravare nequeat. Ratio datur *cit. c. Veniens 8. h. t.* illis verbis: *Cùm inter personas facta potiùs, quam inter Ecclesias videatur; nec pacta inter alios acta, aliis obesse patiamur,* quòd idem colligitur ex Conc. Trid. *Sess. 6 de Reform. cap. 4.* ibi: *Concordiis, quæ tantùm suos obligent authores, non etiam successores.*

Cæterum, quando fit transactio absolutè, ac indefinitè super Decimis, intelligi debet non tantùm de præteritis & præsentibus, sed etiam de futuris, uti benè observat Glossa *in cit. c. 3. h. t. vers. Quamdiu viveret.* Pirhing *h. t. n. 120. arg. c. Quocirca 22. de Privileg.* Hinc etsi Monasterium v. g. cum Parocho super Decimis indefinitè transigat, eadem transactio se etiam ad illa prædia extendit, quæ de novo acquirit. 119

III. Acquiri potest jus Decimandi per *Compromissum* in unum, vel plures arbitros, ita, ut eorum sententiæ seu arbitrio stare possint, ac debeant, casu quo in causa Decimarum litigantes, seu disconvenientes in eos compromittant. Abbas *in c. Apostolicæ 7. de his, quæ fiunt à Prælat.* Layman *lib. 4. tract. 6. cap. 6. num. 1.* Pirhing *num. 123.* & alii, *arg. c. Apostolica de iis, quæ fiunt à Prælat. & c. 1. de Arbitr.* Debent tamen arbitri esse Clerici, non Laici, eo quòd *generaliter* sit prohibitum, ne super rebus spiritualibus compromittatur in Laicum, ut dicitur *c. Contingit. 8. eod.* ubi etiam ratio additur illis verbis: *quia non decet, ut Laicus in talibus arbitretur.* Concordat *c. 2. de Judiciis*: ibi: *Decernimus, ut Laici negotia Ecclesiastica tractare non præsumant.* Quo non obstante potest unus vel plures Laici, Superioris Ecclesiastici authoritate una cum Clerico compromissarius fieri; prout notat Glossa *in cit. cap. Contingit 8. de Arbitr. vers. Spiritualibus,* & docet Abbas *in c. Per tuas 9. eod. n. 6.* Layman *loc. cit.* & alii, *arg. cit. cap. Per tuas 9. eod.* Ratio est: tum quia tunc magis dignum, Clericus nempe, trahit ad se minùs dignum, Laicum videlicet, ut sic res potius valeat, quam pereat, *arg. c. Quod in dubiis, de Consecrat. Eccles. vel alt. & c. Abbate, de V. S.* Tum quia tunc Laicus aliquo modo authoritate Ecclesiastica sibi delegata procedit; prout dicitur *cit. cap. Per tuas 9. de Arbitr.* 120

121 Illud etiam observandum, quòd compromissio super jure Decimarum fieri debeat cum consensu Superioris Ecclesiastici, & aliis solemnitatibus ad alienationem à Jure requisitis. Abbas *in c. Dilecti 4. n. 8. de Arbitr.* Layman, & Pirhing *loc. cit.* Ratio est; quia ex hoc, quòd ipsa alienatio directè sit prohibita, indirectè censetur etiam prohibitus omnis actus, per quem deveniri potest ad alienationem: *Nam cùm quid prohibetur prohibentur omnia, quæ ex illo sequuntur. Reg. 39. de R. J. in 6.* tale quid autem est etiam compromissum, ut consideranti patet.

122 IV. Acquiri potest jus Decimandi *Permutatione*, qua una Ecclesia cum altera Decimas pro Decimis, vel alio jure spirituali permutat, *arg. c. Ad quæstiones 6 & c. fin. de Rerum permut.* juncta Glossa *ibid. vers. Temporalia,* docetque communis. Requiruntur tamen etiam ordinariè Juris solemnitates ad alienationem rerum Ecclesiasticarum necessariæ; eo quòd & ipsa *permutatio* inter species alienationis expressè numeretur, *c. Nullus 5. de Rebus Eccles. alien.*

123 V. Acquirere potest Clericus jus Decimandi *Donatione*: dummodò adsint debitæ Juris solemnitates ad alienationem requisitæ, eo quòd *Donatio* vel maximè etiam numeretur inter species alienationis, *cit. c. Nulli 5. de rebus Eccles. alien.* quæ tamen solemnitates non requiruntur, sed sufficit solus Episcopi consensus, si Laicus Ecclesiæ, vel loco Religioso Decimas donat, textu expresso *c. Cùm Apostolica 7. de Iis, quæ fiunt à Prælat.* ubi etiam ratio additur; quia nempe *aliud est alienare quod ab Ecclesia possidetur, & aliud, quòd detinetur à Laico ad usum Ecclesiasticum revocare*: subjungitur tamen *in eod. c. Cùm Apostolica,* hoc intelligi debere, quòd videlicet sufficiat solus consensus Episcopi *de illis Decimis, quæ Laicis in Feudum perpetuò sunt concessæ*: supple, *& illis, quas alias justo titulo possident.* Non item de illis, quas Laici

Laici injustè possident; hæ enim necessariò restitui debent illi Ecclesiæ, ad quam spectant, ut benè notat Glossa *in cit. c. Vers. In Feudum.* Ratio est; quia Episcopus sola authoritate sua non potest jura uni Ecclesiæ aufferre, & alteri dare, *arg. c. 1. de rebus Eccl. alien.* quod item etiam habetur *c. Cùm Apost. de Iis, quæ fiunt à Prælat.*

124 VI. Acquirere potest Clericus præfatum jus Decimandi *Præscriptione*, prout habet communis ac certa, *arg. c. Cùm sint, 18. & c. Ad Apostolicæ, 20. & c. Cùm contingat 29. h. t.* Ratio est; quia dictæ Decimæ formaliter sumptæ solo Jure humano debentur huic vel illi Clerico, aut Ecclesiæ in specie, Jure Divino solum præcipiente, ut Clericis loco Dei in signum universalis dominii Decimæ solvantur, reliquendo authoritati Ecclesiasticæ, quibusnam Clericis in specie eas tribui velit; atqui contra Jus humanum valet consuetudo legitimè præscripta, per vulgaria, ergo.

125 Quantum autem tempus ad præscribendas Decimas requisitum sit; una responsione satisfieri non potest, sed distinguendum, & attendendum est, quisnam, & contra quem præscribat. Nam I. Si *Præscriptio* fit contra Laicum, vel contra Clericum privatum, cui non de Jure communi, sed aliunde v. g. privilegio, donatione, hæreditate, aut alio simili modo Decimæ competunt, vel si sit *Præscriptio* contra aliam causam profanam non privilegiatam, sufficit decennium inter præsentes & vicennium inter absentes; quisquis dein, sive Ecclesia, sive Parochus, sive Monasterium, sive alius Clericus præscribat. Rebuffus *de Decimis, quæst 13 n. 100.* Paul. Paris. *Vol. 4. consil 25.* Cuman. *Consil. 83.* Engel *h. t. §. 2. n. 21.* Konig. *h. t. n. 14.* & alii. Ratio est; quia universaliter loquendo ad præscribenda bona immobilia privatorum sufficit præfatum tempus prout amplius diximus *Lib. 2. Tit. 26 §. 6. num. 1. & seqq.* Nec refert, quod Decimæ sint jus spirituale, ad quod præscribendum plus temporis requiri videtur per Jura *lib. 2. Tit. 26. §. 6. de Præscript.* citata. Nam contra est, quòd jura ibidem allegata tantum sint intelligenda in casu, quo hujusmodi jura possidentur ab Ecclesiis, vel aliis causis piis; vel quando jus specialiter favet illi, contra quem fit præscriptio, ac præscribenti resistit: non item si jus spirituale possidetur à privato, nullam specialem Juris assistentiam, vel favorem habente.

126 II. Quando *Præscriptio* fit contra aliquam causam piam puta, Monasterium, Hospitale, Capitulum, vel aliquam Ecclesiam, non tamen Parochialem, requiruntur, & sufficiunt quadraginta anni cum bona fide, quicunque dein sive alia pia causa, sive Parochus, sive Clericus privatus præscribat. Ratio est; quia universaliter loquendo ad præscribendas res immobiles contra Ecclesias, vel alia loca & causas pias præfatum tempus sufficit, & requiritur, ut latè probavimus, *Lib 2. Tit. 26 §. 6. num. 162. & seqq.*

127 III. Quando præscribuntur Decimæ contra Ecclesiam Parochialem, ordinariè requiruntur quadraginta anni unà cum titulo, vel tempus immemoriale. Communis ac certa. Probatur ex illa Regula generali: quòd ad præscriptionem contra Ecclesiam requiratur dictum tempus cum titulo, quoties Jus commune resistit, vel præsumptio est contra præscribentem, textu aperto *c. 1. de Præscript. in 6.* atqui Jus commune resistit præscribenti Decimas contra Ecclesiam Parochialem, præbetque præsumptionem pro Parocho contra præscribentem, hoc ipso, quod expressè statuat, Decimas de Jure pertinere ad Parochos, *c. 29. & c. 30. h. t.* ergo. Ex quo colliges differentiam inter præscriptionem decimarum contra Ecclesiam Parochialem & non Parochialem; quòd nempe in præscriptione contra Ecclesiam Parochialem requiratur præter 40. annos, justus titulus, contra Ecclesiam non Parochialem verò sufficiat bona fides sine titulo. Ratio autem differentiæ quia pro Ecclesia Parochiali, non item pro alia adest præsumptio Juris, ejusque specialis assistentia & favor præscribentem, prout cum aliis bene advertit Engel *loc. cit.*

128 Dicitur autem *ordinariè*, quia limitant Doctores præfatam doctrinam in casu, quo Parochus contra alterum Parochum præscribit decimas prædiales de agris & fundis sui Parochiani in alterius Parochia existentibus; tunc enim (ajunt) sufficit ad præscriptionem inter præsentes decennium, inter absentes verò vicennium. Abbas *in c. Cùm sint, 18. num. 6. ad finem.* Covarruvias *lib. 1. Variar. Resolut. cap. 17. num. 8. §. 8.* Pirhing. *h. t. n. 117.* & alii. Rationem dant; quia in tali casu Jus præscriptioni non resistit, sed potius assistit, utpotè expressè declarans, quòd in controversia, quis decimas de prædiis in alterius Parochia sitis percipiat, standum sit consuetudini diu obtentæ, prout ex *c. Cùm sint 18. & c. Ad Apostolicæ 20. h. t.* jam dictum est suprà *num. 94.* Tempus autem 10. annorum est diuturnum seu longum, *arg. L. 1. C. de Præscript. long. temp. 10. vel. 20. annorum in Rub. & Nig.* Abbas *loc. cit.* & alii.

Quibus non obstantibus probabile est, etiam in hoc casu requiri 40. annos cum bona fide, licèt non cum titulo; quamvis enim in tali casu Jus non resistat præscribenti, sicque faciat, quòd unà cum 40. annis non requiratur titulus, sed sufficiat bona fides, tamen eundem non eximit ab alia Juris dispositione, quæ universaliter volt, quòd ad præscribenda contra Ecclesiam bona immobilia requirantur 40. anni cum bona fide, juxta dicta, & probata *num. 126.* Hinc sicut haud obstante, quòd Jus non resistat præscribenti decimas contra Ecclesiam non Parochialem, v. g. Monasterium, requiruntur 40. anni cum bona fide; ita etiam non obstante, quòd Jus non resistat in controverso casu, præscribenti, 40. anni cum bona fide erunt necessarii. Secus Ecclesia Parochialis, contra quam præscribitur, foret deterioris conditionis in materia decimarum, quàm alia Ecclesia non Parochialis; quod nullus dixerit. 129

§. VII.

De Decimis, quas Laici habent: item de Decimis Novalium.

SUMMARIUM.

130 *Laici non sunt capaces juris decimandi fundati in spirituali officio.*
131 *Nec alia ratione illud acquirere valent.*
132 *Quàm Privilegio Summo Pontificis.*
133 *Solvitur objectio.*
134 *Episcopi, & alii Ecclesiarum Prælati olim poterant dare Laicis decimas in Feudum: sed hodie non amplius possunt.*
135 *Decimæ ab Episcopis olim Laicis concessæ, licitè etiam hodie ab eis retinentur.*
136 *Quivis Clericus absque ulla Juris solemnitate, potest ad tres annos elocare decimas etiam Laicis.*
Statutum in præjudicium Clericorum inferiorum non potest facere Episcopus. Ibid.
137 *Ultra triennium absq; solemnitate elocari non possunt.*
138 *Laici nulla, nec immemoriali præscriptione acquirere valent jus decimandi.*
139 *Incapax possidendi, est incapax præscribendi rem aliquam.*
140 *Respondetur ad rationem in contrarium.*
141 *Qua ratione Laici hodie fruantur decimis?*
142 *Multum refert, an Laicus titulo præscriptionis, an verò jure præsumpti tituli possideat decimas.*
143 *Laicus resciens, decimas absque justo titulo ab antecessoribus fuisse acquisitas, vel immemoriali tempore nondum possideri, eas dimittere debet.*
144 *Possessio immemorialis etiam sine fama privilegii habet vim præsumpti privilegii vel tituli.*
145 *Laici jus decimandi, quod habent, in alios transferre possunt.*
146 *Solvitur* c. Prohibemus, 19 h. t.
147 *Novalia propriè, & impropriè, quid?*
148 *Decimæ Novalium propriè taliū spectant ad Parochū.*
149 *Exceptis Novalibus Regularium.*
150 *Si Novalia in confinio duarum Parochiarum existunt, decimæ inter Parochos erunt dividendæ proportionaliter.*
151 *Novalium intra nullius Parochiæ limites existentium decimæ ad Episcopum pertinent.*
152 *Privilegium percipiendi decimas non extenditur ad Novalia.*

153 *Sol-*

153 *Solvitur instantia ex* c. Ex parte 27. h. t.
Majus ubi conceditur, etiam minus concessum esse videtur, quando procedat. Ibid.
154 *Privilegium percipiendi decimas etiam Novalium, quomodo intelligendum? Et nu. seq.*
156 *Privilegium eximens à solutione decimarum extenditur etiam ad Novalia.*
157 *Solvitur objectio.*

130 Quæritur I. An etiam, & quomodo Laici acquirere possint jus decimandi? Notandum prius, jus decimandi dupliciter considerari posse, videlicet *primò* quatenus est jus spirituale fundatum in titulo spiritualis officii seu obligationis ministrandi spiritualia. *Secundò* quatenus abstrahit ab omni titulo spirituali, prout nempe est jus percipiendi Decimam partem fructuum in signum universalis dominii Dei præstitam absque ullo respectu ad officium spirituale. Resp. I. Laici nullo modo sunt capaces juris Decimandi in prima consideratione accepti. Ita certa & unanimis cum Glossa *in c. Quamvis*, 17. *Vers. Concesserit, h. t.* haberturque clarè statutum in Jure per plures Canones, uti *can. 1. cau. 16. q. 1.* ubi Laici Decimas possidere prohibentur, & oppositum facientes dicuntur *Sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere*, idem desumitur ex *c. Ad hæc 15. & c. Quamvis 17. h. t.* ibi: *Nimis grave, & Divini dignum animadversione judicii habetur, quòd Laici, quod Sacerdotum est, in rebus Ecclesiasticis* (de Decimis est sermo) *usurpent*. Concordat *c. Prohibemus*, 19. *eod. c. Causam 7. de Præscription.* cum Concordantiis. Ratio est; quia hoc ipso, quòd Laici officia spiritualia præstare nequeant, ex titulo officii spiritualis Decimas percipere nullatenus possunt, Pirhing. *h. t. n.* 136. Suarez, & alii.

131 Resp. II. Etiam in secunda consideratione acceptum jus perpetuum Decimandi nulla ratione Laici acquirere possint, quàm quasi privilegio, seu concessione Pontificis. Est communis, patebitque ex Conclusionibus illicò sequentibus. Ratio intereà est; quia etiam Decimæ, quæ in signum universalis dominii absque respectu officii spiritualis dantur, ex præcepto Divino dari debent Clericis, & non Laicis, prout constat ex dictis suprà, clareque habetur *in c. Tua nobis*, 16 *h. t.* ibi: *Decimæ, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit*: & infrà: *Cùm Deo debita sic solutio Decimarum in tantum, ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit &c. Laici sunt cogendi*: ergò cum præcepto Divino nemo contravenire licitè valeat, jus perpetuum Decimandi Laicis nemo dare, consequenter nec ipsi ulla ratione acquirere possunt, nisi privilegio seu concessione Summi Pontificis. Nam

132 Resp. III. Licitè & validè potest Summus Pontifex Laicis non tantum in Feudum & Emphyteusin, sed etiam perpetuò donare jus decimandi in secunda acceptione consideratum, si ita exigit bonum Ecclesiæ: Omnes Patet multiplici experientia, quia videmus, quòd varii Pontifices diversis Regibus, Principibus, Ducibus, Nobilibus, ob eorū præclara merita, vel beneficia in Ecclesiam collata, aut quādo aliàs ita exigebat Ecclesiæ bonum commune, perpetuo concesserint Laicis jus decimādi cum potestate transferendi illud successoribus suis. Ex quo venit, quòd multi adhuc laici Principes, vel Nobiles jus Decimandi possideant, illoque perpetuò fruantur.

133 Dices juxta dicta *num. præced.* Decimæ in signum universalis dominii debitæ, ex præcepto Divino solvi debent Clericis: ergo Papa illas percipiendi jus perpetuum tribuere non potest Laicis, eo quòd in Jure Divino dispensare nequeat. Ad hanc objectionem respondetur eo modo, quo supra *à num. 86.* ubi vide. Quibus tamen adde, quòd à plurimis jam annis Pontifices Laicis jus Decimandi perpetuò concedere & donare non amplius soleant, sed tantum ad tempus loco subsidii, v. g. tempore belli, quod Catholici Principes contra infideles, hæreticos, aut alios Ecclesiæ hostes pro totius Ecclesiæ bono communi gerunt: vel ad summum in Emphyteusin, vel Feudum pro reciproca recognitione alicujus obsequii Ecclesiæ præstandi; prout communiter advertunt DD. Porrò si quando Pontifex Decimas ab aliqua Ecclesia vel ex toto, vel ex parte auferens tribuit Laicis, necesse est, ut dictis Clericis Ecclesiæ Ministris alia honestæ sustentationis subministrentur media, nisi aliunde sufficientes jam haberent redditus Ecclesiasticos; prout cum aliis benè observat Layman.

134 Resp. IV. Quamvis olim Episcopi, ac alii Ecclesiarum Prælati jus Decimandi in Feudum, vel Emphyteusim perpetuò concedere potuerint, hodie tamen à tempore Concilii Turonensis celebrati sub Urbano II. anno 1096. vel saltem à tempore Concilii Lateranensis celebrati sub Alexandro III. anno 1179. teste Covarruvia *lib. 1. Variar. Resolut. cap. 7. n. 4.* & Barbosa *in cap. 1. de His, quæ fiunt à Prælat. n. 2.* id sine consensu Summi Pontificis facere amplius non possunt. Prima pars, quòd olim potuerint, desumitur ex *cap. Tua 25. h. t.* ubi supponitur, quòd ab antiquo Decimæ in Feudum Laicis dari potuerint: & constat ex Decreto Urbani II. revocantis dictam potestatem, uti legere est *in lib. 1. Feud. tit. 6.* docetque Zoesius *h. t. numer. 4.* Covarruvias *loc. cit.* Azorius *par. 1. lib. 7. cap. 36. qu. 12.* Pirhing. *eod. num.* 139. & communis aliorum. Rationem dat Suarez, quia Episcopus in sua Diœcesi idem facere potest, quod Papa in universa Ecclesia, nisi à Jure, vel aliunde prohibeatur. Altera pars, quòd de facto non amplius possint, patet ex citato Decreto Urbani II. relato *in lib. 1. Feud. tit. 6.* Vel si cum aliquibus dictum Decretum non receptum contendis, ex Concilio Lateranensi relato *cap. Prohibemus 19. h. t.* ubi dicitur, quòd Laici Decimas sibi concessas *illicitè* possideant; at non illicitè possiderent, si prohibitio concedendi facta non esset. Eadem pars liquet ex *cap. ad hæc 15. & cap. Quamvis 17. eod.* ubi Ecclesiarum Prælati graviter increpantur, & maximè delinquere dicuntur, qui Decimas Laicis concedunt. Concordant *cap. Cùm Apostolica 7. in fine, de His, quæ fiunt à Præl. & cap. 2. § Sanè in fine h. t. in 6.* Ratio autem hujus prohibitionis fuit abusus, & nimia prodigalitas Prælatorum in concedendo Laicis jura decimandi cum gravi dispendio ac præjudicio status Clericalis.

135 Resp. V. Licet Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati hodierno Jure jus Decimandi Laicis in Feudum, vel Emphyteusin perpetuò concedere non possint, *arg. Juribus num. præced. cit.* Valent tamen etiamnum hodie illorum concessiones ab eisdem factæ ante Concilium Lateranense, & Decretum Urbani VIII. possuntque Laici licitè, hodie quoque retinere jus Decimandi antecessoribus suis ante dictum Decretum concessum. Engel. *h. t. num. 22.* Pirhing *eod. num. 139.* Covarruvias *lib. 1. Variar. Resolut. cap. 17. n. 4. §. Olim sanè*, cum communi. Idque clarè patet ex *cit. cap. Cùm Apostolica, 7. in fine, de His, quæ fiunt à Prælat. cap. 2. Sanè, in fine, h. t. in 6.* Idem constat ex *cit. libr. 1. Feud. tit. 6.* ubi etiam Potestas Civilis venerans Urbani II. Decretum, ait: *Quòd Feudum hujusmodi, post Urbani Decretum datum, sit nullum; quod autem ante illud datum, firmiter debet permanere.* Ratio est; quia nova Jura prohibentia Decimarum concessionem perpetuam, solummodò ad futura, non autem ad præterita tempora se extendunt; consequenter quia tempore dicta Jura antecedente per Episcopos, aliosque Ecclesiæ Prælatos Laicis jus Decimandi licitè & validè in perpetuum concedebatur, licitè & validè idem etiamnum retinent.

136 Resp. VI. Possunt non tantum Episcopi, & Ecclesiarum Prælati, sed & Parochi, ac alii Clerici jus Decimandi habentes, commoditatem, fructuum Decimalium ad unum vel plures, saltem tres annos absque omni alia Juris solemnitate cuivis etiam Laico elocare, prout clarè decisum habetur *cap. 2. de Locat. & condut.* & docet ibi Glossa *Vers. Statuto* communiter recepta, Barbosa *in cit. c. 2. eod num. 1. & 2.* Abbas *ib. n. 1. 2. & 3.* Anchoranus *ibi n. 2. & 3.* Ratio est; quia Decimæ sic spectatæ sunt quid merè temporale, consequenter Laicis locari, ac distrahi possunt, & quidem *liberè*, id est absque licentia Superioris, & alia Juris solemnitate imò *non obstante Diœcesanorum Episcoporum contrario statuto*, prout expresse statuitur *cit. cap. 2. de locat. & conduct.* & observant cum Glossa DD. citati, qui etiam rationem allegant, scilicet, quòd licet Episcopus possit concedere statutum in sua Diœcesi quatenus spectat ad suam jurisdictionem, *arg. cap. 2. de constit. in 6.* non tamen facere possit statuta in præjudicium Ecclesiarum, vel Clericorum inferiorum, vel contra jura eorum, sine eorundem consensu. Hinc

quia

quia teste Glossa *loc. cit.* quidam Episcopi fecerunt statutum, vi cujus Decimæ Parochiales solis Presbyteris locari poterant, Pontifex statutum hujusmodi pro nullo declaravit, & concessit, quòd non obstante tali statuto possint Decimæ liberè elocari cuivis etiam Laico, si elocans putat, quòd inde conditionem suam faciat meliorem.

137 Dicitur autē notanter in Conclusione *saltem ad triennium*, licèt enim aliqui cum Pirhing. *h. t. n.* 138. Covarruvia, *lib. 2. Variar. Resol. cap. 16. n. 6. ad finem* velint, quòd à Parocho, & aliis Clericis hujusmodi elocatio etiam ad plures annos, imò ad totum tempus vitæ elocantis fieri valeat, *arg. cit. c. 2. de Locat. & cond.* ubi sine ulla determinatione temporis conceditur talis elocatio, & unica ponitur limitatio, ne videlicet *hujusmodi* locatio ad Feudum, vel alienationem videatur extendi: Nihilominus sententia de solo triennio Juri conformior, & tanè tutior est, eamque tenet Barbosa *in cit. c. 2. eod. n. 4.* & *in Extravag. Ambitiosæ, de Rebus Eccles. alien. num. 4.* cum pluribus ab eodem allegatis, *arg. cit. Extravag. Ambitiosæ*, ubi prorsus *omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum*, consequenter etiam fructuum Decimalium locatio ultra triennium pro nulla & invalida declaratur, si absque consueta ad alienationem solemnitate Juris fiat. Accedit, quòd locatio ad longum tempus præsertim ad vitam locantis, vel conducentis expresse videatur etiam prohibita, *Clem. 1. de Rebus Eccles. alien.* cùm talis elocatio habeatur pro perpetua, uti observat Glossa *in cit. Clem. 1. vers. Ejus. Arg. L. 1. ff. Pro socio*, vide Covarruviam *loc. cit. n. 1.* Nec refert, quòd fiat de sola commoditate fructuum, quia & horum elocatio, si ad longum tempus fiat, in materia prohibita habetur pro alienatione, ad evitandam fraudem, Covarruvias *loc. cit. n. 1.* citans Baldum, Fabianum, & Carol. Molin.

138 Quæritur II. An Laici *Præscriptione & consuetudine* saltem immemoriali acquirere possint jus Decimandi, prout acquirere valent Clerici? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi est; tum quia, *quæ sunt acquisibilia privilegio, sunt acquisibilia consuetudine*: atqui juxta dicta Laici concessione, & quasi privilegio Summi Pontificis acquirere possunt jus Decimandi; ergò & consuetudine. Tum quia consuetudo immemorialis æquivalet privilegio, *arg. c. Super quibusdam 26 de V. S.* & ibi Glossa *vers. Non extat. memoria, & c. 1. de Præscript in 6* & *l. Hoc jure, §. Ductus aquæ, ff de Aqua quotid.* quibus non obstantibus Resp. Laici nulla etiam immemoriali præscriptione acquirere valent jus Decimandi, Engel. *h. t. num. 23.* Pirhing. *de Præscript. num. 41.* Rebuffus *de Decimis quæst. 10. num. 24.* Covarruvias *Var. Resolut. lib. 1. cap. 17. nu 5.* Layman *lib. 4. tr. 6. c. 6. n 8.* & communis aliorum. Probatur manifestè ex *c. Causam 7. de Præscript.* ibi: *Quia cum Laici Decimas detinere non possint, eas nulla valent præscribere ratione*: ubi notanda sunt verba: *nulla ratione*, id est, nullo modo, ergò nec tempore immemoriali. Ratio redditur in textu allegato, videlicet, quia *Decimas detinere, seu possidere non possunt*; sive quia sunt incapaces possessionis Decimarum: quod enim quis possidere non potest, etiam præscribere nequit, cum *sine possessione* præscriptio non procedat, *Reg. 3. de reg. Jur. in 6.* & diximus suprà *Lib. 2. Tit. 26. de Præscript. num. 184.*

139 Nec dicas; Laici privilegio, & concessione Papæ Decimas legitimè possident; ergò possessionis, & consequenter præscriptionis capaces esse videntur. Nam contra est; quia ad præscribendam aliquam rem non sufficit quòd ex speciali privilegio Papæ quis sit capax ad possidendam rem illam, sed debet etiam sine privilegio de Jure esse capax, seu Jus non debet ei resistere, eumque pro incapace possessionis habere; cum enim præscriptio à solo Jure positivo sit introducta, nullam vim habere potest, ubi eis Jus resistit, *arg. l. Ubi lex 24. ff. de Usucap.* & docent cum communi Abbas *in cit. can. Causam 7. de Præscript. n. 3.* Pirhing. *h. t. n. 43.* Layman. *lib. 4. tr. 6. c. 6. n. 9.* Jus autem resistit Laicis, eosque possessionis & præscriptionis Decimarum incapaces declarat, *c. Causam 7. de Præscript.* ergo.

140 Ad rationem dubitandi *num.* 138. positam respondetur, eam procedere, quando quis absque privilegio possessionis capax est. Dein consuetudo immemorialis præbet quidem præsumptum titulum, hic tamen ad præscribendum sufficiens non est, si præscribens possessionis de Jure capax non est.

141 Quæritur III. An ergo damnandi sint Laici percipientes hodie Decimas, quas percipiendi nullum titulum, quàm tempus immemoriale allegare, & probare valent? Resp. Negativè, quamdiu non constat de vitioso initio. Covarruvias *loc. cit. §. Sed si dubitetur*. Joan. Andreas *in cap. Cùm Apostolica, de His, quæ fiunt à prælat.* Anchoranus *in cap. Causam 7. de Præscript.* Engel. *loc. cit.* Layman. *loc. cit.* & communis aliorum. Ratio est; quia licèt tempus immemoriale non juvet Laicos ad faciendam præscriptionem juris Decimarum, juvat eosdem in hoc, quòd faciat & causet pro ipsis præsumptionem privilegii, vel justi tituli, ac sufficientem ejusdem probationem, etiamsi titulus vel privilegium aliter probari nequeat, *arg. cap. Super quibusdam de V. S. l. Hoc jure §. Aquæ ductus ff. Aqua quotid. & l. fin. de Aqua pluvia arcenda.* Ratio est: quia quando tot annorum intervallo, Laici jus Decimandi pacificè detinent, nemine eisdem quæstionem movente, meritò præsumendum est, eos justè possidere incœpisse, ex privilegio videlicet & concessione Summi Pontificis, vel per infeudationem per Episcopum, vel alium Ecclesiæ Prælatum ante Decretum Urbani II. & Concilium Lateranense factam, licèt instrumentum aliquod desuper edere, aut aliter probare non valeant: cum enim varii sint casus, ex quibus Instrumenta perire, vel perdi possint, ut putà, incendio, furto, murium depascentium insidiis, injuria dilacerantium, imò ipsa vetustas paulatim cuncta consumat, non debet Ecclesia in hoc humanæ conditionis casibus occasionem aucupari, Laicos privandi jure, quod fortè Majores ob præclara in Ecclesiam merita obtinuerunt.

142 Dices: quid interest, an Laicus jure præscriptionis ob immemoriale tempus retineat jus Decimandi; an verò idem jus eisdem relinquatur ob privilegium ex immemoriali tempore præsumptum? Resp. multum omninò referre: si enim jure præscriptionis acquireret, illud retinere posset etiamsi posteà tempore ad præscriptionem necessario, jam completo veniret in notitiam, quòd absque legitimo titulo injustè possidere incœpisset: cùm non amplius vitiosè, sed jure præscriptionis legitimè possideret. Secus est, si ob solam præsumptionem justi tituli retinet; quia in tali casu jus Decimandi dimittere, & Parocho restituere debet, quamprimum in sufficientem notitiam falsæ præsumptionis venerit, quocunque tandem tempore notitiam acquirat: prout benè observat Felinus *in c. Accedentes de Præscript. in 6.* & post ipsum Engel. *loc. cit. num. 27.* & alii, estque benè notandum.

143 Hinc notanter dicitur, *quamdiu non constat de vitioso initio*: quamprimum enim de hoc constat, jus Decimarum relinquere debet, etsi immemoriali tempore ab antecessoribus fuerit possessum. Quod idem dic, quando constat, quòd immemoriali tempore nondum possideretur, quia non nisi immemoriale tempus præsumptum titulum præbet. Quid autem sit tempus immemoriale, & quomodò probetur, vide suprà *Lib. 2. Tit. 26. de Præscript. num. 122. & seqq.*

144 Porrò licèt Abbas *in cap. Cùm Apostolica 7. de His, quæ fiunt à Prælat num. 12.* & ibi Joan. Andreas, Felinus, *in cap. Cùm contingat de Foro compet. nu. 4* Cardinalis de Luca *de Decimis. Discurs. 6. num. 24. & 25.* allegans plures Rotæ Decisiones, velint, ad hoc, ut Laicus retinere valeat Decimas, præter tempus immemoriale, requiri insuper famam privilegii, debereque Laicum probare communem famam, quòd antecessoribus Decimæ ex privilegio concessæ, vel ante Concilium Lateranense in Feudum datæ sint. Nihilominus sententia contraria, videlicet, quòd talis fama non sit necessaria, communior est, ac satis probabilis, eamque tenet Covarruvias *lib. 1. Variar. Resolut. cap. 17. num. 5. §. Sed si dubitetur*. Pirhing *de Præscript. num 44.* & alii. Ratio est; quia universaliter tempus immemoriale etiam absque fama privilegii vel tituli, habet vim Privilegii, ac tituli, *arg. cap. 1. de Præscript. in 6. cap. Super quibusdam de V. S.* juncta *l. fin. ff. de Aqua pluvia arcend.* ibi: *Quibus authoritatem vetustas dedit, licèt jus non probetur, tuendi sunt.* Nec possunt Adversarii ex Jure probare, cur in materia Decimarum, & non in aliis requiratur fama privilegii vel

tit-

alterius justi tituli in specie. Si dicunt rationem diversitatis esse, quòd Laicus sit de Jure incapax possessionis Decimarum, *cap. causam 7. de Præscript.* Resp. esse saltem capacem ex privilegio: & fuisse capacem ante Concilium Lateranense per infeudationem, quod utique sufficit ad hoc, ut ex tempore immemoriali consurgere possit præsumptio, eos ex simili titulo Decimas possidere incæpisse.

145 Quæritur IV. An Laici jus Decimandi, quod ex legitimo, vel saltem præsumpto titulo juxta dicta possident, possint per venditionem, donationem, mutationem, vel per alium contractum in alios transferre Laicos? Resp. Affirmativè, Barbosa *in cap. Prohibemus 19. h. t. num. 7* Menochius *Illustrium cap. 89. num. 2.* Sylvester *vers. Decima n. 16. dicto 3.* Guttierez *Pract. qq. lib. 1. cap. 15. num. 5. & 6.* Pirhing. *h. t. num.* 144. cum Glossa *in cit. cap. Prohibemus h. t. vers. Laicos* contra Abbatem *in idem cap. n. 4.* & plures alios. Ratio est; quia quivis potest jus sibi legitimè competens in alium transferre, nisi Jure prohibeatur, *arg. l. In re Mandata C. Mandati*, atqui nullum Jus assignari potest; ergo. Nec dicas, obstare, quòd jus Decimandi sit quid spirituale. Nam contra est, quòd juxta dicta possit jus Decimandi, ut abstrahit à titulo spirituali, dari Laicis saltem privilegio Summi Pontificis: quomodo si eis datur, prout dari olim consuevit, datumque præsumitur, reputatur inter patrimonialia ipsorum, & ut quid profanum censeri debet, ut, cum aliis benè observat Barbosa *l. c. arg. l. Pater filium 38. ff. de Legat. 3. & cap. 2. de Feudis.* Confirmatur: *in dubiis optima Legum interpres est consuetudo, l. 37. ff. de Legibus*: atqui Jura, quæ ab Adversariis contra Conclusionem allegantur, obscura sunt & dubia: ergo standum erit consuetudini: Hæc autem passim, præsertim in Germania, Gallia, & Hispania habet, quòd Laici Decimas, quas ab Antecessoribus habent, pro libitu distrahant: ergo.

146 Objiciunt Adversarii textum *c. Prohibemus 19. h. t.* ubi se potissimum, & vix non unicè fundant, ibi: *Prohibemus ne Laici Decimas, cum animarum suarum periculo detinentes in alios Laicos possint aliquo modo transferre.* Resp. hunc textum non loqui de Decimis, quas justè & legitimè ex vero vel præsumpto legitimo titulo possident, sed de illis, quas injustè detinent, prout apertè liquet ex verbis *Laici Decimas cum animarum periculo detinentes*: Hæc enim verba non verificantur de Decimis legitimo titulo possessis; has siquidem tuta conscientia, & sine animarum periculo retinent, uti ipsi Adversarii fatentur. Illud solum notandum, quòd, ubi constat, jus Decimandi Laico esse perpetuò concessum in Feudum, Laicus in alienatione ejusdem observare debeat ea, quæ de Feudis dicta sunt suprà *Tit. 10. de Feudis.*

147 Quæritur V. Quibus debeantur Decimæ Novalium? Ante responsionem notandum, Novalia propriè, & impropriè accipi posse. *Novalia propriè* juxta SS. Canones dicuntur, quando ex sylva v. g. palude, aut alia terra ultra memoriam hominum inculta jacente ad culturam fit, seu erigitur ager v. g. *c. Quid per Novale 21. de V. S.* ubi Papa dicit, quòd *per Novale intelligat agrum de novo ad culturam redactum, de quo non extat memoria, quòd aliquando fuerit cultus.* Dicitur autem *juxta SS. Canones*, quia de Jure Civili *l. Sylva 30. ff. de V. S. Novalis est terra præcisa, quæ anno cessavit, id est, inculta jacuit.* *Novalia impropriè dicta* sunt, quando in locum prius cultum alii à prioribus distincti inferuntur fructus: ut si ex pratis, pomariis, vineis, pascuis &c. fiant agri *wann Wisen, Obst- oder Wein Garten umbgerissen werden.* Item si agro prius frumentario inferantur lupuli, vel plantetur vinea &c. Engel *h. t. num. 11.*

148 Resp. I. Si Novalia impropriè dicta fiant ex talibus fundis, de quibus prius vi consuetudinis nullæ solvebantur Decimæ, prout sæpe fit in his partibus, dum ex pascuis, pratis, pomariis, sylvis, &c. (de quibus vi consuetudinis nullæ solvuntur Decimæ) fiunt agri frumentarii, tunc Decimæ de iis debentur Parocho loci, non obstante, quòd aliis, ex aliquo titulo, privilegio v. g. debeantur Decimæ Engel *h. t. n. 11.* & alii. Ratio est: Tum quia Parochus fundatam in Jure intentionem habet, percipiendi omnes Decimas *c. cum contingat 29. & c. 30. h. t.* Tum quia Decimæ Novalium specialiter Parochis appropriantur, adeò ut ad eas non fiat extensio, etsi alicui ex privilegio vel alio titulo competat jus omnes Decimas alicubi percipiendi *c. Tua 25. c. Cùm contingat 29. h. t. & c. 2. h. t. in 6.* Nec dicas, quòd canones loquantur de solis Novalibus propriè & non de impropriè dictis. Nam contra est, quòd canones indistinctè loquantur, consequenter indistinctè intelligendi sunt, cum *ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus; l. de Pretio ff. de Public. in rem actione*; præsertim si manendo in sensu indistincto reditur ad jus commune: prout fit in præsenti; nam Decimæ Novalium pertinent de Jure communi ad Parochum. Accedit, quòd etiam Decimæ Novalium impropriè dictorum expressè attribuantur Parochis, adeò ut eas etiam Regulares alias à solutione Novalium exempti solvere debeant Parocho loci *cap. Commissum 3. hoc tit.* & ibi Glossa *vers. Pascuis.*

Resp. II. Si Novalia impropriè dicta fiunt ex fundis de quibus antea solvebantur Decimæ, debentur de illis Decimæ illi, qui prius ex tali fundo percipiebat Decimas, sive Parochus sit, sive alius, cui ex privilegio v. g. Decimæ competunt. Fagnan. *in c. Commissum 4. h. t. à n. 12.* Jo. Andreas *ibid. n. 2.* Pirhing. *h. t. n. 112.* Covarruvias *Pract. q. 37. n. 5.* dicens esse communem, *arg. c. Commissum 4. h. t.* ubi præcipitur, *ut sicut de pascuis olim Decimę persolvebantur, ita nunc de iisdem ad frugum fertilitatem translatis Decimæ persolvantur.* Ratio est; tum quia qui semel in legitima possessione Decimandi ex aliquo fundo est, in illa manebit, quidquid postea in eo satum, seu plantatum fuerit, *arg. c. Cùm in tua 30. h. t.* ibi: *Eis procul dubio debentur Decimæ fructuum eorum, cùm ipsis terra illa ab antiquo fuerit decimalis.* Tum quia licèt mutetur cultura, ejus tamen substãtia manet, ut *l. c.* observat Jo. Andr. Tum quia alias quivis pro libitu quemvis privilegiatũ privare posset jure Decimandi; faciendo ex agro pratũ, vel vineam, aut econtra Et hoc insinuari videtur *c. 29. h. t.* ubi dicitur, Decimæ Novalium pertinere ad Parochum: *Nisi rationabilis causa ostendatur, per quam appareat, Novalium Decimas ad alium pertinere*; Hæc namque ratio meritò etiam assignatur quasi possessio percipiendi Decimas de fundis, ex quibus dein fiunt Novalia impropriè dicta.

Resp. III. Decimæ de *Novalibus propriè dictis* spectato Jure communi, & seclusis privilegiis pertinent ad Parochum loci, in quo facta sunt Novalia. Barbosa *in c. Quoniam 13. h. t. n. 1.* & ibi Abbas *num. 1.* Pirhing. *eod. n. 100.* Engel. *eod. n. 11.* cum communi & certa aliorum, textu claro *cit. c. Quoniam, 13. h. t.* Ratio est quia universaliter *perceptio Decimarum ad Parochiales Ecclesias de Jure communi spectat*, ut dicitur *c. Cùm contingat 29. & c. Cùm in tua 30. h. t.*

Dicitur notanter *seclusis privilegiis*; quia juxta dicta 149
n. 70. & seqq. de Novalibus Regularium, quę propriis manibus, aut sumptibus colunt, Decimæ non ad Parochum, sed ad ipsos pertinent Regulares; seu potius hi de illis nullas tenentur Parocho dare Decimas, *c. Ex par. 10. h. t.*

Resp. IV. Si novalia liquidò existunt in confinio dua- 150
rum Parochiarum, ita ut una pars agri de novo ad culturam redacti reperiantur intra unius, altera verò intra alterius Parochiæ limites, Decimæ hujusmodi Novalium inter duos Parochos juxta proportionem terræ in cujusvis Parochia existentis dividi debent. Abbas *in c. Quoniam 13. h. t. n. 5.* & ibi Barbosa *n. 5.* Pirhing. *h. t. n. 102.* & alii. Ratio est; quia quivis Parochus de fructibus terræ in sua Parochia existentis Decimas de Jure percipit *cit. c. Cùm contingat, 29. h. t.* ergo ubi constat, aliquod terræ spatium in certa Parochia situm esse de fructibus illius spatii Decimas percipere debet. Quòd si verò Novalia in tali loco existant, ut constet quidem, quòd ad alterutram in duas Parochias locus pertineat, nescitur tamen ad quam, vel ignoretur, an majus vel minus spatium ad hanc vel illam Parochiam spectet, Decimæ æqualiter inter duos Parochos erunt dividendæ: Barbosa *loc. cit.* ob Jura & rationes dictas Et quamvis hoc ultimum sit valde commune inter DD. non desunt tamen Doctores docentes, in hoc ultimo Decimas pertinere ad Parochum Sacramentalem, seu illum qui est verus Parochus & Pastor Domini Novalium. Rationem dant, quia talis habet duplex, vel saltem fortius jus quàm alius Parochus: nam in primis habet æquale jus cum alio ratione fundi, dein etiam habet hoc, quòd de Jure communi omnes Decimæ spectent ad

ad

ad Parochum Sacramentalem *c. 29. & 30. h. t.* Nec dicas hos canones verificari de Decimis personalibus, non autem prædialibus. Nam contra est, quod etsi non certum, tamen dubium quin & probabile sit. Etiam prædiales Decimas in aliena parochia existentes pertinere ad Parochum Sacramentalem prout ipse fatetur Pontifex *c. Cùm sint 18. h. t.* consequenter Parochus Sacramentalis hoc ipso fortius jus habet, unum certum æquale cum alio, alterum verò probabile; quæ opinio planè satis æqua & probabilis est, adeo ut juxta eam in tali casu ad relationem Doctissimi Referentis in celeberrimo Consilio Ecclesiastico Frisingensi justè lata fuerit sententia pro Parocho Sacramentali contra Parochum, in cujus parochia existebat fundus Novalium.

151 Resp. V. Quando Novalia inter nullius Parochiæ limites existunt, uti contingere solet, si Novalia fiunt in sylva, vel palude, quæ pro termino duarum Parochiarum olim constituebatur, Decimæ ad Episcopum loci spectant, qui eas vel certæ Parochiæ, vel sibi, vel alii pio operi applicare & attribuere potest. Barbosa, & Abbas *loc. cit.* & ibi Anchoranus, Pirhing. *h. t. n. 101.* cum communi, textu claro *cit. c. Quoniam 13. h. t.* ibi: *Alioquin* (si nempe in nullius parochia existunt) *ipsas secundum discretionem à Deo tibi datam, alii Ecclesiæ deputare, vel ad opus tuum poteris retinere.* Ad quod faciendum non est necessarius consensus Capituli; prout benè advertunt DD. citati, cum Joan. Andreas *in cit. c. Quoniam h. t. n. 2.* Ratio est: quia talis Decimarum applicatio non est alienatio, sed pura non acquisitio, cum, uti supponitur, decimæ talium Novalium Ecclesię Cathedrali nondum sint unitæ, consequenter Juris solemnitas non requiritur. Accedit, quòd licèt Episcopus solus non possit Ecclesiæ præjudicare in bonis jam acquisitis, possit tamen id facere solus in bonis acquirendis. Abbas *loc. cit. n. 4* Pirhing. *h. t. n. 102.* pro quo vide textum, & Glossam *cau 16. q. 6 c. fin.*

152 Quęritur VI. An privilegium percipiendi, vel non solvendi Decimas extendatur etiam ad Novalia? Resp. I. Etsi privilegium percipiendi in aliquo loco decimas absolutè ac distinctè concedatur, tamen ad Novalia se non extendit, nisi exprimatur, sive dein Laicis, sive Clericis, sive Religiosis concedatur. Covarruvias *Var. Resolut. lib. 1. c. 17* Barbosa *in c. Ex parte 27. h. t. n. 9. & 6.* Zoesius *h. t. n. 56.* Guttierez *lib. 2 qq. Can cap. 21. n. 123.* ubi citat Anchoranum, & alios Pirhing. *h. t. n. 104.* Rodriquez *Tom. 2. qq. Reg. q. 42. a. 6.* contra plures alios. Idque desumitur ex *c. Tua 25 §. fin. c. cùm contingat 29. h. t. & c. 2. in princ. & fine eod. in 6.* Ratio est; quia hujusmodi privilegium est odiosum, utpote in Parochorum, ad quos de jure spectat *c. 29. h. t.* præjudicium cedens, *consequenter non extendendum*, sed potius restringendum, prout dicitur *c. Cùm tua 25. in fine h. t.* Hinc etsi alicui Monasterio, vel aliis concedatur, quòd in aliqua Parochia Decimas percipiant, nihilominus Parochus Decimas de Novalibus quę post concessum privilegium fiunt, colliget.

153 Nec obstat *c. Ex parte 27. h. t.* ibi: *Cùm tibi quod majus est, sit concessum, ut videlicet Decimas de laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de Novalibus eas percipere satis potes; quia ubi majus conceditur minus concessum esse videtur.* Respondetur enim cum Barbosa *in cit. c. Ex parte n. 6.* & aliis, non esse ibi sermonem de Decimis ad aliam Ecclesiam pertinentibus, sed de Decimis Parochianorum Monasterio Abbatis (de quo in Capitulo) incorporatarum; quæ Decimæ alias jam de Jure communi ad dictum Abbatem pertinebant, consuetudine tamen, aut alia ratione forsan ad alios legitimè, vel illegitimè translatæ, eidem Abbati denuò per Papam restituebantur: ut sensus sit: cùm tibi concessum sit, ut de Parochiis tuo Monasterio incorporatis Decimas percipias, etiam Novalia percipere poteris. Qui sensus ritè desumitur tum ex verbis *Parochiarum tuarum*: tum ex apposita ratione: *quia ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur*: Hæc enim ratio in proposito non procederet, si de Decimis alterius Parochiæ quæstio esset, eò quòd tunc concessio odiosa, utpote Parocho præjudiciosa esset: in quali concessione ob majoritatem rationis non debet fieri extensio, nec valet argumentum à majori ad minus, ut cum communi docet Barbosa *de Offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 33. n. 12. arg. c. cui 27. de Præbend. in 6.* Accedit, quòd extensio à Decimis ut sic, ad Decimas Novalium in præjudicium aliorum expressè sit prohibita, & restrictio econtrà mandata, *c. Tua 25. in fine h. t.* Hinc ut hoc Capitulum cum *c. Ex parte h. t.* concordetur in allato sensu, hoc posterius accipere debemus.

Resp. II. Si in privilegio percipiendi Decimas etiam 154
expressa sit mentio Novalium, intelligi debet de Novalibus primum futuris, non item jam existentibus, quorum Decimas alii jure jam possident, nisi etiam expressè fiat mentio de Novalibus præteritis. Communis ob claram Juris dispositionem *cap. 2. in prin. h. t. in 6.* ubi insuper additur, quod dictum privilegium circa Novalia solummodò sit intelligendum secundum illam partem seu quantitatem, secundum quam Decimas non Novales privilegiatus percipit. Imò etiamsi Decimas de terris non novalibus integras perciperet, de Novalibus tamen futuris non nisi medietatem percipere vi privilegii posset, etsi de Novalibus percipiendis absolutè foret concessum, textu claro *cit. c. 2. §. Statuimus, h. t. c. 6.* ubi suæ limitationis rationem Pontifex apponit, *ne videlicet hujusmodi privilegia Parochis locorum nimis fiant odiosa.* Anchoran. *in cit. c. 2. h. t. in 6. not. 2.* Pirhing. *h. t. n. 107.*

Glossa *in cit. c. 2. h. t. V. Nec ad alias*, rem declarat simili 155
exemplo: Monasterium v. g. vi privilegii jam diu percipit decimas integras, vel mediam aut tertiam partem: intereà fiunt Novalia, de quibus Parochus decimas de Jure colligit. Monasteriũ videns, quod de novalibus nihil percipiat, etiam de illis privilegium sollicitat, & absolutè solummodo impetrat; vi hujus privilegii non potest aliquas decimas de novalibus prętereritis, sed tantum de futuris percipere, & quidem tantum de tertia parte, si de tertia solummodo parte decimas non novalium percipit, vel ad summum medietatem de futuris novalibus, etsi antiquas decimas omnes, vel majorem earum partem habeat.

Resp. III. Privilegium eximens à solvendis decimis ab- 156
solutè, ac sine restrictione ad certas decimas concessum, extenditur etiam ad novalia post concessum privilegium coli cœpta Zoesius *h. t. c. 3. n. 54* Pirhing. *eod. n. 103.* Suarez & alii, *a. c. Ad audientiã 12. h. t.* ubi Privilegium absolutè concessum etiam ad Novalia extenditur; cum enim aliqui de sensu privilegii ibidem absolutè concessi dubitarent, & putarent, id tantum de Novalibus esse intelligendum, declaravit Pontifex esse intelligendum etiam de Novalibus, & de cæteris omnibus. Ratio est: tum quia, etsi privilegium eximens à solvendis decimis sit odiosum, consequenter strictè interpretandum *arg. c. Odia 15. de R. I. in 6.* nihilominus quantum propria significatio comprehendit, extendi potest & debet, *arg. can. Omninò dist. 31. l. Non aliter ff. de Legatis 3.* & observat Glossa *in c. c. ad audientiam, h. t.* cum hoc non tam extendere, quàm comprehendere proprium significatum sit: atqui privilegium eximens à decimis absolutè concessum, in propria significatione comprehendit etiam decimas Novalium, hoc ipso, quòd sub genere comprehendantur omnes species in illo contentæ *l. Omnes C. de Præscrip. 30. & l. Semper ff. de R. I.* Tum quia *ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur, c. Ex par. 27. h. t.* atqui decimę non Novalium quid plus & majus importãt quam novalium: ergo.

Dices: has rationes nimium, illud nempe probare, 157
quòd etiam privilegium percipiendi decimas absolutè datum comprehendat Novalia, quod est contra dicta *nu. 152* ergo Resp. negando Ant. quamvis enim hæ rationes ex se idem probarent in privilegio percipiendi decimas, tamen defactò id non probant, quia in Jure expressè prohibita est extensio à decimis *ut sic*, ad decimas *Novalium*, & econtrà restrictio mandata, in casu perceptionis decimarum *c. Tua 25. h. t.* ibi: *Cùm in talibus non sit extendenda licentia, sed potius restringenda.* Non item in casu exemptionis à solvendis decimis, imò in hoc expressè conceditur dicta extensio *cit. c. Ad audientiam, h. t.* Accedit, quòd privilegium percipiendi decimas sit longè magis præjudiciosum Parochis, quàm privilegium eximens à solutione decimarum, cum hoc solummodò privet Parochum decimis unius personæ, illud verò eundem privet decimis plurium personarum alicujus loci, consequenter mirum non sit, si in uno, & non in altero concedatur extensio à decimis *ut sic* ad decimas Novalium.

Quæritur VII. An, si quis præscribit decimas in aliqua 158
Parochia, vel alio modo acquirit habeat etiam jus ad decimas Novalium futurorum? Resp. Negativè Barbosa *in*

c. Cùm

c. Cùm contingat, 29. h. t. n. 1. & ibi Abbas, Anchoranus, Joan. Andreas. Pirhing. eod. n. 110. & Communis aliorum, arg. cit. c. Cùm contingat, 29. h. t. Ratio est, quæ suprà n. 152.

§. VIII.

De Judice causæ Decimarum. Item de Actione instituenda in causis Decimarum.

SUMMARIUM.

159 In Petitorio causa Decimarum pertinet ad Judicem Ecclesiasticum privativè.
160 Exceptis Decimis Laicalibus.
161 In Possessorio, quando vel uterque tam Reus nempe, quàm Actor, vel saltem Reus persona Ecclesiastica est, Ecclesiasticus Judex est.
162 Si Reus in Possessorio Laicus est, etiam Laicus Judex esse potest.
Possessio & possessorium rei spiritualis quid temporale est. Ibid.
163 In quæstione facti, Laico existente Reo, Laicus Judex esse potest.
164 In quæstionibus facti, ac in Possessorio, Laico existente Reo, non privativè pertinet causa ad Judicem Laicum, sed datur locus præventioni, estque Fori mixti. Et. num. seq
166 Allegantur Statuta, & Concordata Bavariæ.
167 In actione decimarum, nomen actionis necessariò non est exprimendum.
168 Proceditur in ea de plano ac simpliciter.
169 In causa decimarum condemnatis ad solvendas decimas non datur appellatio suspensiva, benè tamen devolutiva.
170 Limitatur in tribus casibus.

159 Quæritur I. Quis sit Judex in causa decimarum? Resp. I. Si agitur in Judicio petitorio, ut si movetur lis, vel quæstio de ipsa proprietate, vel jure percipiendi decimas, ad quem pertineat, vel de privilegio, aut præscriptione earum, aut de immunitate, & exemptione à solutione earundem, ut si quis neget, sed ad eas teneri, aut aliud prætendat, vel neget, quòd immediatè titulum, aut radicem decimarum, vel proprietatem respicit, causa & judicium ad Judicem Ecclesiasticum, & quidem solum ac privativè excluso Judice Laico pertinet. Barbosa in c. Tua 25. n. 2. Gutierez Pract. qq. lib. 3. quæst. 16. Moneta de decimis, cap. 8. à prin. Pirhing h. t. n. 63. Engel eod. n. 59. Rebuffus de decimis, quæst. 10. n. 35. cum communi & certa aliorum, arg. c. Tua, 25. h. t. & c. fin. de Rerum Permut. Ratio est, quia causa decimarum (si agatur in Petitorio) accensetur spiritualibus, arg. cit. cap. fin de Rerum Permut. & c. 14. h. t. De Jure autem spirituali Judex Laicus cognoscere, ac disponere nequit, c. 2. de Judiciis, & cit. cap. Tua, 25. h. t. ergo. Concordant Landt Recht & concordata Bavariæ adducenda infrà nu. 166. Hinc si quis in simili causa erga Judicem Ecclesiasticum, contumacem se exhiberet, posset per censuras compelli c. Ex par. 21. c. Non est 22. & c. Tua nobis 29. h. t.

160 Limitant tamen aliqui Conclusionem non immeritò in casu, quo causa inter Laicos controversa in Petitorio, concernit decimas, quas Laici ante Concilium Lateranense. vel privilegio Papæ acquisitas ita possident, ut de illis juxta dicta §. præced. 145. liberè disponere, easque in alios transferre valeant, tali enim in casu Laicum competentem Judicem esse, docent Covarruvias Pract. qq. cap. 35. n. 2. Engel h. t. n. 59. Pirhing h. t. n. 103. Joan. Rupell. lib. 1. Forens. Institut. cap. 25. Klingensperger de Decimis, cap. 8. Assert. 88. n. 3. & alii, contra Rebuffum de Decimis loc. cit. & alios: dummodò non simul involvatur quæstio tangens radicem juris decimandi ex SS. Canonibus dependentem: veluti an privilegium, infeudatio &c. de Jure Canonico substiterit: Ratio est; quia in tali casu decimæ non amplius accensentur spiritualibus, sed patrimonialibus bonis Laicorum, habenturque quasi sæcularizatæ seu temporalizatæ, ob quod etiam liberè in alios transferri possunt juxta dicta n. 145. Accedit passim consuetudo vigens, quæ est optima Legum interpres, l. Si de ff. de Legib. Idem habent statuta Bavariæ tit. 28. ad fin. & Concordata inter RR. Ordinarios & Principem Territorialem erecta per textum infrà num. 166. adducenda. Imò volunt aliqui, in hoc casu Judicium pertinere ad Judicem laicum privativè. Covarruvias Pract. qq. cap. 35. n. 2. §. Tertiò. Schmidt in Jure Bavarico loc. cit. & in Semicent. 2. controv. 28. num. 2. & alii.

Resp. II. Si agitur in Judicio possessorio Reo existente Clerico, Actore verò Laico, rursus ad Judicem Ecclesiasticum Judicium pertinet. Covarruvias loc. cit. num. 1. Klingensperger loc. cit. Assert. 75. Fachin. lib. 7. cap. 15. V. Hæc sunt, & communis aliorum. Ratio est; quia Actor sequitur forum Rei; consequenter si Clericus vel Laicus contra Clericum sive in Petitorio, sive Possessorio agere vult, coram Judice Ecclesiastico eum convenire debet. Nec refert, quòd causa possessionis censeatur temporalis; quia etsi non ob qualitatem causæ, tamen ob qualitatem personæ Clericus necessariò coram Judice Ecclesiastico conveniri debet, sive dein causa spiritualis sit, sive temporalis, prout ex utriusque Juris Regulis tradunt Covarruvias Pract. qq. c. 35. n. 1. §. primum etenim. Menochius in Remed. 15. recu. possess. n. 223. & Remed. retinend. 3. n. 347. Gailus lib. 1. Observat. 38. n. 5. in fine. Pirhing de Foro compet. num. 90. Gutierez Can. qq. lib. 1. cap. 34. n. 1. & seqq. cum communissima aliorum, arg. c. Qualiter, 17. de Judiciis, c. Si diligenti 12. de Foro Compet. can. Inolita, 42. cau 11. quæst. 1. juncta Authentica Statuimus. C. de Episc. & Cleric quod adeò verum est, ut neque consuetudo in contrarium valeat, ut censet Rota in Antiquis 640. apud Covarruviam loc. c. concordat Landt Recht. loc. cit. ubi Judicem laicum cognoscit solum, quando Reus Laicus est: ibi: Vvan der beklagte, ein Layst. 161

Resp. III. Si in Judicio possessorio Clericus contra Laicum, vel Laicus contra Laicum agit, tunc etiam Laicus potest esse Judex in causa decimarum: quocunque dein interdicto sive adipiscendæ, sive recuperandæ, sive retinendæ possessionis agat. Gutierez Pract. qq. lib. 3. quæst. 26. n. 2. citans communem, Gailus loc. cit. pariter allegans communem, Barbosa in c. Tua 25. h. t. num. 2. ubi plurimos pro Conclusione citat, Moneta de Decimis, c. 8. Rebuffus de Decimis quæst. 10. n. 35. Engel h. t. num. 59. Bartolus in l. Filium ff. de His, qui sunt sui vel alien. dicens, quòd etiam consuetudine servetur in toto mundo. Eandem opinionem sequitur Camera Imperialis teste Gailo loc. cit. estque conformis Statutis & Concordatis Bavariæ loc. cit. Ratio est; quia possessio cujuscunque rei aut Juris etiam spiritualis est quid merè temporale, ipsumque possessorium etiam rei spiritualis non nisi quid temporale importat, eo quòd quæstio non de ipso jure spirituali, sed præcisè de facto, an nempe quis, vel quamdiu possideat, aut possederit v. g. prout cum communi aliorum benè observat Archidiaconus in cap. 1. de Restit. spoliat. in 6. Vers. Actore Afflict. decis. 24. n. 2. Baldus in l. Si de proprietate. C. Si à non compet. Jud. num. 15. Bartolus in l. Titia. ff. soluto Matrimonio, nu. 5. cum seqq. Gailus lib. 1. Observ. 3. 8. n. 2. & 4. Abbas in c. Litteras 2. de Juram. Calum. nu. 7. & seqq. consequenter cum possessio rei planè sit separata à proprietate ejusdem, l. Naturaliter 12. §. 1. ff. de Acquir. poss. ibi: Nihil commune habet proprietas cum possessione &c. potest utique Judex sæcularis causam possessionis cognoscere ac judicare, si apud eundem Laicus in materia Decimarum conveniatur; prout etiam executio juramenti (quod utique spirituale est) ad Judicem laicum pertinere potest, c. 2. de Jurejur. in 6. 162

Pariter Judex sæcularis cognoscere potest reliquas quæstiones facti in materia decimarum, si Reus conventus est Laicus v. g. an integrè solverit. Idem est, si ex contractu actio intentetur, quæ non tam jus decimarum, quàm fructus ipsos concernat, v. g. pro mercede locationis, pro pretio emptionis solvendo &c. Engel h. t. n. 59 Pirhing. h. t. n. 162. Schmidt in Statuta Bavariæ loc. cit. & ibi textus Landt Recht. 163

Quæritur, II. An in Possessorio, in quo sola movetur quæstio facti, Reo existente Laico, in causa decimarum Laicus solus debeat esse Judex, ita ut privativè procedat, omnemque Judicem Ecclesiasticum excludat, sicut 164

Judex

Judex Ecclesiasticus in Petitorio ejusdem causæ privativè excluso Laico Judice procedit? Resp. Negativè, sed esse mixti Fori, darique locum præventioni, ita ut in potestate Actoris sit, an coram Judice Ecclesiastico, vel Laico in possessorio & quæstione facti convenire velit Laicum. Covarruvias pract. qq. cap. 35. n. 2. Vers. Secundò, citans communem. Pirhing. h. t. n. 162. Engel h. t. n. 59. Fachin. lib. 8. cap. 15. §. Igitur si Laicus, & alii, arg. c. Cùm generale, 8. de Foro compet. ubi Actoribus conceditur, quòd possunt, sub quo maluerint Judice, convenire Laicum, & c. pervenit 5. c. Nuntios 6. c. Cùm homines, 7. c. De Terris 16. h. t. ubi universaliter conceditur Judicibus Ecclesiasticis, ut Laicos ad solutionem decimarum compellere possint, etsi sola sit quæstio facti. Ratio est; quia etsi in causa decimarum nuda proponatur quæstio facti, tamen semper aliqualem dependentiam habet à proprietate, ut proin Judex Ecclesiasticus de facto æquè ac de jure cognoscere valeat, præsertim, cùm qui Judex est petitorii, & possessorii sit, l. Nulli 10. & ibi Glossa C. de Judic. Schrader de Feudis p. 10. Sect. 1. 78.

165 Infertur proin, quòd licèt Judex sæcularis teneatur causas Decimales in petitorio ad se delatas, remittere ad Judicem Ecclesiasticum, per jura n. 159. allegata, docetque per plura Mynsinger cent. 1. Observ. 100. Zoesius ad l. Quotiès n. 13. C. de Judic. Engel. de Foro competent. n. 81. non tamen econtrà Judex Ecclesiasticus similem causam in possessorio sibi propositam teneatur remittere ad Judicem laicum: nisi velis cum aliquibus excipere casum, quo agitur de Decimis Laicalibus juxta dicta num. 160. ad finem.

166 Eadem sententia, quòd nempe in possessorio decimarum sit locus præventioni in Concordatis Tyrolensibus cum Episcopo Brixinensi initis reperitur teste Vverndl de Decimis lib. 4. Estque conformis Statutis & Concordatis Bavariæ, uti liquet ex Titulo 28. a. 25. docetque ibi Schmidt, & specialiter in Semicent. 2. contr. 28. n. 4. verba Statutorum Bavariæ, quæ promisimus loc. cit. ita sonant: Vver in Zechents Sachen (so vvoll, vvan es umb das Eigenthumb, als Inhaben Zu hum) Richter seyn solle, ist hiervon in dem Concordants-Recess Anno 1583. mit denen inund umbligenden Bistumben Fursehung geschechen. Damit aber Mannigluh dessen vvissenschafft habe, ist solcher Articul Concordaten Recess von Vvort zu vvort albier einverleibt, und laut tet, vvie folgt. Also solle auch denen Herzn Ordinariis in Erkandt nuss deren Zechent Sachen ihr Recht unbenommen seyn; doch geboren dieselbe in etlichen gevvisen Fallen, so in Rechten zugelassen, auc fur die vveltliche Obrigkeit, als die icbnigen, darzu nunmehr, die Leyen Recht haben, und da beyde Partheyen, oder beklagte allein ein Layst. Item in denen zetlichen zechents Contracten, da allein die Frucht der zechenten auf ein zeit ver Kaufft, oder ver lassen vvorden: auch da umb die Bezahlung oder Aussstandt, oder Inhaben der blosse Streit, und Fragist, und dessen Eigenthumbs halber nichts eingestrevet vvorden, und vvas der gleichen Fall meher seyn, daryber die Recht, und dero Erfahrne zu horen,

167 Quæritur II. Quænam actio pro decimis instituenda & quomodò tractanda? Item an detur appellatio in causa Decimarum? Resp. I. De Jure Canonico non est necesse in causa Decimarum libello inserere nomen actionis, qua agatur, sed sufficit factum ita aptè narrare, ut Judex sine alia expressione possit colligere, quæ actio competat agenti, ita in terminis Barbosa in c. Dilecti de Jud. n. 4. Idem ibid. n. 1. docet Abbas, Moneta de Decimis cap. 8. n. 38. Hostiensis in c. Parochianos 6. de Jud. vers. Actio intentetur arg. cit. c. Dilecti 6. eod. ibi: Providcatis attentius, ne ita subtiliter, sicut à multis fieri solet, ejusmodi actio intentetur, sed simpliciter, & purè factum ipsum, & rei veritatem secundum formam Canonum, & SS. Patrum instituta investigare curetis. Imò nec de jure Civili amplius necesse est, actionis nomen in libello exprimere, l. 2. C. de Formul. & impetrat. act. ibi: Nulli prorsus non impetratæ actionis in majori, vel minori judicio agenti opponatur exceptio, si aptæ vel, & proposito negotio competentem eam esse constiterit, & hic Legistæ communiter.

168 Resp. II. In causa Decimarum procedi potest simpliciter, & de plano, rejecta nimia Jurium subtilitate, & strepitu Judicii. Barbosa de Offic. & potest. Paroch. p. 3. cap. 28. §. 4. n. 5. Moneta de Decimis cap. 8. n. 41. & communis aliorum arg. clem. 2. de Judiciis, ibi: Statuimus, ut super decimis &c. de cætero simpliciter, & de plano sine strepitu Judicii & forma procedi valeat. Concordat cap. Litteras 2. de Juram. calum. Ratio est; quia nimia subtilitas ad perniciem revertitur, l. penult. C. ad S. C. Trebellian. & in quæstionibus de æquo, & bono (quales juris Canonici sunt) plerumque sub authoritate juris scientiæ perniciosè erratur, l. Si servum 91. §. Sequitur ff. de V. O. Observat tamen Glossa in cit. clem. 2. h. t. vers. Valeat. non invalidè agi, si juxtà juris apices agatur; quia Papa non dicit, quòd debeat, sed quòd possit de plano agi.

Resp. II. Debitoribus decimarum ad solvendum condemnatis non datur appellatio quoad effectum suspensivum in ordine ad retardandam executionem. Barbosa loc. cit. n. 7. Rebuffus de Decim. q. 15. n. 21. Vivianus dec. 73. n. 1. & seqq. Moneta de Decim. cap. 8. n. 18. & communis aliorum, arg. c. Tua nobis 26. h. t. in fine, ibi: Ad Decimas cum integritate solvendas appellatione remota compellas: habet tamen talis appellatio effectum devolutivum, ut citati DD. intelligunt textum, & latè tradit Sigismund. Scac. de Appellat. quæst. 17. Limitat. 18. num. 5. 169

Limitatur autem Conclusio primò, in casu, quo agitur cum Persona Ecclesiastica, quæ contendit potiora se habere jura, Barbosa loc. cit. & in c. Tua 26. h. t. n. 9. & ibi Hostiensis n. 22. vers. Item secus. Secundò, quandò duæ Ecclesiæ contendunt de jure Decimandi. Barbosa & Hostiensis loc. cit. Scac. loc. cit. n. 3. Rota in Cordubens. Decim. 2. Decemb. 1605. Coram Card. Pamphilio. Tertiò, quando Collector in Decimando excedit modum. Barbosa loc. cit. Scac. loc. cit. num. 4. quia ab excessu datur appellatio. 170

§. IX.

De Primitiis, & Oblationibus.

SUMMARIUM.

171 Primitiæ quid, & unde? ac num. seq.
172 Sunt quadragesima, vel sexagesima pars.
173 Primogenita quid?
174 Primitivæ olim obligabant de Jure Divino.
175 Primitivæ secundum substantiam olim erant, & adhuc sunt de jure Divino.
176 Primitivæ formaliter sumptæ quæ, & quantæ? adhuc debentur, nisi consuetudo obstet. Et n. seq.
178 Debentur Primitivæ Parocho.
179 Oblationes quid?
180 Et quæ earum nomine veniant?
181 Oblationes per se non obligant.
182 Solvuntur textus Juris.
183 Adducuntur casus, in quibus Oblationes non obligant.
184 Specialiter ubi non est consuetudo.
185 Per longum tempus, nempe decem annos.
186 Saltem à majori parte populi introducta.
187 Populus Oblationes ex consuetudine facere nolens compelli potest per Episcopum.
188 Non item per Parochum.
189 Quando, & quomodo per actus voluntarios introducatur consuetudo obligatoria?
190 Oblationes omnes de jure pertinent ad Parochum loci.
191 Nisi aliud constet de intentione dantium.
192 Aut nisi aliud habeat consuetudo loci.
193 Observantia practica: ad quem hodie Oblationes pertineant?
194 Parochi omnium Oblationum etiam ad se non pertinentium administrationem habent.
Laici ex consuetudine Oblationes administrare, non tamen sibi applicare possunt. Ibid.
195 Oblationes in Ecclesiis Regularium factæ, ad Religiosos Monasterii pertinent.

Altera

Altera pars Rubricæ hujus Tituli de Primitiis, & Oblationibus est. Circa quas

171 Quæritur I. Quid sint, an, quo jure, & cui debeantur Primitiæ? Resp. I. Per Primitias intelliguntur primi fructus, qui ex terra & humo gignuntur, putà agrorum, vinearum, hortorum, arborum &c. Communis, atque desumitur ex *lib. Exod. c. 23. Deuteron. c. 26. Num. cap. 18.* ibi: *Quidquid offerunt primitiarum Domino, universa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedant in usus tuos*. Vocantur *Primitiæ*: tum quia primi fructus per textum citatum: tum quia optimi, sive primi bonitate. Barbosa *in Rubr. h. t. 6.* Sylvester *vers. Decimæ n. 1. in fine*, per textum *Num cap. 18.* ibi: *Omnem medullam vini, olei, & frumenti, quidquid offerunt primitiarum &c.* Qui primi & optimi fructus ex præcepto Divino olim offerebantur Domino in signum recognitionis & gratitudinis debitæ.

172 Non intelliguntur autem, nec olim intelligebantur per Primitias omnes primi fructus alicujus terræ, agri v. g aut vineæ, ut benè observat Engel *h. t. n. 61.* nec erat quantitas certa determinata, sed olim *erant arbitrio offerentium* (circa quantitatem) *derelictæ*, *c. 1. h. t.* posteà verò ab Ecclesia quantitas in tantum fuit determinata, ut nemo plus quàm quadragesimam dare teneretur, & nemo minus quàm sexagesimam dare posset de primis fructibus, uti expressè habetur *cit. c. 1. h. t.* quæ determinatio, ut ibidem dicitur, facta est *propter Sacerdotum avaritiam, ne amplius à populo exigant in primitiis offerendis*.

173 Ad *Primitias* reducuntur primogenita, suntque primi partus tam de hominibus, quàm de animalibus, qui Deo specialiter offerri, & sacrificari debeant juxta *c. 18. Num.* ibi: *Quidquid primum erumpit è vulva, cuncta carnis &c. tui juris erunt, &c. ita duntaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias*.

174 Resp. II. *Primitiæ* in Lege veteri obligabant ex Jure Divino positivo. Ita Communis, & constat ex locis Scripturæ *Num 1.* jam allegatis, & ex *cap. 20. Exod.* ibi: *primitias non tardabis reddere*, & *cap. 23.* ibi: *Solemnitatem messis primitivorum operis tui, quæcunque seminaveris in agro &c custodies*, cum Concordantiis.

175 Resp. III. *Primitiæ* secundum substantiam, quatenus nempe pertinent ad honestam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, etiam in Lege nova adhuc sunt de jure Divino: formaliter autem sumptæ, seu pro certa quantitate, solo jure humano obligant. Prima pars docetur à Gutierez *Can. qq. lib. 2. cap. 21. n. 6.* Didaco Perez *in lib. 1 tit 5 lib. 3. Ordinament.* Glossa *in can. Ecclesias 1. cau. 13. q. 1. ℣. Primitias*, Barbosa *de Offic & potest. Paroch p. 3. cap. 27. n. 5.* Probaturque ex *can. Revertimini 65. cau. 16. q. 1.* ubi Decimæ ac Primitiæ quoad substantiam eodem jure Divino obligari supponuntur, & *c Tua 26. h. t.* ubi primitiæ etiam pro moderno adhuc statu juris Divini esse, patet ex verbis, quibus dicitur, *quod sicut Decimæ, ita & primitiæ obligent, & etiamnum suas esse Decimas, & primitias Deus asseveret*. Hinc etiam hodie si necessariis carent Ministri Ecclesiæ, non minus titulo primitiarum, quàm decimarum eos sustentare teneretur populus. Altera pars patet ex *can. Revertimini 56. cau. 16. q. 1.* & *can. 1. ead. cau. & qu.* ibi: *Oportet autem primitias, quas jure Sacerdotum esse, sancimus ab omni populo accipere can præter. 6. dist. 32 in fine*, ibi: *primitiæ fideliter reddantur à Laicis, nisi consuetudo aliud habeat*.

176 Resp. IV Quamvis primitiarum quantitas ab Ecclesia sit determinata in tantum, ut nemo plus quàm quadragesimam partem dare teneretur, & nemo minus quam sexagesimam partem de primis fructibus dare posset; tamen hodie standum est locorum consuetudinibus, prima pars apertè constat ex *c. 1 h. t.* ubi expressè habentur illa verba: *Quod igitur in Pentateucho dubium derelictum est, hic specialiter definitur propter Sacerdotum avaritiam, ne amplius* (quàm specificatam quantitatem) *à populo exigant in primitiis offerendis*. Quæ verba tam clara sunt, ut mirum sit, aliquos DD. docere non dubitasse, primitiarum quantitatem ab Ecclesia nullibi esse determinatam. Secunda pars probatur ex prima: hoc ipso enim quòd certa primitiarum quantitas sit introducta sola Lege humana, huic autem deroget consuetudo legitimè præscripta *cap. fin. de consuetud.* consuetudini ejusmodi haud dubiè standum erit.

177 Porrò quamvis Primitiæ formaliter sumptæ, utpote solo jure humano determinatæ, per consuetudinem omninò abrogari possint, ac plurimis in locis abrogatæ videantur, tamen fatendum cum Rebuffo *de Decimis q. 1. n. 21.* quòd ex consuetudine non dandi Primitias, aliqua saltem ingratitudo inducatur contra Deum, à quo tam abundanter cuncta proveniunt. Certè confunditur à Gentilibus, utpote qui præsertim Romæ vina & fruges novas non gustabant, priusquam Primitias obtulissent Diis suis. Quamvis non desint, qui sanctissima devotione adhuc hodie Primitias & primogenita in debitam gratitudinem, Deo bonorum omnium largitori offerre solent.

178 Resp. V. Primitiæ de jure communi, & nisi consuetudo aliud habeat, debentur Parocho, uti Decimæ. Barbosa *de Offic. & potest. paroch. p. 3. c. 27. n. 8.* Rebuffus *de Decimis q 1. n 16.* Guttierez *Can. qq. lib. 2. c. 21. n. 11.* Pirhing. *h. t. n. 172.* & alii, *arg. can. Doctor. 2. can. Moderamine 23. cau. 16. q. 1.* Ratio est; quia Primitiæ inter jura Parochialia reputantur.

179 Quæritur II. Quid sint Oblationes, an, & cui debeantur? I. *Oblationes* propriè & impropriè accipi posse. Impropriè, ac valdè genericè tales sumuntur pro omni illo, quod Deo, & Dei intuitu Ecclesiis, aliisque locis piis, aut etiam Sacerdotibus datur & offertur: in qua significatione etiam Primitiæ veniunt ac decimæ, prout de decimis patet ex *cap. 28. Genes.* ibi: *Decimas offeram tibi: Num. 18. Decimarum oblationem, & de primitiis*, ibi: *primitias offerunt*. Propriè verò ac strictè, atque ad propositum Oblationes dicuntur res illæ, quæ Fideles Religionis intuitu per se, vel per alios in Ecclesia ad Altare, aut in alio Ecclesiæ loco, aut etiam extra Ecclesiam ad Imaginem miraculosam, vel devotam v. g pro dono offerunt ad hoc, ut in usum Ecclesiæ, vel Ministrorum Ecclesiæ cedant. Ita in re Communis, signanter Barbosa *de Offic. & potest. Parochi* Tuschus *litt. O. Conclus. 11 num. 1.* Van Espen *in Jur. Eccles. univ. p. 2. tit. 33. c. 10. n. 5.* textu claro *arg. cap. Cùm inter 29. de V. S.*

180 Infertur non solum ea, quæ sub Missa offeruntur, nomine Oblationum venire, prout vulgus communiter æstimat, sed etiam quæ sine Missa in, vel extra Ecclesiam dicto modo offeruntur, purà, pro purificatione mulierum, vel desponsationis, vel pro aliis similibus functionibus Sacerdotis, aut quæ in Ecclesia, vel Capella, vel Oratorio, vel extra ad Imagines &c. offeruntur & collocantur, prout ad longum refertur *cit. c. Cùm inter 29. de V. S.* licèt ibidem, ea quæ sub Missa offeruntur, Oblationum nomine primariò ponantur, prout liquet ex Summario & textu, ibi: *Oblationis nomine intelligitur, quidquid offertur Ecclesiæ, quotunque modo in Missa vel extra, & in Ecclesia vel extra*.

181 Resp. II. Per se loquendo nec Divino nec humano jure debentur Oblationes. D. Thomas *2. 2. q. 86. a. 1.* Abbas *in Rubr. de Paroch. n. 3.* Barbosa *de Offic. & potest. p. 3. cap. 24. n. 9.* Pirhing. *h. t. n. 174.* Sylvester *vers. Decima qu. 2.* cum communi aliorum. Et quidem, quòd jure Divino non obligent, inde probatur; quia lex Divina in Testamento veteri eas præcipiens, per Legem gratiæ sublata est utpote Cærimonialis: in novo autem Testamento renovata vel nova posita non reperitur. Pariter, quia nulla apparet in jure, Lex eas præcipiens, nec jure humano obligabunt. Ratio est; quia Oblationis nomine ex se & natura sua significatur munus voluntarium, quod quis sponte ac liberè offert, juxta illud Psalm. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi*. Azorius *p. 1. lib. 7. c. 37. q. 11.*

182 Objicies varios Juris textus, ut *can. Omnis Christianus 69. dist. 1. de Consecrat.* ibi: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quòd Deus Mosi dixit; non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in collectis SS. PP. liquidò apparet, quòd omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu SS. PP. debent. can. Statuimus. 55. cau. 16. qu. 1.* ibi: *Oblationes quas populus dare debet*. Concordant *can. Quia Sacerdotes. cau. 10. qu. 1. & can. Duo, cau. 12. qu. 1.* Respondetur cum

citatis DD. & communi aliorum, hos & consimiles Canones intelligi debere in casu, quo Ministri Ecclesiæ egent necessaria sustentatione, vel quo Oblationes vi longæ consuetudinis sunt debitæ, prout patet ex *cit. can. Omnis 69. dist. 1. de Consecrat.* per illa verba: *Ex usu SS. Patrum Christiani aliquid offerre debent*, quibus satis innuitur, hanc obligationem ex usu & consuetudine provenire: consequenter, ubi hæc non viget, obligationem non currere, nisi alius obligationis Titulus adsit, juxta statim dicenda.

183 Nam limitatur Conclusio in quatuor præcipuè casibus adductis à D. Thoma *loc. cit.* quem Theologi & Canonistæ in hoc passim sequuntur. Et primo quidem, quando desuper à populo, vel aliquo in particulari cum Ecclesia conventum est, ut si v. gr. ei ab Ecclesia confertur fundus, vel ager cum hoc onere, ut certis temporibus Oblationes faciat, D. Thomas *loc. cit.* Abbas *in Rubr. de Paroch. n. 3.* Barbosa *loc. cit. n. 10.* Pirhing *h. t. n. 174.* Ratio est; quia omne pactum servandum est: *L. 1. princ. ff. de Pactis*. Secundo, si quis obligatus existit ex Testamento, Legato, voto, vel donatione inter vivos, DD. citati cum Rebuffo *de Decimis quæst. 1. num. 24.* caretque controversia. Tertio, quando Ministri Ecclesiæ non habent necessariam sustentationem, prout contingere potest, si in aliqua Parochia Decimis vel ex toto, vel ex majori parte ad alios pertinentibus, Parochus redditus pro sustentatione honesta sufficientes non habet. D. Thomas, Abbas, Barbosa, Pirhing *loc. cit.* Guttierez *Can. qq. lib. 2. cap. 21. num. 139.* Ratio est; quia ex quo ministrat populo spiritualia, meretur ab eo temporalia, *cap. Si Episcopus 6. de Offic. Ordin. in 6.* Et *dignus est operarius mercede sua*. Quòd si tamen in tali casu populus Oblationes omitteret, non posset ei propterea Divina subtrahere Parochus, sed deberet recurrere ad Superiorem, cujus foret in tali casu populum etiam per vim Excommunicationis compellere, prout benè observant Abbas *loc. cit.* Covarruvias *Variar. Resolut. lib. 1. cap. 17. num. 3.* Glossa *in can. Statuimus 55. caus. 16. quæst. 1. ℣. Oblationes*, nisi forsan ipsi Parochiani tam inopes essent, ut non possent sufficiens pro sustentatione Parochi Oblationes continuò facere: tunc enim Parocho aliunde providere deberet Episcopus, ut vult Hostiensis apud Guttierez *loc. cit.* Pirhing *loc. citat.* citans Suarez, & alii: vel Parochus ipse manibus victum sibi quærere deberet, ut sentit Barbosa *loco citat.* Guttierez *loc. cit.* ne Parochianis onerosus existat.

184 Quartò debentur Oblationes, quando alicubi longa consuetudine introductum habetur, quòd certis anni temporibus, & Festivitatibus à populo Oblationes fiant. D. Thomas, Abbas, Barbosa, Pirhing *loc. cit.* & latè Guttierez *Can. qq. lib. 2. cap. 21. num. 140. & seqq.* cum communissima aliorum. Idque probatur tum ex *cap. Ad Apostolicam 42. de Simonia*, ubi *laudabiles consuetudines* aliquid dandi & offerendi *ex devotione Fidelium introductæ* præcipiuntur observari: tum ex Juribus *numer. cit.* præcipuè ex textu *can. Omnis Christianus 69. dist. 1. de Consecrat.* ubi expressè statui videtur, quòd Oblationes, quæ in usu, sive in consuetudine sunt, observari debeant: etiamsi Parochi aliundè jam sufficientes redditus habeant, uti benè observat Guttierez *loc. cit.* quando enim Parochus eget, tenentur Parochiani ex alio titulo, & quidem naturali, quo dignus est operarius mercede sua, ad Oblationes, juxta dicta.

185 Ut tamen consuetudo faciendi Oblationes obliget, duo præcipuè requiruntur. Primò, ut longo tempore jam vigeat hujusmodi consuetudo, videlicet per decennium, quod sufficit, juxta Guttierez *loc. cit. n. 143.* Barbosam *loc. cit. n. 11.* Abbatem *in cap. Suam de Simonia.* Covarruvias *Variar. Resolut. lib. 1. cap 17. n. 3.* Navarr. *in Manual. cap. 13. n. 19.* Cassador. *Tit. de Consuetud. Decis 1.* Pirhing *h. t. n 174.* & communem aliorum *arg. §. 1. Instit. de usucap.* ubi decem anni longum tempus efficere dicuntur. Ratio est; quia quando tanto tempore populus ex devotione facit Oblationes, voluntariè ad eas se obligasse præsumitur, licèt ab initio liberaliter incæperit offerre. Guttierez *loc. cit. n. 40. & 43.* Barbosa *loc. cit.* & alii *arg. ad Apostolicam 42. de Simonia*.

186 Secundo requiritur, ut totus populus, vel saltem major pars observaverit dictam consuetudinem. Barbosa *loc. cit. n. 12.* Paulus Castrensis *Consil. 363. vers 5. Videtur requiri*. Navarrus *loc. cit.* Guttierez *loc. cit n. 150. & 151.* eò quòd singuli, vel minor pars Communitatem sine consensu ejusdem obligare non possit. Ubi etiam notandum cum Sylvestro, *vers. Decimæ n. 4.* Engel *h. t. n. 66.* quòd sicut ad introducendam consuetudinem hanc obligatoriam sufficiat major pars populi, ita satisfiat obligationi, si obligationis tempore Oblationes faciat major pars populi, etsi non singuli offerant, ut proin mortale non committat, qui subinde Oblationem præsertim ex aliqua ratione omittit.

187 Quòd si populus Oblationes ex consuetudine debitas omitteret, vel ulteriùs facere recusaret, posset & deberet à locorum Ordinariis compelli etiam per Excommunicationem, si opus foret, Guttierez *loc. cit.* Covarruvias *loc. cit.* Barbosa *loc. cit. num. 10* cum communi aliorum ita intelligentes Glossam *in can. Statuimus 55. caus. 16. q. 1.* ubi dicit, populum via Excommunicationis esse compellendum ad faciendas Oblationes, *arg. cit. cap. Ad Apostolicam 42. de Simonia*. Imò addit Guttierez *loc. cit.* Paulus Castrensis, ubi suprà, & alii, posse etiam singulares ita compelli, casu quo Oblationes ex consuetudine debitas, vel nunquam facerent, vel quasi non debitas negligerent, aut prætextu libertatis dare recusarent, prout teste Guttierez quidam Parochianus Oblationes pro defuncta matre ex eo capite, quod consuetudo offerendi voluntaria & libera esset, facere recusans, ab Episcopo Civitatensi per sententiam definitivam sub pœna Excommunicationis fuit damnatus ad consuetas Oblationes pro defuncta faciendas.

188 Illud tamen scire oportet Parochos, quod in casu negatarum vel negandarum Oblationum, ipsimet populum, vel singulares propria authoritate vi compellere non possint; multo minus Sacramenta, vel alia Divina subtrahere valeant, sed si populus aut singulares modestè admoniti, obligationi suæ satisfacere recusarent, rem ad Episcopum deferre, ejusque auxilium implorare debeat; prout cum citatis docet communis Doctorum dicentium, ita intelligendum esse *c. Ad Apostolicam 42. h. t.* Accedit ratio: tum quòd *nemo possit esse Judex in propria causa*; per vulgaria: tum quia adhuc dubium esse potest, an talis consuetudo legitimè sit introducta, consequenter an non populus justè neget Oblationes.

189 Objicies, ex actibus merè voluntariis non introducitur consuetudo obligatoria, nec ex datione annua gratis facta, ut habet communis, *arg. l. 1. C. de Servitut. & aqua*: nam, ut exemplificat Innocentius *in can. Bonæ 2. Postulat. prælat.* ex eo, quòd quis sæpiùs liberè recipiat amicum, non inducit obligationem, eum necessariò recipiendi; nec obligationem contrahit Rusticus ex eo, quòd singulis annis per decennium par caponum alicui gratis detulerit, ut specificat Bartolus *in l. cùm de in rem ff. de Usur.* ergo nec ex eo, quòd populus ex mera devotione per decennium Oblationes faciat, eas imposterum facere obligabitur. Ad hanc objectionem variè respondent Doctores, uti videre est apud Guttierez *loc. cit. nu. 144.* Abbatem *in c. Suam 29. de Simonia*, ubi *num. 5.* tribus modis solvit instantiam; optima videtur duplex sequens, qua Resp. I. Distinguendo, ex actibus merè facultativis non oritur consuetudo obligatoria, nisi ex præcedente causa, vel alia ratione justè præsumatur, agentes velle spontaneè se obligare, conceditur, si ita præsumitur, negatur. In proposito autem justè præsumitur, quod populus tanto tempore consuetudinem offerendi observans, spontaneè se voluerit obligare ad easdem faciendas in recompensationem spiritualis obsequii à Parocho in illum continuò præstiti ac præstandi, & ad recognoscendum Deum in muneribus suis, & ad redimenda peccata piis hisce Oblationibus, *arg. c. Medicinam dist. 1. de Pœnit.* sicut in simili Bartolus *loc. cit.* docet de Rustico, qui per longum tempus solvit par caponum, aliqua causa prætensa, qui tenebat aliquid de Domino, ita Abbas *loc. cit.* Resp. II. Distinguendo, nisi Jura ipsa in favorem Ecclesiarum consuetudines hujusmodi foveant, eisque positivè assistant, & semel introductas observari præcipiant, uti in præsenti per textum *in cit. c. Ad Apostolicam 42. de Simonia*, negatur.

190 Quæritur III. Ad quem pertineant Oblationes in, vel

vel extra Ecclesiam factæ? Resp. Omnes & singulæ Oblationes, quæ intra limites alicujus Parochiæ fiunt, de jure communi ad loci Parochum spectant, ita ut hic pro se fundatam in jure intentionem habeat, sive dein, in, sive extra Ecclesiam Parochialem, v. g. in Oratorio, sive in Sacello privato, vel ad Imaginem devotam, aut miraculosam, etiam in domo Laici depictam, vel alibi extra Ecclesiam intra limites tamen Parochiæ existentem offerantur: sicut etiam illæ, quæ sub Missa alicujus Sacerdotis cujuscunque ad Altare offeruntur, nisi aliud habeat loci legitimè introducta consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione & voluntate. Fagnanus *in c. Pastoralis 9. de his, quæ fiunt à Prælat.* Van Espen *p. 2. Tit. 33. cap. 10. de Oblation.* Barbosa *de Offic. & potest. Paroch. p. 3. cap. 24. n. 22. & seqq.* Pirhing *h. t. n. 159. & seq.* Abbas *in cit. c. Pastoralis 9. de his, quæ fiunt à Prælat. & in rubric. de parochiis n. 4. in eandem rubr.* Hostiensis *n. 1.* Engel *h. t. n. 68.* Zerola *in praxi Episcop. p. 1. V. Parochia. §. Ad quintum.* Azorius *p. 1. lib. 7. cap. 29. q. 13.* & communissima aliorum, repetitis Decisionibus Rotæ firmata, teste Fagnano *loc. cit. arg. c. Pastoralis 9. de his, quæ fiunt à Prælat.* ubi omnes Parochianorum proventus Parochiali Ecclesiæ & ejus Ministro attribuuntur, *c. Ex transmissa 10. de præscript. can. Quia Sacerdotes 13. & c. Sanctorum 14 caus. 10. q. 1.* Ratio est; quia nisi aliter de intentione offerentis constet, Oblationes fieri censentur Parocho ratione curæ animarum, administrationis Sacramentorum, & aliorum Divinorum, *arg. cit. can. Quia Sacerdotes 13. caus. 10. q. 1.* ibi: *Quia Sacerdotes pro omnibus orare debent &c. Oblationes accipiunt.*

191 Dicitur autem notanter in Conclusione, *nisi aliud habeat loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione & voluntate;* quia conveniunt citati & alii Doctores, quòd si sufficienter constet, offerentem velle, ut Oblationes suæ ad Ornatum vel fabricam Ecclesiæ, vel alterius causæ piæ applicentur, vel pro commodo alterius Sacerdotis celebrantis, & non Parochi cedant, dictæ intentioni satisfieri, & juxta eam Oblationes applicari debent. Ratio est; quia cùm Oblationes, ordinariè loquendo, voluntariæ ac liberæ sint, haud dubiè juxta intentionem dantis applicari debent, cùm quivis liberè donans & offerens rerum suarum moderator & arbiter existat, *Leg. In re mandata C. Mandati.*

192 Pariter conveniunt Doctores, ut videre est apud citatos, præsertim Fagnanum *loc. cit. num. 36.* ubi dicit, omnes Doctores tenere, quòd si alicubi legitimè introducta consuetudo habeat, ut Oblationes non ipsi Parocho, sed Ecclesiæ, vel alii pio loco, vel causæ ad ornamentum, vel fabricam v. g. aut alii Sacerdoti celebranti acquirantur, licita & valida sit, consequenter observanda, atqui juxta eam Oblationes applicandæ erunt, *arg. cap. cùm inter 29. de V. S. & c. fin. de Consuetud.*

193 Infertur proin, quòd Oblationes, quæ sub Primitiis fiant, vi universalis consuetudinis, atque intentionis dantium ad Neomistam pertineant, Parocho penitùs nihil juris in eas habente, uti benè observat Fagnanus *in c. pastoralis 9. de his, quæ fiunt à prælat.* Infertur *Secundò*, quòd Oblationes, quæ fiunt Sacellis, Oratoriis, aut aliis locis in vel extra Ecclesias, ubi Imagines miraculosæ depictæ vel sculptæ existunt, non ad Parochum, sed ad Ecclesiam ipsam, vel Sacellum pro fabrica, vel ornatu Ecclesiæ, vel Imaginis, vel pro construenda in honorem Imaginis, majori & splendidiori Ecclesia &c. spectent; quia consuetudo penè universalis dicto fini, & non Parocho similes Oblationes attribuit, illucque intentio dantium, & non utilitatem Parochi respiciat, uti benè notat Cardinal. de Luca *de Decimis discurs. 19. n. 11.* Ex eadem ratione infertur *Tertiò*, quòd Oblationes, quæ fiunt in truncis, mensis, capsulis &c. pro capiendis Oblationibus, in vel extra Ecclesiam positis, non ad Parochum, sed ad Ecclesiam ipsam, vel alium certum finem (casu quo pro illo specialiter capsula v. g. exponitur) pertineant, utpote pro quo, & non pro Parocho consuetudo & intentio Offerentium stat: ut proin hodie penè solæ Oblationes, quæ in Ecclesia sub missis ad altare fiunt, & quæ pro administratione Sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, aut mulieribus post partum, pro Exequiis & sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad Parochum spectent, consuetudine reliquas fermè omnes Ecclesiis ipsis, aut Sacellis, aut aliis certis finibus applicante; uti cum aliis benè notat Van Espen *in Jure Ecclesiast. univer. p. 2. tit. 33. cap. 10.*

Notandum tamen, quòd etsi ex consuetudine, aut intentione Offerentium Oblationes non ad Parochum, sed ad Ecclesiam, vel alium finem pertineant, Parochus tamen earum administrationem habeat, non quidem, ut eas sibi appropriet, sed ut ad debitum finem juxta consuetudinem loci, aut intentionem dantium applicet. Fagnanus *loc. cit. n. 30.* Abbas *in c. pastoralis 9. de his, quæ fiunt à prælat. n. 2.* Van Espen *loc. cit. n. 24.* & alii: Nisi & circa hanc administrationem aliud habeat loci consuetudo; prout in pluribus locis videmus, ubi etiam Laici vel soli una cum Parocho Oblationes administrant; quod omninò licitè fieri posse, pro indubitato asserit Van Espen *loc. cit.* pluribusque demonstrat Cardinal. de Luca, Fagnanus *loc. cit. n. 30.* & alii; eo præcipuè fundamento; quia talis administratio non est alicujus juris spiritualis, sed rei merè temporalis, prout consideranti patet: ut proin sicut Laicus tales Oblationes, ac reliquam Ecclesiæ supellectilem custodire, ita eandem administrare, ac pro debito usu applicare potest, ubi id habet consuetudo; quamvis nulla consuetudine introduci queat, ut Laici Oblationes ipsimet pro seipsis recipiant, eò quòd jus percipiendi Oblationes sit spirituale, cujus Laici incapaces sunt, Abbas *loc. cit. nu. 2.* Pirhing *h. t. in fine* Fagnanus *loc. cit. n. 19. & seqq* textu expresso *can. Hanc consuetudinem 15. cau. & can. Quia Sacerdotes 13. caus. 10. quæst. 1. & c. Dudum 10. h. t.* 194

Quæritur IV. Ad quem pertineant Oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium. Resp. Eas pertinere ad Monasterium pro Religiosis ibi servientibus. Fagnanus *loc. cit. n. 34.* Abbas *in c. 1. de Statu Monach.* Pasqual *in Addit. ad Lauret. de Franch. p. 2. q. 69.* Engel *h. t. n. 69. arg. cit. cap. 1. de Statu Monach.* ibi: *Cùm Monachis ibi servientibus debeat proficere, quidquid à fidelibus offerri contigerit.* Ratio est, quia licèt Religiosi sint intra limites Parochiæ, non tamen sunt de Parochia, nec Divina à Parocho accipiunt, & ideò Oblationes inibi factæ ad Parochum non pertinent. 195

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem.

1 Ratio continuationis.

1 DUo sunt genera personarum Ecclesiasticarum, Clericorum nempe sæcularium, & Regularium. Hinc quia in præcedentibus Titulis potissimum actum est de Clericis sæcularibus, eorumque Beneficiis, Juribus, privilegiis, & obligationibus, rectò nunc ordine præsentes & sequentes Tituli agent de Clericis Regularibus. Et quamvis hic Titulus sit unus ex celeberrimis in Jure, ita ut aliqui integros Tractatus in pluribus Tomis comprensos de eo scripserint, inter quos est Roderiquez *in Quæstion. regular.* Miranda *in Manual. Prælat.* Lezana *in Summa Quæstion. Regular.* Hyacinthus Donatus *in Rerum. Regularium Praxi solutoria.* Tamburinus *de Jure Abbat.* Pellizarius *in Manual. Regular.* Portel. &c. Nihilominùs quia ejusdem Tituli materia etiam in aliis Titulis hinc inde dispersa, invenitur, & tractandam se offert, prout

ex sequentibus Titulis patebit, omissa prolixitate, quantùm huc pertinere videbitur, & satis erit, opitulante Deo, tradere conabimur.

§. I.

De Natura & Origine Religionum, ac Religiosorum, seu Regularium.

SUMMARIUM.

2 *Religio variè accipitur.*
3 *Definitur ad propositum.*
4 *Religiosus non tenetur actu esse perfectus.*
5 *Tenetur tamen tendere ad eam, & quidem sub mortali. Quando, & quomodò peccet Religiosus non servans Statuta? Ibid.*
6 *Tria vota quare in Religione emittantur?*
7 *Nullus Religiosus deposita semel Professione Religionem deserere potest.*
8 *Ad Religionem requiritur, ut plures vivant in communi.*
9 *Ad Religionem de factò requiritur approbatio Pontificis.*
10 *Religiosus quid?*
11 *Tria vota sunt de essentia Religionis, adeò, ut nec Papa in illis dispensare valeat; quamvis ex Monacho possit facere non Monachum.*
12 *Tria vota Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis Jure Divino pertinent ad essentiam Religionis.*
13 *Quare hæc præ aliis præscripta?*
14 *Solemnitas votorum an sit de essentia Religionis?*
15 *Status Religiosus jam in Lege naturæ.*
16 *Ac scripta veteri fuit præfiguratus.*
17 *Verus tamen non extitit.*
18 *Sed primùm à Christo Domino est institutus.*
19 *Apostoli fuerunt Religiosi.*
20 *Religiones plures in specie, accidentaliter diversæ instituæ sunt ab hominibus.*

2 QUæritur I. Quid sit Religio? & quid Religiosus? Ante responsionem notandum terminum *Religio* tripliciter accipi posse. *Primo* quidem ac in primæva sua significatione, qua denotat virtutem, quæ inter mortales principalis est, ex natura sua tendens ad Deo debitum cultum & honorem exhibendum, prout ex D. Th. tradit Miranda *in manual. Præl. Tom. 1. q. 1. a. 1.* de qua Religionis virtute Theologi. *Secundo* accipitur pro Universitate verum Deum ritè colentium per fidem, & fidei opera: quo sensu dicitur *Religio Catholica*: de qua Controversiæ. *Tertiò* in sensu, quo agit de ea Titulus præsens.

3 Resp. *Religio* seu status Religiosus benè describitur dicendo: *Est Fidelium ad Christianæ Charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, stabilis in communi vivendi modus; ab Ecclesia approbatus.* Ita in Terminis Layman *lib. 4. tr. 5. cap. 1. n. 1.* Pirhing *h. t. nu. 2.* Engel *eod. n. 1.* Pellizzar. *in Manual. Regul. tom. 1. tract. 1. cap. 1. n. 1.* estque in re communis. Dicitur primò, *Fidelium ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium.* Ad indicandum finem cujusvis Religionis, qui est perfectio Christianæ Charitatis, juxta illud Apostol. ad Rom. 13. *Plenitudo ergo Legis est dilectio*, quia hac quis ultimatè conjungitur Deo, juxta illud Joannis: *Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

4 Dicitur *Tendentium*, quia licèt status Religiosus sit status perfectionis, quatenus nempe pro fine principali habet perfectionem charitatis, tamen non tenetur Religiosus actu esse perfectus, ipsamque perfectionem actu habere, sed tantum tendere ad eam, & quidem non per omnes actus, & exercitia, quibus ad perfectionem perveniri potest, sed per illa, quæ sunt ei taxata secundùm Regulam, ac propriæ Religionis, in qua degit, sanctas Ordinationes & statuta; prout fusius explicat D. Thom. *2. 2. q. 184. & q. 186.* Lezana *in Summa qq. Regular. c. 1. n. 4. & 5.* cum communi aliorum. Ratio est; quia Religiosus non aliter ad perfectionem specialiter se obligat, quam quod ad eam per Ordinis regulam & media inibi præscripta tendere velit.

Cæterùm obligatio tendendi ad perfectionem in Religiosis sub mortali est, adeo ut juxta communissimam Theologorum Religiosus mortaliter peccet I. Si contemnit tendere ad perfectionem. II. Quando etiam absque contemptu nudum propositum, seu voluntatem habet, non tendendi ad perfectionem. III. Quando ex contemptu transgreditur Religionis suæ statuta & ordinationes, tanquam media ad assequendam perfectionem præscripta, etiamsi alias talia non sub gravi, sed tantùm levi, imò sub nulla culpa obligent: qualia sunt debito tempore servare silentium, meditari &c. IV. Qui habet propositum eadem statuta (etiam contemptu secluso) universaliter non servandi? & qui de iisdem minimè curat, nec ea observare studet, sed passim data occasione transgreditur. Ratio hujus ultimi est; quia talis habet implicitam voluntatem non tendendi ad perfectionem, hoc ipso, quòd proponat non adhibere media ad eam assequendam in Ordine præscripta, qualia sunt Ordinis statuta. Vide de hac obligatione apud Theologos, præsertim D. Thomam *2. 2. q. 185. & 186.* sicut etiam Lezanam *loc. cit.* 5

Dicitur ulteriùs *editis votis perpetuæ Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis.* Hæc enim juxta dicenda infrà *n. 12.* tria Vota, sunt de essentia Religionis Jure Divino: idque meritò, eo quòd præfata tria Vota sint præstantissima media ad perfectionem, quæ finis Religionis cujusvis est, assequendam. Tria namque sunt, quæ à perfectione, perfectoque Dei amore hominem potissimùm impediunt: videlicet I. Inordinata cura & sollicitudo temporalium, quod impedimentum indicans Christus Matth. 19. dixit: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*: & Lucæ 14. ibi: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Hæc autem nociva sollicitudo & cura tollitur per votum voluntariæ paupertatis. II. Delectationes carnales, de quibus 1. Joan. 2. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia est.* Hanc autem moderatur Castitas. III. Est propria voluntas, quæ per Obedientiam sacrificatur juxta consilium Christi Matth. 16. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum &c.* 6

Dicitur *stabilis vivendi modus;* ad indicandum, quòd Religiosus quivis debeat stabiliter, sive constanter, ac perpetuò semel assumptum Religionis modum servare, ac in eo usque ad finem vitæ perseverare adeò, ut ei post emissam aliquando Professionem non ampliùs liceat Religionem deserere: quapropter etiam non sufficit nudum propositum servandi tria Vota substantialia ac Ordinis Regulam, sed requiritur vera promissio, verumque votum, inducens obligationem personalem, eamque perpetuam. D. Thomas *2. 2. q. 183. art. 3.* Pelliz. *loc. cit. q. 3.* Pirhing *h. t. n. 6.* qui duo ultimi cum aliis volunt, non posse dari Religionem propriè talem, in qua liberum sit Religioso pro libitu iterùm discedere; quamvis dari possit, & de factò detur aliqua, ipsorum nempe Societas, in qua liberum est Superioribus Religionis dimittere Religiosum, quando id pro bono Religionis expedire judicaverint; quod qualiter fieri queat, haud obstante, quòd Religioso discedere non liceat, etsi judicet, ita exigere animæ suæ salutem, vide apud citatos, & alios Doctores Societatis Jesu. Cæterùm quòd nullus Religiosus Religionem deserere ampliùs queat, sed stabiliter ac perpetuò manere debeat, probatur ex Concilio Tridentino *Sess. 25. de Regular. cap. 19.* Ratio invenitur in Evangelio, quam S. P. noster Franciscus inseruit Regulæ suæ; quia nempe, *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est Regno Dei.* 7

Additur *in Communi*, quia quantumvis aliquis in privato, ac particulariter tria Vota substantialia voveat, & observet, sancteque vivat, nisi id in Communitate, & quidem à Pontifice approbata faciat, Religiosus non erit, nec in Religione esse dicendus est, Hyacinthus Donatus *in rerum Regul. Praxi resolut. tom. 4. tract. 1. quæst. 4. num. 8.* Layman *loc. cit. num. 2.* Pelliz. *loc. cit. q. 12.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 2. num. 13. arg. c. un. de Religios. domib. & c. un. eod. in 6.* Infertur proin, quòd Eremitæ, quantumvis sancti, nec olim fuerint, nec adhuc sint Religiosi, qui extra Communitatem à Sede Sancta approbatam in particulari aut privatò vitam Religioni similem ducunt. 8

Additur *ab Ecclesia approbatus;* quia quamvis olim antiquæ quædam Religiones ac Regulæ Sancti Basilii, 9

Augustini, & Benedicti sola Authoritate Ordinariorum loci expressè fuerint approbatæ & confirmatæ, Papa non repugnante, sed potiùs collaudante, ut ex Bellarmino notat Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. qu. 3. art. 6.* Rodriquez *lib. 1. Regul. qq. q. 1. art. 1.* Pirhing *h. t. n. 7.* & alii; tamen posteà approbatio Religionum reservata fuit soli Romano Pontifici, prout apertè constat ex *cap. un. de Religios. domib. 6. & cap. 1. de Voto in 6.* Ratio est; quia cùm Religionum novitas ac diversitas in Ecclesia Dei confusionem creare, indeque Ecclesiæ nociva esse facilè posset, *arg. cit. cap. un. de Religios. dom in 6.* earundem approbatio inter majores causas, quæ Pontifici soli reservantur, *cap. Majores de Baptis.* meritò reservatur.

10 Et ex his jam patet ad secundam partem quæsiti, quid sit *Religiosus* seu *Regularis* nam propriè talis, est *persona, quæ emissis tribus Votis substantialibus in aliqua Religione ab Ecclesia approbata vivit, ibique abjectis hujus sæculi cura, & perfectionis impedimentis, propriaque abnegata voluntate, carnis oblectamentis, ad id solum incumbit, ut ad perfectionem veniat, Deoque perfectè serviat.* Porrò Religiosus, & Regularis idem significant, nec differunt nisi in hoc, quòd ly *Religiosus* a verbo *Religio*, *Regularis* verò à *Regula*, quam quivis Regularis profitetur, derivetur.

11 Quæritur II. An, & quo Jure tria vota Paupertatis nempe, Obedientiæ, & Castitatis perpetuæ sint de essentia Religionis, Resp. I. Præfata tria vota omninò esse de essentia Religionis adeò ut sine illis Religio aliqua consistere nullatenùs possit. D. Thom. 2. 2. *q. 186. art. 1.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 1. art. 4.* dicens ita docere omnes, Hyacinthus Donatus *loc. cit. q. 5.* Pelliz. *loc. cit. cap. 1. q. 2. & 3.* cum Communi & certa aliorum, *arg. cap. Cùm ad Monasterium 6. de Statu Monachor.* ubi præfata vota Religionis adeò propria ac intrinseca dicuntur, ut nec Papa in iis dispensare valeat: quod intellige cum Glossa *in cit. cap. vers. Abdicatio*, & communi DD. in sensu composito, id est, ut quis sit, maneatque Religiosus, & tamen non sit adstrictus tribus allegatis votis, quamvis ex causa aliqua gravissima bonum commune concernente, possit dispensando, ex Religioso facere non Religiosum, sicque liberando eum à Religione, etiam à votis liberare, atque concedere, ut ad sæculum redeat, ac etiam nubat, prout cum pluribus factum esse, patet ex variis historiis, quarum aliquas refert Roderiquez *qq. regular. tom. 3. q. 1. art. 5.* Hinc Glossa *loc. cit.* dixit: *Papa non potest dispensare, ut Monachus habeat proprium, existendo Monachus, sed de Monacho potest facere non Monachum.*

12 Resp. II. Præfata tria vota sunt de essentia Religionis ex Jure Divino, Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. q. 1. n. 4. & 5.* Hyacinthus Donatus *loc. cit. q. 22.* & communis aliorum, Conclusionem probantium ex *cit. cap. Cùm ad Monasterium, 6. de Statu Monach.* ubi habetur, quòd Papa cum Religioso, manente Religioso non possit dispensare in aliquo ex dictis votis: ex quo manifestè sequi videtur, hæc tria non solo Jure humano, sed Divino requiri ad substantiam Religionis; si enim solo Jure humano ad eam essent necessaria, Papa in iis haud dubiè dispensare posset; utpote *qui secundum plenitudinem potestatis de Jure potest supra Jus dispensare*, uti dicitur *cap. Proposuisti 4. de concess. Præb.* Accedit ratio; quia juxta dicenda infra *n. 17. & 18.* Christus ipse statum Religiosum secundùm substantiam instituit, & in eo pro forma substantiali, præfata vota posuit: ad quem statum, licèt nullum obligarit, tamen paternè invitavit, ut tacendo alios textus patet *Matt. 19.* ubi postquam normam, viamque salutis ostendit sæcularibus, dicendo: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*, mox aspirantibus ad perfectiorem vitam, statum Religionis exhibet, ad eumque invitat dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me:* his enim verbis præfata tria vota essentiam Religionis constituentia comprehendi, cum aliis benè observat Tamburinus *de Jure Abbat. Tom. 1. Disp. 2. q. 8.* juxta quod D. Petrus ibidem subdit: *Ecce nos reliquimus omnia* (id est, bona temporalia, quod fit per voluntariam *Paupertatem*; & uxorem, quod fit per Castitatem) *& secuti sumus te* per *Obedientiam*.

13 Quòd si quæras, cur potiùs hæc tria vota, quam alia pro forma substantiali status Religiosi fuerint posita? Resp. Id inde factum esse: tum quia dicta vota magis quam alia serviunt ad perfectionem charitatis tanquam finem Religiosi status assequendum, magisque & efficacius quam reliqua auferant impedimenta perfectionis juxta dicta *n. 6.* Tum quia per eadem homo se & omnia sua perfecto modo consecrat Deò, eique quasi holocaustum offert. Tria namque principalia habet homo, animam videlicet, corpus, & bona temporalia, quæ omnia per memorata tria vota Deo plenè offeruntur. Primum quidem seu anima per *Obedientiam*, qua propter Deum voluntas plenè abrogatur, & dispositioni Superioris subjicitur, adeò ut Religiosus *velle & nolle non ampliùs habeat, cap. Religiosus de Testam. in 6.* Corpus offertur per Castitatem, dum per eam omni voluptati carnali ob Deum renuntiatur. Bona temporalia verò per Paupertatem. De tribus his votis ad propositum sic loquitur Joannes XXII. *In Extravag. Quorundam de V. S. Religio perimitur, si à meritorio subditi obedientia subtrahatur. Magna quidem paupertas, sed major integritas: bonum est obedientia: maximum, si custodiatur illæsa: Nam prima rebus, secunda carni, tertia menti dominatur, & animo.*

Quæritur III. Utrùm ad substantiam Religionis requiratur, ut tria vota sint solemnia? An sufficiant simplicia? Resp. Quamvis olim circa hoc quæsitum non modica fuerit controversia, eo quòd vota omnium Religiosorum (exceptis Religiosis primæ Professionis in societate) fuerint, & adhuc sint solemnia, *arg. c. un. de Voto in 6.* Nihilominùs hodie certum est, sufficere etiam simplicia. Fundamentum est; quia ita expressè declaravit Papa Gregorius XIII. *in Bulla Ascendente Domino.* Sicut etiam, quòd Religiosi Societatis, qui peracto Novitiatu primam Professionem emittunt, pro veris habeantur Religiosis, non obstante, quòd non nisi simplicia tunc edant vota. Accedit ratio, videlicet, quòd *voti solemnitas* ex sola institutione Ecclesiæ sit inventa, *cit. c. un. de Voto in 6.* & consequenter hoc ipso jam non sit de Religionis substantia; cùm alias Christus non totam substantiam Religionis instituisset. Reliqua hujus controversiæ fundamenta qui cupit, videat apud DD. Societatis, ac etiam Roderiquez, Mirandam, Donatum, & alios: nobis post Decisionem Papalem videtur eorum discussio superflua. 14

Quæritur IV. Quo tempore, & à quo institutus fuerit status Religionis? Resp. I. Olim jam in Lege veteri, seu Mosaica ante Christi adventum, imò & in ipsa Lege naturæ ante diluvium quædam Religiosi status vestigia, ac figuræ fuere, D. Thomas 2. 2. *q. 186. a. 6.* Miranda *in Manual. Prælat. Tom. 1. q. 3. ar. 30.* Rodriquez *qq. Regul. Tom. 1. q. 1. a. 1.* Hyacinthus Donatus *Tom. 4. tr. 1. q. 15.* & communis aliorum. Et quidem de lege naturæ patet ex illo *Gen. 14.* ubi de Enos dicitur: *Iste incæpit invocare nomen Domini*, quod non nisi de speciali ritu colendi Deum intelligi potest, cùm ante ipsum jam Adam, & justus Abel invocaverint Deum. 15

In veteri autem Lege status Religiosorum non solùm figuratus fuit in Nazaræis, de quibus *num. 6.* & in Elia, & Elisæo, qui in Collegiis habitabant, ut legitur *in l. 3. & 4. Regum*; sed etiam in Samuele tanquam eorum Principe, de quo Genebrardus in Chronologia ait: *Nota quòd Samuel primò instituerit conventus Religiosorum jugiter psallentium* (ut refert Tamburinus *de Jure Abbat. Tom. 1. Disp. 2. quæst. 1.* apud quem plura de hoc) Et hinc 1. Reg. 10. iteratò fit mentio de grege, seu cuneo Prophetarum psallentium Deo; qui proinde simul habitarunt. Unde S. Hieronymus Epist. 4. ad Rusticum ait: *Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Jordanis &c. & turbis Urbium derelictis polenta & herbis agrestibus victitabant.* 16

Resp. II. Dictis non obstantibus, ante adventum Christi non fuit vera, & propriè dicta Religio, cum ea perfectione, quam nunc habet, essentialiter nempe includens votum perpetuæ Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ. Miranda *in Manual. Prælat. Tom. 1. quæst. 3. artic. 1. & 2.* Roder. *Tom. 1. quæst. 1. artic. 1.* Pelliz. *in Manual. Regular. Tract. 1. capit. 2.* Tamburinus *loco citat.* & communis aliorum. Ratio est: tum *quia nihil* 17

per-

perfectum adducit Lex, ait Apostolus *Hebr. 7.* vocans, *Galat. 4.* tempus Legis veteris tempus infantiæ seu pueritiæ illis verbis: *Ita & nos cùm essemus parvuli, sub elementis mundi hujus eramus servientes.* Tum quia licèt impossibile non fuerit, quin aliqui in veteri Lege emiserint tria vota Religionis, tamen cum nullo fundamento id de aliquo in particulari, multò minùs de Communitate aliqua, præfata vota habente asserere possumus: Tum quia, uti statim dicetur, status Religiosi secundùm perfectionis substantiam primus Institutor fuit Christus Dominus, consequenter non alius in veteri Testamento.

18 Resp. III. Religio, seu status Religiosus secundùm substantiam suam non ab aliquo purò homine, sed immediatè ab ipso Christo Domino fuit institutus. Roderiquez *l. c.* Miranda *l. c. art. 1.* Pelliz. *l. c. q. 5.* Suarez *Tom. 3. de relig. lib. 3 c. 1. n. 3.* Pirhing *h. t. n. 18.* Estque teste Miranda certissima, & omnium Catholicorum hac de re rectè sentientium, probaturque tum ex dictis suprà *n. 12.* tum ex variis aliis locis Evangelii, in quibus satis manifestè apparet, quod Christus multos ad modum & normam sub tribus præfatis votis vivendi, sive ad statum Religiosum invitarit, & cohortatus sit, uti patet ex textu *Matth. 19.* suprà *n. 12.* jam citato. Et ulteriùs ex Matthæo 10. *Nolite possidere aurum & argentum &c.* & illo Lucæ 14. *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: quibùs verbis de Paupertate instituta constat. De *Castitate* patet etiam ex illo Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cœlorum.* De *Obedientia* item, per quam quis seipsum, & propriam voluntatem abnegat ex Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.*

19 Porrò Religio à Christo Domino instituta, eo invitante & hortante statim ab initio Ecclesiæ ab ipsis Apostolis, ac aliis Christi Discipulis fuit suscepta, qui emissis priùs enumeratis votis veram vitam Religiosam duxerunt, verique Religiosi extiterunt: prout docent S. Chrysostomus *lib. 3. contra Monast. vitæ vituper.* S. Hieronymus *in lib. contra Jovinian. & in Apolog. ad Pamach.* & alibi: Hieronym. Plati *de Bono statu relig. lib. 2. c. 2.* Miranda *Tom. 1. q. 3. a. 1. concl. 2.* Joan Gerson. *Alphab. 42. Sermone de Cœna Domini.* Hyacint. Donatus *Tom. 4. tract. 1. qu. 8.* allegans D. Thomam 2. 2. *q. 88. a. 4. ad 3.* allegantem S. Aug. Engel *h. t. n. 4.* Tamburinus *de Jure Abbat. tom. 1. disp. 2. q. 9.* Suarez, id probantes ex illo *Matt. 19.* ubi postquam Christus requisita ad statum Religiosum alicui proposuit, Petrus nomine Apostolorum indicavit, hunc statum se jam assumpsisse, dicendo: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, vivendo in Obedientia, sine Proprietate, & in Castitate, conformiter dictis. Huc facit etiam ex *Actis Apost. cap. 4.* *Multitudinis credentium* (ab initio Ecclesiæ) *erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

20 Resp. IV. Quamvis Religionem, statumque Religiosum quoad substantiam Christus ipsemet instituerit, ipsamque, ut dictum, Apostoli ac alii discipuli statim ab initio Ecclesiæ susceperint, veram vitam Religiosam emissis tribus votis duxerint, nihilominus, si Religio spectatur non præcisè circa substantiam, sed insuper secundùm certas Regulas, Religionis substantiæ superadditas, certumque modum vivendi præfatæ substantiæ adjectum, plures Religiones (post jam institutam à Christo Religionis substantiam) ab hominibus, viris utique perfectis fuere institutæ, & ab Ecclesia approbatæ, ita ut quævis earum peculiarem Fundatorem, ac principalem Institutorem habeat. Omnes. Patebitque ex §. *seq.* Nec est Conclusio hæc contraria Conclusioni positæ *n. 3.* Quamvis enim Christus Religionem instituerit quoad substantiam, tamen accidentalia ejusdem reliquit Ecclesiæ determinanda, salva semper substantia, ejusdemque substantiæ Institutore manente Christo, supremo perfectionis Magistro: Prout simile quid contigit in Sacramentis, quorum Institutor secundum substantiam fuit, & semper manebit Christus, non obstante, quod accidentalium determinationem reliquerit Ecclesiæ: ut docent unanimiter Theologi, & habetur *in Theologia nostra Moral. Tract. 14. Dist. 1. q. 2.*

§. II.

De Diversitate, ac Numero Religionum: nec non de Perfectione, & utilitate earum tam absoluta quam respectiva.

SUMMARIUM.

23 *Religiones omnes conveniunt in substantia, & tantùm differunt in accidentibus; & quibus?*
24 *Alia est Contemplativa, alia Activa, & alia Mixta.*
25 *Alia Clericalis, alia Monachalis; alia Mendicans, alia Militaris.*
26 *Monachus & Religio Monachalis quid? & quæ ejus occupatio.*
27 *Mendicans Religio quid? & quæ?*
28 *Mendicantes omnes (exceptis Fratribus Minoribus) hodie habent bona in communi.*
29 *Militaris Ordo quid?*
30 *Professi Ordinis Militaris an & quomodo sint Religiosi; usque ad n. 34.*
34 *Quatuor tantùm sunt Regulæ Religiosorum SS. Basilii Augustini, Benedicti, & Francisci.*
35 *Regula S. Basilii quando incæperit? & qui sub ea?*
36 *Carmelitana Religio quando incæperit?*
37 *S. Augustini Regula quando incæperit? militant sub ea plures Religiones.*
38 *Inter alias Religio Præmonstratensium: Hujus initium*
39 *Et Religio Dominicanorum: Horum initium.*
40 *Referuntur plures Ordines sub Regula S. Augustini militantes.*
41 *Melitensis Ordinis origo, & initium.*
42 *Ordo Militaris Teutonicus quando, & quomodò incæperit?*
43 *Ordo S. Benedicti: & Cluniacensium quando incæperit.*
44 *Camaldulensium Ordinis initium.*
45 *Cisterciensium Ordinis origo, & initium.*
46 *Templariorum Ordinis origo, & interitus.*
47 *Regula S. Francisci fuit divinitus revelata, ac instituta, usque ad n. 49.*
49 *Religionis Seraphicæ origo, ac initium.*
50 *Franciscani Observantes, Recollecti, Reformati, & Discalceati sub una Regula, & sub eodem vivunt Generali.*
Reformati puriùs observant Regulam, quam Observantes. Ibid.
51 *Generalis Franciscanorum solus utitur Sigillo totius Ordinis, solusque dicitur Generalis totius Ordinis S. Francisci.*
52 *Capucinorum Origo: controversia inter Capucinos, & Franciscanos de caputio est sublata.*
53 *Conventuales qui olim, & qui tunc?*
54 *Clarissarum origo.*
55 *Tertiariorum Ordo. Regula, & origo quæ?*
56 *Chartusianorum, Jesuitarum, & Minimorum origo.*
57 *Utile semper fuit Ecclesiæ, vigere in ea Religiones.*
58 *Diversas.*
59 *Religionum, & Religiosorum nimia multitudo vitanda.*
60 *Contemplativa Religio est perfectior Activa.*
61 *Mixta vita & Religio est perfectior contemplativa.*
62 *Respondetur ad textum:* Maria optimam partem sibi elegit.
63 *Franciscanorum Religio est mixta.*
Meditationem ob proximi salutem omittentes, male sibi consulunt. Ibid.
64 *Inter mixtas Religiones quænam perfectior?*
65 *Adducitur summa perfectio Religionis Seraphicæ.*
66 *Status Religionis durabit usque ad finem mundi.*
67 *Specialiter Religio Seraphica S. Francisci.*

Quæritur I. An, & qualis sit diversitas Religionum? & quomodo dividantur? Resp. Quamvis omnes, ac singulæ Religiones neque in essentia, neque in fine principali differant, sed verè conveniant, utpote omnes tria vota substantialia habentes, omnesque ad unam finem, principalem, perfectionem nempe, 23

per-

perfectamque Dei Charitatem (*quæ est vinculum perfectionis*) tendentes; nihilominùs multum differunt inter se accidentaliter, præcipuè verò in duobus: videlicet *Primo* in fine proprio ac particulari, ad quem quævis specialiter à Fundatore est instituta. *Secundo* in mediis, & particularibus exercitiis, quibus quælibet utitur, ac nititur tum ad tria vota substantialia exactè observanda, finemque principalem, perfectionem nempe, assequendum: tum ad finem particularem, meliùs obtinendum. D. Thomas 2. 2. *q.* 188. Miranda *Tom.* 1. *q.* 6. *a.* 2. cum communi DD. patebitque ex sequentibus.

24 Nam Religio *prima* dividitur in Contemplativam, Activam, & Mixtam. *Contemplativa* est, quæ præter observationem trium Votorum substantialium ex primæva sua institutione, ac fine particulari ad vitam contemplativam principaliter ordinatur, & potissimum se exercet in contemplatione rerum Divinarum. *Religio Activa* est, quæ ex fine suo particulari principaliter ordinatur ad vitam Activam, opera nempe misericordiæ, & charitatis erga proximum, sive spiritualia, sive corporalia, sive exhibenda. *Religio Mixta* est, quæ de utraque participat, seu potiùs utramque includit, eò quòd ex fine suo particulari, ac vi institutionis suæ tam ad vitam Contemplativam, quam Mixtam, opera nempe misericordiæ, & charitatis erga proximum, præsertim verò spiritualia, v. g. docendum, legendum, Confessiones audiendum, concionandum &c quæ contemplationem sociam requirunt, exhibenda, quàm ad contemplationem, ac meditationem internam ordinatur. Miranda *Tom.* 1. *q.* 6. *a.* 2. Pirhing *loc. c. n.* 20. Sannig *eod. cap.* 2. *n.* 6. & communis aliorum, patetque ex terminis.

25 *Secundo* Religio alia est Clericalis, alia Monachalis, alia Mendicans, alia Militaris. *Religiones clericales* sunt; quæ vi institutionis suæ principaliter ordinantur ad Chorum, Divina mysteria exactè peragenda, cultumque Divinum promovendum, cum aliqua mixtura vitæ Contemplativæ ac Mixtæ. In hac Religione vivunt Canonici Regulares. Ita desumitur ex D. Thoma 2. 2. *q.* 189. *a.* 8. *ad* 2. ubi addit, hujus Religionis membra (Canonicos nempe Regulares) minùs strictam ducere vitam, quàm Monachos (de quibus *n. seq*) indeque posse illos ad hos, consequenter etiam ad Mendicantes (de quibus *n.* 27.) sed non econtrà hos ad illos transire. Sannig *l. c.* Pirhing *loc. cit. n.* 21. Pellizz. *loc. cit. c.* 3. *sect.* 1. *n.* 17. *& seq.*

26 *Religio Monachalis* est, quæ vi institutionis suæ, & in fine suo particulari ad vitam Contemplativam, & solitariam principaliter ordinatur, D. Thomas *loc. cit.* Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. univ. cap.* 41. *n.* 13. Sannig *loc. cit.* Pirhing *loc. cit. arg. can.* 1. *caus.* 16. *q.* 1. ubi *Monachus* idem significare dicitur, quod *Singularis*; rectiùs *Solitarius*, Glossa ibidem ℣. *Singularis arg. Si Clericus in fine ead. caus. & q.* ita ut non inter sæculares, sed solitariè in suo Cœnobio vivat: Hinc S. Hieronymus *in can. Si cupis* 5. *ead. caus. & q.* ad Paulinum Monachum ait: *Si cupis esse, quod diceris Monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum.* Quapropter *can.* 1. *dicta cau. & q.* præcipitur, adeò, ut *ne Monachus per omnia solitariè agat & vivat ne pænitentiæ Sacramenta aliis quam Monachis in suo Monasterio administret, neque doceat*; quia *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, can. Monachus* 4. *ead. caus.* 16. *q.* 1. Concordat *can. Monachi*, ac plures alii, *cit. caus.* 16. *q.* 1. Tales Monachi vi primævæ institutionis suæ sunt Ben[illegible], Cistercienses, Carthusiani &c. quia alii Religiosi, qui soli contemplationi non insistunt, si insuper vitam ducentes Activam, Episcopos, aliosque Clericos sæculares in Cura animarum, Concionibus, ac Sacramentis administrandis juvant, propriè Monachi nec vocantur, nec sunt: uti cum communi aliorum observat Barbosa *loc. cit. n.* 17. Verum de Monachis, & Canonicis Regularibus plura infrà *Tit.* 35. *de Statu Monachorum, & Canonicorum regular.*

27 *Religiones Mendicantes* sunt, quarum Religiosi vi primævæ institutionis suæ ex fine peculiari ad vitam Mixtam destinati, paupertatem non tantùm in particulari, sed etiam in communi observant, nullaque bona immobilia possidentes, nullumque jus rerum habentes vivunt contenti iis solis, *quæ vel mendicantur humiliter vel donantur liberaliter vel honestè acquiruntur labore & industria*, *arg. c. Exiit de V. S. in* 6. *& Clem. Exivi eod.* Glossa *in c. Exto vers. Mendicantes de Excess. Prælat. in* 6. Sannig *loc. cit.* Pirhing *loc. cit. n.* 22. Pellizz. *loc. cit. n.* 12. Roderiquez, Miranda, & alii.

Tales de Jure communi approbati sunt quatuor, videlicet Religio Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, *c. un. de religios. domib. in* 6. ubi rejectis aliis Ordinibus Mendicantibus antecedentibus soli approbantur Religiosi præfati quatuor Ordines Mendicantes. 28

Dicitur notanter *vi primævæ institutionis suæ*: Nam defactò ex variis concessionibus, ac privilegiis summorum Pontificum, sicut & ex novissima ordinatione Concilii Trid. *Sess.* 25. *de regular. cap.* 3. conceditur omnibus Religionibus tam virorum, quam mulierum, etiam olim verè Mendicantibus (sola excepta Religione S. Francisci) bona immobilia, dominiumque rerum habere in communi, ut proin soli Franciscani, & Capucini eandem Sancti Francisci Regulam ad litteram observantes, in propria acceptione Juris antiqui, Mendicantes sint. Quamvis idem nomen, amplissimaque mendicantium privilegia ex speciali concessione adhuc participent Prædicatores, Eremitæ S. Augustini, & Carmelitæ. Eodem nomine, iis denique privilegiis, ex Pontificum concessione etiam alii Religiosi adhuc hodie fruuntur, ut Patres Societatis, Cajetani, Paulini, ac plurimi alii, de quo ad longum Barbosa *loc. c. n.* 208. *& seqq.* 29

Tandem *Religiones Militares* sunt, quæ vi institutionis suæ, ac fine suo particulari principaliter ordinantur ad militandum pro defensione Religionis Christianæ, & Ecclesiæ. Tales sunt Ordo Melitensis, Ordo Teutonicus, ac plures alii, apud Barbosam *loc. cit. n.* 164. Roderiquez *Tom.* 1. *q.* 5. Suarez *Tom.* 4. *lib. de relig. cap.* 3. *n.* 4. Pirhing *h. t. n.* 24. & communis aliorum. De harum Religionum professis gravissima disputatio est inter DD. an sint veri Religiosi necne: aliis cum Navarro *lib.* 3. *Consil. de regular. Consil.* 24. *& de reddit. Eccles. q.* 1. *Monit.* 53. *n.* 5. affirmativam absolutè tenentibus: aliis econtrà cum Communi Theologorum absolutè negantibus, illos esse verè ac propriè dictos Religiosos, prout videre est apud Mirandam *in Manuali Prælat. Tom.* 1. *q.* 10. *a.* 4. Roderiquez *Tom.* 1. *q.* 1. *a.* 6, & alios. 30

Verùm nec affirmativa, nec negativa absolutè tenenda, sed cum distinctione respondendum videtur, videlicet, quòd professi in Ordinibus Militaribus illis, in quibus præter vota Paupertatis, & Obedientiæ, etiam emittitur perfectum & totale votum Castitatis, qualis est Ordo Militaris S. Joannis (quorum Professi Commendatores de Malta, item Equites Melitenses *Malteser Ritter* dicuntur) veri ac propriè dicti Religiosi. Miranda, ac Roderiquez *loc. cit.* id pro certo asserentes. Idem cum aliis indubitatum habet Pellizz. *loc. cit. n.* 30. Ratio est; quia tales Ordines omnia ad essentiam propriæ Religionis requisita, tria nempe vota substantialia, ac Pontificis approbationem habent. 31

Professi verò illorum Ordinum Militarium, in quibus præter paupertatem & obedientiam tantùm vovetur conjugalis, non verò perfecta Castitas (qualis est Ordo Militaris D. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, ac similium) sint quidem, ac dici possint Religiosi, non tamen absolutè, ac simpliciter, sed cum addito *Militares* Roderiquez *loc. cit.* Miranda *loc. cit. Concl.* 3. qui putat Conclusionem in hoc sensu esse certam. Et quidem, quòd absolutè, & simpliciter Religiosi dici non possint, nec sint, docet contra Navarrum Communissima Theologorum. Ratio est; quia deficit unum essentiale exrequisitis, votum nempe perfectæ Castitatis, quod juxta dicta *n.* 12. de Jure Divino pertinet ad essentiam status Religiosi, seu Religionis absolutè, ac simpliciter dictæ. Hinc benè dixit D. Thomas 2. 2. *q.* 186. *a.* 4. Quòd *illi modi vivendi secundùm quos homines matrimonio utuntur, non sint simpliciter & absolutè loquendo Religiones, sed secundùm quid, in quantum scilicet in aliquo participant quædam, quæ ad statum Religiosum pertinent.* Hæc ille. 32

Nec obstat, quòd d. Ordines Militares habeant Regulam à S. Sede approbatam, simulque eorum Professores emittant tria vota substantialia; atque ab ipsis summis Pontificibus appellentur non solùm Ecclesiastici, sed etiam Religiosi, teste citato Navarro *de Reddit. Ecclesiast. q.* 3. 33

quæst. 3. *Monit.* 27. quin etiam capaces sint beneficiorum Regularium, gaudeant privilegio Fori, & Canonis, prout latiùs deducit. Navarrus *loc. cit.* atque inde infert, eos esse absolutè, verè, ac propriè Religiosos. Resp. enim, hinc solum sequi, quòd tales sint Religiosi non quidem simpliciter, & absolutè (cùm non voveant Castitatem absolutam) sed cum addito *Religiosi Militares*, prout vult altera pars distinctionis nostræ. Plura vide apud Mirandam, & Roderiquez *loc. cit.*

34 Quæritur II. Quot numero sint Religiones in specie? Quando item, & à quo quævis instituta, ac approbata? Resp. Quamvis plurimæ sint Religiones (quas omnes eruditè more suo recenset Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. univ. cap.* 41. *à num.* 20.) tamen omnes sub quatuor principalibus Regulis *S. Basilii* videlicet, *S. Augustini*, *S. Benedicti*; & *S. P. Nostri Francisci* militant, exceptis PP. Societatis Jesu, PP. Minimis, & Carthusianis, qui in pluribus, quatuor præfatis Regulis, se accommodantes, propria statuta, & particulares Constitutiones suas pro Regulis habent. Barbosa *loc. cit. num.* 20. Layman *lib.* 4. *Tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 3. Pirhing *h. t. n.* 25. eoque teste communis DD. Et licèt potiùs ad Historicos, & Chronologos quam Canonistas spectet, eas omnes examinare, & adducere; nihilominùs pro aliqua eruditione, & compendiosa notitia, placuit aliquas saltem cum origine earum ex Doctoribus præsertim Barbosa *loc. cit.* apponere, relinquendo fidem penes DD. nec enim per allegationem hanc ullius antiquitati præjudicare intendimus.

35 Prima igitur Regula fuit S. Basilii, ab eodem Sancto instituta circa Annum 369. teste Barbosa *loc. cit. n.* 21. vel circa Annum 350. uti vult Miranda *in Manuali Prælat. Tom.* 1. *q.* 4. *a.* 1. sub Felice II. Pontifice. Militant sub ea fermè omnes Monachi Græci, & Orientalis Ecclesiæ. Ejusdem Regulæ Professores fuere inter alios Sanctos, etiam S. Effrem, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus. S. Joannes Damascenus. S. Hieronymus, & alii, fuitque primis Sæculis celeberrima. Miranda *loc. cit.* Barbosa *loc. cit. a n.* 21.

36 Eandem Regulam olim habuere Patres Carmelitæ teste Barbosa *l. c. n.* 24. Hodie tamen aliam observant, quam confirmavit Innocentius III. Eandem, sicut & Religionem Carmelitarum confirmavit, & approbavit Honorius III. Anno 1171. in Bulla *Ut vivendi* estque Constitutio VIII. d. Pontificis apud Cherub. Cui Bullæ inserta etiam est Regula dicti Ordinis, ut proin, licèt de initio hujus S. Religionis satis clarè non constet, pateat tamen de ejusdem confirmatione & approbatione per dictam Bullam Honorii III. E[illegible] quamvis dicta Regula quoad jejunia, esum carnium, [illegible], & nonnulla alia, moderata fuerit per Innoce[illegible] IV. in Constitutione, *Quæ honorem* Anno 1247. & [illegible] IV. in Constitutione *Romani*. Anno 1431. [illegible] absque moderationibus, aut dispensationis privi[illegible] era, & reformatione S. Theresiæ observare denuò inceperunt, & etiamnum observant Patres Carmelitæ Discalceati: quam Regulam una cum qualitatibus à S. Theresia additis confirmavit Gregorius XIII. per Constitutionem *Pia*. Anno 1580. Hæc porrò Familia Carmelitana Discalceata discessit à reliquo Corpore Carmelitano, cum proprio Generali sibi dato à Clemente VIII. ut constat ex ejus Constitutione 71. data Romæ 20. Septemb. 1595. Barbosa *loc. cit. n.* 29.

37 Secunda principalis Regula fuit S. Augustini, ab eodem Sancto instituta circa annum Domini 390. existente Summo Pontifice Syriaco, & Imperatoribus Occidentis Gratiano, Orientis verò Theodosio. Teste Barbosa *loc. cit. num.* 88. Duo à S. Augustino instituti fuere Ordines, Eremitarum videlicet, & Canonicorum Regularium: quinam autem priùs: liquidò non constat, utroque pro majori antiquitate, sibi competente, acerrimè disputante, quorum proin disputationi negotium relinquitur. Cæterùm sub utriusque hujus Ordinis Regula plures militarunt Congregationes: & quidem teste Bordono 34. Congregationes Canonicorum Regularium. Eremitarum verò 18. sub eadem S. Augustini Regula [illegible]quenter institutæ fuere etiam aliæ Religiones & Ordines; quorum 38. refert Tamburinus, plures etiam adducit Barbosa *loc. cit. n.* 88.

38 Inter alias sub Regula S. Augustini militantes Religiones, fuit Ordo Canonicorum Regularium Præmonstratensium, sic dictus à loco *Præmonstrato* in Diœcesi Lugdunensi suffraganea Rhemensi in Gallia institutus à S. Noberto Archiepiscopo, posteà Primate Germaniæ 1120. sub Pontifice Calixto II. Imperatoribus Occidentis Henrico V. Orientis Joanne Comneno, confirmatus ab Honorio II. per Constitutionem, *Honorius Episcopus*. Anno 1126.

Sub eadem Regula S. Augustini militat Ordo Prædicatorum institutus à S. Dominico circa annum 1205. ut vult Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. univ. lib.* 1. *cap.* 41. *n.* 117. vel, ut refert Miranda *Tom.* 1. *q.* 4. *a.* 5. Anno 1214. sub Innocentio III. confirmatus verò & approbatus ab Honorio III. Anno 1216. in Bulla *Religiosa* quæ est secunda dicti Pontificis apud Cherub. Hic Ordo pro uno ex celeberrimis in Ecclesia Catholica communiter habetur, teste Miranda *loc. cit.* & aliis. 39

Sub præfata Regula S. Augustini insuper vivunt sequentes Ordines, videlicet S. Pauli primi Eremitæ institutus à B. Eusebio Strigonensi in Regno Hungariæ Anno 1215. Pontifice Innocentio, confirmationem præstante Fratre Gentili Cardinali ex Ordine S. Francisci Legato Clementis V. in Hungaria Anno 1308. Item Ordo Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum, revelante eadem B. V. Maria, institutus à S. Petro Nolasco Anno 218. Pontifice Innocentio III confirmatus à Gregorio IX. Anno 1230. Item Ordo Servorum, seu Servitarum S. Mariæ sic dictus, quòd B. V. Mariæ peculiaribus obsequiis sit addictus, institutus à septem Nobilibus Florentinis Anno 1233. Pontifice Gregorio IX. approbatus à Benedicto XI. per primam suam Constitutionem, *Dum levamus*. Anno 1303. Item Ordo Cruciferorum institutus per Germaniam, Belgium, & Galliam à quinque piis viris Clericis sæcularibus Anno 1246. regnante, atque Ordinem confirmante Innocentio IV. Item Ordo Jesuatorum S. Hieronymi institutus à S. Joanne Columbino Anno 1354. sub Innocentio VI. approbatus à Martino V. in Constitutione *Pia Postulatio*. Anno 1468. Item Ordo S. Brigitæ, ab eadem Sancta institutus Anno 1368. Pontifice Urbano V. Monasteria hujus Ordinis pleraque sunt duplicia, virorum nempe Religiosorum, & Sanctimonialium, ita tamen degentium, ut stricta Clausura ab invicem sint separati. Ambobus imperat una Abbatissa. Item Ordo Clericorum Regularium Theatinorum institutus à Petro Caraffa Neapolitano Archiepiscopo Theatino (à quo ejusdem Alumni Theatini vocantur) posteà summo Pontifice Paulo IV. & S. Cajetano (à quo iidem etiam Cajetani, nuncupantur) Anno 1524. Pontifice Clemente VIII. Habet hic Ordo teste Barbosa *loc. cit.* in Italia Domicilia 36. eaque Religiosissimis, & Doctissimis viris plena: extra Italiam verò pauca: de quibus omnibus latiùs vide Barbosam *loco citato* & Scriptores apud eundem citatos. 40

Sub eadem S. Augustini Regula militant plures Ordines Militares, videlicet Ordo Militaris Melitensis institutus Hierosolymis à Gerardo Erectore Hospitalis S. Joannis Baptistæ Anno 1099. existente Pontifice Paschali II. Ordinem verò confirmante Honorio II. Anno 1125. Vocantur subinde Equites Rhodienses, eo quòd Rhodum Insulam Turcis eripuerint Anno 1308. 20. Augusti, ibique sedem, & domicilium Religionis posuerint, & retinuerint 214. Annos usque ad Annum 1522. 25. Decembris, quo die, præfata Insula à Turcis iterum fuit recuperata. Hodie communiter dicuntur Equites Melitenses *Malteser Ritter* à *Malta* Insula, in quam dono Imperatoris Caroli V. Rhodis expulsi migrarunt, ubi etiamnum existunt. 41

Item Ordo Militaris S. Mariæ Teutonicorum, vulgò Ordo Teutonicus, sub patrocinio B. V. Mariæ, à quodam Viro Nobili Germano (cujus nomen in nullo Authore reperiri conqueritur Barbosa *l. c. n.* 167.) pro Natione Germanica institutus Anno 1119. Calixto II. Pontifice, primùm Hierosolymis sub Sodalitii specie ad recreandos, & recipiendos peregrinos gentis Germanicæ: deinde autem temporis ad tuendum eosdem ab incursion[e] Barbarorum. Expugnatis autem à Sultano Hier[osoly]mis, abire cum reliqua Christianorum Copia i[illegible]ne, sive Ptolemaide considere, ubi dum [illegible] Ordo 42

eorum confirmatus fuit à Cęlestino III. Anno 1192 Tandem Ptolemaide à Saracenis capta in Europam venerunt, ibique contra Prussios, qui Moscoviam armis infestabant, à Conrado Moscoviæ Duce evocati ea conditione, ut quidquid Prussiani agri occuparent, eis cederet, feliciter Prussios debellarunt, Ductore Hermano Altza Ordinis Magistro, spectatæ virtutis Duce, Barbosa *loc. cit. num.* 163 Sub memorata S. Augustini Regula militant & alii Ordines Militares; ut Ordo Militaris S. Jacobi in Lusitania. Ordo Militaris S. Mariæ de Carmelo &c. de quibus vide Barbosam *loc. cit.* sicut & Roderiquez *Tom.* 1 *q.* 5.

43 Tertia principalis Regula fuit S. Benedicti, ab eodem Sancto instituta circa Annum 500. Pontifice Symmacho, ut tradit Barbosa *lib. 1. Juris Eccles univ. cap. 41. n.* 35. vel circa Annum 520. ut refert Brugnoli, & Miranda *Tom. 1. qq q. 4. a. 2.* Sub hac Regula plures erectæ sunt, & militant Congregationes, & Ordines, quorum 85. numerat Tamburinus, Bordonus, & alii. Inter alios sub præfata Regula militantes antiquior est Familia *Cluniacensium*, sic dicta à primo illius Monasterio *Cluni* in Gallia, erecta à S. Odone Monacho Benedictino circa Annum 900. Pontifice Anastasio III. ut vult Barbosa *loc. cit. n.* 45. vel circa Annum 913. ut refert Miranda *loc. cit.*

44 Sub eadem Regula militat Ordo *Camaldulensium* à valle *Camaldula* sic dictus, institutus à S. Romualdo Monacho Benedictino circa annum 967. Pontifice existente Joanne XIII. Ordinem verò approbante Alexandro II. in Constitutione sua 1. *Nulli*. Anno 1072. teste Barbosa *loc. cit. n.* 56. quamvis Miranda *loc. cit.* cum aliis velit, initium hujus Ordinis fuisse circa annum 100. *Hujus S. Romualdi sanctissimo exemplo, & magna sanctitatis fama, illustribus miraculis tot homines sunt permoti, quod* (referente sic ex aliis Miranda *l. c.*) *nisi ipsemet eosdem prohibuisset, terrarum Orbis, ejus Religiosam vitam & disciplinam videbatur velle subire*; habet amplissima privilegia.

45 Sub memorata S Benedicti Regula insuper militat celeberrimus Ordo *Cisterciensium* sic dictus à valle *Cistercio* in Diœcesi Babilonensi in Burgundia apud Gallos institutus à S. Roberto circa annum 1099. Pontifice Urbano II. Hic nempe Robertus prius Abbas in Ordine Cluniacensi cernens subditos suos (ut refert Miranda *loc. cit.*) ob divitias, magnamque rerum copiam, & abundantiam à primævo instituto aliqua ratione deflectere, zelo ductus assumptis sociis Religiosissimis viris *Cistercium*, spinarum densissimum locum petit, ibique novi Ordinis principia posuit. Verùm paulò post jussu Pontificis ad suum Monasterium rediens, & novum Ordinem inceptum Stephano Anglico sui loco in Prælatum & Abbatem suffecto commendavit: qui Stephanus eundem gubernans, continuis, iisque ferventissimis precibus Deum rogabat, ut sanctissimum Institutum foveret, & augeret. Exaudivit Stephanum Dominus, dum Bernardum adolescentem Nobilissimum gratia sua eo commovit, ut una cum tribus suis fratribus, sicut & aliis consanguineis, & amicis 30. numero Ordinem Cisterciensium intraret Anno 1113. Ætatis suæ 22. Cujus deinde Bernardi subsequente sanctitate & doctrina Ordo majora sumpsit incrementa, ipsique Religiosi *Cistercienses* ab hoc S. Bernardo etiam *Bernardini* nominati fuere. Vide Barbosam *l. c. a n.* 50 Mirandam *Tom. 1. quæst.* 4 *a.* 2.

46 Sub eadem S. Benedicti Regula militant etiam plures Ordines Militares, uti Ordo Militares de Calatrava institutus à S. Raymundo Fiterici in Castella, & Rege Castellæ Sancio 1158. Pontifice Adriano IV. Item Ordo Militaris *Alcantaræ*. Item Ordo Militaris *Montesiæ*. Item Ordo Christi, & aliis, de quibus vide Barbosam *loc. cit.* Mirand. & Roderiquez *loc. cit.* Inter alios Militares Ordines sub Regula S. Benedicti fuit celeberrimus suo tempore ordo *Templariorum*, seu Equitum Templi, institutus à novem Equitibus Gallis 1118. Gelasio II Pontifice; qui tamen Ordo, postquam per ducentos annos summe floruit, damnatus, & penitùs extirpatus fuit in Concilio Generali Viennensi à Clemente V. circa annum Domini [illegible] Idque ob nefanda crimina, ac conspirationem cum [illegible] in perniciem Religionis Catholicæ factam. Baro. [illegible] n. 76 Et licèt non desint etiam DD. prædictum Ordinem plurimùm defendentes, dicendo, Sententiam à S. Pontifice ex mala informatione, ac invidia aliorum fuisse latam. Nihilominùs major, & sanior pars, Templarios reos proclamat, justamque Pontificis sententiam asserit ex eo præcipuè capite, quòd tota causa exactissimè fuerit examinata in Concilio Generali præsentibus trecentis episcopis, aliisque plurimis Doctissimis, ac Religiosissimis viris, qui omnes in tanto negotio tam gravis erroris sine temeritate argui sanè non possunt.

47 Quarta principalis Regula est S. Francisci, qui eam non tam instituit, quam executioni tradidit, ejusque Executor potiùs, quam Institutor, aut Fundator fuit, siquidem non ipsemet eam adinvenit, sed immediatè à Deo sibi revelatam, & de verbo ad verbum sibi dictatam & traditam accepit: prout non tantùm ipsemet Sanctus sæpè est fassus, sed & plures Pontifices contestati sunt, inter quos Nicolaus III. *arg c. Exiit, de V. S. in* 6. quod ipsum etiam S. Birgittæ aliquando revelavit Christus illis verbis: *Istius Francisci regula, quam ipse incæpit, non fuit dictata, & composita ab ipsius humano intellectu & prudentia, sed à me secundùm meam voluntatem, quodlibet ejus verbum, quod in ea scriptum est, de Spiritu Sancto est* Vvadingus *ad Annum 1223. n. 13* Dominicus de Gubernat. *in Orbe Seraphico Tom. 1. lib. 1. c. 9.* Hinc contristatus aliquando S. Franciscus, quòd jam suo tempore aliquas relaxationes in Ordine cerneret, sequentem à Christo increpationem audire debuit. *Cur tu pauper homuncio turbaris? an Ego te super religionem meam Pastorem sic constitui, ut me principalem Patronum nescias Hominem simplicem te constitui, ad hoc, ut quæ in te fecero, non humanæ industriæ, sed supernæ gratiæ adscribantur: & quantiscunque fuerit impulsibus paupercula hęc concussa religio, semper salva meo munere manebit.* Vvadingus & Gubernat. *loc. cit. ac Cronic. Ordin.*

48 Clariùs adhuc, & evidentiùs, plurimisque audientibus expressè revelavit Christus Regulam & Religionem Sancti Francisci immediatè à se fuisse institutam; dum Fratre Elia Generali, inito cum aliis consilio, relaxationem Regulæ petente, ac contra nimium rigorem protestante in monte Raynerio ad Christum clara voce Fratre Elia, & aliis præsentibus dixit Franciscus: *Domine nonne dixi, hoc mihi non credituros:* Ad hæc enim verba illicò in nube lucida apparens Christus, spectantibus, & audientibus omnibus contra Regulæ rigorem cum Elia Generali conquerentibus, sensibili & clara voce ita respondit *Homuncio quid turbaris, quasi tuum hoc opus esset? Tune Legislator? Tune hujus vitæ Præceptor? nonne hæ tabulæ à me formatæ? tu duntaxat tenue hujus operis instrumentum, & calamus scribentis. Novi ego, quid dictaverim, novi quid velim præcipere, vires humanæ mihi compertæ, scio, quid possint, & quid ego valeo, & volo præstare subsidium. Volo proinde, ut regula hæc observetur ad litteram, ad litteram, sine Glossa, sine Glossa; sine Glossa.* Quibus dictis conversus ad congregatos Franciscus dixit: *audistis? audistis?* Elias verò, ac cæteri cælesti voce quidem territi, à proposito tamen suo necdum penitus desistentes rogare cæperunt, ut eisdem instar aliarum Religionum saltem in communi aliquid possidere liceret; ad quæ Christus à S. Francisco interpellatus, denuò voce clara & sensibili omnibus audientibus respondit: *Ego pars & hæreditas eorum ero, quamdiu curaverint, ut hanc regulam observent; & quo major erit eorum numerus, eò major in eos mea videbitur providentia.* Quod sanè Divinum promissum mirabiliter adimpleri continua experientia in omnibus quatuor Mundi partibus clarè cernitur; cùm non obstante, quòd Religio S. Francisci adeò creverit, ut teste Ludovico Granatensi *con. 2. de S. P. Francisco*, numero Provinciarum, Monasteriorum, & Fratrum superet omnes Religiones; & Ordines simul sumptos, quod idem Hieronymus Plati *S. I. lib. 2. c. 22. & 24. de Propagand. relig.* & alii testantur, veritate in facto testimonium perhibente.

49 Incæpit autem Religio S. Francisci 1208. existente tunc Innocentio III. qui eandem solo tamen vivæ vocis oraculo confirmavit 1210. Et iterum in Concilio Generali Lateranensi 1215. ubi coram bis mille ducentis, & duodecim Episcopis, & Patribus ex universo Orbe Christiano congregatis publicè pronuntiari fecit, Ordinem Minorum S. Francisci à se jam prius fuisse approbatum. Verùm quia nec in isto Concilio Generali scriptum Diploma confirmationis factæ fuit emanatum hinc Successor Honorius III. 1223. per specialem Bullam [illegible] *annuere* apud Cherubin. *Tom. 1. Const. 5. dicti P*[illegible] S. Francisci Religionem, ejusque regulam à Christo immediatè dictatam in 12. Capitulis consistentem confirmavit.

50 Sub hac igitur S. Francisci Religione, ejusque sanctissima divinitus tradita Regula militant in primis Fratres Minores Franciscani illi, qui dictam Regulam ad litteram observant, quorum alii vocantur *Observantes*, scilicet Regulam; Alii præcipuè in Gallia, & Belgio vocantur *Recollecti*; alii præsertim in Italia, ac Germania *Reformati*; alii *Discalceati*, non quasi diversam habeant Regulam, diversisque sub Generalibus diversa, ac perfectè distincta constituerent Corpora (omnes siquidem sub uno eodemque existunt Generali, & unam, eandemque Regulam ad litteram observant) sed ideo, quia sub variis mediis & statutis particularibus magis, & minus strictis accidentaliter solummodo diversis Regulam suam pure observare nituntur. Unde omnes & singuli vocantur communiter *Franciscani* à S. Francisco secundario Fundatore suo (primus enim Christus est) item, & quidem ordinariè *fratres Minores Regularis Observantiæ* à pura, omnisque dispositionis experte observatione Regulæ: quamvis Recollecti, Reformati, ac Discalceati cum addito *strictioris*, adeoque *Fratres Minores strictioris Observantiæ*. Reliqui absolutè *Fratres Minores Regularis Observantiæ* nuncupentur; eò, quod illi strictioribus mediis & statutis, quam isti Regulam eandem observare conentur: prout liquet ex verbis Bullæ *Ex injuncto nobis* à Clemente VIII motu proprio editæ ibi. Motu proprio ex certa scientia, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie decernimus ac declaramus, quod Fratres Reformati non novam, sed eandem Francisci Regulam, quam Felicis recordationis Honorius Papa III. Prædecessor noster confirmavit, quamque etiam Fratres nuncupati Ordinis Minorum de Observantia observant; licet ipsi Reformati prius; & juxta ipsius Regulæ litteram declaratam per recolendæ mem Nicolaum III. & Clement. V. Romanos Pontifices Prædecessores nostros observent.

51 Horum Franciscanorum, seu Fratrum Minorum Regularis, & strictæ Observantiæ unius idemque Generalis solus serie non interrupta à S. Francisco in Generalatu succedit, solus Sigillo totius Ordinis is utitur, solusque nominare se potest, & nominat *Generalem totius Ordinis S. Francisci*, Leone X id per specialem Bullam definiente.

52 Sub eadem S. Francisci Regula militant, eamque ad litteram observant, indeque veri filii S. Francisci sunt & vocantur *PP. Capucini*, qui licet prorsus unam eandemq; cum Franciscanis Regulam ad litteram habeant, tamen aliam distinctam Congregationem & Corpus constituunt aliumque Generalem à Generali totius Ordinis Franciscanorum distinctum [illegible] sunt diversi à Franciscanis præcisè in statutis particularibus accidentalibus, signanter in barba, quam nutriunt, & capucio, quod deferunt. Erat olim grandis, sed planè inutilis altercatio Franciscanos inter & Capucinos de Capucio, illis S. Franciscum formam capucii Franciscanorum, istis verò [illegible] capucii formam gestasse contendentibus. Verum cum nec ex Regula, nec ex antiquo monumento de Capucii determinata, specifica, constanti forma quidquam probari posset, S. Francisco ad hoc non multum attendente, sed modo hanc, modo illam capucii formam, prout nempe quantitas mendicati, vel libere oblati panni patiebatur aut amor proprii contemptus dictabat, portante; hinc Alexander VII speciali Bulla inutilem hanc altercationem non tantum sustulit, sed insuper severissimè prohibuit, ne quisquam imposterum dicere, multò minùs sub imaginibus S Francisci in certa hac, vel illa capucii forma depictis scribere, aut imprimere auderet; hanc esse veram imaginem & habitum S. Francisci. Initium Capucinorum Congregationi dederunt quidam Patres, ac Fratres Franciscani Regularis Observantiæ, qui amore solitudinis, ac vitæ Eremiticæ accesserunt ad Clementem VII. Pontificem ab eoque precibus impetrarunt, quod propriis assumptis statutis vitam Eremiticam, seu contemplativam ducere, barbam nutrire, capucium quadratum deferre, atque in Congregationem suam alios suscipere potuerint, prout liquet ex ipsa dictæ Congregationis confirmatoria Bulla Clementis VII *Religionis zelus*, quæ est 21. dicti Pontificis apud Cherub. ibi „ Vos, qui olim fervore serviendi „ Altissimo ducti, Ordinem Fratrum Minorum de Observantia ingressi, in ea professione emissa per certum „ tempus permansistis, & deinde vobis desiderantibus pro „ animarum vestrarum salute, ac Dei gloria, vitam Eremiticam ducere, & quantum patitur humana fragilitas „ Regulam B. Francisci observare &c. Authoritate Apostolica facultatem concedimus, ut secundum Regulam „ prædictam, vitam Eremiticam ducere, & habitum „ cum capucio quadrato gestare, omnes in vestrum consortium recipere &c. Barbam deferre, & ad eremitoria „ vos conferre, & in eis habitare, vitamque austeram, „ & eremiticam inibi agere valeatis.

53 Ita verba Bullæ editæ à dicto Clemente VII. An. 1528. à quo proin tempore legitimum initium habet Ordo Capucinorum: qui tamen primitùs vocabantur *Fratres de Eremitica*, ut constat ex eadem Bulla; posteà verò tempore Pauli III. à capucio *Capucini* fuere vocati, nomine hoc prius penitus ignoto, & nunquam audito. Cæterum, ut dictum, licet Capucini verissimi sint filii S. Francisci, ejusque Regulam pure observent, proprioque subsint Generali, nihilominùs huic Capucinorum Generalis nec sigillo totius Ordinis S. Francisci uti nec absolutè Generalem totius Ordinis S. Francisci nominare se potest, sed cum addito Generalis Minorum S. Francisci *Capucinorum* soli Gener. Franciscanorum Regularis & strictæ Observantiæ facultate remanente, utendi Sigillo totius Ordinis, ac gaudendi titulo *Generalis totius Ordinis S. Francisci*.

54 Sub præfata Regula etiam militant *PP. Conventuales*, ita tamen, ut eam non in suo rigore, & ad litteram, sed cum certis dispensationibus Apostolicis observent, vi quarum à Regulæ rigore in quibusdam exempti habere possunt bona immobilia, & dominium in communi, ut alii Regulares. Cæterum nomen *Conventualium* ab antiquo inde habent, quod primis temporibus aliqui ex Ordine S. Francisci in locis solitariis ab aliis separati vixerint, alii vero in Conventibus congregati Deo servierint, indeque ad distinctionem illorum *Conventuales* fuerint appellati; primis annis omnes æquè ac existentes in eremis eandem S. Francisci Regulam ad litteram observantes (Et talis Conventualis, seu Franciscanus in Conventibus existens, Regulam ad litteram observans fuit etiam S. Antonius de Padua, non vero talis Conventualis, quales hodie sunt Regulam non nisi dispensatam observantes). Verum successu temporis quidam Conventus, & Conventuales Franciscani à primo rigore deflectere incæperunt, quibus licet fortissimè simul ac zelosissimè se opposuerint reliqui Conventuales Regulam ad litteram zelantes. & observantes (inter quos fuit etiam S. Antonius) tamen efficere non potuere, quin aliqui saltem in suo proposito remanerent, & ut in conscientia securi essent, relaxationis Indultum, & dispensationem à Summo Pontifice Innocentio IV Anno 1244. impetrarent, retento nomine *Conventualium* dispensatorum reliquis in pura observantia Regulæ permanentibus, & præter distinctos Superiores cum tempore etiam aliud nomen, præcipuè vero *Fratrum Minorum de Observantia* assumentibus: tum ad distinctionem *Conventualium* dispensatorum: tum ad contestandum, quod in pura Regulæ observatione hactenus perseverint, & in futurum permanere. Sicque Franciscani serie non interrupta in Capite & in Membris Regulam à Deo traditam continuò [illegible] tent. Id quod Leonem X. [illegible] movit, ut soli Generali *Fratrum Minorum regularis Observantiæ* sigillum totius Ordinis competere, eumque solum verum serie non interrupta S. Francisci in Generalatu Successorem totius Ordinis S. Francisci Ministrum Generalem esse, dici posse, ac debere decreverit. Siquidem isti PP. Capucini, ita & PP. Conventuales Moderni supremum suum caput non absolutè Generalem Ordinis S. Francisci, sed cum addito *Capucinorum*, vel *Conventualium* nominare possunt.

55 Rursus sub S. Francisco militant etiam Moniales clarissæ, à S. Clara sic dictæ, servantes non quidem eandem cum Fratribus Minoribus, sed aliam à Francisco tamen institutam regulam, quæ postea spectata fæminarum imbecillitate à nonnullis Pontificibus, ut Greg. XI. Innocent. IV. Alex. IV. & Urbano VI. fuit moderata, præsertim quoad paupertatem in communi, quo non obstante strictissimam adhuc observant regulam, & clausuram.

56 Tandem sub eodem sanctissimo Patriarcha Francisco militant etiam *Tertiarii*, *à tertia regula* sic [illegible] nu-

Sciendum namque S. Franciscum tres instituisse Ordines, sub tribus distinctis, ac diversis regulis. *Primus* fuit Ordo Fratrum Minorum sub regula à Christo revelata, juxta dicta *n. 47 Secundus* fuit Ordo pauperum Monialium, pro quibus aliam specialem regulam fecit, eamque primo observandam tradidit S. Claræ unde & sequaces ejus *Clarissæ* dicuntur. *Tertius* fuit Ordo Tertiariorum tam pro viris quam fœminis, tam solutis quam ligatis institutus. Siquidem S. Franciscus amore Dei & proximi flagrans, & omnes ad viam salutis per media convenientia dirigere, eum plurimum desideraret, simulque videret, rigidas primas duas, quas Fratribus Minoribus, & Clarissis posuit regulas, pro quolibet cujusvis status homine minimè quadrare, inspirante Patre Luminum invenit An. 1221. aliam, sicque respectu præcedentium duarum tertiam regulam, quam quivis in quovis statu absque ullo impedimento facile servare, servandoque securius salvari posset. Hanc regulam plures Summi Pontifices confirmarunt, simulque declararunt, viventes sub ea, non nudam Congregationem, sed verè ac propriè Ordinem constituere, quem multis à S. Apostolica canonizatis Sanctis per quinque fermè jam sæcula florentem plurimis privilegiis, ac Indulgentiis decorarunt iidem Summi Pontifices. Vocatur autem hic Ordo *Tertius* respectu duorum à S. Francisco prius institutorum: sicut regula eorum dicitur *Tertia* respectu duarum aliarum præcedentium. Vocatur etiam alio nomine *Ordo pænitentium*, & viventes in eo *Fratres, Sorores de pœnitentia*, eo quod pœnitere, seu pœnitentiam agere volentibus specialiter etiam à S. Francisco fuerit intentus. Porro quamvis non omnes Tertiarii, seu in tertio Ordine existentes, Religiosi sint, ex defectu trium votorum sustantialium, sunt tamen aliqui, iique plurimi tam viri, quam mulieres veri Religiosi, illi nempe qui emissis tribus votis in Monasteriis degentes vivunt sub Obedientia Ministri Generalis totius Ordinis S. Francisci. Plura, eaque præclara de his tribus sub S. Francisco, ejusque regula militantibus Ordinibus vide apud Lucam Vvadingum, Dominicum de Gubernatis, Roderiquez, Mirandam, & Ordinis Chronicam: ubi etiam ea invenies, quæ de iisdem hactenus brevissimè adduximus.

56 Præter enumeratas sub quatuor Principalibus regulis militantes Religiones sunt adhuc aliæ, sed paucæ nullas ex præfatis regulis habentes, sed proprias Constitutiones pro regulis observantes. Præcipui sunt celeberrimus *Ordo Chartusianus* institutus à S. Brunone an. 1084. sub Pontifice Gregorio VIII. Item sanctissima, ac Ecclesiæ utilissima *Societas Jesu* instituta à S. Ignatio Loyola, & confirmata à Paulo III. an. 1540 Ac tandem Ordo Minimorum institutus à S. Francisco de Paula an. 1436. confirmatus à Sixto IV. an 1473 Et hæc pro brevi eruditione de Ordinum diversitate & Origine titulo huic de regularibus inserere consultum visum est. Plura de iis, qui desiderat, consulat Bardonum, Barb *li. 1. juris Eccl. univ. c. 41. per tot.* & alios ex professo integros Tomos de iis scribentes.

57 Quæritur III. Utrum expediens, & utile fuerit ac etiamnum sit Ecclesiæ Dei, quod institutæ in ea fuerint, & adhuc sint Religiones, præsertim tot, & tam diversæ? Resp. I. Fuisse semper & etiamnum esse convenientissimum, & utilissimum Ecclesiæ Catholicæ, quod in ea semper fuerint, & adhuc sint Religiones. Ita communissima DD. regularium, & aliorum. Patetque non tantum ex multiplici Oraculo plurimorum Pontificum, sed & ex communi sensu fidelium. Ratio est: tum quia statum Religiosum juxta dicta *n. 28.* Christus ipse instituit, ad eumque Apostolos, & alios sæpius invitavit, quod non fecisset, si Religiones Ecclesiæ suæ utiles esse non cognovisset: tum quia teste continua experientia Religiosi suis meritis & precibus, exemplo & doctrina, zelo & labore plurimum semper directè ac indirectè profuere, & adhuc prosunt Ecclesiæ innumera eidem conferendo bona, & gravissima ab eadem avertendo mala, adeout merito Christus ad Theresiam dixerit: *Væ mundo, si Religiosi non essent.* Sed omnibus nota est celeberrima illa visio, quam habuit Innocentius Papa III. qua vidit Lateranensem Ecclesiam (quæ tunc erat Sedes Pontificum) convulsis fundamentis ruinæ propinquam, & jam labantem, solis S. Francisci suppositis humeris sustineri.

58 Resp. II. Fuit insuper Ecclesiæ summe utile, ac expediens, non tantùm quòd plures, sed & quòd variæ institutæ fuerint, & vigeant in ea Religiones. Miranda *Tom. 1. q. 2.* Hyacinth. Donatus *Tom. 4 tr. 1. q. 17.* Pelliz *tr. 1. c. 3. sect. 1. n. 1.* & communis aliorum cum D. Thoma *2. 2. q. 183. a. 2. & q. 188. a. 1. & seq.* quod iterum probatur ex communi sensu fidelium, & Oraculis Pontificum, inter quos Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente Domino.* Ad propositum sic ait: Cùm Divina providentia pro temporum necessitate, varia & salutaria Ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit, novisque in ea subinde nascentibus morbis, nova remedia, novisque emergentibus hostium impugnationibus, nova regularium Ordinum auxilia excitarit, & cuique illorum juxta cujuslibet peculiaris gratiæ vocationem peculiares quasdam notas, peculiaria insignia & opportuna ad finem, quem intendunt, media suggesserit. Ratio est: tum quia in Ecclesia Dei varia sunt ministeria, in quibus eam juvare possunt Religiones; utique expediens erat, ut cùm pro omnibus ministeriis una non sufficeret, plures diversi generis instituerentur, indeque plenitudinem ministrorum in omni genere ministerii præberent. Tum quia varia sunt ædiversa hominum genia, variæ item propensiones ac inclinationes, nec eædem in omnibus vires, consequenter ex speciali Dei providentia plures *diversæ* Religiones saluberrimè ac sapientissimè sunt institutæ, ut si una religio alicujus propensioni, aut naturæ non quadraret, alia pro desiderio ad manum haberetur. Nam, ut dicitur *c. Quia diversitatem 5. de Concess. Præb. Diversitatem corporum sæpe sequitur animorum* & juxta illud Poetæ *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno,* sed juxta S. Paulum 1. ad Cor. 7. *Unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat apud Deum.* Tum quia ratione diversitatis in Ecclesia, Religiosi magis fuerunt multiplicati, indeque numerus specialium servorum Dei, & utilissimorum Ecclesiæ ministrorum fuit adauctus, cùm teste experientia plurimæ Civitates, & loca, quæ duo vel plura ejusdem Religionis Monasteria habere detrectant, plura diversæ Religionis Monasteria ipsæmet sollicitant. Huc quadrat illud Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Per Reginam enim Ecclesia, *per varietatem* autem, qua decoratur, varias Religiones plures Interpretes intelligunt.

Fatendum nihilominus, nimiam & excessivam mul- 59
titudinem, varietatem Religionum, ac Religiosorum minùs utilem, imò confusionis causativam, indeque meritò vitandam esse, *arg. c. un. de Religios. domib. in 6.* ibi: *Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret Concilium Generale vetavit, & ne quis de cætero novum Ordinem, aut Religionem inveniat, aut habitum novæ Religionis assumat.* Verba autem Concilii Generalis sunt illa *c. fin. de Religios. domib.* ibi: *Ne nimia Religionum diversitas gravamen in Ecclesia Dei, & confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat, sed quicunque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat.* Pariter ne ipsorum Religiosorum numerus nimium, & excessivè augeatur, providentissimæ simul ac prudentissimè factæ sunt Constitutiones à Clem. VIII. *Quoniam ad Institutum;* Gregorio XV. *Cùm alias,* & Urbano VIII. *Romanus Pontifex,* de quibus infrà *Tit. de Religios. domib.*

Quæritur IV. Quænam Religio inter tot & tantas sit 60
perfectior? Resp. I. Religio profitens vitam contemplativam est perfectior Religione habente vitam purè activam. D. Thom *2. 2. q. 88. q. 6.* Miranda *tom. 1. q. 9. a. 2.* dicens, Conclusionem esse indubitatam, Pelliz. *tr. 1. c. 3. sect. 2. n. 68.* cum communi, & certa aliorum. Probatur communiter ex illo *Lucæ 10.* ubi Christus præferens vitam contemplativam Mariæ, laboribus vitæque activæ Marthæ dixit: *Maria optimam sibi partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ratio est: quia vita contemplativa magis apta est ad actus charitatis frequentiùs & ardentiùs exercendos; ipsamque charitatem, quæ est vinculum perfectionis, faciliùs assequendam. Confirmatur Conclusio ex iis, quæ fusè in laudem vitæ contemplativæ tradunt SS. Patres, de quibus vide Ascetas.

Resp. II. Religio mixta ex contemplativa & activa 61
est perfectior Religione purè contemplativa, consequenter inter omnes perfectissima, D. Thomas *loc. cit.* S. Augustinus *lib. 19. de Civitat. Dei cap. 19.* S. Gregorius *hom. 5. in Ezech.* Layman *lib. 4. tr. 5. c. 1. q. 1.* Miranda *l. c. à 5.* Pelliz *l. c. n 69.* Sylvester *V. religio q. 4.* cum communi aliorum. Probatur imprimis ex doctrina & exemplo Christi, non tantum verbo docentis, sed & opere exercentis vitam mixtam, utpote qui juxta Evangelium de nocte ascendit in montem solus orare, de die verò erat docens in templo, & intentus aliis exercitiis vitam activam concernentibus. Probatur etiam ex SS. Patribus. S. Augustinus enim *l. cit.* postquam posuit tria vitæ genera *otiosum* nempe (quo contemplativam intelligit) *actuosum* (quo activa indigitat) & tertium ex utroque compositum seu *mixtum* addit, quod hoc tertium sit perfectissimum. S. Gregorius *l. c.* de viris perfectis loquens, inquit: *Quod illi homines præ aliis sint perfectissimi, qui post perfectam contemplationem redeunt, & descendunt, atque occupantur in exercitiis vitæ activæ.* Pariformiter loquuntur alii SS. Patres. Ratio est; quia vita mixta ex natura sua utramque tam contemplativam quam activam includit: cum Religiosi talis Religionis non tantum in operibus charitatis, sed & in contemplatione & meditatione se quotidie exerceant, ita ut quod de nocte in meditatione ac contemplatione positi, à Deo percipiunt, de die in proximorum utilitatem eructent, juxta illud Ps. 144. *Memoriam abundantiæ suavitatis suæ eructabunt, & justitia tua exultabunt.* Hinc sicut teste D. Thoma *l. c. majus & perfectius est illuminare* (quod est lucem habere & ipsam præstare) *quàm lucere tantummodo.* Ita etiam majus est contemplata aliis tradere, quam solummodò contemplari, seu contemplationi vacare.

62 Nec obstant Conclusioni verba Christi Lucæ 10. *Optimam partem* (vitam nempe contemplativam) *sibi elegit Maria.* Nam contra est: tum quod hæc verba solum respectu patris, seu vitæ à Martha electæ dicta sint, utpote quæ purè activam elegerat: tum quia ut benè observat Cajetanus *2. 2. q. 182. a. 1. ad 3.* & ex illo Miranda *tom. 1. q. 9. a. 5.* Christus non dixit *Optimum* sed *optimam partem elegit Maria*, ad innuendum, quod licet vita contemplativa in ratione partis sit optima utpote melior activa, non tamen adhuc sit *Optimum* in ratione totius, consequenter Maria elegerit quidem optimam partem, sed non *Optimum*, ex tota, quod est vita mixta, utpote utramque partem tam contemplativam nempe, quam activam includens, ac ex utraque constans.

63 Hujusmodi Religiones mixtæ vitam ducentes mixtam, sunt ferè omnes Religiones Mendicantes, & quidem in specie Religio Seraphica Franciscanorum, idque ex beneplacito & mandato Divino: cum enim S. P. Noster Franciscus dubitaret, num purè contemplativam, an vero mixtam vitam cum suis ducere deberet, & propterea pro obtinenda cognitione Divinæ voluntatis per se, & per fratres suos, ferventes ad Deum funderet preces, divinitus revelatum est, *Religionem Franciscanorum non propter solum Franciscum, & fratres suos, sed etiam propter salutem aliorum institutam esse, velleque Deum, ut non sibi solis viverent, sed & aliis proficerent;* & consequenter non solum contemplativam, sed mixtam ducerent vitam: ita tamen laborem pro salute proximorum attemperantes, *ut sanctæ orationis, ac devotionis spiritum non extinguerent*, prout dictante Altissimo sanctè & providè in ipsa Regula monetur. Hinc sicut quivis Religiosus Religionis mixtæ, ita vel maximè Franciscanus malè sibi consuleret, qui in studiis ac laboribus pro salute proximorum in tantum se occuparet, ut rationem internam, Meditationem nempe, ac Contemplationem vel omninò negligeret, vel non nisi rarò aut tepide eidem vacaret: sic namque non amplius mixta, sed purè activa viveret vita, simulque contra Regulam, ac Religionis institutum, nec non aliqua ratione contra obedientiam ageret, sicque parum vel nihil fructificaret, Deo benedictionem subtrahente, vel gratia sua labores ejus non secundante.

64 Quæritur V. Cum multæ hodie dentur Religiones mixtæ, quænam illarum in specie sit perfectior? Resp. Illam esse perfectiorem, quæ vi instituti sui tria vota substantialia perfectius observat, & magis tendit ad conformitatem cum vita Christi, & Apostolorum: caret controversia: cum enim juxta dicta, essentia Religionis consistat in tribus votis substantialibus, utique illa erit perfectior, quæ partes essentiales in gradu perfectiori possidet: Ac insuper, quia vita Christi omnis perfectionis perfectissima norma est, eamque plus cæteris imitati sunt Apostoli, procul dubio illa Religio perfectior meritò reputanda est, quæ ad conformitatem cum vita Christi & Apostolorum plus cæteris tendit. Quænam Religio autem in specie, vota substantialia perfectius observet, quæ item vitæ Christi & Apostolorum se magis conformet, nec disputare, nec respondere expedit, eo quod comparationes specificæ sint valdè odiosæ.

Illud tamen de mixta Religione S. P. N. Francisci dice- 65
re licet, eam in tanto perfectionis gradu observantiam præscribere trium votorum substantialium, ut gradus perfectior dari vix possit. Enimvero *Obedientia* in ea eo usque vovetur, ut non tantum in iis, quæ expressè præcipiuntur in Regula, sed etiam in omnibus aliis sine ulla exceptione obedire teneatur Franciscanus, nisi aliquid præcipiatur, quod est contra Deum, aut peccaminosum, vel positivè contra Regulam; uti patet ex *c. 10.* Regulæ, ibi. *Præcipio firmiter, ut obediant suis Ministris.* (Id est Superioribus, quos Ministros S. Pater appellat) *in omnibus, quæ promiserunt Domino observare,* & NB. *in omnibus, quæ non sunt contraria animæ, & regulæ nostræ.* Ut proin illud D. Bernardi locum non habeat in Religione Franciscana: *Nihil mihi præcipiat Prælatus, quod non vovi.* Votum *Paupertatis* non tantum in particulari, sed etiam in communi, consequenter in summo gradu in ea emittitur, quod nulla alia Religio habet, teste ipso Conc. Trid. *Sess. 25. de reg. c. 3. Castitatis* votum in tanto perfectionis gradu vovetur, ut non tantum omnem in- & externam impudicitiam, & quodvis periculum ejus, sed insuper omnem, etsi non malam, sed indifferentem, vel etiam de se bonam, suspectam tamen conversationem mulierum vi regulæ vitare sub gravi peccato teneatur quivis hujus S. Religionis Professus. Quantum porrò ad conformitatem vitæ Christi, & Apostolorum præ cæteris tendat Religio Seraphica, patet ex ipso statim initio regulæ *c. 1.* ubi in compendio regula & vita Fratrum Minorum exprimitur, eamque in observatione S. Evangelii, in quo vita, atque doctrina Christi, & Apostolorum continetur, consistere dicitur, ibi: *regula & vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare.* Magna & mira sunt encomia, quibus S. Francisci Religionem extollunt Pontifices. Sufficit unum adducere Nicolaum III. qui *c. Exiit de V. S. in 6.* ubi de sacra Religione, ejusque alumnis loquens, „Hi sunt, inquit: illius Sanctæ Regulæ Professo„res, quæ Evangelico fundatur eloquio, vitæ Christi „roboratur exemplo, Fundatoris militantis Ecclesiæ „Apostolorum ejus sermonibus, actibusque firmatur. „Hæc est apud Deum, & Patrem munda, & immacu„lata Religio, quæ descendens à Patre luminum, per „ejus Filium exemplariter, & verbaliter Apostolis tra„dita, & deinde per Spiritum S. P. F. Francisco, & eum „sequentibus inspirata totius in se continet testimonium „Trinitatis. Hæc est (cui attestante Paulo) nemo de „cætero debet esse molestus, quam Christus Stigmati„bus suæ passionis confirmavit, volens Institutorem ip„sius suæ passionis signis notabiliter insigniri.

Quæritur VI. Utrum usque ad finem mundi duraturus 66
sit status Religiosus? Resp. Affirmativè, saltem quoad unam, vel alteram, aut aliquas Religiones. Ita cum communi aliorum Hyacintus Donatus *tom. 4. tr. 1. q. 19.* id variè probans.

Sufficiat loco probationis, saltem Religionem Seraphicam S. Francisci ex Divina revelatione, & oraculo fuisse certificatam, quod pro Ecclesiæ emolumento & ope usque ad finem mundi perseveratura, sit Sannig *h. t. c. 3. n. 1.* Vvadingus, Sedul, & Ordinis Chronica.

§. III.

De Recipiendis ad Religionem; item de Novitiis, eorúmque Magistro, & anno Novitiatus.

S U M M A R I U M.

68 *Non quivis ad Religionem recipi potest, sed requiritur I. certa ætas.*
69 *II. Status libertatis. III. Usus rationis. Et n. seq.*
71 *IV. Ne sit infamis.*
72 *V. Nec obnoxius ratiociniis.*
73 *VI. Aut gravatus ære nimio alieno.*
74 *VII. Aut corpore vitiatus, vel infirmus.*
75 *VIII. Vel Hermaphroditus.*
76 *IX. Nequit recipi Episcopus sine licentia Papæ.*
77 *X. Nec proles, cujus ope graviter indigent parentes.*
78 *XI. Quandonam liberi sine consensu parentum possint & debeant ingredi Religionem?*
79 *Professio liberorum illicitè facta, valet.*
80 *Criminosi recipi nequeunt.*
81 *Quæ de recipiendis Jure communi statuta sunt, etiam in statutis nostris Generalibus sunt.*
82 *Antequam recipiatur Novitius, necessaria est indagatio de qualitatibus requisitis. Et n. seqq.*
Afferuntur textus ex Bulla Sixti V. & Clementis VIII. ad propositum. Ib.
83 *Pœnæ recipientium inhabiles, aut non servatis Constitutionibus Pontificiis.*
84 *Informatio, & indagatio de qualitatibus jam notis necessaria non est.*
85 *De nondum cognitis quando, & quo fieri debeat? Et num. seq.*
87 *Qualitates recipiendorum in compendio referuntur.*
88 *Magister Novitiorum qualis esse debeat?*
89 *Quomodo educare, & in quibus instruere debeat Novitios?*
90 *Requisita de Jure, requiruntur etiam in statutis nostris.*
Confessio Sacramentalis singulis septimanis saltem bis fieri debet in ordine nostro. Ib.
91 *Pœna recusantium officium Magistri Novitiorum, & præmium illud obeuntium ex statutis.*
Summa cura adhibenda, ut optimi præficiantur Magistri Novitiorum. Ib.
92 *Novitii per annum integrum debent esse in Novitiatu.*
93 *Limitatur in Ordinibus Militaribus, & Societate Jesu.*
94 *Annus Novitiatus debet esse completus de momento in momentum.*
95 *Dies cœpta quando habeatur pro completa? Et n. seq.*
97 *Congregatio Cardinalium circa annum totaliter completum.*
98 *Professio, quæ fit finito anno, cui hora deest, invalida est.*
99 *Solvitur objectio, & ostenditur, quod non sit necesse differre Professionem in diem finito anno sequentem, usque ad n. 103.*
Tempus modicum attendendum, quando est de substantia? Ib.
103 *Novitiatus non debet esse continuus. Et n. seq.*
105 *Si Novitius per unicum diem vel horam interrumpit annum, debet de novo incipere. Et n seq.*
107 *Si Novitius de & sub obedientia Superioris etiam diu moretur extra Monasterium, non interrumpitur Novitiatus.*
108 *Neque si tempore Novitiatus infirmetur.*

68 QUæritur I. An quilibet Religionem ingredi, & in eam recipi possit? Resp. I. Non quivis, sed illi tantum Religionem ingredi, & in eam ad Novitiatum recipi possunt, qui requisitas à Jure qualitates habent, & defectibus à Jure impedientibus carent. Unanimis, ac certa. Patebitque inductione, qua requisitas à Iure qualitates, & defectus Jure impedientes ingressum recensebimus. I. Requiritur certa ætas pubertatis nempe, Sylvester *V. Religio 5. q. 1.* Hyacint. Donatus *tom. 2. tr. 1. q. 7. n. 1.* Pirhing. *h. t. n. 27.* Pelliz. *tr. 2 c. 1. n. 4.* & communis aliorum, claris Juribus *c. ad nostram 8. & c. cum virum 12. h. t.* juncto *can. 1. & 2. cau. 20. q. 2.* Ratio est; quia hac ætate primum discretio rationis, libertas arbitrii, & vires adveniunt ad austeritatem Religionis probandam; præsertim vero, an etiam continentiam servare quis valeat, quod ante pubertatis annos satis experiri nemo potest. Nec obstat Conc. Tr. *Sess. 25. de regul. c. 15.* requirens ad validam Professionem annum decimum sextum completum, quia per hoc non prohibet, quin annus Novitiatus citius inchoari, & compleri possit; sed tantum ne ante illam ætatem emittatur Professio. Pariter non obstat idem Concilium eadem *Sess. c. 16.* statuens, ut expleto anno Novitiatus Novitius aut statim ad Professionem admittatur, aut statim è Monasterio rejiciatur; quia intelligenda est illa dispositio Tridentini, nisi justa subsit causa Professionem differendi, prout declaravit S. Congregatio Concilii, & cum aliis benè observat Pirh. *loc. c. n. 27.* Juxta statuta tamen nostra Generalia *c. 2. §. 1.* debet recipiendus esse ætatis saltem sexdecim annorum, si in Clericum recipiatur: Laicus verò non debet esse infra vigesimum, nec supra trigesimum *ibidem.* Dicitur autem notanter in Conclusione *ad Novitiatum;* quia alia ratione v. g. ut ibidem benè educentur etiam ante annos pubertatis ipsimet impuberes ingredi, & à parentibus offerri possunt juxta dicenda infra.

II. Requiritur, ut quis sit liber, & non servus. Communis ac certa, *arg. can. fin. cau. 17. q. 2. & can. Qui verò 12. cau. 16. q. 1.* ibi: *Neminem servorum suscipi in Monasterium, nisi cum domini proprii licentia.* Idem requirunt Sixtus V. & Clemens VIII. in Bullis *num. 72.* & *82.* referendis. 69

III. Debet esse rationis benè compos, nam mente captus, aut furiosus recipi nequit, *arg. c. Sicut tenori 15. h. tit.* ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: *Cum alienatus non sentiat & per hoc non valeat consentire.*

IV. Requiritur, ut suscipiendus non sit infamis, Ita statuere Pontifices Sixtus V. & Clemens VIII. Ratio est; quia infames, de Jure sunt irregulares, & repelluntur à statu Clericali sæculari, *can. Omnes 2. & can. Infames 17. cau. 16. q. 1.* ergo multò magis repellendi sunt à statu regulari; cum hic sit perfectior illo, *arg. can. 1 cau. 19. q. 1.* Ex quo infertur, lictores, carnifices, histriones, ac similes viles personas recipi in Ordinem non posse, eo quod tales de Jure pro infamibus habeantur *l. 2. §. Ait prætor. ff. de his, qui notantur infamia & l. Mater. 10. §. fin. ff. ad l. Juliam de adult.* vide Hyacint. Donatum *tom. 2. tr. 3. q. 1. & 2.* Jo: Andream, Panormitanum *in c. decorem 19. de vita & honest. Clericor.* Viginti aliæ species infamiæ enumerantur *can. Infames 17. cau. 16. q. 1.* 70

V. Requiritur, ne suscipiendus sit obnoxius ratiociniis sive publicis, sive privatis; nisi prius à ratiocinio dignoscatur absolutus. Rursus communis ac certa, textu expresso *can. 1. dist. 53.* ibi: *Qui ratiociniis publicis sunt obligati, si Monasterium petunt, suscipiendi nullomodo sunt, nisi prius à ratiociniis absoluti fuerint* & Constitutione Sixti V. *Cum de omnibus*, apud Cherub. *tom. 2. const. 7.* dicti Pontificis; & Clementis VIII. *Regularis disciplinæ, to. 4. const.* dicti Pontificis, qui indistinctè, ac universaliter prohibuere, ne *reddendis ratiociniis obnoxii, & obligati recipiantur.* Est autem *ratiocinium* redditio rationis consurgens ex administratione rei publicæ, vel privatæ. Obligati ad ratiocinia publica sunt Officiales Administratorii rerum ad rempublicam pertinentium, *arg. l. officiales C. de Episc. & Cleric.* Obligati ad ratiocinia privata sunt Administratores rerum privatarum, putà, Tutores, Procuratores, Actores, Executores, Testamentorum &c. *arg. c. un. de oblig. ad ratiocinia.* Rationem dat Sixtus V. quia, si tales susciperentur, *facilè cedere posset in Religionis opprobrium, in Dei offensam, & scandalum plurimorum:* Item quia *iis & molestia ita obnoxiis jam est illata; vel timendum est, ne inferatur.* 71

VI. Non debet esse nimis gravatus ære alieno, talis enim nisi prius solvat, suscipi non potest: ita citatæ Constitutiones Sixti V. & Clementis VIII. docentque omnes. Ratio est; quia ingressus ad Religionem est tantum consilii, solutio debitorum autem de præcepto, quod ob opus consilii negligi non potest. Quod si debitor est solvendo, & non solvit, sufficientem tamen cautionem reddit creditori per pignus, aut hypothecam super bona sua immobilia, suscipi potest, Pelliz *tr. 2 c. 4. n. 46.* Hyacint. Donatus *l. c. q. 13.* & communis aliorum. Pariter ab ingressu in Religionem impediri nequit debitor, qui non amplius est solvendo, dummodo in favorem creditoris cedat bonis suis, si quæ habet. D. Th. *2. 2. q. 189. a. 6. ad 3.* Miranda *tom. 1. q. 17. a. 7.* Pelliz. *l. c. n. 26.* Donatus *loc. c.* Ratio est: tum quia ad impossibile nemo tenetur, *l. impossibilium ff. de reg. jur.* Tum quia inanis est actio creditoris, quam inopia debitoris excludit exceptio, *can. 1. cau. 14. q. 6. & l. Nam is ff. de Dolo.* Limitant quidem hoc aliqui in casu, quo debitor pollet arte, & viribus, quibus bona acquirere, & per acquisita solvere potest, Donatus *loc. c.* Roderiquez *tom. 3. q. 10. a. 9.* & alii. Verum hæc limitatio probabiliter non est attendenda, eo quod *propter pecuniam persona liberi hominis secundum Jura non obligatur, sed solum res, quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ,* uti *l. c.* benè observat D. Thom. & docet cum aliis Pelliz. *l. c.* Illud certum & ab omnibus concessum est, quod debitor debito non soluto suscipi valeat, si creditor consentiat: quia *scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus cap. Scienti de reg. jur. in 6.* 72

74 VII. Suscipi non possunt corpore multum vitiati, aut deformes: quales sunt cæci, muti, surdi, deformiter claudi, aut gibbosi, vel alio notabili corporis defectu laborantes. Hyacint. Donatus *l. c. q. 26* & alii, *arg. toto tit. de Corpore vitiatis;* cum enim ibidem corpore vitiati repellantur ab Ordinibus, & statu Clericali sæculari, multò magis arcendi erunt à statu Religioso utpote perfectiore illo. Huc DD. communiter reducunt lepra, morbo caduco, aut gallico affectos; item omnes ita infirmos aut debiles, ut onera Religionis portare, aut munera ejus obire non valeant. Pelliz. *l. c. q. 25.* D. Thom. *2. 2. q. 189. a. 10* & alii. Ratio est: quia *turpis est pars, quæ non congruit suo toti,* quod fieret in simili casu.

75 VIII. Suscipi nequit Hermaphroditus, id est, qui partim maris, partim fœminæ sexum præsefert. Hyacinthus *l. c q. 23 arg. c. 1 dist. 26.* Ratio est; tum quia & talis corpore vitiatus est: tum quia aliis scandalum, & offendiculum præbere posset.

76 IX. Recipi in Religionem nequit Episcopus sine licentia Papæ. Communis ac certa, *arg. c. licèt quibusdam 18. h. t. & c. inter corporalia 2. de translat Episc.* juncto *c. nisi 10. de renunt.* Ratio est; quia status Episcopalis est perfectior statu Religioso. Solet autem Papa concedere licentiam, si una ex sequentibus adsit causis, quæ ponuntur in Summario *c. c. 10. de renunt.* sequentibus versiculis, si videlicet Episcopus est.

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, & dans scandala, cedere possit.

X. Suscipi in Religionem nequit, cujus parentes jam actu sunt, vel ingrediente filio brevi erunt in gravi extrema necessitate, supposito, quod in sæculo manens à tali necessitate eos liberare, vel præcavere possit, ita cum D. Thoma, Miranda *to. 1. q. 17. a. 8.* Roderiquez *to. 3. q. 13. a. 5.* Donat. *l. c. q. 2.* & communis aliorum, *arg. cau. 1. dist. 3.* ibi: *Si qui filii parentes maximè fideles deseruerint occasione Dei cultus, hoc justum esse judicantes, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venerentur, quod fideles sunt, anathema sit.* Concordat Constitutio Clementis VIII. in Bulla *n. 72.* citata, ubi §. *Demum* inter alia præcipitur, ut sedulò inquiratur, *an recipiendorum parentes ope, & subsidio eorum indigentes destituantur.* Ratio est; quia propter opus consilii, quale est ingredi Religionem, omitti non potest opus præcepti, quale est, in necessitate præfata succurrere parentibus; *cum non sint facienda mala, ut eveniant bona* juxta Apostolum *ad Rom. 3.* Unde Christus in simili casu Phariseos contrarium docentes reprehendit *Matth 15.* illis verbis: *Hypocritæ, qui dicitis, munus quodcunque ex me est, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, & matrem suam &c.* Dicitur notanter *in gravi necessitate* quia si modica est, vel timetur parentum necessitas, non tenentur in sæculo manere liberi; prout communis cum D. Thoma *2. 2. qu. 189. a. 6.* rationem dant: *quia filii non tenentur ad sustentationem parentum, nisi causa necessitatis gravis.* Pariter Religionem intrare possunt, si remanendo in sæculo parentes à gravi necessitate liberare nequeunt; quia tunc cessat ratio obligationis. Rursus non obstante parentum necessitate licitè Religionem intrant liberi, si parentes inducunt illos ad malum & peccandum: vel si absque horum inductione, ipsimet sine gravi periculo animæ in sæculo remanere non possent. D. Thomas ubi suprà *quæst. 101. a. 4.* Miranda *loc. cit.* Donatus *loc. cit.* & communis aliorum. Ratio est; quia ordo charitatis exigit, ut quis salutem propriam spiritualem præponat parentum bono temporali. Faciunt huc verba Christi Lucæ 14. *Si quis non odit patrem suum, & matrem suam &c. non potest meus esse discipulus.* Item illud *Matth. 8. & Lucæ 9.* ubi Christus reprehendit quemdam nolentem statim sequi intuitu paternæ sepulturæ: *sinite mortuos, sepelire mortuos suos.*

Et ex his patet ad Quæstionem, quam alii faciunt, an liceat liberis, invitis parentibus, Religionem ingredi licet nempe, nisi parentes exinde patiantur gravem necessitatem. Ratio ulterior est; quia ad eligendum statum non est necessarius consensus parentum, claris juribus *can. 2. cau. 20. q. 2. & c. cum virum 12. h t.* ibi: *Tunc enim quia liberum habet propositum in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem:* præsertim ubi divina urget vocatio. Nec curandæ sunt lamentationes aut minæ parentum, sed potius fortiter contemnendæ, juxta consilium D. Hieronymi in Ep. 1. ad Heliod. *per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum crucis evola. Nam summum genus pietatis est, in hac re fuisse crudelem.* 77

Illud etiam cum Roderiquez *Tom. 3 quæst. 13. a. 5.* Miranda *Tom. 1. quæst. 17. a. 8. Conclusion. 4.* Navarro *lib. 3. Consil. de Regul. Consil. 26.* Donato *loc. c. quæst. 20.* Barbosa *lib. 1. Jur. Eccles. univ. c. 42. n. 20.* in fine, & aliis notandum, quod etsi proles absente propriæ animæ periculo Religionem ingrediens, relicto parente in gravi necessitate peccet graviter, Professio tamen subsecuta sit valida. Ratio est; quia nullo Jure irrita, sed tantum illicita declaratur. 78

XI. Recipi nequit criminosus, præsertim qui homicidium, furtum, latrocinium, vel alia similia, aut graviora crimina commisit, aut de iis suspectus existit, uti expressè statuit Sixtus V. in citata Bulla *Cum de omnibus*, & confirmavit Clemens VIII. In citata Bulla, *Cum ad regularem.* 79

Cuncta, quæ de necessariis qualitatibus recipiendorum dicta sunt, etiam in statutis nostris Generalibus sunt præscripta: uti videre est *c. 2. §. 1.* ubi insuper requiritur I. Ut sint legitimè nati. II. Habeant sexdecim saltem annos. III. Sacramento Confirmationis muniti. IV. Latinam linguam perfectè intelligentes. V. Non descendentes, vel originem trahentes usque ad quartam generationem ab Hebræis, Mauris, vel Hæreticis. VI. Non banniti, non condemnati. VII. Singulis ante habitus re„ceptionem protestetur, quod si lepra, morbo gallico, „aut caduco, aut alia contagiosa infirmitate laborave„rint, & ante Professionem id ipsum celaverint, eorum „receptum, ac etiam professio nulla censeatur. Prote„stetur etiam eisdem, quod si aliqua ex supradictis con„ditionibus (etiam illis, de quibus *à n. 68.*) sibi defuerit, „aut inhabiles extiterint, statim expellentur, & ad pro„fessionem nullatenus admittentur, quæ protestationes „in libro ad hunc usum deputato annotentur, quibus Su„periores & Discreti unà cum ipsis propria manu se sub„scribant. Ita statuta Generalia *l. c.* 80

Quæritur II. An circa qualitates de Iure communi, & Constitutionibus Pontificiis requisitas, necessariò debeat fieri indagatio, seu informatio, antequam suscipiatur quis ad Religionem? Resp. Affirmativè, nisi aliunde jam de aliquibus conditionibus satis, ac notoriè constet. Miranda *Tom. 1. q. 21. a. 2.* Hyacint. Donat. *Tom. 2. Tract. 4. q. 1. & seq.* Pelliz. *tom. 1 tr. 2. c. 3.* Roderiquez, & alii. Patetque ex Constitutione Sixti V. *Cùm de omnibus*, apud Cherub. *Constit. 71. ejusdem*, & Clementis VIII. *Cùm ad Regularem*, in Bull. Cherub. *Constitut. 26 dicti Pontificis,* ibi: „Quod attinet ad recipiendorum formam, ultra di„ligentem perquisitionem, quæ habenda erit de uniuscu„jusque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita „anteacta, ac præcipuè eorum, qui sextum decimum „ætatis annum excedunt, an criminosi, an ære alieno gra- 82

„gravati, vel reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxii sint, juxta formam Constitutionis Sixti V. & Moderationem subsecutarum. Illud Superiores sedulo perquirant, ut ad Religionem nullus imposterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus, summorumque Pontificum Constitutionibus præscriptas non habeat. Verba autem Constitut. Sixti V. Pontificis ita sonant.

„Cæterùm quoniam sæpè se vitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur, ac multi Doctores post dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni, aut interversam alienam pecuniam eorum fidei creditam, ut ratiocinia effugiant; alii post furta, latrocinia, & rapinas, homicidia, aliaque facinora perpetrata, etiam banniti, & damnati, seu qui meritas pro suis delictis pœnas meruerunt, non pia intentione, sed ad evitandum Legum, & judiciorum severitatem, quia tutò in sæculo vivere non possent, tunc demum quærunt à Religione auxilium, quando aliunde non sperant; unde sub habitu, & nomine Religiosorum animum Religioni inimicum, & inveterata vitia retinent, neque alios, qui sancta vocatione vocati sunt, patiuntur tranquillè divinis obsequiis insistere, in gravem Dei offensam, Religionis opprobrium, & scandalum plurimorum; ut his quoque subterfugii, & impunitatis spes omnis tollatur, authoritate Apostolica perpetuò statuimus, juvenes, aut viros adultos majores sexdecim annis, non aliter in Religionem recipi posse, nec debere, nisi priùs de eorum parentibus, patria, anteacta vita, & moribus diligenter inquiratur, & exacta informatione, & fide digna compertum, & exploratum sit, eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, & alia similia, aut graviora, reos, vel suspectos existere, aut propterea damnati sint; aut ne damnentur, formident, neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum gravatos, vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, ut ex hujusmodi causa lis vel molestia jam illata, vel timendum sit, ne inferatur, ipsos non humana aliqua ratione, sed cum devotionis, & pietatis fervore vitam Religiosam spontè, & ex animo elegisse &c. Omnes autem ut dictum est, criminosos, vel suspectos, vel æri alieno, vel ratiociniis obligatos ad Religionem perpetuò inhabiles declaramus.

83 Porrò, quamvis Sixtus V. in eadem Bulla statim subjungat, quod si quis contra tenorem suæ Constitutionis susciperetur, tam *susceptionem habitus, quam professionem & exinde secuta ex tunc prout nunc pariter irritamus, & annullamus, ac viribus & effectu carere decernimus*: sunt verba Pontificis. Nihilominùs Bulla quoad hæc verba fuit moderata, & ad terminos Iuris communis reducta à Clemente VIII. per Bullam, *In suprema Catholica* apud Cherub. *Tom 3. Constit. 83. dicti Pontificis*. Cæterùm pœnas contra Superiores quorumcunque Ordinum, qui in admittendis Regularibus ad habitum, & professionem *Constitutiones Pontificias, etiam Sixti V. non servaverint, aut aliter quovis modo contrafecerint, ipsis Constitutionibus inflictas salvas esse volumus, & statuimus*. Pergit in citata Bulla *In Superna* Clemens VIII. Pœnæ autem in Sixtina Constitutione contentæ sunt; quòd *quicunque Religiosi, eorumque Superiores, qui aliquas personas, ut dictum est, inhabiles receperint, voce activa & passiva, nec non officiis, gradibus, & honoribus, & dignitatibus, quibuscunque per eos obtentis eo ipso in perpetuum privati existant, & ad ea, sicut ad alia quævis in futurum inhabiles sint*.

84 Dicitur autem notanter in Conclusione, *nisi aliunde jam de aliquibus conditionibus satis ac notoriè constet*, enim verò de quibus sufficiens habetur notitia, frustanea censetur indagatio, examen, aut informatio, cùm hæc ex natura feratur ad rem occultam investigandam. Pelliz. *Tr. 2. cap. 3. n. 4.* citans Suarez *Tom 4. de relig. tr. 10. lib. 2. c. 3. n 3.* March *in Exposit. regul. cap. 2. text. 2 quæst. 3. concl. 1.* Roderiquez *Tom. 3. q. 54. a. 4.* Hyacint. Donatus *Tom. 2. tr. 4. q. 8.* qui affert pro se Decisionem Rotæ.

85 Quæritur III. Quando, & à quo fieri debeat indagatio de qualitatibus recipiendorum? Resp. Debere fieri ante habitus susceptionem, constat ex utraque Bulla tam Sixti V. quam Clementis VIII. nisi induendus juret, sibi nullam ex requisitis qualitatibus deesse; ita enim jurans absque prævia examinatione interim suscipi, & informationem posteà, Novitiatus tempore, ante Professionem tamen, fieri posse, concessit Clemens VIII. apud Donatum *loc. c. tract. 4. quæst. 4.* juxta statuta nostra Generalia *cap. 2. §. 1.* necessario fieri debet ante receptionem habitus.

86 Resp. II. Licèt juxta Bullam Sixti V. dicta informatio fieri debeat, & possit, in solis Capitulis Generalibus aut Provincialibus, ut liquet ex textu; nihilominùs ex concessione Clementis VIII. fieri etiam potest ab aliis Religiosis per Superiores deputatis. Pelliz. *l. c. q. 10.* patetque ex textu Bullæ. Porro in Ordine nostro per statuta Generalia *l. c.* rursus specialiter constituitur, *eam omnino fieri debere in Capitulis Provincialibus per Provincialem & Definitores; vel eodem Provinciali & Definitorio simul congregatis, si infrà annum extra Capitulum aliquem recipi contigerit*.

87 Cæterùm, ut in compendio habeatur, circa quæ de Jure communi, ac Constitutionibus Pontificiis fieri debeat examinatio, ac informatio ante receptionem petentium ad Religionem, ea hic compendiosè adducuntur. I. Nomen, ac cognomen. II. Patria. III. Parentes. IV. Ætas. V. Status, an nempe liber sit, an servus? VI. An gaudeat sana mente. VII. An non sit infamis. VIII. An non sit obligatus Ratiociniis? IX. An non gravatus ære alieno? X. An non corpore vitiatus? XI. Qualium morum & vitæ? præsertim an non criminosus? an parentes ejus ope indigeant? XII. „Quo spiritu, qua mente, & voluntate id Religiosæ vitæ genus elegerit: quem sibi finem proposuerit: num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberius famulari possit, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducatur? ut loquitur Clemens VIII. in Bulla *Cum ad regularem §. Demum* & concordat Bulla Sixtina citata. In Ordine nostro insuper informatio fieri debet, an sit legitimè natus? An Catholicus, & de nullo errore suspectus? An perfectè intelligat linguam latinam? An Confirmatus? An nunquam Bannitus, condemnatus? An originem trahat ex Hebræis, Mauris, aut Hæreticis &c.

88 Quæritur III. An, & qualis esset debeat Novitiorum Magister? Resp. Omnino præfici Novitiis debet aliquis Magister, qui juxta Constitutionem Clementis VIII. in citata Bulla *Cum ad regularem §. Tam Novitiorum Magister* ibi „iis omnibus officiis, oneribusque vacationem habeat, quæ Novitiorum curam & regimen impedire valeant, Insuper, Ipse Magister Sacerdotali Ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum ætatis anno constitutus, & per decennium à professione emissa in Religione perstiterit &c. Sitque doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præstans, orationis præterea, & mortificationis operibus addictus, prudentia, charitateque refertus, non sine affabilitate gravis, zelum Dei cum mansuetudine præseferens, ab omni cordis, & animi perturbatione, ira præsertim & indignatione, quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueverunt, quàm latissime alienus: & talis denique, qui omnibus seipsum bonorum operum exemplum præbeat, ut ii, qui eorum curæ subsunt, illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam possint. Ita Vicarius Christi.

89 Quæritur IV. Qualiter eos educare, & in quibus præcipuè illos instruere debeat? Respondet iterum ad hoc Clemens VIII. *l. c. §. Curam adhibeat*: ibi „Curam adhibeat diligentem, ut Novitii omnes in regulari disciplina sedulò exerceantur, agnoscantque præcipuè divinæ, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam & excellentiam: quæ vera sit, atque perfecta votorum solemnium & quam necessaria cujusque ordinis constitutionum observantia: modum in oratione tum vocali, tum mentali fructuosè persistendi, illicitas passiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona est, atque proclivis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, Confessionis præsertim (quæ bis saltem in mensibus singulis fiat) per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus diuturnum silentium &c.

90 Cuncta hæc in præcedentibus duabus Conclusionibus posita etiam in statutis nostris Generalibus *c. 2. §. 4.* compendiosè præscribuntur, ac insuper munus Magistri esse dicitur, & Magistro præscribitur, *Novitios in viam mandatorum Dei dirigere, doctrinam Christianam, regulæ præcepta, & declarationes Nicolai III. & Clem. V. omniaque, quæ ad regularis disciplinæ cognitionem necessaria sunt, accuratè docere*. Illud etiam supra Const. Clementis VIII. præcipitur, ut non tantum Novitii, sed & omnes Patres, & Fratres bis ad minimum in quavis Septimana confiteantur *cap. 7. §. 1.*

91 Tandem pœna recusantibus officium Magistri Novitiorum statuitur, & privilegium pro gerentibus illud decernitur. Et merito, quia summa sanè cura cuivis Religioni, & media licita adhibenda sunt, ut optimè qualificatos, & præstantissimos viros pro Magistris Novitiorum deputet, eo quod a bona educatione Novitiorum, & juventutis Religiosæ tota ferè salus pendeat Religionum, prout DD. communiter advertunt, & quotidiana experientia docet, ut proin haud dubiè pessimè Religioni consulerent, suoque muneri minimè satisfacientes gravissimè peccarent illi Superiores, qui in selectu horum negligentes, aut persunctorii existerent, aut obvium quemvis inexpertem juvenem, aut minus qualificatum senem præficerent, omissa seria & exacta informatione, num debitas pro officio habeat qualitates.

92 Quæritur V. Quanto tempore debeat receptus in Novitiatu manere in Ordine, ad hoc, ut Professionem emittere valeat? Resp. Sufficit, ac requiritur annus integer completus à susceptione habitus computandus adeo, ut Professio antea facta sit invalida. Caret hodie controversia ob claram Dispositionem Conc. Trid. *Sess. 25. c. 15. de reg.* ibi „In quacunque Religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante sextum decimum annum expletum; nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur: professio autem anteà facta sit nulla, nullamque indicat obligationem ad alicujus regulæ, vel Religionis vel Ordinis observantiam, aut ad alios quoscunque effectus. Concordat *can. 1. cau. 17. qu. 2.* ibi: *Canonica institutio interdicit, Monachum ante unius anni probationem effici* & *c. Ad nostram 16. h. t.* ubi etiam ratio habetur, videlicet, quia tempus hoc probationis concessum est partim in favorem Novitii, ut experiri valeat Religionis austeritatem, regulam, ac vitæ institutum: partim in favorem Religionis, ut & hæc probare & explorare valeat mores, genium, & habilitatem Novitii. Et quamvis *c. cap. 16. h. t.* addatur, posse cum consensu utriusque partis, Novitii nempe & Religionis huic favori renuntiari, & consequenter Professionem ante annum expletum validè fieri, tamen huic dispositioni Juris derogatum est per Conc. Tr. *l. c.* uti communiter advertunt DD. tum quia apponendo Decretum irritans, tacitè declaravit, annum integrum esse de forma & substantia: tum etiam, quia annua probatio est ob bonum Religionis introducta, Juri autem publico pactis privatorum derogari non potest, uti benè advertit Navarrus *lib. 3 Cons. h. t. cons. 62. n. 12. arg l. si diligenti 12. de foro comp. & l. Jus 38 ff. de Pactis*. Per eandem dispositionem Tridentini derogatum est etiam aliis Juribus antiquis quorum aliqua ad probationem requirebant biennium, *can. Monasteriis 6. cau. 19. q 3.* aliqua triennium, *can. un. dist. 53. can. si quis 4. cau. 17. q. 2.*

93 Limitatur tamen Conclusio in quibusdam Ordinibus Militaribus juxta Sanchez *lib. 5. Moral. c. 4. n. 5.* & alios: nec non in Commendatariis Monasteriorum, quæ capita sunt primates Ordinum, utpote qui intra sex menses profiteri aut Commendæ cedere debent. Conc. Tr. *Sess. 25. regular. cap. 21.* Societas quoque Jesu speciale habet, quod duos annos probationis ante Professionem exigat.

94 Quæritur VI. Utrum annus Novitiatus seu probationis debeat necessario esse completus de momento in momentum? Resp. Quamvis in hoc puncto graviter controvertant DD. affirmativa tamen non tantum securior, sed etiam communior, Jurique & rationi conformior, consequenter in praxi omninò tenenda, & sequenda est, videlicet, quod ad valorem Professionis annus ita debeat esse completus, ut si unica tantum, vel media hora aut quadrans ejusdem deesset, tota Professio foret nulla, consequenter in hac materia dies cæpta nullatenus habeatur pro completa. Fagnanus *in c. Ad nostram 16. h. t. à n. 9.* Miranda *tom. 1. qu. 22. a. 3. concl. 2* dicens Conclusionem esse certam, Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 24. num. 22.* Lessius *lib. 2. c. 41. num. 59.* Azorius *Instit. Moral. lib. 5. cap. 28* Barbosa *in cit. locum Conc. Trid. num. 2.* Sannig *h. t. cap. 4. num. 3* Navarrus, Sylvester, & communis aliorum contra Pirhing. *h. t. n. 37.* citantem pro se Roderiquez *Tom. 3. qu. 15. a. 4.* Probatur Conclusio in primis ex Tridentino *cit. Sess. 25. c. 15.* ubi ad valorem Professionis requiritur, *ne minori tempore quam per annum in probatione steterit*, ubi notanda verba, *ne minori tempore*, cui enim hora v. g. adhuc deest, revera *minori tempore* quam per annum in probatione esse dicitur; eo quod annus ibi desinat, ubi incipit, ut inquit Baldus *cons. 458. n. 4. in fine*, & ea hora finiatur, qua incæpit, Bartolus *in l. Libellorum ff. de Accus.* indeque Varro *lib. 5. de Ling. lat.* annum ab annulo dictum putet, quia in se ipsum redit. Deinde notanda particula *per annum*; quia dictio *per* denotat perfectionem, & totale complementum temporis. Accedit Jus commune (à quo Concil. interpretationem passivam recipit) requirens ad valorem Professionis integrum annum elapsum *c. non solum de reg. in 6.* ubi specialiter FF. Prædicatoribus & Minoribus districtè prohibetur: *ne ante annum Probationis elapsum, qui est maximè in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus, quemquam ad Professionem recipere præsumant*. Concordat *capit. Constitutionem. 3. eod. in 6* atqui palam est, annum, cui adhuc hora v. g. deest, nondum esse elapsum, ergo.

95 Confirmatur: quandocunque quantitas & protractio temporis inducit & continet favorem, tunc annus, vel dies, aut aliud tempus debet esse completum de momento in momentum, nec habetur annus, vel dies cæpta pro impleta, prout cum Glossa tenent communiter DD. etiam Adversarii, *arg. l. denique ff. de Minor. l. In omnibus de action. & oblig.* ibi: *Non enim cæptum annum sed impletum, si de emolumentis relicti Fideicommissi expectandum esse, Jurisprudentibus placuit*. Sicut è contrà, quando protractio temporis inducit odium, dies cæpta habetur pro completa, *arg. l. 6. & 7. ff. de Usucap. l. In Usucap. ff. de divers. & temporal. Præscr* juncta *l. Anniculus. la 2. ff. de V. S.* ibi: *Anniculus trecentesima sexagesima die incipiente sane exacto die; quia annum civiliter non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus*; atqui protractio temporis anni probationis usque ad ultimum momentum est favorabilis Novitio, & Religioni, ut ille hanc, & hæc illum sufficienter probare, ac in tanto momento consideratè agere, & quilibet de damno non amplius reparabili præcavere possit, ut apertè colligitur ex *cit c. ad nostram 16. h. t.* ubi expressè dicitur „quod tempus probationis sit indultum non solum in favorem Conversi, sed etiam Monasterii; ut & ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri, quod utrumque diligenter est observandum, præsertim cum ab utroque de reliquo certa notitia non habeatur. Concordat *capit. Non solum de regular. in 6.* ubi dicitur, *quod annus probationis sit maximè in subsidium fragilitatis humanæ (consequenter in favorem) institutus*: ergo non contrahi, sed protrahi debet usque ad ultimum momentum.

96 Confirmatur ulterius: quandocunque tempus statuitur, & incipere determinatur ab aliquo actu, computandum est de momento in momentum. Fagnanus *l. c. n. 35.* Sanchez *disp. 24. de Matr. n. 22.* & communis aliorum, textu expresso *l. 3. §. Minorum ff. de minorib.* atqui hic statuitur tempus ab assumpto habitu Conc. Trid. *cit. num 92.* ergo.

97 Facit etiam pro Conclusione, eamque veluti certam reddit Congregatio Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum, utpote qui semper censuerunt, annum probationis à Concilio Tridentino requisitum, intelligi debere de momento in momentum, ut Professio ante ultimum momentum facta sit nulla, prout videre est apud Barbosam *in cit textu Conc. Tr.* refert eam etiam Fagnanus ejusdem Congregationis Secretarius *l. c. ad finem* dicens

cens quod bina vice Professiones anno probationis ad momentum nondum completo ad Sac. Congregationem delatæ, habitæ fuerint pro invalidis, quamvis ad vitandos varios in Religionibus motus à publica declaratione abstinuerit.

98 Infertur proin invalidam esse Professionem illius, qui 1700. 2. Septembris hora nona antemeridiana habitum Religionis assumeret, & sequenti anno 2. Septembris hora septima vel octava Professionem emitteret: quod notare habent Superiores illorum Conventuum, ubi Novitii habitum assumunt, & Professionem emittunt. In praxi optimum, ac securissimum erit, si primis horis antemeridianis v. g. hora septima, vel octava Novitios induant, & sequentibus temporis antemeridiani horis nona vel decima ad Professionem admittant; agitur enim hic de valore rei, ad quem probabilis opinio DD. veritati contraria nihil confert.

99 Objectiones Adversariorum potissimum sunt *primò*, favorabile esse Novitio, quod Professio etiam ante annum omninò elapsum sit valida: tum quia *summa est ratio, quod facit pro Religione, l. Sunt personæ ff. de Religios. & sumpt. fun.* tum quia statim à tempore Professionis, capax, & particeps est plurimorum bonorum spiritualium, privilegiorum, indulgentiarum &c. *Secundò*, quod annus à Tridentino, & Jure communi præscriptus benè intelligi possit de anno civiliter, non mathematicè, ac naturaliter sumpto, præsertim cùm præcepta humana moraliter sint intelligenda, in quo sensu perfectum dicitur, quod modicum distat à perfectione: quia de modico non est curandum, *arg. l. In rebus §. Possunt ff. Commodat.* nec levis omissio vitiat actum, *l. 1. in fin. ff. Commodati. Tertiò* quod Conclusio nostra, & fundamenta ejus nimium probent, videlicet, quod indutus hoc Anno 2. Septembris hora decima antemeridiana, non posset sequenti Anno 2. Septembris dicta hora emittere Professionem, sed primum hora quarta vespertina, vel omnino in sequentem diem differre deberet, quia Annus naturalis completè sumptus ultra dies 365. constat fermè sex horis, ex quibus quarto quolibet Anno oritur Annus bissextilis; quod tamen est contra communem praxin, & consuetudinem receptam.

100 Verum ad primam harum objectionum patet ex dictis *n.* 95. ad rationem illius primam respondetur cum Fagnano *l. c. num.* 33. Concedendo, summam esse rationem, quæ facit pro Religione, tempore debito à Jure requisito, quo quis legitimè fit, & est Religiosus, non item tempore antecedenti, alias enim etiam duobus vel pluribus diebus ante Annum completum Professio emitti posset. Hinc pro tempore priori summa ratio & favor est, quæ facit pro libertate Novitii & Religionis, ut summè arduum negotium cum plenitudine temporis concessi maturè considerari, & tractari valeat, *arg. cap. Ad nostram, 16. hoc tit. & c. Non solum eod. in 6.*

101 Ad secundam objectionem respondetur, modicum non nocere vel obesse, nisi sit de forma & essentia, uti in proposito, in quo tempus totaliter completum dignoscitur esse de substantia Professionis ob appositum à Concilio Decretum irritans; hoc siquidem omne illud efficit substantiale, quod sub eo seu clausula irritante præscribitur, uti post Felinum *in cap. Cum dilata. de Rescription. numer.* 29 docet Navarrus *Consil. 82. hoc titul. numer.* 3. Fagnanus *loc. citat. numer.* 22. & communis aliorum, *argument. Leg. non dubium, 5. & Leg. fin. Cod. de Legib. & cap. Cum dilecta de rescript.*

102 Ad tertiam respondet Fagnanus *l. c. num.* 5. concedendo, ex Conclusione nostra etiam id, quod objicitur, probari, negando autem id esse nimium, eo quod ob Decretum irritans etiam ultimum momentum anni naturalis sit de substantia Professionis per dicta *n. præc.* cui etiam favet *can. Puella 2. cau. 20. q. 2.* ubi ad tacitam Professionem annus & dies requiritur, ibi: *Si per annum, & diem.* Ob quod in aliquibus Religionibus & Monasteriis Professio non emittitur, nisi post annum & diem elapsum à tempore assumpti habitus, quod ipsum etiam in nostris statutis Generalibus Barchinonensibus statutum habetur, prout refert Marchantius *in Expositione Regulæ, capit. 2. quæstion.* 4. Verum aliter respondetur cum eodem Marchantio *loc. citat.* Miranda *loc. citat.* & communissima aliorum, negando sequelam, quia dum Concilium Tridentinum ad substantiam probationis requirit annum probationis integrum de momento in momentum, completum, pro anno intelligit annum solarem seu naturalem, ultra dies 365. quinque horas, & 49. minutas, seu sex fermè horas continentem, sed annum civilem, quem etiam vulgarem, seu artificialem appellant, qui constat & absolvitur trecentis sexaginta quinque diebus: tum quia etiam in aliis regulariter annus ita accipitur: tum quia in puncto probationis eum ita accipit & intelligit praxis & consuetudo passim recepta, *quæ est optima Legum interpres. Leg. 17. ff. de Legib.* non obstante, quod pro majori cautela, quæ etiam *nimia non nocet*, quibusdam locis quid particulare observetur.

Quæritur VII. Utrum annus Novitiatus, seu probationis necessario debeat esse continuus, ac sine interruptione? Resp. Affirmativè, Fagnanus *in ca. insinuante, qui Clerici, vel voventes.* Miranda *Tom. 1. quæ. 22. art. 4.* Abbas *in cap. Ad Apostolicam 16. hoc t. num.* 9. Sylvester *versic. Religio 5. quæst.* 4. Pirhing. *h. t. num.* 40. & communissima aliorum, imò teste Fagnano, Omnes scribentes *in c. c. ad Apostolicam h. t. arg. cit. Conc. Trident.* ubi Professio illius dicitur irrita, qui non per annum steterit in probatione: generaliter enim, quando in Jure certum aliquod tempus requiritur, intelligi debet de tempore continuo, nisi ex subjecta materia contrarium colligi possit: ut benè cum aliis notat Fagnan. *l. c.* Guttierez *lib. 1. qq. can. cap. 12. num.* 24. eo quod regulariter omne tempus debeat esse continuum, Glossa *in rubr. de Divers. & temporal. Præscript.* circa finem, *arg. l. interdum §. quoties ff. de Publician* nec tempora interrupta conjungantur, *arg. l. ubi Fidejussor ff. de Solution.* Præsertim, quando in Lege, uti in proposito requisito tempori apponitur præpositio *per;* utpote quæ ex natura sua continuationem temporis significat, prout cum communissima aliorum benè docet Barbosa *de Dictionibus, V. per* Menoch. *de Arbitr. Jud. casu 462. nu.* 7. Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 9. in annot. num.* 89. Maschard. *de probation. Concl. 1215. num.* 2. Et juxta hanc Conclusionem sæpius respondens Congregatio Cardinalium Professiones post annum non continuum factas declaravit nullas, apud Fagnan. *loc. cit. n.* 35. 103

Accedit ratio, quia propter intermissionem diversificantur mores & opera hominum, *leg. si non sortem §. Libertus de Condict. indebiti;* simulque certum est, longè gravius esse, rigorem & asperitates Ordinis per annum totum continuum, quam per interpolatum experiri; sicut difficilius est per 40. dies continuos, quam interpolatos, seu interruptos jejunare, uti citati DD. communiter notant, indeque consequenter inferunt, Novitium ad tempus discedentem, ac denuò redeuntem, Regulam & rigorem ejus perfectè non experiri. 104

Nec refert, an longo tempore v. g. per aliquot menses an modico v. g. per aliquot dies solummodo, aut horas absit, & pœnitentia ductus statim iterum redeat Novitius, eo quod & talis Novitius de novo probationem incipere, & per annum continuum continuare debeat, si valide profiteri velit, prout citata S. Congr. Cardinalium expresse declaravit in casu, quo Novitius ex Ordine nostro discessit, & duabus horis elapsis pœnitentia ductus statim iterum rediit, apud Fagnan. *in c. cap. Insinuante, qui Clerici n.* 36. Docentque in simili Navarr. *l. 1. cons. 32. h. t. n. 3.* Sylvester *V. Religio 5. q.* 4. Sanchez *l. 5. Mor. c. 4. n. 32.* & alii ob Jura & rationes *n.* 103. allatas. 105

Infertur proin, quod si Novitius vel ex delicto, aut inhabilitate, ob morbum v. g. dimittatur, aut sponte discedat, de novo iterum annum probationis incipere debeat, etsi emendatus, aut sanitati restitutus, aut pœnitentia ductus brevi iterum redeat, & prius per decem, aut undecim menses, aut diutius (non tamen integro anno) jam fuisset in Novitiatu. 106

Resp. II. Dictis non obstantibus, si Novitius de licentia sui Prælati, & cum habitu intra annum probationis e Monasterio exeat, & extra illud per aliquod tem- 107

pus v. g per duos, tres, quinque, vel etiam sex menses ex negotii, vel sanitatis, vel peregrinandi, vel visendi parentes, vel se recreandi causâ &c. moretur, non idcircò interrumpitur annus, sed potest eo expleto Novitius Professionem emittere æquè, ac si toto anno fuisset in Monasterio, ita cùm communi aliorum Miranda *Tom. 1. q. 22. a. 5.* Fagnan. *loc. cit. n.* 38. Tambur. *de Jure Abbat. Tom. 3. disp. 6. q. 7. n.* 16. Navarr. *h. t. consil.* 32. ubi affert pro conclusione Declarationem Cardinalium in casu, quo Novitius de licentia Superioris ultra sex menses à Monasterio absens, in quadam Curia tractavit negotia Monasterii; quam Declarationem etiam refert Fagn. *loc. cit.* Ratio est: tum quia Religiosus ubicunque de licentia, & sub obedientia Superioris degit, in Monasterio degere fictione juris censetur, ut post Abbatem *in c. Ex rescripto de Jurejur. n.* 5. rectè notant Navarr., & Fagnan. *loc. cit.* Tum quia nullo Jure cavetur, ut Novitius toto probationis anno degat in Monasterio, imò oppositum innuitur *cit. cap. Insinuante, qui Clerici & voventes, & cap. Sicut nobis, 17. h. t.*

108 Illud tamen cum Navarro *loc. cit.* & Fagnano *l. cit.* n. 4. notandum, quòd etsi Novitius post susceptum habitum infirmetur, & per sex vel octo, vel decem menses in lecto decumbat, nihilominus elapso anno validè profiteri valeat, *arg. c. cap. Sicut nobis, 17. h. t.* & docent teste Navarro *loc. cit.* omnes DD. nisi forsan Novitius in furorem & amentiam incideret, in eoque diu v. g. per mensem, vel diutius remaneret, tunc enim licèt Novitiatus non de novo foret incipiendus, nihilominus illud spatium temporis esset supplendum, & juxta quantitatem illius Novitiatus extendendus, uti docent Sanchez *lib. 5. Moral. cap. 4. n. 54. & 55.* Pirhing. *h. t. n.* 47. Ratio est; quia licèt in tali casu annus probationis propriè non interrumperetur, cùm, ut supponitur, talis manserit in Religione; tamen intereà saltem suspenderetur, & quasi dormiret, prout in simili Præscriptio dormire dicitur, *l. Sicut C. de Præscript. triginta annor.* Quòd si tamen furor aut amentia non diu, v. g. non ultra octo vel decem dies duraret, prout contingit in frenesi ordinaria; item in calidis & malignis febribus, penitus non attenderetur, possetque eo non obstante Professio anno elapso validè emitti, uti docent DD. citati, probatque praxis & consuetudo recepta, quæ est optima Legum interpres. *L. 17. ff. de Legib.*

Circa materiam Novitiorum attendendæ etiam Constitutiones & Decreta Clementis VIII. saluberrima, quarum prima incipit *In Suprema Ecclesia*, ordine 73. in Bull. Cherub. cui statim apponuntur aliæ videlicet 2. *Regularis Disciplinæ.* 3. *Cùm jam dudum*, 4. *Qui aliàs & præcipuè* 5. *Cùm ad Regularem.* Quas vide in dicta Bull. Tom. 3.

§. IV.

De Libertate, Juribus, Privilegiis, & Obligationibus Novitiorum.

S U M M A R I U M.

109 *Novitii pro libitu deserere possunt Religionem.*
110 *Etiamsi permanere firmiter proposuerint.*
111 *Non tantum qui Religionem ingredi, sed etiam qui in ea permanere, & profiteri voult, potest exire, si bona fide judicat, hunc statum sibi minus idoneum esse. Et n. seq.*
112 *Ex sola levitate, vel alia causa irrationabili deserens Religionem, quam intravit, peccat graviter.*
113 *Vovens ingredi aliquam Religionem in genere, vel in specie, ad quid teneatur?*
114 *Novitius sine justa causa ejici non potest.*
Quid si ejiciatur? Ibid.
115 *Novitii gaudent privilegiis Religionis, quã intrarunt.*
116 *Recitantes solas horas in Choro satisfaciunt obligationi Professorum.*
117 *Novitius tempore Novitiatus retinet Beneficium.*
118 *Cui si annexum est votum eligendi, tempore vacantiæ necessariò non citatur Novitius, quamvis interesse possit, si velit.*
119 *Tempore Novitiatus per alium Beneficii functiones præstari debent, assignata congrua sustentatione de redditibus.*
Superflui cui restituendi? Ibid.
120 *Novitio egredienti, vel ejecto, omnia, quæ secum tulit, restitui debent: durante probatione de bonis ejus nihil potest donari Monasterio.*
121 *Limitatur in re modica, ut consuetis honorariis, ac conviviis.*
122 *Habitus non restituitur Novitio egredienti, sed pretium ejus.*
123 *Nisi eleemosynis piarum personarum comparatus esset.*
124 *Novitii nec ad tria vota, nec ad Regulam sub culpa tenentur.*
125 *Benè tamen ex honestate & decentia.*
126 *Ac sua pœna.*
127 *Novitius Religionem deserens non tenetur ad expensas à Monasterio factas.*
128 *Nisi de solutione earum fuerit pactum, aut extet consuetudo.*

Quæritur I. Utrum Novitii intra annum probationis pro libitu Religionem deserere, & ad sæculum redire valeant? Item an egredientes teneantur ad expensas? Item quæ eis sint restituenda? Resp. I. Ad primam partem quæsiti affirmativè. Miranda *Tom. 1. q. 22. a. 8.* Fagnan. *in c. Consulti, 20. & c. Statuimus, 23. h. t.* & ibi Abbas, Pirhing *h. t. num.* 62. cum communi ac certa aliorum, claris Juribus *c. cap. Consulti, & c. Statuimus, h. t.* ibi: *Statuimus, Novitios in probatione positos, ante Professionem emissam, ad priorem statum redire posse liberè*, id est, etiam non petita vel habita licentia Superiorum, hoc enim dictio *liberè* significat, *arg. c. Licet Episc. de Præbend. in 6. & c. De multa, 28. de Præbend.* cùm concordantiis. Ratio ibidem habetur; *cùm quilibet possit renuntiare ei, quod pro se noscitur introductum.* 109

Et quamvis *in c. cap. Statuimus, h. t.* ponatur sequens limitatio, *nisi evidenter appareat, quòd tales absolutè voluerint vitam mutare, & in Religione perpetuò Domino servire*, quòd idem dicitur *c. Consulti eod.* indeque ibidem statuitur, quòd ejusmodi ad aliquam, saltem laxiorem Religionem ire teneantur; quod Doctoribus copiosam materiam disputandi præbuit. Nihilominus Conclusio hodierno Jure absolutè venit intelligenda, quia Jure novo Concilii Tridentini *Sess. 25. de Regular. cap. 15.* expressè statutum habetur, quòd etiam Professio ante finitum probationis annum facta, seu votum manendi in Religione sit nullum, nullamque inducat obligationem, & omni prorsus careat effectu; ergò multò minus obligationem vel effectum aliquem pariet, aut libertatem egrediendi Novitio adimet nudum quantumvis firmum propositum; cùm illud longè majoris sit efficaciæ, quam hoc; *à Majoris autem ad Minus bona est argumentatio.* Accedit Sac Congregationis Declaratio apud Fagnan. *in c. cap. Consulti, n.* 42. 110

Ex his patet etiam ad Quæstionem, quam faciunt alii; an ille, qui emittit simplex votum non tantùm intrandi Religionem, sed etiam manendi, & profitendi in ea, egredi possit? videlicet, quòd vi hujus non impediatur, quin intra annum probationis liberè iterum egredi possit, casu quo deprehendat, & bona fide judicet Religionis assumptæ statum pro se non quadrare, prout contra D. Thomam *2. 2. q. ult. a. 5. in corp.* Lessium *lib. 2. cap. 41. dub. 5. num. 25.* & alios docet Sotus *l. 7. q. 2. a. 1. ad 3.* Pirbing *h. t. num.* 67. & alii, *arg. cit. Concil. Trident.* Nec valet, quòd Lessius *loc. cit.* cùm aliis dicat, Concilium Tridentinum ibidem tantum prohibuisse, & inefficacem reddidisse solemnem Professionem, non verò votum simplex, quo quis Deo promittit, in Religione permanere, & ibidem profiteri, consequenter hoc, si fiat, obligabit, cùm secundùm Augustinum à D. Thoma *loc. cit.* allegatum, *in tantum feratur voti obligatio, in quantum se extendit voluntas, & intentio voventis. Si ergo vovens intendit se obligare non solum ad ingressum Religionis, sed etiam ad perpetuò remanendum, tenetur perpetuò remanere:* sunt verba Angelici Doctoris. Nam contra est: tum quia ratio & finis, ob quem Concilium Trident. nullum & inefficax reddit solemnem Professionem, seu votum solem- 111

ne manendi in Religione, anno probationis nondum finito emissum, videlicet, ne aliàs tolleretur libertas Novitii in eligendo statu perpetuo, & ne obligaretur ad perpetuæ vitæ genus, quòd an sibi & saluti suæ conducat, adhuc non satis cognitum; necdum sufficienter probatum habet, omninò etiam militet in voto simplici manendi in Religione, ut consideranti patet; ubi autem eadem est ratio, & idem finis Legis, eadem est Legis dispositio, *arg.* per dicenda infrà *num.* 112. Tum quia sequeretur, quòd ille, qui emisit votum manendi, & profitendi in Religione, posset ante finitum probationis annum, emittere Professionem, cùm hæc usque ad finem anni solummodò differatur ad hunc finem, ut Novitius Religionem sufficienter probare, eamque sibi minus conducentem agnoscens, liberè deserere valeat, quia finis Legis, consequenter Lex ipsa cessaret *arg. l. In omni, ff. de Adoption.* in casu nostro, utpote in quo, uti supponitur, Novitius teneretur permanere, & solemniter profiteri, etsi ante finem anni satis cognosceret, Religionem hanc pro se non quadrare: atqui hæc sequela est absurda, & rejecta à S. Congregatione apud Fagnan. *in c. Consulti hoc tit. num.* 42. expressè declarante, quòd etsi quis emiserit votum simplex manendi in Religione, & ibidem profitendi, tamen ante finitum probationis annum profiteri non valeat, certè ob nullam aliam rationem, quàm ut Novitio sufficiens spatium & libertas maneat, Religionem sufficienter probandi, eamque sibi non quadrantem cognitam liberè deserendi.

112 Illud certum, & ab omnibus concessum est, eum, qui tantum vovit ingredi certam Religionem, teneri quidem eam ingredi, posse tamen ex causa rationabili liberè iterum egredi, præsertim, si intra annum probationis cognoscit, & bona fide judicat, Religionem hanc sibi non quadrare, *arg. c. Per tuas* 10. *de Voto*. Si verò absque justa causa ex sola levitate, inconstantia, aut sensualitate egrederetur, probabiliter peccaret mortaliter. Navarr. *l.* 3. *Consil.* 13. *num.* 3. Layman *l.* 4. *Tr.* 5. *cap.* 6. *num.* 12. Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 16. *num.* 90. *& seqq.* Ratio est; quia qui vovet probationem alicujus rei, tacitè etiam vovet, eam acceptare, si conveniens fuerit. Nec obstat Concilium Tridentinum, vota hujusmodi ad Professionem obligantia, inefficacia declarans. Nam contra est; quia finis & ratio Legis Tridentinæ principaliter eò solum collimat, ut Novitio maneat libertas Religionem sufficienter probandi, & sibi inconvenientem repertam liberè deserendi; non item, ut eandem sanctè ingressus, sine ulla causa, ex sola levitate, aut alia irrationabili causa pro libitu deserere valeat: *Ratio autem Legis, est anima Legis*, per vulgaria, *& certum est, quòd committat in Legem, qui Legis verba complectens; contra Legis nititur voluntatem*, c. *Certum est* 88. *de R. I. in* 6. Quæ à fortiori procedunt, si quis non tantùm ingredi Religionem, sed etiam in eam manere & profiteri vovit: unde notanter dictum est *num.* 111. *casu quo deprehendit, & bona fide judicat, statum Religionis assumptum pro se non quadrare*.

113 Porrò, si quis aliquam Religionem in specie vovit, tenetur ad eam in specie, nisi velit arctiorem ingredi; quia votum suum in opus melius mutare quivis potest. Quòd si in eam, quam ingredi vovit, non recipiatur, non tenetur in aliam intrare. Si verò in genere vovit Religionem aliquam intrare, tenetur moralem diligentiam adhibere, ut in aliquam recipiatur, & propterea, si ab una repulsam tulit, in alia susceptionem urgere, & hoc tamdiu, quamdiu probabilis spes affulget; si absque magna, ac prius non prævisa difficultate id facere potest. Ita communissima Theologorum materiam hanc utpote sibi propriam fusius tractantium, apud quos proin vide, præsertim D. Thom. 2. 2. *q.* 88. Layman *lib.* 4. *Tract.* 5 *cap.* 16. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 16.

114 Quæritur II. An Novitius etiam invitus è Monasterio expelli possit? Resp. I. Novitius absque legitima causa ab Ordine expelli nequit; quòd si sine justa causa ejiciatur, ejicientes graviter peccant, & Novitius appellare potest ad Superiorem, qui injustè ejectum restituere debet in integrum. Cardinal. de Luca *de Benefic. discur.* 97. *n.* 16. allegans Decisionem Rotæ 882. apud Merlin. Pellizar. *tr.* 2. *cap.* 7. *n.* 60. Pirhing *h. t. n.* 78. Pignatell. *Tom.* 4. *consult.* 201. *n.* 3. præter plures Rotæ Decisiones allegans pro Conclusione repetitas Declarationes Cardinalium Hyacint. Donatus *tom.* 2. *tr.* 5. *q.* 10. & communis. Ratio evidens est: tum quia legitimè susceptus acquirit jus ad rem, Professionem nempe, quo sine legitima causa privari nequit. Tum quia injustè, & sine justa causa ejectus patitur notabile gravamen, jacturam nempe famæ & honoris, ab injusto autem gravamine utique datur appellatio juxta dicta *Lib.* 2. *Tit.* 28. *de Appell.* §. 2. *n.* 32. Hinc communiter etiam docent Doctores, quòd absque justa causa denegans Novitio votum ad Professionem, peccet mortaliter: sicut econtrà votum indigno tribuens; eò quòd in primo casu gravem injuriam inferat Novitio, in secundò verò Religioni. Et quamvis Eadem S. Congregatio apud Pignatellum *loc. cit.* etiam declararit Moniales Censuris ab Episcopo cogi non posse ad exprimendas causas, ob quas Novitiam ejecerint, vel ad Professionem non admiserint, nihilominus censuit, posse per loci Ordinarium secretò interrogari Moniales de causis, illisque justis repertis, monere consanguineos Novitiæ, ut à causa desistant: inventis autem causis insufficientibus, monere Moniales, ut ab injusto proposito desistant, quæ, si pertinaciter resistant, S. Congregationem Regularium informare debent.

Quæritur III. Quibus Juribus ac Privilegiis gaudeant 115
Novitii? Resp. I. Regula est generalis: Novitii gaudent omnibus privilegiis, Religionis, quam intrarunt. Pelliz. *in Manual. Regul. Tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 7 *n.* 1. Pignatellus *Tom.* 4. *Consult.* 119. *n.* 7. Suarez *Tom.* 4. *de Regular. tr.* 10. *lib.* 9. *c.* 1. *n.* 18. Diana *p.* 3. *tr.* 2 *resolut.* 73. Pirhing *h. t. n.* 77. & communis aliorum. Ratio est; tum quia licèt Novitius in effectu Religiosus nondum sit, tamen in favorabilibus Novitii veniunt nomine Religiosi, *arg. c. Religiosi* 21. §. *Quamvis, de Sentent. Excommunic. in* 6. Tum quia Novitii sunt sub potestate Religionis, & suo modo sustinent onera illius; ergo dignum est, ut privilegia ejusdem participent, juxtà *regul.* 55. *juris, in* 6. *Qui sentit onus, sentire debet & commodum*. Hinc gaudent etiam privilegio Fori, & Canonis, textu expresso *cit. c. Religiosi de Sentent. Excom. in* 6. ac gaudent Indulgentiis, quibus gaudent Professi. Pelliz. *loc. cit.* Portel. *de Dub. regul. Vers. Novitius, n.* 54. ob rationes pro Conclusione allatas. Insuper specialiter habent Indulgentias plenarias, quando sacro habitu induuntur ex concessione Pauli V. per Bullam *Cùm sicut*, apud Cherub *Constitut.* 68. *dicti Pontificis*.

Et ex hac Conclusione infert Hyacint. Donatus *Tom.* 116
2. *tr.* 6. *q.* 22. quòd Novitii soli de more recitantes in Choro horas Canonicas satisfaciant præcepto, loco Professorum, dummodò tot numero adsint, quot requiruntur ad constituendum Corpus, seu Communitatem, sive Collegium, videlicet tres saltem, *quia tres faciunt Collegium*.

Resp. II. Inter principalia Jura Novitii est, quòd re- 117
tinere possit Beneficium, & percipere ejus fructus, donec emittat Professionem. Omnes. Textus expressus est *in c. Beneficium* 4. *h. t. in* 6. ibi: *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est intra probationis annum alicui conferendum*. Ratio est ne impediatur egressus libertas, dum Novitius considerat, quòd Beneficio, ejusque redditibus jam privatus sit, & forsan aliunde sustentationis media difficilè habere possit. Intellige Conclusionem de omnibus Beneficiis majoribus & minoribus, curatis & simplicibus. Barbosa *in cit. c. Beneficium* 4. *h. t. in* 6. Sanchez *lib.* 7. *Moral. cap.* 4. *n.* 3. Pirhing. *h. t. n.* 71. eò quòd textus indistinctè sonet.

Notat tamen Glossa *in cit. c. Benefic. Vers. Conferendum*, 118
si Novitii Beneficium habet annexum jus eligendi, & suffragii, v. g. si Novitius fuit Canonicus, vacante intra annum Prelatura v. g. necessariò non sit citandus, sed possint reliqui soli ad Electionem procedere. Idem docet Barbosa *loc. cit. n.* 13. Sanch. *loc. cit. n.* 10. Sylvester *Vers. Religio* 5. *q.* 11. Pirhing. *loc. cit. n.* 75. Ratio est; quia talis meritò reputatur pro absente & remoto, qui non debet, nec solet citari. Quòd si tamen Novitius Electioni interesse velit, excludi non potest, eò quòd nec Beneficio, nec fructibus & effectibus ejus privatus, uti bene observat Sanchez *loc. cit.* Pirhing. *loc. cit.* & alii.

Porrò

119 Porrò quamdiu Novitius in probatione existit, *debebit eidem Beneficio interim per alium deserviri, assignata sibi congrua de ipsius proventibus portione*, uti expressè statuitur *cit. c.* 4. *h. t. in* 6. cujus congrua quantitas ab Episcopo determinari debet, Glossa *ibid.* ℣. *Interim* Barbosa *loc. cit. n.* 8. Pirhing. *h. t. n.* 76. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 14. Residui verò fructus reservandi sunt, atque restituendi Novitio, tanquam verò Beneficiato; si exeat: Sanchez *loc. cit. n.* 19. Pirhing. *h. t. n.* 76. Si verò profiteatur, restitui debent Ecclesiæ, vel ad causas pias applicari, utpote fructus merè Ecclesiastici superflui, per dicta *Tit. de Pecul. Cleric.* consequenter non Monasterio, ut vult Sanchez, & Pirhing *loc. cit.* contra quos pro nobis etiam sentit Glossa *in cit. c. Beneficium, h. t.* & ibi Joan. Andreas ad finem.

120 Quæritur II. An aliquid, & quidnam Novitio spontè egredienti, vel ex causa ejecto restitui debeat? Resp. I. Debent ei non tantum omnia, quæ secum tulit, iterum restitui, sed etiam ea, quæ ipse, vel parentes, aut consanguinei, vel alii de bonis ejusdem Monasterio donarunt, iterum reddi, excepto eo, quòd datum est pro victu & vestitu. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 5. Azorius *p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 3. *q.* 6. Pelliz. *Tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 22. Tamburinus *de jure Abb. Tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 10. *n.* 8. Barbosa *de Offic. & potest. Episc. p.* 3. *allegat.* 101. *n.* 37. Lauret. de Franch. *de controv. inter Episcop. & Regul. q.* 5. *n.* 10. cum communi ac certa aliorum, textu expresso Conc. Trid. *Sess.* 25. *de Regul. c.* 16. ubi tenor Conclusionis non tantum continetur, sed etiam sub pena Excommunicationis prohibetur, ne quid de bonis Novitii ante Professionem detur, vel accipiatur, illis verbis: Sed neque ante Professionem, excepto victu & vestitu Novitii vel Novitia illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus, propinquis, aut curatoribus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel majorem partem substantiæ suę Monasterium possideat, nec facilè si discesserit, id recuperare possit: quia potius præcipit S. Synodus sub anathematis pœna & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante Professionem omnia restituantur, quæ sua erant, quod ut fiat Episcopus etiam per Censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. Ratio habetur in textu: videlicet hac occasione discedere liberè nequeat, quòd totam, vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, recuperare possit.

121 Ex hac tamen ratione bene infert Sanchez *loc. c. n.* 22. & limitat Conclusionem in rebus, quæ attentis facultatibus Novitii, sunt modici momenti; eò quòd in his cesset finis & ratio Legis Tridentinæ; cùm per carentiam rerum modicarum Novitii libertas ad egrediendum non lædatur: eadem ratione tempore ingressus modica eleemosyna de bonis Novitii licitè & validè absque restitutionis onere datur Monasterio. Sanchez *loc. cit.* Azorius *tom.* 1. *l.* 13. *c.* 9. *n.* 2. Idem est de convivio, & aliis consuetis modicis honorariis in ingressu dari solitis. Rursus licitum est parentibus, consanguineis, tutoribus Novitiorum, aliquid etiam majoris momenti de propriis suis rebus Monasterio in ingressu, vel tempore Novitiatus ante Professionem donare, dummodò id exprimant, & licitum est Monasterio id recipere absque onere restitutionis. Ratio est: quia Concilium Tridentinum tantum prohibet, ne de bonis Novitii aliquid detur.

122 Utrum autem etiam habitus probationis, pretio Novitii comparatus vel saltem pretium illius restitui debeat? fuit olim dubium magnum inter DD. ex ipsis verbis Tridentini ortum, utpote quibus prohibentur donationes excepto *victu & vestitu*. Verum dubium hoc sustulit S. Congregatio dicti Concilii, declarans, non quidem habitum ipsum, sed tamen pretium illius debere restitui Novitio. Barbosa *in c. Super eo h. t. n.* 5. Peyrin. *de R. P. q.* 3. *c.* 1. §. 4. *n.* 5. Pelliz. *Tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 28. qui benè addit, debere restitui pretium illud solum, quo æstimatur habitus tempore discessus, ut proin si tempore Novitiatus eum notabiliter jam deterioravit, pretium accomodandum erit valori habitus de præsenti attriti.

123 Porrò, si habitus sit comparatus non expensis & sumptibus ipsius Novitii, utpote pauperis, sed ex eleemosynis piarum personarum eo fine datis, ut habitum comparare & solvere possit Novitius, Monasterium ad restitutionem pretii Novitio faciendam non teneri, bene ex Peyrin. *loc. cit. num.* 108. docet Pelliz. *loc. cit. n.* 29. Ratio est; quia tunc cessat finis, ob quem ingredienti Religionem, eleemosynæ datæ sunt, censentque Donatores potius Monasterio utpote causæ piæ, quàm Novitio egredienti eas relinquere.

Quæritur V. Quæ sint obligationes Novitiorum? an 124
videlicet teneantur ad tria vota, præcepta Regulæ & statuta? Item an egrediens teneatur solvere expensas, quas pro victu, & vestitu, morbis, ac aliis necessariis Novitii fecit Monasterium. Resp. I. Novitii neque ad tria vota, neque ad præcepta, neque ad statuta, neque ad horas Canonicas per se, & directè, ac sub culpa tenentur Sanch. *lib.* 6. *Moral. cap.* 10. *n.* 7. Roderiquez *qq. Regular. Tom.* 1. *q.* 21. *art. fin.* Sylvester ℣. *Religio*, 5. *q.* 6. Pirhing. *h. t. n.* 69. Pelliz. *Tom.* 1. *tr.* 2. *cap.* 6. *n.* 6. & communis aliorum contra Samiento *lib.* 2. *select. cap.* 5. *n.* 9. & nonnullos alios putantes, quòd, etsi Novitius non teneatur ex voto, aut vi Regulæ, teneatur tamen ex præcepto Superioris sub culpa ad Regularem observãtiam. Ratio nostrę Conclusionis patet, quia Novitii nec ad tria vota, nec ad aliã observantiam Regularem se obligarunt, sed solùm adsunt probaturi, & experturi Regularem observantiam.

Resp. II. Nihilominus ex honesta, & magna decentia ad 125
pręfata tenentur. Ita DD. cit. cum Sanch *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 2. Azorio *p.* 1. *lib.* 12. *c.* 9. *q.* 10. & aliis. Ratio est: tum quia *dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam*, c. *Recolentes*, 3. *de Statu Monach.* Tum quia juxta dicta, Novitii gaudent privilegiis Professorum; ergo æquum est, ut sentiant & onera eorundem, *arg. c. Qui sentit.* 55. *de Reg. Jur. in* 6. Accedit quòd alias facilè sequi possit perturbatio & confusio in Monasterio, ad quam evitandam suscipiendo Sacrum habitum tacitè se obligasse, meritò censentur.

Resp. III. Insuper tenentur Novitii sub pęna ad omnia 126
præfata, ita ut eam pro exigentia transgressionis, & arbitrio suo eis imponere possit Superior, quamdiu in Religione manent, ac in ea perseverare cogitãt. Layman *lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 3. Pirhing. *l. cit. n.* 96. & alii. Ratio est; quia natura probationis postulat, ut qui sub perpetua obedientia, ac aliis præceptis, & statutis vivere probat, non tantum in actibus obedientiæ probetur, sed etiam tentetur, num positas pro transgressoribus pœnas sustinere, suamque voluntatem & judicium abnegare possit, ac velit; aliàs enim sufficienter probari non posset.

Resp. IV. Novitius spontè, vel coactè egrediens ad nul- 127
las tenetur expensas in sui victum, vestitum, & in alia necessaria ac consueta à Monasterio factas, nisi de earum solutione pactum intercesserit inter Novitium & Monasterium, aut legitima extet consuetudo. Sanchez *lib.* 6. *Moral. c.* 10. *n.* 4. Sylvester ℣. *Religio*, 5. *q.* 8. Pelliz *Tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 6. *q.* 21. Pirhing *h. t. n.* 65. cum communi aliorum. Ratio est: tum quia juxta dicta *n.* 109. & *c.* 1. *ac* 2. *h. t. in* 6. Novitii debent posse *liberè* redire ad sæculum, si volunt, atqui sæpè non possent *liberè* redire, si tenerentur ad expensas, utpote quas vel non haberent, vel non nisi cum magna difficultate habere & dare possent: sicque quodammodò coactè manere deberent. Tum quia redditus Monasterii non tantum ad alendos Professos, sed etiã Novitios ordinati sunt: quia Religioni etiam exhibent sua ministeria; ergo dignũ est, ut à Religione, quamdiu serviunt sustententur. Nec refert, quòd expensæ subinde excedant ministerium Novitii; quia hoc prorsus per accidens est, nec Novitio daretur aliquid, casu quo labores ipsius excederent expensas Monasterii in sui sustentationem factas; prout facile contingere potest.

Dicitur autem notanter, *nisi de earum solutione pactum* 128
intercesserit, aut consuetudo existat (prout in multis Monasteriis Monialium contingit) tunc enim expensas à Novitio solvendas esse, tam citati, quàm alii DD. communiter observant, *arg. Concil. Trid. Sess.* 25. *de Regul. cap.* 16. ubi prohibetur aliquid dare vel accipere de bonis Novitii, excepto *victu & vestitu*: si enim pro hoc licet aliquid dare & accipere, licebit etiam pacisci, ut detur, quo facto, utique dandi erit obligatio; cum *Pacta servanda sint c.* 1. *& 3. de Pactis*: & *nihil magis humanæ fidei congruat, quàm id præstari, quod inter contrahentes actum est*. Notant Sanchez, Pelliz. & Pirhing *loc. cit.* non posse impediri Novitium ab egressu, donec solvat; sed si tunc non habet, aut solvere recusat, cum posteà

convenire, & sibi imputare debet Monasterium, quòd talem susceperit.

§. V.

De Renuntiationibus, Testamentis, & aliis Dispositionibus Novitiorum, & Ingressurorum Ordinem.

SUMMARIUM.

129 *Decretum Tridentinum de Renuntiationibus.*
130 *Comprehenduntur in eo omnes contractus, quibus læditur voluntas Novitii.*
131 *Ut donatio rei magni momenti.*
132 *Remissio debiti, vel obligationis.*
133 *Renuntiationes rerum & jurium, quæ habentur, & quæ sperantur.*
134 *Limitatur in donatione, & renuntiatione rei modicæ.*
135 *Renuntiationes sine forma Tridentini factæ sunt nullæ, etsi fiant cum conditione futuræ professionis.*
136 *Testamenta, ac reliquæ dispositiones mortis causa non subsunt Decreto Tridentino.*
137 *Novitii non obligantur facere Testamentum, possuntque illud facere omni tempore.*
Intestatis quis succedat? Ibid.
138 *Renuntiatio, vel donatio facta ante ingressum absque intuitu ingressus, non subest Tridentino.*
139 *Præsumitur tamen facta intuitu ingressus, si paulo ante illum fiat.*
140 *Pariter non subsunt contractus onerosi illi, quibus tantum recipit Novitius, quantum dat.*
141 *Renuntiatio ante ingressum, intuitu tamen illius facta, secundum aliquos non subest Tridentino Decreto.*
In dubio textus intelligi debet juxta Rubricam. Ibid.
142 *Particula* quoque *est continuativa: correctoria juris non sunt extendenda ob paritatem rationum.*
143 *Probabilius, Renuntiatio* nu. 141. *allegata, subest Tridentino.*
144 *Probatur principaliter ex identitate, ac majoritate rationis Trident. usque ad* n. 147.
147 *Ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio: & ratio legis est anima legis &c.*
148 *Lex pœnalis & exorbitans quando possit extendi?*
149 *Declarationes Cardinalium contra Renuntiationes in sæculo intuitu ingressus factas.*
150 *Respondetur ad fundamenta Adversariorum usque ad num. 153.*
153 *Ad valorem Renuntiationis Novitii vel ingressuri requiritur de Conc. Trid. ut fiat cum licentia Superioris.*
154 *Et intra duos proximos menses ante Professionem.*
155 *De requisitis ad Renunciationem hæreditatis futuræ Remissivè.*
156 *Renuntiatio in favorem Communitatis valet sine consensu illius, cujus hæreditati renuntiatur.*

129 NOtandum prius, circa hanc materiam celeberrimum extare Decretum in Concilio Tridentino *Sess. 25. de Regular. cap.* 16. sic sonans: Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio facta etiam cum juramento vel in favorem cujuscunque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante Professionem; ac non aliàs intelligatur, effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus. Circa hoc Decretum plura veniunt examinanda. Hinc

130 Quæritur I. Quinam actus comprehendantur nomine *Renuntiationis & Obligationis*, ita ut vi hujus Decreti sint irriti, nisi fiant juxta formam præscriptam? Resp. I. Comprehendi omnes tam lucrativos, quàm onerosos inter vivos contractus, quibus Novitii libertas Religionem deserendi, aliquando lædi posse, prudenter præsumitur. Est in re communis cum Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 5. num.* 30. Et quidem, quòd contractus comprehendantur, inde probatur, quia nomine *Obligationis*, (quæ in Decreto Tridentino expresse irritatur) omnes contractus veniunt, *arg. l. Omnes, 2. ff. de Novation. & l. Veluti, ff. de V. O.* sicut è contrà Contractuum appellatione veniunt *Obligationes, l. Labeo, §. Contractuum, ff. de V. S.*

Infertur, comprehendi I. Omnes donationes notabiles, 131
seu magni momenti. Sanchez *loc. cit. n.* 20. Molina *Disp.* 139. *n.* 15 Navarrus *lib. 3. consil. de Regular. consil.* 81. & 82. Menochius *de Arbitrar. Judic. centur. 5. casu* 436. *n.* 7. & 8. Pirhing *h. t. n.* 85. cum communi & certa aliorum. Ratio est: tum quia donatio est vera species renuntiationis & obligationis, *arg. cit. Juribus*. Tum quia non minus donatione rei magni momenti, quàm alia renuntiatione vel obligatione libertas egrediendi minuitur.

II. Continentur omnes remissiones debitorum, & 132
obligationum notabilium, ut si Novitius debitori suo remittat magnam summam sibi debitam, vel remittat Tutori, aut Curatori obligationem reddendæ rationis de bonorum administratione. Sanchez *loc. cit.* Navarrus *lib. 3. Consil. h. t. consil.* 83. & alii. Ratio est; quia & hujusmodi Remissiones sunt quædam species donationis, possuntque minuere Novitii libertatem ad egrediendum, ut consideranti patet.

III. Comprehenduntur renuntiationes & donationes 133
rerum, privilegiorum, & jurium non tantum, quæ actu quis possidet, sed etiam ad quas, vel quæ quis jus & spem habet, ut si quis in favorem alterius renuntiet futuræ hæreditati paternæ, maternæ, fraternæ, aut aliorum consanguineorum. Rursus communis & certa. Ratio est, quia universaliter & indistinctè quævis renuntiatio potens diminuere libertatem egrediendi è Religione, à Tridentino declaratur irrita; ibi: *Nulla quoque renuntiatio*; ergo etiam præfatæ renuntiationes, utpote species sub genere contentæ; cùm verba generalia generaliter sint intelligenda *C. quia circa, 22. de Privileg.* & quodvis genus semper includat species sub se comprehensas, *Arg. l. Omnes, de Præscript.* 30. Et *l. semper.* 147. *ff. de Reg. Jur.* ibi: *Semper specialia generalibus insunt*. Accedit, quòd de omnibus præfatis militet ratio Legis Trident. ut consideranti liquet.

Dicitur autem notanter, *quibus Novitiis libertas Re-* 134
ligionem deserendi aliquando lædi posse, prudenter præsumitur; quia unica intentio & finis Decreti Tridentini est, salvam conservare Novitii libertatem ad egrediendum; qui finis ubi cessat, etiam vis Legis cessat, *arg. l. quod dictum, ff. de Pactis*. Hinc donationes, remissiones, fidejussiones, eleemosynæ respectu facultatum habentis, modicæ, item rerum modicarum, vel jurium renuntiationes dicto Decreto non subsunt, hoc ipso, quòd prudenter præsumi nequeat, per eas Novitii lædi posse libertatem egrediendi. Sanchez *loc. cit. nu.* 22. & *seq* Pirhing *h. t. n* 85. & communis aliorum, *arg. cit. Trident.* ibi: *Ne hac occasione discedere nequeat*.

Resp. II. Cæterum Renuntiationes aut obligationes 135
de rebus magni momenti sine forma Tridentini factæ, irritæ sunt, etiamsi fiant cum expressa, vel tacita conditione securæ Professionis? v. g. si renuntians dicat; *Renuntio, vel dono tibi hoc, si Professionem emissurus sim; si verò iterum egrediar, vel ejiciar, meum manebit*. Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 5. nu* 17. Navarrus *lib. 3. consil. h. t. consil. 82. n. 2. & seqq.* Miranda *Tom. 1. q. 23. a. 2.* Layman *lib. 3. tr. 5. c. 7. n. 8.* Pirhing *h. t. n. 83.* & communior aliorum. Ratio est: tum quia Concilium universaliter quamlibet renuntiationem sine præscripta forma factam irritat; ergo & has, per Jura *n.* 133. citata: Tum quia etiam Renuntiatio facta secundum præscriptam formam includit hanc tacitam conditionem, ut Professione non subsecuta, sit nulla, uti expresse ibidem statuitur; & tamen necessariò fieri debet secundum præscriptam formam; ergo eadem forma necessaria erit ad valorem, etiamsi fiat cum expressa conditione, quòd Professione non subsecuta sit nulla; quia taciti & expressi idem est judicium, *l. Cum quid. 3. de rebus credit.* & frustrà exprimitur, quod jam intelligitur, *l. Cornelia, ff. de Hæredit. instit.* & *l. Hæc verba, ff. de Legat. I.* habetur enim pro expresso, quod tacitè subintelligitur, *l. Fideicommissa* 11. *§. Si filio ff. de Legat. III.* Accedit ratio; quia licèt Novitius facta renuntiatione sub conditione futuræ Professionis, liberè possit exire, utpote recuperaturus bona, quibus renuntiavit: tamen non exibit sine difficultate, libertatem aliquo modo minuente, dum considerat, quòd varias querelas, indignationes, murmurationes, & ob-

& oblocutiones facturi sint consanguinei, vel quibus bona renuntiavit: quòd si in favorem Monasterii renuntiavit, hoc studebit eundem variis modis ad manendum & profitendum inducere, ex quo utique libertas iterum patitur. Layman, & Pirhing *loc. cit.*

136 Quæritur II. Quinam actus, obligationes, aut dispositiones non subsint sæpè citato Decreto Tridentino? Resp. I. Testamenta, ac aliæ dispositiones mortis causa non subjiciuntur dicto Decreto, adeoque valent sive ante, sive post ingressum fiant, etsi non condantur juxta formam in præfato Decreto præscriptam; dummodò habeant cætera Juris requisita. Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 5. num. 12. & 13.* Conclusionem dubio carere asserens, Miranda *loc. cit. a. 4.* Roderiquez *Tom. 2. q. 48. a. 9.* Navarrus *lib. 2. qq. Can. cap. 1. à nu.* 31. Lessius *de Justit. & jur. lib. 2. cap. 41. dub. 4. n. 40.* Donatus *Tom. 2. tr. 7. q. 30.* cum communissima aliorum. Ratio est: tum quia Testamentum, ac aliæ dispositiones mortis causa, puta Codicilli, Donationes mortis causa &c. nec renuntiationes, nec obligationes sunt; nec in minimo lædunt libertatem Novitii, & consequenter in eis ratio Decreti nullatenus militat, hoc ipso, quòd ex natura sua ante Professionem & pro libitu à Novitio revocari valeant; uti citati DD. bene observant. Conclusio ulteriori probatione non indiget, quia pro ea expressa adest Declaratio Cardinalium SS. Concilii Interpretum apud Fagnanum.

137 Hic etiam illud notandum, quod nulla in Jure existat obligatio Novitios vel Ingressuros Religionem stringens ad condendum Testamentum, vel aliam voluntatem ultimam. Unde si omittunt testari, succedit Monasterium bonorum capax, vel consanguinei ab intestato, si Monasterium successionis incapax est, uti Religio nostra Seraphica. Cæterum nil refert sive ante, sive post ingressum, sive ab initio, sive ad finem anni probationis, aut in medio fiat testamentum; aut alia dispositio ultima, prout communiter notant DD. de testamentis, & patet ex dictis.

138 Resp. II. Allegato Decreto Trident. pariter non subsunt, & consequenter absque forma ibidem præscripta validæ sunt renuntiationes, & obligationes omnes, quæ ante ingressum, & absque intuitu ingressus in Religionem, sive sine animo eam ingrediendi fiunt; etiamsi posteà ingressus contingat. Sanchez *loc. cit. num. 2.* Layman *lib. 3. tr. 5. cap. 7. num. 8.* Pirhing *h. t. n. 80.* & communi aliorum. Ratio est: tum quia intentio Concilii Tridentini sola fuit, prohibere illas Renuntiationes &c. quæ intuitu Religionis fiunt, & liberum impediunt egressum. Tum quia alias magna in commercio humano sequeretur confusio, dum nullus securus esset, nec scire posset, utrum [illegible] Renuntiationes, & obligationes absque intuitu Religionis sibi factæ, firmiter subsistant, hoc ipso quod renuntians adhuc Religionem ingredi, atque ingrediendo [illegible] posset renuntiationes à se factas.

139 Notant tamen communiter DD. cum Sanchez [illegible] *cap. 1. nu. 6. & seqq.* si donatio vel renuntiatio omnium, vel majoris, aut notabilis partis bonorum fiat paulò ante ingressum; in foro externo præsumatur intuitu ingressus facta. Ratio est; quia verisimile non est, quòd quis sponte se spoliet tota, vel majore, vel notabili parte bonorum nisi ob causam securæ Professionis, utpote postquam bonis hujusmodi non amplius indiget, *arg. L. 25. prin. ff. de Probat.*

140 Resp. III. Insuper à Decreto Tridentino eximuntur contractus onerosi illi, vi quorum Novitius, vel ingressurus tantum recipit, quantum dat, quales sunt emptio, venditio, locatio &c. Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 5. nu. 34.* Hyacint. Donatus *Tom. 2. tr. 7. q. 30. n. 5.* Layman *lib. 3. tr. 5. cap. 7. n. 5.* Pirhing *h. t. n. 87.* & communis aliorum. Ratio patet; quia in his contractibus nec in minimo læditur libertas Novitii, hoc ipso, quòd recipiendo tantum, quantum dat, à parte nihil perdat.

141 Quæritur III. Quas personas comprehendat Decretum Tridentinum? An nimirum de solis Novitiis, id est, ad jam ingressis, & habitu Religionis jam indutis, ac in probationis anno jam existentibus personis sit intelligendum; an verò extendendum ad illos, qui Religionem nondum ingressi, intuitu tamen, & causa ingressus [illegible] bonis suis renuntiant, existentes adhuc in sæculo? Duæ circa hanc summè controversam quæstionem celebres existunt sententiæ. Prima dicit, præfatum Decretum ad solos Novitios, & Novitias, seu actu jam ingressos, & in probatione jam existentes personas extendi, Sanchez *lib. 1. Moral. cap. 5. n. 4.* Fagnanus *in c. Statuimus, h. t. n. 42.* Menochius *de Arbitr. Jud. Centur. 5. casu 436. n. 4.* Hyacint. Donatus *Tom. 2. tr. 7. q. 20.* Barbosa *in cit. Trident. n. 18.* Eandem sententiam probabilem censet Pirhing. *h. t. n. 81.* Layman *lib. 3. tr. 5. cap. 7. num. 7.* & alii. Moventur *primò*; quia in dubio textus intelligendus est juxta Rubricam, sub qua existit; cum unusquisque textus congruis subdatur titulis, *Arg. l. si quid autem, §. Si quid verò C. de veteri jure enucleand.* cum concordantiis atqui Rubrica est de *Regularibus*, qualis minimè est existens adhuc in sæculo, etsi Religionem ingredi intendat, in eamque jam sit susceptus; ergo.

Secundò, quia *c. 16. dictæ Sessionis*, est continuativum 142
capitis prioris, ut patet ex particula *quoque*, ibi: *Nulla quoque renuntiatio*, cujus dictionis natura est copulare sequentia cum antecedentibus, *arg. §. prætorum quoque Instit. de jure natur.* atqui præcedens *cap.* expressè agit de solis Novitiis, uti legenti patet; ergo. *Tertiò*, quia præfatum Decretum Trident. est correctorium juris antiqui, consequenter non extendendum, etsi paritas urgeret rationis, *c. Quæ à jure, 28. de Reg. Jur. in 6.* & ib. Glossa. *Quartò*, quia ita declaravit S. Congregatio teste Sanchez, Donato, & Fagnano *loc. cit.* ob quæ fundamenta satis probabilis est horum DD. sententia. Qua non obstante

Resp. Spectando mentem Concilii, simulque jura & ra- 143
tiones, si non probabilior, certè æquè probabilis est sententia dicens, memoratum Decretum etiam ad illos extendi; qui Religionem quidem nondum ingressi tamen intuitu & causa ingressus bonis renuntiant, ut proin hujusmodi renuntiatio contra formam à Tridentino præscriptam in sæculo annunciata, penitus sit irrita. Navarrus *lib. 3. Consil. h. t. 81. & 82.* Menoch. *Consil. 388. n. 7. volum. 4.* Roderiq. *qq. Regul. tom. 2. q. 48. a. 8.* Molina *tr. 2. de Justit. disp. 139. n. 14.* Lessius *lib. 2. cap. 41. n. 42.* Flamin. Paris. *de Resig. benef. lib.* [illegible] *n. 9.* allegans Declarationem Cardinalium. Layman, & Pirhing *loc. cit.* Guttierez *in c. Quamvis pactum, de Pactis in 6. §. Dum nuptui tradebatur.* Sorbo *in Commend. Privileg. Vers. Novitius in Annot. de bonorum ipsorum Novitiorum dispositione.* allegans Declarationem Cardinalium, Lopez *lib. 2. de Contract. cap. 39. notabili,* 5. Probatur Conclusio *primò*, ex ipso textu Tridentini, utpote qui generaliter & absolutè loquitur de Renuntiationibus factis ante duos menses Professionem præcedentes, non restringendo ad eas solas, quæ fiunt tempore Novitiatus: ergo nec nos distinguere vel restringere debemus, cum *ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debeamus, l. de Pretio, ff. de Publician. in re act.* Præsertim quando de speciebus sub genere contentis eadem militat Legis ratio, prout res se habet in proposito, uti statim dicetur.

Probatur *secundò*, & quidem principaliter ex inten- 144
tione, fine, mente, & ratione Legis Tridentinæ, quæ æquè, imò magis militat in iis, qui Religionem nondum ingressi [illegible] & causa [illegible] quam in actualiter jam ingressis [illegible] siquidem, finis, mens [illegible] nes *cit. Sess. 25. de Regular. cap. 16.* prohibentis [illegible] tis, juxta ipsos etiam Adversarios unica & sola fuit, ut Novitiis plena remaneret libertas Religionem pro libitu iterum deserendi, si tempore probationis cognoscant, eam pro se minus quadrare; sive ne occasione factarum renuntiationum nolens volens manere debeant, dum vident, quòd bona sua, quibus jam renuntiarunt, non amplius, vel non nisi difficulter recuperare possint, consequenter sufficientia sustentationis media ad sæculum redeuntes non haberent, ibi: *Ne hac occasione discedere nequeat, quia totam vel majorem partem substantiæ Monasterium* ([illegible]) *alii possideant, nec facilè se discedere* [illegible] *possit.*

Atqui hæc ratio æquè, imò magis militat in proxime 145
ingressuris, quàm in jam ingressis, eò quòd antequam ingrediantur, [illegible] intelligant, magis adhuc subjiciantur imperio ac directioni parentum, tutorum, & consanguineorum, & plus habeant timoris reverentialis [illegible] *cap. Illud cau. 20. q. 1. & c. Cùm virum, 12. h. t.* con[illegible]

ad dandum ac renuntiandum facilius persuadeantur, præsertim cùm tunc temporis de rigore & circumstantiis Religionis nihil vel parum experti, pleni adhuc sint fervore, & de egressu nihil cogitantes, perpetuò manere firmiter proponant, & vel inde ad donandum ac renuntiandum temporalibus, ex se proni sint. Postquàm verò ingressi, & aliquamdiu ibidem permanentes, Religionis rigorem, aliaque circumstantias experti sunt, à molestiis consanguineorum, ac urgente eorundem præsentia liberi rem magis considerare, ac intelligere incipiunt, nec ad donandum, vel renuntiandum amplius tam faciles sunt præsertim quando, ut sæpè contingit, timere vel dubitare incipiunt, an rigorem Ordinis sustinere, an tentationes superare valeant, an hic status animæ saluti quadret, an Regularis disciplina hic benè vigeat, an non in alio statu, vel saltem in alia Religione securius ac facilius salvari possent: an non è Religione ob sanctitatis integræ defectum, vel ob alias rationes ejiciantur, &c. prout considerans quivis Adversarius fatebitur, & frequens probat experientia.

146 Quod ut magis pateat, ponamus casum, quo puella, vel Juvenis aliquis Nobilis 16. annorum, defacto pinguem jam habens, & majorem adhuc sperans substantiam & hæreditatem, ingenti desiderio flagret, mundum una cum vanitatibus & periculis suis deserendi, ac Deo in Monasterio aliquo perfectè serviendi; indeque in aliquo instantiam faciat, & suscipiatur: suscepta gaudio referta ad matrem, fratres, vel consanguineos revertitur, ibique omnium temporalium pertæsa, fervore plena, nil amplius desiderat, quàm ut [illegible] ingressus citò adveniat. [illegible] & hi ipsi pro interesse suo solliciti, [illegible], fratrem vel sororem, aut consanguineum usque ad tempus ingressus, ut fieri solet, humanissimè tractant, affectum erga eandem mirè contestantur, felicem laudant, quòd sæculum & cuncta sæcularia deserat & contemnat; donec pro intento suo eandem ad donandum & renuntiandum, quæ aliàs jam prona est, magis disponant. Ita dispositam, dein rogare incipiunt modò mater, modò fratres, modo consanguinei, ut eorum etiam memor esse velit; & quandoquidem in Monasterio (si hoc bonorum incapax est, uti Religio nostra Seraphica) nulla re amplius indigeat, vel certè modica: vel quia (si Monasterium sit bonorum capax, quod ingreditur) aliàs jam abundat, vel sufficientia habet, nec pluribus indiget, donec hanc summam Capitalem matri, illam Summam pecuniariam fratri habenti, vel acquisituro liberos, illa pretiosa Monilia sorori: & insuper pro conservando stemmate, & majori splendore renunciet etiam hæreditati futuræ maternæ, nec non sororum, aut aliorum consanguineorum: Puella, vel Juvenis Religionis Candidatus singulis gratificare desiderans, nec aliquem offendere, minus matrem contristari volens, [illegible], & eo libentius donat, vel renuntiat, quò minus de egressu cogitat, & Religionis adhuc inexpertus, fervore [illegible] potius in Religione mori, & omnia sufferre [illegible] tunc paratum se invenit; adeoque donando, & renuntiando majorem suam substantiam præsentem, & totam in spe futuram in alios transfert, & tandem Religionem ingreditur. Religionem ingressa Puella, vel Juvenis masculus sub anno probationis incipit sentire varias difficultates ac tentationes prius penitus improvisas, multaque experiri antea [illegible]: insuper tales circumstantiæ emergunt, [illegible] cognoscat, se planè Religionis hujus [illegible], & difficultates sustinere vel superare non valere, aut sine periculo animæ suæ manere non posse; vel [illegible] occultis defectibus corporis, aut [illegible] miseriis vel [illegible] subjectum esse, quos si manifestaret, à Religione etiam nolens ejiceretur & consequenter, nisi Ordini [illegible] gravamen & scandalum causaret, inseque [illegible] perturbatione & anxietate vivere, ac tandem [illegible] Religionem deserere [illegible] ram, [illegible] in [illegible] donando & renuntiando [illegible] ingressum in [illegible], & in futurum nihil amplius sperare [illegible] futurum beneficium, unde vel [illegible] valeat, consequenter ad sæculum [illegible] contemptus, ab aliis dependens, [illegible] diis in perpetua miseria vivere deberet; dum tamen in Religione manens saltem honesto victu & vestitu pro tempore vitæ gauderet. In hoc itaque & similibus casibus quæro ex Adversariis an non libertas egrediendi plurimum minuatur, si, quod ipsi volunt, Renuntiationes ante ingressum, intuitu tamen ingressus factæ valent? Item an non ratio Legis Tridentinæ, videlicet, ne per Renunciationes libertas egrediendi minuatur, hic æquè militet? Imò an non potius locum habeat, quàm in ipsis Novitiis, ac actu jam ingressis utpote qui sub anno probationis similia experientes, vel omninò non, vel non nisi cautè renuntiant &c: Certè nullus negabit, qui seposito propriæ opinionis affectu nudam veritatem considerat; quin fatebitur, quòd ob Renunciationes hujusmodi in sæculo factas, sublata, vel multum diminuta libertate Novitii, vel Novitiæ, plures, qui aliàs egressi essent, in Religione maneant, maximo cum periculo æterni interitûs, ac perpetuo, eoque multiplici præjudicio Religionis.

Ex hoc autem sic argumentor: ubi est *eadem ratio, eadem etiam est Legis dispositio, arg. l. Illud ad l. Jul.* cum concordantiis, apud Barbos. *de Clausul. V. Ratio*; cum juxta 147
illud vulgare: *Ratio Legis sit anima legis arg. can. Consuetudo dist. 1. & l. cum ratio ff. de Port. quæ liber.* Nec *debeat aliquis verba considerare* (intellige nudè ac simpliciter) *sed voluntatem, & intentionem; quia non debet intentio verbis inservire, sed verba intentioni*. Et certum sit, *quòd is committat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem Reg. 88. de R. J. in 6.* cum Concordantiis; & docent communiter DD. inter quos Abbas [illegible] *dient iam, de decim. n. 2.* & ad propositum sic ait: *Habent se verba, & intentio seu ratio, sicut corpus & anima: nam sicut anima dominatur corpori, ita ratio Legis dominatur verbis*. Atqui ratio finis, & intentio Legis Tridentinæ prorsus eadem, imò magis militat in iis, qui nondum ingressi, quàm in Novitiis, uti evidenter ostensum est; ergò æquè de illis quàm istis procedit, etsi expressè solum de his, non item de illis loqueretur.

Nec dicas, quòd Leges pœnales, & exorbitantes [illegible] 148
ce, seu correctoriæ juris communis, qualis est Lex Tridentina *Sess. 25. de Regul. cap. 16.* utpote [illegible] renunciationes jur communi validas, non [illegible] possint extendi ad casus similes non expressos, [illegible] eadem vel etiam major in iis militet ratio, [illegible] *cap. Quæ à Jure, de Reg. Jur. in 6.* & ibi Glossa. Non contra est; quòd etiam hæ Leges ex identitate, vel majoritate rationis extendi possint ac debeant ad casus non expressos, quando aliàs frustrarentur fine suo, prout cum Navarro *lib. 3. Consil.* [illegible], benè advertunt DD. *n. 143.* citati, [illegible] *de Sent. Excom.* & c. 2. *de usur. in 6.* juncta Glossa [illegible] *aliter facta*; atqui Lex Tridentina [illegible] Renuntiationes sine præscripta forma factas, [illegible] frustraretur effectu non etiam ad Renuntiationes adhuc in sæculo intuitu tamen ingressus factas extenderetur, eò [illegible] Candidatis ad easdem [illegible] frequentius quàm in Religione [illegible] præjudicio libertatis egre[illegible] prout patet ex dictis [illegible] salvam & integram [illegible] habet Concilium Tridentinum, uti patet ex dictis *n. 144.*

Probatur Conclusio [illegible] *num. 14[illegible].* posita principaliter. *Tertiò* ex [illegible] Declarationibus S. Congregationis Cardinalium [illegible] Concilii Tridentini Interpretum. Hujusmodi Declarationem [illegible] *de Resignat. Benefic. lib.* [illegible] *3. nu. 9.* refert [illegible] *lib. 3. Moral. cap.* [illegible] *num.* [illegible] aliquam etiam allegat [illegible] *in Compendio Privileg.* [illegible] *Novitius*, [illegible] quoque ex Marzylla *verbo Renunciatio* [illegible] *lib. 3. tract.* [illegible] *capit. 7. num.* [illegible] nis formalia sunt hæc: *Si* [illegible] *fuerit intuitu Religionis ingrediendæ* [illegible] *in fraudem hujus Canonis* [illegible] 149

Non obstant Conclusioni fundamenta [illegible] *n. 141.* [illegible] posita. Nam ad primum [illegible] licèt Concilii Tridentini *in cit. Sess. 25.* [illegible] tantum de Regularibus, tamen [illegible] bus actualibus, ideò etiam de [illegible] aper- 150

tè liquet ex *cap. 17. & 18. ejusdem Sess.* meritò: tum quia materia de ingressuris Religionem, indirectè etiam pertinet ad materiam de Regularibus: tum quia proximè accingendus habeatur pro accincto, *l. penul ff. de Milit. Testam. & l. Item legato, 47. § 1. ff. de Legat. III.* consequenter non obstante, quòd Rubrica sonet tantum *de Regularibus*, possumus extendere Legem etiam ad eos, qui in procinctu sunt ad statum Regularem assumendum, saltem, ubi ratio Legis eos quoque tangit, & aliàs Lex suo frustaretur fine, uti in proposito juxta dicta.

151 Ad *secundum* retorquetur argumentum: Dispositio Trid. *cit. Sess. 25. de Regular. cap. 15.* loquitur de solis illis Novitiis, qui professionem emittunt ante annum decimum sextum, & tamen ab Adversariis *capitulum sequens* extenditur etiam ad Novitios post dictam ætatem bonis suis renunciantes, non obstante, quòd dictum *cap. sequens*, 16. nempe, ratione dictionis *quoque* sit continuativum prioris: ergo etiam non obstante, quòd hac dictione *quoque* sequens capitulum eum præcedente continuetur, potest *sequens*, decimum sextum nempe extendi ad nondum ingressos, etsi præcedens de solis Novitiis loqueretur. Et Ratio est; quia *in sequenti cap.* est totaliter alia materia, aliaque, ac distincta Legis ratio & finis, qui omninò frustaretur, nisi præfata fieret extensio. Accedit, quòd neque *cap. 15.* expressè loquatur de Novitiis actu jam ingressis, sed tantum annullet professionem factam ante annum decimum sextum, quæ Lex certè afficeret etiam illum, ejusque professionem irritaret, qui habitu non suscepto in sæculo adhuc existens, consequenter non Novitius, sed purè sæcularis sine ulla probatione professionem emitteret, prout planè Adversarii negare non possunt; consequenter necessariò fateri debent, quòd sicut *cap. 15.* non de solis Novitiis, sed etiam de aliis loquatur, ita etiam sequens *cap. 16.* utpote continuativum prioris de aliis quoque intelligi debeat. Et per hoc non parum infringitur principale fundamentum Adversariorum.

Ad *tertium* patet ex dictis *num. 148.*

152 Ad *quartum*, opponuntur Declarationes contrariæ pro nostra Conclusione factæ juxta dicta *n. 149.* Pro reconciliatione autem Declarationum sibi contrariarum responderi potest cum Sorbo *l. cit.* Declarationes allegatas ab Adversariis loqui de Renunciationibus ante ingressum quidem, sed intuitu ingressus in eam factis (quas validas esse, & dispositioni Trident. non subesse, ipsimet fatemur juxta dicta *n. 138.*) Declarationes verò à nostris DD. adductas loqui de Renuntiationibus ante ingressum quidem, sed intuitu ingressus factis, prout patet ex formalibus Declarationibus *n. 149.* adductis. Quod si tamen Declaratio aliqua recentior contra Conclusionem nostram pro Adversariis extaret, ei utique standum foret juxta dicta in Prœmio §. 8.

153 Quæritur IV. Quænam solemnitates requirantur ad hoc, ut Renunciationes & obligationes ingredientium Religionem subsistant? Resp. Præter solemnitates Juris communis specialiter à Tridentino requiruntur duæ, videlicet *primò*, quod fiant *cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii*, textus expressus est in dicto Concilio Tridentino *Sess. 25. de Regular. cap. 16.* Unde licentia Superioris Ordinis etiam exempti non sufficit, uti contra Navarrum benè docet Roderiquez noster *tom. 2. q. 48. a. 4.* Mirand. *Tom. 2. q. 23. art. 6.* Sanchez *loc. cit. n. 74.* Pirhing. *h. t. n. 88.* Ratio est; quia etiam Exempti subsunt Jurisdictioni Episcopi in casibus a jure specialiter ad id expressis, qualis est Renunciatio ingredientium Religionem, per clarum textum; & meritò, ut sic excludatur omnis suspicio fraudis & doli, qui contra Regulares concipi posset: nam licentia & præsentia Judicis tollit omnem suspicionem fraudis & doli, *l. fin. ff. De eo, quod metus caus.* Fatentur tamen DD. citati, quòd in aliquibus Religionibus vi contrariæ consuetudinis legitimè introductæ valeant Renunciationes Novitiorum absque petita licentia Episcopi.

154 *Secunda* solemnitas est, ut fiat intra bimestre ante professionem. Communis ac certa: textu claro Concilii Trident. *l. c.* ibi *Intra duos menses proximos ante professionem*. Nec tamen requiritur, ut fiat integro bimestri ante professionem, sed tantum nè fiat ante illud: unde validæ erunt, etsi fiant ultima die, vel hora ante professionem, etiam in casu, quo professio differtur ut cum aliis ex textu benè inferunt Sanchez *loc. cit. n. 80* Pirhing. *h. t. n 89.* caretque controversia. Advertendum hic etiam, quod contra hanc solemnitatem non ita vigeat consuetudo, uti contra primam, licentiam nempe Episcopi.

Quæritur V. Quænam requirantur ad hoc, ut ritè fiat 155
& subsistat Renuntiatio, qua ingrediens Religionem renuntiat hæreditati futuræ paternæ, maternæ, fraternæ, sororum, consanguineorum? Item quomodò interpretanda? Resp. Præter duas solemnitates in proximis duobus numeris allegatas requiri insuper aliquas de jure communi, de quibus fusè tradita vide suprà *tit. 26. de Testam. §. 17. de Renunciat. hæreditatis*, ubi etiam invenies, quomodò sit interpretanda.

Solum notandum, quòd licèt *loc. cit. de Testam. n. 541.* 156
dictum sit, renunciationem hæreditatis unius, vel plurium in specie v. g. patris, matris, fratrum, sororum &c. in favorem tertii non valere, nisi fiat cum consensu illius, cujus hæreditati renuntiatur; tamen valeat hujusmodi Renunciatio, si Novitius, vel alius renunciat in favorem alicujus Communitatis, præsertim Ecclesiasticæ aut Religiosæ v. g. Conventus, vel Monasterii, etiamsi non fuerit requisitus consensus illius, cujus hæreditati renuntiatur. Ita cum Comeo *in l. fin. C de pact. Fallentia 3.* & aliis docet Sanchez *l. 7. Moral. c. 2. à n. 24.* Layman *lib. 3. tr. 5. c. 7. n. 3. q. 2. Limitat. 3.* Pirhing. *h. t. n. 90.* Ratio est; quia in tali Renunciatione cessat ratio & finis Legis prohibentis & irritantis Renunciationes hæreditatis alicujus in favorem tertii; periculum nempe captandæ mortis, *arg. c. Consultationibus, 4. de Donat.* ubi decernitur Præbendam viventis posse conferri Communitati, licèt non possit conferri privato, eò quòd in illa, non item in isto absit periculum captandæ mortis; prout benè advertunt Abbas *num. 3.* Anchoranus *nu. 3.* Joan. Andreas *n. 2.* & alii: tum quia bonum Communitatis regulariter non ita curatur ut proprium: tum quia quod Communitati datur, nemini datur, nec est singulorum, *arg. can. Episcopus §. Qui manumittitur, 11 quæst. 1.* Tum quia de Communitate nihil sinistrè suspicari licet, *arg. can. Absit. 14.* juncta Glossa V. *Sinistrum caus. 11. q. 3.* multò minus quid sinistrè præsumi potest de singulis alicujus Communitatis præsertim Religiosæ; cùm enim hi propter Christum propria reliquerunt, minimè censendi sunt inhiare alienis. Verum si ingrediens renunciat in favorem patris, matris, aut sororum, omninò requiritur consensus illius, cujus hæreditati renunciat per dicta *n. 541.*

§. VI.

De Professione Religiosa expressa, & tacita: item de requisitis ad eam, & variis modis eandem faciendi.

SUMMARIUM.

157 *Professio Religiosa definitur.*
158 *Alia est expressa, alia tacita.*
159 *Ad valorem Professionis plura requiruntur I. Ætas annorum sexdecim.*
160 *II. Annus probationis integer.*
161 *III. Ut fiat liberè sine metu gravi incusso.*
162 *Adducuntur ea, quæ gravem metum causant.*
163 *Arbitrium Judicis in quibus locum habeat?*
164 *Metus reverentialis quando censeatur gravis, consequenter sufficiens ad invalidam Professionem, usque ad num. 167.*
167 *IV. Requiritur acceptatio habentis potestatem recipiendi ad Professionem.*
168 *Potestas recipiendi ad professionem ad quem pertineat? usque ad n. 170.*
170 *Ratihabitio quando locum habeat?*
171 *Ad professionem expressam non requiritur certa verborum forma.*
172 *Potest fieri, verbis, scriptis, & signis.*
173 *Professio, & nomen Profitentis debent annotari.*
174 *Professio expressa per Procuratorem fieri potest.*
175 *Ac etiam sub conditione: & quomodò? Conditio quæ & quando suspendat actum? Ibid.*

176 *Novitiorum habitus triplex.*
177 *Professio tacita quomodò olim fiebat?*
178 *Induitur etiamnum post Concilium Tridentinum: & quomodò? n. seq.*
180 *Ut tamen subsistat, requirit certas conditiones.*
181 *Professio ex justa causa differri potest ultra annum.*
182 *Et in articulo mortis ante finitum annum fieri potest.*
183 *Quæ tamen Novitium reconvalescentem non obligat, nec alium effectum, quàm Indulgentias plenarias, & alias gratias spirituales causat.*
184 *Moniales ante Professionem examinari debent ab Episcopo.*
185 *Quòd si tamen examen omittitur, professio nihilominùs erit valida.*

157 Quæritur I. Quid, & quotuplex sit professio Religiosa? Resp. I. *Professio Religiosa* est promissio liberè facta, & legitimè acceptata, qua quis in debita ætate constitutus, post annum probationis expletum se adstringit certæ Religioni ab Ecclesia approbatæ. Est in re communis, & ex terminis clara, patebitque ex dicendis infrà *n.* 150. ubi examinabimus requisita ad validam professionem.

158 Resp. II. Professio Religiosa est duplex, *expressa* nempe, & *tacita*, textu claro *cap. 1. de Regular.* in 6. ibi: *Expressè, vel tacitè professa. Professio expressa* est, quæ fit verbis, vel scripto, vel utroque simul, vel etiam nutu aut signis. *Tacita* est, quando quis sine verbis vel scripto, signo vel facto alio externo mentem suam obligandi se ad tria vota, & certam Religionem manifestat, de qua infrà *num.* 176. *& seqq.* Ceterum in data explicatione *tacitæ & expressæ* Professionis DD. sine controversia conveniunt.

159 Quæritur II. Quænam ad valorem Professionis Religiosæ requirantur? Resp. Requiri plura. Patet inductione. Nam I. Requiritur legitima ætas, annorum videlicet sexdecim completorum. Omnes, ob claram dispositionem Tridentini *Sess. 25. de Regular. cap.* 15. ibi: *In quacunque Religione tam virorum, quam mulierum non fiat ante decimum sextum ætatis annum expletum &c. Professio autem anteà facta sit nulla &c.* per quod correctum est Jus antiquum, vi cujus sufficiebat annus pubertatis, exceptis Religionibus valdè asperis & severis in quibus Professionem ante plenam pubertatem, videlicet annorum octodecim, *l. Adrogato 40. ff. de Adoption.* emittere prohibebatur, ut liquet ex *c. Quia in Insulis 6. h. t.* quod idem à specialibus statutis in quibusdam Religionibus, v. g. in Ordine Minimorum S. Francisci de Paula etiam hodie adhuc observatur quæ statuta licèt sint observanda; tamen si contra eadem anno decimo sexto emitteretur professio, foret valida: quia tantum contra Legem prohibentem, non verò irritantem fieret, *arg. cit. cap. 6 h. t.* ibi: *Prohibemus*. Et hæc particula indicatur in definitione *num.* 157. posita per verba, *in debita ætate constitutus*.

160 II. Prærequiritur annus probationis completus, textu expresso Concilii Tridentini *loc. cit.* ibi: *Nec qui minori tempore, quàm per annum post susceptum habitum, in probatione steterit, ad professionem admittatur: professio autem anteà facta sit nulla &c.* Et quidem hic annus debet esse continuus juxta dicta *num.* 103. ac probabilius etiam de momento in momentum completus, per dicta *n.* 94. Hæc conditio insinuatur in definitione per verba *post annum probationis expletum*.

161 III. Requiritur, ut professio omninò liberè, libero consensu profitentis absque metu gravi, sive cadente in virum constantem ab externo injustè incusso fiat: Rursus unanimis, textu claro *cap. 1. h. t.* ibi: *Spontanea voluntate, cap. 1. de His, quæ vi metusque causa fiunt; can. præsens, 4. caus. 20. quæst. 3.* juncto Concilio Tridentino *Sess. 25. de Regular. cap.* 15 ubi inter causas reclamandi contra professionem prima ponitur, *si quis per vim, vel metum inductus est*. Ratio est; quia per professionem assumitur status ex natura sua non amplius mutabilis: unde sicut ob hanc rationem Matrimonium carnale metu gravi injustè incusso est nullum, ita & professio Religiosa tanquam Matrimonium spirituale. Dicitur notanter *absque metu gravi, seu cadens in constantem virum*, quia levis metus invalidam non reddit professionem, uti communiter advertunt DD. *arg. l. 3. ff. Ex quibus causis major*. Quid autem sit metus gravis, seu cadens in constantem virum, & quænam illum causare præsumantur, vide *Lib. 1. Tit. 40. de His, quæ vi metusque caus. §. 2.* ac etiam Sanchez *lib. 4. de Matrimon. à Disp. 4. usque ad 12.*

162 Inter causantia metum gravem ab omnibus numerantur I. Minæ vel periculum mortis, *cap. 6. de His, quæ vi metusque caus. l. Continet. ff. de Eo, quod metus caus.* quia *terribilium omnium terribilissimum est mors*, teste Phil. 4. *Ethic.* II. Mutilatio, item cruciatio corporis per carcerem, verbera, inediam, aut similia, *cap. Cum dilectus, 6. h. t. can. Si quis absciderit. dist.* 55. & *cit. cap. Continet.* 3. *Servitus, l. Ego puto,* 4. *Stuprum inferendum, l. Isti quidem, ff. eod.* 5. gravis metus Regis, *c. Ad audientiam, 4. de His, quæ vi metusque*, vel alicujus potentis, *l. fin. C. eod.* Item metus amissionis Patrimonii, vel confiscationis bonorum, *cap. Abbas, 2. hoc tit. & can. Presbyteros, distinct.* 50. Et ita teste Sanchez *loc. cit. disp. 5. num* 4. docent omnes, ob satis clara Jura.

163 Pariter conveniunt omnes, quòd in aliis malis, de quibus ex Jure non constat, an sint gravem metum causantia nec ne, recurrendum sit ad arbitrium Judicis; *arg. l. 3. ff. Ex quibus causis major.* ibi: *Sed non sufficit, quolibet terrore adductum fuisse, sed hujus rei disquisitio Judicis est*: quod tamen arbitrium adhibendum, & attendendum non est circa ea mala, quæ de jure pro insufficientibus habentur ad inducendum gravem metum, uti post Baldum *cap. 2. de His, quæ vi* benè observat Sanchez *loc. cit. num.* 2. quia arbitria dantur, & conceduntur in his, quæ sub certa regula comprehendi nequeunt, ob humanam varietatem, *arg. l. Non possunt, ff. de Legib.* Non item illis, quæ satis ex jure constant, *arg. c. 1. de Constitut.*

164 Notabilis, atque in praxi frequens est controversia, an etiam, & quando metus reverentialis sit gravis, consequenter sufficiens, ut invalidam reddat professionem. Navarrus enim *lib. 3. Consil. h. t. Consil.* 89. & in Manual. *cap 22 num.* 50. cum aliis apud Hyacint. Donatum *Tom. 2. tract. 11. quæst.* 10. & Glossa *in can. præsens, caus. 20. quæst. 3. versic. Patrem*, volunt, quemvis metum reverentialem causare invalidam professionem, *arg. l. Velle, 4. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel Domini*, & *can. præsens, caus. 20. q. 3.* & ibi Glossa, cit. *Hic habes, quòd timor patris impedit matrimonium spirituale*. Afferunt etiam pro sua opinione Cardinalium Declarationem, qua Professio cujusdam fœminæ declarata fuit nulla ob solum metum reverentialem.

165 Verum communior, ac probabilior docet, solum metum reverentialem regulariter loquendo, non censeri gravem, consequenter nec sufficientem, ut invalidam reddat Professionem, nisi alia concurrant; quæ homo difficilè à se repellere potest, & inde metum gravem in eo causare, meritò censentur, puta, precum, vel imperii sæpius repetiti importunitas, quæ utique efficere possunt, ut toties instanti contradicere quis non audeat: item minæ verborum, vel duræ tractationes: item si ii, à quibus Novitii ingressuri vita, & fortuna dependet, minentur, quod egresso nullum amplius subsidium, vel auxilium sint præbituri: quæ singula, & multo magis conjuncta viri prudentis arbitrio sufficere possunt ad gravem metum incutiendum, consequenter reddendam professionem invalidam, præsertim si persona aliàs sit timida, vel rudis, aut ad repellendas importunitates minus idonea. Sanchez *lib. 4. de Matrim. disp. 6. num. 7. & 17.* Hyancint. Donatus *loc. cit. num.* 5. Anchoranus *in c. 1. de Desponsat. impub. num.* 4. & ibi: Abbas *num.* 4. Layman *lib. 4. tr. 5. cap. 5. num.* 6. Pirbing *hoc tit. numer.* 120. Lessius *de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 17. num.* 35. & communissima aliorum, è quibus copiosum numerum specificat Sanchez *loc. cit.* Ratio est; quia solus metus reverentialis absque aliqua ex memoratis circumstantiis non videtur sufficiens ad terrendam personam constantem, & incutiendum ei timorem gravem, *arg. cap. fin. qui Clerici, & voventes*, ubi habetur votum emissum præcepto Regis, vel parentum, non esse

esse nullum, consequenter metum præcisè reverentialem non causare metum gravem, nec invalidare Professionem: Glossa *ibid. V. metu Regio*. Eandem sententiam sæpe tenuit Rota apud Donatum *loc. cit.* quam etiam refert Farinaccius *tom. 2. decis.* 579.

166 Nec obstant argumenta & Jura in contrarium allata, *n.* 164. quia intelligenda sunt, non de nudo metu reverentiali, sed vestito aliqua ex circumstantiis allegatis *n.* 165. prout liquet ex variis aliis Juris textibus, ubi dum ob metum reverentialem agnoscitur metus gravis, semper adest aliqua hujusmodi circumstantia, ut *can. Puellæ 8. caus. 20. q* 1. ubi ad annullandam puellæ professionem, præter metum reverentialem, qui ex imperio vel precibus parentum oriri solet, etiam requiritur coactio parentum, ibi: *Coactæ parentum imperio*. Simile quid habetur *c. Ex litteris de Desponsat. impub.* & *c. 2. de Pactis in 6.* cum Concordantiis, ubi præter metum reverentialem semper aliqua requiritur circumstantia v. g. minæ, vis, dolus &c. pro constituendo timore gravi. Plura de metu reverentiali nudo & circumstantiato vide apud Sanchez *loc. cit.*

167 IV. Ad valorem Professionis requiritur consensus, & acceptatio illius vel illorum, ad quos spectat, aliquem ad Professionem suscipere. Miranda *tom. 1. q. 24. art.* 3. Innocentius, & Abbas, ac alii Canonistæ *in c. Porrectum 13. h. t.* Pirhing *h. t. n.* 124. Laym. *lib. 4. tr. 5. cap. 5. n.* 5. Sanchez *lib. 5. Moral. cap. 4. n.* 62. Navarrus *h. t. Consil.* 4. cum communi & certa aliorum, *arg. cit. c. Porrectum, h. t.* ibi: *Et recipitur ab Abbate*, & *c. Ad Apostolicam 16. eod.* ibi: *Abbate per se, vel per alium Professionem recipiente.* Ratio est; quia professio est onerosus, & reciprocus contractus ultrò citroque obligans, Professum quidem ad observantiam Regularem; Religionem verò ad eundem alendum, & juxta Ordinis Constitutiones tractandum; consequenter consensus utriusque requiritur, sicut in aliis contractibus reciprocis, *arg. l. In omnibus 55. ff. de Obligat. & action.* Hinc etsi quis millies voveat tria vota, & certæ Religionis Regulam, non erit Professus illius Religionis, nisi ab habente potestatem accipiatur expressè vel tacitè, facto aliquo v. g. vel per signa consensum acceptantis sufficienter manifestativo, quod sufficere communiter DD. notant, ut à contrario tacita professio, tacitusque consensus profitentis sufficit; juxta dicenda infrà.

168 Residet autem de Jure communi potestas recipiendi Novitios ad professionem penes Superiorem Ordinis, præsertim Majorem, Generalem videlicet, aut Provincialem, ita tamen, ut priùs necessario requirere debeat Conventus seu Capituli, aut Fratrum non tantùm consilium, sed & consensum, prout cum communi ac probabiliori docet Miranda *tom. 1. qu. 24. art. 4.* Roderiquez *tom. 3. quæst. 17. art.* 7. Sanchez *lib. 5. Moral. cap. 4. nu.* 65. Pelliz. *tom. 1. tr. 3. cap. 3. q. 7.* Laym. *lib. 4. tr. 5. cap. 5. nu.* 5. Pirhing *h. t. nu* 32. contra Abbatem *in c. Apostolicam 16. num. 11. & 12. h. t.* & paucos alios, volentes sufficere, si Prælatus consilium, & consensum à Capitulo, seu Conventu requirat, etsi non obtineat. Nostra autem doctrina probatur ex *arg. c. Ea quæ 6. de His, quæ fiunt à Prælat.* Ratio est: tum quia *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*, juxta *Reg. 29. jur. in 6.* tangit autem totum Conventum, ne aliquis eorum Communitati incorporetur inidoneus, qui eis occasio offensionis, scandali, perturbationis, aut alterius damni esse posset: Tum quia ita habet universalis consuetudo omnium Religionum, teste Navarro, Roderiquez, & Sanchez *loc. cit. Consuetudo autem est optima Legum interpres, l. Si de 37. ff. de Legib.* Non requiritur tamen, ut singuli consentiant, sed sufficit, si major pars consensum præstet, ut citati DD. cum aliis docent, per Jura *in tit. de His, quæ fiunt à majori parte Capituli*. Dicitur autem notanter *de jure communi*, quia ex consuetudine, vel statutis particularibus benè fieri potest, quod potestas recipiendi ad professionem, ad solum spectet Superiorem; quod etiam supponi videtur *c. fin. h. t. in 6.*

169 Illud etiam unanimiter concedunt Doctores, posse Superiores aliis committere, ut nomine suo recipiant Novitios ad Professionem, *arg. cap. Ad Apostolicam 16. h. t.* ibi: *Abbate per se, vel per alium Professionem recipiente*. Ratio est: quia *potest quis per alium, quod potest facere per seipsum, cap. Potest 68. de Reg. Jur. in 6.* Porrò si vi consuetudinis aut statuti ad solum superiorem spectat, Novitios recipere ad professionem, eo defuncto nequit Conventus eos recipere: secùs verò, si ad Superiorem & Conventum simul spectat, textu expresso *cap. fin. h. t in 6.*

170 Advertendum insuper, quod si professio est nulla, non quia Conventus vel Superior consensum negavit, sed quia non fuit requisitus, valida fiat, si non requisitus eandem postea ratam habeat. Pellizar. *tom. 1. tract. 3. cap. 3. num.* 11. Pirhing *h. t. num.* 136. Ratio est; quia quæ ab initio non valent ex defectu consensus, valida fiunt postea consensu subsequente. *Leg. Qui solvend. Digest. de Hæredibus Instit. & l. fin C. de Pactis.* Nam *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari non est dubium, cap. 10. de Reg. Jur. in 6.* dummodò etiam nomine illius, seu ad ratificationem ejus, qui consensum præstare habet, susceptio fiat, uti benè notat Pirhing *loc. cit. quia ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum, cap. 9. de Reg. Jur. in 6.* & dummodò usque ad ratificationem voluntatem suam non retractaverit nulliter professus.

171 Quæritur III. Qua forma, ac quibus modis fieri possit professio Religiosa expressa? Resp. I. Ad valorem *Professionis expressæ* non requiritur certa verborum formula, sed sufficit quævis, quibuscunque tandem verbis concepta, dummodò quis per ea ad tria vota ac certam Regulam se adstringere reverà intendat, etiamsi ex consuetudine vel statuto Religionis certa profitendi formula habeatur. Miranda *tom 1. quæst. 24. art. 1.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 5. nu.* 1. Pirhing *h. t. num. 96. & seqq.* Abbas & communis aliorum, *arg. cap. Porrectum 13. h. t.* Ratio est; quia *nihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem dicuntur, c. Nihil obstat de V. S.* quamvis expediens omninò ac conveniens sit, ut adhibeatur ea, quæ de statu vel consuetudine Religionis est.

172 Resp. II. Potest insuper *Professio expressa* fieri vel verbis oretenus prolatis, vel scriptis, vel etiam signis, ac nutibus: ut si v. gr. dicat Prælatus, visne vovere Religionem nostram, & Novitius annuat capite &c. Sanchez *lib. 5. Moral cap. 3. n. 2* Miranda *loc. cit.* Layman *loc. cit.* Hyacinth. Donatus *tom. 2. tr. 10. qu.* 4. Pirhing *h. t. loc. cit.* Ratio est; quia nullibi in Jure reperitur, verba, vel scripturam pro valore Professionis esse necessariam. Nec facit contra Conclusionem *can. fin. caus. 20. q. 1.* ubi expressè dicitur, Professionem debere fieri in scriptis. Respondetur enim cum Glossa ibi: *V. Scriptis*; requiri scripturam; non quod sit necessaria scriptura, sed ut scriptura propria obviet ei, qui controvenit, *arg. c. Saluberrimum caus. 1. q. 7.*

173 Hinc Clemens VIII. apud Donatum *loc. cit.* statuit, ut in Conventu, ubi induuntur Novitii, habeatur liber, in quo cujusvis Novitii Professio registretur, annotando diem, mensem, annum, cum Novitii nomine, cognomine, & patria, quod Professus etiam unà cum testibus subscribere debet, simulque fateri, quod liberè fuerit professus, uti censuit S. Congregatio Cardinalium apud Donatum *loc. cit.* Eandem annotationem Professionis in libro, & subscriptione profitentis præcipiunt nostra statuta Generalia *cap. 2. §. 5. nu.* 13.

174 Resp. III. *Professio expressa* potest etiam per Procuratorem fieri. Miranda *tom. 1. q. 24. art. 1.* Roderiquez *tom. 3. q. 17. art. 13.* Sanchez *lib. 3. n 7.* Donatus *loc. cit. q. 3.* Pirhing *h. t. nu.* 101. & communis aliorum. Ratio est; tum quia quivis actus per Procuratorem fieri potest, nisi à Jure specialiter sit exceptus *L. 1. §. Usus ff. de Procur. & c. Potest. 68. de reg. jur. in 6.* hic autem actus nullibi reperitur exceptus: ergo. Tum quia valet argumentum à Matrimonio carnali ad spirituale, *arg. c. Inter corporalia de Translat.* atqui Matrimonium carnale per Procuratorem fieri potest; ergo & spirituale. Requiritur tamen ad hoc speciale mandatum, & ut Principalis usque ad tempus Professionis, potestatem Procuratori datam non revocet, etiam per actum internum, quia tunc deesset consensus necessarius, *arg. c. fin. de Procurat. in 6.* ubi etiam dicitur, quod Procurator specialiter ad id deputatus non possit alium deputare.

175 Resp. IV. *Professio expressa* insuper fieri potest sub conditione de præsenti, præterito, & futuro, dummodo non sit contra substantiam Professionis. Sanchez *lib. 5. Moral. cap. 4. n. 87.* cum communi aliorum. Ratio est; quia in Jure nec prohibetur, nec irritatur Professio sub conditione. Solùm notandum, quod si conditio sit de præsenti, vel præterito, Professio non suspendatur, sed subsistente conditione illicò valeat; deficiente vero, statim sit nulla juxta omnes; si verò sit de futuro, suspendatur usque ad ejus adventum, *c. Super eo de Condit. apposit.* Ratio est; quia natura hujus conditionis est, ut actus valorem suspendat usque ad ejus adventum, *l. Si ita stipulatus fuero ff. de V. O.* nisi fuerit de futuro necessariò eventuro, ut si quis dicat: *Profiteor si sol cras orietur*, tunc enim Professionem non suspendi, sed statim valere docet Sanchez *loc. cit. n. 5.* cum communissima aliorum, *arg. l. Pupillus 9. §. Qui sub conditione ff. de Novat.* ibi: *Qui sub conditione stipulatur, quæ omninò extitura est, purè videtur stipulari.* Ratio est; quia talis conditio jam censetur præsens in sua causa naturali. Et hinc etiam Matrimonium carnale sub tali conditione initum non suspenditur, sed statim valet, ut cum communissima aliorum docet D. Thomas *2. 2. dist. 28. q. un. art. 3.* Sanchez *de Matrim. lib. 5. disp. 2. n. 2.*

176 Quæritur IV. Quibus modis olim fiebat, & an hodie adhuc post Concilium Tridentinum fieri possit *Professio Tacita?* Ante responsionem notandum, diversum & quidem triplicem pro diversitate Religionum, & consuetudinis, ac Constitutionum earundem esse habitum Novitiorum, ut bene advertit Glossa communiter recepta *in Clem. 2. §. Deinceps h. t. Primò* enim in aliquibus Religionibus est penitus indistinctus ab habitu Professorum, de quo *c. 1. h. t. in 6. Secundò*, in nonnullis Ordinibus est quidem distinctus, sed latenter, seu non patenter, ut si habitus Professorum solet benedici, non habitus Novitiorum, *cit. c. 1. h. t. in 6. Tertiò*, in pluribus Religionibus est patenter & manifeste distinctus ab habitu Professorum, *c. Constitutionem 3. h. t. in 6.* v. g. quia habitus Novitiorum est albus, Professorum verò niger: vel quia habet alia externe patentia signa, uti in Provincia nostra, ubi ad Novitiorum habitus appenduntur petia ad distinctionem habitus Professorum.

177 Resp. I. Tribus potissimum modis olim Jure antiquo fiebat, & inducebatur *tacita Professio*, prout cum communi aliorum advertit Sanchez *lib. 5. Moral. cap. 3. nu. 19.* Miranda *tom. 1. q. 24. art. 6.* Pirhing *h. t. num. 104.* Layman *lib. 4. tr. 5. cap. 5. Primò*, quando quis per integrum annum gestavit habitum in Religione, in qua habitus Novitiorum ab habitu Professorum est indistinctus, prout habetur *c. 1. de regular. in 6. & Clem. Eos qui eod. Secundò*, quando quis in pubertate existens, in Religione, ubi habitus Professorum ab habitu Novitiorum patenter est distinctus, per triduum etiam infra annum probationis sciens & volens gestavit habitum Professorum, textu claro *c. Constitutionem h. t. in 6.* quamvis non determinate in illa; cujus habitum portavit, sed generaliter in aliqua Religione manere teneretur, prout clarè habetur *cit. c. Constitutionem in 6. Tertiò*, quando quis actibus Professorum propriis ultrò se se ingerebat, v. g. in Capitulo suffragium ferebat, vel munus Abbatis, vel Abbatissæ assumebat, vel coronam à solis Professis gestari solitam portabat, prout amplius demonstrat Fagnanus *in c. Vidua 4. h. t.* probans id ex *eod. c. & can. Vidua 34 caus. 27. q. 1.*

178 Resp. II. *Professiones tacitæ* per Concilium Tridentinum non sunt revocatæ, sed adhuc fieri censentur; & validæ existunt, uti in Jure antiquo, dummodo concurrant ea, quæ *loc. cit.* à Tridentino sunt præscripta, videlicet, quod Novitius annum decimum sextum jam compleverit, & per annum integrum in probatione, seu in Novitiatu steterit. Miranda *tom. 1. q. 24. a. 12* Roderiquez *tom. 3. q. 17. a. 1. & 2.* Navarrus *lib. 3. Consil. h. t. consil. 28. n. 5.* Sanchez *lib. 5. Moral. cap. 3. n. 36.* Barbosa *in cit. c. Vidua n. 3. h. t.* Layman *loc. cit. n. 1.* Pirhing *h. t. n. 115* cum communi & certa aliorum. Ratio patet; quia Concil. Trid. uti ex textu liquet, nihil de Jure communi correxit; nisi quod imposterum Professio ante annum decimum sextum completum, & præcedentem integrum probationis annum valide fieri nequeat, quod autem specialiter non est correctum, manet sub antiqua Juris dispositione, *arg. cap. Susceptum 6. de rescriptis in 6.*

179 Infertur proin, quod si quis hodie expleto anno decimo sexto, annoque probationis finito ingerat se actibus Professorum propriis, vel portet habitum Professorum ab habitu Novitiorum patenter distinctum; sive etiam habitum Novitiorum patenter indistinctum ab habitu Professorum, *tacitè profiteri* censeatur, prout DD. citati & sæpè declaravit S. Congregatio Concilii Tridentini teste Fagnano *in c. Ad nostram h. t. n. 7. & 8.* ubi etiam, sicut & in *c. Vidua h. t. nu. 20.* docet, quod ad valorem *tacitæ Professionis* non requiratur, ut Novitius expleto probationis anno per *triduum* perseveret in gestatione habitus Professorum patenter distincti ab habitu Novitiorum, vel etiam in habitu indistincto, vel actu Professoris proprio, *arg. Clem. Eos h. t.* ibi: *hoc ipso*. Ratio est; quia *tridui* perseverantia intelligi debet de tempore Juris antiqui, ubi annus probationis non erat necessarius ad valorem professionis, consequenter per *triduum* expectabatur, an constanter & animo profitendi id faceret Novitius. Post Concilium verò, ubi annus probationis integer necessarius est, finito tali anno *triduum* illum amplius non requiritur, hoc ipso, quod finito anno suscipiens distinctum habitum, & exercens actum Professoris, meritò præsumatur, id animo profitendi facere.

180 Resp. III. Ut autem *Professio tacita* valida sit, requiruntur, & olim jam requirebantur plures conditiones. *Primò* quidem requiritur acceptatio & consensus illius, qui potest ad professionem suscipere. Abbas *in c. Vidua, h. t. n. 5.* Roderiquez *tom. 3. q. 13. n. 1.* Sanchez *loc. cit. nu. 14.* & communis aliorum, per ea, quæ diximus *nu. 167. Secundo*, quod Novitius sciat, per talem actum, gestationem v. g habitus Professorum induci *Professionem tacitam*, ita DD. citati, atque Pirhing *h. t. n. 114.* Ratio est quia *ignorantis non est consensus*, per vulgaria. *Tertiò*, necesse est, ut fiat animo, & voluntate profitendi. Rursus citati DD. cum communi & certa aliorum, *arg. cap. 1. h. t.* Ratio est; quia animus & consensus novitii ad valorem *Professionis expressæ est* necessarius; ergò multò magis ad *tacitam Professionem*. Unde si Novitius certò sciat se animum, aut voluntatem non habuisse, in conscientia non obligatur, sed potest discedere, ac etiam nubere, si nullum scandalum, aut majus damnum inde sequatur. In Foro externo tamen præsumitur Professus, etsi asserat, & juramento affirmet, se nullam intentionem aut propositum profitendi habuisse, textu claro *cit. c. Vidua h. t.* nisi alio modo legitimè probet, se absque animo profitendi, similes actus exercuisse, ut si testes adducat, qui protestantem audierunt, se per dictum actum minimè velle profiteri. *Quartò* requiritur, ut liberè sine gravi metu, absque ulla vi id, quod *tacitam Professionem* inducit, exerceat, Sanchez *loc. cit. n. 15.* & alii, textu expresso *cit. c. Vidua h. t.*

181 Quæritur V. Utrùm professio differri possit ultra annum? Ratio dubitandi desumitur ex Concilio Tridentino *Sess. 25. de regular. cap. 16.* ibi: *Finito tempore Novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio ejiciant*: quo non obstante Respondetur, omninò posse ex justa aliqua causa, si nempe finito anno Novitiatus non inveniatur habilis, Professionem differri. Roderiquez *tom. 3. q. 13. art 10* Miranda *tom. 1. q. 25. art. 11.* Barbosa *in cit. Concilium Trid.* plures alios allegans, cum communi. Ratio est; quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* tantùm intelligendum est de habilibus, ibi: *habiles*, ita ut hos finito anno admittere, vel rejicere teneantur Superiores, consequenter, si finito Novitiatu, aliquem nondum habilem deprehendant, ejus professionem differre possunt, uti teste Roderiquez *loc. cit.* declaravit Pius V. *dummodo habeant spem probabilem, quod efficiantur habiles intra sex menses*, prout expresse subjungitur in citata Declaratione Pii V. quam lege apud Roderiquez.

182 Quæritur VI. An etiam aliquando ante annum probationis finitum valide fieri possit professio: & quem effectum habet talis professio? Resp. Affirmative in casu, quo Novitius, vel Novitia versatur in probabili periculo mortis, dummodo decimum sextum annum jam compleverint. Roderiquez *tom. 3. qu. 15. art. 16.* Miranda *tom. 1. q. 22. art. 10.* Pelliz *tom. 1. tr. 2. c. 2. q. 3.* Fagnanus *in*

in c. Ad Apostolicam h. t. n. 32. & c. Sicut nobis eod. à n. 7. Sanchez *lib. 5. Moral. c. 4. nu. 16.* Probatur ex Bulla Pii V *Summi Sacerdotis cura*, quam refert Rodriquez *loc. cit.* simulque ostendit, eam non esse revocatam à Gregorio XIII. prout aliqui, sed pauci volebant. Verba Bullæ Pii V. ad propositum ita sonant: ibi: *Monialibus Novitiis* (S. Dominici) nunc & pro tempore existentibus, & eorum singulis, ut quando, & quoties aliqua ex iis nondum professa, de alicujus Medici consilio, ab hoc sæculo transitura conspicitur, ipsa pro consolatione animæ suæ professionem prædictam ante tempus requisitum quatenus tamen in ætate legitima constituta sit ad illam emittendam in manibus Abbatissæ, vel Priorissæ, vel alterius Superioris Novitiarum ipsius Monasterii, seu domus, ita tamen, quod ipsæ Moniales Novitiæ sic decedentes, indulgentiam, & alias gratias, quas Moniales verè professæ consequuntur, consequi possint, emittere in articulo mortis libere, & licitè valeant, Authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, &c. Nec non ita professis decedentibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam, in forma Jubilæi misericorditer in Domino elargimur. Quæ gratia licet solis Monialibus S. Dominici sit concessa, uti patet ex textu, nihilominùs ob communicationem Privilegiorum etiam ad alias Religiones extenditur, uti benè advertunt DD. citati.

183 Qui tamen controve[illegible] talis Professio valeat, ita, ut Novitius vel [illegible] spem convalescens ad eam obligetur, [illegible] emittere necesse habeat; Item an præter [illegible], & gratias spirituales, etiam alios effectus [illegible] Professionis habeat, consequenter [illegible] bonorum capax, [illegible] Novitii decedentis succedat? Affirmativam [illegible] defendunt Pelliz. *loc. cit. h. 5. &* [illegible] Diana *par. 5. tr. 3. resolut.* [illegible] Lezana [illegible] & quidam alii, eo ducti fundamento, quod etiam Matrimonium carnale in articulo mortis contractum, [illegible], & prolem legitimam efficiat. Verùm probabilior videtur sententia negativa, quam tenet Roderiquez, Mirandà, & Fagnanus *loc. cit.* Et probatur ex ipso textu Bullæ, ibi: *Ita tamen, quod ipsæ Moniales lucrentur indulgentias &c.* quibus verbis Pontifex expresse limitat & restringit concessionem suam ad solas indulgentias, & gratias spirituales: cùm alias verba hæc [illegible] essent superflua, nec ullum haberent effectum, [illegible] etiam absque hac speciali concessione Mo[illegible] indulgentias ex professione valide [illegible] effectus asserat etiam indulgentias [illegible] petentium, & concedentis [illegible] obtinere indulgentias, & gratias spiritua[illegible] patet ex textu, ibi: *Saluti, spiritualique consol*[illegible] *Item: pro consolatione animæ suæ*; ergo non debe[illegible] extendi, præsertim, quia dicta concessio est con[illegible] Concilii Tridentini, nempe *Sess. 25. de regul*[illegible] enim sunt contraria Jure communi extendi non [illegible] *c. Quæ à Jure 28. de reg. jur. in 6.* etsi concurrat [illegible], seu majoritas [illegible], prout cum communi [illegible] ipsi fatentur Adversarii post Glossam ibidem communiter receptam. Nec quidquam facit fundamentum Adversariorum, eo quod Matrimonium carnale pro sui va[illegible]llum requirat tempus probationis, uti Professio [illegible], potestque validè contrahi in articulo mortis [illegible] privilegio; non sic autem Professio Religiosa [illegible] magna est disparitas.

184 Quæritur VII. An, & quid speciale circa Professionem Monialium? Resp. Eam habere illud speciale, quod Superioribus Monasteriorum etiam *exemptorum* non liceat Novitias Moniales ad Professionem admittere, donec prius puellæ voluntas diligenter fuerit explorata, & examinata, *an* [illegible] *an sciat, quid agat &c.* Ad quem finem tenentur Superiores ante ultimum Novitiatus [illegible], certiorem reddere Episcopum futuræ Professionis [illegible], ut in tempore per se, vel per alium officiosius [illegible] queat. Omnes, ob claram dispositionem Concilii Tridentini *Sess. 25. de regular. cap. 17.* ibi: *Libertati professionis Virginum Deo dicandarum prospiciens S. Synodus* [illegible] *atque decernit, ut puella* [illegible] *Professionem non* [illegible] *quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus, ab eo deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit? & quid agat, sciat? cujus Professionis tempus ne Episcopus ignoret; teneatur Præfecta Monasterii eum ante mensem certiorem reddere, quod si non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.* Hac de re etiam sequentia statuit Pius V. teste Barb. *in Conc. Trid. loc. cit.* Volumus etiam, quod puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactæ, vel seductæ fuerint? examen faciendum non nisi infra quindecim dies, postquam juxta Conc. Trident. Episcopi, vel eorum Vicarii requisiti fuerint, fieri possit, quibus elapsis amplius in hoc se intromittere illis non liceat: cujus occasione nec Episcopus nec ejus Vicarius intra septa Monasterii ingrediantur, sed stent ante ferream cratem, & interrogationes alias, quam eas, quas Concilium præfatum jubet, ab eis fieri omninò prohibemus: ac simul volumus, quod puellæ seu Novitiæ ipsæ ad alias interrogationes minimè teneantur.

185 Advertendum tamen ex Fagnano, quod licet graviter peccent Superiores, absque dicto examine puellam ad Professionem admittentes, tamen Professio valida sit, prout contra plures Decisiones Rotæ apud Pignatell. *tom. 9. consult. 173. n. 229.* declaravit S. Congregatio apud Fagnanum.

§. VII.

De effectibus Professionis Religiosæ: Item de Professione invalide facta, ac de Reclamatione contra eam: nec non de Ratificatione ejusdem.

SUMMARIUM.

186 *Professio Religiosa est vinculum indissolubile.*
187 *Tollit omnes pœnas peccatorum, & affert indulgentias plenarias.*
188 *Extinguit omnia vota ante* [illegible] *etiam votum intrandi strictiorem* [illegible]
189 *Aufert irregularitatem ex Natalibus, in ordine ad suscipiendos Ordines.*
190 *Dirimit Sponsalia, & Matrimonium* [illegible].
191 *Liberat à patria potestate, in odiosis.*
192 *Inhabiles ad actus temporales, reddit* [illegible]
193 *Impedit exhæredationem.*
194 *De Reclamatione contra Professionem nullam, Decretum Tridentini.*
195 *Contra Professionem ex quacunque causa, nulla potest fieri Reclamatio.*
196 *Conditiones ad reclamandum contra Professionem requisitæ usque ad n. 200.*
200 *Debet fieri intra quinquennium.*
201 *Putant aliqui fieri posse etiam post quinquennium.*
[illegible] *Fit conclusio contraria.*
[illegible] *quando currat ignoranti?*
[illegible] *quinquennium auditur quis per viam restitutionis* [illegible]
Et quomodo? Ibid.
205 *Qui certò scit, se* [illegible] *non potest, nec exauditur, non tenetur* [illegible] *ratificare, in occulto discedere, & dimitti potest. Et num. seq.*
207 *Nudè asserenti etiam juranti non creditur nisi circumstantiæ fidem mereantur.*
208 *Nulliter professo, si absque scandalo discedere nequit, quid faciendum? Et n. seq.*
210 *Pot*[illegible] *percipere alimenta, & ferre suffragia: quomodo?*
[illegible] *Error communis pro*[illegible] *præsumptum. Ibidem.*
211 *Nulliter professus, si professionem ratificare non vult, tenetur discedere, quamprimum sine scandalo potest.*
212 [illegible] *faciendum dubitanti, an valide professus sit?*
213 [illegible] *professio tacitè, & expresse.*
214 [illegible] *impedimentum nunquam potest* [illegible] *ficare.*
215 *Ad hoc, ut ratificatio valeat, debet ratifi*[illegible] *pro-*

professionem suam primò emissam fuisse nullam. Et num. seq.

Ignorantis nullus est consensus. Ibid

217 *Consensus novus Religionis ad ratificationem professionis non requiritur, si fuit solùm nulla ex defectu consensus in profitente. Et nu. seq.*

219 *Neque requiritur, si ex alia causa fuit nulla.*

220 *Probatur ex Declaratione Cardinalium.*

221 *Et clausula Rescriptorum.*

222 *Atque ratione.*

223 *Papa supplet etiam consensum Religionis.*

224 *Doctrina practica pro ratificantibus professionem. Et num. seqq.*

186 Quæritur I. Quinam sint effectus, vel quænam prærogativa Professionis Religiosæ? Resp. Eos plures esse, atque præstantes, præcipue verò sequentes. I. Est obligatio perpetua ad tria vota substantialia, & manendi in Religione, ita ut nec mutuo Religionis ac Professi consensu tolli possit. Communis ac certa, *arg. c. cùm ad Monasterium 6. h. t. & can. Quod Deo 4. caus. 33. q. 5.* & patet ex usu, & traditione omnium Religionum. An autem, & quomodo Papa dispensare in hoc puncto valeat? dictum est suprà *n. 7.*

187 II. Per Professionem Religiosam tolluntur quoad pœnam omnia peccata Professi, si in statu gratiæ eam emittit: existenti tamen in peccato mortali primam gratiam non confert, nec tolli peccata quoad culpam, D. Thomas *2. 2. quæst. 189. art. 3. ad Tertium.* Roderiquez *tom. 2. quæst. 88. art. 1.* Miranda *tom. 1. quæst. 25. art. 8.* asserens conclusionem esse certissimam; Sanchez *lib. 5. Moral. cap. 2* [illegible] *3. cap. 4. n. 12.* Layman *lib. 4. tract.* [illegible] cum communi aliorum, *arg. can. Quis aliquando 37. §. His authoritatibus*, ubi dicitur, quod ingredientibus Religionem nulla amplius pro commissis criminibus pœnitentia sit injungenda. Concordat *Novell. 5.* ubi Justinianus Imperator *in Princ.* sic fatur: *Conversationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam detergat.* ubi Glossa *V. Maculam*, explicat, *id est, purgat à peccatis.* Ratio est; quia quando homo tantum præstat, ut plus præstare nequeat, tunc ex meritis Christi plene satisfacit Deo pro peccatis suis; atqui hoc facit, qui Professionem emittit, hoc ipso, quod non tantùm cuncta sua bona, sed & animam & corpus divino obsequio in perpetuum offerat, juxta dicta superiùs §. 1. Hinc SS. Patres ut S. Hieronymus *Epistola 8. & 25.* S. Bernard. *lib. de præcepto, & Dispens. ad finem*, professionem communiter vocare solent *Secundum Baptisma.* Notant insuper DD. præsertim Sanchez *loc. cit.* Pelliz. *loc. cit.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 10. n. 1.* Hanc, quæ per Professionem acquiritur, remissionem peccatorum, modo securiori, & perfectiori [illegible], quam per indulgentiam, esseque ab hac distinctam. Rationem dant; quia indulgentia est quædam concessio Papæ, causam concedendi, & alias conditiones requirens: at verò in professione aliud non requiritur, quam ut subjectum sit capax, cùm natura & præstantia ipsius operis per modum cujusdam justæ solutionis ex meritis Christi remissionem peccatorum obtineat. Imò addunt Laym. Pelliz. *loc. cit.* Sà *vers. Religio* & alii contra Sanchez, hanc plenariam omnium peccatorum remissionem obtineri, quoties Religiosus renovat professionem suam etiam privatim quod utique consolatorium est. Illud insuper certum est, quod emittentes professionem habeant indulgentias plenarias ex concessione Summorum Pontificum, ut Pauli V. In Constitutione *Romanus Pontifex* quæ est 21. in Bull. Cherub.

188 III. Extinguit omnia vota simplicia prius emissa, Pelliz. *loc. cit. q. 6. n. 19.* Sanchez *loc. cit. n. 36.* eoque [illegible] textu claro *c. Scripturæ de Voto*; ibi: *Reus fracti voti* [illegible] *non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum* [illegible] *Religionis observantiam commutare.* Amplius etsi quis voverit aliam Religionem etiam strictiorem intrare, textu expresso *c. Qui post 5. h. t. in 6.* ubi etiam [illegible] habetur, ibi: Qui post votum à se de certa Religione [illegible] Religionem aliam etiam laxiorem [illegible], & profitetur in ipsa, potest voto non obstante [illegible] impleat per votum solemne

noscitur derogatum) manere licitè in eadem. Pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda:

IV. Aufert irregularitatem ex Natalibus provenientem, in ordine ad suscipiendos Sacros Ordines, non item ad Prælaturas, textus est *in c. 1. de Filiis Presbyt.* ibi: *Ut filii Presbyterorum, & cæteri in fornicatione nati ad S. Ordines non promoveantur, nisi Monachi fiant &c. Prælationem autem nullatenus habeant.* Irregularitates tamen alias, ex aliis culpis, vel defectibus provenientes non tollit, ut cum communiori & probabiliori aliorum benè docet Sanchez *loc. cit. n. 9.* Layman *loc. cit.* Roderiquez *tom. 1. q. 13. a. 3.* Pelliz. *loc. cit. num. 33.* Navarrus, & alii. Ratio est; quia de illa sola, & nulla alia, & quidem ad solum effectum suscipiendi Ordines sacros Professioni hunc effectum tribuunt Jura, consequenter ad alios cum Jurium correctione non debemus extendere, *arg. c. Quæ à Jure de reg. jur. in 6.* 189

V. Dirimit non tantùm sponsalia, sed etiam Matrimonium contractum, nondum consummatum: de quo infrà *lib. 4.* 190

VI. Liberat Professum à patria potestate. Sanchez *lib. 5. Moral. cap. 5. n. 29.* Covarruvias *in c. Quia nos de testam. n. 5.* Layman *lib. 4. tr. 5. cap. 10. n. 5.* Pirhing *h. t. n. 41.* cum Glossa communiter recepta, *in l. Si ex causa §. Papinianus ff. de Min.* Ratio est: quia à die Professionis illicò transit Professus in potestatem Superioris Regularis, eique plene subjicitur; consequenter à patria potestate eximitur, putà, in quantum ei est odiosa Professio, non item in quantum eidem est favorabilis, uti DD. citati cum aliis communiter notant; quia, *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, *c. Quod ob 16. de regul. jur. in 6.* & hinc jura suitatis [illegible] cessionis retinet Professus: & è contra, si post Professionem filio bona obveniunt, ad peculium [illegible] castrense referuntur. *Autb. Presbyteros C. de Episc. & Cleric.* 191

VII. Tollit maculam quoad actus temporales, ita ut alias ratione perjurii, furti &c. Ineptus ad ferendum testimonium in judicio, testis in eodem, & ad similes alios actus idoneus fiat. Sanchez *loc. cit. nu. 27.* Layman *loc. cit. n. 4.* Pelliz. *tom. 1. tr. 3. cap. 4. n. 40.* [illegible] *in fine de judic.* & ibi Glossa [illegible] recepta, *arg. Novell. 5. in princip.* ibi: [illegible] *honesta &c. ut omnem humanam maculam* [illegible] 192

VIII. Tollit filii ingratitudinem [illegible] parentes, ita ut ab his exhæredari nequeat [illegible] datio anteà facta, ac Testamento [illegible] subsistat, dummodo Professio ante mortem parentis emittatur, ut ampliùs diximus suprà *Tit. XXIII. de Testam. n. 505.* ubi vide. 193

Quæritur II. Quid Juris in casu, quo Professio ex defectu [illegible] ex [illegible] requisitis, vel ex alia causa sit invalida? [illegible] an-nempe? quando? & quomodo contra eam reclamasse, eaque non obstante Religionem deserere possit nulliter professus? Resp. I. Principaliter circa hoc attendendam esse dispositionem Conc. Trid. *Sess. 25. de regular.* [illegible] cunque Regularis prætendat, se per vim, [illegible] esse Religionem, aut [illegible] debitam professum fuisse [illegible] dimittere, quacunque [illegible] ante [illegible] dere sine licentia Superiorum, non audiatur, [illegible] quinquennium tantùm à die Professionis [illegible] nisi causas quas prætenderit [illegible] Superiore suo, & Ordinario. Quod [illegible] dimiserit, nullatenus ad allegandum [illegible] admittatur, sed ad Monasterium [illegible] & tanquam Apostata puniatur: interim [illegible] nullo privilegio sui Ordinis juvetur. Hucusque Concilium. 194

Ex hoc Decreto Doctores communiter [illegible] runt certa, quædam dicunt & disputant [illegible] certum primò, quod reverà detur jus [illegible] tra Professionem nulliter factam. [illegible] docent secundò, hoc jus competere [illegible] sonæ, tam viris quam Monialibus, [illegible] Pelliz. *tom. 1. tr. 3. c. 5. n. 34.* [illegible] communi, *arg. Quicunque*, hic enim terminus [illegible] los, quam fœminas comprehendit, [illegible] rum & communiter concessum est [illegible] clamationem contra Professionem [illegible] que causa sit nulla, v. g. [illegible] 195

justo metu emissa, vel ante debitam ætatem naturalem, vel ante finitum annum probationis: vel sine licentia aut acceptatione legitimi Superioris &c. textu claro *in cit. Trid.* ubi postquam aliquæ causæ enarratæ fuere in specie, subjungitur, *vel quid simile*, & *quacunque de causa.*

195 *Quartò* communiter DD. deducunt tres conditiones ad legitimam reclamationem necessarias, quarum unam si negligit, non auditur, sed ad Monasterium redire cogitur, vel nondum egressus ibidem manere compellitur. *Prima* est, ut ante deductionem, & probationem irritæ Professionis coram legitimo Judice faciendam, habitum non deponat, nec etiam absque licentia Superioris cum habitu propria authoritate discedat, textu claro *n. 194.* posito; nisi forsan justam causam cum, vel sine habitu fugiendi, ac discedendi habeat, v. gr. quia alias ad Superiorem vel Ordinarium venire, & causam suam debite proponere nequit; ut si Superior localis non audit, nec licentiam discedendi ad majorem Superiorem præbet, sed potiùs ut suspectum violenter detinet, aut carceri intrudit, Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 37. nu. 3.* Pelliz. *tom. 1. tr. 3. cap. 5. n. 40.* Navarrus *Comment. 4. de regular. in fin.* Pirhing *h. t. n. 152.* Roderiquez *tom. 3. q. 17. a. 16.* Miranda *tom. 1. q. 30. a. 6.* Azorius, Bonacina, & communis aliorum. Ratio est; quia Concilium solùm prohibere, ac punire intendit temerarium, ac præsumptuosum discessum, vel habitus dimissionem, non verò eam, quæ fit urgente, & justa de causa.

197 *Secunda* conditio est, ut causam nullitatis Professionis ante egressum coram Superiore suo, & loci Ordinario legitime deducat, & probet, patet ex textu ibi: *Et tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario.* Intelligitur autem hic per Superiorem Superior localis, seu Conventus, aut Monasterii, v. g. Prior, Guardianus, Abbas &c. & non supremus Ordinis vel Provinciæ, uti communiter tradunt DD. signanter Pelliz. *loc. cit. n. 35.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. par. 3. alleg. 104.* Hyacint. Donatus *tom. 1. tr. 12. q. 19.* Pirhing *h. t. n. 151.* estque sæpe decisum à Rota, nisi aliud habeant Religionum statuta & consuetudines, uti post Bordon *tr. de Profess. cap. 7. nu. 29.* bene observat Pelliz *loc. cit.* indeque infert, in Societate eorum, hujusmodi causam deduci debere coram Provinciali, idque ob specialem gubernationis modum in Societate vigentem. Idem sane in Provincia nostra observandum, ubi Guardianus hujusmodi causam juridice tractare non posset, sed ad Provincialem remittere deberet. Per Ordinarium autem juxta omnes, intelligitur Episcopus Diœcesis illius, in qua existit Conventus, seu Monasterium nulliter professi, prout teste Barbosa *loc. cit.* & Hyacint. *loc. cit.* sæpiùs declaravit S. Congregatio.

198 Porrò debet deductio causæ fieri coram Superiore Religionis & Ordinario conjunctim, seu copulative, ita DD. citati, Ricc. *in praxi aurea, resolut. 20.* Tamb. *tom. 3. disp. 6. quæst. 26. n. 3.* inde bene inferentes, quod si Ordinis Superior privative in causa procedens, Professionem declaret nullam, & propterea Religiosum dimittat, vel ejiciat, eum iterum revocare, & ad Ordinem recipere teneatur. Ratio est; quia forma procedendi à Tridentino præscripta requiritur, ut *conjunctim* procedatur, per particulam *& ordinario*, quæ particula regulariter est copulativa, seu conjunctiva, *arg. l. Si quis ita stipulatus, ff. de V. Obl.* cum Concordantiis.

199 Porrò ad probandam causam invalidæ Professionis non sufficit nuda assertio, etiam juramento firmata, ut bene advertit Sanchez *l. 7. de Matrim. disp. 37. num. 14.* Cajet. *2. 2. q. 88. a. 1.* Hyacint. Donatus, & communis aliorum. Ratio est; quia contra eum etiam jurantem stat præsumptio Juris, & de Jure *Concil. Trident. loc. cit.* adversus quam in foro externo nulli creditur.

200 *Tertia* conditio est, ut causæ nullitatis intra quinquennium à die Professionis proponantur, textu claro Concilii Tridentini *loc. cit.* ibi: *Non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die Professionis &c. causas deduxerit &c.* Verùm quia circa hanc conditionem gravis inter DD. est controversia. Hinc

201 Quæritur III. Specialiter an non dentur casus, in quibus etiam post quinquennium contra nullitatem Professionis legitime reclamare possit, & audiendus sit nulliter professus? præcipuè an non in casu, quo ignoravit nullitatem Professionis, aut alias impeditus fuit ad reclamandum intra quinquennium? Affirmative respondent plures, ut Doctissimus Navarrus *l. 3. Consil. consil. 23. n. 3. h. t.* Roderiquez *tom. 3. q. 17. a. 16.* Suarez *tom. 3. l. 7. cap. 4. n. 6* Lezana, & plures alii citati à Barbosa *in Concil. Trid. loc. cit. n. 8.* & Hyacint. Donatus *tom. 2. tr. 12. q. 13.* tum quia impedito non currit tempus, *arg. c. Imperatori, de R. J. in 6* & *l. 1. in fin. C. de Annali excep.* Inter impedimenta autem specialiter numeratur ignorantia, ignorans enim experiendi non habet potestatem. *l. Annus, ff. de Calum* Tum quia alias nulliter professus privaretur jure suo sine sua culpa & causa, quod iniquum videtur, *arg. cit. c. Imperatori, de R. J. in 6.* præsertim si ignoravit, Professionem suam esse irritam, eò quòd nec negligentia nec culpa imputari queat ignoranti, *l. Argumentum, ff. Commodati*, quo non obstante

Resp. II. Via ordinaria post quinquennium in foro externo non amplius auditur reclamans contra Professionem, etiamsi alleget, & probare paratus sit, quod intra quinquennium ignoraverit nullitatem Professionis suæ, vel alias absque culpa sua à reclamando impeditus fuerit. Sanchez *de Matrim. l. 7. disp. 37. n. 18.* Hyacint. Donatus *loc. cit. n 4.* Pelliz. *tom. 1. tr. 3. c. 5. n. 45.* Pignatell. *tom. 3. Consul. 37.* ac plures alii. Probatur ex ipso textu Triden. ubi expresse habetur, quod *quinquennium currat à die Professionis tantùm*, ubi ponderanda particula *tantùm*, quæ est exclusiva, affirmans id, quod ponit, & negans omnes alios casus, præter expressos, *l. ob æs C. de Prædiis Minor. & l. Contractus, de R. J.* cum Concordantiis Dein etiam considerandum, quod dixerit Concilium, *à die Professionis*, & non à die notitiæ vel cessantis impedimenti currere quinquennium ad reclamandum, concessum. Accedit, quod alias non obviaretur litibus, nec Religiones gauderent tranquillitate, quod tamen fuit præcipua intentio ac mens Concilii Tridentini. Hyacint. Donatus, & Sanchez, *loc. cit.* Confirmatur, vel potius principaliter probatur ex repetitis Declarationibus Cardinalium apud Fagnanum. Similem etiam refert Hyacint. Donatus *loc. cit. n. 8.* Pignatell. *loc. cit.* quam etiam confirmavit Gregorius XIII. prout idem refert Pignatell. illis verbis Felicis Recordationis Gregorius XIII. ex sententia Congregationis Concilii declaravit eos, qui per vim ac metum se ad Religionem professos prætenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso non esse audiendos, tametsi allegent vim, & metum semper durasse. 202

Nec obstant fundamenta in contrarium: quia licet si tempus præfixum est in negligentis odium, non currat ignoranti, aut alias impedito *per Jura allegata*; currit tamen eisdem, quando non in odium negligentis, sed in alterius favorem præfigitur, uti bene docet Glos. *in cap. Statutum, V. Numerandum, de Præb. in 6.* Covarruvias *in c. 3. de Testam. n. 4.* Guttierez *lib. 2. Practic. qq. q. 91. n. 4.* Abbas *in c. Quia diversitatem, de Concess. Præb. nu. 8.* & communis aliorum, Sanchez *loc. cit.* rem amplius probans: atqui quinquennium ad reclamandum à Concilio Tridentino non fuit determinatum in odium negligentis reclamare, sed ob bonum commune, & in favorem Religionis, ne discolorum litibus & motibus continuò vexetur aut turbetur. Nec refert, quod ignorantes, vel alias impediti priventur suo jure sine culpa; tum quia saltem non privantur sine causa, quæ est bonum commune & communis tranquillitas Religionum; ob quod bonum commune etiam in materia præscriptionis quis sine causa privatur jure suo: quamvis enim de jure nemo puniatur sine culpa, & causa, tamen punitur sine culpa, cum causa. Tum quia adhuc habet beneficium Restitutionis in integrum, ac libertatem discedendi saltem in foro interno. 203

Resp. III. Non obstante Conclusione præcedenti, post elapsum quinquennium gaudet adhuc beneficio restitutionis in integrum, ad hoc ut audiri debeat is, qui intra quinquennium vel nullitatem Professionis suæ ignoravit, vel alias à reclamando impeditus fuit, Sanchez *loc. cit. nu. 22.* Hyacint. Donatus *loc. cit. q. 14.* Barbosa *loc. cit. n. 9.* ac plures alii ab Hyacint. citati: quod ipsum docuimus, & probavimus *in lib. 1. tit. 11. de in integrum restit. n. 89.* ubi etiam *n. 91.* addidimus nulliter professum, non nisi à Papa restitui posse ad hoc ut post lapsum 204

quin-

quinquennii adhuc audiatur, consequenter nulliter professum S. Congregationem Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum, vel aliam negotiis Regularium præpositam adire debere. Id ipsum quod Hyacint. Donatus quoque *loc. cit. nu.* 14. docet, simulque cum aliis advertit, hoc beneficium impetratu difficile esse, nec concedi solere, nisi Orator causas nullitatis Professionis unà cum causa, ob quam intra quinquennium non potuit reclamare, in Libello supplici priùs explicet, ac de eis priùs saltem summariè cognoscatur. Item quod clausulæ in Rescripto obtento exactè observentur &c ut proin post quinquennium contra Professionem reclamare etiam per viam extraordinariam difficillimum, nec facilè suadendum sit.

205 Quæritur IV. Quid faciendum nulliter Professo, qui coram Deo, & in conscientia saltem certò scit, quod ejus Professio sit nulla, eò quòd v.g. tantùm ficte, ac sine animo sese obligandi eam emiserit, vel gravi metu injuste incusso professus sit, vel aliud essentiale requisitum v.g. ætatem legitimam non habuerit &c. & tamen in foro externo id probare non potest: vel ultra quinquennium nullitatem ignorans, primum post elapsum quinquennii illam cognoscit: aut ea prius cognita, usque ad lapsum quinquennii impedimentum reclamandi patitur? Resp. I. Si talis Religionem saluti suæ proficuam æstimat, in eaque manere vult, res difficultate caret, solum enim opus est, ut Professionem ratificet modo infrà à *n.* 213. dicendo.

206 Resp. II. Si nulliter professus cognoscit, Religionem sibi minùs convenientem, aut nimis difficilem, vel ex alia ratione manere non vult, nec hactenus Professionem suam ratificavit, non tenetur ratificare Professionem, nec manere in Religione, sed potest tuta conscientia in occulto discedere, ac etiam nubere, dummodo sine gravi scandalo, aut alio majori incommodo, ac præjudicio abire possit. Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp.* 37. *nu.* 11. Layman *lib. 4. tr. 5. c. 5. n. 7.* Navarrus *l. 3. Consil. consil.* 89. *de regular.* Pirhing *h. t. n.* 184. Hyacint Donatus *tom. 2. tr. 12. quæst.* 21. & communis aliorum. Ratio est; quia Professio Religiosa est arduum opus consilii, ad quod nemo tenetur, neque cogi potest invitus. Nec obstat, quod Ecclesia tamen cogat manere in Religione, *arg. Concil. Trident. Sess. 25. de regul. c.* 19. Nam contra est, quod id non faciat, ut ad Professionem adigat, vel eam validet, aut validam à parte rei declaret, sed quia præsumit, talem vel ab initio valide fuisse professum, vel saltem Professionem ratificasse, quæ præsumptio in conscientiæ foro cedit veritati, ut bene notant citati DD.

207 Addit Sanchez *loc. cit. n.* 13. Layman *loc. cit.* & alii, etiam Superiorem, si certò credit, subditi Professionem invalide fuisse emissam, & postea non ratificatam, posse cessante scandalo occulte dimittere talem, non obstante Decreto Trident. utpote, quod pro foro externo ex titulo præsumptionis latum, non ligat in foro externo, quando veritatem præsumptioni contrariam esse, constat. Nude tamen asserenti, quod ficte tantùm professus sit, nec pro foro interno adhiberi debet fides: nisi attentis circumstantiis prudentissimus quisque conjiceret, talem vera loqui; quia non est major ratio, cur tali potiùs tunc sit credendum, quam anteà, dum Professionem simulavit. Sanchez *loc. cit. n.* 14. Cajet. 2. 2. *q.* 88. *a.* 1. ac plures alii à Sanchez citati. Cæterùm notanter dicitur in Conclusione, *si absque scandalo*. Nam

208 Resp III. Si nulliter professus absque scandalo, aut alio majori incommodo, vel gravi præjudicio Religionis occulte discedere nequit, neque in foro externo auditur, vel auditus probare nullitatem Professionis non potest, expedit, ut à Prælato, vel Confessario aut alio disponatur ad ratificandam Professionem. Layman *loc. cit.* quod si ratificare nolit, periculo scandali durante discedere non potest, sed debet manere, ac exspectare, donec commoda occasio sine scandalo occulte fugiendi se offerat. Sanchez *loc cit. n.* 38 *& seqq* Pelliz. *tom. 1. tr. 3. cap. 1. n.* 48 *& cap. 3. n* 56. cum communi Primam partem, quod disponi debeat ad ratificandam Professionem, suadet prudencia; nisi forsan Professus experientia compertum haberet, Religionem animæ suæ nocivam fore ob graves tentationes, v.g. quas teste experientia superare nequit; tunc enim non ad Professionem ratificandam, sed ad Religionem, quamprimum absque scandalo, & Religionis gravi præjudicio potest, deserendam, & ad nubendum disponi, eique id faciendi obligatio inculcari debet ex eo fundamento, quo Theologi communiter docent, eum, qui carnis tentationibus jugiter succumbit, ad nubendum teneri. Altera verò pars, quod videlicet ratificare non teneatur, si nolit: ratio jam suprà allegata est: quia videlicet Professio Religiosa est summe arduum consilii opus, ad quod nemo tenetur, hoc ipso, quod sit consilii, & non præcepti.

209 Quod autem durante manifesto scandali, aut gravis præjudicii periculo discedere nequeat, sed opportunam occasionem sine scandalo discedendi expectare debeat, rursus patet ex illis fundamentis Theologicis, quibus probatur, illum vel contra justitiam, vel contra charitatem graviter delinquere, qui grave præjudicium infert tertio, aut scandalum grave præbet; quia juxta verba S. Euangelii, *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Ob eandem rationem, scilicet, ut scandalum evitet, debet tamdiu in Religione commodam expectans discedendi occasionem manere, in publico servare vota, & Ordinis Regulam; quamvis absente scandali periculo ad ea in conscientia nullatenus teneatur; cùm professione existente irrita, nullo titulo ad ea obligatus sit, uti benè docet Sanchez *loc. cit.* cum communi aliorum.

210 Porrò donec occasio sine scandalo discedendi se offerat, potest quidem intereà à Religione licitè percipere alimenta, & alia sustentationis media; debet tamen in horum compensationem consueta Religioni præstare servitia, quibus si media pro se impensa non compensari cognoscit: insuper habere debet animum, suo tempore proportionatam faciendi restitutionem, prout ex titulo justitiæ benè docet Pelliz. *tom. 1. tr. 3. c. 5. n.* 10. Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp.* 37. *n.* 38. & alii. Pariter potest intereà temporis ferre suffragia, & alia peragere Jurisdictionis munera Religiosa, si absque scandalo, & gravi sui infamia ab eis abstinere nequit, suntque cuncta ab eo acta valida, Sanchez *loc. cit.* eò quòd error communis adsit, qui præbet titulum præscriptum, *arg. l. Barbatius ff. de offic. Prætor.* quamvis cessante scandalo & infamia, talibus actibus pro possibili abstinere debeat.

211 Cæterùm quamprimum occasio sine scandalo discedendi, aut via ordinaria, vel extraordinaria, per restitutionem nempe in integrum commode reclamandi, ac nullitatis causam præbendi se offert, tenetur illicò vel reclamare, si potest, vel occulte discedere, sive intra, sive post quinquennium occasio hujusmodi se offerat, si Professionem ratificare non vult: Pelliz. *tom. 3. tr. 3. cap. 5. n.* 47. & alii. Ratio manifesta est; quia non potest frui commodis Religionis, ejusque sustentatione gaudere, nisi velit esse Religiosus, aut in eo statu sit, quo hic & nunc sine scandalo discedere nequeat, juxta *n. præced.*

212 Quæritur V. Quid Juris, si nulliter professus dubitet an non tacitè, vel expresse ratificaverit Professionem, postquam jam scivit eam esse nullam. Resp. Si dubitat ante quinquennium, potest adhuc reclamare; si verò post quinquennium dubitat, tenetur manere, neque potest per viam restitutionis in integrum reclamare. Hyac. Donatus *loc. cit. q.* 9. & alii apud ipsum Ratio est; quia in dubio recurrendum est ad præsumptionem: hæc autem ante quinquennium stat pro Novitio, post quinquennium verò pro Religione, *arg. Concil. Trid. Sess. 25. de regular. cap.* 19.

213 Quæritur VI. An, & quomodo Professionem ratificare possit, aut debeat nulliter professus? & quæ requirantur ad validam ratificationem? Resp. I. Nulliter professus potest Professionem suam *tacite*, & *expresse* ratificare, nisi habeat perpetuum impedimentum. Quod possit *expresse*, tenent omnes, & communiter supponitur in Jure. Quod etiam *tacitè* possit, docent Sanchez *lib. 7. cap. 1. n.* 4 Layman *lib. 4. tr. 5. cap. 5. n.* 9. Pirhing *h. t. n.* 149. atque supponit Roderiquez *tom. 3. q. 17. a. 3.* & communis aliorum *arg. cap. 1. de His quæ vi.* Ratio est quia plus non requiritur ad Professionem primitus validè emittendam, quam ad eam ratificandam, atqui Professio primitus *tacitè* fieri potest; ergo etiam *tacitè* ratificari poterit. Modus autem, quo tacitè ratificari, idem est, quo primitus *tacitè* emitti potest, de quo vide suprà *n.* 177.

214 Dicitur notanter, *nisi habeat perpetuum impedimentum*, quia talis nunquam ratificare potest Professionem, sed vel

vel reclamare, vel occulte discedere semper tenetur prout benè docet Hyacint. Donatus *tom. 2. tract. 12. quæst.* 10.

215 Resp. II. Ad validam ratificationem Professionis requiritur, ut ratificans sciat, se priùs invalide fuisse professum. Navarrus *lib. 3. h. t. consil. 5. n. 15. & 28.* item *Consil. 39. n.* 4. & pluribus aliis in locis Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 37 n.* 59. Pelliz. *tom. 3. tr. 3. cap 5. n.* 57. Layman *loc. cit. n.* 9. Pirhing *h. t. n.* 149. & communis aliorum. Ratio est, quia sicut ad emittendam, ita ad ratificandam Professionem juxta omnes requiritur consensus & voluntas Profitentis; atqui ignorantis nullus est consensus, cùm incogniti nulla voluntas; nec aliquid magis contrarium sit consensui, quam error, *l. Si per errorem 15. ff. de Jurisdict. omnium Jud.* ibi: *Quid enim tam contrarium consensui est, quam error?*

216 Infertur, quod etiamsi ab initio nulliter professus, Professionem suam juxta laudabilem Religiosorum consuetudinem sæpè renovet & ratificet *expresse*, vel *tacite*, portando habitum Religiosorum, vel actus eisdem proprios exercendo, etiam cum animo se obligandi, ac *tacitè* profitendi, tamen semper adhuc etiam post decem, vel plures annos via extraordinaria restitutionis in integrum juxta dicta *n.* 24. reclamare, vel cessante scandali periculo, tuta conscientia discedere, ac nubere valeat, si hos actus fecit ignorans, quod Professio prima fuerit invalida, nisi talis ratificans expresse apud se statuat, quod velit modo Professionem valide ratificare, etsi ab initio fuisset invalida, prout bene limitant Pelliz. *loc. cit.* Pirhing *h. t.* & alii. Ex quo nonnulli in revocatione Professionis laudabilissime addunt, *etiamsi ab initio ex quacunque causa invalide professus essem.*

217 Quæritur VII. An ad valorem ratificationis requiratur novus consensus & acceptatio illius, cujus est suscipere ad Professionem? consequenter, an necesse sit, ut eidem etiam priùs manifestetur, & notum fiat, Professionem primam fuisse invalidam? cùm juxta dicta *nu* 215. *ignorantis nullus sit consensus*. Resp. I. Si Professio ab initio fuit invalida solummodò ex defectu profitentis Novitii, cæteroquin ad Professionem habilis; v.g. quia ficte tantùm, & absque animo se obligandi professus est, vel ex gravi metu injuste ab extrinseco incusso Professionem emisit, non est necessarius novus consensus & acceptatio illius, qui potest suscipere. Roderiquez *tom. 3. qq. regular q. 17. a.* 3. Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 37. n.* 60. Pelliz. *tom. 1. tr. 3. cap. 1. n.* 43. Navarrus *lib. 3. h. t. Consil. 27. n. 1. & consil. 28. n.* 3. & alii. Ratio est: tum quia consensus potentis recipere aliquando legitime præstitus, censetur adhuc perseverare, si non fuit revocatus; uti argumentatur Navarrus. Tum quia Matrimonium ob solum defectum consensus, in uno nullum, ratificatur, & validatur per solum consensum illius, qui prius non habuit, nec est necessarius novus consensus alterius conjugis, uti cum communiori, & probabiliori aliorum bene docet Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 32. n.* 9. atqui à Matrimonio carnali valet argumentum ad Matrimonium spirituale, juxta dicta superiùs, & communem aliorum; ergo. Confirmatur argumentis pro Conclusione *n.* 219. ponenda afferendis.

218 Infertur, talem, qui ficte tantùm, vel ex gravi metu injuste incusso, consequenter præcise ex defectu sufficientis consensus proprii, nulliter professus est, Professionem sufficienter ratificare, si eandem in secreto & privato coram Deo ratificet, seu renovet; nec opus esse ut quidquam Superiori, vel aliis de hoc dicat.

219 Resp. II Omninò probabilis, ac in conscientia secura sententia est dicens, etiam tunc ad ratificationem Professionis non requiri novum consensum, vel acceptationem potentis suscipere, si Professio non ex defectu consensus in Profitente, sed ex defectu alterius necessariò requisiti, v.g. quia Profitens nondum habuit 16. annos, vel non fuit integro, aut non continuo anno in Novitiatu &c. dummodo ille vel illi, quorum est suscipere, priùs reverà consenserint. Navarrus *loc. cit.* Barbosa *in Concil. Trident.* statim citandum *n.* 16. Sanchez *loc. cit. n.* 64. quamvis contrariam sententiam judicet probabiliorem, ac tutiorem, Pirhing *h. t. nu.* 49. Roderiquez *in Summa*, Sorbo, & alii. Probatur efficaciter ex Concilio Tridentino *Sess. 25. de regular. cap.* 19. ubi post quinquennium nulli amplius conceditur contra Professionem reclamare, ex quacunque dein causa nulliter quis sit Professus; eò quòd juxta omnes præsumitur, talem intereà vel *expresse*, vel per actus Professis proprios saltem *tacitè* ratificasse Professionem; ergò hoc ipso manifeste indicat, ad validam ratificationem sufficere solum consensum Profitentis; cùm, uti supponitur, & Adversarii concedunt, Superiores, vel ii, quibus est ad Religionem suscipere, in hujusmodi casu intra, & post quinquennium sæpe penitùs ignorent Professionem fuisse irritam; consequenter novum consensum, vel acceptationem non præstent.

220 Probatur ulteriùs ex Declaratione Cardinalium S. Concilii Trid. Interpretum edita 29. Martii 1598. illis verbis: Sac. Congregatio Concilii censuit, quod Professio expressa fuerit nulla: ex quo tamen post expletum annum probationis permansit in habitu Regulari per duos vel tres annos, censeri tacitam fuisse Professionem, & dici professum ubi ut vides, S. Congregatio penitus nullam mentionem facit de novo consensu, vel acceptatione Superiorum, nec ullo modo eum requirit, sed ex sola portatione habitus Professorum tacitam Professionem præsumit, consequenter solum consensum Profitentis, absque ullo consensu Superiorum Religionis, sufficere declarat.

221 Confirmatur ex clausula Rescriptorum, quæ in Curia dari solent illis, qui post quinquennium contra Professionem ex quacunque causa nullã reclamantes restituuntur in integrum, casu quo nullitatem priùs ignorarunt, vel intra quinquennium reclamare impediti fuerunt, juxta dicta *nu.* 204. Hujusmodi enim Rescriptis, teste Hyacint. Donato *tom. 2. tr. 12. q.* 14. semper inseritur clausula: *Dummodo Professionem tacitè, vel expresse non ratificaverit*: ponendo siquidem hanc clausulam manifestè indicat Pontifex, Professionem per solum Profitentem absque ulla nova acceptatione, vel consensu Superiorum valide ratificari posse, cùm, uti supponitur, Superiores ignorent, Professionem fuisse invalidam, consequenter novum consensum in tali casu non præstent.

222 Ratio autem Conclusionis est; quia consensus Superiorum aliquando reverà datus perseverat, donec revocetur, consequenter renovatione ejusdem opus non est. Nec dicas, consensum Superioris in casibus Conclusionis datum pro tunc inefficacem, ac invalidum esse, quia Profitens tunc ad profitendum inhabilis erat, consequenter novo opus esse. Nam contra est: quod licet consensus fuerit inefficax, & invalidus illo tempore, quo sine requisitis Professio fuit emissa, nihilominùs, quia idem consensus semper adhuc perseveravit, utpote nunquam revocatus, uti supponitur, incæpit efficax & validus esse pro illo tempore, quo habitis omnibus requisitis Professionem ratificavit Religiosus: sicut juxta Adversarios ipsos, ob perseverantiam Superiorum consensus ad ratificandam Professionem priùs ex defectu consensus Profitentis irritam absque novo eorundem Superiorum consensu, vel acceptatione censetur sufficere, non obstante, quod primitùs datus fuerit ad Professionem inefficax, utpote datus illi, qui sine proprio consensu, consequenter nulliter est professus.

223 Accedit, quod etsi dato, non concesso, consensus Superioris in casibus Conclusionis non amplius perseveraret, consequenter nullus haberetur Superiorum consensus, tamen ratificatio sine novo consensu & acceptatione illorum valida foret; quia Papa utpote supremus Prælatus omnium Ordinum potest talem consensum supplere, & actu supplere censetur, hoc ipso, quod omnem Professionem irritam, etiam absque novo consensu & acceptatione Superiorum, sufficienter & valide ratificari posse, dicat, & declaret juxta dicta *nu.* 219. *& seq.* Et ob hæc fundamenta sententia nostra sanè videtur etiam probabilior, & in conscientia omninò tuta, quamvis contraria sit tutior.

224 Infertur, etiam in casibus Conclusionis, posse nulliter professum, Professionem suam modo *nu.* 218. dicto ratificare: quamvis tutius faciat, si rem indicet Superiori, ab eoque novum consensum petat; nisi forsan timeat, Superiores casu audito, revocaturos priùs datum, & negaturos novum consensum, consequenter eum in periculo ejectionis esse: talibus enim in circumstantiis melius erit, si nihil dicat, vel antequam dicat, priùs ipse vel solus, vel (quod securius adhuc est) in præ-

præsentia duorum fidelium ratificet, factaque ratificatione, primum pro majori securitate novum consensum & acceptationem sollicitet; tunc enim in utroque foro erit securus; etsi consensus novus negetur, eò quod juxta dicta de stylo Curiæ non requiratur.

225 Illud etiam cum unanimi notandum, in ratificatione Professionis nullatenus necessarium esse, ut consuetæ repetantur ceremoniæ: tum quia non sunt de substancia: tum quia plerumque absque nota reiterari nequeunt. Quod si tamen cum præscitu & novo consensu Superioris Professio ratificetur, bonum erit, si Superior duos saltem testes adhibeat ad probandum contra Profitentem, casu quo aliquando contra Professionem vellet reclamare. Pariter juxta communem non est necesse, ut fiat repetitio Novitiatus, Pelliz. *tom. 1. tr. 3. c. 5. q. 20.* Sanchez *loc. cit. à n. 15.* Ratio est; quia Novitiatus ex hac sola ratione requiritur, ut novitius Religionem, & hæc Novitium probet, *c. Ad audientiam 16. h. t.* atqui hoc fieri & factum jam censetur in casu, quo Professio ritè finito Probationis anno, ex aliqua causa fuit nulla; ergo.

§. VIII.

De Potestate ejiciendi Religiosos professos, ubi etiam de ipsis Ejectis: item de Fugitivis, & Apostatis, eorumque obligatione.

SUMMARIUM.

226 *Legitima de causa possunt Religiosi professi ejici. Qui aliis scandalo sunt, separari debent. Ibid.*
227 *Hodie non nisi incorrigibilis ejici potest. Et quis sit incorrigibilis?*
228 *De Jure communi incorrigibilis ad præsens non est, nisi quis committat crimen grave.*
229 *Publicum tam Fratribus, quam Sæcularibus.*
230 *Et prius ter sit correctus; vel condonatum crimen.*
231 *Atque per annum fuerit incarceratus in pane & aqua.*
232 *Ex eo solo, quod quis fugiat è carcere, non est incorrigibilis.*
233 *Quibus Superioribus competat potestas ejiciendi incorrigibiles? Et n. seq.*
235 *Provinciales etiam cum Capitulo sine interventu Generalis nullum Professum possunt ejicere.*
236 *Admonitiones, ac instructiones S. Congregationis, & S. Bonaventuræ pro Superioribus ejicientibus Professos. Et nu. seq.*
238 *Nulliter professus quando & quomodo ejici possit. Et num. seq.*
240 *Ejecti subsunt Jurisdictioni Episcopi loci, & non acquirunt Litteras testimoniales.*
241 *Tenentur suo modo ad tria vota;*
242 *Sicut etiam ad præcepta Regulæ sub culpa obligantia.*
243 *Solvitur objectio.*
244 *Ejecti tenentur se corrigere, & ad Ordinem redire.*
245 *Religio tenetur emendatos iterum recipere.*
246 *Solvitur objectio.*
247 *Fugitivi Religiosi qui?*
248 *Sunt tales etiam illi, qui prætextu ad Superiores, vel Romam pergendi discedunt è Conventu.*
249 *Etsi injuste vexentur à Superioribus.*
250 *Viri noti, & à suspicione alieni non indigent Obedientia, seu licentia scripta.*
251 *Apostatæ qui dicantur?*
252 *Obligantur ad omnia, ad quæ existentes in Monasterio.*
253 *De Jure communi ipso facto sunt excommunicati Fugitivi, & Apostatæ, si habitu dimisso fugiunt.*
254 *Secùs si habitum retinent.*
255 *Jure speciali etiam hi sunt excommunicati.*
256 *Aliæ pœnæ Apostatarum.*
257 *Recipientes aut occultantes Fugitivum, vel Apostatam peccant graviter, & sunt excommunicati.*
258 *Potestas Religionis erga Fugitivos, & Apostatas.*
259 *Obligatio Religionis erga Apostatas, & Fugitivos.*

226 QUæritur I. An, & ob quas causas, quando, &, quinam Religiosi jam professi ex Ordine ejici possint? Resp. I. Certum est, posse Religiosos etiam professos legitima de causa ex Ordine expelli. Ita hodie unanimis contra quosdam Antiquos citatos à Miranda *tom. 1. q. 51. a. 1.* Patetque claré ex jure antiquo, & novo, ut *can. Resecandæ 16. caus. 24. q. 3.* ibi: *Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum Orbem ejus flamma populata est.* Concordat *can. Illud sanè 34. eod. caus. & q.* ubi etiam ratio subjungitur videlicet, *ut his, quibus prodesse non potuit correptio, non parcat abscissio. Oportet enim nos meminisse mandati, quo ab ipsa Veritate præcipitur, ut si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizaverit manus, à compage corporis auferatur &c.* & infrà: *Abjicienda prorsus pestifera hæc à Sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit.* & *c. fin. de statu Monach.* dicitur: *Ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat sanas oves.* Concordat *c. cùm ad Monasterium 6. eod.* ibi: *Vel si restiterint ausu temerario eis Ejectio &c.* Confirmatur Conclusio ex multiplicibus privilegiis Religionum, & repetitis Declarationibus Cardinalium. Ratio jam est insinuata; cui accedit, quod bonum commune Religionis præponi debeat bono privato Ejecti.

227 Resp. II. Quamvis olim ob varias causas ab Ordine expelli potuerit Professus, quarum aliquas allegat, & adhuc subsistere, minùs rectè supponere videtur Pirhing *h. t. n. 105.* tamen hodie nullus ejici potest, nisi sit verè incorrigibilis, adeoque hodie nulla alia, quam incorrigibilitas sufficiens & legitima causa est valide professum ejiciendi. Caret hodie controversia ob novum Decretum S. Congregationis Cardinalium S. Concil. Trid. Interpretum, jussu Urbani VIII. emanatum 21. Septembris 1624. incipit: *Si Congregatio* & reperitur *in tom. 4. Bullar. Cherub. Const. 28.* dicti Pontificis ubi §. 6. ita statuitur: Ut imposterum à Religionibus nullus legitime professus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis. Vere autem incorrigibilis, subjungitur ibidem, minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cujuscunque Religionis, & Ordinis etiam à Sede Apostolica, approbatis & confirmatis: verùm etiam unius anni spatio in jejunio & patientia probetur in carceribus; proinde Religio habeat privatos carceres in qualibet saltem Provincia.

228 Ut autem de Jure communi quis dicatur incorrigibilis in ordine ad ejectionem, ordinariè plura requiruntur. Et quidem I. Ut delictum sit grave. Omnes. Ratio patet, quia pœna debet esse porportionata culpæ vel delicto, *arg. c. fin. de statu Monach.* atqui ejectio est gravis pœna, ergo etiam delictum, ob quod infligitur debet esse grave, v. g. homicidium, perjurium, furtum, *arg. c. cùm non ab homine 14. de Sentent.* Proprietas, *c. cùm ad Monasterium de statu Monach.* & alia similia, præsertim illa, ob quæ Leges & statuta imponunt pœnas mortis naturalis aut civilis, perpetui carceris, aut triremium, ut declaravit Pius V. apud Hyacint. Donatum *tom. 1. tr. 8. q. 6.* Clarus *in Practic. crimin. §. 1. n. 9* Portell. *in Dubiis regular. V. Ejicere ab Ordine in Addit. nu. 1.* Hyacint. Donatus *loc. cit.* & aliis communiter, qui etiam notant, quod an grave sit crimen, nec ne, debeat sæpè relinqui arbitrio Judicum.

229 II. Requiritur, ut delictum sit publicum, non solùm inter Fratres, sed etiam Sæculares, ita ut sine infamiæ nota retineri in Ordine facile non possit. D. Bonaventura *in quæst. super regula Frat. Minor. q. 14.* Portell. *loc. cit. n. 1. & seqq.* Mirand. *tom. 1. quæst. 52. art. 2.* Pirhing *h. t. nu. 195.* Roderiquez *tom. 1. quæst. 30. art. 14. & seqq.* Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 9. n. 4. & 5.* Rationem dat D. Bonaventura, *ut evitetur scandalum, & ne, si ejiciatur ob occulta delicta, videatur injuste ejectus, aut ejus peccatum propaletur injuste, quod utrumque illicitum est.* Hinc præstat, ut committens delictum ejectione dignum, occultum tamen, perpetuò incarceretur potiùs, quam ejiciatur, saltem si timetur, ne sua præsentia alios inficiat, per Jura *n. 226.* citata.

230 III. Requiritur, quod priùs ter fuerit correctus, admonitus, & punitus, uti benè probat Hyacint. Donatus *loc. cit q. 10. arg. c. Contingit. II 2. de Sentent. Excomm. & c. cùm ab homine de Judiciis.* Idem docet Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 9. n. 4.* Pirhing *loc. cit.* Pelliz. *tom. 2. tr. 8. cap. 8. num. 2.* Portell. *in dub. regular. V. icere num. 1. v. 2. nota cum communi.* Rationem dat Portel. quia alias ad præsens verè non diceretur incorrigibilis; cum incorrigibilitas & pertinacia consistat in resistentia post distinctas objurgationes; nec ex una sola resistentia satis colligi possit incorrigibilitas, utpote quæ ex nomine non denotat unum crimen, nec continuationem criminum, sed dicit respectum ad correctionem, vel punitionem ter contemptam. Accedit, quod ejectio æquiparetur privationi beneficii ob delicta, cum Religio in suo sensu sit etiam Professorum beneficium, ad cuius titulum ordinantur; atqui Clericus ob delictum ab homine privari non potest beneficio, nisi bis aut ter admonitus *arg. c. ex tua 11.* & ibi Glossa *de Cleric. non resid* ergo. Notat autem Peyr. apud Donat. *l. c.* dici incorrigibilem non tantum illum, qui ter fuit convictus, correctus, & punitus, sed etiam cui crimina toties fuere remissa, condonata, aut dissimulata spe emendationis. Nec refert, an delicta repetantur eadem, vel committantur alia æquè gravia vel graviora. Sanchez *loc. c. num. 4.* Abbas *in cap. Cum non ab homine,* & alii, *arg. c. Ut famæ de sentent. Excomm.* ibi: *Ad similia, vel peiora.*

231 IV. Ex novissimo Decreto Urbani VIII. suprà *num. 227.* citato, necesse est, ut prius *unius anni spatio in jejunio & pœnitentia probetur in carceribus*, sunt formalia Decreti.

232 Putarunt aliqui, ut Portel. *l. c. n. 4. in fine* Abbas *in c. Cum non ab homine de Judiciis.* Sanchez *l. c. n. 4* & alii, Religiosum ex eo solo etiam censeri incorrigibilem ad hoc, ut possit ejici, quod è loco pœnitentiæ, vel carceribus fugiat. Nihilominus cum Hyacint. Donato *l. c. q. 11. n. 10.* Pelliz. *l. c. n. 2.* & aliis hodie omnino tenendum est contrarium, ob Decretum S. Congregationis Concilii Tridentini 13. Novembris 1632 ad instantiam nostri Revendissim. P. Generalis editum, in quo declaratum fuit, Religiosos, qui intra annum in jejunio & pœnitentia detinentur in carcere, non posse ejici, ex eo, quod è carceribus fugiant, sed debere etiam pro delicto puniri, ac ferrea custodia detineri in carcere, teste Pellizar. *l. c.* quod si quis tamen post præcedentem trinam punitionem quarta vice fugeret, ut incorrigibilis ejici posset.

233 Quæritur II. A quibus Superioribus possint ejici incorrigibiles? Resp. *Ab ipsomet Generali tantum de consilio & assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, seu Congregationibus Generalibus; tumque non nisi instructo secundum eorum stylum & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis, ad Sacrorum Canonum præscriptum:* sunt verba formalia citati *n. 227.* Decreti S. Congregationis §. 6. Et quia *eod. §* derogatur quoque omnibus privilegiis, & statutis, etiam à S. Sede confirmatis; hinc his non obstantibus juxta tenorem Decreti procedendum erit.

234 Notandum tamen, quod præfatum Decretum de sex Patribus conjudicibus ad expellendum *in Capitulo Generali tantum eligendis*, intelligendum sit, si sententia ferenda est in Capitulo Generali, vel in loco, ubi Generalis regulariter morari solet: non item si in alio loco feratur sententia: tunc enim potest Generalis in aliqua Provincia pro libitu sex Patres deputare, ut declaravit S. Congregatio teste Hyacint. Donato *loc. cit. quæst. 17.* & habet etiam Peyr. *tom. 2. Privil. Minimor. in Constit. 10. Urbani VIII.* Lezana *Tom. 21. capit. 13. num. 5.* & alii.

235 Imò potest suam potestatem alteri delegare. Pelliz *l. c. n. 4.* eo quod hæc potestas ei conveniat Jure Ordinario: hæc siquidem alteri delegari potest, *c. Cum Episcopus 7. de Offic. Ordinar. in 6.* & ampliùs diximus *lib. 1. tit. 29. §. 3.* Nec obstat, quod in Decreto dicatur à Generali *tantum*; quia hæc particula *tantum* non excludit eandem personam fictione Juris repræsentatam, Pelliz. *loc. citat.* Thuscus *Litter. T. Conclusion. 22. nu. 21.* Cæterum infertur, Provinciales etiam cum toto Capitulo Provinciali sine recursu ad Generalem non posse legitimè professum ejicere, sed debere causam benè instructam ad Generalem dirigere, cujus dein erit, aliquos deputare, per quos ejectionis sententia feratur, nisi ipsemet in loco, ubi moratur, una cum deputatis à Capitulo Generali velit sententiam formare.

236 Porrò ut Religionum Superiores in causa ejectionis benè procedant, præ oculis habeant supra citatum Decretum Urbani VIII. & specialiter etiam observent § 8. ibi: *Cæterum S. Congregatio Religionum Superiores seriò admonet ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas fratrum suorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur: Idque eo magis quo subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officii immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus in supremo Dei Judicio de eorundem Prælatorum manibus sit requisiturus.*

237 Pariter præ oculis habenda est doctrina a Sancto Bonaventura tradita *in Quæstion. supra Regulam FF. Minor. quæst. 14* ubi ad propositum ita loquitur: *Si Frater aliter vivit, quam expedit in Ordine, & sæpius correctus, se emendare non valuerit, si excessus fuerit occultus, tolerandus est cum cautela propter scandalum, ne si abjiciatur, cum ejus culpa non pateat, injustè videatur projectus, aut ejus peccatum propaletur injustè, quorum utrumque est illicitum. At ubi excessus ejus simul fuerint graves & notorii ita quod eius exemplo alii infici possint, si retineatur in Ordine, & extranei etiam scandalizentur ex eo, quod hujusmodi sustinetur, in tali casu propter auferendum scandalum, & propter corruptionem Ordinis præcavendum, ejusmodi Frater voti, & pacti sui prævaricator ab Ordine ejiciendus est. Ex eo enim Ordo talis vocatur, quia nihil in se patitur inordinatum.*

238 Quæritur III. An? quando? & quomodo possit Religio expellere nulliter professum? Resp. Posse, non alio tamen modo, & tempore, quam quo contra Religionem reclamare potest ipse nulliter professus, videlicet intra quinquennium, & cum interventu Ordinarii, juxta dicta superius *n. 194.* Hyacint. Donatus *tom. 2. tr. 12. quæst 35.* Bordon. *de Profess. Regul. cap. fin. & var. res. 23 num. 6.* & alii. Ratio est; quia Religio & Religiosus sunt correlativa, juxta Omnes: de correlativis autem idem est judicium, & dispositum de uno trahitur etiam ad alterum, juxta communem, *arg. leg fin. C. de Indicta viduitat. toll & leg. fin. ff. de Accept* Confirmatur Conclusio ex Decreto Urbani VIII. pro Conclusione edito, apud Hyacin. Donatum *loc. citat.* Affert etiam Pignatell. *to. 1. cons. 89 num. 17.* plures Declarationes Cardinalium, quarum una edita 16. *Decembris* 1617. sic sonat: *Eminentissimi Patres Sa. Concilii Tridentini Interpretes ex communi omnium sententia censuerunt, Decretum ejusdem S. Concilii capit. 19. Session. 25. de Regular. vendicare sibi locum, non modo, cum Professus nullitatem suæ Professionis allegat, causasque deducit; verum etiam cum Superiores ipsi ex se illum ejicere tanquam invalidè professum.*

239 Colliges discrimen inter ejectionem legitimè professorum ob incorrigibilitatem, & ejectionem nulliter professorum, siquidem illi quovis tempore, etiam post viginti annos, & absque interventu Ordinarii ejici possunt modo suprà *n. 226.* præscripto, isti vero non nisi intra quinquennium, & cum interventu Ordinarii: cæterum sicut nulliter professis post quinquennium competit beneficium restitutionis in integrum; ita etiam sine beneficio potestas quovis tempore reclamandi, casu quo nulliter professi laborant perpetuo impedimento; ita idem competit Religioni contra nulliter professum. Hyacint. Donatus *l. c. qu. 40* per Jura & rationes *n. præc.* allegatas.

240 Quæritur IV. Quid Juris de actu *Ejectis*? Ante responsionem nota, hic esse sermonem solummodo de Ejectis ob incorrigibilitatem, legitimè prius professis: non item de Ejectis illis, qui ob irritam Professionem ejiciuntur. Resp. I. *Ejecti, quam diu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali* (sæculari non Ordinis) *incedere debent, atque Ordinarii loci jurisdictioni & obedientiæ subesse; proindeque Generalis illico expulsionis sententiam Ordinario notificare teneatur.* Ita verba expressa Decreti Urbani VIII. citati *numer. 127. Paragrapho 7.* Prætereà §. 9 statuit, *ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis, Litteras Testimoniales,*

concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes vel jubentes aliam ingredi Religionem.

241 Resp. II. Justè *Ejecti* manent adhuc Religiosi subditi & suo modo tenentur ad tria vota substantialia. Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 9. num. 25.* Miranda *Tom. 1. quæst. 52. art. 5.* dicens ita sentire omnes. Pirhing. *h. t. nu.* 196. Pelliz. *tom. 1. tr. 8. c. 8. num.* 19. cum communi, *arg. cap. fin. de regular.* ubi jubetur Superioribus, ut Ejectos iterum requirant sollicitè; quod de novo præcipitur in sæpè citato Decreto Urbani VIII §. 11. Probatur Conclusio etiam ex variis Declarationibus Pontificum, quas vide apud Hyacint. Donatum *l. c.* Et quidem quoad votum *castitatis* certum est apud omnes, quod ad illud eodem modo, quo in Religione teneantur. Ad *paupertatem* vero in tantum, ut nihil sibi appropriare, nec ut proprium possidere, vel ut tale sibi acquirere valeant, sed nudo usu, & administratione rerum sibi ad victum, vestitum, & habitationem necessariarum contenti esse debeant. Nec omninò liberantur ob *obedientia*, quia licèt magna ex parte cesset ejus executio, tamen in aliquibus, juxta dicenda, adhuc obedire vi voti tenentur Prælatis, & universaliter parati esse debent, iterum obedire, si denuò recipiantur. Intereà verò obligati sunt obedire Episcopo, non quidem vi voti, cum obedientiam Episcopo non voverint, sed eo modo, quo alii Clerici sæculares per textum Decreti *n.* 227. allegati. Plura de hac obligatione vide apud DD. citatos, & alios.

242 Resp III. *Ejecti* tenentur ad præcepta, statuta, & constitutiones regulares, v. g. ad jejunia, abstinentias à carnibus &c. Item ad horas Canonicas, & universaliter ad cuncta ea, quæ sub peccato obligant, & extra ordinem ab eis servari possunt. Miranda *l. c.* Roderiquez *to. 1. q.* 30 *n.* 20. Portell. *in dub. regul. V. Ejicere n.* 5. Hyacint. Donatus *to. 1. tr. 8. q. 52. n.* 199. Pelliz *to. 2. tr. 8. q. 8. n. 32. & seqq* Recentiores communiter. Ratio est: tum quia nemo ex delicto suo debet reportare commodum, *arg c. agnoscentes de const c. Sedes c. plerumque de rescript.* Tum quia juxta ipsos Adversarios, Ejecti sunt & manent adhuc veri Religiosi, tenenturque præter *castitatem*, & *paupertatem*, etiam ad *obedientiam*; atqui vi hujus tenetur Religiosus non tantum præceptis Superiorum pro tempore datis, sed etiam legibus & statutis, ab iisdem Superioribus in perpetuum sub culpa latis obedire; ergo. Tum quia Religio, dum ejicit Professum, non intendit eum liberare ab obligationibus Regulæ, sed tantum providere bono communi Religionis, & evitare scandalum. Accedit, quod juxta ipsosmet Adversarios Religiosus, ad tempus damnatus ad triremes, teneatur ad omnia in Conclusione memorata; ergo & *Ejectus*.

243 Nec dicas disparitatem esse, quod hic in perpetuum, ille verò ad tempus ab ordine pellatur. Nam contra est, quod etiam *Ejecti* hodie non in perpetuum, sed tamdiu tantum arceantur ab Ordine, donec se emendent: emendatione enim secuta (ad quam *Ejecti* quoque obligantur) tenetur Religiosus iterum redire, & Religio eum recipere, juxta dicenda infra *n. seq.* Accedit, quod licet Religiosu factus episcopus perpetuò maneat extra ordinem, tamen juxta communem etiam Adversariorum, teneatur ad posita in Conclusione.

244 Quæritur V. An Religiosus ejectus teneatur se corrigere ad huc finem, ut iterum ad Religionem redire possit, & debeat; Resp. Affirmativè. Sanchez *lib. 6. Moral. c 9. n.* 25. Hyacit. Donatus *to. 1. tr. 8. q.* 25. Layman, Pirhing. *h. t. num.* 201. & communis aliorum contra Navarrum *lib. 3. Consil. 80. hoc t.* Roderiquez *Tom. 1. quæstion. 30. art. 21. argum. cap. fin. hoc titul.* ubi statuitur, quod Ejecti ad redeundum cogi debeant, & inobedientes excommunicari, atqui hoc fieri non posset, si ipsi redire non tenerentur. Tum quia Ejecti manent adhuc veri Religiosi obligati ad tria vota, & observanda statuta sub culpa obligantia; ergo. Accedit, quod alias ex delicto suo commodum reportarent contra *l. Itaque ff. de Furtis.*

245 Quæritur V. An Religio Religiosum emendatum petentemque suscipi, teneatur iterum recipere: & non petentem, vel venientem quærere? Resp. Affirmativè, nisi Regula specialiter obstet prohibendo, ne aliquando *Ejectus* denuò recipiatur: vel nisi ex ejus receptione scandalum, vel aliud malum gravè Religioni timeatur. Miranda *tom. 1. quæst. 52. à 7.* Hyacint. Donatus *loc. c. q.* 26. Pirhing. *h. t. n.* 103. Barbosa *in c. fin. h. t. num.* 8. & communis aliorum, *arg. c. fin. h. t.* ibi: *Statuimus, ut Præsidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii Generalis, seu Patres Abbates, seu Priores, fugitivos & ejectos de ordine suo recipiant sollicitè annuatim, qui si a Monasteriis suis recipi possunt secundum Ordinem regularem, Abbates, seu Priores eorum monitione prævia per Censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem eorum, salva Ordinis disciplina: quod si hoc Regularis Ordo non patitur, authoritate nostra provideat, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis domibus ejusdem Ordinis ad agendam ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur.*

246 Nec dicas, dictum *c. fin.* de Injustè *Ejectis* loqui. Nam contra est: tum quia indistinctè loquitur; ergo indistinctè intelligendum est, *arg. l. de pretio ff. de Publician.* Tum quia Decretum Urbani VIII. *n.* 227. citatum de justè *Ejectis* loquitur, tamen §. 11. dictum *c. fin* ad propositum allegat; & de novo confirmat: imò de justè *Ejectis* etiam intelligendum esse, expressè declarat, *dummodo* (addit) *tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem Testimonialibus Ordinarii cujus conscientiam in his litteris concedendis S. Congregatio seriò obligavit.* Ratio est; quia cum juxta claram Juris dispositionem teneatur nolentem revocare & recipere, multo magis tenebitur redeuntem emendatum suscipere. Accedit, quod subsecuta emendatione ordinariè cesset ejectionis ratio, finis, & causa. Plura de *Ejectis* qui cupit, legat apud Mirandam *to. 1. q.* 52. per totam, Roderiquez *tom. 1. qu.* 3. Hyacint. Donatum *tom. 1. tr.* 3. per totum, Pelliz. *tom. 2. tr. 8. cap.* 8. Fagnanum *in c. fin. h. t.* & alios.

247 Quæritur VI. Quinam sint, & vocentur Religiosi Fugitivi, & Apostatæ? Item quid Juris de iis? Resp. I. *Fugitivi* propriè loquendo sunt ii, qui sine licentia Superiorum ad tempus e Monasterio recedunt, cum animo iterum revertendi. Sylvester *V. Apostata q 4.* Sanchez *li. 6. Moral c. 8. n. 2.* Hyacint. Donatus *tom. 1. tr. 7. q. 1.* Roderiquez *to 1 q. 30. a 1.* Pirhing. *h. t. n. 186* & communis aliorum, *arg. l. qui sit Fugitivus ff. de Ædilit. edict.* Inter quos regulariter, ac de Jure communi licet non numerentur sine licentia e Monasterio fugientes ad Superiorem Majorem *et l. Si quis fugitivus*, & propterea etiam recurrens ad Principem de Jure communi non ponatur, §. *Si tibi quoque novell.: 7* Tamen hodierno Jure hi quoque *Fugitivis* annumerantur, *arg. Conc. Tr. Sess. 25. de regul. cap. 4* ibi: *Nec liceat regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu Superiores suos accedendi; nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, qui vero sine prædicto in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinario locorum tanquam desertor sui instituti puniatur.*

248 Amplius, etiamsi ad Sedem Apostolicam pergere se dicat, uti patet tum ex Constitutione Sixti V. *cum de omnibus*, quæ est 71. Constitutio dicti Pontificis, & *ad Romanum spectat*, eidem Constitutioni annexa apud Cherub. *Tom.* 4. Tum quia ex Decretis Clementis VIII. & Urbani VIII. in Bullar. Cherub. *To. 3. const.* 9. Clem. VIII. & *Tom. 4. const.* 28. Urbani VIII. ubi insuper statuitur, ut nullos Fratres permittant Superiores Romam venire, nisi prius à Generali, & Protectore licentiam in scriptis impetraverint, quam tamen licentiam etiam Provinciales dare possunt, sed nisi in causa communi totius Provinciæ; ex novo Decreto apposito ad finem Constitutionis Urbani VIII. *Sacra Congregatio*, quæ est *num.* 28.

249 Et licet hæc Decreta Conc. Tr. aliqui cum Pirhin. *h. t. l. c.* limitent in casu, quo Religiosus injustè vexatur, & inique tractatur à suo Superiore, tamen etiam in hoc casu censendus est *Fugitivus*, nisi in scriptis licentiam discedendi habeat, vel probare possit, quod licentiam petierit, & tamen non obtinuerit, prout expressè statuit Sixtus V. in citata Constitutione *ad Romanum spectat* §. 20. ibi: *Quod si dicerent, se ad Apostolicam Sedem confugere ob gravamina à suis Superioribus sibi illata, & ideo ab ipsis Superioribus licentiam, & litteras obtinere non potuisse, non propterea ullo modo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia; & per Superiores negata constiterit.* Quam Constitutionem nec à Tridentino, nec ab alio Pontifice revocatam fuisse, benè advertit Hyacint. Donatus.

250 Cæterum licèt ex textu Tridentini, & Bullis citatis pro *Fugitivo* haberi debeat quivis Religiosus è Conventu suo discedens, nisi licentiam in scriptis exhibeat; tamen hoc limitatur in casu, quo *discedens ita cognitus sit iis, ad quos diverterit, ut de ejus persona nullus omnino dubitationi, aut suspicioni locus relinquatur*, prout expressè limitat ipse Sixtus V. in citata Bulla *cum de omnibus*. Quod idem repetit in Constitutione *ad Romanum spectat*, ibi: *nisi satis cognitus sit*: ut proin indiscretè agant ii Superiores locales, qui a viro omnibus noto, & omni exceptione majori similem licentiam exigunt, multò magis, si eundem ut *Fugitivum* tractare volunt.

251 Resp. II. *Apostatæ* propriè ac strictè loquendo sunt, qui à Monasterio, vel Religione discedunt animo taliter deserendi Ordinem, & non amplius redeundi ad illum. Sanchez *lib. 6 Moral. c. 8 n. 2.* Pelliz. *tom. 2. tr. 8 c 8 n.* 43. Roderiquez *to. 1. q. 30. a. 1.* Pirhing *h. t. n.* 186. Nec refert, an cum, vel sine habitu discedat, ut bene notant DD. citati, & Hyacit. Donatus *to. 1. tr 6. q. 2.* Pignatel *to. 7. consult.* 68. *n.* 5 & alii. Nam sicut *habitus non facit Monachum, sed Professio Regularis, c. Porrectum h. t.* ita retentio ejusdem non facit, quod dicatur in Religione manere, ut æqualiter fiat dissolutio, & colligatio vinculi, *l. Nihil tam naturale ff. de R. J.* Accedit Decretum Clementis VIII de reservatione casuum, ubi *Apostasiam* vocat, & reservat, sive habitu retento, sive dimisso fiat. Hinc *Apostasiæ* ratio formalis in hoc solo consistit, quod *sine animo revertendi fiat discessus à Religione*: ut proin ille, qui animo revertendi discedat propriè *Apostata* non sit, sed *Fugitivus*. Et dicitur notanter in Conclusione *Apostata propriè*, quia impropriè & minus strictè loquendo, etiam *Fugitivi* pro Apostatis habentur, & ut tales tractantur, & puniuntur in statutis nostris Generalibus *c. 2. §. 8. de Apostatis*.

252 Quæritur VII Quæ sint obligationes *Apostatarum*, & *Fugitivorum*? Resp. Tenentur non tantum ad tria vota substantialia, sed etiam ad omnes alias constitutiones regulares sub peccato obligantes. Communis ac certa: patetque clarè tum ex dictis *à n* 240. Tum ex eo, quod penitus nullo titulo & Jure ab aliquo dictarum obligationum sint exempti, nec seipsos inique discedendo eximere valeant. Accedit, quod alias ex iniquitate sua commodum reportarent contra *l. Itaque ff. de Furtis*. Tenentur insuper sub peccato mortali sine mora redire, ita ut semper, & tam diu versentur in statu peccati mortalis, donec redeant.

253 Quæritur VIII. Quæ sint pœnæ *Fugitivorum*, & *Apostatarum*? præsertim an sint ipso facto excommunicati? Resp. I. Si habitu dimisso discedunt, sunt ipso facto excommunicati. Hyacint. Donatus *tom. 1. tr. 6 q.* 20. Abb. *in c. 2. Ne Clerici, vel Monachi* & ibi Anchoranus, Joan. Andreas cum communi aliorum, *ar. c. Ut periculosa 2. Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: *Ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis Professus temerè habitum dimittat &c. Si quis autem temerarius violator extiterit, Excommunicationis sententia incurrant ipso facto.*

254 Resp. II. Qui habitu retento fugiunt, aut apostatant, de Jure communi antiquo, ipso facto non sunt excommunicati, Glossa *in c. 1. V. Apostata de Temp. Ordinand.* Pelliz. *tom. 2. tr. 8. c. 8. n.* 49. Abbas *in c. fin. n. 2. de Apostat.* Sanchez *lib. 6. Moral. c. 8. n.* 20. Roderiquez, Sylvester, Hostiensis, cum communi: quia nullus textus dictam excommunicationem infligens allegari potest. Nec enim textus *c. ut periculosa 2. ne Clerici, vel Monachi*, quem quidam in contrarium allegant, quidquam probat, utpote illos solos tangens, qui habitu dimisso discedunt, ut legenti patet. Ex quo etiam probatur, quod etsi cum habitu fugiens ipso facto non sit excommunicatus, tamen Excommunicationem ipso facto tunc incurret, quando post discessum habitum animo vagandi, vel apostatandi dimittit. Hyacit Donatus *Tom. 1. tr. 6. q.* 6. & alii.

255 Resp. III. Vi Iuris specialis, & specialium Privilegiorum fermè cujusvis Religionis professus *Fugitivus*, vel *Apostata* sive habitu retento, sive dimisso, Excommunicationem ipso facto incurrit. Cassarub *In compend tit. fugitivus* Hyacint. Donatus *to. 1 tr. 7. q. 25* ubi cum Cassarub. plura similia Religionum Privilegia & jura, Bullasque Pontificias adducit, Pelliz. *l. c.* ubi pariter simile pro societate Jesu allegat, & communis.

256 Resp. IV. Præter alias pœnas de jure communi etiam sequentes incurrunt *Apostatæ* I Quod suscipiens in *Apostasia* Ordinem sit suspensus, *c. fin. de Apostat.* II *Apostatæ* sunt irregulares, *can fin. dist. 50. & c. cum illorum de Sent. excom.* III. Quandiu manent in *Apostasia* non gaudent privilegiis Religionis, cui subjici nolunt, *arg. Conc. Trid. Sess. 25 de regul. c. 19* ibi: *Interim nullo privilegio sui Ordinis juvetur.* IV. Illi, qui sine legitima licentia Romam pergunt, specialiter voce activa & passiva biennio privati existunt. Plura de pœnis *Apostatarum* vide apud Sanchez *l. c.* Hyacint. Donatum *tom. 1 tr 6. q 20.* Roderiquez, Mirandam *tom 1 q. 51.* Lezanam, Pellizar. *to 2. tr. 8. q. 8. sect 3.* & alios.

257 Quæritur IX. An, & qualiter peccent? Quibusque pœnis subjaceant recipientes, retinentes, aut occultantes *Apostatam*, vel *Fugitivum*? Resp Eos peccare mortaliter, & ipso facto incurrere Excommunicationem Patet ex pluribus Constitutionibus Pontificiis, quas vide apud Cassarub. *In Compend Privil. V Apostata ab Ordine.* Hyacint. Donatum *l. c q. 21.* Mirandam *to. 1 q. 51. a 2. concl. 2.* ubi inter alia in favorem Ordinis nostri refert Constitutionem Innocentii VIII qua statuit, & ordinavit, *ut detinentes quoscunque Minores Fratres è suis Conventibus sine licentia suorum Prælatorum recedentes, sint ipso facto excommunicati.*

258 Quæritur X. Quæ sit potestas, & obligatio Religionis erga *Apostatas*, & *Fugitivos*? Resp I. Religioni, ac Superioribus ejus competit potestas apprehendendi, & puniendi, *Apostatam*, vel *Fugitivum*, ubicunque etiam extra territorium eum deprehenderit, invocato quoque si opus est, brachio sæculari Roderiquez *to 1. q. 20. a 6.* Miranda *to. 1. q. 51. a 3.* Pelliz *l. c. n. 53.* Hyacint Donatus *to. 1. tr. 6 q. 17.* qui plura pro Conclusione afferunt privilegia & Constitutiones Pontificias. Pariter habet potestatem eosdem de novo excommunicandi, si redire noline, textu expresso *c fin. h. t.*

259 Resp. II. Superiores Religionum tenentur *Fugitivos*, & *Apostatas* conquirere & revocare; eosque vel sponte, vel coactè venientes recipere. Omnes, textu expresso *c. fin. h. t.* ibi: *Ne Religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ occasionem incurrant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur, statuimus, ut Præsidentes capitulis celebrandis secundum statutum Conc. Generalis, seu Patres Abbates, seu Priores, Fugitivos suos & Ejectos ex Ordine suo requirant sollicitè annuatim.* Et quamvis non desint docentes, hoc *c. fin. h. t.* consuetudine contraria fuisse abrogatum. Sanchez *li. 6. Moral c 9* Pirhing *h. t. n.* 193. Nihilominus melius sentire videtur Fagnanus *in c. c. fin. h. t.* dicens, consuetudinem hanc esse corruptelam, utpote contra Jus Divinum militantem, cum quivis pastor jure Divino teneatur, oves pascere, & errantes pro possibili reducere. Nec tamen necesse est, nec sufficit *annuatim* id facere, sed toties, quoties opus est, & occasio spesque inveniendi salvis Ordinis Constitutionibus adest. In quo puncto ut plurimum attendendum erit ad cujusvis Religionis statuta. Nostra disponunt de eo *c. 2. §. 8.*

§. IX.

De Transeuntibus ab aliam Religionem.

SUMMARIUM.

260 *Transire de una Religione ad aliam defactò ob specialia privilegia pauci valent.*
261 *Quamvis de Jure communi id fieri queat.*
262 *Ut tamen talis transitus ritè fiat, requiritur I. ut ex bono fine fiat.*
263 *II Ut fiat ad Religionem strictiorem.*
264 *Sive ex regula, sive ex statutis talem.*
265 *A Religione S. Francisci ad nullam aliam transire licet.*

266 *III. Requiritur, ne fiat cum gravi infamia, vel detrimento Religionis deserendæ.*
Commune bonum præfertur privato. Ib.
267 *IV. Requiritur, ut petatur transeundi licentia.*
268 *Quæ licentia, si indiscretè negatur, potest absque illa fieri transitus.*
269 *Practica instructio circa modum petendi licentiam.*
270 *Licentiam hanc dare quis possit.*
271 *Superior sine licentia Papæ ad nullam aliam transire potest.*
272 *Ulterius requiritur, ut prius constet, quæ Religio strictior transeuntem recipere velit.*
273 *Item, ut transiens, antequam recipiatur, exhibeat dimissorias.*
274 *Regulariter non expedit ab una Religione ad aliam transire.*
275 *Benè vero in casu extraordinario.*
276 *Causæ, ob quas expedit à minus stricta ad strictiorem transire. Et n. seq.*

260 Quamvis de *Transeuntibus* ad aliam Religionem multa scribant DD. præsertim Roderiquez *tom. 3. qq. reg. q. 52.* per triginta articulos, Miranda *tom. 1. q. 31.* per viginti quatuor articulos, Pelliz. *tom. 1. tr. 3. c. 5. sect. 3.* Pirhing. *h. t.* per totam Sectionem IV. & alii; Nihilominus, quia hodie fere omnes Religiones, paucis exceptis, habent privilegia, vi quorum prohibetur eorum Professis, ne absque speciali licentia Papæ ad aliam Religionem transeant, ut benè advertit Hyacint. Donatus *tom. 1. tr. 6. q. 22.* & plura huiusmodi Privilegia refert *cl. tom. 1. tr. 5. q. 45.* notaturque in statutis nostris Generalibus *c. 2. §. 1. n. 22.* atque propterea receptio aliorum Religiosorum dissuadetur illis verbis: *Cavendum est præterea, ne quisquam alterius Religionis Professus, ad nostrum Ordinem recipiatur, quamvis habeat facultatem suorum Superiorum, ne fortè contra dispositiones Apostolicas fieri contingat; cum jam fere omnes Ordines privilegiis Apostolicis gaudeant, ne eorum alicui ad aliam Religionem transire liceat.* Hinc in materia hac in praxi amplius, vel non nisi rarissimè occurrente diu nos non detinebimus, afferemus tamen ea, quæ pro substantia scitu necessaria videbuntur.

261 Quæritur I. An Religiosi legitimè professi possint de una Religione ad aliam transire? & quæ conditiones ad talem transitum requirantur? Resp. I. Loquendo de iure communi certum est, posse Religiosos professos de una Religione ad aliam transire, si requisitæ de iure concurrant conditiones. Omnes, ob clara Jura *c. Licet 18. h. t.* Concordat *c. 7. eod. can. 3. cau. 19. q. 3.* quod etiam intellige de Monialibus, textu expresso *can. 1. cau. 20. q. 4.*

262 Resp. II. Ut autem transitus licitè fiat, requiruntur sequentes conditiones. I. Ut non fiat ex inconstantia, levitate, vel temeritate, vel ex ira, passione inordinata, sed ex bona sanctaque intentione ac fine, zelo v. g. maioris perfectionis, cura securius salvandi animam, desiderio evitandi pericula transgressionum in sua Religione forsan plus justo laxa &c. *arg. c. c. licet h. t.* ibi: *Ne qui ex temeritate, & levitate* Sanchez *lib. 6. moral. c. 17. n. 2.* & amplius *n. 11. & 12.* ubi etiam notas ponit, ex quibus coniecturare licet, Professum non ex bono zelo, sed ex levitate, vel alia illegitima causa transire, v. g. si rixæ præcesserunt, si transitum minatus est, Fagnanus *in c. c. licèt h. t. n. 30. & seq.* eoque teste Omnes. Quod si coniectura similis non adsit, præsumitur ex bono zelo transire, Fagnanus *l. c.* Gl. *penult. in c. c. licet h. t. ar. c. dudum de Præsump.* Si rationabiliter dubitatur, ad Superioris iudicium erit recurrendum, Sanchez *l. c.* notat tamen Hyacint. Donatus *tom. 1. tr. 5. q.* 8. Professum illum, qui occulto malo fine aut levitate &c. transit ad aliam Religionem, in ea nihilominus validè profiteri, eo quod finis malus, vel illegitimus non sit contra substantiam Professionis, nec ullibi irritetur Professio huiusmodi ex fine indebito facta.

263 II. Regulariter loquendo necessario requiritur, ut fiat transitus ad Ordinem strictiorem. Roderiquez *Tom. 3. q. 52. n. 4.* Sanchez *l. c. n. 20.* Abbas *in c. Sanè 10. h. t.* & ibi Anchoranus *n. 6* Pirhing. *eod n. 59.* Fagnanus *l. c.* Miranda *l. c. a. 3.* Hyacint. Donatus *l. c. q. 36. arg. c. c. licèt & c. sanè h. t.* iuncto *can. 1. cau. 20. q. 4.* Num autem per Ordinem strictiorem intelligatur ille, qui perfectior, an vero qui durior, asperior, & arctior, ipsique sensualitati magis contrarius, ob continuum, aut frequens ieiunium v. g. nuditatem, silentium, vigilias, solitudinem, mortificationes corporales &c. licèt multū disputent Doctores, uti videre est apud Sanchez *l. c* probabilior tamen, iurique conformior videtur, per strictiorem intelligi duriorem, & asperiorem, non vero absolutè perfectiorem. Abbas, Roderiquez, Sanchez, Anchoranus, Pirhin. *l. c.* & alii contra Mirandam *l. c.* D. Thomam *22. q. 189. a. 6.* Sylvestrum, & alios. Probaturque tum ex textu *c. licet h. t.* ibi: *Arctioris vitæ prætextu:* & ad finem *Ut apud eos vitam duceret arctiorem & can. 1. cau. 20. q. 4.* ibi: *Virgines sacræ, si lucro animæ suæ propter strictiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, concedit Synodus.* Tum quia *Extravag. viam h. t.* conceditur Mendicantibus, & aliis Religiosis ad Carthusianos transire; non quia horum Religio est perfectior aliis (cum in perfectione superetur à mixtis)' sed quia quibusdam censetur asperior ob perpetuum ieiunium, solitudinem, silentium &c. Tum quia vix unquam transitus fieri posset sine controversia, quavis Religione contendente, se æque, vel magis esse perfectam, etsi non duriorem. Tum tandem, quia transitus ab una Religione ad aliam videtur concessus ob tutiorem vitæ rationem, quæ ordinariè in maioribus asperitatibus reperitur, *arg. canon. 1. caus. 20. qu. 4.*

264 In illo tamen conveniunt DD. parum referre, an Religio aliqua asperior sit ex ipsa Regula, vel statutis particularibus: dummodo asperitas illa vigeat tempore transitus; enim vero licèt ex Regula, vel statutis Religio aliqua aliis sit strictior, ad eam transire non licebit, Religiosi primum rigorem deserentes, laxum vivendi modum de præsenti tenerent, *arg. c. Sane 10. h. t. ibi: Si locus, ubi nunc permanet, maioris Religionis* (strictioris videlicet observantiæ) *quam Ecclesia Arenatensis existat,* & ibi Abbas *n. 4.* Ioan. Andreas *n. 1.* Fagnanus *l. c.* Sanchez *l. c. n. 24.*

265 Sive autem per strictiorem Ordinem intelligatur perfectior, sive rigidior & asperior nulli ex Ordine nostro Seraphico licebit ad aliam etiam Carthusianorum Religionem transire iuxta Const. Julii II. Tum quia, si non aliis perfectior, saltem in perfectione nulli est secunda iuxta dicta *n. 64 & seq.* Tum quia rigidior & asperior est quavis alia, prout post S Bonaventuram, & Cordubam docet & probat Miranda *tom. 1. q. 31 a. 11.* patetque ex *c. 2.* ipsius Regulæ à Deo dictatæ, ubi de Professis dicitur: *Nullo modo* (consequenter nec per transitum) *ad aliam Religionem licebit eis de ista Religione exire.* Ratio additur: *quia secundum Evangelium nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est Regno Dei.* Quibus verbis manifestè insinuatur, cum, qui ista deserens, aliam ingrederetur, retrò respicere, id est, via perfectiori & strictiori derelicta minùs perfectam ac duram amplecti.

266 III. Requiritur, ut non fiat cum gravi jactura temporali, vel infamia primæ Religionis. Fagnanus *in c. Licèt h. t. n. 24.* Pirhing *h. t. n. 160.* Abbas *in cit. c Licèt eod. n. 12.* & communis aliorum, *arg. cit. c. Licèt h. t.* ibi: *Ne in jacturam, vel injuriam sui Ordinis.* Ratio est: tum quia nemo debet esse lapis offensionis, & causa scandali, *arg. c. 2. de Præscript. & c. Nisi cum pridem §. Pro gravi quoque scandalo de Renunt.* Tum quia communis utilitas speciali utilitati præfertur, *c. Licèt h. t.* Tum quia ad perfectiorem Religionem transire est actus *charitatis*, *arg. c. Licèt h. t.* ibi: *L. privata*, id est, *charitate*, ut exponit Glossa: non lædere autem primam religionem est actus *justitiæ*, *l. Justitiam ff. de Justit. & Jur.* atqui opera *justitiæ* præponenda sunt actibus *charitatis* supererogatoriis, *can. Forte & can. Denique caus. 14. q. 5.* Hinc inferunt Doctores citati docentque *in cit. c. Licèt h. t.* Anchoranus *n. 11.* Innocentius *n. 1.* Hostiensis *n. 5. & 6.* & alii, quòd sicut Ecclesiæ competit restitutio in integrum ob gravem læsionem in temporalibus *c. 1. de Restit. in integr.* sic, & multò magis eidem competat restitutio ob læsionem in spiritualibus, fama v. g. vel persona priùs sibi subdita, cùm gravius censeatur damnum spirituale, & personarum, quam rerum, *arg. can. Præcipimus caus. 2. q. 1.*

267 IV. Requiritur, Ut transire volens priùs à Superiore petat licentiam transeundi ad aliam religionem; quamvis necessariò non requiratur, ut sit obtenta, Fagnanus

l. c. n. 36. Sanchez *l. c. n. 32.* Miranda *to. 1. q. 31. a. 5.* Pirh. *h. t. n. 161.* & communis; textus expressus habetur *in c. c. licèt §. quoniam h. t.* ibi: *Subditus à Prælato cum humilitate & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur.* Quod autem necessarium non sit, eam esse obtentam, textus est *in eod. c. licet §. Talis*: ibi: *Non obstante proterva indiscreti Prælati contradictione.* Non potest tamen petita licentia statim discedere, & transire ad aliam Religionem, sed debet aliquo competenti tempore exspectare responsum. Fagnanus *l. c. n. 47.* Abbas *in c. licet h. t. n. 11.* & ibi Anchoranus *n. 5.* Sanchez *l. c. n. 34.* Ratio est; quia quicunque tenetur licentiam, vel consilium petere, tenetur debito tempore expectare responsum *cap. Cum in veteri 52. ad finem de Election.*

268 Quod si elapso debito tempore Superior licentiam deneget, potest, & debet subditus ante transitum petere denegationis causam, quam dare si recusat Superior, poterit libere discedere: sicut etiam si causam manifestè frivolam vel falsam allegat. Fagnanus *l. c.* Jo: Andreas *in c. c. licet h. t. n. 6. & 7.* & ibidem Abbas *n. 9.* Innocentius *n. 1.* Pirh. *h. t. n. 161.* & alii *arg. l. Nulla differentia ff. de Auth. Tutor.* Ratio est; quia tunc jam censetur Superior indiscrete, ac protervè negare licentiam.

269 Ut autem ritè procedatur debet Superior Religiosum transire volentem de causa transeundi interrogare, & tenetur Subditus eam manifestare ad hoc, ut cognoscere valeat Superior, an licentiam, dare, vel denegare possit, aut debeat. Sanchez *l. c. n. 36.* Jo: Andreas *in c. c. licet h. t. n. 3.* & ibi Hostiensis cum aliis. Quod si causam justam invenerit, *tenetur subdito sine difficultate transeundi licentiam concedere, ne propositum divinitus inspiratum impedire videatur*, uti dicitur *c. c. licet §. quoniam h. t. Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad arctiorem Ordinem, aut laxiorem ex charitate, an ex temeritate transire, Superioris est judicium requirendum*, prout pariter statuitur *c. c. Licèt §. si verò h. t.* Intelligitur autem per Superiorem ille, ad quem subditus appellaret, si gravaretur. Fagnanus *l. c. arg c. ut debitus & c. Cum speciali de appell.* non ille, à quo petitur licentia, *C. Ne quis in sua causa in rubro & nigro.* Porro in casu, quo dubitatur de legitima causa, non sufficit licentia petita, sed necessario debet esse obtenta, vel ab immediato Superiore, vel eo, ad quem appellatur. Fagnanus *l. c. n. 32.* Sanchez *l. c. n. 15. & 16.* Abbas *in c. Licet h. t. n. 3.* & alii. Ratio est; quia alias non oporteret judicium Superioris Majoris requirere.

170 Quinam autem Superior, immediatus nempe seu localis, an vero mediatus Provincialis v. g. vel Generalis dare debeat licentiam, quamvis sit aliqua controversia inter DD. communior tamen, & probabilior dicit, posse licentiam hanc dari etiam à Superiore immediato, seu locali, Abbas *in c. non est n. 6. h. t.* Sanchez *l. c. n. 59.* Pirhing. *h. t. n. 162.* Fagnanus *l. c. n. 36.* ubi etiam docet, non requiri ad hoc consilium, multo minùs consensum Conventus, *arg. c. c. licet h. t.* ubi præcisè requiritur licentia Prælati, quo nomine utique etiam Superior localis venit. Accedit: quod juxta omnes, etiam Adversarios in casu dubiæ causæ, vel injustè denegatæ licentiæ possit, & debeat adiri Superior Major; ergo supponitur, quod prius negotium habuerit Superior Minor, seu localis. Nec obstat *can. Statuimus 3. cau. 19. q. 3.* ubi prohibetur transire *sine Patris, & totius Congregationi consensu.* Nam contra est, quod in vetustis, & correctis Codicibus particula *Et in cit. can.* sit omissa, & dicatur *à Patre totius Congregationis*, uti benè post alios advertit Fagnanus *l. c.* neque contrarium evincit, quod in fine *cit. can.* dicatur, *communi cautione*; quia ut idem Fagnanus advertit ly communi refertur ad Superiorem dimittentem, & recipientem. Limitant tamen Doctores doctrinam hujus & præcedentis numeri in casu, quo aliud habent Ordinis statuta, vel consuetudo, utpote quibus Lex non derogat nisi exprimat, ut amplius dictum suprà *li. 1. ti. de Const.*

271 V. Requiritur, ut transire volens sit subditus, & non Superior aliquis vel Prælatus; quia talis sine expressa licentia Pontificis ad aliam Religionē nulla ratione transire potest. Fagn. *in c. c. licet h. t. n. 41.* Hyacint. Donatus *to. 1. tr. 5. q. 32.* & Communis, textu claro *cap. Licet, §. Si vero h. t.* ibi: Illa semper regula inviolabiliter observata, ut nullus absque licentia Romani Pontificis præsumat occasione quacunque deserere Præsulatum, causa additur, quoniam sicut majus bonum minori bono præponitur, ita quoque communis utilitas speciali utilitati præfertur. VI. Requiritur, ut Religio, a quo fit transitus, non habeat privilegium, vi cujus prohibetur ad aliam transire. Cujusmodi privilegiū hodie ferme omnes, paucis exceptis habent, prout jam dictum suprà *n. 260.*

472 VII. Requiritur, ut, antequam fiat transitus, & licentia ad eum concedatur, Superiori constet, an aliqua, & quæ Religio strictior parata sit transire volentem suscipere; prius enim discedens tractatur ut Apostata Fagnanus *l. c. n. 49.* Abbas *in c. fin. de renunt.* & ibi Joan: Andreas, Innocentius *n. 2.* cum communi. Estque declaratum à S. Congregatione, cum appositione rationis illis verbis: Ut apostatandi opportunitas regularibus præcidatur, statuit, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit: tumque Regularis rectà ea se transferat ad arctiorem. Quod ut re ipsa impleatur, idem Superior omni studio & diligentia invigilet. Sunt verba Decreti inter Constitutiones Urbani VIII. *n. 8.* Incipit *Sacra Congregatio*, apud Cherub. *tom. 4. Bullar.*

273 VIII. Requiritur, ut antequam in strictiori recipiatur transiens, prius exhibeat litteras Dimissorias Superioris, prioris Religionis. Fagnanus *l. c. n 50.* Sanchez *l. c. n. 39.* Pirhing. *h. t. n. 161.* textus est *in can. statuimus 3. cau. 19. qu. 3.* ibi: *Discedentem nullum sine communi litterarum cautione recipiat.* Hinc sine Dimissoriis venientem Religiosum debet Superior strictioris Religionis vel remittere ad Superiorem priorem, ut ab eo Dimissorias afferat, vel debet eundem interrogare, an licentiam dederit, vel negaverit; & quare? si causam manifestè justam alleget Superior prior, debet ei illico remitti Subditus: si verò dubiam, vel justam quidem, negat tamen eam subditus, debet eum ad Superiorem Majorem dirigere, ut coram eo prius negotium suum proponat, & finiat; nec expedit ut eidem controversiæ se immisceat Superior strictioris Religionis, ita DD. citati, *arg. c. c. licet h. t.*

274 Quæritur II. An expediat à Religione minus stricta ad strictiorem transire, & *Transeuntes* recipere? Resp. I. Regulariter loquendo, nec transire, nec *Transeuntes* recipere expedit, neque utile, nec laudabile est, nisi gravis urgeat causa. D. Thomas *2. 2. q. 189. art. 8.* Miranda *to. 1. q. 31. a. 1.* Sanchez *lib. 6. moral. c. 7. n. 1.* Roderiquez *to. 3. q. 52. a. 1.* ubi ad propositum longum, sed planè aureum refert Sermonem D. Bernardi *de Præcept. & Obed.* Pirhin. *h. t. n. 185.* & Communis aliorum. Ratio est: tum quia juxta consilium Apostoli *1. Ad Corinth. 7. quivis in vocatione, qua vocatus est, permaneat.* Tum quia, experientia teste, ita *Transeuntes* rarò in melius proficiunt: cum quivis in Instituto, cui assuevit, & quod expertus est, facilius proficiat, quam in peregrino ac insolito. Tum quia ordinariè ex tali transitu scandalizantur illi, qui relinquuntur; & aliqua saltem infamia, & vilipensio inuritur Religioni, quæ deseritur, aliis suspicantibus, disciplinam Regularem in illa minus vigere &c. Facit huc consilium Abb. Nestor. apud Cassian. *Collat. 24. c. 5.* ibi: *Cuique utile est, ut secundum propositum, quod elegit, summo studio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet, & nequaquam à sua quam semel elegit, professione discedat.*

279 Resp. II. Nihilominus quando notabilis speratur utilitas spiritualis, vel magna urget ratio aut necessitas, bonum commune &c. laudabile & sanctum est, à minus stricta, ad strictiorem transire Religionem, nec curandæ sunt murmurationes, aut querelæ Religiosorum prioris Religionis. Ita DD. citati cum communi, ac certa aliorum, *ar. c. licet 18. h. t.* cum concordantiis. Et probatur exemplo Ter mirabilis S. Antonii de Padua, qui à minùs stricta (cæteroquin tamen sancta) Religione S. Augustini Canonicorum regularium cum subsecuta maxima & ipsius, & totius Ecclesiæ utilitate transiit ad strictiorem Religionem nostram Seraphicam, non obstantibus Fratrum relictorum querelis, & illusionibus. Neque retardare potest, aut debet illa communis objectio, quod exinde aliqua infamia, consequenter & injuria Religioni deserendæ oriatur: tum quia nemini facit injuriam, qui utitur Jure suo. Tum quia prudentes ac timentes

Deum ex transitu nihil sinistri suspicantur de Religione deserta, scientes ad talem transitum sufficere, quod Religio deserta non sit ita stricta, etsi alias sancta.

276 Porro graves causæ & rationes à minùs stricta ad strictiorem transeundi sunt. *Primò*, Extraordinarius zelus tendendi ad maiorem perfectionem; pro qua obtinenda, efficaciora ac plura cernuntur media in strictiori Religione, quam in propria: item si minora in illa, quam in ista videntur impedimenta. Omnes, *arg. c. licet h. t. Secundò*, si propria Religio à primo instituto, & debita perfectione declinat: si nulla vel modica servatur disciplina regularis: si piè ac iuxta Institutum vivere, & ad perfectionem tendere volentes, persecutionem patiuntur, aut irrisionibus, vilipensionibus, aliisque modis absterrentur, aut impediuntur. D. Thomas *l. c.* Sanchez *l. c.* & communis aliorum. *Tertiò*, si quis à cæteris Fratribus odio habetur, malè ac indignè tractatur. Sanchez *l. c. n. 72.* Roderiquez *to. 3. q. 52. a. 9.* & alii, nisi Religiosus ipse ad hoc iniquè præbeat causam.

277 In Praxi satis erit, si Religiosus transire volens dicat, quod zelo maioris perfectionis acquirendæ transire cogitet ad aliam Religionem evidenter strictiorem: si aliam quoque causam habet v. g. defectum Religionis vel Religiosorum, poterit, si vult eam quoque Superiori Religionis, quam deserere intendit, non item Religionis, ad quam transit, manifestare, nè priorem Religionem diffamet.

Agendum hic etiam foret de ædificandis Monasteriis Item de Clausura Monasteriorum tam Religiosorum, quam Monialium, verumquia de priori agemus infrà *tit. 48. de Ecclesiis ædificandis*; de clausura verò *tit. de Statu Monach.* ideo hìc supersedemus.

Pariter hic etiam agendum foret de Reformatione Religionum; Verum quia materia Reformationis ascetica potius, quam canonica est, eam iis relinquimus, qui integros tractatus de Religione scribunt. Id solum cum unanimi DD. omni, qua par est, reverentia, cunctis Religionum Superioribus, Maioribus præsertim in Capitulis Generalibus & Provincialibus, congregatis dictum volumus, eos gravissime obligari, ut ubi, & quando Religionem, Provinciam, vel Conventum à primævo Instituto, & Regulari disciplina deficere conspiciunt, eam reforment, seu ad pristinum decorem, & Regularem disciplinam omnibus viribus per salutares constitutiones, & convenientia reducant. Ad quem finem præcipue præ oculis haberi debet Bulla Clem. VIII. *Nullus omnino* ordine 9. in Bullar. Cherub. edita pro Reformatione quarumcunque Religionum; quæ Bulla de novo fuit confirmata ab Urbano VIII. *in const. 28.* apud Cherub. ubi legi potest. Insigniter de Reformatione Religionum inter alios agit Pelliz. *tom. 1. tr. 1. cap. 5.*

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
Conversio Conjugatorum quid? Ib.
2 *Ante consummatum Matrimonium potest quivis Conjux etiam altero invito Religionem ingredi.*
3 *Si unus ingreditur, potest alter post Professionem illius ad servanda vota transire.*
4 *Post contractum Matrimonium habet quivis conjux bimestre ad deliberandum, an velit Religionem ingredi; nec tenetur reddere debitum.*
5 *Extenditur hoc bimestre: & quomodò?*
6 *Per copulam intra bimestre vi extortam non impeditur ingressus.*
7 *Nec consummatur Matrimonium.*
Quid requiratur ad consummatum Matrimonium? Ib.
8 *Idem est, si copula gravi metu incusso obtinetur.*
9 *Limitatur.*
Exceptio non prodest, nisi opponatur. Ib.
10 *Post consummatum Matrimonium unus sine consensu alterius Religionem ingredi non potest.*
Et quid si tamen ingrediatur. Ib.
11 *Cum consensu alterius verò potest.*
12 *Requiritur tamen, ut & alter Religionem ingrediatur, si juvenis est, vel senex quidem, sed suspectus de incontinentia.*
13 *Si autem senex, & absque suspicione, sufficit, si in sæculo manens Professionem emittat.*
14 *Conjux in sæculo manens necessario debet esse senex.*
15 *Quæ senectus requiratur. usque ad n. 19.*
16 *Fœminæ citius senescunt, & generare desinunt quam viri.*
17 *Ætas, & senectus, ubi non determinatur à Jure, deciditur arbitrio Judicis.*
18 *Quas Regulas observare debeat in arbitrando Judex?*
19 *Insuper requiritur, ut remanens in sæculo non sit suspectus de incontinentia.*
20 *Et ut perpetuam continentiam voveat.*
21 *Licentia Episcopi ad validum ingressum de Iure communi non requiritur, benè tamen ad licitum.*
22 *Professio Conjugis sine recensitis requisitis facta, quamvis sit illicita, tamen valet, dummodo adsit consensus Conjugis.*
23 *Si remanens in sæculo perpetuam castitatem non voverit, potest, & debet Professus iterum revocari.*
24 *Secus si vovit.*
25 *An, & quando Conjux juvenis altero profitente remanens in sæculo, & castitatem vovens compellendus sit ad ingrediendam Religionem.*
26 *Si unus Conjugum adulterium committit, potest eo invito alter Religionem ingredi.*
27 *Etiam propria authoritate.*
28 *Si adulterium est publicum.*
29 *Pars innocens post alterius adulterium, si ei cohabitat, vel etiam adulteratur, eo invito Religionem intrare non potest.*
Paria delicta mutua compensatione tolluntur. Ib.
30 *An, si pars innocens Religionem ingredi nolit, possit, & debeat adultera ingredi. Et n. seq.*
32 *Potest pars adultera ingredi Religionem, si innocens tacitè vel expressè consentit.*
33 *Uno adulterante, potest innocens etiam in sæculo Ordines recipere. Et n. seq.*
35 *Uno spiritualiter adulterante, alter separatione per Episcopum facta, Religionem ingredi potest.*

EXperientia constat, etiam Coniugatos subinde Religionem ingredi attentare: quia verò de horum ingressu speciales sunt difficultates, hinc Compilator Canonum post *t. de reg.* specialem posuit titulum de conversione, seu ingressu Coniugatorum in Religionem. Ad propositum enim per conversionē coniugatorū aliud non intelligitur, quā ingressus eorundem in Religionem. 1

Quæritur I. An, & quando Coniuges ingredi possint Religionem? Resp. I. Post Matrimonium rite contractum, sed nondum consummatum semper licitum cuivis Coniugum, etiam altero invito Religionem intrare. Omnes, textu claro *c. 2. h. t.* ibi: *Post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium (sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos.* Concordat *c. 7. eod.* 2

Si tamen unus Religionem ingrediatur, *alteri remanenti in sæculo licitum est ad secunda vota transire*; seu cum alio matrimonium contrahere, uti expresse statuitur *c. c. 2. h. t.* ita tamen, ut expectet, donec anno Novitiatus finito, alter Coniux Professionem emittat; eo quod Matrimonium ratum non statim nudo ingressu, sed primum per subsequentem Professionem dissolvatur, uti concedunt 3

omnes, patetque ex Conc. Trid. *Sess. 24. can. 6.* ibi: *Si quis dixerit Matrimonium ratum non consumatum per solemnem Religionis Professionem non dirimi, anathema sit.*

4 Resp. II. Post contractum Matrimonium conceditur cuivis Conjugum bimestre ad deliberandum, an in conjugio manere, vel ad Religionem transire velit? per textum *c. Ex publico 7. h. t.* ibi: *Mandamus, quatenus si vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad Religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione &c. vel ad Religionem transire, vel ad virum suum redire, intra duorum mensium spatium debet.* Hinc intra bimestre uxor viro, & reciprocè hic illi debitum conjugale reddere non tenetur. Imo potest, si vult, intermedio illo tempore à viro abesse, *arg. cl. c. 7. h. t.* dummodò sufficientem cautionem præstet, quod intra duos menses vel Religionem ingredi vel ad Conjugem redire velit, ut patet legenti textum. Et licèt alias per sufficientem cautionem intelligatur ea, quæ fit datis fidejussoribus vel pignoribus, *l. si mandato §. fin. ff. de mandati.* tamen in hoc casu sufficit juratoria, si Conjux aliam præstare nequit. Abbas *in c. cap. 7. h. t. n. 11.* & *ib.* Fagnanus *nu. 10. arg. c. per vestras 7. de Donat. inter virum & uxor.*

5 Quod si vir absque cautione uxorem intactam relinquat, & matrimonium non consummet, potest etiam post bimestre: imò post annum adhuc Religionem ingredi. Ratio est; quia tempus bimestre computatur à die præfixi à Iudice termini, & præstitæ cautionis, uti apertè colligitur ex *c. c. 7. h. t.* & docet ibi Gl. *V. intra duorum.* Fagnanus *ib. n. 26.* eoque teste, Canonistæ omnes. Infertur, quod etiam post bimestre uxor debitum recusare possit, & dicere, ego volo intrare Religionem, & hoc tam diu continuare, donec ei præfigatur terminus, vel ipsa uxor cautionem præstet; hac enim præstita, vel intra duos menses Religionem intrare, vel debitum conjugi reddere debet.

6 Resp. III. Si intra bimestre à Iure concessum vir ab uxore copulam vi obtinet, potest uxor adhuc ingredi Religionem, saltem in casu, quo vim inferre nitenti excipiendo manifestaverit, se velle ingredi Religionem aut circa hoc adhuc in deliberatione esse. Gl. *in can. fin. V. Invitus dist. 55.* Fagnanus *in c. 7. h. t. à nu. 27.* Abbas *in c. 2. h. t. n. 9.* Sanchez *lib. 2. de matr. disp. 22. n. 6.* Ioan. Andreas *in c. quæ contra jus de R. J. n. 6.* Pirhing. *h. t. nu. 56.* cum communiori & probabiliori aliorum, contra Zoesium *h. t. n. 13.* Sylvestrum *V. Luxuriam q. 6.* & nonnullos alios. Ratio est: Tum quia sine culpa nemo debet privari suo jure, *c. Discretionem 6. ad fin. de eo qui cognovit.* Tum quia talis maritus injuriam infert uxori, & iniquè agit, *c. ex publico 7. h. t.* nemo autem ex iniquitate sua debet commodum reportare *c. Ad nostrum de Empt. & Vend. c. Tua de Clericis non resident.* cum Concordantiis. Tum quia indultum mulieri à Iure beneficium, dissentienti non est auferendum *c. indultum de R. J. in 6.*

7 Nec dicas cum Adversariis, mediante copulâ etiam violenta virum & uxorem fieri unam carnem, & consummari Matrimonium, consequenter nulli amplius liberum esse, altero invito Religionem intrare, *ar. c. Ex publico 7. h. t.* Nam contra est: tum quia non quævis injuriosa, sed solum legitima consummatio matrimonii impedit ingressum in Religionem, per Jura & rationes *nu. præc.* allegatas. Tum quia per copulam carnalem vi extortam matrimonium penitus non consummatur; quia matrimonium consummatum repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, & sortitur Jure Divino indissolubilitatem, *can. Deinde dist. 26. can. cum societas cau. 27. q. 2. & c. Debitum de Bigam.* ergo per eam solam copulam consummatur, quæ potest hanc unionem repræsentare; cum omne, quod est alterius signum, debeat illi esse simile, *ar. can. signum est & can. species de Consecr. dist. 2.* sed talis est sola copula voluntaria, cum unio Christi voluntaria fuerit, juxta communem Theologorum. Confirmatur: vis impedit consummationem matrimonii spiritualis, *arg. can. Judices dist. 45. & c. Majores de Baptism.* ergo multo magis impedit consummationem matrimonii carnalis, in quo cessare debet omnis coactio, *c. Cum locum de Sponsal.* Hinc duo requiruntur ad consummationem matrimonii, consensus videlicet animorum, & conjunctio corporum quæ firmat, & perficit, *can. In omni 36. cau. 27. qu. 2.* Accedit, quod si uxor ab alio viro opprimeretur, hoc ei vir imputare, vel propterea eam privilegio aliquo privata esse, inferre non posset, *l. Vim passa ff. de adulter.* ergo multo minus imputare ei debet, quando ipse injuriam infert.

Et quod diximus de copula vi extorta, intelligendum est etiam de copula per metum injustè incussum obtenta. Sanchez *l. c. n. 12.* & alii contra Fagnanum *l. c. n. 45.* Ratio est, quia omnes rationes & Jura contra vim allegata, a potiori etiam quadrant contra metum gravem injustè incussum, cum ut consideranti patet, alias vir ex iniquitate reportaret commodum, & mulier absque propria culpa privaretur privilegio. Præterquam quod etiam copula per injustum metum obtenta non repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, utpotè perfectè voluntariam: ac insuper metus gravis injustè incussus impediat consummationem matrimonii spiritualis: ergo & carnalis &c. 8

Cæterum rectè limitat Conclusionem Fagnanus *l. c. n. 33. & 34.* in casu, quo uxor vim patiens de ingressu in Religionem nihil dicit, sed absolutè renuit consummare Matrimonium, vel aliam causam allegat. Ratio est; quia vir matrimonio inito statim acquirit jus in corpus mulieris *1. Ad Corinth. 7.* solo excepto casu, quo uxor cogitat, vel deliberat intrare Religionem, ergo si renitens, hanc causam non allegat, sed aliam, vel nullam, vir utitur jure suo, consequenter eidem injuriam non infert, sicut non infert, si post tempus à Jure ad deliberandum concessum, per vim extorquet copulam. Nec obstat, quod uxor intra bimestre habeat jus excipiendi; quia regulariter loquendo, exceptio non prodest, nisi opponatur, *Inst. de except. per tot.* & notat Bartolus *in l. Eum qui §. ita ff. de V. O.* 9

Quæritur II. An, & quando Conjuges intrare possint Religionem post matrimonium jam consummatum? Resp. I. Post consummatum matrimonium nullus Coniux potest sine consensu alterius Religionem intrare, bene tamen cum consensu alterius, si requisitæ adimpleantur conditiones. Unanimis ac certa, claris Juribus. Et quidem *prima pars*, quod sine consensu unius alter intrare nequeat, patet ex *c. quidem 3. h. t.* ubi vir invita uxore Religionem professus, iubetur ad uxorem redire, & declaratur Professio nulla, adeo, ut nec mortua uxore ad Religionem redire teneatur. Additur tamen, quod mortua uxore aliam ducere non possit; neque petere debitum ab uxore vivente, quod idem statuitur *c. placet 12. eod.* Ratio subiungitur *c. c. 3. h. t.* illis verbis. *Promisit enim se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat, & ideo quo ad hoc votum tenuit; non reddere autem non erat in ejus, sed mulieris potestate.* Quæ ratio aliis verbis etiam habetur *c. c. placet 12. eod.* Infertur proin Professionem Coniugis post consummatum matrimonium altero invito factam non carere omni effectu, cum saltem hoc efficiat, quod talis inutiliter professus ab uxore non amplius petere debitum possit, licet ei id reddere teneatur: & mortua uxore alteri nubere non amplius valeat. 10

Secunda pars Conclusionis, videlicet, quod cum consensu alterius unus Coniux Religionem ingredi, & ibi profiteri valeat: clarè patet ex *c. 1. & pluribus aliis h. t.* Additur autem *dummodo requisitæ adimpleantur conditiones.* Nam 11

Resp. II. Ad hoc, ut Coniux post consummatum matrimonium Religionem ingredi, atque in ea validè simul & licitè profiteri valeat, præter consensum alterius necessariò requiritur, ut etiam alter Coniux Religionem ingrediatur, si adhuc est iuvenis, vel senex quidem, sed non absque periculo incontinentiæ. Fagnanus *in c. Cum sis 4. h. t. à n. 7.* & ibi Abbas *n. 1.* Anchoranus, Jo: Andreas Pirhing. *h. t. n. 5* Sanchez *li. 7. de matr. disp. 32. n. 2.* dicens Conclusionem esse certissimam, & Communem aliorum, textu claro *c. Sunt qui 19. & c. Agathosa 21. c. 37. q. 2. c. cum sis 4. h. t.* ibi: *Prohibemus, ne virum, vel uxorem (nisi uterque ad Religionem migraverit) transire permittas. Verum si ita uxor senex est, & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejusdem.* Concordat *cap. Uxoratus 8. & cap. Ad Apostolicam 13. eod.* ibi: *Non potest una pars converti ad Dominum* (ingrediendo Religionem) *& altera in sæculo remanere, professò non est alter Conjugum accipiendus,* 12

ad observantiam, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat, sed & vitam debet mutare: nisi fortè sit ejus ætatis ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere. Neque sufficit, ut simpliciter ingrediatur, ibique maneat, sed debet etiam ibidem profiteri, ut bene observat Abbas in c. Uxoratus h.t. n.3. Sanchez l.c.n.4. & alii DD. citati; quia propriè non dicitur transire ad Religionem, neque converti (quod tamen Iura citata requirunt) nisi profiteatur in eadem.

13 Resp. III. Si autem unus Conjux est senex, simulque ita constitutus, ut nulla de eo prudens habere possit incontinentiæ suspicio, insuper perpetuum continentiæ votum emittere sit paratus, potest (ipso manente in sæculo) de ejus licentia alter Religionem intrare, ibique validè ac licitè profiteri: Omnes, caretque controversia; ob claram dispositionem Canonum n. præc. allegatorum. Ex quo infertur quatuor copulative requiri ad hoc, ut unus Conjux altero manente in sæculo Religionem intrare possit. I. Consensus alterius uxoris c. 3. h. t.

14 II. Ut Conjux in sæculo remanere volens sit senex, c. 4 h. t. ibi: Si ita senex est & c. 13. ibi: Nisi fortè sit ejus ætatis &c. ut proin Conjux juvenis, quantumvis à suspicione & periculo incontinentiæ ob optimos mores sit aliena, in sæculo manere non possit, sed necessario etiam Religionem ingredi debeat, ad hoc, ut ejus compars licitè & validè ingredi & profiteri valeat, ut bene advertit Fagnan. l. c. n. 10. Abbas in c. conjugatus 5. h. t. nu. 4. & alii. Ratio est; quia conjux juvenis copulæ prius assueta non potest esse sine suspicione & periculo incontinentiæ, hoc ipso quod juventus semper exposita sit variis incontinentiæ casibus, arg. can. Episcopus dist. 77. præsertim si carnali conjunctioni prius erat assueta, uti in casu nostro ac hoc præcipue in mulieribus, quia mulier semper volubilis est ut rota. Barb. in c. c. Conjugatus 5. h. t.

15 Quanta autem senectus requiratur ad hoc, ut uno Conjuge Religionem intrante, alter in sæculo remanere valeat, non est eadem DD. sententia. Sotus siquidem relatus à Sanchez lib. 7. de matr. disp. 32. n. 15. docet, Conjugem ad propositum reputari senem, si est sexagenarius, ar. can. Juvenculos cau. 20. q. 1. & can. quomodo cau. 31. q. 1. ubi additur etiam illud Apostoli 1. Ad Tim. 5. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum. Accedit, quod anno sexagesimo juxta communem Theologorum apud Sanchez l. c. quivis excusetur à jejunio.

16 Sanchez vero l. c. meritò dicit non eandem esse habendam rationem in fœminis quæ in viris; quia fœminæ sicut citius pubescunt, ita citius senescunt quam viri, ad hoc, ut periculum incontinentiæ in eis cessare dicatur, eo quod in eis calor naturalis, qui est libidinis incentivum & potissima causa, ut late demonstrat Tiraq. l. 9. Connubii n. 150 & seq. citiùs deficiat, quam in viris, suntque ex natura frigidiores viris. Hinc putat, fœminam ad propositum satis esse senem, si est quinquagenaria; virum verò si est sexagenarius, eo quod ordinarie loquendo fœminæ post annum quinquagesimum ratione ætatis steriles esse incipiant, & generare desinant, adeo ut rarum & admirabile dicatur in Iure, si uxor post quinquagesimum annum adhuc generat, l. si major. 12. C. de Legit. hær. viri autem anno sexagesimo acquirant generandi finem, ita ut partus posteà eveniens accidenti potius quam naturæ adscribendus sit, ar. l. si paterfamilias § fin. ff. de Adopt.

17 Verum Fagnanus in c. c. cum sis 4. h. t. ad longum refutat utramque opinionem cum earundem fundamentis, & dicit, relinquendum esse arbitrio Iudicis, quis ad propositum sufficienter dicatur senex, eo quod juxta opinionem Innocentii communiter receptam in c. quoniam frequenter n. 3. ut lite non contest. In casibus, in quibus nulla certa ætas determinatur à Iure, stetur arbitrio Iudicis, quis dicendus sit senex; circa regulandum autem hoc judicium conveniunt DD. primò ante annum quinquagesimum neminem appellari posse senem, Fagn. l. c. n. 22. Conveniunt secundò post annum septuagesimum quemvis dici posse senem, Abbas in c. c. quoniam n. 18. ut lite non contest. ita ut arbitrium Iudicis præcisè locum habeat à quinquagesimo usque ad septuagesimum annum. Ante quinquagesimum enim certum est absque Iudicis arbitrio nullum dici senem: & post septuagesimum sine ullo arbitrio quivis habetur pro sene: quia post septuagesimum annum ætas in quovis habetur pro deplorata, ac debet quivis quantumvis benè complexatus in ea ætate mortem timere. Albert. in dict. V. Senem.

18 Intermedio itaque à quinquagesimo usque ad septuagesimum annum tempore arbitrabitur Judex (Episcopus videlicet ar. c. cum sis 4. h. t.) an Conjux in tali existat senectute, ut sterilis, id est, ad generandum inhabilis sit, non ex natura, sed ratione ætatis; talis enim ætas necessariò requiritur, eo quod ubi ratione ætatis potentia generare cessat, etiam calor naturalis, incontinentiæ incentivum deficere, consequenter periculum ac suspicionem incontinentiæ abesse præsumitur, c. c. cum sis, 4. h. t. ibi: Si ita senex est & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo. Sanchez l. c. n. 16. Fagn. l. c. & alii. In arbitrando autem non eandem quidem rationem de viris & feminis habere, sed minorem ætatem in his quam illis pro sufficienti judicare debebit, ut benè docet cum aliis Sanchez l. c. Non tamen in quavis fœmina annum quinquagesimum, nec in quovis viro sexagesimum pro sufficienti ætate ad manendum in sæculo judicare poterit, uti vult Sanchez l. c. sed prius attendere etiam debet ad robur & temperamentum corporis, ad qualitatem Religionis &c. ut rectè docet Fagnanus l. c. eò quod ob has & similes circumstantias non rarò fœminæ quinquaginta & aliquot annorum magis sint vegetæ, magisque habiles ad generandum, quam nonnullæ fœminæ in quadragesimo. Pariter etiam viri plures post sexagesimum adhuc plus robusti & habiles sunt, quam alii post quinquagesimum. Consideratis ergo hujusmodi circumstantiis primum judicabit, an mulier post quinquagesimum annum, vel vir post sexagesimum annum sit ita senex, ut sit sterilis; pro quo etiam adhibere poterit judicium Medicorum, prout amplius demonstrat Fagnanus l. c.

19 III Requiritur, ut non sit suspectus de periculo incontinentiæ ratione morum, c. Uxoratus 8. h. t. ibi: Quæ integræ opinionis existat, ut nulla suspicio habeatur, quod minus continenter habeat vivere, & infrà, Si autem talis fuerit, quæ suspicione non careat, debet Religionem intrare. Hinc etsi senex & sterilis ratione ætatis, nihilominus, si constat, eum incontinentiæ esse deditum, vel in hoc vitio suspectum esse, non potest, altero Religionem intrante, in sæculo manere, sed debet & ipse intrare, uti benè docet Fagnanus in c. cum sis 4. h. t. n. 9. Pirhing. h. t. n. 6. Innocentius in c. significavit h. t. & alii.

20 IV. Requiritur, ut perpetuum votum continentiæ emittat. Omnes, textu claro c. cum sis 4. h. t. ibi: Ut castitatem promittente, & cap. Ad Apostolicam 13. h. t. ibi: Nisi perpetuam continentiam repromittat. Concordat c. Significavit. cod. & alii Canones.

21 Cæterum de Iure communi licentia Episcopi non requiritur ad hoc, ut unus Conjux de consensu alterius inter Religionem, ibique validè profiteatur. Abb. in c. 1. h. t. Glossa in can. si vir. 23. cau. 27. q. 2. Sanchez de matr. li. 7. disp. 32. n. 3. & communis aliorum, ar. c. 1. h. t. ubi Professio Conjugis ignorante Episcopo facta censetur valida. Verum ut licitè fiat Coniugis Professio, licentia Episcopi videtur necessaria, can. si vir. 23. cau. 27. q. 2. ibi: Si vir & uxor divertere pro sola Religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine licentia Episcopi fiat. Gl. in c. 1. h. t. V. Revocari. Layman l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 3. Ratio est; quia per talem ingressum fit separatio quoad thorum, hæc autem sine licentia Episcopi fieri universaliter prohibetur, can. Multorum 10. cau. 35. q. 7. Porro ad Episcopum pertinet judicare, an aliquis Conjux sit ita senex, ut à suspicione incontinentiæ immunis sit, quod altero Religionem intrante manere possit in sæculo, voto castitatis emisso, textu claro c. cum sis 4. h. t. Layman l. c. n. 3.

22 Resp. III. Licet illicitè agat, & peccet Conjux, si non adhibitis conditionibus enarratis Religionem ingrediatur ibique Professionem emittat, per Iura citata, nihilominus valida erit talis Professio, dummodo cum consensu uxoris fuerit facta. Gl. in c. Ex p. V. de Jure h. t. Abbas ib. n. 2. 3. & 5. & alii, arg. can. Agathosa. 21. cau. 27. q. 2. & c. Ex p. h. t. ubi dum vir sine debitis conditionibus, cum licentia tamen uxoris Religionem professus, & revocante uxore iterum egressus mortua eadem alteri nuberet, matrimonium fuit declaratum nullum, & vir compulsus Religionem priorem intrare, quod fieri non potuisset, si Professio ejusdem valida non fuisset. Accedit, quod Professio sine aliquâ ex conditionibus cum licentia ta-

men

men uxoris facta nullibi in Jure irritetur.

23 Notandum tamen, quòd si unus Conjugum cum consensu alterius profiteatur, & alter in sæculo manens perpetuam castitatem non voveat, Professus ad uxorem per Episcopum iterum revocari possit, & debeat; uti expressè statuitur c. 1. h. t. & tenent hic DD. communiter. Revocatus autem debitum petere non potest, ob dicta suprà n. 10. Reddere tamen tenetur, idque petere alteri Religionem non ingresso licet, alias enim frustra revocaretur.

24 Si verò pars remanens in sæculo vovit castitatem, Professus revocari ampliùs non potest, sive dein remanens in sæculo sit juvenis, sive senex, sive suspecta, sive non. Fagnanus in c. 1. h. t. & ibi Hostiensis, Abbas n 8. Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 33. n. 9. & communis aliorum, arg. c. 1. h. t. ubi ad hoc, quòd Professio Conjugis de licentia alterius facta irrevocabiliter valeat, divisivè solùm requiritur, ut alter Conjux vel ad Religionem transierit, vel perpetuam continentiam voverit, nec distinguit inter senem vel juvenem; ergò si perpetuò vovit, Professus revocari ampliùs non poterit, sive juvenis sive senex, aut suspecta; cùm ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus l. de Pretio ff. Public. in rem action.

25 Conveniunt etiam DD. citati, quòd si ex tali casu pars remanens in sæculo sit juvenis, aut suspecta, per Episcopum compelli debeat, ut & ipsa Religionem ingrediatur arg. c. Significavit 18. h. t. Num autem ibidem etiam profiteri, an solummodò inclusa manere debeat, ad vitandas evagationes, & pericula incontinentiæ, disconveniunt: sed videtur cum distinctione respondendum: videlicet, si remanens in sæculo juvenis, aut suspecta fuit conscia Juris, quòd dans licentiam & ipsa profiteri debeat arg. can. Uxorem 10. caus. 33. q. 5 compellenda erit, non tantùm ut ingrediatur, sed & profiteatur ibidem, arg. cit. can. Uxorem & c. Significavit 18. h. t. Ratio est; quia censetur ad id tacitè se obligasse. Si verò fuit Juris ignara, erit tantùm compellenda ad manendum in Monasterio, non verò ad profitendum; cùm nec tacitè nec expressè ad id se obligaverit, nec consensum præstitit; nam sicut nemo præcisè cogitur ordinari, arg. c. Quæris de Ætate & qual. ita nemo præcisè cogitur profiteri can. Integritas 32. q. 1. & hæc distinctio placet Abbati in c. 1. h. t. n. 8. & ibi Fagnanus n. 4. ad finem Sanch. l. c. n. 27. Pirhing h. t. n. 13. & aliis. Id quod Jura de Conversione Conjugatorum ordinatum habent, expressè etiam continetur in Regula nostra à Christo dictata cap. 2. illis verbis, ibi: Si qui voluerint hanc vitam accipere &c. & uxores habent, & jam Monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint, authoritate Diœcesani Episcopi, voto continentiæ jam emisso, & illius sint ætatis uxores, quòd non possit de eis oriri suspicio.

26 Quæritur, An, & quomodò Conjuges Religionem intrare, vel etiam Ordines suscipere valeant, casu quo unus eorum committat adulterium carnale, vel spirituale labendo in hæresin, vel infidelitatem? Resp. I. Si unus Conjux adulterium carnale committit, potest pars innocens etiam invito adultero Religionem intrare, ibique irrevocabiliter profiteri, ita ut ab adultera parte etiam emendata revocari non amplius possit. Abbas in c. Constitutus 15. h. t. n. 1. & 5. & ibi Barbosa, Anchoranus, Sanchez lib. 10. de Matrim. disp. 11. cum communi & certa aliorum, arg. cit. c. Constitutus 15. & c. Veniens 16. h. t. juncto can. Agathosa 21. caus. 27. q. 2. & can. 2. caus. 32. q. 1. Ratio est; quia Conjux adulterando perdit omne jus conjugale, c. 4. de Divor. quod solùm obstaculum esset ingressui in Religionem. Nec requiruntur ad talem ingressum conditiones suprà enarratæ; quia ut benè advertit Pirhing h. t. n. 35. Sanchez Disp. 10. n. 15. eæ tantùm necessariæ sunt in casu illæsi matrimonii, ubi quævis jura conjugalia salva possidet.

27 Et quidem si adulterium publicum est & notorium potest pars innocens propria authoritate, non exspectata sententia Divortii Religionem ingredi. Abbas in c. Constitutus 15. h. t. n 4. & ibi Barb. n 2 Sanch. l. c. n. 5. & 10. Pirhing h. t. n. 35. Sylvester V. Divortium q. 23. dist. 2. Vallensis h. t. n. 5. arg. cit. c. Constitutus h. t. Ratio est; quia licèt alias Divortium viri & mulieris sine licentia Episcopi fieri non possit, arg. c. Multorum 10. caus. 35. q. 7. tamen limitatur hoc in casu, quo unus adulterium commisit; tunc enim pars innocens facultatem propria authoritate dimittendi partem adulteram habet à Lege Divina; Matth. 19. & humana cit. c. Constitutus & adhuc clariùs, can. Dixit Dominus 2. caus. 32. q. 1. ibi: Ubicunque fornicatio est, liberè uxor dimittitur: & ampliùs demonstrat Glossa in c. fin. de Adulter. V. Fornicationis, & ibi Abbas præcipuè ob rationem in Conclusione datam.

28 Secùs est, si adulterium adhuc est occultum, quia tunc debet exspectare sententiam Divortii. Sanchez l. c. n. 5. & Disp. 12. Pirhing h. t. n. 35. communis aliorum. Hinc si absque tali sententia Religionem intrat, in foro externo restitui debet adultero, non obstante exceptione adulterii, prout teste Sanchez l. c. n. 5. tenent omnes, arg. c. Item cùm quis de Restit. spoliat.

29 Limitatur Conclusio n. 26. posita. I. Casu, quo pars innocens post habitam notitiam adulterii alterius tamen adultero cohabitet, eique reddat, vel ab ipso petat debitum, nisi id faceret ex mandato Ecclesiæ. Glossa in cit. c. fin. de Adult. V. Fornicationis. Vallensis h. t. n. 5. cum communi. Ratio est, quia censetur eidem reconciliatus remisisse injuriam, arg. can. 1. 2. & 3. caus. 32. q. 1. & l. Si, uxor §. fin. ff. de Adulter. II. Si etiam ipse adulterium committit. Vallensis l. c. Ratio est; quia propria delicta mutua compensatione tolluntur, c. fin. de Adult. & ibi Glossa communiter recepta.

30 Resp. II. Si pars innocens Religionem non ingreditur, sed in sæculo manens adulteram partem à se repellit, non potest hæc sine licentia illius Religionem ingredi. Glossa in c. Ex litteris, V. Redire, de Divort. Sylvester V. Divortium q. 10. Sanch. de matr. l. 10. disp. 10. n. 12. & 13. D. Bonaventura in 4. dist. 35. q. 5. Pirhing h. t. n. 35. Laym. l. 5. T. 10. p. 3. c. 7. n. 11. & alii contra nonnullos alios à Sanchez l. c. n. 11. citatos. Ratio est: quia Conjux innocens habet jus injuriam condonandi adulteræ parti, eamque ad thalamum revocandi, prout ex Jure, rationibus, & copiosa Doctorum authoritate demonstrat Sanchez l. 10. de Matrim. disp. 10. n. 3. & seq. quo jure invitus privari non potest.

31 Notandum tamen, quòd etsi pars innocens adulteram nec recipere, nec statim licentiam ad profitendam Religionem dare teneatur, arg. c. Gaudemus 19. h. t. tamen laudabiliter faciat, si propter Deum iterum recipiat, & ut faciat; ab Episcopo diligenter moneri debeat: quòd si pars innocens post repetitas Episcopi monitiones, vel exhortationes nocentem recipere recusat, debet ab Episcopo in Monasterium detrudi ad agendam ibi pœnitentiam, textu claro, c. c. 19 h. t. in quo etiam profiteri poterit, saltem post biennium, si eam verè emendatam, post repetitas monitiones recipere nolit pars innocens. Barbosa in cit. c. 19. h. t. & ibi Joan. Andreas n. 3. Anchoranus n. 2. Sanchez lib 10. de Matrim. disp. 10. n. 16. Pirhing h. t. n. 37. arg. Authen. Sed hodie, C. ad Leg. Jul. de Adult. Ratio est; quia si quis aliquoties monitus post biennium adhuc recusat recipere emendatam, censetur vel tacitè dare licentiam, vel irrationabiliter negare, uti notant Doctores citati.

32 Resp. III. Si pars innocens nocenti adulteræ tacitè, vel expressè dat licentiam Religionem profitendi, vel Ordines suscipiendi, potest nocens hac licentia licitè & validè uti, etsi pars innocens adhuc sit juvenis, & in sæculo manens, votum continentiæ non emittat. Sanchez loc. cit. n. 15. Pirhing loc. cit. n. 35. & alii. Fundamentum ac ratio est, quam supra allegavimus n. 26. Pariter potest pars adultera Religionem ingredi, & in ea profiteri etiam inscia & invita parte innocente, si hæc prius Religionem profitetur. Communis ac certa. Ratio patet; quia quando pars innocens Professionem emittit, incapax est revocandi partem innocentem, & eidem conjugali jure cohabitandi; quòd solum alias Professionis obstaculum esse potest.

33 Resp. IV. Quandocunque vir ob adulterium uxoris ea invita potest Religionem ingredi, potest etiam Ordines sacros in seculo quoque manens accipere, dummodò aliud non obstet impedimentum, ita contra Innocentium in c. Veniens h. t. & ibi Joan. Andr. n. 4. Hostiens. n. 8. & 9. & Alios docet Glossa in c. Constitutus h. t. v. ad gradum Abbas ibid. n. 4. Navar. lib. 4. de Sponsal. consil. 23. n. 6. Sylvester v. Divortium q. 17. n. 20 Sanchez lib. 10. de Matrim. Disp. 11. n. 16. Pirhing h. t. n. 34. cum communiori & probabiliori aliorum, arg. cit. c. Constitutus 15. h. t. Ratio est; quia postquam mulier adultera totum suum amisit jus ad virum, non est maior ratio, cur ea invita possit vir profiteri Religionem, & non in sæculo Ordines suscipere.

Nec

34 Nec dicas disparitatem esse, quòd uxor adultera post mortem viri Religionem professi possit alteri nubere non item post mortem viri Ordinibus ordinati, *can. Qui sunt 10. dist. 28. & can. Seriatim 13. dist. 32.* Nam contra est, quòd Canones illi loquantur de casu, quo vir de licentia uxoris integræ suscipit sacros Ordines, & non de casu, quo uxore existente adultera dictos Ordines suscipit, uti benè advertit Abbas *l. c.* Ratio diversitatis est; quia in primo casu mulier innocens consentiendo ad Ordinationem, censetur se obligare ad continentiam, non autem sic in casu adulterii.

35 Resp. V. Etiam propter adulterium spirituale, si nempe una pars Conjugum, in hæresin labatur, vel apostasiam à fide committat, potest pars in fide vera remanens, parte spiritualiter adulterante invita Religionem ingredi, vel sacros Ordines suscipere, etiam postquam ad fidem veram iterum rediit pars adulterans, dummodò separatio ob adulterium spirituale authoritate Ecclesiæ, & non propria authoritate fiat. Glossa *in c. fin. h. t.* Pirhing *h. t. n. 39. & 40.* cum communi aliorum, textu claro *c. fin. h. t.* ibi: *Mulier, quæ in fide permansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo judicio Ecclesiæ fuerat separata, ad Religionem liberè convolare, & c. De illa 6. de Divort.* ibi: *De illa, quæ viro suo labente in hæresin, ipsius consortium sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis; quod mulier ei, cùm conversus fuerit, est reddenda, quæ etiamsi reverti noluerit, compellatur: si verò judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.*

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
Conversio Infidelium, quid? Ibid.
2 *Si ambo Conjuges infideles convertantur, possunt, & debent in matrimonio, etiam cum impedimento Ecclesiastico contracto permanere.*
3 *Si vir infidelis habuit plures uxores, debet retinere primam, & reliquas dimittere.*
4 *An, & quando conversus alteri nubere possit, si Conjux illius non convertatur? Et n. seq.*
6 *Proles doli incapax Conjugi converso educanda traditur, etsi minor triennio.*
Prolem usque ad triennium mater, post triennium pater alere de Jure debet. Ibid.
7 *Proles doli capax non potest cogi, ut conversum sequatur.*
Ad fidem nullus est cogendus invitus. Ibid.

1 VIso de Conversione Conjugatorum ad Religionem, sequitur præsens Titulus de Conversione Infidelium ad veram fidem Catholicam, de qua etiam *cau. 28. q. 1. & 2.* item *cau. 32. q. 8. can. un.* Est autem hic sermo de Infidelibus propriè talibus, id est illis, qui per Baptismum nunquam fuere subjecti Ecclesiæ, quales sunt Judæi, Pagani, Seracini, Turcæ &c. non item Hæretici, licèt dici queant Infideles impropriè tales. De horum Infidelium Conversione tam Canonistæ, quam Canones in præsenti, modica tradunt, & non nisi id examinant, quod de Matrimonio, & prolibus eorum in quæstionem venire potest. Quod & nos faciemus.

2 Quæritur I. Quid Juris de Matrimonio Infidelium, & prolibus eorum, casu quo unus illorum, vel ambo convertuntur ad fidem? An nempe, & quando separari possint: aut debeant? Item cui proles restituenda? Resp. I. Si ambo Conjuges infideles convertuntur ad fidem Catholicam, possunt & debent in matrimonio priùs contracto permanere, etsi cum impedimento secundùm Canones dirimente contraxerint, textus expressus est *in c. Gaudemus 8. de Divortiis*, & ibi Doctores communiter. Ratio assignatur *in cit. c. Gaudemus*, videlicet, quia *Infideles Constitutionibus Canonicis non arctantur (quid enim ad nos secundum Apostolum de his, qui foris sunt, judicare) in favorem præsertim Christianæ Religionis, & Fidei; à cujus perceptione per uxores se deseri timentes viri possent facilè revocari, fideles hujusmodi matrimonialiter copulari licitè possunt, & licitè manere conjuncti, cùm per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.*

3 Quod si vir infidelis plures habet uxores, debet cæteris dimissis solùm primam retinere, si hæc etiam convertatur, vel saltem pacificè, & sine periculo perversionis cum converso habitare velit, *arg. c. c. Gaudemus de divortiis*, & ibi Barbosa *n. 11.* Engel *h. t. n. 1.* & DD. communiter. Ratio est; quia cum *Polygamia* Jure Divino sit prohibita, sola prima verum ac validum contraxit matrimonium. Hinc etiam Barbosa cum aliis DD. benè infert, quod si prima nec se convertere, nec absque periculo perversionis cum converso habitare velit, non tenetur vir conversus aliquam aliam ex uxoribus habitis retinere, etsi omnes se converterent, sed posset pro libitu alteri nubere.

4 Resp. II. Si unus tantum ex Conjugibus infidelibus ad fidem convertatur, alter vero in infidelitate permaneat, nec amplius vel saltem non sine perversionis periculo habitare cum converso velit, potest conversus alteri fideli nubere. Certissima apud omnes, teste Sanchez *l. 7. de matr. disp. 3. & 4.* textu claro *c. 7. de divor.* ibi: *Si alter infidelium Conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vero nullo modo, vel non sine blasphemia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit.* Advertit tamen benè Engel *h. t. n. 2.* & alii, quod matrimonium non statim ipso facto dissolvatur, si unus Infidelium Conjugum convertitur ad fidem, sed tunc primum, quando conversus ad alias nuptias actu transierit: hinc si alter Conjux adhuc infidelis, antequam conversus cum alia contrahat, ad fidem quoque convertatur, huic adhærere debebit, textu claro *c. gaudemus 8. de divort.* ibi: *quod si conversum ad fidem & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur*, & ibi Glossa *V. Compelletur.*

5 Utrum autem conversus cum infideli habitare possit, & debeat, vel alteri nubere valeat, casu quo alter conjux ad fidem se convertere quidem renuit, cum converso vero pacifice, & absque ullo perversionis aut peccati periculo habitare parata est; gravissima est controversia inter Doctores, uti videre est apud Sanchez *l. c.* quam controversiam, sicut & reliqua de Matrimonio infidelium, nec non hæreticorum examinabimus infrà *lib. 4.* interea.

6 Resp. III. Si Conjuges infideles habent unam vel plures proles, & unus eorum convertatur ad fidem, eidem, sive pater sive mater sit, restitui debet proles doli adhuc incapax. Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 73. n. 16.* Barbosa *in c. fin. h. t. num. 14.* cum communi & certa aliorum, textu expresso, *can. Judæi 10. cau. 28. q. 1. & c. c. fin. h. t. n. 14.* ubi inter alias etiam hæc ratio assignatur; quia ita exigit favor Religionis; *Nam summam esse rationem, quæ pro Religione facit*, dicitur *l. Sunt personæ ff. de Religios. & Sumptib. fun.* Nec refert, an minor, vel major sit triennio proles; quia licèt alias attento Jure proles minor triennio apud matrem, & major triennio apud patrem educari debeat, *arg. l. Neque C. de Patria potestat.* ubi Glossa propterea illos versiculos ponit.

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem:
Majorem verò pascere patris erit.

Tamen id fallit in casu Conclusionis ob favorem Religionis, uti benè observat Glossa *fin. in cit. c. fin. h. t.* Barbosa *l. c.* Sanchez *l. c. n.* [illegible] & alii.

Dici-

7 Dicitur tamen notanter *si doli adhuc sit incapax*, quia si doli & rationis jam capax est proles, ejus libertati relinquitur, an conversum, vel infidelem parentem sequi velit, uti *loc. cit.* benè docet Sanchez. Ratio est, quia *ad Fidem nullus cogendus est invitus*, ut *can. Ad finem 33. cau. 23. qu. 5.* dicitur, quod etiam statutum fuit in Concilio Toletano 4. *cap. 56.* relato, *can. Judæis 5. dist. 45.* ibi: *De Judæis autem præcipit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri.* Ratio subjungitur *Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat; non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ.* In dubio tamen, an proles rationis capax sit, pro favore Religionis judicandum, consequenter proles parenti converso restituenda est Sanchez *loc. cit. vers. Matrimonium*, & alii, quia summa est ratio, quæ facit pro Religione, *cit. l. Sunt personæ ff. de Relig. & Sumptib. fun.* Refert etiam Barbosa *loc. cit. n. 11.* ex Azorio iniqua, & nefanda esse pacta illa, vi quorum proles masculæ patri, matri verò fæmellæ in sua fide educandæ relinquantur, etsi sint hæretici. Verùm de hoc plura *Lib. 4.*

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

SUMMARIUM.

1 *De Voto. Remissivè.*
2 *Hæres tenetur ad vota defuncti realia.*
3 *Et mixta quoad partem realem.*
4 *Non item ad vota personalia.*
5 *Nisi specialiter ad ea se obliget.*
6 *Pœna hæredis debito tempore non solventis vota defuncti.*
7 *Redemptio voti quid, & quotuplex?*
8 *Irritatio voti quid, & à quo fieri possit?*
9 *Superiores Regulares irritare possunt subditorum vota omnia.*
10 *Etiam illa, ad quorum materiam alias Religiosus tenetur.*
11 *Non tamen votum intrandi strictiorem Religionem.*
12 *Parentes, & Tutores irritare possunt omnia vota liberorum, & pupillorum impuberum.*
13 *Etiam post pubertatem, nisi ea puberes factæ debite ratificent.*
14 *Quæ requirantur ad hanc ratificationem?*
15 *Doctrina practica.*
16 *Possunt etiam puberum vota irritare: & quæ?*
17 *Maritus potest irritare vota uxoris.*
18 *Reliqua, non omnia.*
19 *Econtra uxor potest irritare vota: & quæ?*
20 *Dispensatio votorum quid?*
21 *Sine justa causa, data vel obtenta, illicita atque invalida est: Ponitur doctrina practica. Ibid.*
22 *Enumerantur justæ causæ dispensandi usque ad n. 26.*
26 *Papa potest in omnibus votis dispensare.*
27 *Idem potest Episcopus.*
28 *Exceptis quinque votis Papæ specialiter reservatis Quænam sint illa? Ibid.*
29 *Hæc quinque vota non sunt reservata in sequentibus casibus I. Si non fiunt Deo, sed B. V. M. vel Sancto.*
30 *II. Si fiunt ex metu etiam levi injustè incusso.*
31 *III. Si sunt pœnalia.*
32 *IV. Si fiunt sub conditione.*
33 *Etiamsi conditio fuerit completa.*
Ubi majus conceditur, minus concessum videtur.
34 *Solvitur instantia.*
35 *Non est reservatum votum castitatis ad certum tempus, neque votum non nubendi, non fornicandi &c.*
36 *Circumstantiæ voti reservati non sunt reservatæ.*
37 *In votis verò reservatis potest dispensare Episcopus, si urgente causa gravi, vel necessitate non est aditus ad Papam.*
38 *Enumerantur similes graves causæ.*
39 *Regulares Mendicantes dispensare possunt in omnibus votis, in quibus jure Divino possunt Episcopi.*
40 *Etiam in reservatis Summo Pontifici urgente necessitate. Et n. seq.*
42 *Doctrina practica.*
43 *Commutatio voti quid?*
44 *In opus melius fieri potest etiam ab ipso vovente.*
45 *Non item æquale, vel minus bonum.*
46 *Quicunque potest dispensare, potest etiam commutare vota.*
47 *Ad commutandum votum quæ requiratur, & sufficiat causa?*
48 *Quid observandum in commutatione voti.*
49 *Vota in favorem tertii emissa, & acceptata possunt irritari, ut alia. Et n. seq.*
51 *Dispensari autem, vel commutari non valent sine consensu tertii.*
52 *Limitatur hoc in duobus casibus.*

QUamvis materia hujus Tituli sit etiam Canonica, prout patet ex præsenti Rubrica: Nihilominus quia Theologi tam Scholastici, quam Morales copiosè & exactè de ea tractant (de quo etiam in Theologia nostra Morali *Tr. 6. dist. 3.*) hinc fusiorem Tractatum Theologis relinquentes, more aliorum Canonistarum nos ea tantùm hic examinabimus, quæ magis pro Foro Canonico esse videbuntur. Supposito itaque quid & quotuplex sit Votum, ac quomodò obliget: 1

Quæritur I. An hæres teneatur exequi vota defunctorum? Resp. I. Affirmativè, si vota sint realia. Abbas *in c. Licèt 6. h. t.* & ibi Barbosa *n. 6.* Pirhing *h. t. n. 12.* Engel *h. t. n. 17.* Sanchez *lib. 4. Moral. cap. 15. a n. 25.* cum communi aliorum, *arg. c. Ex parte 18. de Censibus* ubi deciditur successores teneri ad onera realia antecessorum & *c. Licèt h. t.* juncta *L. 2. ff. de Pollicit.* ubi in fine ita habetur, *Qui decimam partem bonorum vovit, si discesserit, ante sepositionem æris illius hæreditario nomine obstrictus est; voti enim obligatio* (intellige realis) *ad hæredes transire constat.* Ratio est; tum quia *res transit cum onere suo*, per Juris vulgaria. Tum quia juxta dicta suprà *de Testam.* hæres adeundo hæreditatem tacitè se obligat ad cuncta debita & onera realia defuncti, consequenter ex contractu quem tacitè init, sicque ex Justitia (non item ex Religione) obligatur. Notant tamen DD. citati, præsertim Sanchez, Pirhing, quòd ultra vires hæreditatis obligatio hæc se non extendat, consequenter si defunctus ducentos vovit, & massa hæreditaria solùm in centum consistit, non nisi ad centum obligabitur. Limitat etiam Barbosa Conclusionem in hærede necessario; utpote qui saltem in legitima Jure naturæ sibi debita (juxta dicta *Tit. de Testam.*) onere aliquo gravari non potest. 2

3 Resp. II. Pariter tenetur hæres ad vota defuncti mixta quoad partem realem, si hæc à personali separari, & independenter ab illa impleri potest; ut si v. g. defunctus vovit peregrinari ad domum Lauretanam, & ibi centum offerre florenos, tenetur hæres ad mittendos centum florenos, licèt non teneatur ad peregrinationem, utpote actionem personalem. Barbosa *in c. Licèt 6. h. t.* & ibi Abbas, Sanchez *l. c.* Pirhing *l. c.* Engel *l. c.* & communis aliorum, *arg. cit. c. Licet 6. h. t.* tum Juribus, & ratione pro Conclusione præcedenti allegatis.

4 Resp. III. Ad vota merè personalia defuncti, v. g. jejunia, peregrinationes, orationes, mortificationes corporales &c. hæredes non tenentur, nisi ad eadem se specialiter obligent. Ita citati DD. cum communi, & certa aliorum. Ratio est: tum quia nullo Jure obligatio solvendi vota personalia imponitur hæredibus: tum quia natura voti personalis exigit actionem personalem ipsius voventis, quæ actio, quia post mortem voventis haberi

amplius

amplius non potest, nullam sui executionem, utpote impossibilem, requirit. Hinc etiam docent DD. communiter, quòd neque existente vovente in vivis votum illius personale per alium impleri, & obligationi ejus satisfieri queat. Quamvis laudabilis ac pia sit consuetudo aliquorum, qui, dum vota personalia per se exequi amplius nequeunt, ea per alios adimpleri curant.

5 Nec obstat Conclusioni c. *Licèt h. t.* ubi Papa mandat, votum mixtum etiam quoad partem personalem adimpleri. Nam contra est; non quòd hoc mandaverit Pontifex vi voti, sed quia ad eam partem specialiter se obligarit filius hæres, ut patet legenti textum, ibi: *Quòd cum Pater tuus voverit Domino &c. & tu, te id adimpleturum sine dilatione promisisti &c. mandamus, ut exequaris.* Hinc notanter in Conclusione diximus; *Nisi ad eadem se specialiter obligent.*

6 Resp. IV. Si hæres vota defuncti, ad quæ tenetur, intra annum, postquam fuit monitus, non exequitur, privandus est omni commodo hæreditario *arg. Auth. Hoc amplius, C. de Fideicom. & Novell. 1 c. 1. §. 1.* juncto *c. 3. & 6. de Testament.* vide de hoc, quæ diximus suprà *Tit. 26. de Testam. §. 23. n. 794.*

7 Quæritur II. Quid sit Redemptio voti, & quot modis fieri queat? Resp. Quamvis strictè loquendo *Redemptio Voti* fiat, quando obligatio voti personalis transfertur in opus reale, eleemosynam v. g. vel ædificationem pii loci, ut bene observat Sanchez *lib. 4. Moral. cap. 24. num. 1.* Sylvester *V. Votum 4. q. 1. ad fin.* Lessius *lib. 2 cap. 40 dub. 11. arg. c. 1. h. t.* Tamen etiam secundùm alios *Redemptio Voti* (quæ est secunda pars Rubricæ) aliud non est, quam liberatio à voto nondum soluto, ita ut ille voto redimi dicatur, qui ab illo solvendo liberatur. Quod fieri potest quatruplici modo, videlicet I. Irritatione voti. II. Commutatione illius. III. Dispensatione. IV. Deficientia aut immutatione materiæ seu objecti: sicut etiam deficiente conditione, vel tempore, casu quo votum est temporale, aut conditionale. Communis, patebitque ex sequentibus.

8 Quæritur III. Quid sit Irritatio voti, & à quo fieri possit? Resp. I. *Irritatio voti* est ablatio obligationis ejusdem facta per talem, qui potestatem in voventem vel in materiam voti habet. Hinc omnis & solus ille irritare potest vota, qui præfata potestate gaudet. Sanchez *loc. cit.* Sporer *tract. 3. in secundum præceptum Decalogi, c. 3. sect. 2. num. 12.* D. Thomas *2. 2. quæst. 88. & 89.* & communis aliorum. Nec requiritur ad eam alia causa, quam sola voluntas irritantis, *arg can. Puella 2. caus. 20. q. 2. & can. manifestum 11. caus. 83. q. 5* & docent DD. communiter. Ratio est; quia, cùm Deus non acceptet vota in præjudicium tertii, vota, quæ sub potestate aliorum existunt, semper tacitam conditionem habent; *Nisi is, sub cujus potestate ego, vel voti materia existit, contradicat, vel quamdiu non contradicit.*

9 Infertur I. Quod Superiores Regulares, etiam Moniales irritare possint omnia & singula vota suorum subditorum DD. citati cum Communissima aliorum, præter Jura & rationes in Conclusione allatas, facit etiam *can. 2. caus. 20. q. 4.* ibi: *Monacho non licet votum vovere sine consensu Abbatis sui, si autem voverit, frangendum erit.* Ratio est, quia ob votum obedientiæ Religiosus in omnibus aliis est subjectus Prælato suo; ac ejus *arbitrium non ex sua, cùm velle & nolle non habeat, sed ex vice illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependet,* ut dicitur *c. Si Religiosus, de Elect. in 6.*

10 Extenditur Conclusio etiam ad vota talium actionum, ad quas quis alias de Jure Divino, vel naturali tenetur, v. g. ad votum non mentiendi, non se jactandi, otiose nil loquendi, prout contra Cajetanum & Tamburinum probabilissimè docet Sporer *loc. cit. n. 16.* Sanchez, Layman, Suarez, Navarrus, & communis aliorum. Ratio est; quia licèt Superior non possit talis materiæ obligationes ex Jure Divino, Ecclesiæ, vel Regulæ præcepto descendentem tollere, potest tamen impedire, ne subditus suus novam obligationem sibi imponat, & eam tollere, si imposuit; eò quòd *velle & nolle non habeat, cit. c. Si Religiosus de elect. in 6.* Licita tamen, & valida sunt talia vota tam diu, donec Superior ea irritet, ut cum communi benè docet Sporer *loc. cit. n. 15.* Layman *lib. 4. Tract. 4. c. 7. n. 6.* Suarez *lib. 3. c. 6. de Voto n. 19.*

11 Limitatur autem Conclusio in voto transeundi ad strictiorem Religionem. Communis. Ratio est; quia hinc transitus de Jure concessus est, *arg. c. Licèt de Regular.* & magis diximus suprà *Tit. de Regular. §. 9.*

12 Infertur II. Quòd parentes, & tutores irritare possint vota impuberum liberorum, & pupillorum; omnia & singula, quæ ab impuberibus adhuc emittuntur, Sporer *loc. cit. n. 20.* D. Thomas *2. 2. quæst. 88. art. 2.* cum communissima aliorum, *can. 2. caus. 20. quæst. 2. & can. Mulier 14. caus. 32. quæst. 4.* Ratio est; quia liberi & clientes in hujusmodi tenera ætate quoad omnem materiam & obligationem sibi imponendam ob judicii & discretionis imbecillitatem perfectè sunt subjecti parentibus, & tutoribus, adeoque in omnibus votis, pactis, & promissionibus semper tacita illa sub intelligatur conditio, *si pater, & tutor non contradicat.*

13 Nec refert, quòd tempore irritationis jam puberes existant, liberi aut clientes, quia etiam tunc irritari adhuc possunt omnia eorum vota tempore impubertatis emissa, dummodò puberes facti, illa denuo non ratificarint, prout contra Soto, & alios benè docet Sporer *loc. cit.* cum communi aliorum. Ratio est; quia cùm horum votum ab initio fuerit infirmum & irritabile, manet tale, donec novam aliam firmitatem per confirmationem, seu ratificationem, tempore pubertatis acquirit, *arg. c. Non firmatur tractu temporis 18. de R. J. in 6.*

14 Nec sufficit quævis confirmatio seu ratificatio voti in pubertate facti, sed requiruntur tria ad hoc, ut ampliùs à parentibus, vel tutoribus irritari non possit. Et quidem. I. Ut pubes ratificans, seu confirmans votum sciat, & recordetur, votum priùs à se in impubertate emissum, infirmum fuisse, debile, ac irritabile. II. Ut velit de novo se obligare firmiter, ac si nunquam obligatus fuisset. III. Ut ita dispositus, verbo, vel saltem mente votum infirmum repetat. Ut benè docet Sporer *loc. cit. n. 22.* videatur etiam Gobat *de Votis causa 6. n. 176.*

15 Cæterùm colliges, quòd cùm vota perpetuæ castitatis, vel ingrediendi Religionem, vel in alia materia ab impuberibus puellis ante duodecim nempe annos, vel à masculis ante quatuordecim emissa, impubertate sæpè omninò non, vel certè non cum requisitis conditionibus confirmentur, aut ratificentur, possint ordinariè sola voluntate parentum, vel tutorum absque ulla causa validè, ac licitè irritari: quod bene in praxi notandum. Quòd si tamen quis immemor prioris voti in impubertate emissi, aut alias non ex vi prioris obligationis, nec intentione prius votum ratificandi, merè de novo idipsum voveat, utique valebit votum, juxta Omnes.

16 Porrò possunt parentes, & tutores irritare etiam puberum liberorum aut clientum vota, in pubertate emissa, sed non nisi ea, quæ ratione materiæ præjudicant patriæ, vel tutorum potestati in libera & expedita familiæ, rerumque suarum, aut commissarum administratione. Communis. Ratio est; quia in dicta materia, non item in aliis subjecti sunt puberes parentum vel tutorum potestati, quæ sola facultatem præbet dispensandi, juxta dicta *n. 8.* Hinc quamvis possit pater vel tutor irritare puberis votum peregrinationes longinquas instituendi, tota die meditandi, vel orandi &c. non tamen potest ejusdem irritare votum perpetuæ castitatis, ingrediendi Religionem &c. *arg. can. Puella 2. caus. 20. q. 2.*

17 Infertur III. Quòd maritus quoque irritare possit uxoris vota illa, quæ ratione materiæ eidem præjudicant, vel in debito conjugali, vel in re domestica. Communis ac certa, cum Glossa *in cap. Ex multa, §. In tanta, h. t. arg. can. quod Deo 4. caus. 33. quæst. 5. & can. si tu abstines 24. caus. 27. quæst. 2.* Ratio est: quia uxor subjecta est potestati viri in debito conjugali; sicut etiam in iis, quæ bonam gubernationem familiæ, & rerum familiæ administrationem concernunt, juxta illud ad Ephes. 5. *Mulieres viris suis subjectæ sint sicut Domino.* Concordat *can. Mulierem 17. & can. Adam 8. caus. 33. quæst. 5.* In aliis verò materiis vir vota uxoris irritare nequit, ut cum communiori, ac probabiliori docet Suarez *lib. 6. de Voto, cap. 4.* Innocentius *in cap. Scripturæ, de Voto.* Layman *lib. 4. tr. 4. cap. 7. n. 12.* Sporer *tract. 3. In secundum præceptum Decalog. cap. 3. n. 27.* contra Abbatem *in cit. c. Scripturæ h. t. n. 8.* & alios. Ratio est; quia nullo Jure probari potest, quòd uxor simpliciter, & absolutè in omnibus subjecta sit viro,

ro,

ro, uti subditus Religiosus Prælato suo, & impuberes parentibus, aut tutoribus: sed tantùm in iis, quæ concernunt, & tangunt vinculum, & jura matrimonii, uti benè observant DD. citati.

18 Colliges, quòd licèt possit vir irritare uxoris votum continentiæ, multorum jejuniorum, mortificationum corporalium, longarum peregrinationum, excessivarum eleemosynarum, nimis copiosarum precum, & similium; non tamen possit irritare illius votum dandi eleemosynas moderatas, præsertim de bonis paraphernis, moderatarum orationum, vitandi certum peccatum, vel peccati periculum, vel alterius devotionis non præjudiciosæ administrationi familiæ &c.

19 Porrò sicut vir potest irritare vota uxoris, ita & uxor irritare potest mariti vota, quæ vinculo & juribus matrimonii, bonæque administrationi familiæ sunt præjudiciosa *arg. c. ex multa, §. In tanta, h. t.* ubi solum excipitur votum viri peregrinandi Jerosolymam in subsidium Terræ S. uti benè ibidem advertit Glossa, *V. Viri præter uxorem.* Exceptio autem unius firmat Regulam in contrarium, per vulgaria. Ratio autem est; quia etiam in his uxor suo modo habet potestatem in virum, juxta illud D. Pauli *1. Ad Corinth. 7. Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier.* Sporer *loc. cit. n. 28.*

20 Quæritur IV. Quid sit Dispensatio voti, ex quibus causis, & à quo fieri possit? Resp. I. *Dispensatio votorum* est ablatio, seu remissio totalis obligationis eorum ob justam & rationabilem causam facta ab habente spiritualem jurisdictionem in personam voventis. Ita in re communis ac certa. Dicitur *Ablatio obligationis* loco generis. Additur *ob justam rationabilem causam;* quia, uti in Theologia nostra Morali *tract. 2. dist. 4. num. 21. & tract 6. dist. 3. num. 49.* cum communi aliorum jam diximus, & tenent teste Sporer omnes Doctores, Dispensatio etiam à Pontifice, & multò magis ab alio sine justa & rationabili causa facta in votis non tantùm illicita, sed & etiam invalida est. Ratio est; quia abest seu deest potestas sive jurisdictio dispensandi; nulla enim potestas seu jurisdictio dispensandi in lege Superioris (qualis est potestas dispensandi in votis, utpote quæ lege Dei, qui est superior quovis etiam Pontifice) à Legislatore datur, vel data censetur, nisi justa & rationabili ex causa; cum potestas in lege Superioris, Dei v. g. dispensandi, Ecclesiæ data *sit in ædificationem, & non in destructionem,* ut dicit Apostolus *2. ad Corinth. 5.* ubi autem abest conditio, sub qua datur dispensandi potestas, deficit ipsa potestas, consequenter & ipsa dispensatio, *arg. l. si quis sub conditione, ff. si quis omissa causa.*

21 Et hoc benè advertere debent illi, qui ex Privilegiis potestatem dispensandi in votis habent; ne scilicet sine justa, & rationabili causa dispensent, siquidem quævis dispensatio hujusmodi non tantùm illicita, sed & invalida foret. Idem est in quavis dispensatione legis Superioris, ut si subinde Reverendissimi Ordinarii ex speciali privilegio in certis legibus Ecclesiasticis dispensandi potestatem habent: semper enim illicitè & invalidè agunt, quoties sine vera, & rationabili causa dispensant, uti etiam meminimus in Nostra Theologia Morali *cit. tr. 2. dist. 4. num. 21.* Idipsum quoque advertere habent illi, qui vel à Pontifice, vel ab Ordinariis dispensationes votorum impetrant, ne videlicet sine justa causa eam sollicitent, quia illicita semper, & invalida esset dispensatio sine vera & justa causa obtenta. Et in hoc differt *Dispensatio ab irritatione voti,* hæc enim, cùm nomine, & auctoritate propria & non aliena fiat, valida erit, etsi nulla rationabilis causa votum irritandi adsit juxta dicta *n. 8.* Non sic *Dispensatio,* utpote quæ nomine alterius, & quidem Superioris, potestatem sine causa dispensandi nonquam dantis fit.

22 Resp. II. Causæ justæ dispensandi in votis sunt potissimùm quatuor, ad quas cæteræ commodè reduci possunt. *Prima* est imperfectio actus, ac imperfecta deliberatio; ratione cujus dispensari potest in votis illorum, qui ea in tenera ætate, præsertim ante pubertatem emittunt; *c. 2. h. t.* Idem qui in ira, metu, mærore, tristitia, aut alia mentis perturbatione oppressi voverunt.

23 *Secunda* causa dispensandi est notabilis, & valdè magna exequendi votum difficultas, non tantùm ea, quæ priùs incognita supervenit, sed etiam quæ priùs jam fuit prævisa, eò quòd semper longè difficilior appareat res, dum illius instat executio, quàm dum à longè prævidetur, undè meritò ad propositum exclamat Tamburinus *lib. 3. in Decalog. c. 16. §. 3. n. 18.* O quoties dum mente & cogitatione tantùm præliamur, in quæcunque magna assurgimus, in quæcunque pericula ruimus, ad quorum tamen primum occursum trepidamus & terga etiam volentes vertimus. Ratio est; quia ut benè advertit Sanch. *lib. 4. Mor. c. 45. n. 41.* hoc valdè consentaneum est benignitati Dei, præsertim cùm ob nimiam difficultatem frequens periculum transgressionis sit. Abbas *in c. non est n. 6. h. t.*

24 *Tertia* causa est damnum spirituale, corporale, vel temporale occasione voti proveniens. Sic dispensatur in voto castitatis, si vovens ex naturæ fragilitate sæpè labatur; tali enim in casu votum esset ruina spiritualis labentem duplici semper peccato gravans: item dispensatur cum eo, qui ratione voti multis cruciatur scrupulis, & anxietatibus: item cum illo, qui ex observatione voti patitur damnum in sanitate corporis: vel si eidem aut suis inde emergat notabile damnum in bonis fortunæ, ut fit, si mediocris fortunæ, vel communis Civis vovet longas peregrinationes, copiosas eleemosynas, austera jejunia, aut alias indiscretas corporis mortificationes, *arg. c. 1. & Magna h. t.* Ratio est, quæ suprà.

25 *Quarta* causa est bonum commune præsertim Ecclesiæ, vel Reipublicæ; sic dispensatur in tribus votis Religionis, vel etiam voto castitatis ratione Ordinum Majorum tacitè emisso, ut possit, qui unicus hæres est Regni, aut Provinciæ, nubere, si prævidetur ita proficuum esse Reipublicæ, quæ alias ob successionem bellis concuteretur, aut aliis perturbationibus *arg cit. c. magnæ & c. ex multa h. t.* Ratio est; quia bonum commune præferendum est privato. Ita de causis dispensandi in votis communiter Theologi, quos vide, præsertim Sanchez *lib. 4. Moral. disp. 45.* Suarez *l. 6. de Voto c. 17.* Layman *l. 4. tr. 4. c. 8. n. 5.* Sporer *loc. cit. n. 39.* & Canonistas *in c. 1. 2. item c. magnæ 7. & c. ex multa 9. h. t.* vide etiam quæ de his causis diximus in nostra Theologia Morali, *loc. cit.* Dicitur etiam in definitione Dispensationis votorum, *ab habente spiritualem jurisdictionem in personam voventis;* hinc ad tertiam quæsiti partem, de iis, qui dispensare possunt.

26 Resp. III. Summus Pontifex habet à Deo potestatem ac jurisdictionem, ex justa ac rationabili causa dispensandi in quovis voto tam simplici, quàm solemni. Unanimis ac certa. Patetque ex perpetua praxi, & traditione Ecclesiæ, nec non ex illis verbis Christi, *Matth. 16. & 18.* ibi: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

27 Resp. IV. Etiam Episcopi Jure Ordinario habent potestatem dispensandi in cunctis votis suorum subditorum, iis solis exceptis, quorum dispensationem specialiter sibi reservat Summus Pontifex. Rursus communis ac certa; *arg. c. 1. h. t.* Ratio est; quia Episcopi succedunt Apostolis; quibus dictum est, Matth. 8. *Quæcunque alligaveritis &c. & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Verùm sicut Apostolorum potestas fuit subordinata potestati D. Petri tanquam Vicarii Christi, & Capitis visibilis totius Ecclesiæ, ita potestas Episcoporum subordinata est summo Pontifici, tanquam Successori Petri, qui proin potestatem Episcoporū in actu secundo restringere potest, & actu restrinxit, reservando sibi dispensationem certorum votorum, de quibus Conclusio sequens.

28 Resp. V. Vota soli Pontificis reservata sunt quinque, videlicet I. Votum castitatis perpetuæ. II. Vota Religionis ab Ecclesia approbatæ. III. Votum peregrinandi Hierosolymam ad S. Sepulchrum. IV. Votum peregrinandi Romam ad limina Apostolorum Petri & Pauli. V. Votum peregrinandi Compostellam ad S. Jacobum. Sanchez *lib. 4 Moral cap. 20. n. 6.* cum communissima aliorum, *arg. Extrav. Etsi Domini 5. de Pœnit. & Remiss.* ubi sub Excommunicatione prohibetur, ne quis sine speciali licentia Summi Pontificis in aliquo dictorum votorum dispenset. Verùm quia hæc reservatio est præjudiciosa juri Ordinario Episcoporum, ideò tanquam odiosa strictè interpretanda erit juxta Communissimam, *arg. c. Odia de R. J. in 6.* consequenter tantummodò intelligenda de votis propriè dictis, perfectis, absolutis, determinatis, & quidem præcisè quoad substantiam non item quoad qualitates, vel circumstantias eorum.

Infer-

29 Infertur I. Non esse votum reservatum, si ut sæpè fit, puella v.g. non Deo, sed B. V. Mariæ, vel Sancto alicui promittit perpetuam castitatem, sine reflexione obligandi se Deo. Ratio est, quia non est votum propriè dictum, utpote quod est promissio facta Deo. Gobat *de Votis casu* 1. *n.* 21. Sporer *loc. cit. n.* 58. aliud foret, si specialiter in honorem B. V. Mariæ voveret Deo.

30 Infertur II. Non esse vota reservata, quæ fiunt ex metu etiam levi injustè incusso; ex gravi enim metu emissa vota non indigent dispensatione, sed per se irrita sunt. Sanchez *lib. 4. Moral. cap.* 40. *n.* 30. Navarrus *cap.* 12. *n.* 59. Layman *loc. cit. n.* 10. Sporer *loc. cit. n.* 59 Angelus *V. Votum* 4. *n* 9. *arg. c. Veniens* 5. *qui Clerici, & voventes.* Ratio est: tum quia tale votum non est omninò perfectum, utpote quòd vovens principaliter non emisit amore virtutis, nec principali intentione obsequium præstandi Deo, sed id evitandi & declinandi, quod timuit; tum quia Pontifex non censetur per reservationes suas fovere iniquitatem & injuriam aliorum, quod tamen foret, si votum ex metu injustè incusso emissum reservaret.

31 Infertur III. Non esse vota reservata pœnalia, seu sub pœna; v.g. Si quis dicat, *si iterum lusero, promitto perpetuam castitatem*: vel, *si iterum fornicatus fuero, voveo Religionem*. Sanchez *loc. cit. n.* 9. Sporer *loc. cit. n.* 62. Miranda *tom.* 1 *q.* 48. *a.* 6 Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 9. & satis communis aliorum: quibus etiam in Theologia nostra Morali *tr.* 6. *dist.* 3. *n.* 46. adhæsimus. Ratio est; quia etiam talia vota non sunt omninò perfecta, cùm non fiant amore virtutis, seu materiæ promissæ, sed magis cùm animi aversione, aut timore obligationis contrahendæ mens retrahatur ab alio crimine. Quòd, si tamen fieret in pœnam criminis jam commissi, v.g. si quis ita voveret, *quia toties fornicatus sum, voveo perpetuam castitatem*, utique esse reservatum, uti benè notat Sanchez *loc. cit. n.* 88.

32 Infertur IV. Non esse reservata vota facta sub conditione de futuro, v.g. *Voveo perpetuam castitatem, si sanitati restituar: si parens meus convaluerit: si ab hoc periculo, vel tribulatione eripiar; vel si hoc aut illud officium obtineam &c.* Et quidem ante conditionem non esse tale votum reservatum: consequenter in eo Episcopum dispensare posse, ferè conveniunt DD. An verò etiam post impletam conditionem, sit à reservatione immune? consequenter per Episcopum dispensabile, aliqua est controversia: Layman siquidem *loc. c. n.* 10. Herincx *disp.* 4. *de Voto q.* 6 *n.* 6. cum communiori aliorum, quos secuti sumus in Theologia nostra Morali *loc. c.* docent, post impletam conditionem esse reservatum, eò quòd votum conditionatum, sicut quivis alius contractus conditione impleta transit in absolutum, *l. Potior. ff. qui potiores pignore.*

33 Econtra Sanchez *loc. c. n.* 98. citans Antonium Gomez in Bullam Cruciatæ *clausula* 10. *n.* 99. Toledo *lib.* 4. *summæ cap.* 18 *n* 11. Ledesma, Sayr. & alii docent, etiam post impletam conditionem non esse reservata: eandem probabilem, ac in praxi tutam censent Sporer *loc. cit. n.* 66. Estque teste Gomez frequentissima praxi virorum sapientissimorum recepta: quam & nos, si non probabiliorem, certè in praxi tutissimam æstimamus, non obstante, quòd in Theologia nostra Morali *loc. cit.* priorem sententiam probabiliorem reputaverimus. Ratio est; quia reverà etiam talia vota non sunt perfecta; cùm principaliter nec amore virtutis, nec amore obsequium præstandi Deo, fiant, sed desiderio vel affectu aliquid obtinendi, vel ut quis ab hoc vel illo liberetur: ut consideranti patet, Confirmatur; Ob eandem rationem vota metu levi injustè incusso emissa, & vota pœnalia, etiam post impletam conditionem non sunt reservata juxta ipsos Adversarios, uti videre est apud Layman *loc. cit.* ergo ob eandem rationem nec vota conditionata erunt reservata: cùm *ubi eadem est ratio, eadem sit Juris dispositio* per vulgaria. Confirmatur ulterius: Votum pœnale est magis perfectum; quam votum sub alia conditione, v.g conservandæ sanitatis; ergo si illud post impletam conditionem, reservationis expers est, etiam hoc erit consequenter ab Episcopo dispensari poterit; quia *ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur, c. ex parte* 17 *de Decim* Antecedens patet, quamvis enim ut benè advertit Layman *loc. cit.* votum pœnale principaliter non fiat amore virtutis promissæ, utpote à quo vovens aversionem habet, si tamen ordinariè principaliter amore alterius virtutis, & odio vitii certi; sicque jam principaliter intentione placendi Deo, cumque non offendendi, uti patet in eo, qui vovet perpetuam castitatem, si adhuc semel fornicatus fuerit. Cùm econtrà vota sub alia conditione ordinariè nec amore virtutis promissæ, nec alterius virtutis fiant, sed amore consequendi aliquid temporale, vel naturale bonum, v.g. sanitatem, officium aliquod &c. vel declinandi temporale malum, persecutionem v.g. vel aliam crucem, sicque valdè imperfectè; ergo.

34 Nec obstat, quòd vota conditionata post adimpletam conditionem transeant in absoluta. Nam contra est tum quòd etiam vota pœnalia impleta conditione transeant in absoluta, & tamen juxta Adversarios non sint reservata. Tum quia quantumvis fiant absoluta, tamen semper adhuc maneat imperfecta ex prima radice, utpote non amore virtutis, nec intentione placendi Deo, sed amore boni temporalis aut naturalis principaliter emissa.

35 Infertur V. Non esse reservatum votum castitatis temporalis; v.g. ad 10 annos, nec votum non nubendi, nec votum non petendi debitum conjugale, nec votum non fornicandi, vel mulierem non tangendi. Ratio est, quia per votum castitatis reservatum intelligitur sola castitas perfecta, & perpetua, *arg. c. odia, de R. J. in* 6. & tenent Doctores communiter, simulque inferunt, etiam servandi virginitatem *die Jungfrauschafft* non esse reservatum, utpote quod semel violatum, ampliùs servari nequit, & castitas violari possit, v. gr. Morosa complacentia, absque hoc quòd violetur virginalis integritas, nempe corporalis. Notandum tamen, quòd multi simplices inter virginitatem & castitatem non distinguant; hinc ante dispensationem mens eorum ac intentio erit exploranda.

36 Infertur VI. Non esse reservatas & qualitates & circumstantias votorum alias reservatorum; ut si quis voveat pedester peregrinandi Romam; vel voveat strictiorem Religionem, potest Episcopus dispensare, ut ille curru vehatur, & iste Religionem mitiorem intret. Herincx *disp.* 4. *de vot. quæst.* 6. Sporer *loc cit. n.* 67 & communis aliorum. Ratio est; quia sola substantia voti censetur reservata, *arg. cit. c. odia de R. J. in* 6.

37 Resp. VI. Potest Episcopus dispensare in votis verè reservatis, v.g. perpetuæ castitatis, quando adest impedimentum adeundi Summum Pontificem, vel non est facilis aditus ad eum ob paupertatem, vel aliam causam, & gravis urget necessitas maturandi dispensationem. Sanchez *lib.* 8. *Moral. disp.* 9 *n.* 22. Roderiquez *Tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 63. *art.* 6. Sylvester *V. Votum*, 4. *quæst.* 4. Navarrus *in Manual. c.* 12 *n.* 76. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 8 *n.* 16. Sporer *tract.* 3 *in* 3. *Præceptum Decalog. c.* 3. *n.* 71. & communissima aliorum. Ratio desumitur ex epickeja, seu rationabiliter præsumpta mente Pontificis; nam jure optimo præsumi potest, eum nolle in tali casu votum esse reservatum, sed esse contentum, si urgente gravi necessitate recurratur ad loci Ordinarium, ne aliàs animæ laqueis irretitæ in tanto versentur periculo.

38 Hujusmodi autem causæ graves urgentes possunt esse variæ. Et quidem I. Si in perpetuo voto castitatis est periculum incontinentiæ, ob quod in dicto voto cæteroquin reservato dispensare potest Episcopus, si ex mora adeundi, dictum periculum reverà subsistit, prout notant citati DD. præsertim Sanchez *loc. cit. n.* 22. quia in tali casu verè dici potest, quòd ad propositum facilis non sit aditus ad Papam. II. Quando urget periculum scandali, aut alterius gravis mali. III. Quando contrahendum matrimonium differri nequit sine gravi sponsi, vel sponsæ, vel eorum familiæ dedecore; si puella deflorata, prolesque nascenda infamanda sit: maximè si sponsus, aut alias delinquens sit morti jam proximus, & nisi gravidam ducat, nascendæ sint proles illegitimæ, vel oriantur graves discordiæ inter cognatos. Doctores citati, præcipuè Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 40. Circa dispensationem tamen in voto castitatis, quatenus est impedimentum matrimonium impediens, intellige, si votum est occultum, uti ipse fatetur Sanchez, & magis dicemus *lib.* 4. *Sponsal. & Matrim. arg. Concil. Trid. Sess.* 24. *c.* 6. *de reform.*

39 Resp VII. Omnes Confessarii Ordinum Mendicantium possunt dispensare in iis votis, in quibus jure ordinario dispensare possunt Episcopi, consequenter in omnibus

bus & singulis, exceptis quinque reservatis Summo Pontifici, *n.* 28. enarratis; imò etiam in his, casu quo ex aliqua causa non sunt reservata, juxta dicta à *num.* 28. Herincx *loc. cit. n.* 65. Sannig *h. t. c.* 45. *n.* 8. Sporer *in* 2. *Præceptum Decalog. c.* 3. *sed* 3. *n.* 54. Sanchez *lib.* 4 *Moral. c* 43. *n.* 2. & communis aliorum tam TT. quam Canonistarum. Patetq; clarè ex pluribus privilegiis Summorum Pontificum, ut Innocentii VIII. Eugenii IV. Martini V. Pauli III. Gregorii XIII. ut videre est in compendiis privilegiorum, Dominicanorum, Minorum, Carmelitarum, & Societatis Jesu. Amplia, etsi quorundam votorum reservationem specialiter sibi reservarit loci Ordinarius, uti expressè sonant privilegia; licèt enim non possint Regulares absolvere à casibus Episcopo reservatis juxta novissimum Decretum Alexandri VII. contrariam sententiam damnantis, possunt tamen dispensare in votis eidem reservatis; cùm longè aliud sit dispensare in votis, quam absolvere à peccatis. Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8 *n.* 17.

40 Limitant tamen Doctores aliqui Conclusionem in illo casu, quo Episcopus in voto alias reverà reservato dispensat urgente gravi necessitate, juxta dicta *n* 28. quia, aiunt Confessarii Mendicantium vi privilegiorum tantùm dispensare possunt in iis votis, in quibus Episcopi non possunt jure ordinario, non item in iis; in quibus Episcopus dispensare potest solo jure extraordinario, vel delegato, uti est in proposito. Verùm alii ut Herincx *loc. cit. num.* 69. Crousers *in cap.* 7. *Regul. S. Francisc. Lect.* 29. Bassæus & alii apud citatum Herincx rejiciunt hanc limitationem, quorum opinio omninò probabilis pro foro interno videtur, uti sequenti argumento patet. Juxta communem etiam Adversariorum possunt Confessarii Mendicantes dispensare in omnibus votis, in quibus jure Ordinario dispensare potest Episcopus: atqui hic potest urgente necessitate dispensare in votis alias reservatis; ergo. Majorem concedunt Adversarii, patetque clarè ex Privilegiis. Minor probatur: quia Episcopus urgente necessitate vel dispensat ratione Officii, vel ideò, quòd tali casu votum non censeatur reservatum, juxta dicta *n.* 37. vel vi universalis consuetudinis, per quam constat, Episcopos urgente necessitate posse dispensare; quocunque tandem modo dispenset; jure Ordinario dispensat: & quidem si *primo* & *secundo* modo, non est dubium: si *tertio* modo, vi consuetudinis nempe, inde patet; quia consuetudo dat Jurisdictionem ordinariam prout pluribus demonstrat Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 1. & diximus *in l.* 1. *Decret. tit.* 29. *de offic. & potest. Judicis Delegat. n.* 12. *arg. l. More majorum & l. & quia ff. de Jurisdict. omnium.*

41 Confirmatur: Jurisdictio & potestas, qua Episcopi urgente necessitate in votis dispensant, non est delegata, ergo Ordinaria. Probatur Ant. Jurisdictio delegata est, quæ nec ex lege, nec ratione Officii, nec ex consuetudine, sed ex speciali commissione alterius competit: uti cum communi dictum est *cit. lib.* 1. *Decret. tit.* 29. *de offic. & potest. Judic. Deleg. n.* 12. atqui nullibi in toto jure hæc specialis commissio Episcopis tanquam delegatis facta ostendi potest; ergo, cùm nihilominùs dispensent, jurisdictione seu jure Ordinario dispensare censendi sunt. Hinc etiam minùs rectè hæc Episcoporum potestas vel jurisdictio dicitur extraordinaria, ex eo, quòd sit circa casus non ordinariè, sed extraordinariè contingentes: cùm etiam circa hoc detur reverà potestas Ordinaria: sicut in proposito, ubi in præfatis casibus extraordinariis Episcopus habet dispensandi potestatem Ordinariam ratione Officii, vel consuetudinis, vel quia non sunt reservati. Et per hæc patet ad fundamentum Adversariorum.

42 Infertur, quòd Regulares dispensare possint non tantùm in omnibus casibus, in quibus vota cæteroquin reservata, talia non sunt, vel cessant esse talia, juxta dicta *n* 26. sed etiam in votis verè reservatis, v.g. in voto perpetuæ castitatis, quando ex mora adeundi Pontificem prudenter timetur periculum incontinentiæ, gravis scandali, aut alterius gravis mali: item si urget necessitas maturandi matrimonium juxta dicta *n.* 38. Quod ultimum tamen de Dispensatione, urgente necessitate intellige pro foro interno; quia pro foro externo neutiquam practicanda à Regularibus est hæc doctrina, præsertim cùm juxta communem nec Episcopus in voto castitatis ad contrahendum matrimonium dispensare valeat pro foro externo, sive si votum tanquam impedimentum est publicum, uti magis dicetur infrà *lib.* 4.

43 Quæritur V. Quid sit Commutatio voti, & à quo fieri possit? Resp. I. *Commutatio voti est translatio obligationis à materia voti priùs facti, in aliam materiam priori subrogandam.* Ita in re communis ac certa, *arg. c.* 1. 4. *& aliis h. t.* patetque ex terminis; sic fit *Commutatio*, si Confessarius mutat pœnitentis votum peregrinandi, in votum jejunandi. Potest autem fieri talis *Commutatio* vel in opus melius, vel æquale vel minùs bonum, ut statim patebit.

44 Resp. II. *Commutatio voti* in opus evidenter melius à quovis, etiam ipso vovente, & quidem propria authoritate absque ulla causa fieri potest. Sanchez *lib.* 4. *Mor. cap.* 49. Navarrus *cap.* 12. *n.* 75. Layman *loc. cit. n* 19. Covarruvias *de Pact. p.* 1. *§.* 3. *n.* 4. Sporer *loc. cit. Sect.* 4. *n.* 1. cum communi, & hodie receptissima aliorum contra D. Thomam 4. *dist.* 38. *q.* 1. *a.* 4. Joan Andream *in cap. Pervenit de Jurejur.* & ibi Abbatem, & alios volentes requiri Superioris authoritatem. Probatur autem Conclusio nostra ex *cap. Scripturæ* 4. *h. t.* ibi: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur observantiam commutare.* Ratio datur *c.* 3. *de Jurejur.* illis verbis: *non enim propositum aut promissum infringit, qui in melius illud mutat.* ubi, ut vides, nulla requiritur authoritas Superioris, aut justa alia causa. Limita Conclusionem in quinque votis reservatis Papæ, utpote quæ sine authoritate Pontificis etiam in melius commutari nequeunt per dicta superiùs, nisi in Professionem Religiosam *arg. cit. c.* 4. *h. t.*

45 Resp. III. *Commutatio voti* in opus æquale, vel minùs bonum arbitrio voventis fieri nequit, sed fieri debet authoritate Papæ, Episcopi, vel alterius jurisdictionem habentis. Sanchez *loc. cit. n.* 19. & communior aliorum, *arg. c.* 1. *h. t.* ulteriorem probationem vide in Theologia nostra Morali *loc. cit. n.* 34. & apud Theologos passim.

46 Resp. IV. Quicunque habet potestatem dispensandi in votis, habet etiam potestatem eadem commutandi, non tamen econtrà. Communis ac certa. Ratio patet: nam *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, c. cui* 53. *de R. J. in* 6. atqui plus est *Dispensatio* in voto, quàm *Commutatio*; cùm per illam obligatio penitùs tollatur, per istam verò tantùm in aliam transferatur: ergo. Infertur proin, quòd Papa in omnibus, Episcopus verò, & Regulares Mendicantes in cunctis (exceptis quinque reservatis, nisi urgeat necessitas: juxta dicta *n.* 38.) votis *Commutationem* facere possint, nisi in favorem tertii facta sint, juxta dicenda infrà *n.* 51.

47 Reliqua de *Commutatione voti* vide apud Theologos citatos, & citandos infrà. Solummodò breviter hic notandum, quòd licèt *Commutatio voti* fiat in opus æquale, vel minus, adesse etiam debeat aliqua causa, saltem ut licitè fiat, *arg. c.* 1. *h. t.* & ibi Doctores, tamen tanta non requiratur causa, quanta ad *Dispensationem*, sed sufficiat minor. Et quidem ad commutandum votum in opus æquale, vel quasi æquale vel notabiliter minus, sufficit quævis causa rationabilis etiam sola v.g. major voventis propensio, seu devotio in aliud opus: item utilitas, & consolatio ipsius voventis: ut proinde rarò desit causa sufficiens ad commutandum votum in æquale, vel quasi æquale, juxta communem Doctorum apud Sporer *loc. cit. n.* 118. Lessium *lib.* 2. *cap.* 40. *n* 109. Dianam *p* 1. *tra.* 11. *resolut.* 40 Tamburinum, & alios. Ad commutandum verò idem in opus notabiliter minus, major requiritur causa: qualis est gravis difficultas in exequendo: voventis fragilitas aut periculum labendi, anxietas & scrupulositas ex voto proveniens, & universaliter omnes illæ causæ, quas suprà ad dispensandum sufficere diximus, etsi in eodem genere tam magnæ & graves non sint, ac requirantur ad Dispensationem Sporer *loc. cit.* & alii. Ratio est; quia *Dispensatio voti* est totalis, *Commutatio* verò tantum partialis extinctio obligationis, consequenter hæc minorem, quam illa causam exigit.

48 Notandum II. In emergenti casu votorum, non debere dispensari, quamdiu *Commutationem voti* sufficere videtur, ad amovendam causam, ob quam ratione voti, auxilium & consolationem quærit vovens, *arg. c.* 1. *h. t.* Deinde quando fit *Commutatio*, debet, quantum possibile est, fieri

fieri in opus aliud æquale, vel quasi æquale, id est, non notabiliter minus, nisi circumstantiæ, & causæ graves, aliud exigant: ubi tria præcipuè attendere debet *Commutans*, videlicet, *quid liceat secundùm æquitatem; quid deceat secundùm honestatem, & quid expediat secundùm utilitatem*, ut ait Pontifex *c. Magnæ 7. h. t.* Ulteriùs attendere debet, ut nisi circumstantiæ & causæ aliud exigant, votum reale commutet in aliud reale, personale in personale, mixtum in mixtum &c. vide Doctores citatos.

49 Quæritur VI. An etiam, & à quo fieri possit *Irritatio, Dispensatio, & Commutatio votorum* in favorem tertii, v. g. Ecclesiæ, Monasterii, Pauperis emissorum? Resp. I. Antequam acceptentur hæc vota ab illis, in quorum favorem emittuntur, idem est discurrendum de illis, ac aliis. Communis ac recepta sententia. Ratio est; quia ante acceptationem nulli acquiritur jus, hoc autem absente non est disparitas inter hæc & alia vota.

50 Resp. II. Vota in favorem tertii emissa etiam acceptata, eodem modo & ab iis irritari possunt, quo modo, & à quibus alia irritantur. Layman *lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 21.* Miranda *Tom. 1. q. 48. a. 4.* Sylvester *V. Votum 4. q. 7.* Navarr. *c. 12. n. 78.* & communis aliorum. Ratio est; quia vota emissa ab iis, qui sub aliorum potestate existunt, semper habent tacitè inhibitam illam conditionem, *Nisi is, sub cujus potestate existo, v. g. pater, tutor, maritus &c. Prælatus contradicat*, juxta dicta suprà *n.* 8. qua contradictione tanquam conditione eveniente, per se utique evanescit, vel saltem irritari potest votum.

51 Resp. III. Vota in favorem tertii emissa & acceptata, ordinariè nec dispensari, nec commutari possunt absque consensu illius, vel illorum, in quorum favorem facta sunt. Sanchez *lib. 4. Moral. Disp. 41. n. 13. & 18.* Sporer *loc. cit. n. 102.* cum Communi. Ratio patet; quia promissio acceptata cadit in debitum, paritque promissario jus, per vulgaria: quo jure invitus spoliari nequit.

Dixi, *Ordinariè*, nam limitatur Conclusio. I. Incasu quo bonum commune aliud exigit: quia tunc interdum est Pontifici privatum jure suo privare, cùm bonum privatum semper cedere debeat bono communi. Sanchez, & Laym. *l. c.* II Si sit quidem in favorem tertii, sed non propter favorem illius, sed principaliter ob honorem, & cultum Dei, v. g. vovet quis ita: *Domine Deus promitto, vel voveo, quod ad tuum honorem talem locum pauperem sustentare; illam Ecclesiam ornare &c.* Sanchez *l. n. 6.* Sporer *l. c. n. 112.* Fagundez *t. 1. in Decalog. lib. 2. c. 29.* Sylvester *loc. cit.* & satis communis aliorum. Ratio est; quia cùm hæc vota principaliter fiant ob honorem Dei, solus Deus creditor est: Ecclesia verò vel pauper tantùm materia, circa quam cultus Dei exhibendus, consequenter ad dispensandum vel commutandum sufficit Dei, & Prælatorum ejus vices gerentium consensus, uti in aliis votis. Accedit, quòd in tali voto honor & cultus Dei sit finis principalis, utilitas tertii verò ultimum secundarius, si nempe major Dei cultus ex *Dispensatione* vel *Commutatione voti* consurgit; ergo hic propter illum cedere debet, ut accessorius, prout sit, si fiat *Commutatio*, ut magis egens sustentetur, vel Ecclesia magis indigens ornetur. Aliud foret, si votum seu promissio fieret simul terrio & Deo, uti benè advertit Sanchez *loc. cit. n. 18.* Reliqua de votis vide apud Theologos jam citatos, præsertim Sanchez *toto l. 4. Moral. per totum* 56. Disputationibus consilente, ubi nihil intactum relinquit, Sporer *tract. 3. in 2. Præceptum Decalog. cap. 2. per totum*, ubi more suo pulcherrima pro praxi affert. Layman *lib. 4. tract. 4.* Summistas *V. Votum*, & alios Doctores passim, cùm vix sit, qui votorum materiam non benè examinet. Vide etiam, quæ diximus in Theologia nostra Morali *tract. 6. disp. 3. de Voto.*

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

1 De materia hujus Tituli multum non dicetur.

1 QUandoquidem in hoc Titulo plura statuuntur, Monachos, & Canonicos Regulares specialiter concernentia, quæ partim per consuetudinem, partim per privilegia, partim per statuta particularia fuere immutata, multa de materia hujus Tituli dicere non expedit: præsertim cùm ea, quæ de Jure communi adhuc vigent *in tit. de Regularibus*, jam fuerint examinata, ubi etiam de quidditate Status Regularium ut sic, & Monachorum, atque Canonicorum Regularium egimus, naturam eorum, & differentias inter eosdem declarando. Hinc aliqua tantùm, quæ ibi desiderantur, hic afferemus, præcipuè de peculio Religiosorum & Clausura eorum utpote de quo specialiter *c. 2. 4. & 6. h. t.*

§. I.

De Peculio, & Paupertate Religiosorum.

SUMMARIUM.

2 Peculium Regularium dupliciter sumitur.
3 Proprè tale Religiosi in privato habere non possunt.
4 Benè tamen impropriè tale cum licentia Superioris.
5 Si sint deputati officiales, seu Administratores rerum Monasterii; secùs non, usque ad n. 16.
6 Redditus annui inter immobilia reputantur.
9 Usufructuarius est dominus fructuum.
14 Decreta Apostolica non recepta, an, & quamdiu obligent.
15 Communitas in Monasteriis ubi non regularis disciplina deficit.
16 Contra paupertatem peccat etiam ille, qui de licentia Superioris retinet superflua, vel superflua expendit.
17 Proprietarius tamen non est
18 In dubio, an quid superfluum, vel inconveniens sit, statur judicio Superioris.
19 Qui sine licentia Superioris aliquid accipit, retinet, vel expendit, peccat contra paupertatem.
20 An, & quomodo sufficiat licentia præsumpta?
21 Proprietarii pœnæ. Et n. seq
23 Quid juris de Legatis factis Religioso hac conditione, ut ad eum, & non Monasterium pertineat usque ad n. 26.

QUæritur I. An, & quomodò prohibitum sit, vel concessum Monachis, & aliis Religiosis habere peculium vel proprium? Ante Responsionem notandum *Peculium* ad propositum aliud esse proprié, aliud impropriè tale. Per *Peculium proprièe tale* intelligitur Patrimonium vel bona propria alicujus, de quibus tanquam de re sibi propria pro libitu disponere potest habens illud. Per *Peculium* verò *impropriè tale*, intelliguntur bona quoad administrationem & usum. Ita post Navarrum *in Commentar. can. Non dicatis 12. q. 1. n. 47.* Fagnanus *in c. 2. h. t. n. 2.* Pirhing *eod. n. 5.* Hoc notato

2 Resp. I. Nullus Religiosus in particulari etiam cum licentia, ac dispensatione Superioris potest habere *Peculium*, vel *proprium strictè tale*. Omnes, paretque pro illo ex Jure, præsertim ex *c. Cùm ad Monasterium, h. t.* ubi ad finem etiam ratio additur illis verbis: *Quia abdicatis proprietatis adeò est annexa regulæ Monachali, ut contra hanc nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*: quam vis ex Monacho possit facere non Monachum, juxta dicta superiùs. Dicitur autem notanter *in particulari*; quia proprium in communi habere possunt omnes Religiosi exceptis Fratribus Minoribus Regulam ad litteram observantibus, textu expresso Conc. Trid. *sess. 25. de Regular. c. 3.*

3 Resp. II. Possunt Religiosi cum licentia Superioris habere

habere *Peculium impropriè tale*, seu administrationem *Peculii*, seu bonorum pro bono & utilitate Monasterii: sive, quod idem est, possunt Religiosi, à Superioribus desuper constituti Officiales & Administratores *Peculii*, seu bonorum Monasterii pro utilitate ejusdem, ita tamen, ut ad nutum sint amovibiles. Rursus Unanimis claris Juribus *c. 2. §. Qui verò h. t.* & Concilii Tridentini *loc. cit. cap. 2.* ibi: *Administratio autem bonorum Monasteriorum, aut Conventuum ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertinet.*

5 Resp. III. Nullus Religiosus (nisi sit Officialis, aut Administrator bonorum Monasterii pro utilitate ejusdem) etiam de licentia Superioris potest habere *Peculum immobile*, seu administrationem bonorum immobilium, nec annuos redditus, seu provisiones annuas etiamsi non sint superflui, & revocabiliter concedantur, expendendi interim in usus honestos & licitos pro utilitate vel necessitate, v. g. ipsius Religiosi. Ita latissimè ac solidissimè Fagnanus *in c. 2. h. t.* & ibi: Hostiensis, Jo. Andreas *V. Nisi ab Abbate*. Anchoran. *n. 2.* Felinus *in cap cùm M. de Const.* & plures citati à Fagnano *loc. cit.* ubi ad finem recapitulando dicta, tenorem Conclusionis ponit, ac novissimè Hyacint. Donatus *tom 4. tract. 13. q 10.* ubi plures allos citat. Est autem contra Navarrum *de Statu Monach. consil. 14.* Rodericquez *tom. 2. quæ 125. art. 4 & tom. 3. q. 29. art. 10.* Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 22. n. 11.* Probatur Conclusio ex *cit. cap. 2. h. t.* ubi Religiosis omne prohibetur *Peculium*, *nisi ab Abbate fuerit eis, N. B. pro injuncta administratione permissum.* Ubi notanda verba, *nisi eis pro injuncta administratione fuerit permissum*; per hæc siquidem verba innuitur, solis illis licitum esse *Peculum impropriùm*, qui circa temporalia administrationis Officium habent, quales sunt Cellarii, Eleemosynarii, Granarii, Vestiarii &c. non item alii temporalium administrationis Officium non habentes; etsi circa spiritualia sint Officiales, uti bene notant Doctores citati.

6 Probatur Conclusio ulteriùs ex Concilio Trident. *Sess. 25. de regul. c. 2.* ubi pro Conclusione statuitur: Non liceat deinceps Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum, Monasteriorum, seu Conventuum ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Ex quibus verbis plane evidenter apparet, quod etiam de licentia Superioris nullus præter Officiales, bonorum immobilium administrationem, vel usumfructum eorum habere possit; ibi: *Non liceat Superioribus concedere & ad solos Officiales pertinent.* Idem est de redditibus & provisionibus annuis: eò quòd *redditus annui inter immobilia censeantur à Jure*, ut dicitur *Clem. 1. §. Cumque annui, de V. S.*

7 Nec dicas cum Navarro, & aliis per Concilium Tridentinum tantùm prohiberi, ne Superiores *Peculum late sumptum* aliis præter Officiales concedant sine causa rationabili, vel ad usus profanos, aut illicitos, aut irrevocabiliter; non item prohiberi, quod eisdem concedant ex causa rationabili ad usus licitos, pro veris necessitatibus ipsius Regularis v. g. Nam contra est: tum quia Concilium indistincte loquitur, consequenter indistincte intelligi debeat, cum *ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus*, per vulgaria; tum quia gratis tantùm, & absque ullo fundamento ad proprium sensum interpretari videntur Adversarii textum Concilii. Nec enim valet, quod Navarrus adducit, videlicet, ut Concilium Tridentinum concordetur cum Concilio Lateranensi relato *cit. c. 2. h. t.* quia uti ex *n. 5.* patet, & ad longum demonstrat Fagnanus *loc. cit.* Concilium Lateranense *cit. c. 2. h. t.* relatum, non id, quod Adversarii, sed quod Conclusio nostra dicit, asserit. Tum quia ex hac interpretatione sequeretur, quod Officiales possent bona Monasterii ad usus superfluos, vel illicitos applicare, cùm Concilium *loc. cit.* Officialibus concedat, quod cæteris negat: ergo si cæteris solùm negat administrationes bonorum ad usus illicitos, aut superfluos, hanc Officialibus concedit: nam exceptio unius firmat Regulam in aliis, *arg. c. Nonne 5. de præsum.*

8 Tum etiam quia contrarium novissime statutum habetur à Clemente VIII. in Constitutione, *Nullus omninò*, quæ est in Bullario Cherub. 9. dicti Pontificis & ab Urbano VIII. in sua Constitutione 28. Tom. 4. apud Cherub. in qua de novo renovatur Constitutio Clementis VIII. ubi inter alia §. 3. ita habetur: *Nequæ Superioribus, quicunque illi sint, ullo pacto liceat* (N. B. ullo pacto) *fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam, etiam depositi aut custodiæ nomine concedere*; & infrà: *Nulla quocumcunque Superiorum dispensatio, nulla licentia* (N. B. nulla, nulla, ergo neque ex justa causa ad usus licitos) *tres excusare possit, quo minùs culpæ & pœnæ &c. obnoxii sint; etiamsi N. B. Superiores asseverent, hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in en re fidem adhiberi, minimè volumus.*

Probatur Conclusio etiam ratione: videlicet, quia 9
Regularis non Officialis habens administrationem bonorum immobilium, aut reddituum annuorum pro suo aut aliorum usu licito, censetur habere verum jus utendi & fruendi, verumque usum fructum, *L. 1 ff. de Usufruct. & Quemadmodum*, estque usufructuarius (alcem qualificatus; usufructuarius autem est dominus fructuum, *l. Arboribus, ff eod.* ratione cujus Regularis æque in capax est usufructus ac proprietatis, *Clem. Exivi de V. S. §. Porrò. Fagnanus loc. cit. n. 31. & 42.* Secùs est in Officiali administratore; quia hic est administrator in utilitatem Monasterii duntaxat, nec potest de fructibus illis dispensare, nisi in utilitatem ejusdem, cui omnis acquirit, & lucratur, & cui omnis sua opera debita, utpote cui se cum omnibus suis per Professionem tradidit, *arg. c. In præsentia de probat.* cum Concordantiis.

Probatur denique pluribus Declarationibus Cardina- 10
lium S. Concilii Interpretum edit. contra Adversarios pro nostra Conclusione, quas vide apud Fagna n. *loc. cit.* Donarum *loc. cit.* Quaranta *V. Casus reservatus.*

Infertur: Omnes sequentes modos de jure peccami- 11
nosos esse, & contrarios paupertati. I. Si Novitius, vel Novitia in actu renuntiationis bonorum, vel in actu Professionis reservet sibi annuos redditus, seu annuam pensionem pro suis Religiosis necessitatibus, etiamsi licentia Superiorum id fiat.

II. Si parentes, vel consanguinei alicujus Religiosi, 12
titulo institutionis aut legati relinquant Monasterio bona immobilia, aut annuos redditus ea conditione, ut administrationem dictorum censuum annuorum, aut bonorum immobilium ex toto, vel ex parte relinquant certo Religioso, ut hic eos possit convertere in suos usus, aut necessitates. Idem est, si Religiosus ex pecunis, lectione, prædicatione, donatione, aut alio modo acquisitis similes census annuos pro suis necessitatibus vel à sæcularibus, vel à Monasterio comparet, dando eidem acquisitas pecunias hac conditione, ut singulis annis sibi aliquid certum detur pro parandis necessariis. Ita siquidem in casibus specificis declaravit sæpiùs Sacra Congregatio, uti videre est apud citatum Fagnanum *n. 1. & n. 61.*

Eodem loco *n. 63.* idem Fagnanus refert ad propo- 13
situm & aliam Declarationem illis verbis: Cum Archiepiscopus Urbini retulisset S. Congregationi, se non potuisse adducere Moniales conjusdam Monasterii ad suscipiendam exactam vitam communem; ideoque illis proposuisse, ut fieret communis arca, cujus clavis penes Abbatissam existeret, & intus apparentur tot scriniola, quot essent Moniales, ita ut unaquæque haberet clavem sui scrinioli sui, & in ea asservaret pecuniam ex laboritio, vel aliunde partam, quæ in ipsius tantùm, & non in alterius necessitates erogari deberet arbitrio Abbatissæ. S. Congregatio hoc temperamentum judicium existimavit, & repugnans *c. 2. h. t.* quod jubet, ut omnia Superiori tradantur, & Conventui incorporentur; adeoque mandavit Archiepiscopo, ut quandiu moniales communem vitam non susciperent, interdiceret illis receptionem puellarum ad habitum, & Professionem.

Nec dicas Decretum Trid. sicut & reliqua Decreta 14
Pontificia allegata in tanto rigore non fuisse usu recepta, vel certè consuetudine contraria in plurimis Monasteriis præsertim Monialium abrogata. Nam contra est, quod non receptio decretorum Apostolicorum, & consuetudo illis contraria minimè efficiant, quin adhuc obligent, nisi per tempus quadraginta annorum cum scientia & patientia Papæ fuerit continuata, uti vult Fagnanus *l. c. n. 75.* & latè demonstrat *in tit. de Treug. & Pace n.* 31. vel saltem per decem annos, prout cum aliis docu-

mus *l. tit. 4. de Consuet. n. 105.* & 106. Ex quo inferunt aliqui, ut Pirhing *h. t. n. 6.* in illis saltem Monasteriis sententiam Navarri, & aliorum subsistere, in quibus debito tempore viget consuetudo, quod videlicet Regulares etiam non Officiales de licentia Superiorum ex justa, & rationabili causa habeant administrationem bonorum immobilium, vel certos annuos redditus, vel provisiones pro suis necessitatibus religiosis, eo quod contrarium sit solũ contra jus humanum Ecclesiasticum, contra quod licita & valida est consuetudo legitime introducta, *c. fin. de Consuet.* Fagnan. *in cit. c. 2. h. t. ad fin.* docet, nulla consuetudine, nulla probabilitate, nulloque alio prætextu Religiosum in hoc puncto excusari posse à peccato gravi.

15 Id fatentur omnes, miserum, ac infelix, minimeque regulare esse Monasterium illud, in quo perfecta Communitate non vigente, hujusmodi redditus ac provisiones annuæ regularibus non Officialibus admittuntur, eorumque administrationi relinquuntur. Suadent propterea omnes, hujusmodi consuetudines omnibus viribus eradicandas, perfectamque Communitatem esse implantandam, etiam, imò vel maxime, in Monasteriis Monialium, non obstantibus quarundam querelis, lamentationibus, murmurationibus, & quæsitis rationibus. Certè S. Congregatio abominans similia Monasteria, sæpè jam stricte prohibuit, ne amplius recipiantur, vel admittantur Moniales in talia Monasteria, in quibus communem vitam, perfectamque Communitatem non servari, intellexit, uti videre est apud Fagnanum *loc. cit. n. 63. & seqq.*

16 Resp. IV. Quamvis Religiosi in particulari de licentia Superiorum habere & retinere valeant res mobiles sibi necessarias, iisque uti, ac etiam consumere vel expendere in usus licitos honestos, ac necessarios possint, tamen non obstante licentia Superiorum peccant, si habent, vel retinent res mobiles superfluas, aut pretiosas, eique superflue utuntur, aut in usus illicitos, vel in honestos, aut superfluos expendunt, vel consumunt, etsi id faciant cum licentia Superioris. *Prima pars* apud omnes est certa, caretque controversia. Conveniunt etiam teste Miranda *t. 1. q. 28. a. 15.* omnes quoad *secundam partem* in hoc, quod de licentia Superiorum superflua habentes vel superflue aut in illicitos usus expendentes rem mobilem, peccent; quamvis disconveniant in hoc, quale hoc sit peccatum, an nempe contra paupertatem, vel aliam virtutem? mortale, vel veniale? Et quidem, quod peccent, patet clare ex Concil. Trid. *Sess. 25. de regul. c. 2.* ibi. *Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superfluum in ea sit; nil etiam, quod necessarium, eis denegetur.*

17 Et quidem Sanchez *lib. 7. Moral. c. 19. n. 21.* ubi plures alios citat Hyacint. Donatus *loc. cit.* Navarrus, & alii docent, talem non tantùm peccare contra paupertatem sed & esse proprietarium. Econtrà verò S. Antoninus *p. 3. Sum. tit. 16. c. 1. de Vot. relig. §. 11.* Miranda *tom. 1. q. 28. a. 15.* Pelliz. *V. religio 6. q. 7. in fine.* Herincx *disp. 5. de Voto q. 9. n. 94.* & alii probabilius docere videntur, talem proprietarium non esse, nec vitium proprietatis committere, si de licentia Superioris superflua retinet, vel expendit, aut aliquid in usus illicitos insumit, dummodo paratus sit ad nutum Superioris omnia dimittere, & abstinere. Ratio est; quia vitium proprietatis præcise in hoc consistit, quod quis voto paupertatis adstrictus, retineat vel expendat rem nomine proprio quasi sibi propriam, absque Superioris licentia; quod non fit in casu nostro: unde etiam non incurrit pœnas proprietarii, uti ipsi quoque fatentur Adversarii. Observat tamen benè Pellizar. *l. c. n. 437.* Lugo *Disp. 3. de just. n. 183.* quòd talis nihilominus peccet contra paupertatem mortaliter vel venialiter pro quantitate materiæ; quia non tantum vitio proprietatis, sed etiam aliis modis contra paupertatem peccari potest. Et hoc ex textu Conc. Trid. *n. præced.* allegati: ubi dicit, quòd Superiores usum mobiliũ non nisi ita moderatè concedere possint & debeant, *ut statui paupertatis conveniat*, ex hoc enim manifestè patet, etiam de licentia superiorum usum mobilium posse esse contra paupertatem.

18 Porrò in dubio, an licentia Superioris sit ad superflua, vel illicita, vel irrationabiliter concessa? standum est judicio Superioris, prout tenet Communis, estque declaratũ à S. Congreg. quæ ad quæstionem, *An Superioris arbitrio & præfinitioni stare debeant Regulares, quoad mobiliũ superfluitatem & convenientiã, censuit, nisi de excessu arbitrii constiterit, utique standum, habita ratione personæ, officii, & regulæ, statusque paupertatis, quam professi sunt, & cæterarum iisdem qualitatum.* Quam Declarat. refert Donat. *l. c. n. 6 Quar. V. casus reservatus.* Lezana *p. 1. Summ. c. 6. n. 14.*

Resp. V. Qui absque expressa, vel præsumpta licentia Superioris aliquid accipit, retinet, expendit, vel consumit, contra paupertatem peccat, & proprietarius est: Communis. Patetque clarè ex SS. Canonibus, ut *can. Non dicatis, un. cau. 12. q. 1.* ibi: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia:* & infrà: *Cùm fratres non tantum facultatibus sed voluntatibus propriis renuntiarint, & se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati in Christo, & pro Christo subdiderint, certum est, eos nec habere, possidere, dare, vel accipere quidquam debere, sine Superioris licentia.* Concordat *c. 6. h. t.* 19

Dicitur autẽ notanter *absque licentia expressa, vel præsumpta*, quia non semper requiritur licentia expressa, sed etiam sufficit rationabiliter præsumpta, quando Superior commodè adiri nequit. Sanch *lib. 7. Mor. c. 19. n. 4.* D. Thomas *2. 2. q. 32. a. 8. ad 1.* D. Bonaventura *in Speculo Disciplinæ, p. 1. c. 4. ad fin.* Herincx *l. c. n. 87.* & communissima aliorum. Ratio est; quia taciti vel expressi eadem est virtus, *l. cùm quid ff. de rebus creditis, & c. 2. de rescrip.* Notant tamen benè Herincx *l. c.* & alii communiter, quòd si quis ex defectu commoditatis adeundi Superiorem aliquid ex sola præsumpta licentia accepit, teneatur posteà id manifestare Superiori, nisi causà præsumendi licentiam adsit etiam in retentione. Cæterum licèt licentia data, vel præsumpta ad accipiendum, non semper extendatur ad expendendum, uti *l. c.* benè docet Sanchez *n. 6.* tamen extenditur in casu, quo adest licentia recipiendi tales res, quæ solent distribui; quales sunt munuscula spiritualia, uti benè observat Herincx *loc. cit. n. 90.* 20

Quæritur II. Quæ sit pœna proprietarii? Res. Eam esse propriè duplicem sequentem. *Prima est, quòd si proprietas apud aliquem inventa fuerit in morte ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, c. cùm ad Monasteriũ, 6. h. t.* Intellige, si est in gravi quantitate sufficiente ad peccatũ mortale, Herincx *l. c. n. 97.* quia hæc pœna infligitur *in signũ perditionis, seu æternæ damnationis*, quæ non nisi per peccatũ mortale incurritur. Nec tamen tota substãtia, quam vitio propietatis possedit, sed aliquid tantum de illo cum eo sepeliendum est in sterquilinio, ut benè *in cit. c. 6. h. t.* advertit Jo. Andr. Abbas *n. 15.* Sanch. & alii. Neque incurrunt hanc pœnã ii, qui proprietariè expendunt, vel consumunt, vel retinent; quia de his solis, & non de illis Lex loquitur, quæ utpote pœnalis & odiosa non est extendenda, *c. Odia, de R. I. in 6.* Sanch. *lib. 7. Moral. c. 20. n. 11.* Herincx *l. cit.* Pirhing *h. t. n. 8.* & alii. 21

Secunda pœna proprietarii est privatio vocis activæ, & passivæ per biennium. *Concil. Trid. Sess. 25. de Regular. c. 2.* Verum hæc pœna non tantum proprietarios, sed & illos comprehendit, qui etiam de licentia Superiorum contra paupertatem aliquid tenent: prout patet ex ipso Concilio *loc. c.* ubi postquàm plura paupertati contraria emanavit, statuit, *quòd si quis aliter quidquam tenere conprehensus fuit, is biennio activa, & passiva voce privatus sit; atque juxta Regulæ & Ordinis constitutiones puniatur.* 22

Quæritur III. Quid juris in casu, quo aliquid alicui Religioso in particulari legatur, aut donatur hac conditione, ut ad eum, & non ad Monasterium pertineat? Res. I. Hujusmodi legata, aut donationes intelligendas esse juxta conditionem personæ, videlicet de solo usu, ac de licentia Superioris ad nutum revocabili. Sanchez *lib. 7. Moral. c. 17. n. 4.* Engel *h. t. n. 3.* & communis aliorum, *arg. l. Plenum. §. Equitii. ff. de Usu & habitation.* Ratio est; quia voluntas Testatoris pro possibili semper ita explicanda est, ne careat effectu, & pereat ejus voluntas, ut benè observat Jason *in l. Quoties n. 2. ff. de V. O.* & alii. 23

Resp. II. Si Religioso in particulari aliquid legatur expressa conditione, ut etiam dominium ad eum pertineat, vel ut usus illius independenter à licentia Superioris, vel irrevocabiliter ei, quamdiu vivit, permittatur habetur conditio pro non adjecta, ac pertinet legatum ad Monasterium. Sanchez *loc. cit. num. 11.* Jason *in Authen. Ingressi n. 37. & 39. C. de SS. Eccles.* Baldus *in c. Clerici, in fine de judiciis*, & alii. Ratio est; quia talis conditio est turpis, utpote repugnans paupertati promissæ, turpis autem conditio habetur pro non adjecta in textu expresso *§. Impossibilis. Instit. de Hæredum Instit.* & amplius diximus *tit. 26. de Testam. n. 441.* ubi vide. 24

25 Resp. III. Si sub præfata conditione aliquid in vivis datur Religioso, irrita est donatio, nec donatum accipi potest etiam de licentia Superioris. Sanchez *loc. cit. n. 12.* & alii ab eo citati. Ratio est, quia licet conditiones turpes legatis appositæ habeantur pro non adjectis, nec vitient legatum, juxta dicta *n. præced.* tamen secùs est in contractibus inter vivos, utpote in quibus turpis conditio adjecta vitiat totum contractum. *arg. tot. tit. ff. de Condit. ob turpem causam*, & *l. Impossibilis 7. ff. de V. O.* Et hæc distinctio inter legata & donata Religioso sub conditione turpi, & impossibili, benè est notanda.

Reliqua de voto paupertatis vide apud Doctores citatos suprà *n. 52.* utpote qui ex professo copiose scribunt de tribus votis Religionis, præsertim de paupertate, quod idem faciunt Regularum Expositores.

§. II.

De Clausura Regularium, tam virorum, quam Monialium.

SUMMARIUM.

26 *Clausura Monasterii quid.*
27 *Et quæ veniant ejus nomine?*
Sacristia & Chorus quando sint de Clausura. Ibid.
28 *Moniales gravissime prohibentur egredi è Clausura. Ib.*
29 *Incendium & morbus Communitati periculosus sunt causa egrediendi.*
30 *Ac causæ his similes, Et n. seq.*
32 *Infirmitas uni tantùm Moniali periculosa est causa egrediendi Et nu. seq.*
34 *Solvitur objectio.*
35 *Illatio prædicta de Balneis.*
36 *Causam egrediendi à Clausura approbare, & licentiam dare pertinet ad Episcopum.*
37 *Etiam in Monasteriis exemptis.*
38 *Clausuram Monialium ingredi nemo potest.*
39 *Exceptis infantibus, non item adultis amentibus.*
40 *Dissuadetur infantium admissio ad Clausuram*
41 *Puellæ possunt educationis gratia Clausuram ingredi cum certis conditionibus.*
42 *Ac etiam Regiæ personæ.*
43 *Solvitur objectio.*
44 *Comitatus honestus solitus potest cum Personis Principibus ingredi.*
45 *Quotnam personæ in tali Comitatu admitti possint? usque ad num. 48.*
46 *Est attendenda consuetudo loci, ac Monasterii.*
47 *Præsertim in personis extraneis ad Comitatum non pertinentibus.*
48 *Quid Juris, si plures Principes Personæ simul ingrediantur.*
49 *Electores, & Principes Romani Imperii licite ingrediuntur Clausuram.*
50 *Monitum pro Superioribus.*
51 *Fundatores non possunt ingredi Clausuram.*
52 *In Personis non privilegiatis requiritur moralis necessitas.*
53 *Enumerantur plures similes necessitatis casus, usque ad num. 57.*
55 *Confessarii Monialium in quibus casibus possint ingredi.*
56 *Et ibidem celebrare Missam?*
57 *Ad ingrediendam Clausuram requiritur licentia Superioris.*
58 *Requiritur licentia specialis in scriptis obtenta.*
59 *Nisi adsit repentina necessitas.*
60 *Vel casus ordinarius, Medici v. g. Chirurgi &c.*
61 *Episcopi, & Superiores nec aliis licentiam Clausuram intrandi dare possunt.*
62 *Nec ipsi intrare valent extra casum necessitatis.*
63 *Inter casus necessarios est causa visitandi, non item causa induendi.*
64 *Nisi adsit cõsuetudo, vel extraordinaria circumstantia.*
65 *Licite ingrediens, quamdiu in Clausura manere possit.*
66 *Circa Clausuram Monialium etiam attendi debet consuetudo: quæ tamen, si incipit esse præjudiciosa, debet tolli per Episcopum.*
67 *Et Superiores Ordinis: quomodo?*
Episcopus potest visitare Monasteria Monialium exempta in puncto Clausuræ. Ibid.
68 *Exire è Monasterio Religiosus sine licentia expressa, vel interpretativa non potest. Et n. 70.*
69 *Exiens sine licentia non peccat mortaliter.*
71 *Mulier Monasterium virorum prætextu privilegii ingredi, vel in illud admitti non potest.*
72 *Absque tali prætextu ingrediens, secundùm alios non peccat, nec pœnas incurrit.*
73 *Contrarium probabilius est.*
74 *Quoad omnes mulieres etiam sine prætextu privilegii intrantes: excepto casu Processionis, Sepulturæ, vel Officii Divini: excipiuntur personæ Principes. Et n. 78.*
75 *Solvitur instantia. Et nu. seq.*
Declarationes Cardinalium sine promulgatione obligant. Ibid.
77 *Stylus Curiæ habetur pro Lege.*
78 *Cum illicite ingressis mulieribus quando peccent Religiosi eas comitando, vel cum eis confabulando.*

Quæritur I. Quid sit *Clausura Monasterii* Regularium, tam virorum, quam Monialium? Et quæ comprehendantur sub ea? Resp. *Clausura Monasterii* est totum illud spatium, quod ambitur & clauditur muris, parietibus, seu septis Monasterii: unde quidquid in illo continetur, nomine *Clausuræ* venit. Navarrus *de V. S. lib. 5. n. 3.* Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 17. n. 12.* Hyacint. Donatus *tom. 1. tr. 3. q. 1.* ac in re Communis, patetque tum ex c. *Ex. t. qui seminat. de V. S.* & Decreto Clementis VIII. edito super reservatione Casuum, ubi inter Casus reservatos numeratur egressus illicitus extra *septa Monasterii seu Conventus*, id est extra *Clausuram*. 26

Infertur non tantùm ipsum Monasterium, ejusque officinas & habitacula interiora, sed etiam hortos Monasterio contiguos, inter præfatos muros, seu septa existentes, quo distractionis gratia se Regulares conferunt, & quidquid intra eadem septa existit sub *Clausura* comprehendi, uti bene docet Sanchez *loc. cit. n. 14.* Hyacint. Donatus *loc. cit. q. 11.* & Communis aliorum. Idem est de Sacristia, si intra dicta septa existit, vel ab eis immediate pateat aditus ad eam; secùs verò si extra septa existens soli Ecclesiæ sit conjuncta, ab eaque immediate pateat aditus ad illam: quod idem de Choro dicendum. Hyacint. Donatus *loc. cit. q. 12.* Pelliz *tom. 1. tr. 4. q. 31.* Bonacina *q. 9. de Clausura par. 1.* & alii. Quamvis valde decens sit, ut per Superiores etiam in præfato casu Sacristia *Clausuræ* annumeretur; licet enim Superiores Ordinum *Clausuram* necessariam, seu à Jure jam determinatam, pro libitu aliter determinare, declarare, aut variare non possint, consequenter non facere, quod locus aliquis v. g. hortus intra septa Conventus existens, non sit de *Clausura* possunt tamen ea loca, quæ de rigore Juris sub *Clausura* non sunt, vel de quibus dubium est, uti sunt Sacristia v. g. Chorus &c. pro eadem determinare ac declarare, uti *loc. cit.* bene docet Pelliz. Hyacint. Donatus, & alii. 27

Quæritur II. An & quanta sit obligatio *Clausuræ* Monialium quoad egressum? Ante Responsionem notandum, duplicem considerandi obligationem in *Clausura* tam Virorum, quam Mulierum: unam quoad egressum eorum, alteram quoad ingressum aliorũ in eadem. Et quia *Clausura Monialium* strictior est, ac in Jure magis præcepta, priùs de hac, postea verò de *Clausura Virorum* loquemur. Res. I. Omnes & singulæ Moniales gravissime obligantur ad *Clausuram quoad egressum*, ita ut mortaliter peccet, & ipso facto Excommunicationem incurrat, quæ sine justa causa, & legitima licentia *Clausuram* egreditur. Unanimis, ob clara Jura *c. un. de Statu regul. in 6.* ibi: Præsenti 28
„ Constitutione perpetuò irrefragabiliter valitura sancimus, universas & singulas Moniales præsentes & futuras, cujuscunque Religionis sint, vel Ordinis, in quibuslibet Mundi partibus existentes, sub perpetua in suis Monasteriis debere de cætero permanere Clausura, ita quod nulli earum Religionem tacite, vel expresse professæ, sit, vel esse valeat, quacunque ratione vel casu (nisi forsan tanto, vel tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo com-

,, morari) Monasteria deinceps egrediendi facultas. Quam Constitutionem de novo innovavit, & Confirmavit Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 5. de regul.* cujus tenorem, quia sæpius citandus erit, hic ponimus: *Bonifacii VII.* Constitutionem, quæ incipit *Periculoso*, ,, renovans S. Synodus universis Episcopis sub obtestatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, Ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ authoritate Clausuram Monialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes, atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Quod auxilium, ut præbeatur, omnes Christianos hortatur S. Synodus, & sub Excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, omnibus Magistratibus sæcularibus injungit. Nemini autem N. B. Sanctimonialium liceat, post Professionem exire è Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda: indultis & quibuscunque privilegiis non obstantibus &c.

Idem, & quidem sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ statuit Pius V. in Constitutione *Circa Pastoralis*, quæ est ordine 8. in Bullar. Cherub. ubi in declaratione subjuncta, quæ incipit *Decori* §. 2. ita statuitur. A,, liter autem, quam ut præfertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, nec non comitantes, ac earum receptrices personas, sive laicas aut seculares, vel Ecclesiasticas consanguineas, vel non, Excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque alia declaratione subjacere, à quo præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeat. Et insuper tam egressas, quam Præsidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam hujusmodi concedentes, Dignitatibus, Officiis, & Administrationibus, per eas, & eos, tunc obtentis privamus, & illos, & illas ad obtenta, & alia imposterum obtinenda inhabiles declaramus. Accedit idem statuens Constitutio Gregorii XIII. *Deo sacris*, ordine 8. in Bullar. Cherub.

29 Quæritur III. Ob quas causas, & per quos dari possit Monialibus licentia exeundi è *Clausura*? Resp. I. Plures esse causas, ob quas Monialibus dari potest licentia è *Clausura* exeundi. Patet inductione, sic imprimis talis causa est *morbus alicujus Monialis ita contagiosus*, ut aliæ sine scandalo, vel infectionis periculo cum ea commorari nequeant. Omnes, claris Juribus *c. un. de Statu regul. in 6.* per textum citatum *nu. præced.* hujusmodi morbus est lepra, aut epidimia, pestis &c. ut declaravit Pius V. citatus *n. præced. Secunda* causa est *magnum incendium*, prout eodem loco idem declaravit Pius V. Et quamvis ibidem addat, quod ob nullam aliam causam, quam ob prædictas, *nullaque alia occasione, vel prætextu, etiam infirmitatis* dari aut obtineri valeat licentia *Clausuram* egrediendi, & idem dicatur *cit. c. un. de Statu regul. in 6. Quacunque ratione, vel causa alia egrediendi sit facultas*.

30 Nihilominùs etiam ob alias æque graves, vel graviores causas licentia exeundi dari, & obtineri potest. Roderiquez *tom. 1. q. 49. a. 3.* Navarrus *in can. Statuimus caus. 19. à n. 16. & in c. un. de Statu regul. in 6.* Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 15.* Pirhing *h. t. n. 34.* Hyacint. Donatus *tom. 4. tr. 4. q. 2.* Layman *lib. 4. tr. 4. cap. 12. n. 1.* & plures alii, contra non paucos alios. Ratio est; quia de similibus idem est judicium *c. Translato de Constit. & ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio*, ut ait Glossa *in l. Illud ff. ad Legem Juliam*. Nec obstat clausula seu dictio *taxativa in c. un. de Statu regular. in 6.* & à Pio V. citato *n. 28.* posita: tum quia Concilium Tridentinum citatum *n. 28.* universaliter loquitur *de causa legitima per Episcopum approbata*: tum quia præfata dictio *taxativa* non excludit casus similes, & urgentiores, uti ex utroque Jure late demonstrat Navarrus *loc. cit.* Sanchez *loc. cit.* Donatus *loc. cit.* Tum quia ita habet praxis, & consuetudo passim vigens, quæ est *optima Legum interpres*, *L. 37. ff. de Legibus*.

31 Hinc *tertia* causa egrediendi esse potest casus urgentis incursionis hostilis, præsertim hæreticorum & infidelium, ex quo magnum damnum imminet Monasterio vel Communitati in bonis fortunæ, vel corporis; nisi fugiant. Ita DD. citati cum communi aliorum. *Quarta* esse potest aquarum inundantia Monialibus periculosa. *Quinta*, si quæ Monialis alibi eligatur Abbatissa, vel Superiorissa, aut ad fundandum novum Monasterium alio mittitur. *Sexta*, universaliter quoties bonum commune urget egressum, vide apud Doctores citatos, & Guttierez *lib. 1. can. qq. q. 14.* Suarez, Graff. Diana, & alios.

32 Num autem etiam ob similes, vel graviores, præter expressas à Pio V. causas, concedi possit egressus, si non bonum commune, sed solum particulare alicujus Monialis urgeat? v. gr. si Monialis sine periculo infectionis aliarum ita infirma sit, ut nisi egrediatur curari in Monasterio nequeat, sed mori debeat, gravis est controversia inter Doctores: Sanchez siquidem *loc. cit. n. 39.* Roderiquez *loc. cit.* Layman *loc. cit.* Guttierez *loc. cit. n. 7. & seqq.* Hyacint. Donatus *loc. cit.* & plures alii ab eo citati, negative respondent, quorum potissima ratio est, quod cum in Bulla Pii V. exprimantur solummodo casus bonum commune concernentes, & casus particularis alicujus Monialis non censeatur ei similis, consequenter ad eum dispositio Juris minimè extendenda præsertim cum habeat clausulam *taxativam*. Accedit, quod Pius V. causam *infirmitatis*, quæ non est periculosa Communitati, pro insufficientia expresse declaraverit.

33 Econtra Navarrus *Commentar. 4. de regul. n. 49.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. de Oblig. relig. cap. 9. n. 9.* Azorius *par. 1. lib. 13. cap. 8. q. 1.* Peyr. *tom. 2. Privil. Minim. in Constit. 6 Pii V. n. 24.* Navarrus *in Lucerna regul. V. Clausura.* Pirhing *h. t. n. 34.* Barbosa *ubi suprà*, probabilius sentire videntur, etiam ob graves causas bonum particulare, vitam v. g. alicujus Monialis concernentes, concedi posse egressum à *Clausura*, si non nisi egrediens curari potest, quod probatur tum rationibus suprà *n. 30.* positis, utpote etiam hic militantibus: tum quia defensio naturalis nemini est auferenda, *Clem. Pastoralis 2 §. Cæterùm de Sent. & re judicat.* facultas autem defendendi vitam est naturalis, *l. Ut vim ff. de Just. & Jur.* Tum quia juxta communem etiam Adversariorum, Leges humanæ non obligant cum gravi damno, præsertim periculo vitæ. Tum etiam, quia verisimile non est, Pontificem cum dispendio vitæ voluisse Moniales in particulari obligare ad *Clausuram*. Accedit Declaratio Cardinalium, quam allegat Suarez *loc. cit. n. 3.* & refert Hyacint. Donatus, ubi suprà illis verbis: *Curandæ valetudinis gratia ad Balnea Monialem ire posse, Sedes Apostolica concessit, dum tamen eat cum honesto comitatu personarum, quem Ordinarius dandum censuerit, atque tam eundo, quam redeundo, nullum ad locum extra viam rectam divertat, neque diutius maneat apud ipsa Balnea, quam ob curandam sanitatem necesse fuerit.* Similem etiam ad instantiam Marchionis Fuscaldi pro egressu sororis suæ Germanæ, obtentam offert Navarrus *loc. cit.* ergo.

34 Nec obstant fundamenta Adversariorum. Negatur enim, quod Pius V. solas allegarit causas bonum commune concernentes; cùm posuerit etiam *incendium*, quod facile Monialem unam aliquam deprehendere potest, ut cæteris in *Clausura* salvis ipsa perire deberet, nisi è *Clausura* fugeret. In quo casu sane negare non possunt Adversarii, quod liceat tali Moniali fugere, sicut & in aliis casibus, in quibus periculum vitæ, vel alterius gravis damni immineret alicui Moniali soli, v. g. si quis Monialem insequitur, ut occidat, mutilet, vel lascive opprimat: quis enim neget, in simili casu licere è Claustro fugere, si alia via evadendi non superest. Ad textum Pii V. *infirmitatem* pro causa insufficienti declarantem, dico, cum solummodo velle, quod non quævis infirmitas etiam periculosa Moniali ordinarie causa esse possit Claustrum egrediendi (hoc enim ansam præberet, *Clausuram* passim violandi) non item prohibere, quin saltem in eo *infirmitatis* casu egredi liceat, in quo nisi egressa curari nequit. Et ita piè interpretari jubent fundamenta pro nostra doctrina allegata, & bene advertit Pirhing *loc. cit.*

35 Infertur proin, posse Moniali concedi egrediendi licentiam in quavis infirmitate gravi, quæ non nisi extra *Clausuram* curari potest, & quidem non tantùm quando urget periculum vitæ, sed etiam quando alias perpetuo misera, doloribus, & gravi infirmitati subjecta manere deberet Monialis, id quod recepta confirmat praxis

& con-

& consuetudo, *quæ est optima Legum interpres*, *L. 37. ff. de Legibus*, cùm videamus à doctissimis ac piissimis Ordinariis absque scrupulo Monialibus etiam in particulari impertiri licentiam, ad Balnea extra *Clausuram* sanitatis causa pergendi. Item potest Monialis aliqua etiam correctionis causa ab uno Monasterio ad aliud mitti; prout notat Barbosa *loc. cit.* & concedit etiam Sanchez *loc. cit. nu. 47.* Miranda *de Sanctimonial. quæst. 3. a. 2. vers. Quartus casus*.

36 Resp. II. An causa egrediendi sufficiens sit & legitima, solus loci Ordinarius seu Episcopus cognoscere, & approbare, eaque cognita concedere, vel negare debet licentiam in Monasteriis non Exemptis: in Exemptis verò idem Episcopus cum Superiore Ordinis. *Prima pars* est certa apud Omnes. Patetque clare ex Tridentino Concilio *Sess. 25. cap. 5. de regul.* ibi: *Nemini Sanctimonialium liceat exire è Monasterio, nisi ex aliqua causa ab Episcopo approbanda* & ex Constitutione Pii V. citata supra *n. 28*.

37 *Secunda pars* docetur à Sanchez *loc. cit. lib. 6. cap. 15. num. 28.* Hyacinto Donato *loc. cit. quæst. 5.* Pirhing *h. t. nu. 37.* cum communi & hodie certa aliorum, contra nonnullos à Sanchez citatos, volentes sufficere in Monasteriis Exemptis solum Superiorem Ordinis. Probatur autem tum ex textu Concilii universaliter, & indistincte loquentis; consequenter indistinctè intelligendi, *arg. l. de Pretio, ff. de Publician. in rem action.* Tum & quidem evidenter ex Constitutione Pii V. *num. 28.* citata, in qua §. 3. postquam allegatæ sunt causæ exeundi, inter alia etiam infirmitas certa posita, addit: *Quæ tamen infirmitas præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumbit, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiam prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita & expresse in scriptis approbata sit, à præfatis Monasteriis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere.* Hinc si Superiores Ordinis absque interventu Episcopi licentiam exeundi præbent, tanquam violatores *Clausuræ* ab Episcopo puniri possunt, & debent, prout declaravit S. Congregatio apud Donatum *loc. cit. num. 7.*

38 Quæritur IV. In quo consistat, & quantum se extendat obligatio *Clausuræ Monialium* quoad ingressum? Resp. [illegible] consistere in hoc, quod nemo sive vir sit sive fœmina, absque peccato mortali, & pœna Excommunicationis [illegible] incurrenda, *Clausuram Monialium* ingredi possit, [illegible] legitimam causam habeat & licentiam ab iis, qui [illegible] possunt. Unanimis, per clara; ut *c. un. de St*[illegible] *Nulli aliquatenus honestæ (nisi ration*[illegible] *causa existat, ac de illius, ad quem pertinet licentia* [illegible] *accessus pateat ad eandem* & Concil. Trid. [illegible] *de regular. cap. 5.* ibi: *Ingredi autem intra septa* (Monialium) *nemini liceat, cujuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit; sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub Excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.* Accedit Constitutio Gregorii XIII. *Ubi gratiæ*, quæ est ordine 28. in Bullar. Cherub. ubi etiam revocat omnia privilegia ingrediendi à quibuscunque, & cuicunque concessa. Ratio hujus *Clausuræ* quoad ingressum insinuatur *cit. c. 1. de Statu regul. in 6.* illis verbis: *Ut sic à publicis, & mundanis conspectibus separatæ, omninò Deo servire valeant liberius, & lasciviendi opportunitate sublata eidem corda sua & corpora in omni sanctimonia diligentius custodire.*

39 Limitatur tamen Conclusio I. In pueris & puellis, qui defectu ætatis nondum adepti sunt usum rationis, prout probabilius docet Roderiquez *tom. 1. q. 46. a. 1.* Sanchez *lib. 6. cap. 16.* [illegible] *alleg. 102. n. 31.* Miranda *de Sanctimonial. q.* [illegible] Layman *loc. cit. nu. 2.* Pirhing *h. t. n. 41.* Hyacint. Donatus *tom. 4. tr. 5. qu. 11.* & communis aliorum, contra Paul. Comitol. *respons. moral. lib. 6. q. 19. n. 6.* & paucos alios. Ratio est, quia [illegible] cessat ratio Legis prohibentis, periculum nempe [illegible] Moniales incitentur ad peccatum: cessante autem [illegible] currente ratione & fine Legis, nec ipsa Lex [illegible] *l. In omnis ff. de adopt.* Accedit praxis & consuetudo [illegible] recepta, quæ optima Legum interpres, L. [illegible] Aliud est de amentibus, vel usu de-

bitæ rationis carentibus puberibus vel adultis; quamvis enim hi intrando non peccent, peccant tamen Moniales, & alii eos admittendo, utpote in quibus ratio Legis, periculum nempe Monialium, æque, imò subinde magis quam in aliis militat; cum talis turpiter jocando, aut loquendo multum perturbare possent Moniales; quæ ipsæ etiam liberius talem, quam alium ad illicita admittere, vel incitare possent; uti cum communi aliorum bene observat Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 26. nu. 5. & 8.* Hyacint. Donatus *loc. cit. q. 11.* Layman *lib. 4. tr. cap. 12. n. 2.* Pirhing *h. t. n. 41.* Roderiquez *loc. cit.* & alii.

40 Imò monent Doctores, ut Donatus *loc. cit. n. 14.* non facile & passim admittendos esse infantes, quantumvis juvenes etiam adhuc lac sugentes, sed potius prohibendum esse, ne admittantur, eo quod & in his subinde periculum labendi quoad aspectus & tactus nascatur Monialibus saltem tentationi carnali subjectis. Certè Superiores, id saltem cavere deberent, ne hujusmodi infantes præsertim masculos admissos permittant cum una sola commorari, nisi circumstantia ætatis Monialis omni exceptione & suspicione omninò majoris aliud suadeat.

41 Limitatur II. In puellis, quæ bonæ educationis, & instructionis gratia ingrediuntur; hæ enim de licentia Episcopi, vel Superioris cum consensu Superiorissæ admitti possunt, dummodo certæ serventur conditiones. Quarum *prima* est, ne id ab instituto Religionis specialiter prohibeatur. *Secunda*, ut præter consensum Superiorissæ adsit scripta licentia Episcopi, vel Superioris. *Tertia*, ut ibidem sine famulabus & ancillis degant, quantumvis Nobiles sint. *Quarta*, ut Clausuram eodem modo, quo Moniales servent; ac proin nunquam egrediantur, [illegible] autem non amplius admittantur, nisi [illegible] vel alias curandæ egrediantur. [illegible] decenti habitu virginali incedant. *Sexta*, [illegible] annum [illegible] ibidem non retineantur. *Septima*, ut quando parentes eas [illegible], illis illicò extradantur. *Octava*, ut sint separatæ à loco Monialibus destinato, & à Novitiis ad dormiendum, ac operibus manuum vacandum. Roderiquez *tom. 1. q. 46. a. 10.* Miranda *loc. cit. q. 2.* [illegible] 1. Sanchez *lib. 6. cap. 16. n. 61 & 62.* Soto *in Compend. Privil. V. Ingressus Monasteriorum Monialium*, *in* [illegible] Zerola *in Praxi Episc. in 2. edit. par. 1. vers. Moniales, ad decimum quæsitum*, & alii. Atque desumitur ex pluribus Cardinalium Declarationibus, quas per extensum vide apud Roderiquez *loc. cit.* ubi inter alias etiam una est dicens, mulieres nuptas, & viduas Monasteria similiter ingredi non posse, nisi velint fieri Moniales, quod etiam observat post Barbosam *lib. 1. Jur. Eccl. univ. cap. 45. n. 99. & 101.* Pirhing *h. t. n. 41.*

42 Limitatur III. In Imperatoribus, & Regibus, Imperatricibus, & Reginis, earumque Filiis, & Filiabus. Roderiquez *tom. 1. q. 48. a. 1.* Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 16. n. 3. & cap. 17. nu. 5.* Pelliz. *tom. 1. tract. 10. cap. 5.* [illegible] *a.* [illegible] Bonacina *par. 1. de Clausura quæst. 4 n. 4.* Hyacint. Donatus *tom. 4. tr. 4. q. 12. & tom. 1. tr. 4. q. 9.* Layman [illegible] *tr. 4. cap. 12.* & alii contra [illegible], [illegible] præcipue quod [illegible] omnibus personis [illegible] sum prohibeant. [illegible] autem [illegible] ex eo; tum quia supremæ similes Personæ, speciali nota dignæ, non comprehenduntur sub generalibus verbis Legis, nisi exprimantur, *arg. c. In generali 8. de R. J. in 6.* Tum quia in odiosis nomine fœminæ non veniunt præfatæ Personæ, nisi exprimantur, ut bene advertit Hyacint. Donatus *tom. 1. tr. 4. q. 9.* Tum etiam quia Summi Pontifices, ut Gregorius XIII. in Constitutione, *Ubi gratiæ* ordine 28. in Bullar. Cherub. & Paulus V. & Pius V. [illegible] privilegia intrandi *Clausuram* concessa, etiam Comitissas, Marchionissas, & Ducissas [illegible], de Altioribus tacent; ergo hoc ipso eas non comprehendi, satis innuere videntur, cùm facile exprimere potuissent, & non expresserint. Tum quia odia restringere, & favores ampliare debemus, *c. Odia de R. J. in 6.* Accedit Declaratio Cardinalium apud Hyacint. Donatum *loc. cit.* dicens quod per Constitutionem Greg. XIII. non derogetur [illegible] Personarum de Regia Stirpe intrandi *Clausuram*.

43 Nec obstat præcipuum fundamentum Adversariorum,

cùm, uti dictum, sub generalibus verbis Regis, in odiosis non veniant Personæ speciali nota dignæ. Nec obstat, quod addatur *cujuscunque conditionis existant*; sicut non obstante, quod etiam Tridentinum dicat *cujuscumque ætatis*, tamen infantes ratione carentes admittantur in *Clausuram*; quia dicta verba intelligenda sunt in sano sensu.

44 Limitatur IV. In personis ad honestum & decentem comitatum præfatarum supremarum Personarum *Clausuram* ingredientium spectantibus, seu quæ eas alias comitari solent. Doctores *nu.* 42. citati, præsertim Sanchez *loc. cit. c.* 17. *n.* 5. & 6. Pirhing *loc. cit.* Hyacint. Donat. *loc. cit. q.* 12. *n.* 8. *arg. c. Licet de Privileg. in* 6. ubi habetur, Privilegium concessum alicui personæ, ut tempore Interdicti possit audire Divina, extendi etiam ad personas eas comitari solitas. Sicut etiam licet cum publice denuntiatis Excommunicatis communicare graviter & universaliter sit prohibitum, id tamen domesticis & famulis concessum censetur, juxta Communem. Ratio est, quia non est verisimile, quod Pontifices præfatis personis facultatem intrandi *Clausuram* indulgentes, velint eas solas sine comitatu Dignitatem decente ingredi; ut bene observant Doctores citati.

45 Quotnam autem personæ, occasione talis comitatis admitti, & *Clausuram* ingredi queant? certa, ac determinata Regula pro cunctis dari plane non potest: cùm nec Jura de hoc aliquam mentionem faciant, nec Doctores aliquem numerum specificent, sed à potiori dicant, eas omnes, quascunque tandem sive viros, sive fœminas admittendas esse, quæ alias similes sublimes Personas comitantur, quamvis aliqui suadeant, ut paucæ sint, eæque seniores, ac probatæ vitæ. Quoniam verò id solido fundamento non probant, arbitrio prudentum Superiorum relinquendum videtur, quotnam, & quales personæ consideratis ingredientium Principalium qualitatibus ac circumstantiis ad Comitivam admittendæ sint. Ubi tamen nec mathematice, nec minùs scrupulose, vel anxie, nec semper necessario, eadem mensura, & numero (nisi Ordinis constitutiones, aut consuetudo aliud exigant.) sed moraliter procedendum, hoc ipso, quod quædam personæ sublimes majorem, aliæ minorem comitatum ordinarie habere & soleant, & decens sit.

46 Pro securitate autem conscientiæ tam Superiorum, quam Monialium multum juvabit, imo necesse erit attendere consuetudinem loci, & Monasteriorum; cùm enim *Clausura* solo Jure humano Ecclesiastico sit introducta, juxta Communem, eidem cum tempore per consuetudinem derogari potest, *cap. fin. de consuetud.* dummodo saltem per decem annos vigere cognoscatur, quia hoc tempore Legi humanæ etiam Ecclesiasticæ, ac Pontificiæ per consuetudinem derogatur, ut diximus *lib.* 1. *Decret. tit.* 4. *de Consuetud. nu.* 105. [illegible] Quamvis alii quadraginta annos requirant, prout videre est ibidem. Et [illegible] consuetudinis in aliquibus Monasteriis [illegible] potest, quod dum Principes Personæ intrant *Clausuram Monialium* in aliquo numero, aliæ quoque personæ etiam peregrinæ, & quæ Personas Principes alias comitari non solent, neque de ejusdem ordinario comitatu sunt, simul ingredi permittantur; cùm eis nec ulla Jura, nec aliqua suffragetur authoritas Doctorum; utpote, qui illis solis cum Principibus Personis ingressum admittunt, quæ dictas Personas ordinarie comitari solent, sive de earum ordinario comitatu sunt, per dicta *n.* 44.

47 Quod si quæras, quot numero personæ hujusmodi de ordinario comitatu non existentes, cum Principibus Personis intrare & admitti valeant? Resp. Tot, & non plures, quot admittendi in aliquo Monasterio viget consuetudo per decem saltem annos vigens. Nec potest consuetudo unius Monasterii alteri Monasterio esse in hoc [illegible] cum non detur communicatio consuetudinis, [illegible], *per vulgaria*: consequenter per hoc, quod in uno Monasterio introducta reperiatur consuetudo, [illegible] numerum v. g. triginta circiter admittendi cum Principibus Personis, non possunt absque peccato tot admitti in alio Monasterio, ubi non tot sed minorem numerum [illegible] admittendi viget consuetudo. Sicut [illegible] in uno Monasterio adsit consuetudo [illegible] extraneos admittendi cum Principibus Personis, aliud Monasterium, vel Superiores majorem numerum admittentes peccati damnari non possunt, si plures admittendi debito tempore vigeat ibidem consuetudo, quia, ut dictum, unica Regula in his de ordinario non existentibus extraneis admittendis, vel repellendis desumi debet ex consuetudine, utpote quæ in hoc passu unicus admittendi Titulus est, quo absente, strictissimæ subintrat *Clausuræ* obligatio; ut proin Superiores graviter obligentur vigilare, & omni modo cavere, ne plures hujusmodi, quam consuetudo habet, ad *Clausuram* admittant. Pro quo etiam brachium sæculare, si opus est, adhibere debent, & præcipue pro auxilio invocare Ordinarium loci, utpote in hac causa etiam in Monasteriis Monialium legitimum Judicem, & Sedis Apostolicæ Delegatum, prout notatur in Concilio Tridentino *Sess.* 25. *cap.* 5. *de regular.*

Si ulterius quæras, an in casu, quo plures filii aut filiæ Principissæ præfatarum sublimium Personarum *Clausuram* ingrediantur, possit cum quovis ordinarius solitus ejusdem comitatus & aliarum personarum admitti solitus numerus simul ingredi? Resp. Posse quidem cum quovis ordinarium, & pro illo deputatum comitatum ingredi per dicta *n.* 44. Non posse autem juxta numerum Principum Personarum multiplicari numerum personarum extranearum de comitatu ordinario non existentium: v. g. si vi consuetudinis cum una Principe Persona duodecim admittuntur, non possunt admitti triginta sex, si tres Personæ Principes ingrediantur; nisi & hoc habeat consuetudo debito tempore introducta. Ratio est quæ suprà, quia nempe sola consuetudo his personis licitum facit ingressum. 48

Porrò quæ hactenus de Imperatoribus & Regibus, eorumque uxoribus, & prolibus dicta sunt, etiam ad Electores & Principes S. R. I. eorumque uxores, & proles probabiliter extendi possunt; eò quòd de iis eadem, quæ de Regibus & Imperatoribus militent fundamenta & rationes, consequenter eadem legis dispositio *arg. l. Ideo ff. de legib. l. Non possunt ff. eod. cum concord.* Nec obstat, quod in Bulla Gregorii XIII. Pauli V. & [illegible] V. excipiantur Comitissæ, Marchionissæ, Ducissæ, nam contra est: quod etiam Electores, & Electrices S. R. I. sunt his superiores, consequenter in Lege [illegible], nisi exprimantur, non comprehensæ, *arg. c.* 81. [illegible] *R. J. in* 6. Accedit praxis & consuetudo saltem in Germania passim vigens. 49

Cæterùm quamvis juxta dicta nec Superiores, nec moniales peccent admittendo cum Principibus Personis aliquem etiam majorem numerum aliarum personarum juxta consuetudinem monasterii; Nihilominus eisdem Superioribus liberum erit, per salutares Constitutiones, & convenientia media talem consuetudinem moderare, & numerum plus justò majorem reducere præsertim ubi vident, quod alias varia emergant inconvenientia, vel scandala; dummodo sine proprio, & monasterii gravi incommodo id facere possint. 50

[illegible] Conclusionem *n.* 38. positam, etiam in [illegible] monasteriorum. [illegible] habetur à S. Congregatione, cujus Declarationem refert Hyacint. Donatus *tom.* 4. *tract.* 5. *q.* 13. ut proin his ingredi non liceat, nisi aliud habeant Ordinis constitutiones, aut loci consuetudo, aut sint Personæ Principes, *ut suprà*. 51

Quæritur V. Ob quas causas personis alias intrare Clausuram prohibitis, [illegible] ingredi Clausuram monialium? Resp. Non sufficit quævis causa, sed requiritur, ac etiam sufficit moralis aliqua necessitas, sive circa monasterium, sive circa Communitatem, sive circa monialem in particulari occurrens, cui absque ingressu externorum per moniales, vel aliter [illegible] non potest. Roderiq. *tom.* 1 *q.* 46. *a.* 4. Miranda *de Sanctimonial. q.* 2. *a.* 7. Sanchez *lib.* 6. *Moral. c.* 16. *n.* [illegible] Barbosa *de offic. & Potest. Episc. alleg.* 102. *n.* 48. Hyacint. Donatus *ubi suprà q.* 19. Pirhing *h. t. n.* 42. Portel. [illegible] *Clausura n.* 4. & communis aliorum, *arg. c.* [illegible] *reg. in* 6. ibi: Nisi manifesta & rationabilis causa extiterit, & Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *de regul. cap.* [illegible] ubi dicitur, quod licentia intrandi [illegible] possit, in casibus necessariis, intellige [illegible] idem habet Constitutio Gregorii XIII. [illegible] necessitatibus urgentibus [illegible] 52

quos omnes tres textus idem dicere, & moralem necessitatem exigere pluribus ostendit Roderiquez *loc. cit.* ubi etiam cum aliis docet, minorem causam sufficere ad ingressum fœminæ, quam viri, quia illius ingressus minùs periculosus est, quam istius.

53 Infertur in sequentibus causis & casibus licitum esse ingressum I. Medici, Chirurgi medendo infirmitatem monialium necessarii. II. Fabri, ministri, & operarii necessarii pro constructione, conservatione, aut reparatione alicujus ædificii, vel similibus operibus perficiendis, prout exemplificat Glossa *in cit. c. un. de Statu reg. in* 6. *V. Causa*. III. Et teste Sanchez *loc. cit. nu.* 43. Omnes: ubi etiam cum Navarro addit sartores pro vestibus, non item sutores pro calceis conficiendis, quia hi ostensa eis mensura calcei, vel ipso calceo, extra commode sua peragere queunt, non item sartores. IV. Bajuli portantes monasterio necessaria tam onerosa ut à monialibus plerumque debilioribus commode portari nequeant. Sanchez *loc. cit. n.* 56. V. Hortulani pro interiori horto. Sanch. *loc. cit.*

54 V. Famulæ sæculares ad serviendum intus monasterio non tantum ad breve, sed etiam ad longum tempus, casu quo non possunt habere professas ad viliora munera v. g. lavandum, purgandum monasterium &c. quadrantes; dummodo unquam è monasterio egrediantur, sed una cum monialibus Clausuram servent, donec omninò dimittantur. Roderiquez *loc. cit. q.* 44. *a.* 4. ubi id latè probat, Pirhing *h. t. n.* 4. Miranda *loc. cit. a* 5.

55 VI. Et quidem principaliter Confessarii in casu, quo monialis aliqua ob infirmitatem alia via ad Confessarium, vel hic ad illam commode venire nequit, ad audiendam ejusdem confessionem, & administranda eidem Sacramenta. Omnes, quod non tantùm pro articulo mortis, sed etiam pro quovis tempore, quo aliæ moniales communicant, vel confitentur, intelligendum venit, uti benè docet Roderiquez *tom.* 1. *q.* 47. *a.* 4. id probans ex Declarationibus Pontificum, Sanchez *loc. cit. nu.* 45. Barbosa *alleg.* 102. *n.* 49. Miranda *cit. q.* 2. *a.* 7. cum communi aliorum. Quinimò docet Roderiquez, & Sanchez *loc. cit* Barbosa *loc. cit. n.* 49 Portel. *ubi supra n.* 9. etiam tunc licere, quando aliis non communicantibus, aut confitentibus, infirmo dicit, se pœnitentiæ Sacramento indigere, præsertim ab initio morbi, *arg. c. cùm infirmitas de Pœnit. & remiss.*

56 Addit Roderiquez *loc. cit. §. Dubitatur præterea.* Miranda *loc. cit. q.* 2. *a.* 18. *concl.* 2. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 102. *n.* 49. posse etiam Prælatum, vel Confessarium monialium in diebus, quibus cæteræ moniales confitentur, & communicant, intrare Clausuram ad celebrandum ibidem in infirmaria, & Oratorio, vel Altari ibidem decenter præparato, & communicandum unam, vel plures infirmas, idque ex concessione Leonis X. quam in formalibus refert *loc. cit.* Roderiquez, Barbosa, & Miranda, ut qui etiam bene deducit, dictum privilegium nullibi esse revocatum; quamvis ibidem *Conclus.* 2. concedat, illicitum hodie esse quovis tempore celebrare in infirmaria ad solum finem, ut infirmæ audiant Missam, vide eundem. Plures casus vide apud Doctores citatos, præsertim Roderiquez, Mirandam, Sanchez, Portell. Barbosam, ac etiam Pelliz. *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 5. *sect.* 3. *& seqq.* qui fuse materiam Clausuræ examinant.

57 Quæritur: An? quando? & cujus licentia requiratur ad licite ingrediendam Clausuram Monialium? Resp. I. Ordinarie loquendo in Monasteriis immediate summo Pontifici, aut Episcopo subjectis, præter necessitatem moralem hactenus declaratam necessaria est, & sufficit licentia Episcopi: in Monasteriis verò Exemptis requiritur, & sufficit de Jure sola licentia Superioris Ordinis juxta Ordinis constitutiones, vel consuetudinem. Prima pars caret controversia. Secunda verò docetur à Barbosa *de Offic. & Potest. Episc. alleg.* 102. *n.* 40. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 12. Miranda *de Sanctimonial. q.* 2. *a.* 2. Suarez *tom.* 4. *relig. lib.* 1. *c* 10. *n.* 11. *& seq.* Navarrus *in c. Statuimus caus.* 19. *q.* 3. *n.* 6. Roderiquez *loc. cit. q.* 46. *a.* 2. Pirhing *h. t. nu.* 43. Et probatur utraque pars *c. un. de Statu regul. in* 6. ubi, dum dicitur, quod requiratur licentia illius, ad quam pertinet, satis innuitur, non in quovis Monasterio ad eundem pertinere: & Concilio Trident. *Sess.* 25. *cap.* 5. *de regul.* ubi divisive loquendo dicit: Quod nemo ingredi possit Clausuram Monialium sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta: dare autem Episcopus vel Superior licentiam tantùm debet in casibus necessariis. Quo divisivo loquendo modo tacitè indicat, diversam pro diversitate Monasteriorum requiri, & sufficere licentiam. Accedunt Declarationes Cardinalium, quarum unam pro parte secunda, videlicet, quod ad ingrediendam Clausuram Monialium Exemptarum sola requiratur, & sufficiat licentia Superioris regularis, non tantùm allegat, sed se vidisse eandem (nam de prima non est controversia) manu Cardinalis Milin. signatam anno, quo scripsit, testatur Barbosa *loc. cit. n.* 41. atque Tamburinus *de Jure Abbat. disp.* 23. *quæst.* 1. *nu.* 6. Ratio autem Conclusionis est; quia illius est dare licentiam ingrediendi Clausuram, cujus est, illam indicere, juxta vulgaria Juris, per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur; atqui in Monasteriis exemptis Clausuram indicere; Superiorum est, utpote qui plenam jurisdictionem in Moniales, uti in Fratres exercent, easdem visitando, corrigendo, puniendo, ergo. Dicitur, tamen notanter de Jure, quia uno ore fatentur Doctores, vi consuetudinis fieri posse, ut etiam in Monasteriis Exemptis Episcopi licentia requiratur; vel sola sufficiat: econtrà in Monasteriis non Exemptis requiratur etiam licentia Superioris, *arg. c. de Consuetud.*

Resp. II. Ad ingrediendam Clausuram Monialium requiritur licentia specialis, & in scriptis obtenta. Communis, claris Juribus, & quidem quod debeat esse *specialis*, patet, *c. un. de Statu regul. in* 6. ibi: Speciali licentia, intellige quoad ingressum, non quoad personam, idest, specialiter pro ingressu debet obtineri licentia, etsi non semper specialis fiat mentio personæ, ut cum communi bene advertit Sanchez *loc. cit. cap.* 16. *num.* 28. Quod autem debeat esse in scriptis obtenta, habetur ex Concilio Tridentino *Sess.* 25. *de regul. cap.* 5. ubi prohibetur ingressus sine licentia in scriptis obtenta. 58

Limitatur tamen conclusio in casibus repentinæ necessitatis, & ubi est periculum in mora, si licentia Superioris in scriptis expectetur; tunc enim sufficit licentia oretenus data, vel etiam interpretativa, si etiam circa hanc obtinendam est periculum in mora; ut contingere solet, si necessarius est ingressus Confessarii, Medici, Chirurgi, Fabrorum, Operariorum, &c. & Superior est absens, vel facile conveniri nequit. Sanchez *loc. cit. n.* 4. Roderiquez *tom.* 1. *quæst.* 46. *a.* 2. *in fine*. Barbosa *alleg.* 102. *n.* 57. Hyacint. Donatus *tom.* 4. *tr.* 5. *quæst.* 20. Navarrus *Comment.* 4. *de regul. nu.* 60. & Communis. Ratio est; quia alias in hujusmodi necessitatibus non esset satis consultum Monialibus. 59

Imò docent aliqui, ut Miranda *de Sanctimonialibus qu.* 2. *a.* 17. *conclus.* 1. Roderiquez *loc. cit.* Llamas *in Methodo curationis, in Appendice*, §. 6. *post initium*, & alii contra Sanchez *c. lib.* 6. *c.* 16. *nu.* 33. & 34. in ordinariis necessitatis casibus, quibus ingredi possunt v. g. Confessarii, Medici, Chirurgi, operarii, opifices, fabri &c. omninò non requiri aliquam licentiam specialem in scriptis, vel oretenus obtentam, etsi Superior ad manum sit, & licentia facile obtineri possit: sed sufficere licentiam Abbatissæ, idque ex interpretativa licentia Episcopi, vel Superioris, vel quia in his casibus licentia habetur à Jure, prout dicit, & pluribus concessionibus Pontificum probat Miranda *loc. cit.* Quæ sententia omninò probabilis, & in praxi tuta est; præsertim cùm etiam Regularissimorum Monasteriorum praxi & consuetudine, quæ est optima Legum interpres, *Leg.* 137. *ff. de Legib.* confirmetur. 60

Inferunt proin, quod Conclusio *n.* 57. posita, intelligenda, & expressa licentia Episcopi vel Superioris necessaria sit, non in dictis ordinariis, sed aliis extraordinariis necessitatis casibus.

Quæritur. An Episcopi, & Superiores Regulares licentiam intrandi Clausuram aliis dare pro libitu possint, & an ipsi pro libitu intrare valeant? Resp. I. Nec episcopus, nec Superior localis alicui, cuicunque tandem, etiam nobilissimo Comiti, aut Comitissæ, parenti, consanguineo &c. vel Benefactori Monialium, dare licentiam Clausuram intrandi potest, etiamsi aliqua allegetur causa rationabilis, nisi vera adsit necessitas moralis. Omnes, ob claram dispositionem Conc. Tridentini *cit. Sess.* 25. *de regul. cap.* 5. ibi: *Dare autem Episcopus, vel Superior licentiam de-* 61

bet tantùm in casibus necessariis, & Constitutionem Gregor. XIII. *Ubi gratiæ*, quæ est ordine 28. in Bullar. Cherub. ubi §. 4. expresse habetur, quod Episcopi & Superiores tantùm in casibus necessariis, & urgentibus necessitatibus licentiam Clausuram intrandi dare valeant.

62 Resp. II. Nec Episcopi, nec Superiores Regulares ingredi possunt Clausuram Monialium, præterquam in casibus necessariis, quibus existentibus absque ulteriori licentia, à Majori Superiore obtenta intrare valent. Miranda *cit. q. 2. a. 14. concl.* 1. 2. & 3. dicens Conclusionem esse certissimam, Sanchez *lib. 6. c. 16. n. 25.* Hyacint. Donatus *loc. cit. q. 22.* Roderiquez *tom. 1. q. 46. a. princ.* Pirhing *h. t. n. 43.* Pelliz. *tom. 1. tr. 5. sect. 3. n. 111.* cum communi, & hodie certa aliorum, ob claram dispositionem Gregor. XIII. in Constitutione *Dubiis*, quæ est apposita *Const.* 28. dicti Pontificis, in Bullar. Cherub. ubi §. 1. sic habetur: Harum tenore authoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes, tam sæculares, quam Regulares, quibus cura & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demum uti posse; si id faciant in casibus necessariis, & à paucis iisque senioribus ac Religiosis personis comitati. Quocirca universos & singulos Episcopali seu majori etiam Cardinalatus Dignitate præditos, nec non quorumvis Ordinum Abbates, Priores, Ministros, & alios quoscunque Superiores Regulares seriò monemus, ut facultate hujusmodi, qui eam habent, præterquam in casibus, ut præfertur, necessariis, neutiquam utantur.

63 Inter casus autem necessarios, ob quos Episcopus, vel Superiores Regulares ingredi possunt Clausuram Monialium, præcipuè numeratur causa Visitationis, ut cum communi notat Sanchez *loc. cit. n. 54.* Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. n. 55.* Miranda *loc. cit. a. 5. concl.* 4. ita tamen, ut sint comitati duobus, vel tribus sociis, iisque senioribus, ac Religiosis, ut ait Gregorius XIII. Inter dictos verò casus necessarios non censetur causa induendi Novitias, vel eas ad Professionem suscipiendi, aut illas, vel etiam Professas examinandi, uti bene advertit Lezana V. *Clausura n. 32.* Hyacint. Donatus *tom. 4. tr. 5. q. 22. n.* 7. atque à S. Congregatione decisum refert Barbosa *lib. 1. Juris Eccl. un. cap. 44. n.* 151. Ratio est; quia hæc commode fieri possunt extra ad crates. Pariter non possunt ingredi ex causa præsidendi, vel interessendi Electioni Abbatissæ v. g prout expresse statuitur in Concilio Tridentino *Sess. 25. de reg. c. 7.* ibi: Is verò, qui Electioni præest Episcopus, sive alius Superior Claustra Monasterii non ingredietur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat.

64 Observat tamen Roderiquez *loc. cit.* Miranda *l. c. concl.* 3. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 102. *n.* 46. Hyacint. Donatus *ubi sup.* posse in causa Electionis Superiores ingredi Clausuram, quando prudenter timetur, quod ipsis non intrantibus sint secuturæ collusiones, factiones, indeque subsequens inquieta, vel mala, vel omninò non Canonica Electio. Pariter licebit, ubi consuetudo id habet, qualis in Provincia nostra reformata viget.

65 Quæritur. An Episcopi, Superiores, vel alii Clausuram licite ingressi debeant finito negotio, necessitate, aut causa, ob quod vel ob quam ingressi sunt, statim iterum exire, ita ut peccent ibidem se detinendo? Resp. Quamvis finito negotio, vel cessante causa, debeant brevi iterum redire, nec diu ibidem se detinere possint, tamen si post finitum negotium modico tantum tempore ibi se detinent, v. g. consolandi infirmam, vel etiam visitandi, aut videndi Monasterium, aut officinas ejusdem, vel etiam aliqualis discursus gratia, non peccant. Prima pars, quod brevi iterum exire debeant, docent Barb. *loc. cit. n.* 57. Sanch. *loc. cit. n.* 68. Miranda *cit. q. 2. a.* 20. Roderiq. *tom. 1. q. 47. a. 11.* Pelliz. *tom. 2. tr. 10. c. 5. sect. 3. n.* 166. & communis aliorum. Ratio est, quia quod ob necessitatem conceditur, cessante necessitate, pariter cessare debet, *c. Quod pro necessitate 12. caus. 1. qu. 1. Secundam partem*, quod modice se detinens non peccet, docent omnes citati. Ratio est: tum quia præceptum Clausuræ numeratur inter præcepta moralia, consequenter in sensu morali intelligendum venit, in quo tam modicum tempus non attenditur: tum quia in tanto rigore præceptum Clausuræ non videtur receptum, teste consuetudine. Quantum autem tempus requiratur, ad hoc, ut quis finito negotio se detinens, peccet mortaliter, non est facile definire; Lessius *lib. 2. c. 12. n. 32.* putat, quod per quadrantem se detinens, nec venialiter peccet, notabiliter verò ultra mediam horam moram trahens, peccet mortaliter, & sequitur Pelliz. *loc. cit.* qui tamen hoc ultimum limitat, ibi, ubi introducta viget consuetudo diutiùs se continendi, quæ utpote contra solam Legem humanam licita & valida esse potest *c. fin. de Consuetud.* Sed occasione hujus

66 Quæritur. An, & quid valeat circa *Clausuram* consuetudo? Item quid circa eam incumbat Episcopo? Resp. Quamvis contra *Clausuram Monialium* tam quoad egressum, quam ingressum licita & valida sit consuetudo rationabilis & legitimè introducta, id est tempore debito per decem saltem annos continuata, ita ut vi illius in variis Monasteriis ubique circa *Clausuram* licita sint, & permitti possint, quæ de Jure prohibita cognoscuntur; prout cum communi & recepta aliorum jam sæpe dictum; eò quod *Clausura* solum obliget Jure humano Ecclesiastico, contra quod utique licitè & validè introduci potest consuetudo, textu claro *c. fin. de Consuet.* & latè diximus *in l. 1. Decretal. tit. 4. de Consuet.* Nihilominùs si animadvertunt Reverendissimi Ordinarii, quod occasione hujusmodi consuetudinum in Monasterio aliquo varia eveniant inconvenientia, vel nascantur scandala, aut notabiliter patiatur disciplina Regularis &c. possunt; & gravissime tenentur hujusmodi consuetudines tollere, vel saltem pro exigentia circumstantiarum moderari, ipsamque *Clausuram* denuò restituere: ubi verò hujusmodi consuetudines nondum vigent, neutiquam permittere, ut introducantur; sed potiùs debite vigilare, & procurare, ut *Clausura* semper inviolata conservetur, & hoc non tantum in Monasteriis sibi subjectis, sed etiam Exemptis. Ita communis DD. ob clara verba Concilii Trid. *Sess. 25. de regular. cap. 5.* ubi gravissimam hanc obligationem tremendis verbis imponit Episcopis, quæ verba habes suprà *n.* 28. Ratio est; quia consuetudo, quæ vel ab initio, vel cum tempore incipit præbere occasionem peccandi, vel est utilitati communi perniciosa, non amplius est rationabilis; sed irrationabilis, & mala corruptela, sicque nec licita, nec valida, *c. fin. de Consuet.* & amplius diximus *lib. 1. Decretal. tit. de Consuetud. §. 2. n. 14. & seq.*

67 Porrò, licet Concilium Tridentinum *loc. cit.* solis Episcopis gravissimam illam imponat obligationem, nullam faciendo mentionem de Superioribus Regularibus. Nihilominus ipsi quoque possunt, & tenentur, quantum in ipsis erit, similes consuetudines occasionem peccandi præbentes, aut bono communi, disciplinæ v. g. Regulari notabiliter perniciosas tollere, vel moderari in Monasteriis sibi subjectis; hoc ipso, quod vi Officii sui pastoralis graviter teneantur, à Communitate, & subditis sibi commissis, ea; quæ peccaminosa, scandalosa, aut Communitati perniciosa sunt, pro viribus avertere, juxta unanimem Doctorum: ubi notare habent, quod, dum prævident, vel experiuntur se nihil efficere, possint & debeant ad Reverend. loci Ordinarium recurrere, qui authoritate majori pollens, magis poterit, etiam per censuras Ecclesiasticas, invocato quoque, si opus erit, auxilio brachii sæcularis, succurrere, juxta clarum textum Concilii Tridentini, *cit. Sess. 25. cap. 5.* Item notare debent, quod si Reverendissimi Ordinarii, vel ex Officio, vel ab aliis requisiti circa *Clausuram* Monasterii Exempti, Visitationem, vel Inquisitionem instituere velint, eos nullatenus impedire valeant, eò quòd in puncto *Clausuræ* etiam Monasteria Exempta Monialium subsint jurisdictioni Episcopi tanquam Apostolici Delegati, textu claro Concilii Tridentini *loc. cit.* & tenent hodie Doctores communiter, quod etiam à S. Congregatione declaratum est, uti refert Hyacint. Donatus *tom. 4. tr. 3. q. 4.* Navarrus, Lezana, & Barbosa in Concil. Trident. *loc. cit. n.* 13. Expedit tamen, ut Episcopus in Monasteriis Exemptis cumulative cum Superioribus Ordinis procedat, prout notat Hyacint. Donatus *loc. cit.* & patet ex Bulla Pii V. *Circa pastoralis*: ibi: *Una cum Superioribus eorum*: quod si tamen Superiores concurrere recusant, privative & solus procedere potest: Imò juxta novissimam Declarationem Cardinalium 1640. 26. Maii editam, si vult, id potest Superioribus Regularibus non requisitis, etiam in casu, ubi nulla habetur suspicio violatæ *Clausuræ*. Verba Declarationis, quam habet Barb. in Concil. Trident. *loc. cit. n.* 13. sunt sequentia: *Sacra Congregatio Concensuit,*

sult, Episcopum Colimbriensem uti sedis Apostolicæ Delegatum potuisse quoad clausuram Monasterii Monialium conventus de Cellas Ordinis Cisterciensis Regularibus ejusdem Ordinis subjectum visitare, etiam assumpto secum Vicario Generali, & confessario earumdem Monialiũ, Monialesque ipsas in iis, quæ ad eãdem clausuram pertinent examini subjicere, remotis etiam suspicione violatę Clausurę, ac quacumque Superiorũ regularium negligentia, ipsisq; inconsultis, & irrequisitis. Ac insuper eidem Episc. licuisse rectorẽ Collegii dicti Ordinis, ex supradicta causa inobedientem declarare in pœnam Excommunicationis, ac alias comminatas incurrisse.

68 Quæritur. In quo consistat, & quomodò obliget *Clausura Monasterii Regularium virorum*, tam quoad egressum, quàm quoad ingressum mulierum in illud. Resp. I. *Clausura Monasterii virorum* in hoc consistit, & obligat, ut nullus Religiosus absque licentia Superioris & socio per Superiorem assignando è *Clausura* Monasterii exeat. Ita Communis, & patet ex Constitutione Clem. VIII. super Reformatione Regular. edita, quæ incipit *Nullus*, ordine 9. in Bullar. Cherub. ubi §. 12. ad propositum ita statuitur: *Nullus è Conventu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius. Licentiæ verò generales exeundi nulli concedantur. Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris Superioris arbitrio plectantur. Eandem etiam Janitor habeat, si sciens exeundi facultatem fecerit: cùm autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.*

69 Non peccat tamen mortaliter, sed tantum venialiter exiens de die sine licentia, nisi ex contẽptu, aut cum scandalo id faciat, uti contra Suarez benè docet, & solidè probat Navarrus *Comment. 4. de regul. n. 35.* Barbosa *in Conc. Trid. Sess. 25. c. 4. n. 3* Miranda *Tom. 1. q. 32. a. 2. concl. 1.* Lezana V. *Clausura*, & communis aliorum. Ratio est; quia, cum *Clausura Monasterii virorũ* quoad egressum tam strictè non obliget, uti *Monialium*; nec ullibi reperiatur in jure tam gravis obligatio, non cẽsetur materia gravis semel vel iterum absente scandalo vel contemptu, aliave circũstantia gravi, è Monasterio sine licentia Superioris exire.

70 Porrò ad egrediendum sufficit etiam licentia interpretativa saltẽ in casu, quo Superior commodè adiri nequit, ut *l. c.* benè observat Miranda. Nec requiritur causa necessaria ad dandam egrediendi licentiam, uti ad egressum Monialis, sed sufficit quævis rationabilis v. g. utilitas etiam modica conventus, vel Religiosi, charitas proximi &c. caret controversia: solum limita doctrinam *præc. n.* in nocturno & furtivo egressu, de quo sicut & de aliis quoad egressum Religiosorũ spectantibus; quia ad Theologos potius quàm Canonistas spectat, iis relinquimus.

71 Resp. II. *Clausura Monasterii Religiosorum quoad ingressum* principaliter consistit in hoc, ne illam ingrediantur, vel in eam admittantur mulieres. An autem, & quomodò hæc *Clausura* obliget; non modica est controversia inter DD. circa quam, ut certa ab incertis separemus. Resp. I. Certum est, quòd quævis mulier, quæ prætextu alicujus privilegii ante Pium V. vel Gregor. XIII. concessi, aliquod Religiosorum virorum Monasterium ingreditur, graviter peccet, & ipso facto Excommunicationem incurrat: Regulares verò præter peccatum grave, & pœnam Excommunicationis; etiam privationem Officiorũ, quæ habent, & inhabilitatem ad alia, nec non suspensionem à Divinis incurrant, si eas prætextu privilegii introducunt, aut ingredi faciunt vel permittunt. Ita clarè & expressè statutum habetur in Constitutione Pii V. *Regularium personarum*, quæ est 20. dicti Pontificis in Bullar. Cherub. & in Constitutione Gregorii XIII. *Ubi gratiæ*, inter Constitutiones ejusdem Pontificis 25. in Bullar. Cherub. quas etiam per extensum refert Hyacint. Donatus *Tom. 1. Tr. 4. q. 2.* & alii, apud quos legi poterunt.

72 Num autem hę Constitutiones etiam de illis fœminis, quæ sine prætextu privilegiorum ingrediuntur Monasteria virorum, & de Religiosis admittentibus illas intelligenda sint? magna est controversia inter DD. Layman siquidem *lib. 4. tr. 5. c. 12. n. 4.* Suarez *tom 5. de censur. Disp. 22. sect. 6.* docent, nec fœminam ingredientem, nec Religiosos admittentes peccare mortaliter, eò quòd nullibi aliqua reperiatur Lex tam graviter prohibens ingressum fœminarum in Monasteria virorum. Item dicunt, quòd non incurrant pœnas à Pio V. & Gregorio XIII. latas, nisi fœminæ ingrediantur, introducantur, aut permittantur prætextu privilegiorum; quia de his solis, non item de illis fœminis, quæ absque privilegiorum prætextu ingrediuntur, expressè loquuntur dictorum Pontificum Constitutiones; quæ utpote odiosæ ad casum non expressum extendi haud possunt, *a. l. 42. ff. de Pœnis & c. Odia de R. J. in 6.* Accedit, quòd neque prohibitionis ratio militet in aliis feminis absque prætextu privilegiorum ingredientibus, quia, quæ ante prohibitionem Pii V. prætextu privilegiorum ingrediebantur, vi horum ingressum urgebant, non obstantibus particularibus statutis Religiosorum, eumque sæpius, ac pro libito frequentabant non sine molestia, perturbatione, & inquietudine, forsan etiam scandalo Religiosorum: quod cùm non contingeret in aliis fœminis, meritò solum ingressum prætextu privilegiorum sub gravibus penis prohibuere Pontifices. Idem videlicet, quòd penas non incurrant mulieres sine prætextu privilegiorum ingredientes, sentit Engel. *h. t. n. 13.* Roderiquez *tom. 1. q. 47. a. 2.* Portel. *in Dub. Regul.* V. *Clausura*. Sayr. *de Censur. lib. 3. c. 31. n. 10.* Pirhing *h. t. n. 45* Quibus non obstantibus

73 Resp. III. Omnes & singulæ mulieres etiam sine prætextu privilegii *Clausuram Monasterii virorum* ingredientes, & Religiosi easdem admittentes, vel introducentes peccant graviter. Hyacint. Donatus *tom. 1. tr. 4. q. 3.* Navarrus *in Comment. 4. de Regul. n. 62.* & *in Manu. c. 27. nu.* 150. *Excommun.* 61. Pelliz. *tom. 1. tr. 5. sect. 2.* Azorius *p. 1. lib. 13. c. 8. fin.* Sanchez *lib. 6. Moral. c. 16. à n. 79. c. 17. n. 33.* Suarez *to. 4. de Relig. tr. 8. lib. 1. c. 7. n. 9.* ubi retractat, quòd dixerit *de Censur.* cum communiori aliorum. Probatur in primis ex Jure *can. Pervenit* 20 *cau.* 18. *q.* 2. ibi: *Pervenit ad nos, quod in Monasterio tuo passim mulieres ascendant, & (quod adhuc est gravius) Monachos tuos ibi commatres facere, & ex hoc incautam cum eis communionem habere. Ne ergo hac occasione humani generis inimicus, sua eas (quod absit) calliditate decipiat, ideò hujus te præcepti seriò monemus, ut neque mulieres in Monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas ascendere, neque Monachos tuos commatres sibi facere: Nam si hoc denuò ad aures nostras quocunque modò pervenerit, sic te severissimè noveris ultioni subeundum, ut emendationis tuæ qualitate cæteri sine dubio corrigantur.* Quæ verba gravem obligationem satis clarè indicant, hoc ipso, quòd sub *severissima ultione* prohibitio fiat, cùm pœna debeat esse proportionata delicto. Unde mirandum sanè, quòd Layman, Suarez, Pelliz. & alii Recentiores dicere non dubitarint, nullam in Jure communi prohibitionem reperiri. Ratio autem hujus prohibitionis est vitatio scandali, occasionis, & periculi peccandi, prout liquet ex textu: ibi: *Ne hac occasione humani generis inimicus, sua eos (quod absit) calliditate decipiat.* Confirmatur: mulier quævis ingrediens, & Religiosi introducentes Excommunicationi subjacent, juxta dicenda in sequenti Conclusione; ergo peccant mortaliter, cùm Excommunicatio à Papa non nisi ob peccatum grave feratur secundum Omnes etiam Adversarios.

74 Resp. IV. Omnes & singulæ mulieres, etiam absque prætextu privilegii *Clausulam* ingredientes, & Religiosi easdem admittentes, vel introducentes Excommunicationem ipso facto, & etiam alias penas *n. 71.* specificatas incurrunt. Ita Doctores omnes *n. præced.* citati, ac Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 1. c. 7. n. 9.* ubi retractat, quod prius docuerat: quibus quoad penas Pii V. accedit etiam Sanchez *lib. 6. cap. 16. n. 79.* Ratio est: quia Bullæ Pontificię *n. 71.* citatæ etiam de his feminis sunt intelligendæ, prout ipsimet expressè declararunt; uti præfati testantur Doctores. Et quidem de Declaratione Pii V. evidenter constat, cum ea sit inserta Bullario Cherub. statim post Bullam *Regularium Personarum* citatam suprà *n. 71.* Quæ Declaratio incipit *Decet Romanum*, & inter alia expressè sic habet: *Authoritate Apostolica tenore præsentium dicimus, & declaramus fuisse, & esse mentem, & intentionem nostram, quod dictæ litteræ non solum comprehenderent, & comprehendant mulieres habere prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi Monasteria, sed etiam & quascunque mulieres alias, tam in genere & in specie.* Quod tamen statim in subsequenti §. limitat in casibus, quibus fit intra Clau-

Claustrum Processio, vel celebrantur Officia Divina, aut sepeliuntur fidelium suffragia: in his enim casibus *Clausuram Monasterii virorum* intrandi conceditur facultas. Similem Declarationem edidit etiam Gregorius XIII teste Navarro *loc. cit.*

75 Nec dicas cum Laymano *loc. cit.* & aliis, Declarationem Pii V. non fuisse promulgatam; vel certè in Germania cum tanto rigore non esse receptam. Nam contra est, quòd Declarationes vim obligandi habeant absque promulgatione, & neque promulgari soleant, ut Leges; cùm non faciant novam Legem, sed insint Legi ab initio positæ, prout amplius diximus in Proœmio *lib. 1. Decretal.* §. 8. *n.* 129. *& seq.* Dein sine fundamento apparet dictum, quòd in Germania Constitutio Pii V. in tanto rigore non sit recepta; cùm in Monasteriis benè disciplinatis passim contrarium inveniatur, utpote quæ fœminas quasvis à *Clausura* omninò arcent.

76 Dices non constare authenticè de præfata Declaratione; consequenter non obligat. Resp. Æquè constare de Declaratione Pii V. ac de Constitutione ejusdem; cùm æquè illa, quàm hæc inserta habeatur Bullario Cherub. & aliis Classicis Doctoribus; & econtrà tam parum de Constitutione, quàm de Declaratione ejusdem ad manus cujuslibet habeatur authentica Copia, munita sigillo, & subscriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarii S. Congr. (prout ad authenticam Copiam requiritur juxtà citatum Proœmium *n.* 126.) ergo, si absque authentica Copia Adversarii credunt Constitutioni, cur non & Declarationi ejusdem iisdem veritatis circũstantiis munitæ? Accedit, quòd ex hoc solo non attendere Declarationem Cardin. quia non affertur in authentica Copia, vix absit ab irreverentia & temeritate, dummodò aliàs ex fidelibus Collectoribus allegetur, qualis utique erit Bullarium Cherub. prout rursus dictum in Proœmio *cit. n.* 128. Et tandem, si quis de veritate dubitet, scribat Romam ad Sac. Congreg. & illicò authenticam Copiam habebit.

77 Confirmatur ex continua praxi & stylo Pœnitentiariæ, utpote quæ semper juxta præfatas Declarationes judicat, procedit, ac disponit, teste Navarro *l. c.* Hyacintus Donatus, eoque teste Doctores reliqui citati *n.* 73. atqui stylus Curiæ pro Lege servatur, & habenda est, uti cum communi benè observat Gonzalez *in reg.* 8. *Cancellar.* Glossa 6. *n.* 210. citans plures Decisiones Rotæ. Felinus *in cap. Ex parte n.* 16. *de Rescript arg. c. Ex litteris, de Constit. & c. Quàm gravi, de Crimine falsi.*

Limitatur autem Conclusio in Regibus, Imperatoribus, Principibus, eorumque uxoribus, ac liberis, & comitatu eorum, modo, quo suprà *n.* 42. diximus de ingressu in Monasteria Monialium.

78 Quæritur. An Religiosi (idem est de Monialibus) peccent, & pœnas incurrant, si cum illicitè ingressis confabulantur, vel eos comitantur, vel hinc inde in Monasterio deducunt? Resp. Quamvis non desint Doctores affirmativam tenentes, inter quos est Roderiq. in expositione Bullæ Pii V. *n.* 9. Sorbus *in compend. Priv. V. Ingredi Monasteria n.* 4 *Vers. Aliud advertendum*, Hyac. Don. *to.* 4. *tr.* 5. *q.* 9. & alii. Nihilominus sententia negativa probabilis videtur, dummodò vi Officii expellere non teneantur, & non sint causa per comitatũ, & confabulationem quòd ingredientes diutius in Monasterio commorentur, & aliunde non concurrat circumstantia mala v. g. scandalum. Sanch. *l.* 6. *c.* 16. *n.* 95. Pelliz. *to.* 2. *tr.* 10. *c.* 5. *sect.* 3. *n.* 97. Portel. *in dub. Regul. Vers. Clausura, n.* 3. & alii. Ratio est quia Bullæ Pontificiæ præcisè loquuntur de ingredientibus, & eos ingredi permittentibus, aut introducentibus, uti legenti patet; tales autẽ non sunt positi in Conclusione, si conditiones annotatæ absunt, ut consideranti patet; ergo ad eos non sunt extendendæ, præsertim cum sint odiosæ *c. odia, de R. J. in* 6.

Reliqua de *Clausura* vide apud Roderiquez, Mirandam, Portel. Sanchez, Hyacint. Donatum, Pelliz. & alios de hac materia copiosè scribentes. Nobis properandum est ad alias materias Canonicas.

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Domus, vel locus Religiosus quid?*
3 *Requiritur ad eum authoritas Episcopi.*
4 *Subest Jurisdictioni Episcopi.*
5 *Quos effectus pariat hæc subjectio Episcopo?* *Potest talia loca visitare. Ibid.*
6 *Et ab Administratoribus eorum petere rationem administrationis.*
7 *Loca pia authoritate Episcopi non erecta, Episcopi Jurisdictioni non subsunt.*
8 *Potest tamen ab eorum administratoribus rationem exigere.*
9 *Quomodò Episcopus mutare possit pias causas?*
10 *Monasterium sæcularizari ab Episcopo non potest.*
11 *De ædificandis Monasteriis. Remissivè.*

1 Postquàm in præcedentibus de statu Regularium sufficienter actum est, recto ordine pergit Compilator Juris Canonici de Religiosorum seu Regularium Domibus, de quibus partim in præsenti Titulo, agendo generatim de Religiosis Domibus: partim in sequenti de *Capellis* Monachorum; partim in Titulo de ædificandis Ecclesiis erit sermo.

2 Quæritur I. Quid ad præsens sit *Domus Religiosa*? & quid requiratur ad eam? Resp. I. Quamvis generaliter & latè loquendo nomine *Domus Religiosæ* veniat omnis locus pius authoritate Episcopi erectus, sive consecratus sit, sive non: propriè tamen ac strictè ad propositum loquendo *Domus Religiosa* est locus pius non consecratus, authoritate tamen Episcopi erectus. Ita in re communis. Sic latè loquendo, nomine *Domus Religiosæ* veniunt etiam Ecclesiæ, Templa, & Capellæ consecratæ; strictè verò sola Monasteria; Xenodochia pro peregrinis pauperibus; Nosocomia pro infirmis; Orphanotrophia pro educandis pueris & puellis; Hospitalia Geroncomia pro senibus & debilibus, seu valetudinariis erecta. Item Confraternitates, Congreg. & alia quæcunque loca ad charitatis, misericordiæ, vel Religionis, opera, aliumve pium usum destinata, dummodò authoritate Episcopi sint erecta, *arg. c. ad hæc*, 4. *& c. fin. h. t. & can. in qualibet* 23 *caus.* 23. *q.* 8. *junctã l. Sancimus, C. de SS. Ecclesiis.* Huc, ad *Domũ* nempe *Religiosam* strictè talem, spectant etiam Ecclesiæ, Oratoria, & Capellæ nondum consecratæ, authoritate tamen Episcopi erectæ. Hinc licèt latè loquendo omnis locus sacer, seu consecratus, sit etiam *Domus* & locus *Religiosus*: non tamen econtrà quivis locus vel *Domus religiosa* est etiam locus sacer; imò, ut dictum, strictè loquendo *Domus religiosa* non est locus sacer, seu consecratus.

3 Resp. II. Ad hoc, ut locus aliquis pius sit *religiosus, Domusque religiosa* vocari queat, gaudeatque privilegiis & effectibus illius, necessariò requiritur, ut authoritate Episcopi sit erectus. Sylvester *V. de Locis religiosis, n.* 3. cum communi, & certa aliorum, *arg. cit. c. ad hæc*, 4. *h. t.* ibi: *Si authoritate Episcopi destinatus.* Ratio est; quia ut ait Glossa *in cit. c.* 4. *h. t. V. Pontificis*, privatus locum Religiosum, vel sacrum facere non potest, *arg. l. In tantum, ff. de rerum divisione & l.* 3. *§. Si quis in sepulchro, ff. de Sepulchro violato.* Ex quo communiter inferunt Doctores, quòd licèt etiam absque licentia Episcopi possint aliqua loca & instituta pia, v. g. Nosocomia, Hospitalia, Orphanotrophia, & alia similia pia instituta, imò Oratoria privata in domibus institui, erigi, vel fundari ad hoc, ut ibidem orationes privatæ, atque pietatis, & charitatis opera (non tamen Missæ absque licentia Episcopi celebrari, *can. Unicuique, & can. clericos de consecrat. dist.* 1.) privatim peragantur, *arg. c.* 1. *de empt. & Vendition.* tamen hujusmodi quantumvis pia loca, ac instituta *Domus religiosæ* nec sint, nec dici possint, & propterea immunitate Ecclesiastica non gaudeant, idque ideò, quod sine authoritate Episcopi fuerint erecta. Sylvester *l. c.* Felinus *in c. de quarta, n.* 10. *&* 11. *de Præscript.* Tuschus *Vers. Hospitale, concl.* 157. *& seq.* Fagnanus *in c. Ad hæc*, 4. *h. t. n.* 2. & ibi Glossa.

4 Quæritur II. Cui subjectæ sint *Domus religiosæ*, seu *loca religiosa*? Resp. Loquendo de jure communi *Domus, loca, & instituta religiosa* quæcunque tam sacra, quàm non sacra, consequenter omnes Ecclesiæ, Capellæ, Monasteria, Congregationes, & alia similia piè instituta & loca, authoritate Episcopi erecta, subsunt Jurisdictioni Episcopi, intra cujus Diœcesin existunt, ita ut in omnibus fundatam in jure intentionem habeat, & contrariũ prætendens exemptionis privilegium, probare debeat. Abbas *in c. de Xenodochiis*, 3. *h. t. n.* 1. & ibi Fagn. *n.* 1. *&* 2. Hostiensis *n.* 6. Jo. Andreas *n.* 4. Pirhing *h. t.* §. 1. cum communi aliorum, *arg. c. cap. Xenodochiis*, 3. *h. t.* ubi Summarium sic habet: *Episc. subsunt omnia loca pia, & c.* 6. 7. *&* 8. *eod. can. omnes Basilicæ* 10. *caus.* 16. *q.* 7. *c. cùm Episcopus, de Offic. Ordin. in* 6. Dicitur autem notanter *de jure communi*, quia sunt nonnulla loca Religiosa per speciale privilegiũ à jurisdictione Episcopi exempta: & quidem [illegible] hodie præcipuè plurium Ordinum Monasteria. De quibus vide specialia Privilegia.

5 Quæritur III. Quid juris pariat Episcopo hæc subjectio *locorum religiosorum*? Resp. Præter Jurisdictionem Fori contentiosi, & [illegible] onem jurium Episcopalium (de quibus jam partim suprà *l.* 1. *tit. de offic. Judicis ordin. &* [illegible] *Foro compet* [illegible] partim infrà *tit. de Censib.* [illegible] *cur.*) duo principaliter competunt Episcopo [illegible] jus visitandi *loca religiosa*. II. Quòd Administratores locorum Religiosorum teneantur singulis annis reddere rationem administrationis suæ, prout sublatis omnibus privilegiis, & consuetudinibus contrariis etiam immemorialibus, clarè statuit Conc. Trident. & quidem de *primo Sess.* 22. *de ref. c.* 8. illis verbis: Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, in casibus à jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quàm inter vivos sint Executores; habeant jus visitandi Hospitalia, Collegia quæque ac Confraternitates Laicorum, etiam quas Scholas, sive quocunque nomine vocant, non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, [illegible] licentia eleemosynas Montis pietatis, sive chari[illegible] loca omnia quomodocunque nuncupentur, [illegible] um locorum cura ad Laicos pertineat, atque [illegible] emptionis privilegio sint munita; ac omnia [illegible] aut animarum salutem, seu pauperes [illegible] a sunt, ipsi ex Officio suo juxta SS. Canonum [illegible] , & exequantur non obstantibus [illegible] etiam immemoriali, privilegio; aut [illegible]

6 De *secundo* verò, seu de reddenda Episcopo [illegible] *ead. Sess. c.* 9. ibi: Administratores tam Ecclesiastici, [illegible] Laici fabricæ cujusvis Ecclesiæ etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ, Montis pietatis, & quorumcunque locorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, & privilegiis quibuscunque in contrarium sublatis: nisi [illegible] fortè in institutione & ordinatione [illegible] Ecclesiæ, [illegible] expressè cautum esset. Quod [illegible] ex consuetudine aut privilegio aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id [illegible] ratio reddenda esset, tum cum iis adhibeatur [illegible] Ordinarius; & aliter factæ liberationes dictis Admin[illegible] minimè suffragentur.

7 Verum præter limitationes in textibus positas, limitatur Conclusio in [illegible] Hospitalibus, & aliis locis piis Militarium Ordinum [illegible] Religiosorum, uti benè notavit Fagnanus *cap.* [illegible] *h. t. n.* 47. patetque tum ex jure communi. *Clem. quia contingit.* §. *Præmissa, h. t.* tum ex Concil. Trident. *l. c.* [illegible] solum de Sæcularibus non de Regularibus loquitur, prout declaravit S. Congregatio apud eundem Fagnanum *loc. cit. n.* 48.

8 Quæritur IV. Quid juris competat Episcopo in *loca pia* authoritate Episcopi non erecta, consequenter non *religiosa*? Resp. I. Hæc *loca pia* non sunt subjecta Episcopo, consequenter hic jurisdictionem in ea non habet, Fagnan. *in c. cap. Ad hæc*, 4. *h. t. n.* 51. & Hostiensis, Innoc. Jo. Andreas, Abbas, cum communi: Probatur à sensu contrario: cum enim per jura citata solummodò illa *loca pia* sint subjecta episcopo, quæ sunt *religiosa*, idest, authoritate Episcopi erecta, à sensu contrario benè inferre licet: ergo illa, quæ non sunt *religiosa*, Episcopo subjecta non erunt. Hinc similia *loca pia*, v. g. Hospitalia, Confraternitates, aut alia pia instituta authoritate Episcopi non erecta, nequit Episcopus visitare, nisi in casibus à jure expressis; prout declaravit S. Congreg. apud Fagnanum *l. c. n.* 54. possuntque à Fundatore, quamdiu vivit, pro libitu mutari, & ad alias etiam profanas causas applicari, Abbas *in cit. cap. Ad hæc* 4. *h. t. n.* 4. & ibi Fagnanus *n.* 43. ubi pro hoc citat Declarationem Cardinalium, *arg. cap. Inter dilectos, h. t.* Quæ tamen mutandi potestas non competit hæredibus, eò quòd pia defuncti voluntas ab hæredibus non possit mutari, juxtà dicta in Titulo *de Testam.*

Resp. II. Quamvis præfata *loca pia* non subsunt jurisdictioni Episcopi, nihilominus potest hic post mortem Fundatoris inquirere, videre, & visitare, an juxta piam Fundatorum intentionem & voluntatem deputata bona debitè applicentur, & administrentur, Fagnanus *l. c. n.* 55. & 56. Abbas *in c.* 3. *h. t. n.* 3. cum communi. Ratio est, *quòd in omnibus piis voluntatibus sit per locorũ Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem cuncta procedant*, ut dicitur *c. Tua nobis*, 17. *de Testam.* & declaravit sæpè Sac. Congreg. apud dictum Fagnanum *l. c. n.* 56. Potest insuper ab Administratore quovis cujusvis loci pii, etiam non *Religiosi* singulis annis exigere rationem administrationis Conc. Trid. *Sess.* 22 *de Ref. c.* 9. per textum suprà *n.* 6. citatum, qui universaliter omninò intelligi debet, adeò, ut licèt Episcopus non nisi in casibus à jure concessis possit visitare *loca pia non religiosa*; possit tamen universaliter ab horum locorum Administratoribus exigere rationem administrationis, [illegible] cuncta benè administrentur, & juxta piam Fundatoris intentionem applicentur; prout S. declaravit Congreg. apud Fagnanum *l. c. n.* 57. 9

10 Quæritur V. Utrum Episcopus vi Jurisdictionis suæ possit *religiosa*, aut saltem *pia* [illegible] fundationes, & instituta ad certum pium usum erecta, vel deputata, in alium usum pium transferre? Resp. Ordinariè loquendo, *Negativè*, per Jura & rationes allegatas *tit.* 26. *de Test.* à *n.* 804. ubi etiam limitationes quædam inveniuntur. Quibus etiã adde limitationem, quam ponit Conc. Trid. *Sess.* 25. *de ref. c.* 8. illis verbis: Quòd si hospitalia (*vel alia loca pia*) ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco ubi sunt dicta hospitalia similes personæ, aut perpauca reperiantur, mandat adhuc, ut fructus illorum, in alium pium usum qui eorum institutioni proximior est, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur; prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit: nisi aliter fortè etiam in hunc eventum in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum, quo casu, [illegible] fuerit, observari curet Episcopus, aut [illegible] ipse, *prout suprà*, utiliter provideat.

11 [illegible] Monasteria illud specialiter statuerunt jura, [illegible] ex quacunque [illegible] deficiant, aut discedere debeant Religiosi, [illegible] Regularis disciplina ibi vigeat, Episcopus [illegible] redditus Monasterii, suæ mensæ incorporare [illegible] Monasterium sæcularizare seu in illo Clericos sæculares ponere, aut in alias pias causas convertere potest, sed debet Monasterium hujusmodi aliis Religiosis ejusdem Ordinis vel inhabitandum, vel reformandum tradi: vel in horum defectu, Religiosis alterius Religionis committi: utrisque autem deficientibus Clerici sæculares [illegible] em collocari possunt, qui quoad fieri potest fundationi priori satisfacere satagant. Fagnan. *in c. Inter quatuor*, [illegible] & ibi [illegible] Abbas, [illegible] Engel *h. t. in fin.* & alii, per textũ & Glossam *c. Inter quatuor, c.* 5. *h. t. c. Possessione de Rebus Eccl. non alien.* cum concordantiis.

12 Plura de potestate Episcopi circa loca *Religiosa & pia* vide apud Fagnanum *in c.* 3. *&* 4. *h. t.* item apud Barbosam *alleg.* 75. *per totam.*

13 Solet [illegible] etiam agi de erectione seu ædificatione Monasteriorum. Verum quia hanc materiam jam [illegible] misimus ad *Titulum de Ecclesiis ædificandis*, hic [illegible] demus.

TITU-

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
Capellæ Monachorum quid? Ibid.
2 *Incorporatio duplex: una quoad temporalia, alia pleno Jure.*
3 *In Beneficiis quoad temporalia tantum incorporatis Abbas præsentat, & Episcopus instituit.*
4 *In pleno jure autem incorporatis Abbas utrumque habet.*
5 *In Parochia quoad temporalia tantum incorporata, debet constitui Vicarius perpetuus.*
6 *Et quidem sæcularis. Et n. seq.*
Beneficia sæcularia Sæcularibus, & regularia regularibus sunt conferenda. Ibid.
8 *In Ecclesiis pleno Jure incorporatis Monasterio, solus Superior deputat Vicarium pro libitu amovibilem.*
9 *Regularis de Jure solus non potest esse in Parochia.*
10 *Jurisdictio Episcopi in regulares existentes in Parochia.*
11 *Congrua portio debet assignari Vicario perpetuo.*
12 *Et quidem per Episcopum.*
13 *In congruam portionem juxta aliquos non possunt computari incerta, seu fructus stolæ. Et num. seq.*
15 *Eligitur, & probatur sententia contraria usque ad finem.*
16 *Omnis dictio in lege debet aliquid operari.*
17 *Incorporationis causa quæ?*
20 *Solvuntur argumenta contraria, & ponitur doctrina practica usque ad finem.*
22 *Portionis congruæ quantitas quæ.*

1 Postquam in superioribus actum est de regularibus, & Domibus eorum, ordine non incongruo pergitur ad Capellas eorundem. Et quamvis Capellæ nomine in Jure varia veniant, v.g. subinde Altare, aliquando Oratorium, nonnunquam sacra ædicula à templo sejuncta, vel templo annexa, vel inexistens; uti benè advertit [illegible] *p. 2. lib. 3. c. 8. q. 2.* Aliquando denique quævis Ecclesia etiam Parochialis per se, & seorsim existens, dummodò non sit Collegiata, ut ex Gonzal. refert Barbosa [illegible] *Rab* [illegible] tamen ad propositum per Capellam potissimum intelligitur Ecclesia Curata, præsertim [illegible] incorporata monasterio vel Ecclesiæ Regulari. Circa quam multa examinanda non veniunt, eo quòd potissima jam dicta sint titulo *de Præb.* Titulo *de Off. Vicarii* Titulo *Ut beneficia Eccles. sine diminut. confer.* Hinc breviter

2 Quæritur I. Cui competat jus præficiendi Rectorem in Ecclesiis Monasterio incorporatis? & qualis præfici debeat? Ante responsionem notandum, Beneficia Curata dupliciter posse uniri, seu incorporari Monasterio, videlicet, vel quoad temporalia tantum, vel pleno Jure. Primo modò censentur unita, quando Decimæ, aliique reditus temporales assignati sunt alicui Monasterio, jure instituendi penes Episcopum, jure præsentandi penes Abbatem, vel alium Superiorem Regularem remanente, de quo modo habetur mentio [illegible] 16. [illegible] quod si [illegible] tantum Decimarum Monasterio competat, absque jure instituendi, vel etiam præsentandi, tunc potius dismembratio beneficii, quam unio, seu incorporatio censebitur [illegible] post Garciam *de benef.* [illegible] Engel *h. t. n. 10.*

3 Secundo modo, seu pleno jure censebitur beneficium unitum [illegible] redditibus [illegible] Cura [illegible]

4 Resp. I. [illegible] beneficio quoad temporalia tantum unito [illegible] incorporato monasterio, Abbas, vel alius Superior [illegible] præsentare, non item instituere potest beneficiatum, Parochum v.g. Barbosa *de Offic. & potest. Episc. Alleg. 72. n. 188.* Engel *l. c. n. 10. arg. c. de Monachis 12. c. In Lateran. 31. de Præb.* ibi: In Ecclesiis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, instituendos Presbyteros Episcopis præsentent, ut eis de plebis cura respondeant. Ipsis verò (Religiosis) pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Institutos autem, inconsultis Episcopis, non audeant removere. Idem repetit *c. In Eccles. 3. de Priv.* Concordat *c. Sanè 6. cau. 16. q. 2.*

5 Resp II. In Ecclesiis pleno jure monasterio incorporatis rectorem, seu beneficiatum solus monasterii Superior præficere, ac instituere potest. Barbosa *l. c. n. 188.* Cochier *de Jurisd. in exempt. p. 4. q. 40.* Engel *l. c.* Pirhing *h. t. n. 2* & alii, *arg. can. Visis 1. cau. 16. q. 2. Clem. un. §. Quidā prætereà, & §. Quidam etiam de Excessib. Prælat. & c. Quoniam 21. de Priv.* Nec obstat *c. 1. h. t.* ubi in similibus beneficiis Episcopus Capellanum, & quidem sæcularem instituit. Respondetur enim id correctū esse jure recentiori citato, prout prætermissis aliorum ad dictum *c. 1.* responsionibus benè respondet Pirhing *h. t. n. 2.* cui accedit recepta praxis & consuetudo, quę est optima legū interpres, *l. 37. ff. de Leg.*

Resp. III. In Parochia monasterio quoad temporalia tantum incorporata, ubi solum jus præsentandi, & non instituendi Superiori Regulari competit, debet constitui Rector, vel Vicarius perpetuus. Barbosa *de Offic. & Potest. Episc. alleg. 72. n. 189. arg. cit. c. In Lateranensis, 31. de Præb. & c. In Ecclesiis 3. de Priv. juncto c. un. h. t. in 6.* ibi; Cùm debeant esse perpetui, consuetudine, vel statuto quovis non obstante, ab eisdem nequeunt Ecclesiis (nisi per Episcopos, & ex rationabili causa) amoveri. Ratio est; quia quævis Ecclesia Parochialis debet habere unum Rectorem perpetuum, juxta dicta [illegible] *n. 7.* ex Concilio Tridentino *sess.* [illegible] quoad Curam non sit Abbas monasterii [illegible] beneficio plenè non incorporato, alius esse debet [illegible]

Num autem ad tale beneficium [illegible] jure non incorporatum (id est, ubi Religiosi [illegible] *jus*patronatus absque redditibus habent, prout [illegible] habent, teste experientia, & observat Gloss. [illegible]) Clericus sæcularis præsentari debeat, vel etiam Religiosus præsentari possit? grandis est controversia apud Doctores, quę ex eo dependet, [illegible] Regularis ad Beneficium sæculare promoveri valeat? Ratio controvertendi, & negativam tenendi sumitur ex illa recepta Regula, quòd beneficia Regularia Regularibus, sæcularia verò sæcularibus sint conferenda *c. Cùm de beneficio 5. de Præb. in 6. & Clem. 1. de supplend. neglig. prælat.* [illegible] nihilominus *h. t. n. 8.* [illegible] *dub. 12.* [illegible] etiam in tali [illegible] Regulares ad Beneficium Curatum [illegible] Quibus non obstantibus

Resp. IV. In præsenti casu & universaliter ad quævis Beneficia sæcularia etiam Curata, Parochias nempe, [illegible] sæculares præsentari, assumi possunt, & debent, ita ut nec Episcopus dispensare possit [illegible] casu necessitatis, ubi sæculares Clerici commodè haberi nequeunt. Garcias *de Benef. p. 7. c. 10.* [illegible]

Resp. V. In Ecclesiis [illegible] Monasterio [illegible] sæcularem constituere [illegible] Barb. *de Offic.* [illegible]

72. n. 189. Engel *h. t. n. 11. arg. Clem. 1.* & ibi *V. ad mensam de excess. Prælat.* ibi. Licet Administratores ejusmodi libere possint ad claustrum (cùm oportuerit) revocari. Ratio communiter assignatur illa, quia in hujusmodi Beneficiis non fit propria institutio, sed potius provisio aliqua administratoria; cùm Titulus semper penes Monasterium remaneat, & propterea nunquam propriè vacare censeantur. Accedit recepta consuetudo & praxis qua videmus, quòd Superiores Regulares in Parochiis Monasterio pleno jure incorporatis, Vicarios & Rectores pro libitu constituant, & amoveant. Notandum tamen, quòd quamvis pro libitu, & absque præscitu Episcopi amovere valeant prius deputatum, tamen aliquem in hujusmodi beneficio constituere nequeāt; nisi prius ab Episcopo fuerit approbatus, textu expresso Concilii Tridentini *sess. 25. de Ref. c. 11.* ibi: Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de Ejusdem (Episcopi) consensu, ac prævio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo.

9 Resp. VI Loquendo de Jure communi, si in Beneficiis Monasterio unitis constituitur Vicarius, persona Regularis, non potest ibi solus esse, sed debet cum sociis commorari: textus expressus habetur *c. 2. de Statu Monach.* ibi: Nec singuli per parochiales Ecclesias ponantur, sed cum aliquibus fratribus maneant. Ratio ibidem jungitur, ne soli inter sæculares homines, spiritualium hostium conflictum exspectent, Salomone dicente: Væ soli, quia cùm ceciderit, non est, qui sublevet eum. Concordat *c. Ex parte 3. h. t.* Et quidem juxta Constitutionem Pii V. quæ incipit, Ad exequendam, debent esse saltem quatuor Religiosi in Parochia. Verum unum sufficere socium, viva voce declaravit Gregorius XIII. ut ex Quarant. in Summa Bullar. *V. Vicarius perpetuus*, refert Pirhing. *h. t. n. 11.* imò consuetudine introduci potest, ut unus solus sit in Parochia, *argum. c. fin. de Consuetud.* prout actu in aliquibus locis introductum videmus.

10 Quæritur II. An, & qualem jurisdictionem habeat Episcopus in Regulares existentes in Parochiis Monasterio incorporatis; Resp. Regulares hujusmodi etiam ad nutum amovibiles in præfatis Parochiis constituti, Curam animarum exercentes, subsunt immediatè in iis, quę ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita, ita in terminis Conc Trid. *sess. 25. Regul. c. 11.* Pariter subsunt in iis, quæ dependent à Cura, & Sacramentorum administratione: unde, an libri Baptismales, Matrimoniales, Mortuorum, &c benè sint ordinati, an Sanctissimus debitè conservetur, an calices, vel alia vasa: & Ecclesiæ ornamenta pro decenti administratione Sacramentorum adsint &c. visitare, inquirere, atque in casu erroris corrigere & punire potest Episcopus reum Regularem. Barbosa *in dict. Concil Trid. n. 15.* & amplius *alleg. 74. n. 18 & 20* ubi plures alios citat. Idipsum novissimè statuit Gregor XIII. in sua Constitutione, quæ incipit, *Inscrutabili.* In reliquis tamen defectibus & delictis exempti Regularis ita expositi visitatio & correctio non ad Episcopum, sed Superiorem Regularem pertinet. Barbosa *in Conc. Trid l. c. n. 21.* Riccius *in Resolut. 513. n. 2. & Resol. 632.* Tenentur insuper tales Regulares ad solvendum Episcopo Cathedraticum per dicenda infrà *tit. de Censibus.*

11 Quæritur III. Quid Juris de congrua portione assignanda Vicariis Ecclesiarum Monasterio (vel etiam Collegio, Capitulo, Universitati &c.) incorporatarum, à quo nempe, qualis, quanta, & de quibus redditibus constitui, & assignari debeat? Resp. I. Certum est, quod de redditibus, fructibus, emolumentis, & proventibus Ecclesiæ incorporatæ debeat Vicario perpetuo assignari *congrua portio*, & quidem tanta, ut ad honestam sustentationem Vicarii, considerata circumstantiæ personæ ejusdem, Ecclesiæ redditibus, ac loci consuetudine taxandam, simulque ad hospitalitatem erga pauperes, juraque Episcopalia solvenda sufficiat, prout etiam diximus *lib. 1. tit. 28. §. 2. n. 37.* Ita clarè patet ex Concilio Tridentino *sess 6. de reform. c. 2.* item *sess. 7. c. 5. & c. de Monachis, 12. de Præbend.* ubi Pontifex ita mandat Archiepiscopo Vigoriensi: Ad præsentationem Monachorum nullum recipias, nisi tantum ei de proventibus Ecclesiæ coram te fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem habere. Concordat *c. Extirpandæ, 30. eod. & c. 1. eod. in 6.* ubi etiam contraria reprobatur consuetudo.

Resp. II. Certum est ulterius, quòd ad judicium & arbitrium solius Episcopi pertineat, quęnam quantitas redituum, & proventuum Ecclesiæ pro congrua sustentatione Vicarii sufficiat. Omnes, citatis Juribus, nam *cit. c. 12. de Præbend* expressè habetur, nisi per te (Episcopum) fuerit assignatum, & Conc. Trident. *cit. Sess. 7. de Reform. c. 7.* arbitrio Ordinariorum portione assignanda. Contra quam non datur appellatio suspensiva (benè tamen devolutiva) uti benè advertit Pignateli *Tom 1 consult. 127.* quia cùm hic agatur de alimentis, & venter non patiatur dilationem, appellatio suspensiva locum non habet, Bart. *in l Mela, n. 5. ff. de Aliment. & lib. leg.* 12

His tanquam certis suppositis grandis est controversia, de quibus assignari debeat portio congrua, an nempe de solis redditibus & fructibus certis fieri debeat, an verò etiam de emolumentis & proventibus incertis assignari queat, ita ut etiam fructus stolæ (ut vocant) v.g emolumenta, & obventiones, quæ ex administratione Baptismi, Viatici, extremæ Unctionis, Benedictione nuptiarum, Purificatione mulierum, funeralibus, &c. percipiuntur, in congruam sustentationem computari valeant. Et quidem partem negativam cum communiori aliorum tenet Barbosa *lib 3. Juris Eccl. univ. c. 9. n. 44* citans Franc. Leo *in Thesauro Fori Eccles. p. 1. c. 31. sub n. 6.* Van Espen *in Jur. Eccles. univ. p. 2. titul 34. de Portione congrua, cap. 6.* quæ in portionem congruam imputanda, ubi latè discurrit; & novissimè Pignatell. *Tom 3. Consult. 31.* Pirhing *de Præbend. sect 1 n 44* & alii. Tum quia Vicario debetur congrua portio certa, seu certò sufficiens per Jura citata: ergo incerta in eam computari nequeunt. Tum quia de Jure *c. 12. de Præb* debetur portio de proventibus Ecclesiæ, atqui stolæ non sunt proventus Ecclesiæ, sed fructus Officii & laboris ipsius Vicarii. 13

Confirmant hanc suam doctrinam ex ingentibus, quæ contraria secum trahit sententia, absurdis, præsertim, quòd Vicarii hujusmodi quasi necessitate adigantur ad turpiter exigendas, quærendas, directè vel indirectè sollicitandas oblationes, ac mercedem in casu administrationis Sacramentorum, & aliorum munerum pastoralium; cùm alias necessaria sustentatione carerent. Ex quo non rarò nota avaritiæ, injustitiæ, aut etiam Simoniæ inuritur Vicario, copiosæ consurgunt plebis murmurationes, irreverentia, & vilipensio Sacrorum, dum ea quasi vendi, vel emi vident, neglectus vel tardior usus Sacramentorum, præsertim Viatici & Extremæ Unctionis, ex timore, quod Pastori merces, quæ sæpè non nisi difficulter haberi potest, dari debeat; prout amplius discurrit Van Espen *l. c* ubi etiam plures Synodos adducit, in quibus statutum habetur, ut certa congrua portio in tantum assignetur, ne in administrandis Sacramentis quidpiam exigendo, onerosi sint Parochianis, sunt verba Patrū in Concilio Coloniensi 1536. Accedit, quòd in hujusmodi Parochiis, ubi incerti fructus stolæ in congruam portionem computantur, debitè qualificati, & litterati Pastores haberi nequeant, utpote qui fugiunt Ecclesiam, ubi non nisi continua sollicitudine, & turpi quasi quæstu, & exactionibus suam sustentationem habere queunt; id quod etiam notatur *c. Extirpandæ, 30. de Præb. & c. 1. eod. in 6.* Quibus non obstantibus 14

Resp. II. Si non probabilior, sanè æquè probabilis est sententia affirmativa, videlicet, quòd non tantum certi, sed etiam incerti fructus stolæ v. g. aliaque incerta emolumenta & obventiones, quas ratione Officii, & Beneficii Vicarius perpetuus communiter, præsertim consuetudine debitas percipere solet, computari possint in congruam portionem. Gonzal *ad Reg Cancell. in Proœm. §. 7. n. 195.* Guttierez *consil 8 à n 3.* Valenz *consil. 54. n 18.* Rota apud Paul. de Rub *dec. 230. n. 1. divers. aliàs p 6. Recent.* & plures alii Fundamentum principale desumitur ex Constitutione Pii V. Ad exequendam, quæ est 57 in Bullar Cherub. ubi §. 2. expressè statuitur, quòd portionis congruæ summa computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis (sunt verba Bullæ) per Episcopos assignari debeat; quæ verba Conclusionem nostram in praxi planè securam, tutamque Canonicorum, ac Religiosorum, aut aliorum, quibus Parochiæ incorporatæ sunt, conscientiam red- 15

reddunt: præsertim quia verbum obventiones est verbum omninò generale comprehendens ma;;nos, & parvos, & certos ac incertos redditus, & emolumenta etiam illa, quæ ex facto hominis proveniunt, ut oblationes, funeralia, ac similia, prout ex Boerio *Decis.* 224. *n.* 5. & Guttierez *loc. cit. à n.* 197. & Glossa *in L.* 1. §. *Exactorem*, *vers. Oblationes*, & ibi Albericus *n.* 16. *de Exercit. action.* item Gloss. *in c. Ad audientiam*, 3. *de Eccles. ædific. vers. Obventiones*, & ibi Abbas *n.* 15. ubi dicit, *verbum obventiones est verbum multum generale comprehendens omne redditus, cujuscunque qualitatis sint*.

16 Confirmatur, Prædicta verba Bullæ Pii V. *computatis etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus* debent aliquid operari, *arg. l. Si quando*, 109. *ff. de Legat.* 1. *& c. Si Papa* 10. *de Privileg. in* 6. præsertim quia sunt in Constitutione Papali, in qua *nulla dictio debet vacare, alioquin frustra membranam occupat*, ut habet Gl. *in c. Solita* 6. *vers. Tanquam, de Majorit. & obedient. arg. can.* 1. *dist.* 19. *& can. Sic enim* 9. *cau.* 28. atqui nihil operarentur si fructus incerti, stolæ v. g. non possent computari in *portionem congruam*; ergo.

17 Ratio autem Conclusionis est; quia ideò Beneficia etiam Curata fuere unita & Incorporata Collegiis, Capitulis, Monasteriis, aliisque piis locis, ut honestius & competentius stare possint, adeoque inde emolumentum recipiendo, onera incumbentia facilius supportent, atque officia, & opera debita peragant, prout notavit Pius V. in citata Constitutione *Ad exequendam*, ubi §. 2. sic ait: *Nos considerantes, uniones ideò à Prædecessoribus nostris factas esse, ut ex redditibus, & emolumentis Beneficiorum unitorum Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Beneficiis & locis piis, quibus illa uniuntur, facilius onera eisdem incumbentia, supportent, & promptius à Ministris Ecclesiasticis in eisdem Divina officia celebrentur, hospitalitas servetur, aliaque charitatis opera exerceantur &c.* sed planè si non nisi fructus certi in *congruam portionem* computari possent, sępè parum vel nihil emolumenti ex Beneficiis unitis haberent Collegia, Capitula, Monasteria &c. ergo.

18 Nec dicas, Bullam Pii V. à nobis citatam, revocatam atque reductam esse ad terminos juris communis & Concil. Trident. à Gregor. XIII. *In tanto*, quę est 9. apud Cherub. uti ex Barbosa nos ipsi jam meminimus *Lib.* 1. *T.* 28. §. 2. *n.* 38. ergo cadit principale fundamentum Conclusionis nostræ. Resp. enim I. Bullam revocatoriam à Gregor. XIII. editam, tantum concernere Parochias unitas Monasteriis, ut legenti apertè patet; consequenter nihil operari in Parochiis unitis Collegio, Capitulo, aliive causæ piæ, uti benè observavit Gonzalez *ad Reg. Cancell* 8. *Glos.* 5. §. 3. *n.* 79. cùm correctio jurium sit odiosa, ac pro possibili restringenda per vulgaria, præsertim *l. pręcipimus*, §. *fin. C. de Appell. &c. Constit.* 41 *de Elect.* Resp. II. Quòd etiam quoad Regulares denuò revalidarit dictam Constitutionem Pii V. Gregor. XIII. prout refert Gonzalez *loc. c.*

19 Dicitur autem notanter in Conclusione *nu.* 15. posita *obventiones incertas, quas communiter, præsertim consuetudine debitas percipere solet*; ad excludendas illas obventiones, quæ omninò ex liberalitate populi dependent, nec communiter, nec ut debitæ, sed rarò ab uno vel altero dari solent, hæ enim juxta Communissimam in *congruam portionem* computari nequeunt, hoc ipso, quòd rarissimæ sint ac incertissimæ: benè verò illæ, quæ *communiter*, ut dicit Bulla, percipi solent, præsertim ut debitæ consuetudine; enim verò hodie plerique fructus stolæ vi laudabilis consuetudinis introductæ, debitæ sunt, ita ut à Parocho etiam peti, & ad eos dandos populus ab Episcopo compelli possit, prout in simili de oblationibus diximus suprà *Tit. de Decimis n.* 184. Et ex hoc Van Espen aliàs summus Conclusionis nostrę Adversarius concedit, quod funeralia, ac similia in *congruam portionem* imputari queant; quod idem in plerisque locis hodie de illis concederet obventionibus, quæ Parochus ex Benedictione nuptiarum, collatione Baptismi, purificatione mulierum, oblationibus in certis Festivitatibus &c. Vicarii percipiunt, eò quòd & has dandi consuetudo passim obliget populum, adeò ut eas à non dantibus Vicarius discretè petere, & recusantes ad dandum compellere posset Episcopus *arg. c. Apostolicam*, 24. *de Simon.*

20 Ex his patet ad fundamenta Adversariorum. Nam ad *primum* positum *n.* 13. negatur suppositum, quòd ex incertis obventionibus certa haberi non possit *congrua portio*, vel saltem pars illius; quamvis enim tales obventiones incertæ sint respectu certi ac determinati temporis, aut quantitatis, tamen ad aliquam saltem certitudinem computatis tribus aut quatuor retrò annis reduci ita possunt, uti Vicarius de honesta sua sustentatione moraliter certus esse queat, id quod in pluribus Synodis approbatum reperitur, teste ipso Van Espen *loc. cit. n.* 12. alias nobis Adversario. Ubi tamen notandum, quòd in reducendis his incertis ad aliquam certitudinem non debeat summa, sed media, vel infima quantitas, quæ tribus aut quatuor retrò annis obvenire solita est, computari, hoc ipso, quòd quandam adhuc incertitudinem relinquant, & aliàs nimia temporali cura & anxietate cruciaretur Vicarius, prout communiter advertunt etiam Conclusionis nostræ Patroni.

21 Ad *secundum* fundamentum *n.* 13. positum, respondetur per *proventus Ecclesiæ* intelligi etiam illos, qui intuitu Ecclesiæ seu Beneficii acquiruntur; alias enim nec ipsæ Decimæ, utpote quæ non ad Ecclesiam, sed Parochum spectant, computandæ forent. Ad *tertium* fundamentum *n.* 14. positum dicitur, non esse timenda absurda ibi enarrata, si fit computatio *congruæ portionis* ex iis, de quibus diximus; eo quòd ea pleraque vi laudabilis consuetudinis præbeantur, quæ allegatis malis viam omnem præcludit; præsertim si Vicarius in exigendo discretus est, & si in administrandis Viatico & Extrema Unctione ab exactione abstinens, non nisi liberè oblata recipiat; ipseque Rev. Ordinarius in computanda *congrua portione*, prout oportet, ad hæc reflexionem faciat.

22 Resp. III. Quamvis olim penes solum prudens arbitrium Episcopi fuerit, determinare quantitatem *congruæ portionis*, tamen hodie aliter declaratum & statutum, atque potestas hujus arbitrii limitata est per Bullam Pii V. *Ad exequendam*: ubi §. 2. ex mente Concilii (ut ait) Episcopis expressè præcipit Pontifex *in assignatione portionis Vicariis perpetui ita se continere & arbitrari, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis* (sunt mera formalia Bullæ) *emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omninò assignetur*; ut proin arbitrium Episcopi non nisi inter centum & quinquaginta scuta, consideratis considerandis circumstantiis locum habeat, præcipuè quia Bulla hæc saltem quoad Parochias Monasteriis non incorporatas non est, juxta dicta *n.* 18.

23 Observandum nihilominus, & attendendum omninò videtur, quòd tempore, quo edita fuit hæc Bulla, videlicet 1567. omnia saltem in suis partibus fuerint in longè viliori pretio, adeò, ut his temporibus respectu præcedentis illius temporis necessaria vitæ vix duplici acquirantur, consequenter ubi tempore illo quinquaginta vel centum scuta pro honesta sustentatione sufficiebant, hodie centum, vel ducenta necessaria sint, adeòque etiam temporis ratio meritò habenda sit juxta illud vulgare: *Concorda tempora, & concordabis Jura*.

Illud etiam cum communi advertendum, quòd quantitas à Pio V. assignata, fuerit taxata pro sola persona Vicarii, non item pro Capellano, aut Cooperatore, si unum vel plures multitudo Parochianorum, aut laborum exigit, quibus proin specialiter providere tenentur ii, qui ratione incorporationis aut unionis redditus Parochiæ percipiunt. Plura de Vicariis vide *L.* 1. *T.* 28. *de Officio Vicarii*.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus.

1 *Ratio ordinis*.

QUandoquidem multa hucusque dicta sint de Prębendis, Beneficiis, Capellis Monachorum, quæ persæpè etiam *Jurispatronatus* sunt, & ad præviam præsentationem conferuntur, rectò ordine Titulus præsens præcedentibus subjungitur, qui est unus inter celebriores in Jure Cononico, scitu non minus necessarius, quàm utilis Ecclesiasticis.

§. I.

De Natura Jurispatronatus: item de causis, & modis, quibus acquiritur, & quis Patronus efficitur.

SUMMARIUM.

2 *Patroni, & Jurispatronatus nomen variè accipitur.*
3 *Juspatronatus ad propositum definitur.*
4 *Acquiritur dotatione, vel ædificatione, vel fundatione. Et num. seq.*
5 Et *particula subinde sumitur pro* vel, *& econtrà.*
6 *Fundare Ecclesiam quis dicatur?*
7 *Ædificare quis dicatur;*
8 *Reædificans, quando acquirat Juspatronatus?*
9 Dotatio *quid, & quando per eam acquiratur Juspatronatus?*
10 *Si plures concurrunt ad fundandam, vel ædificandam &c. omnes sunt Patroni.*
11 *Juspatronatus quomodò probetur?*
12 *Acquiritur etiam* Privilegio.
13 *Atque* Præscriptione. *Et n.* 15. 16.
14 *Ad probandam Præscriptionem in Potentibus requiritur major probatio.*

2 NOtandum prius, nomen *Patroni*, sicut & *Jurispatronatus* variè, præsertim verò tripliciter sumi in Jure. *Primò* quidem *patronus* in Jure dicitur ille, qui manumittit, seu liberum dimittit servum suum: & jus, quod in manumissum habet, *Juspatronatus* vocatur, de quo integer extat Titulus *ff. de Jurepatronatus, & C. de Bonis libert. de jure patron.* *Secundò* accipitur *patronatus* pro eo, qui causam alicujus in judicio assumit, tuetur, eique patrocinatur, & ejus Advocatia Juspatronatus nominatur, de quo fit mentio *can. un. cau.* 15. *q.* 2. *& c.* 6. *de Transact. ac l. Rem.* 14. *C. de Judiciis*. Verum de *patronis*, & *jure patron.* in his acceptationibus hic non erit sermo: unde in tertia acceptatione ad præsens

3 Quæritur I. Quid sit *Juspatron.* ad propositum? Resp. *Est jus seu potestas præsentandi Clericum ad Beneficium Ecclesiasticum vacans*. Ita in re communis. Dicitur *jus seu potestas* loco generis. Dicitur *præsentandi*, quia Patronus non confert Beneficium, nec instituit Clericum, sed simpliciter præsentat aliquem Episcopo, qui dein, si præsentatum reperit habilem, eum instituere, eique Beneficium conferre debet, si verò inhabilem invenit, rejicere potest, juxta dicenda infrà. *Dicitur Clericum*, quia cum Laicus Beneficii Ecclesiastici incapax sit, ad illud cum effectu præsentari nequit. Dicitur tandem *ad Beneficium Ecclesiasticum vacans*; quia sicut institutio, ita & præsentatio ad Beneficium nondum vacans nulla, & irrita est, textu claro, *c. Illud.* 8. *h. t.* ibi: *Cùm illa concessio de jure nullius possit esse momenti, quia de re non vacante facta est*: ut proin etiam vacante Beneficio nec debeat, nec possit Episcopus instituere illum, qui ante vacationem Beneficii præsentationem accepit, & econtrà *patronus* alium pro libitu præsentare queat, nisi etiam vacatione facta denuò, prout potest, præsentet eundem.

4 Quęritur II. Ex quibus causis, seu quibus modis acquiratur *juspatron.* & efficiatur quis *patronus*? Ante responsionem notandum, alios esse modos, quibus ab initio acquiritur, vel potius constituitur *juspatron.* alios verò, quibus jam prius acquisitum, in alios transfertur. In pręsenti quæstio est de causis & modis, quibus penitus de novo acquiritur; unde Resp. Tres esse potissimum causas & modos, quibus primitus acquiritur *Juspatr.* videlicet, Fundatio, Ædificatio, & Dotatio Ecclesiæ. Ita Glossa communiter recepta *in can. Piæ mentis*, 26. *cau.* 16. *q.* 7. ubi ad propositum ponit receptum illum versiculum.

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus. Ex quibus tribus causis & modis quilibet disjunctim, & separatim sumptus sufficit ad hoc, ut quis efficiatur *patronus*, & acquirat *Juspatr.* Fagnanus *in c. Quamvis* 3 *h. t. n.* 49. Abbas *ad Rubr. h. t. n.* 6. Archidiaconus *in c.* 1. *h. t. in* 6. Mascardus *de Probat. Conclus.* 59. *n.* 34. Pirhing. *h. t. n.* 6. cum communissima aliorum. Ratio est; quia Jura singulos hos modos etiam separatim sumptos, pro acquirendo *Juspatron.* sufficientes agnoscunt. Et quidem, quòd sola *Fundatio* sufficiat, clarè habetur ex *c. Decernimus*, 32. *cau.* 16. *q.* 7. *& c.* 3. *& c. Nobis* 25. §. *pro fundatione*, *h. t.* Quòd autem sola *Ædificatio*, seu constructio Ecclesiæ sufficiat, clarè liquet ex *cit. c. Nobis* 25. *h. t. princ.* ibi: *Si quis Ecclesiam cum consensu Diœcesani construxit, ex eo Juspatron. acquirit.* Item quòd *Dotatio* sola sufficiat, habetur ex *canon. Filii* 31. *c.* 16. *q.* 7. & Concil. Trident. *Sess.* 14. *de reform. cap.* 12. *& Sess.* 25. *eod. cap.* 9. ubi sola *Dotatio* pro sufficienti causa acquirendi *Juspatronatus* agnoscitur.

5 Nec obstat, quòd Concilium Trident. *cit. Sess.* 14. *de reform. cap.* 12. ad acquirendum *Iuspatronatus* conjunctivè requirat *Fundationem & constructionem* Ecclesiæ: ibi: *Nemo nisi Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam fundaverit & construxerit &c. Iuspatronatus obtinere possit*. Resp. enim, ibi dictionem *Et* non facere sensum copulativum, sed disjunctivum, uti dictio *vel*; prout colligitur tum ex aliis Juris textibus suprà citatis: Tum ex ipso Concilio, utpote quod citat *Sess. & cap. ad finem*, sicut & *Sess.* 25. *de reform. cap.* 9. in sensu diviso loquitur, solam *Fundationem* v. g. aut *Dotationem* pro sufficienti agnoscit: ibi: *Titulus Iurispatronatus fit ex Fundatione, vel Dotatione*. Neque novum quid in Jure est; quòd particula copulativa *Et* sumatur pro disjunctiva *vel*, & econtrà, ut notat Glossa *in c. Ex parte* II 1. *de Rescrip. vers. Et perpetuò*, habeturque clarè *l. Sæpè ff. de V. S.* ibi: *Sæpè ita computatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, & disjuncta pro conjunctis*, *& l. Conjunctionem ff. eod.* ibi: *Conjunctionem enim nonnunquam pro disjunctione accipi, Labeo ait*, quod præcipuè tunc fieri, censendum est, quando alii Juris textus hunc sensum, ne apertè discordent, exigunt, prout fit in proposito.

6 Porrò *fundasse Ecclesiam* ad propositum propriè dicitur ille, qui fundum, seu solum, sive terræ spatium dedit, in quo ædificata fuit Ecclesia, *arg. can. Abbatem* 4 *cau.* 18. *q.* 2. ibi: *Possessionis Domus, & c. Nobis* 25. *h. t. ad finem*, & ibi DD. communiter; ubi tamen cum Garcia *de Beneficiis p.* 5. *cap.* 9. *n.* 41. Abbate *consil.* 106. *p.* 2. & aliis notandum, quòd sola *Donatione*, seu assignatione fundi non illicò acquiratur *Iuspatronatus*, sed tunc primum, quando Ecclesia fuit constructa sive per eum, sive per alium; quia nemo potest esse *patronus* Ecclesiæ, quæ nondum est & forsan non erit, *arg. c. Ad audientiam*, 4. *de Ecclesiis ædific.*

7 *Ædificasse ecclesiam* dicitur, qui eam cum consensu Ordinarii propriis sumptibus construxit, *arg. c. Monasterium* 33. *cau.* 16. *q.* 7. *& c. Nobis* 25. *h. t.* ibi: *Si qui ecclesiam cum consensu Diœcesani construxit*. Qui autem sine consensu Ordinarii eam construit, cùm illicitè agat, *arg. c. Nemo de Consecrat. dist.* 1. *Iuspatronatus* non acquirit, ut *in cit. c. Nobis n.* 4. benè notat Fagnanus, docentque eo teste Omnes.

8 Sub *Ædificatione* comprehenditur etiam reædificatio Ecclesiæ penitus distructæ, in quo casu primus ædificator s

amittit, & reædificans acquirit Juspatronatus Garcias *loc. cit. n. 52.* Fagnanus *in c. Quoniam h. t. à n. 52.* Pirhing. *h. t. n. 8. l. Quod tamen 10. §. pen. ff. Quibus modis ususfruct. amitt.* Ratio est, quia perinde est, ac si Ecclesiam primitus ædificasset, *arg. c. Consuluit de judæis*. Nec refert, quod eadem materia, & iisdem lapidibus eam reædificet, ut post Glossam *in c. Quoniam h. t. Vers. Fundatores* notat Fagnanus *loc. c. n. 58.* dummodò id faciat cum consensu Ordinarii; quia sicut juxta dicta, non potest Ecclesia de novo ædificari sine consensu Ordinarii; ita nec reædificari potest penitus destructa; adeòque sine consensu Ordinarii reædificata *Iuspatron.* non præstat, uti post Abbatem *in cit. c. Quoniam h. t. n. 8.* benè observat Fagnanus *loc. cit. n. 53.* ubi cum aliis insuper notat, æquum esse, ut antequàm Ordinarius alicui licentiam reædificandi Ecclesiam det, prius antiquum *patronum* requirat, an non ei placeat, eandem reædificare, eumque volentem cæteris præferat, *arg. c. Placuit, de Locat. & conduct. c. Ad hæc de Offic. Archidiac.* Quòd si Ecclesia non penitus, vel ita sit destructa, ut nova Consecratione indigeat, ex refectione & reparatione secundum partem illius, non acquiritur *Iuspatronatus*. Garcias *loc. cit.* Fagnanus *loc. cit. 25.* Pirhing. *h. t. n. 8.* cum communi aliorum, & Glossa *in c. Quoniam h. t. Vers. Fundatores*, etiamsi successivè diversis temporibus per partes tota fieret nova, Azorius *p. 2. lib. 6. cap. 19. q. 10.* Pirhing *h. t. n. 8. arg. l. Quid tamen, §. 1. Vers. Plenè, ff. Quibus modis ususfr. amitt.*

9 *Dotare Ecclesiam* dicitur, qui ei sine dote fundatæ & constructæ congruam dotem, idest, sufficienter assignat, & tribuit redditus, seu annuos census pro Ministris Ecclesiæ, pro paramentis, pro luminaribus, aliisque necessariis, *arg. can. Quicunque, 30. & can. Filiis 31. cau. 16. q. 7.* si tamen dos aut redditus sufficientes non essent, non fieret, nec diceretur *patronus*, sed tantum *Benefactor* Ecclesiæ, tribuens illos. Garcias *lo. cit. n. 52.* Abbas *in c. Ad audientiam 3. h. t. n. 4.* Glossa *in cit. can. Quicunque 30. cau. 16. q. 7. arg. can. Nemo Ecclesiam, 9. de Consecrat. dist. 1.* & declaravit S. Congregatio apud Garciam *loc. cit.* illis verbis: *Dotans insufficienter, quod arbitrabitur Ordinarius, non acquirit juspatronatus, sed dicitur Benefactor.* Pariter *juspatronatus* non acquirit, *nec Patronus*, sed tantum *Benefactor* Ecclesiæ fit, & dicitur, qui Ecclesiæ jam sufficienter dotatæ novos tribuit redditus, etiamsi majores sint, quàm illi, qui primitus pro sufficienti dote fuere assignati, eò quòd *Patroni* fiant non propter quantitatem rei donatæ, sed qui primitus Ecclesiam quodammodo à non esse ad esse, sufficienti *Donatione* perducunt, uti observat Glossa *in can. Piæ mentis, 26. cau. 16. q. 7.* Verum si dos primitus data omninò pereat, tunc antiquus *Patronus* amittit, & acquirit ille *juspatronatus*, qui de novo sufficienter dat, sicut *num. præced.* diximus de *Reædificatione.* Fagnanus *loc. cit. n. 59.* Pirhing *h. t. n. 9.* Cæterum utrum dos ante vel post Consecrationem Ecclesiæ assignetur, nihil refert; prout contra Glossam *loc. cit.* docet Cardinal. & Abbas *in cit. c. Quoniam 3. h. t. n. 9.* Garcias *loc. cit. n. 54.* Innocentius *in Rub. h. t.* Pirhing. *eod. n. 10.* cum communi. Ratio est; quia favore Ecclesiæ *juspatronatus* retrotrahitur, & fingitur, ac si ab initio *Dotatio* fuisset facta, *arg. c. Tanta 6. Qui filii sint legitimi*, dummodò cum consensu Episcopi, & cum intentione tacita vel expressa Ecclesiam dotandi fiat, quia simplici dotatione aut legato, absque dicta intentione dotandi non acquiritur *juspatronatus*, uti benè observant Garcias *p. 5. cap. 9. n. 59.* citans plures Decisiones Rotæ, Abbas *loc. cit. n. 3.* cum talis *Benefactor* potius quàm *Dotator* censeatur; Jure autem non *Benefactori*, sed *Dotatori* Juspatronatus attribuunt, *arg. can. Filiis 31. c. 16. q. 7.* Cæterum ad acquirendum *juspatronatus* non est necesse, ut expresè sibi reservet, sed sufficit, quòd expresè non remittat *juspatronatus*, ille, qui dotat, fundat, vel ædificat Ecclesiam, Rota *Decis. 5. de jurepatronat. in Antiq.* Flamin. Paris. *de Confident. q. 28. n. 231.* Pirhing *h. t. n. 10.* cum communi *arg. c. Nobis, h. t.*

10 Si unus, idemque simul fundat, ædificat, & dotat Ecclesiam, solus erit *Patronus*, solusque habebit *juspatronatus*: si verò plures concurrunt, ita ut unus dotet, alter fundet, & tertius ædificet, erunt omnes *Patroni* in solidum. Fagnanus *in c. Quoniam, h. t. n. 49.* Innocentius *ad Rubr. h. t.* Abbas *ad Rubr. h. t. n. 6.* Garcias *loc. cit. n. 52.* Pirhing *h. t. n. 7.* cum communi, *arg. can. Filiis cau. 16. q. 7.* Imò, si plures concurrant ad unam ex tribus modis vel causis allegatis, v. g. ad *Dotationem*, erunt omnes simul respectu hujus tituli, *Patroni* habentes æquale *juspatronatus*, etsi unus eorum plus contulerit, dummodò omnes simul sufficientem præbeant dotem, ut notant DD. citati. Ratio est: tum quia hoc ipso, quòd ille, qui plus confert, alium minus conferentem admittat, censetur velle communicare cum illo *juspatronat.* Tum quia jura simpliciter dicunt, ex *Dotatione* acquiri *juspatronatus*, non distinguendo an unus, aut plures dotent. Idem est, si plures concurrant ad *Ædificationem*, vel *Fundationem*, Abbas *loc. cit.* Garcias *loc. cit.* & alii; quod etiam expresè declaravit S. Congregatio, teste Garcia *loc. c. n. 53.* Idem dic, si plures concurrant ad reædificandam Ecclesiam penitus destructam, vel eam dotandam, postquam dos prior totaliter perit, juxta dicta *n. præced. & n. 8.*

Porrò si quis ex aliquo prædictorum titulorum prætendit Juspatronatus, debet talem titulum probare ex authentico documento, & aliis jure requisitis, prout novissimè statuit Concilium Tridentinum *Sess. 25. de Refor. cap. 9.* vel ubi Instrumentum deest, ex *multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum excedat memoriam, aliaque secundum juris dispositionem*, ut ibi pergit Concilium, & dicetur infrà *nu. 13. & seq.* Dicitur autem notanter in Conclusione *n. 4.* potissimum, *Tribus potissimum modis, & causis acquiritur juspatronatus*. Nam 11

Resp. II. Præter hactenus explicatos tres modos & causas acquirendi *juspatronatus*, idem adhuc aliis duobus modis acquiri potest, videlicet *privilegio*, & *præscriptione*. Et quidem *privilegio*, si summus Pontifex alicui de Ecclesia benè merito, vel ob aliam causam illud concedit, etsi Ecclesiam nec fundarit, nec ædificarit, nec dotarit. Ratio est; quia Papa ex plenitudine potestatis de cunctis Beneficiis habet plenariam potestatem *c. 2. de præb.* Episcopi verò *juspatronatus* concedere non possunt. Garcias *de Benefic. p. 5. cap. 9. n. 128. arg. c. 2. de reb. Eccles. non alienand.* Barbosa *in Concil. Trident. Sess. 25. de reform. c. 9. n. 18.* Pirhing *h. t. n. 12.* quod idem etiam in Theologia nostra Morali *Tract. 11. d. 3. n. 7.* jam docuimus, & fuit declaratum à S. Congregat. apud Garciam *loc. cit.* Imò *juspatronatus* quodcunque ex privilegio quocunque etiam Papali ante Concilium Trident. concessum, revocatum est ab eodem Conc. Trident. citata *Sess. 25. de reform. c. 9.* ibi: Reliqui Patronatus omnes in Beneficiis tam sæcularibus, quàm Regularibus seu Parochialibus, vel Dignitatibus, aut quibuscunque aliis Beneficiis in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, seu facultates, & privilegia concessa tam in vim Patronatus, quàm alio quocunque jure nominandi, eligendi, & præsentandi ad ea, dum vacant, exceptis Patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, & exceptis iis, quæ ad Imperatorem & Reges, seu Regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes jura Imperii in dominiis suis habentes, pertinent, & quæ in favorem studiorũ Generalium concessa sunt, in totum prorsus abrogata, & irrita, cum quasi possessione inde secuta intelligantur. Beneficiaque hujusmodi tanquam libera à suis Collatoribus conferantur: in quem textum etiam vide Barbosam, & benè scribit Garcias *loc. cit. à n. 115.* ubi *n. 118.* ex Declaratione S. Congregationis addit, sublata esse omnia privilegia, etiamsi habent clausulam, quòd *juspatronatus* ex privilegio concessum sit ejusdem valoris & roboris, ac si ex *Fundatione*, *Dotatione*, aut *Ædificatione* esset; vel cujus valoris est *juspatronatus* Regum. Quare, qui *juspatronatus* ex titulo solius privilegii manutenere vult, debet docere, quòd illud habeat à summo Pontifice post tempora Concilii Tridentini concessum, & quidem cum clausula derogatoria Concilii Tridentini *loc. cit.* uti *loc. cit.* benè observat Pirhing. 12

Præscriptione etiam acquiritur *Juspatronatus*, & quidem contra liberam, seu nondum patronatam Ecclesiam non nisi ex frequentatis actibus per tempus immemoriale, uti expresè statuitur in Concilio Tridentino *Sess. 25. de Reform. c. 9.* ibi: *Ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat*: notant tamen hic Barbosa *num. 5.* Ricc. *in Praxi fori Eccles. resolut. 127. in fin.* Castro Palao *Tom. 2. tr. 13. disp. 2.* 13

disp. 2. pun. 3. n. 4. ad hoc, ut dicantur præsentationes multiplicatæ, sufficere duos actus, quia *pluralis locutio duorum numero est*, contenta, *c. 40. de R. J. in 6. & l. Ubi numerus ff. de Test.* Cæterum tam actus, quàm tempus immemoriale legitimè probare debet prætendens *Iuspatron.* ut concedunt Doctores communiter: quid autem sit tempus immemoriale vide suprà *lib. II. Tit. XXVI. §. 5. n. 122.* & Barbosam *in Conc. Trid. loc. cit. à n. 6.*

14 Advertendum hic tamen, quod *in iis personis seu Communitatibus, seu Universitatib. in quibus id jus* (Patronat.) *plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur. Nec immemorabilis temporis probatio eis aliter suffragetur, quàm si præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ non minori saltem quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectũm sortitæ sunt, authenticis scripturis probetur*: sunt verba Concilii Tridentini *l. c.* Quænam autem sint tales personæ & Communitates, vide Barbosam *in Concil. Trid. loc. cit. à nu. 32.* & Gonzalez *in Reg. 8. Cancellar.* Glossa *18. à nu. 66.* ubi ex Declaratione Cardinalium refert, esse omnes Potentes: item omnes perpetuam Jurisdictionem habentes, Nobiles, Barones, Comites, Duces, Reges, Imperatores, Principes, Episcopos, Universitates, & Communitates.

15 Contra Ecclesiam verò *non liberam*, sed *patronatam*, seu potius contra *Patronum*, requiritur, & sufficit tempus ordinarium, videlicet decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes cum titulo: sine titulo autem triginta anni cum bona fide, si præscribitur contra privatum, sive Clericum, sive Laicum, utpote contra quem dictum tempus ad præscriptionem requiritur, & sufficit per dicta, & ex Jure probata, *Lib. 2. Titul. 26. de Præscript. §. 17.* Ita docet Molina *de justit. & jur. Disp. 70. n. 2.* Zoesius *h. t. n. 9.* Pirhing *h. t. n. 118.* ubi etiam citat Covarruviam *in Reg. Possess. de R. J. in 6. §. 10. n. 8.* qui tamen contrarius est, utpote universaliter requirens annos 40. etiamsi contra privatum præscribatur; eò quòd, ut ait, in tali *Præscriptione* de aliquali saltem agitur præjudicio Ecclesiæ, utpote cujus interest ne mutentur ejus *Patroni*. Verum quia hæc ratio omninò non videtur efficax, cum parum vel nihil intersit Ecclesiæ; hunc vel illum habere *Patronum* privatum, & æquè evenire possit, ut ille, qui præscribit, utilior sit Ecclesiæ, quàm prior ejusdem *Patronus*, contra quem præscribitur, uti benè observat Molina *loc. cit.* hinc non videtur recedendum à dispositione Juris communis, dictum tempus ad præscribenda immobilia pro necessario & sufficiente statuentis. Accedit, quòd Concilium Trid. *Sess. 25. de Reform. cap. 9.* nil immutarit circa probationem *jurispatronatus* privatorum, sed reliquerit sub dispositione Juris communis, prout sæpè decidit Rota, teste Gonzalez *in Reg. 8. Cancell. tr.* Glossa *18. n. 54.* Barbosa in Concil. Trident. *loc. cit. n. 21.* Quadraginta tamen anni requiruntur si est *Præscriptio* contra Monasterium, vel alias causas pias *juspatronatus* habentes, quia contra has de Jure communi hoc spatium temporis ordinariè requiritur juxta dicta *Lib. 3. Tit. 26. de Præscription. n. 163.*

16 Illud communiter concedunt Doctores citati, etiam Adversarii, & Barbosa *in Concil. Trident. loc. cit. n. 22.* cum tempore debito sufficere unicum actum præsentationis exercitum. Ratio est; quia de Jure communi plures non requiruntur, sed unus sufficit, ad constituendum aliquem in possessionem; dummodò interea non evenerit alius casus præsentationis, uti observat Barbosa *loc. cit.* Nec obstat hactenus dictis Concilium Tridentinum *loc. cit.* ubi tempus immemoriale, & multiplicatos actus requirit. Resp. enim Concilium ibi loqui in casu, quo fit *Præscriptio* contra Ecclesiam *liberam*, seu non *patronatam*: quam in libertate conservare enixè intendit: non item de casu, quo *Præscriptio* currit contra Ecclesiam jam *patronatam*, seu *jurispatronatus* jam subjectam, sed potius contra *Patronum*, ut Doctores communiter advertunt.

§. II.

De Modis, quibus Juspatronatus jam semel acquisitum in alios transferri, consequenter Translatione acquiri possit: ubi etiam de iis, qui capaces sunt Jurispatronatus.

S U M M A R I U M.

17 *Juspatronatus quatuor modis transfertur in alium.*
18 I. Hæreditate: *& quomodo? Ibid.*
19 *Unius Patroni hæredes succedunt æqualiter.*
20 *Plurium Patronorum hæredes succedunt in stirpes.*
21 *Judex non potest uni ex hæredibus adjudicare Juspatronatus.*
Juspatronatus transit cum re, cui est annexum. Ibid. & num. seq.
23 *Compatroni possunt inter se convenire de facienda præsentatione alternis vicibus.*
24 *Juspatronatus Gentilitium etiam transit ad hæredes.*
25 *Nisi aliud ex Fundatione prima habeatur, quæ præ omnibus est attendenda.*
26 II. *Transferri potest Iuspatronatus in alium* Donatione. *Et quando ad hanc requiratur consensus Episcopi? Ibid.*
27 III. Permutatione, *non quidem per se, sed per accidens cum re, cui est annexum.*
28 *Cùm alio Iurepatronatus, vel alia re spirituale permutari potest per se, accedente consensu Episcopi.*
29 IV. Venditioni, *non quidem per se, sed per accidens cum re, cui est annexum. Et num. seq.*
Pœnæ per se vendentium & ementium Iuspatronatus.
31 *Juspatronatus non tantum cum universitate bonorum, sed etiam cum re particulari transit, si eidem est annexum.*
32 *Transit etiam cum Feudo & Emphyteusi.*
33 *Non item cum Pignore & Hypotheca.*
34 *Benè tamen cum Dote.*
35 *Solvitur instantia.*
36 *Jurispatronatus capaces sunt Clerici, & Laici.*
37 *Masculi, & Fœminæ.*
Fœminæ succedunt in Iurepatronatus gentilitio, nisi sint exceptæ. Ibid.
38 *Capaces sunt etiam impuberes: quando ipsi, & quando loco ipsorum præsentent Tutores. Ibid. usque ad n. 42.*
40 *Observatio practica, quando impuberes præsentant.*
42 *Filius familias quando præsentet, & quando loco ipsius pater.*
43 *Infideles non sunt capaces Jurispatronatus.*
44 *Nec Hæretici de jure communi. Quid in Germania? Ibid.*

NOtandum prius cum Glossa communiter recepta *in can. Piæ mentis, 26. cau. 16. q. 7. & c. Ex insinuatione 14. emptorum*, quatuor modis *juspatronatus* ab uno in alium transferri posse, videlicet, *Successione*, *Donatione Permutatione*, & *Venditione* universitatis, de quibus, sunt illi versus relati à Glossa *loc. cit.* 17

Iura patronatus transfire facit novus hæres,
Et Res permutata, Donatio, Venditioque.

Quæritur I. An, & quomodò transferatur in alium *juspatronatus* per *Successionem hæreditariam*? Resp. I. *juspatronatus* cum universitate bonorum transit ad hæredes quoscunque tam masculos quàm fœminas, tam necessarios quàm extraneos, sive ab intestato, sive ex Testamento succedant. Abbas *in c. 1. h. t. n. 2. & seq.* & ibi Fagnanus *n. 12. & 13.* atque Barbosa *n. 9.* Covarruvias *lib. 2. Variar. Resol. c. 18. n. 6.* Pirhing *h. t. n. 44.* cum communi, *arg. c. 1. h. t.* Quod, quia indistinctè loquitur, indistinctè venit intelligendum: Concordat *c. cùm ex litteris, h. t. & clem. 2. eod.* Hinc inferunt Doctores, præsertim Abbas *loc. cit.* Pirhing *loc. cit.* & alii, quòd si filius v. g. exhæredetur, vel instituatur in re certa, ad eum *juspatronatus* non transeat; quia transit cum universitate bonorum, *arg. cit. c. 7. hoc tit.* nisi forsan rei certæ, Castro v. g. in quo instituitur hæres, esset specialiter annexum *juspatronatus*, hoc enim casu in tali re certa hujusmodi institutum transire 18

Nn dictum

ctum jufpatron. clarè patet ex cod. c. 7. h.t. & notat Pirhing *loc.cit.* & dicetur magis infrà *n.21. & 31.*

19 Resp. II. Si plures sunt hæredes unius *patroni*, succedunt omnes æquali jure, etsi in partibus inæqualibus sint instituti, textus & Glossa communiter recepta *in c.1.h.t. Vers. Debeat.* ubi tamen notatur, quòd hæredes *Iuspatron.* dividere non valeant, sed in solidum, si velint, possidere debeant *Iuspatronatus*. Ratio est; quia res simplex & indivisibilis (qualis est *Iuspatronatus*, utpote incorporale quid, quod dividi nequit, *arg. can. Nihil. 16. cau. 7. q. 1. & l. Viæ 17. ff. de Servit.*) dividi non potest, *arg. l. Si Sepulchrum, C. de Relig. l. Quod si locus, ff. eod.* Limitatur Conclusio, quo unius *patroni* hæredes aliqui vi Juris in bonis succederent in capita, ut liberi: alii in stirpem, ut nepotes, tunc enim etiam in *Iuspatronatus* eodem modo, consequenter non æqualiter, succederent.

20 Resp. III. Si plures sint hæredes diversorum *patronorum* originalium, succedunt etiam omnes, non tamen in capita, sed in stirpes, ita ut, si Titius v.g. dotavit Ecclesiam, Cajus verò eandem construxit, & hic relinquat unum hæredem, ille verò quatuor; tunc hi quatuor simul unam tantum habebunt vocem; seu votum in præsentando, & unum æquale alter unicus hæres. Abbas *in c.1. h.t. n.5.* Pirhing *eod n.47.* cum communi ac certa aliorum, textu claro *clem.2. h. t.* ibi: *Plures ab uno ex Patrono Ecclesiæ relicti hæredes, vocem duntaxat unius habebunt in præsentatione Rectoris.* Quid juris autem, si plures *Patroni* in præsentando disconveniant? Item quot vota præsentatus habere debeat? dicetur infrà *à n. 91.*

21 Resp. IV. Quando hæreditas inter hæredes dividitur, non potest Judex uni ex hæredibus adjudicare *Iuspatronatus* universitati bonorum annexum. Abbas *in c. Querimoniam, 9. h. t. nu. 3.* Zoesius *eod.* Pirhing *eod. num. 56.* cum communi. Ratio est; quia vel fit divisio in partes æquales, & tunc non apparet, cur potius uni, quàm alteri adjudicetur: vel fit in partes inæquales, & tunc, si in compensationem illi adjudicaretur, qui minus accepit, haberetur aliqua commutatio temporalis pro spirituali, quod simoniacum est. Secus foret, si *Iuspatronatus* non universitati bonorum, sed Castro, vel villæ, aut alteri certæ rei hæreditariæ est annexum, tunc enim id utique illi adjudicari potest, qui in divisione talem rem accidit: imò absque ulla Judicis sententia cum tali re ad eum transit; hoc ipso, quod *Iuspatronatus* semper cum re, cui est annexum transeat, *arg. can Ex litteris 7. h. t.* & ibi Barbosa *n 3.* ac Fagnanus *n. 3.* cum communi aliorum; & magis dicetur infrà *n.31.*

22 Et ex hac ratione docet etiam Barbosa *loc. cit nu. 9. & de Offic. & Potest. Episcop. alleg. 71. num. 45.* Quod si ob delictum *patroni* confiscentur bona ejusdem, quibus annexum est *Iuspatronatus*, etiam hoc ipso ad Fiscum transeat. Sed de hoc vide amplius Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 19 per totum*, ubi exactè rem pertractat.

23 Resp. V. Possunt insuper *Compatroni*, ac hæredes eorum inter se pro libitu convenire, ut alternis vicibus uni soli v. g. vel duobus præsentatio competat: ita ut unus v.g. prima, alius secunda, alius tertia vice solus præsentare possit: vel possunt dividere inter se menses, ita ut si in mense Januario vacet Beneficium, præsentet hic, si in Februario, præsentet alius &c. vel etiam, si plura Beneficia conferenda habent, unus ad hoc, alius ad illud præsentare valeat, *arg. Clem. 2. h. t.* ibi: *Non inconveniens reputamus, Patronos ipsos inter se posse liberè convenire de Rectore ab eis, alternis vicibus præsentando*, & ibi Glossa communiter recepta. Ratio assignatur in dicta Clementina, videlicet, *ut facilius provideatur Ecclesiæ, & evitentur discordiæ inter Patronos*. Et quidem hujusmodi conventiones fieri possunt à *Compatronis* absque ullo consensu Episcopi, *arg. c. Clem. 2. h.t.* ibi: *Liberè posse convenire*, & ibi: Glossa *Vers. Liberè* Barbosa, *de Offic. & Potest. Episc. alleg. 71. n. 28. & seqq.* Gonzalez *in Reg. 8. Cancellar. Glos. 45. §. 1. n. 58.* Pirhing *h.t. n. 46.* cum communi.

24 Resp. VI. Etiam *Iuspatronatus* gentilitium (id est reservatum illis, qui sunt de familia seu agnatione *Fundatoris* v. g. juxta dicenda infrà *n. 48.*) extincta Familia, & agnatione transit ad hæredes extraneos, nisi aliud ex prima fundatione & conventione facta cum Episcopo constet; ut si v.g. *Fundator* expresè ad Familiam tantum successionem fieri voluisset. Fagnanus *in c. 1. h. t. nu. 25.* & 26. Anchoranus *consil. 81.* Pirhing *h. t. n. 53.* & communi aliorum, atque resolvit Rota *in caus. Ceremon. jurispatronatus*. Ratio est; quia regulariter provisio hominis non tollit provisionem Juris communis, *arg. l. Si cum dotem princ. ff. Soluto Matrim.* cum Concordantiis: atqui *Iuspatronatus* ex provisione Juris communis transit ad hæredes etiam extraneos per dicta *n. 18.* ergo non tollitur per provisionem hominis simpliciter, & non taxativè, aut exclusivè factam; cum meritò intelligatur facta in eo sensu, ut, quamdiu aliquis de Familia superest, extraneus succedere non valeat.

25 Dicitur autem notanter, *nisi aliud ex prima fundatione, & conventione cum Episcopo facta constet*; quia huic omninò standum foret, Fagnanus *loc. cit.* ubi plures pro hoc Decisiones affert. Ratio est; quia in fundatione Ecclesiæ potest *Fundator* remittere *Iuspatronatus* vel totum, vel ex parte, vel limitativè illud inducere in præjudicium hæredum, prout ei libuerit, *arg. c. Significavit, 41. de Testib. & c. un. h. t. in 6.* ac ibi Anchoranus, & alii. Ob eandem rationem limitandæ sunt omnes Conclusiones hucusque positæ in casu, quo aliud ex speciali ordinatione *Fundatoris* expressum habetur; quia hæc præ omnibus attendenda venit, uti communiter concedunt Doctores.

26 Quæritur II. An, & quomodò *Iuspatronatus* per *Donationem* in alium transferri possit? Resp. Potest *patronus* quivis suum *Iuspatron.* donare, cui vult, hac tamen cum distinctione, ut si *patronus* Laicus alicui Laico non *Compatrono*, vel etiam Clerico, ut personæ privatæ donet, requiratur consensus Episcopi: si verò donet Ecclesiæ, Monasterio, aut alteri loco pio, vel etiam Clerico nomine Ecclesiæ vel Dignitatis, quam obtinet, valeat *Donatio* absque consensu Episcopi. Communis. Et quidem, quòd requiratur consensus Episcopi, si *Iuspatronatus* donatur Laico, patet ex *c. un. h. t. in 6.* à sensu contrario, & tenent Abbas *in c. Illud. 8 h. t. n. 5.* & ibidem Barbosa *n. 2.* Mantic. *Decis. 85. n. 5.* Pirhing *h. t. n. 61.* Rota apud Farinac. *Decis. 337. n. 4. p. 1. Recent. & Decis. 257. n. 1.* cum communi aliorum, qui tamen limitant id in casu, quo Laicus Laico *Compatrono* donat, *Compatroni* enim liberrimè, & absque ullo consensu Episcopi sibi invicem cedere possunt *Iuspatron. arg. Clem. 2. h. t.* & ibi Glossam *Vers. Liberè.* Barbosa *loc. cit. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 71. n. 28. & seq.* Achil. *Decis. 10. de Iurepatron.* & communis. Quòd autem consensus Episcopi non sit necessarius, si donatur Ecclesiæ, vel pio loco, clarè habetur *in c. Illud 8. h. t.* ibi: *Licèt Religioso loco Iuspatronat. conferendi liberam habeat facultatem & c. un. eod in 6.* caretque controversia. Nec obstant *c. Quod autem, 5. c. Illud. 8. & c. Cura, 11. h. t.* ubi videtur prohibita talis *Donatio* etiam loco pio facta absque consensu Episcopi. Res enim, Canones ibi non loqui de solius *Iurispatronatus*, sed ipsius Ecclesiæ, & Beneficii *Donatione* quoad proprietatem, vel Titulum aut incorporationem, quod utique non licet, ut ibidem notant Doctores communiter.

27 Quæritur III. An, & quomodò *permutatione* in alium transferri queat *Iuspatr.* Resp. I. Quamvis *Iuspatr.* per se ac solitariè sumptum pro re temporali permutari nullatenus valeat, eò quòd juxta Omnes *spiritualia, vel spiritualibus annexa* (cujusmodi etiam est Juspatronatus *c. 16. h.t.*) *sine labe simoniæ* permutari nequeant, *c. Quæsitum, 5. de Rerum permut.* & quævis *permutatio de rebus spiritualibus ad temporalia improbetur* ut dicitur *c. fin. eod.* Nihilominus licitè & validè etiam absque consensu Episcopi accessoriè saltem & per accidens pro rebus temporalibus permutari potest; si nempe universitas bonorum, vel alia res temporalis, cui *Iuspatronatus* est annexum, permutatur, dummodò hoc in æstimationem non veniat, itaut ratione illius in permutatione, res temporalis pretiosior quàm alia res commutanda exigatur, & detur. Communis, ac certa. Ratio est, quia Regula est, quòd *Iuspatron.* transeat cum re, cui est annexum, etiam absque authoritate Episcopi, prout suprà jam diximus, *arg. c. Ex litteris 7. h.t.* & notat ibidem Fagnanus *n. 3.* Abbas *n. 1.* Innocentius *n. 2.* testeque Fagnano Omnes. Ratio est; quia Contractus celebratur de solis temporalibus (ad quem utique non requiritur consensus Episcopi) cum quibus *Iuspatronatus* annexum accessoriè transit.

28 Resp. II. Potest insuper permutari *Iuspatronatus* cum alio

alio *Jurispatr.* aut alia re spirituali Sylvest. *Vers. juspatr. q. 5.* Zoesius *h. t. n. 25.* cum communi aliorum *arg. c. Quæsitum, 5. de Rerum Permutat. & can. Nemini Regum, 40 caus. 16 q. 7* Requiritur autem ad hoc consensus Episcopi, eò quòd etiam spiritualium *Permutatio* in materia Beneficiaria absque consensu Episcopi fieri nequeat, *arg cit c. Quæsitum, 5. de Rerum Permut.* Putat tamen Barbosa *de Offic & potest. Episc. alleg. 31.* citans Roch. *de Jurepatr. q. 16. n. 28* & alios dictum consensum solummodò requiri, si permutatione *Juspatr.* transferatur in Laicum, non item, si fiat in Ecclesiam, vel locum pium, sicut suprà *n. 26. de Donatione* hujus dictum est.

29 Quæritur IV. An, & quomodò vendi possit *Juspatr.* Resp. I. Certum est, quòd *Iuspatr.* per se ac solitariè sumptũ vendi nec licitè, nec validè possit Omnes, textu claro *c. de jure, 16. h. t.* ubi etiam Ratio habetur illis verbis, *cùm inconveniens sit, vendi juspatr. quod est spirituali annexum*, ob quod inducit quodammodò naturã spiritualem, ut advertit Glos *in c. Quanto, 3. de judiciis. Vers. Connexa* & censetur spirituale, *arg. l quæ Religios. ff. de rei vendit.* quia quæ Religiosis adhærent, Religiosa sunt, quòd si nihilominus vendatur, committitur simonia *tot Tit. de Simonia*, estque *Venditio* ipso facto nulla, *cit. c. 16. h. t.* ibi: *Contractum illum irritum esse decernatur*, id est, declaretur, & ibi Glossa *Vers. Irritum*, atque tam vendens, quàm emens ipso facto privati existunt *jurispatr. arg. cit. c. 16. eod.* & Conc. Trid. *Sess. 25. de reform. c. 9.* ibi *Si secus fecerint, jurepatr. ipso jure privati existant*, & ibi Barb. *n. 81.* item *de offic. & potest. Episc. alleg. 71. n. 35.* ubi etiam habet, quod in tali casu Ecclesia *patronata* redeat ad suam libertatem; quod idem docent Jo Andreas, & alii; intellige, si unus tantum est *patronus*, vel plures quidem, sed omnes vendendo delinquentes: si enim plures sunt *patroni*, delinquente uno aut altero, pertinet jus ad innocentem, uti benè limitat Barbosa *in Conc. Trid. l. c.* Subjacent insuper vendentes *patroni* Excommunicationi, *Conc. Trid l. c* nec possunt retinere pretium acceptum, ne ex iniquitate sua commodum reportent, & cum jactura alterius locupletentur, contra *Reg 48. jur. in 6.* nec tenentur illud restituere emptori, utpote qui mala fide contra SS. Canones emit, *arg. c. De hoc de Simon. & l. Fundum, C. de Evict.* sed Ecclesiæ, cui per simoniam injuria fuit illata. Abbas *in c. De jure h. t. n. 3.* Barbosa *ibid. n 5* & alii.

30 Resp. II. Potest nihilominus *Iuspatr* accessoriè, seu per accidens vendi, casu nempe, quo venditur universitas bonorum, prædium, vel villa, cui est annexum, dummodò ratione illius non augeatur pretium, *arg c. cum sæculum, 13. & c. Ex litteris, 7. h t.* & ibi Fagnanus, Abbas *n. 2.* Barbosa *n. 2.* Pirhing *h. t. n. 72.* rursus Barbosa *de Offic. & potest. Episc. loc. cit. n. 33.* cum communi. Ratio est; quia Contractus celebratur præcisè super re temporali; cum qua tanquam principali *Iuspatronat.* annexum, tanquam accessorium transit; quia *accessorium naturam sequi principalis convenit, c. 42. de R. J. in 6.* Nec requiritur ad hoc consensus Episcopi; quia juxta repetita jam, *Iuspatronatus* transit cum re, cui est annexum, etiam absque authoritate Episcopi, *arg. cit. c. Ex litteris, h. t.* Barbosa *l. c. n 46.* & Doctores citati, cum aliis.

31 Limitant quidem plures DD. ut Fagnan *l. c. n 19* & ibi Abbas *n. 10.* item *in c. cum sæculum h t* & pluresalii citati à Covarr *lib. 1. Variar. resol. c. 13. n 3* Conclusionem, dicendo, eam præcisè intelligendam esse in casu, quando *Iuspatr.* adhæret universitati bonorum, vel rei alicui, quæ continet jura universitatis, cujusmodi secundum ipsos sunt, Civitas, Castrum, Pagus, Oppidum, villa, aut fundus, cui jura universitatis, ut jurisdictio, servitutes, onera, & actiones &c. sunt annexa: non item, si vendatur res particularis jura universitatis non habens. Verum licèt satis communis sit hæc sententia, tamen contraria dicens, quòd etiam cum quavis re particulari vendatur, & transeat, dummodo eidem *Iuspatr.* reverà adhæreat, & sit annexum, ut si *Fundator* dicat, *volo, ut huic palatio, domui, agro, fundo &c. Iuspatr. semper adhæreat, itaut qui illum acquirit, habeat etiam Iuspatr.* videtur verior, Juriq; conformior Barbosa *in cit. c. Ex litteris, 7. h. t. n. 2.* Cardinal. *in can. Cùm sæculum, h. t.* Sylvester *Vers. Iuspatr. q. 5.* inclinat etiam Covarr. *loc. cit.* & Pirhing *h. t. n 73* Fundamentum est, quòd Jura, & rationes æquè de tali re particulari, ac de universitate bonorum militent, ut consideranti patet: & Regula universalis ac illimitata ab ipsis etiam Adversariis alibi illimitatè sæpe posita sit, quòd *Iuspatr.* transeat cum re, cui est annexum: & universaliter accessorium sequatur naturam principalis, *cit c. 42. de R. J. in 6.* Accedit, quòd Adversarii solidum in Jure fundamentum limitationis dictæ non afferant. Nec enim quid probant illi Canones, ubi dicitur *Iuspatron.* transire cum universitate bonorũ, quia per hoc non negant, quòd transeat etiam cum re particulari, si ei est annexum, sed tantum volunt, quòd cum universitate bonorum transeat, si ei est annexum; & cum particulari, si eidem cohæret ob paritatem rationis: benè verum est, quòd si annexum est universitati bonorum, non transeat cum re particulari universitatem non continente: & econtrà si annexum est rei particulari, tamen transeat cum universitate omnium bonorum, utpote in quibus illa particularis res censetur inclusa; per hoc tamen non impeditur, quin transeat etiam cum sola re particulari, si ei soli est annexum, juxta dicta.

32 Quæritur V. An *Iuspatronatus* etiam cum Feudo, Emphyteusi, Hypotheca, & Dote transeat? Resp. I. Si alicui universitas bonorum, vel Castrum, prædium, oppidum, pagus, vel alia res, cui inseparabiliter annexum est *Iuspatronatus*, in Feudum, vel Emphyteusi datur, transit cum hac in Feudatarium, vel Emphyteutam etiam *Juspatr.* Sylvester *Vers. Juspatron. q. 5. dict 6.* Azorius *p. 2. lib 6. c. 20. q. 12.* cum communi aliorum, *arg. cap. Cùm sæculum, 13. h. t.* & ibi Glossa *Vers. Emptorum*. Ratio est suprà *n. præced.* data Regula.

33 Resp. II. Si Castrum v.g. vel alia res habens sibi annexum *Juspatr.* alicui pro Pignore datur, aut Hypotheca, non transit cum ea *Juspatr* sed manet apud Debitorem, ita ut in casu vacantiæ ipsi, & non Creditori habenti Hypothecam competat jus præsentandi. Sylvester *loc. cit.* Zoesius *h. t. n. 38.* Azorius *loc. cit. q 13.* Innocentius, & alii, *arg. c. Cum Bertholdus, 18 h. t.* & ibi Gloss. *V Patrono*. Ratio est; quia in Creditorem nec directum, nec utile dominium Pignoris transit, sed nuda possessio, nisi aliter conventum fuerit, debetque Creditor fructus perceptos restituere, vel in sortem computare, & peccat utendo, *c. 1. de Usur. c. Cùm contra de Pign. & l. Sed an ulc, ff. de pignor act. & l. Creditor, ff. de Furt.* ergo nec accessoriè *Juspatron.* transibit. Præsertim cùm ejus usum exercitum restituere amplius non posset hoc ipso, quòd ad præsentationem institutus, amplius amoveri non valeret, & jus illud utpote spirituale exercitum temporali recompensari non posset.

34 Resp. III. Quando in *Dotem* datur res habens *Juspatr.* transit cum ea, ita, ut stante Matrimonio non uxori, sed viro jus præsentandi competat. Barb. *in c. Ex litteris h. t. n. 3.* item *de Offic. & potest Episc. alleg 71. n. 70* Menochius *consil. 66. n. 27* Zoesius *h. t. n 36.* Mantic. *decis 140. n. 2. & 13* atque latè Garcias *De Benefic. p. 5. cap 9. à n. 147.* cum communi aliorum contra Abbatem *in c fin. de Concess. præb. n 2.* & Azorium *p 2 lib 6 c. 21. q. 16* Fundamentum est; quia juxta hactenus dicta *Juspatr* transit cum re in illum qui eam cum dominio saltem utili acquirit; uti patet de Feudo, & Emphyteusi, & concedit ipse Adversarius, Azorius citatus *n præced.* atqui maritus durante matrimonio habet dominium saltem utile *Dotis*, *l. Dote ancillam, C. de Rei vendicat. & c. per vestras, de Donat. inter vir. & uxorem & c. Salubriter, de Usur.* ergo.

35 Nec facit aliquid Abbatis argumentum à paritate Pignoris desumptum, quia hujus rei nec dominium utile Pignoris habet Creditor, ut Maritus *Dotis*, consequenter disparitas est. Nec valet, quod dicit, tantum eos fructus *Dotis* competere marito, qui serviunt pro sustinendis oneribus matrimonii, inter quos non est Juspatronatus: quia hoc gratis dictum videtur contra regulam universalem, quòd cum re transeant non tantum temporales fructus, sed & quasi spirituales *Iuspatronatus* in acquirentem dominium utile rei, alias certè in Emphyteutam, & Feudatarium cum Feudo, & Emphyteusi non transiret *Iuspatronatus*, quod est contra Adversarios.

36 Quæritur VI. Quinam sint capaces *Iurispatron.* Resp. Omnes fideles non tantum Clerici, sed etiam Laici, masculi & fœminæ, legitimi & illegitimi puberes & impuberes sunt capaces. Probatur Conclusio per partes. Et quidem de Clericis nemo dubitat. De Laicis verò con-

constat ex *c. Quoniam*, 3. & *c. Cùm autem*, 25. *h.t.* & ibi DD. estque hodie communis ac certa; non obstante, quòd Laici jurium spiritualium (inter quæ videtur esse Juspatronatus, *c. De jure. 6 h.t.*) non sint capaces, *c. Decernimus de Judiciis*, & *c. Tua de decim.* quia hujus juris capaces redditi sunt ex speciali gratia, & permissione ac tolerantia Ecclesiæ, ut inde Laici magis inducerentur ad fundandas & dotandas Ecclesias, prout benè advertit Fagnanus *in cit. c. 3. h.t. à n. 4.* & ibi Abbas *n. 2 Clem. fin. de Rescript.* Accedit, quod Juspatronatus non sit quid purè spirituale, sed tantum spirituali annexum, *c. de jure 6. h.t.* cujus, ex gratia Ecclesiæ, facilè capax redditur Laicus.

37 Quòd autem non tantum masculi, sed & fœminæ capaces sint *jurispatr.* docet cum communi Abbas *in c. Ex litteris n. 4.* & ibi Barbosa *n. 12.* Garcias *p. 5. c. 9. n. 142. arg. c. fin. de concess. Præb.* & *c. Ex litteris, 7. h.t.* Hinc si *juspatr.* est hæreditarium, æquè ad fœminas, ac masculos transit, Garcias *l. c. n. 143* Barb. *l. c.* & alii, eo quòd hę quoque sint capaces hæreditatis, cui *Juspatr.* est annexum. Imò succedunt in *jurepatr. gentilitio*, nisi sint exceptæ, citati DD. quos sequitur Molina *de jure & just. disp 627. n. 12.*

38 Quòd Impuberes quoque sint capaces *Jurispatr.* docent Garcias *l. c. n. 186.* Azorius *p. 2. lib 6. c. 21 q. 14.* Laym *lib. 4. tr. 2. c. 13. q. 7. n. 18.* cum communi & certa aliorum, *arg. c. Piæ mentis, 26. & seq c. Quicunque* 30. & *c. Filiis, 31. cau. 16. q. 7.* ubi generaliter cuivis Fideli fundanti, ædificanti, vel dotanti ecclesiam, & hæredibus ejus conceditur *Juspatronatus*, nec ibidem nec alibi excipiuntur impuberes. Notandum tamen quòd licèt impuberes ante septennium jam acquirere valeant hereditatem, illo tamen tempore actum præsentationis, defectu usus rationis exercere non valeant, sed nomine ipsorum Tutor præsentet. Azorius *l. c.* Garcias *l. c. num.* 193. citans & Lambert. Pirhing *h. t. n.* 18. Si verò est major septennio adhuc impubes, poterit ipse præsentare, etiam sine Tutoris authoritate, Garcias *l. c. n. 186. & seq.* Pirhing *l. c.* Azorius *l. c.* Castro Palao *p. 2. tr. 3. disp. 3. nu* 40 Rebuffus *de Nominat. q. 17. n.* 40. Rota *decis. 6. de Jurepatr. in antiq.* cum communi; quia impubes septennio major præsumitur habere usum rationis: unde sicut eo tempore validè contrahit sponsalia, etiam validè præsentat, præsertim cùm ad eum pertineat jus, *arg. citandis jurib. & c. Decernim. 32. cau. 16. q. 7.* Fatentur tamen Doctores communiter, æquum & decens esse, ut impubes præsentationem faciat authoritate Tutoris.

39 Porrò quamvis satis communis sit opinio Doctorum apud Garciam *l. c. n. 194.* Castro Palao *l. c. n. 21.* quod pupillo existente adhuc impubere, etsi majore septennio, absolutè possit Tutor aliquem præsentare, eo quòd Tutor non tantum detur personæ, sed & bonis pupilli etiam spiritualibus, *arg. cap. fin. de Judiciis. in 6.* Tamen fatentur etiam satis communiter, quòd si præsentante Tutore etiam impubes septennio major intra tempus ad præsentandum concessum, alium præsentet, hic præsentato per Tutorem sit præferendus, dummodò sit habilis, etsi alter sit dignior. Doctores *n. præced.* citati, inter quos Garcias *loc. cit. n.* 186. dicit hanc esse receptam, ac communiter approbatam; tum ob rationes & Jura allegata: tum quia ad pupillum pertinet præsentatio, *arg. cit. c. Decernimus, 32. cau 16. q. 7.*

40 Imò putat Garcias *l. c. n.* 191. ex rationibus allegatis, quòd pupillo existente majore septennio, præsentatio à Tutore facta penitus sit nulla, nisi de pupilli expresso vel tacito consensu fiat, ut dum Tutore præsentante pupillus sciens non contradicit, nec alium præsentat intra tempus concessum: quæ doctrina licèt patiatur controversiam, tamen ex ea cum Garcia, & aliis pro praxi secura infertur, quòd præsentante Tutore, præsentationem non statim accipere, sed prius inquirere debeat Ordinarius I. An pupillus sit septennio minor, vel major? si major; ulterius attendere debet II. An sciente, vel ignorante pupillo præsentatio sit facta? si eo ignorante facta est; faciat eam eidem intimari. Si eo sciente contigit, ulterius attendat oportet, an non tempore ad præsentandum concesso, pupillus alium præsentarit, vel adhuc præsentaturus sit? eo quòd per hunc præsentandus præferri debeat præsentato per Tutorem, juxta dicta *n. præced.*

41 Quòd si verò *patronus* jam sit pubes, etsi adhuc minor vigintiquinque annis, penitus nullam amplius habebit potestatem præsentandi Tutor, utpote quę tunc sola plenè competit minori, ita ut ejus præsentatio etiam absque prescitu & consensu Tutoris sit valida, Tutoris verò, si quam fortè faceret, invalida. Garcias *l. c. n. 195. & 196.* Castro Palao *l. c. n. 21.* & alii. Ratio est; quia pubes, sive major quatuordecim annis *in Beneficialibus, & aliis causis spiritualibus, & dependentibus ab eisdem*, nullatenus dependet à Tutore, vel Curatore, aut parente, textu claro *cit. c. fin. de judiciis, in 6.*

Id, quod de pupillo respectu Tutoris diximus, idem proportionaliter intelligendum est de filio familias respectu patris, Garcias *l. c. n* 197. ob eadem jura, & paritatem rationis. Solum limita in *jurepatr.* quod filio competit ratione bonorum adventitiorum; horum enim usumfructum quia pater habet, etiam *Juspatr.* bonis annexum habebit, Castro Palao *l. c. n. 22.* Garcias *p. 5. c. 9. n. 203.* ob fundamenta suprà *n. 34.* allegata. 42

Quæritur VII. Num etiam Judæi, Pagani, & Hæretici sint capaces *Jurispatronatus*? Resp. I. Judæi, Pagani, & Infideles sunt incapaces. Abbas *in c. Nobis 25. h. t. n. 3.* & ibi Jo. Andreas *n. 3.* Fagnanus *n. 7.* Pirhing *h. t. n. 20.* & communis aliorum, eo quòd Jura *n. 36.* citata de solis Christianis, ac Fidelibus loquantur, quales non sunt Judæi, Pagani &c. 43

Resp. II. Loquendo de jure communi etiam Hæretici sunt incapaces *Jurispatr.* Fagnan *in cit. c. Nobis h. t. n. 10.* & ibi Abbas *n. 3.* Azorius, *p. 2 lib 6. c. 21. q. 7. & 8.* communis. Ratio est: tum quia Hæretici tanquam membra putrida & rebelles per Excommunicationem ejecti sunt ab Ecclesia: ergo inhabiles sunt ad jus Ecclesiasticum (quale est *Juspatr.*) & ad commoda favore Ecclesiæ inde insurgentia, *arg. can. Vidicimus, 31. cau. 24. q. 1.* Tumquia eorum bona omnia sunt confiscata, *arg. c. Cùm secundum Leges, de Hæretic. in 6.* consequenter etiam *Jurispatr.* eis annexum, *c. Accessorium, de R. J. in 6* Et quamvis hæc ratio in Foro Civili non procedat apud Germanos, ubi Hęretici sunt capaces hæreditatis, & immunes à dicta confiscatione, tamen procedit de iis ratio prior. Accedit quòd Ecclesia, & Pontifex numquam consenserit in illa fœdera, & paces, quibus Hæretici eximuntur à confiscatione bonorum, & aliis Juris pœnis; atque in successione & aliis æquales redduntur Catholico. 44

§. III.

De Divisione Jurispatronatus, præsertim in Ecclesiasticum, & Laicale: & Differentia inter utrumque.

SUMMARIUM.

45 Juspatronatus *aliud Activum, alium Passivum.*
46 *Aliud Reale, aliud Personale.*
47 *Aliud Hæreditarium.*
48 *Aliud Gentilitium seu Familiare: & quomodò de hoc constet?*
49 *Aliud Ecclesiasticum: & quale hoc?*
50 *Prius Laicale, posteà donatum Ecclesiæ, fit Ecclesiasticum.*
51 *Aliud Laicale: & quale hoc?*
52 *Aliud mixtum. Quid Juris de eo? Et n. seq.*
54 *Differentia inter Juspatronatus Ecclesiasticum & Laicale. Illud habet sex, hoc verò quatuor menses ad præsentandum.*
55 *Tempus hoc incipit primum à die notitiæ vacationis Beneficii.*
Et qualis notitia esse debeat? Ibid.
Ignorantia præsumitur, ubi scientia non habetur. Ib.
56 *Si debito tempore non fit præsentatio, devolvitur collatio Beneficii ad Episcopum.*
57 *Patronus Ecclesiasticus non potest variare; benè tamen Laicus: quomodò, & quoties? Et duobus n. seqq.*
60 *Ille præsentando indignos perdit jus, non item iste.*
61 *Beneficium Patronatus Ecclesiastici potest conferre, & reservare Legatus à latere: Non item Juspatronatus Laicale.*
62 *Si habetur ex fundatione aut donatione, aliàs secus.*
63 *Per generalem reservationem aut unionem Beneficii à Papa factam derogatur Beneficio Jurispatronatus Ecclesiastici, non item Laicalis.*
64 *Si hoc habetur ex fundatione, aut donatione.*
65 *Parochiæ juspatronatus Clericalis debent necessariò per concursum conferri: non item patronatus laicalis.*

45 QUæritur I. Quomodo dividatur, seu quotuplex sit *Juspatr.* Resp. illud variè dividi. Patet inductione. Nam I. Dividitur in Activum, & Passivum. *Activum* est ipsum Jus, quod Patronus habet præsentandi aliquem ad Beneficium. *Passivum* est jus competens certis aliquibus de familia, vel loco, quòd, si idonei sint, exclusis extraneis per Patronum necessariò debeant præsentari. Barbosa *lib 3. Jur Eccles. univ. c. 12. n. 25.* Monet *de Commut. ultim. volunt. c. 10. n. 200.* Engel *h. t. n 16.* & alii. Verum in præsenti erit tantum sermo de *Activo*, quod suprà definivimus, & de quo hucusque egimus.

46 II. Dividitur *Juspatronatus Activum* in personale, & reale. *Personale* est, quod personæ Patroni independenter à re aliqua, vel loco cohæret, ubicunque tandem existat. *Reale* est, quod alicui certæ rei, vel loco, v. g. Castro, prædio, pago &c. annexum est, & cohæret, & cum eo transit ad quemvis etiam non hæredem, qui rem talem emptione v. g. vel mutuatione, vel donatione acquirit, juxta dicta *à n. 27.* Engel *l. c. n. 17.* cum communi.

47 III. Dividitur in hæreditarium, & gentilitium seu familiare. *Hæreditarium* est, quod transit ad quosvis hæredes etiam extraneos, Barbosa *l. c. 20.* Covarruvias *lib. 2. variar. resol. c. 18. n. 6.* Monet. *loc. c. tap. 11. n. 134* Engel *h. t. n. 15.* & communis, *arg. c. 3 h. t.* Et tale in dubio semper præsumitur esse, nisi ex fundatione, vel aliunde aliter constet, Barbosa *l. c. n. 21.* citans plures Rotæ Decisiones, Loter. *de Benefic lib. 2. q. 11. n. 19.* Abbas *in c. 13 h. t. n. 5.* & communis, eo quòd *juspatronatus* ex natura sua transeat ad quosvis hæredes, per dicta *n. 19.*

48 *Gentilitium*, seu *Familiare* est, in quo tantum illi succedunt, qui sunt de familia & sanguine *Fundatoris*, juxta mentem ejusdem. Ita cum communi Doctores citati: quando autem tale *hæreditarium personale*, vel *reale* sit, potissimum desumi debet ex prima constitutione *jurispatronatus*, & mente *Fundatoris*; utpotè in cujus potestate est, vel omninò remittere *Juspatronatus*, vel illud *hæreditarium*, aut *gentilitium*, vel *reale*, vel *personale* facere, uti cum aliis benè observat Engel *h. t. n. 15.* In dubio tamen, uti dictum, præsumitur *hæreditarium*. Quamvis talis præsumptio elidatur, & econtrà præsumatur *gentilitium*, si in ejus provisionibus sęper fuit habita mentio familiæ, ac descendentiæ, & nunquam hæreditariæ qualitatis, vel quando per centum annos nullus extraneus pręsentavit; cùm ad probandam qualitatem *Juspatronatus*, illud v. g. *gentilitium* esse, leviores sufficiant probationes, eo quòd non agatur de substantia, sed pertinentia hujus juris, uti relatis Decisionibus Rotæ benè observat Barbosa *loc. cit. n. 23. & 24.*

49 IV. Principaliter dividitur in Ecclesiasticum, & sæculare, seu Laicale, & in Mixtum. *Ecclesiasticum* est, quod competit Collegio, aut Communitati Ecclesiasticæ, putà, Capitulo Cathedrali v. g. Collegio, Monasterio, &c. vel personæ Ecclesiasticæ, ratione Ecclesiæ, Dignitatis, aut Beneficii, quod habet. Ita in re communis ac certa Doctorum. *Ecclesiasticum* censetur etiam illud, quod ab initio fuit Laicale seu sæculare, posteà tamen titulo aliquo legitimo, putà, Donatione, Legato, Testamento in Ecclesiam, Monasterium, Collegium, vel Capitulum, vel etiam in personam Ecclesiasticam intuitu Ecclesiæ, Dignitatis, aut Beneficii fuit translatum Barb. *l. c. n. 10.* item *de offic. potest. Episc. alleg. 72. n. 28.* Garc *de Benefic p. 5 c 1. n. 553.* qui ambo plures allegant Decisiones Rotæ Rebuffus *in praxi Tit. de Præsent n. 5. & 7.* Covarruvias *Pract. qq. q. 36. num. 5* & communis aliorum, quod idem etiam in Theologia nostra Morali docuimus, *tr. 11. Dist. 3. q. 2 n. 24* textu claro *c. un. h. t. in 6.* Pariter *Ecclesiasticum* erit, si ex bonis Ecclesiasticis fundatur, datur, aut comparatur. Barbosa *lib. 3. jur. Eccles univ. c. 12. n. 4.* Gonzalez *in Reg 8. Cancellar. Gloss 18. n. 5.* Flamin. Parisius *de Resig. lib. 2. q. 4. n 39.* & alii, Garcias *p. 5. c 1. n. 593.*

50 Infertur proin cum Garcia *l. c. n 555.* Barb. *l. c. n. 9.* quòd *juspatr.* competens Episcopo (idem est de aliis Prælatis, & personis Ecclesiasticis) ratione dominii temporalis, aut rerum ad ecclesiam pertinentium sit Ecclesiasticum, etsi ab initio fuerit Laicale; prout fit, si donatur, legatur &c. Episcopatui, Monasterio, Collegio, Capitulo, Prælaturæ &c. aut personæ Ecclesiasticę intuitu Ecclesiæ, Dignitatis, vel Beneficii, vel si castrum, prædium, villa &c. habens annexum *Juspatr* de bonis Episcopatus emitur, aut pro eis commutatur, ita ut taliter acquisita non ad personam privatam Episcopi, Prælati, Clerici; sed ad Ecclesiam, Capitulum &c. spectet.

Juspatron. laicale est, quod Laico, vel etiam Clerico competit ratione fundationis, ædificationis, aut donationis ex bonis propriis, aut illius, cujus hæres existit vel etiam privilegio, vel præscriptione, aut alio titulo sæculari, v. g. donatione, permutatione, emptione, absque intuitu ecclesię facta, juxta dicta superius *n. 18. & seqq* Doctores citati cum communi. Notandum tamen cum Barbosa *l. c. n. 5.* Lambert. *de jurepatr. lib 1. p. 1. q. 8. a. 7. n. 17.* Rota *decis. 615. n 4. p. 1. Recent* & aliis, quòd si Clericus, de quo non constat, quod habuerit patrimonialia, vel alia quasi talia, fundet, dotet, aut ædificet ecclesiam, censeatur de redditibus ecclesiasticis fecisse, consequenter *Juspatronatus Ecclesiasticum* esse, per dicta *n. præc.* nisi alicubi consuetudo sit, ut cujus Clerici de præfatis bonis testari, & hæredes succedere possint in foro externo; tunc enim in eodem foro etiam *Juspatr. laicale* esse, & ad hæredes laicos transire poterit, ut advertit Garcias *p. 5. c. 1. n. 594.* Verum quia hanc consuetudinem pro foro interno tanquam illicitam & invalidam rejecimus *in Tit. de pecul. Cleric.* ideò etiam inde consequens pro foro interno licitum non reputamus. 51

Juspatronatus mixtum est, quod partim nomine seu ratione ecclesiæ ad clericum, partim titulo sęculari ad Laicum vel etiam clericū pertinet, ac proin ex utroque *mixtum* est: quale esse censetur, si ecclesia ex bonis suis fundet aliam ecclesiam, & eam dotet Laicus. Est in re communis. Hinc juri Ecclesiastico illud est speciale, quòd in particularibus casibus reguletur vel ut Ecclesiasticum, vel ut Laicale; prout exigit qualitas casus magis privilegiati, magisque favens *patronatui*. Covarruv. *Pract qu. c. 36 n. 5.* Fagnan. *in c. cum propter n. 26 & seqq.* cum Glossa communiter recepta *in c. 1 Vers. Ecclesiasticus h. t. in 6.* Ratio est; quia si non privilegiatus in materia individua, seu inseparabili concurrat cum privilegiato, utitur hujus privilegio, *arg. l. Si communem ff. Quemadmodum servitutes amittantur*, ubi hoc conceditur habenti rem communem cum pupillo. Quinimò generaliter in individuis privilegium uni ex sociis concessum, porrigitur ad omnes, juxta Glossam *fin. l. 1. C. de Diversis Rescript.* ac pluribus exemplificat Fagnanus *l. c. n. 53. & seq.* 52

Quod tamen limita in casu, quo *patronus Ecclesiasticus*, & Laicus inter se conveniunt, quòd alternis vicibus pręsentare velint, juxta præscriptum *Clem. 2. h. t* & dicta suprà *n. 23.* quia tunc in casu, quo præsentat *patronus Ecclesiasticus* censebitur *juspatronatus* totaliter *Ecclesiasticum*; consequenter ut tale tractandum: in casu verò, quo *patronus* Laicus præsentat, reputabitur totaliter *laicale*. Barbosa *lib. 3. jur. Ecclesiast. univ c. 12 n. 17.* Jo. Andreas *in c. Cùm illis §. fin. de Præb. in 6.* Ratio est; quia per talem alternativam videtur natura *Mixtorum* esse redacta ad sua simplicia. 53

Quæritur II. In quibus differant inter se *Juspatronatus Ecclesiasticum*, & *Laicale*? Resp. Præter discrimen, quod ex diversa utriusque definitione desumitur, differre in pluribus. Patet inductione. Nam I. Differunt, quòd *patronus Ecclesiasticus* habeat sex menses ad præsentandum, *c. Eam te 22. h. t.* & *c. un. eod. in 6.* Laicus verò tantum quatuor menses, *c 3 & c. Cum propter 27 h. t. & cit. c. un. eod in 6.* ibi: *patronus laicus ad præsentandum habeat quadrimestre duntaxat: Ecclesia tamen, vel monasterium &c. tempus habet semestre.* In *patronatu* tamen *Mixto* habet uterque *patronus* semestre, si simul præsentat, juxta dicta *n 52.* 54

Incipit autem hoc tempus *patrono* currere non à die vacationis Beneficii, sed à die notitiæ vacantis Beneficii, quam habet. Garcias *de Benefic. p 10. cap 2. n 34* citans plures Decisiones Rotæ, Barbosa *de Offic & potest. Episc. alleg. 72. n. 134.* cum communi, *arg. can. Quia diversitatem 5. de Concess præb.* quæ quidem vacantis Beneficii notitia, à qua tempus currere incipit, debet esse certa, 55

nec sufficit dubia, aut testes de auditu, ut proin asserenti, *patronum* habuisse notitiam, probare debeat, & præsumptio sit pro *patrono*. Barbosa *c. allegat. 72. n. 35. & 36.* citans alios, *arg. c. Præsumitur, de R. J.* ibi: *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non habetur.* Porrò non currit tempus *patrono* impedito, Barbosa *l. c. n. 138 & lib. 3. jur. Eccl. univ. c. 12. n. 170.* Rebuffus *de pacific. possess. n. 304.* cum communi *arg. cit. c. 5. de Concess. præb.*

56 Cæterum si intra tempus præfatum, vel ex negligentia, vel quia in præsentando non conveniunt *patroni*, non fit præsentatio, statim elapso eo tempore devolvitur pro ea vice collatio Beneficii ad eum, ad quem pertinet institutio, *arg. can. Eam te 22. & c. Cùm propter 27. h. t.* Barbosa *cit. alleg. 72. n. 141. & 168.* Abbas *in c. Quoniam 3. h. t.* cum communi. Ratio est, ne aliàs ex absentia Rectoris Ecclesia dispendium patiatur, de quo magis infrà. Potest tamen episcopus elapso tempore *patronis* facere gratiam, & tempus ad præsentandum prorogare. Barbosa *l. cit. n. 170.* Castro Palao *p. 2. tract. 13. disp. 2. p. 5. num. 8.* Ricc. *in praxi, resolut. 195. ar. c. 2. de Supplend. neglig. Prælat.* ponderando ℣. *Liceat.* quòd ponit causam in voluntate illius, cui licet. Nec tamen potest Episcopus ultra sex menses prorogare tempus, ut benè ibidem notat Castro Palao *arg. c. 2. de Concess. præb.*

57 II. Differunt, quòd *patronus Ecclesiasticus* præsentato aliquando idoneo non possit amplius variare, seu pro illa vice alium præsentare: quod tamen si fecerit, debet episcopus primò præsentatum instituere, textu claro *can. Cùm autem 5. can. Eum autem 24. & can. Pastoralis 29 h. t.* & ibi DD. communiter. Quod intellige cumulativè, non privativè aut exclusivè, hoc est, potest uni præsentato, alium adhuc præsentandum adjungere, & Episcopo, quem instituere velit, relinquere; non verò potest primum penitus excludere, ut bene docet Fagnanus *in cit. c. Cùm autem h. t. n. 6.* Jo. Andreas *n. 6.* Abbas *n. 2* Anchoranus *n. 3.* Barbosa *n. 2.* & teste Fagnano, Omnis Canonistarum, & Legistarum, *arg. cit. juribus*, ubi hoc ipso, quod Episcopo relinquatur inter plures successivè æquè idoneos præsentatos eligendi libertas, primus à præsentatione non censetur rejici. Ratio autem, cur *patronus laicus* variare possit, & non *Ecclesiasticus*, est, tum quia Præsentatio ab *Ecclesiastico*, utpote nomine Ecclesiæ facta, habet vim Electionis; ut notat Abbas *h. t. num. 3.* Tum quia æquum est, ut qui gravatur in uno, relevetur in alio, *l. Eum qui ff. de jurejur. & Famos. libell.* atqui Laicus gravatur in hoc, quòd tantum habeat quadrimestre ad præsentandum; ergo debet relevari in alio, videlicet, ut possit variare.

58 Ubi tamen illud notandum, quòd, licèt juxta communem *patronus laicus* sæpius quàm semel variare non possit, ut bene notat Fagnan *l. c. n. 8.* & efficaciter probare videtur Calderin. *Consil. 16. An Laicus h. t.* Barbosa *l. c. n. 2.* Garcias *de benefic. p. 5. c. 9. n 214* Roch. *de jurepat. q. 10.* ℣ *Honorificum*, & alii. Tum quia citata Jura loquuntur tantum de duobus successivè, non de pluribus ut *c. cum autem h. t.* ibi *Alium æquè idoneum præsentavit.* Tum quia variatio est odiosa, consequenter restringenda, *a. Clem. Cum illusio de Renunc.* non desunt tamen alii æquè vel magis probabiliter docentes contra communem, quod re adhuc integra Laicus intra quadrimestre cumulativè variare possit, quoties voluerit, ita enim tenet, & probat Castro Palao *p. 2. Tr. 13. disp. 2. p 6. n. 3.* Abbas *in c. Quanto de judic.* & ibi Decius, idem docet Glossa *in Clem. plures &* ℣. *præsentare.* Azorius *p. 2. lib. 6. c. 2. arg. c. Quod autem 5. c. Cum autem 24. h. t. & c. Pastoralis 29. h. t.* Ratio est; quia talis cumulativa variatio non odiosa, sed favorabilis est Ecclesiæ, cum, quò plures ei repræsentantur, pinguiorem habeat facultatem eligendi & acquirendi digniorem Rectorem. Ad argumenta in contrarium, & quidem ad primum respondetur, quod licèt *in cit. c. Cum autem*, & aliis *h. t.* tantum nominetur *alius & secundus*, per hoc tamen tertius non excludatur, vel plures. Ad secundum argumentum dicitur, variationem exclusivam esse odiosam, non item cumulativam.

59 Illud satis communiter utriusque sententiæ Doctores concedunt, quòd, si *patronus laicus* prima, vel secunda vice fecit præsentationem nullam, veluti si præsentavit coram non habente potestatem instituendi, possit intra quadrimestre tertium præsentare; eò quòd illa præsentatio, quæ de jure fuit nulla, non reputetur. Fagnanus *l. c. n. 9.* quia *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, c. Non præstat. de R. J. in 6.* Idem dicendum putat Fagnanus *l. c. n. 10.* cum Jo. Andrea, & Cardinal. *in c. Cum vos de Offic. Ordin.* Si prima, vel secunda vice ignoranter præsentavit inhabilem, seu indignum. Porrò quid Juris competat Episcopo, si plures successivè præsentantur, dicetur §. *seq. n 94. & seq præsertim 106.*

III. Differunt, quòd si *patronus Ecclesiasticus* scienter 60 præsentet indignum, ea vice sit privatus Jure præsentandi: non item *patronus laicus* saltem probabiliter per dicenda §. *seq. n. 86.*

IV. Differunt, quòd Legatus summi Pontificis possit 61 sibi reservare nondum vacantia Beneficia *jurispatronatus ecclesiastici*, eaque vacantia conferre etiam absque consensu *patroni*; non item Beneficia *jurispatronatus laicalis*, *a. c. Dilectus 6. de Offic. Legat. & c. Cum dilectus 28. h. t.* & ibi Abbas *n. 2.* Barbosa *n. 1.* & DD. communiter. Ratio assignatur *in cit. c. 28. h. t.* videlicet; quia *patronus Ecclesiasticus* subest jurisdictioni Legati Pontificii, non item *patronus laicus*. Quòd si *juspatronatus* est *mixtum*, nec reservare, nec conferre Beneficium potest Legatus; eò quòd *patronus Clericus* communicet cum privilegio *patroni laici*, juxta dicta *n. 52.*

Limitatur tamen hæc differentia in casu, quo *patronus laicus juspatronatus* non ex Dotatione, Fundatione 62 aut Constitutione Ecclesiæ, sed ex privilegio tantum, aut Præscriptione habet, quia tunc Legatus illius Beneficium æquè ac *juspatronatus* conferre potest, Barbosa *l. c.* Sanchez *lib. 7. Moral. c. 29. n. 169.* ob rationem infra *n. seq.* allegandam. Porrò circa reservationem Beneficiorum usus non est in Germania ob concordata, uti benè advertit Pirhing *h. t. n. 136.*

V. Differunt, quòd simplici concessione, unione, aut 63 reservatione alicujus Beneficii per Papam ipsum facta, derogetur Beneficio *Jurispatr. Ecclesiastici*, non item *Laici*, nisi specialiter id Papa exprimat. Fagnan. *in c. Quoniam, 3. h. t. n. 10.* Hostiensis *in c. Dilectus n. 5. de Offic. Legat.* & late Gonzalez *in Reg. 8. Cancellar. à n. 2.* ubi ostendit, quòd sub reservatione per Regulam Cancellariæ non comprehendantur Beneficia *jurispatr. laicalis*, Pirhing *h. t. n. 133.* post Glossam communiter receptam *in Clem. 2. de Præb.* ℣. *Apostolicis*: dummodò *patroni Laici* ex Fundatione, Dotatione, aut Ædificatione *juspatron.* habent. Ratio est; quòd licèt possit Papa ex plenitudine potestatis derogare etiam *jurispatron. Laicorum*, ut fatentur omnes, *ar. c. 2. de præb. in 6.* tamen id facere non intendat, nisi exprimat, ne Laici retrahantur à fundandis, extruendis, & dotandis Ecclesiis, uti communiter notant DD. Et quia *patronorum jura tollere, piasque Fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est*, ut dicit Concilium Trid. *Sess. 25. de Reform. c. 9.*

Quoniam verò hæc ratio locum non habet in *jurepatr.* 64 *laicalis*, quod non ex Fundatione, Ædificatione, aut Dotatione, sed ex Privilegio, aut Præscriptione fuit primitus acquisitum, ideò eidem etiam derogatum censetur per Papæ Generalem clausulam, *Ad cujuscunque patroni præsentationem pertineat*; prout in simili diximus de Legato Papæ supra *n. 62.* Glossa *in c. Cum dilectus 28.* communiter recepta ℣. *Quempiam.*

VI. Differunt, quòd ad Parochias *Jurispatr. Laicalis* 65 extra concursum à Concil. Trid. *Sess. 24. de Reform. c. 18.* præsentari à *Patrono* quis possit, & præsentatus admitti debeat; dummodò à Deputatis pro examine aliàs concurrentium reperiatur idoneus, etsi dignior non sit. Ita Concil. Trid. *l. c.* ibi post medium: *Quòd si Juspatr. Laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem Deputatis, ut suprà, examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit admitti.* Econtrà verò de Parochia *Jurispatron. Ecclesiastici* non nisi talis præsentari possit, qui fuit in concursu, ibique repertus dignior. Ita quidem, ut si *institutio ad Episcopum, & non ad alium pertineat; is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur. Cum verò institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat.* Ita Concilium *l. c.* de quo vide etiam dicta suprà *Tit. de præb. §. 5.*

§. IV.

De Jure præsentandi: ac de ipsa Præsentatione: ubi etiam de casu, quo litigant, aut discordant Patroni.

SUMMARIUM.

66 *Patrono competunt plura jura: & quæ?*
67 *Præsentatus à patrono idoneus debet necessario admitti.*
68 *Limitatur in Ecclesia Cõventuali, ubi est electio Prælati.*
69 *Beneficium patronatum sine consensu Patroni licite conferre nemo potest.*
70 *Si confertur nihilominus ab Episcopo valida est collatio, nisi Patronus contradicat.*
71 *Patronus debet præsentare dignum, & tempore præsentationis habilem.*
72 *Non potest seipsum præsentare, etiam per Procuratorẽ.*
73 *Potest tamen acceptare collationem sibi factam, & rogare, ut ei conferatur.*
74 *Si plures sunt Patroni, possunt unum ex seipsis præsentare.*
75 *Possunt etiam præsentare filium, aut consanguineum alium.*
76 *Pater & filius censentur una persona in Jure; non attenditur in spiritualibus.*
77 *Ad Beneficium Curatum, Parochiam v. g. debet præsentari dignior non tantùm à Patrono Ecclesiastico.*
78 *Sed etiam Laicali.*
79 *Solvitur instantia.*
80 *Et probatur ex Jure Divino.*
81 *Præsentatio digni omisso digniori ad Beneficium Curatum est valida, sed non licita.*
82 *Ad Beneficium verò simplex etiam licita est.*
83 *Patronus Ecclesiasticus scienter præsentans indignum ea vice privatur jure præsentandi.*
84 *Secùs si ignoranter.*
85 *Patronus Laicus ignoranter præsentans indignum, non privatur jure.*
86 *Neque si scienter id facit, secundùm aliquos.*
87 *Contrarium tamen probabilius est. Et n. seqq.*
89 *Solvuntur argumenta contraria.*
90 *Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet.*
91 *Si communitati competit jus præsentandi requiritur, ut omnes citentur, & præsentatus habeat majora.*
92 *Si pluribus ut singulis competit jus, sufficiunt plura vota respectu aliorum præsentatorum, nec requiritur, ut Patroni personaliter citentur.*
93 *Dummodo sit dignus.*
94 *Quid Juris, si plures à pluribus præsentati in votis sint pares? Et duobus n seq.*
97 *Et quid, si discordant in præsentando? Et n. seq.*
99 *Si Patroni litigant super Juspatronatus, & litem non finiunt intra Juris terminum, libere confert Ordinarius.*
100 *Nisi aliquis sit in possessione, tam talis præsentatio esset admittenda.*
101 *Si ante institutionem liquido non constat, eum male possidere.*
102 *Possessori præfato non obstat Concilium Tridentinum.*
103 *Durante lite inter Episcopum & Patronum, non potest Episcopus conferre Beneficium, sed debet instituere Oeconomum.*
104 *Nisi sit in possessione.*
105 *Pariter conferre non potest existente lite inter Patronum, & præsentatum, vel inter ipsos præsentatos.*
106 *Si plures æque digni præsentantur ab eodem Patrono potest Episcopus instituere quem vult.*
107 *Si non sunt æqualiter digni, tenetur instituere digniorẽ.*
108 *Quis sit dignior? Remissivè.*
109 *De tempore Præsentationis. Remissivè.*

66 PLura, præsertim verò quatuor jura competunt *Patrono* ratione *Jurispatronatus*, quæ habentur, *cap. Nobis 25. h. t.* & enarrantur à Glossa ibidem per notos illos versiculos.

Patrono debetur honos, onus, utilitasque.
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

In præsenti parag. examinabimus solummodo unum jus, quod habet, præsentandi nempe Clericum ad Beneficium: & ipsam præsentationem. Reliqua ipsius jura, sicut & onera ejusdem sequenti parag. ventilabimus.

Quæritur I. Qualiter *Patrono* competat Jus præsentandi? Resp. I. Id ei taliter competere, ut si Clericum idoneum præsentet, Episcopus, vel alius, ad quem institutio spectat, eum admittere, & in Beneficio instituere teneatur. Communis ac certa, *arg. c. Nobis & toto Titulo de Jurepatronatus*, patetque ex dictis *Lib. 1. Tit. 6 nu. 248.* 67

Limitatur tamen in Ecclesia Conventuali (cujus nomine venit quævis Ecclesia, ubi plures convenientes jus habent eligendi Prælatum. Barbosa *lib. 3. jur. Eccles. univ. cap. 12. nu. 180.* sive Regularis sit, sive sæcularis. Fagnanus *in c. Nobis 25 h. t. nu 14.*) ibi enim, etsi *Patronata* existat, electio Prælati ad Capitulum spectat, nisi cum consensu summi Pontificis *patronus* jus præsentandi Prælatum expresse sibi reservarit, aut aliunde per consuetudinem, aut præscriptionem acquisierit. Fagnanus *loc. cit.* Barbosa *loc cit. & in c. Nobis, h. t. nu. 3.* atque *ibid.* Abbas *nu. 9.* Engel *h. t. nu. 4.* textus est *in cit. c. Nobis 25. h. t.* ubi tamen additur, ut post electionem factam requiratur *patroni* consensus; non quasi necessarius foret pro valore electionis, aut confirmationis, sed honestatis gratia. & ut Patrono exhibeatur reverentia, simulque per intimationem electionis factam præbeatur facultas contra electionem, vel electum coram Ordinario opponendi, si quid de Jure in contrarium habet, ut pluribus demonstrat Barbosa *cit. l. 3. jur. Eccles. univ. cap. 12. nu. 181.* atque notat Engel *loc. cit.* & alii, *arg cit. c. 25. h. t.* ponderando verbum *honestius*, contra Glossam *ibid.* quia licet *patronus* electionem personæ idoneæ irritare non possit, *arg c. Cùm terra de elect.* potest tamen contra eam excipere, si videtur minus idonea, ut bene notat Glossa *loc. cit.* ℣. *Hos honestius.* 68

Resp. II. Jus præsentandi *Patrono*, vel *patronis* (si plures sint) solis ita competit, ut nulla collatio sine eorum consensu fieri queat, *arg. c. Insinuante 14* & ibi Barbosa *n. 1.* Abbas *n. 1. & 3.* Anchoranus, Joan. Andreas. & DD. communiter, nisi Papa aliter reservando, vel conferendo expresse disponat, juxta *nu. 63.* vel Legatus illius in Beneficio *patronato* Ecclesiastico, juxta dicta *nu. 61.* vel *patroni* tempus suum elabi sinant, juxta dicta *n. 56.* aut præsentent indignum, aut discordent, juxta dicenda *nu. 83. & seqq.* 69

Porrò quamvis Doctores citati, & alii communiter asserant, collationem Beneficii *patronati* absque consensu *patroni* extra casus limitationum positarum, ab Episcopo v. g. factam esse ipso Jure irritam & nullam, *arg. citatis Juribus, & can. Decernimus 32. caus. 16. q 7.* ibi: *Quod si spretis eisdem Fundatoribus Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam suam alios in eorum loco, quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint, ordinari.* Nihilominus satis probabilis est sententia, eam non ipso Jure esse irritam, sed primum irritandam, si *patronus* contradicat: ita namque & Doctores, & textum Juris intelligendos esse, ait Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 72. n. 107.* Gonzalez *ad reg. Cancell. 8. Gloss. 56. n. 78. & seqq.* Garcias *de Benefic. par. 5. cap 9. n. 232.* & latè Moneta *de Com. ult. volunt. cap. 10. n. 365* Abbas *in c. cùm Ecclesia n. 12. de elect.* & alii communiter inde inferentes, quod si *patronus* intra tempus ad præsentandum concessum, ad collationem absque ipsius consensu factam taceat, & non contradicat, ea firma subsistat. 70

Quæritur II. Quos præsentare *Patronus* possit, & debeat? Præsertim an etiam se ipsum præsentare valeat? Resp. I. Ad Beneficium præsentari nullus potest, nisi tempore præsentationis sit dignus, & habilis, id est, habens omnes debitas qualitates, & carens qualitate inhabilem, aut indignum reddente. Communis, *arg. toto Tit. præsenti.* Quapropter invalida & nulla est præsentatio, si præsentatur illegitimus, irregularis, excommunicatus, servus, carens sufficiente ætate, Laicus; quia hi omnes vel carent qualitate requisita, vel infecti sunt inhabilitatis nota, juxta dicta *Tit de Præb.* item *Tit. 14 De* 71

Ætate, qualit. & ordin. Præfic. nec non *tit. 6. de Elect. §. 9.* & paucis demonstrat Barbosa *de Offic. & potest. episc. alleg. 72. nu. 72. & seqq.* Nec sufficit, quod brevi post præsentationem, & quidem ante institutionem adhuc habilitetur, v. gr. ætatem acquirat, Clericus fiat, ab excommunicatione solvatur &c. Barbosa *loc. cit. n. 77. & 78.* Castro Palao *par. 2. tr. 13. disp. 2. pun. 7. n. 1.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. Gloss. 2. n. 66.* & alii. Ratio est; quia in Beneficiis attenditur capacitas tempore præsentationis, cùm per eam statim acquiratur *jus ad rem*, *arg. Ecclesiæ S. Mariæ de Constit.* Quid Juris autem, si *Patronus* præsentet indignum dicetur infrà *n. 83. & seq.*

72 Resp. II. Nullus *Patronus*, etsi sit Clericus, ac dignissimus se ipsum præsentare potest ad Beneficium, textu claro *c. fin. de Instit. & c. Per nostras 26. h. t.* & ibi Abbas, Jo. Andreas, Anchoranus, Innocentius, Barbosa cum communi & certa aliorum. Ratio est: tum quia præsentatio sui ipsius sapit vitium ambitionis, uti innuitur *cit. c. 2. h. t.* tum quia *inter dantem & accipientem debet esse distinctio*, ut dicitur *cit. c. fin. de Inst.* Imò nec potest Patronus per Procuratorem ad præsentandum à se constitutum præsentari, Barbosa *loc. cit. nu. 3.* item *de Offic. & potest. Episc. alleg. 72. n. 87.* Castro Palao *loc. cit. n. 2.* Flamin. Parisios *de resign. lib. 9. q. 17. n. 113.* Ratio est; quod virtualiter seipsum præsentare censeretur; quia, *quod quis facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum*, *c. Qui facit 72. de R. I. in 6.* Et à fortiori nequit Procurator ad præsentandum constitutus seipsum præsentare: Doctores citati, per Jura & rationes allegatas.

73 Potest tamen *Patronus* acceptare Beneficium, si hoc eidem absque prævia præsentatione sui ipsius, motu proprio confert Episcop. vel alius instituendi jus habens, Castro Palao *loc. cit.* Sylvester *§. Patronatus qu. 7.* Pirhing *h. t. n. 91.* Barbosa *loc. cit. n. 90.* Abbas *in c. Per nostras 26. h. t. n. 31.* Ratio est; quia in tali casu nec præsentat seipsum, non ingerit seipsum in Beneficium, nec habet collatio originem à seipso, sed oblatum ab alio nude acceptat, & in collationem consentit; collatio autem Beneficii *patronati* cum consensu *Patroni*, sine ejusdem præsentatione facta, valet, per dicta *n. 70.* Imò potest *Patronus* etiam rogare Episcopum, ut Beneficium ipsi conferat, potestque Episcopus ei gratificare, si dignum invenerit. Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. un. cap. 12. n. 199.* citans Rotam *in cit. c. per nostras h. t. n. 5.* & ibi Abbas *n. 4.* Pirhing *h. t. n. 91.* Zerola *in praxi Episc. par. 1. §. 21.* Ratio est, quæ prior. Neque enim, quod ipse roget, se ingerere dicendus est; alias nemo pro Beneficio rogare posset.

74 Resp. III. Si plures sunt *patroni*, potest unus præsentare alterum, si est habilis. Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 72. num. 91.* citans Rotam, Tuschus *L. P. Conclus. 595.* Castro Palao *loc. cit. nu. 3.* Azorius *par. 2. lib. 6. cap. 21. q. 3.* cum Glossa *fin.* communiter recepta, *in c. Consuluit. 15. h. t. arg. can. Congreg. caus. 16. q. 7. c. cùm in Jure c. Ne pro defectu & c. Quod propter. de elect.* ubi eligentibus permittitur unum ex se eligere. Ratio est, quæ in *præced. n.*

75 Resp. IV. Potest *Patronus* præsentare filium, aut alium consanguineum, vel conjunctum. Barbosa *loc. cit. n. 94.* Azorius *loc. cit. q. 2.* Palao *loc. cit. n. 4.* Engel *h. t. n. 3.* Abbas *in c. Consuluit.* & ibi Glossa *V. propria authoritate*. Ratio est: tum quia nullibi prohibetur in Jure, cùm *cit. c. Consuluit. h. t.* ubi prohibitio adesse videri posset, tantùm prohibeatur, ne quis *patronus* filio suo conferat Beneficium, non item, ne præsentet illud. Tum quia filii & consanguinei ipsius *patroni* non debent esse deterioris conditionis, quam alii; ne alias *Jus patronatus*, quod in favorem Fundatoris introductum est, in eorum odium retorqueatur, contra *reg. 61. de R. I. in 6.* ibi: *Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*

76 Dices. Pater, & Filius in Jure censentur una persona, *l. fin. C. de Impub. & aliis substit.* ergo præsentando filium censetur præsentare seipsum, quod non licet juxta dicta *nu. 72.* Accedit, quod quidquid acquirit filius, acquirat patri, saltem hodie quoad usumfructum *§. 1. Instit. Per quas personas nobis acquiri*; ergo. Resp. Censeri quidem patrem, & filium fictione Juris unam personam in aliquibus casibus, non item in spiritualibus, in quibus attenditur veritas, juxta quam revera sunt diversæ personæ, ut bene respondet Abbas *loc. cit. nu. 3.* Neque etiam in spiritualibus, quod acquirit filius, acquiritur patri; nam in his filiis non est cura de patria potestate, *arg. c. Si annum de judic. in 6.*

77 Quæritur II. An *patroni* teneantur præsentare digniorem, vel sufficiat præsentare dignum? Resp. I. Distinguendum esse inter Beneficium *Curatum*, & *simplex*, nec non inter *Patronum Ecclesiasticum*, & *sæcularem*. Et quidem *patronus Ecclesiasticus* graviter obligatur ad Beneficium *Curatum*, Parochiam v. g. præsentare illum, quem cognovit digniorem, sive in, sive extra concursum fiat præsentatio. Covarruvias *in reg. peccatum §. 7. à nu. 4.* Guttierez *lib. 2. can. 97. cap. 11. n. 24.* Federicus de Senis *Consil. 95.* Lessius *lib. 2. cap. 34. n. 62.* Sanchez *l. 2. consil. cap. 1. dub. 5. n. 3.* & novissime Carden. *in proposit. damn. disp. 28. n. 21. & 38.* cum communi aliorum. Et quia hanc Conclusionem late probavimus *lib. 1. tit. 6. de elect. §. 10. à n. 241.* ideò Lectorem illuc remittimus.

78 Resp. II. Quamvis non desint docentes, *patronum Laicum* graviter non obligari, ut ad parochiam præsentent digniorem; inter quos est Castro Palao *par. 2. tr. 13. disp. 2. pun. 7. n. 4.* Garcias *de Benefic. par. 7. c. 16. n. 19.* & alii; tamen probabilior, & meritò tenenda est sententia dicens, etiam *patronos Laicos* graviter obligari, ut præsentent digniorem ad Beneficium. Ita DD. *n. præced.* citati; utpote qui indistincte docent, quemvis *Patronum* teneri præsentare digniorem: & quidem Guttierez cum Covarruvia dicere non dubitat, contrariam sententiam esse falsam. Fundamentum est; quia rationes quoad *Patronos Ecclesiasticos lib. 1. tit. 6. §. 10. à n. 241.* allatæ, etiam militant in *patronis Laicis*, ut legenti patet: atqui ubi eadem est ratio, eadem est Legis dispositio, ut amplius dictum *lib. 1. tit. 2. de Const. §. 16. à n. 386.* Confirmatur ex Concilio Trident. *Sess. 24. de reform. c. 1.* ubi expressè asserit, *Omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque jus N. B. quacunque ratione N. B. à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam præstant N. B. alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint*; atqui *patroni Laici* æque ac *Ecclesiastici* vel maxime operam præstant in præficiendis Parochis, cùm, ut suprà *n. 97* dictum, præsentatus ab eis, etsi non dignior, necessariò admitti, & institui debeat; ergo.

79 Nec dicas, Concilium ibidem tantùm loqui de Episcopis, & Cardinalibus, hoc enim jam solutum est suprà *cit. lib. 1. tit. 6. §. 10. n. 241.* præterquam quod ipsi Adversarii Dispositionem Trid. allegent, dum probant, quod *patroni Ecclesiastici* teneantur præsentare Parochum digniorem, ut videre est apud Palao *loc. cit.* & Garciam *loc. cit.* Si dicis, plerosque dari *patronos Laicos* non à Sede Apostolica, sed ratione *donationis, fundationis* &c. habere *jus præsentandi*, consequenter saltem hoc non subjacere Dispositioni Trid. Contra est; tum quia etiam isti non nisi à Sede Apostolica per generalem concessionem Juri communi insertam *Jus patronatus* habent, uti concedunt ipsi Adversarii. Tum quia expresse dicit, & declarat Concilium *loc. cit.* non tantum eos, qui *à Sede Apostolica quodcunque jus, quacunque ratione promovendi* habent, sed etiam omnes & singulos, qui *alioquin operam præstant*, ut legenti patet; quales vel maximè sunt *patroni Laici* juxta dicta *n. præced.* ergo.

80 Accedit, quod obligatio promovendi digniores non tantum Jure positivo, sed etiam Divino, vel ex justitia, vel charitate obligante oriatur, uti communiter concedunt DD. eò *quod minùs dignum promoventes communicent peccatis alienis*; sive non impediant multa, & gravia peccata Parochianorum, quæ per promotionem Parochi dignioris facile impedire possent, consequenter vel ex justitia, vel vi officii *patroni*, vel saltem ex charitate, aut fidelitate tenerentur. Quam obligationem Concilium Trident *loc. cit.* bene agnoscens, apertè dicit, se circa obligationem promoventium nihil innovare, nec condere Legem novam, & tamen subjungit (declarative nempe) eos mortaliter peccare (contra Jus scilicet Divinum) qui digniorem non promovent; ergo.

81 Instabis. Concilium Trident. ipsum *Sess. 24. de refor. cap. 18.* insinuare videtur, *patronos Laicos* satisfacere, si dignos, etsi non digniores præsentes, eò ipso, quod ibi præcipiat, ut, si hi idoneum præsentent, eum Ordinarius admittat. Resp. Per hoc solummodò probari, quod sit valida, & consequenter necessariò admittenda præsentatio digni relicto digniore (quod nos ipsi fatemur) non item, quod sit licita, alias enim manifeste sequeretur, quod etiam *Patroni Ecclesiastici* licitè præsentarent, imò Episcopi licitè conferrent Parochias (quod est contra omnes Adversarios) etiam non *patronatas*, eò quòd idem Concilium Tridentinum *Sess. 7. de refor. cap. 3.* universaliter ordinet, ut *si Beneficia simplicia, vel Curata personis dignis, & habilibus* (nulla facta mentione de dignioribus) *conferuntur*, admitti debeant.

82 Resp. III. Regulariter loquendo, nec *Ecclesiastici*, nec *Laici Patroni* graviter obligantur, digniorem præsentare ad Beneficia *simplicia*, seu non *Curata*. Hæc Conclusio probata jam existit *cit. lib. 1. tit. 6. §. 10. n. 247.* ubi vide.

83 Quæritur IV. Quid Juris, si Patroni præsentent omninò indignum, aut inhabilem? Resp. I. Esse distinguendum inter *Patronum Ecclesiasticum*, & *Laicum*. Nam si *Ecclesiasticus Patronus* scienter præsentat indignum præter peccatum, quod committit, privatur ea vice jure præsentandi, & devolvitur potestas libere conferendi ad Episcopum, vel alium, qui jus instituendi habet. Fagnanus *in c. cùm vos 4. de Offic. Ordin. n. 27. & seq.* ac *ibid.* Abbas *n. 6.* Barbos. *de Offic. & potest. Episc. alleg. 72. n. 105.* Pirhing *h. t. n. 104.* Sylvester *V. Juspatronatus q. 7. dict. 2.* Layman *lib. 4. tr. 2. cap. 13. n. 7.* Azorius *par. 2. lib. 6. cap. 22. q. 6.* cum communissima aliorum, *arg. cap. 2. in fine, de Neglig. Prælat.* & ibi *Gloss. fin.* Ratio est; quia cùm præsentatio à *Patrono Ecclesiastico* habeat vim Electionis, utpote nomine Ecclesiæ facta, ut benè notat post Innocentium Abbas *in c. cùm autem 24. h. t. n. 3.* in puncto Electionis autem eligentes scienter indignum priventur ea vice jure eligendi, *c. cùm in cunctis §. penult. & c. Innotuit. de Elect. & c. Quamquam eod. in 6.* idem *de Patronis Ecclesiasticis* scienter indignum præsentantibus dicendum erit.

84 Si verò ignoranter præsentavit indignum, non privatur jure suo, sed præsentatione per Ordinarium rejecta habebit novum semestre ad alium præsentandum. Fagnanus *loc. cit. n. 32.* Abbas *loc. cit. n. 5.* & ibi Jo. Andreas *n. 13.* Lambert. *de Jurepatronatus par. 1. lib. 2. q. 10. a. 4. n. 15.* eoque teste DD communiter, ita ut excepto Cardinal. nullus discrepet, *arg. c. Si Electio 26. in 6.* ubi Juris terminus ad eligendum de novo conceditur, casu quo eligentes ignoranter elegerint indignum, cujus electio ob vitium occultum cassetur. Et meritò; quia in tali casu *Patronus* est sine culpa, sine qua nemo est privandus jure suo, *c. 23. de R. I. in 6.* Limitat tamen hoc bene Fagnanus *loc. cit.* si ignorantia fuit crassa vel supina, *arg. c. Innotuit. 20. de Elect.* & ibi Glossa *verb. Ignorantiam* eò quod hæc à culpa non excuset, per vulgata.

85 Resp. II. Si *Patronus Laicus* ignoranter præsentat indignum, certum est, quod non privetur jure suo, sed possit variare. Fagnanus *loc. cit. n. 33.* eoque teste Omnes, *arg. cap. cùm vos, de Offic. Ordin.* Si enim *Patronus Ecclesiasticus* ignoranter præsentans indignum, non privatur jure suo, multò minùs privabitur *Laicus*, utpote cui Jura in hoc puncto magis favent, quam illi. Unde si cognoscit Ordinarius *Patronum* Laicum ignoranter procedere, debet eum monere, ut alium præsentet. Quod si monitus alium intra Juris terminum præsentare negligit, Episcopus providebit. Et in hoc non est inter DD. aliqua controversia: bene verò, & quidem maxima controversia existit, an in casu, quo *Patronus Laicus* scienter præsentavit indignum, ea vice sit privatus jure suo, vel possit alium præsentare? Ad quam

86 Resp. III. Quamvis probabilis sit sententia dicens, quod *Patronus Laicus* scienter præsentans indignum, seu inhabilem, ea vice nec privatus, nec privandus sit jure præsentandi; tamen sententia contra asserens, *Patronum* etiam Laicum esse privatum præsentandi jure, hocque statim devolvi ad Ordinarium, probabilior Jurique conformior videtur. Prima pars docetur à Glossa *in cap. cùm vos 4. de Offic. Judic. Ordin. V. Minus idoneæ*, & ibidem laté Fagnanus *à n. 33.* Imola *n. 5.* Anchoranus *n. 4.* Pirhing *h. t. n. 104.* *vos 4. de Offic. Judic. Ordin.* ubi habetur, quod, licet *Patronus Laicus* præsentarit indignum, jus præsentandi non devolvatur ad Episcopum, sed tantùm potestas constituendi Oeconomum. Ratio est: tum quia *Laicus Patronus* potest variare, dum præsentat idoneum, *arg. cap. cùm autem h. t.* ergo multò magis, si præsentat indignum; eo quòd variatio præcipue concedatur à Jure quando actus est illicitus, ut notat Joan. Andreas *in cit. cap. cùm vos de Offic. Ordin. arg. cap. Nosti de elect. & cap. Diversis Fallaciis, de Clericis conjug.* Tum quia in puncto Jurispatronatus mitius agendum cum *Laicis*, quam *Clericis*. Tum quia nulli expresse reperitur in Jure hæc pœna *Patronos Laicos* indignum præsentantes privans jure præsentandi.

87 Secundam verò partem tenent Abbas *in cit. cap. Cùm vos n. 5.* ubi ait, hanc sententiam esse verissimam, & allegat Doctores de Rota *decis. 205.* & alias repetitis vicibus tenuit Rota teste Fagnano *loc. cit. n. 39.* Angel. Aretin. *Consil. 99.* Jo. Lignan. *in Clem. 1. h. t.* Gemin. *in cap. 1. de præb. in 6.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 72. nu. 105.* ubi plures citat, & alii à Fagnano citati. Probatur ex *Constit. Novell. 123. de Sanctissimis episc. cap. Si quis Oratorii 18.* ubi expresse statuitur, quod si *Patroni Laici* præsentent indignos, *tunc Sanctissimus Episcopus, quoscunque putaverit meliores, ordinari procuret.* Concordat *Novell. 131. cap. 10. Si quis ædificationem* item *l. Cùm quidam ita, ff. de Legat. 2.* & ibi Glossa, ubi probatur eum, qui electionem ex dispositione Temporis habet, privari potestate eligendi, si eligit indignum.

88 Ratio autem est; quia quandoque alicui ex privilegio & gratia competit potestas eligendi, vel postulandi, si scienter eligit, vel postulat indignum, perdit ea vice potestatem sibi competentem, *cap. Gratum de Postulat.* atqui *Patroni* habent potestatem eligendi, vel postulandi ex gratia; ergo. Confirmatur. Illi, qui Jure communi habent potestatem eligendi, vel conferendi Beneficium, ipso facto privantur jure suo, si eligunt indignum. *cap. cùm in cunctis §. fin. de elect.* ergo multò magis *Patroni*, utpote ex sola gratia habentes *cit. cap. 3. h. t.* cùm Jus commune difficilius tollatur, quam privilegium, *l. Ejus militis §. Militia ff. De Militar. Testam.*

89 Ad fundamenta primæ sententiæ. & quidem *ad c. cùm vos de Offic. Ordin.* Respondetur cum Abbate *loc. cit.* Illud loqui de casu, quo *Laicus* ignoranter præsentavit; neque hoc est divinare, ut dicit Fagnanus *loc. cit. n. 46.* sed Jura Juribus concordare, quod pro possibili fieri oportet *c. cùm expediat. 29. de elect.* Ad rationem dico, posse *Patronum Laicum* variare, si idoneum, vel ignoranter indignum præsentavit; secùs si scienter indignum. Nec obstat, quod variatio circa indignum facilius admittatur, quam circa dignum; respondetur enim, id procedere nisi in pœnam variatio auferatur, & alii committatur, ut hic. Ad secundam rationem respondetur, mitiùs esse agendum cum *Patrono Laico*, nisi scienter, & deliberate delinquat, & pœnam mereatur, ut hic. Ad ultimum negatur, in Jure non reperiri pœnam privantem *Patronos* scienter præsentantes indignum, per dicta *n. præced.*

90 Illud certius est, & communiter concedunt utriusque sententiæ Doctores, quòd si *Patronus Laicus* scienter præsentet indignum, & intra Juris terminum non variet, seu alium non præsentet, libera collatio devolvatur ad Episcopum, qui proin in casu exspectare potest, donec terminus elabatur, eoque elapso alicui alteri Beneficium pro libitu conferre. Joan. Andreas *in c. Cùm vos, de Offic. Ordin. n. 12.* & ibi Butr. *n. 13.* Ratio est, quia præsentare indignum, idem est, ac nullum præsentare, *arg. c. 2. de Translat. Episc. & c. de Clerico non resident.* atqui si intra Juris terminum, quadrimestre nempe nullus præsentatur, liberè confert Ordinarius, *c. un. h. t. in 6.* ergo. Nec tenetur Episcopus prius monere Patronum de indigno electo, hoc ipso, quòd id jam sciat, utpote scienter, ut supponitur, eum præsentans: Nam *eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet, c. Eam, 31. de R. J. in 6.*

91 Quæritur V. Quomodò fieri debeat præsentatio? & cujus præferenda sit, si plures sint Patroni, & plures ab eis præsententur? Resp. I. Si plures sunt *Patroni* per modum unius, ita ut unum corpus constituant, prout fit, in Collegio, Capitulo, aut alia Communitate jus habente, tunc necessariò omnes vocandi ac citandi sunt, adeò, ut si unus tantum negligatur, aut spernatur, *Præsentatio* sit nulla, etsi à reliquis omnibus concorditer fuerit præsentatus. Joan. Andreas *in cap. Quoniam, 3. h. t. n. 4.* Castro Palao *p. 2. tr. 13. disp. 2. punct. 8. n. 2.* Sylvester *Vers. Juspatron. quæst. 11. n. 28.* Lessius *lib. 2. cap. 34. n. 54.* cum communi, *arg. cap. Quod sicut, & cap. Bonæ, 36. de elect.* Vocatis autem,

autem, & citatis singulis debet præsentatus habere majora votantium vota, quæ si non habet, præsentatio erit nulla. Castro Palao *loc. cit.* Joan. Andreas *loc. cit. n.* 3. & ibi Fagnanus *nu.* 13. Abbas *n.* 13. Azorius, *arg. c. Ecclesia vestra* 48. *de elect.* Ratio est; quia alias non erit verum, quod Collegium, cui *Juspatronatus* competit, præsentarit, ut tamen requiritur.

92 Resp. II. Si Jus præsentandi competit pluribus, non ut Communitati, sed ut singulis, ac seorsim sumptis, sufficit, si præsentatus habeat plura, seu majora vota respectu aliorum præsentatorum, licet non habeat majora, sive ultra dimidium respectu omnium *Patronorum*, *arg. can. Quoniam* 3. *h. t.* & ibi Fagnanus *nu.* 13. Castro Palao *loc. cit. n.* 4. Rota *decis.* 568. *n.* 2. apud Farin. *par.* 1. *recent.* & communissima aliorum, v. g. Si octo sunt *Patroni*, quorum tres præsentant Titium, duo Cajum, reliqui tres singuli alium distinctum, valebit præsentatio per tres de Titio facta; dummodo Titius sit dignus, etsi præsentati ab aliis sint digniores, Fagnanus *loc. cit. n.* 15. Barbosa *loc. cit. n.* 4. Lambert. de Jurepatronatus, *lib.* 2. *quæst.* 4. *art.* 2. & 3. & cum Glossa communiter recepta *in cit. cap. Quoniam* 3. *h. t.* ℣. *Majoribus*. Ratio est; quia juxta dicta superiùs, etsi non semper licita, tamen semper valida est præsentatio digni omisso digniore. Porrò non est necesse in tali casu, ut omnes personaliter citentur, uti in *præced. n.* casu, sed sufficit, si Patroni aliunde sufficientem notitiam vacantis Beneficii habeant; tunc enim nullus repellitur, & contemnitur à *Compatronis*, sed quivis se ipsum repellit, non præsentat, ut bene advertit Castro Palao.

93 Dicitùr notanter, *si sit dignus*; quia si à majori parte scienter præsentatur aliquis indignus, & à minore parte dignus, hic præferri, & institui debet. Barbosa *in cit. cap. Quoniam* 3. *h. t. n.* 4. citans binas Decisiones Rotæ, Vivianus *de Jurepatron. par.* 2. *lib.* 11. *cap.* 8. *n.* 12. & alii. Ratio est; quia in tali casu totum jus devolvitur ad præsentatum à minore parte.

94 Resp. III. Si duo, vel plures à pluribus *Patronis* præsentati, in votis sint pares, neuter eorum acquirit jus, nec tenetur Episcopus aliquem ex præsentatis, etsi digniorem instituere. Fagnanus *in cap. cùm autem* 24. *h. t. n.* 23. Abbas *ibid. num.* 9. Sylvester *vers. Juspatronatus quæst* 8 Azorius, ac plures alii, contra Jo. Andream *in cap. cùm vos* 24. *h. t. n.* 3. Innocent. *in cap.* 1. *h t. in fine.* Castro Palao *loc. cit* Barbosam *in cap.* 24. *h. t. num.* 8 & plures alios docentes, in tali casu teneri Episcopum unum ex præsentatis instituere, & quidem digniorem, si quis est; si verò æquales sunt meritis, posse pro libitu uni ex illis, non item extraneo gratificare. Nostræ autem Conclusionis ratio est; quia ut præsentatio à pluribus facta sit valida, & præsentatis tribuat jus, debet fieri à majori parte, saltem respectu aliorum præsentatorum, licet non respectu omnium, si *Patroni* non per modum Communitatis præsentant, juxta dicta supra *n.* 92. Tum quia in tali casu *Patroni* reverà discordant: in casu autem discordiæ liberum est Episcopo providere, *arg. cap. Quoniam* 3. *h. t.* ergo:

95 Infertur, quod si plures Patroni Ecclesiastici taliter discordant, æqualia vota dando diversis, jus libere conferendi statim devolvatur ad Episcopum, qui illicò poterit tertio alicui etiam non præsentato conferre Beneficium, hoc ipso, quod *Patroni Ecclesiastici* non possint variare, *cap. Cùm autem* 24 *h. t.* Si verò *patroni Laici* ita discordant, potest, & debet exspectare, donec quadrimestre elabatur, quo elapso, poterit pro libitu vel unum ex præsentatis, vel tertium eligere, eique conferre Beneficium, Fagnanus *loc. cit. n.* 25. & *seq.* Ratio est; quia *patroni Laici*, donec elabatur tempus, possunt variare, per dicta *n.* 57.

96 Nec obstat Conclusioni *cap. Cùm vos* 4. *h. t.* ubi sententia Adversariorum videtur approbari Nam contra est; quod ibi sit sermo de casu, quo unus idemque *patronus* simul & semel, vel successive plures præsentat: non item, quo plures præsentantur à pluribus: quam distinctionem non advertunt Adversarii.

97 Quæritur VI. Quid Juris, si *patroni* in præsentando, vel circa ipsum *Juspatronatus* discordent, & litigent? Ante Responsionem nota, *patronos* variè discordare posse. Resp. I. Si plures per modum unius (ut in Communitate) præsentando discordent, ita tamen, ut unus ex præsentatis habeat majora respectu totius Communitatis, *præsentatio* valet juxta dicta *n.* 91. Si verò nullus in tali sensu habeat majora, sed vota sunt dispersa, vel æqualia, præsentatio erit nulla, juxta dicta *n.* 91. poteritque Episcopus Beneficium illicò conferre cui vult, etiam extraneo non præsentato, juxta dicta *nu.* 94. vel saltem elapso quadrimestri, si Communitas est sæcularis *Juspatronatus* habens.

Resp. II. Si in præsentando discordant *patroni*, quibus singulis separatim sumptis, & non per modum unius competit *Juspatronatus*; & unus ex præsentatis habet majora saltem respectu aliorum præsentatorum, etsi non respectu omnium *patronorum*, ejusdem præsentatio valida est juxta dicta *n.* 92. Si verò plures præsentati in votis sunt pares, nullius præsentatio valebit, sed Episcopus libere conferre poterit, modo quo diximus *n.* 94. & *seqq.* Quæ, licet jam dicta, pro majori claritate compendiose repetere placuit. 98

Resp. III. Si constat, Ecclesiam esse *patronatam*, *patroni* autem discordant, & litigant super ipsa proprietate ac possessione *Jurispatronatus*, vel quasi possessione illius, nullo existente in notoria possessione ejusdem, & litem intra quatuor (si sunt *patroni Laici*) vel sex menses (si sunt *patroni Ecclesiastici*) non finiunt, Beneficium pro ea vice confert Ordinarius, ad quem pertinet institutio. Fagnanus *in cap Quoniam* 3. *h. t. n* 6. Abbas *in cap. Si verò* 12. *h. t. n.* 3. & *in cap. Cùm propter* 27. *eod. n.* 2 Barbosa *in cap. Quoniam* 3 *n.* 6. *in cap Si verò* 12. *n.* 2. & *cap. Cùm propter* 27. *n.* 2. *h. t.* Pirhing *eod. nu.* 111. cum communi, apertis Juribus *cit. cap. Quoniam* 3. *cap. Si verò cap. Eam te cap. Cùm propter* 27. *h. t.* Ratio est; ne Ecclesia propter litem *patronorum* diu destituta Rectore patiatur damnum. Et hæc Conclusio ob claram Juris dispositionem pugnat contra communem illam Regulam, *cap. Nec pro defectu, de elect* quod tempus impedito non currat: ut bene advertunt Abbas, & Fagnanus *loc. cit.* Quod si verò non constat, Ecclesiam esse *patronatam*, potest pendente inter duos *patronos* lite, prout in Conclusione, Episcopus illicò, non exspectato Juris termino conferre Beneficium. Abbas *in cit. cap. Si verò* 12. *h. t. n.* 3 Pirhing *eod. n.* 112. *arg. can. Volumus cauf.* 16. *quæst* 4. 99

Resp. IV. Si uno existente in notoria possessione lis præcise sit super proprietate *Jurispatronatus*, simulque constet Ecclesiam esse *patronatam*, tunc illa præsentatio, quæ fit ab existente in possessione, valida erit; & non obstante lite instigui debet. & firmiter manebit præsentatus ab eo, etsi postea in judicio talis *patronatus* succumbat, textu claro *cap. Consultationibus* 19. *h. t.* & ibi Fagnanus, Abbas, Barbosa, atque Doctores ferè omnes; dummodò talis possessor sit in bona fide. Ratio est; quia posse præsentare, est unus inter fructus *Jurispatronatus*, per dicta suprà *nu.* 66. fructus autem debentur bonæ fidei possessori, *cap. Gravis de restitut. spoliat.* & *l. Bonæ fidei, ff. De Acquirend. rerum dominio.* Attenditur autem ultimus status, seu actus, qui etiam unicus sufficit ad acquirendam quasi possessionem *Jurispatronatus*. Fagnanus *loc. cit. n.* 16. Garcias *par.* 5. *cap.* 5. *n.* 142. Pirhing *h. t. n.* 88. & constat ex dictis supra *n.* 16. Si verò esset in mala fide, invalida foret præsentatio, & etiam jam institutus removeri deberet, quamprimum de ea constiterit. Barbosa *in cit. c Consultationibus* 19. *h. t. n.* 8. Abbas *n.* 4. & Glossa ℣ *Possidebat.* Menochius *consil* 80. *n.* 116. Pirhing *h t n.* 84. Ratio est; quia malæ fidei possessor fructus non facit suos, sed omnes etiam non extantes, seu consumptos debet restituere, *c. Gravis de restit. spoliat.* 100

Limitatur in casu, quo adhuc ante institutionem facta causa deciditur, vel liquido constat, possessorem carere proprietate *jurispatronatus*, tunc enim valebit & præferri debet præsentatio illius, qui proprietatem habet *jurispatronatus*, Abbas *in cit. c.* 19. *h. t. n.* 9. & ibi Barbosa *n.* 3. citans Rotam *decis.* 167. *n.* 9. *p.* 2. *divers.* Pirhing *n.* 85. Ratio est, quia proprietas cognita absorbet causam possessionis, eique prævalet, *c. Cùm dilectus de caus. poss. & propr.* 101

Cæterùm non obstante Conclusioni Concil. Trid *Sess.* 25 *de reform. c.* 9. ordinans, quod ad probandum *juspatronatus* necessariò requiratur vel authenticum documentum, vel possessio immemorialis ex actibus multiplicatis: quia Concilium ibi non loquitur de casu Conclusionis, in quo liquido constat, Ecclesiam esse *patronatam*, & solùm controvertitur inter *patronos* ad quem pertineat: sed de casu, in quo etiam dubium, & controversia est, an Ecclesia à parte rei sit *patronata*, nec ne; tunc enim omni modo tueri intendit libertatem Ecclesiæ, contra quam non admittit probationem nisi ibidem præscriptam, ut benè observat Fagnanus *in cit. c. Consultationibus* 19. *h. t. n.* 16. & latè tradit Garcias *de Benefic. par* 5. *c.* 5. *à n.* 147. 102

103 Quæritur VII. Quid Juris si lis vel controversia non est inter ipsos *patronos*, sed inter *patronum* & Episcopum, vel Ecclesiam, hac contendente se liberam; vel inter *patronum*, & Præsentatos, aut inter præsentatos ipsos? Resp I. Si est controversia inter *patronum* & Episcopum, hoc pugnante pro Ecclesiæ libertate, non currit *patrono* tempus durante lite, adeoque si lis ante quatuor vel sex menses non finiatur, nequit Episcopus aliquem pro libitu instituere, sed debet intereà ponere ecclesiæ Oeconomum, docet lis finiatur. Fagnanus *in c. Quoniam* 3. *h. t. n.* 18. & ibi Abbas *n.* 7. ac Ostiensis *n.* 7. Barb. *de offic. & potest. Episc. alleg* 72. *n.* 141. ℣. *Quintus casus* citans Rotam *decis.* 411. *n.* 3. *par.* 1. *divers.* & *in c. eam te* 22. *h. t.* Zerola, ac plures alii, *arg. c. cùm vos de offic. Ordin.*

104 Limitat tamen Conclusionem meritò Barbosa *in cit. c Eam te h. t. n.* 6. in casu, quo constat, Ecclesiam non esse *patronatam*, vel si Episcopus est in quasi possessione si enim litigantibus inter se *patronis*, præsentatio illius prævalet, qui est in possessione: multo magis deferendum erit Episcopo existenti in possessione eò quòd jus præsentandi *patronis* præcise ex gratia competat, *c* 3 *h. t.* collatio verò Ordinariis de Jure communi, per vulgaria; Jus commune enim difficilius tollitur, quam gratia. aut privilegium, *l. ejus militis §. Militia ff. de Milit. Test am.*

105 Resp. II. Pariter non currit tempus *patronis*, consequenter non potest Episcopus durante ultra quatuor, vel sex menses lite conferre Beneficium, si lis est inter *patronum* & præsentatum, vel inter ipsos præsentatos Fagnanus *loc. cit. n* 19 citans Rotam, Jason Andreas *in c. cùm vos n.* 2. *de offic Ordin.* Abbas *in c. Quoniam h. t. n* 7 Barbosa *de offic & potest. Episc. alleg.* 72. *n.* 41. Castro Palao *par.* 2 *tr* 13 *disp.* 2 *pun.* 2. *n.* 7. cum communi. Ratio est, quia *c Quoniam* 3 *h t.* & alia Jura collationem tempore litis Ordinario tribuentia, loquuntur tantum de casu, quo lis est inter ipsos *patronos*; ergo tanquam odiosa & exorbitantia non sunt extendenda ad casus similes, etsi foret paritas rationis. Per ea, quæ diximus *l.* 1. *Tit. de constit. n.* 421. & *seq.*

106 Quæritur VIII. Quid Juris, & quis institui debeat aut possit, si plures ab unico Patrono præsententur? Nota, hanc quæstionem esse longe diversam à quæstione V posita *n* 91. Resp. I. Si duo, vel plures æquè digni intra quadrimestre à *patrono Laico* præsentantur, liberum est Episcopo, quem velit ex his instituere. Communis ac certa, ob claram juris dispositionem *c. cùm autem* 24. *h. t.* & ibi Doctores omnes. Textus ib dem sic sonat; *cum idoneum Episcopo præsentaverit. & post modum alium æque idoneum in eadem ecclesia, quis alteri præferatur, judicio Episcopi credimus relinquendum* Si verò à *patrono ecclesiastico* plures præsententur, ille institui debet, qui priùs fuit præsentatus, *cit. c cùm autem h. t.* ibi: *Verum si Collegia, vel ecclesiastica persona præsentationem haberet, qui prior est tempore, jure potior esse videtur*, & ibi Barbosa *n.* 1. Abbas *n.* 1. Fagnanus *n.* 1. & alii communiter. Ratio est; quia cum *patronus* Ecclesiasticus non possit variare per dicta *n* 57 hoc ipso sola prima præsentatio valebit.

107 Resp II. Si duo vel plures inæqualis dignitatis aut meriti simul, aut successive ab unico *patrono Laico* præsentantur, tenetur Episcopus eligere digniorem. Fagnanus *in c cùm vos* 24 *h t. n.* 28. & ibi Abbas *n.* 5. Barbosa *de offic. & potest Episc. alleg* 27. *n.* 200. Azorius *par* 2. *l.* 6. *c.* 22. *q.* 14 Castro Palao *loc cit. pun* 9. *n* 3. & communis aliorum contra Jo. Andream, & Hostiensem *in cit. c cùm autem h. t* Ratio desumitur ex textu *c cùm vos h t* ubi tunc præcise relinquitur libertas Episcopo, quando æque idonei præsentantur; ergo à sensu contrario, si non æque idonei sunt, debet justitiæ distributivæ conformiter digniorem eligere, *arg. c. Lt te ergò cauf* 8 *q* 2 præsertim cùm *in cit. c. cùm autem h. t.* electio relinquatur *Judicio* Episcopi, nam verbum *judicium* sapit discretionem, & boni viri arbitrium, ut bene ibidem notat Abbas *in c* 2. *de Corpore vitiatis*, & *l. Fideicommissa §. quamquam ff. de leg* 3. Quod si tamen omisso digniori, dignum instituit Episcopus, valebit, nec attenditur appellatio. Fagnanus *loc. cit. arg. c. constitutis de Appellat* & *c. Pastoralis h. t.*

Cæterùm, quis sit dignior, quamvis Judicio relinquatur Episcopi, tamen videre poteris *lib.* 1. *tit.* 6. *de elect. §.* 10 *n.* 235. & apud Barbosam *loc. cit. n.* 202. 108

Quæritur IX Quo tempore fieri debeat præsentatio? Res. De hoc jam constare ex dictis suprà *à n.* 54. ubi vide. 109

§. V.

De aliis Juribus Patrono competentibus: ubi etiam de Oneribus: ac de causis, ob quas iterum amittitur, seu extinguitur Juspatronatus.

SUMMARIUM.

110 *Patrono competit honor & præcedentia in Ecclesia patronata.*
111 *Non tamen ante Dominum Territorialem.*
112 *Item jus alimentationis pro se, uxore, liberis, & familia Et n* 114.
Et quomodo? Ibid.
113 *Quæ inopia requiratur?*
114 *Victus, & alimentationis nomine quæ veniant?*
115 *Ecclesia non nisi de superfluis tenetur succurrere Patrono egenti.*
116 *Patronus egens habens actionem contra ecclesiam pro alimentis.*
117 *Habet etiam onus tuendi Ecclesiam, attendendo, ne bona ejus dilapidentur, aut contra finem fundationis primæ applicentur.*
118 *Quid agere possit, & debeat Patronus, si deprehendat errorem? Et nu. præced.*
119 *Debet etiam tanquam Advocatus Ecclesiam defendere.*
120 *Patronus non potest Ecclesię vel Beneficiato pensionem aliquam vel onus imponere, aut aliquid ab eo exigere.*
121 *Nisi in fundatione cum consensu Episcopi moderate fuerit impositum.*
Donatio perfecta postea conditiones non recipit. Ib.
122 *Patronus non habet ullam jurisdictionem potestatem aut dispositionem circa bona Ecclesiæ.*
123 *An quid valeat circa hoc consuetudo?*
124 *Patronus non potest instituere, aut amovere Beneficiatum.*
125 *Causæ, ob quas amittitur, & extinguitur Juspatronatus.*

UT constet ex versiculis suprà *num.* 66. citatis plura competunt *patrono* jura, præsentandi nempe, jus honoris, & alimentationis; quorum primum ac præcipuum, quia jam examinavimus §. *præced.* de duobus reliquis hic videbimus.

Quæritur I. In quo consistat, & quomodo competat Patrono *honor* indicatus in versiculis citatis per verba *Honor, & Præsit*? Resp. Eum consistere in præcedentia Processionis, quatenus ei in Litaniis processionaliter cantari aut recitari solitis, & in aliis publicis Processionibus locus dignior præ aliis Laicis debetur. Idem quod in Ecclesia sua *patronata* debeat honorari in præcedentia honorabilioris sedis, & dignioris loci atque anterioritate in suscipienda pace, thurificatione, & aliis similibus casibus, *arg. c. Piæ mentis* 26. *cauf.* 16. *q.* 7. & *c. Nobis* 25. *h. t.* ibi: *Pro fundatione quoque Ecclesiæ, honor processionis servatur*, & ibi Gloss. atque Fagnanus *n.* 17. Barbosa *n* 6. Item *l.* 3 *Jur. Eccles. un. c.* 12. *n.* 241. Abbas *in c. Nobis* 25. *h. t. n.* 5. ubi addit, præfatum honorem etiam id importare, quod *patrono* venienti ad Ecclesiam debeant obviam ire Clerici, eumque excipere, si est talis persona, cui ratione status id conveniat, ut si est Rex, Princeps &c. quod etiam observat Glossa magna *in c. un. h t. in* 6. 110

Verùm vi *honoris* præfati non competit *patrono* præcedentia in Ecclesia, & alibi ante Dominum Territorialem loci, uti benè notat Fagnan. *l. c. n.* 21. & *seqq.* Pirhing *h. t.* 111

h.t. n. 36. & alii. Ratio est; quia, cum talis Dominus in cæteros jurisdictionem contentiosam habeat, utique præ eis, præsertim sibi subditis, ubique etiam in Ecclesia magis honorari debet, Abbas Consil. 21. n. 1. lib. 1. Fagnanus loc. cit. Nec obstat textus c. Nobis h. t. præcedentiam universaliter ac indistincte tribuens patrono. Resp. enim, eum intelligendum esse, ut non sequatur absurdum, ne videlicet major ei exhibeatur honor, quam illius Domino, habenti in eum jurisdictionem. Sicut à pari, licet Rector Ecclesiæ indistincte dicatur habere præcedentiam in Ecclesia sua, tamen non præcedit Episcopum illuc venientem, c. Solitæ 6. de major. & obedien.

112 Quæritur II. In quo consistat, & quomodo competat patrono jus alimentationis indicatum in versiculis per verba *alatur egenus*? Resp. Id consistere in hoc, ut *si ad inopiam vergat* (Patronus) *ab Ecclesia ille modeste succurratur, sicut in sacris est canonibus institutum*, sunt verba cit. c. Nobis 25. h. t. sacri autem Canones, ad quos se refert cit. c. Nobis 25. h. t. sunt c. Contra 29. caus. 16. q. 7. ibi; *Si Fundatores Ecclesiarum ad inopiam vergere cæperint, ab eisdem Ecclesiis temporalis vitæ suffragia percipiant*, & can. Quicunque 3. ead. caus. & q. ibi: *Quicunque Fidelium devotione propria de facultatibus suis aliquid Ecclesiæ contulerit* (eo modo, quo acquiritur Juspatronatus Gl. ib. V. Aliquid) *si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant* Ratio est æquitas, qua ad remunerandum quivis obligatus est iis à quibus beneficia accepit, a. l. si non forte 26. ff. de Cond. ind.

113 Ex præfatis textibus inferunt Barb. l. 3. Jur. Eccles. un. c. 12. n. 216 & in c. nobis 25. h. t. n. 7 Lambertin de Jurepatronat. l. 3. q. 3. a. 3. n. 6. & alii, non esse necesse quod patronus in summa egestate sit (quidquid contradicat Glossa in can. quicunque 30. caus. 16. quæst. 7. V. Ad inopiam) sed sufficere, quod jamjam ad paupertatem ita deveniat, ut juxta qualitatem status, & personæ suæ, ex bonis propriis, vel aliunde, ex officio v.g. opere licito, & honesto, quod attenta qualitate suæ personæ posset exercere, sustentari amplius non possit. Ratio est: tum quia *ad inopiam vergere* cit. c. Nobis h. t. ipsum importare videtur, arg. c. 1. de statu regul. in 6. & l. si quis 5. §. Sed si filius ff. de Agnoscen. & alen. libert. Tum quia idipsum expresse insinuatur cit. c. Contra 29. caus. 16. q. 7. ubi non requiritur ut quis patiatur summam inopiam, sed *quod ad inopiam vergere cæperit*, nota *vergere cæperit*.

114 In quo itaque casu tenetur Ecclesia patrono honestam sustentationem juxta conditionem status, non tantùm pro sola persona patroni, sed etiam pro uxore, liberis, & familia præbere Barbosa loc. cit. Surdus de Alimentis Tit. 4. q. 28. n. 18. & Tit. 7. q. 32. n. 30 arg. can. Quicunque 30 caus. 16 q. 7 ibi: *Et filii eorum*. Et quidem integram, id est, cibum, potum, lectum, vestitum, & omnia quæ ad honestam sustentationem requiruntur Barb. loc. cit. Surdus de Alimentis Tit. 4. q. 23 à n. 12. arg. cit. c. Nobis h. t. ibi: *Ab ecclesia illi succurratur* & can. Contra caus. 16. q. 7. ibi: *Vitæ suffragia percipiant*. Inter hæc enim, & nomine alimentorum ac victus non tantum cibus, & potus, sed & vestis, habitatio, & alia numerantur. arg. l. Legatis ff. de Alimentis & cibar. & l. Verbo victus 43. ff. de V. S. ibi: *Verbo victus continentur, quæ esui potuique, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victus habere vicem. Labeo ait*. Porrò necessaria vitæ dicto modo præberi ab Ecclesia patrono debent in domo ipsius propria, & non in ipsa Ecclesia. Barbosa lib. 3. jur. Eccles. un. cap. 12. n. 116 Surdus loc. cit. q. 14. n. 21.

115 Notandum tamen cum Abbate in c. Nobis 25 h. t. in 6. & ibi Butr. n. 22. Barbosa loc. cit. n. 217 Surd. de Alimentis tit. 7. q. 32. à princip. Pirhing h. t. n. 37 & aliis, præfatam obligationem honeste ac modeste sustentandi patronum ad inopiam vergentem Ecclesiæ non nisi de bonis superfluis incumbere, sive si quæ ultra ea habet, quæ ad fabricam, ac similia necessariò requiruntur. Ratio est quia propriæ necessitati & cultui Divino ante omnia providere debet Ecclesia, a. c. fin. caus. 27. q. 2. §. ult. ad finem, & c. quicunque caus. 16. q. 7. & ibi Glossa vers. ad inopiam in simili enim casu & non aliter etiam libertus ex gratitudine obligatus tenetur alere Patronum, c. l. si quis §. Alimenta ff. de Agnoscen. & alend. lib.

116 Nec dicas, per hoc non gaudere speciali privilegio & jure patronum, cum ecclesia de superfluis cuivis pauperi teneatur subvenire, a. c. Quoniam 68. caus. 16. q. 1. Resp. enim cum Abbate, patronum nihilominus habere privilegium, & jus speciale in hoc consistens, quod Ecclesia Patrono meliùs, & abundantiùs, simulque præ reliquis pauperibus teneatur subvenire. Item, quod pauperes non habeant actionem contra Ecclesiam denegantem, can. Si dist. 47. & can. Exigunt. caus. 1. q. 7. Econtra patrono competit actio per Jura n. 112. citata. Præter jura, & privilegia, quæ patronus juxta hactenus dicta, habet, etiam onera aliqua significata in allegatis versiculis per verbum *Onus*, sentire debet, & meritò; quia *qui sentit commodum & onus sentire debet*, c. 55. de R. J. in 6.

117 Quæritur II. Quæ sint onera, & munera patroni? Resp. patronus duo præcipue onera, seu munera, & obligationes habet tuendi nempe, & defendendi Ecclesiam. Et quidem primò debet tueri Ecclesiam vigilando & debitam curam, ac sollicitudinem habendo pro bonis ejus, ne videlicet à Rectore, vel Ministris, aut etiam ab aliis dilapidentur, male, aut contra finem à Fundatore intentum applicentur, can. Filiis 31. caus. 16. q. 7 ubi etiam statuitur, ut si quis in his corrigendum invenerit, Rectorem vel Ministrum Ecclesiæ honeste monere, aut Episcopo denuntiare debeat; non item quod Sacerdotem objurgare, corrigere, aut punire valeat; ibi: *Si Sacerdotem, aut Ministrum ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honestæ conventione compescant, aut episcopo, vel Judici corrigenda denuntient; quod si talia episcopus agere detrectet Metropolitano ejus hæc insinuare procurent*.

118 Unde vi patronatus penitus nullam jurisdictionem in Beneficiatum usurpare debent patroni; *neque in iis quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere; neque visitationem ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus se immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat; sed Episcopi ipsi id faciant* &c. prout expresse statuitur à Concilio Trid. Sess. 24 de refor. cap. 3. & docet Engel h. t. n. 5. Layman l. 4. tr. 2. cap. 13. n. 9 & seq. & alii. Notat tamen Honorius h. t. n. 28. posse patronum extrajudicialiter inquirere super statu Ecclesiæ ut sic majori informatione habita, debita honestate monere Beneficiatum, aut Ministros, vel Episcopo cum majori fundamento denuntiare valeat, juxta can. Filiis caus. 16. quæst. 7. & can. seq. ead. caus. & q.

119 Secundum onus, munus & obligatio Patroni est, ut Ecclesiam tanquam Advocatus ipsius in, & extra judicium pro possibili defendat. Fagnanus in c. Cùm autem h. t. n. 3 & ibi Hostiensis, ac Innocentius, Engel h. t. n. 5 & alii, arg. c. Præterea 23 & c. Cùm autem 4. h. t. ubi propterea patroni vocantur *advocati*. Non tenentur tamen id propriis expensis facere, sed satisfaciunt, si expensis Ecclesiæ faciunt.

120 Quæritur III. An Patroni præter præfata à n. 110. duo jura habeat etiam jus aliquod, vel potestatem in Ecclesiam vel bona ipsius, vel Rectorem ejusdem, ita ut possint Ecclesiis & Beneficiis onus aliquod, aut pensionem imponere; aut à Beneficiato exigere, aut de bonis illius disponere, aut Beneficiatum amovere? &c. Resp. I. Patroni sive Laici, sive Ecclesiastici sint, præter privilegium præcedentiæ, & alimentationis in statu inopiæ penitus nullam habent potestatem, aut jurisdictionem in Ecclesiam, adeoque Eidem, vel Rectori ejus nec minimam quidem pensionem, vel onus imponere, vel ab iis exigere possunt, nisi pensio vel onus hujusmodi in prima fundatione cum consensu Episcopi fuerit constitutum. Abbas in c. Præterea 23 h. t. n. 3 & ibi Barbosa, Anchoranus, Jo. Andreas, Hostiensis, Butr. & DD. communiter. Textus apertus habetur cit. c. Præterea 23 h. t. ubi postquam conquestus est Lucius Papa, quod *Advocati Ecclesiarum* (id est Patroni, Glossa ib. vers. Advocatus) *præsumant Fodrum* (id est collectas, quas Patroni imponebat Ecclesiis. Gloss. ib. eod. vers. Albergarias) cogendo videlicet Ecclesias, ut unum, vel plures milites habeant, & nutriant, vel pretium vigiliarum solvant. Hostiensis ib.) *Regium* (hoc est Tributum, à Regibus imponi solitum, Glossa ibid.) *& similia tanquam à propriis Rusticis ob Ecclesiis extorquere*: subjungit, *præsenti Decreto statuimus, eos sive Advocati, sive Patroni* &c. *seu quocunque alio nomine censeantur, à gravaminibus ecclesiarum cessare, nihilque in ipsis præter antiquos, & moderatos redditus, à*

Laicorum episcopis institutos exigere; aut si aliud exegerint, Excommunicationi subdantur. Contractus quoque hujusmodi quos fecerunt, vel facient in futurum, vim aliquam decernimus non habere. Concordat cap. 1. & c. Gravis 15. de Censibus. Ratio est; quia similia onera non nisi subditis imponi, & ab eis exigi possunt, ut notatur cit. c. præterea 23. h. t. ibi: *Tanquam à propriis Rusticis*, Ecclesiæ autem, & Rectores earum non sunt subditi respectu patroni qua talis; ergo.

121 Dicitur autem notanter; *Nisi pensio, vel onus hujusmodi in prima fundatione cum consensu Episcopi fuerit constitutum*; potest enim patronus cum consensu Episcopi in prima fundatione aliquam pensionem, vel servitium sibi præstandum, Ecclesiæ, aut Beneficiato imponere, hoc ipso, quod quivis rei suæ moderator, & arbiter sit, possitque non aliter, quam cùm certa conditione donare, l. In re C. Mandati unde taliter impositum, postea licite exigere valet, uti liquet ex textu cit. c. præterea 23. h. t. ibi: *præter antiquos moderatos ab Episcopis institutos redditus*; dummodo cum consensu Episcopi imponantur, ibi: *Ab Episcopis*, & moderati sint, si enim immoderatæ etiam cum consensu Episcopi fuerint impositæ pensiones, vel onera, debet ea postea Episcopus, vel Successor ejus moderari. Abbas in idem c. Præterea 23. h. t. nu. 7. & ibi Doctores, quos sequitur Pirhing h. t. n. 42. arg. cit. c. Præterea ibi: *Moderatos*, & c. 1. de Consuetud. dummodo fiant tempore fundationis, quia post illam nec cum consensu Episcopi imponi possunt, Glossa in canon. 2 caus. 10. q. 1. V. Non pertinere arg. c. 1. & c. 15. de Censib. Ratio est: tum quia post factam donationem conditio aliqua apponi non amplius potest; nam perfecta donatio conditiones postea non recipit, ut dicitur L. 4. C. de Don. quæ sub modo. Porrò onus, vel pensio in prima fundatione legitime imposita, postea non amplius augeri potest, DD. communiter in c. Grave 15. de Censib. ubi Summarium sic habet: *Patroni etiam Clerici novum censum Ecclesiæ imponere non possunt, nec veterem augere*.

122 Resp. II. Rursus penitùs nullam jurisdictionem, aut potestatem in bona Ecclesiarum patronatarum habent Patroni, sive Laici, sive Ecclesiastici; adeoque nec eis se ingerere, nec de eis disponere, nec visitationi eorum se immiscere, multo minus aliquid de eis sibi appropriare, aut in sui utilitatem convertere possunt, nisi quatenus quid eis ex institutione, ac fundatione competat. Communis ac certa, ob clara Jura c. 4. h. t. ibi: „Si quem „Clericorum, aut Laicorum, quacunque is Dignitate „etiam Imperiali, aut Regali refulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis, aut Regularis „Beneficii, Montium Pietatis, aliorumve piorum „locorum, jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam „Feudalia, & Emphyteutica, fructus, & emolumenta, seu quascunque obventiones, quæ in Ministrorum, & pauperum necessitates converti debent, per „se, vel alios, vi, & timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut Laicorum aut quacunque arte, aut quocunque quæsito colore in proprios „usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu „impedire, ne ab aliis, ad quos jure pertinet, percipiantur, is Anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos „occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam „ex donatione suppositæ personæ pervenerint, Ecclesiæ, ejusque Administratori, sive Beneficiato integre „restituerit, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si Ecclesiæ ejusdem patronus „fuerit, etiam Jurepatronatus ultra prædictas pœnas „ipso facto privatus existat. Simile quid statuitur Sess. 24. de refor. c. 3. ubi præcipitur, *ut Patroni visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus se non immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competit: sed Episcopi ipsi hæc faciant*. Huc etiam vel maxime facit Dispositio ejusdem Concilii Sess. 25. de refor. cap. 9. ubi circa medium sic statuit: „Patroni autem Beneficiorum cujuscunque Ordinis, Dignitatis, etiamsi Communitates, Collegia quæcunque Clericorum, vel Laicorum existant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcunque Beneficiorum, etiamsi verè de Jurepatronatus ipsorum ex fundatione, & donatione essent, „nullatenus, nullave causa, vel occasione se ingerant, „sed illos liberos Rectori, seu Beneficiato non obstante „etiã quacunque cõsuetudine distribuendos dimittant.

123 Ubi tamen notandum circa ultima verba, *non obstante quacunque consuetudine*, quod licet nullus patronus vi consuetudinis ante Concil. Trid. introductæ possit se ingerere bonis, & redditibus Ecclesiæ, nihilque de iis disponere, possit tamen idipsum vi consuetudinis post Concilium legitime introductæ, quia juxta dicta Lib. 1. tit. 4. Consuet. à n. 185. dicta clausula non derogat consuetudini futuræ. Hinc licet de jure administratio Gazophylacii, & aliorum Ecclesiæ bonorum nullatenus ad Patronum spectet, ut bene cum aliis notat Layman lib. 4. tr. 3. cap. 13. n. 11. tamen eadem administratio præsertim cumulativa cum Rectore ad patronum pertinere valet vi consuetudinis post Concilium introductæ, per jura allegata in cit. tit. de Consuet. Porrò limitanda est Conclusio in iis, qui non tantùm nudi patroni sunt, sed etiam Ecclesiam, aut Beneficium sibi incorporatum habent, hi enim de bonis Beneficii utpote ad se plene pertinentibus (excepta congrua) utique disponere poterunt, per dicta supra T. 37. de Capell. Monach. n. 17.

124 Resp. III. Denique Patroni sive Ecclesiastici, sive Laici penitus nullam jurisdictionem aut potestatem, excepto jure præsentandi, & jure tuendi ac defendendi, circa Beneficium, aut Beneficiatum habent; adeoque authoritate sua nullum in Beneficio instituere, aut institutum amovere possunt. Caret controversia, textu claro c. Præterea 4. h. t. ibi: *Præterea, quia in tantum quorundam Laicorum* (Patronorum) *processit audacia, ut Clericos instituant, & removeant, cùm voluerint, ipsos anathemate decernimus feriendos. Clericus autem, qui Ecclesiam per Laicos sine propria episcopi authoritate receperit, communione privetur, & si persisterit, à Ministerio Ecclesiastico, & Ordine deponatur*: ac ibi DD. omnes.

125 Quæritur IV. Quibus de causis, & quibus modis Juspatronatus amittatur, & penitus extinguatur? Dicitur notanter *penitus extinguatur*: quia quibus modis ab uno in alium transferatur, plene dictum est supra §. 2. Resp. ergo, Juspatronatus variis ex causis, variisque modis extingui. Patet inductione. Nam I. Extinguitur per liberam remissionem patroni. Zoesius h. t. n. 68. & alii, c. 1. h. t. n. 1. in 6. Ratio est, quia potest quivis renuntiare juri suo, c. Si diligenti, de Foro competent.

II. Si Ecclesia sine spe reædificationis totaliter destruitur, aut alia ratione dos, & redditus ipsius pereat. Barbosa l. 3. Jur. Eccles. un. cap. 12. n. 254. Zoesius h. t. n. 68. Engel h. t. n. 26. cum communi. Ratio est, quia non entis non sunt qualitates.

III. Si Patronus patiatur Ecclesiam patronatam fieri Collegiatam, aut Monasterium. DD. citati, Pirhing h. t. n. 138. Butr. in c. Nobis h. t. n. 26. & alii. Ratio est; quia in his præsentatio aliqua locum non habet; sed electio, c. Nobis 25. h. t. & dictum est supra.

IV. Deficit, deficiente familia, si Juspatronatus pro solis ex familia ab initio institutum est. Engel loc. cit. Pirhing loc. cit. Barbosa loc. cit. Nec indiget probatione.

V. Si Ecclesia patronata cum consensu patroni alteri Ecclesiæ, vel Monasterio sine reservatione Jurispatronatus unitur, seu incorporatur. Zoesius loc. cit. Jo. Andreas in c. 2. de religios. Domib. Pirhing h. t. n. 138. Ratio est; quia per unionem hujusmodi censetur Ecclesia extincta, consequenter & Juspatronatus in illa competens

VI. Per non usum longissimi, vel longi temporis ad præscriptionem requisiti; si interea bis saltem Rector Ecclesiæ sine præsentatione est institutus: tunc enim Ecclesia redit ad suam libertatem, dummodo patronus legitime non fuerit impeditus. Barbosa loc. c. Abbas consil. 106. vol. 2. Engel h. t. n. 26. Pirhing eod. loc. cit. Ratio est; quia sicut alii, ita & ipsa Ecclesia contra patronum, & jus ejus præscribere potest, per ea quæ supra de præscriptione sunt dicta.

VII. *Si patroni Ecclesiæ Rectorem, vel alium Clericum ipsius Ecclesiæ per se, vel per alios occidere vel mutilare nefando ausu præsumpserint, patroni Juspatronatus prorsus amittant*, sunt verba, c. In quibusdam 12. §. Sacris de pœnis, & ibi DD. communiter, atque Barbosa loc. cit. Zoesius loc. c. Pirhing loc. c. Engel h. t. loc. cit. qui tamen id limi-

mitant, si *patronus* id facit pro sui defensione cum moderamine inculpatæ tutelæ; *quia vim vi repellere omnia Jura permittunt*. Cæterùm *Juspatronatus* ob hanc delicti causam extinctum, non transit ad hæredes, sed Ecclesia evadit liberæ collationis, Barbosa *loc.cit.arg.c. in quibusdam. de pœnis*, & ibi Glossa ℣. *prorsus amittant*.

VIII. Si *patronus* sit Hæreticus, Schismaticus, aut Apostata, *Barb.loc.c* Engel *h.t.n* 26. Zoesius *eod.* Monet. *de Commen. ult. volunt.c.* 11. *n.* 158. & alii Ratio est; quia horum bona omnia confiscantur, consequenter & *Juspatronatus* eis annexum *arg. c. fin de Hæret.* Ex hac ratione etiam ob alia crimina v. g. læsæ Majestatis, ob quæ confiscantur bona, amittitur, prout supra diximus.

IX. Si *patronus* ingerat se quoad dispositionem, aut perceptionem fructuum modo aliquo per Concil. Trident. *Seß. 22. de refor. c.* 11. prohibito, textum vide suprà *nu.* 122.

X Si patronus modo à SS. Canonibus prohibito, vendit, aut alio modo in alium transfert *Juspatronatus*, uti expresse statuitur in Concil. Trident. *Seß. 25. de refor. cap* 9. & docet ibi Barbosa, Engel *h. t. loc cit.*

XI. Et ultimò privandi sunt *Jurepatronatus* patroni, qui illud simoniace acquirunt. Zoesius *h. t. loc. cit. arg. c. Quia Clerici* 6. *h. t.*

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

1 *Ratio Continuationis.*

1 ORdine non incongruo præcedentem præsens sequitur Titulus; quia sicut *Juspatronatus* est onus aliquod ecclesiæ, utpote quæ alias esset liberæ collationis, ita *Census*, *Exactiones*, & *Procurationes* sunt onera ecclesiarum, & Beneficiorum, uti statim videbimus. De qua materia etiam extant canones *caus.* 10. *q.* 2. & 3. *per Totum*.

§. I.

De Censibus: ubi in specie de Cathedratico.

SUMMARIUM.

2 *Census varia acceptio.*
3 *Definitur ad propositum.*
4 *Et varie dividitur.*
5. *Censum pro libitu imponere potest Papa.*
6 *Episcopus verò non nisi Censum antiquum.*
7 *Quem semel impositum augere nequit.*
8 *Nec regulariter Censum novum perpetuum imponere.*
9 *Bene tamen Censum temporalem.*
10 *Cathedraticum quid? & unde?*
11 *Ad illud tenentur omnes ecclesiæ sæculares.*
12 *Non item Regulares.*
Legi Diœcesanæ Regulares non sunt subjecti. Ibid.
13 *Ecclesiæ sæculares; Regularibus incorporatæ seu Capellæ eorum tenentur ad Cathedraticum.*
14. *Quantitas Cathedratici desumitur è consuetudine loci Solidus quid? Ibid.*
15 *In qua moneta, & quo tempore solvendum Cathedraticum?*
16 *Cathedraticum præscriptione penitus tolli non potest. Et num seq.*
Acephalus nemo debet esse. Ibid.

2 NOtandum priùs, *censum* diversimode accipi, & ejus nomine varia venire, ut videre est apud Calvinum ℣. *census*, & Molinam *disp.* 381. Potissime verò & generaliter accipi solet pro omni eo, quod annuatim alteri solvitur Quo sensu *Census* dicitur etiam *Canon. annuus*, quem Emphyteuta singulis annis dat Domino in recognitionem dominii directi, juxta dicta *Tit. XVIII §. de Emphyt.* Item *Tributum l. Ætatem ff. de Censibus*. Principaliter etiam sumi solet pro illa pensione annua, quæ solvitur ex contractu, per quem traditur res aliqua tam quoad dominium directum, quam indirectum, reservata pensione annua. De quo *Censu* etiam diximus in Theologia nostra Morali *tr* 8. *disp* 4. *q* 6. & extat celebris Bulla Pii V. *Cùm omnes*, quæ est ordine 79. apud Cherub. Verùm de *Censibus* in hoc sensu Titulus præsens non agit, sed solùm de illo *Censu*, quem solvit Ecclesia, aut Beneficiatus Episcopo, vel ejusdem authoritate aliis. Hinc

3. Quæritur I. Quid ad præsens, & quotuplex sit *Census*? Resp I. *Census* est annua pensio, quæ ex redditibus, seu proventibus Ecclesiæ, seu Beneficii in signum subjectionis annuatim solvitur Episcopo, vel ejusdem authoritate, & justa de causa, aliis. Est in re communis. Ex qua definitione liquet, quod licèt illa pensio, quæ in signum subjectionis (non dominii) solvitur Episcopo, ad præsens principaliter, ac potissime sit, & dicatur *Census*, *arg. c.* 2. *h. t.* & *c. Constitutus 6. de religios. Domib.* Tamen nomine *Census* hic veniunt etiam illæ pensiones, quæ ejusdem Episcopi authoritate, justa de causa aliis quoque solvuntur, uti aperte colligitur ex *c. penult. h. t.* ubi *Census*, seu pensio annua de bonis Ecclesiæ solvitur Canonicis, & *c. Præterea de Jurepatronat.* ubi Patronis de bonis Ecclesiæ annua moderata pensio authoritate Episcopi constituta solvitur.

4 Resp. II. *Census* ad propositum dividitur in *Novum*, & *Antiquum*. *Novus* est, qui ab initio non impositus, nec ab aliis Ecclesiis regulariter solvi solitus, primum post Fundationem, aut Consecrationem imponitur Ecclesiis, Hostiensis *h t n.* 4. Honor. *eod n* 6. Engel *h.t.n.6.* Et de hoc extat prohibitio, *c Prohibemus 7 h t Antiquus* est, qui statim ab initio, tempore Fundationis nempe, aut Consecrationis, vel imponitur, vel ipso Jure debetur: cujus principalis species est *Cathedraticum* juxta dicenda infra *n* 10 Deinde subdividitur in *Censum temporalem*, & *perpetuum*. Barbosa *de offic. & potest Episc allegat.* 85 *n.* 1. & *seqq. Perpetuus* est, quo Ecclesia in perpetuum gravata & obligata manet *Temporalis* verò est, qui solùm ad certum tempus singulis annis ab Ecclesia, vel Beneficio præstari debet. Patet ex terminis.

5 Quæritur II Quinam, & qua de causa *Censum* imponere possint Ecclesiis, aut Beneficiis? Resp. I. Certum est, quod Papa *novum & antiquum*, *temporalem & perpetuum Censum* imponere possit cuivis Ecclesiæ, aut Beneficio. Omnes. Ratio est; quia Papa ex plenitudine potestatis potest de quovis Beneficio libere disponere; prout sibi bene visum fuerit, *c. 2. de Præb. in 6.*

6 Resp. II. *Censum* antiquum (videlicet tempore Fundationis, aut Consecrationis Ecclesiæ) non tantum temporalem, sed & perpetuum solvendum pro se, vel pro aliis, etiam Episcopus imponere potest Ita clare patet ex *can. Eleutherius* 30. *caus.* 18. *qu* 2. ubi *Census* ab initio per episcopum impositus, eidem solvi jubetur & ex *c. Prohibemus 7 h. t.* atque docet ibidem Glossa *vers. Census*, & insuper probatur ex *c. Præterea 23 de Jurepatron.* ubi episcopum moderatum antiquum *Censum* pro Patrono imponere posse supponitur.

7 Resp. III. *Censum antiquum* semel impositum augere postea non amplius potest episcopus, vel alius Papa inferior, textu claro *c. 7. h. t.* ibi; *Prohibemus ne ab Episcopis, Abbatibus, vel aliis Prælatis &c. Census veteres augeantur*, & Doctores communiter; addentes cum Glossa *ibid.* & Abbate *n. 3. antiquum Censum* augeri non posse, etiamsi augeantur facultates, & redditus Ecclesiæ. Ratio est; quia *Census* vel datur in signum subjectionis, & tunc necesse non est, ut augeatur; cùm etiam in minimo subjectio denotari queat, ut bene advertit Abbas *arg. c. 2. h. t.* vel

vel datur & constituitur pro privato v.g. Patrono, etiam tunc augeri propter augmentum facultatum non potest. Ratio est; quia in contractu *Censuali* dominium ex toto transit in recipientem, Ecclesiam v. g. per dicta *num.* 2. consequenter huic, & non alii augentur facultates.

8 Resp. IV. Regulariter loquendo, nullus præter Summum Pontificem Ecclesiis, ac Beneficiis, sive Regularibus, sive sæcularibus imponere potest *novum Censum perpetuum* Barbosa *in c. Prohibemus 7. h. t. n.* 2. & ibi Doctores communiter, atque Pirhing *h. t. n.* 8. Engel *h. t. nu.* 2. & alii, textu claro *cit. c. Prohibemus 7. h. t.* ibi; *Prohibemus, ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis Prælatis novi Census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur &c. si quis verò aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur.* Concordat *c. Scientes 3. eod. & Clem.* 1. *§. Eadem quoque de Supplend. neglig. Prælat.* Dicitur autem *Regulariter*, quia limitatur Conclusio, I. In casu, quo Episcopus cum consensu Capituli alicui Ecclesiæ exemptionis gratiam tribuit, id est, à jurisdictione Episcopali, oneribus, & juribus Episcopalibus liberat; tunc enim jura remittendo episcopalia potest sibi Censum retinere, ut habet Summarium, & textus clarus, *c. Constitutus 6. de religios. domib.* & ibi Doctores communiter. Prout etiam summus Pontifex, cùm à jurisdictione Episcopali Ecclesiam aliquam eximit, *Censum* imponere, & accipere solet, *ad perceptæ libertatis indicium*, *c. Si Papa & c. Recepimus de Privileg.* juncto *cit. c. de religios. domib.*

9 Resp. V. Potest Episcopus ex justa causa *Censum* non perpetuum, seu temporalem personalem novum ad aliquos annos v. g. vel vitam Beneficiati imponere Ecclesiis, aut Beneficiis. Barbosa *de Offic. & potest. Episc. allegat.* 85. *n.* 3. & *in c. Prohibemus 7. h. t. n.* 3. atque ibi Jo. Andreas *n.* 1. Abbas *in c. cùm venissent 9. de restit. spoliat. n.* 9. Engel *h. t. n.* 3. Probatur Conclusio ex iis, quæ fusius de Pensionibus imponendis Beneficiato diximus *Tit. 12. Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminut. confer. §. 4. à n.* 87. Viso de *Censibus* ut sic, de Cathedratico nunc videndum; utpote proprissima ac principalissima *Census* specie, ab ipso Jure Ecclesiæ, ut annuatim episcopo solvatur, imposita, prout statim videbimus.

10 Quæritur III. Quid sit *Cathedraticum*? & à quo, præsertim an etiam à Monasteriis, & Ecclesiis Regularium solvi debeat? Resp. I. *Cathedraticum* de jure esse *duos solidos* singulis annis solvendos episcopo de redditibus Ecclesiæ in signum subjectionis, necnon in recognitionem & honorem Ecclesiæ Cathedralis Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 86. *a n.* 40. Fagnanus *in c. Conquerente 16. de offic. Ordin. n.* 43. atque in re Communis ac certa aliorum, *arg. c. Conquerente 16. de offic. Ordin.* ubi dicitur: *Cathedratici nomine duos solidos venire*, & *can. Placuit 11. caus. 10. q. 3.* ibi: *Placuit, ut nullus Episcoporum præter honorem Cathedræ suæ, id est, duos solidos aliud aliquid per Ecclesias tollat*, & ibi Glossa ℣. *Solidos*, per quos duos aureos intelligi docet, *arg. L. 2. C. de Sport.* Hoc *Cathedraticum* ab *honore Cathedræ* sic dictum, ut cum aliis observat Barbosa *loc. cit.* Fagnanus *loc. cit. n.* 44. & alii, *arg. cit. can 1. caus. 10. q. 3.* etiam *Synodaticum* vocatur, *c. Conquerente 16. de offic. Ordin.* ibi: *Synodatici, seu Cathedratici nomine duos solidos*; quia olim in Synodo solvi consueverat, ut bene advertit Barbosa *loc. cit.* Engel *h. t. n.* 5. & alii, atque innuit textus *c. fin. de can. possess. & proprietat.*

11 Resp. II. *Cathedraticum* singulis annis solvere de Jure tenentur omnes Ecclesiæ sæculares. Barbosa *loc. cit.* Valensis *h. t. n.* 2. Engel *eod. n.* 6. Pirhing *h. t. n.* 40. cum communi, ac certa aliorum, *arg. c. Conquerente 16. h. t.* & ibi Glossa ℣. *Duos solidos c. pastoralis 7. de Donat. can. 1. & can. Inter cætera 8. caus. 10. q. 3.* Ratio est, quia ut dictum, *Cathedraticum* datur in signum subjectionis, à qua nulla Ecclesia immunis esse debet, ne *Acephala* sit, *can. Nulla ratione 7. dist. 93.* Quapropter, etsi aliqua Ecclesia plena libertate gaudeat, tamen ad *Cathedraticum* obligatur, ut notat Glossa *in c. Pastoralis h. t.* & ibi Innocentius, & Abbas, qui etiam docent, nec posse episcopum aliquam Ecclesiam liberare à *Cathedratico*. Neque est circa Ecclesias sæculares aliqua controversia inter Doctores; bene tamen circa Regulares, de quibus sequentes Conclusiones.

12 Resp. III. Regulares non tenentur solvere *Cathedraticum* de Monasteriis, & eorum Basilicis, seu Ecclesiis Regularibus, ubi ipsi Divina peragunt, & quæ Monasteriis ipsorum contiguæ, seu immediate penes ipsa existunt. Barbosa *lib. 3. jur. Eccles. un. cap. 20. a. 2. n.* 11. Engel *h. t. n.* 6. cum communi aliorum, textu claro, *can. Inter cætera 8. caus. 10. q. 3.* ibi: *Monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutionis pensione exemptis*. Ratio est; quia à lege Diœcesana (vi cujus competit episcopo potestas exigendi jura episcopalia juxta dicenda infra) sunt exempta. Barbosa *loc. cit.* Fagnanus *loc. cit.* & communis aliorum, *arg. can. cùm pro utilitate 34. caus. 16. q. 1. & can. Quam sit 5. caus. 18. q. 2. & c. 1. de Statu Monach.*

13 Resp. IV. Ecclesiæ, Beneficia, Capellæ, & Parochiæ sæculares, quibus Regulares præsunt, *Cathedraticum* solvere episcopo tenentur; etiamsi Monasteriis, aut Basilicis eorum pleno jure sint incorporatæ. Fagnanus *in cit. c. Conquerente 16. h. t. n.* 10. & *n.* 43. eoque teste hic omnes. Anchoranus *ibid. n.* 5. Abbas *n.* 1. ubi expresse fatetur, quod licet Monasteria non teneantur ad ea, quæ sunt de lege Diœcesana, ut Synodaticum, Capellæ tamen subjectæ Monasterio tenentur ad onera, ad quæ tenentur Ecclesiæ sæculares &c. Glossa communiter recepta *in c. Inter cætera 8. caus. 10. q. 3.* ℣. *Solutionis* ubi pariter docet, quod quamvis à *Cathedratico* exempta sint Monasteria, & Basilicæ Regularium, non tamen eorundem Capellæ, id est Ecclesiæ, Beneficia, & Parochiæ sæculares eis incorporatæ: hæ enim per Capellas Monachorum intelliguntur, ut diximus suprà *Tit. de Capellis Monach. n.* 1. & communiter fatentur Doctores. Probatur autem Conclusio evidenter ex *cit. c. Conquerente de offic. Ordin.* ubi expresse dicitur, quod *Episcopus jura episcopalia in Ecclesiis, seu Capellis Monasterii debeat habere*; inter jura autem hæc ibidem numeratur etiam *Cathedraticum*; ergo. Concordat *Clem. 1. h t.* Ratio est; quia Capellæ Monachorum à lege Diœcesana nullibi reperiuntur exemptæ, sed potius eidem positive subjectæ, per Jura citata, & *c. fin. de Capellis Monach.* atque *c. De Monach. 12. de Præb.* Dices, Parochiæ & Ecclesiæ Monasteriis incorporatæ constituunt unum corpus cum eo, suntque membra ipsius: ergo ejusdem gaudent privilegiis Resp. Transmisso Ant. Disting. Consequens. Gaudent ejusdem privilegiis, quibus gaudere eas non prohibent Jura, conceditur: quibus gaudere Jura prohibent, uti in præsenti, negatur.

14 Quæritur IV. In qua quantitate, & quali moneta, ac quando solvi debeat *Cathedraticum*? Item an, & quid circa illud valeat consuetudo, aut præscriptio? Resp. I. Quamvis de jure quantitas *Cathedratici* consistat in duobus solidis per Jura *n. 10.* citata, & *solidus* juxta Glossam *n.* 10. citatam idem sit ac aureus, tamen quia valor *solidi* non idem, sed omninò diversus sit pro diversitate Provinciarum, ut late ostendit Covarruvias *lib. Variar. resol. cap. 11. n. 3. & de Veter. Numis. c. 6. n. 5.* Guttierez *de Jurament. confirm. par. 1. c. 7.* Molina *de Justit & jur. Disp. 27. n. 8.* & alii. Hinc circa quantitatem taxæ attendenda est rationabilis consuetudo cujusvis Diœcesis. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 86. n.* 44. & alii, *arg. c. Olim 20. h. t.* Ratio est; quia cum quantitas *Cathedratici* sit solum determinata à Jure humano Ecclesiastico, utique valebit contra eam rationabilis consuetudo, *arg. c. fin. de Consuet.* Præsertim cùm tam in majori quam minori quantitate *Cathedratici* exhiberi valeat signum subjectionis, ut bene advertit Abbas *in c. 7. h. t. n 3. arg. c. 2. h. t.*

15 In quali autem moneta solvendum sit, desume ex dictis suprà *Tit. 23. de Solut. §. 2.* nisi & in hoc aliud habeat Diœcesis consuetudo, *arg. cit. c. Olim 20. h. t. & c. fin. de Consuetud.*

Porrò circa tempus licet olim non nisi in Synodis Episcopalibus solvi consueverit *Cathedraticum* per dicta *nu.* 10. tamen hodie circa tempus, quo singulis annis solvi debet, rursus statur consuetudini loci. In Diœcesi hac Frisingensi singulis annis solvitur, quando celebratur annuum Capitulum Decanale, & quidem in quantitate duorum aureorum; quos etiam solvunt Religiosi de Parochiis sibi incorporatis.

16 Resp. II. Licet juxta dicta *n.* 14. quantitas *Cathedratici* per consuetudinem augeri possit & minui; tamen consuetudine, aut præscriptione omnino tolli non potest obligatio *Cathedratici*. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 86. n.* 44. & *lib. 3. Jur. Eccles. un. c. 20. à n.* 5. Piasec *p. 2. c. 2. a. 2. n.* 21. Abbas *in c. pastor. 7. de Donat. n.* 7. & alii. Ratio est: quia *Cathedraticum* principaliter datur in honorem

Ca-

Cathedræ, & signum subjectionis, per dicta n. 10. contra subjectionem autem hujusmodi, saltem ex toto præscriptio non currit, nec consuetudo, c. 12. de præscr. & arg. caus. Nulla ratione 8. dist. 93. ne quis Acephalus, id est, sine capite sit, ut ibidem dicitur; nec liceat capiti à membris discedere, ut dicitur c. 12. de præscr. ergo nec contra principale signum talis subjectionis, quale est Cathedraticum. Limitat tamen hoc Barbosa loc. cit. in casu, quo concurrit tempus immemoriale; quia consuetudo immemorialis æquivalet privilegio, c. Super Quibusdam de V. S.

17 Nec obstant c. Auditis c. de Quarta de præscrip. & cap. Pastoralis de privil. in 6. ubi aperte habetur, quod etiam contra obedientiam, & subjectionem Superioris detur præscriptio, quod idem lib. 2. Tit. 26. 49. & seqq. à nu. 49. tradi videtur. Nam contra est, quod per citata Jura, & tradita à nobis supra, tantùm sequatur, posse in aliquibus fieri præscriptionem contra subjectionem, ac circa jura Episcopalia, non autem ex toto, prout loc. cit. n. 55. notanter limitavimus. Et quoniam Cathedraticum principaliter videtur ac continuum subjectionis signum, præscribi contra illud posse non videtur. Fatendum tamen sententiam contrariam, quam tenet Engel h. t. nu. 7. sua probabilitate non carere.

§. II.

De Exactionibus Ecclesiasticis; principaliter de Subsidio charitativo; & Subsidio ad Seminarium.

SUMMARIUM.

18 *Exactio Ecclesiastica, quid?*
19 *Subsidium Charitativum, quid?*
20 *Possunt illud in sua Diœcesi exigere episcopi.*
21 *Et Nolentem dare, cogere.*
22 *Non item prælati episcopo inferiores, nisi privilegio, vel consuetudine muniantur.*
23 *Possunt tamen Administratores, seu Coadjutores, Capitulum Sede vacante, & Generales Ordinum.*
24 *Ad hoc Subsidium tenentur soli Clerici Beneficiati.*
25 *Et hi omnes, etiam Canonici.*
26 *Exceptis pauperibus.*
27 *Monasteria quoque, & eorum ecclesiæ Regulares sunt exemptæ, non item ecclesiæ sæculares eisdem incorporatæ. Et nu. seqq.*
Subsidium Charitativum est de lege Diœcesana ibid.
29 *Ut ritè exigatur, requiritur legitima causa.*
30 *Quænam talis censeatur?*
31 *Si episcopo redditus sufficiunt, non potest exigere Subsidium charitativum.*
32 *Quantitas Subsidii determinatur arbitrio episcopi: debet esse moderata.*
33 *Potest exigi sæpius.*
34 *Cum consensu tamen, & consilio capituli.*
35 *Modus exigendi Subsidium Charitativum.*
36 *Existente dubio, & controversia inter episcopum & Clerum circa Subsidium, quid Juris?*
37 *Quid Juris de Subsidio ad Seminarium? est partim Census, partim exactio.*

18 Notandum priùs, quamvis Exactionis nomine universaliter veniant tributa, steuræ, collectæ, pedagia, quidagia, vectigalia, & quidquid supremi Principes, aut Superiores sive Ecclesiastici, sive sæculares à subditis præsertim extraordinarie exigunt, c. cùm Apostolus 7. & c. penult. h. t. Nihilominùs ad propositum præcise sumitur pro Subsidio extraordinario, quod penditur Prælatis Ecclesiasticis justa de causa id exigentibus: quod communiter vocatur *Subsidium Charitativum*, de quo principaliter.

19 Quæritur I. Quid sit *Subsidium Charitativum*, quinam, & à quibus illud exigere possint? Resp. I. *Subsidium Charitativum* est *Exactio* seu pensio extraordinaria, quam Prælati Ecclesiastici, præsertim Episcopi ex manifesta & rationabili causa à suis subditis in subsidium exigunt. Ita in re communis, atque desumitur ex cit. cap. cùm Apostolus 7. h. t. Dicitur *exactio*, seu *pensio* loco generis. Dicitur *extraordinaria*, in quo differt à Cathedratico, quod ordinarie singulis annis debetur. Dicitur *à Prælatis ecclesiasticis*; quia non agimus hic de Exactionibus, quas Principes Laici faciunt. Additur *præsertim episcopi*; quia ut patebit, post Papam his solis de Jure regulariter competit. Dicitur *ex rationabili & manifesta causa*: hæc enim necessariò requiritur per dicenda infra n. 29. seq.

20 Resp. II. Præter summum Pontificem (de quo nullus dubitat) *Subsidium Charitativum* in suis Diœcesibus exigere possunt omnes Episcopi, ac iis superiores, ut Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates &c. Barbosa de offic. & potest. episc. alleg. 87. n. 7. Azorius par. 2. lib. 2. cap. 14. q. 5. Abbas in c. cùm Apostolus 6. h. t. n. 5. cum communi aliorum, arg. c. Conquerente 16. ad finem, de offic. Ordin. & c. cùm Apostolus 6. h. t. ubi postquam Papa prohibuit, ne Episcopi gravarent subditos Talliis (id est Collectis, & Exactionibus) addidit: *Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, & rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare.* Dicitur autem notanter *in suis Diœcesibus*; quia fatentur Doctores satis communiter, ut Barbosa loc. cit. n. 9. Azorius loc. cit. §. Sed dubiæ quæstionis, Bellencin. in Tract. de Subsid. Charitat. q. 1. Pirhing h. t. n. 34. & alii, quod Primates, Patriarchæ, & Archiepiscopi extra propriam Diœcesin in suo Archiepiscopatu, seu Provincia hujusmodi Subsidium exigere non valeant; nisi id ex consuetudine competat.

21 Cæterùm præfatis in Diœcesi propria potestas exigendi *Subsidium charitativum* ita competit, ut si Clerici dare recusarent, compelli & cogi etiam per Censuras possent à proprio Episcopo, uti contra nonnullos allegatos ab Archidiacono in can. cavendum 10. q. 3. docet Azorius loc. cit. n. 3. ubi allegat Rotæ decis. 23. in novis. Jo. Andreas in c. cùm Apostolus 6. h. t. n. 7. & ibid. Innocentius, Butr. Abbas, & Hostiensis, Bellencin loc. cit. q. 15. Layman lib. 3. tr. 3. par. 1. cap. 3. §. un. de Subsidio charitat. n. 9. & alii, per Jura n. præced. citata, & clem. Frequens de excess. Prælat. Nec obstat, quod in citatis n. præced. Juribus aperte caveatur, ut cum *charitate* exigatur, & propterea dicatur *Subsid. charitativum*; ergo ad illud nemo potest cogi. Respondetur enim, hoc Subsidium non ideò dici *charitativũ*, quasi subditi pro arbitratu illud dare aut negare possent: sed quia proficiscitur ex charitatis & unionis vinculo, quod inter Episcopum & Clerum intercedit. Unde licet ab initio cum charitate peti debeat; tamen si petitioni charitativæ Clerici non deferunt, Exactione coactiva compelli possunt, quia ubi nihil proficit charitas, adhibenda est potestas, arg. can. Licet 5. dist. 45. Sicut etiam divites per Judicem tempore necessitatis ad dandam eleemosynam cogi possunt, non obstante, quod obligatio eleemosynæ regulariter ex sola charitate oriatur.

22 Resp. III. Prælati Ecclesiastici reliqui Episcopo inferiores non possunt à subditis petere *Subsidium charitativum*, nisi muniantur consuetudine, aut privilegio. Abbas in c. cùm Apostolus 6. h. t. n. 6. Azorius loc. cit. q. 5. §. Sed quid dicendum. Bellencin. loc. cit. q. 4. & 5. Barbosa l. cit. n. 17 Bellet. disquisit. cleric. par. 1. clerico debitore §. 12. n. 33. & communis aliorum. Ratio est; quia id nullo Jure eis concessum invenitur: imò expresse reperitur prohibitum, cit. c. cùm Apostolus ubi postquam Episcopis Exactio Subsidii Charitativi fuit concessa, subjungitur: *Archidiaconi verò, vel Decani nullas exactiones, seu Tallias in Presbyteros, seu Clericos exercere præsumant.*

23 Limitatur tamen hæc Conclusio I. In Administratore, seu Coadjutoribus, hi enim, si per Papam dantur Episcopo, vel Ecclesiæ vacanti, æque ac Episcopus petere possunt dictum *Subsidium*. Barbosa loc. cit. n. 10. Bellenc. loc. cit q. 8 & alii, arg. Is cui 42. de elect. in 6. Limitatur II. In Capitulo Sede vacante, utpote cui eadem potestas competit. Barbosa loc. cit. n. 13. Bellenc. loc. cit. q. 7. Bellet. loc. cit. n. 38. Azorius loc. cit. Pirhing h. t. n. 54. & alii, arg c. Cupientes §. Ad hæc de elect. in 6. & ibi Glossam vers. Aliunde. Limitatur III. In Generali totius Ordinis, nam & hic è Monasteriis sui Ordinis *Charitativum Subsidium* petere potest, si aliunde necessaria non habet pro gubernatione Ordinis. Barbosa loc. cit. n. 17. Bellenc. loc. c. q. 3. Pirhing loc. cit. Ratio est: quia agitur de bono communi, & subditorum salute, can. Miramur. dist. 61.

24 Resp. IV. *Subsid. Charitativum* non nisi à Clericis Be-

neficiatis peti potest: ut proin Clerici Beneficio carentes, & Laici illud dare minimè teneantur. Barbosa loc. cit. n. 39. Engel h. t. n. 10. Layman loc. cit. n. 11. Bellenc. loc. cit. n. 37. Covarruvias plures citans. Pirhing h. t. n. 56. Sannig h. t. cap. 2. n. 3. & communis, arg. cap. Conquerent. 16. de Offic. Ordinat. Ratio est, quia dictum *Subsidium* est onus mixtum adhærens personis Ecclesiasticis in ordine ad Ecclesias, & Beneficia, ex quibus redditus percipiunt; uti post Gonnium de Charitat. Subsid. bene advertit Layman loc. cit. arg. cit. c. Conquerente, ibi: *ab Ecclesiis*. Nec obstat, quod c. cùm Apostolus h. t. universaliter concedatur Episcopis *à Subditis* exigere dictum *Subsidium*, quorum nomine etiam Laici veniunt, ac reliqui Clerici. Resp. enim ibi per *subditos* intelligi solos Clericos beneficiatos, prout communiter advertunt Doctores, ne dictum c. discordet cum cit. c. Conquerente, de offic. Ordin. & can. Quia cognovimus 7. can. 10 q. 3.

25 Cæterùm tenentur ad præfatum *Subsidium* non solùm Clerici inferiores simplices, sed etiam Canonici Cathedrales, & quidem fortius quam cæteri, cùm dignius sit, ut membra subveniant Capiti suo, quam extranei, arg. c. cùm non liceat 12. & c. cùm requisitis de Testam. Bellenc l. c. q. 27. Gonn. q. 38. Monet de distrib. quot. q. 9. n. 20 Pirhing h. t. n. 56. Layman loc. cit. n. 12. & communis aliorum; arg. extrav. 1. §. Præmissis h. t. ibi: *Eorumque Capitulis*.

26 Limitatur tamen Conclusio in Clericis pauperibus, Barbosa de offic. & potest. episc. alleg 87. n. 49 Azorius par. 2. lib. 9. cap. 14. q. 6. Bellenc. de Charitas Subsid. q. 10. Bellet. Disquisit. Cler. par. 1. de Clerico debitore §. 12. n. 19. & seqq. Hostiens, Imola. Butr. in c. Conquerente de offic. Ordin. arg. cap. 4. h. t Ratio est, ne nimium & ultra facultates cum victus detrimento graventur, arg. c. 17. h. t. censentur autem juxta DD. Clerici beneficiati pauperes qui præcise necessariam sustentationem, & nil ultra habent ex redditibus beneficii.

27 Gravis controversia est inter Doctores, an ad *Subsidium Charitativum* teneantur etiam Monasteria, & Ecclesiæ Regulares? Jo. Andreas siquidem, Butr. & Imola in cap. Dilectus de offic. Ordinar. Barbosa de offic. & potest. episc. alleg. 87. nu. 45. Bellenc. loc. cit. quæst. 20. Honn. loc. cit. q. 21. Engel h. t. n. 10. Pirhing eod. n. 56. Sannig loc. cit. cum communiori aliorum negativam tenent, qui omnes hoc principale moventur fundamento, videlicet, quia Monasteria, & Regulares Basilicæ exemptæ sunt à lege Diœcesana per Jura citata supra n. 12. atqui *Subsidium Charitativum* debetur lege Diœcesana; ergo. E contra Belletus Disquisit. Cleric. par. 1. de Clerico debitore §. 12. n. 18. Piasec. par. 2. cap. 2. a. 2. n. 13. Abbas in c. Dilectus de offic. Ordin. & alii cùm Glossa in Clem. 1. de excessib. Prælat. vers. extinguendo, affirmativam docet. Verum, quia negativam lib. 1. Tit. 31. §. 4. n. 104. jam tenuimus, & in eodem §. à n. 90. principale fundamentum (quod infringere conantur Adversarii) videlicet, *Subsidium Charitativum* esse de lege Diœcesana ad quam Monasteria non tenentur, omninò subsistere, fuse demonstravimus, eidem etiam hic adhæremus.

28 Nihilominus sicut ibidem; ita & hic quoque cum DD. n. 27. citatis, & communissima aliorum dicimus, quod Regulares ratione Capellarum suarum, id est Ecclesiarum sæcularium, quibus præsunt, teneantur ad *Subsidium Charitativum*, sicut Clerici Beneficiati. Ratio est; quia Capellæ Monachorum, seu Regularium à lege Diœcesana non sunt exemptæ, uti eorum Monasteria, & Ecclesiæ Regulares per dicta n. 13.

29 Quæritur II. An, & qualis requiratur, ac sufficiat causa ad exigendum *Subsidium Charitativum*? Resp. I. Ad hoc, ut Episcopus, vel alius ritè exigat *Subsidium Charitativum*, debet esse manifesta, & rationabilis causa necessitatis. Omnes, ob clara Jura c. Conquerente 16 h. t. ibi: *Si manifesta, & rationabilis causa extiterit*, quod idem dicitur, c. cùm Apostolus §. Prohibemus 6. h. t. ibi. *Sustinemus pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, & rationabilis causa extiterit.*

30 Resp. II. Quamvis universalis Regula tradi non possit, quænam ad præsens sit, & dici queat rationabilis causa, cùm in Jure nihil certum definiatur, sunt tamen aliquæ causæ in specie, quæ communiter à Doctoribus reputantur pro rationabilibus, & consequenter si manifestæ sunt, pro sufficientibus. Patet inductione. I. Enim rationabilis causa exigendi *Subsidium Charitativum*, censentur esse expensæ necessariæ in promotione Episcopi pro Ejusdem Confirmatione, Consecratione & Annatis in Curia Romana solvendis, si alias haberi non possint, nisi Ecclesia novis debitis gravetur. Bellet. Disquisit. Cler. par. 1. de Clerico debitore §. 12. n. 4. Bellenc. de Charitativo Subsidio q. 16. Cardinalis in c. cùm Apostolus h. t. q. 7. Engel h. t. n. 9 ubi ait, id esse declaratum à S. Congr. Azorius par. 2. lib. 9 cap. 14. q. 7. §. Dubiæ quæstionis, citans S Antoninum par. 3 tit. 20. c. 2. §. 10. arg. c. Cupientes §. ad hæc & §. Si verò, de elect. in 6. & ibi Glossa vers. Aliunde. Ratio est; quia agitur de necessitate boni communis, quæ utique causam rationabilem præstat.

II. Quando multa & magna adsunt debita, quæ Episcopus, vel Antecessores ejus pro bono communi, aut necessitate Ecclesiæ contraxerunt; pro quorum solutione exigi potest *Subsidium Charitativum*. Bellenc. loc. cit. Barbosa de offic. & potest. episcop. alleg. 87. nu. 29. Engel loc. cit. Butr. & Imola in can. Conquerente de offic. Ordin.

III. Si Episcopus visitat limina Apostolorum, juxta obligationem, c. Ego, de Jurejur.

IV. Si facturus est iter ad Concilium Generale, vel ad Papam, Imperatorem, vel Regem ob Diœcesis, aut totius Ecclesiæ Generalis bonum commune. Doctores n. 30 citati, atque Menoch. de Arb. Jud cas. 178.

V. Si Episcopus fecit, vel facere debet magnas expensas pro adventu Imperatoris, Regis, Magni Principis. Menochius loc. cit. n. 11. Barbosa loc. cit. n. 35. Azorius loc. cit. q. 7. Bellenc. loc. cit q. 22. præsertim, si ab eo Regalia habet, vel alias bonum commune suadet, ut talis hospes bene habeatur.

VI. Universaliter quando Episcopus fecit, vel facere debet magnas expensas pro bono communi Diœcesis, vel totius Ecclesiæ Generalis; ut si sumptuosas habet lites, vel emit rem magni momenti pro bono communi suæ Ecclesiæ &c. Barbosa loc. cit. Azorius loc. cit. Bellet. loc. cit. & alii. Ratio universalis est; quia bonum commune semper censetur præbere rationabilem & sufficientem causam exigendi *Subsidium Charitativum* per Jura n. 29. citata, præsertim, cùm bono communi semper cedere debeat privatum, per vulgaria.

31 Notandum tamen cum Menochio de Arbitr. Jud. caus. 178. n. 13. Bellet. loc cit §. 12. n. 6. Cardinal. in Clem. 1. q. 1. & novissime Jacobus Pignat. Consult. 142. & communi aliorum, præfatas causas esse solummodo sufficientes in casu, quando Episcopi redditus ad satisfaciendum eis non sufficiunt; si enim Episcopi redditibus in casibus privatis sufficiunt absque *Subsidio Charitativo*, illud exigere plane non potest, cùm deficiat necessitatis ratio, utpote conditio necessariò requisita, c. cùm Apostolus 6. h. t. §. Prohibemus. Nisi forsan in uno, vel altero casu adesset consuetudo legitimè præscripta, extantibus etiam sufficientibus redditibus, *Charitativum subsidium* exigendi; qualis in quibusdam locis est, quod pro expensis electionis, confirmationis, consecrationis, annatarum, semel saltem exigatur *Subsidium Charitativum*, vulgò *die Insur. Steur*, quod etiam in Concordatis Germaniæ RR. Ordinarios inter, & Guilielmum Bavariæ Ducem erectis approbatur, & universaliter conceditur, quod Episcopi *Subsidia Charitativa*, & alia *Jura Episcopalia*, exigere libere valeant; dummodo non fiat insolita *exactio*, uti videre est art. 1. dictorum concordatorum.

32 Quæritur III. In qua quantitate? qualiter? & quoties exigi valeat *Subsidium Charitativum* Resp. I. Quantitatem in Jure non esse definitam, adeoque determinari posse & debere arbitrio Episcopi juxta exigentiam circumstantiarum necessitatis expensarum, redditum &c. Menochius de Arbitr. Judic. casu 179. n. 4. Barbosa de offic. & potest. episc. alleg. 87. n. 37. Bellet. loc. cit. n. 14. Navarrus Consil. 5. h. t. Jacob. Pignatel. loc. cit. n. 12 cum communi, arg. l. In fundo 38. ff. de Rei vendic. Debet tamen episcopus semper observare universalem Regulam, quod non nisi *moderatum* exigat *Subsidium*, prout expresse insinuatur, c. cùm Apostolus §. Prohibemus, ibi: *Cùm charitate moderatum auxilium*. Ratio ibidem subjungitur illis verbis: *Cùm enim dicat Apostolus: non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis, multum longè à paternitate videtur, si Præpositi subditis suis graves existant, quos in cunctis necessitatibus Pastoris debent more favere.*

33 Resp. II. Non tantùm semel, sed etiam sæpiùs, & quidem toties, quoties causa manifesta, & rationabilis juxta prædicta existit, & redditus non sufficiunt, potest Episcopus à Clericis Beneficiatis *moderatum* juxta qualitatem circumstantiarum exigere *Subsidium Charitativum*. Barbosa *loc. cit. n.* 36. Bellet. *loc. cit. n.* 5. Abbas *in c. cùm Apostolus h. t. n.* 2. Azorius *loc. cit. q.* 8. Bellenc. *q.* 23. cum communi. Textu claro *cit. c. cùm Apostolus h. t.* ibi: *Pro necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt.*

34 Resp III Ad hoc, ut Episcopus ritè exigat *Subsidium Charitativum*, debet requirere consensum Capituli, vel saltem adhibere consilium exposita illi causa petendi. Bellet. *loc. cit. n.* 8. Jo. Andreas *in c. cùm Apostolus h t. n.* 7. & ibi Butr. Innocentius, & Hostiensis, Jacob. Pignat. *loc. cit. n.* 6 & 8. Barbosa *de Offic. & potest. episc. alleg* 87. *n* 26. & alii, *c. Novit.* 4. & *c. Quanto* 5. *de His, qui fiunt à Præl.*

35 Resp. IV. Circa modum illud communiter tradunt Doctores, quod Episcopus Clero, à quo *Subsidium* exigit, debeat proponere causam petendi, eaque exposita primitùs cùm charitate & humanitate moderatum respectu necessitatis auxilium postulare, allegando & hortando, quod; cùm cuilibet proximo in necessitate in subveniendum, multò magis ei, utpote Capiti eorum &c. subvenire debeant. Vide Bell. *loc. cit.* Barbosam *loc. cit.* & Hostiens. *in c. cùm Apostolus* 6. *h. t. n.* 20. ubi dat formam petendi *Subsidium Charitativum* Quod si charitativa petitione nihil efficit, potest, causa rationabili necessitatis manifesta existente, Clerum etiam Censuris, aut aliis mediis spiritualibus compellere per dicta *n.* 21.

36 Quæritur III. Quid Juris? si dubium, & controversia est, an causa adsit sufficiens, vel quantitas petita sit nimia ac excessiva? Resp. In hoc casu recurrendum esse ad Superiorem, vel consensu partium eligendos esse Arbitros. Azorius *loc. cit. quæst.* 4 §. *In dubium vocatur.* Bellenc. *loc. cit. quæst.* 17. Pirhing *h t nu* 55 Layman *loc. cit. n.* 9. Barbosa *loc. cit. nu* 28. cum Glossa *in c. cùm Apostolus* 6. *h. t vers. Rationabilis arg. can. Si Clericus* 46. *caus.* 11. *quæst.* 2. Ratio est; quia tunc solùm Episcopus ipse compellere potest renitentes dare Subsidium, quando causa manifesta est, *arg. c. Conquerente de offi. Ordin.* & *c. cùm Apostolus h. t.* non item si dubia vel controversa, Barbosa *loc. cit.* & Doctores citati.

37 Quæritur IV. Quid Juris de Subsidio ad *Seminarium* contribuendo? Et an *Census*, vel *Exactio* dici debeat? Resp I. *Sess.* 23 *de refor. cap.* 18 Concilium Tridentinum præcipit, ut in quavis Diœcesi unum saltem, vel plura erigantur *Seminaria*, in quibus Juvenes ad statum Clericalem aspirantes, in moribus, litteris, ac disciplina Ecclesiastica, cura, & administratione Sacramentorum, atque omni eo, quod animarum Pastorem, bonumque Sacerdotem decet, & ornat, perfectè instruantur, & à teneris annis imbuantur: ut sic Diœcesis semper idoneos & optatos habeat, quos cum animarum lucro, consolatione, ac ædificatione Diœcesanorum assumere possit, & collocare in vinea Domini. Quoniam verò hujusmodi *Seminarium* non modicas requirit expensas, ulteriùs ordinat, ac præcipit Concilium, ut ad has concurrant, & contribuant omnia, & singula Beneficia totius Diœcesis, qualiacunque illa sint: item omnia ac singula non Mendicantium Monasteria, & pia loca quantumvis alias exempta (solis exceptis iis, in quibus *Seminarium* Discentium, & Docentium ad commune Ecclesiæ bonum actu habetur, hæc enim non nisi de redditibus ipsorum *Seminario* superfluis contribuere tenentur) quorum singula non tantùm semel, sed singulis annis tantam portionem dare tenentur, quantam episcopus cum consilio duorum de Capitulo determinaverit; & quidem tam diu, donec *Seminarium* sufficienter sit fundatum, ac provisum; tunc enim vel ex parte, vel ex toto cessare debent portiones priùs dari solitæ. Videatur *cit. c.* 18. *Sess.* 23. *de refor.* quod sanè dignum lectu est. Scribit super hoc bene Jacob Pignatel. *tom.* 1. *Consult.* 223. Zerola *V. Seminarium*, & Barbosa in Concilium Tridentinum *loc. cit.*

Resp. II. Præfatum Subsidium seu portiones ad *Seminarium* faciendæ, partim *Census* partim *Exactiones* dici possunt: *Census* quidem quatenus ordinariæ sunt, annisque singulis in certa quantitate dari debent: *exactiones* verò, quia non continuò, sed tam diu tantùm, donec *Seminarium* aliunde habeat, unde sustentetur, durant: atque hoc desumitur ex natura utriusque tam *Census* nempe, quam *exactionis*, de quibus vide *n.* 2. 3. & 18.

§. III.

De Exactionibus, Tributis, Gabellis, Vectigalibus, Pedagiis, Quidagiis, Taliis &c. Laicalibus.

SUMMARIUM.

38 *Tributum quid? & quotuplex? Exactio, Talia, quid? Ibid.*
39 *Vectigal, Pedagium, Quidagium, Gabella, quid?*
40 *Præfata imponere possunt soli Principes.*
41 *Sed non nisi ex justa causa. Et quæ ista?*
42 *Peccata Principum circa hæc.*
43 *Quando saltem probabiliter constat, Tributa, Exactiones, Vectigalia &c. esse injusta, non obligant in conscientia.*
44 *Idem dic, si dubium est, de eorum justitia.*
45 *Exactiones, Vectigalia, Tributa &c. etiam nova juste imposita obligant in conscientia; & illa defraudans tenetur ad restitutionem.*
46 *Solvuntur objectiones. Et n. seq.*
48 *Ponuntur doctrinæ praticæ.*

Quamvis præsens Titulus principaliter tantùm agat de *exactionibus*, & aliis oneribus Ecclesiasticis, quibus gravari possunt Clerici; Nihilominus, quia ibidem incidentaliter saltem tangunt *exactiones*, quæ imponuntur Laicis, uti patet ex *cap Innovamus* 10. *h. t.* de iis quoque breviter saltem hic meritò agitur, præsertim cùm sit materia in praxi frequenter occurrens. Pro meliori autem hujus materiæ intelligentia placuit præmittere explicationem terminorum. Hinc

38 Notandum I. Nomine *Tributi*, si omninò latè sumitur, venire omne illud, quod quacunque ratione Principi, vel Reipublicæ ad onera communia sustinenda penditur, ac solvitur, quo sensu etiam *Tributa*, sunt *Vectigalia*, *Pedagia*, *Quidagia* &c. At verò *Tributum* strictè sumptum est *pensio*, quæ subditis imponitur Principi solvenda ad hoc, ut statum suum tueri, & communibus utilitatibus ac necessitatibus congrue prospicere possit, Germanicè *Steur*. Dividitur in ordinarium, & extraordinarium. *Ordinarium ordinary Steur*, est, quod singulis annis ad dictum finem ex lege nova, vel antiqua in certa quantitate solvitur. *Extraordinarium extra ordinary Steur, oder Anlag*, est, quod non singulis annis, nec aliis certis ac determinatis temporibus, sed ingruentibus extraordinariis necessitatibus ex mandato Principis juxta determinationem ejusdem à Subditis solvi debet; prout plerumque fit tempore belli. Hujusmodi *extraordinaria Tributa* aliàs etiam vocantur, *exactiones*, Talia, seu Taleæ, ita ut horum omnium nomine aliud non significetur, quam extraordinaria *pensio* seu *Tributum eih* Extra-*Steur*, *oder Anlag*, quod rursus subdividitur in duo membra, unum est, quod singulis personis, seu Capitibus nulla habita ratione facultatum imponitur, & *Capitatio* vocari solet *ein Kopff-Steur*, cujus impositio sanè modica debet esse, cùm à singulis etiam minimæ fortunæ, famulis, & famulabus præstatur. Alterum verò, quod secundùm æstimationem bonorum, quæ quivis possidet, taxatur & imponitur, *arg. L.* 3. *ff. de Censibus*, vide Lexicon Calvini *V. Tributum vers. Talia vers. exactio* item Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *par.* 1. *cap.* 3. *n.* 1.

39 Notandum II. *Vectigalia*, *Pedagia*, *Quidagia* (quæ hodie promiscue sumuntur) materna lingua *Maut und Zoll*, esse illud, quod transeuntes quivis incertis locis à Principe deputatis dare debent pro rebus, quæ vehuntur, vel portantur; vel etiam pro ipsis personis, quæ transeunt. Similia *Pedagia*, & *Vectigalia* plerunque exiguntur & dantur pro confectione ac conservatione pontium & viarum: quamvis etiam hac causa cessante exigantur pro interesse Principis onera publica portantis: uti videmus hodie, quod etiam, in navi per aquam vehentes, ubi nihil destruitur, vel reparatur, *Pedagia & Vectigalia* dari debeant. Porrò, quamvis, ut dictum *Vectigalia*, *Pedagia*, *Quidagia* hodie pro eodem, ac

ac promiscue sumantur; nihilominùs propriè loquendo, *Quidagium* est illud, quod transeuntes dant pro salvandis illis hominibus, qui securè deducunt per loca, vel alias loci securitatem præstant. Glossa *in c. Quamquam, in princip. h. t. in* 6. quod idem, strictè loquendo significat *Pedagium*, prout vult Schardius *V. Pedagium* addens ex Baldo, Dominum terræ *Pedagia*, vel *Quidagia* accipientem teneri ad resarciendum damnum, si transeuntes à raptoribus, vel aliis vias infestantibus, damnum patiantur. *Gabella* secundùm plures, idem est ac *Vectigal* ac *Pedagium*: Layman *loc. cit.* & Summistæ communiter: alii verò dicunt, *Gabellam* esse illud *Tributi* genus, quod datur Principi ob venditas res sive mobiles, sive immobiles, Germanicè *Auffschlag Accis*. Præmissa terminorum explicatione

40 Quæritur I. Quis possit imponere, & exigere *Tributa*, *Exactiones*, *Vectigalia*, &c. Resp. I. Soli Imperatores, Reges, & alii Principes in temporalibus superiorem non agnoscentes, exigere, & imponere possunt *Tributa*, *Exactiones*, & *Vectigalia*; ut proin alii inferiores prædictis, hanc potestatem non habeant, nisi eisdem vel ex speciali concessione, vel privilegio Principis, vel ex antiqua consuetudine jam præscripta competat. Ita Communis ac certa tam Theologorum, quam Canonistarum, *arg. c. Innovamus* 10. *h. t.* ubi universaliter omnibus sub pœna Excommunicationis strictissime prohibetur, ne nova *Pedagia*, vel *Exactiones*, sine authoritate & consensu Principum, & Regum statuere aliquo modo præsumant. Eadem pœna statuitur transgressoribus in Bulla Cœnæ.

41 Quæritur II. An semper, & pro libitu supremi Principes imponere possint nova *Tributa*, *Exactiones*, *Vectigalia*? Resp. Eos non semper, ac pro libitu, sed tunc solùm posse, quando adest justa causa, servando etiam debitum modum. Rursus Communis apud Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 1. *cap.* 3. *n.* 2. & 3. Sporer *tract.* 5. *in* 7. & 10. *præcept. Decalogi cap.* 5. *sect.* 6 *n.* 145. Lessius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 1. Molina *disp.* 666. qui cum aliis Doctoribus benè notant, quod *Tributum*, vel *Exactio nova*, vel *Vectigal* etiam ex justa causa impositum, diutiùs continuare Princeps non possit, ac quamdiu illa justa causa durat; qua cessante *Tributum* cessare debet; nisi forsan alia consimilis causa loco prioris subintraret. Responsionem confirmat etiam Bulla Cœnæ, §. 5. sic sonans: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis nova Pedagia, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi à Jure, seu speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis imponunt, vel augent.* Causæ autem justæ *Tributa*, & *nova Vectigalia* imponendi vel augendi inter alias sunt sequentes. I. Principis decens sustentatio considerato ejusdem statu, dignitate, & meritis in Rempublicam. II. Magna utilitas Reipublicæ. III. Necessitas communis Reipublicæ, qualis contingit tempore belli. IV. Expunctio debitorum pro communi utilitate, seu necessitate Reipublicæ contractorum &c. Layman *loc. cit. n.* 2. & alii Doctores *nu. præced.* citati, qui plures alias allegant, simulque communiter docent, quod si necessitas; vel causa similis sit perpetua, *perpetuum* quoque moderatum *Tributum* vel *Vectigal* imponi queat. Porro causa debet verè subsistere, & non ficta esse: quando enim Principes ob nimium luxum, pompam excessivam, ædificia superflua, immoderatas donationes &c. defectum ærarii patiuntur, & propterea ad *Tributa*, *Vectigaliave*, ac similes alias *Exactiones* deveniunt, etsi necessitas publica pro forma assumatur, reipsa tamen similis *Exactio* fraus est, & rapina, pauperumque oppressio, prout zelose scribit Navarrus *lib.* 3. *c.* 1. *n.* 255. Dixi in responsione, *servando modum debitum*; videlicet, ne plus exigatur, quam causa publica exigit: item ne ad alium finem, quam causæ publicæ usum applicetur. Ex quo cum Communi certa Doctorum.

42 Colliges, Principes non tantùm gravissime peccare, sed etiam ipso facto Excommunicationi subjacere, ac insuper ad restitutionem teneri. I. Quoties sine justa causa publica *nova Tributa*, *Vectigalia*, *Gabellas*, vel alias *Exactiones*, qualitercunque eas baptizent, imponunt subditis. II. Si plus exigunt, quam causa ipsa requirit. III. Si causa justa cessante continuant, nisi nova emergat. IV. Si *antiqua Tributa*, aut *Vectigalia* augent, absque justa causa. V. Si antiqua, & extraordinaria *Tributa*, aut *Vectigalia* per se jam essent sufficientia ad causam, vel necessitatem præsentem tollendam. Peccant etiam VI. Si nimiis, & excessivis luxu, pompa, lusu, conviviis, donationibus, recreationibus, ædificiis &c. omninò exhauriant æraria, vel etiam debitis Cameram gravent, ut quavis veniente necessitate cogantur statim indicere nova *Tributa*, *Vectigalia*, *Gabellas*, & id genus *Exactionum*, cùm alias antiqua *Tributa* & ærarium ad tollendas similes necessitates, vel omninò sufficientia fuissent, vel certè cum magno sublevamine pauperum multum contribuere potuissent. Et in hoc habent, quod multum attendant Consiliarii, & Confessarii Principum, ne alias vel muti canes, vel adulantes politici, vel displicere timentes, & se & Principes in æternum perdant, simulque miseros subditos plurimis, iisque gravibus oneribus & *Exactionibus* emungant. Certè severe scribunt de hac materia cuncti Doctores.

43 Quæritur III. An *Tributa*, *Exactiones*, *Gabellæ*, & *Vectigalia* imposita obligent in conscientia, ita ut defraudantes peccent graviter, & ad restitutionem teneantur? Quæstio hæc quotidiana, summè practica, maximè conscientiosa, & solutu admodum difficilis est. Resp. I. Quandò certò, aut satis probabiliter constat, *Tributa*, *Exactiones* &c. ex toto, vel ex parte injustè esse imposita, puta, quia vel sine justa causa, vel in majori quantitate exiguntur, quam causæ necessitas requirit, vel imponuntur sub prætextu justæ causæ; & interim ad usus non necessarios aut privatos applicantur, in conscientia non obligant; potest proin quis ea vel ex toto, vel ex parte non tantùm tuta conscientia subterfugere; & defraudare, sed insuper occulta compensatione uti, casu quo in foro externo, uti ordinariè fit, ad dandum cogeretur. Ita sentit Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *par.* 1. *cap.* 3. *n.* 5. Sylvester *V. Gabella* 3. *q.* 3. & 14. Molina *disp.* 674. Sporer *tr.* 5. *in* 7. & 10. *Præceptum Decalogi n.* 152. dicens, ita pro certo tenere Omnes. Ratio in promptu est: quia nemo tenetur dare id, quod ab eo injustè petitur, per vulgaria; & si eidem vel auferatur, vel is ad dandum quovis modo cogatur, occulta compensatione indemnem se facere potest, juxta dicta *Tit. XVIII. de Locato & conducto.*

44 Resp. II. Quando est dubium, sive positivum ratione pro & contra stante, sive negativum de justitia *Tributi*, *Gabellæ*, seu *Vectigalium novorum*, non datur in conscientia obligatio ea solvendi. Ita communior, & verior, ac in praxi tuta sententia, quam tenet Lugo *de Just. & jur. disp* 36. *sect.* 6. Sanchez *lib.* 2. *consil. c.* 4. *dub.* 6. Azorius *par.* 3. *cap.* 22. *quæst.* 7. Molina *disp.* 674. *n.* 6 & 9. Sporer *loc. cit. n.* 154. Sylvester, Rosellus, Corduba, Armilla, Diana, & communis fere omnium, teste Lugo *loc. cit. arg c. Pervenit. de Censibus, h. t* & *c. Quamquam, eod. in* 6. Ratio esse potest; quia melior est conditio possidentis, *c.* 65. *de R. J. in* 6. consequenter si dubitatur an *Tributum* justè petatur, melior est conditio subditi bona fide adhuc possidentis. Nec dicas cum Adversariis, quando est dubium de justitia, legis, vel præcepti, præsumptionem stare pro Superiore, eique parendum esse, juxta communem. Nam contra est, quod hæc doctrina tunc non verificetur, nec procedat, quando agitur de ipso Legislatoris interesse proprio; hoc enim in casu præscriptio pro ipso non stat; præsertim hoc tempore, ubi non rarò *Tributa*, *Exactiones*, & similia injustè, & excessive imponuntur. Accedit, quod cùm ipsa Jura tam Canonicum *c. Quamquam* 4. *de Censibus in* 6. quam Civile *l. Non solent. C. Vectigalia nova*, damnent & rejiciant *novas Exactiones*, & *Pedagia nova*, consequenter solvenda non sint, quando de eorum justitia apertè non constat, *arg. c. Pervenit. h. t.* eo quòd contra ea ipsum Jus militet. Dixi notanter *nova*: quia quando dubitatur *de antiquis*, de quorum initio non extat memoria, præsumendum est, ea justa de causa imposita esse, consequenter obligare in conscientia, ubi citati Doctores, & alii fere communiter affirmant. Grandis autem modo est difficultas de justè impositis *novis Tributis*, *Exactionibus* &c. Ad quam

45 Resp. III. Si non certa, sanè certò probabilior ac verior est sententia dicens, quod *Tributa*, *Exactiones*, *Gabellæ*, ac *Vectigalia* etiam *nova* justè imposita obligent in

in conscientia, ita ut ea defraudans pro materiæ quantitate graviter, vel leviter peccet, atque ad restitutionem teneatur. Ita Communissima, signanter Lessius *loc. cit. dub. 1. n. 8.* Lugo *disp. 36. sect. 4.* Layman *loc. cit. n. 5.* Diana *par. 1. tr. de Legibus, Resol. 19.* Molina *disp. 674.* Layman *lib. 3. tr. 3. par. 1. c. 3. n. 5.* Covarruvias *in c. Peccatum de R. J. in 6. par 2. §. 5. n. 1. & 5.* Alphonsus de Castro *lib. 1. de Lege Pœnali, cap. 9. & 11.* ubi dicit, Conclusionem adeò esse certam, ut contraria doctrina sit error. Navarrus *in Manual. cap. 17. n. 200.* Sanchez *lib. 2. Consil. cap. 4. dub. 1. n. 8.* Sylvester, Cajetanus, Corduba, Medina, Sporer *loc. cit. n. 250.* & Communissima aliorum, contra Angelum, Henricum, Durandum, Lessium, & alios satis graves Authores. Probatur. Obligatio solvendi *Tributa, Exactiones, & Vectigalia* justa est de Jure Divino, & naturali; ergo obligat in conscientia. Ant. probatur, *ad Romanos 13.* dicitur: *Ideò enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Et *Matth. 21.* Christus ipse, quæstione facta de hac materia, ostenso sibi numismate dixit: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei.* Imò non tantum verbo, sed & exemplo docuit: *justa Tributa* esse solvenda; dum *Matth. 22.* pro se, & Petro Tributum solvit. Probatur, quod etiam sit de Jure naturali. *Tributa, Exactiones, Gabellæ, & Vectigalia justa* exiguntur, vel tanquam justa merces Principi pro sustentatione ejusdem, vel pro communi utilitate Reipublicæ procuranda, vel malo ejusdem avertendo; atqui utrumque obligat de Jure naturali; ergo. Probatur Min. quoad *primum*, quando enim tributa exiguntur pro sustentatione Principis: tunc siquidem sunt justa merces pro laboribus, & oneribus, quæ Princeps sustinet in gubernanda, & conservanda Republica: de Jure autem naturali *dignus est operarius mercede sua*; ergo. Probatur quoad *secundum*; de Jure naturali tenentur Membra Communitatis etiam cum privato aliquo proportionato damno, evitare damnum Communitatis, ejusque bonum procurare, si aliter fieri non potest: atqui, uti supponitur, damnum Communitatis alia ratione averti nequit, nec bonum ejusdem procurari, nisi Communitatis Membra *Tributa*, vel alias *Exactiones* solvant: ergo. Confirmatur, Lex, vel mandatum Superioris justum obligat in conscientia, juxta certissimam apud Covarruviam *loc. cit. n. 1.* juxta illud Pauli ad Rom. 13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, sibi ipsi damnationem acquirunt.* Huc faciunt etiam dicta *lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 9.* Confirmatur ulterius, quandocunque quis ab aliò juste, sive ex justitia prætendit & exigit, ille, à quo prætenditur, obligatur juste petenti illud dare; quia *correlativorum eadem est ratio & disciplina*, per vulgaria: atqui Princeps ex justa causa petens *Tributa* juste, sive ex justitia illa exigit; ergo.

46 Objicies I. Cùm Authoribus contrariam sententiam tenentibus: Lex pœnalis non obligat in conscientia, sed Lex imponens *Tributa, Exactiones, Gabellas, Vectigalia*, est pœnalis; ergo. Resp. Distinguendo Majorem. Lex merè pœnalis non obligat in conscientia, concedo Majorem. Lex pœnalis mixta, qualis est Lex *Tributa & Vectigalia* imponens, utpote quæ sub culpa simul & pœna obligat, nego Major. Distinguitur etiam Minor: Sed Lex *Tributa* &c. imponens est pœnalis, merè talis, negatur Minor. mixta: conceditur Minor, & negatur conseq. Ex hoc enim, quod aliqua Lex sub pœna feratur, non bene infertur, eam esse merè penalem, sub sola pœna obligantem; aliàs certè Lex non furandi, non occidendi &c. essent merè pœnales sine culpa ad solam pœnam obligantes. Quod autem Lex *Tributorum* sit mixta, inde patet; quia obligat de Jure Divino, & naturali, cujus obligatio minime tollitur per pœnam, quæ ei per Legem humanam de novo adjicitur: sicut universaliter per hoc; quod aliquid de novo sub pena prohibeatur, non tollitur obligatio sub culpa, sub qua priùs jam idem vi Legis Divinæ naturalis, aut canonicæ erat prohibitum.

47 Objicies II. Lex *Tributa, & Vectigalia* etiam *justa* imponens, de Jure Divino ac naturali aliter non obligat, quam eo modo, quo Legem ponit, & obligare vult Legislator humanus *Tributa* imponens: sicut enim non obstante, quod Deus universaliter præcipiat, *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*, nihilominùs hoc præceptum Divinum aliter non obligat, quam ut obediamus Superioribus eo modo, quo præcipiunt; indeque Superior humanus sub sola pęna aliqua præcipere potest; ita etiam non obstante Lege Divina, qua præcipitur ut detur *Tributum, cui tributum, vectigal, cui vectigal*, hæc Lex ad plus non obligat, quam ut demus *Tributum* eo modo, quo Legislator præcipit, qui sub sola pęna præcipere potest: sed Legislatores humani imponentes *Tributa, & Vectigalia* sub sola pęna obligare intendunt; ergo. Minor probatur, quando dubitatur de mente Legislatoris, num sub sola pęna, vel etiam sub culpa obligare intendat, intentio ejusdem inter alia optimè etiam desumitur ex consuetudine, juxta communem Theologorum, & diximus in nostra Theologia Morali *T. 2. dist. 2. n. 33.* eò *quod consuetudo sit optima Legum interpres*, *c. cùm dilectus 8. de Consuet.* atqui per communem consuetudinem Lex *Tributorum & Vectigalium* habetur pro mera pęnali, cùm homines absq; ullo scrupulo aut timore de peccato, passim, ubi possunt, *Vectigalia, Tributa, & Gabellas* defraudant, id solùm attendentes; ne in foro externo deprehendantur; ergo. Resp. Transmissa Majori, & probatione ejusdem; negando Min. videlicet, quod Principes imponentes *Tributa, & Vectigalia* apertè justa & moderata; vel pro decenti suorum non excessiva sustentatione, vel pro bono communi, quod alia via haberi nequit, non intendant obligare in conscientia: præsertim cùm ad hoc faciendum à lege naturali ac Divina dirigantur: cui derogare cum suorum & Communitatis præjudicio velle non sunt præsumendi. Ad probationem respondeo concessa Major. rursus negando Min. Quod nempe universim quævis Lex *Tributa, & Vectigalia* etiam *justa* imponens habeatur vi consuetudinis pro merè pęnali, & passim sine scrupulo violetur; quamvis enim id fiat in *Tributis, & Vectigalibus*, quæ communi æstimatione videntur excessiva, & nimia, vel de quorum æquitate saltem dubitatur; tamen de apertè *justis* aliter videmus fieri; eaque à timentibus Deum (mali pro exemplo adducendi non sunt) exactè solvi, vel non soluta Confessioni subjici; hoc ipso, quod sciant, se ad honeste sustentandum Principem, malumque commune avertendum de Jure naturali, ac Divino obligari. Cæterùm ex hactenus data doctrina:

Colliges I. Quod, quia experientia teste, hoc tempore sæpiùs omninò juste, vel certò apertè excessiva imponuntur *nova tributa*, ac similes *Exactiones*, cùm plura applicentur ad excessivum luxum, pompam &c. posse tuta conscientia subditos illa vel ex toto, vel ex parte defraudare, quando nempe vel ex toto, vel ex parte, ea injusta communiter æstimantur. 48

Colliges II. Quod cùm hodie rarò supersit via subditis defraudandi *Tributa, & Exactiones* alias, sed omnia sive *justa* sint, sive *injusta*, dare cogantur; ac severe compellantur, in conscientia liceat subditis etiam *justa* ac moderata defraudare *Tributa, & Exactiones*, si alia via non possunt se indemnes reddere ratione *Tributorum, & Exactionum injustarum* vel excessivarum, quas dare sunt coacti. Idem est de *Gabellis & Vectigalibus* noviter impositis.

Colliges III. Quod, licet *Gabellæ, & Vectigalia*, sicut etiam *Tributa antiqua* ordinariè præsumantur *justa*, nihilominùs, si videt subditus, quod per *nova Tributa Exactiones, Gabellas* &c. injuste sit gravatus; etiam *antiqua* defraudare in tantùm valeat, quantum per *nova* se injuste gravatum cognoscit. Ex quoniam hoc in *Gabellis, & Vectigalibus* commodius fieri potest, in iisdem fieri dicto modo licebit.

Colliges IV. Quod, cùm his perversis temporibus persæpe & toties injuste, vel excessive (abstrahendo à quavis Provincia in particulari & Principe, quorum nulli per hoc in minimo detrahere, vel derogare intendimus, sed universaliter pro toto mundo scribimus) graventur, & emungantur, ut ob omnes præclusas vias vix possibile sit subdito, tantum defraudare, quantum ad recuperandum injustum damnum passum sufficiens esset ordinariè, & in praxi loquendo, vel nunquam, vel raro peccent subditi, multò minùs ad restitutionem obligandi sint, si defraudant quodcunque tandem genus *Tributorum, Gabellarum*, aut *Vectigalium*.

Colliges V. Doctrinas hucusque traditas nequaquam pro-

procedere de annuis *Canonibus*, & *Laudemiis*, quæ à subditis Emphyteutis vel Fundatariis præstantur Dominis in recognitionem dominii directi, ac alias similes rationes, eò quòd hæc vi contractus Jure naturali obligantis suam vim, & efficaciam habeant. Nisi etiam in his excessus fiat, & injustitia à Dominis, ut si sine justa causa *Canones annuos*, vel *Laudemia* augent; vel *Laudemia* injuste multiplicant, juxta dicta suprà *Tit. de Locat conduct. §. 7.*

§. IV.

De Procurationibus: ubi etiam de Visitationibus.

SUMMARIUM.

49 *Procuratio ad præsens quid?*
50 *Tenentur ad eam omnes Ecclesiæ, & Monasteria Visitationi subjecta.*
51 *Excipiuntur Oratoria privata.*
52 *Item Ecclesiæ habentes privilegium non dandi, aut consuetudinem universalem contrariam.*
53 *Atque Ecclesiæ pauperes: & quomodo?*
54 *Nec non Ecclesię Civitatis, ubi episcopus Sedem habet.*
55 *Hospitalia, & alia loca pia pro pauperibus erecta non tenentur ad Procurationem.*
56 *Procuratio, quæ comprehendat?*
Victus nomine, quæ veniant? Ibid.
57 *Debet tantùm moderata peti, & dari.*
58 *Visitatio cujusvis Ecclesiæ una die peragi debet.*
59 *Licitum est, loco Procurationis pecuniam accipere. Et num. seq.*
61 *Intuitu Procurationis nullus omnino potest aliquod munus etiam gratis oblatum accipere.*
62 *Procuratio consuetudine universali tolli potest.*
63 *Non item particulari, seu præscriptione.*
Dictio Seu facit sensum declarativum. Ibid.
64 *Visitatio, & visitare quid?*
65 *Episcopi per se, vel per alios singulis annis tenentur visitare Diœcesin, vel saltem quolibet biennio.*
66 *Ecclesias omnes, & Monasteria non exempta.*
67 *Non item Monasteria exempta, habentia Caput Ordinis: nisi habeant etiam Ecclesias sæculares.*
68 *Monasteria Ordinis Caput non habentia, quando visitare possint?*
69 *Episcopus in visitatione non tantùm Ecclesias, & Clerum, sed etiam populum visitare debet quoad delicta, & scandala, illaque avertere. Et n. seqq.*
Laici quoad delicta, & peccata subsunt jurisdictioni, correctioni, & Visitationi Episcopi. Ibid.
71 *Visitatio non potest præscribi. Remissivè.*

49 Quæritur I. quid sit ad propositum *Procuratio*, & quinam ad eam teneantur? Resp. I. Quamvis alias *Procuratio* varia significet, ad præsens tamen aliud non est, quam contributio sumptuum, & expensarum necessariarum pro victu & honesta sustentatione tempore Visitationis præstanda illis, qui Ecclesias Diœcesis visitant. Ita in re communis, *arg. c. Procurationibus 23. h. t.* & *Concil. Trident. Sess. 24. de refor. cap. 3.* Cùm enim multum, imò plurimum intersit, ut Ecclesiæ sæpius visitentur, juxta dicenda infrà *n. 65.* ideò in Concilio Toletan. 4. *cap. 35.* relato, *can. Episcopum 11. caus. 10. q. 1.* statutum, atque à Concilio Tridentino *loc. cit.* denuò confirmatum fuit, ut Episcopi per se, vel per alios singulis annis visitarent omnes Ecclesias suæ Diœcesis: quod ut promptius facerent, & ne timore expensarum Visitationē negligerent, ulterius statuere, ut eisdem honesta sustentatio ex redditibus Ecclesiæ præberetur pro eo tempore, quo eam visitant, per Jura allegata.

50 Resp. II. Regulariter loquendo ad *Procurationem*, seu honestam sustentationem Visitatoribus pręstanda tenentur omnes Ecclesiæ, & Monasteria *Visitationi* subjecta, nisi per Jura ab hoc onere sint exempta. Communis ac certa, *arg. c. Conquerente 16. de offic. Ordin. c. cùm ex Officii 16. de Præscr. c. Procurationes 23. h. t.* ibi: *Procurationes ratione Visitationis debentur Episcopis &c.* & *c. Sopitæ 14. eod.* ubi etiam Monasteria quantumvis alias à Lege Diœcesana exempta, per dicta *n. 12.* ad eam teneri dicitur, & Concil. Trident. *loc. cit.* Quod intellige, etiamsi Episcopi, vel alii Visitatores aliunde sufficientes, vel etiam abundantes redditus habeant, ut bene observat Abbas *in c. Procurationes 23. h. t.* Tum quia *nemo cogitur propriis stipendiis militare: & malum non est, si metat carnalia, qui spiritualia seminat*, ut dicitur *cit. c. cùm ex Officii de Præscript.* Tum quia *dignus est operarius mercede sua*, Lucę 10. Tum ut magis alliciantur ad Visitationem episcopi, quam aliàs ob annuas expensas facile negligerent.

Dixi, *Regulariter loquendo*, quia limitatur Conclusio I. In Oratoriis privatis, etiamsi ab Episcopo, vel per Destinatum ab eo visitentur. Omnes, ob textum expressum *c. fin. h. t.* ubi Summarium sic habet, *propter Oratorium privatum Procuratio visitationis non debetur.* Censentur autem Oratoria privata illa, quæ authoritate Episcopi non fuere erecta, ut *in cit. c. fin.* bene observat Barbosa, & constat ex dictis, *Tit. de Religios. Domib.* 51

Limitatur II. In Ecclesia, quæ vel speciali privilegio Pontificio est exempta, *c. cùm instantia 17. h. t.* Item in locis seu Provinciis, ubi *consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant*, uti expresse statuitur à Conc. Trid. *Sess. 24. de refor. c. 3.* quod intellige de consuetudine universali alicujus Diœcesis, vel Provinciæ, non item alicujus loci, vel Ecclesiæ particularis, justa dicenda infrà *n. 62.* 52

Limitatur III. In Ecclesiis, & Beneficiatis pauperibus, qui sufficientes redditus ad Procurationem Visitatoribus præstandam non habent. Fagnanus *in c. Venerabilis 23. h. t. n. 33.* Barbosa *de offic. & potest. episc. loc. cit. n. 51.* Jo. Andreas *in c. Procurationes 23. h. t. n. 6.* & ibi Hostiensis *n. 4.* Butr. *n. 5.* Cardinal. *n. 3.* Barbosa *de offic. & potest. episc. alleg. 73. n. 52.* Abbas *n. 7.* Pirhing *h. t. n. 82.* cum Communi, *arg. can. Cavendum caus. 10. q. 3. c. Statutum 11. §. Insuper de rescr. in 6.* ibi: *Ubi notabiliter fuerint pauperes; etiam pro expensis nihil prorsus exigatur ab eis can. Placuit. caus. 1. q. 2.* ibi; *Si aut paupertas, aut necessitas illum retinet, nihil exigatur ab eo* & *c. cùm instantia 17. h. t.* & ibi Glossa *V. Indebite prægravari*, ubi ait: *imò à paupere non debet exigere*; rationem aliquam addit, quia nec Judex sportulas exigit à pauperibus, *Novell. 17. cap. 3.* Unde in Visitatione ita pauperum Ecclesiarum debet Episcopus ex suis redditibus expensas solvere. Bellet. *Disquisit. cleric. p. 1. de cleric debit. §. 11. n. 8.* Intellige, ubi notorie constat de paupertate Ecclesiæ, aut Beneficii. In dubio enim potest Episcopus Juramentum exigere à Rectore Ecclesiæ, vel Beneficiato paupertatem allegantem, Abbas *loc. cit. n. 7. arg. c. fin. de Jurejurand.* vel sub conditione eundem excommunicare: v. gr. *Excommunico te, nisi Procurationem præbeas juxta facultatem tuam.* Abbas *ib.* Advertendum tamen, quod si aliqua Ecclesia dare aliquid, sed non totum pro necessaria *Procuratione* præbere valeat, ex toto non eximatur, sed cum alia simili vel pluribus pauperibus concurrere debeat, juxta dicenda infrà *n. 58.* 53

Limitatur IV. Si Episcopus visitat Ecclesiam Cathedralem, aut alias Ecclesias, vel Clerum Civitatis, in qua Sedem habet. Fagnanus *loc. cit. n. 15.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 73. n. 46.* Pirhing *h. t. n. 74.* & alii, *arg. Concil. Trid. Sess. 24. cap. 3.* ubi juxta Jus commune *c. Venerabili*, statuit, ut non nisi tempore necessitatis, id est, si extra Sedis suæ Civitatem in tali Diœcesis loco visitat, ex quo pro refectione domum venire non possit, prout teste Fagnano *loc. cit.* sæpe declaravit S. Congregatio 54

Resp. III. Hospitalia, Leprosaria, & alia pia loca pro pauperibus, aut infirmis deputata, etiam authoritate Episcopi erecta, non tenentur ad *Procurationem* Visitatoribus exhibendam, etiamsi amplissimos habeant redditus. Fagnanus *loc. cit. n. 34.* Barbosa *loc. cit. n. 50* Pirhing *h. t. n. 79.* Sylvester *V. Hospitale.* Cardinal. *in Clem. Quia contingit. de Relig. Domib. n. 18.* & ibi Imola *n. 23.* Beller. *loc. cit. n. 10.* Estque declaratum à S. Congregatione, teste Fagnano *loc. cit.* Ratio potissima est. quia redditus talium locorum omnes quantumvis ampli applicari debent in usus pauperum, *Clem. Quia contingit. de Relig. Domib.* consequenter, si quid ab iis exigeretur, pauperibus præjudicaretur, utpote, qui ad victualia non tenentur, *arg. c. 4. h. t.* ubi bene ibi notat, & Conclusionem fuse prosequitur Fagnanus *loc. cit.* ubi vide. 55

Quæritur II. Quænam comprehendantur sub *Procura-* 56

ratione? Et quomodo exigi possit, ac præstari debeat? Resp. I. Sub ea comprehendi omnia, quæ sunt necessaria pro victu, cibo videlicet, potu, & habitatione ipsius Visitatoris, & honesti comitatus ejusdem: item pabulum pro equis & jumentis necessariis: quæ omnia ex redditibus Ecclesiæ, aut Beneficii præberi debent, & à Visitatore exigi possunt, quamdiu Visitatio durat. Azorius *par. 2. lib. 3. cap. 42. q. 7. V. Quæres*. Barbosa *de offic. & potest. episc. alleg. 73. n. 57.* & communis aliorum. Ratio est, quia omnia præfata nomine victus veniunt, *l. Verbo victus & duabus seqq. ff. de V. S.* Quoniam verò victus nomine non veniunt vecturæ equorum, & jumentorum, ideò ad expensas, quæ in iis emendis aut conducendis, ac quæ in itineris transitu, aut etiam in vectura equorum fiunt, Ecclesia non tenetur. Azorius *loc. cit. q. 8.* Barb. *loc. cit.* Abbas *in c. Procurationes 23. h. t. n. 4.* Sylvester *V. Visitatio q. 6.* Bellet. *l. c. §. 11. n. 4.* & alii; nisi Visitator sit Nuntius, aut Legatus Apostolicus, qui etiam expensę pro equis de loco ad locū, necessariæ solvi debent, uti citati DD. limitant.

57 Resp. II. Sicut non potest Visitator ex redditibus Ecclesiæ visitandæ prætendere victum, nisi moderatum, ita obligatio non nisi ad moderatum, & talem se extendit, ex quo nimium non gravatur Ecclesia, claris Juribus *c. cùm Apostolus 6. c. Procurationes 23. h. t. c. Conquerente 16. de offic. Ordin.* juncto Concilio Tridentino *Sess. 24. de refor. cap. 3.* ibi: *Exceptis tantùm victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter, ac moderate pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda.* Hinc prohibetur *c. 6. h. t.* ne *Visitatores cum canibus venatoriis & avibus proficiscantur, sed ita procedant, ut non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quærere videantur. Nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honeste, & competenter eis fuerit ministratum.* Et quamvis etiam attendi possit ac debeat consuetudo loci, & conditio Visitatoris: tamen semper observare oportet, ne nimium, & ultra facultates gravetur Ecclesia, per Jura citata, & *c. Solitæ 14. ac c. cùm nuper. 25. h. t.*

58 Porrò ad evitanda gravamina Ecclesiarum ordinatur, ut, nisi necessitas aliud exigat, *Episcopus Diœcesin visitans non amplius quam una die per unamquanque* Basilicam remorandi licentiam habeat, *can. Inter cætera caus. 10 q. 3.* Quod idem *c. Procurationes 23. h. t.* habetur, dum statuitur, *Ita fiant ordinariæ Visitationes, ut numerus Procurationum numerum dierum non excedat*; ubi ulterius ordinatur, *quod si pro facienda Procuratione necessaria non suffecerit aliqua* (Ecclesia) *per seipsum, duæ, vel plures conjungantur in unam.*

59 Resp. III. Quamvis olim probibitum fuerit pretium moderatæ *Procurationis* in pecunia accipere, *can. Relatæ caus. 10. q. 1.* & *c. 1. § Procurationes,* & *c. 2. h. t. in 6.* tamen id hodie omninò licet, textu expresso *c. 3. h. t. in 6.* ibi: *Concedimus, ut Episcopi, & alii, quibus ex Officio competit visitare, à volentibus Ecclesiarum & locorum Visitatorum Rectoribus, seu personis pecuniam libere accipere valeant pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, & diebus, quibus Visitationis Officium personaliter exercebunt.* Et Concil. Trident. *Sess. 24. de refor. c. 3.* ibi: *Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis ante solvi, certa pecunia taxata, consuetum, an verò prædicta victualia subministrare.*

60 Ubi tamen notandum, quod si Visitator una die plures Ecclesias visitando absolvat, eidem non liceat, nisi unam Procurationem accipere una die &c. etiamsi locus quilibet visitatus ab illo, sufficeret ad Procurationem integram subeundam; cùm eidem sufficere debeat, ut temporalia metat à locis personaliter visitatis, pro diebus, quibus eis spiritualia subministrat, prout in terminis statuitur *cit. c. 3 h. t. in 6.* Hinc in tali casu plures Ecclesiæ una die visitatæ debent expensas factas, vel faciendas proportionaliter inter se dividere, & omnes simul tantum non plus solvere, quantum Procuratio seu honesta, ac moderata sustentatio unius diei pro Visitatore & comitatu ejusdem efficit: quod etiam observat Zerola *V. Visitatio §. Sextum dubium.*

61 Resp. IV. Tam Episcopus, quam deputatus ab eo Visitator cavere gravissimè tenetur, ne causa & occasione *Visitationis ipse, vel quispiam suorum* (sive Secretarius sive quis alius de comitatu ipsius sit) *aliquod munus, quodcunque sit, & qualitercunque offeratur, præsumat recipere* (excepto necessario victu) *ut non quæ sua sunt videatur quærere, sed quæ Jesu Christi. Quod si fuerit contra præsumptum recipiens maledictionem incurrat, à qua nunquam, nisi duplum restituat, liberetur: volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari:* sunt verba Pontificis *c. 2. h. t. in 6.* quod idem statuit Concilium Tridentinum *Sess. 24. de refor. c. 3.* ubi Constitutionem extendit etiam ad visitationem *Testamentorum ad pios usus*, additque clausulam *non obstante quacunque consuetudine* etiam immemoriali: simulque mandat ut dupli restitutio intra mensem fiat. Ex quo Barb. *in c. 1. h. t. in 6. n. 27. & 22.* monet Confessarios, ne aliquem ex dictis, munus occasione *Visitationis* acceptantem absolvant, nisi priùs serio promittat, quod intra mensem in duplo restituere velit.

62 Quæritur III. An consuetudine aut præscriptione abrogari possint *Procurationes*, ita ut Ecclesiæ visitatæ ad nullas expensas pro victu Visitatoris solvendas teneantur? Resp. Quamvis consuetudine universali integræ alicujus Diœcesis, vel Provinciæ abrogari possunt *Procurationes* de Jure debitæ, nequit tamen id fieri aliqua præscriptione particulari unius, vel alterius Ecclesiæ in Diœcesi. *Prima pars* de consuetudine universali Diœcesis est hodie certa apud Omnes, ob clarissimam Dispositionem Concilii Tridentini *Sess. 24. de reform. cap. 3.* cujus textum vide supra *n. 52.*

63 *Secunda pars* docetur, & solidissime probatur à Fagnano *in c. Venerabili 24. h. t. à n. 25.* contra Barbosam *de offic. & potest. episc. alleg. 73. n. 48.* Stephan. Gratian *Discep. Forens. c. 57. n. 19.* & Communissimam aliorum, qui præfatum textum Concil. Trident. de consuetudine Provinciarum extendunt etiam ad particularem consuetudinem, seu potius præscriptionem Ecclesiarum in particulari, putantque per eum, derogatum esse juri antiquo contrarium statuenti. Probatur autem sententia nostra clare ex Jure *cap. Cùm instantia 17. h. t.* ubi expresse habetur, quod *contra Procurationem præscriptio sibi locum nequeat vendicare; etiamsi longissimo tempore procurationis obsequium non impenderint.* Quod idem repetitur *c. Accedentes 11. de præscr.* ibi: *Cùm contra procurationem, quæ ratione visitationis debetur, præscribi nequeat; quemadmodum nec contra Visitationem ipsam.* Rationem & solutionem Textuum aliorum, qui in jure videntur contrarii, vide *lib. 2. Tit. 26. de præscr. à n. 50.*

Nec valet fundamentum Adversariorum dicentium, Juri communi pro sententia nostra per varios textus allegatos, derogatum esse per Concil. Trident. *Sess. 24. de refor. c. 3.* vi textus *n. 52.* positi. Nam contra est, quod Concilium ibidem non loquatur de Præscriptione, sed de consuetudine; ibi *ubi est consuetudo in locis, seu provinciis &c.* ad consuetudinem autem propriè talem requiritur, ut sit generalis in loco, cùm à particularibus introduci nequeat, uti Præscriptio: quæ per hoc essentialiter differt à consuetudine, quod illa detur inter privatos, & à privatis inducatur: è contrà verò consuetudo cùm sit Lex & Jus non scriptum *l. De quibus ff. de Leg. & §. Ex non scripto. Instit. de Jure natur.* cum Concordantiis, non nisi respectu Communitatis in aliquo loco detur, & non nisi ab hac introduci queat; prout jam dictum est *lib. 1. Tit. 4. de Consuet. nu. 23.* & fatentur ipsi Adversarii, ergo ab hac ad illam non licet argumentari. Præsertim quia ipsummet Concilium Tridentinum expresse tantùm de consuetudine universali integrarum *provinciarum*, & non de particulari unius, vel alterius Ecclesiæ loquitur *cit. Sess. 24. de refor. c. 3.* per verba *in illis locis & provinciis, ubi est consuetudo, arg. can. Novit dist. 12. & l. Omnes. C. de Episc. & Cleric.* Accedit, quod dictio *Seu* hic non sumatur in sensu disjunctivo, sed declarativo, & expositivo indicans, quòd verba inter quæ stat, idem significent, ut bene advertit Fagnanus *loc. cit. nu. 27.* ut sensus sit, *in locis, seu,* id est, *provinciis, arg. c. Bonæ 3. de postulat. prælat.*

Confirmatur. Correctio Jurium est odiosa, & pro possibili vitanda; *cùm expediat jura Juribus concordare, & eorum correctiones, si sustineri valeant, pro possibili, evitari,* ut dicitur *c. cùm expediat. 29. de election. in 6.* ergò cùm in præfato sensu bene concordare possimus Concilium Tridentinum cum Jure antiquo, id facere debemus.

Quandoquidem *procuratio* ratione, & intuitu *Visitationis* datur, non incongrue breviter de ea hic agitur.

Quæ-

64 Quæritur IV. Quid sit *Visitatio*, seu visitare, ratione cujus debetur *procuratio*? à quibus? circa quæ? quare? & quomodo fieri possit, vel debeat? Resp. I. *Visitare* nihil aliud est, quam excessus, ac defectus inquirere, inventosque castigare, & convenientibus remediis emendare; atque observantiam obligationum juxta cujusvis personæ, ac rei exigentiam, ubi adhuc viget conservare, & ubi deficit, in pristinum restituere. Barbosa *de Offic. & potest. episc. alleg. 73. n. 1.* & in re communis, patebitque ex sequentibus.

65 Resp. II. Locorum Ordinarii v. gr. Episcopi non tantum possunt, sed etiam tenentur graviter singulis annis, aut si ob latitudinem fieri nequeat, saltem quolibet biennio totam Diœcesin, & Ecclesias ejusdem visitare. Communis ac certa, per clara jura *can. Decrevimus 10 caus. 10. q. 1.* ibi: *Decrevimus, ut annuis vicibus ab episcopo Diœceses visitentur,* & *can. episcopum 11 ead. caus. & q.* ibi: *episcopum singulis annis ire oportet, ut exquirat &c. Quod si ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, id explere nequiverit; presbyteros probabiles, aut Diaconos mittat, qui redditus Basilicarum, & Ministrantium vitam inquirant.* Concordat Concilium Tridentinum *Sess. 24. de refor. c. 3.* ibi: *Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & episcopi propriam Diœcesin per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium Visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non possunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per se, vel per Visitatores suos compellatur, visitare non prætermittant:* Simile quid habetur *Sess. 7. de reform. c. 8.* ibi: *Laicorum Ordinarii Ecclesias quascunque, quomodolibet exemptas, authoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, & opportunis juris remediis providere, & quæ reparatione indigent, reparentur, & Cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis, minime fraudentur; appellationibus, privilegiis, consuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præscriptis, judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus exclusis.*

66 Resp. III. Non tantùm Ecclesias communes Diœcesis, sed etiam Capitula, & Ecclesias Cathedrales, aliasque majores, & personas illarum: item Monasteria non exempta, & quidem sæpiùs in anno, si placuerit, visitare potest Episcopus. De Capitulis Cathedralibus aperte constat, ex Conc. Trident. *Sess. 6. de refor. c. 4.* ibi: Capitula Cathedralium, & aliarum majorum Ecclesiarum: illarumque Personæ nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantùm suos obligent Authores, non etiam Successores, tueri se possint, quo minùs à suis Episcopis, & aliis majoribus Prælatis per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta Canonicas Sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam authoritate Apostolica possint, & valeant. De Monasteriis non exemptis constat ex *can. Visitandi 24. caus. 18. q. 2.* ibi: *Quoties placuerit,* & *can. Non semel 29. ead. caus. & q.* ibi: *Non semel, sed sæpius in anno episcopi visitent Monasteria Monachorum, & si aliquid corrigendum fuerit, corrigatur.*

67 Resp. IV. Regulares tamen, & Monasteria eorum exempta, quæ in Congregationem redacta subsunt totius Ordinis Capiti, nullatenus visitari possunt ab Episcopis, etiam si ibidem Regularis disciplina non vigeat. Fagnanus *in c. Grave 19. de Offic. Ordinar. n. 12. arg. Conc. Trident. Sess. 25. de regul. cap. 20.* Nisi habeant Ecclesias, ob quas eis imminet Cura animarum sæcularium; quia tunc etiam *Regulares hujusmodi Curam animarum exercentes subsint immediate in iis, quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni episcopi, in cujus Diœcesi sita sunt,* statuit Concilium Tridentinum *Sess. 25. de regul. cap. 11.* & notat Fagnanus *loc. cit.*

68 Item nequeunt visitare exempta Regularium Monasteria supremum Ordinis Caput non habentia, si apud eos viget Regularis observantia, etiamsi fuerint commendata Monasteria, Fagnanus *in c. Grave 19. de offic. Ordin. n. 16. arg. Concil. Trident. Sess. de reform. c. 8.* ubi tantùm illa Monasteria commendata, in quibus non viget disciplina Regularis, datur Episcopis visitandi potestas.

Porrò potest Episcopus quoad punctum Clausuræ visitare quarumvis Monialium Monasteria, etiam illarum, quæ supremo Ordinis Capiti subsunt, per dicta *Tit. XXXV. §. 2. à nu. 28.*

69 Resp. V. Quandò Episcopus visitat Diœcesin, tunc non tantùm Ecclesias, & Clerum, sed etiam Laicos, & populum quoad crimina, & delicta, atque præceptorum observantiam, fidemque Orthodoxam visitare, ac debite corrigere potest, & debet, *arg. c. Romana 1. h. t. in 6.* ibi: *Nec Clericorum tantùm, sed etiam populorum visitationi intentus &c.* & ibi Imola, Azorius *par. 2 lib. 3. c. 41. q. 2.* Ratio est, quia ad potestatem Ecclesiasticam *spectat de quocunque peccato mortali corripere quemvis Christianum, & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coercere;* ut dicitur *c. Novit. 13. de Jud.* Confirmatur ex Concilio Tridentino *Sess. 24. de reform. cap. 3.* ubi Visitationis finem illis verbis proponit: *Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam Orthodoxam doctrinam, expulsis hæresibus, inducere; bonos mores tueri, pravos corrigere; populum cohortationibus, & admonitionibus, ad Religionem, pacem, innocentiamque accendere; cætera prout tempus, locus, & occasio feret, ex Visitantium prudentia ad Fidelium fructum constituere.* Ad quem finem ordinatur *cit. c. 1. h. t. in 6.* ut *si Visitator commode, & absque difficultate accedere ad unamquamque* (Ecclesiam) *non poterit, de pluribus locis ad unum congruum, Clericos & Laicos studeat convocare, ne in illis visitatio postponatur.*

Infertur, illos Visitatores muneri suo minime satisfacere, qui de Ecclesiis, & Clericis tantùm solliciti, populum penitùs negligunt, & debitam curam non adhibent, quomodo impune grassantia publica vitia, & scandala, scandalosæque consuetudines convenientibus mediis tollantur, impediantur, & eradicentur: præsertim cùm authoritas Episcopalis in his pro munere Officii debite interposita plusquam copiosæ efficiant Conciones Pastorum de Cathedra.

Cæterùm de modo visitandi spectanda cujusvis Diœcesis laudabilis consuetudo; dummodo substantialia à jure præscripta non negligantur. Videri etiam de hoc possunt integræ formulæ ab Authoribus traditæ. De quibus, sicut & de reliqua *Visitationis* materia consule Doctores, præsertim Barbosam *de Offic. & potest. Episc. Allegat. 73. 74 & 75.* Fagnanum *in c. Conquerente & c. Grave de Offic. Ordinar.* Azorium *par. 2. lib. 3. cap. 40. 41. & 42.* & alios.

Solùm hic addendum, quod contra *Visitationem* nulla fieri possit Præscriptio prout late jam probatum est *lib. 2. Tit. 26. de Præscript à n. 49.* ubi vide.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

1 *Ratio Ordinis.*

1 QUoniam *Census* Ecclesiasticus, de quo in præcedenti Titulo egimus, potissimum imponitur in *Consecratione* Ecclesiæ, hinc ordine non incongruo præsens Titulus præcedentem sequitur.

§. I.

De Consecratione Ecclesiæ, & Cœmeterii: ubi etiam de Execratione, & Violatione, seu Pollutione: ac de Reconciliatione utriusque.

SUMMARIUM.

2 *Consecratio Ecclesiæ quid?*
3 *Potest fieri per solum episcopum loci.*
4 *Sub Missa: quavis tamen die.*
5 *Ecclesia non potest consecrari sine sufficienti dote: & quæ hæc?*
6 *Limitatur hoc in Ecclesiis Regularium.*
7 *De ritu consecrandi. Remissive.*
8 *Pridie non tenetur episcopus jejunare.*
9 *Fratres Minores possunt proprias Ecclesias, & Oratoria benedicere, ac ad cultum Divinum deputare:*
10 *Quomodo probetur Ecclesiæ Consecratio? Et quid juris in dubio?*
Testis unus quando sufficiat? quando non? Ibid.
11 *Ecclesia ex toto vel secundum majorem partem simul destructa, exetratur, & indiget nova Consecratione.*
12 *Non item, si successive, vel secundum minorem partem.*
13 *Quid si igne exuratur?*
14 *Ecclesia amplificata quando indigeat Consecratione. Mixtione quomodo non sacra fiant sacra?*
15 *Ecclesia polluitur injuriosa sanguinis effusione.*
16. *Si fiat per actionem graviter peccaminosam in ipsa Ecclesia. Et nu. 18.*
17. *Et sanguis copiose fluat.*
19 *Ecclesia polluitur insuper per homicidium in ea commissum.*
Et per quale? Ibid.
20 *Item per illicitam seminis effusionem; & qualem?*
21 *Ac per sepulturam Excommunicati, aut Infidelis, vel infantis non baptizati.*
22 *Ob nullum occultum delictum Ecclesia polluitur.*
23 *Effectus pollutionis Ecclesiæ qui? & nu. seq.*
25 *Si Ecclesia consecrata violatur, debet statim, & quidem de jure per episcopum reconciliari.*
26 *Ex commissione, vel privilegio Papæ (non item episcopi) potest reconciliatio fieri à simplici Sacerdote.*
27 *Tale privilegium pro suis Ecclesiis habent Fratres Minores.*
Dieta quid? Ibid.
28 *Si Ecclesia non consecrata, sed tantùm benedicta polluitur, potest & debet statim à Sacerdote quovis communi aqua Lustrali reconciliari.*
29 *Cœmeterium consecratur, polluitur, & reconciliatur eodem modo, quo Ecclesia.*
30 *Polluta Ecclesia polluitur Cœmeterium, sed non econtra.*

2 QUæritur I. Quid sit Consecratio Ecclesiæ? à quo? quando? & quomodo? fieri possit, ac debeat? Resp. I. *Consecratio Ecclesiæ* est Dicatio, seu Dedicatio ejusdem ad cultum Divinum speciali ritu facta à legitimo Ministro, ad hoc, ut populus Christianus opera Religionis in ea ritè exercere valeat. Sannig *h. t. c. 1. n. 2.* & in re Communis. Patetque definitio ex terminis.

3 Resp. II. Loquendo de Jure, solus Episcopus loci ritè consecrare potest Ecclesiam. Barbosa *de offic. potest. episc. alleg. 27. n. 1.* cum Communi ac certa aliorum, textu claro *can. Interdicimus 10. caus. 16. q. 1. can. Nemo 9. & can. Nullus 15. de Consecr. dist. 1.* Dicitur *ritè*; quia licet etiam Episcopus alterius Diœcesis Ecclesiam valide consecrare valeat, tamen id *ritè*; seu licite non facit, & propterea per integrum annum punitur Suspensione ab exercitio Pontificalium. Concilium Tridentinum *Sess. 6. de reform. cap. 5. & Sess. 14. cap. 2.* debetque per eundem annum cessare à celebratione Missarum, *can. episcopus 18. caus. 7. q. 1*: si absque licentia episcopi loci id faciat. Quia quamvis non possit episcopus munus consecrandi ecclesiam committere alicui Presbytero, poterit tamen idem committere alteri episcopo *c. Aqua 9. h. t.* ubi etiam ratio habetur: *quia consecrare Ecclesiam est potestas Ordinis episcopalis, quæ non nisi episcopo committi valet.*

Resp. III. Quamvis Ecclesia quovis die etiam non Festivo ritè consecrari valeat, tamen non nisi inter Missam licite consecrari potest. Prima pars patet ex *c. 3. h. t.* ibi: *Licet Ecclesiæ Dedicationem impendere tam diebus Dominicis, quā privatis.* Altera pars habetur *c. Omnes 3 de Consec. dist. 1.* ibi: *Omnes Basilicæ cum Missa debent semper consecrari*, & *can. de Fabrica 24. eod. dist.* unde peccat episcopus, si absque celebratione Missæ Ecclesiam consecret: quamvis Consecratio valeat, ut bene docet Miranda *in Manual. Præl. q. 39. a. 1. concl.* 3. Barbosa *l. cit. n. 10.* & alii. 4

Resp. IV. Episcopus licite consecrare ecclesiam non potest, *nisi prius de dote ei provisum fuerit*, uti expresse dicitur *c. cùm sicut 8. h. t.* quæ dos competens, & sufficiens esse debet pro Ecclesiæ Ministris, luminariis, aliisque necessariis, *can. Nemo 9. de Consec. dist. 1. & can. 1. caus. 1. q. 2.* ibi: *Hoc unusquisque episcoporum meminerit, ut non priùs dedicet Ecclesiam, nisi antea dotem Basilicæ & obsequium ipsius per donationem Chartulæ confirmatam accipiat.* Ratio subjungitur. *Nam non levis culpa est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata consecretur Ecclesia.* In cognoscenda tamen sufficientia dotis potest etiam respectus haberi ad Decimas, oblationes, & alias obventiones spirituales, Ecclesiæ Ministris de Jure competentes, ut bene observat Abbas *in cit. c. cùm sicut 8. h. t. n. 5.* & sequitur Pirhing *eod. n. 6.* ubi etiam, post Azorium *p. 2. lib. 9. cap. 3 q. 7* Sylvestrum *V. Ecclesia 2. q. 2.* addit, quod ab initio tanta dos non requiratur, ut sufficiat etiam ad hospitalitatem, & alia onera sustinenda; *arg. c. cùm dilectus de Consuet.* quia nullo id Jure requiritur: tum quia ecclesiæ pauperes ad talia onera non tenentur. 5

Limitatur tamen Conclusio in ecclesiis Mendicantium, nec non in ecclesia, quæ ædificatur in Monasterio habente sufficientes redditus. Sylvester *loc. cit.* Azorius *loc. cit. ad finem*, & Doctores *in c. 1. de Censibus.* 6

Resp. V. Quomodo autem? quo ritu? quibusve cæremoniis Consecratio ecclesiæ fieri debeat, exacte præscribitur in Pontificali, ubi vide. Solùm notandum, quod licet Episcopi pro Consecratione Ecclesiæ aliquid tanquam debitum exigere non possint, tamen sponte oblatum accipere valeant; nisi Patronus ipse paupertate laboret, textu expresso *can. 1. caus. 1. quæst. 2.* 7

Porrò quamvis Barbosa *loc. cit. n. 1.* velit, tam Episcopum, quam Patronum Ecclesiæ die ante Consecrationem jejunare debere, idque probare conetur ex epistola Leonis Papæ ad Diodor. tamen id potiùs de convenientia, quam de obligatione intelligendum venit; cùm in jure talis obligatio non reperiatur; unde etiam ipsum Pontificale tantùm dicit, decens, & conveniens esse. 8

Resp. VI. Quamvis, uti dictum, nemo præter episcopum consecrare possit ecclesiam, possunt tamen Superiores Fratrum Minorum, ac alii Regulares communicationem privilegiorum cum ipsis habentes, proprias Ecclesias, & Oratoria solemniter benedicere, & ad cultum Divinum deputare, sicque facere, ut, donec consecrentur eorum ecclesiæ, Missæ, & alia Divina in iis celebrentur, idque non vi juris communis, sed ex speciali privilegio summi Pontificis Leonis X. utpote qui in Bulla concessit *Generalibus, Provincialibus, ac Custodibus, & Guardianis Fratrum Minorum pro tempore existentibus, ut omnia & singula ejusdem Ordinis, & Observantiæ Ecclesias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria ubicunque existentia, tam recepta, quàm recipienda &c. solemni Benedictione benedicere valeant*; quod Privilegium etiam allegat Barbosa *de Offic. & potest. Episc. Alleg. 27. nu. 44.* Sorbus *in Compend. Privileg. V. Benedicere*, Pelliz. *Tom. 2. tr. 8. c. 5. n. 67.* Roderiquez *tom. 1. qu. 19. a. 2.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. q. 39. a. 1. Concl. 3.* & alii communiter. 9

10 Quæritur II. Quid Juris, si ignoratur, & dubitatur, Ecclesiam esse consecratam? Resp. *De Ecclesiarum consecratione quoties dubitatur, & nec certa scriptura nec certi testes existunt, à quibus Consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote, eas esse consecrandas: Nec talis trepidatio facit iterationem, quoniam non monstratur, esse iteratum, quod non scitur factum*: sunt verba, *can. Solemnitates 16. de Consecrat. dist. 1.* Concordat *can. Ecclesiæ 17. ead.* & tenent omnes. Ratio est; quia Consecratio Ecclesiæ non præsumitur, nisi probetur: probari autem potest vel ex scriptura, in libro, pariete, aut lapide reperta, *arg. cit. can. Solemnitates*, & ibi Glossa *V. Scriptura*, cum communi: vel per Cruces, quæ in parietibus fieri solent, dum consecratur Ecclesia, Barbosa *l. c. n. 5.* Mascardus *de Probat. Concl 415. n. 4* Azorius *p. 2. lib. 9. c. 4. q. 5.* Pirhing *h. t. n. 7.* & alii. Vel per testes idoneos, quorum etiam unus sufficit, ut benè observat Glossa *l. c. V. Nec certi testes* Barb. *l. c. n. 6.* Mascard. *l. c.* quia, *quamvis aliàs vox unius, sit vox nullius; arg. l. jurisjur. C. de Testib. & nulla sit causa, quæ unius testimonio quamvis legitimo terminetur, c. Licèt universis de Test.* Tamen hæ juris dispositiones non procedunt in casibus, in quibus de nullius agitur præjudicio, prout citati, & alii Doctores communiter docent cum Glossa citata *arg. c. Parvulos 110. de Consecr. dist. 4.* ubi unus testis ad probandum Baptismum esse collatum, in dubio sufficit.

11 Quæritur III. In quibus casibus Ecclesiæ destructæ, & reædificatæ, ac amplificatæ execrentur, seu Consecrationem amittant, ita ut denuò consecrari debeant? Resp. I. Quamvis *Ecclesiis semel consecratis non debeat Consecratio iterum impendi*, ut dicitur *can. Ecclesiis 10. de Consecr. dist. 1.* Nihilominus quando Ecclesia vel casu fortuito, vel consultò totaliter, aut saltem majore ex parte etiam quoad parietes destruitur, & denuò de novo simul construitur; de novo quoque consecrari debet, etsi ex eadem materia, vel iisdem ruderibus reædificetur. Barb. de *offic. & potest. Episc. alleg. 27. n. 13.* Abbas *in c. Proposuisti 8. h. t. n. 8.* Azorius *l. c. c. 4. q. 5.* Sylvester *V. Consecratio, qu. 4.* Engel *h. t. n. 2.* *arg. can. de Fabrica 24. de consecrat. dist. 1.* & ibi Glossa *V. Instauranda.* Ratio est; quia in tali casu nec moraliter, nec physicè censetur eadem Ecclesia.

12 Dicitur autem notanter, *si simul & semel de novo construitur, aut reparatur*; quia si Ecclesia successivè per partes deficiens, per partes statim iterum reficitur, ac reparatur, non est opus nova Consecratione, etiamsi tota Ecclesia successivè per partes ita destruatur & reparetur, ut nulla pars de primo ædificio supersit. Barbos. *l. c. n. 19.* Engel *l. c.* Azorius *l. c. q. 4.* Sylvester *l. c.* Hostiens. & Innocentius *ad Rubric. h. t.* contra Abbatem *loc. cit.* qui cum nonnullis aliis docet, verius esse contrarium. Ratio autem nostræ doctrinæ est; quia in tali casu censetur moraliter adhuc eadem Ecclesia, *arg l. Quod in verum 24. § fin. ff. de Legat. 1.* ubi noviter per partes refecta eadem censetur; quod idem habetur *l. Proponebatur, 76. ff. de judiciis*, ubi etiam plura ad propositum exempla proponuntur, ut de populo, de Legione militum, de corpore humano, quæ semper censentur eadem manere, etiamsi prioribus hominibus mortuis, alii subnascantur, militibus deficientibus novi substituantur, partibus corporis deperditis aliæ succrescant. Accedit & alia ratio, videlicet, quia juxta vulgaria *magis dignum trahit ad se minus dignum: & major pars minorem, arg. c. Quod in dubiis 3. h. t. & c. un. h. t. in 6.* Sufficit itaque in tali casu, si nova pars aspergatur aqua benedicta. Barbosa *l. c. arg. cit. can. de Fabrica, 24. de Consecrat. dist. 1.* Idem dicendum; si non tota Ecclesia, nec major, sed aliqua tantum pars ejusdem v. g. tectum corruat, parietibus adhuc illæsis, textu claro, *c. Ligneis 6. h. t.* & ibi Glossa *Vers. Parietibus*, Barbosa *n. 2.* Abbas *n. 1.* & Doctores communiter. Ratio est tum citata *num. præced.* tum quia in parietibus, ubi sunt Cruces, & inunctiones, fit *Consecratio*: ergo illius salvis salva manet *Consecratio*.

Quòd si tamen Ecclesia igne foret exusta, ita ut parietes interiores ex toto, vel ex majori parte sint devastatæ, vel abrasæ, etsi non corruant, indiget nova Consecratione *can. Ecclesia 20. de Consecr. dist. 1.* ibi: *Nisi ab igne exustæ*, Glossa *Vers.* Abbas *in c. Proposuisti 4. h. t. n. 7.* Azorius *l. c. q. 5.* & alii. Ratio est, quæ *in n. præced.* 13

Resp. II. Quando Ecclesia in longitudine, latitudine vel altitudine amplificatur, ita tamen, ut nova pars addita sit minor veteri remanente, non opus est nova *Consecrat.* sed tantum ut pars nova aspergatur aqua benedicta, Gl. Mag. *in c. Fabr. 24. de Consecrat. dist. 1.* Azorius *p. 2. lib. 9. c. 4. q. 6. ad finem* Engel *h. t. n. 2.* & alii, *arg. cit. can. Fabrica.* Ratio est, quæ *n. 12.* Si tamen pars nova major esset veteri remanente, utique de novo consecrari deberet Ecclesia, uti *l. c.* benè docet Azorius, & Barbosa *Allegat. 27. n. 19.* quia minor pars non trahit ad se majorem, *c. un. h. t. in 6.* sed econtrà. Sicut in simili, licèt, si Oleo sacro, vel aquæ benedictæ affundatur oleum, vel aqua non benedicta in minori quantitate, quàm sit quantitas sacrata, commixtione efficiatur sacrum, ita ut non indigeat nova Benedictione, vel Consecratione, *arg. c. 3. h. t.* ob rationem dictam: secus tamen res se habet, si quantitati consecratæ vel benedictæ minori affunditur quantitas non benedicta major, uti cum communi ac probabiliori contra Angelum *Vers. Aquæ*, tenet Barb *in cit. c. 3. h. t. n. 6.* Silvest *Vers. Aqua, q. 3* Pirhing *h. t. n. 9.* & alii. Alias enim sequeretur; quòd unica gutta benedicta infusa fluvio, hunc totum benedictum efficeret, indeque semper haberi posset aqua benedicta, quod est absurdum. 14

Quæritur IV. An, & in quibus casibus polluatur, seu violetur Ecclesia, ita ut reconciliatione indigeat? Ante responsionem notandū, quòd quamvis à parte rei ac physicè loquendo sacra à profanis & turpibus coinquinari non possint, *arg. c. Vestra 7 de Cohabitat. Cleric. & Mulier.* Nihilominus juxta Ecclesiæ Sanctiones moraliter violari, & pollui censetur, quando in ea certæ quædam, turpes, aut indecentes, sacroque loco injuriosæ fiunt actiones, ob quas communi æstimatione indignum & indecens reputatur, quòd in tali loco sceleribus, aut indecentibus contaminato hostia immaculata offeratur & alia Divina celebrentur, donec reconcilietur, & quodammodò expurgetur. H. N. 15

Resp Plures esse actiones, & modos, quibus violatur & polluitur Ecclesia, ita ut reconciliatione (quæ distinguitur à prima Consecratione) indigeat. Patet inductione I. enim polluitur per voluntariam, injuriosam, & graviter peccaminosam sanguinis effusionē in Ecclesia causatam; qualis v. g. contingere solet ex vulnere injuriosè illato, Communis accerta, *arg c. Proposuisti 4. h. t.* ibi: *Aliquando vulnera inferuntur, & c. fin. h. t* ibi: *Sanguinis effusione polluta*, juncto *c. un. h. t. in 6. & can. Ecclesiis, de Consecr. dist. 1.* Dicitur autem notanter *per voluntariam*; quia si casu id fieret, aut ab amente, Ecclesia non pollueretur; Glossa *in c. un. h. t. in 6. Vers. Sanguinis.* Dein dicitur *injuriosam*, quia si voluntariè quidem, sed licitè, v. g. ob justā sui defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ, consequēter quæ non injuriosè fit, ecclesia non polluitur. 16

Dicitur ulterius, *graviter peccaminosam*; quia si ex actione leviter tantum peccaminosa fiat sanguinis effusio, prout fit, si pueri invicem in Ecclesia se percutiunt, vel si pater, aut Magister causa correctionis modum leviter excedendo percutit; ut sanguis copiosè è naribus fluat vel per aliam actionem graviter non peccaminosam, etiā à majoribus factam causetur copiosa sanguinis effusio, Ecclesia non violatur. Barb *de Offic. & potest. Episc. Alleg. 28. n. 36.* citans Suarez *Disp. 81 sect. 4 §. 2. in fine*, & alii, eò quòd gravis injuria Ecclesiæ per hoc inferri, communiter non æstimetur. Imò Diana *p. 6. tr. 6. Resol. 24.* quem sequitur Pirhing *h. t. n. 11.* universaliter vult, quod effusio sanguinis è naribus pugno vel alapa causata nunquam violet Ecclesiam; quia nares sunt organum, unde sanguis nimis facilè emittitur. Verum contrarium resolvit, & judicatum refert Mar Anton. *Variar. Resol l. 2. Resol. 112. casu 6.* Barbosa *l. c. n. 36.* & alii, in casu, quo majores quatuordecim annis graviter percutientes, sanguinis effusionem 17

nem è naribus causant; quia hujusmodi percussio v.g. per alapam publicè in Ecclesia alteri inflictam, ordinariò censetur graviter *injuriosa*, & *peccaminosa*.

18 Porrò, ut sanguinis effusio violet Ecclesiam, debet esse *copiosa*: unde etsi percussio sit gravissima, non polluitur Ecclesia, si non multum, sed tantum aliquæ guttæ sanguinis fluunt. Multò minus, si nullus fluit sanguis, licèt cęteroquin summa cum injuria multisque verberibus excipiatur in Ecclesia. Barb. *l.c. n.35.* Engel *h.t.n.29.* Navarrus *in Manual.c.27. n.256. Vers. Effunditur.* Suarez *l.c.* Ratio est, quia Jura suprà *n.16.* citata requirunt *sanguinis effusionem* (qui terminus copiam denotat, Abbas *in c. 4. h.t. n.3.*) quæ utpote pœnalia, & odiosa extendi non debent, *c. Odia de R. J. in 6.*

19 Requiritur insuper, ut effusio sanguinis copiosi causetur in ipsa ecclesia; unde non violatur ecclesia, si quis extra illam, vel in porticu, turri, aut subtus in spelunca ecclesiæ percussus fugiat ad ecclesiam, ibique sanguine copiosè effundat: benè tamen econtrà, si percussus in ecclesia extra illam primum fundat sanguinem copiosum Navarrus *l.c. Vers. Aut datur causa.* Sylvester *Vers. Consecr. 2. q.5.* Azorius *p.2. lib.9. c.5. q.2.* cum Glossa communiter recepta *in c.1. h.t. in 6. Vers. Sanguinis.* Ratio est; quia juxta Jura *n.15.* citata, requiritur, & sufficit; ut causa effusionis sanguinis graviter injuriosa ponatur in ecclesia; ubicunque dein effusio per accidens sequatur.

20 II. Violatur, seu polluitur ecclesia per voluntarium & injuriosum homicidium, quod quis respectu sui ipsius, vel alterius committit, etiamsi sanguis non effundatur. Rursus Communis ac certa, textu claro *can. Si motum, 19. de Consecrat. dist.1.* ibi: *Si homicidio Ecclesia violata fuerit, diligentissimè expurgetur, & denuò consecretur*: & *c.4. h.t.* ibi: *Homicidia contingunt*, & ibi Doctores communiter. Dicitur *voluntarium & injuriosum*, quia ob casuale homicidium, vel factum ob sui defensionem justam cum moderamine inculpatæ cautelæ non violatur ecclesia. Barbosa *l.c. à n.3.* Abbas *l.c. n.2.* & DD communiter. Hinc non violatur ecclesia ob homicidium patratum à furioso, vel à penitus ebrio. Barbosa *l.c. n.3. & 4.* quia in his deficit *voluntarium*, hoc ipso, quòd nesciant, quid faciant, *can. Illud. cau.15. q.1.* Polluitur autem per mortem reo illatam in ecclesia ex sententia Judicis. Barbosa *l.c. n.25.* Pirhing *h.t.n.10.* & alii. Ratio est; quia quamvis tale homicidium non sit injuriosum reo mortem meritò, est tamen injuriosum ipsi loco sacro, & contra reverentiam debitā eidem, *c.2. de Immunitat. in 6.* Polluitur item, si quis in ecclesia occidatur ob Fidem, Barbosa *l.c. n.29.* Sylvester *Vers. Consecr. 2. q.5.* Azorius *l.c. q.1.* cum Communi contra Abbatem *l.c. n.2.* Ratio est; quia quamvis per Martyris mortem, quatenus est passio, & habet rationem Martyrii, non violetur, sed potius consecretur ecclesia, *can. Quanquam 3. dist. 21. & c. Fundamenta 17. de Election. in 6.* polluitur tamen per illud, quatenus consideratur ut injuriosa actio, cùm ut talis reverà sit sacrilegum & injuriosum homicidium, Glossa *in c. un. h.t. in 6. vers. Sanguinis*, unde ad propositum citari solet ille versus.

Actio displicuit, passio grata fuit.

21 Cæterum sicut sanguinis effusio, ita homicidium violat ecclesiam; si causa ponitur in ipsa ecclesia, etsi mors primum extra ecclesiam sequatur, & econtrà etsi causa ponatur extra ecclesiam, vel in porticu, vel turri, aut spelunca ecclesiæ, non violatur, licèt injuria affectus ad ecclesiam confugiat, & ibidem moriatur. Sylvester *loc. cit.* Azorius *l.c.* Glossa proximè citata, Barbosa *l.c. n.16. & seq.* cum communi, & probabiliori aliorum. Ratio est; quia juxta jura *n.15.* citata, sufficit, & requiritur, ut injuriosa causa homicidii ponatur in ipsa ecclesia, ubicunque dein per accidens sequatur effectus.

22 III. Violatur ecclesia per voluntariam & illicitam seu peccaminosam seminis effusionem in illa factam. Rursus unanimis, claris Juribus *c. un. h.t. in 6.* ibi: *Si Ecclesiam seminis effusione pollui contingat*. Nec refert, an simplici pollutione; fornicatione, adulterio, sodomia &c. contingat, *arg. c. Significasti 5. de Adult. & can. Ecclesiis, 20. de Consecrat. dist. 1.* ibi: *cujuscunque seminis effusione pollutæ fuerint.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. Allegat. 28. n.42.* & alii. Secus est, si contingat dormienti in somno, Glossa *in cit. can. Ecclesiis vers. Semine*, communiter recepta, etsi prius dedisset causam, vel evigilans de habita oblectaretur. Barbosa *l. c. n.43.* quia tunc non tam ipsa seminis effusio, quàm antecedens positio causæ, vel subsequens voluntaria oblectatio peccaminosa est. Pariter non violatur ecclesia per pollutionem, quam quis invitus patitur, nec per menstruum fœminarum decidens. Barbos. *l.c.* Violatur tamen probabilius per copulam conjugalem extra casum necessitatis in Ecclesia habitam, ut docet Navarrus *in Manual. c.27. n.257.* Barbosa *l.c. n.47.* Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.15. n.7.* citans plurimos, Pirhing *h.t. n.12.* cum Glossa communiter recepta, contra *Sà vers. Ecclesiæ* Basilium Pontium. Ratio est; quia licèt hæc copula de se sit licita, est tamen illicita respectu loci sacri, *arg. c.1. de Immunit. Eccles. & c.2. eod. in 6.* Nisi adsit aliqua necessitas, & urgeat periculum incontinentiæ, ut contingere solet, si conjuges tempore belli, vel ex alia ratione diu, cohabitare debeant in Templo. Doctores citati, & communis aliorum passim fatentium, in tali casu ecclesiam copula conjugali non violari.

IV. Violatur Ecclesia, si in ea sepeliatur Excommunicatus vitandus, videlicet publicè denuntiatus, aut notorius Clerici percussor; aut infidelis, vel non baptizatus, 21
juxta dicta suprà *Tit. 28. de Sepult. n.91.* Idem ob paritatem rationis juxta cōmunem est de infante sine Baptismo defuncto, nisi in utero matris defunctus cum matre sepeliatur; partus enim antequam edatur, mulieris portio est, vel viscerum *L.1. ff. de Ventre inspiciendo*: Cæterum, si alii sepultura indigni (de quibus *cit. Tit. de Sepultur. §.3.*) in Ecclesia sepeliantur, ea propterea non violatur, nec reconciliatione opus est. Pirhing *h.t.n.13.* Layman *lib.5. tr.5. c.5. n.8.* Zoesius *h.t. n.11.* Navarrus, Suarez, Engel *h.t.n.12.* & alii. Ratio est; quia nullo Jure reperitur expressum: pœnalia autem & odiosa sine Juris textu extendi, aut induci non debent, *arg. c. Is qui 18. de Sent. excomm. in 6.* Hinc Layman, & Pirhing post Navarrum rectè inferunt, non violari Ecclesiam, nec reconciliatione indigere, etsi in ea sepeliatur hæreticus.

Quæritur V. An in præfatis casibus polluatur Ecclesia, 22
si sunt occulti? Resp. Negativè. Sylv. *vers. Consecrat. 2. q. 5. §. Tertius casus.* Azorius *p.2. lib.9. c.5. q.2.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. Allegat 28. n.37.* Sanchez *de Matrim. lib.9. disp. 15. n.10.* cum Glossa communiter recepta *in c.un. h.t. in 6. vers. Pollui, arg. c. Significasti de Adult.* ibi: *Publicè*. Ratio est: tum quia Ecclesia non judicat de internis, *arg. c. Tua, 34. de Simon. & can. Erubescant 11. dist. 32.* ibi: *De manifestis loquimur, secretorum autem cognitor Deus, & Judex est.* Tum quia, quam diu res manet occulta, in judicio & æstimatione humana, Ecclesia non censetur violata, sed retinet suam bonam famam: sufficit autem, quocunque modo ab initio sit, aut posteà fiat notorium, notorietate nempe Juris, vel facti, de qua vide *lib. 2. Tit. 28. de Appellat. n.299.* & Barbosam *l.c. n.38.* Ratio est, quia fama perditur, & æstimatio communis contraria subintrat.

Quæritur VI. Quid importet? Item quid agendum? 23
præsertim quomodò, & a quo reconciliatio fieri debeat; si Ecclesia uno ex dictis modis polluatur? Resp. I. Quando Ecclesia est polluta, non potest in ea, vel Cœmeterio contiguo quis sepeliri; donec reconcilietur, textu claro *c. un. h.t. in 6.* Nec possunt ibidem Missę Sacrificia, nec Divina officia celebrari, *can.1. can. Sicut 11. can. Nullus, 14. de Consecrat. dist.1. & c. fin. h.t.* & ibi Doctores, præsertim Abbas *c. fin. n.4. h.t.* atque Engel *h.t. n.22.* Thuscus *eod. n.19.* Quòd si contrarium quis faceret, peccaret quidem graviter, Irregularitatem tamen non incurreret. Azorius *p.2. lib.9. c.5. q.6* Abbas *l.c.* Pirhing *l.c.* Engel *l.c.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. Allegat. 28. n.54.* Ratio est; quia hæc pœna nullo Jure invenitur expressa, consequenter non inducenda, *arg. c. Is qui 18. de Sentent. excomm. in 6.* Ex quo citati DD. cum communi ulterius contra Lapum inferunt, Divina celebrantem in ecclesia violata nec alii pœnæ subjacere, quod idem diximus in Theologia nostra Morali *Tr.14. Dist.5. n.120.* Verum talem saltem suspensionis pœnam incurrere, si in hujusmodi ecclesia celebrat, probabile videtur non quidem Argumento Lapi ex *c. Episcoporum de Privileg. in 6.* desumpto, uti contra eundem benè demonstrant DD. citati; sed ex *can. Nullus, 15. de Consecr. dist. 1.* ubi expressè habetur: *Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi sacratis ab Episcopo locis* (qualis non amplius est Ecclesia violata) *qui particeps de*

cæte-

cætero vultu esse Sacerdotii; id est, qui ab exercitio Sacerdotii non vult esse suspensus.

24 Resp. II. *Si Sacerdote celebrante violatur Ecclesia, ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem non dimittatur.* Ita Rubrica Missalis *Tit. de Defectibus in Ministerio ipso occurrentibus.*

25 Resp. III. Quando Ecclesia aliquo ex præfatis modis polluitur, debet, quam primum fieri potest, reconciliari, *arg. c. fin. h.t.* ibi: *Protinus*. Ratio additur, *Ne Divinæ laudis organa suspendantur*. Et quidem, si ecclesia prius erat consecrata, non potest ab alio, quàm Episcopo loci, vel ex ejusdem commissione, ab alio Episcopo reconciliari, ita ut Episcopus hoc munus Sacerdoti alicui committere non possit. Communis ac certa, textu claro *c. Aqua, 9. h. t.* ibi: *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri, de cætero prohibentes, non obstante consuetudine &c. quæ potius est corruptela.* Ratio subjungitur; *quia licèt Episcopus committere valeat, quæ jurisdictionis existunt, quę Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Debet autem Reconciliatio fieri *aspersione aquæ cum vino & cinere* (atque sale juxta Pontificale Romanum) benedictæ, *c.4. h.t.* per Episcopum, *cit. c. Aqua 9. h. t.* ut proin aqua à Sacerdote benedicta non sufficiat.

26 Resp. IV. Ex commissione, aut privilegio summi Pontificis potest Reconciliatio ecclesiæ (quæ prius erat consecrata) aliquo ex præfatis modis pollutæ, fieri etiam à simplici Sacerdote. Barb *de offic. & potest. Episc. alleg. 28. n. 64.* Abbas *in c. Aqua 9 h.t. n.1. & 8.* Azorius *l.c. q.5.* Roderiquez *Tom.1. qq. Regul. q.19. a.6.* Pirhing *h.t. n.20.* cum Cōmuni. Ratio est; quia licèt Papa non possit potestatem, quæ Ordini ex jure Divino est annexa, concedere alteri non habenti talem Ordinem, v.g. non potest Sacerdoti simplici dare potestatem conferendi Ordinē Presbyteratus, nec Diacono potestatem cōsecrandi Corpus Christi; potest tamen alteri concedere potestatem Ordini annexam ex jure duntaxat humano, qualis est, potestas reconciliandi pollutam ecclesiam, quæ prius erat consecrata, uti post Glossam communiter receptam *in can.1. dist.95. vers. Concedimus*, benè docet Abbas *in can. Aqua h.t. n.8.*

27 Porrò tale privilegium à Leone X. concessum habent nostri Ordinis Superiores, non tantum Generales, & Provinciales, sed etiam Custodes, & Guardiani, vi cujus ecclesias sibi subjectas quomodocunque violatas (etiam prius consecratas) reconciliare possunt, & quidem aqua per ipsosmet benedicta, quando Episcopus distat duabus dietis (una dieta cōtinet 20. Milliaria Italica, juxta Glossam *in c. Nonnulli, 28. de rescrip. vers. Ultra duas dietas arg. L.3. de V.S.* quæ quatuor, vel quinque circiter Germanica efficiunt.) Si verò duabus dietis non distat, aqua per Episcopum benedicta, prout videre est in Compendio Privilegiorum *vers. Benedicere*, atque notat Roderiquez *l.c.* Barbosa *l.c.* Engel *h.t.n.16.* Sannig *h.t. c.3.* & alii. Addit Roderiquez, quem sequitur Barbosa, & alii, posse Religiosos dicto privilegio reconciliandi ecclesias aqua per ipsosmet benedicta uti, non tantum quando Sedes Episcopi ordinaria distat duabus dietis ab ecclesia polluta, sed etiam quando Episcopus alias abest, aut interveniente morte, renuntiatione, aut depositione non existit.

28 Resp. V. Si polluitur ecclesia, quæ prius solemniter nunquam fuit consecrata, sed tantum simpliciter benedicta, aut sola authoritate episcopi, vel alterius ad Divinum cultum deputata, data licentia, quòd in eadem Divina celebrari valeant, tunc potest à quovis Sacerdote simplici, nulla petita ab episcopo licentia, per aspersionem solius aquæ communis benedictæ, seu Lustralis reconciliari denuò. Communis ac certa textu claro *c. fin. h.t.* ibi: *Si Ecclesia non consecrata fuerit, aqua protinus exorcizata lavetur.* Imò debet statim etiam irrequisito episcopo, à Rectore ecclesiæ, vel alio Sacerdote modo dicto mundari, ut *c. cap.* advertunt DD. consideratione verbi *Protinus*; Ratio ibidem habetur, *Ne laudis Divinæ organa suspendantur.*

29 Quæritur VII. Quid Juris de Consecratione, & Pollutione Cœmeterii, ac Reconciliatione ejusdem? Resp. I. Cœmeterium eodem modo, & ab iisdem consecrari, pollui, ac reconciliari potest, & debet, quo ipsa ecclesia. Sylvester *Vers. Cœmeterium, q.1.* Pirhing *h.t. n.30.* cum communi, *arg. c. Consuluisti, 7. h.t. & c. un. h.t. in 6.* Patet etiam ex Pontificali Romano, vi cujus eodem ritu consecratur ecclesia & Cœmeterium, quamvis etiam separatim Cœmeterium consecrari valeat, ac subinde soleat.

Resp. II. Illud specialiter advertendum, quòd, *si Ecclesiam* 30
pollui contingat, ipsius Cœmeterium quoque, si contiguum sit eidem, censeatur esse pollutum; unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri; secus si remotum fuerit ab eo. Non sic quoque in casu controverso sentimus, ut videlicet polluto Cœmeterio quamvis Ecclesiæ contiguo, debeat Ecclesia reputari polluta, nè minus dignum, majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur, sunt verba *c. un. h.t. in 6.*

§. II.

De Consecratione, & Execratione Altaris: ubi etiam de Consecratione, & Benedictione Calicis, Campanæ, Vestium, Paramentorum, & Ornamentorum, ad Ecclesiam, vel Missam spectantium.

SUMMARIUM.

31 *Altare aliud fixum, aliud portatile, seu mobile.*
32 *De Jure communi solus Episcopus consecrat Altaria.*
33 *Ex commissione, vel Privilegio Papæ, etiam non Episcopus.*
34 *Non tamen consuetudine, aut præscriptione.*
35 *Possessionis incapax non potest introducere consuetudinem, aut præscriptionem.*
36 *Execrari, & pollui Altare sunt diversa; & polluta Ecclesia polluuntur Altaria ejusdem.*
37 *Altare execratur, si confringitur lapis.*
38 *Aut amovetur superior Tabula.*
39 *Non item si solum sepulchrum. Et n. seq. Sigillum, & sepulchrum Altaris quid? Ibid*
40 *Reliquiæ SS. non sunt necessariæ ad Consecrationem Altaris.*
41 *Per Execrationem Altaris, non execratur Ecclesia, nec econtrà.*
42 *Calix à solo Episcopo benedici potest.*
43 *Non item ab Abbate aliquo.*
44 *Calix & Patena, si franguntur, execrantur.*
45 *Non item si usu inaurationem perdunt.*
46 *Neque, si de novo inaurantur.*
Major pars trahit ad se minorem. Ibid. Et n. seq.
48 *Campanas solus Episcopus benedicere potest.*
49 *Paramenta Ecclesiastica de jure solus Episcopus benedicere potest.*
50 *Ex privilegio possunt id quoque Superiores Regulares.*
51 *Etiam pro alienis Ecclesiis. Et n. seq.*
53 *Paramenta quando execrentur, ac nova Benedictione indigeant?*
54 *Potestas benedicendi paramenta, non potest acquiri consuetudine, nec ab Episcopis aliis committi.*
55 *Tangere vasa & paramenta, quibus, & quomodò prohibitum? & n. seq.*
57 *Lavari & refici quomodò debeant vasa, & paramenta sacra?*

Quæritur I. Quid Juris de Consecratione, & Execratione Altaris? An nempe, à quo, & quomodò consecrari possint, & valeant? item quomodò execrentur, seu Consecrationem amittant; Ante responsionem notandum, duplex esse Altare, unum *fixum*, seu stabile, alterum mobile; seu *Portatile Fixum* est, quod alicui loco immobiliter affixum, constanter in eodem manet loco; cujusmodi Altaria ordinariè sunt in Ecclesiis. *Mobile* seu *Portatile* est, quod pro commoditate vel necessitate Sacerdotis, aut aliorum hinc inde moveri, & portari potest, ac solet: & propterea etiam Altare *Viaticum* pro commoditate scilicet viatoris, seu itinerantis vocatur, *c. fin. de Privileg. in 6.* Debet autem utrumque saltem in superiori parte esse lapideum, *can. Altaria, 31. de Consecrat. dist.1.* ibi: *Altaria, si non fuerint lapidea, non consecrentur.* 31

Resp. I. Loquendo de Jure communi solus Episcopus 32
Alta-

Altare consecrare potest, ac debet, ita ut alicui Sacerdoti Ordinem Episcopalem non habenti, hanc potestatem committere non valeat. Communis ac certa ob clara Jura can. Quamvis 4. dist. 68. ibi: Nec ecclesias, nec Altaria consecrare licet Presbyteris. Concordat can. Nullus 25. de Consecrat. dist. 1. Nec potest potestatem consecrandi Altare alteri committere Episcopus. Barbosa de Offic. & potest. Episc. alleg. 27. n. 23. Azorius p. 1. c. 27. q. 4. & communis aliorum. Ratio est; quia consecrare Altare pertinet ad potestatem Ordinis Episcopalis, arg. canon. Quamvis, 4. dist. 68. quam Episcopus Sacerdoti simplici committere non valet, c. Aquæ, 9. h. t. Potest autem Episcopus in una Missa plura unius, non item diversæ ecclesiæ consecrare, c. Cùm sis 5. h. t. ibi: Noveris, quòd plura in una ecclesia, Altaria simul poteris consecrare & ibi Abbas n. 2. & DD. communiter. Quomodò autem, aut quo ritu Consecratio Altaris fieri debeat, vide in Pontificali.

33 Resp. II. Ex privilegio, vel commissione Papæ etiam simplices Sacerdotes consecrare possunt Altaria. Azorius l. c. q. 4. Barbosa de Offic. & potest. Episc. p. 2. Alleg. 27. n. 23. cum Communi. Probatur ex dictis n. 26. ubi diximus privilegio Papæ posse simplices Sacerdotes reconciliare ecclesias pollutas.

34 Resp. III. Nulla tamen consuetudine aut præscriptione etiam immemoriali potest simplex Sacerdos, vel alius Ordinem Episcopalem non habens acquirere potestatem consecrandi Altaria. Azorius p. 1. lib. 10. cap. 27. p. 5. dicens, esse unam omnium sententiam, Abbas c. Quanto 4. de Consecr. n. 1. Barbosa, ac DD. communiter, arg. c. Quanto 4. de consuetud. Ratio est; quia, ut dicitur in Summario, c. cap. Quanto de Consuetud. consuetudo non potest operari, ut Clericus non episcopus possit exercere ea, quæ sunt reservata (seu annexa) Ordini Episcopali; sive dein Jure Divino, sive humano pertineant ad potestatem Ordinis Episcopalis, ut cum Communi aliorum benè observat Pirhing de Consuetud. n. 90. Arg. o. cap. Quanto ubi reprobatur consuetudo, vi cujus Sacerdotes conferebant Confirmationem; cùm tamen hanc conferendi potestas ex sola dispositione & Lege ecclesiastica humana, & non Divina pertineat ad Ordinem Episcopalem; hoc ipso quòd aliàs Papa eam Clerico non Episcopo conferre haud posset: prout tamen facit.

35 Dices, quæ sunt acquisibilia privilegio, sunt etiam acquisibilia consuetudine; atqui potestas consecrandi Altaria potest acquiri privilegio, juxta dicta n. 33. ergo etiam consuetudine. Resp. Majorem universaliter non procedere, & præcipuè tunc quando consuetudinem introducere volens, sine privilegio est incapax possessionis ritè exercendi actus, quibus consuetudo introducitur; cùm sine possessione non currat præscriptio, c. 3. de R J. in 6. & quod est nullum, nullum producat effectum c. Illud. de Jurepatron. atqui Clericus non Episcopus sine privilegio est incapax ritè exercendi actum reservatum soli Ordini Episcopali, arg. c. cap. Quanto, ergo. Et quamvis per privilegium fieri possit capax, nequit tamen id fieri consuetudine, uti citati DD., & alii communiter observant ob dicta Jura. Confirmatur à pari, quia ex eo, quòd Laicus sit incapax conferendi Beneficium, nulla consuetudine etiam immemoriali potest capax fieri, aut acquirere Potestatem illud conferendi; licèt ex privilegio capax fieri, & potestatem illam acquirere possit: Pariter licèt simplex Sacerdos per privilegium possit acquirere potestatem conferendi Minores, ac Confirmationem, non tamen potest eam acquirere consuetudine, c. Quanto, de Consuetud. quia est incapax possessionis, quæ incapacitas per solum privilegium, non verò per consuetudinem tolli potest. Vide etiam dicta Lib. 1. T. 4. de Consuetud. n. 81. & seq. Hinc cautè legendus, & minimè sequendus est Engel h. t. n. 9. cum Lauret. de Franch p. 2. q. 28. n. 3. qui contra Communem, & torrentem Doctorum, atque ipsa Jura docere videtur, posse consuetudine acquiri potestatem exercendi ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis.

36 Quæritur II. Quibus modis polluatur, & execretur Altare, ita ut nova Consecratione indigeat? Et an polluta, vel execrata ecclesia, etiam execretur, & polluatur Altare, ac econtrà? Ante responsionem nota, aliud esse pollui, aliud execrari ecclesiam, vel Altare. Pollui enim dicitur, si fit unus ex casibus suprà n. 15. allegatis. Execrari verò, seu Consecrationem sine pollutione amittere dicitur, quando sine aliquo ex dictis casibus Consecrationem ex eo amittit, quia comburitur, exuritur, vel confringitur Altare. Resp. I. Si polluitur ecclesia, polluuntur etiam omnia Altaria in ea fixa; idque eodem modo, quo polluitur ecclesia, ita ut ante Reconciliationem in tali Altari Missa celebrari non valeat. Miranda in Manual. Tom. 2. q. 39. a. 7. Abbas in c. 4. h. t. n. 10. Sylvester Vers. Altare, q. 11. Pirhing h. t. n. 28. cum Communi. Ratio est, quia si pollutio in ecclesia fit, totam ecclesiam afficit, adeòque etiam in ea posita, & contenta Altaria, utpote unum corpus cum ecclesia efficientia; unde etiam per Reconciliationem ecclesiæ pollutæ reconciliata censentur Altaria ibidem fixa.

37 Resp. II. Altare tam fixum, quàm mobile execratur, sive Consecrationem amittit, ita ut nova Consecratione indigeat. I. Si mensa superior, seu lapis superpositus, qui sigillum continet, seu lapis ipse Altaris portatilis enormiter, seu notabiliter, & ita frangatur, aut diminuatur, ut Calix cum patena secundum majorem sui partem in eo stare non amplius queat. Omnes. Textus expressus habetur c. 1. h. t. ibi: Si lapis, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus fuerit, debet denuò consecrari, & c. 3. eod. Dicitur autem notabiliter enormiter, seu notabiliter; quia si modicè, aut ita solum confringatur lapis, ut Calix cum patena secundum majorem sui partem stare in eo commodè adhuc possit, prout fit, si partes in cornibus tantum, vel ipsa cornua confringantur, aut minuantur, non execratur Altare; & multò minus, si in Altari portatili lignum solummodò, cui lapis inclusus est, frangatur, aut omninò à lapide separetur. Abbas in c. Ligneis, 6. h. t. n. 1. & in c. 1. h. t. n. 3. Sylvester Vers. Altare q. 9. Pirhing h. t. num. 24. arg. c. cap. 3. h. t. ibi: Si enormiter fracta fuerit, & c. Ligneis, 6. eod. ibi: Si tabula Altaris enormiter læsa non fuerit, nec Altare debet denuò consecrari. In dubio autem, an enormiter sit fractum, relinquitur judicio episcopi. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Alleg 27. n. 26. & alii.

38 II. Execratur Altare fixum, seu immobile, quando lapis, seu mensa superior consecrata amovetur ab inferiori structura, seu basi, cui est affixum, vel à columnis, quibus innititur. Barbosa l. c. cum Communi, claris Juribus c. 1. & 2. h. t. ibi: Altare, in quo tabula, cui Consecrationis benedictio adhibetur, si mota fuerit, debet non immeritò consecrari. Concordat c. Ligneis, 6. eod. & can. Si motum 19 de Consecr. dist. 1. & ibi Glossa Vers. Altare, ubi etiam rationem addit, videlicet, quia Consecratio Altaris fixi censetur esse in conjunctione mensæ, lapidis nempe, seu tabulæ superioris, ac inferioris structuræ; hinc si lapis, vel tabula superior removetur ab inferiori, vel ab ipsa lapides eandem immediatè tangentes, censetur execrari: non item si alii lapides inferiores lapidem vel tabulam superiorem principaliter consecratam, immediatè non tangentes, amoveantur, & alii substituantur, Altari in debita altitudine adhuc remanente; etsi successivè omnes lapides taliter inferiores auferantur, ut habet ibidem Gloss. Marg. Pariter non execratur, si superior tabula non est immobiliter affixa structuræ inferiori, sed commodè de loco ad locum unà cum sepulchro transferri potest. Sylvester Vers. Altare, q. 10. & alii. Ratio est; quia tunc induit naturam Altaris portatilis.

39 III. Secundum aliquos, ut Barbosam l. c. n. 25. Sylvestrum Vers. Altare q. 1. Azorium p. 1. l. 10. c. 27. q. 8. testantes de Communi, execratur Altare, si frangitur, aut removetur sepulchrum Altaris (id est loculus ille, in quo sacræ Reliquiæ continentur, Sylvester l. c.) aut sigillum, id est, parvulus ille lapis, quo sepulchrum clauditur & tegitur. Sylvester l. c. arg. c. 1. h. t. ibi: Si lapis, qui sigillum continet, frangatur, & can. Placuit 25. de Consecr. Ratio est; quia secundum ipsos Reliquiæ aliquæ Sanctorum sunt de substantia Consecrationis Altaris, arg. c. cap. Placuit. ubi Summarium sic habet, evertantur Altaria, quæ sine Sanctorum Reliquiis eriguntur.

40 Verò Layman L. 5. Tr. 5. c. 6. n. 9. citans Conink, Sotto, & Suarez. Pirhing h. t. n. 26. & alii non improbabiliter sustinent, hoc casu non execrari Altare, eò quòd juxta ipsos Reliquiæ aliquæ Sanctorum necessariò non requirantur ad Consecrationem Altaris; cum id nullo Jure probari valeat: nam can. Placuit. citatus ab Adversariis nihil

nihil convincit, utpote per quem solummodò superstitiones, ac incertorum Martyrum, aut Reliquiarum erectæ memoriæ, & cultus prohibentur, non autem necessitas Reliquiarum verarum statuitur, ut legenti textum patet, quidquid dicat Summarium. Nec aliquid in contrarium facit c. 1. h. t. quia non dicitur ibidem, Altare execrari, si frangitur sigillum, sed si lapis sigillum continens frangatur. Et licèt ex hoc c. eruatur, fieri Altaria cùm sigillo sepulchri, & Reliquiis, non tamen inde probatur, quòd necessariò adesse debeant; cùm benè pro devotione majori consuetudo ecclesiæ illic easdem ponat. Unde habetur in antiquis Rubricis Missalis, quòd si in aliquo Altari Reliquiæ non habeantur, omitti in Missa debeat illa Oratio: Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum Reliquiæ hic sunt. Quo satis innuitur, dari posse Altaria sine Reliquiis Sanctorum. Hinc infert Layman l. c. quòd si certæ Reliquiæ commodè haberi non possint, absque his Altare consecrari omninò possit, præsertim hoc tempore, ubi tanta copia certarum Reliquiarum non habetur. Quamvis fateatur ibidem, quòd si commodè haberi valeat, Episcopi sanctam ecclesiæ consuetudinem servare, & in Consecratione Altaris, Reliquias Sanctorum, sepulchro Altaris immittere, atque sigillo præfato claudere debeant, præsertim, cùm Communissima teneat, id saltem esse de præcepto, si non de substantia.

41 Resp. III. Etsi per Pollutionem ecclesiæ polluatur Altare in eadem fixum, & econtrà per dicta n. 38. tamen per Execrationem Altaris non execratur ecclesia, nec econtrà, c. 1. h. t. ibi: Propter hoc (quòd ob Execrationem Altaris, illud denuò consecretur) nequaquam reiterare suam Consecrationem Ecclesia consuevit, & ibi Abbas nu. 1. ac DD. communiter. Ratio est; quia Consecratio ecclesiæ potissimè consistit in parietibus, & potest esse separata à Consecratione Altaris: unde benè contingere potest, ut Altare execretur v. g. per confractionem superioris tabulæ, & tamen consecrata maneat ecclesia: ac econtrà hæc execretur, combustis, vel destructis parietibus, & tamen consecratum maneat Altare, uti benè advertit Abbas in c. 4. h. t. n. 10.

42 Quæritur III. Quid Juris de Consecratione, & Execratione Calicis, Patenæ, & Campanarum? Resp. I. Loquendo de Jure Consecratio Calicis, & Patenæ ad solum Episcopū spectat. Barb. l. c. alleg. 27. n. 35. Azorius p. 1. lib. 10. c. 28. q. 1. Engel h. t. n. 9. Roderiquez Tom. 1. q. 19. a. 1. Pelliz. Tom. 1. tr. 8. c. 5. n. 102. & Communis arg. c. Abbates & ibi Glossa V. Tonsuram. de Privileg in 6. Ratio est; quia ubi in Consecratione intervenit unctio, uti in his, arg. c. un. de Sacra Unct. consecratio est Ordinis Episcopalis, juxta Communem: & quoniam ad potestatem Ordinis Episcopalis pertinet, eam Episcopus Sacerdoti non Episcopo committere non potest per dicta n. 3. arg. c. Aqua 9. h. t. Nec valet aliquis eandem potestatem consuetudine, aut præscriptione acquirere, per dicta n. 34.

43 Infertur, quòd nec Abbates, nec alii Prælati Regulares, Calices, & Patenas benedicendi potestatem de Jure, vel consuetudine habent, quamvis privilegio Pontificio habere valeant, Glossa in c. Abbates, de Privil in 6. V. Tonsuram Sylvest. V. Benedictio n. 5. Et quidem tale privilegium habere ordinis Cisterciensis Abb. non quidē omnes, sed primos quatuor pro tempore existentes, refert post alios Barb de offic & potest. Episc. alleg. 27. n. 36. Miranda in Manual: Prælat. to. 2. q. 41. a. 2. ubi tamen benè advertit, hoc privilegio alios Abb. vel Regulares per communicationem non gaudere ob specialem rationem in aliis non militantem. Notandum insuper, quòd privilegium benedicendi Calices & Campanas fuerit abrogatum, ut constat ex declaratione S. Congregat. sub Alexandro VI.

44 Resp. II. Tam Calix quàm Patena execrantur, & nova Consecratione indigent; quando franguntur, destruuntur, aut notabiliter suam figuram perdunt. Barb l. c. n. 37. Layman lib. 5. tr. 5 c. 6. n. 6. Engel h. t. n. 5. Sylvest. V. Calix q. 2: qui tamen addunt, quòd si Calix tornatilis foret, non execretur; si cuppa à pede absque fractione separetur; tum quia forma ex prima operis destinatione mutabilis non censetur perire per mutationem illicò reparabilem; tum, quia in Calice tornatili cuppa per se sola videtur consecrata, uti ex Suarez docet Layman loc. cit. Secus est in aliis Calicibus, qui amovibilem pedem non habent; in his enim si pes separatur à cuppa, Execrationem fieri, communiter fatentur Doctores.

45 Resp. III. Neque Calix, neque Patena execrantur, nec nova Consecratione indigent, si longo usu aurum, seu inauratio etiam interior penitus absumitur, Layman l. c. Engel l. c. Sylvester l. c. Azorius l. c. q. 6. & Communis aliorum. Ratio est; quia non solum aurum, quò Calix, vel Patena inaurantur, sed totus Calix, & Patena consecrantur, & consecrata esse censentur: consequenter per amissionem modicæ talis partis, aut formæ, non amittitur Consecratio, arg. c. 3. & 6. h. t.

46 Resp. IV. Valdè probabile est, Calicem, vel Patenam neque tunc execrari, neque nova Consecratione indigere, quando absumpta per longum usum inauratione, de novo inaurantur. Layman l. c. n. 7. citans Durandum in Rational. lib. 1. c. 6. n. 36. Pelliz. Tom. 1. tr. 8 c. 5. n. 118. Coninck de Sacram. q. 83. a. 3. dub. 3. n. 246. Sa V. Calix. Diana p. 2. tr. 1. Miscel Resol. 3. Engel h. t. n. 6. & alii. Ratio est; quia major pars sacra, qualis ad propositum est tota cuppa respectu inaurationis trahit ad se minorem, arg. c. un. h. t. in 6. Confirmatur à simili in ecclesiæ parietibus consecratis, utpote quæ pariter non execrantur, nec de novo consecrantur, etsi cœmento superficiei decidente, aut industria abraso, novo cœmento, aut picturis ornentur, aut dealbentur sicut nec Corporalia, & Pallæ manibus fœminarum lotæ ac mundatæ, de novo benedicuntur.

47 Nec dicas cum Sylvestro vers. Calix, q. 2. Barb. l. c. alleg. 27. n. 38. Miranda, & Communi aliorum contrarium docentium; rationem Conclusionis non procedere, quando minor pars est principalis, uti in præsenti est aurum, quo Calix inauratur; cùm in Calice principalis pars non consideretur ex quantitate materiæ, sed ex immediato contactu Corporis & sanguinis Christi, quę in Calice est utique auri superficies, quę proin Consecrationem principaliter continens, si perditur, & novo auro profano instauratur, Consecrationem perdit. Resp. enim negando, quòd superficiei tanquā parti principali principaliter insit consecratio, cùm hęc non à contactu SS. Corporis, & Sanguinis Christi, sed ab episcopo consecrante proveniat, qui superficiem nec sola, nec principaliter, sed totum Calicē & Patenam consecrat; uti ex formula Consecrationis patet. Dein si in superficie auri principaliter consistit Consecratio, eaque perdita perdatur & illa, ut volunt Adversarii, manifestè sequitur, quòd etiam execretur, & nova Consecratione indigeat Calix, & Patena, si longo usu aurum penitus perditur, etsi non de novo inauretur; quòd tamen est contrà ipsos Adversarios, & communissimam aliorum. Nec his obstant dicta Lib. 1. tit. 16. n. 32. quia licèt ibidem sententiam contrariam probabiliorem potius reputaverimus, tamen etiam aliam probabilem habuimus, id, quod solum dicit Conclusio.

48 Resp. V. Campanas solus Episcopus benedicere potest. Barb. l. c. alleg. 27. n. 46. Marc. Ant. var. resol. l. 1. Resol. 112. casu, 3. & alii. Ratio est eadem, quæ in conclusione n. 42. posita. Ex qua etiam infertur nulla consuetudine posse Abbates, vel alios Prælatos acquirere potestatem benedicendi Campanas, per dicta n. 34. patet etiam ex Declaratione n. 51. ponenda.

49 Quæritur IV. Quid Juris de Consecratione, seu Benedictione, & execratione Paramentorum & Vestium ad Missam pertinentium, Corporalis v. g. Purificatorii, Pallæ, Amictus, Albæ, Cinguli, Manipuli, Stolæ, Casulæ &c.? Resp. I. Horum omnium Benedictio de Jure communi ad solum Episcopum pertinet, ita ut alii non Episcopi illa benedicere de Jure communi nequeant. Barb. de Offic. & potest. Episc. alleg. 27. n. 42. Engel. h. t. n. 9. Sylvester h. t. Vers. Benedicere. Roderiquez tom. 1. q. 19. art. 1. & communis aliorum. Idemque patet tum ex consuetudine, quæ est optima Legum interpres, c. 8. de Consuetud. Tum ex stylo Curiæ dantis Abbatibus non episcopis, & aliis Prælatis Regularibus privilegium præfata Paramenta benedicendi; quod frustrà fieret, si Jure id possent.

50 Resp. II. Possunt Ordinis nostri Superiores Generales, Provinciales, Custodes, Guardiani, & in horum absentia Vicarii, aliique substituti Superiores pro tempore existentes cuncta in quæsito n. præced. posita, omniaque alia Ornamenta, & Paramenta ecclesiastica, & alia quæcunque ad cultum Divinum pertinentia, in quibus Chrisma non intervenit, pro usu Fratrum, Monialium, Tertiariorum, & ecclesiarum eorundem solemniter benedicere,

re,

re, idque ex speciali privilegio per Leonem X. eisdem concesso, quod refert Barbosa *de Offic. & potest. Alleg. 27. n. 44.* Roderiquez *Tom. 2. qq. Regular. q. 19. a. 2.* Pellizar *Tom. 2. tr. 8. c. 5. n. 106.* Lezana *Vers. Benedictio, n. 8.* Miranda *Tom. 2. q. 40. a. 1.* & alii communiter, qui Conclusionem extendunt ad alios quoque Prælatos Regulares communicationem privilegiorum nobiscum habentes. Nec est circa hoc aliqua controversia de Benedictione Paramentorum &c. pro usu ipsorum tantum Religiosorum subditorum, & ecclesiarum eorundem.

51 Sed difficultas est, an Superiores Regulares vi privilegiorum valeant benedicere Paramenta aliena, pro ecclesiis sæcularibus v.g. Rationem dubitandi, & negativam tenendi facit; tum quia in præfato privilegio Leonis X. expressè cavetur, quòd præcisè pro usu Fratrum, & propriarum ecclesiarum valeat: tum quia extant Declarationes Cardinalium in contrarium, quarum unam 13. Martii 1632. emanatam refert Lezana *l.c.* & Lauret. de Franch. *in Controvers. inter Episc. & Regul. p. 2. q. 28. n. 3.* quæ sic sonat: *Abbates, Priores, Guardiani, & alii Religionum Prælati, etiam ex Societate Jesu habentes privilegium benedicendi vestes sacras, Cœmeteria, & similia, dicto privilegio uti non possunt, nisi in iis rebus, in quibus sacra Unctio non adhibetur, & pro servitio duntaxat Monasteriorum, & Ecclesiarum propriarum.* Et propterea partem negativam sustinet Lezana *l.c.* Quo non obstante.

52 Resp. III. Possunt Superiores Regulares communicationem privilegiorum habentes, non tantum suarum, sed etiam aliarum ecclesiarum quarumcunque, Paramenta, Ornamenta, & alia ad Divinum cultum pertinentia, ubi unctio Chrismatis non intervenit, benedicere, non quidem vi privilegii Leonis X. sed Innocentii VIII. utpote qui concessit *Prioribus Ordinis S. Hieronymi, & Vicariis, in absentia Prioris, & cuilibet habenti principale regimen cujuscunque Monasterii, posse benedicere Corporalia, Vestimenta, cæteraque Ornamenta ecclesiastica ad Cultum Divinum pertinentia tam sui Monasterii, quàm etiam undecunque sint,* ut in terminis referunt Roderiq. *Tom. 1. qq. Regul. q. 19. a. 2.* Pelliz. *l.c. n. 108.* Miranda *tom. 2. q. 40. art. 5.* Lauret. de Franch ubi suprà, in quo Privilegio, quia communicat Ordo noster, ac plerique alii, eodem gaudere poterunt; prout citati Doctores bene advertunt.

53 Nec obstant Declarationes Cardinalium citatæ supra *n. 51.* quia illæ plus non volunt, quam quòd si Regularibus à Papa in genere detur Privilegium benedicendi Paramenta ecclesiastica, intelligendum solummodò sit de Paramentis ecclesiarum Regularium; per quod non derogatur privilegio, quòd benedicendi Paramenta etiam alienæ ecclesiæ expressè conceditur; cùm enim Declarationes Cardinalium non faciant novam Legem aut Jus novum, sed tantum ambiguum, aut obscurum magis declarent, hic allegatæ Declarationes præfatum clarum & apertum privilegium benedicendi Paramenta non tantum Monasterii, sed & alia *undecunque* sint, expressè datum, nec afficiunt, nec immutant: prout patet à simili. Nam cùm aliàs etiam universaliter, ac in genere declaravit S. Congreg. quòd Abb. etiam usu *Mitræ & Baculi* habentes, non possint benedicere ea, ubi Unctio intervenit, uti in Calice, Campana &c. interrogata à Procuratore Generali Congreg. Cassinensis, an per hanc Declarationem derogatum sit specialibus privilegiis benedicendi Calices &c. expressè concessis, respondit negativè; prout ex Nald. *Vers. Abb. n. 4.* refert Pelliz. *to. 1. tr. 8. c. 5. n. 103.* Ergo etiam ex eo, quòd Declaratio dicat, privilegia Regularibus Paramenta benedicendi concessum intelligi tantùm de Paramentis &c. ecclesiarum propriarum, non derogatur privilegiis benedicendi etiam aliarum ecclesiarum Paramenta expressè concessis; prout etiam bene advertit Lauret. de Franc. *cit. p. 2. q. 28. n. 3.*

54 Pariter non obstant alia Decreta S. Congregationis volentia, quòd Prælati regulares non nisi suarum ecclesiarum Paramenta benedicere valeant; quia cum in his omninò non, aut solum privilegiis benedicendi Paramenta in genere concessis derogetur, nil obsunt Conclusioni. Accedit praxis, & consuetudo plurium Regularium Paramenta ecclesiarum etiam alienarum passim benedicentium; *consuetudo autem est optima Legum interpres, c. 8. de Consuetud.*

55 Dices, Capitulum Generale Melchinense Ordinis nostri declarasse, quòd privilegium benedicendi Paramenta nobis concessum, tantum intelligatur de Paramentis nostrarum, non item aliarum ecclesiarum; rationem addit; *sic enim (inquit) concessum fuit per summum Pontificem,* puta, Leonem X. ergo saltem Superiores nostri Ordinis non possunt benedicere aliena Paramenta. Resp. concesso ant. negando Conseq. quia ex hoc solum habetur, quod id non possimus vi privilegii nobis à Leone X. concessi, uti patet ex subjuncta ratione; *sic enim per Pontificem concessum est*; non item, quòd id non possimus vi privilegii, pro benedicendis alienis Paramentis expressè aliis concessi, quo per communicationem gaudemus.

56 Infertur, tutò pergere posse Superiores nostros in consuetudine ab antiquo jam hucusque in aliquibus, præsertim nostra Provincia, practicata benedicendi Paramenta omnia, etiam aliena, & alia, ubi unctio Chrismatis non intervenit.

57 Resp. IV. Paramenta ecclesiastica benedicta execrantur, seu benedictionem amittunt, ita ut de novo benedici debeant, quando vel amittunt figuram priorem, in qua benedicta fuere, aut quando ita notabiliter lacerantur, aut immutantur, ut reddantur inhabiles ad usum ad quem fuere destinata, Barb. *c. alleg. 27. n. 43.* Sylvest. *Vers. Benedictio n. 6.* Pelliz. *ubi sup. n. 117.* & Communis aliorum, *arg. c. Quod in dubiis, 3. & c. 6. h. t.* Hinc si ex Stola fiat Manipulus, vel ex Corporali purificatorium, ex casula Stola &c. debent de novo benedici; cùm non habent priorem formam, & quodvis Paramentum in sua forma, quæ dat esse rei, habeat specialem Benedictionem. Doctores citati. Pariter si Alba perdat manicam, aut ita laceretur, ut non possit Sacerdos ea uti, ad celebrandum v.g. nova benedictione opus est. Non item, si successivè lacerata, successivè reficiantur, etsi petia aliqua nova assuantur; quia tunc *Accessorium sequitur naturam principalis, c. 4. de R. J. in 6. magis dignum trahit ad se minus dignum.* Pariter non execrantur per lotionem, uti omnes fatentur.

58 Quæritur V. An ab episcopo aliis committi, vel consuetudine acquiri possit potestas benedicendi Paramenta? Resp. ad utrumque negativè, Barb. *l. c. alleg. 27. n. 42.* Ugolin. *de potest. Episc. c. 32. n. 4.* Possev. *de Offic. Curati c. 2. nu. 37.* ubi allegat super hoc responsum Congregationis SS. Rituum, & communis aliorum. Ratio est; quia præfata benedicere pertinet ad potestatem Ordinis episcopalis, prout cum communi aliorum docet Roderiquez *l. c. a. 1.* citans Communem, Sylvest. *Vers. Benedictio n. 3.* ubi etiam de communi testantur & alii; cùm in iis benedicendis servetur forma ab ipsa ecclesia præscripta: quæ autem sunt Ordinis episcopalis, nec ab episcopo aliis non episcopis delegari possunt, *c. Aqua 9. h. t.* nec consuetudine acquiri, per dicta *n. 34.* Accedit *consuetudo optima Legum interpres, c. 8. de Consuetud. & l. 37. ff. de Legib.*

59 Quæritur VI. incidentaliter, quid Juris de tactu, lotione, & refectione Vasorum & Paramentorum sacrorum? Resp. I. Vasa sacra, v.g. Calicem, Patenam, Corporale, Ciborium &c. dum actu continet Corpus, & Sanguinem Jesu Christi, sine peccato mortali nemo præter Sacerdotem, vel Diaconum tangere potest. Layman *lib. 5. tr. 5. c. 6. n. 18.* & alii, *arg. can. Non oportet, 26. dist. 23. & can. In sancta hac 41. & seq. de Consecr. dist. 1.* Si verò vacua sunt, aut Corpus Christi actu non continent (quod idem dic de aliis sacro Chrismate unctis, ut Altari, cereis, Agnis &c.) mortale non erit illa tangere, si scandalum absit, Laym. *l. c. n. 19.* Sanch. *lib. 2. c. 43. n. 27.* bene tamen veniale, si id absque legitima causa fiat; communis, *arg. c. can. Si Apostolica, 41. & can. Vestimenta 42. de Consecr. dist. 1.* ubi universaliter statuitur quòd *non ab aliis debeant contingi aut ferri, nisi à sacratis hominibus, ne ultio, quæ Balthasar Regem percussit, super hac transgredientes, & talia præsumentes veniat, & corruere eos faciat ad ima.* Concordat *c. can. Non oportet. 26. & 30. & can. Non liceat 31. dist. 23.*

60 Ref. II. Alia paramenta Ecclesiast. benedicta, (quæ Corpus Christi immediate non côtingunt, nec Chrismate unguntur) cum reverentia tâgere, præsertim ex causa rationabili quivis potest, Laym. *l. c. n. 20.* & alii. Ratio est: consuetudo universaliter vigens, quæ vel interpretatur canones citatos, quòd sint intelligendi de Paramentis positis in præcedenti Conclusione, cùm ipsa sit *optime legum interpres*: vel eisdem derogaverit quoad hæc Paramenta, *arg. c. fin. de Consuet.* Dùmodò non adhibeantur ad profanos usus, sed, si forsan ad usum non amplius sint habilia, igni tradâtur, prout statuitur *c. Altar. 39. de Consecr. dist. 1.*

61 Ref. III. Paramenta Ecclesiast. quæ immediatè Corpus Christi contingunt, v.g. Corporale, Purificatorium, si lotione, aut refectione indigent, debent prius lavari à Presbytero, vel Diacono, in munda pelvi ad hoc præparata, & aqua lotionis in Sacrarium fundi, Sylvest. *Vers. Corporalia* Laym. *l. c. n. 19.* cum communi, textu claro, *can. Nemo 40. de Consecr. dist. 1.* Ratio ibidem subjungitur, *ne fortè Dominici Corporis pulvis malè decidat, aut stillæ Sanguinis imbibitæ irreverenter tractentur.* Dicitur notanter *priùs*, quia postquam à Sacerdote, aut Diacono jam lota sunt, aliis etiam mulieribus præsertim sacratis, id est, Monialibus ulterius, & exactius lavanda aut reficienda tradi benè possunt, eo quòd juxtà citatos, & alios Doctores, dictus Canon de prima lotione intelligi debeat, teste consuetudine *quæ est optima Legum interpres*. Porrò possunt Corporalia, & Purificatoria à Laicis personis sic lota cum reverentia tangi, donec denuò ad Sacrificium applicentur. Item sicut fœminæ Corporalia reficienda, ita Aurifabro Calices restaurandi tradi possunt.

62 Resp. IV. Paramenta Ecclesiastica benedicta, quæ Corpus Christi immediatè non tangunt, a quovis lavari, & refici possunt. Patet per dicta *n. 56.*

TITULUS XLI.

De Celebratione Missæ, Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officiis.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Missæ non nisi in locis sacris legi possunt.*
3 *Regulariter loquendo non potest Episcopus concedere quòd Missæ celebrentur in loco non sacro. Et n. seq. & num. 6.*
5 *Regulares vi privilegii non amplius possunt celebrare super Altari portatili in locis non sacris, aut non benedictis.*
6 *Revocata sunt privilegia Episcoporum, & Regularium. Et n. seq.*
8 *Episcopus cohibere debet Regulares Missam in loco non sacro celebrantes: solvuntur Objectiones usque n. 12.*
12 *Urgente necessitate potest quivis in loco non sacro celebrare.*
13 *Quæ sint tales necessitates?*
14 *Infirmitas alicujus an talis sit? Et n. seq.*
15 *An possit Episcopus dispensando concedere, ut in domo infirmi legatur Missa?*
16 *Ex dispensatione Pontificis possunt celebrari Missæ in locis non sacris & quomodo?*
Formulæ dispensationis solidæ, & observandæ circa eam. Ibid. Et n. seq.
18 *Missam audiens in loco non sacro, non satisfacit præcepto.*
19 *Regulares possunt habere Oratoria privata, ibique, & in cellis, ac cameris suis legere Missam. Et n. seq.*
21 *In Regularium Oratoriis, non item in cellis, possunt etiam alii legere, & audire Missam.*
22 *Parochi Jure Divino tenentur applicare Missam pro Parochianis.*
Quoties? & quomodò? Ibid.
Declarationes Cardinalium quomodo obligent? Ibid. Et num. seq.
24 *Obligant, etsi dicatur, eas non esse promulgatas, vel receptas. Et n. seq.*
26 *Parochi quando non teneantur Missam applicare pro Ovibus.*
27 *Redditus pingues, & tenues, quinam? Et n. seq.*
29 *Parochi plurimi peccant, Missam pro Ovibus non applicantes.*
30 *Decretum Urbani VIII. circa Celebrationem Missæ.*

1 Palam est, Consecrationem ecclesiarum, & Altarium eò principaliter dirigi, ut ibidem dignè celebrentur Missæ, Sacramentum conficiatur Eucharistiæ, Laudesque Divinæ ritè persolvantur: rectò proin ordine præcedentem præsens sequitur Titulus. Verum quia tam de celebratione Missarum, quàm Eucharistiæ Sacramento, & Horis Canonicis (quæ veniunt nomine Divinorum Officiorum) Theologi tam Morales, quàm Scholastici passim & exactè tractant (quòd idem etiam in Theologia nostra Morali *tr. 14. Dist. 4. & 5.* item *tract. 6. Dist. 1.* facere sumus conati) ideò morem aliorum Canonistarum sequentes, pauci hunc Titulum expediemus, ponendo solum aliqua quæsita pro foro Canonico magis facientia circa celebrationem Missæ.

2 Quæritur I. Ubinam, seu quo in loco Missæ celebrari possint, ac debeant? præsertim, an in domibus sæcularibus, aut Oratoriis privatis celebrari valeant? Resp. I. Loquendo de Jure Communi, ordinariè non nisi in Ecclesiis, vel locis consecratis, aut saltem legitima authoritate benedictis, & ad cultum Divinum deputatis, licitè celebrari possunt Missæ. Communis ac certa, quod etiam in nostra Theologia Morali *tr. 14. dist. 5. q. 10. nu. 115.* docuimus. Patet conclusio manifestè ex *can. 1. de Consecr. d. 1.* ibi: *Missarum Celebrationes non alibi, quàm in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus c. Sicut 11. de Consecr. dist. 1.* ibi: *In aliis quàm Domino sacratis locis, idest, in tabernaculis, Divinis precibus à Pontificibus delibatis, Missas cantare, aut Sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas; c. Missarum 12.* Concordat *can. 12. can. 14. can. 15. & can. 25. de Consecr. d. 1.* & Concil. Trid. *Sess. 22. in Decreto de Observandis in Celebratione Missæ*, ibi: *Nevè patiantur* (Episcopi) *privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à sæcularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi &c. Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscunque.* Confirmatur ex novissimo Decreto Clementis XI. infrà *n. 5.* per extensum ponendo, ubi etiam ratio statim ab initio habetur illis verbis: *Quoniam sancta sanctè tractanda, ac præsertim tremendum incruenti Sacrificii Mysterium, quod omni Religionis cultu, ac reverentia est peragendum.*

3 Resp. II. Regulariter loquendo, Episcopus nec aliis facultatem celebrandi concedere, nec ipse legere potest Missam (extra Palatium suum) in domibus, aut aliis locis non consecratis, aut non benedictis, atque authoritate legitima ad cultum Divinum deputatis. Diana *p. 9. tr. 1. de Orator. privat. resol. 42.* ubi plura Decreta & Declarationes affert. Barbosa *in Concil. Trid. sess. 22. in Decreto de Observ. & vitand. in celebrat. Missæ.* Navarrus *in Manual. c. 25. n. 81.* Gutierez *lib. 2. Can. qq. c. 30. n. 24. & seq.* ubi etiam affert declarationem Cardinalium dicentem, quòd Episcopi nequeant dare licentiam celebrandi in locis non consecratis, aut non benedictis, atque authoritate legitima ad Divinum cultum non deputatis: de simili Declaratione etiam testatur, atque Conclusionem tenet Azorius *p. 1. lib. 10. cap. 26. q. 3.* & alii communiter. Probatur Conclusio ex SS. Canonibus, & Concilio Tridentino suprà *n. 2.* citatis, præsertim verò *c. Sicut 11. de Consecr. dist. 1.* ubi ad finem expressè dicitur: *In domibus ab Episcopis, sive Presbyteris oblationes* (Eucharistiæ videlicet, ut habet ibidem Glossa) *celebrari nullatenus licet.* Ad quæ Jura Episcopus omninò tenetur, nec in iis secum ipso, aut cum aliis dispensare potest; cùm nequeat infe-

inferior in Lege superioris dispensare, *arg. Clem. Ne Romani de Election.*

4 Nec obstat *c. Missarum de Consecrat. dist* 1. ibi: *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel N.B. ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus*: ergo ipso permittente ubivis licebit; quòd idem colligitur ex *c. Hic ergo eod. d. 1.* ibi: *Nisi in locis, ubi proprius Episcopus jusserit*. Resp. enim I. Hoc Canones solum velle, posse celebrari in locis non consecratis, ubi Episcopus jusserit, aut permiserit, deputando nempe locum ad cultum Divinum, aut eundem saltem benedicendo, aut ob casum urgentis necessitatis, juxta dicenda infra *n. 12. & seq.* Non item, ubi ipse pro libitu permiserit; cum in hoc sensu Canones isti manifestè contradicerent *c. Sicut 11. eod. dist. 1.* quam contradictionem evitare pro possibili oportet, *arg. c. Cùm expediat. 29. de Elect. in* 6. Resp. II. Dato, non concesso, quòd olim jure antiquo per citatum Canonem *Missarum* habuerint episcopi liberam facultatem permittendi Celebrationem in quovis loco, prout nonnulli Canonistæ volunt, tamen hæc facultas eisdē ablata est per Conc. Trid. *cit. sess. 22. in Decreto de observ. & evitand. &c.* ita ut post Concilium solus Papa concedere possit licentiam celebrandi in domibus privatis, aut aliis locis non sacratis, vel saltem ab Episcopo benedictis, aut authoritate legitima ad solum cultum Divinum deputatis; prout testantibus Doctoribus citatis sæpius declaravit SS. Congregatio Cardinalium Concilii Trident. Interpretum.

Confirmatur *primò* ex novissimo Decreto Pauli V. & Urbani VIII. de quo testatur Diana *l. c.* Portel *in Respons. Regul. Tom. 1. p. 3. casu 20 n. 1.* & alii, vi cujus adempta est Episcopis omnis potestas concedendi licentiam celebrandi in domibus aut locis non sacratis. Nec amplius quidquam facit pro Episcopis aliud Decretum dicti Pauli V. 1618, die 30. Julii editum, vi cujus Episcopi saltem ut Delegati Apostolici possunt præfatam licentiam concedere, si quinque conditiones observentur, videlicet I. Ut non nisi Nobilibus, senio, aut infirmitate impeditis durante impedimento concedatur. *II.* Et eorum necessariis Ministris. III. Una tantum Missa in die IV. Ut excipiantur Festa solemnia. V. Ut sit tantum in uno Oratorio unius domus, & solum ad sex annos concedatur. Nam hoc Decretum est revocatum, & quævis potestas concedendi licentiam celebrandi Missam Papæ soli reservata fuit per subsequens Decretum Urbani VIII. ut citati DD. observant.

Confirmatur *secundò*, & penitus certa redditur Conclusio *n. 3.* posita, ac responsio modò data, ex novissimo Decreto S. D. N. Clementis XI. Papæ moderni sanctissimè regnantis, cujus tenorem habes infrà *n. seq.*

5 Resp. III Quamvis olim ex specialibus privilegiis Papæ, etiam in corpore Juris clausis: FF. Prædicatores, & Minores, & per consequens etiam alii Regulares communicationem privilegiorum cum eis habentes, potuerint, etiam sine licentia Episcopi in quovis etiam non consecrato, nec benedicto loco, atque adeò in domibus privatis celebrare Missam super Altari *portatili*, uti manifestè patet ex *c. In his 30. de Privil.* & aliis privilegiis successivè concessis; atque plures Doctores, ut Brugnoli, Sannig *h. t. cap. 4. n. 6.* Diana *p. 4. tr. 4. Miscell. Resolut.* 106. & alii, docuerunt, privilegium hoc non fuisse revocatum à Concilio Tridentino, eò quòd reperiatur in corpore Juris clausum, tamen hodie certum ac indubitatum est, quod penitus nullus Regularis, quisquis ille sit, possit amplius celebrare in aliquo loco non consecrato, aut benedicto, vel saltem authoritate legitima ad cultum Divinum deputato, non obstante quocunque eorum privilegio ante Concilium Trident. concesso, etiam in corpore Juris clauso, utpote per idem Concilium Tridentinum revocato. Hanc Conclusionem licèt ante hac jam multi tenuerint Doctores, ut hodie tamen omnes tenere debent, ob novissimum Decretum S. D. N. Clementis XI. quòd integrum hìc apponere utile & necessarium duxi ad tollendam omnem controversiam, & evitanda multa absurda, ac irreverentias circa Tremendum Missæ Sacrificium.

DECRETUM CLEMENTIS XI.

De celebratione in Oratoriis privatis.

QUoniam Sancta Sanctè tractanda sunt, ac præsertim tremendum incruenti Sacrificii Mysterium, quòd omni Religionis cultu, & Veneratione peragendum est: Propterea super observandis, & evitandis in celebratione Missarum in Sacrosanctis Oecumenicis Conciliis, ac præsertim Trident. sub *c. unico Sess. 22.* inter cætera statutum est, ut tantum Sacrificium solummodò in Ecclesiis, aut Oratoriis Divino tantum Cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Episcopis, & locorum Ordinariis, nè privatis in Domibus, atque omninò extra Ecclesiam peragi paterentur; Ac subinde S. Congreg. Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium ipsius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi præpositorum sæpè sæpius per opportuna Decreta obrepentes abusus eliminavit. Modernis tamen temporibus innotuit Sanctissimo Domino Nostro, quòd nonnulli Episcopi, sub prætextu Privilegiorum, Capellis Episcopalibus competentium, & complures Regulares, sub prætextu Privilegiorum, quæ ipsis à Sancta Sede indulta noscuntur, per hujusmodi Privilegiorum dilatationem, seu potius excessum, & abusum in nonnullis Diœcesibus, præsertim Regni Neapolitani, ac in ipsa Neapolis Civitate, ea sibi licere putant, quæ permissa non sunt, quinimò probibita: Siquidem nonnulli Episcopi etiam in aliena Diœcesi, & extra Domum propriæ habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures ex suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolare; Regulares verò in quibusdam Magnatum, seu aliarum Nobilium Personarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex causis à S. Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas quam in ipsis celebrare sit indultum, vel absque præsentia Personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diœcesanas, aut etiam per Decreta S. Congreg. Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipsismet Indultis Apostolicis excipiuntur, quominus in iis celebrari possit, aut etiam Altari portatili uti non verentur, in Sanctarum Sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam.

Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo Ministerio debitam, idem SS. Dominus Noster ex unanimi voto S. R. E. Cardin. Conc. Trid. Interpretum, inhærendo declarationibus alias hac de re editis, expresè declarat, Episcopis, & his Majoribus Prælatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu Privilegii clausis in Corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra Domum propriæ habitationis in Domibus Laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere, ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut instituti, seu Congreg. etiam Soc. Jesu, aut etiam cujuscunque Ordinis Militaris, etiam S. Jo. Hierosolym. aut aliis quibuscunque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis Sanctissimæ Resurrectionis, Pentecostes, Nativ. D. N. J. Christi, aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis verò diebus prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque, etiā Episc. in privatis Oratoriis celebrare nō licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optimè informare; Atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem, demandando propterea ulterius, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus, Personas quascumque dictas Missas audientes nullatenus Ecclesiæ Præcepto satisfacere; Quo verò ad Altare portatile iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit licentias, seu Privilegia concessa nonnullis Regularibus in *c. In his de Priv.* & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portali, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omninò revocata esse, per idem S. Concil. & propterea eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis Decreti tenore mandat Episc. aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscunq; contravenientes, quāvis Regulares procedant etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ad pœnas præscriptas per idem Sac. Concil. in dicto Decreto *Sess. 22.* usq; ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam eisdem facultate per hoc Decretū, ita procedendi perindè ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita Sanctitas Sua declarat, & servari mandat.

Romæ hac die 15. Decemb. 1703.

B. Card Panciaticus Præf.

Jo. Dominicus Thomatus Episcopus Cyrenen. S. C. C. Secr.

Die 27. Mensis Januarii 1704. Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit in Monte citatorio Curiæ Innocentianæ; ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Nicolaum Vaselium SS. D. N. Papæ Curs.

Pro D. Mag. Curs. Thomas Orlandus Ap. Curs.

6 Ex hoc Decreto certum & manifestum est I. Quod nec *ipsi Episcopi, nec Majores Prælati prætextu alicujus privilegii in Corpore Juris clausi* (consequenter nil amplius juvat *can. Missarum de Consecr. dist. 1.* & alii Canones forsan aliàs Episcopis favorabiles) *neque alio quocunque titulo possint extra domum propriæ habitationis* (benè verò in hac à sensu contrario) *in domibus Laicis etiam in propria Diœcesi, quod fortiùs intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus accesserit* (Ecce Episcopus nec Episcopo, multò minus alteri v. g. Nobili potest concedere celebrandi missam in domo Laici) *Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere*; id est, *concedere, ut alii legant*: ita enim sonant verba Decreti, consequenter certa est Conclusio *n. 3* posita.

7 Certum est II. Quod à Conc. Trid. *Sess. 22. in Decreto de Observ. & vitand.* omnia privilegia etiam in corpore Juris *c. In his, de Privil* clausa, Regularibus olim concessa, celebrandi ubivis in Altari *portatili*, sint revocata, sicque totum & unicum adhuc quorundam fundamentum in privilegio, in Corpore juris clauso, positum, gaudendi adhuc facultate præfata, sit sublatū, consequenter in nulla amplius domo, aut alio loco non cōsecrato, vel saltem benedicto, aut authoritate legitima ad cultum Divinū deputato celebrare valeant, nisi adsit specialis concessio, aut novum privilegiū Papæ; sic enim expresse declaravit Papa in præfato Decreto, dum *inhærendo Declarationibus supradictis, censuit, etiam licentias seu privilegia concessa nonnullis Regularibus, in c. In his de Privil. & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi Altari portatili, in eoque celebrandi in locis, in quibus degunt, omninò revocata esse per idem sacrum Conc. Trid.* Et hinc summa reverentia, & humillima subjectione erga Sedem Apostolicam his conformiter correctum volumus, quod *lib. 1. T. 31. de Offic. Ordinar. n. 137.* diximus.

8 Certum est III. Episcopos non tantum posse, sed & debere Regularibus omnibus prohibere & mandare, ne præfato privilegio amplius utantur: item posse & debere *contra quoscunque* (etiam exemptos) *contravenientes Regulares* procedere tanquam Sedis Apostolicæ Delegatos, pœnasque à Conc Trid *loc cit.* specificatas infligere, ita enim in memorato Decreto prope finem non tantum declarat, sed ut fiat, mandat. Reliqua in Decreto contenta dabit considerata lectio.

9 Objicies I. De allegato *n 5.* Decreto authenticè, & legitimè non constare, consequēter per illud neminem obligari. Res. vel maximè de eo legitimè constare: enim verò pro authoritate & majori fide hujus decreti Lectorem informare juvat, quòd dictum Decretum per ipsam Sac. Congreg. transmissum sit ad Archi-Episcopum Salisburgensem, & ab hoc, ex Officio communicatum omnibus sub Archi Episcopatu existentibus RR. Suffraganeis, ac in specie nostro RR ac Celsissimo S. R. I. Principi, & Episcopo Frisingensi, defacto feliciter regnanti, unde allegatam copiam habemus.

10 Objicies II. Et si de eo authenticè constet, tamen Regulares ad id non obligari, quia sufficienter non videtur promulgatum. Resp. I. Dato non concesso, quòd omninò non fuisset promulgatum, tamen obligaret, eò quòd potissimum in Cardinalium Declaratione Concil. Tridentini consistat, cujusmodi Declarationes promulgari non solent, sed etiam absque promulgatione obligant (dummodò aliunde de eis sufficienter constet) cùm non faciant Legem novam, sed insint Legi ab initio positæ, quæ jam est promulgata, ut diximus *in Proœm. §. 8.* Resp. II. Omninò etiam sufficienter censeri debere promulgatum, ex eo, quòd non tantum Romæ in locis consuetis; sed etiam à RR. Ordinariis sit promulgatum; uti constat ex iis, quæ de promulgatione suprà *lib. 1. T 2. de Constit. §. 5.* diximus: Quamvis haud dubiè melius foret, si RR. Ordinarii illud etiam Regularibus communicarent, & promulgarent, sicque virtute hujus Decreti mandarent, ne amplius in ulla domo sæcularium, vel privatis sæcularium Oratoriis non consecratis, nec benedictis celebrent, prout mandare reverà tenentur, cum hoc Ordinariis in præfato Decreto Papa ipsemet præcipiat.

11 Objicies III. Hoc Decretum nec ab Episcopis, nec ab aliis esse usu receptum, nec forsan recipiendum fore in futurum; ergo non obligat. Res. I. Negando Ant. cum pluribus in locis ei conformiter procedatur. Resp. II. Non esse in potestate RR. Ordinariorum, vel aliorum Constitutiones ac Decreta Pontificia non recipere, cùm omnes teneantur Legem justam accipere, ita ut sine justa causa eam non accipientes graviter peccent, & peccatum tam diu continuent, donec debito tempore rationabilis & legitima in contrarium de novo inducatur consuetudo, prout hodie indubitate constat ex Decreto Alexandri VII. contrariam doctrinam damnantis; & dictum est in Theologia nostra Morali *Tr. 2. Dist. 1. q. 4 de Acceptatione Legū* qualis consuetudo post Decretum introducta nec habetur, nec haberi potest, saltem defectò ob defectum temporis requisiti; cùm Decretum novissimè sit emanatum, prout liquet ex dato. Accedit, quòd, ut suprà diximus, præfatum Decretum potissimum consistat in Declaratione Conc. Trid. quod quia receptum est, hoc ipso recepta censetur Declaratio illius, utpote eidem insistens, prout amplius dicetur infrà.

12 Resp. III. Præfatis non obstantibus possunt non tantum Episcopi, sed etiam alii tam sæculares, quàm Regulares Sacerdotes celebrare in locis non consecratis, nec benedictis casu, quo magna urgeat necessitas. Laym. *lib. 5 T. 5. n. 3* Diana *p. 9. tr. 1. de Oratoriis priv. res. 43.* Navar. *in Manual c. 25 n. 81.* Azor. *To. 1. l. 18 c. 26. q. 2.* Sa *V. Missa n. 20.* & communis aliorum, *ar. c. 1. de Consecr. dist* 1. ibi: *Missarum Celebrationes non alibi, quam in sacratis Domino locis N. B. absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus*; ergo urgente magna necessitate licebit. Idem habetur *c. Illud 11. de Consecr. dist. 1.* ibi: *Non in aliis, quàm in Domino sacratis locis Missas offerre licet, nisi summa coegerit necessitas*. Ratio ibidem subjungitur: *Quoniam necessitas Legem non habet; & quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum, c. Quod non de R. J. in* 6. Hinc casum summæ necessitatis non comprehendit Conc. Trid. *sess. 22. l. c.* nec Declarationes ejusdem, prout ob rationem dictam communiter tenent Doctores.

13 Infertur proin, quòd tempore pestis, belli, persecutionum &c. ubi absque periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacratis locis celebrari nequit, Sacrificium Missæ etiam in locis, ac domibus privatis offerri licitè possit; prout etiam teste Baronio ad Annum Christi 303. n. 39. eo tempore in domibus privatis, quin & in carceribus, Sacerdotes Missam celebrabant. Rursus magna necessitas adesse censetur ad hoc, ut in loco non sacrato, vel benedicto celebrari valeant Missæ in Altari *portatili*, si dirutæ, aut combustæ sint Ecclesiæ, *c. Concedimus 30. de Consecr. dist* 1 Item in maximo cōcursu populi, quem sacer locus non capit: in bello pro exercitu: in longa peregrinatione per loca infidelium, Layman *l c* Guttierez *Can. qq. lib. 1. c. 30 n. 25.* Navarr. *in Manual. c. 25. n. 81.* Sà *V. Missa n. 20.* cum communi aliorum, insuper faventium, in his casibus etiam absque licentia Episcopi licere, ipso id jure vel expressè, vel per Epickejam permittente, teste consuetudine passim vigente, *quæ est optima Legum interpres, c. 8. de Consuetud. & l. 37 ff de Legibus* Quamvis decens sit, ut ubi Episcopus præsens est, aut facilè adiri potest, ejus licentia petatur, ut etiam notant præfati Doctores.

14 Num autem diuturna alicujus infirmitas inter casus magnæ necessitatis ad præsens numeranda sit, ut saltem accedente concessione, ac dispensatione Episcopi, in domo, vel camera ceteroquin honesta super Altari *portatili*, pro consolatione infirmi celebrari valeat Missa, difficultas major est. Et quidem, quòd absque licentia Episcopi id fieri nequeat, conveniunt DD. cùm à nullo infirmitas hujusmodi numeretur inter magnas necessitates: nec enim hanc causat consolatio infirmi, cùm in Jure *can. Illud. 11. de Consecr. dist.* 1. expressè dicatur: *Satius est non audire Missam, quam in illis locis, ubi fieri non oportet.* Nec obstat, quòd quidam Regulares id hucusque practicarint, quia id non fecerunt, quasi verò talis infirmitas sufficientem de Jure communi præberet necessitatis causam, sed quia in opinione erant, privilegium eorum in Corpore juris clausum ubique celebrandi non esse revocatum; quæ tamen opinio modò penitus est reprobata per novissimum Decretum *n.* 5. allegatum.

15 Quòd quoad RR. Ordinarios argumenta pro & contra militent, contra sunt dicta suprà *à n.* 2. & præsertim Decretum *n.* 5. allegatum, ubi indistinctè habetur, quòd Episcopi nec ipsi in domibus laicis legere, nec aliis legendi licentiam concedere valeant. Concordat etiam Decretum Urbani VIII. citatum *nu.* 4. Pro Episcopis facit, quòd ipsi possint Jure Ordinario in casibus frequenter occurrentibus, in quibus tam citò fieri non potest recursus ad Pontificem: item toties, quoties est dubium, an casus indigeat dispensatione. Rursus quando legitimè præscriptam consuetudinem dispensandi habent, prout amplius dictum est *lib.* 1 *Ti.* 2. *de Constit.* §. 18. *de Dispensat. Leg. à n.* 470. Talem autem consuetudinem à RR. præscriptam passim vigere videmus saltem in his partibus, cui in Decreto novissimo derogatum esse, clarè non apparet, ut proin licèt ordinariè seu regulariter, uti diximus in Conclusione *n* 3. seu ad libitum non valeant Episcopi concedere licentiam celebrandi in loco non sacrato, possint tamen pro consolatione Nobilis infirmi, aut simili rationabili causa, præsertim juvante consuetudine legitimè præscripta, dispensare, ac dispensando concedere dictam licentiam. Et hoc tanquam probabile non immeritò cum aliis censet Diana *p.* 1. *tr.* 1 *res.* 43. Hurtado *disp.* 4. *de Sacrificio Miss. difficult.* 6. Verum circa hoc post recentissimum Decretum *n.* 5. positum, decidere nil audeo, sed judicio prudentum, & præcipuè S. Congregationis relinquo, quamvis in Theologia nostra Morali ante Decretum edita *Tr.* 14. *Dist.* 5. *n.* 118. *Lib.* 1. *Tit.* 31. *de Offic. Ordinar. n.* 136. pro RR. Ordinariis senserimus.

16 Resp. IV. Insuper possunt celebrari Missæ in loco nec consecrato, nec benedicto, uti in Oratorio domus privatæ v. g. si quis speciale ad hoc habeat privilegium à summo Pontifice post Conc. Trid. concessum. Omnes. Ratio est; quia *Papa secundum plenitudinem potestatis de Jure potest supra jus humanum dispensare*, ut dicitur *c.* 4. *de concess. Præb.* & amplius dictum est *cit. l.* 1. *T.* 2 §. 18. *n.* 458. Et quidem pro Oratoriis privatis ordinariè sequenti dispensandi Formula Pontifex utitur: tibi, qui ut asseris, de nobili genere procreatus existis, ut in privato domus tuæ N. Oratorio ad hoc decenter muro extructo, & ornato, seu extruendo, ac ornando ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius visitando, & approbando ac de ipsius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura unam Missam unoquoque die dummodò in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcunque Sacerdotem ab ordinario approbatum sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quocunque jurium Parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis D. N. ac aliis solemnioribus anni Festis diebus exceptis, in tua ac familiæ tuæ, nec non hospitum tuorum Nobilium præsentia celebrari facere libere, & licitè possis & valeas Apostolica authoritate præsentium concedimus, ac indulgemus, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus, Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut familiares servitiis tuis non necessarii præter supradictos ibid. Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minimè liberi censeantur.

17 Circa quam Formulā notandum, quòd preces debeant niti veritate, & licentia non nisi juxta tenorem verborum valeat. Hinc si quis *de Nobili genere procreatus* verè non est, gaudere non potest tali concessione. Deinde eadem gaudere quis nequit, donec prius à RR. Episcopo oratorium visitatum, & approbatum sit, quod desiderata concessionis habeat. Rursus nō nisi unica Missa in die celebrari potest, quod denuò inculcat novissimum Decretum *n.* 5. positum, simulque celebraturis injungit, ut prius de hoc *diligenter inquirant, & optimè se informent.* Ubi etiam idem, quod in formula præscribitur, præcipitur, ne videlicet celebretur *in diebus Paschatis S. Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini, aliisque anni festis solemnioribus*; qualia secundum communem censentur potissimè esse Festum Ascensionis, Assumptionis B. V. M., Annuntiationis, & Festum Omnium SS.

18 Denique notandum, quod in loco non sacro audientes Missā non satisfaciant præcepto ecclesiæ, si, ubi possunt, aliam Missam non audiant, etiamsi audiant in loco, in quo de licentia speciali Summi Pontificis juxta Formulam *n.* 16. positam, in Oratorio vel Capella privata v. g. Missa legi licitè potest; prout colligitur ex verbis citatæ Formulæ, ibi: *Volumus autem &c.* Quam clausulam licèt olim variè interpretari sint conati DD. ita ut communis evaserit opinio (uti videre est apud Sporer *in Præcep. Decal. c.* 4. *sect.* 1.) quamvis ipse contrarium verius putet, quemvis satisfacere præcepto ecclesiæ, si audiat Missam, quocunque tandem in loco audiat; cùm, ut ajunt, nullibi reperiatur præceptum audiendi Missam in loco sacro, aut benedicto. Tamen hodie res rursus controversia caret, ob sæpè citatum Decretum *n* 5 positum, ubi de audientibus Missam, quæ de licentia speciali Pontificis in hujusmodi privatis Oratoriis, aut Capellis legitur, expressè demandat, atque declarat Pontifex, *Personas quascunque, dictas Missas audientes, nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere*: ubi specialiter notanda verba *Personas quascunque & nullatenus*; per hæc enim omnis Doctorum conatus clausulam Formulæ *n.* 16 citatæ pro audientibus explicandi, irritus apparet, ita ut non amplius valeat opinio Tamburini *c.* 3. *n.* 8 *Præcep. Eccl. tr.* 1. docentis exteras quidem, non item familiares personas habentes oratorium satisfacere: Dicitur enim in Decreto *Quascunque personas*: Nec opinio Pellizzarii *tom.* 1. *tr.* 8. *c.* 2. *n.* 152. volentis, illam clausulam tantum velle, quòd quis non satisfaciat præcepto audiendi Missam juxta antiquam formam in propria Parochia audiendi; dicitur enim in Decreto novo *nullatenus*, id est, nullo modo, nulla ve ratione *satisfacere*. Et certe qui etiam de his verbis Decreti adhuc dubitaret, nodum in scirpo iniquè quærere, & textum contra mentem Legislatoris injustè torquere videretur. Hinc cautè legendi, & non amplius sequendi sunt Doctores contrarium docentes.

19 Resp. V. Regulares non obstantibus hactenus allegatis Decretis, possunt adhuc hodie vi privilegiorum, in propriis Monasteriis habere privata Oratoria, & Capellas domesticas, ibique (imò etiam in cameris ac cellis suis, ubi infirmus decumbit Frater) Missam celebrare. Diana *par.* 9. *tract.* 1. *Resol.* 32. Lezana *in Summa To.* 1. *c.* 21 *nu.* 14. Sporer *in Theolog. Sacram. p.* 2. *c.* 6. *n.* 440. Azorius *Tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *q.* 9. *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *n.* 65. & alii communiter. Ratio est; quia quoad hæ loca non sunt revocata Religiosorum privilegia per Concilium Trid. *Sess.* 22. *in Decret. de Observand. & evitan.* utpote ubi tantum videntur revocata privilegia celebrandi missam *in privatis domibus, atque omninò extra Ecclesiam*. Cujusmodi loca non sunt oratoria, vel etiam Cameræ, aut Cellæ Monasteriorum; Monasteria enim nec sunt domus privatæ nec omninò extra Ecclesiam, cum nomine Ecclesiæ etiam veniant Religiosorum claustra, *arg can. Abbati* 22. §. *quod autem dist.* 54. & *c. Alma mater* 24. §. *Adjicimus de sent. in* 6. & ibi Glossa *V. Monasteriis*, ubi dicit *nomine Ecclesiarum intelliguntur Monasteria.*

20 Accedit, quòd, etsi dato, non concesso, per Concilium Tridentinum revocata fuissent Regularium privilegia ante dictum Concilium concessa habendi in Monasteriis Oratoria privata, ibique celebrandi, tamen idem competeret Regularibus vi privilegiorum concessorum post Concilium Trident. Cujusmodi privilegium Gregorius XIII. Societati Jesu, & virtute communicationis privilegiorum etiam aliis Regularibus concessit illis verbis: *Volumus, ut in Oratoriis, & Capellis,* quæ

quæ Societatis Provinciales per se in domibus, collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint & ad Divinum duntaxat cultum deputaverint, Missa & alia Divina Officia, alterius licentia minimè requisita, celebrari possint, quod privilegium allegat Pellizzarius *to.* 2. *tr.* 8. *c.* 5. *n.* 65. Diana *l. c. Resol.* 32. Lezana *Tom.* 1. *c.* 21. *n.* 14. Rodriq *Tom.* 1. *q.* 43. *a.* 4. & alii communiter. Simile, quin & majus privilegium post præfatum Concilium 1565. concessit Pius IV. vi cujus Canonici Regulares, & alii communicatione gaudentes in cellis, cameris, aut aliis Monasterii locis possunt super Altari *portatili* Missam legere, ut eam infirmi ibidem audire valeant, ac Eucharistiam pro devotione accipere, ut videre est apud Dianam *cit. p.* 9. *tr.* 1. *Resol.* 34. Lezanam *to.* 3. *V. Altare n.* 15. & 16. Peirin. *tom.* 1. *Privileg. Minim. in Constit. Pyrrl. n.* 34. & alii. Nec quidquam derogatur his privilegiis per novissimum Decretum *n.* 5 positum, utpote quod solum declarat, & decernit, quæ privilegia à Concil. Trid. *Sess* 22. *de Decret. de Observ. & vitand.* sint revocata; nec afficit privilegia post Concilium concessa, hoc ipso, quòd ibidem hæc valida supponens explicet, quomodò aliqua hujusmodi privilegia post Concilium concessa sint intelligenda ut legenti patet.

21 Illud tamen hic notandum, quòd quamvis in Oratoriis, & Capellis Monasteriorum privatis, si à Superioribus benedicuntur, atque ad Divinum duntaxat cultum deputantur, (prout id facere possunt non tantum vi privilegii concessi à Gregor. XIII sed vel maximè ac amplius vi privilegii concessi à Leone X juxta dicta suprà, & docet cum aliis Pellizzarius *tom.* 2. *tr.* 8. *c.* 5. *n.* 67. quod privilegium nullibi reperitur revocatum) possint etiam alii Sacerdotes sæculares legere, & Laici audire Missam, atque satisfacere præcepto Ecclesiæ; non item in Camera, aut cella privata alicujus Religiosi, eo quod illa, non item ista loca sufficienter censeantur sacra, hoc ipso, quod dicta Oratoria, non item Cellæ à Superiore sint benedictæ, & ad Divinum duntaxat cultum deputatæ; prout communiter observant Doctores.

22 Quæritur II. An, quoties, & quo Jure Parochi teneantur applicare Missam pro suis Parochianis, ita ut ad aliā intentionem, vel pro stipendio Missam votivam v. g. celebrare nequeant? Ante responsionem notandum, olim non modicam circa præsens quæsitum fuisse controversiam inter DD. aliis ut Layman *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 3. Herincx *disp.* 7. *de Missa*. Sannig. *dist.* 5. *q.* 8. *n.* 3. Navar. & Suarez, dicentibus, Parochum vi Officii nunquam teneri Missam pro Parochianis applicare, sed satisfacere muneri suo, si Missam iis saltem diebus, quibus populus audire tenetur, legat, etiamsi pro alia intentione, aut pro stipendio accepto eam applicet. Aliis verò cum Barb. *de Offic. & potest. Episc. Alleg.* 24. *n.* 23. *ad finem*, & in Conc Trid. *sess.* 23. *de reform. c* 1. *n.* 4 item *de Offic. & potest. Paroch p.* 1. *c.* 11. *n.* 10. dicentibus, Parochos teneri aliquoties juxta boni viri arbitrium pro Parochianis Missam applicare. Verum hodie controversiis hisce finem imposuerunt repetitæ Declarationes Cardin. uti statim patebit ex sequentibus Conclusionibus. Resp. Omnes & singuli Parochi jure Divino tenentur applicare Sacrificium Missæ pro ipsis Parochianis hac cum distinctione quòd illi, qui habent pingues redditus, quotidie, illi verò, qui tenues habent redditus diebus saltem Festivis eam pro Parochianis applicare teneantur, ita ut pro se, aut aliis, multo minus pro stipendio illam applicare non valeant. Probatur Conclusio ex Conc. Trid. *Sess.* 23. *de Refor. c.* 1. ubi Conclusionem quasi supponens dicit: *Cùm præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus Cura animarum commissa est, Oves suas agnoscere, N. B. pro his Sacrificiū offerre &c.* Ex quibus verbis licèt clarum sit, Curatos Jure Divino teneri applicare Missæ Sacrificium pro Ovibus sibi commissis; cùm textus non dicat Curatos teneri *coram illis*, scilicet, ut audiant, sed *pro illis offerre*, id est, applicare; tamen dubium remansit, quoties teneantur Curati Missam pro suis Ovibus offerre, seu applicare; hinc ex diversis locis S. Congr. Card. Concilii Trid. Interpretum aliquoties circa hoc dubium consulta & interrogata, semper respondit, ac declaravit, quod dicit cōclusio. Inter plures unanimes successu temporis latas hujusmodi Declarationes, quas ex Typographia Cameræ Apostolicæ accepi, ūnam hic subjungo.

Decretum Sac. Congregationis.

Cum præcepto Divino illis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit, pro Ovibus suis Sacrificium offerre, sæpè alias Sac. Congregatio censuit; Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si verò tenues, saltem Festivis diebus. Idem nunc censet &c. Romæ &c.

Ob hanc igitur, & consimiles repetitas Declarationes Conclusio planè certa, & extra controversiam est, cùm uti *to.* 1. *in Proœmio* §. 8. *à n.* 129. dictum est, & fusè demonstrat Fagnanus *in c. Quoniam n.* 6. *& seq. de Const.* Declarationes Cardinalium habeant vim in utroque foro obligandi.

23 Objicies vulgares objectiones I. Hæ Declarationes non sunt promulgatæ; ergo non obligant; cum nulla Lex obliget, nisi promulgetur juxta dicta *lib.* 1. *tit.* 2. *de Constit.* §. 2 Resp. Transmisso Ant. negando Conseq. quia juxta dicta *in Proœmio l. c.* §. 8. *n.* 32. *& seqq.* Declarationes Cardinalium, quæ Jus novum, aut Legem novam non faciunt, nec continent, sed priorem Legem jam latam & promulgatam præcisè declarant; qualis est præsens, utpote nullum Jus novum condens, sed antiquum videlicet Concilio Trident. seu potius Jus Divinum à Concilio allegatum, præcisè ac simpliciter declarans, & quomodò intelligi debeat interpretans, promulgari non solent, sed absque nulla promulgatione obligant; dummodò sufficienter de eis constet.

24 Objicies II. Saltem de eis legitimè, & in forma authentica non constat; ergo saltem ex hoc capite non obligant; cum juxta dicta *in cit. Proœmio n.* 126. Declarationes fidem non faciant, nisi afferantur in forma authentica, solito sigillo, & debita subscriptione munitæ. Resp. Transmisso Ant. negando Conseq. Quamvis enim contra eas in foro externo, in & extra Judicium excipere quis valeat, donec afferantur in forma authentica, sigillo, & subscriptione debita munitæ, nihilominus urgent in foro conscientiæ, si ex probatis Collectoribus, aut locis fideliter allegentur, cùm sic certitudinem sufficientem, vel saltem dubium practicum causent, indeque quemvis obligent, ut, si eis fidem adhibere non vult, de genuina veritate (quam Roma illicò habere poterit) debitè inquirat; hoc ipso, quòd stante dubio practico nemo licitè operari valeat juxta certam Theologorum. Hinc benè infert Fagn. *in cit. c. Quoniam de Constit. n.* 59. à temeritate, & irreverentia vix abesse, si quis Declarationi ex probatis Doctoribus, aut locis fideliter allegatæ, & de cujus veritate nulla alia probabilis ratio dubitandi subest, ex eo duntaxat capite non respicere, quòd in forma authentica non afferantur. Addit insuper ibidem Fagnanus, rectè facere Judicem si hujusmodi declarationem in probato Authore repertam, ut veram habeat, & sequatur, etiamsi à partibus nec allegetur, nec producatur. Qua propter, quia talis etiam est declaratio suprà posita, utpote quam unà cum pluribus aliis idèm sonantibus Roma ex Typographia Apostolica acquisivi, ac de cujus veridica existentia, probabilis dubitandi ratio non adest, eidem in conscientia se illicò accommodare, aut saltem genuinam veritatem Romæ indagare tenebitur, qui eam legit, vel de ea aliunde sufficientem notitiam habet.

25 Objicies III. Dictam Declarationem non esse usu receptam, vel saltem contraria consuetudine abrogatam ergo. Resp Negando Ant. quoad *primum membrum*; quia hoc ipso, quòd Lex sit recepta, ejusdem etiam Declaratio censetur recepta, cùm hæc non faciat novam Legem, sed insit ipsi Legi ab initio positæ, juxta dicta *in Proœmio num* 32. ut proin non possit non recipi, si Lex ipsa recipitur, vel est recepta; nisi quis velit potestatem & authoritatem declarandi negare, quod nefas foret. Hinc, quia ad propositum Lex ipsa, Concilium Tridentinum nempe, est recepta, ejusdem etiam Declarationes legitimæ, utpote eidem ab initio inexistentes, necessariò debent recipi, ac censentur receptæ. Pariter negatur *secundum membrum* Ant. si enim ipsa Lex per consuetudinem non est abrogata, neque Declaratio illius, utpote eidem inexistens erit abrogata: quòd autem Lex ipsa

præcipiens Curatis, ut Missas pro ovibus concreditis applicent, per consuetudinem non sit abrogata, certum est; quia est Lex *Divina*, uti apertè constat ex Concil. Trid. *cit. Sess. 23. de Reform. c. 1.* ibi: *Cùm præcepto Divino N. B. mandatum sit*: quod Divinum Mandatum à Concilio Trident. allegatum S. Congregat. prout potestate à Pontifice sibi attributa potest, tantum explicat, ac declarat, contra quam Legem Divinam prorsus nihil valet consuetudo *c. fin. de Consuet.* & dictum est amplius *l. 1. tit. 4. de Consuet. §. 2.* Consequenter nec contra legitimam Declarationem ejusdem, utpote, quæ Legi Divinæ inest, nec quidquam diversum, aut distinctum ab ea constituit. Ex quo eodem fundamento etiam prorsus nihil valet dicere Declarationem dictæ Legi Divinæ à Concilio Tridentino allegatæ inexistentem, non esse promulgatam aut non esse receptam,

26 Illud tamen notandum, quòd si Parochus ex Officio, vel alia obligatione Parochiæ inseparabiliter inhærente, ad aliam intentionem applicare debet Missam, ut si v. g. in die Depositionis, Septimi, aut Trigesimi, aut in Anniversario fundato, aut in beneficio Parochiæ incorporato Missam pro certis in particulari legat, Missam resarcire non teneatur, hoc ipso, quòd Missam pro die illa ad aliam intentionem legere ex officio possit ac debeat, & duas Missas eadem die celebrare nec teneatur, nec valeat,

27 Sed quæres, quandonam redditus sint, & dici possint *pingues*, quando *tenues*? Resp. I. Quando Parochus ex redditibus Parochiæ honestam suam sustentationem vel omninò non, vel saltem non nisi ægrè, aut valdè difficiliter habere potest, *tenues* redditus habere censendus est, consequenter non nisi diebus Dominicis, ac Festivis Missam pro Ovibus applicare tenetur, cæteris verò diebus eleemosynam ac stipendium pro Missis v. g. votivis acceptare potest, uti habet Declaratio suprà *n. 22.* allegata, & meritò; cùm enim Jus Divinum Parocho honestam sustentationem minimè denegare intendat, S. Congregatio meritò declarat, quòd dictum Jus Divinum applicationem pro Ovibus præcipiens non prohibeat, quin Parochus, qui ex redditibus Parochiæ sufficientem sustentationem non habet, eam aliundè licitis modis ut alius Presbyter, quærere valeat.

28 Resp. II. Quando redditus tales ac tanti sunt, ut ex iis Parochus honestam suam sustentationem consideratis considerandis absque difficultate sufficientissimè habeat, etiamsi non multum, sed parum, vel nihil superflui remaneat, *pingues* habere redditus, consequenter ad Missam quotidie pro Ovibus applicandam obligatus censetur. Patet ex ipsa Declaratione, utpote quæ non *abundantes* redditus, sed tantum *pingues* requirit, ad hoc, ut Parochus teneatur quotidie Missam applicare pro ovibus. *Pingues* autem redditus reverà habere censetur non tantum ille, qui abundat, sed etiam ille, qui consideratis omnibus considerandis sufficientissimè habet, & cui pro honesta sustentatione penitus nihil deest. Ratio est; quia Parochi vi Officii pastoralis ex Jure Divino tenentur pro Ovibus offerre Sacrificium juxta Concil. Trid. *sess. 23. de Ref. c. 1.* & quidem quotidie juxta Declarationem Cardinalium, nisi *tenues*, id est, ad honestam sustentationem insufficientes habeant redditus, in quo casu Jus Divinum permittit, ut etiam aliis mediis licitis, v. g. stipendio, aut eleemosyna pro Missis votivis sustentationem honestam quærere valeant: ergo, si redditus *non tenues* & insufficientes, sed sufficientissimi sunt pro honesta sustentatione, obligatio officii ex Jure Divino proveniens manet: præsertim cùm cesset ratio, defectus nempe honestæ sustentationis, ob quam solam à quotidiana applicatione Sacrificii Parochum immunem facit Jus Divinum.

29 Infertur, illos Parochos, qui non tantum sufficientissimos, sed etiam abundantes redditus habent, ita ut singulis annis quinquaginta v. g. centum, vel plures florenos superflui eis remaneant, graviter delinquere, atque muneri, & officio suo minimè satisfacere, nec securos in conscientia esse, si quotidie Missam pro Parochianis non applicantes, ad aliam intentionem celebrant, missasque Votivas; & stipendium pro ipsis recipiant. Nec dicas, debere etiam pingues Parochos satisfacere Parochianis Missas Votivas subinde pro stipendio petentibus. Nam contra est; quia his alia via facillimè satisfacere queant, si nempe eos ad Capellanos, vel alios pauperes Sacerdotes sive sæculares, sive regulares ablegent, dicantque Parochiano; Dilecte fili, aut Dilecta filia, ego aliàs jam vi Officii mei debeo pro te, & aliis Parochianis quotidie Missam legere, & applicare; & ideò non possum stipendium pro Missa ad tuam solam intentionem applicanda accipere; vade igitur ad hunc, hos, vel illos, qui illico & prompto animo tibi gratificabunt.

Reliqua de celebratione Missæ vide apud Theologos qui copiosè de ea scribunt: vide etiam, quæ diximus in Theologia nostra Morali *Tr. 14. Dist. 5.* per totam, ubi tamen illud, quod ibidem *n. 85. & seq.* diximus de Parochorum obligatione applicandi Missas pro Ovibus ante notitiam Decreti suprà *num. 22.* allegati, correctum volumus juxta dicta *n. 22.*

Et quoniam variæ difficultates & controversiæ circa 30
Missæ celebrationem olim agitatæ modò sublatæ sunt ab Urbano VIII. per speciale Decretum, & Declarationes ad dubia super eodem Decreto proposita factas, hinc pro utroque foro utile duxi: illud hic apponere. Et habetur etiam hoc Decretum in Bullario Cherub. *Tom. 4. Const. 45.* dicti Pontificis, quæ incipit, *Cùm sæpè contingat* cujus tenor est sequens.

CUm sæpè contingat, in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerū ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri; & tamē nova onera Missarum in dies suscipiantur, indeq; fiat, ut depereant piè testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorū animæ suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahātur: cumque bis malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ii, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum à Superioribus redactum iri; aut quod ecclesiis, forte pecuniarum absumpta, plerumq; nuda remaneant onera Missarum absq; ullo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrādis sit adeo tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, & redditus ecclesiæ, aut Monasterii adeo exigui, ut Sacerdotes pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellantur: S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpretum animadvertēs, facturam se rem Deo gratissimam, charitatiq; ac justitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è Christiana Republica convellere, atq; eradicare: S D. N. Urbani divina providentia PP. VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrà scripta Decreta edidit.

Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, rè diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas atque inanes decernit.

2. Deinde, ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis stipendia, quantumcunq; incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregat. Domibus, ac aliis piis locis quibuscunq; tam secularibus, quàm regularibus, S. Congr. sub obtestatione divini Judicii mandat, ac præcipit ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ità ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimò graviter peccent & ad restitutionem teneantur.

3. Id verò ut deinceps observetur exactius, Sac. Congregatio eadem authoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam sæcularibus, quàm regularibus cujuscunque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel

Anni-

Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

4. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

5. Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi, cum nulla aut prava utilitate sint conjuncta; statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus tam sæcularibus, quàm regularibus, atq; illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponi debeāt penes ædem sacrā, vel personam fide, & facultatibus idoneam ad effectū illa, seu illorum pretium quamprimū investiēdi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & individua mētione oneris, quod illis annexum reperitur.

6. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, ut suprà deponi, atque in aliis bonis stabilibus iisdem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

7. Ad hæc S. Congregatio, quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam sæcularium, quàm regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, sæculares quidem sine episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò sine Generalis, vel Provincialis consensu & licentia in scriptis, & gratis concedēda; alioquin sæcularis, qui hujusmodi prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, quę tunc obtinebit, ac perpetuę inhabilitatis ad alia de cętero obtinenda, vocisq; activę, ac passivę absque alia declaratione incurrat.

8. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus anteà impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa, Eleemosyna pro Missis, vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

9. Episcopus verò, seu ejus Vicarius, aut Generalis, aut Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus: nec anteà assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quàm aliquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquuntur, omninò respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ, intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Sequuntur Dubia, ac Declarationes aliquot Sac. Congregationis Concilii S. D. N. Urbani Papæ VIII. auctoritate editæ super Decretis ejusdem Congregationis de Celebratione Missarum.

SUper *primò* Sacr. Congreg. Decreto de Celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus; vel aliàs quoquo modo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum aut post idem Concilium imposita, in limine fundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumēdum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (*præscriptæ fuerint*) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cùm Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruū, teneantur Missas illis ab offerente pręscriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellæ, legati, vel salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut defunctorum recipere, & unico Missæ sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quintò, posito, quod Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ, absque ulla præscriptione eleemosynæ. Quæritur, an liberum sit hæredibus eleemosynam sibi benè visam præscribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

Sextò, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Quæritur, an verba (*in futurum suscipiendis*) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

Septimò, super quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum sit Administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inservientium, paramentorum, vini, hostiæ, & similium?

Octavò, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebrāti, dare stipendium ad rationem redditum Beneficii?

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solito pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt: an verò satisfit, ut, dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Undecimò, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba (*eleemosynas verò manuales & quotidianas pro Missis celebrandis*) ita demum iidem accipere possint, si oneribus anteà impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant &c.

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat absolutè, quo minus accipiant novas Missas iis, qui acceptis non satisfecerunt & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimò, quid si offerens eleemosynas, audito impedimento consentiat; ut Sacerdos Missam celebret cùm primum potuerit?

Decimotertiò, an pœna Interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam sibi pręscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur.

Decimoquartò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (*Casse de Morti*.)

Decimoquintò, an Administratores ecclesię magnæ devotionis, & concursus possint pro Missis celebrandis accipere eleemosynas, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimosexto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum tam sæcularium, quàm regula-

gula-

gularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (*& alii, a quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione?

Subsequuntur Declarationes, seu Responsiones ad suprædicta Dubia.

SAcra Congr. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, auditoriate sibi à S. D. N. attributa ad singula dubia superius proposita, ad hunc modum respondit, videlicet:

Ad primum, esse legatum fit adeò certum, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla dubitatione, id fiatuet, quod mens in Domino è re ecclesiæ judicaverit; verumtamen ô in ipsis Benefici erectionis expresse cautum fuerit ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, & quatenus hanc fundationis decretæ hac de re edita non fuisuerunt, esse validam, & observandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione fatta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad Tertium, teneri.

Ad Quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, legati, aut fatalis, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missæ virtute obligationi satisfacere.

Ad Quintum censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynã congruam, quæ respondeat omnibus Missarũ celebrandarum, secundum mores Civitatis, vel Provinciæ.

Ad Sextum, ita esse intelligenda.

Ad Septimum, respondit permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorũ Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum, ullam utcunque minimam portionem retinenant ratione expendarum, quæ subeunt in Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ loca ipsa alijos non haberi reddatur, quos in usum rationem expensarũ erogare licèt publicè, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expendarum, quæ pro ipsionet tantum Missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominus eo etiamcasu curandum esse, ut ex pecuniis quæ superfsunt, exuvijs ut supra deductis, absolutè nos Missæ celebrentur, quæ præscripsit fuerit ab obferentibus eleemosynas.

Ad Octavum, non habere locum, sed fatis esse, ut Rector Beneficij, qui potest Missam per alium celebrari, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione fuisset Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad Decimum, dari absolutè incertas eleemosynas tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad Undecimum, respondit, non prohibere absolutè. Ac propterea, esti oneribus jam susceptis non satisfecerit, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò intra mediocre tempus possit omnibus satisfacere.

Ad Duodecimum, quamvis oneras fuscepta infra annum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuerantur eleemosynæ pro aliarum Missarum celebratione fcitæ, & coalescant, ut illæ etiamnon celebrentur, consfcepti oneribus fatisfaciunt fuæ, Decretum non prohibere, quò minus eo casu eleemosynas accipiatur pro illdem Missis juxta benefactorũ consuetudinem celebrandis.

Ad Decimumtertium, has penas non habere locum, nisi in fcispicientibus onera perpetua Missarum celebrandarum fine licentia Episcopi, vel ejus generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad Decimumquartum, comprehendi.

Ad Decimumquintum. Non posse, nisi de confenfu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad *Duodecimum*.

Ad Decimumsextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

non baptitatus aliæ administrari Sacramentes? Resp. I. Sacramentum baptismi à tali Sacerdote portativo collatum & blasrimonium, cui affiscit, valere. *Communis Ratio primæ partis* eft, quia Baptismus à quovis etiam non baptizato habente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, collatus valet. *arg. can. 2 Quidam, 24. de Consecrat. dist. 4. Ratio secundæ partis* eft: quia Sacramentum Matrimonii ipsis Sacerdos non conficit, fed ei tantum affistit per modum excellenti testis. Hinc Sanoig cum Communi allorum bene docet eclam valere Matrimonium, licèt is, cui Parochus Matrimonio fui loco affifendi ilicentiam præbet, fit Laicus, fi communi æstimatione & errore credatur Sacerdos, eò quòd error communis fupplet jurisdictionem. *I. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.*

3 Resp. II. Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis à Presbytero non baptizato confcfcia, invalida fore. Ratio Communis. Ratio eft, quia quamvis error communis fupplet defectum potestatis jurisdictionis. *I. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* tamen non fupplet defectum ordinis, quod ad præfata Sacramenta requiritur, ut bene advertit Abbas hic. *Apostolicam 2. h. t. in fine*, Pirhing *h. t. n. 3.* Engel *h. t. n. 3.* cum Communi. Nihilominus pof crisedonitell, Christum fummum Sacerdotem aliunde fupplere effectus, quos alias vera Sacramenta in fuscipientibus produxifient: dummodò tiet difpofitio ex parte fua, quod requiritur, *ut fupra. c. cap. 2. h. t.* Ratio eft: quia aliàs Ecclesiæ innocenti magnum imminenet periculum, quod Christus non permittit, ut fe poti D. Thom. bene docet Sylvester *V. Baptifmus, 6. n. 3.* Barbosa *In c. cap. 2. h. t. n. 5.* & alii.

TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus Effectu.

QUandoquidem Canones, & capitula præsentis Tituli penitus nihil continent, quod non ex professo, & exactè tractet Theologi tam Morales, quàm Scholastici, ideò ad eos benevolum Lectorem remittimus, qui etiam, fi luber, de hac materia videre poteft, quæ in Theologia noftra Moali *Tr. 14. disp. 3.* diximus: fi tamen qui materiam de Baptismo per SS Canones probare vult, legat *4. de Confesr.* ubi per totum de hac materia agitur.

TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

SUMMARIUM.

1 *Baptismus eft janua aliorum Sacramentorum.*
2 *Fundamentum ubi non eft, fuperædificari non potefl. Ibid.*
3 *Sacramenta à non baptizato Sacerdote collata, quæ valeant, quæ non, & n. seq.*
4 *Error communis fupplet poteflatem Jurisdictionis, fed non Ordinis, & n. præced.*

1 CUm Baptismus fit janua, & fundamentum omnium Sacramentorum, nova Legis, ac proinde ante fuscipiionem Sacramenti Baptismi nullum fusciplatur Sacramentum (excepto Sacramento Eucharistiæ) fimulque, *ubi fundamentum non eft, fuperædificari non*

poffe, ut dicitur *c. 3. de r. iud.* hinc libidem, &c. *r. eod.* habetur, quòd non baptizatus Ordinari non poffit, etsi defuncto bona, five mala fide ordinetur, Ordinatio invalida fit, nec recipiatur Ordinis Character indelebilis, fi deponendatur, Presbyterum aliquem non esse baptizatum, debet ineuscrifsibi baptizari, & deinde per fingulos Ordines promoveri, feu de novo ordinari.

Addit tamen Ponifex *c. cap. 3. h. t.* in fine, quòd emergente quæstione, vel controversia, *certè de vita, qui natus eft de Christianis parentibus, & inter Christianos fuit, & diutiùr conversatus, tam videtur præsumitur, quàd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine fi standendi, donec evidentissimis fortiùs argumentis contrarium probetur.*

Quarez, quid juris & confilii in casu, quo Sacerdos non

TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

1 PAtes funt, quæ in hoc Titulo, duo tantum Capitulorum, continentur declarationes, *ut in tantis Ecclesiis I. Clarissus* (id eft Oleum mixtũ balsamo, benedictum ab Episcopo pro Confirmatione, ac Oleum fimplex ab eodem Episcopo benedictum pro Sacramentorum Extremæ Unctionis) *& Eucharistiæ fub fideli cuftodia clavibus adhibitis diligenter conservetur, ac cuftodiatur, ne poffit* (ut ibidem dicitur *ad tibi*) *incorruptionem extendi, ad aliqua horribilia, vel nefaria* (*puta* facrilegia, actus magicos, fuperstitiones &c.) *exercenda. Quòd, fi ita, ad quem fpectat cuftodia, ex tunc ad reliquentis, tribus mensibus ab effecta fuspendatur, & fi per ejus incuriam aliquid ref undum contigerit, graviori fubjacet ultioni*; ut ibidem flatuitur.

2 Deinde *c. 2. eod.* prohibetur, ne fupellectilia profana (five propria Clericorum, five aliena & Laicorum) *sint in Ecclesiis admittantur, vel penetrent, nifi propter bellica incursus, aut incendia repentina, feu aliàs necessitates urgen-*

TITULUS XLV.

De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.

§. 1.

De Veneratione, & Cultu Sanctorum, Beatorum, ac cum fama fanctitatis Defunctorum; atque de Canonizatione, & Beatificatione Eorundem.

SUMMARIUM.

1 *Sanctus quis fit, & dicatur?*
2 *Et quis Beatus?*
3 *Canonizare, & Beatificare quid?*
4 *Differentia inter utrumque.*
5 *Canonizare, & Beatificare folus Papa potefl. Cauſa majores Ecclesiæ reservatæ funt Papæ. Ibid.*
6 *Canonizare olim potuerunt Episcopi.*
8 *Papa in Canonizatione Sanctorum non potefl errare.*
9 *Ad eam requiruntur probatus vitæ, & miracula.*
10 *Ante, & post mortem.*
11 *Excepitis Martyribus.*
12 *Canonizatio, & Beatificatio quomodo fiant?*
13 *Non tenebatur de eo anni lapsum 40. annorum, post fatur ante centum annos, poft mortem Servi Dei.*
14 *Neque tenebatur una lapsantium Principum.*
15 *Episcopi possunt, & folent prædecessores colui inferiores.*
16 *Cultus alius publicus, alius privatus.*

Pp 4 17 Jan-

17 *Sancti, at Beati coli possunt cultu publico, & privato: quomodo?*
18 *Cùm fama sanctitatis Defuncti coli, & invocari possunt cultu privato, sed non publico.*
19 *Constitutiones Urbani VIII circa cultum talium, & imagines, atque miracula, revelationesque eorum.*
20 *Deductiones practicæ, usque ad n. 24.*
23 *Miracula, & Revelationes cum fama sanctitatis defunctorum Typis mandare, quomodò prohibitum?*

2 QUæritur I. Quinam sint, & dici valeant Sancti? Item, quid sit Canonizatio, & Beatificatio, ac in quo differant? Resp. I. Quamvis in sensu largiori omnis ille sit, & dici valeat *Sanctus*, qui in gratia sanctificante, seu habituali existit, præsertim si virtutibus, & perfectione splendet, juxta illud, *qui Sanctus est, sanctificetur adhuc*: Tamen regulariter loquendo, & propriè ad propositum *Sanctus* est, & dici potest omnis & solus ille, qui ritè *Canonizatus*, id est, per Pontificem *Albo*, seu numero & catalogo aliorum Sanctorum publicè, solemniter, ac canonicè adscriptus, atque tanquam *Sanctus* declaratus, & definitus est, addito statuto ut ab omnibus Christi Fidelibus pro tali habeatur. Fagnanus *in c. 1. h. t. n. 2.* & ibi DD. communiter.

3 Resp. II. Pariter, licèt in sensu largo varii sint, ac dicantur *Beati*, tamen propriè, & ad propositum loquendo *Beatus* est, & dici potest omnis & solus ille, qui ex speciali concessione Summi Pontificis ab aliqua Provincia, Religione, vel loco tanquam in Cœlis existens, cultu aliquo publico v. g. recitatione Divini Officii, celebratione Missæ, expositione Reliquiarum, ejusdem publica; prout nempe, & quantum concedit Papa, coli & venerari valeat, Castro Palao *p. 1. tr. 4. disp. 1. punct. 5. §. 5. n. 1.* Taner. *Tom. 3. Disp. 1. q. 4. n. 290. & seq.* cum Communi.

4 Resp. III. Ex dictis manifestum est, quod *Canonizatio* seu *Canonizare* aliud non sit, quàm solemniter, & canonicè aliquem inscribere *Albo*, seu numero, & catalogo Sanctorum, atque authoritativè declarare, & definire, eum existere in Cœlis, simulque statuere, ut ab omnibus Christi Fidelibus pro *Sancto* habeatur. *Beatificatio* autem, seu *Beatificare* aliud non, quàm ritè ac legitimè concedere alicui certo Regno, Provinciæ, Religioni, vel loco facultatem, quòd aliquis tanquam in cœlis existens cultu publico, celebratione Missæ v. g. recitatione Divini Officii &c. juxta determinationem concedentis venerari, ac invocari possit. DD. citati, atque in re communis aliorum.

5 Ex his colligitur etiam differentia inter *Sanctos*, & *Beatos*, item inter *Canonizationem*, & *Beatificationem* Nam in *Canonizatione* præcipitur & statuitur, ut *Canonizatus* ab omnibus Christi Fidelibus pro *Sancto* habeatur, & coli possit quovis cultu publico. In *Beatificatione* verò tantum conceditur, non autem præcipitur, ut aliquis culto aliquo per Pontificem determinato, & quidem non à toto mundo Christiano, sed tantum à certo v. g. Regno, Provincia, Loco, Religione &c. coli valeat, quamvis cæteroquin pro *Beato*, & in Cœlis existenti haberi & credi debeat, juxta dicenda infrà.

6 Quæritur II. An solus Papa *Canonizare*, & *Beatificare* possit? Item, an in Sanctorum *Canonizatione*, vel *Beatificatione* errare possit? Res. Defactò solus Papa potest aliquem *Canonizare*, vel *Beatificare*. Fagn. *in c. 1. h. t. n. 20.* & ibi Barbosa *n. 3.* Innocentius *n. 2.* Abbas, Jo. Andr. *arg. cit. c. 1. h. t.* ibi: *Cùm etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque authoritate Ecclesiæ Romæ venerari*. Ratio est, quia Majores causæ Ecclesiæ, qualis proculdubio est *Canonizatio Sanctorum*, referendæ sunt ad Sedem Apostolicam, *c. 3. prin. de Baptism.* eique specialiter reservantur, *c. 4. de Off. Legat.* Plures alias rationes vide apud Hostiensem *in cit. c. 1. h. t.* & ibi Fagnanus *n. 27.* & Glossa *in c. un. eod. in 6. V. Sedis Apostolicæ*. Infertur proin, quòd Episcopus etiam pro sua Diœcesi nullum possit *Canonizare*. Imò *Canonizandi* potestas nec Concilio Generali absque authoritate Romani Pontificis competat, secundum Barbosam, quem sequitur Pirhing *h. t. num. 3.* & alii.

7 Dicitur *defacto*, quia antiquitus ante introductionem solemnis, qui nunc servatur, ritus *Canonizandi*, plures Sancti post fœlicem eorum obitum, communi Episcoporum, & Populorum consensu declarabantur, & colebantur; qualis proin erat quædam *Canonizatio*, Papæ & totius Ecclesiæ, quæ errare non potest *Matth. 16.* judicio, consensu, & consuetudine introducta; uti post alios notat Layman *lib. 4. tr. 7. cap. 5. n. 1.* Primus siquidem Papa, qui Sanctos solemniter *Canonizasse* legitur, videtur fuisse Leo III. electus 796. ut notat Bellarminus *de Sanctis, cap. 8.* Imò olim poterat quivis Episcopus pro sua Diœcesi aliquem *Canonizare*, & cultum publicum eidem exhiberi mandare; prout cum aliis notat Bellarminus *l. c.* Verum hodiè omnis talis potestas Episcopis ablata, solique Pontifici reservata est per Jura, & rationem *n. præced.* allatam, cui accedit, ne aliàs ob aliquorum Episcoporum simplicitatem in tam gravi causa populum decipi, & abusus fieri contingeret, ut post Hostiensem notat Fagnanus *loc. cit.*

Quæritur III. An Papa in *Canonizatione* aut *Beatificatione* Sanctorum possit errare? Et an de fide sit, quòd errare in hoc non valeat? Resp. Papa in *Canonizatione* Sanctorum non potest errare. Fagn. *in c. Venerabilis de Testib. à n. 10.* Sylvester *V. Canonizatio n. 2.* Covar. *lib. 1. Var. res. c. 10. n. 13.* D. Thomas *quodlib. 9. art. fin.* communis aliorum contra Gloss. *in c. un. h. t. in 6. V. Sedis Apostolicæ*, qui à potiori etiam fatentur, quòd etsi Conclusio non esset de Fide, temerarium tamen, scandalosum, hæresi proximum, eamque sapiens esset, dicere, Pontificem errare posse in *Canonizatione* Sanctorum. Imò aliqui, ut Castro Palao *loc. cit. nu. 2.* Joan. de Neapoli citatus apud Fagnanum *loc. cit. num. 29.* Valent. *2. 2. disp. 1. quæst. 1. par. 7. art. 6. §. 40. vers. Itaque*, & alii, absolutè docent, Conclusionem esse de Fide, & contrarium docentes, esse hæreticos. Verum quia quæstio hæc potius ad Controversistas, quàm Canonistas pertinet, hìc abstrahimus, & Lectorem Benevolum ad Controversistas remittimus. Tractat tamen eandem quæstionem insigniter Fagnanus *loc. cit.* Castro Palao *loc. cit.* 8

Quæritur IV. Quænam requirantur ad *Canonizationem*, vel *Beatificationem* alicujus? quomodò? & à quo fieri possit, ac debeat? Resp. I: Tam ad *Beatificationem*, quam *Canonizationem* duo copulativè requiruntur, videlicet miracula, & excellens probitas vitæ. Fagnanus *in c. 1. h. t. num. 3.* & ibi Innocentius *nu. 1.* Joan. Andreas *num. 4.* Anchoranus *num. 5.* cum communi, *arg. c. Venerabilis, 52. de Testib.* ut proin nec sola vitæ probitas quantumvis eminens, nec sola miracula sine excellenti vitæ probitate sufficiant, prout clarè habetur in Bulla Gregorii IX. Edita pro Canonizatione S. Antonii de Padua 1232. 1. Junii, incipit; *Cùm dicat Dominus*. Et habetur in Tom. 1. Bullarii Cherub. *Constit. 4.* dicti Papæ, ibi: *Licèt ad hoc ut aliquis sanctus sit apud Dominum in Ecclesia Triumphante sola sufficiat finalis perseverantia, juxta illud Apocal. 2. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Ad hoc tamen, ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, & veritas signorum; merita videlicet, & miracula, ut hæc & illa sibi adinvicem contestentur, cùm nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plenè sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis.* 9

Porrò miracula non tantum in vita, sed etiam post mortem alicujus sunt necessaria ad ejusdem *Canonizationem*, uti benè observat Glossa *in c. un. h. t. in 6. V. Sedis*, communiter recepta, teste Mascardo *conclus. 261. n. 42.* Et quidem verè, ac propriè talia; etenim impropriè & largè talia, falsa item & ficta etiam ope dæmonis, vel per naturam & artem fieri possunt, prout fecit Simon Magus, & Magi apud Pharaonem, *can. Tentamus, cau. 1. q. 1.* Quænam autem sint *vera* miracula, & quid requiratur ad ea, dicetur infrà *n. 33. & seqq.* 10

Limitatur autem Conclusio in Martyribus, tempore in quorum *Canonizatione* non multum de vitæ probitate, nec de miraculis tempore vitæ peractis, sed præcipuè de miraculis post mortem, & de causa, ob quam passi sunt, indagatur, ut notat Mascardus *cit. n. 9.* & observat Hostiensis *in c. 1. h. t. n. 3.* & post ipsum Fagnanus *l. c. n. 16.* & alii, *arg. can. Baptismi invicem, 34. & can. Cathecumenum, 37. de Consecrat. dist. 4.* quibus concordat generalis illa promissio Christi, Matth. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, invenies eam.* 11

Resp.

12 Resp II. Ante *Canonizationem*, vel *Beatificationem* alicujus fit exactissima, strictissima, ac acutissima inquisitio: examen, & processus super vita, moribus, virtutibus, fama, & miraculis *Canonizandi*, aut *Beatificandi*, ita ut omnis locus, & via fraudi, deceptioni, aut errori præcludatur: Et meritò; cùm enim Sanctorum *Canonizatio* sit una ex principalissimis, ac maximis causis Ecclesiæ, omninò decet, ut omni, quo potest, modo meliori, perfectiori, ac securiori tractetur. Quomodo autem, & qualiter fiat hic Processus, quæ praxis & cæremoniæ in illo observentur, de quibus virtutibus, vitæque moribus inquiratur &c. per integrum Tomum exactè, ac practicè tradit Martha *de Canonizatione Sanctorum*.

13 Illud solùm notandum; quod S. Sedes defacto regulariter tractare non soleat de *Canonizatione*, vel *Beatificatione* alicujus, donec elapsi sint quadraginta anni à morte Servi Dei, prout ex Decretis & praxi S. Congregationis benè notat Landuscha *in Theatro regul. V. Beatificatio n. 1.* ubi etiam subjungit, tempus ad actualem *Canonizationem* necessarium, defacto esse centum annorum: quamvis olim secùs fuerit, ut patet in *Canonizatione* S. P. N. Francisci secundo anno post obitum ipsius facta per Gregorium IX. & in *Canonizatione* S. Antonii Paduani, per dictum Pontificem facta ante annum integrum elapsum à die obitus prædicti Sancti, Pontificem ad eam movente ingenti numero stupendorum miraculorum. Imò etiam defacto quandoque ob specialem dispensationem, ac dispositionem Summi Pontificis dictum tempus non observatur, ut patet in S. Francisco Salesio, mortuo primum 1622. & tamen per Alexandrum jam *Canonizato* 1668. ut videre est in Bulla *Canonizationis* ejusdem, quæ incipit *Ecclesia Catholica*, & habetur in Bullario Cherub. *Tom. 5. Constit. 170.* dicti Papæ.

14 Porrò etiam post finitum tempus memoratum non fit actualis aliqua *Canonizatio*, nisi sub illo, aut post illud fiant instantiæ ac supplicationes pro ea à pluribus Principibus Personis, quæ etiam fieri plerumque solent ab aliquibus Communitatibus, Magistratibus &c. instando, ut Papa Servum Dei in Sanctorum numerum referat, prout ex praxi bene observat Mascardus *Concl. 261.*

15 Quibus non obstantibus possunt, & solent Episcopi etiam ante ipsum quadraginta annorum interim instituere Processum, & inquisitionem sive judicialem, sive extrajudicialem super miraculis fama sanctitatis, vita, moribus, ac certis virtutibus alicujus, idque ideò, ne alias per mortem testium pereant necessariæ probationes, atque ut S. Sedes suo tempore melius informari queat: uti bene observat Landuscha *loc. cit.* & docet post alios Barbosa *alleg. 97. n. 4.* ubi addit, quod hujusmodi Processus, informationes, inquisitiones, & examina per Episcopos, aut eorum Vicarios, vel Deputatos ab eis, servatis de jure servandis facti, legitimi sint & validi, possitque ex eis Papa ad *Canonizationem*, aut *Beatificationem* procedere, quamvis hoc facere non soleat, cum teste stylo Curiæ novus semper authoritate Apostolica fieri soleat Processus, vel saltem strictè examinetur Processus ab Episcopo factus, an ritè, ac legitimè fuerit peractus.

16 Quæritur V. Quo cultu, ac veneratione coli possint *Sancti*, aut *Beati*? Ante responsionem notandum, Cultum alium esse absolutum, alium respectivum, alium Latriæ, alium Superduliæ, alium Duliæ, de quibus Theologi, & vide etiam dicta in Theologia nostra Morali *Tr. 5. dist. 1. q. 3. & 4.* Insuper alium esse, & dici Cultum publicum, alium privatum. *Privatus* est, qui non exhibetur nomine Ecclesiæ, nec tanquam institutus ab ea, sed fit ex privata devotione colentis, recitantis v. g. in honorem alicujus privatas aliquas preces, vel in honorem ejusdem, jejunantis, se mortificantis, sive dein in occulto, sive in publico, & aliis videntibus talem Cultum exhibeant. *Cultus publicus* est, qui fit nomine Ecclesiæ, vel tanquam institutus ab ea, sive dein publico in loco, sive in occulto fiat; *Cultus* enim *publicus*, seu solemnis non ideò talis appellatur, quod publicè, vel coram aliis exhibeatur, sed quia defertur nomine Ecclesiæ, vel tanquam institutus ab ea, uti post Bellarminum, Sanchez, & alios, benè docet Bonacina *tom. 2. disp. 3. pun. 2. n. 2.* contra Barbosam *loc. cit. n. 13.* Hoc notato

17 Resp. I Certum, ac de Fide est, illos, qui jam fuere *Canonizati*, vel saltem *Beatificati* coli posse cultu *Duliæ* tam publico, quam privato. Ita Omnes tam Theologi, quam Canonistæ, & Controversistæ, quorum ultimi Conclusionem ex professo ad longum probant, & specialiter contra hæreticos demonstrant, per cultum & venerationem Sanctorum penitus nullam committi idololatriam. Illud tamen hic notandum, quod actu *Canonizati* coli possint quovis *Duliæ* cultu publico; econtrà verò *Beatificati* non nisi in illo loco, illoque cultu publico, quem concessit Pontifex, utpote qui in *Beatificatione* alicujus non quemvis *Cultum publicum*, sed unum, vel plures determinatos admittit, prout suprà jam diximus, & per hoc inter alia *Beatificatione* à *Canonizatione* distingui docuimus. Circa *Beatos* nondum *Canonizatos* attendendum etiam est Decretum S. Congregationis, quod refert Landuscha *in Theatro Regularium* sequentis tenoris.

AD aures Eminentissimorum Patrum Congregationis Sacr. Rituum plures devenerunt, qui patrantur Indultorum excessus in materia præstationis cultus Beatis adhuc non Canonizatis, quamobrem eos eliminare, ac ne in futurum inducantur, providere studentes, ad infrascripta devenerunt Decreta, &

1. Quod eorum Beatorum Imagines, etiam non principaliter & uti simplices appositæ, simulacra, Picturæ, Tabellæ, aut sculpturæ, eorum præclara gesta repræsentantes, aut referentes, in Ecclesiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuscunque, & præsertim in quibus Missæ Sacrificium, vel alia Divina Officia peraguntur, inconsulta Sede Apostolica, nullo modo exponantur.

2 Quod ubi indultum fuerit per Sedem Apostolicam, Imagines, simulacra, pictasque Tabellas in Ecclesiis poni, & coli posse, in pariete tantùm, non autem super Altari collocandi facultas tributa censeatur.

3. Quod si concessa fuerit per eandem Sedem Apostolicam Altarium erectio, non tamen ob id Missam, & Officium de prædictis Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præsumatur; etenim specifica, & expressa concessio super his præcedere debet.

4 Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non extendatur inconsulto Pontifice ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate.

5. In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permissum fuit, non inde publica Officii recitatio permissa censeatur, sed tantummodò privata; nec satisfactoria præcepto recitationis, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulserit.

6. Missæ pariter, quæ fuerint indultæ certis personis, nempe Presbyteris Regularibus, vel sæcularibus alicujus loci, vel Monasterii, seu Presbyteris alicujus Ecclesiæ servitio præcipuè addictis, à confluentibus Sacerdotibus, quavis dignitate (etiam Cardinalatus) insignitis, minimè celebrentur.

7. Dies Festi in Beatorum eorundem memoriam non celebrentur, nisi speciali Indulto Apostolico provisum fuerit.

8 Eorundem nomina in Calendariis non apponantur, nisi illius tantùm loci, earumque personarum, in quo, & à quibus cultus cum Officio, & Missa celebretur.

9. In quibusvis Ecclesiasticis precibus etiam in Oratoriis privatis recitandis, particularia eorundem suffragia non apponantur, vel recitentur.

10. Publicis in precibus præter indultas, & à Sede Apostolica approbatas, iidem beati non invocentur.

11. Eorumdemque Reliquiæ in Processionibus minimè circumferantur.

12. Sacra eadem Congregatio præsentibus declarare, & jussione removere non intendit Cultum Beati per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta; vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam, ac tolerantiam Sedis Apostolicæ, aut Ordinariorum hactenus præstitum; aut certis modo & forma ab eo tempore eis exhibitum. Verùm si à centum annis citra cultus hujusmodi, aliqua ex parte constiterit actus & extensos, eo casu Sac. eadem Congregatio eundem in pristinum reduci jubet, prout quemvis cultum, extra casus prædictos, ad expressa tantùm verbaliter in Apostolicis Indultis omninò revocari mandat, sub pœnis &c.

13. Fir-

13. Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum Octavis celebrentur, & aliis quibuscunque à Sacra Congregatione hactenus emanatis, quæ præsenti Decreto renovantur.

14. His autem Sanctissimo relatis, & in Congregatione Sacr. Rituum ordinaria habita coram Sanctitate Sua per Eminentissimum, & Reverendissimum D. Cardinalem Sachettum accuratè perlectis, matureque discussis, Sanctitas Sua ea approbavit, & pro omnimoda eorum observatione, mandavit Typis imprimi, ad valvas affigi & publicari, ut elapso termino sex mensium, à die publicationis eorumdem, omnes, & singulos afficiant, & arctent, ac si omnibus, & singulis eadem exhibita, & personaliter præsentata, intimata, seu notificata fuissent.

15. Indultisque locorum Ordinariis, aut auctoritate Sedis Apostolicæ possint, imò debeant Sæculares, & Regulares quoscunque quantumvis exemptos, etiam Societatis Jesu, S. Antonii Viennen. & S. Joannis Hierosolymitani, ac reliquos omnes, speciali expressione indigentes, etiam sub Censuris compellere. Cumque aliqui nulli subdantur Episcopo qui eos, si excesserint, coercere valeat, eo casu à Sedis Apostolicæ Nuntiis, si aderint, sin minus ab Archi-Episcopis in eorum Provinciis, vel ab Episcopis Romano tantùm Pontifici subjectis, intrà, vel propè quorum Diœcesis limites, eorum Ecclesiæ, vel Monasteria sita fuerint, tanquam à Sede Apostolica Delegatis ad hujusmodi Decretorum observantiam prædicti omninò cogantur. Die 27. Septembris 1650. Julius Episcop. Sabin. Cardinal Sachettus. F.M. Phœbeus Sacr. Rit. Cong. Secretarius. Fuit impressum Romæ in Regesto hujus Congreg. fol. 148.

Declaratio præfati Decreti super Cultu Beatis adhuc non Canonizatis præstando.

ALlatis ad Sac. Rit. Congregationem dubiis circa observantiam, & intelligentiam Decreti super Cultu Beatis adhuc non Canonizatis præstando editi die 27. Septembris 1659. & publicati 3. Februarii præsentis anni 1660.

Primò. An ubi indultum fuerit, ut Missa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus Imaginem, & simulacrum super Altari exponere, nec non votivas Tabellas ibidem appendere?

Secundò. An si dies Festi in Beatorum honorem non celebrentur, extendatur ad Festa devotionis?

Tertiò. An indulta recitandi Officium cum Octava, vel sine Octava, & celebrandi Missam de Beatis, fuerint revocata per dictum Decretum Sacræ Congregationis?

Quartò. An in Ecclesiis, in quibus Officium, & Missa de Beatis recitari, ac respectivè celebrari possunt, liceat eorum Reliquias exponere?

Quintò. An Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces, pro eorum conditione, possint de Beatis suæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Missam celebrare, & Altare Beatis prædictis erigere.

Sac. Rituum Congregatio Respondit.

AD Primum, *affirmativè*.
Ad Secundum, *negativè*.
Ad Tertium, *pariter negativè*.
Ad Quartum, *affirmativè*.
Ad Quintum, *negativè*.

Die 17. Aprilis 1660. *Julius Episc. Sabinen Cardinal. Sacchettus. Loco* ✠ *Sigilli. F. M. Phœbeus Sacr. Rit. Cong. Secret. Gratis etiam quoad scripturam. Romæ ex Typographia Rev. Cam. Apost.* 1660.

18 Quæritur VI. An, & quomodo coli, ac invocari possint illi, qui cum fama sanctitatis, aut insignis pietatis quidem mortui, adhuc tamen non *Canonizati*, nec *Beatificati* sunt? Resp. I. Licitum, pium, & utile esse, tales colere, venerari, honorare, & invocare *Cultu privato*, non item *Cultu publico*. Prima pars de *Cultu privato* docetur à Glossa communiter recepta *in c. h. t. in 6* ℣. *Sedis Apostolicæ* Bellarmino *lib.* 1. *de Sanctis c* 10. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. c.* 43. *n.* 3. & aliis communiter, patetque ex *c* 1. & 2. *h. t.* ubi prohibetur, aliquem publicè venerari pro *Sancto* absque Sedis Apostolicæ authoritate; sicque à sensu contrario privatus honor permittitur.

Porrò circa cultum & venerationem hominum cum 19 fama sanctitatis defunctorum, eorumque imagines, miracula, revelationes &c. extant celeberrimæ, eæque sanctissimæ Constitutiones Urbani VIII. quarum prima incipit *Sanctissimus*, estque inter Constitutiones dicti Papæ 39. in Bullario Cherub. dignissima, ut hic per extensum ponatur.

SAnctissimus D.N. sollicitè animadvertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis aut radiis, seu splendoribus proponuntur, miracula & revelationes, aliaque beneficia, à Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulchra, Tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia luminaria apponuntur.

§. 1. Volensque proinde hujusmodi abusui, pro debito officii pastoralis, occurrere, re etiam cum Illustrissimis ac Rever. DD. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem in universa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus communicata, & maturè considerata ac discussa, declaravit, statuit, & decrevit, ne quorumvis hominum, cum sanctitatis, seu martyrii fama (quantacunque illa sit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta & quodcunque aliud, venerationem, & cultum præseferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis tam sæcularibus, quam regularibus, cujuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Cōgregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede Canonizentur, aut Beati declarentur (& si quæ appositæ sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

§. 2. Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, sive Martyrii fama, vel opinione (ut præfertur) celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinceps fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet. Revelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

§. 3. Ad horum hominum sepulchra; vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacunque materia, tam pictas, quam fictas, atque exsculptas appendi, aut affigi, & lampades, sive alia quæcunque luminaria accendi, sine recognitione ab Ordinario omninò, prout suprà facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.

§. 4. Declarans quod per suprascripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur.

§. 5. Ut autem præmissa diligentiùs observentur, universis, ac singulis, tam Episcopis, quam hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districtè præcipit, ut in sua quisque Diœcesi, vel Provincia sedulò pervigilet, ne sine approbationibus prædictis Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra superiùs disposita fiant.

§. 6. Transgressores verò si Regulares fuerint privationis suorum Officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, nec non suspensionis à Divinis: si verò Clerici sæculares, privationis pariter suorum Officiorum, suspensionis à Divinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum Ordinum respectivè, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

§. 7.

§. 7. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo effinxerint, vel formaverint, cæterique Artifices circa præmissa qualitercunque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur.

§. 8. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Sequitur declaratio præinsertæ Prohibitionis.

POstmodum verò idem Sanctissimus D.N. à quibusdam revocari in dubium accepit, an Tabellas, & Imagines, quas imposterum offerri contigerit, recipere, & anteà oblatas conservare liceret? Sanctitas Sua, quæ tantummodò voluit, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniæ Divinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare; re priùs cum Illustriss. & Rev. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus communicata, præsenti Decreto declaravit. Quod sicut nunquam prohibuit, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum & imaginum hujusmodi, ita, ut nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur, statuit impræsentiarum, & decernit, ut quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumque alium publicum sæcularem, seu regularem tabellæ, & imagines, aliud vè simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum martyrii, vel sanctitatis fama demortuorum, optata se impetravisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis Ecclesiarum locorum prædictorum curæ præpositis, tabellas, & imagines sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorumque qui conscii fuerint, attestationibus accipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo, seorsum ab Ecclesia, loco custodire, ibidemque jam amota, collocare, & asservare, ut si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujusmodi sanctitatis qualescunque probationes, Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Altera ejusdem Urbani VIII. Constitutio incipit Cœlestis Jerusalem, *estque* 134. *in dicto Bullario, in qua Constitutione omnia in priori edita de novo renovat, atque motu proprio confirmat, simulque statuit*, Ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatorum super alicujus utriusque sexus, cum sanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliisve hujusmodi sanctitatem redolentibus ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut Processum instrueret, vel huc usque receptas informationes, instructumve Processum ulterius prosequeretur, nisi postulator priùs per legitimas juridicè susceptas probationes circa personam ejus, de cujus miraculis, revelationibus, aliisve rebus gestis sanctitatem præseferentibus ageretur, præscriptam in præfato nostro decreto formam omninò servatam extitisse docuerit; & nisi posteà successivè idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatus diligenti præhabita disquisitione circa eandem personam, supracitato decreto nullatenus contraventum esse, ritè pronuntiaverit utque id inviolabiliter observetur, statuimus insuper, ac decernimus, ne transmissi ad Urbem undecumque hujusmodi Processus, à Congregationis Sacrorum Rituum Secretario minusque sanctæ fidei Promotore quomodolibet aperiantur, nisi priùs in Sacrorum Rituum Congregatione, alio sejunctim oblato authentico Processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica Sede specialiter delegatum ritè ac rectè ut præmittitur, cognovisse, ac pronunciasse prelibato decreto nequaquam contrarium esse plenè constiterit, ac deinde à Nobis judicialiter aperiendi eos Processus facultas indulta fuisset. Insuper longissimum tempus, illiusque immemorabilem cursum, de quo in prædicto decreto, intelligi declaravimus esse tempus centum annorum metam excedens: deque his, atque infrascriptis omnibus, quæ in decretis disposita, & ordinata sunt, aliqua suboriente difficultate, Ordinariis locorum, & Delegatis Apostolicis quibuslibet omnem omninò interpretandi facultatem ademimus: utque Sedem Apostolicam desuper consulerent ab eaque responsum exspectarent, mandavimus eisdem, & alias prout in decretis desuper editis pleniùs continetur.

Ex his itaque Constitutionibus, atque ex Conclusione *n.* 18. posita breviter pro praxi infertur. I. Illicitum esse, de præfatis Famulis vel Famulabus Dei nondum *Beatificatis* dicere Missam, vel recitare horas Canonicas vel eorum Nomina Litaniis ab Ecclesia confectis inserere, ac invocare: item illicitum esse, in Eorum honorem Templa erigere, vel Altaria publica, aut eorum Reliquias in publica Processione circumferre, aut venerationi publice exponere &c Ratio est; quia hæc & similia *Cultum* denotant *publicum*, qui nomine Ecclesiæ aut tanquam constitutus ab ea fit, aut fieri censetur prout cum Bonacina, Sanchez, & aliis jam diximus in Theologia nostra Morali *tr.* 5. *d. st.* 1. *q* 4 *n.* 41.

Econtrà licitum, utile, ac pium esse, memoratos Famulos & Famulas Dei honorare, ac invocare privatis orationibus ac precibus, eos sibi in Patronos eligere, in eorum honorem jejunare, se mortificare, quotidie aliquas preces, vel alias Devotiones, etiam aliis videntibus, vel audientibus persolvere, eò quòd hæc non nisi *Cultum* denotent *privatum*, utpote non nomine Ecclesiæ, neque tanquam institutum ab ea, sed tantùm privata devotione exhibitum.

Infertur II. Circa Imagines eorum, illicitum esse, eas 22 cum radiis, aureolis, vel splendoribus pingere, vel pictas habere, sive dein publice, sive privatim, & in occulto asserventur; liquet ex citatis Bullis *Sanctissimus & Cœlestis Jerusalem*. Econtrà à sensu contrario licitum ac pium esse, eorum Imagines sine radiis, splendoribus, aut aureolis depictas, vel sculptas domi suæ habere, easque ibidem etiam videntibus aliis venerari. Non verò in Templis, Sacrariis, Oratoriis quibuscunque, præsertim in quibus Sacrificium Missæ, vel alia Divina Officia peraguntur, ut habetur ex Decreto S. Congregationis apud Landuscha ℣ *Beati*.

Infertur III. Illicitum quoque esse, talium nondum 23 *Beatificatorum* miracula, revelationes, aut beneficia eorum intercessione collata Typis mandare, nisi priùs ab Ordinario loci recognoscantur, & approbentur, abeoque ad Sedem Apostolicam, unde responsum expectari debet, transmittantur: ita clarè habetur in citata Bulla.

§. II.

De Veneratione Reliquiarum, & Approbatione earundem: ubi etiam de Miraculis, Examinatione, & Approbatione eorundem.

SUMMARIUM.

24 *Reliquiæ Sanctorum quid?*
25 *Quomodo coli valeant?*
26 *Cultu publico non possunt coli Reliquiæ noviter inventæ, nisi priùs legitime approbentur.*
27 *Noviter inventas Reliquias Canonizati, vel Beatificati etiam Episcopus approbare potest, & quomodò? Ibid.*
28 *Reliquias needum Beati approbare pro cultu publico non potest Episcopus.*
29 *Licitum est, eas, antequam approbentur, colere cultu privato.*
30 *Specificantur tales cultus privati.*
31 *Reliquiæ extra Capsam non sunt ostendendæ.*
32 *Transferre Corpora & Reliquias Sanctorum potest Episcopus cum causa & consensu Capituli.*
33 *Miraculum quid? potest fieri à solo Deo.*
34 *Sancti mor aliter tantùm faciunt miracula.*
35 *Requisita ad miraculum. Et nu. præced.*
36 *Miracula quare faciat Deus?*
37 *Et per quos? Instructio practica.*
38 *An, & quomodo unum miraculum sit majus altero? Et num. seq.*
40 *Miraculum non necessariò fit in instanti: Et n. seq.*
42 *Episcopus examinare, & approbare potest miracula. Et quomodo? Ibid. Et nu. seq.*

Quo-

24 Quæritur I. Quid sint Reliquiæ Sanctorum? Et quid de cultu ac veneratione earum? Resp. I. Per *Reliquias Sanctorum* ad propositum intelliguntur eorundem Corpora, & Corporis partes, portiones etiam minimæ, puta caput, manus, digiti, dentes, ossa, capilli, cineres, pulveres, item eorum vestes, panni, vela, instrumenta mortificationis, quibus in vita usi sunt; vel quibus eorum corpora, aut partes eorum post mortem involuta erant, ita cum communi aliorum Azorius *par. 1. lib. 9. c.* 8. Valensis *h. t. n.* 1. Sannig *eod. cap. 1. n.* 1. & alii, probationem præbente universali praxi ac consuetudine Ecclesiæ.

25 Resp. II. Circa cultum, & venerationem SS Reliquiarum idem ferme, quod de cultu ipsorum Sanctorum dicendum est; videlicet, quod Reliquiæ alicujus jam *Canonizati* coli valeant *cultu publico* quolibet: *Beatificati* autem non quovis, sed illo tantùm *cultu publico*, quem concessit, ac determinavit Pontifex; circa quas *Beatorum* nondum *Canonizatorum* Reliquias specialiter etiam observandum est Decretum Sacræ Congregationis allegatum suprà *n.* 17. in quo *cultus publici* specificantur, qui *Beatis* exhiberi prohibentur, etiam eorum Reliquiis exhiberi nequeunt, inter quos etiam est, ne *Beatorum Reliquiæ* in publicis Processionibus circumferantur.

26 Resp. III. Ad hoc, ut Reliquiæ noviter inventæ, aut productæ publico cultu coli valeant, requiritur, ut prius legitime sint approbatæ, ac recognitæ. Patet hoc tum ex *c. 1. h. t.* ubi dicitur: *Inventas de novo Reliquias nemo publicè venerari præsumat, nisi priùs authoritate Romani Pontificis sint approbatæ*, & Concil. Trid. *Sess. 25 de Invocat. Venerat. & Reliquiis SS. & SS Imaginibus*, ubi habetur: *Nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo*. Verùm quia inter hos duos Textus aliqua adesse videtur contradictio circa approbationem SS Reliquiarum, hinc quæ approbatio prævia ad *cultum publicum* requiratur, item quas Reliquias Episcopus approbare possit, ponitur specialis Conclusio sequens.

27 Resp IV. Reliquiæ tam *Beati*, quam *Canonizati* de novo inventæ non tantùm à Papa, sed etiam ab Episcopo recognosci, & approbari possunt. Fagnanus *in c. cùm ex eo h. t. n.* 6. Barbosa *in Conc. Trid loc. cit n. 9. &* 10 textu claro Concil Trid. *loc. cit* ubi recognitio, & approbatio Reliquiarum noviter inventarum (intellige de *Sanctis*, vel *Beatis*) Episcopo expresse conceditur. Nec obstat textus *cap. 2. h. t.* quia intelligi debet de Reliquiis novis alicujus nondum *Canonizati* statim dicetur. Quinimò Reliquiæ à Papa jam approbatæ, etiam ab Episcopo loci adhuc recognosci debent, non quidem ut eas denuò approbet, sed ut videat, an reverà Romæ approbatæ sint, an verò fraus aliqua subsit, antequam publicæ venerationi exponantur. Porrò ad hoc, ut Episcopus ritè approbet alicujus *Sancti*, vel *Beati* Reliquias noviter inventas, Romæ nondum approbatas, necesse est, ut *adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit*; prout expresse statuitur in Concil. Trid. *loc. cit.* & benè ibidem observat Barbosa *n.* 13. Azorium *par. 1. lib. 9. cap. 8. q.* 8. Sanchez *in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 43 n.* 15. & alios.

28 Resp. V. Reliquias alicujus cum fama sanctitatis defuncti nondum *Canonizati*, aut *Beatificati* nullus præter summum Pontificem approbare potest in ordine ad *cultum publicum*; textus est *in c. 2. h. t.* docentque ibidem Doctores communiter. Nec obstat Concil. Trident. *loc. cit.* ubi concessa videtur Episcopis universalis licentia approbandi quasvis Reliquias noviter inventas; consequenter correcta dispositio Juris antiqui. Nam contra est, tum quia ad evitandam Juris correctionem non necessariam textus Concil. Trid *loc. cit.* intelligi debet de solis noviter inventis Reliquiis jam *Canonizatorum*, vel *Beatificatorum*: Textus *c. 2. h. t* verò de Reliquiis noviter inventis, seu productis illorum, qui cum fama sanctitatis defuncti, nondum *Canonizati*, aut *Beatificati* sunt, uti cum aliis solidè probat Fagn. *in cit. c. 2. h. t. à n.* 5. Ratio est; quia, si Episcopus in ordine ad *cultum publicum* posset approbare Reliquias nondum *Canonizati*, vel *Beatificati*, sequeretur, quòd posset etiam *Beatificare*, cùm juxta dicta hoc in substantia aliud non sit, quam concedere, ut quis *cultu publico* aliquo coli queat; quod tamen est contra Jura nova, & antiqua, uti patet ex dictis suprà *n. 6. & seqq.* Dicitur autem notanter in Conclusione: *In ordine ad cultum publicum*; quia simpliciter cognoscere, & judicare, quòd hæ aut illæ Reliquiæ sint hujus aut illius cum fama sanctitatis defuncti, nulla ratione, nulloque Jure prohibitum reperitur episcopis.

Resp. VI. Reliquias quæcunque tam antiquæ, quam novæ, non tantùm *Canonizatorum*, aut *Beatificatorum*, sed etiam cum fama sanctitatis, aut insignis pietatis defunctorum, *cultu privato* colere, & venerari quivis potest, etiamsi à nemine approbatæ fuerint, aut recognitæ. Fagn. *in cit. c. 2. h. t. n.* 11. & ibi Hostiensis, Jo. Andreas, Butrius, & alii communiter, *arg. cit. c. 2. h. t.* ubi solùm prohibetur publica veneratio: ergo à sensu contrario conceditur privata veneratio, & cultus Servorum Dei nondum *Canonizatorum*, aut *Beatificatorum*. Confirmatur ex dictis suprà *n. 18. & seq* ubi docuimus hujusmodi Servos, & Famulas Dei *cultu privato* coli omninò posse. 29

Infertur, quod iis modis & cultibus privatis, quibus suprà diximus: coli posse cum sanctitate defunctos, coli etiam valeant eorum Reliquiæ; insuper pium ac licitum est easdem Reliquias, v. g. vestes, scripturas, mortificationis, aut pietatis instrumenta, libros, imagines &c secum portare, ad collum suspendere, osculari, aliove simili *cultu privato* venerari; ut cum aliis benè advertit Fagnanus *loc. cit. n.* 12. 30

Resp VII. Circa Reliquias Sanctorum specialiter etiam attendi, & observari debet dispositio *cap. 2 h. t.* ubi præter dicta statuitur, ut *Reliquiæ antiquæ Sanctorum extra capsam nullatenus ostendantur* (exceptis illis, qui speciali Dei dono à corruptione sunt præservati, ut post Hostiensem *cit. c. 2. h. t* benè observat Pirhing *h. t. n.* 10) *& ne venales exponantur*, seu vendantur: quod etiam statuitur *l. Nemo 3. C. de SS. Eccles.* Cujus ratio est quia Res sacræ non sunt in alicujus dominio, nec pretii æstimationem recipiunt, *l. Sacra 9. in fine ff. de rerum divisione*. Insuper attendere & observare oportet Dispositionem Concil. Tridentini *loc cit.* ubi de cultu SS. Reliquiarum præter alia ita statuit; *Omnis porrò superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur, omnis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur, & Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum visitatione homines ad comessationes, atque ebrietates non abutantur, quasi Festi dies Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur &c.* 31

Quæritur II. Utrùm episcopus absque licentia Papæ transferre possit Corpora, aut alias Reliquias Sanctorum? Resp. Affirmativè. Fagnanus *in c. 2. h. t. n.* 15. Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 43. n.* 25. Sylvester *V. Reliquia q.* 3. & alii, contra Glossa *in can. corpora Sanctorum 37. de Consecrat. dist.* 1. Probatur autem Conclusio ex *cit. can. Corpora Sanctorum*, ubi in sensu diviso requiritur, & sufficit consensus *Principis*, id est Papæ (ut ibidem ait Glossa) vel *Episcoporum*. Ratio est: quia juxta illud universale principium, episcopus potest in sua Diœcesi, quæcunque Papa sibi expresse non reservavit, *arg. cap. Nuper 29. &* ibi Glossa *V. Retinuit de Sentent. Excommun.* Ut tamen talis translatio ritè fiat, requiritur consensus Capituli. Fagnanus *loc. cit. n.* 29. Ratio est; quia reputatur inter ardua & gravia, quæ Episcopus sine consensu Capituli aggredi non valet, *arg. cap. 1. totoque tit. de iis, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capitul.* Accedit, quod hujusmodi Translatio sit quodammodo aliqua alienationis species, cùm corpus Sancti quod priùs pertinebat ad certam Ecclesiam, attribuatur alteri: ob quam rationem, etiam justam causam requiri ad talem Translationem, *loc. cit. & n. seq.* docet idem Fagnanus, apud quem plura vide de hujusmodi Translatione. 32

Illud quoque circa Reliquias Sanctorum addendum, quod furtiva earum subtractio etiam devotionis causa facta, sit peccatum Sacrilegii, prout post Torrecrem. *in cit. can. Corpora de Consecr. dist. 1. in respons. ad 2.* benè docet Pirhing *h. t. ad finem*. Ratio est; quia Reliquiæ sunt Res sacræ. 33

Quæritur III. Quid sit Miraculum, & quæ requirantur ad illud? Ante responsionem nota, meritò hanc quæstionem hic fieri, quia Miracula requiruntur ad Canonizationem Sanctorum, de qua hic agitur. Hinc Resp. I. *Miraculum* (sic dictum, quasi admiratione plenum) 34

propriè ac strictè sumptum est id, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ. Ita D. Thomas *par. 1. q. 110 a. 4. & q. 214. a.* 4. quem Doctores communiter sequuntur.

35 Resp. II. Secundùm Glossam communiter receptam *in c. un. h. t. in 6. V. Sedis Apostolicæ* quatuor principaliter requiruntur ad verum, ac propriè dictum Miraculum. *Primò* quod fiat supra naturam, id est, præter ordinem totius naturæ, ut dictum est in definitione ejus. Ex quo cum D. Thomas & communi aliorum infertur, quod solus Deus propriè ac physice facere possit *Miraculum*; si enim aliqua creatura v. g. Angeli, Sancti, ac Dæmones id facere possent, jam non supra naturam, nec præter ordinem totius naturæ, esset, unde dicitur *Psal. 71. qui facit mirabilia solus*.

36 Hinc infertur ulteriùs, quod nec Sancti, nec Angeli, nec Dœmones, nec Magi unquam verè ac physice fecerint, nec facere possint vera *Miracula*. Neque obstat quod passim dicatur, & credatur, per Sanctos facta esse, & adhuc fieri plura *Miracula* quia hæc ab illis non physice, sed moraliter tantùm fiunt, in quantum nempe Deus ad preces ipsorum, vel intuitu fidei, atque meriti eorum, aut in confirmationem sanctitatis eorumdem Miracula patrat. Pariter non obstat, quod *can. Teneamus 56. caus. 1. q.* 1. sicut & *Exod.* 7. habeatur, Magos Pharaonis fecisse *Miracula*: & eodem *can. teneamus*, nec non *Actor.* 9. dicatur, Simonem Magum patrasse *Miracula*. Resp. enim cum D. Thoma mira illa per Magos Pharaonis, sicut & Simonem Magum (idem dic de mirabilibus per alios Magos & malos homines ope Dœmonis factis, aut exhibitis) patrata, vera non fuisse *Miracula*, sed vel meras illusiones authore Dœmone prodeuntes, quibus phantasiam mortalium ita decipit, ut videatur eis, hoc vel illud adesse, aut contingere, cùm tamen à parte rei nihil fit, vel esse effectus aliquos reverà existentes, & quidem mirabiles, ope Dœmonis activa passivis applicantis, aut aliàs virtute sua naturali Angelica agentis productos, qui, quia facultatem & captum humanum excedunt, indeque admirationem in intellectu humano causant, *Mirabilia* seu *Miracula* in sensu largo dicuntur, quamvis reverà propriè talia non sint, hoc ipso quod à creatura aliqua fiant.

37 *Secundò* juxta Glossam citatam requiritur ad verum *Miraculum*, ut appareat illud à Deo, & non ex arte contingere, neque ex Diabolo; quæ conditio jam videtur esse inclusa in primo. *Tertiò* requiritur, quod fiat non vi verborum, sed vel hominis merito, vel in testimonium veritatis: hinc Transubstantiatio panis in Corpus Christi per Sacerdotem vi Consecrationis causata ad propositum, & prout ad *Canonizationem* requiritur, non est *Miraculum*.

38 *Quartò* requiritur, ut fiant vel in testimonium, & corroborationem Fidei, vel in testimonium sanctitatis, & insignium meritorum alicujus, quem Deus vult hominibus proponere in exemplum virtutis, aut per eum Miraculis illustratum quædam magna operari. Duplicem enim ob hunc finem Deus facere solet *Miracula*, videlicet, ut iisdem vel Fidei veritatem confirmet, & corroboret, juxta illud *Marc ult. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, & Heb. 2. Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus*. Sunt namque *vera Miracula* infallibile signum Fidei: cùm enim non nisi à Deo fiant, & quidem in testimonium veritatis: Deus autem falsitatis testis esse nequeat, consequens est, quod, quidquid Deus per *Miraculum* confirmat, & testatur, verum ac infallibile sit; secùs enim, Deus homines deciperet, prout amplius Controversistæ. Dein etiam *Miracula* patrat ad demonstrandam alicujus sanctitatem, & specialia merita: ut inde homines ad imitationem vitæ perducat, aut apud eosdem tali Sancto (si adhuc in vivis degit) authoritatem, & æstimationem pro operibus, quæ forsan Deus pro sua gloria, aut animarum salute agere per talem intendit, conducentem faciat: vel ut homines ad talem (si jam mortuus est) invocandum, ac honorandum, sicque gloriam ejus in cœlis suo modo augendam inducat.

39 Ubi advertendum, quod ob primum finem, videlicet in confirmationem Fidei, à quovis veram fidem habente, eamque prædicante, ac nomen Domini invocante etiam peccatore, fieri possint *Miracula* (moraliter) prout patet in Juda Proditore, qui in testimonium Fidei æque ac alii Apostoli patravit *Miracula Mar.* 3. Ob secundum autem finem in testimonium nempe sanctitatis alicujus, aut insignium meritorum apud Deum, non fiant nisi ab illis, qui coram Deo speciali sanctitate ac perfectione vitæ, specialibusque meritis fulgent, sive dein in vita, sive post mortem *Miracula* fiant.

Hinc si apparet miranda quædam non in testimonium fidei, sed ex alio fine, vel inutiliter & absque simili fine fieri ab hominibus speciali virtute non fulgentibus, signum manifestum est, talia mira per dœmonem fieri, vel aliàs latere fraudem, proinde cautè, ac circumspectè procedendum, nec facile talibus credendum, sed potius eisdem invigilandum esse.

Barbosa *par. 3 de offic. & potest. episc. alleg. 97. nu.* 8. quatuor enumeratis ad *verum Miraculum* requisitis conditionibus etiam quintam & meritò addit, nempe ut fiat præter consuetum, & ordinarium modum causandi, defectu cujus, creatio animæ, conservatio Universi &c. quamvis à solo Deo fieri possint, ad propositum *vera Miracula* non sunt.

Quæritur IV. An ex *Miraculis* sit unum majus altero & qui dentur gradus inter ea? Resp. cum D Thoma *par. 1. q. 105. a.* 8. Mascardo *de Probationibus concl.* 1065. Bartholo, & aliis, quod inter *Miracula* unum sit majus altero, non quidem secundùm comparationem ad Divinam potentiam (quia quandocunque factum Divinæ potentiæ utpote infinitæ comparatum, est modicum, imò minimum quid) sed dicitur unum *Miraculum* majus altero per comparationem naturæ creatæ, prout magis vel minùs eam excedit. Tripliciter autem potest aliquid excedere facultatem naturæ. *Primò* secundùm substantiam facti; ut quod duo corpora sint simul: quod homo habeat corpus glorificatum, prout accidit post Christi resurrectionem; vel quod sol stet, aut retrocedat, prout contigit ad preces Josuæ, & Zachariæ Regis. Et ita tenent summum gradum in *Miraculis* cùm ea nullo modo possit facere natura. 40

Secundò potest aliquid excedere vires naturæ quoad subjectum ejus, in quo fit, id est, quando aliquid fit quod natura ipsa quoque facere potest, sed non illo sive in tali subjecto, in quo fit; sicuti est resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & hujusmodi; potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo & potest præstare visum, sed non cæco. Et hæc tenent secundum gradum in Miraculis. *Tertiò* excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad modum, ac ordinem faciendi, id est, quando tale quid fit, quod natura ipsa facere potest, sed non in illo ordine aut modo. Sicuti est, cùm quis subitò, ac instantaneè Divina virtute liberatur à febri nullis adhibitis medicamentis, prout contigit Socrui Simonis Petri *Luc.* 4. Aut cùm aer statim divinitus condensatur in pluvias absque causis naturalibus, sicuti factum legitur ad preces Samuelis & Eliæ Prophetæ. Aut si insolito modo panis multiplicetur &c. nam hæc omnia possunt à natura fieri, sed non tali modo, ac in tali ordine. Et hujusmodi tenent infimum locum in *Miraculis*, habent tamen diversos gradus inter se, secundum quos diversimode excedunt facultatem naturæ. 41

Quæritur V. An verum *Miraculum* fieri debeat in instanti? Resp. Negativè, ita contra Dianam *par. 2. tr. 17. resol* 48 Zerolam *V. Miraculum* Riccium, Plasecium, & D. Thomam sentiunt Cajetanus, Vasquez, & alii à Diana citati. Ratio est; quia nil refert ad *Miraculum* sive in instanti, sive successivè fiat, dummodo tale sit, quod non nisi à Deo fieri possit, & præter consuetum causandi modum ob bonum finem, testimonium nempe fidei, vel meritorum factum sit. Confirmatur Exemplis miraculosè factis ex S. Scripturæ; sic enim Ezechias Rex à sua infirmitate miraculosè curatus est non in instanti, sed successive *Isaiæ* 38. Pariter & Cæcus *Marci* 8. non in instanti, sed successive, & tamen miraculosè visum obtinuit. 42

Illud tamen verum est, *Miracula* instantanea verissima esse Miracula, à fraude & deceptione dœmonis magis aliena, quam successiva: Diabolus enim multa potest successive applicando activa passivis, quæ tamen non potest in instanti. Pariter multa potest facere natura successive, quæ nullo modo præstare potest in instanti. Hinc si quis in instanti liberatur à gravi infirmitate, habetur pro *Miraculo*, non verò, si successivè, quia hoc 43

non

non item illo modo potest infirmitas à dœmone curari. Imò etiamsi quis à similibus infirmitatibus, aut aliis tribulationibus per merita, & intercessionem Sanctorum successivè liberetur, *Miracula* non vocantur, sed gratiæ & beneficia, quorum plurima quotidie per Sanctorum patrocinia homines obtinent, quæ in hoc differunt à *veris Miraculis*, quòd licet forsan fiant ad intercessionem Sanctorum, id certum non sit, hoc ipso, quod absolute loquendo, vel à dœmone, vel à natura vel ab hominibus fieri possint. Quapropter rara sunt *Miracula* strictè dicta, quæ non fiunt in instanti. Cætera plerumque non tam *Miracula*, quam mira, seu miranda beneficia, item & gratiæ vocanda sunt.

44 Quæritur VI. Cui competat potestas examinandi, & recognoscendi *Miracula*? & quomodo recognosci debeant? Resp. Hanc potestatem non tantùm Summo Pontifici, sed etiam Episcopis competere. Ita clare desumitur ex Concil. Trident. *Sess. 25. de Invocatione Sanctorum*, ubi dicitur: *Nulla etiam admittenda esse Miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo*, qui textus non tantum procedit de *Miraculis* jam *Canonizatorum* sed etiam non *Canonizatorum*, ita ut Episcopus etiam horum *Miracula* recognoscere possit, prout Sacra Concilii Congregatio declaravit, teste Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 87 n 3.* Fagnanus *in c. cùm ex eo h. t. n 7.* Addit tamen ibidem Barbosa, hanc potestatem aliis Episcopo inferioribus non competere etsi jurisdictione quasi Episcopali fulgeant.

45 Resp. II. Examen, & Inquisitionem *Miraculorum* debere esse exactissimum, ac rigidissimum, præsertim quoad Testes, ita ut regulariter non nisi per Testes idoneos juratos, qui non sint singulares, & qui deponant ex scientia per sensus proprios, & singillatim examinentur, *Miraculum* probari valeat: prout pluribus demonstrant Authores *arg c. Venerabili, de Testib. & can Testes, caus. 3. quæst. 9.* Item, quod sint plures testes, cùm *unus testis sit nullus testis*, nisi forsan *Miraculum* esset tale quod ex natura sua non nisi per unam personam probari possit: uti fit in revelationibus, & apparitionibus; item in *Miraculis* factis in propria persona deponentis, quod aliter probari nequit; vel quando cum dicto unius testis concurrit publica fama, vel alia adminicula. Barbosa *loc. cit. numer. 3.* ubi addit, sufficere etiam testes domesticos. Insuper docet ibidem, quòd Episcopus ad examen *Miraculorum* adhibere in consilium debeat etiam Theologos, & alios viros probos, id, quod expresse præscribitur in Concilio Tridentino *loc. cit.* ibi: *Adhibitis in consilium Theologis & aliis piis viris*. Porrò, si examinat *Miracula* nondum *Canonizatorum*, aut *Beatificatorum*, debet, antequam ea divulget, aut divulgari permittat, totum negotium ad Sanctam Sedem transmittere, indeque responsum expectare, Juxta Constitutionem Urbani VIII. *Sanctissimus* 39. in Bullario Cherubini.

TITULUS XLVI.

De Observatione Jejuniorum.

1 Materiam hujus Tituli, quia exactè, & ex professo tractant Theologi, hinc more aliorum Canonistarum, eam iisdem relinquimus, & breviter tantum adducimus, quod in omnibus tribus hujus Tituli capitulis continetur. In *cap. 1 h. t.* consultus Pontifex respondet, quod, si Festum Nativitatis Domini, Assumptionis B. V. Mariæ, vel Festivitas alicujus Apostoli occurrat Feria 2. tunc Vigilia debeat celebrari, ac jejunari Sabbato præcedente.

2 *C. 2. eod* Decernit Pontifex, quod *Omnium Apostolorum Vigiliæ sint observatione jejunii celebrandæ, præter Vigilias Apostolorum Philippi & Jacobi, & B. Joannis Evangelistæ; quoniam ipsorum Solemnitas intra Solemnitatem Paschalem, istius autem intra Natalem Domini celebratur*. Ibidem ponit, necessitatem, ac infirmitatem à Jejunio excusare.

3 *C. 3. eod* Statuit Honorius III. quod si Nativitas Christi in diem Veneris cadat (multò magis, si in diem Sabbati *arg. c. 3. h. t.*) ob Festi excellentiam cuivis Christiano liceat vesci carnibus, qui non ex *voto*, aut *Regulari observantia* ad Jejunium, vel abstinentiam à carnibus est *adstrictus*: ob quam exceptionem Doctores communiter docent, quod, cùm Fratres Minores ex voto, ac Regulæ præcepto sub mortali obligentur, singulis Feriis sextis jejunare; præfato privilegio non valeant frui, sed etiam in Natali Domini jejunare teneantur, si occurrat Feria sexta, secus si in Sabbato. Vide de hoc amplius apud Marchantium *in Expositione Regulæ cap. 4* & alios Expositores. Reliqua de Jejunio vide apud Theologos, & si quid ex Canonibus probare oportet, vide *can Leges instituuntur dist. 4.* item *dist. 41. & 73.* fermè per totam: item *de Consecratione dist. 3. & 5.*

TITULUS XLVII.

De Purificatione post Partum.

1 Levitici 12. in veteri Testamento, Jure positivo Divino præceptum fuit ne mulieres post partum non statim ingrederentur Ecclesias, sed tanquam immundæ ab earum ingressu per quadraginta dies, si masculum, per octoginta verò, si fœminam peperérant, abstinerent. Verùm quia hæc Lex erat una inter cæremoniales, quæ omnes fuere sublatæ per Legem gratiæ, declarat Pontifex *c. un. h. t.* mulieres ad hanc Legem non amplius obligari, sed posse statim post partum, si velint, & vires permittant, ad agendas Deo gratias, Templa ingredi. Addit tamen ad finem, quod, si velint ex devotione ab ingressu Ecclesiæ aliquamdiu abstinere, id eis non sit improbandum, nec denegandum. Hinc consuetudo hodierna ferme ubique vigens habet, quod mulieres post partum per aliquot Septimanas ex decentia laudabili, ab ingressu Ecclesiæ abstineant, & ante ingressum certam Benedictionem à Parocho loci recipiant, dantes eidem reciprocè aliquod honorarium. Et quamvis nullum existat in Jure præceptum, petendi hanc Benedictionem ante ingressum Ecclesiæ, & dandi aliquid pro eo, sed stando Juris dispositioni, utrumque liberum sit Mulieribus, tamen consuetudine introduci potest, pluribusque in locis introducta habetur obligatio dictam Benedictionem ante ingressum ad Ecclesiam, petendi, & aliquid pro ea Parocho præbendi; prout in simili *de Oblationibus* diximus suprà *Tit. de Decimis nu 184 & seq.* Illud hic observandum, quòd facultas benedicendi post partum mulieres, & aliquid ab eis recipiendi numeretur inter jura Parochialia, proinde Regularibus nullatenus competat, prout declaravit S. Congregatio Concilii Tridentini Interpret. 1662. 18. Novembris.

TI-

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

1 *Ratio continuationis.*

1 Actum est in præcedentibus Titulis de Consecratione Ecclesiæ, de Celebratione Missæ, de Sacramentorum Administratione, de Divinis Officiis &c. ad quæ quia ordinatiè necessariæ sunt Ecclesiæ, recto ordine de earum constructione, & reparatione nunc agitur: Et quoniam nomine Ecclesiarum etiam Monasteria in aliquo sensu veniunt, juxta dicta suprà *Tit. 41. de Celebration. Missæ, nu. 19.* de eorundem quoque Ædificatione hic agemus.

§. I.

De Ædificatione Ecclesiarum, & requisitis ad eam: Item de Reparatione earundem: ac de Iis, qui reparare tenentur.

SUMMARIUM.

2 *Ecclesia in sensu morali & materiali quid?*
3 *Ecclesia materialis alia Basilica, alia Cathedralis, alia Collegiata, alia Matrix, alia Baptismalis, alia Parochialis, alia Regularis, alia Sæcularis: & quid quævis?*
4 *Ad ædificandam Ecclesiam requiritur Episcopi consensus.*
5 *Non item ad Oratorium privatum.*
6 *Ante Ædificationem Ecclesiæ debet Episcopus per se, vel per alium Crucem figere, & primum lapidem ponere.*
7 *Ad Ædificationem requiritur expressus Episcopi consensus. Et n. seqq.*
8 *Et competens dos, exceptis Ecclesiis Mendicantium. Et num. 10.*
9 *Et quid, si absque dote ædificetur?*
11 *Ecclesia in præjudicium alterius, præsertim Parochialis Ecclesiæ ædificari nequit: & ideò Parochi citari, & audiri debent.*
12 *Limitatur in erectione novæ Parochiæ.*
13 *Ad erigendam novam Parochiam requiritur I. justa causa. Et quæ talis? & nu. seq.*
15 *II. Citatio antiqui Parochi.*
16 *III. Competens dos Parochi novi.*
17 *IV. Ut antiquo Parocho maneat Juspatronatus ad novam.*
18 *V. Ut eidem à novo Parocho debitus exhibeatur honor & quis?*
19 *VI. Ut fiat cum consensu Capituli, & n. seq.*
21 *VII. Ut Episcopus per se, vel per alium speciali mandato erigat.*
22 *Reparare Ecclesiam quinam, & quomodo teneantur? usque ad nu. 26.*
26 *Qui reparare tenentur Ecclesiam, etiam ad reparandam domum Parochialem & Ecclesiæ paramenta tenentur.*
27 *Observatio practica.*
28 *Specialia de reparatione Ecclesiæ Cathedralis.*

2 Notandum priùs non esse hic sermonem de Ecclesiis in sensu morali, prout nempe significant Cætum, Conventum, Collectionem, aut Congregationem hominum, quo sensu Ecclesiam sæpè accipit S. Scriptura ut *Psal. 25. Odivi Ecclesiam malignantium*: & Matth. 5 *Convenit Ecclesia magna*; & alibi passim: quo sensu etiam cuncti Fideles sub uno in terra Capite, Papa nempe, existentes, vocantur Ecclesia Catholica, juxta *can. Ecclesia de Consecrat. dist. 1.* ibi: *Ecclesia, id est Catholicorum collectio*; sed esse sermonem de Ecclesia materiali, id est, de Templo aliquo manufacto, seu æde publica cultui Divino deputata, in quo Fideles ad honorandum & invocandum Deum, Divina administranda, & percipienda Sacramenta, Missæque Sacrificium offerendum &c. conveniunt.

3 In sensu hoc materiali, Ecclesia accepta varias habet Classes & nomina. Aliquæ enim dicuntur Basilicæ, aliæ Cathedrales, aliæ Collegiatæ, aliæ Baptismales, aliæ Parochiales, aliæ Matrices, aliæ Filiales, aliæ Regulares, aliæ Sæculares. *Basilicæ* olim dicebantur Ecclesiæ nondum consecratæ, ut notat Abbas *in Rubr. de consecrat. Eccles. nu. 2.* post Glossam *in cap. 1. de religios. Domib.* hodie verò solùm majores, principaliores, ac digniores Ecclesiæ, Basilicæ vocantur; quia *Basilica* nomen grecum, domum Regiam significat, ad quam nempe tanquam principalem, servitii Divini causa, Reges Principes convenire solent, ut notat Barbosa *lib. 2. I. E. U. cap. 1. n. 10.* Engel *h. t. n. 2* & alii. *Cathedrales* dicuntur, quæ sunt Sedes Episcoporum. Collegiatæ verò, quæ habent Communitatem Clericalem in Capite & Membris Clericis, seu Canonicis, qui capitulariter congregari, & agere, sigillumque, & arcam communem habere possunt, Barbosa *lib. 2. jur. Eccl. un. c. 6. n. 6.* *Matrices* Ecclesiæ, licet propriè loquendo sint solæ Ecclesiæ Cathedrales, *arg. cap Venerabilis 12. de V. S.* ibi: *Per Matricem Ecclesiam Cathedralem intelligi volumus*. Tamen minùs propriè etiam inferiores Ecclesiæ Matrices vocantur, illæ nempe, quæ alias aliquo modo sibi subjectas habent: talis etiam est illa Parochia, quæ dividitur, respectu cujus eæ, quæ per divisionem de novo fiunt, vel alteri subjiciuntur, *Filiales* dicuntur, *arg. c. Ad audientiam 3. h. t.* *Baptismalis* est, quæ habet fontem Baptismalem. *Parochialis* verò, quam suprà Tit. 29. de Parochis descripsimus. Porro, etsi strictè loquendo Ecclesia *Baptismalis*, & *Parochialis* differant, tamen sæpè etiam in Jure, & in facto confunduntur, eò quòd hodie plerumque *Parochialis* etiam *Baptismalis* sit, & econtrà. Ecclesia *Regularis* est, quæ pro habitatione Divinisque Officiis Religiosorum principaliter erecta est. *Sæcularis*, quæ pro sæcularibus, & sub eisdem precipue existunt.

4 Quæritur I. Quid requiratur ad ædificandam Ecclesiam? Resp. Quatuor necessariò requiri conditiones. *Prima* est, consensus Episcopi, Barbosa *de offic. & potest. episc. alleg. 26. n. 1.* Zerola *in praxi episc. par. 1. V. Ecclesia dicto 2.* Engel *h. t. nu. 4.* Pirhing *eod. n. 2.* Vallensis *eod. n. 3.* cum communi, & certa aliorum, *arg. c. Nemo Ecclesiam 9. de Consecr. dist. 1. & c. cùm olim 14. §. Præterea*. Utrùm autem Episcopi consensus tacitus, si nempe sciens non contradicit, sufficiat, an verò expressus requiratur, dicetur infrà *n. 7.* Intereà notandum, consensum Episcopi requiri, etsi persona ædificans à jurisdictione Episcopi sit exempta, Barbosa *lib. 2. jur. Eccles. un. c. 2. n. 15. arg. c. 4. de Privileg. in 6.* & patebit magis ex §. *seq.* Quod si locus ipse sit exemptus, necessaria etiam est licentia Papæ, Barbosa *loc. cit. arg. cit. c. 4. de Privileg. in 6.*

5 Nomine autem Ecclesiæ hic non veniunt Oratoria privata; unde domi suæ hoc sibi ædificare etiam absque consensu Episcopi quilibet potest, Pirhing *h. t. n. 1.* textu expresso *can. Unicuique 33. de Consecr. dist. 1.* ibi: *Unicuique Fidelium in domo sua Oratorium licet habere, & ibi orare, Missam autem ibidem celebrare non licet*. Intellige sine licentia legitima, aut privilegio Apostolico, juxta dicta superiùs *Tit. 41. de Celebration. Missæ*.

6 II. Requiritur, ut, antequam ædificetur Ecclesia, Episcopus ad locum futuri Ædificii veniat, ibidem atrium designet, Crucem figat, & primum lapidem ponat. Barbosa *lib. 2. Jur. Eccles. un. c. 2. n. 17.* Engel *h. t. n. 3.* Pirhing *eod. n. 3.* Azorius *par. 2. lib. 9. c. 3. q. 4.* textus, & Glossa *in can. Nemo Ecclesiam 9. de Consecr. dist. 1.* ibi: *Nemo ædificet, antequam episcopus Civitatis veniat & ibidem Crucem figat publice, atrium designet &c.* Concordat *Novella 131. c 7.* & *Novell. 66.* ibi: *Sancimus, præ omnibus illud fieri, & nulli licentiam esse, neque Monasterium, neque Ecclesiam, neque orationis Domum incipere ædificare,*

re, *antequam Civitatis Deo amabilis episcopus orationem in loco faciat, Crucem figat, publicum processum ibi faciens, & causam manifestam omnibus statuens.* In quibus textibus licet de dispositione primi lapidis nulla fiat mentio, tamen Doctores citati cum communi aliorum, & Glossa *in can. 1. caus. 1. q. 2.* etiam de primo lapide præfatos textus interpretantur; id quod confirmat consuetudo optima Legum interpres, *cap. cùm dilectus 8. de Consuet.* potest autem Episcopus etiam per alium Crucem figere, ac primum ponere lapidem, ut cum communi docet Barbosa *loc. cit.* Azorius *loc. cit. q. 4.* Engel *h. t. n. 3.* atque Glossa *in cit. can. nemo 9. de Consecr. Eccles. 1. ℣. Veniat.* Ratio est; quia *potest quis per alium, quod potest facere per seipsum c. 68. de R. I. in 6.* præsertim cùm præfati actus non pertineant ad potestatem Ordinis, sed jurisdictionis, quam alteri etiam non Episcopo delegare potest Episcopus, *c. Aqua 9. de Consecr. Eccles.*

7 Cæterùm ex hoc secundo requisito manifeste sequi videtur, quod ad cunctam ædificationem Ecclesiæ, vel initium ejusdem ædificationis licite faciendum non sufficiat tacitus consensus Episcopi ex eo desumptus, quod sciens non contradicat, nec ratificatio postea subsequens: prout putant Barbosa *loc. cit.* Pirhing *h. t. n. 2.* Engel *eod. n. 4.* Azorius *loc. cit. q. 6.* sed requiratur expressus, hoc ipso, quod juxta utriusque Juris dispositionem, & propriam confessionem Ipsorum Adversariorum locis citatis, Ecclesia licite ædificari nequeat, nisi priùs Episcopus requisitus, per se vel per alium, Crucem figat, & primum lapidem ponat: si enim tacitus consensus, vel subsequens ratificatio Episcopi sufficeret, necessarium non foret, ut ipse priùs Crucem figeret, aut primum lapidem poneret: imò posset quivis pro libitu incipere ædificare Ecclesiam sub spe taciti consensus, vel subsecuturæ ratificationis; quod est absurdum, ut consideranti patet. Qua propter & Juri, & rationi conformius cum Abbate docetur ad ædificationem Ecclesiæ consensum expressum requiri. Ubi tamen fatendum, quod si Episcopus consensum injuste negaret, ædificare volens ad Superiorem, Archi-Episcopum nempe recurrere posset, ut vel ipse eum præstet, vel ad præstandum compellat Suffraganeum, ut bene advertit Barbosa *loc. cit. num 2.* Azorius *loc. cit. q. 8.* & alii communiter.

8 III. Requiritur, ut ante ædificationem sufficiens & congrua assignetur Dos, id est, sufficientes, & stabiles reditus pro luminaribus, paramentis, fabrica, Sacerdotibus, Ministris, & aliis necessariis Ecclesiæ, textu expresso *cit. can. 9. de Consecr. dist. 1.* ibi: *Nemo Ecclesiam ædificet, antequam præfinat, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia Custodum* (id est, Sacerdotum, ac Ministrorum &c Glossa *ib.*) *sufficiant, & ostensa donatione sic Domum ædificet.* Concordat *cit. Novell. 66. cap. 2.* ubi statuitur: *Non aliter quempiam Ecclesiam ex novo ædificare, priusquam loquatur ad Deo amabilem episcopum, & definiat mensuram, quam deputat, & ad luminaria, & ad S. Ministerium, & ad incorrumpendæ domus custodiam, & observantium alimenta: & si sufficientia habere videtur, faciat prius donationem eorum, quæ futura sunt, deputari, & ita domus ædificetur &c.* Et quidem antiquitus pro Dote cujusvis Ecclesiæ adminimum requirebatur unus *Mansus*, liber ab omni servitute, & onere temporali, id est, tanta pars terræ, quæ sufficiat duobus bobus ad laborandum, textus & Glossa *in c. 1. de censib.* Tamen hodie arbitrio Episcopi relinquitur, ut bene notat Engel *h. t. n. 6.* vide etiam dicta *Tit. XL. de Consecr. n. 5.* ubi inter alia notavimus, quod in computanda Dote Parochiæ noviter erigendæ possit quoque haberi respectus ad Decimas, Oblationes, & alia jura Rectori Ecclesiæ competentia. Cæterùm ex hoc, quod Episcopus priùs debeat cognoscere, & arbitrari de sufficientia Dotis, rursus sequitur, quod inconsulto Episcopo sub spe taciti consensus, vel subsecuturæ ratificationis non possit ædificari Ecclesia, consequenter tacitus consensus, seu subsequens ratificatio ad licite ædificandum non sufficiat, sed requiratur expressus consensus.

9 Porrò, si Episcopus Dotem insufficientem pro sufficienti judicans erraret, aut aliàs cum, vel sine consensu ipsius Ecclesia absque sufficienti Dote ædificaretur, teneretur eam adhuc sufficienter dotare Ædificator, vel heredes ejus, *arg. c. cùm sicut 8. de Consecr.* & ibi Glossa ℣. *Consecranda* ad finem. Si verò hi ad dotandum impotentes forent, teneretur supplere Episcopus, si cum consensu ejusdem Ecclesia fuit ædificata, sicut tenetur altare, quem sine Titulo ordinavit, Engel *h. t. n. 6.* & alii, *arg. cit. c. cùm sicut 8. de Consecr.* & ibi Glossa ℣. *Consecranda* intellige, si quid proprium habet; quia de bonis Ecclesiæ in simili casu dotare Ecclesiam non tenetur, ut bene ibidem addit Glossa, *quia delictum personæ in Ecclesiæ damnum non est convertendum, can. Si episcopum 3. caus. 16. q. 1.*

Tertia hæc conditio de constituenda Dote non requiritur in ædificatione Ecclesiæ Regularium mendicantium, nec in ædificatione Ecclesiæ Monasterii habentis sufficientes redditus; prout in simili cum Sylvestro, Azorio, & aliis diximus supra *T. XL. de Consecr. n. 6.* 10

IV. Regulariter requiritur, ut Ecclesia noviter ædificanda non vergat in præjudicium alterius Ecclesiæ, præsertim Parochialis. Barbosa *de offic. & potest. episc. alleg. 26. n. 1.* Pirhing *h. t. n. 1.* Engel *in Manuali Paroch. par 1. cap. 2. n. 5.* cum communi, *arg can. Ecclesiæ antiquitus 43. & can. Quicunque 44. caus. 16. q. 1.* ibi: *Omninò providendum est episcopo, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvatur* & *c. 1. de Novi operis nuntiatione* ibi: *Nulla Ecclesia in præjudicium alterius est construenda.* Hinc ante ædificationem Ecclesiæ novæ citandi, & audiendi sunt circumjacentes Rectores Ecclesiarum, præsertim Parochialis, ad audiendum, an nullum objicere habeant præjudicium, aut gravamen contra novam Ecclesiam; quod si eis inauditis Ecclesia nova ædificatur, possunt ii ædificanti novum opus nuntiare, eaque nuntiatione efficere, ut ab ædificio statim cessare, & post annuntiationem ædificata, propriis expensis destruere teneatur Ædificans, claris Juribus, *c. 1. & 2. de novi operis nuntiatione*, & ibi DD. communiter, atque Engel *loc. cit.* Præjudicium autem, quod alteri Ecclesiæ inferri potest, plerumque est damnum ex cohærentia ædificii, vel participatio sumptuum in constructione, aut consecratione: vel damnum sequens ex diminutione Decimarum, Oblationum, aut aliarum possessionum, vel jurium, ut post alios bene advertit Barbosa *de offic. & potest. episc. alleg. 26. n. 1.* item *lib. 2. Juris eccles. un. cap. 2. n. 14.* 11

Dicitur autem notanter *Regulariter*, quia dantur causæ, ob quas Ecclesia nova in præjudicium alterius etiam Parochialis Ecclesiæ ædificari potest; præcipue si ob nimiam distantiam, incolæ loci ad priorem Ecclesiam sine magna difficultate, præsertim tempore hyemali, aut cùm pluviæ inundant, venire non possunt; hoc enim in casu novam Ecclesiam Parochialem ædificari, vel jam extantem Ecclesiam pro Parochiali deputari per Episcopum etiam invitis Rectoribus antiquarum Ecclesiarum, ac in eorum præjudicium posse, imò & debere, expresse statuitur à Concilio Tridentino *Sess. 21. de refor. cap 4.* cujus textum lege suprà *Tit. XXXIX. de Paroch. nu. 4.* ac *c. Ad audientiam 3. h. t.* 12

Quæritur II. Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut Episcopus novam Parochiam ritè erigat? Resp. Plures requiri conditiones: veluti *Primò*, Justa causa, quia sine hac manet Regula generalis, quod intra limites unius Parochiæ alia ædificari non possit, ut bene observat Fagnanus *in c. Ad audientiam 3. h. t. n. 14.* Talis autem justa causa præcipua est nimia distantia Ecclesiæ Parochialis, seu nimia amplitudo Parochiæ, ita ut Parochiani ad Ecclesiam Parochialem pro Sacramentis percipiendis, & Divinis audiendis venire sine magna difficultate aut incommoditate non queant, prout expresse Concilium Trident. *loc. cit.* & *c. 3. h. t.* ubique DD. omnes, inter quos Fagnanus *loc. cit. n. 17.* bene advertit, non esse necesse ad sufficientiam hujus causæ, quod jam aliquando Parochiani sine Sacramentis decesserint, sed sufficere, si talis casus revera sit periculum, ut censuit Sac. Congregatio apud eundem Fagnanum ex ea ratione; *quia melius est occurrere in tempore, quam post exitum vindicare, L. 1. C. Quando lic. sine Judic.* item, *qui melius est intacta Jura servari, quam post causam vulneratam remedium quærere. L. fin. C. In quibus caus. in Integr. restit. non est necess.* Advertit tamen bene Abbas *in cit. c. 3. h. t.* quod cùm Concilium Trident. magnum incommodum, & *c. 3. h. t.* magnam difficultatem requirat, aliqualis aut modica difficultas non præbeat sufficientem causam, Parochiam divi- 13

dendi. Quæ autem sit magna incommoditas, aut difficultas, quæ etiam distantia, vel amplitudo sufficiens ad dividendum, relinquitur arbitrio Episcopi, uti ex S. Congregationis Decreto refert Barbosa *de offic. & potest. episc. alleg. 68. n. 2.* Fagnanus *loc. cit. n. 18. arg. c. de Causis de offic. deleg.* Similis causa etiam censetur, quando inter populum alicujus Villæ, & Parochialem Ecclesiam torrens, seu flumen intercedit, quod pontem non habet, nec vado pertransiri potest, quæ est etiam causa sufficiens sine distantia loci, ut *loc. cit.* notant Fagnanus, Barbosa *alleg. 68. n. 1. arg. cit. Concil. Trident. & c. 3. h. t.* undecunque enim populo proveniat magna difficultas percipiendi Sacramenta, & alia Divina, justa censebitur causa, cùm Concilium *l. c.* divisive loquatur, ibi: *Ob locorum distantiam, sive difficultatem*, consequenter utrumque sufficere aperte insinuet, *arg. c. Inter cæteras de rescr.*

14 Alia causa est, si Parochus cum suis Capellanis habitet intra mœnia Civitatis portis clausæ, & populus saltem de nocte non habeat accessum ad eum pro percipiendo Viatico, aut Extrema Unctione in casibus præsertim repentinis. Fagnanus, & Barbosa *loc. cit.* eò quòd currat hic eadem Juris ratio, consequenter etiam eadem Juris dispositio, *l. Non possunt ff. de Legib.*

15 *Secundò* requiritur, ut ante divisionem citetur, & audiatur Parochus antiquus, Fagnanus *loc. cit.* & alii cum Glossa *in can. Nulli 2. dist. 99. ℣. Constitui*; atque censuit S. Congregatio apud Fagnanum *loc. cit.* Licet enim possit Parochia dividi, etiam invito Rectore, seu Parocho antiquo *cit. c. 3. h. t.* & *Concil. Trid. loc. cit.* tamen citari, & audiri debet, sicut & alii, quorum interest, *arg can. Felix 50. & seq. caus. 16. q. 1.* Ratio est; quia dantur certa media, per quæ, si Rectores volunt, divisionem Parochiæ, & erectionem novæ, ex causa alias futuram impedire possunt; si enim Rector Ecclesiæ, vel alii interesse habentes se offerant, quod in distanti districtu velint competenter sustentare Sacerdotem Curatum, ad nutum Parochi amovibilem, ibique Ecclesia pro administrandis Divinis apta existat, vel construatur, ita ut Parochianis quoad Divina satisfieri commode queat, divisio Parochiæ antiquæ, & erectio novæ omitti potest, ut ex Lapo docet Fagnanus *loc. cit. n. 20* quam doctrinam probavit S. Congregatio apud eundem Fagnanum.

16 *Tertiò* requiritur, ut Parocho novo certus districtus assignetur juxta dicta *Tit. XL. n. 6.* *Quartò*, ut eidem Dos competens, seu sufficientes attribuantur redditus, textu claro *c. 3. h. t.* & *Concil. Trid. cit.* de quibus redditibus assignandis vide *Tit. XXX. de Decimis à n. 104. & Tit. XL. n. 6.* ac principaliter Concil. Trident. *Sess. 21. de refor cap. 4.* ubi inter alia disponit; quod si redditus pro utroque, antiquo nempe, & novo Parocho non essent sufficientes, posset Episcopus compellere populum ad subministrandum; & si hic ob inopiam succurrere nequit, tenebitur Abbas, vel Præpositus, aut alius, cui Ecclesia in temporalibus subest, Pirhing *h. t. n. 11 arg. c. Extirpandæ 30. prin. de Præb. & c. 2. §. fin. dist. 70.* Et tandem præfatis omnibus deficientibus Episcopus, si commode potest, Fagnanus *in c. Ad audientiam h. t. n. 32. can. Præcipimus 24. caus. 12 q. 1. & can. Præsulum caus. 16. q. 3.*

17 *Quintò* requiritur, ut Rectori antiquæ Ecclesiæ relinquatur jus præsentandi ad novam Parochiam, textu expresso *cap. 3. h. t.* ibi: *Ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ Majoris*; intellige, si ex redditibus antiquæ Ecclesiæ ædificata, aut dotata est nova, si enim nec ad constructionem, nec ad dotationem aliquid contulit Ecclesia antiqua, Juspatronatus non ei, sed quibus de jure competit, illis nempe, qui ædificarunt, dotarunt, aut fundarunt, uti benè observat Fagnanus *in cit. c. 3. h. t. n. 39.* & ibi Abbas *n. 9. & 10.* quos sequitur Pirhing *h. t. n 12.* atque probavit S. Congregatio apud Fagnanum *loc. cit.* contra Innocentium *in c. cùm venerabilibus de excep.* & Jo. Andream *in c. 1. de Capell. Monach. in 6.* Ratio est, quia Juspatronatus non acquiritur nisi dotatione, fundatione, aut ædificatione, per dicta superiùs *Tit. de Jurepatronat.* Nec obstat textus *c. 3 h. t.* quia censetur tantùm loqui de casu, quo antiqua Ecclesia aliquid contribuit, per verba; quia igitur *Ecclesia dicitur redditibus abundare.* Nec dicitur Ecclesia antiqua fundare novam ex eo; quod futuræ oblationes ex parte eidem decedant, & accedant novæ, ut *loc. cit.* notat Fagnanus.

Sextò requiritur quod Ecclesia nova teneatur antiquæ Parochiali exhibere competentem honorem, qui secundùm aliquos consistit in hoc, quod vel nova debeat antiquæ dare aliquem censum annuum moderandum arbitrio Episcopi, Fagnanus *loc. cit. arg. c. 2. de Censib.* vel quod debeat nova antiquam adire pro Baptismo; vel quia alia jura in erectione novæ Parochiæ sunt reservata antiquæ, Fagnanus *loc. cit.* & ibidem Abbas *n. 8.* 18

Septimò requiritur consilium & consensus Capituli. Fagnanus *loc. cit. n. 10.* & ibi Joan. Andreas, ac Hostiensis *n. 2.* Pirhing *h. t. n. 10.* cum Communi aliorum. Ratio est; quia divisio Parochiæ aliquam saltem secum trahit dismembrationem redituum ad antiquam Ecclesiam Parochialem pertinentium consequenter alienationem importat, quæ sine consensu Capituli fieri nequit, *c. cùm nos c. Tua c. Pastoralis de His, quæ fiunt à Prælat. sine consensu Capitul.* Accedit, quod ad unionem unius Ecclesiæ cum alia faciendam requiritur consensus Capituli, *Clem. si una eod. in 6.* ergo etiam in Parochiis dividendis, *arg. c. 1. de reg. jur.* ibi: *Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, & *l. Hæredes palam §. Si quis post. ff. de Testam.* 19

Limitat tamen Fagnanus *loc. cit. à n. 51* doctrinam *n. præc.* positam in casu, quo Episcopus dividit Parochiam subjectam Regularibus exemptis (prout etiam omninò potest teste Fagnano *loc. cit.* & Barbosa *de offic. & potest. episc. alleg 68. n. 6.* ubi ad hoc refert Declarationem Cardinalium) Ratio disparitatis est; quia divisionem Parochiæ non exemptæ facere potest, & facere censetur jure ordinario, sibi competente ex *c. Ad audientiam h. t.* divisionem verò Parochiæ Regularibus exemptis subjectæ, indeque suo modo exemptæ, non facit, nec facere potest jurisdictione ordinaria, sed delegata Summi Pontificis, per Concil Trident. *Sess 21. de reform. cap. 4.* ibi. *Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati &c.* Quando autem Episcopus procedit tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, non requiritur consensus Capituli, hoc ipso; quod Papa à Capitulo in nullo dependeat, uti *loc. cit.* benè discurrit, & hanc doctrinam amplius prosequitur Fagnanus, eumque sequitur Pirhing *h. t. n. 10.* & alii. 20

Tandem requiritur, ut Parochiam novam erigat Episcopus vel per se, vel per Vicarium Generalem dando eidem ad hoc speciale Mandatum; generale enim non sufficit, prout declaravit S. Congregatio apud Fagnanum *loc. cit. nu. 41.* 21

Quæritur III. Quoad secundam Tituli partem, quisnam debeat reparare Ecclesiam, casu quo ruinam minatur, vel omninò corruat? Resp. I. Ante omnia attendendam esse consuetudinem loci. Abbas *in c. 1. h. t. n. 3.* Engel *h. t. n. 8.* Barbosa *in c. 1. & 4. h. t. arg. c. Ad Apostolicam 42. de Simonia, & can. Decernimus caus. 10. q. 1.* 22

Resp. II. Speciali consuetudine non existente, Ecclesiæ reparari debent de ipsis Ecclesiæ redditibus, quos habent, *can. 1. & 2. caus. 10. q. 3* juncto Concilio Tridentino *Sess. 21. de refor. cap. 7.* & tenet Glossa finalis *in c. 1. h. t.* communiter recepta. 23

Resp. III. Si ipsa Ecclesia nullos habeat redditus, vel saltem non sufficientes ad reparationem, eam reparare, vel ad reparationem concurrere debent Rectores Ecclesiæ, Parochi nempe in Ecclesiis Parochialibus, & Beneficiati in Ecclesiis non Curatis: ad quod tamen etiam concurrere debent Patroni, nec non & alii; qui aliquid de Ecclesiæ fructibus accipiunt. De Rectoribus Ecclesiæ patet expresse ex *c. 1 h. t.* ibi: *Quicunque Ecclesiasticum Beneficium habent omninò adjuvent ad ecclesiæ tecta restauranda, ipsasque Ecclesias emendandas*, & *c. 4. eod.* ibi: *Qui Parochiales Ecclesias habent, ad reparationem ecclesiarum cogi debent:* & tenent in utrumque Capitulum DD. communiter. De aliis statuit novissimè Concil. Trid. *Sess. 21. de refor. c. 7.* per textum infrà *n. seq.* & quidem Patroni concurrere tenentur, etsi fructus aliquos ab Ecclesia non percipiant, ut docet Bellet. *Disquisit. Cleric. par. 1. de Clerico debitore §. 14. n. 11.* Barbosa *in Concil. Trident. Sess. 21. de refor. cap. 7. n. 8. & in cap. 4. h. t. n. 4.* contra Lambertin. & Pirhing *h. t. nu 20.* ubi citat Barbosam, sed minùs rectè, cùm hic contrarium doceat, *arg. Concil. Trid. loc. cit.* Ratio est; quia etsi Patronus aliquis redditus de Ecclesia nullos percipiat, habet tamen ab illa emolumentum, fructus nempe Jurispatronatus, vi cujus 24

habet honoratiorem locum, & alimenta in necessitate.

Circa obligationem Beneficiatorum reparandi ecclesiam, notandum, eos non nisi de redditibus Ecclesiasticis superfluis ad reparationem teneri, non autem de necessariis, nec de patrimonialibus, etsi hæc eis superflua forent, *arg. c. 4. h. t.* Bellet. *loc. cit.* & alii.

25 Resp. IV. Si ecclesia nullos redditus habet, Beneficiati non nisi necessaria, vel aliqua quidem superflua, sed ad reparationem insufficientia percipiant, Patroni item pauperes sint, tunc ad reparandam Ecclesiam tenentur Parochiani, qui in illa Ecclesia Sacramenta, & alia Divina percipiunt, & in quorum gratiam est reparanda: ita clarè statuitur à Concil. Trid. *Sess. 21. de reform. cap. 7.* ubi ordo obligationis reparandi hactenus specificatus habetur illis verbis: *Parochiales verò Ecclesias etiam si jurispatronatus sint, ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscunque ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacunque appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad Matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas, in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi.* Barb. *in cit. c. 4. h. t.* cum aliis existimat, deficientibus prædictis omnibus posse, ac debere recurri ad publicum ærarium Communitatis.

26 Porrò quæ diximus de Reparatione Ecclesiæ, intelligenda etiam sunt de Reædificatione, ac Refectione domus Parochialis, aut Beneficiati, ita ut qui, quando, & qualiter tenentur ad reparationem Ecclesiæ, iidem etiam teneantur ad reparationem Ædium Rectoris ecclesiæ, juxta Declarationem S. Congregationis, prout ex Barbosa *in cit. c. de his h. t. n. 5.* refert Pirhing *h. t. n. 16.* Idem Barbosa *in c. 1. h. t. n. 2.* Belletus *disquisit. Cleric. par. 1. tit. de Clerico debitore § 14. n. 4.* Surdus, & alii, quos sequitur Pirhing *loc. cit.* volunt, quod Parochi, sicut & alii Beneficiati, deficientibus redditibus ecclesiæ teneantur etiam ad procuranda & reparanda paramenta Ecclesiastica, puta, casulas, pluvialia, albas, calices &c. *arg. c. 1. h. t.* Ratio est: tum quia sine his Divina celebrari nequeunt; tum quia fabrica ecclesiæ, & præparatio Ornamentorum parificantur, *arg. c. fin. de Testament.*

27 Colliges, plane male agere illos Parochos, Canonicos, vel Beneficiatos, qui abundantibus provisi redditibus nil contribuere volunt pro paramentis Ecclesiasticis; licet videant, quod egens Ecclesia vel nullo, vel certè non sufficientes habeat redditus pro comparandis necessariis & decentibus paramentis, ex quo fit, quod non rarò videre sit ditissimos ex redditibus Ecclesiasticis Parochos, paramenta verò ecclesiæ deterrima, luridissima, ac insuper insufficientia, non sine scandalo plebis.

28 Circa reparationem Ecclesiæ illud speciale est, quod ad eam episcopus solus teneatur (si superfluos redditus habet, & nisi ipsa ecclesia redditus pro fabrica habeat, aut consuetudo aliud exigat) Barbosa *in c. 1. h. t. nu. 5.* Belletus *loc. cit. § 53. n. 12.* Pirhing *h. t. n. 19.* & alii communiter, *arg. can. decernimus caus. 10 q 2. & can. quatuor. caus. 12 q 2.* Quod si episcopus superflua non habeat, Canonici superfluos redditus habentes compelli possunt, *arg. c. fin. de his, quæ fiunt à Præl.* Doctores citati, & ibi Abbas *n. 7.* Et si hi superflua non habent, aut non sufficientia ad reparationem, compelli potest Clerus de superfluis redditibus; vel potest episcopus cum Capitulo deputare fructus Beneficiorum vacantium.

§. II.

De Ædificatione & Erectione Monasteriorum, Conventuum, & aliorum locorum Religiosorum.

S U M M A R I U M.

29 *In Ædificatione Monasterii observandæ sunt Constitutiones Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. quæ per extensum ponuntur.*

30 *Requiritur ad eam consensus Principis Territorialis.*

31 *Et Episcopi.*

32 *Qui ante consensum debet citare, & audire interesse habentes.*

33 *Inter quos etiam est Parochus loci.*

34 *Non potest ædificari Monasterium, vel alius locus Religiosus, nisi in eo velint, & commode possint habitare, & sustentari duodecim Religiosi.*

35 *Appellatio contra Ædificationem omnia suspendit.*

36 *Consensus Papæ ad ædificandum Monasterium olim ubique necessarius erat.*

37 *Nunc verò tantùm in Italia, & Insulis adjacentibus.*

38 *Non verò extra illam requiritur.*

39 *Probatur ex Declaratione Congregationis Cardinalium, & Rotæ Decisione.*

Consensus Episcopi ubi requiritur, non est necessarius consensus Papæ, & econtrà. Ibidem.

40 *Consensus Capituli non est necessarius.*

41 *Si verum præjudicium non adest, potest Episcopus etiam invitis aliis Religiosis, & interesse habentibus consensum dare: imò tenetur dare.*

42 *Potest Episcopus aliquando dare consensum aliis non citatis, & auditis: & quando?*

43 *Præjudicium ad impediendum novum Monasterium debet esse grave: & quale hoc? ac n. seq.*

44 *Diminutio numeri Religiosorum præexistentium an, & quando sit sufficiens ad impediendum? Et n. præced.*

45 *Præjudicia gravia unde probentur? Et n. seqq.*

47 *Hospitium quid, & quotuplex? an, & quando ad ejus erectionem requiratur Juris solemnitas? Et n. seq.*

49 *Forma procedendi, quam in causa erectionis Monasterii, Domus &c. servare debet Episcopus. Et n. seqq.*

50 *Non debet, nec potest dare consensum sine justa gravi causa.*

51 *Et nisi saltem duodecim sustentari possint, & velint.*

52 *Debet etiam citare interesse habentes: & quomodo?*

53 *Et eorum gravamina sibi proposita communicare ædificare volentibus.*

54 *Horum verò responsum amplius communicare non debet, sed si opus est, cuivis probationem imponere.*

55 *Per appellationem contra datum consensum, omnia suspenduntur.*

56 *Ædificatio Monasterii, Domus &c. contra formam Constitutionum facta, est nulla, nullumque jus habitandi ibidem tribuit.*

57 *Possunt ab eo Religiosi expelli.*

58 *Nisi jam præscripserint.*

Privilegium speciale Franciscanorum. Ibid.

59 *Episcopus contra præfatam formam consensum dans, mortaliter peccat, & nulliter agit.*

60 *Pœnæ Religiosorum contra dictam formā Domos ædificantium vel recipientium Monasteria, vel Domos &c.*

Quæritur I. Quid requiritur, & observandum sit in 29
Erectione novorum Monasteriorum? Res. Attendi ante omnia & observari debent novissima circa hanc materiam Decreta tria, videlicet Clementis VIII. quod incipit, *Quoniam ad institutam* editum 23 Julii anno 1603. quod reperitur in Tomo tertio Bullarii. Dein Decretum Gregorii XV. quod incipit, *Cùm aliàs*; & est in Bullario Romano, ordine 31. inter Constitutiones ejusdem Pontificis. Ac tandem Decretum Urbani VIII. editum 21. Junii 1625. ordine 45. inter Constitutiones hujus Pontificis, quæ per extensum hic subjungere placuit.

CLEMENS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam ad institutam Regularium locorum & personarum reformationem promovendam, & conservandam maximè pertinet, ut in quibusque Domibus & Monasteriis is tantùm numerus Religiosorum, qui commode ibidem ali possit, contineatur, ac eo pariter spectat, ut in quibusque Civitatibus & locis, novæ domus & Monasteria, præsertim Mendicantium non erigantur, nisi in eisdem Civitatibus & locis, aliarum domorum & monasteriorum in eis existentium habita ratione, commode sustentari posse dignoscatur.

§. 1. Hac igitur Nos consideratione ducti, & in præmissis pro nostro Pastorali munere opportunè providere volentes Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura consideratione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium super consultationibus & negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositorum, harum serie declaramus, locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus, cujusque Mendicantium Ordinis in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis & auditis aliorum in eisdem Civitatibus & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Provincialibus, & aliis interesse habentibus, & causa servatis servandis cognita constiterit, in eisdem Civitatibus & locis novos hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commodè sustentari posse.

§. 2. Si verò ab eorum in hujusmodi causis sententiis, ad Nos & Apostolicam Sedem provocari & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque à Nobis & Apostolica Sede in eadem causa pronuntiatum extiterit, irritum nihilominùs & inane decernentes, quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die 23. Julii, Millesimo Sexcentesimo tertio, Pontificatus nostri Anno 12.

GREGORIUS PAPA XV.
Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Cùm aliàs felic. rec. Clemens Papa Octavus decreverit, Ordinarios locorum licentiam ad novos Conventus cujuscunque, præsertim Mendicantium Ordinis in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos, impartiri non posse, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus & causa servatis servandis cognita, in eisdem civitatibus & locis novos hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commodè sustentari posse, constiterit. Si verò ab eorum sententiis ad Sedem Apostolicam provocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quamdiu à Sede dicta in ea causa pronuntiatum extiterit, ut aliàs prout in Decreto hujusmodi plenius continetur.

§. 2. Verùm per piæ mem. Paulum Papam V. accepto, pleroſque ex Ordinariis prædictis, favore, vel nimia exposcentium importunitate ad novos Conventus seu Domus, præter, & contra tenorem prædicti Decreti erigendos plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita eleemosynarum, seu redditum cujuscunque Monasterii, Conventus, seu Domus ratione, Monachi, seu Fratres, aut Religiosi ibi degentes, manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum Ecclesiis destituatur, ibique regularis disciplina, ut convenit, conservari non valeat, S. Congregatio Illustriss. DD. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium hujusmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, Decreti hujusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè & sufficienter expressis habens, Vivæ vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papa XV. habito, Decretum prædictum, quatenus opus sit, innovat, & in usum reducit.

§. 3. Volens, quòd de cetero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cujuscunque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & Instituti, quocunque nomine nuncupentur, etiam si de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset in quacunque Civitate vel Oppido, seu quocunque alio loco, non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutorum hujusmodi non solùm in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus regularis sic erigendi seu erigendæ, absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus anteà in Civitatibus, seu locis hujusmodi erectis degentium ibi in numero duodecim commode, & congrue manuteneri, ac ali posse. Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alii Regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores, quorum & consensum requirant, ac adhibeant, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut præmittitur, instituendis commodè alere & manutenere valeant.

§. 4. Si verò à decreto, seu decretis per Ordinarios prædictos in causis hujusmodi ferendis legitimè appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eandem Sacr. Congregationem una cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque hujusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernens, quibuscunque in contrarium facien. non obstantibus.

Romæ 17. Augusti 1622. &c.

Ant. Card. Saulius.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, cui Salvator, & Dominus noster, qui Charitas est, & Deus pacis, Universalis ecclesiæ reddidit Principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de causis, à Sede Apostolica concessa sunt; ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis, quibusvis præsertim personarum sub suavi religionis jugo, Altissimo famulantium paci, & quieti consulitur, litibusque ac controversiis inter eos obviam itur, revocat, & immutat, in hisque Pastoralis sollicitudinis, & providentiæ suæ studium interponit, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque, sicut Nobis innotuit, complures licentiæ suæ, sive facultates à nonnullis Roman. Pontif. Prædecessoribus nostris per diversos Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Superiores, seu alios eorum nomine, ubique locorum Monasteria, Domos, Collegia, Conventus & alia loca Regularia quovis nomine nuncupata, servata duntaxat Sacr. Canonum, & Concil. Trid. decretorum forma, de sola Ordinarii scientia, seu etiam forsan non servata forma, & absque licentia hujusmodi, & contra decreta à Sede Apostolica super præmissis edita, fundandi, erigendi, & instituendi importunis precibus, seu etiam Motu proprio, vel alias obtentæ, & extortæ fuerint: idcircò Nos, omnes, & quascunque licentias ac facultates hujusmodi, Literasque desuper tam sub plumbo, quam in hujusmodi forma Brevis desuper expeditas, eorumque tenores etiam veriores, & Dat. præsentibus, ac si specifico, & sigillatim exprimerentur, & insererentur, pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, justis de causis animum nostrum moventibus, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & quascunque licentias & facultates hujusmodi, literasque desuper tam sub plumbo, quam in eadē forma Brevis expeditas, omniaque & singula in eis quomodolibet contenta, & expressa, etiam quoad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, Collegiorum, Domorum, Conventuum, & aliorum regularium locorū hujusmodi, quæ suum nondum sortitæ sunt effectum, tenore præsentium perpetuò revocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus, viribusque, & effectu prorsus evacuamus.

§. 2. Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, cæterisque

personis, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, nec non officiorum quorumcunque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtin. nec non Excommunicationis ipso facto, incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per Nos, ut præfertur, revocatarum, & annullatarum, sive alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, & alia loca regularia hujusmodi nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus & per omnia Sacrorum Canonum, & Concil. Trident. nec non Constitutionibus fel. record. Clementis VIII. quæ incipit *Quoniam ad institutam*, dat. Romæ 1603. ac Decretorum de mandato ejusdem Clementis, nec non fim. mem. Gregorii XV. Roman. Pontific. Prædecessorum desuper editorum forma recipere, erigere, fundare, vel aliàs quomodolibet instituere, seu incæpta finire, & absolvere audeant, seu præsumant.

§. 3. Decernentes præsentes literas etiam ex eo, quod causæ, propter quas illæ emanarint, expressæ, vivificatæ, & justificatæ, aut quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, necque illis consenserint, vel aliàs ex quocunque capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, & impugnari, redargui, infringi, retractari, in jus vel controversiam vocari, ad terminos Juris reduci, aut contra eas quodvis gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse, sed eos, ac omnia, & singula in eis contenta semper, & perpetuò valida, & firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque & non aliter, per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuntios, quavis auctoritate fungen. sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archi Episcopis, Episc. & aliis locorum Ordinariis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque solemniter publican. facient illas, & illa ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, contradictores quoslibet & rebelles per cen. & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 5. Non obstan. præmissis, ac regula nostra de jure quæsito non tollen. & fe. me. Bonifacii Papæ VIII similiter prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum regularium etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, etiam Mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis & litteris Apostolicis, illis eorumque Superioribus, & personis sub quibuscunque ten. & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis ac irritan. & aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu proprio, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & sæpius innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis ten. specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium ten. præsentibus, pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, & illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Volumus autem, quod præsentes in valvis Basilicarum S. Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes quos illæ concernunt, ita arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

§. 7. Quodque earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 28. Augusti, M. DC. XXIV. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex quibus Decretis, sicut etiam ex Jure communi, ac Concilio Tridentino infrà allegando colligitur, sequentia necessaria esse, & observari debere in Erectione novi Monasterii.

I. Necessarius est ante omnia consensus Principis Territorialis. Ita contra Lezanam V. *Monasteria n.* 29. Barbosam *lib. 2. Juris Eccles. univer. cap. 2. numer. 2. & 3.* Hiacyntum Donatum *loc. cit. quæst.* 8. benè docent Marchant. *In notabilibus resolutionib. varior. Casuum.* Bruno Neusser *disp. 173. quæst.* 9. Ratio est; quia in Erectione novorum Monasteriorum semper interveniunt etiam quædam temporalia & politica, v. g. de fundo, de mediis, quibus sustentare se velint novi Religiosi; an non novum Monasterium in subditorum, vel Principis vergat gravamen; vel præjudicium, &c. in quibus haud dubiè loquendo, concedendi, judicandi, aut denegandi potestatem habet Princeps Territorialis, juxta illud Matth. *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Confirmatur praxi, ac consuetudine ubique vigente, quæ *est optima Legum Interpres, cap. 8. de Consuet. leg. 37. ff. de Legib.* quæ constat nullibi Monasteria ædificari posse absque Principis Territorialis consensu; imò pro hoc semper magis laborandum esse, quam pro consensu Reverendissimi Ordinarii. 30

II. Requiritur licentia Episcopi, in cujus Diœcesi Monasterii Erectio intenditur. Ita certa, & unanimis ob clara Jura, *canon. quidam Monachorum 10. can. 18. quæst. 2 ibi: Placuit neminem aut ædificare, aut construere Monasteria sine scientia ipsius Civitatis Episcopi.* Item *canon. de Monachis, ead. caus. & q. 2.* juncto Concilio Tridentino *Sess. 25 cap. 3. de regul.* ibi præcipitur *ne de cætero Monasteria erigantur, sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta.* Concordat etiam Jus Civile *Novell. 67 cap. Sancimus*: item novissima Decreta supra *n* 29. allegata: In quibus etiam certæ conditiones præscribuntur ad hoc, ut consensus Episcopi legitimè fiat, quas conditiones inter necessariò requisita secundùm ordinem hic recensemus: quapropter 31

III. Requiritur, ut, antequam Episcopus det consensum, alios Religiosos in illo loco, ubi novum Monasterium intenditur sicut, & in vicinia per quatuor millia passuum habitantes, ac alios interesse habentes citet, eisque intimet intentionem & petitionem ædificare volentium, & spatium, quo, si volunt, gravamina sua proponere & probare valeant. Unde ut conditioni huic satisfaciant Episcopi, hodie solent Decretum citationis ad Valvas Ecclesiæ illius loci, in quo Monasterium intenditur, affigere, & per illud omnes quoscunque interesse habentes generaliter citare, ac mandare ut, si quid opponendum habent, intra tempus in Decreto determinatum proponat; quo elapso non amplius forent audiendi. 32

Controvertunt hic aliqui, an inter citandos & audiendos etiam sint Parochi locorum? Passerinus siquidem *in cap. cùm ex eo de Excess. Prælat. in 6.* Pasq. *quæst. Moral. Jurid.* 521. & alii putant, eos nec citandos, nec audiendos esse. Verùm contraria opinio, videlicet, quod & Parochi ante consensum audiendi sint, probabilius ac Juri conformius videtur; prout sæpè decidit Rota teste ipso Passerino, & tenet Barbosa *de Offic. & potestat. Episc. Allegat. 26. numer. 5.* Hyacintus Donatus *Tom. 1. tract. 1. quæst. 15.* citans Guidonem Papam *decis.* 270. Novar. *in Praxi novi Juris Pontifici. Concl. 1. alias 10. nu. 1.* Idque probatur ex Bulla Clemen- 33

mentis VIII. *nu.* 29. allegata, ubi expresse prohibetur, ne Episcopus consensum præbeat, nisi priùs *vocatis*, & *auditis* Religiosis præexistentibus in tali loco, & NB. *aliis interesse habentibus*; atqui Parochi in hujusmodi causa etiam interesse habent, cùm contingere posset, quòd ex nova Monasterii constructione eorum oblationes aliave jura Parochialia ita diminuerentur, ut congruam sustentationem non amplius haberent. Confirmatur ex *cap. 1. de Novi operis nuntiat.* ubi universaliter prohibetur, ne Ecclesia aliqua (multò magis ne Monasterium) in alterius præjudicium ædificetur, & conceditur, quod quivis, præsertim Rector Ecclesiæ Baptismalis, vel Parochialis præjudicium patiens possit *novum opus nuntiare*: ergo.

34 IV. Requiritur, ut Episcopus ante consensum benè attendat, & examinet, an novi Religiosi saltem duodecim numero ex redditibus, aut consuetis eleemosynis sine aliorum præjudicio commodè sustentari valeant, & ibidem manere velint; si enim ex propria scientia, aut oppositione interesse habentium, aut ipsa confessione ædificare volentium perspectum haberet, ad minimum Duodecim Religiosos novos, alicubi vivere non velle vel sine aliorum Religiosorum, aut aliàs interesse habentium detrimento commodè sustentari non posse, consensum dare nullatenus posset, ita hodie unanimis ob claram dispositionem Bullæ Gregorii XV. suprà *nu.* 29. allegatæ, de quo vide etiam infrà *n.* 46.

35 V. Requiritur, ut si Religiosi priùs in loco vel vicinia existentes, vel etiam alii interesse habentes à sententia aut consensu Episcopi legitimè appellent ad Sedem Apostolicam, à die appellationis interpositæ totum negotium suspensum relinquat Episcopus, ita ut intereà Religiosi ædificare volentes penitus nil innovare, multò minùs Ædificium incipere, aut materialia convehere vel possessionem capere valeant, nec Episcopus permittere, ut ullo modo se amplius immiscere possint, donec sententia à Curia Romana, ad quam mediante appellatione negotium volvitur, feratur, rursus omnes ob clarum textum Bullæ citatæ Gregorii XV. §. *fin.* Dicitur autem *legitimè*, uti & notanter id dicit in suo Decreto Gregorius XV. quia si illegitimè, id est, non in debita Juris forma appellarent alii Religiosi, vel interesse habentes, possunt Religiosi ædificare volentes consensum episcopi consecuti, non obstante hujusmodi illegitima, aut frivola, seu frustratoria appellatione Ædificium liberè licitè, ac validè incipere, argumento à sensu contrario, ac etiam desumpto ex dictis *lib. 2. Tit. 28. de Appellatione.*

36 Quæritur II. An ad ædificanda Monasteria etiam consensus Summi Pontificis requiratur? Resp. I. Loquendo de Jure communi ante Concilium Tridentinum, consensus Summi Pontificis ad erigenda Monasteria Mendicantium necessarius erat. Ita clare statutum habetur *cap. un. de Excess. Prælat. in 6. cap. un. h. t. in 6.* Dixi *Mendicantium*; quia ad erigenda alia Monasteria non Mendicantium, nullibi etiam in Jure antiquo reperitur consensus necessarius, quidquid in contrarium dicant Riccius, Zerola V. *Monasterium*, Hyacint. Donatus *de Ædificandis Monast. Tom. 1. tr. 2. q. 13.*

37 Resp. II. In Italia, & insulis adjacentibus, etiam post Concilium Tridentinum ad cujusvis Monasterii ædificationem necessarius est specialis consensus Summi Pontificis. Communis ac certa, ob expressam, & novissimam Constitutionem Innocentii X. *Instaurandæ* editam pro Italia, & adjacentibus Insulis annis 1652.

38 Resp. III. Extra Italiam, & Insulas adjacentes post Concilium Tridentinum nullus requiritur consensus Papæ; sed sufficit solus consensus Episcopi. Ita hodie communis, signanter Hyacint. Donatus *loc. cit. quæst.* 14. Farinacius *Tom. 2. §. 2. decis.* 745. Passerinus *in cap. un. de Excess. Prælat. in 6. à n.* 11. rem egregiè probans, Fagnanus *in cap. Non amplius num. 66. de Institut.* Neusser *disp. 173. n. 24.* Sorb. *vers. Ædificare in Annot.* Navar. Bordonus, & alii, contra Barbosa *de offic. & potest. Episc. Alleg. 26. n. 4.* Fundamentum responsionis est; quia hoc ipso, quod Concilium Tridentinum *Sess. 25. de regul. cap. 3.* solum Episcopi consensum ad erigenda Monasteria requirat, implicitè revocat Constitutionem Bonifacii VIII. *c. un. de Excess. Prælat.* Confirmatur I. Ex novis tribus Decretis suprà *nu.* 29. citatis, in quibus penitus nulla facta mentione de consensu Pontificis, solus requiritur consensus Episcopi. Nec obstat, quòd in Decreto Urbani VIII. dicatur, Erectiones novorum Monasteriorum fieri debere servatis SS. Canonibus (vi quorum requiritur consensus Papæ *cap. un. de Excess. Prel. & cap. un. h. t. in 6.*) Concilio Tridentino, ac Decretis. Resp. enim, etiam Canones observari debere in eo, in quo correcti non sunt à Concilio Tridentino; quæ responsio etiam ex contenenda videtur, quia per eam fit regressus ad Jus magis antiquum à Bonificio VIII. *in cit. cap. un. h. t. in 6.* revocatum, vi cujus olim solum consensus Ordinarii sufficiebat ad ædificanda Monasteria nova *canon. de Monachis 12. & seqq. caus. 18. quæst. 2.* Eandem responsionem magis adhuc deducit Passerinus *loc. cit. n. 14. & 15.* Confirmatur II. Ex Bulla Innocentii X. *Instaurandæ*, ubi novam Constitutionem faciens decernit, ut in Italia & Insulis adjacentibus nova Monasteria non erigantur absque Sedis Apostolicæ expressa licentia; ergo à sensu contrario extra Italiam dicta licentia non requiritur.

Confirmatur III. Ex Declaratione S. Congregationis quam pro Conclusione *n. præced.* posita *loc. cit.* refert Fagnanus, ubi etiam refert, se Secretarium S. Congregationis multas approbasse Erectiones Monasteriorum de solo consensu Episcopi absque licentia Papæ factas: Et certè id ipsum fieri, & passim practicari videmus in Germania. Illud etiam ex Passerino, ac Fagnano citatis notandum, quòd ibi, ubi ad erigendum Monasterium requiritur, vel acquiritur consensus Pontificis consensus Ordinarii necessarius amplius non sit, quia hic in illo eminenter continetur: & ubi requiritur, & habetur consensus Ordinarii, necessarius non sit consensus Papæ, & econtrà, prout etiam sæpè declaravit S Congregatio teste Fagnano *loc. cit.* Pro confirmatione ulteriori facit etiam decisio Rotæ apud Farinac. *l. c.* quæ est sequentis tenoris. 39

Fuit resolutum, sententias de partibus esse confirmandas, cùm approbet licentiam datam ab Ordinario Cæsaraugustano erigendi novum Collegium Mendicantium Discalceatorum inibi Missas celebrandi, & Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum retinendi, quam quidem licentiam ille concedere potuit: nam licèt pro erigendo novo Regularium Collegio, seu Monasterio, olim requireretur specialis Sedis Apostolicæ licentia, c. 1. de Excess. Prael. in 6. & Clem. Cupientes de pœnis, hodie tamen hujusmodi facultas fuit Ordinariis attributa per Sacrum Concil. Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 3. in finem, renovatur per particularem Constitutionem fælicis recordationis Clementis VIII. in qua præscribitur forma Ordinariis circa hujusmodi licentias concedendas, quæ fuit ad unguem observata per Ordinarium Cæsaraugustanum, cùm citaverit omnes Conventus Mendicantium, & sibi constiterit, nullum eis posse ex nova Collegii erectione præjudicium inferri, ex quo redditus illi relicti per Ugonem de Vicis in pecunia numerata, & frumento, sufficiunt ad congruam sustentationem Collegialium, qui propterea non cogentur mendicare, & consequenter non diminuent eleemosynas aliorum Mendicantium, nec aliud eis damnum inferent.

Quibus non obstat, pro erectione hujusmodi Collegii, concurrere requisita in c. ad Audientiam de Eccles. ædificiendis 1. & in Conc. Trid. Sess. 21. c. 4. de refor Quia prædicta Jura loquuntur de erectione novæ Parochialis, non autem Collegii, seu alterius Ecclesiæ non Parochialis.

Minùs obstat, quod erecto isto Collegio, Christi fideles poterunt in illius ecclesia eligere sepulturam, facere celebrari Missas, & Anniversaria, quod redundat in præjudicium Ecclesiæ del Pilar in prædicta hucusque facta fuerunt; quia negatur hujusmodi præjudicium, cùm simus in facultativis, ex quo potest quis ad libitum ubilibet pia opera facere, & sibi sepulturam eligere, c. 1. de Sepul. & in omnem eventum, tale præjudicium non esset considerabile, ad effectum impediendi novi Collegii erectionem, juxta doctrinam Bartoli in l. Quominùs &c.

Ultrà quod prædicta Constitutio Clementis consideravit tantummodo præjudicium, quod potest inferri Ecclesiis Fratrum Mendicantium, ne propter eleemosynas erogandas in novum Collegium, detrimentum patiantur, non autem aliis Ecclesiis.

40 Quæritur III. An Episcopus inconsulto Capitulo solus dare possit licentiam ædificandi Monasterium? Resp. Affirmative Bruno Neusser *loc. cit.* & alii. Ratio est; quia nec Canones, nec Concilium Tridentinum, nec Decreta nova ullam faciunt mentionem de Capitulo, sed solùm exigunt Episcopi consensum. Confirmat praxis, & consuetudo, *quæ est optima Legum interpres c. 8. de Consuet.* ubique recepta, ut proin immeritò & absque omni fundamento contrarium asseratur; nisi forsan Capitulum interesse haberet vel vi capitulationis legitimè factæ consensus ejusdem haberi deberet; tunc enim secùs foret; quamvis etiam interesse habens non attenderetur, si absque causa rationabili contradiceret.

41 Quæritur IV. An si alii Religiosi, Parochus, vel incolæ contradicant Erectioni Monasterii, valeat nihilominùs consensus Episcopi? Resp. Affirmativè, si absque causa rationabili contradicunt, vel gravamina, seu præjudicia gravia, vel oppositiones, quas faciunt, probare non possunt. Passerinus *loc. cit. n. 51.* Hyac. Donatus *par. 1. tr. 1. q. 28.* Navar. *in praxi novi juris Pontifice concl. 2. alias 11. n. 4.* Ratio est: quia cessante causa finali, cessat Legis dispositio, *c. cùm cessante de Appell.* sed causa finalis requirendi consensum aliorum interesse habentium est, ne nulli præjudicium generetur; ergo ubi præjudicium abest, causa Legis, consequenter Lex ipsa cessat. Nec obstat, quod in Decretis tribus novissimis *n. 29.* allegatis requiratur consensus aliorum Religiosorum, ac Interesse habentium. Nam contra est, quod Decreta illa intelligenda sint in casu, quo ex nova Erectione antiquis verum ac notabile præjudicium & gravamen emergeret, aliàs certo solo nudo dissensu impedire possent novas Erectiones, absque eo, quod gravamen aut præjudicium suum probarent, quod tamen necessariò fieri, praxis ubique demonstrat; ac insuper illud docet, quod, si oppositiones resistentium, per ædificare volentes debitè solvantur & refutentur, dissensus eorum minimè attendatur. Hinc Pius V. in Bulla *Etsi Mendicantium*, quæ est in Bullario Cherubini 41. Constitutio dicti Pontificis, §. 23. mandat, ut causæ contra Erectionem novi Monasterii propositæ, Superioribus regularibus ædificare volentibus pro defensione, ac responsione sua manifestentur. Prout etiam Marchant. *loc. cit.* benè observat, simulque ex eadem Bulla addit, Episcopum omninò teneri dare consensum, si legitima negandi causa, vel præjudicium notabile aliorum non subsistat: ait namque Bulla *loc. cit. Licentia pro construendis Domibus Regularibus, quæ c. 3. Sess. 25. nisi de Ordinarii licentia construi prohibentur, gratis omninò dari, & non nisi legitima subsistente causa Superioribus explicanda, illas recusari posse.*

42 Porrò notat insuper Passerinus *loc. cit.* Navar. *loc. cit.* Franch. *par. 1. n. 419.* & alii posse Episcopum dare licentiam ædificandi Monasterium, etsi præexistentes Regulares, aut alias interesse habentes non citet, nec audiat, casu, quo eidem aliunde satis constet, noviter introducendos Regulares saltem duodecim numero sine aliorum præjudicio commodè sustentari posse. Ratio est, quæ priùs; quia nempe causa finalis, ob quam aliàs citandi, & audiendi forent, cessat, evitatio videlicet præjudicii: quod ipsum etiam clarè indicat Gregorius XV. in sua Constitutione, §. 3. ubi in sensu divio prohibetur Episcopis, dare licentiam, seu consensum ædificandi, nisi priùs citent, & audiant Religiosos ibidem, aut in vicinia præexistentes, & alios interesse habentes: vel NB. *eisdem aliàs constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus sic erigendi absque detrimento religiosorum in Monasteriis, seu Domibus ante in Civitatibus, & locis hujusmodi erectis degentium ibi in numero duodecim commodè, & congrue manuteneri & ali posse.* Monent tamen DD. consensum ab Episcopo aliis non auditis facilè non esse dandum, nisi evidenter constet, novam Monasterii Erectionem nulli esse præjudiciosam.

43 Quæritur V. Quale debeat esse, & unde probari valeat præjudicium, vel gravamen præexistentium Religiosorum, aut aliorum interesse habentium? Resp. I. Ad hoc, ut præjudicium vel gravamen aliorum sit relevans ad impediendum Monasterium, non sufficit quodvis leve, & modicum, sed debet esse grave, quale præcipuè foret, si ex nova Erectione Monasterii, præexistentes Religiosi in numero duodecim amplius sustentari non possent. Bruno Neusser *disp. 173. q. 22.* Passerinus *Inv. jur. de Excess. Prael. in 6. n. 56.* qui cum aliis infert ordinariè loquendo, non esse sufficientem causam, nec sufficiens præjudicium ad impediendum novum Monasterium, etsi ex ejus Erectione alii Religiosi in illo loco, seu vicinia priùs existentes, tantum concursum non amplius habeant ad suas Ecclesias, minorem accipiant eleemosynam, debeant aliquantum diminuere numerum suorum Religiosorum. Præsertim si Religio de novo introducenda est de illis, quæ maximè incumbunt, & quam studiose laborant, ut populum promoveant ad frequentationem Sacramentorum, orationum & nedum exemplo, sed etiam prædicationibus, exhortationibus, consiliis, doctrinis, Confessionum exceptionibus &c. fideles inducunt ad exercitium virtutum, & fugam vitiorum, eorumque salutem animarum zelant, ac promovent. Ratio est; quia cultus Divinus, & favor spiritualis populis ex ita circumstantionata nova Erectione Monasterii prævalet uberiori sustentationi, aut superabundanti numero aliorum Religiosorum præexistentium, præcipuè, ubi hi in promovendo cultu Divino, & salute animarum tam excellentes, aut fructuosi, ac noviter introducendi non cognoscuntur. Uti benè discurrit Passerinus *loc. cit.*

44 Quod si verò ex nova introductione redditus aut eleemosynæ ita diminuendæ prudenter timerentur, ut præexistentes nec duodecim amplius commodè ac congruè sustentari possent, haud dubiè præjudicium grave, & ad impediendum novum Monasterium, sufficiens foret prout *loc. cit.* fatetur Passerinus, & conveniunt omnes ob novissimas Constitutiones *n. 29.* allegatas. Pariter esset præjudicium grave, si prioribus in eodem loco, vel intra viciniam debitam in longa possessione majoris numeri existentibus Religiosis per novam Erectionem Monasterii, eorum redditus, aut eleemosynæ ita diminuerentur, ut numerum Religiosorum notabiliter, etsi non infrà duodenarium numerum reducere deberent; præsertim si in præexistentibus Conventibus Novitiatus, aut studium habetur, ex nova Erectione amovendum: quia tunc nec æquitas, nec justitia admitteret ut cum tanto detrimento antiquorum, lucrum admitteretur novorum: uti *loc. cit.* benè advertit Passerinus, cùm cæteris paribus melior sit conditio agentis de damno, quam agentis de lucro quærendo per vulgaria Juris.

45 Rursus etiam modica reductio numeri Religiosorum præexistentium sufficiens erit causa, & præjudicium impediendi novum Monasterium, si constat, præexistentes Religiosos tum vi Professionis ac Regulæ suæ; tum exemplaris, zelosæ, & in vinea Domini laboriosæ vitæ: tum scientiæ ac doctrinæ pro gloria Dei, & animarum salute plus condocere, quam noviter introducendos; debet enim, ait Passerinus *loc. cit. n. 68.* Episcopus principaliter etiam attendere ad utilitatem locorum in ordine ad cultum Divinum, & ad instructionem, inductionem, & auxilium Fidelium, ad sequelam virtutum, & fugam vitiorum: quæ utilitas ex nova Erectione subinde potest esse tanta, ut non sit magnificandum præexistentium detrimentum in abundanti numero, vel eleemosyna: subinde verò tam levis modica aut nulla ut nova Erectio concedenda non sit, licèt detrimentum præexistentium zelosorum Religiosorum non sit multum grave. Accedit, quod Monasteria de facili non sint multiplicanda, ac nova erigi non valeant sine causa gravi qualis est magna spiritualis utilitas populi, aut Religionis noviter introducendæ, non item sola Religiosorum, aut Conventuum, eorundem multiplicatio, prout cum communissima aliorum benè docet Bruno Neusser *disp. 173. q. 15.* Donat. *tom. 1. tr. 1. q. 7.*

46 Resp. II. Præjudicii gravitas optimè probatur, & demonstratur per experientiam à præterito: quando enim constat, quod Religiosi præexistentes hactenus vix & ægre in numero debito sustentari potuerint de consuetis eleemosynis, benè inferre licebit; ergo venientibus aliis pariter de eleemosyna viventibus & ob mendicationem suam portiones eleemosynæ minuentibus, amplius sustentari haud valent in numero debito. Unde ad propositum benè argumentatur Laurethus de Franchis in Controversia *Episc. & Regul. part. 1. numer. 421. & seq. Quando præexistentes Religiosi*

ægre sustentantur, facit evidens argumentum quod de novo introducendi non poterunt commode sustentari absque aliorum detrimento, nam quælibet eleemosynarum divisio stante ægra sustentatione erit notabile detrimentum ubi singulariter notat terminum *commodè*, quia non sufficit, quod Religiosi qualitercunque sustentari valeant, sed requiritur, ut constet eos *commodè & congruè* sustentari posse, prout expresse habetur in Bulla Clem VIII. & Gregor. XV. Quapropter si prudenter licet colligere, antiquos, vel novos Religiosos in debito numero *commodè, & congruè* sustentari non posse, consensus ædificādi dari nequit.

47 Quæritur VI. An hactenus recensita Decreta Pontificia, ac Juris dispositiones comprehendant etiam Hospitia, domos, residentias &c. Religiosorum? Resp. I. Hospitia propriè dicta, idest, illa, in quibus Regulares transeundo tantùm divertunt, ibique diu non manent, & in quo Ecclesiam non habent, campanas non pulsant, Missas non recipiunt, eleemosynas non quærunt, Divina non celebrant, Sacramenta aliis non administrant &c. non comprehenduntur in dictis Decretis, ut proin talia Hospitia sine ullo consensu Episcopi, vel aliis solemnitatibus comparare vel emere, vel etiam erigere possint Regulares. Donatus *loc cit. q. 21.* Passerinus *loc. cit n. 37.* Bruno Neusser *disp. 173. q. 7.* Franch *par. 1. n. 414* Navar. *de novo Jure Pontificio, Tit. de ædificat. Concl. 2. alias 11.* cum communi aliorum. Talia Hospitia plura habentur Monachii à quibusdam Monasteriis adjacentibus, ad hunc præcipuè finem ibidem constituta ut venientes Monachiom talium Monasteriorum Regulares in diversoriis, aut aliis Religioso minùs accomodis locis divertere non cogantur, sed aptum pro habitatione religiosa ad tempus, habitaculum habeant. Ratio est; quia hujusmodi Hospitiis cessat omnis ratio Legis præjudicium nempè aliorum Religiosorum, vel interesse habentium: consequenter etiam ipsa Lex, *arg. c. cùm cessante 60. de Appellat.* Bruno Neusser, & alii communiter.

48 Resp. II. Hospitia impropriè dicta, item Domus, Residentia, Collegia, & quæcunque alia loca quocunque nuncupata nomine, in quibus Religiosi non solùm transeundo divertunt, sed etiam perpetuò aut diu manent, ibique Ecclesias proprias habent, & campanas pulsant, vel Divina administrant, vel Missas votivas pro eleemosyna recipiunt, aut eleemosynas quærunt &c. omnino comprehenduntur in dictis Decretis, ita ut eædem ad illa erigenda requirantur solemnitates, quæ ad Monasteria, consequenter erigi non possunt sine consensu Ordinarii, qui eum dare nequit, nisi priùs citet, & audiat ibidem, vel in vicinia existentes Religiosos, & nisi eidem constet, quod in tali Hospitio, vel Domo &c. saltem duodecim numero sine gravi aliorum præjudicio *commode*, & *congrue* sustentari valeant: prout diximus de Monasteriis. Donatus *l. c.* Bruno Neusser *disp. 174. par. 7.* Landuscha *V. Conventus n. 7* Passerinus *l. c. n. 37.* cum communi aliorum. Ratio est: quia in his non minùs, ac in Monasteriis militat Legis ratio, consequenter etiam ejusdem dispositio, *arg. l. Ideò ff. de Legib.* Confirmatur ex Bulla Urbani VIII. suprà *n. 29.* allegata ubi per Constitutiones Prædecessorum Clementis VIII. & Gregorii XV. atque dispositionem Concil. Trident. & Juris communis, non tantùm Conventus, & Monasteria, sed etiam *Domos, Collegia, & alia loca Regularia quovis nomine nuncupata* (consequenter etiam Hospitia, aut Residentiæ intitulentur) comprehendi, expresse declaratur. Hinc teste Brunone Neusser *loc. cit.* Alexander VII. per speciale Breve declaravit, PP. Capucinos Provinciæ Aragoniæ non posse habere locum, Hospitium, Domum, habitationem &c. cum præjudicio Franciscanorum; similiter contra PP. Capucinos decidit Rota 1661. 24. Januarii.

49 Quæritur VII. Qualem formam procedendi observare debeant Reverendissimi Ordinarii in causa Erectionis novi Monasterii? Quamvis ex dictis jam pateat ad hoc quæsitum, nihilominùs pro majori claritate breviter recapitulando, & formam in compendio dando. Resp. Licet necesse non sit, ut Episcopus formet integrum Processum, servata plena Juris forma, & servatis Regulis, ac scrupulis aliarum causarum, nihilominus quædam necessariò observare, & juxta præscriptum Concil. Trident. SS. Canonum & *n. 29.* allegatarum Constitutionum novissimarum Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. pro hac materia editarum procedere debent. Ea propter his conformiter, si qui Religiosi ab aliquo Reverendissimo Ordinario consensum petunt erigendi Monasterium, aut Hospitium, Domum, Residentiam, aut aliam habitationem stabilem, in qua vel Ecclesias, & campanas habent aut Missas votivas recipiunt, aut eleemosynas quærunt &c. juxta dicta *n. 48. Primò*, & ante omnia videre debet, an petentes jam habeant consensum Principis, aut Domini Territorialis; quamvis enim Ordinarius absque illo suum dare possit consensum; tamen quia etiam Principis Territorialis consensus requiritur ad Ædificationem juxta dicta *n. 30* hinc ad evitandas tricas, & alia inconvenientia expedit, ut Ordinarius petentes non audiat, nisi habeant & exhibeant consensum Principis, & Domini Territorialis.

50 *Secundò* videre, & examinare debet, an & qualis adsit, & allegetur causa novæ introductionis: si enim nulla reperitur, vel allegatur causa gravis (qualis esse potest moralis necessitas populi, aut magna ejusdem utilitas ex frequentatione Sacramentorum, aliisque mediis spiritualibus ex nova introductione populo certò oritura) sed tantùm intendi videtur multiplicatio novorum Religiosorum, aut major eorum commoditas, Communitate aliis Religiosis, aut sufficientibus Pastoribus, aliàs jam sufficienter provisa, petentibus illicò negativam dare expedit absque ulteriori citatione aliorum cùm juxta dicta *nu. 45.* Monasteria nova erigi non valeant sine gravi causa.

51 *Tertiò* videre, & considerare debet, an duodecim saltem numero novi Religiosi sine gravi præjudicio commodæ ac congruæ sustentationis præexistentium ac vicinorum Religiosorum *commodè*, ac *congruè* sustentari valeant & velint. Nam si noviter introducendi Religiosi ipsimet pro minori numero in novo loco habitare non vellent aut sine aliorum præjudicio se non posse fatentur, aut idem aliunde constaret, deberet Reverendissimus sine ulteriori aliorum citatione consensum illicò negare, & petitionem rejicere juxta dicta *n. 34.* & claram dispositionem Gregorii XV.

52 *Quartò* debet citare omnes Religiosos in loco futuri Ædificii, ac in vicinia debita existentes; nec non Parochum loci, & alios interesse habentes: quod facere potest, vel per plura specialia Decreta, vel per unum generale ad Valvas Ecclesiæ loci, in quo intenditur nova Ædificatio, affixum, in quo universaliter citentur omnes interesse habentes, juxta dicta *n. 32. & seq.* Forma citationis in substantia potest esse sequentis Tenoris.

Præmisso Reverendissimi Ordinarii Titulo.

Omnibus & singulis notum hisce facimus; quod P. Provincialis N. N. Religionis N. N. (vel si alius loco Religiosorum sollicitat, exprimatur ipse) *obtento priùs & Nobis exhibito Principis &c. consensu ædificandi in loco N. N. Monasterium, vel Domum, aut Hospitium &c. à nobis quoque necessarium consensum ex ea causa* (exprimatur causa) *flagitet ea propter omnes & singulos interesse habentes, vel habere putantes* (si vult, potest aliquos in specie exprimere dicendo v. gr. specialiter *aut hos, aut illos Religiosos, hoc aut illud Capitulum, loci Parochum, & Incolas*) *canonicè ac peremptoriè citamus, ut à die affixionis hujus Decreti nostri citatorii infra &c.* (assignetur tempus v. g.) *triginta dies compareant, & si quæ habent gravamina, in scriptis redacta nobis proponant, post præfatum tempus elapsum non amplius audiendi.* Publicato per affixionem citatorio Decreto, si qui ex causa rationabili impediti prolongationem termini petant eisdem concedere debet.

53 *Quintò* debet Reverendissimus Ordinarius gravamina sibi per interesse habentes in scriptis proposita communicare ædificare volentibus juxta dicta *nu. 41.* & Bullam Pii V. ibidem citatam §. 23. ubi præcipitur Reverendissimis Ordinariis, ut si consensum negare velint, causam legitimam negandi Superioribus ædificare volentibus manifestent, consequenter si gravamina pro causa negandi consensum, per interesse habentes proponuntur, ea dictis superioribus manifestare debebit. Et meritò: cùm enim in ædificationis negotio plerumque aliqua ex malo supposito, aut sinistra informatione, nonnunquam ex privato nimio interesse, subinde etiam ex aliqua aversione, & passione erga noviter in-

troducendos Religiosos proponantur, æquum omninò apparet, & justè à Pio V. statutum est, ut hæc Superioribus ædificare volentibus communicentur, quatenus exinde modesta responsione, & exceptione quædam dilucidare, quædam dissolvere, atque, ubi opus est se & suam Religionem defendere, famamque tueri vel gravi præjudicio reverà subsistente religiose acquiescere & causam deserere prudenter valeant. Secùs enim inauditi condemnari inauditique adversum sibi judicium non sine injuria pati viderentur.

54 *Sextò* habitis ex omni parte gravaminibus propositis & responsionibus, seu exceptionibus desuper factis non amplius est necesse, nec decet ut exceptionem, seu responsionem ędificare volentium denuò pro replica communicet interesse habentibus; sed si gravamina opponentium, vel exceptionem, ac responsionem ædificare volentium in nuda assertione consistere deprehendat, decerpat ex Scripturis puncta, vel articulos, & quatenus opus est, asserentibus probationem imponat dando cuivis sufficientem ad probandum terminum. Quo elapso juxta allegata, & probata judicet, ac determinet. Si verò statim ex prima oblata oppositione, & desuper factis responsione, aut exceptione gravamina reverà subsistere, & probata videt, illicò sine ulteriori communicatione consensum neget: vel econtrà concedat, si gravamina non subsistere, sed deficere deprehendit; sciendum namque, quòd legitima negandi causa, seu gravamine non existente, Ordinarius consensum dare teneatur, juxta dicta *n.* 42. Quod si Episcopus consensum negat, causam negandi Superioribus ædificare volentibus manifestet, per textum Bullæ Pii V. *n.* 42. citatum.

55 *Septimò*, si dato per Reverendissimum Ordinarium consensu ædificandi Religiosi præexistentes vel alii interesse habentes *legitimè* appellent; totum negotium ad S. Congregationem illicò devolvitur, nec ullo modo Ordinarius se amplius immiscere potest, nec Religiosi Ædificium incipere, nec possessionem accipere, nec materialia convehere, nec aliud quidquam ad propositum aggredi valent, per dicta *n.* 35. ex Bulla *Gregorii XV. §. fin. & Clementis VIII.* Dicitur autem notanter *legitimè* ob dicta *num.* 35.

56 Quæritur VIII. Quid Juris, si Monasteria, Domus, Residentiæ, aut alia loca Religiosa contra hactenus traditam Formam *Constitutionum Pontificiarum n.* 29. allegatarum, & *Concilium Tridentinum* erigantur? Et quæ pœnæ concedentium, & erigentium? Resp. I. Omnis ædificatio, aut Erectio præfatorum locorum Religiosorum una cum omnibus pro eadem conducentibus est nulla, irrita, & inanis, nec aliquod jus tribuit recipientibus, erigentibus, seu ædificantibus Religiosis ibidem habitandi, aut manendi. Ita hodie unanimis ob Decretum irritans præfatis Constitutionibus appositum, quamvis enim in Bulla Clementis VIII. & Gregorii XV. solùm irrita declarentur & nulla, quæ fiunt & attentantur post Appellationem interpositam, tamen quia Urbanus VIII. absolute ac indistinctè irritum, nullum ac inane declarat, quidquid contra formam præfatarum Constitutionum fieri quovis prætextu, vel causa contigerit, Conclusio verificatur non solùm de attentatis post Appellationem, sed etiam de factis ante Appellationem, imò etsi nulla Appellatio insinuetur, ut *loc. cit. n.* 71. bene observat Passerinus, & clare patet ex citata Bulla *Urbani VIII.*

57 Resp. II. Ordinarii locorum potestatem habent Religiosos quoslibet contra sæpè dictarum Constitutionum formam ac requisita, Monasterium, Domum, aut aliam habitationem Regularem perpetuam alicubi ædificantes, aut erigentes, aut recipientes abigere, repellere, eos etiam *per censuras, & pœnas ecclesiasticas aliaque opportuna juris, & facti remedia, Appellatione postposita compescendo, invocato etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis*, ita expresse statuit Urbanus VIII. in Bulla *num.* 29. allegata, conveniuntque ob claritatem textus DD.

58 Limita tamen Conclusionem in casu, quo Religiosi Monasterium, Hospitium, Domum, aut alium locum Religiosum tamdiu jam possident, ut Præscriptioni sit locus; vi hujus enim sicut alia, ita & loca regularia minùs legitime acquisita, legitimè retineri valent: cùm Præscriptio horum nullibi prohibita videatur. Quantum autem ad eam tempus requiratur, desume ex dictis *l.* 2. *tit. de Præscrip* Illud etiam specialiter hic addendum, quòd Fratres Minores Regularis Observantiæ vi Concessionis à Sixto V. factæ, possint loca quæcunque & qualitercunque recepta, & acquisita, licite ac validè retinere, si illa jam ultra decem annos possederint, imò etiam si infra decem annos ea possideant dummodò in hoc ultimo casu ea cum licentia Ordinarii acquisierint, consequenter etsi per unum tantùm, aut alterum annum, locum regularem cum licentia Ordinarii pacifice possident, amplius molestari nequeant. Bullam per extensum vide apud Hyacint. Donatum *t.* 1. *tr.* 1. *qu.* 12. quam etiam citat Landuscha ℣. *Conventibus n.* 10. Si verò absque licentia Ordinarii Monasterium, Domum &c. ædificarent, reciperent, & inhabitarent, possent æque ac alii per Ordinarium abigi, si ultra decennium ibidem non essent: secùs, si ultra decennium.

59 Resp. III. Si Episcopus ipsemet contra formam sæpe memoratam consensum ædificandi præbet, aut ædificari, seu erigi Conventum, Domum &c. Religiosam facit; peccat mortaliter, utpote in re gravi violans constitutiones Pontificias graviter obligantes, & nulliter agit, uti patet ex citatis Bullis, alii autem pœnæ non subjacet; quia nulla invenitur in Jure.

60 Resp. IV. *Superiores Regulares quicunque, & quocunque nuncupentur nomine, ac aliæ personæ qui quovis prætextu vel causa etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, & alia loca regularia hujusmodi, sine expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus & per omnia SS. Canonum, & Concilii Tridentini nec non constitutionibus Clementis VIII. & Gregorii XV* (suprà *nu.* 29. allegatis) *recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incæpta finire, & absolvere audent, seu præsumunt*, præter gravissimum inobedientiæ peccatum pœnas *privationis vocis activæ, & passivæ, nec non Officiorum quorumcunque, ac inhabilitatis ad illa, & ad alia in futurum obtinenda, nec non etiam excommunicationis ipso facto incurrunt.* Ita in terminis præfata Bulla Urbani VIII. & ideo unanimis Doctorum.

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii, & Rerum ad eas pertinentium.

1 *Ratio Rubricæ.*

1 POstquam Compilator in præcedenti Titulo egit de ædificatione Ecclesiarum, recto ordine subjungit præsentem Titulum de Immunitate Ecclesiarum, & aliorum Locorum sacrorum, cujus occasione DD. etiam sub eadem Rubrica de Immunitate Personarum Ecclesiasticarum agere solent, quos nos quoque imitabimur. Et quoniam materia hujus Tituli proprie Canonica, Clericis scitu non tantùm summe utilis, sed & necessaria est, eam paulò fusius servatis tamen brevitatis legibus, juvante Deo, tractare conabimur.

§. I.

De natura, & Divisione Immunitatis: ubi quædam in specie de Immunitate locali.

SUMMARIUM.

2 *Immunitas derivatur à munere, & munus quid?*
3 *Immunitas ecclesiarum, & ecclesiastica non sunt idem: passim tamen sumuntur pro eodem. Et n.* 5.

4 *Immunitas ut sic definitur.*
5 *Dividitur in localem, realem, & personalem.*
6 *Immunitas localis quid?*
7 *Hac gaudent omnes Ecclesiæ authoritate Episcopi erectæ, licet nondum sint consecratæ.*
8 *Nec divina in eis celebrata.*
9 *Idem dic de Oratoriis.*
10 *Sacris, & locis Ecclesiæ adhærentibus.*
11 *Cæmeteria gaudent iis privilegiis, quibus Ecclesia.*
12 *In præfatis locis non possunt tractari causæ Criminales.*
13 *Neque Civiles sæculares.*
14 *Bene tamen Ecclesiasticæ.*
15 *Contractus quoque in dictis facti licèt valeant, tamen sunt prohibiti.*
16 *Exceptis, qui fiunt ad promovendam devotionem fidelium, uti est venditio candelarum, observatio prastica.*
17 *Omnes actus profani, profanaque colloquia in Ecclesiis sunt prohibita.*
18 *Vim inferentes Ecclesiæ, & eam consulentes &c. lædunt Immunitatem, ac subjacent pœnis.*
19 *In Ecclesiis liciti sunt actus pietatem respicientes: ac Disputationes publicæ.*

2 QUæritur I. Quid ad præsens, & quotuplex sit *Immunitas?* Ante responsionem notandum I. *Immunitatem* derivari a ly *Munus*, quod præter alias significationes propriè Onus, functionem, & obligationem alicui impositam, vel lege, aut more incumbentem significat, *l. Munus* 18. *& l. Munus propriè* 214. *ff. de V. S.* ibi; *Munus propriè est, quod necessariò obimus, lege, more, imperiovè ejus, qui jubendi habet potestatem*: unde qui à tali onere, aut obligatione liber aut exemptus est, immunis esse & immunitate gaudere dicitur, *cit. l. Munus ff. de V. S.* cum concordantiis. Sicut econtrà, qui communium onerum, & munerum particeps est, *Municeps* dicitur *l.* 1. *§.* 1. *ff. ad Munic.* ibi: *Propriè Municipes appellantur munerum participes.*

3 Advertendum II Quod quamvis multi Doctores (quos etiam in Theologia nostra Morali *tr.* 12. *dist.* 1. *n.* 3. sumus secuti) *Immunitatem Ecclesiarum, & Immunitatem Ecclesiasticam* confundant, ac pro eodem sumant, indeque una definitione eam describant dicendo: *Immunitas Ecclesiastica est jus, seu exemptio, qua Ecclesiæ res, & personæ ecclesiasticæ à publicis muneribus, & oneribus sæcularibus sunt liberæ*; & ita definitam Immunitatem ut sic dividant in *localem, realem, & personalem*: tamen si strictè ac propriè loqui velimus, non sint idem, sed quid diversum, uti benè advertit Ricc. *in praxi aurea p.* 2. *resol.* 53. *n.* 2. quem sequitur Engel *h. t. n.* 2. & alii volentes, quòd per *Immunitatem Ecclesiarum* sola intelligatur *Immunitas localis*, competens Ecclesiis, aliisque locis sacris juxta dicēda infrà. *Immunitas* verò *Ecclesiastica* sit, & dicatur illa, quæ cōpetit personis Ecclesiasticis, rebusque ad has personas, vel ad ecclesias, aut loca sacra pertinentibus, *Arg. Extravag.* 1. *§. Incendiarios, de Pœnit.* ubi distincti poni videntur *Immunitatis ecclesiarum, & libertatis* (id est Immunitatis) ecclesiasticę violatores; ut proin in materia pęnali, ubi termini strictè ac propriè accipiũtur, *Arg. c. Odia de R. J. in* 6. nomine Immunitatis ecclesiarũ non veniat *Immunitas ecclesiastica*, & econtrà, nisi expressè constet de mente Legislatoris. Et hanc doctrinam etiam ideò amplectimur; quia suprà posita definitio *Immunitatis* ut sic ab Adversariis cōmuniter data non cōvenit omni definito, cùm ut ex dicendis infrà patebit, non possit aptari *Immunitati locali*, ac juri Asyli, quę tamen est mēbrum definiti, juxta ipsos Adversarios, qui *Immunitatem*, ut suprà definitam; in *localem, realem, & personalem* tanquam species dividunt.

4 Resp. I. *Immunitas* ad præsens est *jus, quo Ecclesia, & alia loca sacra, nec non personę Ecclesiasticę, ac res ipsarum liberæ ac immunes sunt à muneribus, & oneribus sæcularibus, atque ab actibus earum sanctitatis, & reverentiæ debitæ repugnantibus.* Ita desumitur ex Doctrina *n. præced.* patebitque ex dicendis infrà *Arg. integr. Titul h. t.* Dicitur *Jus* loco generis. Dicitur, *quo Ecclesia, loca sacra, personæ, & res*, ut quævis species Immunitatis includatur. Dicitur: *à muneribus, & oneribus sæcularibus*, quæ particulæ in Immunitate reali, & personali verificantur. Additur, *& actibus reverentiæ debitæ repugnantibus*: ne à definitione excludatur *Immunitas localis*, quod totum magis patebit ex dicendis.

Resp. II. *Immunitas ut sic* dividitur in *localem, realem, & personalem*. Ita in re communis; quamvis multi dividendo *Immunitatem* dicant, *Immunitas Ecclesiastica* dividitur; nos verò ly *Ecclesiastica* omittendo dicimus *Immunitas* ad propositum dividi dicitur: Ut proin, licèt cum omnibus aliis concedamus *Immunitatem* esse triplicem, *localem* nempe, *realem, & personalem*, non tamen (strictè loquendo) fatemur *Immunitatem Ecclesiasticam* esse ita triplicem; cùm juxta dicta, & dicenda adhuc, *Immunitas localis* propriè non sit *Ecclesiastica*, sed *Ecclesiarum*, nec ei definitio *Immunitatis Ecclesiasticæ* à Doctoribus communiter data, & suprà *n.* 3. allegata conveniat, benè verò definitio *Immunitatis ut sic* data *n. præced.* Cæterũ fatendum, quòd in communi usu loquendi ac scribendi, ad præfatam differentiam non multum attendatur, sed *Immunitas Ecclesiarum, & ecclesiastica* passim pro eadem sumantur, ac etiã *Immunitas realis, Ecclesiastica* appelletur, prout ipse quoque Gregor. XIV. in sua Bulla infrà alleganda fecisse dignoscitur. Porrò quid sit, & in quo consistat quævis ex præfatis tribus membris *Immunitatis*, fusè patebit ex sequentibus. Intereà scire sufficiat, *Immunitatem localem* esse, quæ locis, *realem* quæ rebus, *personalem* quæ personis competit. Exactius autem agendo inprimis de *Immunitate locali.* 5

Quæritur II. Quid sit, & in quo consistat *Immunitas localis*, seu *Ecclesiarum*? Resp. *Immunitas localis* est jus competens Ecclesiis, aliisque locis Religiosis, vi cujus actus profani, seu sæculares in iis exerceri non valent; & malefactores illuc confugientes in vita & membris proteguntur, ita ut inde extrahi non possint. Ita in re communis, *arg. c. Decet. h. t. in* 6. *& can. Non oportet. dist.* 42. *c. Ecclesiæ h. t.* cum concordant. Atque diximus *in Theologia nostra Morali Tr.* 12. *dist.* 1. *q.* 2. *n.* 10. ubi etiam cum communi aliorum inferre non omisimus, quòd in duobus pręcipuè consistat, duosque effectus pariat *Immunitas localis*, videlicet I. Quòd in locis sacris actus profani fieri nequeant. II. Quòd illuc confugientes malefactores tuti sint in vita & membris, per jura citata. De *primo* in præsenti, de *secundo* in sequentibus agemus Paragraphis. 6

Quæritur III. Quænam loca gaudeant *Immunitate locali* in ordine ad actus profanos, quòd hi in iis fieri nequeant? Et qui sint tales actus? Resp. I Omnes Ecclesiæ etiamsi nondum sint consecratæ, sed tantum benedictæ, vel authoritate Episcopi ad cultum Divinum, & Officia Divina deputatæ gaudent præfata *Immunitate*. Communis ac certa textu claro *c. Ecclesię* 9 *h. t.* ibi: *Ecclesiæ in qua Divina mysteria celebrantur, licèt adhuc non exstiterit consecrata, nullo modo privilegium Immunitatis adimitur.* Ratio subjungitur; *quia obsequiis Divinis dedicata, nullis est temerariis usibus profananda.* 7

Ex qua ratione Abbas *in cit. c. Ecclesia, h. t. n.* 5. & ibi Fagnanus *n.* 8. atque Hostiensis *Vers. Celebrantur*, Sylvester *Vers. Immunitas* 1. *q.* 1. *dicto* 1. Covarruvias *l.* 2. *Variar. Resolut. c.* 20. *n.* 4. Azorius *p.* 2. *l.* 9. *c.* 8. *q.* 1. cum communi aliorum contra Glossam *in idem c. Ecclesiæ h. t. Vers. Celebrantur*, inferunt, Ecclesiam hujusmodi gaudere *Immunitate*, etiamsi Divina Officia in ea nondum sint celebrata; eò quòd Pontifex pro causa, & ratione non alleget celebrationem Divini Officii jam factam, sed quia obsequiis, ac Officiis Divinis est dedicata, seu deputata: & meritò; quia ex eo solo, quòd Ecclesia authoritate Episcopi ad usus sacros sit deputata, jam existit locus sacer ac Religiosus, ita ut ad usus profanos redire, & applicari amplius nequeat, textu claro *c. Ad hæc* 4. *de Religios. domib.* & diximus suprà *eod n.* 3. 8

Ex eadem ratione Barbosa *in cit. c. Ecclesiæ, h. t. n.* 10. ibi Abbas *n.* 2. Butrius *n.* 3. Joan. Andreas *n.* 1. & alii communiter, *Immunitatem* hanc etiam Oratoriis authoritate Episcopi erectis tribuunt, non item oratoriis privatis authoritate Episcopi non erectis, etsi in eis ex privilegio Missæ fuerint celebratæ, quod idem etiam suprà *Tit. de Religios. domib. n.* 3. jam diximus. 9

Resp. II Eadem *Immunitate* gaudent etiam loca, & habitacula Ecclesiæ adhærentia, uti sunt Sacristia, porticus, atrium. Barbosa *in cit. c. Ecclesiæ,* 9 *h. t. n.* 7. Pirhing *eod. n.* 3. Thuscus *Vers. Ecclesia concl.* 10. *n.* 3 *arg. can. Si quis* 20. *cau.* 17. *q.* 4 & ibi Glossa *Vers. Adhærentibus* cum communi 10

muni aliorum. Ratio est; quia quæ Religiosis adhærent, etiam Religiosa sunt, *L. 43. prin. ff. de Rei Vindic.*

11 Resp. III. Memorata *Immunitate* gaudent etiam Cœmeteria ecclesiarum. Rursus communis ac certa ob clara jura *arg. c. fin. h. t. & c. 2. eod in 6.* ibi: *Cessent in Ecclesiis earumque Cæmeteriis negotiationes & præcipuè nundinarum, ac fori cujusque tumultus: omnis in eis sæcularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per Laicos Criminalis maximè agitetur.* Ratio est; quia universaliter Cæmeteria iisdem gaudent privilegiis, quibus Ecclesia, *arg. c. 5. h. t.* & ibi Abbas *n. 5.* cum Communi.

12 Quæritur IV. Quinam actus profani prohibiti sint, & fieri nequeant in supradictis locis sacris? Resp. Sequentes. Et quidem I. Sub pœna Excommunicationis prohibitum est judicibus sæcularibus agitare vel tractare causas Criminales, in quibus agitur de sanguinis effusione, vel pœna corporali, textu expresso *c. Cùm Ecclesia. 5. h. t.* ibi: *Cùm Ecclesia Dei secundùm Evangelicam veritatem domus orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum: sæculares judices causas, ubi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur, in Ecclesiis, vel Cœmeteriis agitare sub interminatione Anathematis prohibemus.* Ratio subjungitur: *Absurdum enim est, & crudele, ibi judicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugii constituta*: & ibi DD. communiter. Notat tamen ibidem Glossa *Vers. Anathematis*, communiter recepta, hanc Excommunicationem non esse latæ, sed ferendæ sententiæ. Nec afficere nisi criminaliter, ut præfertur, in Ecclesia procedentes, uti communiter notant DD. eò quòd pœna non sit extendenda ultra formalia verba Legis, *arg. c. odia, de R. I. in 6.*

13 II. Prohibitum etiam (sed non sub Excommunicatione) est, sæcularia exercere judicia, seu Processus Civiles: textus expressus est *in c. Decet. 2. h. t. in 6.* ibi: *In ecclesiis earumque Cœmeteriis omnis* (consequenter etiam Civilis) *sæcularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla ibi causa* (consequenter nec Civilis) *criminalis maximè agitetur.* Quòd si contrarium attentetur, *Processus Judicum sæcularium, ac specialiter prolatæ sententiæ omni carent roboris firmitate*; ut ibidem statim subjungitur.

14 Notanter autem dicitur *sæcularia Judicia*; quia judicia Ecclesiastica ibidem exercere, nullo Jure reperitur prohibitum, sed non tantum à sensu contrario, verum etiam positivè concessum videtur, ut habet ibidem Glossa communiter recepta *Vers. Sæcularium. Arg. c. Qua fronte 25. de Appellat.* ubi Canonicum, & honestum dicitur, in Ecclesia exercere Judicia Ecclesiastica. Ratio est; quia Ecclesia præsumere meritò potuit, judicia Ecclesiastica minori cum strepitu; & minori tempore expedienda fore, simulque Judicem Ecclesiasticum adhibiturum majorem curam, ut cuncta sine irreverentia loci fiant. Fatendum tamen cum Suarez *de Relig. lib. 3. c. 4. n. 11.* Pirhing *h. t. n. 7.* & aliis, magis decens, & conveniens esse, ut etiam Ecclesiastica Judicia non in Ecclesia, sed extra illam, v. g. in Episcopi *palatio*, vel *camera*, vel alio commodo loco fiant; id, quod hodie consuetudo & praxis passim vigens confirmat.

15 III. Prohibitum est in Ecclesiis, & Cœmeteriis contractus, negotiationes, & nundinas facere, *cit. c. 2. h. t. in 6.* ibi: *Cessent in Ecclesiis, earumque Cæmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cujuscunque tumultus*: idque conformiter doctrinæ & exemplo Christi, qui *Matth. 21. ejiciebat omnes vendentes & ementes in Templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit, & dixit eis: Scriptum est, domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam, speluncam latronum.* Verum quamvis negotiationes & contractus profani in Ecclesia fieri prohibeantur, consequenter sint illiciti, tamen ibidem facti valent, & subsistunt, uti *in cit. c. Decet. 2. h. t. in 6. vers. Processus*, benè observat Glossa, & docet cum communiori aliorum Abbas, eò quod contractus hujusmodi nullibi irritentur in Jure sicut irritantur processus & sententiæ, *c. Cùm Ecclesia 5. h. t.* cujus Capituli constitutio cùm sit odiosa, non extendenda, *arg. c. In pœnis, & c. Odia, de R. J. in 6.*

16 Porrò non tantum validi, sed etiam liciti sunt in Ecclesiis, ac Cæmeteriis contractus illi, qui principaliter fiunt ad promovendam devotionem fidelium; qualis est venditio candelarum. Sylvester *vers. Immunitas. 1. q. 2. vers. Quinto.* Azorius *p. 2. lib. 9. cap. 9. q. 5.* Pirhing. *h. t. n.* 12. Angelus, & plures alii: dummodò fiant sine strepitu, & perturbatione, aut impedimento cultus, & Officii Divini; nec principaliter intendatur lucrum: hoc enim, ubi concurreret, proculdubio negotiationes in Ecclesiis illicitas redderet, etsi aliqua pro cultu Divino distraherentur, *arg. c. Decet. 2. h. t. in 6.* ibi: *Quæcunque possunt turbare officium, sint prorsus extranea*: idque conformiter exemplo Christi qui *Matth. 21.* reprobavit negotiationes in Ecclesia factas, licèt per eas vendebantur, quæ pro Sacrificio serviebant: quia nempe per eas impediebantur orationes, & cultus Divinus in Domo Dei. Hinc fit, quòd etiam sacra, seu potius materia sacrorum, v. g. Numismatum, imaginum, & aliorum ad devotionem servientium vendentes sint extra Ecclesiam, prout benè observat *loc. cit.* Sylvester.

IV. Universaliter fermè omnia vana, ac profana, præsertim quæ Divinum cultum, aut officium aliquo modo turbare possunt, aut ejus reverentiæ contraria sunt, in dictis locis specialiter sunt prohibita; prout ex sequentibus Juris textibus liquet, ut *c. Cùm decorem, 12 de Vita & honest. Cleric.* ubi prohibentur in Ecclesiis fieri profani ludi Theatrales, præsertim in larvarum monstris. *can. Non oportet, 4. dist. 42.* ibi: *Non oportet in ecclesiis agapen facere, & intus manducare, & accubitus sternere, c. 2 h. t. in 6.* ibi: *Nullus in eisdem locis, in quibus cum pace, & quiete vera convenit celebrare, seditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Cessent in locis illis universitatum, & societatum quarumlibet concilia, conciones, & publica parlamenta. Cessent vana, & multò fortius fœda & profana colloquia. Cessent confabulationes quælibet: sint postremò quæcunque alia, quæ Divinum possunt turbare officium, aut oculos Divinæ Majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea.* Simili modo statuit Concilium Trident. *Sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, ibi: *Ab Ecclesiis verò musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur; item sæculares omnes actiones, vana, atq; adeò profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut Domus Dei verè domus orationis esse videatur, ac dici possit.* Alia ratio allegatur, *in cit c. 2. h. t. in 6.* videlicet, quia *Domum Dei decet sanctitudo*: & ne ubi *peccatorum est venia postulanda, peccandi detur occasio, aut deprehendatur, peccata committi.* 17

V. Specialiter prohibitum, ac contra *Immunitatem* etiam *localem* est, Ecclesiæ vim, aut violentiam inferre, infringendo v.g. ejusdem fores; & multò magis rapiendo illius bona, *arg. can. Omnes. 5. can. Sicut. can. Quisquis, 21. can. 17. q. 4.* ubi transgressores non tantum sacrilegi dicuntur, sed etiam excommunicantur, & quidem ipso facto, si cum effractione spoliatio fiat. Concordat *c. 22. de Sentent. Excomunic.* & ibi Glossa *vers. Excommunicat.* Pariter sacrilegi sunt, & pœnis Juris subjacent consulentes, & mandantes, ac alio modo cooperantes ad Ecclesiarum violationem, *arg cit. can. Omnes. 5. cau. 17. q. 4.* & ibi Glossa *vers. Consentiunt.* 18

Resp. II. Licitè, ac validè in Ecclesiis, ac Cæmeteriis, aliisque locis sacris fieri possunt actus extrajudiciales, vel voluntariæ jurisdictionis omnes illi, qui pietatem, aut devotionem respiciunt, vel promovent. Barbosa *lib. 2. I. E. V. cap. 3. n. 11. & 12.* Abbas *in c. Cùm Ecclesia. 5. h. t. n. 6.* Pirhing. *eod. n. 11.* Hinc in specie, licita ibidem sunt pia ac honesta spectacula Sylvester *loc. cit. n. 7.* ad finem, *arg. can. Semel. 31. de Dist. q. 2.* Item Disputationes litterariæ publicæ, eò quòd scientia donum Dei, & res sancta, ac necessarium sit medium ad pietatis & virtutum opera ritè peragenda. Ex qua ratione licitè in Ecclesiis conferuntur gradus Doctoratus, aut Magisterii. Abbas *loc. cit.* Azorius *loc. cit. q. 4.* Joan. Andreas *in c. Decet. h. t. in 6.* & Communis, *arg. L. 1. §. Proinde, ff. de Variis, & extraordinar. Cognit.* Licitum item ibidem est pupillo, & Minori Tutorem, ac Curatorem dare. Anchoranus *in cit. c. Cùm Ecclesia 5. h. t.* Azorius *p. 2. lib. 9. c. 9. q. 3.* quia hoc importat actus pietatis. 19

§. II.

§. II.

De Jure, seu Immunitate Asyli: ac de locis, quibus competit.

SUMMARIUM.

20 *Jus Asyli quid?*
21 *Est constitutum Jure Civili, ac Canonico.*
22 *Non item Naturali.*
Jus naturale semper firmum, ac immutabile permanet. Ibid.
23 *Nec est de jure positivo Divino. Et n. seq.*
25 *Contrarium est probabile.*
Immunitatis Asyli violatores de jure Civili plectuntur capite. Ibid.
26 *Contra jus Asyli valet consuetudo.*
27 *Dummodò non nimium id lædat.*
Facta non præsumuntur, sed probari debent. Ibid.
28 *Asylo gaudent omnes Ecclesiæ authoritate Episcopi erectæ, etiam non consecratæ: etsi interdictæ sint, aut pollutæ.*
29 *Item omnia eidem adhærentia loca & ædificia, uti turris, campanile, porticus, atrium &c.*
30 *Adhærens muro Ecclesiæ, vel tenens januam ejus, vel vectes, gaudet Asylo.*
31 *Existens intra 40 passus ab Ecclesia majori, vel 30. ab Ecclesia minori, gaudet Asylo.*
32 *Etsi Ecclesia in Civitate, non item si intra muros Castelli existat.*
33 *Quomodò computentur passus dicti, si Cœmeterium Ecclesiæ contiguum est?*
34 *Domus quoque Clericalis interiacens, non item Laicalis gaudet Asylo.*
35 *Intra præfatos passus gaudet quis Asylo, sive ab extra illuc fugiat, sive ab Ecclesia progrediatur. Et nu. præced.*
36 *Solvitur instantia.*
37 *Non existit contra hoc consuetudo; & existens probari debet.*
38 *Observatio practica circa reos in simili spatio existentes.*
39 *Cæmeterium gaudet Asylo.*
40 *Etsi separatum sit ab Ecclesia.*
41 *Dummodò authoritate Episcopi sit erectum, quod in dubio post Sepulturam præsumitur.*
42 *Asylo gaudent Oratoria.*
43 *Etiam in domibus privatorum, si authoritate episcopi fuere erecta. Et n. seq.*
45 *Monasteria, & omnia loca intra ejus septa.*
46 *Non item loca extra septa Asylo gaudent.*
47 *Omnia loca Religiosa, ut Hospitalia, Nosocomia &c. gaudent Asylo.*
48 *Fugientes ad SS. Eucharistiæ Sacramentum, dum portatur ad infirmum gaudent Asylo.*
49 *Etsi tantùm se associent Comitantibus.*
50 *Limitatur in Reo, ad quem in carcerem portatur SS. Eucharistia.*
Recipiens Eucharistiam, ex eo non gaudet Asylo, nec fugiens ad Oleum sacrum. Ibid.
51 *Domus episcopi gaudet Asylo.*
52 *Etsi non existat intra 40. passus ecclesiæ cathedralis.*
53 *Quid de Domibus Cardinalium.*

20 Diximus in præcedenti Paragrapho *n. 6. immunitatem ecclesiarum*, seu *localem* præter jam enumeratum, etiam illum habere effectum, quòd confugientes ad loca sacra malefactores tuti sint in vita, & membris: qui effectus *Jus* seu *Immunitas* Asyli dicitur: de quo specialiter præsens, & sequentes Paragraphi erunt.

21 Quæritur I. Quid sit *Immunitas*, seu *Jus* Asyli, & quo Jure introductum habeatur? Resp. I. *Jus*, seu *immunitas Asyli* est jus Ecclesiis, & sacris, nec non aliis quibusdam locis competens, confugientibus ad ea malefactoribus securitatem præstans ad hoc, quòd inde violenter extrahi non possint, nec in vita, nec in membris puniri valeant. Est in re Communis, *arg. c. Inter alia 6. h. t.* cujus textum vide *n. seq.* & patebit ex dicendis infrà. Solum intereà notanda verba, *Nec non aliis quibusdam locis*, ad denotandum, non solum ecclesiis, & locis sacris, sed & aliis profanis quoque quibusdam locis ex privilegio Apostolico competere posse Jus Asyli, prout infrà.

Resp. II. *Jus*, seu *immunitas Asyli*, est jure duntaxat humano Civili, & Canonico introductum, non item naturali, nec Divino. Covarruvias *lib. 2. Variar. Resol. cap. 20. n. 2.* Layman. *lib. 4. tr. 9. cap. 3. n. 1. q. 1.* Suarez. *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 8. n. 9.* Sannig *h. t. cap. 2. n. 1.* Zoesius *h. t. n. 6.* Engel. *h. t. n. 7.* Pirhing. *eod. n. 15.* cum Communiori aliorum, quos jam secuti sumus in nostra Theologia Morali *tr. 12. Diss. 2. n. 2.* contra Delbene *de Immunitate & Jurisdiction. Eccles. c. 16. dub. & n. 2.* ubi illud juris naturalis esse asserit, & contra Fagnanum *in Appendice de Immunitat. c. 2. n. 9.* Decium, & Thuscum, existimantes esse juris Divini positivi. Probatur Conclusio in primis, quòd sit Juris humani Civilis, & Canonici, ex toto Titulo præsertim, *l. 2. 3. & 6. C. de His, qui ad Ecclesias confugiunt, & Novell. 17. c. 7. & c. Inter. 6. h. t.* ibi: *Fugiens ad ecclesiã quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab ecclesia extrahendus, nec inde damnari ad mortem, vel ad pœnam* (corporalem, ut habet ibi Glossa *vers. Puniendus*) *sed Rectores ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam; super hoc tamen, quòd iniquè fecit, est alias legitimè puniendus.* Concordat *c. fin. eod.* item *can. Miror. 7 can. Reum, 8. c. Nullus 19. c. 20.* & plures alii *cau. 17. q. 4.* 22

Probatur, quòd de jure Divino naturali non sit; quia ut argumentatur Covarruvias *loc. cit.* licitè jure Divino naturali præceptum sit, Deum colendum, sacrisque locis reverentiam esse exhibendam, tamen ex hoc rite non infertur Jus Asyli; cùm extractio Rei à loco sacro, ut debitas luat pœnas, quantum est ex se, nec contra cultum Divinum, nec contra reverentiam sacro loco debitam militet, nec intrinsecè mala, sed potius conformis sit Juri Divino naturali, volenti, ut crimina debitis coerceantur pœnis, & non maneant impunita; cùm aliàs bono publico, ac innocentibus contra malefactores per dictum jus sufficienter non esset provisum. Confirmatur: si Jura Asyli essent de Jure Divino naturali, nunquam potuissent, nec adhuc possent mutari, quia *Jura naturalia semper firma*, & immutabilia permanent, ut dicitur *§. Sed naturalia 11. Instit. de Jure natural. Gent. & Civili* nec potuissent ab aliquo etiam Papa minui, immutari, aut dispensari; cùm inferior in legem superioris nullam habeat potestatem *Clem. Ne Romani, de Elect.* Neque potuissent consuetudine abrogari, aut eis in aliquo derogari, utpote quæ contra jus Divinum nihil valet, *c. fin. de Consuetud.* Atqui jus Asyli per Pontificem fuit immutatum, quoad certa crimina & personas restrictum, ac limitatum, textu claro *cap. inter alia 6. h. t.* & patebit adhuc magis ex Bulla Gregor. XIV. alleganda infrà *n. 82.* Fuit insuper eisdem variis in locis consuetudine derogatum, teste Barbosa *lib. 2. I. E. V. c. 20. num 82.* Layman. *lib 4 tr. 9. cap. 3. n. 2* & alii: ergo. His accedit textus *cit. cap. inter alia 6. h. t.* ubi Pontifex vult, in materia Asyli procedendum ac distinguendum esse *juxta sacrorum statuta Canonum, & traditiones Legum civilium*, consequenter non juxta Jus Divinum naturale. 23

Probatur tandem, quòd neque Jure Divino positivo fuerit institutum; quia nulla similis Lex, aut Jus positivum, aut traditio ab Apostolis accepta extat: quamvis enim in antiquo Testamento per Legem positivam Divinam certa loca habuerint Jus Asyli, tamen, quia hæc Lex fuit una inter Cæremoniales (quæ una cum Judicialibus per Legem gratiæ exspirarunt) & à Christo in novo Testamento renovatum nullibi reperitur, nihil contra Conclusionem probat. 24

Objicies. Concilium Tridentinum *Sess. 25. Reform cap. 20.* ubi ait: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem N. B. Dei ordinatione, & canonicis Sanctionibus constitutam esse*, cui Concordat *can. Quamquam 4. de censib. in 6.* ubi etiam contraria consuetudo vocatur Corruptela, & textus Augustini *Serm. 5. de Dedic eccles* ubi asserit, *Grandem injuriam Religionis, & divinitatis offensam esse, qualemcunque fugientem ad domum Dei à sacris liminibus, id est, de sinu Matris evellere, & arcam communis expugnare refugii.* Resp. Concordando Jura Juribus, textum *Concilii Tridentini, & cap. Quamquam*: non loqui de *immunitate locali* Asylorum, sed de *immunitate Ecclesiastica* strictè dicta, *reali* nempe ac *personali*, id est de *immunitate* 25

per-

personarum Ecclesiasticarum, & rerum ad eas, vel ad Ecclesias pertinentium, quam de Jure Divino esse ipsimet docemus infrà. Quòd si quis contendat, saltem Concilium Tridentinum *loc. cit.* (nam *cap. Quanquam*, apertè loquitur; sed de *Immunitate reali ac personali*) etiam de *Jure Asyli* loqui. Resp. Concilium plus non velle, quàm quòd loquendo de *Jure Asyli*, id ad imitationem Legis Divinæ veteris, Divinoque instinctu per Canonicas Sanctiones fuerit constitutum; qua responsione duplici etiam alia similia Jura solvi possunt ac debent: tum ob fundamenta *n.* 22. & 23. allegata: tum ut, quod fieri oportet *cap. cùm expediat de electione in 6.* Jura Juribus concordentur.

26 Fatendum nihilominus, quòd licèt sententia Conclusionis nostræ communior sit, ac probabilior videatur: tamen etiam contraria dicens, *Jus Asyli* etiam in novo Testamento esse Juris Divini naturalis, vel positivi, non improbabilem esse: tum ob textus *præced. n.* citatos: tum quia apud omnes ferè Gentes vigebat, prout patet non solum ex integro *Tit. C. de His, qui ad eccles. confug.* sed etiam ex Jure Regio Francorum, & Hispanorum, teste Gonzalez *in c. Inter alia h. t. n. 9.* & Legibus Longobardorum, ac Capituli Caroli Magni apud Tholos. Syntag. *lib. 33. cap. 21.* Legibus Gothorum apud Joan. Magnum *lib. 23. Hist. Goth. cap.* 21. & 22. Anglorum apud Polyd. Virgil. *l. 1. Hist. Angl.* Saxonum Occidentalium, aliarumque Gentium, ut videre est apud Covarruviam *loc. cit. c.* 20. Gonzalez *loc. cit.* & alios, ex quo non obscurè desumitur, instinctu & lumine naturali dictante æquum, justum, ac debitum fuisse judicatum, ob reverentiam Ecclesiis & locis sacris debitam, illuc confugientes malefactores extrahi non posse, sed tutos in vita, & membris esse. Confirmatur ex gravitate pœnarum transgressoribus constitutarum etiam à Jure Civili, utpote quod eos, qui contra *Jus Asyli aliquid moliri, aut facere, aut nuda saltem cogitatione atque tractatu ausi fuerint tentare, capitali, & ultimi supplicii animadversione plectendos esse*, in terminis præcipit, *l. Præsenti 6. C. de His, qui ad Eccles. confug.* Imò *L. 2. C. eod.* sancit *Asyli* violatorem, *Majestatis crimine esse retinendum*, quæ pœnarum gravitas æquitatem & obligationem naturalem Legis non obscurè innuit.

27 Cæterum ex conclusione infertur cum Barbosa *lib. 2. I. E. V. num.* 82. Engel *h. t. nu.* 9. Covarruvia, & aliis, quòd circa *Jus Asyli* attendi etiam possit, ac debeat consuetudo legitimè præscripta, hoc ipso, quòd non sit de Jure naturali, nec Divino, sed duntaxat humano, contra quod valida & licita est consuetudo, *cap. fin. de Consuetud.* Nec obstat, quòd ad talem consuetudinem deficiat expressus consensus Papæ, & consuetudo contra *Immunitatem Ecclesiaticam* videatur à jure reprobata, ac annullata *c. 4. de Censib. in 6.* & in judicio contradictorio nunquam sit asserta aut confirmata, ob quæ fundamenta Sperel. *Decis.* 103. *num.* 45. Guttierez *Pract. qq. lib. 1. qu. 1. nu.* 13 & alii putant, *Juri Asyli* in nullo derogari posse. Nam contra est, quòd consuetudine etiam contra legem legitimè inducendam non requiratur expressus Principis consensus; nec judicium contradictorium, prout amplius diximus *lib. 1. tit. 4. de Consuetud.* § 5. *n.* 136. 139. & 140 Jura autem consuetudinem contra *Immunitatem ecclesiasticam* reprobantia, vel annullativa loquantur de *immunitate reali*, ac *personali*, non item *locali Asylorum*; vel si etiam de hac mentionem faciant, annullent solummodò consuetudines præteritas, non item futuras, quæ licitè & validè induci possunt contra legem, etsi per clausulam *non obstante quacunque consuetudine* præcedentes consuetudines sint sublatæ, uti pariter patet ex dictis *lib. 1. tit. 4. de consuet.* ac docet cum aliis, Pirhing. *eod. num.* 66.

28 Fatendum nihilominus cum Engel *h. t. n.* 9. non esse huic consuetudini favendum, si *Juri Asyli* nimium deroget, vel id ex toto tolleret, eò quòd non tantum jure Canonico ac Civili firmiter sit constituta, sed etiam moribus Gentium ab omni ævo stabilita, ac insuper in ratione venerationis Ecclesiis, locisque sacris debitæ fundata, indeque ad dictamen aliquod naturale propè accedat, prout diximus *n.* 25. Illud certum est, quòd in dubio consuetudo contra *Jus Asyli* non præsumatur, sed probari debeat: cùm sit facti: factum autem regulariter non præsumitur, sed indiget probatione; *arg. l. 2. ff. de prob. & l. 1. C. eod.* juncto *c. Cùm in Jure de Offic. & potest. Judic. delegat.*

Quæritur II. Quænam loca gaudeant *immunitate*, seu *Jure Asyli*? Resp. Sequentia. I. Omnes Ecclesiæ authoritate Episcopi erectæ. Communis ac certa per jura *n.* 21. citata, etsi nondum sint consecratæ, textu expresso *c. ecclesiæ 9. h. t.* cujus textum vide suprà *n.* 7. Imò, etsi in iis Divina adhuc non sint celebrata, prout docent *n.* 7. citati DD. per jura ac rationes ibidem allegatas. Procedit Conclusio, licèt Ecclesia aliqua sit interdicta, aut violata, seu polluta. Abbas in cit. *c. ecclesiæ 9. h. t. n.* 8. Layman. *lib. 4. tr. 9. c. 3. num.* 2. Sylvester. *vers. Immunitas 1. q. 1. dicto* 2. Pirhing. *h. t. n.* 3 eò quòd tales Censuræ, ac juris impedimenta utpote odiosa & pœnalia non debent extendi ultra casus expressos, *arg. c. In pœnis*, & *c. Odia de R. I. in 6.* 29

Porrò ad Ecclesiam reducuntur, *Jureque Asyli* gaudent cuncta illa loca, quæ Ecclesiæ fabricam, eique interius & exterius conjuncta seu adhærentia, atque ad eam spectātia ædificia comprehendit, uti sunt Sacristia, Turris, Atrium, Porticus, Campanile &c. Barbosa *lib. 2. I. E. V. c. 3. à n.* 62. Layman. *lib. 4. tr. 9. c. 3. num.* 2. Thuscus *vers. ecclesia concl. 9. n. 2. & 7. & concl. 10. arg. l. Pateant. 3. C. de His, qui ad eccles. confug. & can. Id constituimus*, 36. *can. 17. q. 4.* ibi; *ecclesiastici Canones, & lex Romana constituit, ut ab ecclesiæ atriis reos abstrahere omnino non liceat*, juncto *can. Si quis contumax. 20. ead. caus. & q.* ibi; *Si quis contumax, aut superbus timorem Dei, vel reverentiam sanctarum ecclesiarum non habuerit, & fugientem de atrio ecclesiæ, vel de porticibus quomodolibet ecclesiæ adhærentibus per vim abstraxerit &c. publica pœnitentia mulctetur.* Concordant *can. Sicut antiquitus 6. can. quisquis 21. & can. definivit. 35. ead. caus. & q.* Ratio est; quia quæ Religiosis adhærent, Religiosa sunt, *l. quæ Religiosis 43. ff. de Rei vindic.*

30 Nec obstat, quòd in præfatis locis contingens injuriosa sanguinis, vel seminis effusio non violet, vel polluat Ecclesiam; consequenter hæc loca nomine Ecclesiæ non videantur venire. Nam contra est, quòd licèt specificata loca in odiosis, cujusmodi est violatio ejusdem, non veniant nomine Ecclesiæ, veniunt tamen in favorabilibus, qualis etiam est *immunitas ejus localis*; quia odia restringi, & favores convenit ampliari, *c. Odia. 15. de R. I. in 6.*

Ob paritatem rationis *Jure Asyli* gaudet, ita ut violenter abstrahi non valeat, qui ad Ecclesiam fugere volens, clausam ejus januam reperit, indeque saltem januam, vel ejus seram, aut vectes tangit. Barbosa *loc. cit. nu.* 65. Layman. *loc. cit.* Covarruvias *lib. 2. variar. Resolut. c. 20. nu.* 18. Jacob Pignat. *tom. 6. consult. 4. nu. 81. & seqq.* ubi ad propositum affert Declarationes, ac Decreta S. Congregationis præsentis Tenoris: *Innixus stipiti portæ ecclesiæ gaudet immunitate, in Amerina* 28. *Maii* 1628. Item *evadens è manibus Birruariorum, & adhærens valvis ecclesiæ, gaudet immunitate, in Firmana* 13. *Julii* 1657. Item, *Tenens annulum valvarum ecclesiæ, gaudet immunitate 7. Septembris* 1638. Idem, & quidem eò magis, dicendum est de existente in tecto Ecclesiæ, Barbosa *loc. cit. n.* 18. Diana *p. 3 tr. 1. Resolut.* 73. Sperel. *dec. 63. n.* 3.

Idem dic de eo, qui aliam partem Ecclesiæ exteriorem v. g. parietem ejus tangit. Barbosa *loc. cit. n.* 65. Diana *loc. cit.* Bonacina *Disp. 3. in Decalog. 3. punct. 4. n.* 5. Riccius *in praxi Tom. 3. Resolut. 560. n.* 8. Navarrus *in summ. Bull. de immunitate, n.* 16. ac plures alii. Tum quia Privilegia immunitatis sunt amplianda, *c. Odia de R. I. in 6.* Tum quia talis reverà jam adhæret loco sacro Ecclesiæ. Tum etiam & vel maximè, quia *Jus Asyli* ad 40. vel plures passus per circultum ecclesiæ extenditur, *can. sicut antiquitus can. 17. qu. 4.* ac magis dicetur infra. Et quamvis non desint contrarium tenentes, tamen non video, quo fundamento solido, præsertim cùm eorum plures admittant, apprehendentem, vel tangentem clausas portas Ecclesiæ, vel ejus vectes tenentem, item existentem in tecto, vel scalis Ecclesiæ Asylo gaudere; non enim apparet, cur tangens januam Ecclesiæ gaudeat Asylo, & non gaudeat tangens parietem ejus: cùm hæc non minus ac illa sit pars Ecclesiæ, & tangens parietem non minus dicatur adhærere loco sacro, quàm tangens Ecclesiam, aut in ejus scala, vel tecto existēs: nec major appareat ratio ampliandi & extendendi *Jus Asyli* tanquam quid favorabile ad tangentem portas Ecclesiæ clausæ, quàm ejus parietem, consequenter quòd de uno, etiam de altero dicendum videatur, hoc ipso, quod ubi non diversa, sed eadem est ratio, eadem sit Legis dispositio, *l. Non possunt 25. ff. de Legib.*

Legib. Et ita bina jam vice declaravit S. Congregatio apud Jacob. Pignat. *tom. 1. consult. 4. num.* 82. Illis verbis: *Adhærens muro ecclesiæ gaudet immunitate in Amerina* 18. *Februarii* 1632. & *in Camerin* 13 *Iulii* 1638. post has Declarationes, ac Decreta non amplius audiendi sunt contrarium docentes, vel in dubium vocantes, quibus consentire videtur doctissimus R. P. Jacobus Vviestner in suo Jure Asylorum *part. 2. a. 1. à n.* 19.

31 Insuper ad Ecclesiam quodammodò reducitur, & *immunitate Asyli* gaudet spatium terræ per 40. passus Ecclesiæ Majori, seu Cathedrali, & per 30. passus Ecclesiis minoribus, vel Capellis adjacens. Covarruvias *l. c. n.* 5 Fagnanus *in c. ecclesiæ h. t. n.* 16. & ibi Abbas *n.* 10. Sylvester *V. Immunitas 3. n.* 1. Barb. *in C. Sicut antiquitus 6. cau. 17. q. 4.* & ibi teste Fagnano Doctores omnes, *arg. cit. can. Sicut antiquitus 6. cau. 17. q. 4.* ibi: *Statuimus, ut Major Ecclesia per circuitum 40. passus habeat. Capellæ verò, vel minores Ecclesiæ 30. qui personam inde subtraxerit, excommunicetur.* Concordat, *can. definivit 35. ead. cau. & q.* & utrobique glossa.

32 Verum hoc *Jure Asyli* non gaudent Ecclesiæ, vel Capellæ, *quæ sunt intra ambitum murorum Castellorum*, uti expressè habetur *can. Quisquis 21. cau. 17. qu. 4.* & observat Glossa *in c. Sicut antiquitus ead. cau. & qu.* atque docet Fagnanus *loc. cit. n.* 17. Covarruvias *l. c. n.* 5. Sylvester *l. c.* & alii communiter. Ratio est; quia hoc in talibus Ecclesiis, vel Capellis ob angustiam loci observari regulariter non potest, eò quòd aliàs *immunitas* subinde totum Castrum absorberet, hocque totum *Asyli Jure* gauderet; quæ ratio cùm non procedat de Ecclesiis, vel Capellis intra muros Civitatum, vel Oppidorum existentibus, neque illas, uti existentes intra muros Castellorum quoad adjacentes passus ab immunitate excludat, imò nullam de eis mentionem faciat *cit. can. Quisquis 21. cau. 17. q. 4.* ideò præfatæ Ecclesiæ, & Capellæ etiam intra muros Civitatis vel Oppidi existentes, *Jure Asyli* in circuitu dictorum passuum æquè gaudent, ac existentes in Pagis, aut apertis campis, uti contra Archi-Diaconum *in cit. can. Quisquis* (quem secutus est Haunoldus *de Jur. & Iust. tom 6. nu.* 152.) benè docet Covarruvias *cit. lib. 2. variar. Resolut. c. 20. n.* 5. & sequuntur reliqui DD. citati, ac meritò: quia Lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda, *c. 22. de Privileg.* ac ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. Accedit Declaratio S. Congregationis apud Jacob Pignatel. *tom. 6. Consult. 6. n.* 87. edita in Narnien. 17. Julii 1663. *Captus in platea Ecclesiæ Catedralis gaudet immunitate*: per quam apertè improbari videtur sententia Archidiaconi, & Haunoldi, hoc ipso, quòd Ecclesiæ Cathedrales à potiori in Civitatibus muro cinctis existant. Et hinc quæ in Theologia nostra Morali *tr. 12. dist. 2. n.* 9 sequentes Archidiaconum diximus, quoad Ecclesias intra muros *Civitatis* positas, præsenti doctrinæ conformiter correctum volumus.

33 Licèt Archidiaconus *in can. Si quis contumax cau. 17. q. 4.* & Abbas *l. c. n.* 10. docere videantur, in Ecclesiis habentibus contiguum Cæmeterium, vel murum cingentem, dictos passus strictè non esse numerandos, sed illud solum spatium, quod muro ambitur, vel in quo Cœmeterium consistit, *asylo gaudere*, adeò ut si tale spatium solummodò 20. v. gr. passus comprehendat, spatium reliquorum 20. vel 10. passuum extra non amplius attendatur. Tamen Fagnanus *loc. cit. n.* 18. citans Joan. de Visch. *de immunitate Eccles. n.* 59 verius judicat *Immunitatem* etiam extra illud spatium extendi, si Ecclesiæ Cæmeterium, aut ambitus muro circumdatus 40. in Majori, aut 30. in Minori Ecclesia non continet; ut proin casu, quo Ecclesiæ Majores Cæmeterium solummodò 30. Minoris verò Ecclesiæ 20. v. g. contineat passus, etiam in spatio 10. passuum extra Cœmeterium quis *asylo* gaudeat, *arg. c. can. Sicut antiquitus & can. definivit. cau. 17. q. 4.* Quòd si verò Cœmeterium Ecclesiæ designatos Juris passus jam contineat, vel superet, utique exterius spatium *Asylo* non gaudebit; cùm Jura tantum ecclesiæ, non item Cœmeterio adjacenti spatio 40. vel 30. passuum concedat *Jus Asyli*.

34 Illud etiam cum Fagnano *loc. c.* & aliis advertendum, privilegium dicti spatii non se extendere ad domos extraneas Laicales, quæ infra dictos passus existunt, *arg. c. can. Definivit.* benè verò ad domos Clericorum Ministrorum ecclesiæ, *can. Quisquis 21. cau. 17. q. 4.* ibi: *Vel domos* (Clericorum nempe Glossa *ibid.*) *quæ intra dictos passus fuerint.* Cæterum sicut qui fugiens venit ad præfatum spatium 40. vel 30. passuum penes ecclesiam *Asylo* gaudet, sic etiam, qui postquam ad ipsam ecclesiam confugit, & in ea existit, eodem gaudet, etsi egrediatur ecclesiam, & moretur, vel deambulet intra dictum spatium ita ut inde violenter abstrahi non possit; dummodò non sit, vel deprehendatur, in domo extranea Laicali intra memoratum spatium 40. vel 30. passuum existente, prout expressè dicitur *c. can. definivit. 35. cau. 17. q. 4.* cui consonat Concilium Toletanum 12. quòd *can.* 10. ita statuit *his ipsis, qui ecclesias, per omnia licitum in 30. passibus ab ecclesia progredi, in quibus 30. passibus cujuscunque ecclesiæ in toto circuitu defendatur.* Hoc etiam inde patet quòd non sit major ratio, cur ab extra fugiens ad sæpè dictum spatium gaudeat *Asylo*, & non ab ecclesia ad illud rediens, ibique manens, & econtrà; ergo.

Imò Haunoldus *de jur. & justit. tom. 6. n.* 152. docet illos tantum, qui ad ecclesiam *asyli* fruendi gratia jam confugerunt, ibique existunt, in præfato spatio 40. vel 30. passuum gaudere *jure asyli*, si ex ecclesia, ubi existunt, ad illud necessitatis naturalis causa exeunt, vel progrediuntur, *arg. can. definivit, 35. cau. 17. q. 4.* Verum hæc doctrina adversatur non tantùm *can. sicut antiquitus 6 cau. 17. q. 4.* ubi indistinctè cuivis intra spatium 40. vel 30. passuum existenti conceditur *jus asyli*, sed etiam S. Congregationis Decreto; quo pariter indistinctè jubetur servari *asylum* intra spatium 40. vel 30. passuum, saltem in Cathedralibus, ac Collegiatis ecclesiis, ut videre est apud Fagnanum *l. c.* Item & alia S. Congregationis Declaratio suprà *n.* 32. allegata. Insuper adversatur DD. citatis, & communissimæ aliorum, præsertim *in c. can. sicut antiquitus*: Imò ibidem, omnium, teste Fagnano, qui itidem indistinctè docent, existentem in memorato spatio 40. vel 30 passuum gaudere *asylo*, sive dein ab extra illuc confugiat, sive ab ecclesia ad illud progrediatur. Accedit, quod ut jam dictum, non major, vel diversa, sed eadem ratio de uno ac de altero, consequenter eadem sit juris dispositio, ut proin audiendus in contrarium non sit Haunoldus *l. c.* 35

Ad *can. definivit, 35. cau. 17. q. 4.* respondetur, per illum probari quidem, quòd progredientes ab ecclesia intra spatium 40. vel 30. passuum gaudeant *asylo*, non item probari, quòd ii tantum gaudeant: cùm similis dictio exclusiva ibi non habeatur; consequenter per dictum Canonem non revocetur *can. Sicut antiquitus*. Universaliter cuivis in tali spatio existenti *asylum præbens*. 36

Dices cum Covarruvia *l. c. n.* 5. & Jul. Claro, quibus adhærere videtur Doctissimus Jacobus Vviestner *l. c. n.* 20. post Haunoldum *l. c. jus asyli in spatio* 40. vel 30. passuum sublatum esse consuetudine contraria, sicque non amplius observari posse, aut debere, *arg. c. fin. de Consuet.* Resp. I. cum Fagnano *in c. ecclesiæ h. t. n.* 20. S. Congregationem etiam post tempora Covarruviæ, & Julii Clari declarasse & decrevisse, *immunitatem* in frequenter adducto spatio 40. vel 30. passuum indistinctè servari, consequenter tacitè insinuasse, usu ac cōsuetudine immunitatem in tali spatio passim non esse sublatam, uti præfati opinabantur Doctores. Resp. II. Consuetudinem hanc non præsumi, sed debere probari, cùm sit facti, quod regulariter non præsumitur, sed probatione indiget per jura suprà *n.* 27. citata. Accedit, quod, etsi forsan in uno, aut altero loco consuetudo vigeret contraria, exinde non sequatur, eam etiam alibi, vel universaliter vigere. 37

Infertur, quod quia tum ex Jure, tum communi sententia Doctorum: tum ex S. Congregationis Decretis certum, vel quasi certum sit *immunitatem asyli* intra spatium, 40. passuum ecclesiæ majoris seu Cathedralis & 30. Ecclesiæ minoris, seu Capellæ, aut Sacelli de jure adhuc subsistere, Judices ecclesiastici in casu & loco, ubi de contraria consuetudine legitimè præscripta non constat, semper posse, ac debere illam omnimodè manutenere, ac malefactores pro viribus defendere, relinquendo potestati sæculari onus consuetudinem probandi, si quando vi illius extraditionem prætendit. Quænam autem requirantur ad probandam talem consuetudinem, habes *lib. 1. tit. 4. de Consuetud.* 38

II. *Jus Asyli* competit Cœmeteriis non tantum ecclesiæ contiguis, sed etiam separatis ab ea, dummodò authoritate episcopi sint erecta, & ad sepulturam fidelium depu- 39

deputata: Prima pars de Cęmeteriis contiguis est certa apud omnes. Idque probatur *ex Rubr. h. t. & ex c. Cùm Ecclesia 5. & c. fin. eod.* atque ex *Synodo Romana, ubi can. 4.* ita statuitur: *Sancimus, ut in eos, qui ad ecclesiam, vel Cœmeterium confugiunt, nullus manum mittere audeat: quod si fecerit, anathema sit.*

40 De Cęmeteriis separatis quoque habetur doctrina, ut videre est apud Barbosam *lib. 2. I. E. V. c. 3. n. 63.* Thuscum *V. ecclesia concl. 10. n. 3.* Farinac. *de immunit. eccles. n. 264.* Engel *h. t. n. 10.* & alios. Probatur tum ex juribus *n. præced.* citatis, quæ utpote generaliter loquentia generaliter de quovis Cœmeterio etiam separato sunt intelligenda, *arg. l. de Pretio ff. de Publician. in rem act.* Tum ex eo, quòd juxta dicenda infrà, & specialiter juxta Bullam Gregorii XIV. *Cùm alias* (quàm habes infrà *n. 82.*) omnia loca sacra & Religiosa gaudeant *jure asyli*; atqui talis est etiã Cœmeterium authoritate Episcopi erectum aut deputatum per dicta suprà *Tit. de Religios. Domib. n. 2.* & 3. ergo.

41 Dicitur notanter *authoritate Episcopi deputatis*; quia ubi constat, Cęmeterium ab ecclesia separatum, authoritate Episcopi erectum, vel pro sepultura fidelium deputatum non esse, *jure asyli* caret, etsi in eo jam aliqui essent sepulti. Ratio est; quia hujusmodi Cœmeterium non numeratur inter sacra loca, vel religiosa per dicta *tit. 36. de Religios. Domib. n. 3.* In dubio tamen supponitur Cęmeterium, si in eo jam aliqui sepulti jacent, authoritate Episcopi deputatum, consequenter Religiosum, & *Asylo* gaudens: quamvis enim terra aliqua *fiat sacra aut Religiosa authoritate Pontificis, non ex eo, quòd mortuus inferatur* ut ait Glossa *in can. in ecclesiastico 14. cau. 13. q. 2. arg. c. ad hæc de Religios. Domib.* tamen actus sepulturæ præteriti sufficientem præbent causam & signum prudenter præsumendi, Cęmeteriũ hujusmodi authoritate episcopi esse deputatum, ut cum aliis docet Farinac. *de immunit. eccles. n. 264.* Navarrus *in Manual. c. 25. V. Cœmeterium* & alii.

42 III. Competit *jus asyli* Oratoriis etiam privatis authoritate episcopi erectis, atque ad Divinum cultum deputatis, etiamsi non sint consecrata. Fagnan. *in cit. c. ecclesiæ h. t. n. 23.* & ibi Abbas *n. 7.* Jo. Andr. *n. 1.* Anchoran. *n. 2.* Sylvester *V. Immunitas, n. 1.* & alii cõmuniter. Ratio est, quæ suprà; quia hujusmodi Oratoria, etsi in domibus privatis existant, sunt loca Religiosa, *c. ad hęc de Religios. Domib.* hæc autem omnia gaudent *Asylo l. Pateant C. de his, qui ad eccles.* & Bulla Gregor. XIV. *Cùm aliàs* ibi: *Indistinctè locis sacris, aut Religiosis Jus Asyli* competere dicitur.

43 Nec obstat, quòd DD. communiter dicant, & S. Congregatio declaraverit, Capellas, aut Oratoria in palatiis aut domibus privatorum *asylo* non gaudere. Resp. enim cum Fagnano *l. c.* tam DD. quàm etiam S. Congreg. intelligendos esse de Oratoriis, & Capellis, quæ sine authoritate episcopi sunt erecta: qualia plura habentur in ædibus privatorum: hæc enim cùm Religiosa non sint, & ad nutum Domini iterum ad usum profanum applicari possint, ita, ut quod hodie est Oratorium, cras sit camera juxta voluntatem Domini, *asyli jure* minimè gaudebunt, etsi de licentia Papæ, aut episcopi sæpius in eo super Portatili celebratæ fuerint Missæ, uti tenet communis, & declaravit sæpius S. Congr. uti videre est apud Fagnan. *l. c.* & alios. Secus est de Oratoriis, aut Capellis in domibus privatorum authoritate episcopi erectis, & ad cultũ Divinum deputatis: hæc siquidem quia verè sunt loca religiosa, nec amplius ad usus profanos applicari possunt, *c. ad hęc 4. de Relig. Dom.* ac insuper jurisdictioni & visitationi Episcopi sint subjecta, non minus gaudebunt *asylo*, ac Oratoria publica Episcopi authoritate erecta.

44 Infertur proin contra Barb. *lib. 2. I. E. V. c. 3. n. 68.* ubi etiam citat Abbatem, & Jo Andream, qui tamen contrarium docent, in judicando, an Oratoriũ aliquod gaudeat *asyli jure*, non esse attendendum, an publicum sit, vel in domo privatorum, sed an authoritate Episcopi sit erectũ, nec ne; ita ut omne illud gaudeat hoc *jure*, quod dicta authoritate reperitur erectum, illud autem eodem careat, quod absque præfata authoritate existit erectũ, sive dein publicum sit, sive in domo privatorum cùm nõ locus publicus, sed authoritas Episcopi reddat oratorium religiosum, religiositas autem tribuat *jus asyli* per dicta.

45 IV. Idem *asyli jus* competit omnibus Monasteriis, & Conventibus Religiosorum, eorumque domibus, & habitationibus religiosis authoritate Episcopi erectis Fagnanus *in c. Ecclesiæ n. 28.* Barbosa *lib. 2. I. E. V. c. 3. n. 72.* Layman *lib. 4. tr. 9. c. 3. n. 9.* Lezana *V. Immunitas n. 3.* Sylvester *V. Immunitas*, cum communi, & certa aliorum, *arg. c. Quisquis 21. in fin. cau. 17. q. 4. l. Omnia Privil. C. de Episc. & Cler.* & Bulla Gregorii XIV. ibi: *Monasteriis, domibus, locisque sacris, aut Religiosis*: ubi Monasterii nomine veniunt non tantum interiora Monasterii claustra, cellæ, ac habitacula, sed etiam ejusdem hortus, area, domus familiarum, stabula animalium, officinæ, cunctaque alia loca, quæ intra Monasterii septa continentur. Barbosa *l. c.* Lezana *l. c.* Rambek *disp. 4. c. 4. n. 19.* Portel. *in dubiis Regul. V. immunitas* & alii communiter, *arg. l. Pateant C. de His, qui ad eccles. confug.* ibi: *Nec sola Altaria & Oratorium &c. sed quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus confugas interioris templi vice tueatur, & c. id constituimus cau. 17. q. 4.* atque Bulla Gregorii XIV. Ratio est: tum quia etiam hæc loca juxta communem in favorabilibus veniunt nomine Monasterii, & Religiosa sunt, cùm, quæ Religiosis adhærent, Religiosa sint, *43. ff. de Rei vindic.* Accedit ubique recepta *consuetudo, optima legum interpres, c. 8. de Consuetud. & l. 37. ff. de legib.*

Extendunt aliqui, ut Roderiquez, Diana, & alii hoc privilegium etiam ad domos, villas, & hospitia à Monasteriis separata, & quæ solius recreationis, vel œconomiæ causa, aut pro recipiendis hospitibus habentur. Verum contrarium est probabilius, ut docet Barbosa *l. c. n. 76.* citans Gambacurt. & Turlench. Ratio est; quia hæc loca, nulla ratione Religiosa sunt, cùm nec Religiosis locis adhæreant, ut supponitur, nec authoritate Episcopi erecta sint, utpote quę authoritate privata jam cõstructa emantur, vel donatione legatove accipiantur, aut propria authoritate absque requisito consensu Episcopi construantur, prout omninò fieri potest, juxta dicta *T. de ædificand. eccles.* Pariter *asylo* non gaudet exterior circuitus Monasterii (benè tamen ecclesię Religiosorum) per 30. passus, eò quòd jure solius ecclesiæ, & non Monasteriorum circuitui 30. passuum *jus asyli* dederint, *c. Sicut antiquitus cau. 17. q. 4.* 46

V. *Jus asyli* universaliter competit omnibus & singulis locis piis ad charitatis, misericordiæ, religionis &c. opera, aliumve pium usum destinatis locis authoritate Episcopi erectis, consequenter religiosis, qualia sunt Xenodochia pro pauperibus peregrinis, Nosocomia pro infirmis, Orphanotrophia pro educandis pueris & puellis, Hospitalia, seu Valetudinaria pro senibus, & debilibus, & alia hujusmodi. Barbosa *l. c. n. 67.* Abbas *in c. ecclesiæ h. t. n. 6.* & ibi Fagnan. *n. 27.* Layman *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 3.* Rambek *l. c.* & communis aliorum. Ratio est; quia hujusmodi loca authoritate episcopi erecta, sunt verè loca religiosa, *arg. c. ad hęc de Relig. Domib.* & amplius habes suprà *tit. 36. de Religios. Domib. n. 2.* & 3. atqui cuncta loca religiosa gaudent *jure asyli*, ut sæpè jam dictum, ac præter alia jura, clarè patet ex Novissima Bulla Gregorii XIV. *Cùm alias*: ibi: *Locisque sacris aut Religiosis*. Accedit, quòd privilegia ecclesiis concessa, etiam dictis locis concessa intelligantur, *l. Omnia C. de Episcop. & Cler.* ergo. 47

VI. Competit etiam *jus asyli* reis confugientibus ad SS. Eucharistiæ Sacramentum, quod portatur ad ægrotum, vel inde reportatur, aut in Processione circumfertur. Barbosa *l. c. n. 69.* Abbas *in c. Sanè de Celebrat. Miss.* Engel *h. t. n. 12.* Layman *l. c. n. 4.* Sylvester *V. Immunitas n. 1.* cum communi aliorum contra Covarruviam *l. c. n. 6.* citantem pro se Glossam *in can. Quæsitum cau. 13. q. 2. V. in Patibulis.* Ratio est: tum quia præsentia Christi sub speciebus Sacramentalibus pro tempore videtur facere locum sacrum, ac Religiosum; si enim, ut benè argumentatur Delbene, *ubi Papa, ibi Roma: Cur non ubi præsens Corpus Christi ibi etiam locus sacer, aut Religiosus?* Tum quia indecens videtur, quòd, cùm de Jure Civili, illi *jure Asyli* gaudeant, qui confugiunt ad statuas Principis, *l. un. C. de His, qui ad statuas confug.* isti tali Jure privati sint qui ad Regem Regum, ac Dominum Cœli & terræ confugiunt. Accedit Declaratio S. Congregat. edita in Melitensi 28. Maii 1626. apud Jacob. Pignatel. *Tom. 6. Consult. 4. n. 89.* illis verbis: *Carceratus sequens, & manu tenens fimbriam vestis Sacerdotis redeuntis ad Ecclesiam cum SS. Eucharistiæ Sacramento, gaudet Immunitate.* 48

Imò non tantum tangens vestem Sacerdotis portantem SS. Eucharistię Sacramentum, sed etiam associans se Processioni, aut illis, qui Sanctissimum comitantur, gaudet *Immunitate*. Barbosa *l. c. n. 69.* Engel *l. c.* Diana *p. 1. tr. 1. Resol. 28.* & alii satis communiter: tum ob dicta *n. præced* tum quia associati illi, aut comitantes omnes unà cum Sacerdote constituunt unam ecclesiam vivam, *ar. l. Ad Iul. Majest.* Accedit rursus, & doctrinam certam reddit Declaratio S. Congr. apud Jacob. Pignatel *l. c. n. 90.* illis verbis: *associans Processionem SS. Sacramenti gaudet Immunitate, 30. Septembris 1636.* 49

50 Limitatur tamen doctrina in casu, quo portatur Sanctissimum ad Reum in carcere detentum; hunc enim *Asylo* non gaudere, etsi tangat vestes Sacerdotis Sanctissimum portantis; tenent teste Covarruvia *l. c.* Omnes. Quibus accedit *consuetudo optima Legum interpres c. 8. de Consuetud.* Pariter *Asylo* non gaudet quis ex eo, quòd in sacra Communione sumat, & in se retineat SS. Sacramentum, ut habet communis, & confirmat consuetudo recepta. Ratio est; quia Eucharistia non sumitur, ut ab aliis in eo, qui sumpsit, colatur, sed ut sumens illud spirituali animæ cibo reficiatur. Minus *Asylo* gaudet fugiens ad Sacerdotem, dum S Oleum portat ad infirmos, Barbosa *l. c.* Sperel. *dec. 49. n. 4.* & communis, eò quòd huic neque jus, neque paritas rationis, nec consuetudo faveat.

51 VII. *Jus Asyli* competit etiam Palatio seu Domui episcopi. Barbosa *l. c. n. 70.* Sylvester *Vers. Immunitas 3. n. 1.* Fagnanus *in c. ecclesiæ h. t. n. 29.* Layman *lib. 4. tr. 9. c. 3. n. 3.* cum Glossa communiter recepta *in can. Id constituimus 36. cau. 17 q. 4.* ubi etiam textus expressus habetur illis verbis: *Id constituimus, ut à domo Episcopi Reos abstrahere omninò non liceat.*

52 Idque procedit non tantum in casu, quo dictum Palatium intra 40. passus ab ecclesia Cathedrali existit, in quo fermè omnes conveniunt, sed etiam, si longius distet. Abbas *in c. ecclesiæ h. t. n. 9.* & ibi Fagnanus *n. 29.* Castro Palao *tr. 11. disp un punct. 6 n 20.* Barbosa *l c.* Navarrus *in Manuali c. 25. n. 18* Innocentius & Hostiensis *in c. Inter alia h. t.* Covarruvias *l. c. n. 5.* Sylvester *l. c.* Layman *l. c. n. 4.* cum Glossa communiter recepta *in cit. can. Id constituimus cau. 17. q. 4. Vers. Vel domo* contra nonnullos à Barbosa citatos, *arg cit. can. id constituimus* ubi uti ex textu patet, Legislator generaliter ac indistinctè loquitur: ergo etiam indistinctè de quovis Episcopi Palatio, sive intra, sive extra 40. passus existente, est intelligendus, *arg. l. de Pretio ff. Publican in rem. act.* Ratio est; quia si solum Palatium, intra, & non extra 40. passus existens haberet *Jus Asyli*, eidem nihil speciale à reliquis domibus Clericorum competeret, cùm & his, si intra 40. passus existunt, idem privilegium competat juxta dicta superius *arg c. Quisquis 21 cau. 17 q. 4.* & benè observat cum Hostiensi Fagnanus *l. c.* Confirmatur ex eo, quòd Palatium Episcopi veniat etiam inter bona Religiosa, cum pœnæ ac eleemosynæ Religiosis locis ut sic destinatæ, etiam pro fabrica Palatii Episcopalis applicari valeant, ut cum communi docet Delbene *de immunitat. c. 16. dub. 9. §. 14. n. 18* Quibus accedit, quòd in dubio semper favendum sit Immunitati, Barb. *l. c. n. 69.* Sperel. *dec. 60. n. 13.* Decian. *Consil. 80. n. 22.* & magis dicetur infrà.

53 VIII. Competit *Jus asyli* Palatiis Cardinalium etiam illorum, qui non sunt Episcopi. Barbosa *l. c. n. 71.* Fagnanus *l. c. n. 32.* & alii communiter: quod licèt Jure probari nequeat, cùm nullibi reperiatur textus, & de cętero Cardinalium Palatia inter loca Religiosa non veniant; privilegio tamen, vel consuetudine *Jus asyli* eis competere potius supponant, quàm probent Doctores: quamvis practici Romani etiam illud testentur, privilegium hoc, vel consuetudinem, si quæ fuit, in Urbe Romana non amplius procedere, sed esse sublatum. Fagnanus *l. c. n. 33.* Tuschus *Vers. Ecclesia concl. 9. n. 12.* Pax Jordan. Lucubr. *lib. 2. tit. 3. n. 206.* ubi testatur delinquentes ex Cardinalium domibus ad carceres & supplicia fuisse abstractos, idque, ne ob *Asylorum* nimiam frequentiam delinquentes passim manerent impuniti cum gravi boni publici jactura.

§. III.

De Personis, quæ gaudent Jure Asyli.

S U M M A R I U M.

54 *Catholici Laici omnes utriusque sexus gaudent Asylo.*
55 *Etiam excommunicati, aut interdicti. Et n. seq.*
57 *Clerici secundùm aliquos non gaudent Jure asyli; usque ad n. 62.*
59 *Sanguinis sententiam ferre non possunt Clerici.*
62 *Clerici sæculares probabilius gaudent asylo: probatur usque ad n. 67.*
63 *Jus asyli est privilegium locale.*
64 *Exceptio unius firmat Regulam in contrarium.*
65 *Quòd quisque Juris in alterum statuerit, uti eo & ipse debet.*
66 *Declarationes Cardinalium pro clericis.*
67 *Respondetur ad fundamenta adversariorum usque ad num. 72.*
69 *Jus asyli à qua pœna liberet? Et n. seq.*
71 *Consuetudo non est universaliter contra Clericos.*
72 *Religiosi non gaudent asylo contra suos Superiores: probatur usque ad n. 77.*
73 *Jus asyli nihil prodesset Religiosis.*
74 *Religiosi possunt è loco sacro extrahi.*
75 *Solvitur instantia.*
76 *Religiosi, si habuissent jus asyli, non amplius habent contra proprios Superiores.*
77 *Judæi, ac cæteri infideles gaudent asylo.*
Solvitur L. 1. C. de His, qui ad Eccles.
78 *Leges Civiles disponentes de Ecclesiis, & earum personis etiam in earum favorem non valent.*
79 *Infideles qualiter sint digni favore Ecclesiæ?*
80 *Hæretici, si non ob hæresin fugiunt ad locum sacrum, gaudent asylo.*
81 *Procedit in Germania, sed non alibi.*

Experientia constat, varios ad asyla confugere Reos, seu Malefactores, tam Laicos, quàm Clericos; tam viros, quàm fœminas; tam Catholicos, quàm Hæreticos, imò ipsos etiam Judæos, Paganos, ac Infideles. Hinc quæstio ac controversia est, an omnes hi gaudeant Asylo?

Quæritur I. An Laici Catholici omnes gaudeant *jure Asyli*? Resp. I. Hos omnes & singulos (nisi habeant crimen exceptum, de quo, Paragrapho sequenti) cujuscunque ætatis, sexus, status, aut conditionis sint gaudere *jure asyli*, ita certa, & communis *arg. c. inter alia 6. h. t. & Bulla Gregorii XIV. Cùm aliàs*, quæ Bulla expressè de *Laicis*, & quidem de iisdem indistinctè ac generaliter loquitur, ibi: *Laicis ad Ecclesias confugientibus*; ergo etiam generaliter ac indistinctè de omnibus saltem Catholicis (utpote de quibus nulla est controversia) intelligi debet; cùm *ubi jus non distinguit nec nos distinguere debeamus, l. de pretio ff. de Publician. in rem act. & verba generalia generaliter sint intelligenda, c. Quia circa 22. de Privileg.* Pariter indistinctè ac generaliter sine status, ætatis, aut sexus differentia loquuntur *c. Inter alia h. t.* & alii Canones, ergo. 54

Resp. II. Laici Catholici gaudent *Asylo*, etsi sint personaliter interdicti, aut excommunicati, etiam denunciati, & publici Clericorum percussores. Covarruvias *lib. 2. Variar. Resolut. cap. 20. n. 11.* Layman *lib. 4. tr 9. cap. 3. n. 10.* Pirhing *h. t. n. 22.* Tuschus *Vers. Ecclesia concl. 10. n. 26.* Sylvester *Vers. Immunitas de Except. n. 2* Ratio est; contra Felinum *in c. A nobis de Except. n. 2.* Ratio est; quia Censuræ Ecclesiasticæ, etiam Excommunicatio non habent alios effectus odiosos, quàm in Jure expressos; cùm pœnæ non irrogentur, nisi expressè in Jure caveantur, nec ultra casus expressos extendantur per vulgaria juris, & *c. Odia de R. I. in 6* atqui nullibi in Jure reperitur Excommunicationis, vel alterius Censuræ effectus privans Malefactorem *Asylo*; ergo. 55

Dices. Excommunicati sunt privati communione Fidelium, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ; ergo ex consequenti saltem, privati quoque erunt *Asylo*. Resp. I. Censurarum effectus non obligare urgente periculo damni corporis aut vitæ, juxta communem tam Theologorum 56

quàm

quàm Canonistarum, ac dicenda *Lib. V.* præsertim quòd Censuræ sint pœnæ medicinales, non mortales, *ar. c. 1. de Sentent. Excomm. in* 6. Resp. II. Etsi dato non concesso quòd effectus Censurarum etiam cum periculo corporis & vitæ procederent, nondum sequeretur, Excommunicatos, aut Interdictos universaliter esse privatos *Asylo*, cùm *Excommunicatio* non prohibeat ingressum ecclesiæ materialis, sed communionem fidelium. *Interdictum* verò, licèt ingressum ecclesiæ vetet, tamen, hoc non obstante posset Interdictus ad ambitum ecclesiæ, ad Monasteriū, Hospitale, Domum Episcopi, &c. quæ omnia in odiosis non veniunt nomine ecclesiæ, *ar. c. in pœnis & c. Odia de R. J. in* 6 confugere, ibique *Asylo* gaudere, quod idem facere posset Excommunicatus, seque, ubi est, pro possibili solum, & à communione aliorum separatum retinere.

57 Quæritur II. An etiam Clerici, & Religiosi gaudeant *Jure Asyli*, ita ut delinquentes è loco sacro extrahi, vel in illo, aut extra puniri non possint? Ante responsionem nota, quæstionem tantum esse, an tuti sint contra judices ac Superiores Ecclesiasticos? contra Laicos enim Judices, Clericos ubique tutos esse, certum est ex privilegio Fori Clericis competente, de quo alibi.

Notandum ulterius plures, eosque gravissimos Doctores, ut Abbatem *in c. Inter alia 6. h. t. n.* 13. Roderiquez *To. 2 qq. Regul. q. 5. a. 4.* Sylvestrum *V. immunitas 3. q. 3. §. tertium* Azorius *p. 2. lib. 9. c. & q. 9. §. quid de Papano* Layman *lib. 4. tr. 6. c. 3. n. 11.* Sanchez *l. 6. Consil c. 1. dub. 8. n. 6.* Castro Palao *p. 2. tr. 11. Disp. un. pun. 7. n. 17.* Haunoldum *de Jur. & Just. Tom. 6. n. 168.* ac novissimè Doctissimum P. Jacob. Wisiner *in suo Jure Asylorum p. 3. a. 3. n. 18.* negativam tenere: moventur potissimum fundamentis sequentibus. I. Est Bulla Gregorii XIV. in qua licèt omnia Jura antiqua *Jus Asyli* concernentia ad unam reducantur formam, tamen nulla Clericorum, sed tantum Laicorum fit mentio, ibi: *§. Laicis ad Ecclesias confugientibus*; item *§. Curia sæcularis Laicum delinquentem*: item *§. Revocamus omnia privilegia Laicis concessa extrahendi delinquentes*. Ex quo ita argumentari licet: una specie ex duabus oppositis assumpta, altera censetur exclusa, *l. Si inter ff. de Except. rei vindic.* juncta Glossa *V. Directè contrariis in Clem. 2. de Testib.* ergo quia Laici, & Clerici sunt duæ species oppositæ, *can. Duo sunt cau. 12. q. 1.* illarum una assumpta, excluditur altera.

58 Quia *Jus Asyli* præcipuè eò collimat, ut Rei confugientes tuti sint in vita & membris, *ar. c. inter alia 6. h. t.* ibi: *Rectores Ecclesiarum sibi retinere debent membra & vitam*: atqui hic finis non respicit Clericos, vel Religiosos, utpote qui regulariter aliàs jam in his tuti sunt tam contra Laicos, quàm Ecclesiasticos Judices; cùm ab illorum jurisdictione sint exempti vi privilegii Fori: hi verò Reis pœnam sanguinis infligere haud possit, *arg. c. Clericis in fine, & c. Sententiam 9 prin. Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, intersit*; ergo.

59 III. Quia SS. Canones ipsi volunt, ut Clerici delinquentes per Judices Ecclesiasticos pœnis etiam gravioribus v.g perpetui carceris, verberationibus &c puniantur, *arg. c Novimus 25. §. Pro illo de V. S. & c. 1. de calumniatoribus*, cum Concordantiis.

60 IV. Si Clerici gauderent *Asylo* contra proprios Judices Ecclesiasticos, maximum sequeretur præjudicium disciplinæ Ecclesiasticæ, manerentque cuncta fermè graviora Clericorum, ac Religiosorum crimina impunita: hoc ipso, quòd Religiosi ordinariè omnes, Clerici verò sæculares plurimi in domibus 40. vel 30. passus ab Ecclesia existentibus, vel non longè inde distantibus habitent, ita ut contra punire volentes Judices, ac Superiores Ecclesiasticos plerumque excipere possent, dicendo, se esse in loco *Asyli*.

61 V. Probatur ex praxi & consuetudine fermè ubique vigente, qua videmus, Clericos tam sæculares, quàm Regulares delinquentes non obstante, quòd actu existant in loco *Asyli* passim, & liberrimè puniri, inde extrahi, & ad Triremes mitti, vel etiam in ipso sacro loco perpetuis carceribus mancipari, aut alia simili gravi pœna affici; ergo cùm *consuetudo sit optima Legum interpres, c. Cùm dilectus 8. de Consuetud.* in materia controversa juxta eam judicare oportet. Quibus non obstantibus

62 Resp. I. Clerici sæculares æquè ac Laici gaudent *Jure Asyli*. Fagnan. *in c. Inter alia 6. h. t. a n. 78.* & ibi: Barbosa à *n. 16.* Pirhing *h. t. n. 35.* Tuschus *V. Ecclesia concl 9. n. 17. & Concl. 11. n. 27.* Clarus *Pract. crimin. lib. 5. §. fin. q. 30. n. 16.* Guttierez *pract. qq. Civil. lib. 3. q. 3. n. 1.* Diana *p. 1. tr. 1. Resol. 24.* Roman *Consil. 227. per totum*, & communis aliorum, quorum plurimos citatos vide apud Barbosam *l. c.* quos in Theologia nostra Morali *Tr. 12. dist. 2. n. 19.* jam sumus secuti. Conclusio probatur I Canones in materia *immunitatis* generaliter ac indistinctè loquuntur, non distinguendo inter Clericos, & Laicos, uti videre est *c. inter alia 6. h. t. can. Reum 9. can. Diffinivit 35. cau. 17. q. 4.* cum Concordantiis, *ac L. 2. C. de His, qui ad Eccles. confug.* ergo generaliter ac indistinctè intelligendi sunt, *arg. c. Quia circa 22 de Privil. & l. de Pretio ff. de Publician. in rem act.* præsertim, quia per verba generalia negativa prohibetur, violenter extrahere Reum è loco *Asyli*; universale enim negativum vel maximè etiam clericos comprehendit, ut post Jo. Andream notat Fagnanus *l. c. n. 68.*

63 Probatur II. Privilegium *Asyli* est locale potiùs quàm personale, utpote concessum ipsis ecclesiis, aliisque locis Religiosis propter reverentiam & honorem eis debitum, *arg. can. Diffinivit. 35 cau. 17. q. 4.* ibi: *Ecclesiæ reverentia defendatur, can. Si quis reverentiam SS. Ecclesiarum non habuerit, & fugientem &c. can. Frater 10. ea. cau. & q.* ibi: *Nullus inter divina venerationi deputata &c.* cum Concordantiis. Atqui privilegium locale extenditur ad omnes in eo existentes, qui non sunt specialiter excepti, prout cum Communi etiam Adversariorum docent Bartolus *in l. fin. C. de Testam.* & Baldus *in l. Si non speciali C. de Testam.* qualiter excepti nullibi reperiuntur Clerici; ergo.

64 Probatur III Clerici non sunt deterioris conditionis quàm Laici; ergo illi non minus quam isti gaudent *Jure Asyli*; præsertim cùm ab hoc privilegio universaliter dato, nullibi reperiantur Clerici exclusi, sed potius inclusi ex eo, quòd certi Malefactores in specie à dicto privilegio sint excepti: exceptio enim unius firmat Regulam in contrarium, *arg. l. Quæsitum, §. Denique ff. de Fund. instruct. & c. 2. de Conjug. lepros.*

65 Probatur IV. Ecclesia juxta etiam Adversarios constituit *jus Asyli*, & præcepit universaliter, ut *nemo Reum ad Ecclesiam confugientem abstrahere audeat can. Reum. 9. cau. 17. q. 4.* cum Concordantiis, ergo & ipsa eandem Legem per suos judices Ecclesiasticos observare debebit; quia *quòd quisque juris in alterum statuerit, ipse debet uti eo, & sapientis dicat authoritas: patere Legem, quam tu ipse tuleris, c. Cùm omnes, 6. de Constit.* Accedit, quòd eadem Ecclesia omnibus universaliter, consequenter etiam judicibus Ecclesiasticis prohibuerit Reum extrahere, *arg. cit. c. 22. de Privileg.*

66 Probatur V. Et quidem efficaciter ex repetitis Declarationibus S. Congregationis Cardinalium, quarum unam refert Barbosa *in Collect. Bull. V. Immunitas*, plures etiam adducit novissimè Jacob. Pignatel *To. 6 Consult. 4. n. 101.* unam illis verbis: *Immunitate gaudent Clerici qui post delicta patrata ad Ecclesias confugiunt extra casus in Bulla Gregoriana comprehensos, quo in casu Abbatis opinio communiter est rejecta, & reprovata. S. Congregatio in Tropien. 24. Jan. 1617.* Alteram *n. 110.* illis verbis: *Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudent Immunitate, etiam respectu utriusque judicis. Eadem S. Congregatio in Faventina 20. Augusti, 1601. & in Tropiens. 24. Januarii 1617.*

67 Ad fundamentum in contrarium, & quidem ad *primum* ex Bulla Gregoriana desumptum, Resp. cum Fagnano *l. c. n. 95* In Bulla Gregoriana non ideò de solis Laicis fieri mentionem, quasi verò Clerici Asylo non gauderent, sed ideò, quia Papa eam principaliter edidit pro favore Laicorum, contra Principes, & Potestates sæculares, qui prætextu Privilegiorum, & Indultorum, quibus abutebantur, delinquentes Laicos pro libitu extrahebant, uti patet statim ad initium Bullæ. Et quia contra Clericos similia Indulta non habebant, nec aliquem extrahebant, imò defectu jurisdictionis in eos, extrahere nullum poterant, non erat necesse, nec fini Bullæ conveniens, de Clericis aliquam facere mentionem.

68 Ad *secundum* respondetur, quamvis *jure asyli* præcipuè protegantur vita, & membra, tamen, vi illius etiam ab aliis pœnis immunes sunt existentes in loco *Asyli*, *arg. c. Inter alia 6. h. t.* ibi: *Non possunt condemnari ad mortem,*

vel

vel ad pœnam, ubi Gl. ait, *ab omni pœnarum genere sint securi*, id quod expressè etiam habetur *can. Id constituimus 36. cau. 17. q. 4.* ibi: *Et à morte*, & debilitate, & omni pœnarum genere sint securi.

69 Ad *Tertium* respondetur, posse & debere Clericos per Judicem Ecclesiasticum puniri, etiam gravissimis pœnis, si extra locum *asyli* deprehendantur, aut capiantur, secus, si ad illum securitatis gratia se conferant. Pœnis vero levioribus, vel etiam aliquo modo gravioribus, non tamen criminaliter, & ad publicam vindictam, sed correctionis, ac disciplinæ Ecclesiasticæ gratia infligendis posse etiam in ipso sacro, ut Religioso loco capi, aut puniri; quia ab hoc pœnarum genere solam correctionem ipsius delinquentis respiciente non liberat *Jus Asyli*, *ar. Inter alia 6. h. t.* ibi: *Super hoc tamen, quòd iniquè gessit, est aliàs legitimè puniendus*, sicut nec à præstanda læso satisfactione competenti eximit, *ar. can. Reum. & can. Id constituimus cau. 17. q. 4.*

70 Ad *quartum* respondetur, illam sequelam in Clericis sæcularibus non adeo esse timendam: tum quia pleræque eorum domus etiam dum propè Ecclesiam sunt, tamen intra 40. vel triginta passus non existant. Tum quia etsi ibique maneant, variis pœnis *jus asyli* non violantibus, v.g. Censuris, depositione ab Officiis, privatione Beneficii, ac etiam aliis correctivis juxta dicta *n. præc.* coerceri possunt, præterquam ob delicta excepta per judices suos extrahi possint ut Laici; consequenter delicta earum non maneant impunita, uti benè observat Fagnanus, & Barb.

71 Ad *quintum* respondetur modo, quo suprà de consuetudine adversus *jus asyli* intra 40. vel 30. passus ab Ecclesia, quod videlicet cum sit facti, probari debeat, & probata in uno loco, non noceat *asylo* loci alterius, & per consequens in casu occurrente, pro *immunitate* judicandum, ac excipienti, onus probandi consuetudinem imponendum sit: Vide dicta *n. 37.* Verum quamvis hæ responsiones fundamentis adversariorum videantur satisfacere, fatendum tamen ea per illas non ita enervari, quin sententia contraria, videlicet, quod Clerici non gaudeant *jure asyli* contra judices proprios Ecclesiasticos, maneat adhuc probabilissima, adeò, ut eidem adhærendum videretur, nisi aliud suaderent repetitæ Declarationes Cardinalium *n. 66.* citatæ: quales quia de Religiosis non exstant, ideo

72 Resp. II. Ad quæsitum principale *n. 57.* positum, Religiosi vel nunquam fuere gavisi, vel certè, si gavisi sunt, defactò non gaudent amplius *jure asyli* contra Superiores proprios. Prima pars, quòd scilicet de jure nunquam gavisi sint *asylo*, docetur ab omnibus DD. *n. 57.* citatis, cum quibus etiam sentit Roder. *to. 2 q reg q. 51. a 4.* Portel. *in dub. reg V. Ecclesiæ Immun.* ac plures alii contra DD. citatos *n. 62.* qui universaliter docent, Clericos tam Regulares, sive Religiosos quam sæculares gaudere *asylo*. Probatur autem eadem prima pars Conclusionis in primis per fundamenta allegata *num. 57.* utpote, quæ etiam de Religiosis procedunt, ut consideranti patet.

73 Probatur efficaciter secundò: *jus asyli* penitus nihil prodest, nec ullum favorabilem parit effectum Religiosis contra proprios Superiores: ergo eis non competit. Probatur Ant. Si quid eis prodesset, tunc illos tutos redderet à pœna mortis, vel mutilationis, vel ab alia pœna gravi, vel etiam levi, & efficeret, quòd per sententiam ad pœnam condemnari non possent, nec violenter è loco *asyli* extrahi (hi enim sunt effectus *immunitatis* per dicenda infra §. 6.) atqui nihil horum respectu Religiosorum contra Superiores proprios efficit *jus asyli*; ergo Probatur Min. Nam primò non reddit eos tutos in vita & membris, quia in his alias jam absque *jure asyli* tuti sunt contra proprios Superiores; cum hi pœna sanguinis afficere nullum possint, *ar. c. ne Clerici, vel Monachi*. Deinde non liberat eos ab aliis gravibus pœnis, nec à sententia condemnatoria ad illas; cum Superiores Regulares tam ex Jure communi, quàm ex Statutis particularibus à S. Sede approbatis: ac etiam ex consuetudine notoria possint non tantùm formare Processum judiciarium ac criminalem, atque per sententiam condemnare delinquentes ad gravissimam pœnam v.g. perpetui carceris, Triremium &c. sed etiam easdem exequi, uti patet ex *c. Dilectus il 2. de Sim.* Item ex Bulla Gregorii XV. *Universi Dominici* quæ est 34. in Bull. Cherub Tom. 3. vi cujus possunt Sollicitantes in confessionali ad perpetuos carceres condemnari vel etiam ad Triremes; ac videre est in Statutis Ordinum, atque consuetudo confirmat; ergo. Minus immunes sunt Religiosi delinquentes à levibus pœnis: tum quia harum illatio, correctionis causa facta non obest *Immunitati* juxta ipsos Adversarios: tum quia si Superiores non obstante loco *asyli* possent deliquentes afficere gravibus pœnis, poterunt etiam levibus: nam, *cui licet, quod plus est, licet utique quod est minus, c. 53. de R. J. in 6.*

74 Tandem etiam non efficit *jus asyli*, quin Religiosi violenter possint è loco *asyli* extrahi; quia possunt de Jure communi, & statutario ab Ordine etiam nolentes expelli, ut constat ex *tit. de Regularib. § 8* ac etiam condemnari & mitti ad Triremes juxta dicta *n. præc* ex quo patet infirmam esse responsionem Fagnani *l. c. n. 92.*

75 Dices cum Barbosa *in c. inter alia h. t. n. 27.* Hæc omnia verificari, si Religiosus delinquat in ipsa Ecclesia, vel Monasterio; quia tunc indignus est protectione loci Religiosi, cui injuriam irrogavit, vel si extra quidem delinquat, redeat ad Monasterium, aut Ecclesiam non *asyli* fruendi gratia, sed ex alia causa; secus esse, si extra Monasterium, vel alium locum sacrum delinquat, & dein se conferat ad illum animo fruendi *asylo*. Resp. etiam in hoc casu Religiosos non gaudere *asylo*, sive enim in, sive extra Monasterium delinquant; item sive animo fruendi *asylo* ad Monasterium redeant, aut ibi maneant, præfatis gravibus pœnis puniri, ab Ordine expelli, & etiam ad Triremes mitti possunt, juxta Jus commune, Bullas Pontificias, Statuta Ordinum, ac ubique notoriè vigentem consuetudinem. Accedit, quod quis non privetur *asylo* ex eo quia delinquit in loco *Immunitatis*, nisi ibidem committat homicidium, vel mutilationem juxta dicenda infrà *§. seq.* Neque è loco sacro extrahi possit, etsi ibi sine animo fruendi *asylo* sit, ut benè notat Fagnanus *in c. Inter alia h. t. n. 86. arg can Diffinivit cau. 17 q. 4.* Consequenter, cum ex confessione Barbosæ & Sequacium Religiosi non gaudeant Asylo, quo tamen alii in simili casu gaudent, signum manifestum est, eis hoc jus omnino non competere.

76 Probatur secunda pars, nempe quòd etsi de jure aliquando gavisi essent, defactò tamen non amplius gaudeant Asylo Religiosi contra suos Superiores Regulares; cum enim *jus asyli* non nisi jure humano sit introductum juxta dicta *n. 21.* contra hoc autem valeat consuetudo, *c. fin. de cons.* certum ac indubitatum est, dicto juri quoad Religiosos per consuetudinem plenè esse abrogatum, eo quòd universalis praxis ac consuetudo apud omnes Religiones notoriè vigeat (ita ut probatione non indigeat, uti de aliis consuetudinibus diximus *n. 71.* & alibi) graviter etiam Carcere perpetuo, ac Triremibus, vel expulsione ab Ordine &c. puniendi delinquentes Religiosos sive in, sive extra Monasterium delinquant; sive cum sive absque animo fruendi Asylo in Monasterio, aut alio loco Religioso sint. Quæ consuetudo & praxis non tantum a SS. Pontificibus toleratur, sed etiam commendatur, ac specialibus Bullis confirmata, atque propriis Ordinum Statutis à S. Sede approbatis stabilita est; ergo.

77 Quæritur III. An Judæi, Pagani, ac cæteri Infideles, qui in Christum non credunt, gaudeant *asylo*? Resp. omnino probabilem esse affirmativam; etiamsi ad veram Fidem se convertere nolint. Fagnanus *in c. inter alia 6. h. t. n. 60.* Sylvester *V. immunitas n. 2. & 3.* Archidiaconus *in c. definivit cau 17. q. 4.* ac plures alii citati a Fagnano *l. c.* Barbosa *lib. 2. I. E. V. c n 44.* contra Covarruviam *lib. var. res. c 20. n. 11* Clarus *lib. 5. § fin. q. 38 n. 17.* & alios. Idque probatur: tum quia jura universaliter ac indistinctè loquuntur, uti videre est *can. reum cau. 17. q. 4. c. Inter alias 6. h. t.* cum Concordantiis. Tum quia *jus asyli* est privilegium locale, non personale juxta dicta, Tum quia favores sunt extendendi *c. Odia de R. J. in 6.* Tum quia exceptio unius firmat Regulam in contrarium per dicta *n. 64.* Tum quia accedit exemplum Legis veteris, ubi non tantum pro Judæis, sed etiam pro peregrinis erat locus *asyli Josue, c. 20* Quorum nomine veniebant etiam Gentiles, ut patet ex *Reg. 3. c. 8. Exodi c. 12. Levitici c. 17 19. & 24.* cum ergo ad similitudinem Legis veteris *jus asyli* in nova fuerit constitutum, non debet esse minoris favoris, præsertim quia nova dicitur *Lex gratiæ*. Tum tandem, & vel maximè quia ita declaravit S. Congregatio 1631. teste Barbosa *l. c.*

78 Nec obstat, quòd *l. 1. C. de his, qui ad Eccl. confug.* habeatur; hos non gaudere *Jure asyli*, nisi animum se convertendi habeant. Nam contra est, quòd Lex Civilis, in quantum nominatim disponit de Ecclesiis ac Ecclesiasticis personis, sit invalida, ac minimè attendenda, etiamsi *Ecclesiarum commodum respiciat, & favorem*, uti expressè statuitur *c. Ecclesia S. Mariæ de const.* multò magis ubi vergit in ejus præjudicium, uti est *l. 1. C. de his, qui ad Eccl. confug.* in quantum restringit *immunitatem* Ecclesiæ a SS. Canonibus indistinctè concessam. Nec juvat dicere Leges Civiles in materia *immunitatis* esse canonizatas, *c. inter alia 6. h. t.* ubi præscribitur, ut procedatur in hac materia *juxta SS. Statuta Canonum, & traditiones* Legum Civilium, cui concordat *can. id constituimus, cau. 17. q. 4.* Nam respondetur, Leges Civiles esse canonizatas in eo, in quo non minuunt, ac restringunt *immunitatem* Ecclesiarum: secùs in eo, in quo eandem restringunt, eique præjudiciosæ existunt, ut in præsenti.

79 Dices. Non est dignus, ut ab Ecclesia defendatur, qui Ecclesiam contemnit, *arg. c. fin. h. t.* atqui Infideles Ecclesiam contemnunt: ergo. Resp. Majorem non universaliter procedere, alias enim etiam Excommunicati, qui utpote inobedientes ac contumaces vel maximè videntur contemnere Ecclesiam, non gauderent Asylo, quod tamen falsum, & contra ipsos Adversarios est, ut patet ex dictis *n. 55.* Item quòd committentes alia crimina v. g. furtum, adulterium &c. in Ecclesia non gauderent *asylo*, quod rursus plures negant Adversarii, ergo. Procedit ergo Maj. ad præsens solummodò in eo casu, quo quis committit homicidium, aut mutilationem in ipsa Ecclesia, aut loco sacro, *ar. c. c. fin. h. t.* & magis patebit infrà *§. seq.* Accedit, quod licèt Infideles sint indigni favore Ecclesiæ, si spectatur eorum persona, tamen eodem censeantur digni, si consideratur sanctitas loci, & reverentia ei debita, ob quam competit *Jus asyli*.

80 Resp. II. Etiam Hæretici gaudent *asylo*, si non propter crimen hæresis, sed ob aliud delictum fugiunt ad Ecclesiam, aut alium Religiosum locum. Sylvester *V. Immunitat 3. q. 3.* Pirhing *h. t. n. 40.* Haunoldus *de jur. & just. to 6. tr. 1. n. 161.* Sannig *h. t. c. 2. n. 7.* Zoesius *h. t. n. 16.* Guttierez *pract. qq. Civil lib. 3. q. 1. n. 28.* & alii contra Covarruviam *c. c. 20 n. 11.* Probatur Conclusio iisdem argumentis, quibus præcedens. Quibus non obstat Bulla Gregoriana, ubi ab *asylo* excluduntur *hæresis rei*. Resp. enim quòd in casu, quo hæreticus non ob hæresin, sed ob aliud crimen fugit ad Ecclesiam, hæresis se habeat merè per accidens; nec Const. Gregoriana hæreticum excludit, nisi quatenus per locum *asyli* declinare vult pœnam ob hæresin infligendam.

81 Hinc in Germania ubi hæretici tolerantur, nec ob hæresin quis quid patitur, hæc sententia passim practicatur. Quæ tamen in aliis locis, ubi est S. Inquisitionis Officium, vix prodesset, hoc ipso, quòd hæretici ibi non tolerentur, sed, ubi sciuntur, etiam è loco sacro extrahantur: nam postquam legitimè sunt extracti, utique poterunt dein etiam ob alia delicta extra locum sacrum condemnari, ac puniri; cum nihil amplius obstet.

Fieri solet contra hanc Conclusionem objectio posita *n. præc.* sed solvitur eodem modo, quo ibidem.

Dixi notanter, *si non ob hæresin*; ob hanc enim si ad Ecclesiam confugit hæreticus, certum est, eum non gaudere *asylo*, ut patebit ex *§. seq.*

§. IV.

De Criminibus, quæ gaudent, vel non gaudent Jure Asyli. In specie de Latrone, Grassatore, Depopulatore Agrorum, & Occidente, vel Mutilante in Ecclesiis, vel Cœmeteriis.

SUMMARIUM.

82 *Bulla Gregorii XIV. de jure Asyli.*
83 *Obligat omnes, & ubique. Et duobus n. seq.*
Ex Præmio colligitur finis Legis. Ibid.
86 *Promulgatio Legis Romæ facta, sufficit ad obligandum ubique.*
87 *Observatio practica adversus contrarium docentes.*
88 *Omnia crimina specialiter non excepta gaudent Asylo.*
89 *Excepta quæ sint?*
90 *Publicus Latro caret Asylo; quis sit?*
91 *Requisita ad publicum Latronem. Et duobus numer. seqq.*
94 *Grassator viarum caret Asylo; quis sit?*
95 *Violenter spoliantes domos, carent Asylo.*
96 *Non item Fures.*
97 *Depopulator Agrorum quis sit? caret Asylo.*
98 *Etiam diurnus.*
99 *Item qui in Ecclesiis, vel Cœmeteriis occidunt, aut mutilant.*
100 *Mutilatio ad propositum quid?*
101 *Vulnerans in Ecclesia gaudet Asylo.*
102 *Qui existens extra Ecclesiam existentem in Ecclesia occidit, vel mutilat.*
103 *Aut fieri mandat, non gaudet Asylo. Et duobus num. seq.*
Mandati effectus potius imputatur mandanti, quam executori. Ib.
106 *Qui existens in Ecclesia occidit vel mutilat existentem extra.*
Vel id fieri mandat, non gaudet asylo. Et n. præc.
Prope Ecclesiam in porticu v. g. vel in horto Monasterii occidens gaudet asylo. Et duobus n. seqq.
Dictio Ipse est personalissima.
Examinatur Declaratio Clementis VIII.
Ob furtum, vel alia delicta in Ecclesia commissa, nullus privatur asylo.

PRo hujus Paragraphi, sicut & totius Tituli præsentis de *Immunitate* majori intelligentia necessarium est scire Bullam Greg. XIV. *Cum aliàs* editam An. 1591. quæ est in Bullario Cherubini ordine 7. *const.* dicti Pontificis, cujus Tenorem hic per extensum subjungo. 82

GREGORIUS PAPA XIV.

Ad perpetuam Rei memoriam.

CUm aliàs nonnulli Prædecessores nostri, & præsertim fel. rec. Sixtus Papa V. nec non Pius etiam V. sancto zelo ducti, diversas facultates & indulta extrahendi etiam in casibus quibusdam à Jure non permissis, ex Ecclesiis criminosos, & delinquentes, compluribus sæcularibus Principibus, eorumque Curiis, & Magistratibus sub variis modis & formis concesserint, prout in illis pleniùs continetur.

§. 1. Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem & differentiam hujusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Ministri, ex hoc ipso diversimodè, etiam latius, quàm par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cœperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis, Libertatis, & Immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem: alibi vero ne ipsos quidem Laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quòd populis inveterata erga Ecclesias reverentia devotis & assuetis, scandali potiùs, quam quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpenumerò secutum est, ut infimæ interdum conditionis Laici, non modo juris, sed etiam litterarum penitus ignari & imperiti, dum quasi Potestates, & Ministri Curiæ sæcularis in aliquo Castro, aut Oppidulo jurisdictionem exercebant, facultatum & indultorum hujusmodi limites longè excesserint; eaque suo arbitratu in sensus minùs rectos, & ab intentione concedentis omninò alienos detorserint, & illorum prætextu, quidquid sibi in mentem venit attentare præsumpserint, in grave jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ præjudicium, Locorum & Personarum divino cultui dicatarum contemptu, ipsius divinæ Majestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis à domino Pastoralis Officii munere, prædictis absurdis, & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, & ne Ecclesiastica jura planè conculcentur, & negligantur, opportunè providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus V. Prædecessor noster iisdem de causis motus, statuere

re decreverat, licèt morte præventus, hoc adimplere nequiverit; ita tamen, ut quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perversorum hominum malitia exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda eorum facinora, ultra id, quod prisca illa Majorum nostrorum disciplina, & vetus SS. Canonum norma præscripserat, in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, permittamus.

§. 2. Hac itaque nostra perpetuo valitura Constitutione, omnia, & quæcunque privilegia, indulta & gratias, tam per dictum Sixtum, ac Pium V. quam alios quoscunque nostros Prædecessores, aut nosmetipsos, Sedem Apostolicam ejusque Legatos, super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis Monasteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, locisque sacris, aut Religiosis, aliisque in casibus Jure permissis, hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis urgentissimis ac necessariis, & æquipollentibus casibus in Jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extensis, perpetuò, vel ad nondum elapsum tempus quomodolibet concessa, etiam iteratis ac multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac usu recepta, litterasque Apostolicas sub plumbo, aut in forma Brevis, seu alias quomodocunque desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis, sublata pœnitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus, & moderamur.

§. 3. Ut Laicis ad Ecclesias, locaque sacra & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, publicasque stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cœmeteriis committere non verentur; aut qui proditoriè proximum suum occiderit aut assassinii, vel hæresis, aut læsæ Majestatis personam ipsiusmet Principis rei. Immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed universis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis, tam Sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus, districtè præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut Laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, Domos & alia loca supradicta sacra, seu Religiosa, respectivè confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquod judicio suo commisisse videbuntur, quando à Curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris & officialibus Curiæ sæcularis absque Irregularitatis nota, aut alicujus Censuræ Ecclesiasticæ incursu, tradi & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.

§. 4. Ne autem Curiæ sæcularis prædictæ Ministri facultate illos per se & propria auctoritate extrahendi & abducendi, sibi olim, ut præfertur, attributa, & per præsentes revocata abutantur, Volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia sæcularis, ejusque Judices & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, Locisque Sacris prædictis Laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus suprà dictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ, ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores ab hac Sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios: capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ Personæ Ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi intervenire, & assistere recusarint, tuncque reverentiæ Ecclesiæ, & Locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quoad id fieri poterit, scandalo & tumultu extrahere curent.

§. 5. Quodque delinquentes Laici prædicti, postquam, ut refertur, ab Ecclesiis locisque extracti & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto & firmo carcere, ac opportuna custodia, data illis, si opus fuerit, per curiam sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superiùs expressa commiserint: tuncque demum de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari, quacunque appellatione seposita, consignentur.

§. 6. De crimine verò hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea Curia sæcularis se quoquo modo intromittat.

§. 7. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas, sæculares, aut cujusvis Ordinis vel Militiæ etiam S. Joannis Hierosolymitani Regulares, quoquo modo etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos Juris per præsentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illasve ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Locisque Sacris, aut Religiosis, etiam in casibus in hac Constitutione expressis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus, alias quàm de jure, & per privilegia eisdem Ordinibus, ac Militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant.

§. 8. Quod si quis quacunque dignitate, & authoritate præditus, præmissorum, aut alio quovis prætextu quidquam præter, aut contra hujus nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus, eum ipso facto Censuras & pœnas easdem incurrere; quæ contra Libertatis, Iuris Immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per Sacros Canones, Conciliorum Generalium, nostrorumque Prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ.

§. 9. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis causa & instantia judicari & definiri debere; nec non irritum decernimus, & inane, si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus præmissis tam Sixti, & Pii V. quam aliorum quorumcunque Prædecessorum nostrorum Litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibusvis personis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebuspublicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & Locis, eorumque Curiis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut Præsidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis vel aliis etiam gravioribus & urgentibus causis, tam illorum intuitu, & contemplatione, sive ad eorum preces & instantiam, quam etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, ac per modum statuti & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, de Fratrum nostrorum consilio, & quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis præservativis, restitutivis, mentis attestativis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque validissimis & efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiamsi inibi caveatur expressè, quod illis, nisi sub certis modis, & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum favorem concessæ fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris, vel momenti, & alias quomodolibet concessis, etiam sæpiùs approbatis, & innovatis. Quæ omnia & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adversentur, aut plures, quàm superiùs expressos casus contineant, auctoritate, & tenore præmissis omninò, ac perpetuo tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis quoad superius descripta duntaxat reducimus, & nolumus, cuiquam de cætero suffragari, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel adverbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem præsentes Litteræ &c. Datum Romæ in monte

Quirinali An. Incarnationis Dominicæ Millesf. quingent. nonag. primo, nono Calendas Junii, Pontificatus nostri anno primo.

83 Quæritur I. An hæc Bulla omnes, & ubique obliget? Rationem dubitandi præbere se putavit Guttierez *lib. 3. pract. qq. Civil q. 1. n. 36.* ubi (salva Censura S. Ecclesiæ, cui modestè se subjicit) docuit, per hanc Bullam, Pontificem aliud non intendisse, quam revocare privilegia Apostolica extrahendi Laicos delinquentes, quibusdam Principibus concessa: consequenter sola obligare illa loca, ubi habebantur talia privilegia non item aliis in locis; ut proin alia loca quibus similia privilegia non erant, in materia *immunitatis* ad hanc Bullam attendere non habebant, sed juxta Juris communem dispositionem in omnibus procedere possint ac debeant, etiam in illo, in quo est huic Bullæ contraria. Idque probari conatur tum per Bullæ Prooemium, ex quo finalis causa Legis dignoscitur, *arg. l. fin. de Hæred. institut. & leg. fin. §. de Jur. ignorat.* Prooemium autem de solis abutentibus privilegio loqui videtur. Tum ex eo, quod Papa nullibi in Bulla dicat se mutare, aut corrigere Jus commune: *quod autem non mutatur, quare stare prohibeatur, l. Sancimus. C. de test. & l. Præcipimus. C. de Appel.* Quibus non obstantibus

84 Resp. Præfata Bulla Gregorii XIV. obligat omnes in toto Orbe Christiano, & ubique in utroque Foro observanda est. Farinacius *in append. de immun. Eccl. c. 2. n. 8.* Fagnanus *in c. inter alia h. t.* Barbosa *lib. 2. I. E. V. c. 3.* Castro Palao *p. 2. tr. 11. disp. unica* & ferè omnium aliorum post dictam Bullam scribentium, contra Guttierez *l. c.* in hoc prorsus singularem. Ratio est; quia quævis Constitutio Apostolica non pro certo loco, vel certis personis, sed universaliter lata, obligat in utroque Foro omnes, & ubique, prout habet unanimis, *arg. cap. 1. de constitut.* & amplius diximus *Lib. 1. Tit. 2. §. 12. numer. 263.* Talis autem est Bulla Gregoriana, uti patet ex multiplici vario textu ejusdem, nam §. 3. præcipit *omnibus & singulis*, ut præscripta observentur. Dein §. 8. pœnis subjicit *quemcunque* sine distinctione loci aut personæ, *qui quovis prætextu quidquam præter aut contra hujus Constitutionis tenorem attentare præsumpserit &c.* Accedit universalis, & ubique etiam in locis, ubi indulta Apostolica *Asylo* contraria non erant, vigens praxis ac consuetudo, *quæ est optima Legum interpres capit. Cum dilectus. 8. de Consuetud.*

85 Nec aliud probatur ex Prooemio, licet enim ex eo habeatur, abusus privilegiorum fuisse etiam aliquam causam impulsivam faciendi uniformem Constitutionem, tamen ex eo non probatur, quod pro solis locis privilegia contraria habentibus, aut contra solas privilegiatas personas fuerit facta: Tum quia contrarium apertè habetur in contextu, ubi generaliter de omnibus loquitur: Tum quia etiam in eodem Prooemio manifestè declarat Papa, finem suæ Constitutionis esse omnia circa *Jus Asyli, ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucida interpretatione submovere, abusus tollere &c.* ergo. Per quod patet ad primam rationem Guttierez. Ad secundam autem respondetur negando, quod Papa non correxerit in aliquo Jus commune, cum §. 1. ad finem expressè dicat *se ultra id, quod vetus Sanct. Canonum norma præscripserat in quibusdam casibus, aliqua permittere*. Accedit, quòd per Legem subsequentem prior contraria censeatur revocata; aut immutata; etiamsi ejusdem mentionem non faciat Legislator per dicta *Lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 19. num. 491.*

86 Dices. Bulla Gregoriana non ubique fuit promulgata ergo non omnes, nec ubique obligat; cum ad Legis obligationem promulgatio omninò sit necessaria, *ar. can. 3. dist. 4* & diximus amplius *lib. 1. tit. 2. de const. §. 5.* Resp. Transmisso Ant. negando Consequ. quia ad hoc, ut Lex seu Constitutio Pontificia ubique, & omnes christianos obliget non requiritur, ut ubique promulgetur, sed sufficit, quòd Romæ in locis consuetis sit promulgata, prout amplius probatum est *l. 1. tit. 2. de const. §. 5. à n. 118. & à n. 134.* ubi pro hac sententia conclusimus.

Viderint autem reliqui DD. tenentes, ad obligationem Legis, aut constitutionis Pontificiæ non sufficere, quòd Romæ sit promulgata, sed requiri, ut in singulis provinciis, seu Dioecesibus promulgetur: quomodò adversus Potestates sæculares, seu alias in emergenti casu solvant hanc objectionem contra præfatam vel etiam aliam Constitutionem Pontificiam non ubique promulgatam, v. g. contra Decreta damnantia Propositiones damnatas &c. Sanè non apparet, quomodo evadere queant, nisi grandia absurda, & sequelas perniciosas Ecclesiæ admittant. Et profectò inter doctrinas ac sententias Ecclesiæ Catholicæ, ejusdemq; Authoritati, S. Regimini perniciosas jure optimo (salvo meliori judicio) numeratur illa, quæ dicit, Bullam, seu Constitutiones Romæ promulgatas non obligare in aliis locis, ubi non sunt promulgatæ, etsi ibidem sufficiens Legis notitia habeatur. Cum enim hujusmodi Constitutiones quantumvis sanctissimæ in his partibus vel nullæ, vel paucæ promulgentur (nescio quare) passim spernuntur, negliguntur, & parum curantur etiam ab illis (quod dolendum) qui suo exemplo alios ad debitam Ecclesiæ Sanctæ obedientiam, ac reverentiam movere deberent. Optandum sanè, ut aliquando S. Sedes rejectis annumeraret dicentem, Constitutiones Pontificias Romæ promulgatas non obligare in aliis locis, ubi promulgatæ non sunt, etsi sufficiens de eis notitia habeatur. 87

Objicies II. Præfatam Bullam Gregorii XIV. esse consuetudine in nonnullis locis abrogatam, vel eidem in aliquo derogatum. Resp. ut supra *n. 27* consuetudinem esse facti & ideò probari debere, consequenter donec probetur, juxta Bullæ dispositionem esse procedendum.

Quæritur II. Quænam Crimina gaudeant *immunitate*, & quæ non? Resp. I. Omnia & singula, quæ specialiter non sunt excepta gaudere Asylo Communis ac certa, textu expresso *c. Inter alia 6. h. t.* ibi: *Fugiens ad Ecclesiam &c. quantumcunque gravia crimina perpetrarit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam.* Idem patet ex Bulla Gregorii XIV. 88

Resp II. Crimina excepta, quæ privant *jure asyli* sunt omnia expressa in Bulla Gregoriana supra citata §. 3. ubi ita statuitur; *Ut Laicis ad Ecclesias locaque sacra, & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quique homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cæmeteriis committere non verentur, ut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut Assassinii, vel hæresis, vel læsæ Majestatis in personam ipsius Principis rei Immunitas Ecclesiastica non suffragetur.* Hæc ibi. De quibus singulis, ut exactior habeatur notitia singula ponemus quæsita. 89

Primò itaque *asylo* ob delictum suum caret *Publicus Latro*. *Secundò* viarum *grassator*: de quo utroque ob eorum convenientiam pro majori eorundem intelligentia, in uno agemus quæsito. 90

Quæritur itaque III. Quis sit, & dicatur ad præsens *publicus Latro*, ac *viarum grassator*, ad hoc ut *asylo* privetur? Resp. Quamvis largè loquendo *Latro publicus* sit & dicatur omnis ille, qui violenter, palamque, ac publicè furatur, ut videre est apud Farinacium *in append. de immun. c. 10. n. 149.* Fagnanum *in c. Inter alia 6. h. t.* Castro Palao *p. 2. tr. 11. disp. un. punc. 9 n. 2.* Pirhing. *h. t. n. 19.* & alios, ita ut *publicus Latro* à viarum *grassatore* vel non, vel parum distinguatur. Nihilominus strictè loquendo videtur facienda aliqua distinctio, illeque *publicus* dicendus est *Latro, ein offentlicher Morder*, qui prædæ, seu rapinæ causa homicidium, seu potius latrocinium publicè committit, *ar. l. capitalium 28. & 15. ff. de Pœnis*, ubi supponitur *Latrones* latrocinia committere, & percipitur, ut ibi suspendantur, ubi deliquerunt, ad exemplum aliorum, & solatium cognatorum interempti. Concordat *can. cum homo 19. cau. 23. q. 5.* ibi: *Cum homo ab homine occiditur cupiditate aliquid auferendi; sicut fit à latrone.*

Hinc plura requiruntur ad hoc, ut quis dicatur *publicus Latro Asylo carens*. *Primò*, ut verè homicidium committat, per Jura citata. *Secundò*, ut id sæpius faciat; unicus enim, aut alter actus nondum efficit *publicum Latronem* carentem *Jure Asyli*; ut DD. communiter do- 91

cent,

cent, signanter Farinacius *l. c. n. 154.* Castro Palao *l. c. n. 2.* Haunoldus *to. 6. tr. 1. n. 191.* Decianus *lib. 6. tr. Crimin. c. 24. n. 2* Barbosa *lib. 2. I. E. V. c. 3. n. 84.* Delbene, & alii. Tum quia vox *publicus* frequentiam denotare videtur, nam sicut *publica* Meretrix dici non potest ex unica fornicatione, nec *publicus* Usurarius ex unico actu usuræ, ita etiam *publicus Latro* dici nequit ex uno latrocinio prædæ causa facto, *ar. l. qui sit fugitivus ff. de ædilit. edict.* Tum quia ipsum etiam nomen *Latronis* frequentiam denotat; uti cum aliis observat Castro Palao *l. c.* quamvis Martha *de jurisd. p. 2. c. 51. n. 22.* teneat, etiam unico actu posse quem fieri *publicum Latronem*. *Tertiò* requiritur, ut auferendi causa latrocinium committat, *ar. cit. can. cum homo cau. 23. q. 5.* ibi *Cupiditate auferendi, sicut à latrone.* Hinc qui inimicitiæ, vindictæ causa, aut rixarum occasione homicidium etiam sæpius committit, non dicitur *Latro*, sed homicida.

92 *Quartò* requiritur, ut id fiat in locis, viis, aut itineribus publicis frequentatis; quia *publici Latrones* non dicuntur ex eo, quod palam coram aliis latrocinia committant (nec enim id sæpè solent facere latrones, sed plerumque ex insidiis, ubi latitant, & ideo etiam à *latendo* latrones dicti prosiliunt, & viatores aggrediuntur) sed partim quia latrocinia frequentat, juxta dicta *n. præc.* partim quia ex insidiis prodeuntes viatorem in viis ac itineribus publicis aggrediuntur, uti post Decianum *l. cit.* docet Farinac. *l. c.* Castro Palao *l. c.* Haunoldus *to. 6. tr. 1. n. 191.* & alii, *ar. c. inter alia 6. h. t.* ibi: *Qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident aggressionis insidiis.* Ex quo infertur, quod si quis in via, aut loco privato non frequentato aliquem etiam prædæ causa occideret, *latro publicus* non diceretur, consequenter *asylo* privandus non esset. *Quartam*, sicut & *secundam* conditionem ad *latronem publicum* requisitam requirit etiam S. Congregatio apud Jac. Pignatel. *to. 6. cons. 4. n. 113.* illis verbis: *Grassatores seu latrones publici non gaudent immunitate. Non possunt verò dici publici latrones, qui semel aut bis aliquem spoliarunt, vel sæpius, sed occultè in viis privatis, vel etiam in locis sacris; dummodò non publicè furari consueverint 10. Martii 1610. In Cathac. & in Laudensi 28 Aprilis 1623.* Addit tamen Decianus *l. c.* quem sequitur Farinacius *l. c. n. 152.* eos, qui in domibus privatorum prædæ causa occidunt, *latronibus publicis* annumerari: & meritò, quia cum domus etiam privata sit locus continuò frequentatus, non immeritò ad effectum præfatum viis publicis æquiparatur, præsertim quòd non minùs sed majus sit malum, bonoque publico magis perniciosum, homines etiam in domibus propriis, ubi securè habitare quisque sperat, aggredi.

93 *Quintò* requiritur, ut notoriè constet de latrociniis notorietate Juris, vel facti, nec sufficit præsumptio, aut suspicio, vel dubium, aut vulgi rumor. Farinacius *l. c. n. 155.* Castro Palao *l. c. n. 2.* Decian *l. c.* in fine, & alii communiter: hinc, donec probetur; extrahi non potest, etsi extractionem prætendens dicat, esse notorium; sed citari, & audiri debet etiam ipse Reus.

94 Resp. II. Licèt, ut dictum, *Grassator viarum* à multis cum *latrone* confundatur, strictè tamen loquendo est & dicitur ad propositum ille *ein Landt, ede Strass, Rauber*, qui in itineribus frequentatis, aut statis publicis, prædæ causa homines violenter absque tamen cæde aggrediuntur, ita definitur ex Bulla Gregorii XIV. §. 3. ibi: *Viarum grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur*, ubi uti vides, nulla fit mentio de cæde; concordat, & distinctionem inter *Latrones* & *Grassatores* facit, *l. Capitalium 28. §. 10 ff. de pœn.* ibi: *Grassatores, qui prædæ causa id faciunt, proximi latronibus habentur.* Cæterum sicut ad latronem, ita etiam ad Grassatorem viarum carentem Asylo requiritur I. Ut non una tantum, vel altera vice, sed sæpius grassetur, & homines aggrediatur. II. Ut auferendi causa id faciat. III. Ut in itineribus frequentatis ac stratis publicis hoc agat. IV. Ut de hoc constet notorietate Juris, vel facti, per Jura ratione, & DD. pro requisitis ad *publicum latronem*; ut proin *Grassator* à *latrone* strictè non differat, nisi quòd hic, non autem ille quem prædæ causa occidat: Quæ tamen differentia in praxi ad præsens multum non est attendenda, vel examinanda, eò quòd tam *grassator*, quam *Latro publicus* privetur *Asylo*; dummodo aggressio 1. frequenter, 2. in itineribus frequentatis, aut stratis publicis, 3. prædæ causa fiat, & 4. ut de hoc notoriè notorietate Juris, vel facti constet.

Ubi tamen addendum, quòd sicut *de publico Latrone* diximus *n. 92.* eum non gaudere, etsi non in itinere publico, sed in domo privata occidat: ita etiam idem de *grassatoribus* dicamus, ut proin illi, qui in domibus privatis homines violenter aggrediuntur, eisque sua vi abripiunt, aut eos ligant, vinculant, includunt, tenent, ne miseri sua defendere; econtrà verò *grassatores* cistas aperire, vel aliàs in domo rapere & auferre liberè queant, *asylo* non gaudeant, ob dicta *n. 92.* quod ob casuum frequentiam notandum. 95

Infertur, Fures, qui occultè, vel etiam aliis videntibus sine tamen vi vel armis aliena auferunt, *asylo* non privari: quia furtum inter crimina excepta non numeratur, neque Fur *Latronibus*, aut *grassatoribus viarum* annumeratur, uti habet unanimis DD. concordat Declaratio S. Congregationis *n. 92.* citata. 96

III. Privantur *Asylo Depopulatores agrorum*, uti expressi in Bulla Gregorii XIV. §. 3. cui concordat *c. Inter alia 6. h. t.* ibi: *Nocturnus Depopulator agrorum.* 97

Quæritur IV. Quinam ad propositum sint & dicantur *Depopulatores agrorum?* Resp. Esse eos, qui agrorum segetes, aut vinearum fructus depopulantur, eosdem comburendo, destruendo, devastando &c. sive animo nocendi domino, sive sibimet consulendo id faciant: non enim semper animo nocendi domino agri vel vineæ id faciunt, sed etiam ut sibi prospiciant; ut si comburunt, vel destruunt segetes, quia per eas impediuntur à committendis latrociniis, aut aliis malis; vel si ibidem latitant, & latendo segetes devastant, vel ut omnia secum auferant. Fagnanus *in c. inter alia 6. n. 27.* Castro Palao *l. c. n. 4.* Hostiensis *in V. nocturnus ar. l. 1. C. quando liceat unicuique &c. inter alia 6. h. t.* Utrum autem publicè, vel in occulto fiat *Depopulatio*, parùm refert, cum Jura indistinctè loquantur, & consequenter indistinctè veniant intelligenda, *l. de pretio ff. de public. in rem act.* dummodò notorietate Juris, vel facti constet, *Depopulationem* veram esse factam. Dico *veram* ad excludendum casum, quo quis agros, aut segetes non depopulatur, sed aliquam tantum partem latendo v. g. vastat, aut aliquas manipulas v. g. segetum simpliciter furatur; quia nec Jus antiquum *c. inter alia 6. h. t.* nec Bulla Gregoriana *asylo* privat *furem* nec modice destruentem segetes, sed *verum Depopulatorem agrorum*, aut *segetum*, qualis solus ille dicitur, qui totaliter, vel graviter vastat, comburit, vel alio modo destruit segetes *l. 1. C. quando liceat unicuique* quod præfati non faciunt, consequenter in Lege pœnali odiosa nomine *depopulatoris* non veniunt, *a. c. odia, & c. In pœnis de R. J. in 6.*

Aliqui, ut Castro Palao *l. c. n. 5.* Delbene, Tuschus, & alii à Farinacio citati *n. 161.* ab eadem Lege pœnali eximere, atque *asylo* gaudere volunt *verum depopulatorem agrorum diurnum*, quia juxta Jus commune *ar. c. inter alia h. tit.* expressè requiritur, ut sit *nocturnus depopulator*, quod non videtur correctum à Bulla Gregoriana. Verum probabilius videtur, etiam *diurnum* includi, Farin. *in appen. de immun. c. 11. n. 161.* Barb. *l. c n. 87.* & alii: quia Bulla Gregoriana omisit ly *Nocturnus*, & absolutè posuit *depopulatores agrorum*, eosque indistinctè privavit *asylo*, voluitque ut forma à se tradita servaretur, etsi forsan antiqui Canones mitiores fuissent: ex quo sufficienter correctum videtur Jus commune antecedens, *ar. c. 1. de const in 6.* Præsertim cum non sit major ratio de *nocturno*, quam *diurno depopulatore*. Ratio enim cur publici *Latrones*, *viarum grassatores*, & *agrorum depopulatores* potius priventur *asylo* quam alii forsan pejores malefactores, secundum Gl. *fin. in c. fin h. t.* communiter receptam, est, quòd hi Rei pluribus exitium cogitent, *can. est injusta 33. can. 33. q. 4.* pacemque, & quietem Reipublicæ graviter perturbent, *l. 2. C. quando liceat unicuique*, quæ ratio non magis in *nocturno*, quàm *diurno Depopulatore* militat. 98

IV. *Jure Asyli* carent, qui *homicidia & mutilationes in ipsis Ecclesiis, vel earum Cæmeteriis committere non verentur*; uti expressè statuitur in Bulla Gregorii XIV. c. §. 3. quod idem habetur *in c. fin. h. t.* ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: *Cum in eo, quo delinquit, puniri quis debeat, & frustrà legis auxilium invocet, qui committit in Le-* 99

 gem,

gem mandamus, tales non gaudere Immunitatis privilegio, quo se faciunt indignos. Et sequuntur DD. communiter. Verum circa hoc

100 Quæritur V. Quando quis dicatur homicidium, vel mutilationem in Ecclesiis, vel Cœmeteriis committere ad hoc, ut indignus censeatur *Jure asyli?* Ante responsionem notandum, per mutilationem intelligi casum, quo amputatur, vel alias aufertur alicui membrum vel pars corporis, quæ specialem functionem, seu officium, ab officio aliarum partium distinctum habet, uti sunt manus, pes, oculus, lingua &c. non item digitus, dens, modica pars carnis &c. uti notant cum Covarruvia *in Clem. si furios. p. 3. n. 8.* DD. communiter, dum agunt de irregularitate. Hinc cum eisdem

101 Infertur, quod graviter aliquem vulnerans in Ecclesia, etiam cum magna sanguinis effusione, & carnis læsione, non privetur *asylo*, si vulnus lethale non est; uti etiam declaravit S. Congregatio apud Jacobum Pignatel. *to. 6. consul. 4. n. 106.* illis verbis. *Qui faciem, vel vultum, vel os culpiam in Ecclesia vulnerat, gaudet Immunitate* 16. Novembr. 1618.

102 Resp. I. In Ecclesia delinquit quis non tantum, quando uterque tam lædens scilicet, quam læsus in ipso loco sacro existit, sed etiam si existens extra Ecclesiam sclopo, lapide, sagitta &c. occidit, aut mutilat existentem in Ecclesia Barb *l. 2. I. E. V. n. 113.* Farinac. *in appendice de Immun. c. 16 n. 224.* Covarruvias *var. res. l. 2. c. 20 n. 15.* Pirhing *h. t. n. 25* Castro Palao *p. 2 tr. 11 res. 9. n. 16.* Navarrus *in Manuali c. 25 n. 21.* ac latè Guttierez *lib. 3 pract. qq. Civil. q. 1. n. 23. & seqq.* cum communissima aliorum contra Villagut *de extensione legum c. fin. n. 50. & seqq.* Ratio est: quia talis reverà alterum occidit in Ecclesia: licet enim causam occisionis incæperit extra Ecclesiam, tamen quia actione causativa mortis executivè saltem, ac consumativè tetigit alterum in Ecclesia, eundem reverà occidisse, seu vita privasse dicitur, cum præsertim in delictis potius attendatur consumatio, quam inchoatio, ut post Bartolum *in l. libertorum ff. de accus. n. 7.* benè observat Castro Palao *l. c.* & alii. Idem ob eandem rationem dicendum de eo, qui extra Ecclesiam stans lethaliter vulnerat existentem in Ecclesia, etsi hic vulnere accepto domum se conferat, & ibidem consequenter, extra Ecclesiam moriatur. Secus. Si extra Ecclesiam existens lethaliter vulneras pariter existentem extra Ecclesiam, etsi talis accepto vulnere ad Ecclesiam fugiat, ibique moriatur. Castro Palao *l. c* & communis aliorum: eò quòd causa efficax mortis nullo modo posita sit in Ecclesia.

103 Resp. II. Etiam ille, qui extra Ecclesiam existens mandat occidi aliquem existentem in Ecclesia, eundem in eadem occidere, consequenter *asylo* indignus censetur, Farinac. *l. c. n. 230.* ubi citat Decianum *in tr. criminal. lib. 6. c. 28. n. 7.* Azor *p. 2 lib. 9. c. 9 q. 14. V. quartò.* Layman *lib. 4. tr. 9. c. 3 n. 6* Abb. *in c. fin. h. t. n. 12.* & alii contra Castro Palao *l. c. n. 17.* Probatur: tum quia, *qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum*; *c. qui faciat. 72. de R J. in 6.* Tum quia executio mandati potiùs mandanti, quam executori imputatur, *c. ut famæ 35. §. Laici de sent. excom. cum is committat verè, cujus authoritate, vel mandato delictum committi probatur*, ut dicitur *c. Mulieres 6. de sentent. excomm.* Hinc etiam ut veri homicidæ in utroque Foro habentur, & ut tales puniuntur, quorum mandato, aut efficaci consilio homicidia committuntur, *arg. l. Utrum 6. §. Illa vero ff. ad l. Pompeiam de Parricid.* & *can. perniciosè de pœnit. dist. 1.* ubi pulchre ad propositum ita habetur; *Perniciosè se decipiunt, qui existimant, eos tantum homicidas esse, qui manibus hominem occidunt: & non potius eos, per quorum consilium, fraudem, & exhortationem homines extinguuntur. Nam Judæi Dominum nequaquam propriis manibus occiderunt, sicut scriptum est: Nobis non licet occidere quemquam, sed tamen illis Domini mors imputatur; quia ipsi lingua interfecerunt, dicentes; Crucifige; Crucifige eum.*

104 Nec dicas cum Castro Palao *l. c.* solos in Bulla Gregoriana expressos malefactores carere *Immunitate asyli*, inter quos non comprehenditur mandans occidere; ergo. Nam contra est, quod licèt non in specie, tamen in genere dicta Bulla comprehendat etiam mandantem, dum indistinctè ac in genere *asylo* privat quemvis in Ecclesiis, vel Cœmeteriis occidentem, vel homicidii reum; quālis, quia juxta dicta non minùs est mandans, quam exequens homicidium, utique etiam comprehensus censetur cum *verba generalia generaliter sint intelligenda, c. quia circa 22. de privileg.* & *ubi Ius non distinguit, nec nos distinguere debeamus l. de pret. ff. de Publician. in rem act.*

Confirmatur ex sequela absurdi, videlicet quòd alias mandantes aliquem in casibus non exceptis extrahere è loco sacro pœnis Bullæ non subjacerent, cum Bulla nihil in specie de mandantibus, sed tantum in genere de extrahentibus loquatur; atqui sequela est contra Communem, etiam ipsum Castro Palao, praxinque, ac consuetudinem, *quæ est optima Legum interpres, c. Dilectus de consuetudin.* ergo. 105

Resp. III. Ille quoque, qui existens in Ecclesia existentem extra Ecclesiam occidit, vel mutilat, caret *Asylo*. Farinacius *l. c. n. 223.* Abbas *in c. fin h. t. n. 11.* Barbosa *lib. 2. de I. E. V. c. 3. n. 111.* Castro Palao *l. c. n. 19.* Guttierez *lib. 2. pract. qq. Civil. q. 1. n. 19.* Navarrus *in Manuali c. 25. n. 21.* Covarruvias *lib. 2. var. res. c. 2 n. 13.* Pirhing. *h. t. n. 25.* cum Communissima aliorum, contra Bonacin. *to. 2. disp. 3. q. 7. p. 4 n. 8* Haunoldum *to 6. tr. 1. n 207.* & nonnullos alios. Ratio est: tum quia talis in ipsa Ecclesia ponit causam efficacem mortis, & est revera jam reus homicidii in ipsa Ecclesia. Tum quia etiam verè ac propriè delinquit in ipsa Ecclesia, ipsique Ecclesiæ gravem injuriam infert, abutens illa ad cædem, seu iniquam actionem mortis efficaciter causativam, adeò ut in eo omninò militet privationis ratio *c. fin h t* cujus textum vide *n. 99.* & verba Bullæ Gregorianæ. *Qui homicidia, aut mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cœmeteriis committere non verentur.* 106

Nec obstat, quòd in delictis magis attendatur consummatio, quam inchoatio juxta dicta *n. 102.* quia ex hoc minimè sequitur, quòd inchoatio omninò non, sed tantum quòd minùs attendatur, ita tamen, ut effectu secuto etiam pœnis subjaceat; ut patet ex illo, quòd si existens in uno Territorio occidens sclopeto v. g. existentem in altero Territorio, possit puniri in utroque Territorio, deturque locus præventioni, uti cum communi tradit Abbas *in c. fin. n. 25. de Foro compet.* & Guttierez *l. c. n 21.* Accedit, quod in casu nostro actio inchoativa à consummativa non distinguatur, cum sit una & eadem actio, jaculatio v. g. consequenter doctrinam Bartoli *n. 99.* allegatam, quæ de diversis actionibus loqui videtur, hic non quadrare, benè dici possit, uti advertit Guttierez *loc. cit. num. 22.* 107

Resp. IV. Etiam ille *asylo* indignus est, qui in Ecclesia mandat, ut occidatur, vel mutiletur existens extra Ecclesiam. Farinacius *l. c. n. 229.* Abbas *in c fin. h. t. n. 12.* Guttierez *lib. 3. pract. qq. Civil.* per totum, Navarrus *l. c.* Barb. *l. c. n. 116.* Azorius *p. 2 lib. 9. c 9. q. 14.* Sylvester *V. Immunitas 3. n. 9. & 10.* cum Communi aliorum contra Palao *l. c.* Haunoldum *l. c.* Ratio est; quia juxta dicta *n. 103.* effectus iniquus potiùs imputatur mandanti, quam exequenti. Tum quia talis reverà causam efficacem mortis posuit in ipsa Ecclesia, sicque, & est verè reus homicidii sacrilegi in ipsa Ecclesia, eique injuriam infert, & proptereà ejus favore indignus est, *ar. c. fin. h. t.* confirmatur ex dictis de mandante *n. 103. & seq.* 108

Quæritur VI. An illi gaudeant *asylo*, qui prope Ecclesiam, v. g. in atrio, in porticu, in scalis Ecclesiæ, vel intra 40 vel 30 passus ab Ecclesia, vel in hortis Monasteriorum occidunt, vel mutilant? Negativam multi tenent, ut Anchoranus *in Clem 1. n. 5. in fine de pœnit. & remis.* Navarrus *in Manual. c. 25. n. 22.* Guttierez *pract. qq. Civil. lib. 3. q. 1. n. 15.* Farinacius *l. c. n 410.* ubi affert Decisionem Clementis VIII. in una Panormitana, Covarruvias *var. res. lib. 2. c. 20. n 25.* Tuschus *V. Ecclesia concl. 11. n. 4.* Barb. *in c. fin. h. t. n. 5.* saltem in casu, quo quis prope Ecclesiam delinquit spe citius, ac securius obtinendi locum *asyli*, qua distinctione etiam Farinacius, & alii utuntur. Quibus non obstantibus. 109

Resp. Spectando Bullam Gregorii XIV. & nisi extat Declaratio contraria Clementis VIII. probabilius videtur, in præfatis locis, etiam ipso *Immunitatis* occidentes, & mutilantes, non privari *asylo*. Ita absolutè tenet sibimet contrarius Barbosa *lib. 2. I. E. V. c. 3. n. 117.* Castro Palao *p. 2. tr. 11. disp. un. punc. 9. n. 21.* Suarez *de Relig. lib. 3. c. 11. n. 7.* Abbas *in c. Inter alia h. t. n. 17. & 18.* Diana *p. 1. tr. 1 res. 3.* ac novissimè Jacob. Pignatel. *to. 6. consul. 41. n. 5. & 6.* ubi plures alios citat. Ratio principalis est, quia vi Bullæ Gregorianæ ut quis indignus censeatur *Asylo*, debet homicidium, aut mutilationem committere in ipsis Ecclesiis, aut Cœmeteriis; atqui hoc non verificatur in illis, qui extra, licèt prope Ecclesiam delinquunt; tum quia particula *In* ablativo juncta idem significat, quod intra, solumque locum interiorem comprehendit, ut bene cum aliis observat Barbosa *de diction.* Dictio *In, n. 2. arg. l. 1. §. quod diximus ff. de Succes. edict.* & *l. ait Prætor. §. Ut publico ff. de Flumin.* Tum quia Dictio *Ipsis* personalissima est solius interioris spatii demonstrativa, uti rursus notat Barbosa *l. c. dict. Ipse* ubi plures citat Decisiones Rotæ *lib. 3. I E. V. c. 3. n 119.* 110

111 Dices cum Adversariis, præfata loca venire nomine Ecclesiæ, aut alterius loci sacri, cui adhærent, indeque gaudere *jure Asyli*; ergo in eis occidens, in Ecclesia, aut alio loco sacro occidere, consequenter *asylo* carere censendus est. Resp. Distinguendo Ant. in favorabilibus concedo, in odiosis negatur, *ar. c. Odia &c. in Pœnis de R J. in 6.* juncta *l. ait Prætor. ff. de Flumin.* Hinc quia participatio *Immunitatis* favorabilis est, & privatio ejusdem odiosa, merito in illa, non item in ista veniunt nomine Ecclesiæ, aut alterius loci sacri præfata loca.

112 Dixi, *nisi extet Declaratio Clementis VIII.* Huic enim, si de ea legitimè constaret, nec rationabile dubium foret, utique debita cum reverentia acquiescendum foret. Verum Jacob Pignatel. qui in materia *Immunitatis* fermè omnes Declarationes diligentissimè collegit, & earum quadraginta sex adducit *to 6 consul. 4. à n. 74.* nullam de ea mentionem facit; imò eodem *to. consul. 40. n. 7.* dicit, se in hac re desiderare Declarationem Pontificiam, meritò de ea dubitare licet. Ea propter in casu emergenti pro *Asylo* absolutè standum, aut saltem Reus in loco *Asyli* manutenendus videtur, donec Romana Curia interrogata responsum, ac resolutionem mittat.

113 Quæritur VII. An etiam propter furtum, vel alia crimina in Ecclesiis, vel Cœmeteriis commissa privetur quis *Immunitate Asyli?* Quamvis affirmativa communissima DD. Jurique communi fuerit, & adhuc sit conformis, præsertim si spe *Immunitatis* commissum est delictum, *ar. c. fin. h. t.* ubi ratio Legis omnes in locis sacris tangit, cui Summarium concordat, ibi: *Qui* (ecce sine distinctione) *sub spe Immunitatis in Ecclesiis, vel Cœmeteriis delinquunt, Immunitate non gaudent.* Nihilominus hodie spectata Bulla Gregorii XIV. Resp. Negativè, Barbosa *l. 2. J. E. V. c. 3. n 120.* Farinacius *in Append. de immun. c. 16. n. 208.* Diana *p. 1. tr. 1. res. 2.* Delbene *de Immun. c. 16. dub. 19. n. 10* Peregrin *de immun. c. 6. n. 23.* Haunoldus *to. 6. de Jure & Just. tr. 1. n. 198.* & alii post dictam Bullam scribentes. Probatur principaliter ex Bulla Gregorii XIV. ubi §. 2. expressè declaratur; sola crimina à se ibidem expressa privare *Asylo*, non item *alia, etsi equipolleant aliis in jure expressis*, aut adsit *paritas, identitas, aut majoritas rationis*; atqui Papa solum homicidia, & mutilationes in Ecclesiis, vel Cœmeteriis commissas ibidem exprimit; ergo. Et certè, si Pontifex voluisset etiam alia delicta in Ecclesiis commissa *Asylo* carere, nolvè duo in specie expressisset, dando Prælatis Ecclesiæ ansam errandi: præsertim cum faciliter dixisset, *delinquentes graviter in Ecclesia*. Confirmatur ex Declaratione allegata *n. 100.* & alia apud Jacob. Pignatel *to. 6. consul. 4. n 94.* ubi declaratur, quòd *furans in Ecclesia gaudeat immunitate, possit tamen mitti in exilium*, 15. *Januarii* 1647.

§. V.

De reliquis criminibus Asylo privantibus, videlicet Homicidio proditorio, crimine Assassinii, Hæresis, læsæ Majestatis: ubi etiam de aliis criminibus. item de fugientibus è carcere, aut manibus satellitum.

S U M M A R I U M.

114 *Homicidium proditorium privat Asylo; deliberatè & ex proposito occidentes secundum aliquos sunt Proditorii rei, & indigni Asylo, ib.*

115 *Juxta alios ad Proditorium requiruntur, & sufficiunt insidiæ etsi inimicus occidatur.*
116 *Homicidium proditorium propriè tale Asylo privans, est omne & solum quod nulla præcedente inimicitia, aut rixa fit, à vero, vel simulato amico, aut ad amicitiam specialiter obligato usque ad n. 122.*
117 *Verba Legis in propria significatione accipienda sunt.*
118 *Prior numerus probatur ex Scriptura.*
119 *Et utroque Iure.*
120 *Declaratione Pontificis, & Cardinalium. Et nu. seq.*
122 *Et praxi.*
123 *Respondetur ad argumenta contraria.*
124 *Occidens non inimicum, aut amicum negativè per insidias gaudet Asylo.*
125 *Proditorius est qui, nulla præcedente inimicitia parentem, prolem, etiam infantem, aut in utero existentem, conjugem, fratrem, affinem, consanguineum occidit.*
126 *Vel Contubernalem, socium itineris, commilitonem, hospitem, patrem familias.*
127 *Vel sub specie amicitiæ.*
128 *Vel inimicum reconciliatum.*
129 *Homicidium proditorium non est, quod fit præcedente ira, rixa, inimicitia &c. vel in duello.*
130 *Assassinii crimen, & Assassinus quid, & quinam?*
131 *Ut privet Asylo, debet fieri secuto effectu, morte nempe.*
132 *Vulneratio non sufficit.*
133 *Item requiritur pretium certum, ac specificum.*
134 *An sufficiat leve.*
135 *Spe præmii occidere non est Assassinium.*
136 *Etiam infidelem occidens Assassinus esse potest.*
137 *An sit Assassinus, qui pretio conductus suum, vel conducentis occidit inimicum.*
138 *Hæresis quando privet Asylo.*
139 *Læsæ Majestatis crimen in Personam Principis privatur Asylo? & quando committatur.*
140 *Nomine Principum hic veniunt soli supremi in suo Territorio superiorem non agnoscentes.*
141 *Enumerantur tales plures. Et n. seqq.*
143 *Inter quos juxta aliquos etiam sunt Cardinales, & Episcopi.*
144 *Negativa est probabilior.*
145 *Nisi alias sint etiam Principes temporales.*
146 *Neque veniunt nomine Principis, Uxores, Filii, aut Fratres Regum &c.*
147 *Neque eorum Consiliarii, aut Ministri.*
148 *Solvitur instantia. Et n. seq.*
150 *Peccans contra statuam Principis, aut contra statum Principis, non caret Asylo.*
151 *Sicut nec extraneus, non subditus offendens ipsam personam Principis.*
152 *Propter alia Crimina in Bulla Gregorii non excepta etiam atrocissima nemo privatur Asylo.*
153 *Debet tamen Iudex Ecclesiasticus delinquentes tales subinde custodire, donec Romana Curia informetur.*
154 *Quid iuris de effugientibus carceres, & inde vel è manibus satellitum fugientibus ad loca sacra.*
155 *Item quid de ductis per loca sacra ad supplicium.*

QUintum Crimen specialiter in Bulla exceptum *immunitate* privans est *homicidium proditorium*; uti expressè liquet ex Bulla; ibi: *Qui proditoriè proximum occidunt*, circa quod 114

Quæritur I. Quid ad propositum sit *homicidium proditorium?* Ante responsionem notandum, inter DD. maximè controversam esse hanc quæstionem, ex cujus decisione dependet resolutio plurimorum casuum de homicidiis, an *Immunitate* gaudeant? Et quidem tres principaliores in hoc casu reperiuntur opiniones. *Prima* est Barb. *in c. 1. de homicidio.* Fachin. *lib 9. controv. c. 93.* Molinæ *de jur. & Just. tr. 3. dis. 23. n. 3.* & plurium aliorum volentium, quemvis homicidam voluntarium ex proposito & industria, etsi absque veris ac certis insidiis commissum, aliquo modo proditoriè, sicque indignum esse *Asylo*, idque probare conantur ex eo, quòd per Bullam Gregorii XIV. *proditorios homicidas* privantem *Asylo* non fuerit correctum Jus commune antiquum, *arg. c. cum expediat. de elect. in 6.* de Jure autem antiquo ad tale *homicidium proditorium* privans *Asylo* satis fuerit, esse factum ex industria *per c. 1. de Homicidio* ibi: *Si quis per industriam occiderit proximum* suum

suum, & per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur: ubi particula *Et* sumunt in sensu disjunctivo, ut idem significet ac *vel*, prout subinde in Jure accipi solet, quando nempe ratio, aut contextus Legis id exigit. Idem probant ex Scriptura S. veteris Testamenti, *Exodi 21. v. 14.* ubi præfata *c. 1.* verba formalia habentur, & *v. 12.* ibi: *qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*. Concordat textus *Deuteron. 19. v. 11. Si quis odio habens proximum suum insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, & mortuus fuerit &c. arripient eum de loco refugii, & morietur: non misereberis ejus*. Item ex Jure Civili *novel. 117. c. 7.* ubi voluntarii homicidæ *Asylo* expressè declarantur indigni: quæ Constitutio Civilis utpote canonizata *c. Inter alia 6. h. t.* etiam in Foro Canonico observanda videtur. Rationem dant: quia qui ex proposito occidunt, hoc ipso etiam insidiari vitæ, & per insidias occidere præsumuntur; qui autem per insidias occidunt, proditoriè occidunt per dicenda *n. seq.*

115 *Altera* opinio est Covarruviæ *l. 2. var. res. c. 20. n. 7.* Barbosæ *lib. 2. juris Eccl. univ. c. 3. n. 89. & seqq.* Gutierez *pract. qq. lib. 1. q. 2. n. 3.* Sanchez *l. 6. cons. c. 1. dub. 8. nu. 26.* Pirhing. *h. t. n. 28.* & aliorum docentium in materia *Asyli* ad *Homicidium proditorium* non sufficere, quod quis voluntariè etiam ex proposito & industria occidatur, sed insuper requiri, ut etiam per veras, & certas insidias fiat; quod universaliter tunc fieri volunt, quando quis occidendum ita aggreditur, ut hinc & nunc talis nullo modo se valeat defendere; prout fit, si quis veneno, vel a tergo, vel ex insidiis, vel sclopeto è latebris, aut de nocte in tenebris, aut alio simili modo nihil mali prævidens, neque potens hic & nunc se defendere, occiditur, sive dein præcesserit inimicitia sive non, sive sub specie amicitiæ, sive sine illa occidatur. Et quidem, quod requirantur insidiæ hujusmodi vel dolus, probant ex *c. c. 1. de Homicid.* ubi ad homicidium privans *Asylo* copulativè requiritur, ut fiat *per industriam & per insidias*; quod idem etiam textus Legis veteris *n. præc.* citati exigunt, ut *Deut. 19. v. 11.* ibi: *Si insidiatus fuerit vitæ ejus*; & *Exodi 21.* ubi postquam *v. 12.* positus fuit textus *n. præc.* citatus, statim *v. 13.* subjungitur: *Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum, in quem confugere debeat*. Quod vero sufficiat homicidium per insidias esse commissum, nec requiratur, ut occisus fuerit amicus, vel saltem non inimicus, ex iisdem deducunt Juris, & Scripturæ textibus, ubi nulla facta mentione, vel distinctione amicitiæ, vel inimicitiæ solum requiritur, & sufficit, quod *per industriam, & per insidias* quis occidatur, eò quod *Homicidium proditoriè, & homicidium per insidias* sint synonima, *l. c. & l. Capitalium 16. §. igne 11. ff. de Pœnis l. Servum 6. l. neque 7. l. non liceat 8. C. de Delator.* cum concordantiis, *Tertiam* opinionem ponit Conclusio sequens, qua ad quæsitum.

116 Resp. Per *Homicidium proditorium* in Bulla Gregorii XIV. §. 3. expressum, intelligitur propriè tale, quo nomine venit omne & solum illud, quod fit ab amico, vel ex statu muneris, conditionis, aut personæ ad amicitiam aut fidelitatem specialiter obligato, vel saltem sub aliqua amicitiæ, fidelitatis, societatis, vel necessitudinis specie, ita ut malitia ejus in hoc consistat, quòd quis nulla præcedente inimicitia, aut rixa occidatur, a vero vel simulato amico, vel ad amicitiam, aut fidelitatem specialiter obligato, ita, ut prudenter nec timeatur, nec caveatur; prout fit, si nulla præcedente inimicitia vir uxorem, servus dominum, filius parentem aut econtra, aut si quis alius fratrem, socium itineris, commilitonem, contubernalem familiarem occidit. Item, si quis positivus amicus quidem non existens, nec ad amicitiam, vel fidelitatem specialiter obligatus invenitur, tamen sub hujusmodi specie occidit ut proin ubi amicitia vera, vel simulata, vel debita non intervenit, vel si hac interveniente præcessit inimicitia, aut rixa per reconciliationem nondum sublata *Homicidium proditorium* nunquam committatur, etsi quis ex industria, & per insidias v. g. à tergo, vel veneno, vel alio tali modo occidatur, ut hic & nunc defendere se non possit. Ita hodie post Bullam Gregorianam communissima, & quasi certa, signanter Jacob Pignatel. *to. 9. consul. 18.* ferè per totam. Farinacius *in appendice de immun. c. 9. n. 143.* Pax Jordan *Lucubr. l. 11. t. 3. n. 342.* Sperel. *dec. 23. & dec. 175.* plurimos alios citans.

Probatur in primis, quod in Bulla Gregoriana *Homicidium proditorium* in sensu proprio accipiatur. Tum quia Regula universalis est, quòd verba Legis secundum propriam, & communi usu approbatam significationem accipienda sint, nisi aliter de mente Legislatoris manifestè constet, *ar. c. 2. §. Sed neque de transl. Epis. & l. non aliter 69. de Leg. 3.* ibi: *Non aliter à significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse Legislatorem*: Tum quia Bulla Gregorii XIV. secundum eam partem, qua privat *Homicidium proditorium* Jure *Asyli* est Lex odiosa, quæ strictè interpretanda venit, *c. odia de R. J. in 6.* Tum etiam quia Gregorius Papa in præfata Bulla expressè dicit, *quod dilucida declaratione omnem dubitandi & perperam interpretandi occasionem submovere intendat*: quod propria, & juxta communem usum accepta, non item impropria significatione verborum fit; ergo. 117

Quod autem *Homicidium proditorium* propriè tale sit omne & illud solum, quod *n. præc.* in conclusione diximus, probatur in primis ex S. Paginis *Psalm. 40.* ubi juxta communem interpretum Propheta in persona Christi contra Judam discipulum suum ad amicitiam specialiter obligatum conquerens ait: *Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem*; Et dein *Ps. 54. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo, tu verò homo unanimis, dux meus, ac notus meus qui simul mecum dulces capiebas cibos &c.* quibus verbis quia secundum Interpretes, proditionis, & proditorum status, ac natura describitur, satis clare innuitur, eam in solis veris, vel simulatis amicis, non vero in inimicis vel aliis reperiri; quia (subjungit textus) si inimicus maledixisset, sustinuissem utique vel forsitan ab eo me abscondissem, *sed quia amicus fecit*, omni favore indignus, econtra morte censetur dignus, dum statim subjungitur: *Veniat mors super illos*. Idem habetur ex *2. Reg c. 3. & 20.* ubi Joab duos Principes militiæ Abner, & Amasa sub specie amicitiæ occidit, & propterea à Regum sapientissimo punitus est, etsi ad Altare confugerit. 118

Probatur etiam ex utroque Jure tam Civili, quam Canonico, ubi ad *verum Proditorem*, & ad *proditoriè* agendum super narratum, aut supponitur, ac requiritur amicitia vel ex officio, personæve debita, vel saltem signis falsò simulata, ita ut de tali quid mali prudenter timere, consequenter præcavere quis non possit, uti constat ex *l. servum 6. C. de Delator.* ubi servus dominum deserens, *proditorum* pœnis subjicitur, quia ad fidelitatem, & amicitiam domino vi status sui est obligatus, & *l. cujusque 4. ff. ad l. Jul. Majest.* ubi *proditor* habetur, qui vel ut dux, aut miles, aut alius patriota exercitum hostibus prodit: concordat *l. omne l. Proditores ff de Milit.* Idem desumitur ex Jure Canonico, *arg. can. clericus qui 3. dist. 46.* ubi *proditores* adulatoribus, qui utique amicitiam simulant, æquiparantur. 119

Probatur ulterius authoritate Clementis VIII. qui speciali Diplomate 6. Februarii 1597. ad Archi-Episcopum Panormitanum misso expresse declaravit, quod Gerardus Regius (de quo dubium proponebatur) gaudeat *Immunitate*, consequenter *Homicidium proditorium* non commiserit, etsi deliberato animo, & per insidias occiderit, uti videre est in ipso Diplomate, quod per extensum refert Jacob. Pignatel *to. 9. consul. 18. n. 29* Quod si quis cum Mar. Ital. *de Immun. Eccl. l. 1. c. 5. §. 4. n. 1. & seq.* mentem Pontificis aliter interpretari conetur, opponit se Farinacius *l. c. n. 143.* dicens, se tunc temporis ut Fiscalem Romanum personaliter in facto informasse Clementem VII. & ex ore proprio ejusdem responsum audivisse, consequenter melius mentem Pontificis percepisse, quam absentem Mar. Ital. & sequaces. 120

Probatur insuper ex repetitis Declarationibus Cardinalium in una Rhegiensi 12. Octobris 1602 & in Bajanensi 6. Aprilis 1622. in quibus dicitur *Proditor, qui aliquem, cui se tanquam socium, & amicum adjunxerit in via nulla rixæ causa interveniente occidit, seu qui dolose sub amicitiæ colore seducit aliquem, ut occidat*. Item in una Beneventana 18. Augusti 1637. declaravit S. Congregatio, *ad probationem Homicidii proditorii requiri amiciam præcedentem*, intellige vel veram, vel simulatam, vel debitam ex statu personæ, aut muneris. Rursus teste Jacob. Pignat. *l. c. n. 11.* in una Bajanensi 6. Aprilis 1612. declaravit, 121

quòd

quod *Proditor non sit, nec Homicidium proditorium committat, qui occidit inimicum suum per insidias, & à tergo*: ex quo rursus apparet requiri præcedentem aliquam *veram*, vel *simulatam* amicitiam. Plures similes Declarationes vide apud Jacob. Pignatel. *tom. 9. consul. 19.*

122 Probatur tandem Tribunalium praxi & consuetudine, quæ est optima Legum interpres, *c. cum dilectus 8. de Consuetud.* Constat enim, quod etsi non pauci præcipuè in Italia inimicos suos à tergo, & per insidias occiderint, ex hoc capite *immunitate* nunquam fuerint privati. Imò emergente controversia, an homicidium fuerit *proditorium* nec ne? Reverendissimi Ordinarii ad ferendam sententiam non soleant indagare, an homicidium fuerit per industriam, & insidias commissum, sed an præcesserint inimicitiæ, vel rixæ nec ne; vel an vera aut simulata adfuerit amicitia nec ne?

123 Ad fundamenta secundæ opinionis *n. 111.* positæ (qua refutata corruit prima per se) quamvis per dicta jam pateat, nihilominus Resp. Textus veteris Testamenti etsi dato non concesso, aliquid contra Conclusionem probarent, esse abrogatos per Legem gratiæ. Ad *c. 1. de Homic.* etsi varii variè respondeant, dico, illud, si in aliquo contrarium foret Conclusioni, fuisse correctum à Bulla Gregoriana, prout patet ex dictis, præsertim repetitis Declarationibus Cardinalium. Ad rationem, qua dicitur, Insidias & proditionem esse synonima, negatur. Ad textus Juris Civilis respondetur, ex iis nihil efficaciter probari, eo quod vel loquantur de casu quo inter aliquos versabatur, vera, aut simulata, aut debita amicitia, vel loquantur de *proditione & proditoribus* impropriè dictis, qui per Bullam Gregorianam non sunt privati *Asylo*, per dicta suprà *n. 117.*

124 Haunoldus *to. 6. tr. 1. n. 215.* postquam cum DD. *n. 116.* citatis docuit, ad *Homicidium proditorium* requiri, quòd fiat ab amico vero, vel simulato, addit hoc non esse intelligendum de amico positivè, sed negativè, id est, non inimico, ita ut juxta hunc universaliter omnis ille dicatur homicida *proditorius*, qui nulla præcedente inimicitia proximum occidit, etsi positiva aliqua vera, vel simulata amicitia non præcesserit, nec vi status personæ, vel muneris debita fuerit, quod alios DD. non advertisse asserit. Verum specialis hæc hujus cæteroquin Doctissimi viri observantia non videtur attendenda, ob sequelas communissimæ aliorum, Declarationibus Cardinalium, ipsique Haunoldo contrarias v. g. quod aliquis in futurum latrocinari intendens privetur *Asylo*, qui tantum semel peregrinum aliquem penitus ignotum prædæ causa ex insidiis occidit: quia talis homicida fuit revera negativè amicus occisi, seu non inimicus ipsius, quod tamen non subsistere, ac insuper contra ipsum Haunoldum militare patet ex dictis *n. 91.* Dein; quòd quivis etiam in itineribus non publicis occidens aliquem quemcunque tandem nulla præcedente rixa, aut inimicitia solius prædæ ab occiso acquirendæ causa, vel spe aliquid etsi non promissum à tertio consequendi, careret *Asylo*, quia talis etiam erat occisi amicus negativè, seu non inimicus quod tamen iterum est contra præfatum DD. *l. c. n. 224.* Tenendum proinde, quod ad *Homicidium proditorium* non sufficiat si fiat ab amico negativè, sive non inimico, sed ut diximus in Conclusione, quod nulla præcedente inimicitia aut rixa fiat ab amico positivè vero, vel simulato, vel ad amicitiam, aut fidelitatem vi status personæ, muneris, aut alterius rationis specialiter obligato, eò quod malitia hujus vitii præcisè consistat in hoc, quòd nulla præcedente inimicitia, aut rixa quis occidatur à vero vel simulato amico, aut ab eo, qui amicus, ac fidelis esse specialiter obligatur, talisque esse supponitur & propterea ab eo, non tantum non præcavetur sed cum eodem ita vivitur, & communicatur, ut occultè occidere ei difficile non foret. Ita hodie post Bullam Gregorianam communis, præsertim citati *n. 116.* inter quos Jacob Pignatel. *l. c. n. 51. & seq.* cerebrosos vocat docentes *Homicidium proditorium* ex eo solo committi, quod quis occidat non inimicum seu amicum negativè, defenditq; opinionem contrariam ad longũ

125 Infertur *Homicidium proditorium* esse I. Si quis nulla præcedente inimicitia parentem, prolem, conjugem, affinem, consanguineum, proximum occidit: quia hi omnes amici vel sunt, vel esse debet, ideoque ut tales supponuntur, prout jam dictum suprà in Conclusione *n. 116.* Quibus adde casum, quo quis talem etiam usu rationis carentem, v. g. fœtum in utero materno, aut infantem, aut amentem v. g. spe hæreditatis, aut timore confusionis occidit; prout declaravit S. Congregatio apud Jacob. Pignatel. *to. 6. cons. 4. n. 151. & 152.* illis verbis: *Mater occidens filium infantem non gaudebit Immunitate*, S. Congr. Conc. 3. Decemb. 1632. Item *malis medicamentis procurans abortum non gaudet Ecclesiæ immunitate*, Eadem S. Congr. 3. Decemb. 1632. & docet Farinacius *in appendice de Immun. c. 10. n. 138.* Jacob Pignatel. *to. 9. consult. 18. n. 20.* Ratio est: quia tales homicidæ etiam respectu horum etsi usu rationis privatorum reverà fuerunt, vel esse debuissent amici ut proin audiendus non sit Haunoldus contrarium docens quoad occisos usu rationis carentes *cit. t. 6. tr. 1. n. 215. ad finem*.

II. *Homicidium proditorium* esse, si quis nulla præcedente inimicitia dominum suum, familiarem, contubernalem, commilitonem, socium itineris occidit; quia hi omnes vi status, conditionis, & muneris sui sunt, vel deberent esse, ac supponuntur amici ac fideles. Idem dic si caupo, *Wirth, oder Kastgeb*, peregrinum seu hospitem susceptum, vel hic illum interficit: quia & hi ad amicitiam & fidelitatem reciprocam vi conditionis & muneris præsentis specialiter obligantur. Item ob eandem rationem, si quis miles in hibernis, vel alias in Quartiro existens occidat suum patremfamilias, aut dominum Quartiri, vel econtra: si enim ex eo solo, quòd quis se jungat socium itineris, ita vi muneris censeatur & supponatur amicus, & ut talis occidere judicetur, *Asyloque* privetur, prout declaravit S. Congregatio allegata *n. 121.* idem non minus dici potest de caupone erga hospitem, & econtra. Ex eadem ratione utique *Homicidium proditorium* fuit non ita pridem factum, dum aliquis à quodam Domino peregrino mercede conductus, ut ei viam ad certum locum monstraret, conductorem suum in sylva, spe prædæ occidit. Simile discurre de omnibus aliis ex aliqua ratione ad amiciam, aut fidelitatem illius, quem occidunt, obligatis. 126

III. Omnes illos homicidas *proditorios* esse, qui etsi ad amicitiam specialiter non obligentur, nec amici sint, eam tamen specialiter simulant, sicque sub specie, aut signis amicitiæ occidunt. 127

IV. Esse homicidam *proditorium*, qui inimicum jam reconciliatum, vel cujus fides de non offendendo data est, nulla nova inimicitia aut rixa emergente occidit, prout benè docet Farinacius *l. 2. cons. 168. n. 75.* Curtel. *de immun. l. 1. q. 25* Haunoldus *l. c. n. 216.* Pignatel. *to. 1. consul. 102. per totam*, ubi rem egregiè probat, & dicit ita sentire vere omnes tum Juristas, tum Theologos, quamvis dein *to. 9. consult. 5. n. 3. & consul. 18. n. 26.* immemor præcedentis doctrinæ contrarium videatur manutenere, Delbene, & alii communiter contra Dianam *p. 4. tr. 1. res. 33.* & paucos alios. Ratio est; quia tunc verè sub specie amicitiæ quam promisit, vel simulavit, consequenter proditoriè occidit, per dicta *n. præc.* Notandum tamen cum Pignatel. *tom. 9. consul. 18 n. 26.* citante plures alios, ad inducendam reconciliationem, aut injuriæ remissionem non sufficere communes salutationes, colloquia, convivia, si ad hæc non sponte, ac motu proprio, sed ex quadam honestatis necessitate, vel casuali interventu in domo aliena, vel societate aliorum deventum est. 128

Infertur econtra *Homicidium proditorium* non esse, quod committitur præcedente ira, indignatione, inimicitia, rixa, verborum contentione &c. DD *n. 116.* citati. Et quia saltem unum ex his semper in duello accidit, ideo in hoc occidens non est *proditorius*, sed gaudet *Asylo*, sive alias amicus fuerit, sive inimicus, qui occidit. Pignatel. *to. 9. consul. 18. n. 35.* Farinacius *in Appendice de immunitate c. 7. n. 17.* & alii communiter. 129

V. Crimen exceptum *Asylo* privans est *Assassinium*. Omnes, ob expressam Dispositionem Gregorianam, *Cum alias* §. 3. ibi: *Si fuerint Assassinii Rei*. Concordat *c. 1. de Homicid. in 6.* circa hoc crimen. 130

Quæritur II. Quid sit, & dicatur *Assassinium*? & quinam veniant nomine Assassinorum? Item quæ requirantur ad hoc, ut *Asylo* priventur? Resp. I. *Crimen Assassinium* est, & dicitur, quando pro pecunia, aut alia re pretio æstimabili accepta, vel promissa committitur homicidium. *Assassini* vero sunt & dicuntur tam illi, qui pretio conducti alium occidunt, quam qui pretium dant, aut promittunt, 131

ut

ut homicidium committatur. Ita DD. communiter *arg. c. 1. de homicidio in 6.* quamvis enim olim Assassinorum nomine soli venerint certi quidam Infideles ad occidendos Christianos destinati, de quibus etiam loqui videtur *c. c. 1. de homicid. in 6.* tamen hodie ex communi sensu DD. & consuetudine, *quæ est optima Legum interpres*, *c. cum dilectus de consuet.* venit quivis, sive fidelis, sive infidelis isque tam pretio conducens, quam conductus ad occidendum, ut videre est apud Farinacium *de immunit. q. 8. nu. 119. & n. 128.*

132 Resp. II. Ad hoc, ut *Assassini* priventur *Asylo*, plura requiruntur. Veluti I. Ut effectus, id est, mors, actu sit secutus: hinc *Immunitate* gaudet tam conducens, quam conductus, si ex vulnere, vel alio ictu ad occidendum posito læsus non moritur. Jacob. Pignatel. *to. 9. consul. 43. n. 9.* Farin. *de immun. c. 8. n. 123. in fine*, *& de Homic. q. 123. n. 77.* Dian. *p. 1. tr. 1. resf. 18.* ac plures alii à Pignatel. citati. Probatur ex Bulla Gregoriana: quæ sicut in aliis delictis non nisi secuto effectu privat *Asylo*, ita etiam de *assassinio* interpretanda venit, accedente præsertim consuetudine, *quæ est optima legum interpres*, *l. 37. ff. de legib.* Ratio est; quia juxta regulam universalem verba Legis pœnalis intelligi debent cum effectu, nisi aliud exprimatur in Jure *arg. can. hæc autem verba de Pœnit. dist. 1.* ibi: *Hæc autem verba cum effectu accipimus:* ubi Gl. dicit: *Voluntatem sive conatum non puniri sine effectu.* Accedit quod Lex pœnalis sit strictè interpretanda, *arg. c. Odia de R. J. in 6.*

133 Dices, qui intendens occidere tantum vulnerat, est verus *Assassinus*, *arg. c. 1. de homic. in 6.* ibi: *Quamquam mors ex hoc forsan non sequatur*; atqui Constitutio Gregorii XIV. quemvis *assassinii* Reum indistinctè privat *immunitate*, ergo indistinctè venit intelligenda, *arg. l. de Pretio ff. de Public. in rem act.* Resp. Distinguendo. Est verus *assassinus* in ordine ad incurrendas pœnas *c. c. 1.* statutas conceditur; in ordine ad privationem *immunitatis* statutam in Bulla Gregoriana negatur, ob rationes *n. præc.* positas. Accedit, quod objectio nimium probaret, videlicet, quod si post factam, & acceptatam conductionem, tam conducens, quam conductus statim evaderent, & essent *assassini*, *c. 1. de homic. in 6.* hoc ipso statim etiam essent privati *asylo*, etsi conductus nil adhuc tentaverit, nullumque sit aggressus. Quod est falsum, & contra ipsos Adversarios ac contra Declarationem Cardinalium apud Jacob. Pign. *to. 2. consf. 68.* in una Sarzanensi 21. Februarii 1620. ibi: *antequam sequatur effectus, qui pecuniam dedit propter homicidium, gaudet immunitate.* Quæ Declaratio etiam servit pro probatione Conclusionis.

134 Illud certum est, quòd gaudet immunitate Ecclesiastica, qui mandat; & mandatum recipit, vel cooperatur propter pretium acceptum vel promissum ad faciem ferro cuidam deformandum, aut vulnerandum: quia tales impropriè sunt *assassini*. Ita enim in terminis declaravit S. Congr. in *Neapolitana 25. Junii 1601.* & tenet cum communi aliorum Pignatel. *to. 9. consf. 43. n. 11.* Farinacius *loc. cit. n. 134.*

135 VI. Juxta probabiliorem, & communiorem requiritur, ut pretium aliquod certum, ac specificum, seu determinatum in pecunia, vel alia re consistat: incertæ enim, generalis ac vagæ rei promissio ad constituendum *assassinium* non sufficit. Farinacius *in Appendice de Immun. c. 8. n. 131.* ubi allegat Declarationem Cardinalium, Bonac. *disp. 3. q. 7. de Immun. punc. 4. n. 18.* Lezana *V. Immunitas n. 13.* & alii plurimi contra Mascardum *concl. 138. num. 12.* Delbene *de immun. c. 12. dub. 21. sect. 1. n. 12.* & alios. Ratio est; quia rei in genere, aut incertæ promissio non obligat, nec valet, *ar. l. Triticum 94. & l. ita stipulatus ff. de V. O.* unde infertur, Assassinium non esse, si conducens, aut mandans sequentibus, aut similibus utatur formulis: *Occide mihi hunc, & ego tibi aliquid notabile dabo:* vel *dabo tibi pecunias, & compensabo, quod sis futurus contentus &c.*

136 Porrò requirunt aliqui, ut Farinacius Praxi Criminal. *de homic. q. 123. n. 43.* Pignatel. *to. 9. consul. 43. n. 32.* Ambr. *de immun. c. 7. sub num. 9.* & alii, quòd pretium certum in quantitate notabili detur, ita ut arbitrio Judicis movere possit ad tam immane scelus patrandum. Verum quamvis dato, vel promisso pretio levi, in dubio non præsumatur intuitu illius homicidium esse commissum, & consequenter *assassinii* Reus quis judicandus non sit, uti benè observant citati DD. tamen si constat, aliquem etiam levi pretio inductum esse ad occidendum, reverà *assassinii* reus erit, uti benè docet Castro Palao *t. 11. disp. un. p. 9. n. 34.* Delbene *l. c. n. 10.* Haunoldus *to. 6. t. 1. n. 222.* Ratio est, quia parvitas pretii non minuit, sed auget delictum ex eo, quòd vitam proximi tam levi pretio postponat. Prout ex simili ratione etiam non datur parvitas materiæ in Simonia.

137 Illud certius est, *assassinum* non esse, consequenter *immunitate* non privari, qui absque pretio sibi dato, vel promisso, sola spe præmii, & animo complacendi alteri aliquem occidit. Farinacius *l. c. n. 130.* Castro Palao *l. c. n. 34. ad fin.* Baiard. ad Clarum §. *Assassinium n. 7.* Sperell. *dec. 102. à n. 7.* & Communissima aliorum. Ratio est; quia de quidditate *assassinii* hodierni est, datio vel promissio pretii.

Major controversia inter DD. est, an pretio conductus committat *assassinium*, si occidat infidelem, Judæum v. g. Turcam, vel Paganum? Negativam tenent plures, ut Covarruvias *lib. 2. var. res. c. 20. n. 10.* Clar. §. *Assassinium n. 2.* Castro Palao, ubi suprà *n. 35.* & alii moventur *c. 1. de homic. 6.* ibi: *Quicunque quempiam Christianorum.* Verum affirmativa videtur probabilior, quam tenet Farinacius *in Append. c. 8. n. 120.* ubi testatur de communi, Decian. *tr. Crim. lib. 6. c. 28. §. 4. n. 20.* Pignatel *to. 9. consul. 43. n. 13.* citans Bonac. *to. 2. disp. 3. q. 7. pun. 6. n. 9.* Delbene, & alios. Ratio est: tum quia fidelitas, & infidelitas ad assassinium se habent prorsus per accidens, cum malitia, & quidditas hujus criminis in hoc consistat, quod quis pretio temporali vitam hominis perdat. Tum quia Bulla Gregoriana universaliter quemvis *assassinum* secuto effectu privat *Asylo* sine distinctione fidelium. Hinc sicut privatur *Asylo*, qui proditoriè occidit infidelem, prout etiam plures Adversarii fatentur; ita etiam dici debet de *assassino*, cum non sit major ratio de illo, quam de isto. Nec obstat *c. c. 1. de homicid. in 6.* quia dictum Capitulum intelligi debet de *assassinio* in ordine ad pœnas ibidem specificatas: non item in ordine ad privationem *immunitatis*, utpote de qua ibidem nulla fit mentio. Et plane si illud Capitulum etiam in ordine ad *immunitatem* foret attendendum, soli conducentes infidelem ad occidendum, non item conducti essent privati *Asylo*, ut legenti textum patet.

138 Tandem notandum cum Farinacio *in Append. de immun. q. 8. n. 132.* Pignatel. *to. 9. consul. 43. n. 15.* Castro Palao *l. c. n. 36.* Ambros. *de immun. c. 7. n. 10.* Covarruvia *lib. 2. var. res. c. 20. n. 9. circa fin.* communem aliorum docere, quòd pretio conductus, ut occidat aliquem, qui est inimicus ipsius conducti, propriè non sit Assassinus, benè verò, si est solius mandantis, seu conducentis inimicus, nisi conducens occisioni esset præsens, quia ajunt, in *secundo*, non item in *primo* casu incautum occidit, cum ab inimico quivis sibi cavere debeat. Verùm hæc ratio (aliam non afferunt) non videtur convincens, quamvis enim ex ea sequatur, quod si conductus pretio, occidat proprium inimicum, non committat *homicidium proditorium*; tamen ex eadem probari non videtur, quòd non committat *Assassinium*, utpote cujus natura non in eo consistit, quòd quis occidatur incautus, sed quòd pretio conductus occidat, per dicta suprà: adeo ut etiam *Assassinus* reverà sit, qui pretio conductus aliquem occidit, etsi non à tergo, nec ex insidiis, sed à facie, consequenter non incautum aggrediatur, & se defendentem occidat. Eapropter à communi recedere omnino luberet, si præcedentes haberem, præsertim cum sæpè contingere posset, quòd quis suum inimicum alias non occidisset, nisi pretio conductus fuisset.

139 VII. Crimen exceptum *Asylo* privans, est crimen *Hæresis*: ita expressè textus Bullæ *Cum alias n. 81.* allegatæ, ibi: *vel Hæresis rei.* Intellige, si ob ipsius *hæresis* crimen, non item ob alia crimina ad Ecclesias confugiunt; prout jam diximus suprà *n. 80 & 81.* ubi vide.

VIII. Crimen exceptum *Asylo* privans est crimen *læsæ Majestatis in persona ipsiusmet Principis*. Ita verba formalia sæpe citatæ Bullæ Gregorianæ, ubi quia requiritur, ut peccetur *in personam ipsiusmet Principis*.

140 Quæritur III. Quandonam quis dicatur committere crimen *læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis*? Item quinam ad oppositum nomine *Principis* veniant? Resp. I. Tunc committi, quando exercetur actio aliqua positiva, in ejusdem personæ damnum, vel offensam, v. g. percutiendò, vulnerando, carcerando, occidendo, aut

aut hostiliter insequendo personam *Principis*: item contra eam machinando, conjurando, hostibus tradendo, aut revelando, ut capiatur, aut tales actiones mandando, consulendo, auxilium & favorem præstando &c. ita cum communi aliorum Bonacina *tom. 2. disp. 3. q. 7. punc. 7. §. 6. n. 10.*

141 Resp. II. Nomine *Principis* ad propositum veniunt, & intelliguntur illi soli, qui in suo Territorio plenum jus obtinent, & quoad temporalia superiorem non agnoscunt. Farinacius *in Appendice de immun. c. 14. n. 185.* citans Mar. Ital. *de Immun. lib. 1. c. 5. §. 7. n. 11. & seq.* Diana *p. 1. tr. 1. res. 6.* Bonacina *tom. 2. disp. 3. q. 7. punc. 6. §. 6. n. 2.* cum communi aliorum. Ratio est; quia cum Bulla Gregoriana ex illa parte, qua privat certa crimina *Asylo* est odiosa, consequenter strictè interpretanda, *arg. c. Odia de R. J. in 6.* sicque non nisi de supremis *Principibus* in suo Territorio superiorem quoad temporalia non agnoscentibus intelligenda Diana *p. 1. tr. 1. res. 6.* præsertim cum hi soli in Jure nomine *Principum* veniant, ut cum communi advertit Engel *6. t. n. 16.*

142 Infertur I. Quòd nomine *Principis* ad propositum ante omnes veniat Summus Pontifex, utpote qui nec in temporalibus, nec in spiritualibus superiorem agnoscit. Ita omnes.

143 Infertur II. Eodem *nomine* etiam venire Romanum Imperatorem, Reges Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, Hungariæ, Angliæ, Portugalliæ, Poloniæ, Croatiæ, Siciliæ, ac reliquos Reges. Item S. R. I. Electores, & Principes. Item Archi-Duces, ac Duces Austriæ, Bavariæ, Sabaudiæ, Saxoniæ, Parmæ, Modenæ, Capita Reipublicæ Venetæ, Helvetiæ, Januensis &c. Ratio est; quia hi omnes respectivè in suo Territorio superiorem non agnoscunt, uti benè advertunt Mar. Ital *l. c.* & Bon. *l. c. n. 3.* ac alii. Idem dic de Marchionibus, & Comitibus illis, qui in suo Territorio plenum jus habent, & superiorem non agnoscunt: non item de aliis Principibus, Comitibus, Baronibus &c. superiorem in suo Territorio habentibus, & cognoscentibus. DD. citati cum Barb. *in c. 6. h. t.*

144 Huc reduci, & *Principis* nomine venire vult etiam Cardinales, & Episcopos Peregr. *de immun. c. 9. n. 5.* quem citat, sed non sequitur Diana *p. 1. tr. 1. arg. c. Felicis 5. de Pœnis in 6.* ubi offendentes Cardinalem, Rei criminis *læsæ Majestatis* dicuntur. Ratio est; quia Cardinales æquiparantur Regibus, & sunt Principes Ecclesiæ Romanæ, vocanturque *Fratres* Papæ, & cum eo unum Corpus constituunt, ita ut offendentes aliquem ipsorum ipsum quoq; Papam offendere, & propterea dicti criminis *læsæ Majestatis* rei censeantur, *ar. l. quisquis C. ad l. jul. Majest.* quod idem cum proportione de Episcopis dicendum videtur.

145 Verùm Farinacius *in Appendice de immun. c. 14. n. 185.* docet Cardinales, & Episcopos qua tales nomine *Principis* ad propositum non venire, & hoc Bullæ conformius, atque probabilius videtur, quia licet sint, & vocentur *Principes* Ecclesiæ Romanæ, tamen quia Cardinales non sunt Principes supremi, qui in suo Territorio plenum jus habentes superiorem in temporalibus non agnoscunt, quod requiritur ad hoc ut quis sit reus criminis *læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis*, juxta sensum Bullæ Gregorianæ, uti patet ex dictis in Conclusione, & communi DD. Nec obstat *c. Felicis de Pœnis 5. in 6.* quia licèt ex eo probetur, offendentes Cardinalem esse reum *læsæ Majestatis*, tamen non probatur, esse ex hoc privatum *Asylo*; quia non quodvis crimen *læsæ Majestatis* privat *Asylo*, sed illud tantum, quod committitur *in personam ipsiusmet Principis* supremi, superiorem in suo Territorio non habentis. Pariter non obstat, quòd cum Papa unum Corpus constituant; quia hoc solum est verum in sensu morali, non autem physico; uti requiritur juxta dicenda infrà *n. 148. & seq.*

146 Dicitur autem notanter, *qua tales*, quia si Cardinales aut Episcopi habent etiam Principatus temporales, in quibus plenum jus obtinent, & alium superiorem non habent, quales sunt verè omnes in Germania, utpote Principes S. R. I. sine dubio nomine *Principis* veniunt, & offendens talem privatur *asylo*.

147 Infertur III. Nomine *Principis* ad propositum non venire Uxorem, Fratres, aut Filios Regum, aut supremorum Principum. Farinacius *l. c.* Bonacina *l. c. n. 3.* Diana *p. 6. res. 18.* dicens, ita docere omnes post Bullam Gregorii XIV. scribentes, Haunoldus *to. 7. tr. 1. n. 233.* eoque teste Omnes. Ratio est, quæ in priori numero. Et ex hoc illato confirmatur etiam præcedens; si enim juxta omnes DD. (ut dicit Diana, & Haunoldus) Filii, & Fratres Regum, ac Principum supremorum, non veniant ad propositum nomine *Principis*, & offendentes aliquem aliorum non priventur *Asylo*, eo quod licet reverà sint & dicantur Principes, tamen hic & nunc non sint Principes supremi; etiam Cardinales & Episcopi non venient ad præsens nomine *Principis*, nec privabitur *Asylo* offendens aliquem ipsorum, eo quod & ipsi licet sint & dicantur Principes, tamen non sunt supremi in suo Territorio superiorem in temporalibus non habentes.

148 Infertur IV. Neque Consiliarios, neque supremos ac intimos Ministros, Præsides, Legatos, Vice Reges &c. supremi Principis, venire ad præsens nomine *Principis*, consequenter offendentes aliquem eorum non privari *immunitate asyli*. Farinacius *l. c. n. 192.* Diana *p. 1. tr. 1. res. 6. & 20.* item *p. 1. tr. 1. res. 18.* ubi dicit, ita docere omnes post Bullam Gregorii XIV. scribentes & in specie citat Peregrinum *de immun. c. 9.* per totum, & Sylvium. Barbosa *in c. inter alia 6. h. t. n. 10.* Lezana *V. Immunitas n. 15.* ac si non omnes, certè Communissima aliorum contra Curtelium, & Gambacurt. Ratio est jam sæpè allegata; quia nempe non sunt supremi Principes superiorem in suo Territorio non habentes.

Nec obstat *l. quisquis 5. princ. C. de l. jul. Majest.* ubi præfati Consiliarii ac Ministri pars corporis Principis vocantur, unumque corpus cum eo constituunt, & propterea offendentes aliquem ex illis, rei læsæ Majestatis habentur: ibi: *Nam & ipsi pars corporis nostri sunt:* ob quod argumentum Haunoldus *l. c.* opinionem Curtelii, & Gambacurt. probabilem appellat. Nam contra est, quòd licet ex dicta Lege probetur, offendentes talem, esse reos *læsæ Majestatis*, non tamen probatur, eos exinde esse privatos *asylo*, cum non omnes *læsæ Majestatis* rei sint privati hoc jure, sed tantum rei *in personam ipsiusmet Principis*, uti jam dictum. Nec quidquam in contrarium probat ratio adducta, quòd dicti Ministri sint pars corporis Principis, unumque corpus ac personam cum eo constituere, ac repræsentare censeantur; quia hoc tantum verificatur in sensu morali, & non in physico, in quo tamen loquitur & intelligenda venit Bulla Gregoriana, prout non tantum ex communi sensu DD. consuetudine Legis optima interprete *c. 8. de consuet.* patet, sed etiam ex ipsa Bullæ dictione *ipsiusmet personæ Principis* apertè liquet; dictio enim *ipse*, & multò magis *ipsiusmet*, est personalissima, & demonstrativa personæ summeque restrictiva ad personam, & personalitatem, ita ut ad aliam personam referri non possit, ut plurimis aliis citatis docet Barbosa *de diction.* Dictione *ipse*, ubi ad propositum plures affert Decisiones Rotæ.

149 Et certè si in sensu morali sufficeret, quòd quis sit, & dicatur pars corporis *Principis*, unumque cum eo constituere corpus & personam, nemo magis veniret nomine *Principis*, quam Uxor, & Filii Regum aut Principum, cum teste ipsa Scriptura uxor dicatur *una caro* cum viro, ibi: *Erunt duo in carne una:* filius autem reputetur una persona cum patre per vulgaria Juris: & tamen juxta unanimem post Bullam Gregorii XIV. scribentium Uxor & Filii Principis non veniunt nomine *Principis*: unde mirandum sanè, quod Haunoldus *l. c.* ex illo fundamento, quia Consiliarii & Ministri Principis in sensu morali sunt pars corporis Principis, unumque corpus cum eo constituant, opinionem Gambacurtæ probabilem reputet, & tamen cum unanimi aliorum absolutè neget, Uxorem & Filios Regum venire nomine *Principis*; cum tamen in his æquè vel magis idem militet fundamentum, ut ex dictis patet. Nec valet paritas ab eo assumpta de Cardinalibus; quia communis doctrina non tam est, quod offendentes talem, priventur *asylo*, quam quod sint rei *læsæ Majestatis*, quod gratis conceditur, sed negatur exinde hoc ipso aliquem privari *immunitate*, cum non physicè, sed moraliter tantum committatur *in personam ipsiusmet* Papæ, quod non sufficit per dicta.

150 Infertur V. Non committi crimen *læsæ Majestatis* exceptum privans *asylo*, si peccatur in statuam aut effigiem Principis supremi: vel in statum aut provinciam Principis excitando v. g. rebellionem; dummodò non fiat machinatio

tio contra personam ipsiusmet Principis supremi. Diana p. 6. res. 18. citans unanimem post Bullam Gregorianam scribentium, in specie Peregrinum, & Sylvium ubi suprà, idem docet Farinacius *in append. de immun. c. 14. nu.* 190. Bonacina *l. c. n.* 5. & communis aliorum.

151 Sed quæres incidenter, an crimen *læsæ Majestatis* in personam ipsiusmet Principis committant exceptum non tantum subditi ipsius, sed etiam exteri? Resp. Negativè quoad exteros, qui ratione originis, aut domicilii subditi non sunt. Farinacius *c. c. 14. n.* 151. Haunoldus ubi suprà *n.* 232. Ambrosin *de immun. c. 6. n.* 12. Bonacin. *cit. to. 2. disp. 3. q. 7. punct. 7. §. 6. n.* 12. & communis aliorum, *arg. Clem. Pastoralis §. Rursus non est, de Sent. & re jud.* ubi Pontifex declarat, etiam ex illo capite à Roberto Rege Siciliæ commissum non fuisse crimen *læsæ Majestatis* in Henricum Imperatorem, quòd ei nec ratione originis, nec domicilii fuerit subjectus. Nec obstat, quod extraneus machinator contra personam Principis fiat ei subditus ratione delicti, vi cujus quivis sortitur Forum, *Auth. Si qua in provincia C. ubi de Crim. agi oportet, & c. fin. de Foro competent.* Resp. enim talem per delictum fieri quidem aliqualiter subditum, sed antecedenter non fuisse, prout tamen requiritur ad crimen *læsæ Majestatis*; unde licet talis puniri possit, ubi deliquit, non tamen privatur *Asylo*.

152 Quæritur IV. Utrum etiam propter alia crimina in Bulla Gregorii XIV. non expressa, eis tamen æqualia, vel iisdem majora, enormia, & atrocissima quis privetur *Iure asyli*? Resp. negativè. Farinacius *in append. de immun c. 22. n.* 353. & 355. Guttierez *pract. qq. Civ lib. 3. q. 4. n. 12. & seq.* Fagnanus *in c. Inter alia h. t. n.* 36 Castro Palao *tr. 11. disp. un. pun. 10. n.* 4. Diana *p. 1. tr. 1. res.* 2. Haunoldus *to 6. tr 1. n.* 235. & communissima, ac fermè unanimis aliorum post dictam Bullam scribentium. Idque probatur. I. Ex receptissima illa Regula, *Exceptio unius firmat regulam in contrarium l. quæsitum, 12 §. Idem respondit 43. ff. de Fund. instruct. l. cum prætor. 12. prin. ff. de judic. & l. 4. §. fin. ff. ad pecun. legat.* II. Probatur ex alia Regula pariter universali, & communiter recepta; quod Lex pœnalis ob identitatem, vel etiam majoris rationis non sit extendenda; *ar. c. odia & c. in pœnis de R. I. in 6. & l. factum cuique §. in pœnalibus ff. de R. I* quia pœnæ casum proprium non excedunt *can. pœnæ dist. 1. de pœnit.* III. Probatur ex ipsis Bullæ verbis, quibus dicitur, quod Papa in materia *immunitatis*, cuncta *ad unam tantum formam reducere* intendant; non attenta *paritate, identitate, aut majoritate rationis*. IV. Probatur per oppositum Decretum irritans, & clausulam *sublata aliter judicandi facultate*. Confirmatur ex Conclusione *n.* 88. posita, & textu ibidem ex *c. Inter alia 6 h. t.* allegato.

Infertur, quod quamvis olim plura crimina de Jure Civili caruerint *asylo*, hodie tamen eodem gaudeant: eo quòd in materia *immunitatis* non ad Civilem, sed Ecclesiasticam dispositionem attendendum sit, juxta unanimen, & dicenda infrà.

153 Notandum tamen cum Farinacio *in append. de immun. c. 14. n.* 185. quòd si in casu atrocis, vel atrocissimi criminis, v.g. ob occisionem Cardinalis, *læsæ majestatis* in statum, aut Provinciam, parricidium &c. fugiat quis ad loca sacra, possit Episcopus eum bene custoditum tenere, donec per illum, vel potestatem sæcularem Papa informetur, & ab eo extrahendi potestas petatur, potest enim, & etiam subinde solet Papa ob enormia Crimina etiam non excepta extrahendi licentiam dare ad terrorem & exemplum aliorum.

154 Quæritur V. An etiam *asylo* gaudeant Rei è carceribus aut manibus satellitum fugientes, dum ducuntur ad carceres, vel inde ad supplicium? Resp: Affirmativè; dummodò non laborent Crimine excepto. Farinacius *in append. de Immun. c* 15. Ambrosin. *de immu. c. 10. n.* 11. Navarrus *in manual. c. 25 n* 19. Guttierez *pract. qq. lib. 3. q. 6. n.* 6. cum communi. Fundamentum est; quia nulla apparet ratio, nec Juris dispositio, eos *asylo* privans. Accedit, quod favores ampliandi sint, & extendendi, *c. Odia de R. I. in 6* Confirmatur ex repetitis Declarationibus Cardinalium apud Iacob. Pignatell. *to. 6. consul.* 4. ubi *n.* 78. sequentem ponit: *Fugiens ad Ecclesiam, dum ducitur ad supplicium, gaudet immunitate, in una Vallisoletana 19. Maii* 1627. & *n.* 107. *Qui elapsus è manibus satellitum, confugit ad Ecclesiam vel apprehendit parietem, aut seras valvarum gaudet Immunitate, 3. Martii 1604. & 18. Iulii 1614. & 20. Dec.* 1616. & *n.* 91. *Condemnatus ad supplicium mortis, effringens carceres, non autem compedes gaudet Immunitate, in Romana 11. Febr.* 1648. Ex qua ultima habes etiam cum compedibus fugientes ad loca sacra gaudere *asyli*.

Extendit Diana *p. 1. tr. 1. res.* 13. Conclusionem etiam 155
ad casum, quo reus unà cum satellite per vim intrat in Ecclesiam. Verum huic obstat bina Declaratio Cardinalium apud Jacob. Pignatel. *l. c. n.* 88. ita sonans: *Confugiens in Ecclesiam ligatus cum Birruario non gaudet immunitate, in Florent. 6. Novemb.* 1634. Pariter non gaudet immunitate Reus ex eo, quòd per locum ducatur ad supplicium, casu quo alia via è carceribus ad locum supplicii non sit: secùs si alia existente via per illum duceretur. Diana *l. c. res.* 30. Peregrinus *de immun. c. 5. n.* 8. vide de hoc etiam Farinacium *loc. cit.*

§. VI.

De Effectibus, Favoribus, & Privilegiis immunitatis Asyli:

SUMMARIUM.

156 *Rei debent recipi in loco sacro.*
157 *Et de bonis loci sacri sustentari.*
158 *Nisi propria habeant, & facilè habere possint.*
An, & quomodo suaderi eis possit, ut discedant. Ib.
159 *Nemo potest impediri, quominus reus fruatur necessariis naturæ.*
160 *Non potest vi extrahi e loco sacro.*
161 *Potest tamen sponte egredi, & extra capi, non tamen in ipsa Ecclesia, etsi consentiat.*
162 *Ad sponte exeundum falsa promissione inductus gaudet immunitate.*
163 *Secus, si solis blanditiis absque promissione inducatur.*
164 *Dolo, fraude, & mendaciis ad sponte exeundum inductus non gaudet Asylo.*
165 *Nisi Judex ipse per se, vel alium talem fraudem committat.*
166 *Reus in loco sacro existens non potest condemnari ad mortis, vel corporis pœnam.*
167 *Bene tamen si exeat.*
168 *Pœna pecuniaria, aut alia competenti potest, & debet etiam in ipso loco sacro puniri.*
169 *A quo Judice?*
170 *Non potest spoliari bonis suis secum in locum Asyli allatis.*
Benè tamen alienis; & armis prohibitis. Ib.
171 *Neque potest in loco Asyli carcerari, aut vinculis constringi.*

Quæritur I. Quosnam effectus, favores, aut privi- 156
legia *Jus Asyli* pariat Reis confugientibus ad Ecclesias, vel alia loca sacra? Resp. Plures. Patet inductione. Et quidem I. Est, quòd debeant in locis sacris, quo rei confugiunt, recipi, nec possint inde repelli aut excludi. Pignatel. *to. 2. consul. 4. n.* 63. Haunoldus *to. 6. tr. 1. n.* 274. Delbène *de immun c. 16. dub. 48. n. 1. ar. can. Diffinivit. 35. & can. Reum 9. caus. 17. q. 4.* ubi statuitur, ut *Rectores Ecclesiarum pacem, & vitam, & membra ejus* (Rei nempe) *obtinere studeant*, quod idem præcipitur *c. Inter alia 6. h. t.* ibi: *Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam*. Concordat *l. 2 & 3. & l. præsenti 6. C. de his qui ad Ecclesias confug.* ibi: *Ex his* (Religiosis) *locis eorumque finibus nullos expelli, aut aliquando ejici patimur*. Ratio est: tum quia tenentur Rectores Ecclesiarum jura Ecclesiæ, ipsiusque *immunitatem* defendere, ergo hoc ipso non possunt Reos illuc confugientes repellere. Tum quia eo ipso, quod concedatur Reis jus ad Ecclesias confugiendi, imponitur Rectoribus Ecclesiæ obligatio eos recipiendi, alias enim si Rei pro libitu Rectorum possent non recipi, aut etiam recepti iterum repelli, vel rejici; parum, aut nihil prodesset Reis *Jus asyli*: præsertim si potestas sæcularis extraditionem urgeret, ubi Rectoribus Ecclesiarum excusatio non superesset dicendò: *non possum*, aut *non licet &c* Licitum est tamen Rectoribus Ecclesiæ, imò expedit, suadere Reis, ut nimis diu non morentur in locis sacris juxta dicenda infrà *n.* 158.

157 II. Effectus, seu commodum est, quod debeat Ecclesia, aut alius locus sacer Reum de bonis suis sustentare, eique vitæ præbere necessaria, nisi ipse bona propria habeat, aut aliunde à consanguineis v. g. facile habere possit. Abbas *in c. Inter alia 6. h. t. n.* 28. Sylvester *V. immunitas 3 n* 5. Glossa communiter recepta *in c. c. diffinivit. 35. cau. 17. q. 4 V. defendatur arg. l. præsenti 6. C. de his, qui ad Eccl. confug.* Ratio est: tum quia alias indirectè cogeretur Reus ad exeundum, & potestati sæculari se tradendum, aut fame moriendum; sicque rursus eidem non prodesset *Jus asyli*. Tum quia tenentur Rectores Ecclesiarum conservare Rei vitam, & membra, per Jura citata *n. præc.* ergo tenentur vitæ præbere necessaria.

158 *Nisi ipsemet bona propria haberet, aut aliunde à consanguineis v g. facile habere possit*, uti notanter limitatum est *n. præc.* tali enim in casu de illis, non de Ecclesiæ bonis vivere deberet Reus, prout citati DD. cum communi aliorum benè advertunt. Imò non potest Ecclesia in tali casu eum de bonis suis sustentare, quia malè dilapidaret patrimonium Christi, & pauperum. Hinc etiam juxta DD. citatos in casu quo ipse Reus nihil habet, nec aliunde quid habere valet, potest cogi ad laborandum, & serviendum in commodum Ecclesiæ, ut sic expensæ in eum factæ de Ecclesiæ bonis, quæ non nisi ad causas pias & pauperes erogari possunt, compensentur. Atque ne *Immunitas* sit ei occasio otiandi, & exinde etiam peccandi. Addunt aliqui: & meritò non expedire, ut Rei propriis destituti mediis diutius morentur in locis sacris, ne *ipsi per incommodum Ecclesiæ, egentium & pauperum alantur expensis*, ut dicitur citata *l. præsenti 6. C. de his, qui ad Eccl. confug.* Hinc benè possunt Rectores Ecclesiæ Reo suadere, ut discedat, si cognoscunt, quòd in alio loco, aut Provincia securè, & absque periculo degere valeat, illucque eundem convenientibus modis ducere, & dirigere sine periculo possint; & nisi aliud circumstantiæ exigant.

159 III Effectus, seu commodum est, quòd nemo prohibere, aut impedire potest, quominus ad Reum in loco *asyli* existentem deferatur necessarius victus, & vestitus ipseque reus necessaria requie frui, & naturam etiam extra locum *asyli* (si reverentia loci exigat) exonerare valeat. Omnes ob clara Jura Et quidem de victu, vestitu, & requie patet ex *l. præsenti 6 princ C. de his, qui ad Eccl. confug.* ibi: *Nec patimur in ipsis Ecclesiis reverendis ita quemquam detineri, atque constringi, ut ei aliquid victualium rerum, aut vestis negetur, aut requies*; Ratio est; quæ *n.* 157. posita, nempe, quia alias indirectè cogeretur ad exeundum, aut moriendum. De exoneratione naturæ aperte patet ex *can. diffinivit. 35. cau. 17. q. 1.* ubi propterea triginta passus in circuitu Ecclesiæ conceduntur; *qualiter ad requisitæ naturæ usum debitis exeant locis, & nullo teneantur eventu necessitudinis, qui Dominicis se defendendos commiserint claustris*, ut ibidem dicitur. Ratio est; quia cum ex una parte conservatio vitæ exigat naturæ exonerationem, ex altera vero eam in se non patiatur reverentia loci, necesse est, extra congruum habere locum. Hinc cum aliis benè advertit Haunoldus *tom. 6. tr. 1 nu.* 238. & 274. necessitatis naturæ causa egressum è loco sacro à Potestate sæculari capi non posse.

160 IV. Est, quod Reus à loco *asyli* per vim extrahi, aut abstrahi à nullo possit (nisi commiserit crimen exceptum) unanimis. Textus expressus est *in cit. can. diffinivit 35. cau. 17. q. 4.* ibi: *Nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, & residentes inde abstrahere* & *c. inter alia 6. h. t.* ibi: *Quantumcunque gravia maleficia perpetraverit* (nisi sint de exceptis) *non est violenter ab Ecclesia extrahendus* Concordat *L. 2. C. de His, qui ad Eccl. confug* ibi: *Sancimus, nemini licere ad SS. Ecclesias confugientes abducere* & *l. Præsenti cod.*

161 Et quamvis possit Reus spontè exire, ac permittere ut egressus capiatur, Pignatel. *to 9 consul. 2. n.* 29 Farinacius *in append. de immun. c. 19. n.* 306. cum tunc nec ipsi, nec Ecclesiæ fiat injuria. Non ipsi, quia volenti non fit injuria, *l. cum donationis C. de transact.* Non Ecclesiæ, quia inde nec violenter extrahitur, nec ibidem capitur, quo solo ad præsens videtur fieri injuria, aut irreverentia loco sacro. Non potest tamen consentire, ut in Ecclesia capiatur, aut ex illa trahatur, aut ducatur, neque licita, neque valida est talis extractio aut eductio consentiente Reo facta. Farinacius *l. c. n.* 304. ubi citat Mastril. *consil. 179 lib.* 2. Decian. *in tr. crim.* Pignatel. *l. c.* Palao *tr. 11. disp. un pun. 11. n.* 4. & novissimè Doctissimus Jacob. Vviestner *in suo jure Asylor. p. 5. ar. 1. n.* 13. ubi etiam citat Delbenè *c. 16. dub. 26. n.* 7. Ratio est, quia *immunitas asyli* est potiùs locale quàm personale privilegium concessum per dicta *n. 63. ar. l. præsenti 6. de his, qui ad Eccl. conf. can. Frater. can. diffinivit. can. si quis contumax caus. 17. q. 4.* quorum textus vide suprà *n. 63. can. reum 9. caus. 17. q. 4* ubi statuitur Immunitas, *ut honor Dei, & Sanctorum ejus servetur*; atqui Privilegio locali persona renuntiare nequit; sicut à pari etiam Clericus renuntiare non potest privilegio Clericali, utpote non tam ob favorem personæ, quàm totius status Clericalis introducto. Hinc quia capere aliquem in ipsa Ecclesia, vel ab eadem abstrahere est contra *immunitatem*, & Ecclesiæ injuriosum, tale manebit, etsi capiendus consentiat. Quapropter, si sponté se subjicere vult Potestati sæculari, exeat prius, & deinde faciat & permittat, quod vult.

Porro si ad sponte egrediendum Judex promissione se- 162
curitatis, & impunitatis Reum induxit, tenetur eidem servare fidem promissam, vel iterum restituere loco sacro. Farinacius ubi supra *n.* 301. Barbosa *lib. 2. Iur. Eccl. un. c. 3. n.* 54. Navarrus *in Manual c. 25. n.* 22. Castro Palao ubi suprà *n.* 3 Azorius *p. 2. lib. 9 c. 9 q.* 11. cum communi aliorum. Ratio est; quia cum Reus non nisi sub conditione securitatis promissæ deseruerit locum *asyli*, debet conditio à promittente servari, aut desertio loci sacri censetur nulla; cum paria sint, nihil fieri, & sub conditione fieri, quæ non purificatur, *ar. l. Si quis sub conditione ff. si quis omissa causa l. cedere diem ff. de V. S. l. qui hæredi & l. Mævius. ff. de cond. & demonst.*

Num autem *Immunitatem* perdat Reus, si blandis 163
verbis, aut etiam dolo, & mendaciis absque tamen promissione securitatis inductus sponté egrediatur? Alia est quæstio, circa quam decidendam oportet respondere cum distinctione. Et quidem primò affirmativè respondendum, si absque fraude & mendaciis, solis blanditiis, blandisque verbis, rogationibus, aut persuasionibus inductus egrediatur Reus. Pignatel. *to 1. consul* 100. *n* 4. Pirhing. *h. t. n* 42. Farinacius *l. c. n* 302. Castro Palao *p. 2. tr 11. disp. un. punct un n.* 3. Haunoldus *to. 6. tr 1 n.* 240. & communissima aliorum. Ratio est; quia nec Ecclesiæ, nec reo vim, vel injuriam infert.

Idem dicendum videtur, si dolo, fraude, & menda- 164
ciis ab aliquo tertio v g. occulto inimico Rei, aut alio indifferente non Judice, nec per Judicem ad hoc constituto induceretur ad egrediendum: his vel similibus à parte rei falsis verbis: *Egredere, nemo est foris, habes securam fugam*: vel, *Nihil patieris in vita & membris*: vel, *Audivi à Iudice, vel aliis fide dignis, quod gravi non sis plectendus pœna &c.* Pirhing. *l. c* Haunoldus *l. c.* Navarrus *in Manual. c. 25. n.* 22. Ratio est; quia in tali casu per Judicem sæcularem non fit injuria Ecclesiæ, nec Reo, utpote quem sponté egressum extra locum *asyli* capit. Nec refert, quòd Reo illata fuerit injuria à tertio, quia hoc judicem non tangit, & sibi ipsi imputare debet Reus; quòd alii crediderit, & circumspectius non egerit; diciturque in tali casu potius à sua imprudentia, quàm dolo, & fraude alterius seductus, *arg c. cum dilectus 6. de his, quæ vi metusque causa fiunt*, ibi: *Non obstante dolo, quo se proponebant, fuisse seductos, cum talis dolus non tam ad circumventionem Cisterciensium, quam ad facultatem eorum debeat retorqueri*.

Quòd si verò ipse Judex per se, vel per alium fraudu- 165
lenter dolosis, & mendacibus verbis, etsi absque promissione aliqua prolatis Reum ad sponte egrediendum inducat, non privatur Reus *Iure asyli*, nec potest puniri, sed debet iterum in statum pristinum restitui, Jacob. Pignat. ubi suprà *n* 4. Haunoldus *tom 6 tr. 1. n.* 240. Diana *p. 1. res.* 26. Pirhing *h. t. n. 42. ad fin.* Layman. *lib. 4. tr. 9. c. 3. n. 13. §.* 5. & alii communiter. Ratio est; quia *fraus & dolus alicui patrocinari non debent*, ut dicitur *c. Sedes 15. & c. ex tenore 16. de rescript.* consequenter nec Judici: Et quia Jura deceptis, & non decipientibus subveniunt. Accedit, quòd in tali casu Reus non censeatur sponté ac voluntariè egressus; nam *errantis nullus est consensus, leg. Non id-*

circò

circo Cod. de Jur. & facti Ignorant.

166 V Est, quòd quandiu in loco sacro existit Reus, non possit per sententiam aliquam condemnari ad mortem, aut aliam pœnam corporalem. Pirhing. *l. c. n.* 47 Layman *l. c.* § 2. Sylvester *V. Immunitas* 3. *q.* 4. Abbas *in c. Inter alia* 6. *h. t. n.* 3. & ibi Fagnanus *n.* 11. *& seqq. can. Reum* 9. *can. Id constituimus* 36. *cau.* 17. *q.* 4. *& c. Inter alia h. t.* ibi: *Nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam* (intellige corporalem) notat tamen Castro Palao, *p.* 2. *tr.* 11. *disp. un. punct.* 11. *n.* 11. Clarus, Haunoldus ubi suprà *num.* 249 Huic Juri pluribus in locis derogatum esse consuetudine, vi cujus Reus ad loca sacra confugiens à Judico citatur, & non comparens condemnatur pœna Juris ordinaria, quamvis sententia executioni mandari non possit, nisi Reus sponte exeat, aut aliàs extra deprehendatur: quæ consuetudo, cum sit contra solum jus humanum, utique valebit.

167 Volunt insuper plures, ut Sylvester ubi suprà ad finem, Fagnanus *l. c. n.* 12. Joan. Andreas *in c. Inter alia* 6. *h. t. n.* 8. & ibi Archidiaconus *n.* 3. cum Glossa *in can. Reum* 9. *cau.* 17. *q.* 4. *V. vel ad mortem*, quòd postquam aliquis ob delictum non exceptum semel confugiat ad Ecclesiam, amplius ad pœnam mortis, vel aliam corporalem condemnari ob tale delictum non possit, etsi sponte exeat; quia ajunt, alias immunitas parum prodesset. Verum hæc doctrina nullo solido nititur fundamento, uti benè advertit Haunoldus *l. c. n.* 248. Estque contra universalem praxin, & consuetudinem, quæ est optima Legum interpres *c. cum dilectus* 8. *de consuet.* videmus enim, quod exeuntes è locis sacris passim capiantur, & morte afficiantur. Infirma est etiam ratio allatæ doctrinæ, quia satis adhuc fructificat immunitas, quòd existens in loco sacro securus sit Reus, ibique de fuga in alium commodum & opportunum locum confugere, ac consulere sibi possit. Magis verisimile videtur, quod citatis pluribus aliis docet Farinacius *in append. de Immun. c.* 21. *n.* 34. Castro Palao *l. cit. n.* 10. videlicèt, exeuntem è loco *Asyli* tunc non amplius posse condemnari ad mortem, vel ad pœnam, si existens in loco jam fuit condemnatus ad pœnam pecuniariam; quia per sententiam super aliquo crimine latam expirat officium & potestas Judicis. *l. Judex, ff. de re judicat.*

168 Illud certum est, quòd etsi Reus, quamdiu existit in loco sacro, ad pœnam mortis, vel corporis condemnari non valeat: possit tamen puniri pecuniaria, aut alia competenti pœna. Abbas *in c. Inter alia* 6. *h. t. n.* 9. & ibi Fagnanus *n.* 16 Anchoranus *n.* 2. Barbosa *n.* 35. Farinacius *l. c. per totum* Pirhing. *l. c. n.* 47. cum communissima aliorum, *arg. c. can. Id constituimus caus.* 17. *q.* 4 *& c. Inter alia* 6. *h. t.* ibi *Super hoc tamen, quod inique gessit, est alias legitimè puniendus*. Et quidem si per delictum suum alterum damnificavit, non tantum potest, sed & debet compelli ad satisfaciendum per pecuniam, aut alia bona temporalia, si quæ habet, *arg. cit. can. reum* ibi: *Tamen legitimè componat, quòd inique fecit* (componere enim pro damno dato est pecuniariter satisfacere, Fagnanus *l. c. n.* 17.) *& c. can. Id constituimus* ibi: *et, cui fuerit criminosus* (id est obnoxius Glossa ibidem) *de satisfactione conveniat*. Hinc etiam ipso existente in loco sacro, licitè fit executio in ejus bonis, quòd si verò bonis, & pecuniis caret, aut delictum alteri non obnoxium commisit, alia plaga pœnitentiali competenti etiam corporis leviter afflictiva puniri potest. Castro Palao *l. c. n.* 9. Suarez *lib.* 3. *c.* 12 *n.* 5. & 6. Farinacius *l. c. n.* 333. & 334. cum aliis, *arg. c. Inter alia* 6. *h. t.* ubi de quovis ad Ecclesiam confugientes Reo dicitur, quòd *super eo, quod inique gessit, est legitimè puniendus*.

169 A quo autem Judice sit puniendus quamvis controvertant DD. ut videre est apud Farinacium, communior tamen, & probabilior est, pœnam sive pecuniariam, sive aliam per Judicem Ecclesiasticum esse imponendam Farinacius *l. c. n.* 339. citans Hostiensem, & communem DD. *in c. c. Inter alia h. t.* Castro Palao *l. c. n.* 10. eò quòd ratione loci sacri tunc Judex Ecclesiasticus videatur sortiri Forum. Hoc tamen limita in casu, quo Reus facta sibi securitate, & salvo conducto ad egrediendum, & regrediendum ipsemet vellet ad Judicem sæcularem exire, ibique cum parte læsa de satisfaciendo respondere, & componere, quia tunc clarum est, quòd Judex sæcularis causam cognoscens, & examinans penam pecuniariam competentem imponere habeat. Castro Palao *l. c.* Abbas *loc. cit. n.* 8. & 9.

170 VI. Est, quòd Reus non possit spoliari rebus suis, quæ secum tulit in locum *asyli*. Farinac. *in append. de immu. c.* 19. *n.* 300. Castro Palao *l. c. n.* 8. Pirhing. *h. t. n.* 49. Layman. *l. c. n.* 13. §. 4. cum communi aliorum, *arg. can. sicut.* 6. *cau.* 17. *q.* 4 ibi: *Qui personam, aut bona ejus subtraxerit* (è loco Asyli) *excommunicetur, & can. Diffinivit ead. cau. & q* ubi prohibetur, *quidpiam nobilitatis, vel damni, seu spolii residentibus in loco sancto inferre*, quod intellige de bonis propriis: nam aliena, si secum affert, ei utique auferri, & suo domino restitui debent, uti fatentur Omnes. Imò si ob damnum datum oportet restitutionem fieri, etiam de propriis bonis secum allatis, ut satisfaciat, per legitimum Judicem compelli potest, per dicta à *n.* 168. Similiter spoliari potest armis prohibitis, si quæ secum tulit Doctores post Covarruviam *var. resol. c.* 20. *n.* 18. *Corol.* 36.

171 VII. Est, quod Reus in loco *asyli* non possit capi, nec carcerari, nec vinculis constringi à Potestate sæculari. Farinacius *l. c. n.* 297. Castro Palao *l. c. n.* 6. Covarruvias *l. c. n.* 17. *in princ.* Thuscus *V. Ecclesia concl. n.* 12. & alii communiter, *ar. l. Præsenti C. de his, qui ad Eccl. confug.* ibi: *Non patimur &c. in Ecclesiis quempiam detineri atque constringi, & can. Diffinivit.* 36. *caus.* 17 *q.* 4. Ratio est; quia alias ex loco *asyli* fieret carcer, quod est contra *immunitatis* naturam. Quomodò autem, & à quo custodiri possint & debeant, ubi dubium est, vel constat, crimen esse exceptum, dicetur statim Paragrapho sequenti.

§. VII.

De Custodia, & Extractione confugientium ad Ecclesiam: Modoque custodiendi, & extrahendi eosdem: ubi etiam de Restitutione male extractorum.

SUMMARIUM.

172 *Gaudens Asylo non debet, nec potest custodiri, aut carcerari in loco sacro.*
173 *Benè tamen extra illum.*
174 *Quando dubium est, vel constat, crimen esse exceptum, tenentur Rectores Ecclesiæ custodire Reum, ne elabatur, si fuerint requisiti.*
175 *In casu Criminis excepti non potest Curia sæcularis in ipso loco sacro custodire Reum.*
176 *Nisi fuerit à Rectore Ecclesiæ requisita.*
177 *Aut Rector Ecclesiæ requisitus custodire recuset.*
178 *Rector Ecclesiæ reum invitum tradere non possunt Curiæ sæculari.*
179 *Secùs est, si ipse exire velit.*
180 *Tradere etiam possunt, & debent Reum Criminis excepti, si fuerint requisiti.*
181 *Absque hoc quod petant juramentum de non inferendo pœna mortis, aut protestationem faciunt.*
182 *Secundum aliquos requiritur ad extradendum licentiam Episcopi.*
183 *Contrarium est probabile.*
184 *Dummodò certò constet, crimen esse exceptum.*
185 *Et requirantur à Potestate sæculari.*
186 *An, & quando Reum extrahere possit curia sæcularis? & num seq.*
188 *Quomodo cum extracto procedere possit, ac debeat?*
189 *Compendiosa, & practica instructio circa materiam Asyli occurrente casu dubio de crimine excepto, & tribus num. seq.*
193 *In dubio an reus gaudeat asylo cognoscit solus episcopus. & num. seq.*
195 *Solvitur instantia.*
196 *Prelati episcopo inferiores in dubio judicialiter non possunt cognoscere.*

Extra-

197 *Extrajudicialiter, ac pro informatione etiam Judex sæcularis cognoscit.*
198 *Episcopus non tenetur nec potest stare Processui, aut informationi à Judice laico facto.*
199 *Ut Episcopus decidere possit aliquem non gaudere Asylo, debet judicialiter, & certò constare de crimine excepto commisso.*
200 *Episcopus, quando certò constat de Crimine commisso, sed dubitatur, an sit exceptum, debet judicare pro immunitate, idem debet facere in conflictu DD.*
201 *Si certò constat, debet Reum tradere non obstante appellatione.*
202 *Judex sæcularis gravatum se sentiens an possit appellare, ac petere, ut intereà Reus benè custodiatur.*

172 Quæritur I. An, à quo, & quando custodiri possint, ac debent Rei ad Ecclesiam confugientes, ne elabantur, donec ab Episcopo cognoscatur, num gaudeant *immunitate* nec ne? Resp. I. In casu, quo liquidè constat, Crimen non esse exceptum, ipsumque confugientem gaudere Asylo, nec Rectores Ecclesiæ, nec sæcularis Potestas intra Ecclesiam, seu alium locum sacrum, aliquo modo carcerare, vel custodire Reum potest aut tenetur. Ita ferme omnes. Patetque Conclusio ex dictis *n. præc.* Et ratio est, quia in tali casu cessat custodiendi ratio & finis, qui est, ut *Jure asyli* carens legitimè tradi valeat Curiæ sæculari, & ab ea puniri, ne delicta maneant impunita.

173 Dixi intra Ecclesiam, quia extra illam benè potest Potestas sæcularis custodiam ponere ad præcavendum, ne liberè effugiat Reus, & ut, si exeat extra, facilius capi, & puniri valeat, Farinacius ubi supra *n.* 299. Bonacina *tom.* 2 *disp* 3 *q.* 7. *punct* 3. *n.* 2. citans Mar Ital *de immun. lib* 1 *c* 6. § 2 *n.* 52. Haunold. *l. c. n.* 245. Castro Palao *l. c. n.* 6. Ratio patet: quia per talem custodiam penitus nulla vis, vel injuria infertur loco sacro; præsertim, cùm, uti supponitur, liber permittatur accessus deferentibus Reo necessaria vitæ.

174 Resp. II. Quando dubium, ac controversia est, num Reus ob qualitatem delicti, aut personæ, vel aliam rationem Asylo gaudeat, nec ne? & multò magis si indubitanter constat Crimen esse exceptum. Potest, & tenetur Rector Ecclesiæ, aut alterius loci sacri, *si fuerit requisitus*, cautè custodire Reum, adhibitis etiam, si opus foret carceribus, & compedibus, donec ab Episcopo causa examinetur, ac decidatur. Farinacius *l. c. n.* 298. Tuschus *V. Eccl. concl. xo. n* 12. *& seqq.* qui ambo addunt, Rectorem Ecclesiæ teneri de culpa; & debere puniri à suo Superiore, si Reus elabatur. Anchoranus *in c. Inter alia* 6. *h. t. n.* 8. Marius Ital *l. c.* Declan. *in tr. Crim. lib.* 9. *c.* 26. *n.* 9. Et plures alii à Farinacio citati. Probatur ex Bulla Gregorii XIV. § 4. ubi Papa Curiæ sæculari concedi, quòd in casu Conclusionis etiam vi extrahere possit Reum, si personæ Ecclesiasticæ in casu Criminis excepti debitè requisitæ eum tradere, carcerare, & custodire recusaverint. Ratio est; quia Rei Criminis excepti tradi debent Curiæ sæculari, juxta dicenda infra *n.* 180. ergo in casu dubio & controverso & multò magis incerto, saltem interim custodiri debent (si fuerint requisiti) ut causa per Episcopum examinata, tradi, si fieri oportet, possint. Et certè si Rectores Ecclesiarum debitè requisiti custodire præfatos Reos Criminis excepti non tenerentur, sed eos liberè dimittere, vel etiam, ut fieri solet, omnem occasionem fugæ præbere, & ad eam juvare possent, Bulla Gregorii XIV. in eo, quo disponit, ut Rei Criminis excepti Curiæ sæculari tradantur, criminaque excepta impunita non maneant, non tantum eluderetur, sed etiam occasio scandali oriretur, quo facilè inducerentur Curiæ sæculares, ut in quovis dubio casu sine alia requisitione eriperent Reum, timentes; ne donec responsio ab Episcopo veniat, Reus incustoditus, auxilio Rectorum Ecclesiæ elabatur.

175 Resp. III. In præfato casu dubio aut controverso, vel etiam certo Criminis excepti, Regulariter ac de Jure loquendo nequit Potestas sæcularis Reum in ipso *sacro loco* sine expressa licentia Episcopi carcerare, vinculis constringere, aut alio modo custodire, donec causa ab Episcopo examinetur. Farinacius *l. c. n.* 297. & 298 Castro Palao ubi suprà *n.* 6. Haunoldus *to.* 6. *tr.* 1 *n.* 245. Peregrinus *de immun. c.* 16. *n* 29. & novissimè Eximius P. Vulstner *in suo jure asyli p.* 5. *a* 3. *n.* 4. per Jura *n.* 171. citata, & præsertim Bullam Gregorii XIV. ubi §. 4. expressè statuitur, quòd in Criminibus exceptis Curia Sæcularis *sine expressa licentia Episcopi* incarcerare nequeat Reum. Ratio est: tum quia nequit Judex sæcularis in alieno Territorio, qualis respectu ipsius est locus sacer, exercere aliquam jurisdictionem contentiosam, *ar. l. Extra territorium ff de Jurisd. omn. judic.* ergo. Tum quia in tali casu Ecclesia est in quasi possessione ipsius Rei, in qua per Judicem sæcularem turbari nequit, usque ad decisionem, præsertim cum Ecclesia immunis sit ab omni jurisdictione, & vexatione potestatis sæcularis, juxta dicenda infrà *de immunitate reali* & dicta superius *lib.* 2. *Tit.* 2. *de Foro compet.* §. 9.

176 Dicitur autem notanter *Regulariter ac de Jure loquendo* quia limitatur Conclusio in casu, quo Rector loci sacri defectu tutæ custodiæ, aut virium implorat Judicem sæcularem pro auxilio: tali namque in casu posse potestatem sæcularem non quidem suo, sed Rectoris nomine, in ipso loco sacro custodire Reum, non ambigitur, ut benè observat Bonacina *to* 2. *disp.* 3. *q.* 7. *punc.* 3. *n.* 6. citans Mar. Ital. *l. c. c.* 6. *n.* 51. Peregr. *c.* 13. *n.* 2. Covarruv. *lib.* 2 *var. res. c.* 20. *n.* 17. & alii. Ratio est; quia hoc ipso, quòd non proprio, sed Rectoris nomine custodiat, jam non sæculari, sed Ecclesiastica potestate custodiri censetur Reus, *ar. l.* 1. § 6 *Sed neque, c. de Veteri jure enucl.* ibi: *Omnia nostra facimus, quibus ex nobis authoritas impertitur.*

177 Limitatur II. In casu, quo Rectores Ecclesiæ debitè requisiti, ut Reum usque ad responsum Episcopi sufficienter custodiant, id facere recusarent, vel adimplere negligerent, prout ipsemet Pontifex in citata Bulla §. 4. limitat illis verbis: *Nisi personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & assistere recusarint.* In quo casu concedit Papa Curiæ sæculari, quòd Reum etiam extrahere, ergo multò magis, quòd eundem in loco custodire possit: Nam *cui licet, quod plus est, licet utique quod est minus, c. cui de R. J. in* 6. plus autem est vi extrahere, quam tantum in loco sacro custodire, & minùs per hoc, quam illud læditur *immunitas*; ergo.

178 Quæritur II. An, quando, & à quo Curiæ sæculari extradi possint ac debeant Rei ad loca sacra confugientes? Resp. I. Quamvis olim de Jure antiquo quivis Reus ad Ecclesiam confugiens à Rectore Ecclesiæ tradi potuerit potestati sæculari, si hæc præstito juramento impunitatem Rei promisit, *arg. can. Diffinivit* 35. *& can. Id constituimus* 36. *cau.* 17. *q.* 4. ibi: *Reos non licet alteri consignare, nisi ad Evangelia datis Sacramentis de morte, & debilitate, de omni pœnarum genere sint securi:* Hodie tamen post Bullam Gregorii XIV. Rectores Ecclesiæ etiam recepto juramento nullum invitum tradere possunt, nisi clarè constet, eum commisisse Crimen exceptum. Farinac. *in append. de immun. c.* 22. *n.* 344 Haunoldus *to.* 6. *tr.* 1. *n.* 243. Castro Palao *p.* 2. *tr.* 11. *disp* 2. *punc* 13. *n.* 2. & alii. Probatur ex dicta Bulla Gregorii XIV. § 3 ubi tantum in casibus exceptis conceditur Prælatis Ecclesiæ, quòd Reum extradere possint: ergo à sensu contrario in casibus non exceptis invitum extradere nequeunt, præsertim cum ad finem addatur Decretum irritans.

179 Dicitur notanter *invitum*: quia si Reus sponte exire vult ad tempus aliquod, ut citatus coram Judice respondeat v. g. seque purget, vel cum parte læsa componat, vel quid aliud faciat, à Rectore Ecclesiæ liberè dimitti potest, & ut dimittat, sæpè expedit, dummodò priùs instet, ut Judex securitatem, & liberum regressum una cum salvo conducto, si necesse fuerit, promittat: sic enim, cum Judex teneatur stare promissis juxta dicta *n.* 162. absque periculo exire, & redire, simulque causæ suæ vigilare poterit absque ulla *immunitatis* læsione. Imò si absolutè discedere, & Judicis clementiæ, aut discretioni committere se velit Reus omninò eum dimittere potest Rector Ecclesiæ, idque absque petita Episcopi licentia per dicta *n.* 161.

180 Resp. II. Tam Episcopi, quam inferiores Regulares, & sæculares Rectores Ecclesiarum non tantum possent, sed etiam tenentur extradere Reum, qui aliquod è Criminibus

Criminibus

minibus exceptis commisit, si fuerint requisiti à Curia sæculari. Castro Palao ubi suprà *n.* 1. cum communi, & certa aliorum. Idque clarè patet ex sæpè citata Bulla Gregorii XIV. §. 3. ubi recensitis Criminibus exceptis, statuit his verbis. *Universis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis tam regularibus, quam sæcularibus districtè mandamus, ut Laicos &c. qui prædicta delicta, vel eorum aliquod judicio suo commisisse videbuntur, quando a Curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris & officialibus curiæ sæcularis absque irregularitatis nota, aut alicujus Censuræ Ecclesiasticæ incursu tradi & consignari curent & faciant & quilibet eorum curet, & faciat.*

181 Resp. III. Ad hoc, ut Reus criminis excepti legitimè tradatur Curiæ sæculari, non requiritur, ut Episcopi aut alii Ecclesiarum Rectores exigant, vel potestates sæculares præstent juramentum de non infligenda pœna mortis, aut corporali; neque necesse est, ut circa hoc protestationem faciant præfati Ecclesiarum Rectores, Farinacius ubi suprà *c. 22. n.* 343. Castropalao *l. c. n.* 3. Bonacina *to. 2 disp. 3 q. 7. §. 7. n. 12.* Bajard. *in Addit. ad clar. q. 30. n. 52.* cum communi aliorum, id probantium per allegatum *n. præc.* Bullæ Gregorianæ textum, ubi prorsus nulla fit mentio de aliquo juramento, cautione, aut protestatione, sed potius contrarium insinuatur, dum dicitur, posse talem absque irregularitatis, aut alicujus censuræ Ecclesiasticæ nota tradi. Accedit teste Farinacio *l. c.* & Barbosa *in can. reum 9. cau. 17 q. 4 n. 1.* & aliis, recepta locorum praxis, ac consuetudo, *quæ est optima legum interpres, c. cum dilectus de consuet.* Imò addunt primum citati Authores, non teneri Judicem sæcularem servare promissionem de non puniendo extractum Reum Criminis excepti.

182 Quæritur III. An necessaria sit licentia Episcopi ad hoc, ut Reus Criminis excepti tradi possit Curiæ sæculari eundem requirenti? Ad hoc quæsitum affirmativè respondet Castro Palao *l. c. n.* 3. Bonacina *l. c. n.* 4. Haunoldus *l. c. n.* 266. & alii id potius supponentes, quam probantes; Castro Palao enim, & Haunoldus nec Legem, nec rationem afferunt, Bonacina verò, licet ex Jure, & ratione probationem facere nitatur, tamen quia potius de *extractione*, quam *traditione* procedit, efficax non videtur. Optima probatio pro eis esse videtur praxis & consuetudo optima Legum interpres, *c. 8. de consuet. & l. 37. ff. de legib.*

183 Verum loquendo de Jure, & manendo in terminis Bullæ Gregorianæ non improbabile videtur, posse Rectores Ecclesiæ etiam absque petita licentia Episcopi Reum extradere Curiæ sæculari, si clarè & indubitanter constat, eum commisisse Crimen exceptum. Et quidem, quòd de Jure communi fieri queat, patet ex *c. inter alia 6. h. t.* quòd autem vi Bullæ Gregorianæ fieri possit, liquet ex §. 3 ejusdem, cujus textum vide & lege *n.* 180. ubi specialiter considerandum, quòd non tantum Episcopis, sed etiam omnibus & singulis *Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis tam sæcularibus quàm regularibus* districtæ præcipiat Papa, *ut Laicos, qui delicta excepta, vel aliquod eorum judicio suo commisisse videbuntur; quando à Curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus &c. tradi & consignari curent & faciant: & N. B. quilibet eorum curet & faciat.* Nota repetitos terminos, *quilibet* si fuerit requisitus *tenetur*, consequenter à fortiori *potest* talem reum tradere, etiam absque licentia, aut mandato Episcopi, eò quod in Bulla penitus non requiratur.

Nec dicas, §. 4. statim sequenti expressè requiri licentiam Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, quod idem requirere videtur §. 5. Nam contra est, quòd §. 4. non loquatur de *extraditione*, quæ fit per ipsos Rectores Ecclesiæ, sed de *extractione*, captura, & carceratione, quam irrequisitis Rectoribus Ecclesiæ facere volunt Potestates sæculares, & ad has, vel earum aliquam *extractionem* nempe, capturam, aut carcerationem Rei per sæculares faciendum: non item ad *extraditionem* per Rectores Ecclesiæ præstandam, licentiam Episcopi requiri, citato §. 4. statuitur: ibi: *Decernimus, & declaramus, ut Curia sæcularis, ejusque Judices* (ecce de his, & non de Rectoribus Ecclesiæ loquitur) *delinquentem in aliquo ex dictis casibus sine expressa licentia Episcopi vel ejus Officialis &c. capere, extrahere, aut incarcerare* (ecce, nulla mentio de extraditione per Prælatos Ecclesiæ facienda) *non possint, nisi in casu &c.* Dein non obstat §. 5. utpote qui pariter non de *extraditione* per Rectores Ecclesiæ facienda, sed de longè alio casu, illo nempe loquitur, quo Rectoribus Ecclesiæ post requisitionem factam, Reum tradere recusantibus, Potestas sæcularis Reum extrahit, in quo casu extractus ad carcerem Curiæ Ecclesiasticæ collocari jubetur, donec causa ab Episcopo examinetur. Legat, & relegat Benevolus Lector Bullam, præsertim §. 3. 4. & 5 & aliter non inveniet, sed fatebitur, quòd spectata Bulla Gregoriana Rectores Ecclesiæ ad tradendum Reum Curiæ sæculari, qui Crimen exceptum indubitanter commisit, licentia speciali reverà non indigeant; cùm eandem a Jure ipso habeant.

Dicitur autem notanter, *si clarè, ac indubitanter constat Crimen esse exceptum*; quia certum est, in dubio, an Crimen exceptum sit, nec ne? non posse Rectores Ecclesiæ absque licentia Episcopi Reum tradere Curiæ sæculari, eò quòd in dubio ad solum Episcopum tanquam Judicem legitimum pertineat, decernere, an Reus *asylo* gaudeat, nec ne, juxta dicenda infrà *n.* 193. *& seq.* Neque Bulla concedit eis facultatem tradendi Reum in dubio, sed solùm si *judicio suo* crimen reverà exceptum esse, indubitanter videtur. Hinc, quia rarò contingit, quin in casu Criminis excepti causæ & rationes dubitandi occurrant, & controvertendi, regulariter & ordinariè loquendo, optimè faciunt Ecclesiarum Rectores, si ad Episcopum recurrant, præsertim illi, qui se minùs profundè doctos norunt, & rem pro merito causæ discutere sufficienter non valent. Imò etiam illi, qui rem optimè intelligentes clarè cognoscunt, Crimen esse exceptum, malè non faciunt, sed securè agunt, si absque licentia Episcopi Reum non extradunt eò quòd si non jura & Bulla, saltem consuetudo passim vigens eisdem suffragetur juxta dicta *n.* 182. Dummodò interea, donec responsio ab Episcopo veniat, Reum cautè custodiant, si fuerint requisiti, juxta dicta *n.* 174. 184

Dicitur hucusque sæpiùs, *si fuerint requisiti*; quia tunc tantùm, *quando à Curia sæculari fuerint requisiti*, vult Papa, ut custodiant, vel tradant Reum Criminis excepti consequenter à sensu contrario, *si non requiruntur*, nec custodire, nec extradere tenentur talem Reum, sed possunt eum liberè dimittere, & ad fugam juvare. 185

Quæritur IV. An, quando, & quomodo Potestas sæcularis capere, ac extrahere possit Reum in loco *Asyli* existentem? Resp. I. Quando constat Reum nullum commisisse Crimen exceptum, nullo modo eum extrahere potest Curia sæcularis. Omnes. Patetque Concl. ex dictis *num* 160. 186

Resp. II. Etiam in casu, quo dubium est, imò quo certò constat Reum commisisse Crimen exceptum, non potest Curia sæcularis *sine expressa licentia Episcopi, aut ejus Officialis* (id est Vicarii Generalis) *ar. Clem. 2. de rescr.*) *& cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis reum* (in loco *asyli*) *capere, aut extrahere*. Ita clarè statutum habetur in sæpè citata Bulla Gregorii XIV. §. 4. ubi unica subjungitur limitatio, illis verbis: *Nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & assistere recusarint, tuncque reverentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit, scandalis, & tumultu extrahere curent.* 187

Resp. III. Quando in casu Criminis excepti Rei (causa per Episcopum nondum examinata) cum, vel sine licentia Episcopi per Rectores Ecclesiæ traduntur, ac per Curiam sæcularem extrahuntur, non statim ad carceres sæculares duci, multò minùs puniri possunt, sed *ab Ecclesiis, locisque sacris extracti, & capti ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia, data illis, si opus fuerit, per Curiam sæcularem detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo Deputatum, an ipsi verè Crimina superius expressa commiserint; tuncque demum de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari, quacunque appellatione postposita consignentur.* Ita in terminis Bulla Gregoriana supra *n.* 82. allegata §. 5. 188

Ut autem in compendio habeatur, qualiter, & quomodò tam Rectores Ecclesiarum, quàm Judices sæculares 189

lares ritè se habere possint ac debeant, in casu, quo dubitatur, aut constat, à confugiente ad locum *Asyli* fuisse commissum Crimen exceptum, breviter, & clarè pro praxi hic per modum Corollarii subjungitur. Itaque quando Malefactor aliquis venit ad ecclesiam, Monasterium, aut alium locum sacrum, de quo dubitatur, an gaudeat *Asylo* nec ne, benè facit Rector loci sacri, si Reum de dubio, & periculo admoneat, eique fugam suadeat, & ad eam adjuvet, sitequàm à Curia sæculari ad eum benè custodiendum, aut tradendum requiratur, tunc enim fugæ locus non amplius esset, sed Reum vel ipse custodire, vel Curiæ sæcularis custodiam admittere deberet, ne elabatur, donec ab Episcopo causa examinetur, juxta dicta *n.* 174. *& seq.* Potestas verò sæcularis Reum in ipso loco sacro non statim capere, nec inibi eundem custodire, multò minus extrahere potest, juxta dicta *n.* 187. sed prius Rectorem Ecclesiæ requirere debet, ut Reum vel ipse tutissimè custodiat, aut si non possit vel nolit, saltem permittat, quod ab ipsa Potestate sæculari ejusdem nomine id fiat, juxta dicta *n.* 175 *& seq.* Requisitione hac facta, si Rector Ecclesiæ Reum sufficienter custodire recuset, vel negligat, poterit Potestas sæcularis eundem in ipso loco sacro, si opus fuerit, custodire, donec causa ab Episcopo examinetur, ac determinetur, juxta dicta *num.* 177. Si verò Rector Ecclesiæ requisitus asseveret, quòd usque ad decisionem ab Episcopo faciendam ipsemet Reum in *Asyli* loco sufficienter custodire velit, uti debet, si occasionem habet juxta dicta *num.* 174. Potestas sæcularis Reum in ipso loco sacro, nisi à Rectore viribus, & occasione destituto ad id imploretur, custodire non potest, benè tamen Rectori ecclesiæ seriò inculcare, ut Reum intereà omninò cautè custodiat, ne Reo elabente ab ipso Rectore coram Superiore legitimo ratio reddenda rigidè exigatur.

190 Idem fermè observandum erit, quando sine dubio constat à Reo confugiente ad Ecclesiam commissum esse delictum exceptum, præterquàm, quòd quamvis Rector Ecclesiæ Criminis excepti indubitanter Reum recipere possit, tamen non teneatur, sed statim ab initio eum repellere, seu locum Asyli negare, eique dicere possit. Bone amice? quia Criminis excepti certò Reus appares, vade vias tuas, & fuga tibi consule, quia non gaudes *Asylo*, nec etiam tutus esses in hoc loco; pari modo potest jam receptum, vel inscio Rectore ingressum iterum dimittere, ac etiam invitum alio dirigere valet. Potestas verò sæcularis eundem in loco sacro non tantum custodire, sed etiam, si malit, inde eripere, seu extrahere potest, si Rector ecclesiæ debitè requisitus eundem nec sufficienter custodire, nec tradere velit, juxta dicta *n.* 177. *&* 178. quod tamen non potest ante requisitionem, neque post illam, si ipse Rector Reum sufficienter custodire, aut tradere paratus sit. Porrò si Potestas sæcularis Rectore ecclesiæ post requisitionem custodire, ac tradere recusante, Reum extrahit, non potest statim ad proprios carceres ducere, multò minus punire, sed debet eundem carceri Curiæ ecclesiasticæ committere, ibique, si opus fuerit, eundem custodire, donec causa ab episcopo examinetur, ac decidatur, juxta dicta *num.* 88.

191 Illud etiam observandum, quòd quando confugiens ad locum *Asyli*, nullum Crimen exceptum commisit; item etiam quando dubium, vel certum est, eum commisisse Crimen exceptum, hoc tamen adhuc nondum publicè constat, vel si constat, sed non scitur, eum esse in hoc *Asyli* loco, vel denique si Crimen exceptum esse commissum, & fugientem in certo *Asyli* loco existere constat quidem, Potestas tamen sæcularis eundem à Rectore non requirit, non tenetur hic episcopum de casu informare: quamprimum verò dicta Potestas sæcularis Rectorem, ut suprà *num.* 187. requirit, debet is illicò episcopum de casu circumstantionatè informare, ac intereà observare, quæ *num.* 189. *& seqq.* dicta sunt.

192 Episcopus autem certior factus debet causam debitè examinare, & decidere, an Reus gaudeat *Asylo* nec ne? Et si judicaverit, eum non gaudere, debet eum *cum interventu personæ Ecclesiasticæ* ab eo authoritatem habentis, Curiæ sæculari, ejusque liberæ dispositioni tradere juxta Bullæ §. 5. nulla facta petitione de non infligenda pœna mortis, vel corporali, nec protestatione contra eandem juxta dicta *num.* 81. Si verò judicaverit eum gaudere, debet curare, & mandare, ut custodia, si quæ est in loco sacro, amoveatur, vel Reus, si è loco sacro extractus, in carceribus Episcopalibus, aut alibi existit, iterum loco unde ereptus est, restituatur, juxta dicenda *num.* 206.

Quæritur V. Quis sit Judex emergente dubio aut controversia in materia *Immunitatis Asyli*? & quomodò in causa procedere aut judicare debeat? Ante responsionem notandum, triplex posse oriri dubium ad præsens, videlicet I. De qualitate personæ? II. An locus, ubi est, vel deliquit, sit sacer vel non? consequenter an gaudeat *Jure Asyli*? III. An Reus commiserit Crimen exceptum, nec ne? Resp. Ad solum Judicem Ecclesiasticum, Episcopum nempe, spectat judicialiter cognoscere, & judicare, num Reus gaudeat *Asylo*, nec ne, si dubium, vel controversia oritur, ex qualitate personæ, vel loci? Pignatell. *tom 9. Consul. 22. n. 30.* Bonacina *cit. Disp 5 quæst. 7. §. 7. punct. 3. num* 16. Peregrinus *de Immunit cap. 13. num. 18.* Barbosa *de Offic. & potest Episc. p 2. Allegat 12. num. 34. & lib. 2. I. E. V. cap. 3. n. 154. & seqq.* Covarruvias *pract. qq. q 33. num. 1.* cum communi aliorum contra nonnullos alios. Et quidem si controversia est de persona, patet ex *c Si judex 13. de Sentent. Excommunicat. in* 6. ibi: *Dubitationis, an sit, qui reperitur, Clericus, ad judicem Ecclesiasticum cognitio pertinebit*; ubi etiam ratio additur; *quod de re spirituali, & Ecclesiastica est.* Si verò de Loco, deducitur ex *c 2. de judiciis*: siquidem Juris Regula universalis est, quòd de causa spirituali & ecclesiastica, eique annexa, sive principaliter, sive incidenter in judicium deducatur, non nisi Judex ecclesiasticus cognoscat, *arg. c 2. & 3. de judiciis, & cap. 3 de Ordin. Cognit.* consequenter cùm *immunitas* sit causa ecclesiastica, fatentibus id etiam Adversariis, de ea non nisi Judex ecclesiasticus cognoscere poterit. 193

Resp. denuò I. Si dubium & controversia est, an Crimen commissum sit de exceptis nec ne? Rursus solus Episcopus judicialiter cognoscit ac determinat Covarruvias *in Append de Immunit. cap. 22. num. 367 & seq.* ubi pluribus citatis testatur de Communi, & praxi recepta. Pignatell. ubi suprà *num* 28. ubi cum indignatione contra sentientes contrarium ait: *Castigare hic debeo insignes ineptias, & verè emotarum mentium aberrationes nonnullorum, qui dixerunt, ad Judicem sæcularem spectare interdum cognitionem, an delictum sit exceptum à Constitutione Gregoriana &c* Guttierez *lib. 3 pract. qq. q. 1. num. 5.* ubi testatur de quotidiana praxi, Guaz *Defens. cap. 31. n. 3.* Barbosa *lib 2. I. E. V. cap 3. num. 154. & seq.* cum Communi aliorum. Idque probatur clarè ex sæpè citata Bulla Gregoriana, ubi §. 4. expressè dicitur, quòd *ad solos Episcopos, & non ad alios Episcopo inferiores &c. pertineat*: item ibidem: *Occurrente verò casu in loco excepto, & nullius Diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvitur hæc cognitio.* Et §. 5. ubi statuitur, quòd Curiæ sæculari Reus nec consignari, nec tradi possit, *nisi cognito priùs per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè Crimina superius expressa commiserint.* Ratio est, quæ suprà, videlicet, quia *immunitas* est causa ecclesiastica utpote jus annexum spiritualibus, sacris nempe ac Religiosis locis, ob quorum honorem, venerationem, ac reverentiam est introducta, *arg. l. Præsenti C. de His, qui ad Eccles. confug. & can. Reum can. Frater can. Diffinivit. cau. 17. quæst. 4.* causæ autem ecclesiasticæ cognitio non nisi Judici ecclesiastico competit, *cit c 2. & 3. de Judiciis.* Accedit universalis locorum consuetudo & praxis (uti testantur Doctores citati) quæ est optima Legum interpres, *cap. Cùm dilectus 8. de Consuet. & l. 37. ff. de Legib.* ergo. 194

Nec obstat, si objicis contra dictas Conclusiones, quemvis Judicem cognoscere posse, utrum sua sit jurisdictio, nec ne, *l. Si quis ex alieno ff. de Judiciis*, ibi: *Prætoris est æstimare an sua sit jurisdictio*, consequenter etiam Judicem Laicum cognoscere posse, an locus v. g. sit Religiosus nec ne: consequenter an Reus gaudeat *Asylo*? ergo. Resp. enim Objectionem procedere cæteris paribus, quando nempe causa & materia est profana, Judicesque profani, qui utique cognoscere valent, ad quem ex eis jurisdictio pertineat. Secùs est, 195

est, quando causa est ecclesiastica, qualis est *immunitas Asyli* per dicta suprà. Dices: nemo potest esse Judex in propria causa; *l. Unica C. Ne quis in sua causa*; atqui causa *immunitatis* censetur esse propria ipsius Judicis ecclesiastici; ergo. Resp. concessa Major. negando Min. quia *palam, est eam esse causam propriam, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet*, ut dicitur *can. Biduum 29. ff. Si quis cau. 2. q. 6.* quod non verificatur in ipso Prælato ecclesiastico, cùm nec ad commodum ipsius promovendum, nec præjudicium ejus evitandum, sed præcisè ob reverentiam, & venerationem loci sacri sit introducta, ita ut personæ Prælati Ecclesiastici nec feratur, nec metatur, si violatur, aut servatur *immunitas Asyli*: consequenter, sicut in aliis causis Ecclesiasticis excluso Judice sæculari privativè cognoscere potest, ita & in causa *immunitatis* juxta Gloss. communiter receptam, *cau. Si quis erga Vers. Privetur, cau. 2. qu. 7.* Alias Objectiones non pono, quia sententia contraria jam est deserta.

196 Porrò Judicialis cognitio in dubio *immunitatis* casu ita privativè pertinet ad solum Episcopum, & ejus Vicarium Generalem, ut non tantum excludatur omnis Judex & Prælatus Ecclesiasticus Episcopo inferior, idque non tam ex ratione, quàm ex speciali dispositione Bullæ Gregorianæ, §. 4 & 5. cujus textum vide *n. 194* Hinc licèt Prælatus Episcopo inferior possit Reos extradere, vel repellere, *quando eos Crimen exceptum judicio suo commisisse clarè videtur*, juxta dicta *nu. 180. arg. §. 3.* citatæ Bullæ Gregorianæ, & *can. ad Episcopos 9. cau. 17. qu. 4.* Id tamen non potest causa existente dubia, ac controversa, prout ex *num. 194.* citatis textibus communiter advertunt DD., quos vide apud Barbosam *Lib. 2. I. E. V. cap. 3. n. 157.*

Limitant hoc aliqui in Vicario Capitulari Sede vacante. Diana *p. 6. tr. 1. Resol. 30. qu. 1.* Peregrinus *de Immun. c. 3. n. 33. & seqq.* & alii, quorum sententiam, si Jus commune spectes, omninò probabilis apparet, eò quòd Capitulum, ejusque Vicarius Capitularis Sede vacante exercere possit omnem Jurisdictionem Episcopalem tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, nisi specialiter prohibita reperiatur, *arg. c. Licèt 11. & c. Cùm olim, 14. de Major. & Obedient.* Verum Barbosa *loc. cit.* Marius Ital. *de Immun. l. 1. c. 61. à n. 37.* Sperellus *decis. 31. nu. 8.* contrarium defendunt, affertque Sperellus pro hoc sententiam S. Congregationis Cardinalium in Conversana 15. Februarii 1663. eò quòd Gregorius XIV. in sua Bulla hanc causæ cognitionem specialiter excepisse videatur, dicendo §. 4. *Quòd requiratur expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, id est Vicarii Generalis, & ad hos, & non ad alios pertineat*: quæ doctrina videtur Bullæ Gregorianæ conformior, & ob Decisionem Cardinalium meritò tenenda.

197 Dictum est autem sæpius *cognitio Judicialis*, quia extrajudicialiter, & pro capienda notitia ac specie facti, faciendaque informatione convenienti, non tantum Episcopo inferiores Prælati, sed etiam Judices Laici cognoscere possunt, ut fatentur omnes, eò quòd per hoc *immunitas* nec in minimo violetur, præsertim cùm Episcopus non teneatur stare tali informationi, cognitioni, aut Processui extrajudiciali.

198 Imò etsi inferior Episcopo, vel Judex sæcularis ordinatum formaret Processum Judicialem, eumque Episcopo communicaret, nec teneretur, nec posset Episcopus eidem stare, sed deberet nihilominus novum formare. Farinac. *l. 1. Consil. cons. 76. n. 1. & in Append. de Immun. c. 22. n. 373.* citans Ambros. *de Immun c. 11. n. 2. & 3.* Marius Ital. *de immun. l. 1. c. 6. § 1. n. 79.* Diana *p. 6. tr. 1. Resol. 31. Consil. 2. n. 2. §. Dixi autem.* Cùm enim in dubio casu fieri debeat vera Judicialis cognitio, per dicenda *n. seq.* hæc autem ab alio quàm Episcopo fieri nequeat, juxta Bullam Gregorianam, & facta non subsistat, *arg. l. fin. & Tot. Tit. C. Si non à competen. Judic.* consequens est, quòd non obstante Processu ab aliis potestate carentibus fabricato Episcopus alium formare possit ac debeat. Ut proin Processus à Prælatis Episcopo inferioribus, vel à Judice sæculari facti, ad nihil serviant, quàm ad simpliciter informandum Episcopum, & ut sciant, an interea, donec causa decidatur, custodia, & carceratio Rei assumenda, vel admittenda sit. Quod intellige in casu, quo à præfatis fit Processus, dum Reus actu jam est in loco *Asyli*: si enim antequam illuc venit, Processus aliquis à legitimo Judice, sive ecclesiastico, Episcopis inferiore, sive à Laico fiat, non super eo, an gaudeat *immunitate* nec ne? sed de ipsa facti specie, eidem utpote legitimè facto, & formato omninò stare, eoque pro decisione, an Reus gaudeat *Asylo* uti potest Episcopus, uti habes apud Dianam *par. 6. tr. 1. Resol. 31. Consil. 2. §. Quam obrem*, cui etiam favet Farinac. *in Append. Immun. loc. c. n. 375.* & alii, eò quòd acta coram Judice sæculari legitimè facta etiam in Judicio ecclesiastico probent, *arg. c. fin. de Except in 6.*

199 Resp. II. Ad hoc, ut episcopus Reum ob Crimen exceptum possit Curiæ sæculari plenè tradere, ejusdemque dispositioni, ac punitioni relinquere, debet ei prius juridicè, legitimè, ac plenè per concludentes probationes constare, delictum exceptum ab eo fuisse commissum, ut proin non sufficiant indicia, præsumptiones, multò minus semiplenæ probationes. Farinac. *lib. 1. Consil. 76. à n. 3. & Consil. 168. à n. 8. & in Append. loc. c. n. 374.* Ambrosin. *loc. cit. num. 4.* Marius Ital. *loc. cit. n. 90.* Pignatell. *To. 9. Consul. 22. num. 28.* Diana ubi suprà *§. Vidisti amice Lector.* Haunold. *Tom. 6. tr. 1. num. 268.* ubi pro Conclusione allegat Declarationem Cardinalium; & communissima aliorum, id probantium potissimè ex Bulla Gregorii XIV. §. 5. ubi ad tradendum prærequiritur, ut constet Episcopo, an *verè* commiserit delictum exceptum: nam ad hoc ut *verè* constet, debent adesse veræ probationes, id est, per quas *certò* ac *indubitatè* constat, ut docet Innocentius *in cap. Cùm causa de Juram. calumn.* Confirmatur I. Quia quando Lex probationem requirit, uti hìc facit, ordinariè intelligenda est probatione plena ac concludente, uti benè advertit Farinac. *c. Consil. 76. num 5. arg. leg. Non omnes ff. de Re militar.* Confirmatur II. Prævia cognitio & probatio de Crimine ad tradendum Reum requiritur ut conditio, ibi: *Nisi cognito prius*; ergo necessariò requiritur, *arg. l. Lucius*, & ibi Bart. *ff. de Condit. ac demonst.* Accedit, quòd Reus sit in possessione *Immunitatis*, à qua quis non potest dejici per conjecturas, aut præsumptiones, sed per probationes plenas, juxta vulgaria; ergo. Porrò ut Episcopus debitam ac legitimam cognitionem acquirat, debet citare Ecclesiam, seu ejus Fiscalem, atque ipsum Reum. Farinac. *cit. Consil. 168. numer. 39. & seqq.* ubi citat plures alios, & *in Append. loc. cit. num. 376.* Haunoldus *loc. cit. num. 271.* Et quidem de Fiscali Ecclesiæ res difficultate caret, & conveniunt DD. quia agitur de Ecclesiæ præjudicio, consequenter audienda erit, *arg. l. de Unoquoque ff. de Re jud. & l. Nam ita Divus ff. Adopt.* cum Concordantiis. De Reo autem, quia de ejus quoque præjudicio saltem indirectè agitur; licèt enim *immunitas* non ipsis Reis, sed locis sacris sit concessa, tamen in ipsis suum effectum consequitur, ita ut ipsi ratione loci *Immunitatem* habeant, & habere dicantur; *arg. c. Inter alia h. t. & l. Præsenti C. de Confug. ad Eccles. & can. Frater cau. 17. qu. 4.* Cæterum quamvis, uti dictum, requiratur plena, ac concludens probatio, tamen sufficit ad eam habendam, si Episcopus summariè procedit, nec necessaria est Libelli oblatio, neque litis Contestatio, uti DD. citati benè observant.

200 Resp. III. In dubio, an delictum commissum sit unum de exceptis nec ne? & universaliter in dubio, ac in conflictu Doctorum, an Reus Asylo gaudeat, vel non? Episcopus pronuntiare debet pro *immunitate*, seu quòd Reus gaudeat. Pignatell. *To. 9. Consul. 22. nu. 8.* citans Turrecrem. *in can. Si quis in atrio 17. qu. 4.* Decian. *Consil. 80. num. 22.* Diana *p. 5. tr. 1. Resol. 23.* ac communissima aliorum. Ratio est: tum quia *in dubio potiùs favendum est Reo, Reg. 11. Jur. in 6.* Tum quia universaliter in dubio, ac conflictu opinionum semper illa eligenda, ac tenenda est, quæ magis favet Ecclesiæ, ejusque *immunitati*, uti cum aliis citati docent DD. inter quos Diana *par. 5. tract. 1. Resolut. 23.* citans Antonium Sausa in Bulla Cœnæ *cap. 14 Disp. 76. n. 5.* ait non esse attendendam opinionem communem (multò minus unius, vel alterius) si contraria opinio favet Ecclesiæ. His adde Jason. *in l. Filius familias §. Divi ff. de Legat. 1. num.*

n. 82. ubi ait, in dubiis opinionibus consulendo & judicando, eam esse tenendam, quæ favet ecclesiæ. Ita etiam tenuit Rota, quam *l. c.* allegat Diana, qui *p. 6. Tr. 1. Resol. 3. ad finem* etiam subjungit: *advertant episcopi quòd, si tradant Reos Curiæ sæculari in casu, quo debent gaudere immunitate, præter peccatum, & obligationem damnorum, si Reus esset ad mortem damnatus, incurrere irregularitatem.*

Verum Conclusio *n. præced.* posita, limitanda videtur in casu, quo controvertentibus Doctoribus opinio *immunitati* contraria est, & apparet reverà probabilior, ac Juri conformior, uti docere videtur Pignatel *To. 1. Consul. 48. n. 6.* Ratio est; quia DD. communiter tantum dicunt in dubio, non item absolutè in opinionibus eligendam esse opinionem faventem ecclesiæ; sive tunc quando rationes & fundamenta opinionum inter se ita militant, ut nesciatur, quæ opinio reverà sit probabilior, consequenter dubium existat positivum non item, quando ex rationibus & fundamentis satis apparet, unam reverà esse probabiliorem, Jurique magis conformem, etsi altera adhuc probabilis appareat: tunc enim Episcopus probabiliorem eligere benè potest, etsi contraria sit Immunitati, eò quòd tunc non amplius adsit dubium. Porrò in causis arduis optimum erit, si emergente casu dubio consulatur Romana Sedes, uti suprà jam notavimus, & etiam Pignatell. observat *loc. c. n. 7.* & alii.

201 Resp. IV. Quando Episcopus examinata causa certò cognoscit, Reum non gaudere *asylo*, debet eum tradere Curiæ sæculari, etiamsi reus, vel Fiscalis ecclesiæ appellet. Communis ac certa ob clarum Bullæ textum §. 5. ibi: *Tunc de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari, quacunque appellatione postposita, consignentur.* Accedit repetita Declaratio S. Congregationis apud Jacob. Pignatell. *Tom. 2. consul. 16. à nu. 13*

202 Porrò sicut denegatur reo Appellatio, ita etiam denegatur Fisco, vel Actori ac Potestati sæculari. Diana *p. 6. T. 1 §. Quinto quæro* citans Sperell. *dec. 65. n. 2. & seqq.* Peregrin. *de Immun. c. 16. n. 23.* contra Bonacinam *To. 2. dis. 3. q. 7. pun. 7. num. 11.* Ratio est, ut in Judicio servetur æqualitas: quæ si servanda non esset, potius ad rei, quàm Actoris favorem deberet fieri; quia *favorabiliores Rei potiùs, quam actores habentur, c. Favorabiliores 125. ff. de R. I.* Accedunt repetitæ Declarationes Cardinalium, quas citat Diana *l. c.* ac etiam Jacob. Pignatell. *l. c. n. 25. appellatio per Constitutionem Gregorii XIV. de violatione immunitatis Ecclesiasticæ prohibita Reo à sententia de tradendo illum Curiæ sæculari, etiam censetur denegata Fisco, vel actori, si Episcopus pronuntiet Reum Ecclesiæ restituendum esse, Sac. Congregatio 6. Junii 1629. & 1644. & n. 17. appellatio non datur à Declaratione episcopi, an quis gaudere debeat immunitate: In Niciens. 12 Januar. 1649.* Limitat tamen meritò Diana hanc doctrinam in casu, quo sententia Episcopi esset notoriè iniqua: quia clausula *remota appellatione* nunquam prohibet Appellationem à sententia iniqua, prout cùm aliis benè docet Scacia *de appell. l. 3 c. 2. q. 16. lim. 1. n. 84.* unde in tali casu tam Reo quàm Actori liceret appellare. Idem liceret reo, si eo inaudito episcopus decideret, eum non gaudere *immunit.* Diana *ib.* citans Zipæum *L. 3. T. de Immun. eccles. concl. 3.*

§. VIII.

De malè extractorum, aut extraditorum Restitutione: ubi de aliis pœnis violantium Jus Asyli: & Absolutione ab iisdem.

S U M M A R I U M.

203 *Vi extractus absque licentia Episcopi debet iterum restitui.*
204 *Etsi notoriè constet, Reum commisisse Crimen exceptum.*
205 *Reus etiam licitè extractus, iterum restitui debet, si pro eo judicat episcopus.*
206 *Et quidem eidem ecclesiæ, vel loco, à quo fuit extractus.*
207 *Non sufficit eum restituere episcopo, vel Vicario Generali.*
208 *Restitutio debet eidem ecclesiæ fieri publicè.*
209 *Non sufficit excarceratio Rei.*
210 *Debet fieri restitutio bonorum, & resarcitio damni.*
211 *Pœnæ violantium immunitatem enarrantur, & num. seqq.*
214 *Inter quas est excommunicatio.*
215 *Latæ sententiæ.*
216 *Violat Immunitatem, & pœnis subjacet, quicunque sine licentia episcopi aliquem excepti Criminis Reum capere, incarcerare, aut extrahere ausus fuerit.*
217 *Vel hoc facere tantum tentaverit, aut conatus fuerit.*
218 *Nec excusantur, quòd Reus consentiat.*
219 *Etiam mandantes violant, & pœnis subjacent.*
220 *Quid si violatores appellent.*
221 *Violatores ab excommunicatione nemo præter Papam absolvere potest, & n. 223.*
222 *Qui commissionem absolvendi non nisi episcopis dat.*
224 *Absolutio dari non potest, & data non valet ante factam restitutionem.*

NOtandum priùs, plures esse utroque Jure statutas pœnas in violantes *Immunitatem*, inter quas, quia DD. communiter etiam numerant *extractionem*, ideò de illa & cæteris pœnis eodem Paragrapho hìc agimus.

203 Quæritur I. An, à quo, cui, & quomodo restituendus sit malè extractus, aut extraditus? Resp. I. Vi extractus ab Ecclesia, aliove *asyli* loco, omninò restituendus est iterum loco sacro unà cum omnibus bonis inde abstractis. Farin. *in append. de immun. c. 2 n. 48. & seq.* Anchoran. *in c. inter alia h. t. n. 5.* & ibi Fagnan. *num. 10.* Barbosa *I. E. V. l. 2. c. 3. n. 52.* Pignatell. *To. 1. consul. 172.* Thuschus *V. ecclesia concl. 10. n. 20.* Pirhing. *h. t. n. 51.* cum communi, & certa aliorum, *arg. c. Miror. 8. cau. 17. q. 4.* ibi: *ecclesiæ igitur revoca, quæ irreligiosissimus rapuisti &c. Sicut antiquitus 6. ead. cau. & q.* ubi excommunicari jubetur, *qui personam hominis, vel bona ejus inde* (è loco Asyli) *subtraxerit, quousque emendet, & quod rapuerit, reddat.* Ratio desumitur ex illa universali Regula, quòd spoliatus ante omnia sit restituendus, *arg. c. Item 7. & c. Conquerente 7. de Restit. spoliat.* Nec cessat, neque suspenditur restituendi obligatio, si Judex sæcularis vellit præstare juramentum, ac sufficientem cautionem de non infligenda pœna mortis, aut alia corporali. Farinac. *loc cit.* Sylvester *V. immunitas 3. nu. 11.* Abbas *loc. c.* Covarruvias *lib. 2. Variar. resol. c. 20. n. 6.* ob dictam rationem, quia ecclesia spoliata, ante omnia est restituenda, eique ob injuriam illatam satisfactio præstanda, quæ per solam actualem restitutionem fit per Jura citata.

204 Procedit Conclusio, etiamsi Judex sæcularis se offerat ad probandum, delictum esse exceptum, imò etsi hoc re ipsa probet, vel notoriè constet, Reum commisisse delictum exceptum. Diana *p. 1. tr. 1. res. 14* Farin. *l. c. n. 51.* citans Marium Ital *de immun. l. 1. c. 6. § 2 n 23.* & alios, idque hodie certum est Bulla Gregorii XIV ubi §. 4. expressè prohibetur, ne quis etiam in casibus exceptis sine speciali licentia Episcopi extrahatur, & talis extractio irrita & inanis declaratur §. 9. consequenter etiam in tali casu, restitui debet extractus ob dictam Juris regulam, nisi Rectores Ecclesiæ prius requisiti, Criminis excepti reum carcerare, aut tradere recusaverint, prout limitatur *cit. §. 4.* Hinc si causa defertur ad Episcopum, debet is ante omnia mandare restitutionem, nec potest esse contentus, si Judex sæcularis dicat, volo restituere, si Reverendissimus examinata causa judicaverit, reum gaudere *asylo*: sed debet urgere restitutionem per censurarum denunciationem, quia etiam per talis Rei extractionem absque licentia Episcopi factam *immunitas* fuit violata, & Ecclesia spoliata, consequenter ante omnia restituenda; quod idem ex eadem ratione servare debet Metropolitanus, casu quo Judex sæcularis ab Episcopo ad eum appellat; ita ut in causa appellationis procedere non possit, minùs Judicem sæcularem à Censuris absolvere, donec restitutio fuerit facta, uti benè observat Farinac. *loc. c. nu. 51.* quæ omnia procedunt, sive vi expulsiva, sive compulsiva extrahatur, sive timore cadente in virum constantem per Judicem injustè incusso, sive dolo, fraude, aut mendaciis inductus ipsemet exeat, Farinac. ibidem *num. 53. & 54.* quia etiam in talibus casibus

moraliter saltem, & quidem injustè censetur Reus extractus.

Imò etsi reus volens è loco sacro extrahatur. Farinac. *ibid. n.* 51. Pignatell. ut suprà *n.* 8. eò quòd ipse privilegio locali renuntiare non possit per dicta & declavit etiam S. Congregatio apud Jacob. Pignatell. *loc. cit in una Cajacens.* 20. *Novembr.* 1640. illis verbis: *Sacra &c. respondit rescribendum esse Vicario; ut faciat restituere Oratorem eidem Ecclesiæ, à qua fuit extractus, cùm non potuerit per renuntiationem ipsius præjudicare Ecclesiæ.*

205 Resp. II. Reus etiam licitè extractus, aut extraditus, & in carcerem Episcopalem v. g. vel sæcularem, donec causa ab Episcopo decidatur, positus, restitui debet, quando causa per Episcopum examinata Reus invenitur gaudere *asylo*. Diana *p. 4. tr. 1. Resol. 34. in fin.* cum communi & certa aliorum. Ratio patet; quia in tali casu *extractio*, seu *extraditio* fit semper cum tacita, vel expressa conditione, ut, si reus inveniatur dignus *asylo*, iterum restituatur; consequenter purificata conditione restitui debet. Nec admittitur Judicis appellatio juxta dicta *n.* 202.

206 Resp. III. Quando reus vi, aut injusto timore, fraude, vel dolo per Judicem commisso extrahitur, aut educitur, debet restitui eidem Ecclesiæ, seu loco sacro, à quo fuit extractus, aut injustè eductus. Pignatell. ubi suprà *à n.* 4. Diana *p. 6. resol.* 27. Barbosa *l. 2. I. E. V. c.* 3. *n.* 54. Archidiac. & Turrecrem. *in can. Miror. caus. 17. q.* 4. Ille quidem circa medium, hi verò in principio & fine, & alii contra Bonacinam *to. 2. disp. 3. q. 7. punct. 3. n.* 14. Castro Palao *p. 2. tr. 11. disp. un. punct. 11. n.* 13. Haunold. *To. 6. tr. 1. n. 252. arg. c. Reintegranda 3. caus. 3. q.* 1. Estque sæpius declaratum à S. Congregatione *Immunitatis*, cujus Declarationem unam allegat Barbosa *loc. cit.* in una Ferrarien. anno 1639. editam plures Jacob Pignatell. *To. 1. consul.* 172. *n.* 5. unam in Salernitana editam 7. Maii 1630. duas *n.* 11. die 20. Julii & 14. Decembris 1655. editas. Imò *n.* 10. ait, ita passim rescribere Sac. Congreg., ubi etiam duas alias Declarationes, unam in Neopolitana 21. Aprilis 1641. & alteram in Mediolanensi 28. Novemb. 1634. editas adducit dicentes, ad hoc, ut restitutio alteri Ecclesiæ fieri possit, requiri dispensationem summi Pontificis, nec sufficere solum consensum partium, sic sonant: *Secretarius juxta mentem, scilicet; ut mediante authoritate Sanctissimi faciat convalidare restitutionem alteri Ecclesiæ factam, cùm non dependeat à consensu partium, sed ab authoritate Sanctissimi.* Item S. Congregatio &c. *censuit, restitutionem extracti de Jure faciendam esse eidem Ecclesiæ Civitatis Lauden. à qua fuit extractus, etiamsi hodie moram trahat in Civitate Romana distante a loco factæ extractionis. Posse tamen hoc casu Sanctissimum dispensare, ut restitutio fiat Ecclesiæ Lateranensi, attento consensu Oratoris, qui restitui debet.* Ex quibus Declarationibus sanè certa redditur Conclusio nostra, & infirmatur non tantùm opinio docentium, absolutè fieri posse restitutionem alteri loco sacro, sed etiam illorum qui docent, id saltem consensu extracti fieri posse. Ratio est, quia restitutio facienda est spoliato *L. 1. §. Hoc interdictum ff. de Vi, & vi armata, & can. Consultationibus* 10. juncta Glossa *ibid. ℣. Possessionem de Officio delegat.* atqui spoliatio facta est in hac, & non in altera, ergo.

207 Nec juvat dicere cum adversariis; quod Privilegium *Immunitatis* sit unicum omnibus ecclesiis universim concessum, consequenter satisfieri sive huic, sive illi Ecclesiæ restitutio extracti fiat. Nam contra est, quòd licèt in aliquo sensu dici queat unicum, tamen uni independenter ab alio competat, unaque independenter ab alia offendatur, spolietur ac violetur, consequenter etiam eidem restitutio fieri debet, aliàs enim sequeretur, quòd violata per pollutionem una Ecclesia satisfieret, si alia quæcunque reconciliaretur: Item si laicalibus exactionibus contra *Immunitatem* v. g. 3000. florenorum læderetur, una Ecclesia, aut Monasterium v. g. Societatis, satisfieret restituendo alteri Ecclesiæ vel Monasterio v. g. S. Benedicti, quod nec Castro Palao, nec Haunoldus, nec alii concedent, licèt eorum ratio æquè hîc militet; cum etiam privilegium *immunitatis* reale sit quasi unicum, & omnibus locis sacris universaliter concessum.

Porrò sicut non sufficit restitutio facta alteri Ecclesiæ, ita multò minùs sufficit facta Episcopo, vel ejus Vicario Generali, ut pergit *loc. c.* Pignatell. *n.* 9. tum ob rationes, Jura, & Cardinalium Declarationes pro Conclusione allatas: tum quia Episcopus non est Dominus, sed tantum Procurator ecclesiæ, *c. fin. can. 12. qu. 1.* consequenter remittere non potest injuriam Ecclesiæ factam, Gl. *in can. Si is 28. cau. 13. q. 4. Vers. Possumus.*

Dices Ecclesia repræsentat Episcopum *c. Scire debes 7. cau. 7 q. 1.* ergo restitutio illi facta censetur facta Ecclesiæ. Resp Canonem ibi loqui de Ecclesia, quatenus significat multitudinem seu Congregationem Fidelium, & non Ecclesiam materialem, consequenter nil ad propositum probare. Dein hoc argumentum nimium probare, videlicet, quòd lædens Ecclesiam etiam in temporalibus per iniquas exactiones contra *immunitatem* factas satisfaceret per restitutionem factam soli Episcopo, quod tamen negant adversarii.

Resp. IV. Restitutio extracti debet fieri publicè, & 208
solemniter ipsi Ecclesiæ violatæ per eos, qui extraxerunt. Jacob. Pignatell. *lo. cit. n.* 7 citans Peregrinum *de immun. c. 15. n.* 26. & alii. Ratio est; quia cùm per injuriosam extractionem fuerit facta publica injuria Ecclesiæ, ac populus publicè scandalizatus, requiritur publicus pœnitentiæ actus correspondens publico delicto, & tollens publicum scandalum, *arg. c. Filius §. illud autem de pœnis, in 6.* & quidem per eos, qui extraxerint, *cum peccata suos debeant tenere authores leg. Sancimus 22. cod. de Pœnis, &c. Quæsivit 2. de His, quæ fiunt à Majori parte capitul.*

Hinc neque excarceratio, ac dimissio malè extracti 209
sufficit, sed debet per extrahentes necessariò reponi in Ecclesia, seu loco, à quo fuit extractus. Pignatell. *l. c. n.* 10 ubi adducit pro hoc Decisionem Cardinalium in una Mediolan. 23. Februarii 1638. illis verbis: *Scribatur Eminentissimo Archi-Episcopo, ut Oratorem faciat restituere eidem Ecclesiæ, à qua fuit extractus, nec sufficere excarcerationem pro reintegratione violatæ immunitatis Ecclesiæ ob extractionem ejusdem Oratoris.*

Resp. V. Præter restitutionem rei extracti tenentur 210
malè extrahentes etiam ad restitutionem bonorum, & damni exinde consecuti ipsi Reo, vel aliis. Communis ac certa, *arg. c. Sicut antiquitus 6. cau. 17. qu. 4.* ibi: *Qui personam vel bona ejus inde subtraxerit quoad usque emendet, & quod rapuerit reddat, excommunicetur*, cum Concordantiis. Ratio patet: quia, qui injustè aufert vel damnificat, ad restitutionem tenetur, per vulgaria. Hinc infertur; quòd si injustè extractus etiam capite plexus est, teneatur Judex ad damnum, quod inde liberis, uxori, aut aliis subsecutum est.

Quæritur II. Quænam aliæ pœnæ sint statutæ in vio- 211
latores *immunitatis asyli &c.* Resp. I. Præter gravissimum Sacrilegium, quod committunt violatores *immunitatis asyli, c. Miror. 7. c. Frater 9 c. Quisquis 17. cau. 17. q. 4.* cum Concord. plures incurrunt pœnas. Patet inductione. Nam I. de Jure Civili censentur Rei criminis læsæ Majestatis, *l. 2. C. de his qui ad Eccles. confug.* II. Jubentur ultimo affici supplicio, *l. Præsenti C. eod.* quæ tamen duæ pœnæ usu vel non sunt receptæ, vel usu contrario abrogatæ, uti cum Claro *in Praxi Criminal. §. fin. q. 3. n. 1.* communiter advertunt Doctores.

III. Jubentur arbitrio Episcopi publica pœnitentia 212
mulctari, *c. Nullus Clericorum 19. & c. Si quis contumax. 20. cau. 17. q. 4.* ibi: *Et ipse publica pœnitentia judicio episcopi mulctetur.*

IV. Incurrunt pœnam pecuniariam nongentorum so- 213
lidorum, *cit. c. Si quis contumax 20. cau. 17. q. 4* ibi: *Pro emunitate nongentos solidos Episcopo componat*: vel certè *triginta librarum argenti purissimi, c. quisquis 21. eod. cau. & q.* pro qualitate delicti, & delinquentium conditione arbitrio Episcopi variandam, & Ecclesiæ læsæ applicandam, Gloss. *in cit. c. si quis contumax vers. Componat. cau. 17. q. 4.* Quibus non obstat Bulla Pii IV. prohibens, ne Judices Ecclesiastici puniant Laicum pœna non spirituali quia hæc constitutio redacta est ad terminos juris communis à Successore Pio V. uti notat Farin. *Pract. Crim. q. 8. n. 156.* Sperell. & alii. Quo non obstante potuere,

& adhuc possunt pœnæ hæ pecuniariæ consuetudine tolli, *arg. c. fin. de Consuet.* & per dicta *n.* 26. An verò alicubi, & ubi sublatæ sint, quia facti est, cuivis loci Ordinario examinare relinquitur.

214 V. Gravissima, & ubique locorum vigens ac recepta pœna est excommunicatio à variis Pontificibus, & Conciliis lata, innovata, & confirmata, ut patet ex *c. Sicut antiquitus 6. c. Miror 8. c. Frater 10 c. Nullus 19. c. Diffinivit 36. cau. 17. q. 4.* cum Concordantiis. Quibus accedit Conc. Trid *sess. 25. de ref. c. 20.* ubi decernit, & præcipit Ss. Canones, & Concilia omnia, nec non alias Apostolicas Sanctiones in favorem ecclesiasticarū personarum libertatis ecclesiasticę, & contra violatores editas, quę omnia in præsenti etiam Decreto innovat, exactè ab omnibus observari debere. *Idem habetur in Bulla Greg XIV. n. 82. citata, quæ §. 8. statuit*, quòd si quis quacunque dignitate, & authoritate prędictus, præmissorum, aut alio quovis prætextu quidquam pręter aut contra hujus constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis, juris, aut immunitatis ecclesiasticæ violatores per SS. Canones, & Conc. Generalium, nostrorumque Prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ.

215 Resp. II. Quamvis spectando Canones antiquos recensitæ pęnæ fuerint solummodò ferendæ sententiæ, uti patet legenti textus, tamen hodie post Bullam Greg. XIV. præfatæ pęnæ, præsertim excommunicationis sunt latæ sententiæ, & incurruntur *ipso facto.* Bonac. *to. 2. disp. 3. q. 7. punc. 8. n.* 3. Farin. *in append. immunit. c. 20. n.* 113. Marius Ital. *de immunit. l. 1. c. 6. §. 2. n. 29. & seqq.* Castro Palao *tr. 11. disp un. punc 12. n* 3. Barb. *I. E. V. l. 2. c. 3. nu.* 166. Diana *p. 6. tr. 1. Res. 3 in fin.* Haunoldus *to. 6. tr. 1. n.* 256. cum communi aliorum post Bullam scribentium contra nonnullos præsertim ante Bullam scribentes, & propterea ad præsens non attendendos. Patet Conclusio expressè ex textu Bullæ §. 8. quem habes *n. præced.* ubi Papa expressè dicit, Violatores Immunitatis *ipso facto* incurrere pęnas & censuras à jure latas; ubi verba *ipso facto* debent aliquid operari; atqui nihil operarentur, sed otiosa essent, si pœnæ essent ferendæ sententiæ; ergo. Accedit, quòd pœnæ & censuræ per clausulam *ipso facto* illatæ, censeantur latæ sententiæ non tantum juxta communem DD. sed etiam juxtà praxin & stylum Curiæ, qui facit legem. Confirmatur Conclusio & certa redditur ex repetitis declarationibus jussu Clementis VIII. & Pauli V. editis, de quibus testantur Castro Palao, Marius Ital. Bonacina, Haunoldus *loc. cit.*

216 Quæritur III. Quinam dicantur violare *immunitatem Juris Asyli*, ad hoc, ut pęnas juris, pręsertim excommunicationem incurrant? Resp. I. Omnes & singuli, quacunque authoritate prædici, qui aliquem etiam excepti Criminis certò Reum, in *asyli* loco existentem *capere, extrahere, vel incarcerare* ausi fuerint, graviter violant *immunitatem*, & *ipso facto* incurrunt pęnas Juris, præsertim excommunicationem Majorem. Ita certa & unanimis post Bullam Greg. XIV. scribentiū, ob claram Bullæ dispositionem: ubi postquàm §. 4. statutum, & pręceptum fuit, ne seculares aliquem excepti criminis reum sine expressa episcopi, vel ejus officialis licentia capere, extrahere, aut incarcerare præsumant, *dein: §. 8. subjungitur*, quòd si quis quavis dignitate quidquam contra hujus Constitutionis tenorem attentare pręsumpserit, ipso facto incurrat Juris pęnas contra violatores immunitatis statutas, inter quas vel maximè est excommunicatio, per dicta suprà *n.* 214.

217 Resp. II. *Immunitatem* violant, & præfatas juris pęnas ipso facto incurrunt, qui capere, extrahere, aut incarcerare tantùm tentaverint, effectu non secuto; v. g. qui ecclesiam, Monasterium, aut alium locum Religiosum ingressi, Reum, ut capiant, extrahant, aut incarcerent, perquirunt, etsi non inveniant: vel qui invenerunt quidem sed ob corporalem resistentiam à Reo, vel Rectore ecclesiæ factam, capere, aut extrahere, vel incarcerare non potuere, vel qui animo capiendi, extrahendi, vel carcerandi reum, admovent manum violentam januæ loci sacri, etsi ob resistentiam aperire, & intrare non valeant &c. Farinacius *in Appendice de immunit c. 20. n.* 321. Diana *p. 1. tr. 1. Resol. 15.* Peregr. *de immunit. c. 14 n.* 7. Marius Ital. *de immunitat. lib. 1. c. 6 §. 2. n.* 60. & alii. Probatur ex Jure Civili, ubi *l. 2. C. de His qui ad Eccles. conf.* violator immunitatis, & reus pęnarum censetur, *si quisplam contra hanc Legem venire tentaverit* Concordat *l. Pateant C. eod.* ibi: *Si qui eos conentur invadere*, & *l. Præsenti princ C eod.* ibi: *Ausi fuerint tentare*, ubi notanda verba, *tentaverit, conentur tentare*, ex quibus manifestè apparet, quòd etiam conatus, seu attentatio effectu non secuto sub præfatis pęnis sit prohibitus. uti etiā advertit Glossa *incit. l. 2. C de His qui ad Eccles. confug. ℣. Tentaverit.* Idem apertè habetur in Constitutione Gregoriana §. 8. ubi Papa eodem termino utens pęnas Juris *ipso facto* incurrere declarat, *qui contra tenorem Constitutionis attentare pręsumpserint*. Hinc etsi aliàs Leges pęnales intelligendæ sint secuto effectu, *arg. c. Hæc autem distinct. 1. de Pœnit.* secus tamen est, si Lex etiam ipsum conatum expressè punire vult, uti hic.

Resp. III. Violant insuper *Immunitatem*, & memoratas 218
pęnas *ipso facto* incurrunt etiam illi, qui in loco *Asyli* capiunt, extrahunt, aut carcerant volentem, consentientem, ac permittentem, sicque juri suo ac privilegio renuntiantem. Patet Conclusio ex dictis *n.* 161. ubi vide.

Resp IV. Non tantùm illi, qui reum in loco *asyli* ca- 219
piunt, extrahunt, ac incarcerant, vel id facere conantur, & tentant, sed etiam & vel maximè illi, qui tale quid mandant, violatores *immunitatis* existunt, & pęnas juris præsertim excommunicationis *ipso facto* incurrunt. Farinacius *l. c. n.* 324. Marc. Anton. Genuen. *in Praxi episcopali c. 26. n.* 7. Ratio est: tum quia effectus potius imputatur mandanti, quàm mandatario seu exequenti, *a. c. Ut fama 35. §. Laici, de Sentent Excomm.* eò quod *is committat verè, cujus authoritate, vel mandato committi probatur c. Mulieres 6. de sentent. excomm.* Tum quia in Bulla Gregoriana pęnis *ipso facto* subjacere universaliter declarantur omnes & singuli quavis dignitate præditi, qui contra tenorem Constitutionis aliquid *attentare* præsumpserint, hoc autem vel maximè faciunt, qui præfata authoritativè mandant. Tum etiam quia Bulla aliàs elusoria facilè redderetur, si enim mandantes Principes, judices, ac Potestates sæculares essent immunes à pęnis, modicum, vel nullum effectum haberet Bulla, cùm illi executionem plerumque committant & mandent simplicibus & ignaris, ac mandato resistere non audentibus.

Resp. V. Si violator contra sententiam declaratoriam 220
Episcopi appellaverit, non est admittenda Appellatio donec prius Ecclesiæ fuerit satisfactum. Pignat. *tom. 2. consult. 60 n. 61.* ubi affert plures Declarationes illis verbis: *Appellatio à declaratoria censurarum in materia violatæ immunitatis ecclesiasticæ non admittitur, nisi priùs ecclesia quo ad suum honorem fuerit in integrum restituta* Sac. Congreg. in Neapol 11. Octobris 1617. & Lipar. 4. Julii 1620. & Rheg. 28 Julii eod. anno & Syracus 19. Julii 1622. ubi tamen à sensu contrario infertur, quòd facta ecclesiæ satisfactione liceat appellare: quamvis enim à pęnis latæ sententiæ in Jure appellare non liceat *l. si qua pœna ff de V. S & c. quia nos de Appellat.* præsertim in materia Censurarum, *arg. c. Ad hæc de appel.* tamen ea licita est à sentētia declaratoria, uti cum Communi aliorum benè docet Glossa *in c. cupientes de Election. in 6.* Pignatell. *loc. cit. n.* 12. dummodò non sit notorium, pœnam esse commissam: quo absente talis interim non est vitandus. Pignatell. *loc. cit.* licèt Gutierez *Pract. qq. l. 1. c. 50. n.* 20. & alii contrarium sentiant.

Quæritur IV. Quis, & quando absolvere possit ab ex- 221
communicatione contracta ob violatam *immunitatem juris asyli?* Resp. I. Nemo præter Summum Pontificem absolvere potest à præfata Excommunicatione. Farinac. *in Append. de immunit. c. 20. n.* 315. Mar. Ital *de immunit. l. 1. c. 6. § 2. n. 3 & seqq.* Diana *p. 6. tr. 1 resol.* 34. Barb. *l. 2 I. E. V. c. 3. n.* 167. citans Peregrinum *de Immun. c. 15. n.* 9. & plures alios contra Palao *l. c.* Bonacin. & alios. Ad probandam hanc Conclusionem afferunt citati DD. plura fundamenta. Et quidem *primò* Decreta Clementis VIII. & Pauli V. per quę omnibus Confessariis prohibitum fuit, *absolvere* à casibus violatæ *Immunitatis* in terminis Constitutionis Greg XIV. *Secundò* Extravagantem 3. *inter Communes de Pœnit. & Remiss.* ubi casibus Papæ reservatis annumeratur offensa libertatis ecclesiasticæ. *Tertiò*, quia juxta Constitutionem Gregorii XIV. violatores ipso facto subjacent omnibus pęnis, quæ à Jure communi, vel Antecessorum Constitutionibus quibuscunque, consequenter etiam à Bulla Cęnæ in eos sunt latæ; atqui

Excommunicationes Bullæ Cœnæ contra violatores *immunitatis* ecclesiasticæ latæ, sunt reservatæ summo Pontifici; ergo. Quæ & alia pro Conclusione faventia argumẽta, quia variè solvere quidam sunt conati, meritò causam decidit S. Congr. *Immunitatis*, dum repetitis vicibus declaravit absolutionem hanc esse reservatam Summo Pontifici, quarum unam citat Farin. *l.c.* Alteram Delbene *de Immun. c.16. dub.38. c.2. n.13.* plures novissimè Jac. Pignatell. *To.2. consul.50.* ubi *n.13.* una refertur illis verbis: *Absolutio à Censuris ex causa violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ est reservata Summo Pontifici*, S. Congr. Immunitatis, In Licien. 13. Julii 1638. dein *n.47. Absolutio à censuris ob violatam Immunitatem ecclesiasticam juxta Constitut. fa. me. Greg. XIV. quæ incipit*, Cùm alias nonnulli, *est Sedi Apostolicæ reservata*. S. Cong. Concil. 1617.

222 Imò si à Sede Apostolica facultas absolvendi ab eadem excommunicatione delegatur, non nisi Episcopis conceditur, uti sæpius declaravit eadem S. Congregatio apud Pignatell. *l.c. n.17.* ibi: *Absolvendi facultas non debet concedi Ordinario inferiori, sed episcopo viciniori*, eadem Congregatio 23. Augusti 1632. & *n. 31.* ibi: *Solis Episcopis non autem aliis Ordinariis inferioribus communicetur facultas absolvendi à Censuris incursis ob violatam immunitatem, libertatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam, & Sede vacante committitur episcopo viciniori.* Eadem Congregatio sæpius.

His accedit continua praxis, & stylus Curiæ Romanæ, qui loco Legis venerandus est.

223 Ex quibus omnibus præsertim tot, & tam claris declarationibus S. Congregationis, per tam fideles & classicos Collectores allatis patet, sanè non amplius probabilem esse sententiam Bonacinæ, Genuensis, & aliorum dicentium, posse Episcopum à præfata excommunicatione absolvere, postquàm violatores ecclesiæ per restitutionem debitam, & alia satisfecerunt.

Hinc ab excommunicationis hujusmodi absolutione omninò abstinere debent Episcopi, & multò magis Regulares, etiam illi, qui gaudent privilegio absolvendi à Casibus Papæ reservatis; tum quia absolutio ad hac Censura est eis specialiter prohibita à Clemente VIII. per dicta *n.221.* tum quia hic casus non immeritò annumeratur casibus Bullæ cœnæ, à quibus etiam vi privilegiorum absolvere nequeunt Regulares.

224 Resp. II. A præfata excommunicatione ob violatam *immunitatem* contracta, absolutio non datur, nec dari potest, & data non valet, neque prodest, nisi prius restituto Reo, & facta satisfactione læsæ ecclesiæ, *arg. c. ex litteris de const. qua fronte 25. de appell. & c. cùm desideres 15. de sent. excomm.* & ibi DD. communiter quibus accedit Declaratio Cardinalium apud Jacob. Pignatell. *l.c. n.38. absolutio ab excommunicatione non prodest, nisi secuta restitutione, & reintegratione Ecclesiæ.*

De modo autem restituendi vide suprà *n.208.*

Hinc Episcopi in casu speciali obtinentes à Sede Apostolica facultatem, seu commissionem absolvendi, absolutionem impertiri non debent, nisi violator restitutionem fecerit, & ecclesiæ satisfecerit.

§. IX.

De Immunitate Reali, & Personali.

SUMMARIUM.

225 *Immunitas Realis, & Personalis quid?*
226 *Bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum sunt triplicis generis.*
227 *Ecclesia ipsa, ejusque res, & vasa sacra gaudent immunitate Reali.*
228 *Item bona ecclesiæ temporalia pro dote eidem collata.*
229 *Nec non alia bona quocunque titulo acquisita, & bona patrimonialia Clericorum.*
230 *Tributum solvere est signum subjectionis.*
231 *Omnium locorum piorum authoritate Episcopi erectorum bona gaudent immunitate Reali.*
232 *Nomine Ecclesiasticarum personarum veniunt omnes Clerici sæculares, etiam Minoristæ.*
233 *Si conditiones à Conc. Tridentino requisitas habent.*
234 *Item Regulares utriusque sexus, etiam Novitii.*
235 *Immunitas Realis, ac Personalis est de Jure Divino.*
236 *Non valet consuetudo contra eam.*

Explicata prima *immunitatis* specie, *Localis* nempe, transimus modo ad reliquas duas, *Realem* videlicet & *Personalem*.

Quæritur I. Quid sit, & in quo consistat *immunitas* 225
Realis, & *Personalis*, seu rerum, & personarum Ecclesiasticarum? Resp. Eam esse, & consistere in hoc, quòd personæ ecclesiasticæ, & bona cuncta, seu res omnes ad personas ecclesiasticas, vel ad ecclesiam aliquam pertinentes sint immunes, liberæ, ac exemptæ à jurisdictione cujusvis potestatis, & personæ Laicalis, seu Laici, atque ab exactionibus, & oneribus eorundem quibuscunque. Ita in re Omnes tam Theologi, quàm Canonistæ, *arg. c. Non minus 4. h.t. c. Adversus c.1. eod. in 6. Clem. un. eod. c. Quamquam 4. de Censib. in 6. Auth. Item nulla C. de Episc. & Cleric.* Nec est circa hoc aliqua controversia: solum notandum, quòd *immunitas*, qua res ecclesiarum & Clericorum sunt immunes, vocetur *Realis*; illa verò qua Personæ sunt exemptæ à jurisdictione & ab oneribus personalibus, vocetur *Personalis*.

Quæritur II. Quænam res seu bona ecclesiarum, & 226
personarum ecclesiasticarum gaudeant hac *immunitate Reali*? Ante responsionem notandum, res & bona ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum esse triplicis generis. *Primi generis* sunt ipsæmet ecclesiæ materiales, seu Templa ædificata una cùm Cœmeteriis; item vasa sacra, vestes, paramenta, & alia sive consecrata, sive benedicta, ad divinum cultum deputata quasi instrumenta. *Secundi generis* sunt ecclesiarum, & Beneficiorum bona temporalia nec consecrata quidem, nec benedicta, tamen à Fundatoribus, aut aliis Fidelibus propter Dei honorem & gloriam pro dote ecclesiæ, hacque intentione & fine oblata, & donata, ut per Prælatos ecclesiarum pro decenti ornatu, & conservatione ipsius ecclesiæ, ac necessariorum ad eam, item pro honesta sustentatione Rectorum, ac Ministrorum ecclesiæ, & (si quid superest) in pauperum, aliarumque piarum causarum usus expendantur. *Tertii generis* sunt bona ecclesiarum, & Clericorum propria titulo aliquo temporali v.g. emptione, hæreditate, arte, labore, inventione, aut alio simili titulo acquisita, quæ communiter etiam *bona patrimonialia* vocantur.

Resp. I. Omnia triplicis enarrati generis bona eccle- 227
siarum, & personarum ecclesiasticarum gaudent *immunitate Reali*, indeque libera, immunia, ac exempta sunt ab omni jurisdictione Laicali, atque ab oneribus, & exactionibus Laicorum quorumcunque. De bonis, seu rebus *primi generis* conveniunt Omnes; quia nullam utilitatem habent, hoc ipso, quòd tanquam consecrata ac benedicta, & ad Divini cultus ministerium deputata, nullis aliis humanis, ac profanis usibus applicari valeant. *arg. can. Quæ semel 4. cau. 19. qu. 3. can. Ligna 38. de Consecrat dist. 1. & c. Semel 51. de R. I. in 6.* ibi: *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum* juncta *l. Sancimus 21. C. de Sacrosanctis Eccles.*

De *secundi generis* bonis, quòd præfata *immunitate rea-* 228
li gaudeant, pariter conveniunt DD. ita, ut teste Fagnano, *in c. Non minùs 4. h.t. num.8* nullus discrepet, *arg. c. Non minus 4. c. Adversus 7. h.t. c.1. eod. in 6. & Clem. un. eod* juncto *cap.1. de censib. & c. Quamquam eod. in 6.* quibus accedit Jus Civile, *Authen. item nulla C. de episcopis & Cleric* ibi: *Item nulla communitas, vel persona publica, vel privata collectas, vel exactiones, angarias, vel parangarias, Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut ecclesiasticis personis imponere, aut invadere bona ecclesiastica præsumat, quod si fecerit, & requisiti ab ecclesia vel imperio contempserint, triplum refundant; & nihilominus bona imperiali Banno subjaceant: quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur.* Ratio autem est; quia hoc ipso, quòd à fidelibus pro dote ecclesiæ, ad Dei cultum, ecclesiæ, ac Ministrorum, ejus conservationem, pauperum sustentationem, & in alios pios usus dicata ac destinata sint, indeque vocentur *res Dominicæ*, *can.40. Apost.* Item *Christi pecuniæ can.1. cau. 12. qu. 2. Patrimonium Christi, & pauperum*, non nisi in præfatos pios usus convertenda sunt, quod non fieret, si exactionibus, & oneribus Laicorum gravarentur, & in cultus Divini, causarumque piarum præ-

præjudicium, & Christi injuriam, ac irreverentiam diminuerentur. Concordat *can. Secundum 24. cau. 23. qu. 8.* Huc etiam quadrat, quod dicitur *can. Nulli 3 cau 12 qu. 2.* ibi: *Nulli liceat ignorare omne, quod Domino consecratur* (id est datur Glossa hic) *sive fuerit homo, sive animal, sive ager, sive quidquid semel fuerit consecratum* (id est oblatum Domino) *sanctum Sanctorum Domino erit, & ad jus* (dispensatorium) *pertinebit Sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Deo, & Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, invadit, seu eripit, & usque ad emendationem, ecclesiæque satisfactionem ut sacrilegus judicetur, & si emendare noluerit, excommunicetur.*

229 De *tertii generis* bonis est communis DD. ut videre est apud Barbos. *I.E.V. cap.39. §.5. n.6.* Layman. *lib.4. tr.9. cap.6. n.9.* Abbas *in c. fin. de Vita & honest. Cleric. n.3.* Pirhing. *h.t. n.59.* Engel. *h.t. n.24.* cum Glossa communiter recepta *in cap. fin. de Vita & honest. Cleric. V. Suis facultatibus.* Idque probatur imprimis ex *c. Quamquam de Censib. in 6.* ubi sine ulla distinctione de cunctis rebus & bonis ad Ecclesias, & personas ecclesiasticas pertinentibus illa habentur verba: *Cùm igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solum Jure humano, quin & Divino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes.* Imò ibidem in specie res etiam proprias personarum Ecclesiasticarum esse exemptas asseritur: ibidem *pro rebus suis propriis* Adhuc magis ad propositum sine ulla distinctione de bonis (dummodò legitimè quocunque tandem titulo acquirantur) ad Ecclesias, & personas Ecclesiasticas pertinentibus loquitur *cap.1. h.t. in 6.* ubi postquàm Pontifex contra quosdam Dominos temporales conquestus est, quòd ab Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis exigant *collectas, tallias*, & alia hujusmodi onera prætendant *prætextu bonorum*, quæ ad ecclesias, & personas Ecclesiasticas pertinent, statuit, ut sequitur: *Volentes itaque (prout expedit) sollicitè providere, totque temerariis abusibus, congruis præsidiis obviare, authoritate Apostolica, præhabita cum Fratribus nostris diligenti deliberatione decernimus, non licere communitis, scabinis, & iis qui in eis jurisdictionem temporalem obtinent, vel justitiam temporalem exercent, tallias, vel collectas, seu exactiones quascunque ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis imponere vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscunque possessionibus, ab eisdem Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis legitimè hactenus acquisitis, vel imposterum acquirendis: etiamsi ipsæ Ecclesiæ, vel personæ vel res hujusmodi sint intra illorum districtum, vel territorium constitutæ. Nec etiam liceat illis ipsas Ecclesias, vel personas ad distrahendum, vel alienandum, aut extra manum suam ponendum, acquisita jam, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus coarctare;* quæ verba tam clara, & universalia sunt, ut planè omninò certa videatur conclusio quoad *tertium genus* bonorum, videlicet, quòd & ipsa gaudeant *immunitate*, consequenter prætextu ipsorum, sive dein emptione, sive donatione, sive hæreditate, sive alio modo, dummodò legitimè acquisitorum, vel imposterum acquirendorum (nihil enim aliud desiderat Papa, quàm ut sint legitimè acquisita, vel imposterum legitimè acquirantur, quòd utique fit, dum emptione, hæreditate, successione, donatione, vel alio simili licito modo acquiruntur) nec *tallias*, nec *collectas*, nec alias *exactiones* quascunque tandem ab ecclesiis, vel personis ecclesiasticis exigere, vel onus aliquod eisdem propterea imponere valeant. Et certè non video, quid stante tam claro textu opponi posset, præsertim, quia etiam Bonifacius VIII. *c. Quamquam de Censib. in 6.* allegans Constitutionem *cit. c.1 h.t. in 6.* expressè dicit, Alexandrum IV. per eam explicasse etiam *res proprias* Clericorum gaudere *immunitate*. Accedit Declaratio Sac. Congregationis apud Pignatell. *tom. 2. consult. 54. n.99.* illis verbis; *Patrimonium Clerici est exemptum instar bonorum Ecclesiasticorum*, S. Congregatio in Tricaric. 14. Novemb. 1663.

230 Et quamvis ubi Lex clara habetur, uti in præsenti, rationem indagare, vel allegare penitus non sit necesse, nihilominus probatur Conclusio etiam ratione. Tum quia *accessorium naturam sequi congruit principalis* juxta *Reg. 24. Jur. in 6.* & *magis dignum trahit ad se minus dignum, arg. c. Quod in dubiis de Consec. Eccl* atqui ecclesiæ, & personæ ecclesiasticæ sunt respectu bonorum suorum principale, & magis dignum, ergo cum illæ gaudeant immunitate, etiam bona eorum gaudebunt. Tum quia Domini laici nihil possunt statuere circa bona ecclesiastica vel personarum Ecclesiasticarum, nisi obligando personas easdem, eisque præcipiendo, obligare verò aliquem, eique præcipere, onera, ac tributa imponere est signum jurisdictionis in eum, obligari autem, & debere obedire præceptis, oneraque & tributa imposita solvere est signum subjectionis, ac proprium subditorum, uti per se patet & liquet ex illo Apostoli, *ad Romanos 13. necessitate subditi estote, non solùm propter jura, sed etiam propter conscientiam; ideò enim* (ecce causa, qua subditi sunt) *tributa præstatis* Idem confirmatur, & clarè probatur, ex *c.2. de Censib.* ibi: *Vos subditi esse debetis, ideò enim tributa præstatis, quia hæc est probatio subjectionis*: atqui Domini Laici penitus nullam habent jurisdictionem in personas Ecclesiasticas, nec hæ eisdem ullatenus sunt subditæ, vel subjectæ, cùm ab omni jurisdictione Laicorum plenè sint exemptæ, ut omnes fatentur, & patet ex dictis *lib.2. tit.2. de Foro compet. n 187.* Et planè non videtur, quomodò Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ sint, ac dici possint *plenè*, ac *perfectè* exemptæ nisi etiam bona eorum sint exempta. Accedit, quòd cùm Domini Laici à Clericis spiritualia recipiant, æquum sit, ut temporalia ab eis non exigant, sed potius tribuant, juxta Apost. 1. ad Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?*

Porrò à quibus oneribus, & exactionibus in specie liberæ ac immunes sunt Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, & bona earum? dicetur Paragrapho sequenti.

Quæritur III. Quænam loca nomine ecclesiæ, & quæ 231
personæ nomine Ecclesiasticarum personarum in præsenti veniant ad hoc, ut ipsæ, & bona earum gaudeant Immunitate? Resp. I. Nomine ecclesiæ hic venire omnia loca pia, ac Religiosa authoritate Episcopi erecta. Communis ac certa per Jura allegata suprà *Tit. de Religiosis domib. à num.3* ubi in specie plura habentur similia pia, ac religiosa loca: ibi vide. Accedit Declaratio Cardinalium apud Jacob. Pignatell. *loc. cit. n.98.*

Resp. II. Nomine personæ ecclesiasticæ veniunt omnes 232
& singuli Clerici sæculares, non tantùm in Majoribus, sed etiam in Minoribus constituti, vel etiam tantum tonsurati, dummodò ultimi Minoristæ nempè, vel sola prima Tonsura initiati habeant conditiones à Conc. Trid. requisitas. Communis ac certa per Jura *n. 248. & seqq.* citata. Cùm enim præfata Jura cum Concordantiis universaliter ac indistinctè omnibus ecclesiasticis personis, & Clericis, eorumque bonis Immunitatem competere asserant, Minoristæ autem, ac primum Tonsurati reverà sint, & dicantur Clerici, *arg. c. Clericos dist 21. & c de Persona cau. 11. qu. 1.* eos excludere non debemus; præsertim quia favores sunt ampliandi *c. Odia de R. I. in 6.* & ubi Jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, *l. de Pretio ff. de Publician. in rem act.*

Dicitur notanter, *Dummodò Minoristæ, aut primum* 233
Tonsurati conditiones à Concilio Tridentino sess.23. de ref. c. 6. requisitas habeant: quamvis enim non desint Doctores ut Barbosa *lib.1. I E.V. c.39. n.15.* Sanchez *in Decal. lib. 7. c.13. n.33.* Pirhing *h.t. n.86.* & alii apud ipsos, docentes, privilegium saltem reale competere etiam Minoristis, vel sola Tonsura prima initiatis Clericis, etsi conditiones à Concilio *l.c.* requisitas non habeant, eò quòd (ajunt) Concilium in præfato loco certas conditiones tantum requirit ad hoc, ut Clericus gaudeat *privilegio Fori*, non verò ut gaudeat privilegiis aliis: consequenter cùm limitatio illa conditionata sit Clericis odiosa, extendi ad alia privilegia non debet. Nihilominus probabilius, Jurique conformius videtur ad hoc, ut Minorista gaudeat *immunitate Reali*, aut *Personali*, requiri conditiones à Concilio præscriptas, videlicet, ut *Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & Tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos versetur.* Garcias *de benefic. p 2. c.3. n.5. & seqq.* Azorius *p.3. lib.5. cap.9. qu 6.* Layman. *lib.4. tr.9. c.7 n.2.* Barbosa *in c.7 h.t n.7.* & plures ab eo citati. Et quidem de *Personali* patet; quia privilegium Fori sub illa comprehenditur, utpote vi cujus Clericus immunis est

§. X.

De Oneribus, Præstationibus, & Exactionibus, à quibus Ecclesiæ, Ecclesiasticique personæ, & bona ipsarum vi Immunitatis Realis, & Personalis sint exemptæ: ubi in specie de ordinariis Oneribus, ac Tributis, Vectigalibus, Gabellis, & extraordinariis emergentibus tempore communis necessitatis.

SUMMARIUM.

237 *Ecclesiæ, Personæque Ecclesiasticæ, & res earum sint immunes ab exactionibus, ac Tributis.*

238 *In specie à tributis ordinariis, Ordinarii Status.*

239 *Quando annis bona etiam propria. Item, hoc.*

240 *Exactiones nomine Oneris ordinarii quæ sint.*

241 *Præstatio tributi ab ignum subjectionis.*

242 *Tributum, quid sit? Quotuplex.*

243 *Tributum verè transit extra Jura.*

244 *Onus Reale proprie inde quid sit?*

245 *Tributum cum sacra fisci: quomodo intelligendum sit. Ibid.*

246 *Personæ non possit fateri bona tributaria, ut tributum earum transeat ad Ecclesiasticos. Et mu. seqq.*

247 *Ecclesiæ, & ecclesiasticæ personæ etiam de rebus propriis non tenentur ad Vectigalia, Telonia, Gabellas &c.*

248 *Nisi negotiationis causa aliquid defferant.*

249 *Nisi consuetudo aliud habeat.*

250 *Deductiones practicæ. Et duobus seq.*

253 *Ecclesiæ, & ecclesiasticæ personæ non teneantur ad tributa pertinentia ad publicam rei necessitatem.*

254 *Nisi sint concurrant conditiones.*

253 1. *Necessitas grauis.*

256 III. *Communes Ecclesiæ aquæ ac Laicos tangens.*

257 III. *Ut Laicorum facultates non sufficiant, quæ prius erunt distollendæ, & quomodo.*

258 IV. *Ut Ecclesiæ, & Personæ Laicis non deteriorent.*

Quid per Clerum hic intelligatur. Ibid.

259 *V. Ut consultetur Papa, ejusque requiratur assensus.*

260 *Nisi periculum in mora sit. Ibid.*

261 *VI. Ut Clerici non per Laicos, sed Ecclesiasticos Judices compellantur ad contributionem alla fatendam.*

Et quid, si Episcopus cum Clero contributionem denegat? Ibid.

262 *Aliæ quinque Declarationes Cardinalium pro materia Immunitatis usque ad n 272.*

273 *Dimensiratur prudentia moderna pravis Laicorum voluntatibus, ne tanta pars relaxetur.*

273 *Clericis etiam posuit non posse subire exactiones laicales, & Laici à sponiis damnibus non posse arcere.*

274 *Bulla Urbani VII. Romanus Pontifex, pro Immunitate Ecclesiastica omnium maximi factoris, & stabilis dignissime pro exercitio.*

277 *Omera, ad quæ ecclesiastici teneantur.*

QUæritur I. à quibus Oneribus, Præstationibus, & 237 Exactionibus Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, & res ipsarum eximantur pro *Immunitate Realem, & Personalem* sint immunes, & exemptæ? Resp. I. Abomnibus & singulis quomodocunque nuncupatis, tam personalibus, quam realibus, ordinariis, & quomodolibet gravibus, quod aliter habeat, vel in specialis pacti aut contractus forma illarum libertatem. Hæc Conclusio quamvis simpliciter jam pateat probata, & confirmata exillar per jura, rationes & DD. §. *generali.* allegatos, nihilominus, ut pro praxi magis fervisit, descendimus ad quadam Onera & exactiones in specie.

Resp. II. Ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, earumque bona cuncta etiam propria in specie immunes, & exemptæ esse ab omnibus illis etiam ordinariis Tributis, Oneribus, & exactionibus quomodocumque vocatis, quæ principi ac Domini Territoriales subditis, & bonis eorum, v.g. præditis, fundis &c. non vi directi dominii, quod in talia bona habeat, sed ex pacifica jurisdictionis suprema, Lege quidordinaria aut perpetua imponunt pro fluxo decenter conservando, & pro exercitio publicæ administrationum, ubique ordinariis debiti regiminis, ac boni communis necessitatibus, nec non in allegationem competentiorum Curatum, & defensionis, ut proin quæ sub his positis tributa, seu onera, fundi, agri, prædi, domus &c. pro ordinaria hujusmodi Ecclesiarum, Tributa, seu Onera pertinentia. Reflexe autem etiam, & hanc præsertim imperfe esse rejectum *cit. c. 2. & in 6.* ubi pollquam conquellus est Papa, quod Domini Laici ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis Ecclesiarum faciant *præteritu bonorum, quæ acquisierunt*, flatim declarat id minime licere, *etiamsi* (ut ibi additur) *Beccleſia, vel Beclesiastici, vel ex illorum bonis, vel etiam vim dissidium, & terrorisum conflitue*; quia nempe per hoc Clerici non funt, nec funt subditi aut subjecti Laicis Dominis Territorialibus superiore ad hoc, aliquo Tributum peti posit, *arg. cit. c. 2. de Cenſib. 16.*

Quæ Conclusio, & Resolutio ex quibus clare patet 244 videtur, quod Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ ab omnibus talibus *exterioribus*, id est, ad dotem Ecclesiæ non pertinentibus, Oneribus laicali titulo, vi, empticnis, hæreditate, arte, labore &c. acquisiti, Principi Territoriali Tributum, seu exactiones ordinarias, quas de iis tanquam ad dotem Ecclesiæ, Monasterii, vel privatum Ecclesiæ Clerum pervenient, præstare debeorum priores poffessores: Nam cos *SI Tributum* v. 7. *conf.* 11. 9. 1. expresse dicit: *SI Tributum pro Ecclesiis præstari non cogitur, non tamen prohibetur.* Tributum. Concordant can. 28. *Magnum est.* 12. *quæst.* 2. Tributum. Concordant. *cap.* 23. 8. 8. *de can. Tributum* 22. *end. cauſ.* 7. q. 1. lit: *Tributorum ne ipſos, qui ſunt Patres, imponentes eſſe, quia de exteriori bus ſuis, quæ bonum usufructuarie habent, Tributum non exigitur.* Et ita etiam infra subjungit Papa illis verbis: *Quia de exteriori bus ecclesiæ, quæ conſtituerunt antiquitus; eſt pro patre, & quidem, non ut domino, & dominatore debent, ſuperimpoſitum Tributum eſſ.* Imò Christi ſuæ verbis & exemplis docuit Tributum etiam ab Ecclesiasticis esse dandum; dum Matth. 22. 3. 21. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*: ac tu ſus *Matt.* 17. juſtit pro ſe, & Petro dari Tributum; ergo. Reiq. Textus Canonum non loquit de Tributis pertinentibus ad id, quæ ut publicum bonum, fubditis imponuntur, ſed quatenus ſignificant onus mere reale inhærens rei, ut ipſe patrabiliter vi pacti, conventionis, aut alterius tituli onerosi *verè* pertinet, ut infra dicendum est. Quod Conclusio ſit vera, & certa, ex Tributum *cit. c. 2. in 6.* & per Bullam Cœnæ §. 18. *ac* 9. 28. nec non per Bullam *Urbani VII.* ſuprà memoratam infra n. 281.

Objicies III. *Quando res transit cum onere ſuo, c. cum* 245 *ſuis* 3. *de Donat. inter conjug. tradita*, atqui, dominus hujusmodi bona antequam ad Ecclesiam vel ecclesiasticam perſonam veneriunt, erant ſubjecta Tributis, præterquam ordinariis, ad Dominos Territoriales, ergo manebunt ſubdem ſubjecta, etiam ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticas personas transiunt. Reſp. Diſting. Maj. Res transit cum onere ſuo reali, & formaliter, ſed tantùm materialiter tali, ſive quod præſtatur propter rem ipſam nullo habito reſpectu poſſidentis, conceditur: res transit cum onere reali non propriè & formaliter, ſed tantùm materialiter tali, ſive quod præſtatur ratione perſonæ quatenus hæc ſi ibicula eſt *causa*, negatur. Proinde illegitima hujus reſponſionis bene notandum cum Pignatello *Tom. 7. conſul. 54. n. 3.* Onera *realia* alia eſſe ſimpliciter & formaliter, ſeu propriè talia: alia verò materialiter tantùm talia, formaliter verò *perſonalia*. Simpliciter realia, ac propriè *realia* ſunt, quæ præſtantur propter rem ipſam nullo habito reſpectu ad perſonam poſſidentis, quam ſic ſit v. g. Onera ex ſpecialipacto, aut contractu rei inhærentia

liter ac perpetuò inhærentia: item canon ac census annuus in re Emphyteutica, onus annexum Feudo &c. quæ onera præstantur ob ipsam rem præcise, quia nempe talis v. g. emphyteutica, aut feudalis est, nullo habito respectu ad personam, sive hæc subjecta sit sive non: sic enim si Rusticus Comiti rem daret in Emphyteusin, teneretur hic ei præstare canonem annuum ob ipsam rem, & hoc onus transit cum re sua, uti dicetur infrà. Onus autem *reale* impropriè, & materialiter tantùm tale est, quod imponitur rei ratione personæ, quatenus hæc subdita & subjecta est imponenti onus, licet in impositione habeatur respectus ad bona & res ipsius, ac proin juxta quantitatem & qualitatem rerum taxetur, ac erigatur. Talia Onera impropriè *realia* sunt nō tantùm Exactiones & Tributa ordinaria, quæ pro diversitate necessitatis, aut exigentiæ urgentur, & minuuntur, sed etiam ordinaria pro Principis sustentatione, communibusque & ordinariis necessitatibus imponi solita; hoc ipso, quod eorum solutio sit signum subjectionis *c. 2. de Censib.* Et propterea non nisi subditis imponi possint. Et hoc onus non transit cum re sua; quia ipsi rei invariabiliter non inhæret, sed in signum subjectionis præstatur, consequenter cessat, si ad eum, qui subditus seu subjectus non est, deveniat, cum mutata persona mutetur qualitas rei inhærens ratione personæ juxta dicta *n. 242.* ac communem DD. Et hoc bene notandum est; vide de hoc etiam Pirhing *h. t. n. 65. & n. 71.* ubi falsum & omninò erroneum asserit, dicere Tributa esse Onera verè *realia* ac perpetua, & cum rebus ad Clericos transire.

246 Dices, Principes ex potestate jurisdictionis supremæ possunt facere, & censentur facere omnia bona sita in suo Territorio Tributaria, ita ut eidem pro solutione Tributi saltem ordinarii censeantur cuncta bona subditorum hypothecata, ut tenet Bart. *in l. rescripto §. fin. n. 5. de Mun.* ergo hoc ipso talia bona habent sibi inhærens antiquum ac perpetuum Onus *reale*, quod consequenter cum ipsa ad quemvis etiam ecclesiasticum transit, *arg. cit. c. cùm non sit 33. de Decimis.* Resp. Distinguendo. Possunt facere pro subditis, conceditur; pro ecclesiis, & ecclesiasticis personis, qui subditi Laicorum esse non possunt, negatur; & ideò Bart. opinio quoad ecclesias, & ecclesiasticas personas communiter est reprobata, teste Fagnano *in c. Non minùs h. t. n. 11.* ubi citat Rotam: unde si Princeps faceret tale statutum, includendo in genere, vel in specie etiam Clericos, dicendo v. g. *Volumus, ut de hoc prædio singulis annis pro bono communi tantùm præstetur Tributum, ad quemcumque deveniat: sive, etsi etiam ad Ecclesiam, vel ecclesiasticas personas deveniat,* respectu Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum illicitum simul & invalidum foret, utpote militans contra libertatem Ecclesiasticam, ut pluribus citatis Rotæ Decisionibus, & Cardinalium Declarationibus, bene docet Pignatell. *tom. 2. Consult. 34. arg. c. Adversus h. t. & Bullæ Cœnæ, §. 18.*

247 Confirmatur responsio ad Tertiam Objectionem, & subsequentem instantiam: si hæc objectio aliquid probaret, nimiùm probaret, videlicet quod Onus solvendi Tributa transiret ad ecclesias, & personas Ecclesiasticas etiam cum illis bonis, quæ pro fundatione, aut donatione ecclesiæ, aut Beneficii à Fidelibus oblata sunt, vel in futurum offerentur; cùm ratio & argumentum æquè in his ac illis militet; atqui hoc est contra unanimem, juxta Fagnanum *in cit. c. Non minùs h. t. n. 8.* & clara Jura, *can. Secundum 24. caus. 23. q. 8. & c. 1. de Censib.* ergo.

248 Resp. III. Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, & ipsarum etiam propriæ ac patrimoniales res sunt quoque in specie immunes à Vectigalibus, Teloniis, Pedagiis, Quidagiis, Gabellis, *Maubt*, *Zoll*, *Affschlag*. Accis &c. (prout hæc nomina explicavimus suprà *tit. 39. de Censib. §. 3. n. 39.*) nisi negotiationis causa res suas aliò deferunt, vel deferri faciunt. Barbosa *in c. Quamquam de Censib. in 6.* & ibi Anchoranus *n. 2.* Gutierez *de Gabell. q. 87. per totum* Engel *h. t. n. 29.* Pirhing *h. t. n. 62.* cum communissima aliorum Theologorum, quam Canonistarum per Jura suprà *n. 229.* citata; cum enim vi eorum immunes dicantur ab omnibus quibuscunque Oneribus, & Exactionibus Laicorum, etiam à positis in Conclusione erunt liberi, *arg. c. Quia circa de Privileg.* Probatur de iisdem etiam in specie ex *cit. c. Quamquam de Censib. in 6.* ubi expresse statutum, ac declaratum habetur, *Ecclesias, & Ecclesiasticas personas ad Pedagia, & Quidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum vel solvendum Talia pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, aut transmittunt, & contraria consuetudine quorumcumque, quæ dicenda est corruptela verius, non obstante.* Hoc faciunt etiam Declarationes Cardinalium infrà præsertim *n. 266.* positæ.

249 Dicitur autem notanter, *nisi negotiationis causa &c.* quia hæc limitatio apertè colligitur ex *cit. c. Quamquam de Censib. in 6.* ubi illæ tantùm res Clericorum à præfatis Oneribus dicuntur immunes, *quas non negotiationis causa deferunt, vel deferri faciunt*; ergo à sensu contrario, si negotiationis causa faciunt, immunes non sunt, uti *loc. cit.* benè argumentantur Barbosa, & Anchoranus, Gutierez *loc. cit. quæst. 9. n. 3.* Dicitur autem negotiari ille, qui more mercatorum rem aliquam, mutatione, emptione, aut alio contractu acquirit, & comparat eo animo, ut eam revendendo lucrifaciat. Gutierez *loc. cit. n. 17.* dicens esse omnium sententiam: & magis patebit ex *tit. seqq.*

250 Infertur proin cum Gutierez *loc. cit. n. 17.* quod Clericus non dicatur negotiari, consequenter ad præfata Onera non teneatur, quando emit aliqua eo animo, ut eisdem utatur, aut fruatur, licèt posteà animo mutato, & ex accidenti vendat; quod idem etiam observat Sylvest. *V. Excommunicatio 9. nu. 46. in fine.* Navarrus *in Manual. c. 27. n. 128.* & alii communiter.

251 Infertur II. Non esse negotiatorem, nec ad Vectigal, vel Gabellam teneri Clericum v. g. Parochum, aut alium Beneficiatum, qui redditus & fructus beneficii sui v. g. frumentum, vinum, oleum, lanam, animalia &c. vendit. Gutierez *loc. cit. n. 36. & 37.* Barbosa *loc. cit. n. 6.* Engel *loc. cit.*

252 Infertur III. Non teneri Ecclesiasticas personas ad Gabellam, quatenus hæc accipitur pro certo onere pecuniario imposito cerevisiæ, carni, vino, vel aliis Victualibus, *Aufschlag* vel pro certa parte pretii, quo res venditur, *Accis*, ut proin, licet venditores ob Gabellam, rem cariùs vendere queant, tamen respectu personarum Ecclesiasticarum id facere non possint; dummodo hæ illis sufficientem attestationem tribuant de quantitate ab ipsis empta, ut venditores quoque indemnes serventur. Pariter, licèt, si Clericus vendat suos fructus, ad Gabellam teneatur Laicus emens; tamen ad eandem non teneatur Clericus vendens.

253 Resp. IV. Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac bona ipsarum quælibet immunes & exemptæ sunt insuper ab omnibus Exactionibus, Collectis, Tributis, & Oneribus novis, & extraordinariis, etiam illis, quæ ob bonum commune Reipublicæ in casu necessitatis communis tam Clericos, quam Laicos tangentis imponuntur, ita, ut quacunque necessitate etiam belli, famis, pestis emergente, ab eis vel bonis ipsarum nihil exigi possit, nisi certæ à SS. Canonibus requisitæ conditiones necessitatis concurrant. Abbas *in c. fin. de Vita & honest. Cleric. n. 12. & in c. Non minùs 4. h. t. n. 3.* Jacob Pignatell. *tom. 3. Consul 15. per totum*, ubi peregregiè hanc materiam tractat, Fagnanus *in c. Non minùs 4. h. t. à n. 45.* Bellet *Disquisit. Cler. par. 1. tit. de exem. Cler. §. 2. à n. 5.* Barbosa *in c. non minùs 4. h. t.* cum Communissima Canonistarum. Probatur per Jura hactenus sæpiùs allegata, vi quorum cùm ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ ab omnibus Exactionibus, Oneribus, Collectis, Tributis, & Præstationibus dicantur immunes, etiam ab extraordinariis urgente necessitate, & ob bonum commune impositis erunt immunes, cùm Lex generaliter loquens, generaliter sit intelligenda *arg. c. Quia circa de Privil.* & *ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus, l. de Pretio ff. de Publician. in rem act.* præsertim in materia favorabili, in qua ampliatio potiùs, quam restrictio fieri debet, *c. Odia de R. J. in 6.* Probatur specialiter ex *cit. c. Non minùs 4. h. t. c. Adversus 7. h. t. & Extrav. Quod olim. cod.* ubi certæ conditiones requisitæ præscribuntur, ad hoc, ut Ecclesiastici ad sublevandas *communes* necessitates contribuere teneantur. Ratio præter jam suprà allegata est; quia ut benè advertit Gutierez, si Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, & bona ipsarum *immunitate Reali & Personali* tantùm gauderent extra casum necessitatis com-

communis, hæc eis parùm prodesset, cùm Tributa, Collectæ, Exactiones non nisi ob bonum commune imponi possint, & Principes sæculares in quovis casu commune bonum facile allegarent.

254 Resp. V. *Sex* requiruntur *conditiones* ad hoc, ut Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ tempore necessitatis teneantur etiam ad Collectas, Exactiones, & contributiones extraordinarias, videlicet I. Ut necessitas, vel utilitas sit gravis. II. Communis, tam Clericos quam Laicos tangens. III. Ut Laicorum facultates non sufficiant. IV. Ut episcopus cum Clero prius deliberet & cognoscat, an ex parte Reipublicæ tanta sit necessitas, & ex parte Laicorum tantus mediorum defectus, ut de bonis quoque Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum succurrendum sit? V. Ut consulatur priùs Romanus Pontifex, nisi sit periculum in mora. VI. Ut existentibus præfatis *conditionibus*; Collectæ & Onera non imponantur, aut exigantur authoritate Laicali, sed Ecclesiastica. Communis ac certa ob claram dispositionem Canonum *n. præced.* citatorum. Nam *c. Non minùs h. t.* ita habetur: *Nisi episcopus, & Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesiam existiment conferenda, c. Adversus 7. eod.* verò, postquam dictum est, Ecclesias, & Ecclesiasticos *Talliis, seu Collectis, & exactionibus aliis gravari non posse,* additur: *Verùm, si quando fortè episcopus simul cum Clero tantam necessitatem, vel utilitatem, perspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas utilitates, vel necessitates communes, ubi Laicorum non suppetunt, subsidia duxerint per ecclesias conferenda, prædicti Laici humiliter, & devote recipiant cum gratiarum actione. Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest communibus providere.* Quod utrumque Capitulum de novo confirmatur, & exactè observari strictissimè mandatur *Extravag. Quod olim eod.* ac in Bulla Cœnæ Domini, *§. Quique Collectas 18.* ibi: ,, Quique Collectas, Decimas, Taleas, Præstationes, & alia Onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis, etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se vel per alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgent dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentes quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquo modo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificiali dignitate insigniti. Innovantes Decreta super his per SS Canones tam in Lateranensi novissimè celebrato, quam aliis Conciliis Generalibus edita, etiam in Censuris, & pœnis in eis contentis.

255 Porrò, ut singulæ conditiones melius intelligantur, breviter de singulis aliqua dicemus. I. Itaque requiritur *gravis* necessitas, vel utilitas. Fagnanus *in cit. c. Non minùs 4. h. t. n. 25.* & ibi Butrius *n. 8.* ubi ait: *Maximam* requiri necessitatem, aut utilitatem. Pirhing *eod. n. 72. §. Secundo requiritur*, cum communi aliorum, & patet ex *cap. Non minùs & cap. Adversus, h. t.* ibi: *Nisi tantam necessitatem, vel utilitatem perspexerint*: hinc inferunt citati DD. non sufficere quamvis necessitatem.

256 II. Requiritur, ut necessitas, vel utilitas sit communis tam Clericos, quam Laicos tangens. Fagnanus *l. cit.* Abbas *loc. cit. n. 18.* ubi ait, ita sentire utriusque Juris illuminatores, *arg. cit. duobus Capitulis 4. & 7. h. t.* ibi: *Communes necessitates & utilitates*. Hinc non sufficit necessitas vel utilitas etsi communis, solos tamen Laicos concernens, multò minùs unum per alterum tangens.

257 III. Requiritur, ut ad sublevandam talem communem *gravem* necessitatem, laicorum facultates non sufficiant. Communis ac certa claris Juribus *c. Non minùs h. t.* ibi: *Ubi Laicorum non suppetunt facultates*, quod idem repetitur, *cap. Adversus eod.* & *extravag. Quod olim cod.* Hinc antequam deveniatur ad Clericos, priùs discutienda erunt bona non tantùm communia Reipublicæ, ac Communitatum Laicalium, sed etiam singulorum Civium non physice, sed moraliter, ut benè advertit Diana *par. 5. tr. 1. resolut. 11.* Pignatell. *Tom. 3. Consul. 15. nu. 33.* probans id ex variis Indultis Pontificum ad instantiam Laicorum pro eorundem favore urgente necessitate concessis. Videlicet Urbani VIII. pro Ducatu Mediolanensi apud Marchin. *de Peste par. 4. cap. 4. n. 29.* & pro Civitate Panormitana apud Delbene *de immunit. c. 5. dub. 20. nu. 7.* & Clementis VIII. pro Florentinis apud Martham *de Jurisdict. par. 4. Centur. 1. caus. 1. nu. 49.* in quibus Pontifices mandant Nuntiis, & Ordinariis, *ut discussis priùs facultatibus Communitatum, ac Universitatum, & hominum, sive Laicorum, & his inventis non sufficere, cogant Ecclesias, & Ecclesiasticos ad contributionem faciendam.* Hinc audiendi non sunt Castro Palao *par. 1. tom. 3. Disp. un. punc. 9. n. 9.* & Pirhing *h. t. nu. 72.* dicentes esse tantùm attendendas & discutiendas communes facultates Civitatum ac locorum, & illis non sufficientibus, debere contribuere Clericos. Et certè si hæc doctrina procederet, privilegium Clericorum facile frustraretur; cùm ordinariè æraria communia Civitatum, & aliorum locorum tam pinguia non sint, ut sufficiant ad sublevandas extraordinarias graves necessitates belli, vel alterius casus, uti bene advertit Jacob. Pignatell. Fusè de hac conditione scribentem vide Nicol. Boer. *decis. 133. cum tribus seqq.*

258 IV. Requiritur, ut Episcopus cum Clero priùs conferat, deliberet, examinet, ac judicet, an necessitas communis tanta sit, ut Laicorum facultates non sufficiant, consequenter etiam de bonis Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum succurrendum videatur? Communis ac certa, textu claro *cit. c. Non minùs h. t.* ibi: *Nisi episcopus, & Clerus tantam necessitatem vel utilitatem aspexerint, ut ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda*: & *c. Adversus eod.* ibi: *Si episcopus simul cum Clero tantam perspexerit necessitatem &c.* ubi nomine *Clero*, non solùm Capitulum Cathedrale, sed totum Clerum Diœcesis intelligi volunt, Abbas *in c. Non minùs 4. h. t. n. 5.* & ibi Fagnanus *n. 23.* atque Barbosa *nu 7.* Bellet. *Disquisit. Cleric. par. 1. tit. exemp. Cleric. §. 2. n. 5.* Pignatell *n. 34.* ubi citat Rotæ Decisionem, cum communi aliorum dicendum, non sufficere deliberationem episcopi cum Capitulo Cathedrali, multò minùs solius Episcopi, *arg. Clem. 1. & 2. de Censib.* Ratio est: tum quia concursus Cleri requiritur hic ad formam: tum quia; *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, c. Quod omnes 29. de R. J. in 6.* Putat tamen Suarez *lib. 4. de immunit. Eccles. cap. 26. n. 16.* Castro Palao *par. 2. tr. 12. Disp. un. punc. 9. n. 8.* probabile esse, quod sufficiat, si Episcopus cum Capitulo Cathedrali deliberet; quia nomine *Clericorum* etiam solet intelligi Capitulum, *arg. cap. 1. de Censib.* & ibi Glossa in casu. Accedit multarum Diœcesum consuetudo, *quæ est optima Legum interpres, c. cùm dilectus 8. de Consuetud.* qua videmus integrum Clerum in hoc negotio non audiri, sed solùm deliberare Episcopum cum Capitulo.

259 Porrò si episcopus cum Capitulo, vel toto Clero deliberans cognoscit adesse reverà gravem communem tantam necessitatem, quod laicorum facultates non sufficiant, non est amplius in eorum arbitrio, consentire vel dissentire ad contribuendum, sed tenentur concurrere; eò quòd per Jura citata non tribuatur eis potestas consentiendi, vel dissentiendi, sed tantùm cognoscendi ac judicandi, an gravis communis, ac tanta necessitas adsit, ut Laicorum non suppetant facultates, uti bene advertit Pignatell. *loc. cit.* per Jura citata. Quamvis etiam cognita tali necessitate possint, imò debeant actualem contributionem differre, donec consulatur Romanus Pontifex juxta statim dicenda *n. seq.* Possunt proin Principi Territoriali contributionem petenti respondere, se ex parte sua justam petendi causam agnoscere, & ad concurrendum de bonis Ecclesiasticis paratos quidem esse, sed tamen interim non posse, donec priùs etiam consulatur Summus Pontifex.

260 V. Requiritur, ut *propter imprudentiam quorundam Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere*, prout in terminis statuitur *in cap. Adversus 7. h. t.* & *Extravag. h. t.* ac etiam in Bulla Cœ-

Cœnæ Domini §. 18. & Urbani VIII. *Romanus Pontifex*, §. 6. quam habes infrà *n.* 274. & DD. communiter, qui simul notant, non tantùm Laicos exigendo, sed etiam Clericos sponte solvendo Exactiones quascunque, & episcopos concedendo, aut consentiendo, ut solvantur, illicitè & invalidè agere, nisi adsit consensus Summi Pontificis. Abbas *in cit. c. Adversus h. t. n.* 6. Pirhing *h. t. n.* 72. Pignatell. *Tom.* 3. *Consul.* 15. *n.* 35. & alii, *arg. extravag. un. h. t.* neque enim possunt Clerici renunciare privilegio in favorem totius ordinis & status Clericalis concesso, *arg. cap. Si diligenti* 12. *de Foro competent.* nec episcopus eidem derogare, aut præjudicare, cùm inferior in Legem superioris nullam habeat potestatem, *arg. Clem. Ne Romani, de elect.*

Limitatur tamen hæc conditio in casu, quo est periculum in mora, & Pontifex tam citò adiri non potest; tunc enim, si cæteræ conditiones adsunt, sufficeret consensus episcopi & Cleri. Abbas *in c. Non minùs, h. t. n.* 19. ubi sic ait: *Putarem tamen, quod ubi tanta necessitas immineret, quod non posset sine aliorum scandalo, vel periculo haberi priùs recursus ad Papam, quod sufficeret tunc deliberatio episcopi & Cleri:* idem docet Pignatell. *loc. cit. nu.* 37. Pirhing *h. t. n.* 72. Castro Palao ubi suprà *n.* 7 Diana *par.* 5. *tr.* 1. *resol.* 21 Sylvester *V. Immunitas* 1. *num.* 20. cum communi aliorum, *arg. l. Tutor qui repertorum ff. de Administ. Tutor.* quia necessitas non habet legem: & *quod non est licitum in Lege, necessitas faciat licitum, c. Quod non est, de R. J.* cum Concordant. Notant tamen DD. citati, quod licet talis necessitas facile possit contingere in Exactione ad unum vel alterum actum, aut ad breve tempus; tamen si necessitas longiori tempore duret, Papa adiri debeat, si diutiùs contributio continuanda erit, non obstante, quod eadem sine consensu Papæ, urgente moræ periculo fuerit incæpta; quia cùm quoad continuationem Lex non obstante necessitate adimpleri possit, uti supponitur, servari debet, eò quòd causa excusans deficiat. Porrò sicut urgente moræ periculo absque consensu Papæ Exactiones fieri possunt, sic etiam absque consensu episcopi & Cleri fieri poterunt, si urgens necessitas, & moræ periculum etiam Episcopum adire non patitur: uti contingere potest tempore belli in uno vel altero casu particulari, ubi non sufficiente auxilio Laicorum exiguntur, ut personæ Ecclesiasticæ cum curribus, & equitibus, vel annona &c. concurrant ad evadendum imminens periculum Laicis, & Clericis commune, moramque non patiens. Ratio est eadem, quæ suprà. Accedit, quod de Jure non magis requiratur deliberatio ac consensus episcopi & cleri, quam Papæ; ergo si ob moræ periculum potest Exactio fieri sine consensu Papæ, poterit etiam fieri sine consensu Episcopi & Cleri, si respectu hujus simile urget periculum.

261 VI. Requiritur, ut contributio ab ecclesiis, ac personis Ecclesiasticis spontè, ac sine ulla exactione, seu compulsione Laicali fiat. Fagnanus *in c. non minùs* 4. *h. t. n.* 31. Pirhing *eod. n.* 72. & alii, *arg. cit. c. Non minùs, h. t.* ibi: *Absque ulla coactione*, quod idem habetur *cap. Adversus* 7. *eod.* ubi etiam additur, *debere Laicos humiliter & devotè recipere cum gratiarum actione, quod eis præbetur à personis Ecclesiasticis.* Possunt tamen & debent inferiores personæ Ecclesiasticæ per Judicem Ecclesiasticum, episcopum nempe, compelli, si necessitatis casu, debitis conditionibus vestito nollent contribuere. Quod si in tali casu ipse etiam episcopus unà cum Clero contribuere recusaret, nec tunc compellere, aut vim inferre posset Princeps Laicus, sed ad Pontificem recurrere deberet; nisi esset periculum in mora, tunc enim si concurrentibus requisitis conditionibus episcopus cum Clero ad sublevandam necessitatem concurrere recusaret, etiam compellere, & necessariam vim inferre posset Princeps Laicus; ut bene advertit Pignatel. *loc. cit. nu.* 37. Tum quia censetur adesse præsumpta voluntas Papæ. Tum quia necessitas non habet legem; *c. Quod non est de R. J.* Tum quia subintrat Jus naturale, quo Respublica jus habet ad se protegendum etiam contra Ecclesiasticos, si hi suis partibus satisfacere nolunt: sicut enim constitutus quivis privatus in casu extremæ necessitatis invadere & accipere potest ecclesiæ, & ecclesiasticæ personæ bona, quæ sibi ad sublevandam necessitatem sunt necessaria.

262 Pro confirmatione Conclusionum tam in hoc, quam præced. §. positarum subjungo plures Declarationes Cardinalium, quas fidelissimus Collector, ac insignis Canonista Jacob. Pignatell. habet *Tom.* 2. *Consul.* 54. *ubi n.* 68. sequentem ponit: *Bona quæ transeunt ad Ecclesiacos sunt exempta à Collectis Laicalibus. Sac. Congregatio in Montis Reg.* 14. *Februarii* 1645.

Dein nu. 85. *Ecclesiastici non possunt gravari à prætensa Gabella Communitatis. Ead. S. Congregatio in Urbinaten.* 16. *Julii* 1627. 263

Num. 86. *Ecclesiastici non tenentur ad Onera in favorem Principum. Ead. Sacr. Congregatio in Casal.* 18. *Augusti* 1627. 264

Num. 87. *Nec tenentur ad solutionem Oneris nuncupati,* il Taso. *Ead. Congregatio in Casalen.* 9. *Junii* 1637. 265

Num. 88. *Clericus non potest spontè solvere Gabellas à Laicis impositas. Ead. Congregatio in Vicent.* 15. ...1638. *& in Adrien.* 27. *Septemb.* 1632. 266

Num. 89 *Non est permittendum, ut pro Universitatum Oneribus quidquam Ecclesiastici contribuant, nec sub Eleemosynæ nomine. S. Congreg. Episcop. in Sapullacen.* 21. *Maii* 1598. 267

Num. 91. *Clerici non tenentur solvere Onera imposita per Communitatem super eorum bonis patrimonialibus, & domibus ubi habitant, etiam quod anteà solverint. S. Congregat. Immunit.* 7. *Decemb.* 1632. 268

Num. 95. *Bona acquisita à Clericis, & quibusvis personis Ecclesiasticis sunt immunia ab oneribus Laicis.* 269

Num. 99. *Patrimonium Clerici est exemptum instar bonorum Ecclesiasticorum. S. Congregat. in Tricarcen.* 14. *Septemb.* 1603. 270

Num. 102. *Patrimonium Sacerdotum gaudet exemptione à Gabellis. S. Congreg. in Camerin.* 24. *Maii* 1627. 271

Quæritur, si, uti per Conclusiones ad quæsitum *num.* 237. factum, positas dictum est, Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, & bona eorum quælibet immunes sunt ab omnibus tam ordinariis, quam extraordinariis Oneribus, Tributis, Collectis, Exactionibus, Vectigalibus, Gabellis &c. quo ergo titulo, & fundamento, qua item conscientia Principes & Domini Territoriales exigant ab ecclesiis, Monasteriis, Clericis, bonisque eorum præsertim de novo acquisitis, ac de patrimonialibus eorundem Tributa, Exactiones, tam ordinaria quam extraordinaria? Gabellas item, ac Vectigalia? Resp. Me plane nullum solidum scire fundamentum, aut justum titulum. Nam si quis esset; deberet esse vel dispositio Legum Civilium: vel consuetudo saltem immemorialis: vel privilegium Apostolicum: vel quia Leges Ecclesiasticæ pro *Immunitate* facientes alicubi non fuere receptæ vel non promulgatæ. Atqui neutrum horum est. Non *primum*. Tum quia licet quædam reperiantur Leges Civiles, quæ videntur uni vel alteri ex Conclusionibus positis contrariæ, tamen sunt etiam pro iisdem universaliter facientes, prout patet ex *Authen. Item nulla C. de episcop. & Cleric.* quæ Leges utique ad favorem *Immunitatis* concordandæ ac interpretandæ sunt; cùm *odia restringi, & favores conveniat ampliari*, ac in dubiis vel obscuris pro *Immunitate* sentiendum sit per dicta *num.* 200. Tum quia etsi Leges quædam Civiles apertè in contrarium militarent, nihil Principibus sæcularibus prodessent; cùm in materia *Immunitatis* Ecclesiasticæ neutiquam dispositio Civilis, sed Canonica sit attendenda: imò illa quoad hoc omninò sit nulla ac irrita, *arg. c. Ecclesia S. Mariæ de Constit.*

Secundò justum titulum non præbet consuetudo etsi immemorialis: tum quia *Immunitas Realis, & Personalis* est Juris Divini per dicta *n.* 235. contra quod nihil valet consuetudo, *c. fin. de Consuet.* Tum quia consuetodo contra *Immunitatem* ecclesiasticam etiam quoad *bona propria* Clericorum vocatur *corruptela*, *c. Quamquam de Censib.* Tum quia quævis consuetudo etiam immemorialis singulis annis revocatur per Bullam Cœnæ Domini.

Tertiò titulus justus non desumitur ex privilegio: tum quia multi nullum exhibere possunt: tum quia, si quod aliquibus datum esset, non amplius valeret, cum omnia etiam Imperatoribus, & Regibus concessa privilegia *immunitati* ecclesiasticæ adversa sunt revocata, & etiam num singulis annis revocentur per Bullam Cœnæ Domini §. 24. ac specialiter per Bullam Urbani VIII. *Romanus Pontifex*, quæ est 159. Constitutio dicti Pontificis in Bullario Cherubini.

Quar-

Quartò nihil juvat, si dicatur, Leges & Constitutiones pro *Immunitate* facientes, non esse promulgatas, vel non receptas. Nam contra est: tum quia Jus Canonicum ubique censetur sufficienter promulgatum, juxta Omnes. Tum quia Bulla Cœnæ Domini pro *Immunitate* ecclesiastica vel maximè faciens, & antiquos Canones renovans singulis annis solemnissime, ac sufficientissime promulgatur, quam non recipere non est in potestate ullius, cùm quivis legem justam non accipiens graviter peccet, ut constat ex doctrina contraria damnata per Alexandrum VII. Tum quia in citata Bulla Urbani VIII ubi non tantùm quod pro *Immunitate Reali, & Personali* per SS. Canones, Concilia Generalia, ac Constitutiones Pontificias etiam Cœnæ Domini est constitutum, confirmatur & innovatur, sed insuper omnia in contrarium indulta, privilegia, consuetudines, & alii prætextus ac tituli annullantur, irritantur, ac in futurum prohibentur sub tot, & talibus clausulis, ut nulla evadendi via supersit Et §. 4. expresse statuitur, quod illicitum, invalidum, ac Censuris & restitutioni obnoxium sit, quidquid agitur contra *immunitatem Realem*, ac *Personalem*, etsi id fiat *sub prætextu, quod Bullæ seu Constitutiones Apostolicæ non fuerint publicatæ, vel usu receptæ; aut contrario usu quantumlibet longissimo abrogatæ &c.* Et ad finem Bullæ additur: quod postquam hæc Bulla Romæ in consuetis locis fuerit promulgata, *omnes & singulos arctet & afficiat, proinde ac si illorum unicuique personaliter intimata & notificata fuisset:* consequenter titulus non receptæ, aut non promulgatæ Legis penitus nullum præbeat fundamentum. Tum tandem quia *Immunitas realis*, ac *Personalis* est de Jure Divino, quod recipere, eique se accommodare utique quivis tenetur.

273 Illustrissimus Dominus Cancellarius Bavariæ intimus Casparus Schmidt *in sua Semicenturia* 2. *Controversia* 15. (ubi quæstionem ponit, an & quo Jure Clericos collectare liceat) exactè discurrit, ingenueque fatetur, se plane nullum invenire legitimum titulum, nisi quia Clerici in Bavaria per duo jam sæcula sponte contribuerint, quod & ut imposterum faciant, hortatur. Verùm nec hic titulus sufficit, utpote nec Laicos recipientes, nec Clericos dantes excusans: cùm in citata Bulla Urbani VIII. §. 6. illicitas, ac invalidas, & restitutioni obnoxias declaret *omnes, ac singulas Contributiones quascunque, Collectas, Gabellas, militum hospitationes, aliaque Onera & gravamina quæcunque super ecclesiis, Monasteriis, & locis piis &c. earumque vel eorum bonis seu fructibus per Laicos quoscunque quomodolibet qualificatos absque sufficiente facultate Apostolica impositas, exactasque etiam à sponte dantibus, vel contribuentibus.* Tum quia in Bulla Cœnæ Domini §. 18. excommunicantur illi quoque Laici, qui Collectas, Exactiones, aliave Onera Clericis aut locis piis, eorumve bonis imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus absque licencia Sedis Apostolicæ speciali & expressa recipiunt. Tum tandem quia etiam *Clerus non potest solvere Collectas absque incursu Censurarum*, prout in terminis declaravit Sac. Congregatio immunitatis in Volaterrana 18. Septemb. 1629. apud Pignatell. *Tom.* 2. *Consul.* 54. *n.* 62. cui concordat etiam Declaratio ejusdem S. Congregationis allegata suprà *nu.* 266.

Ut proin non appareat, quo justo titulo Domini Laici ecclesias, Monasteria, aliave loca pia, aut personas ecclesiasticas, earumque bona Collectis, Exactionibus, Tributis, Contributionibus, aliisque Oneribus ordinariis vel extraordinariis gravare valeant, aut praxis eorum defendi valeat, aut quomodò à restitutione excusari valeant: item quomodo in conscientia tuti esse possint, præsertim post Bullam Urbani VIII *Romanus Pontifex*, in qua omnes excogitabiles prætextus, ac tituli, quibus Principes se tutos inaniter existimant ita tolluntur, potius jam pridem sublati, ac nulli declarantur, ut non videam, quidnam pro sua defensione, & conscientiæ securitate afferre valeant. Et quoniam Bullarium in quo præfata Bulla continetur, non cuivis ad manum est; Bulla verò hæc lectu, & scitu dignissima, utilissima, imò necessaria sit, eam ex memorati Cherubini Bullario, *Tom.* 4. *ubi* 159. *Constitutio Urbani VIII. est*, per extensum hic pono, quam si una cum clausulis derogatoriis legeris, Benevole Lector, mecum sentiens.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex in Sacra Beati Petri Sede à Domino constitutus non valens curam suæ pastoralis solicitudinis in gregem sibi commissum personaliter in qualibet mundi parte exercere, Legatos etiam de latere, ac Nuncios, aliosque ministros Apostolicos ad diversas Provincias, & regna, prout cognoscit in Domino expedire, consuevit destinare, ut vices suas supplendo, facultatesque sibi concessas non excedendo, errata corrigant, & commissis sibi populis justitiæ, & gratiæ incrementa ministrent, juraque Sedis Apostolicæ, jurisdictionem, & libertatem Ecclesiasticam tueantur, ac de gravioribus summum Pontificem reddant certiorem, remediaque, ac mandata opportuna, Apostolica expectent, & exequantur. 274

§. 1. Cùm autem, ut accepimus, à nonnullis prætendatur, quosdam ex Legatis sive natis, sive aliis etiam de latere, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Nunciisque ac aliis ministris Apostolicis quovis nomine nuncupatis, ac etiam ex Rectoribus seu Gubernatoribus Provinciarum, Civitatum, & locorum ditionis temporalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ per Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per Nos missis, cæterisque officialibus Cameræ Apostolicæ, ac Romanæ Curiæ, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam Vicecancellariis, & Camerariis ac Feudatariis quantumlibet qualificatis, & individua mentione dignis, ac etiam Baronibus, aliisque jurisdictionem quomodolibet exercentibus aliqua eidem Sedi, aut jurisdictioni, vel immunitati, seu libertati ecclesiasticæ, Ecclesiisque, & personis ecclesiasticis præjudicialia præter, aut contra facultates sibi concessas nedum fecisse, declarasse, concessisse, ac decrevisse, sed etiam prædicta, & quæcunque alia eis præjudicialia, à quibuscunque aliis sive ecclesiasticis, sive Laicis quomodolibet qualificatis, sufficientem facultatem Apostolicam non habentibus, commissa & facta, oneraque super Ecclesiis, ac earum bonis, & juribus, earumque fructibus absque sufficienti facultate Apostolica imposita, transgressionesque, & excessus contra sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum Universalium dispositionem contra Sedem Apostolicam, jurisdictionem, immunitatem, aut libertatem Ecclesiasticam, seu ecclesias. & personas ecclesiasticas, earumque bona, & jura quæcunque quomodolibet commissos, & perpetratos tolerasse, & approbasse, vel quomodolibet permisisse, seu eisdem præjudicialibus consensisse, immo ipsorum Legatorum, Nunciorum, & ministrorum Apostolicorum, ac etiam respective Gubernatorum Provinciarum, Civitatum, & locorum ditionis temporalis ejusdem Sedis Apostolicę, & quorumcumque aliorum officialium ipsius, seu cujuslibet eorum asserta scientia, taciturnitate, tolerantia, vel consensu, ipsorumque præjudicialium observantia inferri posse tam in prædictis, quam in cæteris quibuscunque præjudicialibus nedum ad præsumptam scientiam, tolerantiam, consensum, seu approbationem Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & cujuslibet eorum, ac nostram, sed etiam ad præsumendum super eis, & eorum quolibet fuisse concessum beneplacitum Apostolicum, etiamsi prædecessores Nostri prædicti multoties ea via, qua licebat, se opposuerint, & Nos quoque contradixerimus: concessiones quoque & gratias quascunque, ac investituras etiam Civitatum, Terrarum, Castrorum, aliorumque locorum, & bonorum etiam jurisdictionalium, ad eandem Apostolicam Sedem, seu ad ecclesias inferiores respective spectantium, ab aliquibus ex eisdem prædecessoribus nostris, vel à Prælatis seu Rectoribus Ecclesiarum inferiorum prædictarum, quomodocunque & quandocunque ad certas vitas, aut generationes, seu lineas jam extinctas, vel ad certum tempus jam elapsum, illorumque, ac illarum pignorationes, seu in pignus dationes, ac alienationes cum pacto redimendi factas ex prædicta asserta scientia, & tolerantia Sedis Apostolicæ nedum longius protrahi, sed etiam perpetuari, aliaque indebita, & inju-

sta

sta prætendantur in prædictæ Sedis Apostolicæ, jurisdictionis, immunitatis seu libertatis ecclesiasticæ, aliarumque ecclesiarum personarumque ecclesiasticarum maximum detrimentum, & populorum grave scandalum, animarumque ipsorum prætendentium, transgredientium, vel occupantium, seu usurpantium, ac in censuris eo ipso incursis insordescentium perniciem.

§. 2. Propterea Nos, sicut ex onere pastorali tenemur indemnitati Sedis Apostolicæ, jurisdictionisque, ac libertatis Ecclesiasticæ, Ecclesiarumque & personarum Ecclesiasticarum, quantum nobis ex alto conceditur, prout iidem Prædecessores nostri omnibus præjudiciis obviam ire exoptarunt, consulere volentes, attendentesque: quod prædicti Legati, Nuntii, & Cardinales etiam Vice Cancellarii, & Camerarii, aliique omnes, & singuli prædicti sine speciali Papæ mandato nulla eidem Sedi, & Ecclesiis, aliisque Prædictis præjudicialia unquam tacitè, vel expresse facere potuerunt, vel possunt, quodque ob locorum distantiam, ac negotiorum molem, quibus Sedes Apostolica premitur, hujusmodi præjudicia non fuerunt Summo Pontifici, pro tempore existenti, minusque ejus successoribus nota saltem cum suis circumstantiis præjudicium inserentibus, & aggravantibus, quodque confirmationes, approbationes, & beneplacita Papæ præsertim ubi actum fuit, vel agitur de præjudicio perpetuo, semper consueverunt in scriptis expediri præcipuè per litteras Apostolicas sive sub plumbo, sive in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, prout etiam in Pontificatu nostro expediuntur, ideò si in registris Apostolicis, quæ fideliter custodiuntur, & asservantur, prædictorum quorumcunque præjudicialium approbationes, confirmationes, vel beneplacita Apostolica non reperiuntur descripta, seu registrata, vel non exhibentur originalia litterarum Apostolicarum, aut transumpta juxta formam constitutionis nostræ desuper aliàs editæ sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub die 1. Junii 1635. Pontificatus nostri anno duodecimo, inde deducitur, neque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, nec nos unquam præjudicialia approbasse, vel confirmasse, beneplacitaque Apostolica super præjudicialibus nunquam concessisse: ac denique quod Romani Pontifices Prædecessores Nostri pro damnandis, impugnandis, & evitandis omnibus, & singulis præjudicialibus, illisque & prætensis tolerandis, consensibus, possessionibus, intrusionibus, occupationibus, usurpationibus, observantiis, & præscriptionibus quibuscunque impediendis, interrumpendis, penitusque avertendis, & excludendis hactenus consueverunt quolibet anno in die Cœnæ Domini facere processus generales, Bullas ejusdem Cœnæ nuncupatas, & publicare contra quoscunque, sicut etiam nos fecimus, & publicavimus, prout in eis idcirco etiamsi prædicta omnia, & singula eidem Sedi Apostolicæ, jurisdictioni, vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ, seu Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis; earumve bonis, juribusque à fructibus quomodolibet præjudicialia, per prædictos, & alios quoscunque contra, aut præter facultates eis concessas, facta: eo ipso fuerint, & sint nulla & invalida.

§. 3. Nihilominùs abundantiori cautela uti volentes Omniumque, & singulorum quomodolibet præjudicialium quandocunque, & à quibusvis, ac ex quacumque causa, & quovis modo factorum, & gestorum, ac inde secutorum quorumcunque, cæterorumque sui de necessitate forsan exprimendorum, ac inserendorum tenores, etiam majores, & veriores pro plene expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, certaque Scientia ac matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, motique ex causis prædictis, aut illarum altera, seu ex aliis justis & rationabilibus animum nostrum moventibus, ad quarum omnium, & singularum verificationem Ecclesiam Romanam præfatam, sedemque Apostolicam, & quemcunque alium nunquam teneri volumus, ultra quascunque revocationes hactenus factas, quas innovamus, hac nostra perpetua constitutione declaramus omnia, & singula acta, decreta, statuta, indulta, concessiones, ordinationes, declarationes, concordias & pacta, etiam nomine ejusdem Sedis Apostolicæ inita, venditionesque, & alienationes officiorum aliorumque ejusdem Sedis, Ecclesiarumve inferiorum jurium, & quæcunque alias dispositiones quocunque nomine nuncupatas, eidem Sedi Apostolicæ, Romanæque ecclesiæ, seu quibuscunque aliis ecclesiis, seu locis piis, ac personis ecclesiasticis quomodolibet præjudicialia, & præjudiciales, à quibuscunque Legatis etiam de latere, etiam Sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, Nunciis, seu aliis Ministris Apostolicis, Cameręque Apostolicę, & Romanę Curię officialibus, & Ministris etiam Cardinalibus Vice-Cancellariis, & Camerariis, & respectivè Rectoribus & Gubernatoribus, Feudatariis, Baronibus, & cęteris jurisdictionem quomodolibet Exercentibus, aliisque prefatis quantumlibet qualificatis, & individua expressione dignis, quandocunque, qualitercunque, & quomodocunque preter, vel contra facultates, eis concessas facta, & gesta, factasque & gestas, aut aliàs quovis modo ab eis emanata, & emanatas hactenus, etiam per modum edicti, declarationis, constitutionis, pragmaticę, reformationis, ac aliàs quomodolibet, etiam cum clausula, salvo reservato Sedis Apostolicę beneplacito, vel fortasse etiam cum intentione data vel promissione etiam facta illud ab hac Sancta Sede, seu à Romano Pontifice, aut etiam à nobis impetrandi, etiam cum pretensa illarum executione, & observantia quantumlibet longissima ac aliis inde quomodolibet secutis quibuscunque etiam in favorem, seu intuitù, vel contemplatione Imperatoris, Regum, aliorumque Principum, etiam supremorum, etiam Laicorum, Nationum, Rerumpublicarum, Provinciarum, Regnorum, aliorumque dominiorum, & officialium quorumcumque, vel civitatum; Universitatum etiam studiorum generalium; Collegiorum; Religionumve, seu Militiarum, ecclesiarum, & Monasteriorum quorumcunque ordinum, vel aliorum quorumvis, etiam speciali nota dignorum ex quacunque causa, occasione, vel ratione quantumlibet pia, publica, favorabili, seu privilegiata etiam transactionis, vel concordię, sive belli, tregue, vel pacis etiam universalis, & ad majus malum, vel scandalum, ut asseritur, evitandum, seu ex aliis rationibus, & causis etiam omnibus insimul concurrentibus, ac aliàs individuam expressionem requirentibus.

§. 4. Nec non quascunque tolerantias, taciturnitates, conniventias, permissiones, consensus, declarationes, executiones, approbationes, vel confirmationes expresse vel tacitè dicto, vel facto, ac aliàs quomodolibet preter, aut contra suas facultates ab eisdem Legatis, Nunciis, ac Ministris Apostolicis, & respective Rectoribus, Gubernatoribus, & Feudatariis ut asseritur factas, seu habitas vel respective prestitas in quibuscumque actibus eidem Sedi Apostolicę sive jurisdictioni, immunitati, seu libertati Ecclesiasticæ, aut Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis quomodolibet prejudicialibus per quoscunque alios, etiam laicos quantumlibet, ut premittitur, qualificatos, quavis authoritate, & potestate etiam Imperiali, Regali, aut quacunque alia, individuam expressionem requirente fungentes, etiam sub pretextu, quod Bullę, seu Constitutiones Apostolicę non fuerint publicatę vel usu receptę, aut contrario usu etiam decennali, & quantumlibet longissimo, ut pretenditur, abrogatę, vel sub pretextu Constitutionum, litterarum, seu dispositionum Apostolicarum, de quarum existentia per canonica documenta Apostolica non constat, seu revocatę, aut non sufficientes sunt, ac etiam in permittendo editionem seu impressionem librorum eidem Sedi, aliisque prejudicialium, seu continentium opiniones damnatas, vel in admittendo, seu exequendo minus legitimam earundem Constitutionum, litterarum, seu dispositionum Apostolicarum interpretationem; vel faciendo, aut approbando, ea quibus disciplina Ecclesiastica quomodolibet enervatur seu leditur, factis, & gestis.

§. 5. Molestias quoque, vexationes, & impedimenta quęcunque Legatis, Nunciis, vel aliis Ministris, & Officialibus Apostolicis, per quoscunque etiam Laicos; cujusvis status, gradus, conditionis, qualitatis, dignitatis Ecclesiasticę ut premittitur existente quomodolibet

bet

bet factas, & illatas, factaque, & illata tam eorum ingressum in provincias sibi commissas denegando, quam ne suas facultates libere in illis exercent impediendo, ac eos ab illis expellendo.

§. 6. Nec non quascunqu econtributiones, collectas, gabellas, militum hospitationes, decimas vel alias fructuum partes, aliaque onera, & gravamina quæcunque super Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis, præsertim vacantibus, personis ecclesiasticis, earumque vel eorum bonis, seu fructibus etiam prætextu vel causa facultatis bona stabilia acquirendi, seu retinendi, ac quomodolibet per Laicos præfatos, & quoscumque alios aliàs quomodolibet qualificatos absque sufficienti facultate Apostolica impositas, exactasque etiam à sponte dantibus, vel contribuentibus.

§. 7. Item Molestationes, perturbationes, acta, carcerationes, & attentata quæcunque à quibusvis Laicis etiam officialibus quomodolibet qualificatis contra personas Ecclesiasticas, vel ecclesias, seu cujuslibet earum bona sive jura vel fructus tam civiliter, quam criminaliter, & aliàs quomodolibet quantumcunque hactenus facta, gesta, & commissa etiam de facto executioni, etiam pluribus vicibus, & quocunque temporis cursu, etiam longævo, & longissimo, ac, ut prætenditur, immemoriabili, etiam cum fama asserti privilegii quomodolibet demandata.

§. 8. Nec non quascunque transgressiones, & excessus contra dispositiones Sacrorum Canonum, constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum universalium præsertim Lateranen. sub Alexandro III. Generalis nuncupati. Sub Innocentio III Viennensis sub Clemente V. Lateranen. ultimi sub Leone X. fel. record. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, seu Tridentini à quibuscunque, & ex quibusvis causis quomodolibet, & quandocunque factas in præjudicium Sed s Apostolicæ, sive jurisdictionis, vel immunitatis, aut libertatis Ecclesiasticæ, seu Ecclesiarum, vel personarum ecclesiasticarum, earumque bonorum, seu fructuum etiam effectum, ut præmittitur, defacto sortitas, & inde secuta quæcunque.

§. 9. Item quascunque prorogationes, extensiones, protractiones, seu perpetuationes, quarumcunque gratiarum, concessionum, & investiturarum à Sede Apostolica, vel à Prælatis, seu Rectoribus Ecclesiarum inferiorum quandocunque hactenus factarum ad certas vitas, aut generationes, seu lineas jam finitas, vel extinctas, sive ad certum jam elapsum, pignorationumque, & venditionum cum pacto redimendi permutationum, aliorumque contractuum, ac dispositionum quarumcunque de Civitatibus, Terris, Dominiis, Castris, locis & bonis etiam feudalibus, vel jurisdictionalibus, ac juribus ejusdem Sedis Apostolicæ, vel ecclesiarum inferiorum à quibuscunque quantumlibet, ut præmittitur, qualificatis quandoque præsentatas, etiam executioni demandatas, & quocunque temporis cursu continuatas. Nec non reliqua omnia quotcunque, & qualiacunque eidem Sedi Apostolicæ, vel jurisdictioni, immunitati, aut Libertati Ecclesiasticæ, seu ecclesiis, vel personis ecclesiasticis, earumve juribus, bonis, & fructibus quomodolibet præjudicialia, per quoscunque sufficienti, & legitima facultate Apostolica non munitos, facta, gesta, & respectivè perpetrata cum omnibus & singulis quandocunque, & quomodocunque inde secutis, & quocunque tempore longissimo executioni demandatis, ac observatis fuisse, & esse ipso jure nullas, & invalidas, ac nulla & invalida, nulliusque roboris, vel momenti, indebitaque, & illicita, ac de facto præsumptas, & præsumpta, nullumque præjudicium eisdem intulisse, nec inferre unquam posse, illasque, & illa ex quocunque temporis cursu, nec etiam ex quacunque prætensa observantia quantumlibet diuturna, longæva, longissima, seu immemorabili, etiam cum fama prætensi privilegii Apostolici, ac etiam juncta quavis scientia, conniventia, tolerantia, taciturnitate, facultate & permissione etiam ex actibus positivis non legitimis resultante Prælatorum ecclesiarum inferiorum Legatorum, Nunciorum, & aliorum quorumcunque Ministrorum Apostolicorum, ac etiam respective quorumvis Rectorum, & Gubernatorum, aliorumque prædictorum, etiam Feudatariorum, etiam Sedis Apostolicæ, ac Baronum, cæterorumque jurisdictionem quomodolibet exercentium, ac forsan Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostra nequaquam hactenus fuisse, nec in posterum fore approbata, convalidata, neque respective prorogata, extensa, protracta, vel perpetuata minusque inde aliquam approbationem, vel præsumptionem alicujus beneplaciti Apostolici, neque aliquam bonam fidem, possessionem, vel quasi, aut præscriptionem in aliquo etiam impediente, imponente, exigente, attentante, vel respective occupante, usurpante, vel transgrediente, aut quomodolibet continuante, nec in quocunque alio potuisse, nec unquam posse resultare, vel induci respective Sedis Apostolicæ, jurisdictionis, immunitatis, aut Libertatis ecclesiasticæ, seu ecclesiarum, vel personarum ecclesiasticarum, earumve jurium, ac bonorum, & fructuum præjudicium, talemque præsumi fuisse semper mentem, & intentionem Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum prædictorum, ac respective nostram fuisse, & esse quovis modo prædicta, & quæcunque alia præjudicialia nunquam approbandi, seu confirmandi, nisi de prætensa approbatione, vel confirmatione Apostolicis constiterit ex prædictis Registris Apostolicis, vel aliàs juxta formam prædictæ alterius constitutionis nostræ, quinimo omnia, & singula præjudicialia fuisse à Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Conciliis, etiam universalibus præsertimque à prædicta Bulla in Cœna Domini legi solita respective reprobata, ac damnata, prout etiam ad abundantiorem cautelam tenore præsentium reprobamus, & damnamus, beneplacitaque Apostolica per prædecessores nostros & Nos hactenus denegata fuisset declaramus, sicut etiam harum vigore denegamus, & quatenus foret opus, Omnia, & singula præjudicialia prædicta, omniaque alia, si quæ sint, irritamus, & annullamus, ac respective revocamus cum inde secutis quibuscunque præsertim intrusionibus, occupationibus, usurpationibus, & observantiis, ac usibus & consuetudinibus quantumvis longissimis, & immemorabilibus, etiam cum asserta fama privilegii Apostolici, quas, & quæ illicita, irrationabilia declaramus, ac pro reprobatis, illicitis, irrationabilibus, irritis, & annullatis perpetuò haberi volumus, decernimusque, & damnamus, ita quod in posterum illa, & illæ non possint unquam in judicio, nec extra judicium, à quoquam quomodolibet allegari, deduci, probari, nec ab aliquo admitti ad quemcunque effectum, & quatenus opus foret, adversus illos, illa, ac aliaque quæcunque quomodolibet præjudicialia harum serie eandem Sedem Apostolicam Romanamque ecclesiam, & ecclesias inferiores, ac personas ecclesiasticas quascunque plenariè, & plenissimè ex justis causis Nobis benevisis, ac si talia nunquam extitissent in integrum, & pristinum in quo antea erant, statum restituimus, reponimusque, ac reintegramus, præjudiciaque hujusmodi ne imposterum perpetuis futuris temporibus fiant etiam Interdicimus, & prohibemus.

§. 10. Insuperque cùm etiam Nobis innotuerit quod aliquando in provisionibus Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, Primatialium, Parochialium, aliisque gratiis & dispositionibus Apostolicis fuit ob incuriam quorundam Sedis Apostolicæ seu Romanæ Curiæ officialium inadvertenter in præjudicium libere provisionis earum narrata, vel etiam forsan defacto admissa præsentatio, nominatio, vel supplicatio alterius, quantumlibet, ut præmittitur, qualificati absque eo, quod de ejus jure præsentandi, nominandi, vel supplicandi constitisset, & aliquando prædicta, seu alia eidem Sedi Apostolicæ narrativa præjudicialis fortasse in prætenso ecclesiarum ultimo statu fundata extitit, etiamsi de contrario statu, aut aliàs de libera provisione, etiam per litteras erectionis, aut alio modo appareret, seu constare posset, aliquando etiam in provisionibus ecclesiarum pro cultu divino, & ipsarum ecclesiarum felici gubernio apponuntur diversa decreta, quæ per obitum provisorum, vel aliàs asseruntur expirasse; cùm nihilominùs perdurare debeant, donec fuerint adimpleta.

§. 11.

§. 11. Quandoque etiam in conceden. facultatibus, indultis, seu aliis gratiis, per Sedem Apostolicam etiam Regibus, & Principibus, Rebuspublicis, seu Dominiis, ac feudatariis quomodolibet qualificatis, ex speciali expressione dignis concedi solitis, in quibus juxta antiquum stylum priùs erant habendæ litteræ declarationis, & promissionis, per privilegiatos scribendæ Papæ concedenti, quibus ipsi petentes facultates & privilegia, se è converso obligare debent pro observatione, & conservatione quarumcunque immunitatum, libertatum & jurium Sedis Apostolicæ ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, ac bonorum Ecclesiasticorum quorumcunque, & tamen illis litteris non receptis fuerunt concessæ facultates, Indulta & gratiæ Apostolicæ præfatæ etiam absque aliquo onere illas intra aliquod tempus scribendi, & eidem Sedi præsentandi, imò etiam aliquando Officiales Cameræ Apostolicæ, sive notitiam jurium, & scripturarum Cameræ non habentes, seu memoriam non retinentes, vel aliàs expediverunt sive expediri à Romanis Pontificibus seu etiam à Nobis fecerunt vel permiserunt vigore conventionum, concordatorum, transactionum, & compactorum, cum Sede Apostolica initorum quasdam gratias, facultates, seu concessiones, & privilegia, uti debitas, ac debita, cùm tamen conventiones, concordiæ, & pacta, tunc per obitum personarum, vel aliàs quomodolibet etiam ex lapsu temporum saltem in ea parte cessassent, seu exspirassent, quæ omnia eorumque singula, etiam prætendantur in magnum ipsius Sanctæ Sedis redundare detrimentum.

§. 12. Idcircò motu, scientia, deliberatione ac potestatis plenitudine paribus præsentium litterarum tenore præfatas narrativas, enuntiativas, seu assertiones quomodolibet eidem Sedi præjudiciales factas seu admissas, ac respectivè easdem facultatum, indultorum, & gratiarum Apostolicarum concessiones, ac litterarum expeditiones factas non exspectatis, nec receptis litteris ipsorum privilegiatorum seu privilegiandorum, concessiones quoque in vim conventionum, & pactorum quomodolibet expiratorum fuisse, & esse erroneas, erroneeque respective expeditas, nullumque propterea, cum non sit æquum, ut error veritati prævaleat, intulisse, nec inferre potuisse, neque in futurum posse præjudicium Sedi Apostolicæ, ac statui Ecclesiarum, statumque ultimum ipsarum ecclesiarum, & respectivè Civitatum, Terrarum, Dominiorum, Castrorum, & locorum jurisdictionalium prædictorum, & quarumcunque facultatum, gratiarum, concessionum, & aliorum jurium Sedis Apostolicæ Ecclesiarum inferiorum non fuisse, nec unquam esse attendendum, ubi de antecedenti contrario statu, vel initio constat, modo & forma præmissis pariter declaramus, ac decernimus, & respectivè omnia præjudicialia tollimus, & irritamus, ac decreta in provisionibus prædictarum Ecclesiarum apposita non expirasse, nec expirare, sed donec adimpleta fuerint vigere, & in sequentibus censeri repetita etiam declaramus, sicque imposterum perpetuò observari volumus, & quatenus unquam contingeret, tam super præsentium litterarum, quam super quarumcunque concessionum facultatum, indultorum, gratiarum ac dispositionum Apostolicarum in favorem Imperatoris, Regum, Principum, Rerumpublicarum, Dominiorum, Nationum, Provinciarum, seu Regnorum per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & per nos concessarum seu aliàs à Sede Apostolica emanatarum, interpretatione, vel declaratione hæsitari, vel dubitari, tunc omnibus & singulis cujuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis, ac dignitatis etiam ecclesiasticæ existentibus, etiam quomodolibet, ut præmittitur, qualificatis, etiam regularibus cujuscunque Ordinis, Instituti, Congreg. ac Societatis, de quibus individua expressio facienda foret, quamlibet interpretationem, ac declarationem sub majoris excommunicationis latæ sententiæ, ac nullitatis omnium gerendorum pœnis, eo ipso, etiam nulla facta declaratione, incurrendis prohibemus, & interdicimus, & quamcunque declarationem quomodolibet necessariam, seu opportunam desuper quandocunque faciendam duntaxat nobis, ac Romanis Pontificibus Successoribus nostris Canonicè intrantibus perpetuò reservamus, & ante factas declarationes hujusmodi volumus præsentes nostras litteras, & qualcunque litteras, concessiones, ac dispositiones Apostolicas prædictas intelligenda esse ad litteram, prout jacent.

§. 13. Præsentes quoque litteras, ac omnia, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicunque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis nullatenùs consenserint, & ad ea vocati, citati, vel auditi non fuerint, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, deductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam ullo modo justificatæ non fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quantumlibet magno, inexcogitato, & substantiali defectu, aut ex quovis alio capite à Jure, vel facto, aut statuto vel consuetudine resultante, sive præscriptionis etiam quadraginta annorum, & immemorabilis, ac enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quoque alio colore, vel prætextu, etiam in corpore Juris clauso, seu ex quacunque causa, & occasione etiam quantumvis justa, rationabili & privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmisforum necesariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superiùs expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris, aut aliud quodcunque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu etiam motu proprio, & aliàs quomodolibet concedi, aut sic impetrato vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio: vel extra illud minimè posse. sed easdem præsentes semper validas, firmas, ac efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari.

§. 14. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Palatii Apostolici Auditores, Clericosque præsidentes, ac Cameram, & quosvis Sedis & Cameræ prædictarum Ministros, & Officiales, nec non S.R.E. Cardinales etiam Vicecancellarios, ac etiam de latere Legatos ejusdemque Sedis Nuntios, ac quascunque Congregationes, etiam specialem expressionem requirentes, etiam quorumcunque S.R.E. Cardinalium & Prælatorum, & quosvis alios quacunque authoritate fungentes nunc & pro tempore existentes. sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, interpretandi facultate & authoritate semper, & ubique judicari & definiri debere; ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, similiter decernimus.

§. 15. Non obstanc. premissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis tam generalibus, quam specialibus etiam in Conciliis universalibus editis, & quatenus opus sit regula nostra de non tollendo jure quęsito, & fel. rec. Pii IV. etiam predecessoris nostri de gratiis qualecunque interesse Camerę Apostolicę concernentibus, infrà certum tunc expressum tempus in eadem Camera presentandis, ac registrandis ita ut presentari, seu registrari necesse sit; Nec non quibusvis conniventiis, tolerantiis, consensibus, taciturnitatibus, permissionibus, usibus, consuetudinibus etiam longissimis, & immemorabilibus, etiam cum asserta fama privilegii Apostolici, ac statutis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis privilegiis quoque, indultis, concessionibus, licentiis, & litteris Apostolicis quibuscunque personis etiam, ut premittitur, qualificatis, ac Provinciis, Regnis, Civitatibus, Universitatibus, Ecclesiis, Ordinibus etiam Militaribus, etiam S. Jo. Hierosolymitani, Congregationibus, Institutis, Societatis Jesu, aliisque locis, & personis quibuslibet, etiam speciali nota, & expressione dignis, etiam nota, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis Clausulis, & decretis

etiam

„ etiam irritan. & aliis quomodolibet in contrarium premissorum concessis, editis, factis, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis ten. specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quevis alia expressio facienda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque. Non intendimus autem, per præsentes tollere declarationes, & causarum terminationes, ac alia, quæ etiam respectu jurisdictionalium tam allodialium, quàm feudalium presertim in dictione temporali Sedis Apostolicæ consistentium factæ seu facta fuerunt hucusque, vel in futurum fient judicialiter vel etiam extrajudicialiter, causa tamen cognita in Romana Curia per Rotam, vel Cameram, aut etiam per specialiter deputatam à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, vel à Nobis, seu à successoribus nostris Congr. aut Judicem: nec etiam tollere centenariam præscriptionem concurrentibus de Jure requisitis; nec Immemorabilem, nisi in Casibus, in quibus per Sacros Canones seu Concilia universalia, vel Constitutiones, Ordinationes, aut Dispositiones Apostolicas illa reprobatur, seu illi derogatur, aut alias de Jure illa non suffragatur, firma tamen, & illibata remanente Bulla Cœnæ Domini, tam per Nos, & Romanos Pontifices Prædecessores Nostros publicata, quam in posterum à nobis & Successoribus nostris publicanda, quoad omnia, & singula, quæ in ea continentur.

„ § 16. Volumus autem & Apostolica authoritate decernimus, ut eędem presentes ad Valvas Basilicę Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicentur, & affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt, arctent, & afficiant. perinde ac si illorum unicuique personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 5. Junii [illegible] Pontificatus Nostri Anno decimò octavo.

[illegible] anno ut suprà, Pontificatus decimo nono, supra[illegible] Apostol. publicatæ, & affixe fuerunt ad Va[illegible] Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ [illegible] campi Floræ urbis per me Dominicum Vare[illegible] N. Papæ Cursorem &c.

Quæritur. Ad quæ On[illegible] Clerici? Resp. Ad ea, quę rei propter, rem ipsam [illegible] intuitu persone possidentis constanter & perpetuò [illegible] vel ex contractu, pactovè inhærent. Abb. [illegible] fine, & ibidem Fagnan. n. 9. Pirhing [illegible] n. 56. [illegible] 4. tr. 9. c. 6. n. 9. cum communissima & certa aliorum. Ratio est; quia *cùm sue quisque rei moderator atque arbiter* [illegible], *l. In re mandata 21. C. Mandati* potest eidem onus pro libitu imponere, ut transeat cum re ad quemvis possessorẽ, *c. Cùm non sit 33. de Decimis* [illegible] *5. de Pœnit.*

275 Infertur, quòd si ecclesia, vel alius locus pius, aut ecclesiastica persona emptione, mutatione, legato, aliovè modo legitimo acquirit domum, agrum, prædium, aliamve rem *Feudalem*, vel *Emphyteuticam*, aut res allodialis eisdem in *Emphyteusin*, vel *Feudum* conceduntur, teneantur ad Onera ratione *Feudi*, vel *Emphyteusis* tali rei inhęrentia? Pariter si quis Dominus exprivata sua dispositione aliquam rem perpetuo onere gravavit, ita ut omnis futurus successor teneatur ad certam pensionem hoic vel illi, pro hac vel illa causa præstandam: hoc vel illud onus portandum &c. Tenentur ad hoc etiam ecclesia, ecclesiasticique [illegible] transit. Rursus, si quis Monasterio, ecclesie, aliove loco pio legat, donat &c prædium, domum, aut aliam rem hac conditione aut pacto, ut [illegible] deturve illi, ad hanc vel illam causam &c. certa pensio vel etiam de eodem solvatur Principi consuetum ordinarium tributum prius de eodem solvi solitum, omninò ad tale tenentur ecclesia, aliusque locus pius, vel rem accipere nō poterit.

§. XI.

De violatoribus Immunitatis: & de Pœnis violantium Immunitatem Realem, aut Personalem: ac de absolutione ab eisdem; ubi etiam de statutis, & legibus contra Immunitatem Ecclesiasticam.

SUMMARIUM.

276 *Violatores Immunitatis nulliter agunt.*
277 *Tenentur ad restitutionem.*
278 *Et ipso facto sunt excommunicati.*
279 *Violatores Immunitatis quinam sint, & dicantur usque ad num. 291.*
280 *A spontè dantibus Clericis recipientes, an, & quando sint excommunicati?*
281 *Consilium, favorem, vel auxilium ad id præbentes sunt etiam excommunicati.*
282 *Specificantur aliqui horum.*
283 *Enarrantur alii violatores Immunitatis, usq; ad n. 289.*
289 *A violatione Immunitatis, & pœnis ejusdem nullus titulus, vel prætextus excusat.*
290 *Neque prætextus, quod Constitutio aliqua non sit recepta, aut promulgata. Bulla Cœnæ quoad materiam Immunitatis certò obligat ubique. Ibid.*
291 *Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ à solo Romano Pontifice absolvi possunt extra mortis articulum: in illo autem possunt alii, sed non nisi certo modo.*
292 *Absolvens violatorẽ Immunitatis est excommunicatus.*
293 *Absolutio etiam à Papa non valet, nisi prius satisfaciant: & quomodò?*
294 *Fac[illegible]tatuta, decreta, aut constitutiones contra [illegible] & absolvi non possunt, donec ea publicè revocent.*
295 *Pœnæ Divinæ grav[illegible] contra [illegible] Constitutiones, & statuta Immunitati adversa.*

QUæritur I. quas pœnas incurrant violatores *Immunitatis Realis, & personalis,* & quinam sint, ac dicantur *Immunitatis* violatores, pœnam incurrentes? Resp. I. Præter gravissimum peccatum sacrilegii. Prima pœna est, quòd omnia eorum acta contra *Immunitatem* sint nulla & irrita. Castro Palao *p. 2. tr. 11. Disp. un. pun.* [illegible] *2.* Covarr. Pract. *qq. c. 33. n. 2.* & communis aliorum. Patet, quia facta sunt ab eis, qui ad præsens jurisdictionem non habent. 276

Resp. II. *Secunda* eorum pœna est, quòd teneantur restituere omnia, quæ ab Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, aut bonis earum exegerunt. Omnes. Patet, quia injustè acquisierant; quidquid autem injustè acquiritur, restitui debet, per vulgatissima; ergo: hinc donec restituant, & satisfaciant absolvi non possunt; juxta dicenda infrà *num. 293.* 277

Resp. III. Tertia pœna est, quòd incurrant ipso Jure, & facto gravissimam pœnam Excommunicationis. Omnes [illegible] ut *c. Non minus, 4. h. t.* ibi: *Sub anathematis* [illegible] concor[illegible] *unicationis sententiam* [illegible] C[illegible] *un. n. 2. & Extravag.* [illegible] ac omnium maximè Bulla Cœnæ, & Bulla Urbani VIII. 278

Resp. IV. Violatores [illegible] 279
hoc, ut pœnam Excommunicationis incurrant omnes & singuli cujuscunque dignitatis etiam Imperialis, Regalis, Ducalis &c. existant, qui per se, vel per alium directè vel indirectè ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, aut bonis earum *Tallias, vel Collectas seu exactiones quascunque imponunt, vel ab eis exigunt, c. Non minus 4. & adversus 7. h. t. c. un. b.* [illegible] *in 6.* juncta Bulla Cenæ §. 1. & Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex* [illegible] etiamsi *prætextu bonorum, dominum* [illegible] *possessionum, quæ legitimè acquisita jam habent* [illegible] *Pedagia, Guidagia, Tallias, aut Vectigalia* [illegible] imponunt, vel ab eis exigunt etiā pro *rebus propriis* Clericorum, *c. Quamquā 4. de Censibus in 6.* Et universaliter qui quascunque Exactiones, aut [illegible] quandocunque [illegible] quocunque nomine [illegible] exceptis oneribus merè realibus, quæ rei propter rem sine respectu personæ possidentis inhærent, juxta dicta *n. 275.*)

Eccle-

Ecclesiis. Ecclesiasticis personis, aut bonis earum imponunt, seu exigunt ab eis, per Jura citata, præsertim verò per Bullam Urbani VIII. & Bullam Cœnæ Domini *l.c.*

280 Resp. V. Non tantum illi, qui per se vel per alios directè vel indirectè præfatorum aliquid exigunt, vel imponunt, atque imposita vi, minis, imperiis, terrore, aliovè modo, ut præstentur, extorquent, sed etiam qui ea, quæ exegerunt, aut imposuerunt, à spontè dantibus, seu concedentibus recipiunt, non quidem virtute *c. Clericis h. t. in 6* ubi hoc expressè continetur (cum revocatum sit *in Clem. Quoniam, h. t.* & *Extravag. Quod olim eod.* ibi: *Quoad pœnas ipsas, ex causa de consilio Fratrum nostrorum restringimus ad exigentes tantummodò, & ad exigendum dantes auxilium, consilium, vel favorem; non autem quoad easdem pœnas in solventibus, aut recipientibus à spontè dantibus deinceps vindicet sibi locum*) Sed vi novissimæ Bullæ Urbani VIII. allegatæ *n. 274. §.* ibi: *Etiam à spontè dantibus, vel contribuentibus* & Bullæ Cœnæ Domini §. 18. ibi: *Aut sic imposita etiam à spontè dantibus, & concedentibus recipiunt.* Notat tamen rectè Pirhing *h. t. n. 94.* per *recipientes à spontè dantibus* hic intelligi illos, qui prius Exactionem, aut aliud Onus imposuerunt, & dein id, quod imposuerunt, à spontè (hoc est absque ulteriori vi, coactione, aut extorsione præter exactionem, aut impositionem) dantibus, aut concedentibus recipiunt: quod desumitur ex verbis Bullæ, ibi: *Aut sic*, NB. *imposita spontè dantibus recipiunt*. Ut proin illi Domini Laici, pœnæ huic non subjaceant, qui recipiunt, quod eis Clerici absque ulla prævia Exactione, aut impositione spontè ac liberè tribuunt. Atque in hoc sensu *à spontè dantibus* excommunicatos non esse recipientes intelligenda est. *Extravag. Quod olim h. t.* non item quòd ab Excommunicatione liberos velit illos, qui in priori sensu, videlicet prævia Exactione aut impositione *à spontè dantibus* aut *concedentibus* recipiunt. Quòd si contendas, etiam in hoc sensu recipientes, excommunicationi non subjacere, vi dictæ *Extravag. Quod olim, h. t.* dico, eam esse revocatam per Bullam Cœnæ Domini, utpote Legem posteriorem; cum Lex nova seu posterior [illegible] sibi contrariam revocare censeatur, quamvis de ipsa mentionem non faciat, textu expresso *c. 1. de Constit. in 6.* & amplius diximus *Lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 19. num. 441.*

281 Resp. VI. Non tantum illi, *qui per se, vel per alios directè vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, sed etiam qui in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque dignitatis, ordinis, conditionis, aut status sint, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali &c. aut Pontificali dignitate præfulgeant, violatores Immunitatis Ecclesiasticæ sunt, & ipso facto Excommunicationi subjacent*. Ita in terminis Bullæ Cœnæ §. 18. cui concordat *Extravag. Quod olim. h. t.* ibi: *& dantes auxilium, consilium, & favorem*,

282 Infertur, non tantum supremos Principes Laicos per se vel per alios, Exactiones & Onera, ut præfertur, exigentes [illegible] consiliarios, id consulentes [illegible] approbantes, sicque faventes: item [illegible] Officiales, uti Præfectos, aut locorum particularium Judices, per se vel per alios exequentes; item ipsos infimos servos aut famulos, etiam lictores aut satellites, etiam milites directè vel indirectè exequentes aut ad executionem juvantes Excommunicationi ipso facto subjacere, eo quòd hi omnes [illegible] exequantur, vel saltem consilium, aut favorem, vel auxilium [illegible] præbeant, quorum quodlibet *Immunitatem* violat, & Excommunicationi subjacet, textu expresso [illegible] Bullæ Cœnæ.

283 Resp. VII. Insuper violatores *Immunitatis* præsertim [illegible] existunt, & Excommunicationi subjacent omnes & singuli, ,, qui per se vel alios authoritate propria,
,, aut de facto quarumcunque exceptionum, vel aliarum [illegible] & literarum Apostolicarum prætextu, be-
,, [illegible] & decim[illegible] causas spirituales &
,, [illegible] commissariis
,, [illegible] avocant, illo-
,, rumve [illegible] sententiam, ac personas, Capitula,
,, Conventus [illegible] prosequi volentes,
,, impediunt, ac se de [illegible] tanquam Judi-
,, ces interponunt: Quive partes [illegible] com-
,, mitti fecerunt, & faciunt: ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias compellunt, & exequutionem literarum Apostolicarum, seu exequutorialium, processuum, ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, & assensum præstant etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliorum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii ordinarii, vel extraordinarii quorumcunque Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint. Uti expressè statuitur Bulla Cœnæ Domini §. 14. item.

,, §. 15. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariã, Consilium, vel Parlamentum, præter juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovisquæsito colore: Nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia Decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovisquæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, & ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris & dictæ Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum juribus quomodolibet directè vel indirectè, vel expressè præjudicatur. 284

,, §. 16. Nec non qui Archi-Episcopos, Episcopos, aliosve Superiores, & inferiores Prælatos, & [illegible] alios quoscũque Judices Ecclesiasticos [illegible] quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerãdo, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos, & affines aut alias impediunt, quo minus sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur secundum quod Canones, & sacræ Constitutiones ecclesiasticę, & Decreta Conciliorum Generalium, & præsertim Tridentini, statuunt, ac etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut alias Fori Ecclesiastici judicium [illegible] ad Cancellarias, & alias Curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant: eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem. 285

,, [illegible] Quivè jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quoscunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant. 286

,, §. 19 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, Executores, & Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illa processando, [illegible] seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus S. Sedis Apostolicæ licentia, [illegible] hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati. 287

Ita

288 Ita hucusque in terminis Bulla Cœnæ: quam sicut & alias Constitutiones Pontificias, & SS. Canones pro *Immunitate* hucusque allegatas plurimi hodie, utinam magis considerarent, & observarent, ne in continuo peccato mortali, & actuali excommunicatione existentes, & tanquam rejecta à Corpore Ecclesiæ putrida membra sordescentes catervatim miserè pereant, præsertim cùm penitus nullus titulus excusans supersit juxta dicta *n. 272. & seqq.* & dicenda in Conclusione sequenti.

289 Resp. VIII. A præfatis pœnis, præsertim ab Excommunicatione incurrenda nullum privilegium, nulla præscriptio, nulla consuetudo etiam immemorialis, nullusque alius titulus excusat. Patet ex dictis supra *n. 272.* & etiam ex Bulla Cœnæ Domini §. 24. *& seq.* dicitur namque in Bulla Cœnæ, citato

,, §. 24 Non obstãtibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & literis Apostol. generalibus, & specialibus supradictis, vel eorũm alicui, seu aliquibus aliis, cujuscũque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis & præeminentię fuerint, etiamsi ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiast. & mundana prę fulgeant dignitate, & eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis a prædicta Sede ex quavis causa, etiã per viam cõtractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis etiã derogatoriarum derogatoriis, concessis, etiã continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per literas Apostol non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbũ de privilegiis, Indulg. & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, & nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, & aliis quibusdam observantiis scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quo minus includantur in eis, se juvare valeant, & tueri.

,, §. 25. Quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omninò revocamus, cęteraque cõtraria quęcunque.

290 Dices Bullam Cœnæ Domini non ubique esse receptam; consequenter saltem eam ubique non ligare; cum Lex non recepta, vel non promulgata non obliget saltem in locis, ubi promulgata non est: juxta plures DD. *cit. Lib. 1. Tit. 2. §. 6. n. 125.* Resp. I. ut suprà *n. 86.*

Resp. II. Dato non concesso, quòd Leges aliæ non obligent in locis, vel provinciis, in quibus non sunt promulgatæ: Certum tamen est, quòd à peccaminosa transgressione, ac pęnis SS. Canonum, & Constitutionum Pontificiarum pro *Immunitate* ecclesiastica editarum (inter quas vel maximè est Bulla Cœnæ) titulus seu prætextus Legis non promulgatæ, aut non receptę penitus nullum excuset, prout expressè statuit Urbanus VIII. in suprà *n. 274.* allegata Bulla, *Romanus Pontifex*, §. 4. ibi: *Etiam sub prætextu, quod Bullæ, seu Constitutiones Apostolicæ non fuerint publicatæ vel usu receptæ, aut contrario usu abrogatæ*, ut proin Bulla Cœnæ etiam in Provinciis, ubi promulgata non est, quoad ea, quæ pro *Immunitate Ecclesiastica Reali*, ac *Personali* disponit, certissimè obliget, & vim suam habeat.

Infertur, quòd Laicis *Immunitatẽ* violantibus nihil pro eorum defensionę supersit, nisi passim vigentes pessimæ corruptelæ, nec non risus, contemptus, & explosio Legũ, & Constitutionum Pontificiarum pro Immunitate faciẽtium, per quod tamen minimè excusantur, sed ad cõtemptum, & risum hunc in interitu eorum *videbit Dominus*.

291 Quæritur II Quisnam à dictis pęnis absolvere possit? Resp. I. Extra articulum mortis nullus præter Romanum Pontificem absolvere potest: Imò etiam in articulo mortis nullus absolvere potest, nisi Violatores prius cautionem præstent, quòd satisfacere, seu restitutionem facere, & mandatis Ecclesiæ stare velint, & similia ulterius non facere seriò proposuerint. Ita clarè statuitur in citata Bulla Cœnæ §. 21. ibi:

,, §. 21. Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscunque personis Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumvis Ordinum Mendicantium, ac Militiarum Regularibus etiam Episcopali, vel alia majori dignitate prædictis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus Congreg. Hospitalibus, & locis piis, nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

Notandum tamen, eum, qui *cautionem* facere non potest, absolvi posse, dummodò firmiter proponat, ac promittat, quòd Ecclesiæ mandatis stare, ac pro viribus satisfacere & restituere velit.

292 Resp. II. Omnis absolutio per alium, quam Romanũ Pontificem, extra mortis articulum; vel etiam in illo, sed non juxta tenorem præfatum facta, non tantum est nulla, sed etiam graviter peccaminosa, ac insuper Absolventem Excommunicationi subjicit. Ita expressè Bulla Cœnæ.

§. 22. Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere præsumpserint eos excommunicationis sententia innodamus gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter prout expedire noverimus, processuri.

293 Resp. III. Nulla absolutio etiam per Romanum Pontificem facta, violatoribus *Immunitatis* suffragatur, ,, Nisi prius à præmissis, cùm verò proposito ulterius similia non committendi destiterint, ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fuerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, seu Capitularibus locis, aut libris in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum quantocunque tempore continuatã in pręmissis omnibus, & singulis ac quibuscunque juribus Sedi Apostolicę, ac S. R. E. undecunque, & quandocunque quæsitis vel quærendis nullatenus præjudicare posse, ac debere. Ita Bullæ Cœnæ §. 23.

294 Quæritur III. Quid Juris de Principum, & Dominorum sæcularium Statutis, Ordinationibus, Constitutionibus, Pragmaticis, Decretis contra Immunitatem Ecclesiasticam factis? Resp. I Omnia hujusmodi statuta, constitutiones, seu decreta esse nulla & irrita, facientes verò eadem, violatores *Immunitatis* existere, Excommunicationi ipso facto subjacere, juxta §. 15. Bullæ Cœnæ, quem habes *n. 283.* à qua absolvi non possunt, imò etsi absolvantur, absolutio non valet, *Nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis seu Capitularibus locis, aut libris in quibus annotata reperiuntur, deleri, cassari, ac Papam de revocatione* hujusmodi certiorem fecerint, ut expressè statuitur in Bullæ Cœnæ *c. §. 23. n. 293.* allegato.

295 Resp. II. Præter gravissimam Excommunicationis pęnam, etiam Deus gravissimas & universales infligit pęnas, ob Leges & Statuta in aliqua Provincia contra *Immunitatem* Ecclesiasticam factas, prout notant DD communiter, & misera docet experientia. Placet hic afferre, quod habet Diana *p. 5. tr. 1. resolut. 23. §. Et tandem docet*, & valdè notandum est à Judicibus laicis. ,, Vellem, inquit, unum ab ipsis considerari, videlicet calamitates, bella, fames, pestilentias, & alia id genus in Regnis evenire ex statutis contra libertatem Ecclesiasticam. Testis hujusce veritatis sit Basilius Imperator Nicephori Phocæ successor, qui contra ejusdem Nicephori statutum in hæc verba sancivit. Divinitus constituta Majestas nostra cum & à Monachis, quorum testata pietas atque virtus est, & ab aliis multis cognoverit legem à Domino Nicephoro qui ad Imperium pervenit de ecclesiis Dei, Religiosisque latam, tum præsentium malorum, tum universalis hujus eversionis atque con-

,, fusionis causam & radicem extitisse. Nam ex quo Lex
,, illa robur habuit, nihil boni penitus in hodiernum us-
,, que diem vitæ nostræ contigit, sed potius contrario
,, nullum omninò genus calamitatis intermisit, statuit
,, per auream hanc Bullam, cui subscripsit indicatam ab
,, hoc præsenti die cessare debere, ac deinceps irritam,
,, ac nullius momenti manere, conditis ante illam legi-
,, bus, tam de Ecclesiis, quam de Religiosis domibus,
,, vim roburque suum obtinentibus. Hactenus Basilius Imperator, ut patet apud Betsamonem *in Nomocanone Phot.*, & Leunclavium *tom. 1. l. 1. jur. Orient.*

Nec desinam hic apponere id quod notat Illustrissimus, & Doctissimus Archi-Episcopus Bracharensis Acunna *in Decret. Gratiani, cap. si gens Angelorum n. 5. dist. 56.* Barbosa *in Jure Eccles. lib. 1. cap. 36 §. 2. n. 200.* Franciscus Longus *in Breviar. Chron. an. Domini* 704. Cockier in Vindiciis *libert. Eccles. p. 1. cap. 33. n. 23.* & ante illos Cardinalis Baronius *anno Christi* 701. nempe olim Deum florentissimū Regnum Hispaniæ Mahometanis & Mauris tradidisse, non quia in fide (semper enim Hispani fideles) sed quia in jurisdictione à S. Sede Apostolica defecerant. Unde intelligant Principes (subdit Baronius) quam malè sibi, suisque Regnis consulant, qui Ecclesiæ jura tollere, vel imminuere conantur, quod ipsum repetit rursus aliis in locis *ann. 1100. n. 34.* item *1104. n. 14.* & *1158. n. 47.* ubi ostendit Principes opprimendo Ecclesiasticam jurisdictionem, Regnorum suorum interitum & amissionem accersere.

Igitur Principum Consiliarii, si desiderant Regna stabilire, & ab eis calamitates arcere, consulant Regibus, ut imitentur Basilium, nihilque contra libertatem Ecclesiasticam constituant, sed si quæ constituta sunt, abrogent omninò, & in conflictu opinionum illam sequantur, quæ magis favet Ecclesiæ.

Quid Juris autem de *Statutis*, & Legibus Laicorum quoad Clericos, vide *L. 1. tit. 2. §. 3. & 4.*

T I T U L U S L.

Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

S U M M A R I U M.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Negotium sæculare quid? & quotuplex? Est Clericis prohibitum.*
3 *Clerici non possunt esse Ministri, aut Officiales Laicorū.*
4 *Limitatur hoc in aliquibus casibus.*
5 *Clerici non possunt exercere Officium Tabellionis seu Notarii publici. Et n. 7.*
6 *Nisi in causis Fidei, aut in Curia Romana aut ubi est consuetudo.*
8 *Jus Civile, aut Medicinam audire quomodò prohibeantur Clerici? Et n. seq.*
10 *Possunt docere Jus Civile, ac Medicinam.*
11 *Clerici non possunt negotiari lucri causa.*
12 *Nec exercere vel agitare causas aut Judicium sanguinis, quinam actus per hoc censeantur prohibiti.*
13 *Consilium dare in causa sanguinis, an, & quomodò prohibitum Clericis?*
14 *Prælati Ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem possunt, & debent causas sanguinis Laico delegare, idque generaliter non specialiter.*
15 *Clerici non possunt præpon. Ruptuariis, aut aliis viris sanguinum, nec esse belli Duces, benè tamen possunt interesse bello, & milites in eo hortari ad pugnandum.*
16 *Clerici non possunt exercere artem Medicinæ, aut chirurgiæ.*
17 *Enarrantur pœnæ exercentium aliquod ex recensitis negotiis sæcularibus. Usque ad finem.*

POstquam in præcedentibus dictum, quid Clericis & Monachis, eorumque statui competat, rectè subjungitur, quæ eisdem sint prohibita, statumque eorum dedeceant, *sæcularia* nempe *Negotia*, utpote quæ mentem a Divinis abstrahunt, contemplationem impediunt, spiritum devotionis extinguunt, curisque & solicitudinibus variis intricant &c. ut proin *c. 1. h. t. ad finem*, ex Apostolo *2. ad Timoth. 2.* benè dicatur: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, & l. Placet 17. C. de Episc. & cleric. Nihil commune clerici cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, habeant.* Cæterum Titulus hic ultimus Libri III. multum convenit cum Titulo I. ejusdem utpote ubi etiam plura Clericis prohibita eorumque vitam & statum decentia habentur: hinc illis suppositis, ea tantum hic recensebimus, quæ ibi desiderantur.

2 Quæritur I. Quid, & quotuplex sit *Negotium sæculare* Clericis prohibitum? Ante responsionem notandum cum Abbate *ad Rub. h. t.* quidquid ex carnali mundana, ac inordinata concupiscentia, aut corruptela non subjecta fræno rationis agitur; dum nempe inordinatè carnaliter & sæculariter, id est, secundum sæculum, mundum, & carnem, & non secundum Deum, & rationem vivitur contra monitum Apostoli ad Rom. 12. *Nolite conformari huic sæculo. Secundò* seu strictè sumptum *Negotium sæculare* est, & dicitur quævis actio aut officium, quod pertinet ad Rempublicam sæcularem, competitque hominibus, seu Laicis, non item Clericis: de quibus Negotiis loquitur D. Paulus *suprà*, & *cit. l. placet*. Resp. Quamvis *Negotia sæcularia* in hoc utroque sensu sumpta, prohibeātur Clericis *h. t.* tamen specialiter ac præcipuè *secundo modo* seu strictè sumpta. Ita communis. Patet ex toto *h. t.* licèt enim *c. 1. h. t.* multa etiam *Negotia sæcularia* largè accepta Clericis prohibita enarrentur, tamen quia etiam Laicis sunt prohibita, utpotè ex se illicita, ideò in subsequentibus Capitulis potissimum prohibita *Negotia sæcularia* strictè talia enarrantur quæ Laicis licita, Clericis tamen illicita sunt, utpotè qui se sæcularibus etiam licitis *Negotiis* implicare non debent: quia *Duo sunt genera Christianorum: est autem unum genus, quod mancipatum Divino officio, & deditum contemplationi, ac orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt clerici, & Deo devoti, id est conversi. can. Duo sunt 7. cau. 12. q. 1.* Concordant Canones fermè omnes, *dist. 88.*

Porrò quamvis *multa sint sæcularia Negotia*, uti dicitur, *c. 1. h. t. Imò plura sint negotia quam vocabula*, prout ait Ulpianus *l. Natura enim 4. ff. de Præscript.* ut proin omnia specificare impossibile videatur: Nihilominus aliqua hujusmodi *sæcularia Negotia* Clericis specialiter prohibita afferemus,

3 Quæritur itaque II. Quænam *Negotia sæcularia* in specie Clericis, & Monachis sint prohibita? Resp. Ea esse plura. Patet inductione. Nam I. *c. 2. h. t.* Clericis universaliter est prohibitum, *ne Ministri Laicorum fiant, nec in rebus eorum Procuratores existant:* quod intellige, sive in domo ipsius Laici, sive extra illam eidem serviant aut negotium peragant. Barbosa *in cit. c. 2. h. t. n. 2.* etiamsi Laicus sit Princeps, aut alius magnus Dominus, *c. Sed nec 4. h. t.* ibi: *Sed nec procuratores villarum, aut jurisdictiones etiā sæculares sub aliquibus Principibus, & sæcularibus viris, ut justitiarius eorum fiat Clericorum quispiam exercere præsumat.* Unde nec Principum Viceregentes, Vicedomini, Cancellarii, locorum Præfecti aut Præpositi, Administratores &c. vel alia ratione Officiales esse queunt, per Jura citata, & *c. Clericus 5. h. t.* ibi: *Inhibemus, ne quis Sacerdotum officium habeat Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis.* Concordat *c. Clerici 15. de Vita honest. cleric.* ibi: *Clerici officia sæcularia non exerceant*, & *can. fin. dist. 86.*

4 Limitatur tamen *n. præc.* doctrina in casu, quo Laicus habet causam, aut negotium Ecclesiasticum coram Judice Ecclesiastico: coram hoc enim Laici causam age-

re, negotiari, aut procurator ejusdem esse Clericus potest, Abbas *in c. 2. h. t. n. 2. & 3.* Pirhing *eod. n. 17.* Ratio est quia hoc nullibi invenitur prohibitum, cum tantum *sæcularia* non item Ecclesiastica *Negotia* prohibeantur in citatis Juribus. Item possunt Clerici, ac Religiosi etiam coram Judice laico ex charitate assumere negotium, & agere causas sæculares pauperum, ac miserabilium personarum, præsertim orphanorum, & viduarum *arg. can. fin. dist. 86* Imò, si non ex cupiditate, sed ex charitate, & amicitia facit, potest Clericus etiam una, vel altera vice, non item ordinariè assumere *Negotium sæculare* Laici non pauperis, ejusve esse Procurator Abbas *loc. cit.* cum aliis, eò quòd Jura, dum prohibent Clericis *Negotia sæcularia*, intelligenda sint generaliter. Possunt insuper præfata Laicorum assumere & tractare negotia quando redundant in commodum Ecclesiarum, aut Monasterii, Abbas *loc. cit.* Engel *h. t. n. 4.*

5 II. Specialiter prohibetur Clericis officium Tabellionis, seu Notarii publici agere *c. Sicut te 8. h. t.* ibi: *Fraternitati tuæ mandamus quatenus clericis in sacris Ordinibus constitutis Tabellionatus officium interdicas:* concordat *c. ut Officium, 11. §. Verum de Hæretic. in 6.* Ratio varia affertur à Doctoribus, inter quas est, quòd Tabellionis seu Notarii publici officium est vile, Anchoranus *in cit. c. 8. h. t.* & ibi Fagnanus *n. 13.* & alii, cum Tabellio vocetur *servus publicus, c. 2. de Usur. in 6.* & ibi Glossa *V. Servo publico*, & *l. Non aliter, ff. de Adopt.* quod propterea prohibetur Decurionibus *l. Universos C. de Decurionib.* ergo multò magis Dei militibus. Notant tamen Doctores communiter: quòd Tabellio seu Notarius publicus ante Clericatum factus officium hoc per susceptionem Clericatus non perdat. Item quòd Instrumenta publica à Clerico Tabellione seu Notario confecta subsistant, sive ante, sive post Clericatum susceperit hoc officium. Hostiensis *in Summa* Engel *h. t. num. 5.* Joan. Andreas *in cit. c. Sicut te h. t. num. 1.* atque diximus, & probavimus supra *Lib. 2. Tit. 22. n. 264.*

6 Limitatur tamen hæc secunda prohibitio, & asseritur, *Primò*, tam Regulares, quam sæculares Clericos posse esse Notarios, aut Tabelliones in causis Fidei pro favore ejusdem, *c. ut officium, 11. a. Ad conscribendas, de Hæretic. in 6.* & ibi Doctores communiter, *Secundò* possunt esse Clerici Notarii Papæ, ac in Curia Romana. Fagnanus *in cit. c. Sicut te h. t. n. 60.* & ibi Barbosa *n. 7.* Nam Papa admittendo, vel officium hoc tribuendo Clericis, videtur eos habilitare ad illud exercendū, *a. l. Idem Ulpianus ff. de Excusat. Tutor*, *Tertiò* possunt Clerici esse Notarii ibi, ubi est consuetudo. Barbosa *l. c. n. 9.* Layman *lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 8. n. 4.* Ratio est quia sola Lege humana prohibitum est Clericis officium Tabellionis, ergo consuetudine id peragere possunt, *arg. c. fin. de Consuetud.*

7 Limitant aliqui, & dicunt Clericum saltem pauperem & Beneficium competens non habentem posse esse Tabellionem in causis Ecclesiasticis, & coram Judice Ecclesiastico. Barbosa *l. c. n. 10.* Abbas *in idem cap. Sicut te h. t. n. 6.* & alii. Verum Glossa *fin in c. cap. Sicut te, h. t.* & ibidem Fagnanus cum communiori aliorū, id negant. Tum quia *in c. Sicut h. t.* indistinctè ac generaliter prohibetur Clericis in Sacris existentibus officium Tabellionis; ergo indistinctè venit intelligendum, *arg. c. quia circa, de Privileg.* Tum quia sola excipitur causa Fidei *cap. Ut officium, de Hæretic.* atqui *exceptio unius firmat regulam in contrarium* per vulgaria; ergo. Hinc observat Fagnanus *loc. cit.* quòd plerique in locis Episcopi pro suis Cancellariis, Actuariis, & Tabellionibus adhibeant Laicos: quamvis alibi etiam adhibeantur Clerici, quod saltem vi consuetudinis fieri potest, juxta dicta *n. præced.*

8 III. Prohibitum est Clericis & Religiosis publicè seu in Scholis, vel Universitatibus publicis Jus Civile & Physicam, id est, Medicinam audire, *c. Non magnopere, 3. & c. fin. h. t.* tum, *ne occasione talis scientiæ, spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur*, ut dicitur *c. 3. h. t.* Tum ut studium Theologiæ, & SS. Canonum magis frequentetur, atque *dilatio sui tentorii loco, funiculos suos faciat longiores, ut si Fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso*, ut dicitur *c. fin. h. t.*

9 Dicitur autem notanter *publicè*; quia privatim, ac domi in camera sua non prohibentur Religiosi, aut Clerici studere Juri Civili, ut habet communior Doctorum, teste Fagnano *in c. fin. h. t. n. 42.* & observat etiam Barbosa *ibid. n. 3.* & alii, præsertim si id faciant pro pleniori intellectu Juris Canonici, ac Theologiæ. Tum quia juxta illud vulgare: *Legista sine Canone valet parum, Canonista sine Lege nihil.* Tum quia *sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur, c. 1. de Novi operis nunt.* Tum quia Civilis scientia est pars Divinæ, unde Leges dicuntur *sacratissimæ, L. 1. ff. de Variis, & extraord. Cognit.* Imò ob has & similes rationes voluit aliqui, quòd Clerici, ac Religiosi etiam publicè in Universitatibus extra Monasterium audire possint jus Civile, Barbosa *in c. fin. h. t. n. 7.* citans alios. Verum contraria opinio de Jure verior est, *arg. c. cap. 3. h. t.* ubi expressè prohibetur, ne Religiosi extra claustra Leges Civiles audiant: nec juvat, si dicas, prohibitionem intelligendam esse, ne *principaliter*, non item ne *secundariò* ad Ecclesiastica magis intelligenda id fiat; quia hic ipse prætextus expressè etiam reprobatur *in c. cap. 3. eod.* ibi: *Ad Ecclesiastica negotia fidelius pertractanda.* Hinc nisi alicubi in Universitate habeatur contraria consuetudo, vel privilegium speciale Apostolicum (quorum alterutrum passim habetur) Religiosi & alii Clerici jus Civile publicè audire non valerent, uti cum aliis benè observat Fagnanus *loc. cit.*

10 Illud probabilius est, Religiosis & Clericis sæcularibus non esse prohibitum Jus Civile, aut Medicinam publicè, aut privatim docere, aut legere Barbosa *loc. c. n. 7.* Abbas *in c. fin. h. t. n. 16.* Pirhing *eod. n. 37* Navarrus *in Manual. cap. 27. n. 176.* contra Hostiensem, Jo. Andream, Sylvestrum, & alios; quia jura *c. 3. & fin. h. t.* tantum loquuntur de *audientibus*; ergo ad docentes aut legentes non sunt extendenda, utpote odiosa, *c. In pœnis, & c. Odia, de R. J. in 6.*

11 IV. Specialiter prohibetur Clericis negotiationem lucri causa exercere, *c. 6. h. t.* ibi: *Sub interminatione anathematis prohibemus, ne Clerici lucri causa negotientur;* quænam autem sub tali negotiatione comprehendantur, & quæ non, vide suprà *T. 1. §. 5. a. n. 126.*

12 V. Specialiter prohibetur Clericis, ne Judicium sanguinis exerceant, aut sententiam sanguinis dictent, proferant, vel executioni sententiæ intersint, & ne quidquam faciant, per quod ad vindictam sanguinis tendatur, uti apertè constat ex Summariis, & textibus *can. Clericis 5. & c. Sententiam 9. h. t.* dicitur namque *c. cap. 5. h. t. Clericis in sacris Ordinibus constitutis &c. Judicium sanguinis agitare non licet. Unde ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas*, & *c. 9. eod. Sententiam sanguinis nullus Clericorum dicat, aut proferat: Sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, intersit. Nec quisquam Clericus litteras dictet, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas.* Concordat *can. Sæpè 29. & can. His a quibus, 30. cau. 23. q. 8.* & *c. Ex litteris, 10. de Excessib. Prælat.* ubi Episcopus ex eo, quod malefactorem in specie occidi consuluerit, suspensioni corporaliter interfuerit, indignus Altaris ministerio fuit judicatus. Ex quibus Juribus Gl. *in c. cap. Clericis V. Aut judicent, & in c. Sententiam V. Sanguinis h. t. & in c. Ex litteris, de Excessib. Prælat. Vers. Corporalem.* Abbas *in c. Sententiam, h. t. n. 2. 3. & 11.* ac alii communiter inferunt, quod Clericus sententiam sanguinis nec dictare, nec scribere, nec ad dandum auxilium, aut consilium præbere, nec executioni sententiæ corporaliter interesse valeat. Ratio est; quia indecens est, ut illi, qui Christi lenitatem ac mansuetudinem specialiter, ac vi status sui exprimere tenentur, sanguinem alienum fundant, aut ad id quoquo modo concurrant, *arg. c. can. Sæpè, & c. His a quibus, cau. 23. q. 8.* aut sanguinis effusioni corporaliter intersint, *c. cap. 9. h. t. & c. Ex litteris, de Excessib. Prælat.*

13 Circa *consilium* tamen, notandum cum Gl. *in c. Ex litteris, de Excessibus, Prælat. Vers. Consuluit*, quòd licèt Clerici etiam interrogati non possint dare consilium, ut quis in specie occidatur, etsi secundùm Jura rectè consulant; possint tamen interrogati in genere respondere dicendo: *Juxta Jura, vel DD. fures sunt suspendendi: incæstuosi cremandi*: vel potest Clericus interroganti exhibere jura & DD.; ut ipse videat, quid Juris, *arg. can. unam 32. cau. 33. q. 8.* quod idem docet Barbosa *in c. cap. Ex litteris, de Excessib. Prælat. n. 5.* Molina *To. 4. Tr. 3. Disp. 74. n. 5.* & alii communiter.

14 Hinc etiam Episcopus, *seu quicunque alius Prælatus, vel Clericus jurisdictionem obtinens temporalem: si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in jurisdictione sua commisso Ballavio suo* (seu Judici) *aut alii cuicunque injungat, ut super hoc veritatem inquirens, justitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet* (nec malè agere) *quamvis ipse Ballavius, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, Justitia mediante. Nam licet, Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cùm jurisdictionem obtinent temporalem) debent, & possunt metu irregularitatis cessante aliis delegare*, uti in terminis statuitur *c. 3. b. t. in 6.*

Potest itaque in tali casu Episcopus, vel alius Clericus jurisdictionem temporalem obtinens, alicui alteri causam quamvis sanguinis delegare, ac mandando dicere, examina causam, facque, & judica, quod Justitia, seu Jura præscribunt. Non autem potest dicere: *mando*, vel *volo*, ut hic malefactor occidatur, etsi juxta Jura mortem promeritus sit. Imò consulit Gl. communiter recepta *in c. cap. 3. b. t. in 6. Vers. Episcopus* ut non specialiter, sed generaliter deleget Laico causas sanguinis, constituendo eundem Judicem sanguinis (Germanis *Vann Richter*) Porrò de corporaliter interessentibus quoque specialiter advertendum, quod infrà *n. 21.* dicetur.

15 VI. Prohibetur, ne Clericus *Ruptuariis* (id est iis, qui præsunt machinis bellicis, quibus rumpuntur muri, ut notat Jo: Andr. *in c. 9 b. t. n. 7.*) vel *ballistariis* sive *sagittariis*, aut *aliis* hujusmodi viris sanguinum præponatur, *c. cap. Sententiam b. t.* Unde non possunt constitui Duces, vel Capitanei militum in bello, uti bene advertit Abbas *in c. cap. 9 b. t.* Quamvis enim Clerici possint interesse bello justo, ac milites ad pugnandum hortari, *can. Ut pridem, 17. cau. 23. q. 8.* tamen non possunt esse belli Duces ordinantes aciem, ac dirigentes tormenta bellica &c. per Jura citata. Abbas *loc. cit.*

16 VII. Prohibetur *ne Chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, aut Sacerdos exerceat, quæ adustionem, vel incisionem inducit, c. cap Sententiam, 9 b. t.* & ibi DD. omnes. Quod etiam specialiter prohibetur Religiosis, *c. Tua nos, 19. de Homicidio*. Ratio est: cum ob periculum erroris, quod tali Chirurgiæ inest, ac dubios curationis eventus, *c. Aures, 7. de Ætate & qualitat.* Tum quia Chirurgia est officium sæculare: ob quam ultimam rationem notat Abbas *in c. cap. Sententiam 9. b. t. n. 21. & 22.* Chirurgiam, sicut & artem Medicinæ exercere, esse absolutè prohibitum Clericis, etsi citra adustionem, ac incisionem illam exerceant, *arg. c. 1. b. t.* Quod etiam clarè desumitur ex *c. cap. Ad aures, de Ætate & qualiter; ac c. Tua nos, 19. de Homicid.* ubi Chirurgiam etiam causa pietatis & charitatis exercere prohibitum narratur. Et de arte Medicinæ ratio ulterior est; quia prohibetur Clericis illius studium, ergò multò magis ejus exercitium. Abbas *l. c. arg. c. Cum quid de R. I. in 6.* & ibi Jo: Andreas, Sanchez *l. Moral. c. 14. n. 15. & seq.* Verumtamen Sanch. *loc. cit.* quem sequitur Pirhing *b. t. n. 17.* atque docet Barbosa *in c. Tua nos de Homic.* Molina, Bonacina, & alii limitant hoc in casu, quo urgente necessitate, & cessante periculo mortis, Clericus artem Chirurgiæ, aut Medicinæ exerceat ex pietate & charitate erga miserabiles personas in defectu aliorum Medicorum, aut Chirurgorum, item si Medici aut Chirurgi præsentes sint minus idonei aut experti: quando autem alii Medici aut Chirurgi periti haberi possunt, nec causa pietatis licebit, *arg. c. cap. Tua nos de Homic.*

17 Quæritur III. Quas pœnas incurrant Clerici aliquod ex recensitis exercentes *Negotium sæculare*? Resp. I. Si quis Minister loci, aut Procurator rerum ipsius Illicitè existat, non defenditur ab ecclesia, quod in suo ministerio aut officio erroneus deprehendatur, *c. 2. b. t.* Si quis verò *procurationem villarum, aut jurisdictiones sæculares sub aliquibus Principibus, aut sæcularibus viris assumere præsumat, ita ut Justitiarius, ab Ecclesiastico ministerio fiat alienus c. sed nec 4. b. t.*

Resp. II. Clerici, si illicitè assumant Tabellionis officium, pœnam privationis Beneficii, quod habent, incurrunt, si moniti non desistant, *c. Sicut te 8. b. t.* ibi: *Per beneficiorum subtractionem interdicas.* 18

Resp. III. Religiosi professi, *si extra Monasterium illicitè* (Juxta dicta *n. 8. & 9.*) *Leges Civiles, vel Medicinam audiunt; & ad claustrum intra duorum mensium spatium non redierint, sicut excommunicati ab omnibus evitentur, & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur. Reversi autem in Choro, mensa, & cæteris, ultimi fratrum existant, & (nisi fortè ex misericordia Sedis Apostolicæ) totius spem promotionis amittant, c. Non magnopere 3. b. t.* Et quidem pœnam Excommunicationis ipso facto incurrunt, uti expressè statuit Honorius III. *c. fin. eod.* ubi etiam ad Archidiaconos, Diaconos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios Clericos Personatus habentes, nec non Presbyteros, Constitutionem *c. cap 3 b. t.* extendit. 19

De pœnis Clericorum, qui negotiationes illicitas exercent, vide *T. 1. §. 5. n. 133.* 20

Resp. IV. Clerici omnes, qui causam, aut judicium sanguinis agitant, ferendo sententiam (ut dictum est suprà *n. 12.*) aut etiam scribunt, dictant, vel consulunt, aut aliquod auxilium præstant, ut quis occidatur, aut mutiletur, vel etiam qui executioni mortis, aut mutilationis corporaliter, & authoritativè præsentes sunt, ipso facto irregulares sunt, possuntque privari Officio, & Beneficio, *c. Clericus 5. b. t. & c. Sententiam 9. eod.* juncto *c. Ex litteris, de Excessib. Prælat.* ac ibi DD., ex quibus tamen Abbas *in c. cap. 9 b. t. in 6* Hostiensis, & alii cum Gl. communiter recepta *in c 9. b. t. Vers. Sanguinis ad fin.* bene advertunt, quod ad hoc, ut quis ob præsentiam corporalem fiat irregularis debeat authoritativè, & judicialiter interesse, & aliquo modo auxilium præstare; consequenter eum qui executioni sanguinis sine ulla cooperatione interest, & præcisè spectatorem agit, non fieri irregularem, quamvis nihilominus illicitè agat, & tanquam contra præceptum SS. Canonum aliàs puniri valeat; nisi specialiter assistens Reo adesset. 21

Resp. V Clericus, aut Religiosus illicitè (juxta dicta *n. 16.*) Chirurgiam exercens, si ex ea mors sequatur, est irregularis, etiamsi sit peritus, & diligens, & hoc fecerit causa pietatis, ita Summarium, & textus *c. Tua nos de Homicid.* Concordat *c. Sententiam b. t.* Pariter irregularis est Clericus, aut Religiosus, qui artem Medicam exercet, aut Medicinam præbet aliis, casu quo perceptis Medicinis mors sequatur, *c. Ad aures de Ætate & qualitat.* ubi nota cum Abbate *in c. 9. b. t. n. 23.* Clericum ac Religiosum incurrere irregularitatem, si post datam Medicinam, vel adhibitam Chirurgiam mors, aut mutilatio sequatur, etsi ipse non fuerit in culpa; quia dedit operam rei illicitæ, ob quam imputatur etiam casus absque alia culpa agentis contingens, *arg. c. cap. Tua nos de Homic.* Quod si tamen mors aut mutilatio non sequatur, irregularis non est Clericus, aut Religiosus exercens Chirurgiam, aut Medicinam: quamvis nihilominus peccet. Abbas, & alii, nisi in casu necessitatis, ac deficientibus aliis Medicis aut Chirurgis, pietatis causa faciat juxta dicta *num. 16.* 22

Atque hæc in Tertium Librum Decretalium dicta sufficiant, cedantque ad Laudem & Gloriam Dei, cui soli Benedictio & Claritas, & Sapientia, & Gratiarum actio, Honor, Virtus, & Fortitudo in sæcula sæculorum,

A M E N.

INDEX

INDEX ALPHABETICUS RERUM ET VERBORUM.

Littera P. *denotat Proœmium*, T. *Titulum*, N. *Numerum*, F. *Folium*.

A

Abbates non possunt consecrare calices. T. 40. num. 43. Fol. 589. Nec benedicere campanas, n. 48 F. eod.
Absens quando dici possit invigilare gregi. T. 4. num. 12. Fol. 34.
Absentes Canonici in quibus casibus debeant vocari ad Capitulum? T. 11. n. 10. F. 181. Et in quibus censeantur præsentes ad lucrandas præsentias. T. 4. n. 185. & seq. F. 57.
Absolutio à pœnis ob violatum Jus Asyli. T. 49. n. 221. F. 545. Potest à solo Papa fieri, ibid. Qui commissionem absolvendi non nisi Episcopis dat, n. 222
Absolutio non valet ante restitutionem, n. 224.
Absolutio ab excommunicatione ob violatam Immunitatem realem, aut personalem, à solo Papa fieri potest. T. 49. n. 291. & seqq. Et quomodo? Alius qui absolvit, est excommunicatus, n. 292. In articulo mortis an, & quando alios absolvere queat? n. 291.
Acceptilatio quid? T. 23. n. 55. F. 333.
Accrescendi Jus quid? & quibus competat? T. 26. num. 355. & seq. F. 426.
Acephalus nemo debet esse. T. 39. n. 16. F. 575.
Acquisibilia privilegio, sunt etiam acquisibilia consuetudine. T. 26. n. 349. F. 398.
Acta ibi esse dicuntur, ubi aliquid fit authoritate Judicis. T. 26. n. 252. F. 387.
Acta Capitularia ut valida sint, sufficit consensus majoris partis Capituli. T. 11. n. 11. F. 181. Dummodo omnes legitimè convocentur, n. 12. Et Capitulariter congregati tractatum habeant, n. 13. Atque duæ partes Capitularium sint præsentes saltem de Jure Civili, n. 14. Quid de hoc Canonistæ? n. 15. & seq. Qualis subscriptio requiratur, quando super actis Capitularibus erigi debet instrumentum? n. 17. & seqq. F. 182. Ad valorem actus Capitularis non requiritur major & sanior pars Capituli, n. 22. & seqq. Limitatur in aliquibus casibus, n. 25. F. eod. Major & sanior Capituli pars quæ? n. 20. F. eod. Et quid possit? n. 24. F. eod. Unus Canonicus potest se opponere & impedire damnum Ecclesiæ, n. 25. & seqq. Major pars, quando scienter eligit indignum, sufficit electio à minori parte celebrata, n. 27. Minor pars in Capitulis quando sufficiat? n. 28. & seq. Contemptus unius valet ad irritandum actum à cæteris factum, n. 31. F. 183. In iis, quæ competunt pluribus ut singulis, requiritur consensus omnium, n. 34. & seqq. Potest Episcopus cum majori parte Capituli statuere, quod quivis Canonicorum teneatur contribuere pro reparatione Ecclesiæ suæ, n. 37. Vel necessitate aut utilitate Collegii, n. 39. & seq. F. 184.
Actio Æstimatoria, seu quanti minoris quid? cui? & contra quos detur? n. 317. Cur detur, si læsio non sit ultra dimidium? n. 318. Qui ignoranter vendidit rem vitiosam, ad id solùm tenetur quantò minoris fuisset res empta, n. 319. Tempus ad actionem redhibitoriam est semestre; Ad æstimatoriam verò annus, n. 320. Quando ob vitium conceditur actio redhibitoria, potest emptor loco illius assumere æstimatoriam, n. 321.
Actio Decimarum. Vide Decimarum actio.
Actio ex commodato quæ? T. 15. num. 38. F. 209. Ex Deposito quæ? T. 16. n. 52. F. 213.
Actio ex conducto. T. 18. n. 81 F. 268.
Actiones ex empto & vendito T. 17. n. 307. & seq. F. 244. Jura emptori concedunt actionem empti ad consequendum ea, quæ ei debet venditor, & huic actionem venditi ad consequenda, quæ ei debet emptor. Ibidem. Actio venditi, seu ex vendito quid? n. 308. Ad quid detur? n. 309. Actio empti, seu ex empto quid? n. 310. F. 245. Ad quæ detur, n. 311.
Actio ex læsione ultrà vel infrà dimidium. Vide læsio ultrà dimidium.
Actionis nomen non est opus in libello exprimere secundùm Canones. T. 14. n. 25. F. 205.
Actio Redhibitoria quid, cui? & contra quos detur? T. 17. n. 302. & seq. & n. 322. F. 246. Non datur nisi vitium sit notabile, & quidem corporis, non animi, n. 314. Contra venditorem, qui ignoranter vendidit rem vitiosam non datur actio redhibitoria, n. 315. F. eod.
Actio agentium non operantur ultra intentionem eorum. T. 5. n. 422. F. 107.
Actus de natura validus, valet in foro interno, etsi à lege irritetur? T. 26. n. 111. F. 370.
Actus si non valet, ut fit, nec valebit ut fieri potest. T. 18. n. 27. F. 272.
Actus voluntariè Jurisdictionis coram quovis Judice fieri potest. T. 26. n. 251. F. 387.
Actus voluntarii quando? & quomodo inducant consuetudinem obligatoriam? T. 30. n. 198. F. 498.
Aditio hæreditatis, adire hæreditatem. Vide *hæreditatis aditio.*
Administrator Episcopi quid? & quid Juris de eo? T. 6. n. 25. & seq. F. 144.
Adulterium unius, an, & quomodo præbeat licentiam innocenti intrandi Religionem? T. 32. n. 26. & seq. F. 537.
Ædificare Ecclesiam quis dicatur? T. 38. n. 7. & seqq. F. 560.
Ædificatio Ecclesiæ. T. 48. n. 2. & seqq. F. 607. Ad ædificandam Ecclesiam requiritur Episcopi consensus, n. 4. Non item ad oratorium privatum, n. 5. Ante ædificationem debet Episcopus per se, vel per alium crucem figere, & primum lapidem ponere, n. 6. requiritur etiam consensus expressus? n. 7. & seq. F. 608. Et competens Dos, exceptis Ecclesiis mendicantium, n. 8. & 10. Quid si absque dote ædificetur Ecclesia? n. 9. Ecclesia in præjudicium alterius præsertim Parochialis Ecclesiæ ædificari nequit, & ideo Parochi citari, & audiri debent, n. 11. Limitatur in erectione novæ Parochiæ, n. 12. F. eod.
Ædificatio Monasteriorum, & aliorum locorum Religiosorum, T. 48. n. 29 & seqq. F. 610. Allegantur Constitutiones Pontificiæ Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. in ædificatione Monasterii observandæ, ib. F. eod. Requiritur ad eam consensus Principis Territorialis, num. 30. Et Episcopi, n. 31. F. 612. Qui ante consensum debet citare, & audire interesse habentes, n. 32. Inter quos est etiam Parochus loci, n. 33. Non potest ædificari Monasterium, vel alius locus Religiosus, nisi in eo velint, & commodè possint duodecim Religiosi habitare & sustentari, n. 34. Appellatio contra ædificationem omnia suspendit, n. 35. Ad eam non est necessarius consensus Papæ extra Italiam; benè tamen in Italia, & Insulis adjacentibus, n. 36. & seqq. Nec est necessarius consensus Capituli, num. 40. F. 614. Si verum præjudicium non adest, potest Episcopus, & tenetur dare consensum etiam invitis aliis Religiosis, ac interesse habentibus, n. 41. Potest Episcopus aliquando dare consensum aliis non citatis, vel non auditis, n. 42.
Ædificationem Monasterii impedire potest solùm præjudicium grave, & quale? T. 48. n. 43. & seqq. F. eod. Diminutio numeri Religiosorum præexistentium an & quando sit sufficiens ad impediendum? n. 44. & præc. F. 615. Præjudicia gravia unde probentur? n. 45. & seq.
Ædificatio Monasterii, aut alterius loci Religiosi, ut ritè fiat, quam formam servare, & quomodo procedere debeat Episcopus? T. 48. n. 49. & seqq. F. eod. Debet, nec potest dare consensum sine gravi causa, n. 50. Debet priùs citare interesse habentes & quomodo? n. 52. Ac eorum gravamina sibi proposita communicare ædificare volentibus, n. 53. Horum verò responsum amplius communicare non debet, sed si opus est, cuivis probationem imponere, n. 54. F. 614. Post appellationem non amplius potest se immiscere, n. 55.
Ædificatio Monasterii, vel alterius loci Religiosi contra formam constitutionis facta, est nulla, nullumque jus habitandi ibidem tribuit. T. 48. n. 56. F. 616. Possunt ab eo Religiosi expelli, n. 57. Nisi jam præscripserint, num. 58. Privilegium speciale Franciscanorum Ibid. Episcopus contra præfatam formam consensum dans, mortaliter peccat, & nulliter agit, n. 59. Pœna Religiosorum gravissima contra debitam formam Monasteria vel domos ædificantium, aut recipientium, n. 60. F. 615.
Æquitatis ratio potius attendi debet, quam stricti juris. T. 14. n. 60. F. 342.
Ætas & senectus ubi non determinatur à Jure, deciditur arbitrio Judicis. T. 32. n. 17. F. 536.
Affectio ad rem an, & quando possit esse causa carius ven-

dendi vel emendi. T.17. n.146. & seq. F.228.
Affectio Beneficiorum quid? Et quid Juris de ea? Vide *Beneficiorum Reservatio ex affectione*.
Agnati & cognati qui? T.20.n.18. F.304. Alearum lusus prohibitus est Clericis. T.1. n.57. F.8.
Allegans propriam turpitudinem non auditur. T.13.n.60.F.202.
Aliena res an, & quando vendi, emique possit? Vide emptio venditio rei alienæ.
Alienatio rerum Ecclesiæ præcipuè quid? Tit.13.n.2. & seqq. F.196. Prohibitum est res immobiles & mobiles pretiosas Ecclesiæ alienare. num.4. & seqq. F.eod. Mobilia & immobilia quæ? n.7. Jura & actiones, quæ alienari prohibeantur? n.8. & seq. Immobilium nomine veniunt etiam servitutes, Jura piscandi, & venandi, &c. n.10. Ac annui redditus. n.11. F.197. Mobilia pretiosa quæ? n.12. Pecunia regulariter non venit nomine immobilium. n.15. Nomine mobilium pretiosorum comprehenditur etiam grex ovium, caprarum, &c. n.16.
Alienationis causæ & Solemnitates. T.13. n.17. F.197. Causa est triplex. n.18. Ecclesiæ necessitas. Ibidem. Utilitas. n.19. Quæ debet esse manifesta. n.20. Et pietas, quæ exemplificatur. n.21. F.eod. Item Incommoditas num.22 Solemnitas requirit tractatum Capitularem prævium. num.23. Consensum Capituli. n.24. Et quidem expressum. n.25. & seqq. Requiritur etiam subscriptio Capituli. num.28. Qualis? n.29. F.198. Item consensus Superioris. n.30. Et (loquendo de Jure) Papæ. n.31. Quid de Consuetudine præsertim in Germania? n.32. Patroni consensus non requiritur. n.33. Exceptis duobus casibus. n.34. Ad alienationem mobilium non pretiosorum & immobilium vilium Solemnitates non requiruntur. n.35. & seqq. Sicut nec ad alienationem necessariam. n.39. F.199. Quæ res in Feudum vel Emphyteusim dari, aut locari possint? num.40. & seqq. Repudiatio rerum Ecclesiæ sine solemnitate an fieri possit? n.40. F.200. Mancipia an possint alienari. n.45. Bona, quæ servando servari non possunt, sine solemnitate alienantur. n.46. & seqq. Quid de Religionibus habentibus speciale Privilegium? n.48. An requiratur solemnitas Juris, si fit alienatio ab una Ecclesia in aliam? n.49. & seq.
Alienationis nullitas, revocatio, actio, & pœnæ. T.13.n.52. & seqq. F.201. Alienatio rerum Ecclesiasticarum non servatis solemnitatibus debitis est nulla. Ibidem. In foro externo, non item interno. n.53. Quid si Ecclesia malit confirmari alienationem? n.54. & seq. Si Ecclesia graviter est læsa per alienationem validam, succurritur ei per restitutionem in integrum. n.56. F.202. Aliter succurritur, si alienatio fuit invalida ob omissas solemnitates Juris, nu.58. & seqq. Res malè alienata potest revocari per Prælatum alienantem, & successorem. n.59. & seq. Imò in horum defectu quivis Clericus agere potest. n.61. Ecclesiæ graviter læsæ qualis competat actio. n.62. & seq. Si assumit unam actionem, cessat altera. n.46. F.eod. Malè alienantium pœna est nullitas actus, & obligatio restituendi. n.65. Item Excommunicatio alienatoris & alterius. n.66. A qua tamen excusat ignorantia. n.67. Referuntur pœnæ aliæ in Extravagante ambitiosæ. n.68. & seq.
Alimentationis & victus nomine quæ veniant? T.38.num.112. F.572.
Altare aliud fixum, aliud portatile, seu mobile. T.40.num.31. F.587.
Altaris consecratio à solo Episcopo fieri potest. T.40. num.32. F.588. Ex privilegio Papæ etiam alius consecrat. n.33. Non item ex consuetudine aut præscriptione. n.34. & seq.
Altare quomodo polluatur? T.40.n.36. F.eod.
Altare quomodo execretur, ita ut nova consecratione indigeat? T.40.n.36. & seq. F.eod.
Altari in portatili extra Monasterium non amplius possunt celebrare Religiosi. T.41.n.5. F.592.
Altare unum non debet discooperiri, ut alterum cooperiatur. T.5 n.111. F.72.
Annatarum nomine quid intelligatur? T.12. num.17. & seqq. F.186. Eas potest exigere Papa. Ibidem, & n.seq. In Germania quales debeantur? n.19. & seq.
Annus Novitiatus. Vide Novitiatus.
Apertum quando fieri dicatur Feudum? T.20.n.159. F.311.
Apostatæ qui dicantur. T.31.n.251. F.531. Obligantur ad omnia, ad quæ existentes in Monasterio. num.152. Apostatarum pœnæ quæ. n.252. & seq. Recipientes vel occultantes apostatam peccant graviter, & sunt excommunicati, n.257. Potestas & obligatio Religionis erga Apostatam, n.258. & seq.
Apostoli fuerunt Religiosi. T.31.n.19. F.501.
Appellatio contra erectionem Monasterii vel loci Religiosorum omnia suspendit. T.48.n.35. F.613.
Appellatio in materia Asyli an concedatur Reo? T.49. n.201. F.643. Et potestati sæculari? n.202. F.643.
Appositio manus Pontificiæ quid? T.5.n.41. F.107. Et quid Juris de ea in Materia Beneficiorum? Vide Beneficiorum Reservatio ex affectione.
Arbitrium Judicis in quibus locum habeat? T.32.n.163. F.520.
Arenarii, & mimi qui. T.26. n.492. F.419.
Arma portare non possunt Clerici. T.1.n.119. & seqq. F.16.
Arrha quid, & quid juris de ea. T.17. n.300. & seqq. F.244.
Artificium quid, permittitur Clericis. T.1. n.132. F.17.
Assassinii Crimen, & Assassinus quid. T 49.n.130. F.634. quandonam privet Asylo, n.131. & seqq.
Asyli jus seu immunitas. Vide Jus Asyli.
Avaritiæ non debent esse dediti Clerici. T.1.n.54. F.7.
Augustinianorum Regula quando incæperit, & qui sub ea militent. T.31.n.37. & seqq. F.510.

B

Baptismalis Ecclesia quæ. T.40. n.103. F.586. Baptismus est Janua omnium Sacramentorum. T.43.n.1. F.598. Sacramenta à non baptizato sacerdote collata, quæ valeant, quæ non, n.2.
Basilianorum Religio quando incæperit? & qui sub ea militent? T.13. n.35. F.199.
Basilica quid? T.48. n.3. F.607.
Beatificare, & Beatificatio quid? T.45. n.4. F.600. Quomodo differat à Canonizare, n.5 Solus Papa potest beatificare, n.6. Non tractatur de Beatificatione ante 40. annos, nec finitur ante centum annos post mortem Servi Dei, n.13. F.601. Neque inchoatur ante instantiam Principum, n.14. Episcopi tamen possunt & solent processum citius incipere, n.15. Et quomodo? Ibid.
Beatus quis sit & dicatur? T.45. n.3. F.599. Beati coli possunt cultu publico & privato, n.17. Et quomodo? Ibidem. Affertur Decretum benè observandum circa cultum Beatorum nondum Canonizatorum, ibid. F.eod.
Benedictinorum Religio quando incæperit? & qui sub ea militent? n.43. & seq. fol.508.
Benedictio Paramentorum Ecclesiasticorum à quo fieri possit? T.40. n.49. F.589.
Beneficium Ecclesiasticum quid. Et quæ requisita ejus. T.5.n.6. F.60 De essentia illius est, ut conferatur in perpetuum, n.9. In illo aliud est officium spirituale, n.10. fol.71. Aliud fructus percipiendi jus, num.11. Aliud fructus ips[illegible] Debet conferri Clerico, n.12. Et exigi auctoritate Ecclesiæ, num 14. & seq. Sine consensu Episcopi est potius pl[illegible]gatum, n.15. & seq. Enarrantur qualitates ad [illegible] requisitæ, n.17. & seq.
Beneficium quotuplex. T.5. n.19. & seq. F.61. Aliud est propriè, aliud impropriè tale. Ibid. Aliud majus, aliud minus, n.20. & seq. Aliud Regulare, aliud sæculare, num.22. Omnia censentur sæcularia, donec Contrarium probetur. n.3. Et quomodo probari possit, n.24. F.eod. Fundata in Ecclesiis Regularium, præsumuntur in dubio Regularia, num.25. & seq. Beneficium rursus aliud est curatum, aliud non curatum, n 28. Curatum aliud est pro foro interno aliud pro foro externo, n.29. Ad Beneficium propriè curatum quæ requirantur, n.30. F.62. Beneficia duplicia quæ, num.31. Dignitas quid, n.33. & seq. Personatus, & Officium quid, n.35. & seq. Beneficia simplicia quæ, num.37. F.eod. Eorum nomine plerumque non veniunt Canonicatus, n.38. Dividitur ulterius Beneficium in electivum, patronatum, collativum, seu liberum, num.39. Patrimoniale, n.40. Monoculum, & non Monoculum, n.41. Consistoriale, n.42. Papæ reservatum, & Beneficium vacans in Curia. Ibidem.
Beneficia affecta quæ, & quid juris de eis. T.5. n.402. & seqq. Fol.106.
Beneficia incorporata. Vide Incorporatio.
Beneficium sub eodem tecto quid. T.5. n.233. F.85. Uniforme quid, n.234. & seqq. Difforme seu dissimile quid, n.238. Et quid Juris de his omnibus, n.232. & seq.
Beneficia Manualia quæ. T.5. num.43. F.63. Possunt dari ex Fundatione, n.44. Sunt ad nutum revocabilia, n.45. F.eod. Episcopus justa de causa cum consensu Patroni potest ex Beneficio perpetuo facere Manuale, n.47. Respectu Papæ censentur omnia Beneficia Manualia, n.48. & seq. Etiam statuto & consuetudine ex Beneficiis perpetuis possunt fieri manualia, n 50. Non tamen econtra, num.51. Manualia propriè Beneficia non sunt, n.52. F.76. Et quid de Ecclesiis incorporatis, n.53. Casus, in quibus nomine Beneficii etiam veniunt Manualia, n.54. & seqq. In impetratione Beneficii facienda est mentio præhabiti Beneficii Manualis, n.56. Canonia, Vicariatus, Commenda, Præstimonium, ac Pensio an veniant nomi-

nomine Beneficii Ecclesiastici. Vide in suis locis. Item à n.57. Fol.67.
Beneficiorum Collatio tribus potissimùm modis fit. T 5. n.123. F.73. Nonnumquam & aliis modis, n 124. Quæ requirantur ad legitimam Collationem, num.125. Debet esse Canonica, n.126. Ac Juxta formam à jure communi, aut consuetudine præscriptam, n.127. Debet fieri gratis, n.128. F.74. ac purè sine pacto & conditione, n.129. Ac sine subreptione, n.130. Atque tempore debito, n.131. Quibus conferenda sint Beneficia? n.132. & seqq.
Beneficiorum Collatio per concursum. T.5. num.134. & seqq. Fol.74. Beneficia simplicia non conferuntur per concursum, num.135. Quænam præscribantur circa concursum à Concilio Tridentino, num.137. & seqq. Fol.75. Dantur Beneficia curata, quæ conferuntur sine concursu, num. 141. & seqq. Ut Parochiæ pauperes. Ibidem. Vicariæ perpetuæ unitæ aliis Ecclesiis vel Monasteriis, num.142. & seq. Item dignitates, num.144. & seq. Parochiæ in causa permutationum, num. 146. F.76. Et Juris Patronatus Laicalis, num.147. & 149. Enarrantur & alii casus. Ibidem. Cæterum Provisiones Parochiarum contra præscriptam formam sunt irritæ, num. 148. & seqq.
Beneficia conferendi potestas respectu Papæ, ejusque Legati. T.5. n.150. & seqq. F.eod. Papa potest conferre Beneficia totius mundi. Ibid. Confert illa tribus potissimum modis, n.151. & seqq. Scilicet jure præventionis per gratiam Exspectativam, n.152. & seq. F.eod. Jure concursus, num.154. & seq. Et Jure devolutionis, num.157. Devolutio Beneficiorum quomodo fiat usque ad Papam? n 158. & seqq. Mandatum Apostolicum super Collatione Beneficiorum quid? & quotuplex? n.167. & seqq F.78. Continet subinde gratiam factam, quandoque faciendam, quandoque exspectativam, num.168. Enarrantur varii modi, quibus Beneficia confert Papa, n.167. & seqq. Legatus Apostolicus quænam beneficia conferre, vel sibi reservare possit? n.174. F.eod.
Beneficiorum Collatio respectu Episcopi, Capituli Sede vacante, Vicarii Generalis, & Collegii. T.5. n.175. & seqq. F.79. Episcopus in propria Diœcesi est ordinarius Collator Beneficiorum, ibid. Ita ut habeat fundatam intentionem, num.177. F.eod. Exceptis Beneficiis electivis, num.178. Capitulum Sede vacante an possit conferre Beneficium? num.179. & seqq. Nequit conferre Beneficia, quæ pertinent ad solam Collationem Episcopi, ibid. & num.181. Negligente tamen in vivis Episcopo confert Beneficium Jure devolutionis; non item Sede vacante, nu.182. & seqq. Quando Collatio beneficii communiter pertinet ad Episcopum, & Capitulum, mortuo, vel [illegible] facto Episcopo confert Capitulum, num.182. F.eod. Et [illegible], num.187. Secus quando Collatio Beneficii spectat ad solum Episcopum, num.188. Capitulum Sede vacante potest confirmare, aut infirmare electiones, ac præsentatos à Patronis instituere, num.189. & seq. An possit recipere resignationes Beneficiorum? num.191. & seqq. Illorum beneficiorum resignationes potest rec[illegible], quorum collatio ad ipsum pertinet, n.195. Item resign[illegible] ex causa necessaria, n.196. Vicarius Generalis sine speciali [illegible]ione non potest conferre beneficia, n.197. F.81. B[illegible]entatos instituere, nu.198. A quo & quomodo [illegible] præsentatio spectante Jure repræsentandi ad Prælatum, & Capitulum? n.199. & seq.
Beneficiorum diminutio quot modis fiat? [illegible] beneficiorum.
Beneficiorum Dismembratio. Vide dismembratio beneficiorum.
Beneficiorum Divisio. Vide Divisio beneficiorum.
Beneficiorum Erectio, & qualitates in fundatione appositæ. T.5. num.99. F.71. Beneficium debet erigi ad cultum Divinum sub onere præstandi officium spirituale, ibidem. Ad ejus erectionem requiritur congruentia Dotis, num.100. Quæ debet examinari per Episcopum, num.101. F.eod ad erectionem beneficii requiritur expressus consensus Episcopi, num.102. Qui ubi adest, censentur omnia ritè facta, num.103. & seq. Fundator beneficii potest in fundatione adjicere qualitates pro Libitu, num.105. & 350. Quæ debent observari, num.106. & seq. Dummodo non sint turpes, num.108. & seq. F.71. Conditio honesta in limine fundationis apposita debet servari, etsi sit contraria Juri communi, num.110. Conditiones in Fundatione appositas successor non potest alterare, num.111 Benè tamen ipse Fundator, num.112. Sed non in præjudicium Ecclesiæ, aut Juris tertio quæsiti, num.113. Missarum numerus in Fundatione impositus, an? & quando possit reduci? n.114. & seqq. Per Clausulas generales derogatorias non censetur derogari qualitatibus in fundatione positis, num.117. & seqq. F.72. Per clausulam *non obstantibus Fundationibus* derogatur fundationi Clericorum, non tamen Laicorum, num.121. & seq. F.73.
Beneficiorum Permutatio an, & quomodo fieri possit, ac debeat? T.19.n.25. & seq. F.205.
Beneficiorum Pluralitas & Incompatibilitas. T.5. num.201. & seqq. F.82. Pluralitas est prohibita, ibidem. Enumerantur inconvenientia ex Pluralitate beneficiorum sequentia, n.202. Dantur & enumerantur casus, in quibus licitum est habere plura beneficia simul, n.203. & seqq. F.eod. Ultra duo beneficia Episcopus eidem conferre non potest, n.206. Ecclesiæ Cathedrali vel Collegiatæ pauperi potest Episcopus unire beneficium simplex, n.107. Curato beneficio pauperi unire aliud curatum, n.208. An possit cum beneficiis in Titulum, alterum haberi in Commendam? n.209. F.83. Vi consuetudinis potest in eadem Ecclesia cum Canonicatu obtineri dignitas, Personatus, &c. n.210. Non tamen triplex, n.211. Incompatibilitas beneficiorum oritur ex duplici capite, n.212. Videlicet ex ipsa natura beneficii, n.213. Vel quando unum eorum ad honestam sustentationem sufficit, n.214. & seqq. Nulla consuetudo etiam immemorialis facit licitam retentionem plurium beneficiorum quorum unum ad honestam sustentationem sufficit, num.216 F.eod. Et cur nihilominus plura beneficia passim conferantur, & retineantur? num.217. Neque dispensatione Papali potest quis recipere beneficium aliud, si prius jam habet sufficiens, num.218. Nisi subsit justa causa dispensandi, num.219. F.84. Quandonam beneficium censeatur sufficiens ad honestam sustentationem, num.221. Relinquitur subinde Judicis arbitrio pro foro externo, n.223. & seqq. Pro foro interno autem cujusvis conscientiæ, num.225. F.85. In computationem sufficientiæ beneficii veniunt etiam Distributiones quotidianæ, num.226. Non tamen Patrimonialia, n.227.
Beneficia de se compatibilia quæ? n.228. Referuntur exempla, n.229. & seq.
Beneficia de se incompatibilia quæ? n.231. & seq.
Beneficia difformia seu dissimilia possunt simul retineri, quando unum non sufficit ad sustentationem, num.238. & seq. Non item beneficia uniformia sub eodem tecto, numer.240. F.86. Nec juvat ad hoc consuetudo, num.241. Nec dispensatio Episcopi, num.243. Dispensatos à Papa ad habenda duo beneficia nequit habere duo uniformia in eadem Ecclesia, num.244.
Beneficiorum pluralitas ex dispensatione Pontificis potest esse licita. T.5. n.245. & seq. F.87. Si Papa dispensat motu proprio, præsupponitur justa causa, n.246. Causæ legitimè dispensandi in pluralitate Beneficiorum sunt tres, & quæ? num. 247. & seq. Talis non est propositum erogandi superfluos reditus in pias causas, num.249. Dispensatio super beneficiis est strictè interpretanda, n.250. & seq. Impetrata pro obtinendis duobus beneficiis intelligenda est solùm de duobus posteà collatis, n.252. F.88. Debet hujus dispensationis fieri mentio in alterius dispensationis impetratione, n.253. Quid de clausula: *non obstante, quòd aliud Beneficium obtinere nosceris*, n.254. & seq. Dispensatus super pluralitate beneficiorum censetur etiam dispensatus super necessariò connexis, n.256. taciturnitas beneficii præhabiti vitiat dispensationem, n.277. Et quævis Rescripta ad beneficia, ibid. Nequit Episcopus dispensare super pluralitate beneficiorum curatorum, vel dignitatum aut personatuum, n.258 & seqq F.eod. Et cur? n.262. Excipitur tamen casus magnæ necessitatis, num.264. Potest etiam Episcopus ob tenuitatem redditüum dispensare, ut quis duo habeat beneficia, n.265. & seq. Non item ut habeat tria, n.267. & seq. F.89. Nisi adsit legitima consuetudo in contrarium, num.272. F.90. Vel si Episcopus conferat tertium, ut unum ex prioribus dimittatur, n.273.
Beneficiorum Pluralitas per consuetudinem non valet in Curatis. T.5. n.274. & seq. F.eod. Et quid in Canonicatibus, & aliis beneficiis? n.275. & seqq.
Beneficiorum Reservatio in genere quid? T.5.num.378. & seq. F.102. Beneficium Reservatum quid? n.380. & seq. Alia est specialis, aut generalis, n.381. Alia fit apposito Decreto irritante, alia simpliciter, num.382. Discrimen inter utramque, n.383. & seq. Quædam Beneficia cur reservet Papa? n.386. & seq. F.103. Reservatio beneficiorum an sit favorabilis, vel odiosa, n.388. & seq. Dantur beneficia aliqua, quæ sub reservationibus generalibus, absque speciali eorum mentione non comprehenduntur, n.393. F.104. Enumerantur plura, n.394. & seqq. F.eod. Reservationes beneficiorum præter ea, quæ habentur in propriis concordatis, cessant in Gallia & Germania, n.400. F.105. Beneficia electiva non comprehenduntur sub generali reservatione, n.403. & seq.
Beneficiorum Reservatio ex affectione per appositionem manus Papæ, T.5. n.407. & seq. F.106.

Bene-

Beneficia affecta per appositionem manus quæ? Ibidem. An & quomodo differant ab aliis reservatis beneficiis? n.408. & seqq. Appositio manus Pontificiæ, quid? n.413. Per eam ligantur manus inferiorum, num.414. & seqq. F.107. Contingit multis modis, num. 415. Et à num. 410. Ut si Papa alicui dat beneficium in Commendam, vel in eo ponit Administratorem, n.416. Vel dat mandatum de providendo super certo beneficio, n.417 Vel de eo dimittendo, n.416. Item si recipit renunciationem beneficii, n.419. Vel jure præventionis illud concedit sed invalidè, n.420. & n.410. Regula, quòd appositio manus Papæ ligat manus inferiorum plures patitur limitationes, n.421. & seqq. F.107. Nempe quando Papa apponit manum ad alium effectum, quàm conferendi beneficium, n.422. Vel quando narrabatur beneficium esse reservatum, & non erat, n.423. Item si est beneficium Juris Patronatus Laicalis, n.424. Utrùm ex appositione manus Papæ afficiantur & reserventur beneficia in præjudicium concordatorum, v.gr. Germaniæ, Franciæ? n.425. & seqq. Præsertim an procedat in beneficiis, quæ vacant in mensibus Pontificiis, num.427. & seqq. F.108.

Beneficiorum Reservatio, quæ vacant apud Sedem, vel in curia aut alias Pontifici sunt reservata. T.5. n.433. & seqq. F.110. Vacare beneficium seu vacatio beneficii apud Sedem Apostolicam vel in Curia quid? Ibidem. Est antiquissima Reservatio, n.436. F.eod. Olim ex mera consuetudine observabatur, n.437. & seqq. Beneficia apud Sedem vacantia possunt post lapsum unius Mensis conferri per inferiores, num.439. Quomodo hic mensis computandus, n.440. & seq. Papa etiam post mensem potest conferre beneficium vacans in Curia, si res adhuc est integra, num.442. F.111. In aliis beneficiis Collationi Papæ reservatis, nullum tempus est à Jure præfixum Papæ ad conferendum, num.433. Exceptis duobus casibus, n.444. & seqq. Quid juris de Reservatione vacantium in Curia *juxta, c. præsenti de præbend. in* 6. n.447. & seqq. F.112. Curia Romana ubinam censeatur existere? n.451. & seqq. Enarrantur alia beneficia, quæ spectato jure communi sunt Papæ reservata; n.454. & seqq. F.113. Inter alia sunt Parochiæ collatæ non servata forma Concilii Tridentini, n.468. F.114 Item vacantia ob crimen hæresis, n.470. Et alia nonnulla; Ibid. ac num. seqq. Beneficia Iuris Patronatus Laicalis non continentur in generali reservatione aut unione beneficiorum: T.38. n.63. & seq. F.566.

Beneficia sæcularia sæcularibus, & Regularia Regularibus sunt conferenda. T.37. n.6. F.556.

Beneficii Suppressio.
Vide *Suppressio Beneficiorum*.

Beneficiorum vacatio per assecutionem alterius, quomodo statuta? T.5. n.272. & seqq. F.90. Ad propositum quinque tempora sunt observanda, n.278. & seqq. Beneficia incompatibilia primi & secundi generis, n.286. F.92. Collatio secundi beneficii incompatibilis est valida, n.287. & seqq. Utpote tantum prohibita quoad effectum retinendi utrumque, n.289. & seq. Ante Concilium Tridentinum quomodo vacabat beneficium per assecutionem alterius, num.291. & seq. Et quomodo post Concilium? n.293. & seqq. F.93. Beneficium sufficiens ad honestam sustentationem vacat per adeptionem alterius etiam de se insufficientis, n.297. Secùs si primum est insufficiens, licèt, alterum de se sit sufficiens, n.298 F.eod. Idque probatur variè, n.298. & seqq. Per receptionem tertii beneficii incompatibilis vacant ipso jure omnia priora etiam ex dispensatione antea obtenta, n.305. & seqq. F.94. Nisi adsit dispensatio super illis simul retinendis, n.308. & seqq. Retinens secundum beneficium una cum primo incompatibili privatur utroque, n.314. & seqq. F.95.

Beneficiorum vacatio ipso Jure quæ requirat. T.5. num.318. & seqq. F.96. Requiritur ad eam vera assecutio atque possessio alterius. Ibid. Et quidem pacifica, n.319. & seq. Non vacat prius beneficium per receptionem alterius, quando fructus istius ex causa alius percipit, n.321. & seqq. Nisi per provisum steterit quo minus fructus habeat. n.322. Beneficia prius habita, quando vacent per promotionem ad Episcopatum, n.323. & seqq. Et quid de Episcopis Titularibus, num.325. F.97. Post assecutionem secundi beneficii incompatibilis debet prius statim dimitti, n.326. & seqq. Et quidem pure ac simpliciter, non verò ex causa permutationis neque in favorem tertii, &c. num.330. & seq. In casu recepti beneficii incompatibilis liberè potest, ac debet conferre prius intra sex menses, n.332. & seq. F.97. Et quid si conferre distulerit, n.334. & seq. Accipiens prius beneficium non potest induci in possessionem priore possessore irrequisito, num.336. & seqq. Nam vacatio ipso jure est intelligenda quoad Titulum, non quoad possessionem, num.338. F.98. In praxi quid agendum illi, cui prius beneficium collatum est? num. 339. Et quid de vacantium dimissione ac Collatione? Ibidem.

Beneficiorum vacantia ipso Jure modis variis contingit, inspecie per sententiam. T.5. n 341. & seq. F.99. Nullo crimine, ipso Jure vacat beneficium nisi reperiatur in Jure expressum, n.342. Enumerantur triginta vel plures modi in quibus beneficia ipso Jure vacant, n.343. *Usque ad* num.367. Obtinentes plura beneficia incompatibilia tenentur Ordinariis exhibere dispensationes, n.348. & seq. F.eod. Non excusantur ob longam possessionem. Ibid. Vacatio beneficii ipso Jure in pœnam criminis ante sententiam declaratoriam regulariter non obligat in conscientiam, n.368. F.101. Per sententiam amittitur beneficium, quando sententia condemnatoria requiritur post crimen, n.369. F. eod. Privatio beneficiorum non est imponenda nisi in casibus à Jure expressis, n.370. Vacatio beneficii ipso Jure, & per sententiam differunt multipliciter. Et quomodo? n.371. & seqq. Privatus ipso Jure non potest beneficium resignare, permutare &c. Secus si eodem privandus venit per sententiam, n.376. F.102.

Beneficium vacans in mense Ordinarii, potest conferri in mense Pontificio. T.5. n.308. F.127.

Beneficii non vacantis concessio ac promissio. T.8. num.18. & seqq. F.160.

Beneficii unio.
Vide *Unio Beneficiorum*.

Beneficia debent sine diminutione conferri. T.12. num.2. & seqq. F.184.

Beneficium excussionis seu Ordinis quid? T.22. num.50. F.325. Quibus & quando competat? Ibidem. Beneficium divisionis quid? cui & quando competat? num.57. & seqq. Beneficium cedendarum actionum cui, & quando competat, num.61. & seqq. F.326. Beneficium liberationis quid? cui? & quando competat? n.65 & seqq.

Bigami sunt nudati omni Privilegio Clericali. T.3. num.23. F.29.

Bona Clericorum patrimonialia, quasi patrimonialia, seu industrialia, personalia, & Ecclesiastica, quid? T.25. num. 3. & seqq. F.344. An horum dominium habeant Clerici, n.13. F.345.

Bonum commune privato præferendum est. T.19. num.39. F.296.

Bonorum Ecclesiasticorum superfluorum dominium an habeant Clerici? gravis est controversia. T.25. num.22. F.346. Affirmativam tenent plures, & probare nituntur variis modis num 23. & seqq. Statuitur sententia negativa, [illegible] probatur per Doctores, rationes, & Jura, n.30. & seq. F.347. Quare tolleretur, & non rescindantur contractus Clericorum de bonis superfluis facti? num.46. F.349. Bonorum Ecclesiasticorum superfluorum Dominus est Christus, num.47. & seqq. Bona Ecclesiastica quare vocantur patrimonia pauperum, & dicantur pertinere ad jus Sacerdotum vel Ecclesiæ? num.49.

Bona Ecclesiastica superflua in causas pias erogandi Obligatio summa incumbit Clericis. T.25. n.51. F.350. Et quidem de Jure Divino, n.53. Consuetudo erogandi superflua in causas profanas illicita, & invalida est, num.54. Clerici probabilius tenentur bona superflua erogare in causas pias ex virtute Justitiæ, num.55. & seqq. Non ex Charitate, num.57. Nec ex virtute Religionis; num.58. F.351. Probatur ulteriùs, quod ex virtute [illegible] tenentur, num.59. & seqq. Quando pauperes in gravi [illegible] necessitate existunt, debent iis, præ cæteris [illegible] superflua erogare, n.67. & seq. F.353. Doctrina [illegible] contra Clericos, bona superflua in futurum reservantes, n.70. Inter pauperes quinam sunt præferendi? num.71. F.354. Clerici non possunt de bonis Ecclesiasticis superfluis pauperes, sive Consanguineos sive alios ditare, vel ad majorem statum exaltare; n.72. Cæteris paribus potius Ecclesiæ propriæ, quam aliis piis locis superflua relinquere debet Clericus, n.73 Error aliquorum circa hoc, num.74. Si Ecclesia propria non indiget, rectè aliis piis locis egentibus superflua dantur, num.75.

Brevis Apostolici variæ formæ.
Vide *Mandatum Apostolicum*.

Bullarum variæ formæ.
Vide *Mandatum Apostolicum*.

Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex* de Immunitate. T.49. n.274. F.653. Item Gregorii XIV. de Jure Asyli.

Calix

C

CAlix à solo Episcopo consecrari potest. T.40. n.41. F.589. Non item ab Abbate aliquo, n.43.

Calix & patena, si franguntur, execrantur, & indigent nova consecratione, n.44. Non item si usu inaurationem perdunt, n.45. F.589. Neque si de novo inaurantur, n.46.

Camaldulensis Ordinis initium. T.31. n.44. F.504.

Campanas solus Episcopus benedicere potest. T.40. num.48. F.589.

Canon annuus quid. T.18. n.125. F.274. Potest esse magnus vel parvus, n.152. F.277.

Canon annuus an, & quomodo augere possit à Domino directo. T.18. n.204. & seqq. F.283

Canonem annuum quomodo solvere debeat Emphyteuta, & quando eum remittere teneatur Dominus.
Vide *Emphyteutæ obligatio*.

Canon annuus non solus quando & quomodo privet emphyteusi. T.18. n.191 & seqq. F.282.

Canonicatus & canonia quid. T.5. n.57. F.67. Quale jus importet, n.58. & seqq.

Canonicatus sine præbenda an dari possit, num. 60. & seqq. Quid si expectatione Præbendæ confertur: num.62. & seqq. Simplex canonia præbet Jus ad beneficium postea consequendum, n.64.

Canonicatus plerumque non venit nomine beneficii simplicis? T.5. n.38. F.64.

Canonicatus Germaniæ plures an, & quando retineri possint? T.6. n.229. F.85.

Canonici tenentur inservire Episcopo. T.4. num.152. & seqq. F.52. An, & quomodo ita inservientes lucrentur fructus? num.149.

Canonicorum Cathedralium, & Collegiatarum Residentia.
Vide *Residentia Canonicorum*.

Canonizare quid. T.45. n.4. F.600. Potest solus Papa, num.6. Olim poterant Episcopi, n.7.

Canonizatio quid. T 45. n.4. & 12. F.601. In canonizatione Sanctorum Papa non potest errare, num.8. Ad eam requiruntur probitas vitæ, & miracula, num.9. F.600. Ante & post mortem, num.10. Exceptis Martyribus, num.11. Non tractatur de ea ante lapsum 40. annorum, num. 12. Nec finitur ante centum annos post mortem Servi Dei, num.13. Neque inchoatur ante instantiam Principum, n.14. Quamvis possint, & soleant Episcopi processum citius inchoare, & quomodo, Ibidem.

Capella Monachorum quid. T.26. n.1. F.556.

Capellania quid? T.5. num.71. F.68. Sine auctoritate Episcopi erecta non est Beneficium, num.72. Nec quid spirituale, Ibidem.

Capitatio quid. T.39. n.38. F.578.

Capituli potestas quoad Collationem Beneficiorum, & resignationes eorundem.
Vide *Beneficiorum Collatio respectu Episcopi*, &c.

Capituli Jurisdictio & Potestas Sede vacante. T.9. n.17. & seq. F.166. Competit etiam Collegiis inferioris Ecclesiæ, num. 18. F.eod. Atque Conventibus Regularium, num. 19. Excepta Beneficiorum Receptione, & aliis, num.20. Regula, *Capitulum Sede vacante succedit in Jurisdictione Episcopi*, variè à Doctoribus explicatur, & defenditur, num.21. & seq. Capitulum Sede vacante non succedit in collatione Beneficiorum ad solum Episcopum pertinente, num.30. F.168. Neque potest res Ecclesiæ vacantis alienare, num.31. Exceptis, quæ servando servari non possunt, n.32. Atque excepto casu magnæ necessitatis, n.33. F.eod. An, & quando valeat contractus per Capitulum Sede vacante initus de rebus Ecclesiæ, n.34 & 35.

Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in illis, quæ Jure duntaxat speciali habeat, num.42. & seqq. F.169. ac n.56. F.170. Vel ex delegatione, num.44. F.eod. Etiamsi delegatio fiat à canone vel ex Generali Delegatione Sedis Apostolicæ, num.45. Exemplificatur, n.46. Secus est, ubi quid delegatur Episcopo sub clausula, *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegato*, num 47. F.eod. Quid in casu urgentis necessitatis, n.48. In casibus, in quibus potest Episcopus dispensare Jure ordinario, potest etiam capitulum Sede vacante, ejusque Vicarius capitularis, num.49. Exemplificatur, n.50. & seq. Tres generatim sunt species casuum, in quibus Capitulum Sede vacante succedit, vel non succedit, num.59. F 171. Potest & debet constituere vicarium in spiritualibus, & œconomum in temporalibus, num.60. Potestas cujusvis, num.61. F.171. Sede vacante potest capitulum ejusque Vicarius absolvere à sententia excommunicationis. num.62. Ferre Censuras num.63. Absolvere a casibus Episcopo reservatis, n.64. Confirmare electiones, atque Præsentatos instituere. num.65. Facere salutares Constitutiones, num.66. Visitare Diœcesin, num.67. & seqq. Assistere Matrimonio celebrando, numer.70. F.172. Exigere rationem ab Administratoribus locorum piorum, num.71. Ac etiam exercere, quæ sunt Ordinis Episcopalis, & quo modo, num.72. Non tamen potest dare litteras dimissoriales ad Ordines infra annum, num.73. Neque deducere Jura Episcopi in Judicium, n.74. Nec supprimere Præbendas, nec unire beneficia ob tenuitatem redituum Ecclesiarum Cathedralium, num.75. Nec concedere litteras commendatitias, quibus Clericus absolvitur a potestate sui Episcopi, num.76. An possit dare Indulgentias, n.79. & seq. F.eod. Non potest ferre interdictum locale, n.41. Fol.169. An possit contra statuta, & condita aliquando revocare, n.42.

Capituli Consensus & Consilium.
Vide *Consensus & Consilium Capituli*.

Capitulum & ejus convocatio. T.11 n.2. F.180.

Capitulum quid? T.11. num.1. F.eod. Ejus nomine non venit Prælatus, Episcopus vel Abbas, benè tamen Decanus, n.5. F.eod. Ad capitulum non admittitur nisi sit Diaconus, num.3. F.eod. Et canonicus, n.4.

Capituli convocatio pertinet ad præsidem ipsius, præsertim decanum, num.7. F.181. Quinam convocandi ad capitulum extraordinarium & Ordinarium, n.8. Legitimè citatus si abest à capitulo, non invalidat acta capitularia, n.9. Ordinariè non licet abesse a capitulo, Ibid.

Capucinorum origo. T.31. n.52. F.505.

Capucii controversia inter Franciscanos & capucinos est sublata. T.31. n.52. F.eod.

Casus occultus fortuitus qualiter probetur? Tit. 16. num. 48. F.213.

Cathedraticum quid, & unde. T.39. num.10. F.575. Ad illud tenentur omnes Ecclesiæ sæculares, num.11. Non item Regulares, num. 12. Benè tamen sæcularibus Regularibus incorporatæ, num 13. Quantitas Cathedratici desumitur à consuetudine loci, n.14. F.575. In qua moneta & quo tempore solvendum sit, n.15.

Cathedraticum præscriptione penitus tolli non potest, num.16. & seqq.

Causa cessante cessat effectus. T.27. n.53. F.456.

Causæ piæ nomine quæ veniat? T.25. num.66. F 352. Et T.26. n.137. F 373. An, & à quo mutari possint? T.26. num.800. & seqq. F.448.

Cautio quid, & quotuplex, alia simplex, & quæ. T.21. num.92. F.319. Alia idonea, seu sufficiens, quæ dividitur in satisdatoriam, & pignoratitiam, n.84. & seq. Cautio Juratoria quid, & quando fiat, n.95.

Cedere bonis suis quinam & quando debeant? T.23. n.5. & seq. F.328.

Cedere & venire in diem, quid sit? T.26. numer. 680. Fol. 435.

Celebratio Missæ regulari debet juxta Decretum Urbani VIII. citatum. T.41. num.30. Fol.596. Et Clementis XI. citatum. T.41. num.5. F.592. Reliqua v. in verbo *Missæ Sacrificium*.

Census variè accipitur. T.39. n.2. F.574. Ecclesiasticus quid, n.3. Et quotuplex, n.4. Quinam & qualem imponere possit censum Ecclesiasticum, n.5. & seqq.

Certus qui est, certiorari ulterius non debet. T.38. num. 90. F.569.

Chartusianorum Origo. T.31. n.54. F.505.

Choreas ducere, & spectare prohibentur Clerici. T.1. n.142. Fol. 16.

Chorus Regularium quando sit de Clausura. T.35. numer.27 F.547.

Chirurgiam exercere, quomodo Clericis prohibitum. T.50. n.16. & 22. F.662.

Christianorum duo sunt genera, & quæ? T.1. n.3. F.1.

Chrysma ad usus profanos, & temerarios applicari non debet. T.44. n.1. F.599.

Cisterciensis Ordinis initium. T.31. n.45. F.478.

Citatio Clericorum non residentium qualis esse debeat. T.4. n.22. F.40.

Clarissarum Origo. T.31. n.54. F.505.

Clausula, *non obstante, quòd aliud Beneficium obtinere nescatis*, quid operetur? T.5. n.255. F.88.

Clausula *ex nunc prout ex tunc*, quid operetur? T.6. num. 63. F.147.

Clau-

Clausula *motu proprio* tollit subreptionem. T 8. numer. 14. F. 142.

Clausula amoto quolibet detentore quid operetur. T.8. nu.15. F.eod.

Clausura Monasterii quid. T.35. n.26. F.547. Et quæ veniant ejus nomine, n.27.

Clausura Monialium quo ad egressum. T.35. n.28. F.547. Moniales gravissimè probibentur egredi è Monasterio, Ibid. Incendium tamen & morbus communitati periculosus sunt causa egrediendi, n.29. Sicuti & aliæ causæ his similes, num.30. & seq. Infirmitas uni tantùm Moniali periculosa est causa egrediendi, n.32. & seqq. F.548. Illatio practica de balneis, n.35. F.eod. Causam egrediendi è Clausura approbare & licentiam dare pertinet ad Episcopum, num.36. Etiam in Monasteriis exemptis, n.37.

Clausura Monialium quo ad ingressum. T.35. num.38. F.549. Eam ingredi nemo potest. Ibid. Exceptis infantibus; non item adultis amentibus, num.39. Dissuadetur infantium admissio ad clausuram, num.40. Puellæ possunt educationis causa clausuram ingredi cum certis conditionibus, num.41. F eod. Ac etiam Regiæ personæ, num.42. & seqq. Cum Comitatu honesto solito, num.44. Quænam personæ in tali comitatu admitti possint, n.45. & seqq. Est attendenda consuetudo loci, ac Monasterii, n.46. Præsertim in personis extraneis ad comitatum non pertinentibus, num. 47. Quid Juris, si plures Personæ Principes simul ingrediuntur, num.48. F.550. Electores & Principes R.I. licitè ingrediuntur Clausuram, num.49 Monitum pro Superioribus, num.50. Fundatores non possunt ingredi clausuram, num.51. In personis non privilegiatis requiritur moralis necessitas ad ingrediendum, n.52. F.550. Enumerantur plures similes necessitates, num.53. & seqq. Confessarii Monialium quibus casibus possint ingredi, num.55. Et ibidem celebrare Missam, num.56. Ad ingrediendam clausuram requiritur licentia a superiore, nu.57. & cujus. Ibidem. Debet esse in scriptis obtenta, num.58. F.551. Nisi adsit repentina necessitas, num.59. Vel casus ordinarius Medici v.g. Chirurgi &c. num.60. Episcopus & superiores nec aliis licentiam dare nec ipsi intrare valent clausuram extra casum necessitatis, num.61. & seq. Inter casus necessarios est causa visitandi, non item induendi Novitiam, vel electiones celebrandi, num.63. & seqq. F.552. Licitè ingrediens quamdiu in clausura manere possit, n.65. Circa clausuram Monialium potest attendi consuetudo; quæ tamen si incipit esse præjudiciosa debet tolli per Episcopum, num.66. ac superiores Ordinis: Quomodo, n.67.

Clausura Monasterii virorum in quo consistat. T.35. num.68. F.552. Religiosus sine licentia Superioris expressa vel interpretativa non potest exire è Monasterio, num.78. & seqq. Exiens sine licentia non peccat mortaliter, n.69. Mulier Monasterium virorum prætextu privilegii ingredi, vel in illud admitti non potest, num.71. Mulier quævis etiam absque prætextu Privilegii ingrediens Monasterium Virorum, peccat, & pœnas incurrit, num.72. & seq. F.553. Excepto casu processionis sepulturæ, vel officii divini, n.74. Excipiuntur etiam Principes Personæ, n. 78. F.554. Quando peccent Religiosi comitando illicitè ingressas mulieres, vel cum eis confabulando, num.78.

Clericorum nomen unde. T.1.n.2. F.1. Et qui sint num.3. Nomen eorum bifariam accipitur, & quomodo, num. 10. In materia favorabili nomine clericorum veniunt infimi, & summi: etiam Monachi & Moniales, num.11. & seqq. In materia odiosa nomine Clericorum non veniunt Episcopi, num.14. & seqq. Neque canonici & alii in dignitate constituti, num.18. Neque Religiosi utriusque sexus, nisi exprimantur, num.19. Eremitæ an & quando veniant nomine clericorum, num.20. & seqq.

Clericorum dignitas. T.1. n.4. F.1.

Clericatus est dignitas & honor, n.4.

Clerici meritò specialibus privilegiis & prærogativis supra Laicos honorantur, n.5. Sunt Patres & Magistri populi: imò Regum & Principum, n.6. Eorum dignitati nulla sæcularis est similis, n.7.

Clericorum honestas vitæ debet esse exterior & interior. T.1. num.30. F.5. Debent in utraque antecellere Laicos, num.31. & seqq. Tenentur castè vivere, num.38. Non tamen ex voto Castitatis, sed etiam ex virtute Religionis, num.41. Si sunt in Majoribus constituti, num.40. Non item si in Minoribus, num 30. Non possunt alloqui Moniales, num.45. Nec accedere Monasteria earum, num.44. & seqq. Tenentur abstinere à crapula, & ebrietatibus sub gravibus pœnis, num.48. & seqq. Non possunt ingredi tabernas cauponarias edendi & bibendi causa extra necessitatem itineris, num.53. Debent esse alieni, ab avaritia, num.54. Nec queunt exercere negotia vel commercia sæcularia, num.56. Neque ludere aleis, vel taxillis, numer. 57. Tenentur bona superflua erogare in causas pias, num. 60. Atque servare hospitalitatem, num.61.

Clericorum Obligatio deferendi habitum & tonsuram: Concernit clericos in sacris constitutos. T.1. n.63. & seqq. F.9. Et quando Minoristas, ibid. & nu. seqq. Minoristæ non gaudent Privilegio fori, nisi habeant unam ex conditionibus à Tridentino præscriptis, num.70. F.10. Sufficit quælibet ex præscriptis, n.76. & seqq. Contra Minoristas potest procedere Episcopus semper, n.73.

Clerici Minoristæ gaudent semper privilegio canonis, n.80. F.11. Differentia inter privilegium fori & canonis, n.82. Tonsuram portare Clerici quomodo olim debuerint, & modo debeant, n.84. & seqq. F.12. Non possunt nutrire comam, n.87. & seq. F.eod. Neque gestare comam fictitiam seu perucam, præsertim in Missa, n.90. & seq Refertur Decretum Innocentii XII. Promulgatum in Diœcesi Frisingensi, n.93. Quis in hoc dispensare valeat, n.92.

Clericorum habitus quo ad qualitatem & pœnas eum non deferentium, qualem habitum Jura præscribant & prohibeant Clericis? T.1. n.94. & seqq. F.13.

Clericorum habitus non debet esse nimiùm longus, nec brevis, n.95. F.eod. Sed Talaris, n 96. Debet esse non nimiùm pomposus, nec sordidus, sed inter utrumque medius, num. 99. Juxta consuetudinem locorum, num. 100. Non potest esse de pannis rubeis aut viridibus, variatis, virgatis, partitis, &c. n.101. & 103. Limitatur in Cardinalibus & quibusdam Episcopis, n.102.

Clerici non possunt uti frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis &c. n. 104. F.14.

Clericorum pœnæ non deferentium habitum, & tonsuram juxta præscriptum canonum, quæ? num.105. & seqq. Fol. eod. Causæ & casus excusantes à pœnis, n.111. & seqq. Fol.15.

Clerici prohibentur gestare arma, exercere negotiationes, & ludos Theatrales T.1. n.118. & seqq. F. 16. Portantes arma subjacent excommunicationi; ibid. Eorum arma sunt orationes, n.119. F.eod. Ex justa causa Clerici possunt portare arma, n.122 & seqq.

Clericus minorista operam dans militiæ excluditur à Clericatu: Censetur renunciare beneficio, n.124.

Clerici non possunt exercere officia vel commercia sæcularia, num 126. F.17. Maximè inhonesta, & quæ sint talia, num. 147. Possunt tamen honesto artificio, & agricultura victum sibi conquirere, n.130. Non item negotiatione, num.133. & seqq. F.eod. Hanc exercentes peccant. Ibid. & num. seq. Admoniti non cessantes perdunt Privilegium fori, num. 136. & seqq.

Clerici non possunt exercere ludos Theatrales inhonestos, nec eisdem interesse, num.140. & seqq. F.18. Benè tamen ludis, seu Repræsentationibus sacris, n.141. Non possunt mimis, joculatoribus & histrionibus intendere: nec spectaculis aut pompis interesse, n.142. Debent vitare convivia: nec queunt Choreas ducere, ibid. Jaculatoriam artem exercens qualiter puniatur Clericus, num.143. Prohibetur larvas Dæmonum ante se ferre, n.144.

Clerici quo ad cohabitationem cum mulieribus. T.2. num.2. & seqq. F.19. Omnis suspecta cohabitatio cum mulieribus Clericis est interdicta. T.2. n.2. & 3. F.19. Non tantùm in domo propria, sed & aliena, n.4. Possunt tamen rei domesticæ gratia domi habere mulierem non suspectam, n.6. Et qualem, Ibidem, & num.seqq. Non tamen debet esse solus cum sola aut in tenebris, n.9. Saltem extra casum necessitatis, num.10. Fol 20. Graviter prohibetur Clericis concubina, num.19. & num. anteced. & conseqq. F.21. Crimen Concubinatus publicum, quando, & qualem inducat pœnam pro Clericis. Ibidem.

Clericorum concubinariorum, & fornicariorum pœnæ. T.2. num.23. F.22. & seqq. Concubinatus eorum occultus in Judicio externo non habet vindictam, num 24. Notorius punitur pœna depositionis, num.25. Quam tamen potest Judex mitigare, n.26. Concubinario cum Clerico non plenè notorio, & cum fœmina ejus quomodo procedendum, num.27. & seqq. F.22.

Clerici de concubinatu suspecti quomodo judicandi & puniendi, n.30. & seqq. F.23. Quamvis omni modo sint adigendi ad concubinas dimittendas, tamen cogi non possunt ad eas abjurandas, n.44. F.25. Concubinarii Clerici sunt infames, repellendi à promotione ordinum, sunt pauperes ac miseri, omnibusque ludibrio ac scandalo, n.46. & seqq. Clerici fornicarii pœna quæ, num.48. & seqq. F.25. An, & quando debeat præmitti monitio triplex, antequam Clericus fornicarius vel concubinarius puniatur, n.55. F.26.

Clerici conjugati possunt esse in Minoribus constituti. T.3. numer.2. F.27. Non item in Majoribus, num.3. Et cur, num.4. & seqq.

Clerici græci in Sacris constituti licitè non contrahunt Matrimonium, licitè tamen in anteà contracto manent, n.8. Minores Clerici contrahendo matrimonium perdunt beneficium num.9. F.27. Et quomodo, ibid. Aliud est de contrahentibus sponsalia, n.13. & 16. Clericus beneficiarius contractu matrimonii perditum non amplius recuperat post mortem mulieris, vel si hæc Religionem ingreditur, n.14. F.28. Clerici invalidè contrahentes matrimonium an perdant beneficium, n.17. & seqq

Clericorum conjugatorum privilegia, Ordines & beneficia. T.3. n.22. F.29.

Clerici Minoristæ conjugati gaudent Privilegio canonis & fori. Ibid. Dummodò habeant conditiones tres requisitas, & quas? n 23. Conjugati non gaudent privilegio fori in bonis suis, n.24. Imò nec Privilegio fori quo ad personam, nisi in criminalibus, n.25. Unde in civilibus possunt conveniri coram Judice sæculari, n.26 Et ab eo incarcerari pro debito civili, n.27. Neque gaudent ullo alio Privilegio Clericali, n.28. & 43. Clericus conjugatus an, & quando ad ulteriores Ordines promoveri valeat, n.30. & seqq. F.30.

Clerici conjogati an possint habere beneficium Ecclesiasticum? n.41. & seqq. Vel Pensionem, n.44. F.32.

Clericorum Beneficiariorum Residentia.
Vide *Residentia Clericorum Beneficiariorum.*

Clericorum simplex beneficium habentium Residentia an, & quomodo obliget. T.4. n.133. F 49.

Clerici honesta sustentatio.
Vide *Sustentatio honesta.*

Clerici an, & de quibus bonis testari valeant.
Vide *Testamentum Clericorum.*

Clerici habent dominium suorum bonorum patrimonialium, industrialium, & parsimonialium, ac etiam Ecclesiasticorum necessariorum. T.25. n.13. & seq. F.345. Non item Ecclesiasticorum superfluorum, n 22. & seq. F.346.

Clericorum bona.
Vide *Bona Clericorum.*
Vide *Peculium Clericorum.*

Clericorum Obligatio erogandi bona superflua Ecclesiastica in causas pias.
Vide *Bona Ecclesiastica superflua in causas pias erogandi obligatio.*

Clericorum in bona ab intestato quis succedat. T.27. n.61. & seq. F.457.

Clerici Ægrotantes vel debilitati nequeunt privari beneficio aut fructibus ejus. T 6 n.2. & 3. F.141. Etiamsi propria causa in morbum inciderint, n.4. Dummodò sani residere consueverint, n.5. Canonici ob infirmitatem absentes non tenentur inservire per substitutum, n.6. Nec beneficiati supplere Missas infirmitatis causa ad breve tempus neglectas, num.7. F.eod. Nisi aliud habeant litteræ Fundationis, n.8. Vel specialis Ecclesiæ constitutio, aut consuetudo, n.9. Episcopi & alii Clerici beneficiati obligati ad celebrationem certarum Missarum pati debent substitutionem Coadjutoris, num.17. F.142. Si eorum infirmitas est incurabilis, vel perpetua, n.18. Secus si sit temporalis, ibid. Beneficio etiam ob morbum perpetuum non possunt privari, n.19. & seqq. Perpetuò infirmi an possint promoveri ad Ordines & in susceptis Ministrare? remissivè, n.21.

Clericorum ægrotantium Coadjutores.
Vide *Coadjutor.*

Clerici non possunt nec debent se immiscere sæcularibus negotiis, & quibus T.50. n.1. & seq. F.660.

Clerici sæculares gaudent Asylo: non item Religiosi contra Superiores suos. T.49. n.57. & seq. F.624.

Clerici tam sæculares, quàm Regulares & bona eorum cuncta gaudent immunitate reali, & personali. T.49. n.232. & seqq. F.647. Suntque exempti ab omnibus exactionibus, oneribus, ac tributis. n.237. & seqq.

Clerici an, & quando possunt fidejubere. T.22. n 28. F.322.

Clericis & Monachis prohibitum est exercere negotium sæculare, & quale. T.50. n.2. & seq. F.660. Agere Officium Tabellionis, n.5. & seq. Audire jus civile, vel Medicinam, n.8. Negotiari, n.11. Tractare causam sanguinis, dicere Sententiam sanguinis, item interesse, & quomodo, n.12. & seqq. Esse Duces militum, n.15 Exercere Chirurgiam, & quomodo, n.16. & seq. Pœnæ Clericorum exercentium aliquod ex præfatis, n.17. & seq.

Coadjutor, & coadjutoria quid. T.6 n.22. F.143.

Coadjutor propriè non dicitur Prælatus seu Rector Ecclesiæ, n.23. Qualem habeat curam animarum, n.24. Coadjutoria alia est perpetua, alia temporalis, n. 26. Differentia inter utramque, n.27.

Coadjutor debet habere requisitas qualitates ad officium, n.28. Episcopo datus qualis esse debeat, & cujus ætatis, num.29. & seq. Ex quibus causis detur Adjutor, num.31. F.144 Quando detur ob senium, n.32. Vel imperitiam, n.33. Quare detur, n.34. Clericus propter coadjutorem non excusatur à Residentia, n.35. F.145. Nec Coadjutor propter Residentiam Coadjuti, n.36.

Coadjutor perpetuus non nisi a Papa dari potest, num 37. Etiam temporalis non nisi a Papa Episcopo dari potest, n.39. & seqq. Episcopi a cura remoti, vel dementes an, & quomodo unum vel plures coadjutores assumere possint, vel teneantur, n 41. & seqq. Episcopus compos rationis non potest cogi à Capitulo ad Coadjutorem assumendum, n.45 F.145. Beneficiatis Episcopo inferioribus coadjutorem quis det, num.46. Officium coadjutoris quale, num.47. & seqq. Simpliciter datus potest omnia, quæ posset Principalis, num.49. F. 146. Nisi quid in Jure specialiter sit exceptum, num.50. & seq. Simpliciter datus an, & quomodo possit conferre Beneficia, n.52. & seqq.

Coadjutor debet moderatè sustentari ex bonis Ecclesiæ, cujus Prælato datur, n.55. Quid si bona Ecclesiæ pro coadjutore, & coadjuto non sufficiant, n.56. & seqq. coadjutoris temporalis Officium exspirat morte quacunque, n.59. Vel cessante impedimento adjuti, n.60.

Coadjutor debet reddere rationem gestæ coadjutoriæ, num.61. F.147.

Coadjutoris perpetui Officium non expirat morte coadjuti, n. 62. & seqq.

Coadjutoris Electio requirit duas partes capituli T.11. n.32. F.183.

Codicillus quid? T.26. n.707. F.438. Ad quid serviat, n.709. Requiruntur ad illum quinque testes, & qui, n.710. & seqq. In Codicillis parentum inter liberos, & ad pias causas sufficiunt duo testes, n.712.

Codicillum facere potest omnis, qui testari valet, & quomodo, n.713. & sequ. F.438. Potest quis plures facere codicillos, n.715. Dispositio volentis testari, non valet ut codicillus, si non habet clausulam codicillarem, n.716. Nisi fiat inter liberos, vel ad causam piam, n.717.

Codicillaris clausula quid, & quotuplex. T.26. n.718. F.439. Facit, quòd testamento nullo, debeant præstari Legata, num. 719. Ac restitui tota hæreditas per modum fideicommissi hæredi instituto, num.720. & seqq. Vi clausulæ codicillaris potest hæres institutus agere vel ex testamento, vel in vim codicilli, n.722. F.eod. Ad effectum clausulæ codicillaris requiruntur solemnitates codicilli, n.723. & seqq. Refertur clausula in Bavaria præcipuè usitata, *quidquid in vacuo testamenti spatio, vel in separata charta adjecero, volo ut valeat, ac si ab initio testamento fuisset insertum*, n.725. & seq. Refertur clausula inutilis, n.729. F.440.

Cœmeterium potest esse ab Ecclesiis remotum. T.28. num.5. F.459.

Cœmeterium consecratur, polluitur, & reconciliatur, eodem modo, quo Ecclesia. Tit. 40. numer. 29. Fol. 587. Polluta Ecclesia polluitur cœmeterium, sed non econtra, num. 30.

Cœmeteria gaudent iisdem privilegiis, ac Ecclesiæ. T.49. numer.11. fol.618.

Cognati, & Agnati qui. T.20. n.81. fol.304.

Cohabitatio clericorum cum mulieribus.
Vide *Clerici Cohabitatio.*

Comam fictitiam portare & naturalem nutrire prohibitum est clericis. T.1. à n.87. fol.12.

Commenda & Commendatarius quid? T.5. n.73. F.68. Quid Juris de illis olim, & quid nunc, ac an beneficium, num.74. & seqq.

Commodatarius non tenetur de casu fortuito. T.15. num.29. F.208. Nisi fuerit conventum, num.30. Vel ipse sit in mora reddendi, num.31. F.eod. Nisi eodem modo res peritura fuisset apud Dominum, num.32. Ex qua culpa teneatur, n.33. & seqq. An Commodatarius teneatur prius salvare res commodatas, quàm proprias, n.43. F.209. Et T.16. n.40. ac seq. F.212.

Commodator & commodatarius quis? T.15. n.2. F.206. Ex qua culpa hic teneatur, n.20. F.207.

Commodatum quid? Et quomodo differat à cæteris contractibus? T.15. n.2. & seqq. F.205. Debet esse gratuitum, n.5. F.206. Quomodo differat a pignore, deposito, & mutuo, n.6. Atque precario, num.7. Quæ res commodari possint, num.8. & seqq. Commodari potest etiam res usu consumptibilis, n.9. Profana & sacra, n.10. Obligationes commodatarii, num.11. & seqq.

& seqq. Non potest uti re commodata nisi ad usum concessum, ibidem. Ad quem, si utatur, nihil tenetur, & est sine culpa sua, n.12. Commodatarius debet commodatum debito tempore restituere, n.13. Et interim exactissima diligentia custodire, n.15. F.207. Atque reparare damna ex culpa sua etiam levissima contingentia, num.16. Ex qua culpa teneatur, num.20. & seqq. F.208. Actiones ex commodato quæ? n.38. & seqq.

Commune bonum & utilitas præfertur privato. T.31. n.266. F.522.

Communitas in Monasteriis ubi non viget, regularis disciplina deficit. T.35. n.15. F.546.

Commutatio voti quid? Et à quo fieri possit? T.34. num.43. & seqq. F.543.

Compensatio occulta an, & quando licita sit Famulis & officialibus ob salarium minus justo. T.18. num. 105. & seqq. F.272.

Compensatione publica vel occulta, quando, & quomodo possint solvi debita. T.23. n.59. & seq. F.333.

Concessio ac promissio Beneficiorum non vacantium fieri non potest. T.8. num. 18. & seqq. F.160. Beneficii vacaturi promissio non obligat, num.19. Nec obstat appellatio, num.21. F.eod. Solvitur instantia ex Jure, num.22. Potest tamen admitti canonicus supernumerarius, num.23. Probatur ex consuetudine, num.24. Et Jure Canonico, num.25. Quando valeat, & quid operetur canonici supernumerarii receptio? num.26. & seqq. F.eod. Differentia inter receptionem alicujus in canonicum, & inter promissionem Præbendæ vacaturæ, num.31. F.161. Receptio supernumerarii non reddit affectam Præbendam primò vacaturam, num.32. & seqq. Instantia pro valore promissionis Præbendæ vacaturæ solvitur, n.34. An supernumerarii canonici habeant stallum in choro, vocem in capitulo, & distributiones quotidianas, num.35. & seqq.

Concessio seu collatio Beneficii non vacantis. T.8. n.2. & seqq. F.158. Beneficia tripliciter intelliguntur vacare. Ibidem. Et quomodo, n.3. & seqq. Qualiter vacare debeant beneficia, aut aliis conferri possint, n.7. F.eod. Vacantia beneficia quo tempore conferri debeant. Ibid. & num. seqq. Beneficium de jure tantum vacans, potest & debet conferri intra trimestre, num.9. Impetrans illud à Papa debet facere mentionem de possessione alterius, n.11. F.159. Nisi hæc apertè sit injusta, n.12. Vel Rescriptum Papæ habeat clausulam *motu proprio*, num.14. Vel *amoto quolibet illicito detentore*, n.15. Dummodò hæc clausula sit posita in litteris gratiosis, n.16. Beneficia de facto solùm vacantia non possunt aliis conferri, n.30. F.eod.

Concessum intelligitur, quòd expressè non prohibetur. T.17. n.22. F.216.

Concilio generali non derogatur per dispositionem subsequentem, nisi ejusdem expressè fiat mentio. T.30. numer.60. F.480.

Concorda tempera, & concordabis Jura. T.5. num.272. F.90. & T.8. n.22. F.160.

Concordatorum Germaniæ origo T.5. n.156. F.77. An eisdem præjudicet appositio manus Pontificiæ in materia beneficiaria. T.5. n.425. & seqq. F.108.

Concordata Germaniæ, quæ, cur, & quando erecta? T.5. num.534. Fol.130. Refertur per extensum eorum tenor, num.535. F.eod. Hæc concordata sunt favorabiliora Ordinariis quàm Regulæ Cancellariæ, num.536. F.132. Papa eisdem absolutè non est alligatus, num.537. Discrimen aliquod inter alternativam mensium in Regulis Cancellariæ & Concordatis, num.538. & seqq. Concordatis Germaniæ nequit opponi præscriptio, aut non usus ipsorum, num.541. & seq. Refertur circa hoc Bulla Clementis VIII. *admonet nos*, num.543. & seqq. F.133. Quid juris, si quis obtinet beneficium contra concordata Germaniæ, num.545. F.134. Quæ Beneficia sibi reservarit Papa in concordatis Germaniæ, num.546. & seqq. Sunt inter alia beneficia vacantia in Curia. Ibid. Promotorum Auctoritate Apostolica ad Episcopatus & Monasteria; num.547. Majores dignitates in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis, num.550. F.eod. Nisi adsit Privilegium, num.551. In cæteris dignitatibus & privilegiis quibuscunque datur alternativa mensium, num.552. & seqq. Excipiuntur aliqua Beneficia, num.556. Ut Juris Patronatus Laicorum. ibidem. Item Beneficia vacantia per resignationem, num.557. Fol.135. Atque Beneficia alteri accessoriè unita, num.558. Quid juris de Beneficio vacante in mense Pontificio, si eidem intra tres menses non provideat Papa, num.560. & seqq. Quando trimestre hoc incipiat currere, & quomodo computetur, num.561. & seqq. Currit Papæ ignoranti, num.564. F.135. Ac etiam Sede vacante, num.565. & seqq. An & quomodo post lapsum trium mensium Papa adhuc conferre possit, num.567. & seqq.

Concubina & concubinatus quid, & quomodo differat à simplic fornicatione. T.2. à num.11. F.21. concubinarii clerici pœna.
Vide *Clericorum concubinariorum pœna*.

Concursus in collatione beneficiorum.
Vide *Beneficiorum Collatio per concursum*.

Concursui subjectæ sunt Parochiæ Juris Patronatus Clericalis, non item Laicalis. T.38. n.65. F.367.

Condictio Indebiti quid, & quando locum habeat. T.23. n.63. & seqq. F.334.

Conditio quid, & quotuplex. T.26. num.437. F.410. Et num. 642. F.431. Turpis, vel impossibilis habetur pro non adjecta, num. 441. Quid operetur in testamentis, num.437. & seqq.

Conditio habetur pro impleta, si non stat per eum ad quem pertinet, n.444. F.410.

Conditio suspensiva & resolutiva quid, & quænam faciat conditionatum contractum? T.17. num.269. F.241. Item quænam, & quando suspendat actum? T.31. num.175. F.622.

Conditionata Legata quæ valeant, quæ non.
Vide *Legatum sub conditione*.

Conductio.
Vide *Locatio*.

Conductor quis. T.18. n.7. F.260.

Conductoris Obligationes & jura. T.18. n.57. & seqq. F.266. Tenetur pretium debito tempore fideliter solvere. Ibid. Et rem conductam non nisi ad conductum usum adhibere, n.58. Atque eandem ante finitum conditionis tempus absque justa causa non deserere, n.59. F.eod. Damnum ex ipsius causa lata, vel levi, in re conducta emergens tenetur resarcire, non item quod contingit casu fortuito, n.60. Vel causa levissima, n.61. Nisi desuper specialis fiat conventio, num.62. Aut conductor ex causa sua det causam casui fortuito, n.63. Tenetur conductor ad damnum, sive propria, sive famulorum causa contingat, num.64. Si fuit negligens in eligendis bonis servis, num.65. Cuinam incumbat probatio emergente damno, n.66. & seqq. F.267.

Conductor de incendio, culpa servorum contingente quando teneatur, num.70. & seqq. Quando non constat, unde incendium exortum sit, nec conductor, nec Domestici puniri possunt, num.72. Quando conductor uti non potest re locata ob impedimentum ex parte sua proveniens, tenetur nihilominus ad totam mercedem, num.74. & seqq. Fol. 268. Secus est, si ex causa aliena id proveniat, num.76. & seqq.

Conductor non tenetur augere mercedem ob ubertatem, quæ provenit ex ejus industria, n.78. Neque si proveniat ex cœli clementia, n.79. & seq.

Conductori competit actio ex conducto contra Locatorem, n.81. F.268. Et hæredi ejus, num.82. Successor Ecclesiasticus non tenetur stare locationi factæ ab antecessore nomine proprio, num.83. Benè verò factæ nomine Ecclesiæ, n.84. Num Jura & obligationes conductoris transeant ad hæredes ejus, n.85.

Conductoris operarum obligationes, & Jura. T.18. num.86. & seqq. F.269.

Confessarius Monialium in quibus casibus possit ingredi clausuram Monialium. T.35. n.55. F.551.

Congrua portio debet assignari Vicario perpetuo. T.37. num.5. F.556. Et quidem per Episcopum, num.12. F.557. In congruam portionem debent etiam computari incerta, seu fructus stolæ, n.13. & seqq. Portionis congruæ quantitas quæ, n.22. F.558.

Conjugati nec tonsurari, nec ordinari possunt. T.3. numer. 33. fol.30. Nisi votum continentiæ præstent, num.34. Et quid de Ordinato sine consensu uxoris, num.36. & seqq. fol.30.

Conjugati Clerici.
Vide *Clerici conjugati*.

Conjugatorum conversio quid, & ingressus in Religionem? T.32. numer.2. fol.534. Ante consumatum Matrimonium potest quivis conjux Religionem ingredi, num.2. Et alter ad secunda vota transire, num.3. Post contractum matrimonium habet quivis conjux bimestre ad deliberandum; & quomodo, num.2. & seqq. Per copulam intra bimestre vi extortam non impeditur ingressus, num.6. Nec consumatur matrimonium, numer.7. Idem est, si copula gravi metu incusso obtineatur, num.8. & seqq. fol.535. Post consumatum matrimonium onus sine consensu alterius Religionem ingredi non potest, num.10. Benè tamen cum consensu, n.11. Dummodò debitæ concurrant circumstantiæ ac conditiones, & quæ, num.12. & seqq. Professio conjugis sine requisitis conditionibus facta, quamvis illicita, tamen valet, dummodò adsit consensus alterius conjugis, n.22. F.536. Si remanens in sæculo perpetuam castitatem non voverit, potest & debet professus iterum revocari, num.23. Secùs si vovit, num.24. An, & quando conjux juvenis altero profitente remanens in sæculo, & castitatem vovens compellendus sit ad ingrediendam Religionem, n.25. Si unus conjugum committit adulterium, potest eo invito alter Religionem ingredi, n.26. F.537. Et quomodo, n.26. & seqq. An, si pars Innocens Religionem ingredi nolit, possit ac debeat adultera ingredi, num.30. & seqq. Potest pars adultera ingredi Religionem, si innocens tacitè vel expressè consensit, n.32. Uno adulterante potest innocens etiam in sæculo Ordines suscipere, n.33. & seqq. F.eod. Uno spiritualiter adulterante alter Religionem ingredi potest, n.35.

Conjuges quomodo facere possint testamentum reciprocum? T.26. n.365. & seqq. F.400.

Consanguinei, & Germani qui. T.20. n.81. F.304.

Consecratio Ecclesiæ quid? T.40. n.2. F.584. Potest fieri per solum Episcopum, n.3. F.eod. Sub Missa, quavis tamen die, num.4. Ecclesia non potest consecrari sine sufficienti dote, & quæ hæc, num.5. Limitatur in Ecclesiis Regularium, n.6. De ritu consecrandi remissivè, n.7. Quomodo probetur Consecratio Ecclesiæ? Et quid Juris in dubio? n.10. Ecclesia ex toto, vel secundum majorem partem simul destructa execratur, & indiget nova consecratione, n.11. F.585. Non item si successivè, vel secundum minorem partem, num.12. Quid si igne execretur, n.13. Ecclesia amplificata quando indigeat consecratione, n.14.

Consecratio Altaris à quo & quando fieri possit. T.40. n.33. & seqq. F.588.

Consecratio Cœmeterii à quo & quando fieri possit. T.40. n.29. F.587.

Consensus quomodo differat à Consilio? T.10. numer.2. F.174.

Consensus capituli in quibus generatim requiratur. T.10. n.6. F.174. Minora negotia, non item majora potest peragere Episcopus seu Prælatus sine consilio, vel saltem sine consensu capituli, num.7. & seqq. F.eod. Ubi requiritur consensus capituli, non sufficit consilium, n.12. In quibus vertitur Ecclesiæ vel capituli interesse sive præjudicium, requiritur capituli consensus, n.12. Item in alienatione rerum ad Ecclesiam vel capitulum pertinentium, n.14. Vel quando agitur de subjectione capituli, n.15. Vel obligatione Ecclesiæ, n.16. Vel collatione Beneficiorum ad Episcopum & capitulum simul pertinentium, n.17. Item in supressione canonicatuum vel unione beneficiorum, n.19. & seqq. Quid de unione facienda in mense Episcopali aut capituli, n.21. & seqq. An requiratur consensus in puniendis & inquirendis excessibus subditorum, n.23. F.175. In causis criminalibus contra personas in dignitate Ecclesiastica constitutas qualiter requiratur consensus, n.24. Requiritur in omnibus, in quibus alicubi viget consuetudo eundem adhibendi, n.25. Valet consuetudo non requirendi consensum capituli, ubi de Jure requiritur, num.26. Exemplificatur, n.27. Et solvitur instantia, num.28.

Consensus capituli an requiratur ad hoc, ut Prælatus possit repudiare legatum factum Ecclesiæ? T.10. num.35. & seqq. F.177.

Consensus omnium quando requiratur. T.11. n.34. & seqq. F.183.

Consensus Papæ an, & quando ad ædificandum Monasterium requiratur? T.48. n.36. & seq. F.613.

Consensus Papæ ubi requiritur, non est necessarius consensus Episcopi, T.48. n.39. F.eod.

Consensus Episcopi ubi requiritur, non est necessarius consensus Papæ, & econtra. T.48. n.39. F.eod.

Consensus capituli non est necessarius ad ædificanda Monasteria. T.48. n.40. F.614.

Consilium inter & consensum est differentia. Tit.10. num.2. F.174. Consilium sequi nemo cogitur. Ibidem. Debet tamen subinde adhiberi, num.3. Reverentiæ causa etiam obligat, n.5. Sumitur subinde pro consensu, n.4. Quæ negotia per Episcopum expediri debeant cum consilio capituli, n.29. & seqq. F.177.

Consuetudo an & quando excuset à Residentia. T.4. n.157. & seqq. F.53.

Consuetudo immemorialis æquivalet privilegio. T.4. n.159. num.53.

Consuetudo habendi plura Beneficia quid operetur. T.5. n.116. F.83. Et n.252. F.88. Item, num.274. & seqq. F.90.

Consuetudo irrationabilis, nec licita, nec valida est. T.26. num.336. Consuetudinem aliquam esse validam & non licitam, implicat, n.340.

Consumatio Matrimonii quæ requirat? T.32. num.7. Fol. 535.

Contemptus unius invalidat actum à cæteris factum. Tit.11. n.31. F.184.

Contractus Mohatra, vel pharatra quid, & an licitus; T.17. n.298. & seqq. F.244.

Contractus in Ecclesiis facti, quamvis valeant, sunt tamen illiciti. T.48. n.15. F.610. Limitatur, n.16.

Contractus ex conventione legem accipiunt. T.17. numer.18. F.216.

Contra factum proprium quis venire non potest. Et quando. T.13. n.60. F.202.

Conventio, ne dolus præstetur in contractibus, quo ad futura, est nulla, de præterito valet. T.16. num.30. & seqq. F.212.

Conventionis difficilis esse, quis dicatur; T.22. numer.9. F.321.

Conventuales qui olim, & qui nunc. T.31. n.53. F.505.

Conversio Conjugatorum, & ingressus in Religionem eorundem.
Vide *Conjugatorum conversio*.

Conversio infidelium.
Vide *Infidelium conversio*.

Cooperatores, & Capellani quomodo concedantur parochis. T.4. n.85. & seq. F.44.

Correctoria Juris & exorbitantia ab eo non sunt extendenda. T.31. n.142. & 148. F.518.

Crapula quid; & quam nociva? T.1. n.46. F.7.

Creditor acquirens res Debitoris, an, & quando eas retinere valeat; T.21. n.31. F.313.

Creditor quale jus habeat in Pignore. T.21. num. 66. & seqq. An, & quando illud possit vendere, numer.70. & seqq. F.318.

Crimen læsæ Majestatis in personam Principis.
Vide *læsæ Majestatis crimen*.

Criminali in materia duæ vices inducunt consuetudinem, & quando secus. T.1. n.44. & 45. F.7.

Criminosi non possunt recipi in Religione. T.31. num.80. F.509.

Culpa aliter apud Theologos, aliter apud Juristas accipitur. T.15. n.7. F.207. Alia est lata, alia levis, alia levissima, n.18. Differt à casu & dolo, n.19. F.eod. Ex qua culpa teneatur Commodatarius, n.20. & seqq. Ponuntur regulæ generales ad cognoscendum ex qua culpa quis in quovis contractu teneatur, n.26. & seqq.

Cultus publicus & privatus quid. T.45. num.16. F.601. Quo cultu coli possint Sancti ac Beati, n.17. Item cum fama Sanctitatis defuncti, num.18. & seqq. Afferuntur Decreta & Constitutiones Pontificiæ circa cultum Beatorum nondum Canonizatorum, n.17. Et circa cultum imaginum, miraculorum & revelationum defunctorum cum fama Sanctitatis, n.19. F.602.

Curia Romana ubinam censeatur existere? T.5. num.451. F.112.

Curialium Beneficia vacant in curia. T.5. num.449. & seqq. F.eod.

Custodes gregum & aliarum rerum ad quid, & ex qua culpa teneantur. T.18. n.88. & seqq. F.270.

Custodia rei ad Asylum confugientis.
Vide, *rei custodia*.

D

Debita certa, & incerta an, & quando, & à quo minoris emi, ac vendi possint? T.17. n.58. & seqq. F.219. Propter Ecclesiæ necessitatem à Prælato contracta solvere tenetur Successor. T.21. n.36. F.314.

Debitorum solutio.
Vide *solutio*.

Debitum est triplex. T.23. n.68. F.334.

Decimarum natura, divisio, & Jus, quo debentur. T.30. num. & seq. F.473. Decimæ definiuntur, n.2. Aliæ sunt prædiales, seu reales, aliæ personales, n.3. F.474.

Decimæ mixtæ non agnoscuntur, num.3. Prædiales aliæ sunt majores aliæ minutæ, n.5. Aliæ purè spirituales & Ecclesiasticæ, aliæ Materialiter, & secundum substantiam temporales sunt,

sunt, n.7. Materialiter sumptæ debentur jure naturali. Ib. Divino & humano, n.8. F.473. Decimæ formaliter sumptæ, an solo jure humano, vel divino debeantur, controvertitur? n.9. & seqq. Eligitur sententia, quòd debeantur jure divino, & probatur variè, n.13. & seqq.

Decimæ à quibus solvendæ? T.30. n.40 & seqq. F.478. Ad eas tenetur quivis fidelis, n.40. Imò etiam Hæretici, n.41. Judæi, & infideles, num.42. Etiam Jure personali, n.43. Infideles conversi compelli possunt ad solvendas Decimas neglectas, n.44. F.eod. Clerici tenentur ad Decimas bonorum patrimonialium, n.45. & seqq. Et quidem obligatione personali, n.47. & seqq. De redditibus beneficii verò non dant decimas, n.49. Nisi Ecclesia habeat agros, aut fundos, ex quibus decimæ priùs solvebantur, n.50. & seqq. Parochi etiam tenentur dare decimas, & quas? n.52. F.479. Religiosi de Jure Communi tenentur ad decimas, n.53. Non item pauperes in extrema necessitate, num.54. F.eod. Benè tamen in gravi, n.55. Ita ut nec differre possint solutionem; quamvis solventibus iterum restituere debent Clerici, n.56. Pauperes in communi necessitate tenentur ad decimas, num.57. In casu quo res elocatur alteri, quisnam teneatur ad Decimas? num.58.

Decimas defraudantis pœna, præter peccatum contra Religionem, & justitiam, est excommunicatio. T.30. num.20. & seqq. F.475. Ac insuper gravis vindicta divina, num.23. & seqq.

Decimæ de quibus rebus? quo modo? tempore? & loco solvi debeant? T.30. n.25. & seqq. F.476.

Decimæ debentur de omnibus licitè acquisitis, num.25. Prædiales etiam de illicitè acquisitis solvi debent, num.26. Sicut & personales, si illicitè acquisita, licitè retinentur, n.27. F.eod.

Decimæ prædiales solvi debent sine deductione expensarum, n.28. Tributorum ac censuum, n.29. Personales verò non nisi deductis expensis, n.30. & seq. Prædiales statim ac fructus colliguntur, solvi debent, num.32. F.477. Nisi aliud habeat consuetudo vel contractus, n.33. Debentur sæpius in anno, si sæpius crescunt fructus, n.35. Decimæ expensis Parochianorum ad domum Parochi sunt vehendæ, n.36. Nisi aliud habeat consuetudo, n.37. F.eod. Parochianus non potest colligere fructus, nisi prius Parochum moneat ratione decimarum, n.38. Nolenti dare decimas Parochus non potest vim inferre, nec sacramenta negare, n.39.

Decimæ quibus personis sint solvendæ? T.30. num.91. & seqq. F.477. Jure Divino debentur Clericis Ecclesiæ Ministris, n.92. Et quidem hodie jure Communi Parochis, n.93. Decimæ prædiales pertinent ad Parochum loci, in quo prædia existunt, n.94. Nisi aliud habeat consuetudo, n.95. & seqq. Parocho proprio non fit injuria, si decimæ prædiales alieno Parocho solvantur, n.98. F.486.

Decimæ personales debentur Parocho, à quo quis recipit divina, n.99. Parochi habent fundatam intentionem in Jure super decimis contra quemvis, n.100. Ob quam tamen decimas alienas invadere non possunt, n.101. & seqq. Quando dividitur aliqua Parochia, remanent decimæ prædiales apud matricem, nisi aliter ordinet Episcopus, n.104 & seqq. Non est necesse, ut Episcopus omnes decimas novæ Parochiæ assignet, n.106. F.487. Episcopis debetur Quarta de singulis Decimis, n.107. & seqq. Enumerantur casus, in quibus Episcopo debentur integræ decimæ, n.109. & seqq. F.eod. Etiam aliis Clericis Beneficiatis debentur decimæ, & quando? n.112. Secùs est de non Beneficiatis, n.113. Decimæ solvi debent, etsi Clerici sint divites, num.114 Vel malæ vitæ, n.115. F.eod.

Decimarum à solutione quibus modis quis eximatur, & præcipuè quomodo per privilegia. T.30. n.45. F.479. & seqq. A solutione decimarum prædialium, nec per privilegium Pontificium dispensari quis potest, num.59. & seqq. Si quos Papa eximit, non est propriè dispensatio vel privilegium, ibid. Sed remissio Juris divini, n.61. F.481. Per quam hodie exempti sunt Regulares à solvendis decimis Novalium, hortorum, item nutrimentorum pro animalibus, num.26. An, & quid speciale habeant Cistercienses quoad exemptionem à solvendis decimis, num.63. & seqq. In communicatione generali Privilegiorum non fit communicatio privilegii exemptionis à decimis, num.68. F.482. Regulares tenentur probare exemptionis privilegium, num.69. F.eod. Debent dare decimas de novalibus, si ea aliis elocant, vel propriis sumptibus non colunt, num.70. Quomodo exempti sint à decimis hortorum, & nutrimentorum animalium? nu.71. Privilegia exemptionis à solvendis decimis quomodo interpretanda? num.72. & seqq. Quando & à quibus debeantur decimæ de prædiis Regularium, casu quo aliis colenda traduntur? nu.73. & seqq.

Privilegium eximens à decimis cessat, quando incipit esse enormiter præjudiciosum Ecclesiis Parochialibus, num.76. F.483. Quis de hoc judicare debeat? num.77. F.eod. Ulterius amittitur per non usum quadraginta annorum, num.78. & seqq. Item transactione & pacto, num.80. Si fiat cum consensu legitimorum Superiorum, num.81. Compendiosa notitia de privilegiis Religiosorum quoad exemptionem a decimis, num.82. & seqq. Laici per nullam consuetudinem eximi possunt à solvendis decimis, num.86. F.484. Nisi adsit consensus & approbatio Papæ, n.87. Solvuntur objectiones, n.88. & seqq.

Decimarum, ac decimandi Jus, quibus modis acquirere possint Clerici? T.30 n.116. & seqq. F.488. Possunt acquirere privilegio, n.116. Transactione, & compositione, n.117. Quomodo, n.118. F.eod. Transactio super decimis extendit se etiam ad futuras, n.119. Clerici etiam per compromissum acquirunt decimas, n.120. Et quando? Ibidem, & n. seqq. Item permutatione, n.112. Et donatione, n.113. Et quomodo? Ibidem. Item præscriptione, n.124. F.489. Ad quam inter præsentes requiritur decennium, vicennium inter absentes, si fiat contra Laicum, vel causam non privilegiatam: quantum tempus requiratur, si fiat contra Ecclesiam vel causam piam? n.126. & seqq. Quid Juris, si Parochus præscribat decimas de bonis sui Parochiani in alia Parochia existentibus, n.128. & seq.

Decimas Laici quomodo acquirere & percipere valeant? T.30. num.130. & seqq. F.490. Laici nulla ratione possunt acquirere jus decimandi, n.130. & seqq. Quam privilegio summi Pontificis, n.132. & seqq F.eod. Episcopi, & alii Ecclesiarum Prælati olim poterant Laicis dare decimas in Feudum; hodie non amplius possunt, n.134. Decimæ olim Laicis per Episcopos concessæ, licitè etiam hodie ab eis retinentur, n.135. Quivis Clericus absque ulla Juris solemnitate potest decimas suas elocare Laicis ad tres annos, n.136. Non item ultra triennium, n.137. F.491. Laici nulla etiam immemoriali consuetudine vel præscriptione acquirere valent jus decimandi, num.138. & seqq. Qua ratione Laici hodie fruantur Decimis, n.141. Multum refert, an Laicus Titulo Præscriptionis, an verò jure præsumpti Tituli possideat decimas, n.142. F.492. Laicus reliciens decimas absque justo Titulo ab antecessoribus fuisse acquisitas, vel immemoriali tempore nondum possideri, eas dimittere debet, n.143. & seq. Laici Jus decimandi, quod habent, in alios transferre possunt, n.145. & seq.

Decimæ Novales.
Vide *Novalia*.

Decimarum Judex in petitorio est Ecclesiasticus privativè. T.30. n.159. F.494. Exceptis decimis Laicalibus, n.160. In possessorio, quando tam Actor, quam Reus, vel saltem Reus est persona Ecclesiastica, Ecclesiasticus judicat, num.161. Si Reus in Possessorio est Laicus, etiam Laicus potest esse Judex, n.162. In quæstione facti Laico existente Reo, Judex Laicus esse potest, num.163. F.eod. In quæstionibus facti, ac in possessorio Laico existente reo non privativè pertinet causa ad Judicem Laicum, sed datur locus præventioni, estque mixti fori, n.164. & seq. Allegantur statuta, & concordata Bavariæ, n.166.

Decimas ad triennium, sed non ultra quivis Clericus potest. T.30. n.136. F.490.

Decimarum actio non requirit nominis sui expressionem. T.30. num.167. F.495. Tractatur de plano, & simpliciter, num.168. In causa Decimarum condemnatis ad solvendas Decimas non datur appellatio suspensiva, benè tamen devolutiva, num.169. Limitatur in tribus casibus, numer.170.

Declarationes Cardinalium obligant sine promulgatione. T.35. n.75 F.553.

Delegare potestatem conferendi beneficium vacaturum Collator Ordinarius non potest. T.8. num.47. & seqq. F.163. Bene verò beneficium vacans, num.50. Jus Præsentandi ad Beneficium vacaturum non potest delegari potestas, num.49

Deliberandi Jus quid, & cui competat? T.26. n.507. & seqq. F.417.

Depopulator agrorum quis sit, & quando careat Asylo? T.49. n.97. & seq. F.619.

Depositarius tenetur de dolo, & culpa lata non item levi. T.16. n.25. F.211. Nisi fuerit conventum, n.16. Vel quis se ipsum deposito obtulerit, n.27. Aut mercedem receperit? n.28. F.ib. Vel sit in mora, n.29. Conventio, ne dolus præstetur de futuro, est nulla, n.30. Valida de præterito, n.31. An teneatur potius salvare res depositas, quàm proprias, n.40. & seq. F.211. Quid si propriæ vel alienæ sint pretiosæ, ibidem,

Depo-

Depositum quid, & quotuplex, T.16. num.2. & seqq. F.210. Depositum Judiciale vocatur etiam sequestrum sive sequestratio, num.5. Depositum privatum quid, n.7. & quotuplex, n.8. & seqq. Obligationes depositarii, num.11. F.210. Tenetur ea diligentia illud custodire, qua proprias res, n.11. Nec potest uti re deposita, n.12. Sine consensu deponentis, n.13. Tenetur eam reposcenti sine mora restituere, n.14. & seqq. Etiam ante tempus statutum, n.16. Contra depositum non admittitur compensatio vel deductio, num.17. Etsi aliter fuerit conventum, num.18. F.211. Quid in foro Conscientiæ, n.19. Enarrantur casus in quibus depositum non statim est restituendum, n.20. & seqq. Qualiter probetur depositum casu deperiisse, n.45. & seqq. F.213. Quid si notoriè constet de casu fortuito, n.47. Ecclesia vel Monasterium an teneantur ex deposito penes Rectorem, n.49. F.213. Præsertim si Capitulum consensit, n.50. Aut res deposita in utilitatem Ecclesiæ sunt conversa, n.51. Actio ex deposito quæ oriatur n.52. & seqq.

Destitutio testamenti quid, & quomodo fiat? T.26. numer.9. F.560

Deterioratio rei Emphyteuticæ, an & quando privet Emphyteusi? T.18. n.167. F.279.

Dictio quælibet in lege debet aliquid operari. T.37. num.16. F.558.

Dies cœpta, quando habeatur pro completa. T.31. num.95. F.511.

Devolutionis Jure quomodo conferantur beneficia. T.5. n.157. & seqq. F.77.

Dies interpellat pro homine. T.23. n.45. F.332.

Dieta quid? T.5. n.453. F.178. & T.40. n.27. F.596.

Dignior quis sit, & an præsentari debeat? T.38 n.77. & seqq. F.569.

Dignitas quid. T.5. n.33. F.64.

Dignitates majores, & Principales, quæ vi concordatorum Germaniæ reservantur Papæ, quæ? T.5. numer.550. & seqq. F.134.

Diminutio Beneficiorum quot modis fiat? T.12. nu.2. & seq. F.184 Fit per impositionem oneris, num.4. F.185. Estque prohibita, num.5. An possit Prælatus cum Capitulo imponere honestum onus Præbendæ, num.6. & seqq. A noviter receptis ad Beneficia nihil potest recipi, num.12. & seqq. F.186. Nec valet consuetudo in contrarium, ibidem & num.15.

Dismembratio Beneficii quid? T.12. num.24. F.187. Est prohibita, num.25. Valet tamen ex justa causa, num.26. Et quæ hæc, num.27. & seqq. An, & quando ad eam requiratur consensus Capituli, n.29. Requiritur ad eam Vacatio Rectoris Ecclesiæ, num.30. Beneficia curata non possunt dismembrari, ut eorum fructus beneficio simplici applicentur, num.31.

Dispensare secum ipsi an possint superiores præsertim Papa? T.7. num.90. & seqq. F.157. Item an possint suis Confessariis committere, ut ab eis absolvantur, vel dispensentur, n.92. & seqq.

Dispensatio quid, & à quo fieri possit? T.34. nu.20. & seq. F.547.

Dispensatio super pluralitate Beneficiorum. Vide *Beneficiorum pluralitas ex dispensatione*.

Dispositiones causarum piarum an & à quo mutari possint? T.26. n.800. & seqq. F.448. Quomodo executioni mandari possint, ac debeant, ibid.

Disputationes publicæ in Ecclesiis sunt licitæ. T.49. num.19. F.618.

Distributiones quotidianæ, earumque constitutio ac perceptio. T.4. num.164. & seqq. F.54. Distributiones quotidianæ seu præsentiæ quæ, num.166. F.eod. Ex quibus constituantur, num.167. & seqq. Sunt principaliter institutæ ad promovendum cultum divinum, num.169. Idque absque simonia, n.171. Regula est, quòd distributiones debeantur solis præsentibus, & interessentibus, num.172. Non obstante consuetudine contraria, num.173. F.55. Vel statuto, num.174. Canonici duobus, vel tribus mensibus juxta licentiam Tridentinam absentes non gaudent distributionibus, num.175. & seqq. limitatur hoc in quibusdam casibus, n.177. & seqq. Quo ad distributiones, quas absentes non fuerunt lucrati, nulla valet remissio, n.180. F.55. Episcopus eas remittens punitur, n.181. Distributiones ob absentiam amissæ accrescunt interessentibus, n.182. Nisi in certa quantitate consistant, n.183.

Distributiones quotidianas in quibus casibus Canonici absentes lucrentur. T.4. num.185. & seqq. F.57. Acquiritur ad hoc justa causa absentiæ, & licentia Ordinarii seu Prælati, ibid. Enarrantur hujusmodi causæ, num.186. Inter quas est infirmitas, num.187. Cujus tempus non computatur inter tres menses a Concilio permissos, dummodo non adsit consuetudo in Contrarium legitimè præscripta, n.189. & seq. Solùm Capituli statutum non impedit infirmum Canonicum à percipiendis distributionibus 191. F.57. Si sanus consuevit interesse Divinis, num.192. Nec obstat, quod propria culpa infirmitatem contraxerit, num.194. Quæ infirmitas sit sufficiens ad percipiendas in absentia distributiones, n.193. Ob corporalem necessitatem Canonicus absens percipit distributiones, num.195. Et quando, num.197. F.58. Distributiones quotidianas percipit Canonicus absens ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, nu.198 & seqq. Ut si mittitur ad Concilium Generale, Provinciale, vel Synodum Diœcesanam, num.201. Aut incumbit animarum curæ, n.202. & seqq. Aut prosequitur lites, vel tractat communia negotia Capituli, num.204. & seqq. Vel si universi redditus consistunt in distributionibus quotidianis, num.207. & seqq. Item si absens est ex Privilegio Papæ, num.210. F.59. Ut si est Auditor Rotæ, n.211. vel Inquisitor hæreticæ pravitatis &c. n.212. Easdem lucrantur missi ab Episcopo ad limina Apostolorum, n.213. Nec non si habent statutum à Pontifice confirmatum, num.214. Ac tandem Canonici præbendam Theologalem habentes, n.215.

Divisio Beneficiorum quid? T.12. n.21. F.187. Est prohibita, n.22. Nisi subsit causa rationabilis, n.23.

Dolus est difficilis probationis. T.16. n.32. F.212. Quomodo probetur, ibid. & num. seqq. Indicia ad eum probandum, num.34. Quando præsumatur in depositario, num.35. Generaliter præsumitur ex actu illicito alteri nocivo, n.36. Aut omissione actus obligantis, n.37. Item ex violentia, & aliis modis, n.38 Paria sunt, si interveniat dolus re ipsa vel ex proposito, n.39.

Domestici Religiosorum ubi sepeliantur? T.28. n.21. F.461.

Dominicanorum Ordo quando inceperit. T.31 numer.39. F.501.

Dominus directus emphyteusis quas obligationes habeat? T.18. n.187. F.281.

Dominus directus Emphyteusis quæ jura habeat? T.18. num.188. & seqq. F.282 Non potest absque legitima causa Emphyteutam invitum privare Emphyteusi perpetua vel vitalitia, num.188. Benè tamen Emphyteusi alterata seu modificata, *anverleito Freystiffi* de Jure Bavariæ, & quomodo, n.189. Potest ob quatuor causas privare Emphyteuta emphyteusi, nu.190. videlicet ob non solutum Canonem, & quomodo, num.191. & seqq. ob venditionem emphyteusis indebitè factam, & quomodo, n.206. Item ob deteriorationem rei emphyteuticæ, & qualem, n.211. & seq. F.283. Item ob non solutum Laudemium, n.214. & seqq. F.284. An, & quomodo possit augere Canonem, num.204. F.eod.
Vide *etiam Laudemium*.

Domus Parochialis a quo reparari debeat? T.48. num.22. & seqq. F.562.

Domus Religiosa. Vide *Locus Religiosus*.

Donatio Quid? T.24. num.2. F.327. Debet esse merè liberalis num.3. Donatio alia est realis, alia verbalis, num.4. Alia merè gratuita, alia conditionata, num.5. Alia inter vivos, alia mortis causa, num.6. Ad donationem requiritur consensus donantis signo externo monstratus, num 7. Donatio fieri potest absenti, & præsenti, tacitè, & expressè, n.8. Potest etiam ex conjecturis præsumi, num.9. Ad donationem requiritur acceptatio ex parte donatarii, numer.10. F.eod. Quæ fieri potest verbis vel signis, num.11. Donatio Ecclesiæ, vel alii piæ causæ facta illicò obligat, etsi à Rectore vel Administratore nondum sit acceptata, num.12. & seqq. Donatio quingentos solidos excedens, an & quando debeat insinuari apud Judicem ad hoc, ut valeat, num.14. & seqq. Donari potest omnis res etiam aliena, & quomodo, n.20. F.338.

Donatio à quo fieri possit? T.24. num.21. & seqq. F.338. donare possunt omnes, qui lege non prohibentur, n.21. Prohibentur autem Omnes, qui administrationem rerum suarum carent, num.21. Item Tutores, & Curatores de rebus, quas administrant, num.23 Excepta Remunerationis causa, moris, & consuetudinis, num 24. Pater donare non potest liberis nondum emancipatis, num.25. F eod. Nisi ob causam vel remunerationis gratia, num.26. Mater tam emancipatis, quam non emancipatis validè donat, n.27. Milites, & Clerici donare non possunt Concubinis, n.28. prohibita etiam est donatio inter virum & mulierem, n.29.

Donatio Episcoporum, Prælatorum, ac Religiosorum. T.24. n.32. & seq. F.340. Magnas Donationes Ecclesiarum Rectores de rebus Ecclesiæ facere non possunt, n.32. Si faciunt, revocari possunt, ac debent: à quibus? n.33. Modicas tamen Donationes de bonis Ecclesiæ ritè faciunt, n.34. & seq. Dummodo per plus repetitas modicas donationes graviter non lædatur ecclesia,

sia, n. 36. Nulla consuetudine introduci potest, quòd Praelati de rebus Ecclesiae magnas Donationes faciant, n. 37. & & seqq. Doctrina practica pro Praelatis multa donantibus, n. 39. F. 340. Donationes remuneratorias etiam magnas facere possunt Ecclesiarum Rectores, nu. 40. Dummodò non multum excedant merita, & obsequia Donatarii, n. 41. In casu dubii tam Praelatus donans, quam Donatarius probare debent, Donationes magnas factas esse remunerationis gratia, n. 42. Ad Donationem immobilium vel mobilium pretiosorum requiritur solemnitas Juris, n. 43. Causa utilitatis Ecclesiae, Pietatis, & misericordiae possunt Rectores Ecclesiarum etiam magna proportionaliter donare, n. 44. & seq. de Redditibus ad propriam mensam pro honesta sustentatione deputatis indistinctè donare possunt Clerici, n. 46. Religiosi privati extra Monasterium habentes Beneficium cum libera administratione donare possunt, ut Caeteris Beneficiati saeculares, n. 47. F. 341. Habentes verò administrationem intra Monasterium, non nisi juxta praescriptum Superioris, Statutorum, & Consuetudinis donare valent, n. 48. Religiosi in Monasterio sine Beneficio, & administrationis Officio degentes, penitùs nihil nec pauperibus quidem donare possunt, n. 49.

Donatio mortis causa quid? T. 26. n. 688. F. 436. In dubio praesumitur donatio inter vivos, ibid. & num. seqq. Donatio mortis causa requirit acceptionem donatarii, num. 691. F. 437. Non censetur perfecta ante mortem donantis, num. 692. tres modi donationis mortis causa referuntur, num. 692. potest fieri tam à sano, quàm constituto in articulo mortis, n. 693. & seqq. Donare mortis causa potest omnis, & solus, qui testari valet, n. 65. & seqq. Cui legari, etiam mortis causa donari potest, n. 697. & seqq. Donatio mortis causa pro libitu revocari potest, num. 698. & seqq. F. 437. Expirat seu tacitè revocata censetur quatuor modis, & quibus, n. 700. & seqq. In quo differat à legato, n. 704. Et à donatione inter vivos, n. 705. F. 438. De solemnitate ad hanc donationem remissive, n. 706.

Donatio Religiosis facta sub conditione, quòd ad certum & non ad Monasterium pertineat. T. 35. n. 23. F. 547.

Donationis revocatio ordinariè fieri non potest. T. 24. nu. 50. F. 341. Limitatur tribus casibus, num. 51. Primò ob ingratitudinem Donatarii erga donantem, num. 52. Quandonam ad hunc effectum dicatur ingratus donatarius, num. 53. & seqq. Donator probare debet ingratitudinem, si ob illam vult revocare donationem, num. 61. F. 342. Potestas revocandi donationem ob ingratitudinem non competit haeredi, nec contra haeredem, num. 62. & seqq. Enarrantur casus, in quibus ob ingratitudinem donatarii donatio revocari non potest, n. 65. & seqq. Secunda causa principalis Donationem revocandi est, si Donatori liberis carenti postea nascuntur liberi, n. 69. & seq. F. 343.

Donatio facta Ecclesiae non nisi usque ad legitimam ad liberos postea natos revocari potest, n. 71. & seq.

Donatio remuneratoria ob hanc causam revocari non potest, num. 73.

Donatio inofficiosa revocari potest, n. 74.

Donationis obligatio quae. T. 24. n. 30. F. 339.

Donatio perfecta conditiones postea non recipit. T. 38. n. 21. F. 562.

Dotare Ecclesiam, & dotatio quid. T. 38. n. 9. F. 560.

Duellantes an, & quando priventur sepultura. T. 28. n. 99. & seqq. F. 570.

E

Ebrietas, & Ebrius quis. T. 1. n. 47. F. 7.

Ecclesia materialiter sumpta quid. T. 48. n. 2. F. 607.

Ecclesiae aedificatio.
Vide *Aedificatio Ecclesiae*.

Ecclesia Basilica, Cathedralis, Collegiata, Matrix, Baptismalis, Parochialis, Regularis, & Saecularis quid. T. 48. n. 3. F. eod.

Ecclesia Baptismalis, & Matrix quae. T. 30. n. 103. F. 486.

Ecclesiarum, & Ecclesiastica immunitas.
Vide *Immunitas*.

Ecclesia fungitur Jure minoris. T. 9. n. 14. F. 165. Item. T. 10. n. 51. & seq. F. 179.

Ecclesia numerata, & non numerata quae. T. 8. n. 44. F. 163. Quid Iuris de iis, n. 49. & seqq.

Ecclesiarum Ecclesiasticarumque personarum bona sunt Duplicis generis. T. 49. n. 226. F. 646.

Ecclesiae reparatio.
Vide *Reparatio Ecclesiae*.

Ejectio Religiosorum Professorum.
Vide *Religiosorum Professorum Ejectio*.

Ejecti Religiosi.
Vide *Religiosi ejecti*.

Emphyteusis quid, & quotuplex. T. 18. num. 118. F. 274. & seqq.

Emphyteusis unde, num. 118. Definitur nu. 119. Est contractus nominatus. Ibid. Et quidem stricti Juris, num. 120. & seqq. Sola res mobilis in emphyteusin datur, num. 121. Cum translatione dominii utilis, non item directi, num. 123. F. eod. Potest concedi vel in perpetuum, vel ad tempus, n. 127. De ejus substantia non est scriptura, n. 133. & seqq. F. 275. Limitatur in Bavaria, n. 136. F. eod.

Emphyteusis alia est Ecclesiastica, alia Laicalis, n. 128. F. 274. alia perpetua, alia temporalis. Ibid.

Emphyteusis ad vitam alicui concessa vitalitium. *Leibding, Leibgere chtigKeit* vocatur. Quid Juris circa illam, num. 130. F. eod.

Emphyteusis alia est haereditaria, *Erbrecht*, alia non haereditaria: Haec etiam formalis, item ex pacto & providentia dicitur, num. 131. Emphyteusis Bavaris specialis, aliqua est modificata seu qualificata, *anverlaitbe Freystifft oder Herrengunst*, num. 132.

Emphyteusis antiqua quid. T. 18. num. 265. F. 292. & n. 255. F. eod.

Emphyteusis Ecclesiastica quid. T. 18. n. 128. F. 274. Res Ecclesiasticae in Emphyteusim dari possunt etiam in perpetuum cum debitis Juris solemnitatibus, num. 260. & seqq. F. 291. Quaenam requiruntur, si Praelatus emphyteusim antiquam ad Ecclesiam reversam denuò concedit in Emphyteusin, n. 262. dummodo eadem vel similis existat utilitatis causa, n. 263. & seq. F. 292.

Emphyteusis antiqua quae dicatur, num. 267. Ea, si ad Ecclesiam reversa applicatur Mensae Ecclesiae, vel Praelati, non potest amplius absque Solemnitate Juris in Emphyteusin concedi, num 266. & seqq. Emphyteusis Ecclesiastica transit etiam ad haeredes extraneos, num. 236. & seqq. Illegitimi in ea non succedunt, num. 249. F. 291. Quid de legitimatis, num. 250.

Emphyteusin qui, & quid dare, & qui accipere possint. T. 18. num. 137. F. 275. Quilibet rei suae liberam administrationem habens in Emphyteusin potest dare, num. 137. F. eod. Pupilli, & minores non possunt, num. 138. Neque curatores, aut Tutores eorum, n. 139. In Emphyteusin accipere possunt, qui contrahere valent, n. 140. Pupilli, & minores sine consensu Tutorum non possunt, neque Clerici, num. 141. Quaevis res immobilis tam frugifera, quam infrugifera in Emphyteusin dari potest, n. 142. Non item res mobiles, nisi immobili adhaereat, n. 122. F. 274. & n. 143. F. 276. Etiam Ecclesiasticae res in Emphyteusim dari possunt, n. 144.

Emphyteusin donare, legare, in dotem dare, permutare, oppignorare quomodo, & quibus possit Emphyteuta? T. 18. num. 179. & seqq. F. 280.

Emphyteusin vendere quomodo, & quibus possit emphyteuta? T. 18. n. 174. F. eod.

Emphyteusis successio. T. 18. n. 223. & seqq. F. 285. Emphyteusis Laicalis sub clausula *pro te, & haeredibus* concessa transit ad omnes quoscunque haeredes, num. 235. F. 289. De emphyteusi Ecclesiastica est controversia, num. 226. & seq. Emphyteusis vitalitia quoque ad quosdam haeredes transit, & quomodo, n. 242. F. 290.

Emphyteusis cum specialibus clausulis juxta clausulas ad haeredes transit, num. 243. In Emphyteusi etiam foeminae succedunt, n. 244. Etiamsi adsit clausula *pro te, filiis tuis*, num. 245. & seqq. In emphyteusi Laicali succedunt illegitimi, sicut in aliis, num. 248. Non item in Ecclesiastica, num. 249. Quid de Legitimatis, n. 250. F. 291. Si haeres Monasterium ingreditur, succedit Monasterium, & quomodo, num. 251. & seqq. Item, num. 259.

Emphyteusis potest praelegari, & quomodo, num. 253. & seqq. Successor tenetur de emphyteusi satisfacere creditoribus antecessoris, si emphyteusin titulo haereditario acquisivit, num. 257. Fol. 291. Secùs si vi primae investiturae, num. 258.

Emphyteusis successor, an, & quomodo teneatur solvere debita antecessoris? T. 18. n. 357. & seq. F. eod.

Emphyteusis ex quibus causis amittatur, & auferri possit à Domino. T. 18. n. 190. & seq. F. 282.

Emphyteusis Dominus directus quas obligationes, & Jura habeat?
Vide *Dominus directus Emphyteusis*.

Emphyteuta quis dicatur. T. 18. n. 118. F. 274.

Em-

Emphyteutae jura. T. 18. n. 162. & seqq. F. 278. Habet jus utendi, ac fruendi re Emphyteutica, n. 163. Ejusque incrementis, & augmentis, ac quomodo? n. 164. Melioramenta quae Emphyteuta in re emphyteutica facit vi contractus finita emphyteusi pertinent ad Dominum, n. 165. & seqq. Gratis autem intacta tenetur Dominus refundere, n. 167. & seqq. F. 279. Etiamsi contractu jam celebrato inhibuerit Emphyteutae, ne quid aedificet vel ne meliorationes indebitas faciat, n. 169. Secus foret, si in ipso contractu cautum esset, n. 170 Meliorationum non debitarum impensas repetere valet emphyteuta, etsi propria culpa Emphyteusin amittat, n. 171. & seqq. Potest Emphyteuta rem emphyteuticam aliis vendere, n. 174. F. 280. Dummodo priùs id Domino intimet, pretiumque quo vendere velit, indicet, n. 175. Si Dominus eodem pretio emere velit, aliis praefertur. Ibid. Quibus personis vendi possit emphyteusis? n. 176 & seqq. Potest Emphyteuta inscio ac invito Domino emphyteusin venum exponere, & cum licitatoribus de pretio in eventum tractare, n. 178. F. eod. Potestatem absque consensu Domini donare, legare, & in dotem dare, n. 179. & quibus? n. 180. & seqq. Debet tamen donatio fieri sine fraude, n. 182. Et Donatarius, vel legatarius consueta onera Domino praestare, Ibid. Potest Emphyteuta Domino irrequisito rem cum alio permutare: & quomodo, n. 183. & seqq. Pariter potest eam oppignorare, n. 185. Et ad breve tempus locare, n. 186. F. 281.

Emphyteutae obligationes sunt quatuor. T. 18. n. 145. Fol. 276. Prima est, ut servet pacta conventa, n. 146. Secunda, ut rem emphyteuticam meliorem reddat, si hac conditione accepit, n. 147. absque hac conditione propriis expensis tenetur eam conservare in ea bonitate, in qua accepit, n. 148. Quid Juris si res emphyteutica tota vel ex parte perit, n. 149. & seqq. Tertia obligatio emphyteutica est, ut solvat annuum Canonem. *Stifft, und Gilds, Grund Dienst*, n. 125. F. 274. & n. 151. F. 277. Qui potest esse magnus vel parvus, n. 142. Dummodo sit minor fructibus annuis, n. 253. Si casu aliquo res emphyteutica tota perit, Canonem solvere non tenetur Emphyteuta, n. 154. An, & quid Emphyteuta de Canone annuo solvere, & Dominis remittere teneatur, casu quo res emphyteutica ex parte vel ob sterilitatem nullos, aut modicos fructus affert, n. 155. & seqq. De augmento Canonis. Vide *Canon annuus*.

Emphyteuta ob quas causas possit à Domino emphyteusi privari? T. 18. n. 190. & seqq. F. 282. Potest privari, si in emphyteusi Laicali per triennium, vel in Ecclesiastica per biennium non solvit Canonem, n. 191. Etiam ante sententiam Iudicis, n. 192. F. eod. Dummodo Dominus declarat, quòd privare velit, n. 193. Propria tamen authoritate non potest emphyteutam à possessione repellere, n. 194. & seq. Emphyteuta caducitatem non incurrit, si Canonem omittit solvere, quia alia ratione Dominus eidem tantumdem debet, n. 196. Vel quia ob sterilitatem aliamve Causam à solvendo excusatur, n. 197. Item si non solvit ex ignorantia, n. 198. Vel si obtulit, & Dominus non acceptavit, n. 199. F. eod. Emphyteuta Ecclesiasticus debito tempore Canonem non solvens potest purgare moram, n. 200. An idem possit Laicalis? n. 20. & seqq. Emphyteuta rem emphyteuticam absque debitis juris Conditionibus vendens perdit jus suum, n. 206. F. 283. Si rem venditam actualiter tradat, non obstante, quod dicat, se vendere salvo jure Domini, n. 207. Limitatur in venditione invalidè facta, n. 208. & seq. Ob alias alienationes, quas facere licitè potest, emphyteusin non perdit, n. 210. Benè tamen ob deteriorationem notabilem, n. 211. Non item modicam, n. 212. & seq. Emphyteutae successor an, & quando teneatur solvere debita antecessoris? T. 18. n. 257. & seqq. F. 291.

Emponemata quid? T. 18. n. 172. F. 279.

Ementes, & vendentes deputati, an, & quomodo possint cariùs vendere, & minoris emere? T. 17. n. 425. & seqq. F. 258.

Emere, & vendere qui possint, vel debeant? n. 22. & seqq. F. 216. Potest quivis lege non prohibitus. Ibid. Lucri causa non possunt Clerici, n. 23. Nec Administratores rerum, quas administrant, n. 24. F. eod. Nec Tutores, vel Curatores res pupilli, n. 25. Nisi administratione careant, n. 26. Pupilli & minores non possunt, n. 27. Quid de Rectoribus locorum? n. 28. Emere vendere nemo tenetur ordinariè, n. 29. Nisi urgeat necessitas communis, n. 31. & seqq. Vel bonum publicum Ibid. Vendere quis tenetur rem suam pro erigendo, vel ampliando Monasterio? nu. 35. F. 217. Et Dominus Subditum durè tractans, n. 37. Ad emendum quando cogi quis possit, n. 39.

Emi & vendi quae possint. T. 17. n. 40. F. eod. Potest quaevis res humano commercio subjecta. T. 17. n. 40. F. eod. Et quomodo futura, seu quae speratur? n. 41. & seqq. F. eod. Emi vendique non potest homo liber, nisi major vigintiquinque annis consentiat, n. 45. Nec res spiritualis, n. 47. Nec venenum malum, n. 48. Nec res litigiosa, n. 49. Vel universitatis, n. 50. Turcis vendi non possint arma, annona &c. numer. 51.

Emptio, venditio quid? & quae requirat. T. 17. n. 2. & seqq. F. 214. Et contractus bonae fidei, n. 3. Perficitur solo consensu contrahentium n. 4. F. eod. Obligat ultrò citroque, n. 6. Ejus materia, n. 7. & 8. Est duplex contractus, n. 9. Requiritur ad eam verus consensus, n. 11. Merx, n. 12. Et pretium determinatum, n. 13. F. 215. Non requirit certam verborum formam, nec scripturam, n. 15. Nisi aliter fuerit conventum, n. 16. & seq. Qualis sit contractus, si pro una re datur partim pecunia, partim alia res, n. 18. & seqq. F. eod.

Emptio, venditio officiorum, Nominum, Haereditatis & aliorum in specie. T. 17. n. 52. & seqq. F. 219. De jure naturali officia publica vendi possunt, n. 52. & seqq. Non item de jure humano, n. 55. F. eod. Nisi adsit consuetudo, n. 56. Vi cujus moderato pretio dignis & idoneis licitè venduntur, n. 57. Nomina & jura certa ac liquida vendi possunt, n. 58. Non item incerta, ac litigiosa, n. 59. Potentiori etiam certa vendi nequeunt, n. 60. Debita certa an, quando, & à quibus minori pretio emi possint, n. 61. & seqq. Quando emi possint ab officialibus pecunias debitas administrantibus, num. 64. & seqq. F. 220. An debita certa facilis solutionis & nullius periculi minoris emi, vendique possint, pro & contra disputatur, n. 68. & seqq. F. eod. Haereditas nondum delata certi Testatoris adhuc viventis vendi nequit, n. 77. F. 221. Nisi Testator ipse consentiat, n. 78. Haereditas incerta cujuscunque Testatoris etiam adhuc viventis ritè venditur, n. 79. Etiam illius, qui est vel creditur mortuus sub conditione, *si me instituit haeredem*, n. 80. & seqq. Haereditas delata Testatoris jam defuncti liberè vendi potest, n. 82. Haereditatis nomine, quae veniant, n. 84. & seqq.

Emptio, venditio rei alienae, T. 17. n. 89. & seqq. F. 222. Res aliena etiam furtiva emi potest. Ibid. Dummodo emptor ignoret rem esse furtivam, num. 90. Vel alienam, num. 91. & seq. Quando venditio rei alienae est valida, tenetur eam venditor tradere, etsi sciat eam esse alienam, num. 93. & seq. In tali venditione rei alienae acquirit venditor dominium mercis, num. 95. & seqq. Fol. 223. Emptor rei alienae tenetur eam restituere, quando nescit eam esse alienam, num. 98. Etsi dominus rei pretium expensum illi non refundat, num. 99. Improbatur mala praxis, num 100. Qui emit rem alienam cum intentione eam restituendi Domino justè praetendit expensas, num. 101. Emptor rei alienae non solùm rem ipsam, sed etiam fructus perceptos restituere tenetur, num. 102. Fol. eod. An teneatur Emptor rei alienae rem restituere Domino suo, vel possit eam iterùm tradere venditori, ab eoque repetere pretium, pro & contra disputatur, num. 103. & seq Probabilius tenetur eam restituere Domino, num. 105. & seqq. Potest tamen restituere, si inde nullum sequatur damnum Domino, num. 111. F. eod. Si bona fide jam restituit venditori, vel vendidit tertio, ad nihil amplius tenetur, num. 112. & seq. Quid juris si pecunia furtiva, vel pecuniis alienis res emitur, num. 114. & seqq.

Emptio venditio rei pluribus facta quid juris secum trahat. T. 17. num. 245. & seqq. F. 238.

Emptio venditio rerum, vitio laborantium, & fraudes, ac doli in emptione venditione. T. 17. n. 172. seq. & F. 231. Vitia seu defectus mercium quatruplicia. Ibidem. Quando emptor de certo vitio interrogat, tenetur illud manifestare venditor, num. 173. Vitium vel defectus manifestè patens necessario non est indicandus numer. 174. Nisi forsan venditor cognosceret, id ab emptore non observari, num. 175. Vitium seu defectus circa substantiam ordinariè manifestari debet. num. 146. Ponitur limitatio, num. 147. Vitia circa qualitatem reddentia merces inutiles ad finem ementis manifestare tenetur venditor, num. 118. & secùs est, si merces nihilominus aequè vel fermè aequè utiles sunt ad intentum ementis, num. 180. F. 232. Vitium in quantitate manifestare tenetur venditor n. 181. Nisi pretium legitimum, vel vulgare esset injustum, num. 182. & seqq. Proponitur, & solvitur objectio circa deceptionem in pondere, & mensura, num. 183. & seqq. Si venditor dolosè occultat vitium mercium tenetur ad recompensationem damni indè secuti, numer. 186. Venditor ignorans vitium rei non tenetur damnum inde secutum resarcire, benè tamen restituere id, quanto minoris res empta fuisset, num. 187. Fol. 233. Quid si tempore contractus apponitur conditio de cavendo periculo, vel damno? num. 188. & seqq. Emptor quoque ad restitutionem tenetur, si à venditore ignaro rem bonam pro mala, argentum v. g. pro stanno emit num. 190. & seqq. Ponitur limitatio, num. 192. Merces in una Regione vilissimae, in alia summo pretio licitè vendi possunt, num. 193. Qui occultè scit, venas metalli &c. potest illum currente pretio emere, nec tenetur vendito-

dito-

ditorem monere de thesauro, num. 194. An possit currenti pretio emere, vel vendere; qui scit brevi minuendum, vel augendum pretium? num. 195. & seqq. Non potest quis vendere alicui passuro damnum, si habere potest emptorem, qui absque damno emit, num. 207. F. 234. Qui scit valorem certæ monetæ minuendum, potest eam expendere in ea quantitate, in qua alias expendisset, num. 208. Non autem potest ob hanc notitiam studio segregare, & expendere in majori quantitate, num. 209. Sciens discessuram aulam Principis potest domum locare pretio; quo alias locasset, num. 210. Pariter potest concurrente pretio sua vendere, qui scit ob futuram obsidionem ea brevi peritura, si alias vendidisset, num. 211.

Emptionis venditionis pretium, & in quo consistat, T. 17. num. 116. F. 225. Est duplex, legitimum nempe & vulgare, num. 117. Fol. eod. Pretium vulgare est triplex, infimum nempe, medium, ac summum, n. 118. Quolibet horum vendi emique potest, n. 119. Justo tantum pretio emi vendique potest, num. 120. Solvuntur instantiæ, num. 121. & seqq. In foro externo toleratur deceptio emptionis, & venditionis, nisi sit ultra dimidium, num. 22. Fol. 226. Parvus excessus, vel defectus nec in foro interno nocet, num. 124. Imò nec magnus, si pars altera condonat, num. 125. Excessus supra dimidium præsumptionem donationis in foro externo non admittit, num. 126. Etiam res rara v. g. Gemmæ, aves Indiæ &c. vendi non possunt quovis pretio ad libitum, num. 127. & seq. Pretium rerum augeri non potest ob particularem utilitatem, necessitatem, & affectionem amantis, num. 129. Res vilissimæ communiter magni æstimatæ, magno pretio vendi possunt, num. 130. F. eod. Pretium justè taxatum, seu legitimum obligat in utroque foro, num. 131. Etiam Clericos, num. 132. & seqq. Atque peregrinos, nu. 134. Pretium injustè taxatum non obligat in foro interno, num. 135. Hinc absque peccato transgredi possunt, n. 136. Vel scita fraude per pondera, & mensuram justam compensationem facere, num. 137. F. 227. Etiam immiscendo mercibus aliam materiam, num. 138. In dubio an pretium sit justum, præsumitur tale, num. 130. & seqq.

Emptionis Venditionis pretium ob quas causas & circumstantias augeri, vel minui possit, T. 17. num. 241. & seqq. F. 228. Justa causa augendi pretium est damnum emergens, ibidem Et lucrum cessans, num. 142. F. eod. Dummodo ex venditione, & non aliunde sequantur, num. 143. Lucrum cessans & damnum emergens deductis priùs expensis computari debent, num. 144. Debet de iis moneri emptor, si propterea augetur pretium, nu. 145. Ob specialem affectionem, quam venditor habet ad rem, eam cariùs vendere potest, nu. 146. F. eod. Non item ob specialem affectionem, vel utilitatem quam de ea habet emptor, num. 148. Raritas mercium, & multitudo emptorum auget pretium, num. 148. Ob solam dilatam solutionem licitum quidem est rem vendere rigoroso pretio, num. 148. Sed non excedente limites justi pretii, num. 150. nisi adsit periculum perdendi ex toto, vel ex parte pretium, num. 151. Periculum damni in se est pretio æstimabile, num. 152. & seq. F. 229. Ob illud licet augere pretium, num. 155. modo propterea moneat emptorem, numer. 156. Solvuntur objectiones, num. 157. & seq. si in obtinenda solutione prævidentur difficultates, labores, vel molestiæ, justè augetur pretium, num. 150. pariter si ex dilata solutione, lucrum cessans vel damnum emergens venditori eveniat, nu. 160. Approbatur praxis mercatorum, ob dilatam solutionem cariùs vendentium, num. 161. causæ minuendi pretium seu viliori pretio emendi sunt, lucrum cessans vel damnum emergens, num. 162. Copia mercium & paucitas emptorum, numer. 163. F. 230. Si magna copia mercium simul ematur, num. 164. Modus vendendi, ut si merces sub hasta, vel in foro scrutatorio venduntur, n. 165. Item ob merces ultroneas, num. 166. & seqq. Merces apud Mercatores plus valent quam apud Proxenetas, & quare, num. 168. Ob solam anticipatam solutionem non est licitum rem minus justo emere, nu. 199. & seqq. Solvitur objectio, num. 171.

Emptionis Venditionis periculum ac commodum seu fructus ex re vendita, T. 17. num. 212. & seqq. F. 235. Periculum rei venditæ, post traditionem pertinet ad emptorem. Ibid. Etiam ante traditionem, si venditur res certa in individuo, num. 213. F. eod. Nisi aliter contrahentes specialiter convenerint, num. 215 Res Domino suo perit: quomodo intelligatur, num. 214. Si res ex dolo, vel culpa etiam levi non item levissima venditoris perit, ad eundem periculum pertinebit, num. 216. Idem est, si venditor fuit in mora tradendi, num. 217. Nisi res etiam apud Dominum periisset, num. 218. Res ante traditionem ex delicto venditoris, fisco addicta, venditori perit, num. 219. In venditione conditionata periculum ad quem pertinet? num. 220. Venditio ad corpus, & ad mensuram quid? num. 221. & seqq. Fol. 236. In venditione ad corpus periculum emptoris est, num. 224. In venditione ad mensuram verò venditoris est, donec res numeretur, ponderetur, num. 225. Fructus & commoda rei venditæ post traditionem ad emptorem pertinent, num. 226. F. 237. Fructus pendentes quoque, num. 228. Etsi nondum solverit, num. 228. Fructus post contractum provenientes ex re nondum tradita, & ante solutionem, vel cautionem &c. ad quem pertineant? num. 229. & seqq. Res duobus in solidum vendita, & nulli adhuc tradita dari debet primo emptori, n. 245. F. 238. Si verò secundo emptori jam esset tradita, ejus manet, nu. 246. Venditor tamen punitur pœna falsi. Ibid. & primus emptor habet actionem contra venditorem ad interesse, n. 247. Si prior emptor est privilegiatus, acquirit dominium ante traditionem, resque restitui eidebet etsi secundo emptori jam esset tradita, n. 248. & seqq. F. 239. Si secundus emptor conscius fuit, rem prius jam esse alteri venditam, debet eam priori emptori restituere, n. 250. Vel compensationem facere, n. 251.

Emptionis Venditionis pacta opposita. T. 17. n. 252. & seqq. F. eod. Emptioni Venditioni licitè opponuntur pacta. Ibid. Pactum legis commissariæ quid? n. 253. & quare sic dicatur? n. 254. Est idem ac lex Commissoria. Ibid. Si emptor determinato per pactum tempore non solvit dicitur commissa lex, & statim ipso jure res ad venditorem redit, num. 255. F. 240. Una cum fructibus, num. 256. Nisi Venditor præeligat pretium, prout potest, nu. 257. & seq. Pactum addictionis in diem quid? & unde? nu. 259. Si in tempore per pactum determinato, alius emptor meliorem conditionem offert, ipso Jure res vendita, una cum fructibus ad venditorem redit, nu. 261. Dummodo verè & non dolosè melior conditio offeratur, num. 262. Et eam Venditor acceptet, num. 263. F. 241. Illamque prior emptor præstare nolit, num. 254. & seq. Tempore intermedio per pactum addictionis in diem determinato, emptor est Dominus, pertinentque ad illum fructus, numer. 266. Et pericula, num. 267. Si venditio celebrata fuit absolutè, numer. 278. Conditio suspensiva, non item resolutiva facit contractum conditionatum, num. 269. Pactum addictionis ad diem, & legis Commissoriæ licitum est, num 270. Quid sit & quotupliciter fieri queat pactum retrovendendi, seu redimendi, num. 271. & seq. F. eod. Effectus hujus pacti potissimus est obligare emptorem ad revendendum, ita ut non satisfaciat præstando interesse, nu. 273. & seqq. Obligatus ad factum, an & quando satisfaciat præstando interesse, num. 27. Cum pacto retrovendendi emens fit Dominus rei, & lucratur fructus, num. 276. & seq. Fructus pendentes pro rata temporis sunt dividendi inter emptorem, & venditorem, num. 278. & seq. Ponitur casus, in quo fructus pendentes ad solum venditorem pertinent, num. 280. incrementa & accessiones interea factæ emptoris sunt, n. 281. Ad quem pertinet decrementum, pertinere etiam debet incrementum, nu. 282. & seq. Pactum retrovendendi in gratiam venditori utroque Jure licitum est, num. 248. & seqq. Solvitur instantia 287. F. 243. Ut licitè fiat hoc pactum, debet abesse omnis animus usurarius, num. 288. Signum animi usurarii est, si emptor nimis vile pro re det pretium, num. 289. Potest tamen ordinario justo dare, nu. 290. Alia signa animi usurarii ponuntur 291. & seqq. Etiam in gratiam emptoris licite fieri potest emptio venditio cum pacto retrovendendi, num. 295. F. eod. Ponuntur quædam formulæ emendi cum pacto retrovendendi, num. 296. & seqq. Contractus Mohatra vel Pharatra quid? num. 298. non est licitus, nu. 299. Arrha quid? à quo, & quando detur, num. 300. F. 244. Si datur ante contractum omnino perfectum, in signum & securitatem perfectionis faciendæ, recedi adhuc potest à contractu, sed tamen, qui altero invito discedit, Arrham perdit, vel duplum restituit, num. 301. Contractu completo & pretio soluto restitui debet arrha, nisi jam sit in pretium computata, num. 303. Si post perfectum jam contractum, sed ante rem traditam, & pretium solutum datur Arrha, recedi adhuc potest à contractu secundum plures, num. 303. Eligitur sententia negativa, num. 304.

Emptionis venditionis resolutio seu dissolutio, T. 17. num. 415. & seqq. F. 257. Variæ causæ, ob quas Emptio, Venditio dissolvitur. Ibidem. Re adhuc integra, potest emptio mutuo consensu dissolvi, num. 416. Quandonam censeatur res adhuc esse integra, numer. 417. Quando contractus ex una saltem parte jam est completus, solo mutuo consensu non amplius dissolvitur in foro externo, benè tamen in foro interno, num. 418. & seqq. 417. Contractu Emptionis ex utraque parte completo, per mutuum consensum non dissolvitur prior, sed fit novus, num. 420 & seqq. Contractu completo tenetur Venditor tradere rem venditam, nec satisfit præstando interesse, n. 422. & seqq.

Emptionis Venditionis Actiones.
Vide *Actiones ex Empto, & Vendito.*

Emptionis Venditionis Evictio.
Vide *Evictio.*

Emptionis Venditionis læsio ultra & infra dimidium.
Vide *Læsio ultra dimidium.*

Emptionis Venditionis deputatus, ut certo & determinato pretio rem aliquam emat, vel vendat an possit sibi retinere excessum, si pluris vendat, aut minoris emat? T. 17. n. 425. F. 258. Non potest, si pretium solummodo determinatur, ne excedatur, numer. 426. Potest, si Dominus plus non, quàm solum determinatum pretium desiderat, numer. 427. Contrarium tamen ordinariè præsumitur, num. 428. Non potest retinere intuitu laboris & industriæ, num. 429. Nec quia pro se emit, num. 430. Quandonam, & qualiter pro se emere valeat? num. 431. F. 259. Famuli & famulæ excessum pretii retinentes ordinariè peccant, num. 432. Deputati ad emendum certo pretio, regulariter retinere sibi nequeunt excessum pretii, n. 433. In specie peccant sartores ad emendum missi, num. 434. Nisi Mercatores eisdem ex speciali ratione vendant, n. 435.

Episcopi non comprehenduntur sub ulla sententia suspensionis, aut Interdicti, nisi exprimantur. T. 1. numer. 16. F. 4. Benè tamen sub excommunicatione, num. 17. Eorum vitæ honestas describitur à S. Apostolo. T. 1. n. 35. F. 6.

Episcopi non possunt servire Regibus, & Principibus sæcularibus sine licentia Papæ. T. 4. n. 49. F. 37.

Episcopus semper potest habere, & invitos compellere duos Canonicos, ad sibi inserviendum. T. 4. num. 152. & seqq. F. 52.

Episcopi non possunt celebrare in loco non sacro: nec aliis licentiam celebrandi dare. T. 41. numer. 3. & seqq. F. 591. Quid circa infirmos possint? num. 15. F. 594.

Episcopus an, & quomodo possit dispensare super pluralitate Beneficiorum? T. 5. n. 258. & seqq. F. 88.

Episcopus qualem potestatem habeat in causas pias ac religiosas. T. 36. n. 5. & seq. F. 555.

Episcoporum causæ præsertim Criminales graviores contra eos per solum Papam cognosci & terminari possunt. T. 4. numer. 32. F. 37.

Episcopi Jurisdictio in Regulares existentes in Parochia. T. 37. n. 10. F. 557.

Episcopus in materia Asyli est Judex. T. 49. num. 193. & seqq. Fol. 641. Quomodo procedere debeat? Ibid. In dubio debet judicare pro Immunitate, num. 200. F. 642.

Episcoporum Residentia, & non Residentium pœna.
Vide *Residentia Episcoporum.*

Epitogium seu Tabardum fœderatum quid? T. 1. num. 109. F. 15.

Erectio Beneficiorum.
Vide *Beneficiorum erectio.*

Erectio Parochiæ novæ quomodo fieri possit, ac debeat? T. 48. n. 13. & seq. F. 608.

Eremitæ qui. T. 1. nu. 20. & seqq F. 4. An & quando veniant nomine Clericorum. Ibid. An gaudeant immunitate Ecclesiæ, Ibid.

Error Communis præbet Titulum præsumptum. T. 31. num. 210. F. 526. Supplet potestatem Jurisdictionis, sed non Ordinis. T. 43. num. 3. F. 598.

Et dictio sumitur subinde pro *vel*, & econtra. T. 38. num. 5. F. 559.

Etiam dictio est augmentativa, & implicativa. T. 9. numer. 47. F. 170.

Eucharistiæ Sacramentum diligentissimè sub clavibus custodiri severè præcipitur sub pœnis. T. 44. num. 1. F. 699. Ad illud qui confugiunt, gaudent Jure Asyli. T. 44. numer. 1. Fol. eod.

Evictio quid. T. 17. n. 362. F. 252. Quam primum lis movetur ad rem evincendam tenetur venditor emptorem defendere, litem assumere, num. 363. Nisi sciat, rem esse alienam tunc enim absque lite illam domino, pretium autem & interesse restituere debet Emptori, numer. 364. Venditor emptorem defendere non tenetur nisi illum priùs laudaverit emptor, seu litem esse motam denunciaverit, nu. 365. F. eod. Non sufficit quævis denuntiatio, sed debet fieri cum requisitione, ut veniat, num. 366. Debent insuper denuntiationi includi libellus, & acta litis motæ, num. 367. Requiritur etiam, ut tempore debito fiat, num. 368. Denuntiatio motæ litis fieri debet, etsi venditor id aliunde jam sciat, num.

369. Excipitur tamen minor & Ecclesia, num. 370. Venditor ad defendendum Comparens, sequi debet forum emptoris, num. 371. Fol. 253. Postquam res actu fuit evicta, competit emptori contra Venditorem actio ex empto nu. 372. Ad hoc ut restituat totum pretium, si tota res fuit evicta, vel partem si pars habetur evicta, nu. 373. Una cum interesse emptoris, num. 374. Dummodo non excedat duplum pretium. n. 375. Nomine interesse veniunt hic etiam expensæ litis, quas fecit emptor, num. 376. Venditor si laudatus non fuerit, restituere nihil tenetur, num. 377. & seqq. Nisi manifestè constaret, rem esse alienam, nullamque defensionem Venditori competere, num. 379. & seqq. Fol. eod. Venditor de evictione non tenetur, quando Emptor tempore sententiæ promulgatæ contumaciter abfuit, num. 382. Vel quando sententia culpa judicis pro actore lata est, num. 383. Aut quando Emptor a sententia appellavit, num. 384. Aut negligentia vel imperitia sua causam perdidit, num. 385. Vel rem alienam sciens emit, num. 386. Si venditor rem alienam bona fide vendens conveniat cum emptore quòd ratione evictionis ad nihil teneatur, quid Juris, num. 387. F. 254 Qui sciens rem alienam vendit, pretium cum interesse restituere debet, non obstante quacunque conventione, n. 388.

Exactio quid? T. 49. num. 241. Fol. 649. Ab ea immunes sunt Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ, num. 237. & seqq.

Exactio Ecclesiastica quid. T. 39. n. 18. F. 576.

Exactio Laicalis quid. T. 39. n. 38. An & quando Laicis imponere possint Principes, nu. 40 F. 579. Peccata Principum circa has, nu. 41. An, & quando obligent in Conscientia, num. 43. & seqq. Ecclesiis Ecclesiasticisque personis, & bonis eorum nullo modo imponi possunt. T. 49. numer. 279. F. 658.

Examinari quinam Præsentati ad Beneficium possint, aut debeant. T. 7. n. 13. F. 149.

Examen Monialium ante professionem.
Vide *Moniales.*

Exceptio non prodest nisi opponatur. T. 31. num. 9. F. 535. & T. 49. num. 64. F. 624.

Exceptio unius firmat regulam in contrarium. T. 26. num. 141. F. 374.

Excommunicatio major est maxima pœna in Ecclesia. T. 1. n. 118. F. 16.

Excommunicati gaudent Asylo. T. 49. num. 55. F. 623.

Execratio Ecclesiæ quando & quomodo fiat. T. 40. num. 11. & seq. F. 585.

Execratio Altaris quando fieri censeatur. T. 40. n. 36. F. 588. Execratur, si confringitur lapis, num. 37. aut amovetur superior tabula, num. 38. non item, si solum sepulchrum, num. 39. & seqq. F. eod. per execrationem Altaris non execratur Ecclesia nec econtra, num. 41.

Executor, & Executio Testamenti. T. 26. num. 772. & seqq. Fol. 445. Executor quis, num. 772. quotuplex, num. 773. si nullus in testamento deputatur, executor illius est hæres exceptis legatis pro alimentis pauperum, nu. 774. in defectu aliorum Executor est Episcopus, num. 775. Executor potest deputare unus vel plures, etiam fœminæ, ac Clerici, n. 776. Religiosi quoque: & quomodo, num. 777. & seqq. fratres Minores non possunt esse Executores, num. 781. F. 446. possunt tamen dare Executoribus consilium, num. 782. Potest Testator committere fratri Minori, ut ipse aliquem Executorem denominet: Item potest obligare Executorem, ut non nisi juxta denominationem fratris Minoris legata pia Distribuat, num. 783. Regulariter nullus potest cogi ad Munus Executoris, num. 784. Benè tamen ex rationabili causa, n. 785.

Executores quam primùm possunt, tenentur exequi ultimam Voluntatem, numer. 786. & seqq. Ad quod tam à Judice Laico, quam Episcopo negligentes possunt compelli, n. 788. & seqq. subinde compelli debent, nu. 790. Fol. 447. Judex Laicus Executorem Clericorum compellere non potest, numer. 791. Post aditam hæreditatem Judex statim potest compellere executorem, num. 792. & seqq Quid, si Executor Monitus negligit exequi voluntatem defuncti, num. 799. & seqq. Qui intra sex Menses legata pia etiam sine monitione exequi negligit, debet illa cum fructibus restituere, num. 796.

Executore negligente devolvitur potestas ad Episcopum exequendi, num. 717. In executione Voluntas Testatoris principaliter attendi debet, num. 798. Pluribus constitutis executoribus, an, & quando, unus sine altero procedere valeat, num. 799 F. 448. Religiosus vel Clericus potest suo Monasterio vel Ecclesiæ quid applicare, si dispositio est ad causam piam in genere, n. 800. An sibi ipsi, si dispositio est pro pauperibus in genere, n. 801. & seqq.

Executor non potest dispositionem pro una causa pia in aliam mutare, num. 804. F. 449. Nisi nova causa vel prius ignorata emergat, n. 805. Vel respectu Eleemosynæ sit nimium onus spirituale; num. 806. Papa ex rationabili causa potest pias voluntates ab uno in alium pium usum mutare, n. 807. & seqq. Etiam Episcopus cum hærede, si relictum ad determinatam causam piam applicari nequit, numer. 809. & seqq. Legata pro pauperibus in genere relicta non potest Executor pro libitu distribuire, sed debet ordinatè procedere, num. 811. F. eod. Et quomodo, num. 812. & seqq. Qualiter exequenda sit dispositio pia. *Volo ut hæc applicentur pro Dei Gloria, vel salute animæ meæ*, n. 820. F. eod.

Executores tenentur facere Inventarium, & reddere rationem expensarum, etsi id remiserit Testator, numer. 821.

Exemplo & factis demonstrare plus est, quam verbis dicere. T. 3. n. 10. F. 27.

Exhæredatio quid? T. 26. n. 477. F. 414.

Exhæredatio descendentium debet nominatim fieri, num. 478. Et circa totam hæreditatem, numer. 479. Atque ex legitima causa testamento inserta, numer. 480. Quæ ab hærede scripto probari debet, numer. 481. Idem requiritur ad Exhæredationem ascendentium, numer. 482. Enumerantur quatuordecim causæ exhæredandi descendentes, num. 483. & seqq. An ob alias æquè graves causas præter enumeratas fieri possit exhæredatio, num. 497. F. 415. Quævis gravis injuria est causa sufficiens, num. 498. Liberi sine consensu parentum nubentes, an exhæredari possint, num. 499. & seqq. Quid circa hoc disponant statuta Bavariæ, num. 502. F. eod. Enumerantur octo causæ, ob quas exhæredari possunt parentes, num 503. Causa Exhæredationis cessat, si ante conditum testamentum Parens cum liberis, vel hi cum illo reconciliantur, numer. 504. Item si Proles Monasterium ingrediantur, numer. 505. Frater in casu Personæ turpis institutæ, ob quas causas exhæredari possit, n. 506.

Expressa nocent, non expressa non nocent. T. 8. num. 29. F. 161.

Extractio rei e loco Asyli.
Vide *Rei extractio*.

Extraditio rei.
Vide *Rei quando & quomodo extradi debeant*.

F

FAbri, streperam artem exercentes, possunt locare Domos propè Monasteria, & Scholas publicas. T. 18. num. 14. F. 261.

Factum qui debet, non satisfacit solvendo æquivalens interesse. T. 23. n. 39. & seqq. F. 331.

Fœminæ citius senescunt, & generare desinunt, quàm viri? T. 32. n. 16. F. 536.

Fœmineo vocabulo non continetur masculinum. T. 28. n. 25. F. 461.

Falcidia, & Trebellianica quid, & unde origo eorum. T. 26. n. 465. & seq. F. 413.

Falcidia ex quibus bonis deducatur, n. 467. Quantitas bonorum in computatione Falcidiæ attenditur solum illa, quæ adfuit tempore mortis, n. 468.

Falcidiæ etiam subjacet donatio mortis causa, & Fideicommissum particulare, num. 469. Non deducitur à legatis privilegiatis, nec in Testamento militis, num. 470. & seqq. Non deducitur à profanis Legatis, si Testator ita cavet, num. 472. Quid de jure Bavariæ, ibid. & num. 471. Dicta de Falcidia veniunt etiam intelligenda de Trebellianica, n. 473. F. 413. Limitatur in aliquibus, n. 474. Liberi præter legitimam deducunt etiam Trebellianicam, vel Falcidiam, n. 475. & seqq.

Fama sanctitatis defuncti quomodo coli, ac invocari possint. T. 45. n. 18. & seqq. F. 602.

Fama etiam publica sine aliis adminiculis plenè non probat. T. 2. n. 21. F. 21.

Famuli, & famulæ.
Vide *Locatores operarum*.

Felonia quid, & quando privet Feudo. T. 20. num. 151. & seq. F. 310.

Feudatarius quid. T. 20. n. 5. F. 297. Tenetur ad fidelitatem, & obsequium personale, n. 9. Ecclesiasticus habens Feudum sæculare judicatur à Laico, n. 17. F. 298.

Feudum quoad originem, naturam, & divisionem. T. 20. n. 2. & seqq. F. 297. Feudi origo, n. 2. & seqq. Feudi varia acceptio n. 5. F. eod.

Feudum definitur, num. 6. Debet esse res immobilis, num. 7. Per Feudum solummodo transfertur dominium utile, liberaliter tamen, & perpetuo, num. 8. Feudatarius obligatur ad fidelitatem, & obsequium personale, num. 9. Si habet feudum proprium, n. 10.

Feudum aliud est proprium, aliud improprium, n. 11. Aliud est antiquum, novum, paternum, & avitum, numer. 12. Differentia inter feudum novum, & antiquum, num. 13. & seqq. F. 298.

Feudum Ecclesiasticum, & sæculare quid, & unde cognoscatur, n. 15. Clerici habentes feudum sæculare à Domino directo in causa feudali judicantur, n. 16.

Feudum nobile, & ignobile quid, num. 18. Regale, & non regale quid, numer. 19. Ligium, & non Ligium quid? n. 20.

Feuda ligia non potest quis à duobus Dominis accipere, n. 21. F. eod. Benè tamen feuda non Ligia, n. 22.

Feudum familiæ, seu ex pacto, & providentia *Stammlehen* quid, n. 23.

Feudum hæreditarium quid, n. 24. & seqq.

Feudum masculinum, & fœmineum quid, n. 27.

Feudum fœmineum est impropriè tale, nec possunt in eo succedere feminæ, quandiu masculus superstes est, num. 28. Quid sit Feudum Francum, & non Francum, num. 29. F. 236. Personale, & Reale, de Camera, & de Cavena, num. 30. Quardiæ, & Castaldiæ, numer. 31. Soldatæ? numer. 32. Feuda personalia sunt Feuda impropria, numer. 33.

Feudum Emptitium, & Gratuitum, n. 34.

Feudum Bursaticum Bavaris speciale quid, n. 35. Enarrantur ejus conditiones, num. 36.

Feuda Bursatica in Bavaria sunt frequentia, n. 37.

Feuda Equestria quæ, n. 38.

Feudorum libri an sint authentici, numer. 39. & seqq. Fol. 337.

Feudum dare, & accipere quinam, & quomodo possint? T. 20. num. 43. & seqq. F. 300. Dare possunt omnes, & soli rerum suarum administrationem habentes, ibidem. Etiam plebei, & fæminæ, numer. 44. Episcopi quoque, & Ecclesiarum Prælati, & quomodo, num. 45. & seqq. Rerum suarum administratione carens in feudum dare nequit, n. 47. F. 301. Excipitur minor, qui saltem feudum antiquum concedere potest; n. 48.

Feudum accipere potest quivis, si specialiter non prohibetur, n. 49. Etiam minorennis, & pupillus: quomodo, n. 50. Ac insuper Superior ab inferiore, n. 51. Clerici quoque Feudum accipere possunt, n. 52. & seqq.

Feudum fieri, seu in Feudum dari potest quævis res immobilis. T. 20. num. 54. Fol. 301. Excipitur res sacra, ibidem.

Feudum acquiritur tribus modis. T. 20. num. 55. F. 302. Pacto, & investitura, ibid. & num. seqq. Investitura quomodo, & coram quibus fieri debeat, num. 57. In casu litis investituram probare quomodo debeat Vassallus, numer 58.

Feudum acquiritur etiam præscriptione triginta annorum, n. 59. F. eod. Etiam sine titulo, dummodò adsit bona fides, n. 60. Ex re feudali potest fieri allodialis per præscriptionem, n. 61. & 67. An possit feudum malè alienatum præscribi; n. 62. & seqq.

Feudi successio, quamvis olim nulla fuerit, hodie tamen datur. T. 20. num. 69. & seqq. F. 303. Ab intestato non item ex testamento, num. 70. Dispositio Testamentaria de feudis est nulla, num. 71. Excepto Feudo perfectè hæreditario num. 72. Triplex genus succedentium in Feudo, n. 73. Primo loco succedunt descendentes filii, & nepotes, hi in stirpes, illi in capita æqualiter, num. 74. Filii æqualiter succedunt, etsi sint ex diverso matrimonio, num. 75. F. 304. In Feudis individuis, Ducatus v. g. solus primogenitus succedit, cujus filius tanquam nepos Patris præfertur secundo genito Patris, num 76. Filii adoptivi, & illegitimi in feudo ordinariè non succedunt, num. 77. Filius etiam justè exhæredatus in Feudo succedit, num. 78. Ascendentes in Feudo regulariter non succedunt, num. 79. Limitatur in aliquibus casibus, num. 80. Deficientibus descendentibus regulariter succedunt agnati, non item cognati, num. 81. & seqq. Deficientibus descendentibus & fratribus, succedunt nepotes ex fratribus in capita, non in stirpem; num. 83. Fol. 342. Deficientibus etiam his nepotibus, succedunt agnati illi, qui ex linea defuncti Vasalli descendunt, num. 84. Agnati in infinitum succedunt, num. 85. & seqq. In feudo

de novo soli descendentes succedunt, num. 87. Fœminæ, & descendentes ab eis etiam masculi regulariter in feudis succedunt, num. 88. & seqq. Nisi Feudum sit Fœmineum, vel speciale adsit pactum, num. 90. & seqq. In impropriis Feudis an fœminæ succedant, num. 92. F. 305. In Feudis empticiis succedant fœminæ, num. 93. Fœmina in feudo investita non repellitur à Masculo postea nato, nisi tempore investituræ jam fuerit in utero matris, num. 44. Fœmina semel exclusa an censeatur perpetuò exclusa, num. 95. Clerici, & Religiosi in feudis propriis regulariter non succedunt, num. 96. & seqq. Nisi sint annexa dignitati Ecclesiasticæ, aut vi investituræ, statuti, vel consuetudinis id ei competat, num. 99. F. eod. In Feudis Francis, fœmineis, hæreditariis, & aliis impropriis Clerici, & Religiosi succedunt, num. 100. Etiam Monasterium loco Professi, quamdiu talis Religiosus vivit, num. 101. & seqq. In Feudis Regalibus Monasterium loco Professi non succedit, num. 103. Benè tamen in oppidis, & Castris jurisdictionem habentibus, num. 104. Muti, surdi &c. succedunt in feudis, quorum servitia præstare valent, num. 105. & seq. Non item in illis, quorum servitia præstare nequeunt, num. 107. F. 307. In quo casu an, & quid debeat eis dari de Feudo? num. 108.

Feudum quas Obligationes, & Jura pariat Domino, ac Vassallo? T. 20. num. 109. & seqq. F. eod. Domino competit Jus proprietatis in feudo, numer. 109. Vassallus debet Domino præstare obsequium, & jurare fidelitatem, num. 110. Quidnam ratione fidelitatis debeat, num. 111. De formula juramenti Vassallorum remissivè, num. 112. Contingente mutatione ex parte Domini, vel Vasalli debet hic renovationem investituræ petere, num. 113. Pro qua tamen de Jure nihil, de consuetudine tamen relevium datur, num. 114. Relevium inter & Laudemium distinctio, num. 115. F. eod. Vassallus habet dominium utile in Feudo, num. 116. Quas obligationes habeat Dominus feudi respectu Vassalli, num. 117. & seqq. Vassallus sine consensu Domini non potest alienare feudum, num. 119. Nisi sit hæreditarium, num. 120. Vel alienetur proximiori agnato, num. 121. Vel mulier habens feudum illud marito pro dote consignet, num. 122. Vassallus potest dare feudum alteri in feudum, num. 123. Fol. 308. Et etiam ad modicum tempus locare, num. 124.

Feudum novum potest Vassallus cum consensu Domini alienare, num. 125. Non item antiquum, nisi accedat consensus agnatorum, num. 126. Quid si feudum antiquum malè alienatum proximus agnatus non revocat, n. 127. Agnatis competit Jus retractus feudi absque eorum consensu alienati, n. 128 Licit[illegible] alienare feudum ad ratificationem Domini, num. 129.

Feudum amittit[illegible] absque consensu Domini illud alienat. T. 20. num[illegible]8. Postquam actu illud jam tradidit, num. 131. F[illegible] nisi statim iterum recuperet, num. 132. An feud[illegible] consensu Domini alienatum ad Dominum, vel ad Ag[illegible]eat, pro & contra disputatur, num. 133. & seqq. [illegible] ingente mutatione Vassallus dolosè, vel culpabilit[illegible] investituræ renovationem non petit, feudum amittit, num. 140. & seqq. F. eod. Secùs est, si legitimè impeditus, vel ex alia causa rationabili id omittit, num. 142. Impuberes ob neglectam investituram non omittunt feudum, benè tamen Minores, n. 143. Quibus competit restitutio in integrum, n. 144. Dominus finito anno, & die admittens Vassallum ad servitia feudalia censetur remisisse pœnam, n. 145.

Feudum ob neglectam investituram amissum ad Dominum, non ad Agnatos redit, num. 146. F. 310. Per renuntiationem etiam amittitur feudum, num. 147. & seqq. Quibus, & quomodo renunciari, vel resignari possit feudum, ibid. & seqq. Ob feloniam amittitur feudum, numer. 151. Recensentur delicta, ob quæ Vassallus privatur feudo, numer. 152.

Feudum novum, ob delictum amissum devolvitur ad Dominum: antiquum verò ad proximos agnatos, si delictum est tale, quo Dominus nec directè, nec indirectè offensus est, num. 155. F. eod. Secùs ad Dominum redit, num. 156. Nisi feudum sit annexum dignitati Ecclesiasticæ; hoc enim ad successores Ecclesiasticos devolvitur, num. 157. Si feudum ad Prælatum simul & Capitulum pertinet, privatur pars peccans pro sua parte sine præjudicio partis innocentis, num. 158.

Feudum fit Domino apertum, quando nullus amplius existit hæres, num. 159. Ad privandum possessione Vassallum delinquentem requiritur sententia declaratoria judicis, n. 160. Judex in materia feudali quis sit, n. 161.

Fidei-commissarius, & Fidei-commissarius hæres quid? T. 26. n. 604. F. 427.

Fidei-commissum quid. T. 26. n. 604. F. eod. Aliud est universale, aliud particulare, n. 605. Absolutum, & conditionatum, n. 606.

Fidei-commisso regulariter gravare potest quivis quemvis, qui vel ab intestato, vel in testamento hæreditate, aut Legato honoratus est, n. 608. & seqq.

Fidei-commissum potest fieri pro libitu testatoris, num. 610. F. 428.

Fidei commissarius hæres tenetur omnia juxta dispositionem testatoris restituere, nu. 611. Exceptionis fructibus post aditam hæreditatem collectis, num. 612. Potest etiam cogi, ut hæreditatem adeat, eamque tradat Fideicommissario, num. 613.

Fidei-commissum regulariter vendi nequit, num. 614. Limitatur in sex casibus, n. 615. & seqq.

Fidei-commissum purum, non item conditionatum transfertur ad hæredes Fidei-commissarii, nu. 621. Si liberi Fidei commisso universaliter grav[illegible], semper [illegible] conditio, si absque liberis [illegible], num. [illegible] & seqq. Quid si Proles Fidei-commisso gravata sub co[illegible] liberis, discedat, ingrediatur Monasterium, numer. 62[illegible]. & seqq.

Fidei-commissum quand[illegible]spiret, n. 628. F. 429.

Fidei-jussor, & fidejuss[illegible] quoad naturam, & divis[illegible]em. T. 22. n. 1. & seqq. F. 320.

Fidei-jussor quid, num. 2.

Fidei-jussio quid, num. 3.

Fidei-jussio alia est libera, alia necessaria, num. [illegible] Alia judicialis, alia extrajudicialis, num. 5. Al[illegible], alia subalterna, seu succedanea, num. 6 A[illegible] Indemnitatis, num. 7. Alia idonea, seu sufficiens, alia inidonea, seu insufficiens, nu. 8. Media sufficientia quis dicatur habere, n. 9. F[illegible] Contra fid[illegible]sorem carentem sufficientibus mediis, vel [illegible] conventionis, debitor excipere potest, n. 10.

Fidejussio quavis verborum forma oretenus, [illegible] fieri potest, n. 11.

Fidejussor dari potest super quovis debito, & [illegible] etiam per delictum contracta, num. 12. [illegible]liter, vel etiam criminaliter quidem, sed [illegible] ad pœnam pecuniariam, num. 13. Potest quis de sistenda persona incarcerata fidejubere, num. 14. Non tantum pro præsenti, sed etiam futura obligatione fidejuberi potest, numer. 15.

Fidejussor esse, seu fidejub[illegible] quis possit? T. [illegible] num. 16. & seqq. F. 321. Possunt om[illegible], qui a L[illegible] prohibentur, num. 16. Prohibentur [illegible] milites, [illegible] honestè dimissis, num. 1[illegible] Mulieres [illegible] personis fidejubere non possunt, [illegible] Nec in conscientia ad aliquid te[illegible] num. 20. Et si mulier ignorans privilegium suum [illegible] ne fidejussionis dedit, iterum repetere potest: [illegible] tenetur creditor restituere, num. 21. Ponuntur casus, in quibus etiam Mulieres possunt fidejubere, & stare fidejussioni, num. 22. & num. 19. An, & quomodo mulieres possint renunciare privilegio Senatûs-Consulti Vellejani, num. 23. & seqq. F. 322. Particularia ex statutis Bavariæ de fidejussionibus rusticorum, & civium communium, nu. 27. Ecclesiarum Prælati, & Clerici de jure fidejubere non possunt, num. 28. Nisi in casu raro, præsertim ex pietate, & charitate, num. 29. Subinde tenentur fidejubere, ibidem. Clericus fidejubens, debet de patrimonialibus, & non de Ecclesiasticis satisfacere, num. 30. F. 323. Nisi ex causa necessitatis, vel pietatis, pro [illegible], alias [illegible] fidejubeat, num. 31. Cle[illegible] Cle[illegible] fidejubere [illegible] bonis patrimonialibus [illegible] num. 3[illegible] Nec Prælati [illegible] latus pro monica [illegible]

Fidejussio a Prælato, vel p[illegible] illicita, & invalida, & privat Prælatum ad[illegible] impo[illegible]lium, & spiritualium, num. 36. F[illegible] tamen in tali suspensione celebrans non incurrit [illegible] irregularitatem, num. 37.

Fidejussoris, & fidejussionis obligationes, & effectus. T. [illegible] num 38. & seqq. F. 324. Principalis obligatio fidejussoris est ut solvat id, quod debitor principalis tempore fidej[illegible] debeat: si hic non est solvendo num. 38. An etiam [illegible] ibid.

Fidejussor non tenetur plus, nec priùs solvere, quam [illegible] prin-

principalis revera debet, num. 39. Si fidejussor ad plus se obligavit, quàm debitor revera debuit; tenetur saltem illud solvere, quod debitor principalis à parte rei debet, num. 40. & seqq. Si fidejussore ad certum duntaxat tempus jubente, creditor tempus sine consensu fidejussoris prorogat, ad nihil tenetur fidejussor, num. 43. Si debitor principalis est in culpa-bili mora solvendi, nocet etiam fidejussor, absolutè fidejubenti, n. 44.

Fidejussor non tenetur ad usuras, aut alias novas accedentes obligationes, n. 45. F. 325. Nisi specialiter vel universaliter ad has quoque se obliget, n. 46.

Fidejussoris obligatio transit etiam ad hæredes, num. 47. Si plures sunt fidejussores super eodem debito, tenentur omnes in solidum, n. 48.

Fidejussoris, & fidejussionis favores, & beneficia. T. 22. n. 49. & seqq. F. eod.

Fidejussor habet beneficium excussionis, seu ordinis, num. 50. & seqq. F. eod. Nisi notoriè constet, debitorem non esse solvendo, num. 52. Vel debitor absens sit, num. 53. Aut difficilis conventionis existat, num. 54. Item, nisi malitiosè neget fidejussionem, numer. 55. Aut beneficio Ordinis, seu excussionis expressè, vel tacitè renunciet, num. 56.

Fidejussor habet etiam beneficium divisionis, in quo consistat, num. 57. Enarrantur casus, in quibus hoc non gaudet, n. 58. & seqq.

Fidejussor habet insuper jus cedendarum actionum: in quo consistat, num. 61. F. 326. Si creditor fidejussori solventi cedat actiones, potest fidejussorem pro libitu contra debitorem, vel contra fidejussor agere, num. 62. Actiones possunt à creditore fidejussori non tantum ante, sed etiam post solutionem cedi, n. 63. & seqq.

Fidejussor [illegible] quoque beneficium liberationis, & in quo consistat [illegible] enarrantur plures casus, in quibus fidejussor petere potest liberationem, à [illegible] fidejussione etiam, antequam solvat, n. 66. & seqq.

Fidem ut suscipiat nullus cogi debet. T. 33. n. 6. F. 546.

Fiduciarius hæres quis. T. 26. n. 604. F. 427.

Filius familias patronus quando præsentet, & quando loco ipsius Pater. T. 38. n. 42. F. 564.

Filiorum [illegible] filia continentur. T. 58. numer. 245. F. [illegible]

Finem ad aliquem qua obligatione quis tenetur, eadem tenetur ad media. T. 4. n. 13. F. 35.

Fiscus an, & quando succedat ab intestato. T. 27. n. 59. & seq. F. 457.

Fiscum habet Episcopus, n. 63. F. eod.

Forma dat esse rei. T. 5. n. 127. F. 74.

Forma pauperum: Forma Communis? Forma dignum: Rationi congruit: Forma gratiosa: si alteri: si neutri: si nulli: quid in materia Beneficiorum. T. 5. n. 169. & seq. F. 78.

Forensis [illegible]. T. 2. n. 48. F. 25.

Franciscanorum nomine veniunt Observantes, Recollecti, Reformati, Discalceati. T. 31. num. 50. F. 505. Vivunt sub eodem Generali, ibid. Qui solus utitur Sigillo totius Ordinis, num. 51.

Franciscanorum Religio quando inceperit, & qui sub ea militant. T. 31. n. 47. & seq. F. 504. Est mixta, n. 63. F. 507. Atque omnium perfectissima, num. 65. Durabit usque ad finem mundi, n. 67. F. eod.

Francisci Sancti Regula fuit divinitus revelata. T. 31. num. 47. & seqq. F. 504.

Fratres Germani, Consanguinei uterini qui? T. 26. num. 417. F. 407. Non sunt necessarii hæredes, ibid.

Fratres Minores non possunt institui hæredes, bene tamen Legatarii. T. 26. num. 403. Fol. 406. An, & quomodo capaces [illegible] T. 26. num. [illegible] & seqq. F. 43[illegible] [illegible] num. 781. Fol. [illegible] [illegible] & quomodo? [illegible] Ecclesias, & Oratoria be-[illegible] deputare. T. 40. num. 9[illegible] Item Ecclesias [illegible] pollutas reconciliare, num. 27.

F[illegible] & commoda rei venditæ, ad quem pertineant? [illegible] *& Venditionis periculum, & commodum.*

Fructus [illegible], & fructus Præbendæ quid? T. 4. num. 165. Fol. [illegible]

Fructuum nomine quid veniat? Tit. 21. numer. 47. Fol. 315.

Fugientes è carceribus vel manibus Satellitum ad loca sacra gaudent Asylo. T. 49. n. 172. F. 639.

Fugitivi Religiosi.
Vide *Religiosi fugitivi.*

Fundamentum ubi non est, superædificari non potest. T. 43. n. 1. F. 598.

Fundatio Beneficii.
Vide *Beneficii erectio.*

Fundare Ecclesiam quis dicatur. T. 38. n. 6. F. 559.

Fundator Beneficii an, & quas possit conditiones in limine fundationis apponere. T. 5. n. 105. F. 71. & n. 350.

Fures gaudent Asylo. T. 49. n. 96. F. 629.

G

Gabella quid? T. 39. n. 39. F. 578. Solus Princeps eam imponere potest, num. 40. F. 579. Et quando, num. 41. & seqq. Ab ea solvenda an, & quando immunes sint? T. 49. n. 248. F. 650.

Generalis Franciscanorum solus utitur Sigillo totius Ordinis, solusque dicitur Generalis totius Ordinis Sancti Francisci. T. 31. n. 51. F. 505.

Germani, & Consanguinei qui? T. 20. n. 81. F. 304.

Graduum computatio pro Matrimonio, & successione hæreditaria, quomodo in utroque jure fiat, & observetur. T. 27. n. 6. & seq. F. 450.

Grassator viarum quis sit, & quando careat Asylo? T. 49. n. 64. & seq. F. 624.

Gratia facta, facienda, & expectativa in materia Beneficiorum quid? T. 5. num. 152. F. 78. & num. 168. F. 79. Expectativa quid, & quomodo prohibita? T. 8. num. 37. F. 162. Potest fieri à Papa, non item ab Episcopo, num. 40. & seq. F. eod.

H

Habitus Clericorum.
Vide *Clericorum obligatio quoad habitum.*

Habitus infidelium potest assumi à Religiosis, [illegible] mittuntur. T. 1. n. 117. F. 16.

Habitus Novitiorum egrediendi non restituitur [illegible] pretium ejus. T. 31. n. 122. & seq. F. 515.

Habitus Novitiorum est triplex. T. 31. n. 176. F. 522.

Hæreditas quid? T. 26. n. 394. F. 403. Tota vocatur As, n. 420. F. 407. Dividitur in duodecim uncias, & partes, certa nomina habentes, ibid.

Hæreditas delata quid? T. 17. n. 83. F. 221. & T. 26. nu. 527. F. 419.

Hæreditas an, & quando vendi possit? T. 17. num. 77. & seqq. F. 221.

Hæreditatis nomine quæ veniat, n. 84. & seqq.

Hæreditatis portio quid. T. 26. n. 517. F. 418.

Hæreditatis aditio, & immixtio quid? T. 26. num. 518. Fol. eodem.

Hæreditatis aditio quomodo fiat, & fieri præsumatur? T. 26. n. 519. F. eod.

Hæreditatem adire potest, qui se obligare valet, n. 520. Dummodo hæreditas sit ei delata, n. 521. Aditio hæreditatis habet plures effectus, n. 522. F. eod. Quatuor enumerantur, ibid. & n. seqq.

Hæreditatis repudiatio, & abstentio quid? T. 26. num. 527. F. 419. Repudiare Hæreditatem potest, qui eam admittere potest, num. 528. Qui semel hæreditatem adiit, eam repudiare amplius non potest, & econtra, num. 529. F. eod. Limitatur in hærede suo, num. 530. De Repudiatione hæreditatis facta à Prælato sine consensu Capituli, remissive, num. 531.

Hæreditatis possessio quomodo acquiratur? T. 26. num. 53[illegible] F. 420.

Hæreditatis renuntiatio.
Vide *Renuntiatio Hæreditatis.*

Hæres quid? T. 26. n. 394. F. 404. Alius est ab intestato, alius ex testamento, n. 395. Alius necessarius, alius voluntarius: alius suus, alius non suus, n. 396.

Hæredes Extranei, & voluntarii qui olim, n. 397. F. 40[illegible] Et qui nunc, n. 398. & n. 340.

Hæredes necessarii hodierno jure qui, n. 399.

Hæres esse potest quivis, qui non prohibetur, num. 401. Enumerantur plures, qui nequeunt esse hæredes, n. 402. Fratres Minores, hæredes institui non possunt, benè tamen Legatarii, n. 403. F. 405.

Hæredes necessariò instituendi. T. 26. num. 404. & seq. F. eod. Liberi, & Nepotes necessario debent institui tam in testamento paterno & ascendentium illius, num. 404. Quam materno, & ascendentium illius, num. 405. & seq. Maternum, & ascendentium testamentum valet, si descendens in eo sit præteritus, dummodo causa præteritionis sit inserta, num. 407. F. 406. Non tantum liberi adhuc sui, sed etiam emancipati sunt necessarii hæredes, n. 408. & seq. Liberi illegitimi, Naturales, ac spurii, an, & quando institui possint, ac debeant? num. 410. & seq. Quid de his statuta Bavariæ? num. 414. F. eod. Deficientibus descendentibus, ascendentes sunt necessarii hæredes, num. 415. Testamentum Parentum vel Liberorum ob solam præteritionem nullum, valet quoad Legata, num. 416. Fratres, & Sorores nunquam sunt necessarii hæredes: possunt tamen impugnare testamentum, casu quo turpis persona instituatur, num. 417. & seq. Jus instituendi querelam contra inofficiosum Testamentum competens fratribus, non competit eorum Liberis, num. 419. F. 407.

Hæredis institutio. T. 26. num. 420. F. 407. Ad institutionem hæredis nulla requiritur verborum formula, num. 421. Potest quis vel solus, vel cum alio institui in re certa, num. 422. Si solus instituitur, dicitur Hæres ex Asse, num. 423. F. 408. Nec obstat, si testator expresse declaret, hæredem re certa sibi assignata debere esse contentum, num. 424. & seq. Quando plures instituuntur in re certa, capiunt singuli rem illam jure prælegati, in reliquo æqualiter, ut hæredes asse succedunt, num. 426. Quando pluribus institutis extraneis, unus simpliciter, & universaliter, alius verò in re certa invenitur institutus, tunc [illegible] loco Legatarii, num. 427. F. eod. Secus dicendum, si plures hæredes necessarii sint instituti, n. 428. Doctrina practica, n. 429.

Hæredes necessarii debent institui titulo hæredis, num. 430. Quid juris, si plures instituantur hæredes? num. 431. & seq. Incerti hæredis institutio non valet, nisi ad causas pias, num. 433. Idem est de institutione hæredis, arbitrio alterius Commissa, num. 434. & seq. Potest ex pluribus certis incertus instituendus alterius arbitrio committi, numer. 436.

Hæredis institutio etiam sub conditione fieri potest, n. 437. F. 410.

Hæredes extranei sub quavis Conditione honesta institui possunt, num. 438. Non item hæredes necessarii, num. 439. Institui tamen sub Conditione de præsenti, vel præterito [illegible] rificata possunt, num. 440. Conditio turpis, vel impossibilis apposita H[illegible] extraneo habetur pro non adjecta: apposita verò Liberis [illegible] testamentum, num. 441. Institutio sub conditione h[illegible] suspenditur, & deficiente conditione corruit, [illegible] limitatur in duobus casibus, n. 443. & seq.

Hæres Fidei-Commissarius quid? T[illegible] F. 427.

Hæres Fiduciarius quid? T. 26. n. 60[illegible]

Hæres tenetur ad vota defuncti: & quomodo? [illegible] n. 2. & seq. F. 539.

Hæredes profani ex testamento Clericorum, an, & quando retinere possint bona Ecclesiastica? T. 26. num. 353. [illegible] F. 398.

Hæredis, ad hæredes, & contra hæredes jura transeunt. T. 18. n. 238. F. 290.

Hæredis institutio est de essentia Testamenti. T. 26. num. 3. F. 356.

Hæresis quando privet Asylo? T. 49. n. 138. F. 634.

Hæretici an, & quando gaudent Asylo? T. 49. n. 80. & seqq. F. 626.

Hypotheca. Vide *Pignus.*

Histrionibus, & spectaculis non possunt interesse Clerici. T. 1. n. 42. F. 16.

Homicidium Proditorium quid sit? & quando privet Asylo, T. 49. num. 114. & seq. F. 632. Ad illud requiritur, ut fiat, nulla præcedente inimicitia, aut [illegible] à vero, vel simulato amico, aut ad amicitiam specialiter obligato, num. 115. & seqq. Occidens non inimicum, aut amicum negative à tergo vel per alias insidias, gaudet Asylo, numer. 124. F. 633. Recensentur plura exempla homicidii proditorii, num. 125.

Homicidium in Ecclesia vel Cœmeterio factum quando dicatur, & privet Asylo. T. 49. n. 99. & seqq. F. 629.

Honesta sustentatio.
Vide *sustentatio honesta.*

Horæ Canonicæ à solis Novitiis in Choro recitari possunt. T. 31. n. 116. F. 515.

Horis Canonicis singulis diebus tenentur interesse Canonici. T. 4. n. 111. F. 47.

Hospitium Religiosum quid, & quotuplex. T. 48. num. 47. F. 615. An, & qualis ad ejus erectionem requiratur Juris solemnitas, ibid. & n. seq.

I

Januam Ecclesiæ tenens gaudet Asylo. T. 49. numer. 30. F. 620.

Jejuniorum observatio qualiter à SS. Canonibus præscribatur. T. 46. n. 1. & seq. Nativitas Christi, si in diem Veneris vel Sabbati cadat, non jejunatur à Communi Ecclesia, exceptis Fratribus Minoribus, n. 3.

Jesuitarum initium. T. 31. n. 56. F. 516.

Ignorantia præsumitur, ubi scientia non habetur. T. 38. n. 55. F. 565.

Ignorantis nullus est consensus. T. 31. n. 215. F. 527.

Immobilia quæ. T. 13. n. 7. & seq. F. 197.

Immobilia Ecclesiæ an, & quomodo alienari prohibeantur, n. 4. & seq.

Immunitas quid & quotuplex? T. 49. n. 2. & seq. F. 617.

Immunitas Ecclesiarum & Ecclesiastica non sunt idem: passim tamen sumuntur pro eodem, n. 3. & 5.

Immunitas ut sic definitur, n. 4. Dividitur in localem, realem, & personalem, n. 5. F. eod.

Immunitas Localis quid? T. 49. num. 6. F. eod. Hac gaudent omnes Ecclesiæ, authoritate Episcopi erectæ, licèt non sint consecratæ, num. 7. Nec divina in eis celebrata, n. 8. Idem est de Oratoriis, n. 9. Et locis sacris Ecclesiæ adhærentibus, n. 10. In specie de Cœmeteriis, n. 11. In præfatis locis non possunt tractari causæ Criminales, n. 12. Neque Civiles sæculares, n. 13. Benè tamen Ecclesiasticæ, n. 14. F. 618. Contractus quoque in dictis locis facti licèt valeant, sunt tamen prohibiti, n. 15. Exceptis qui fiunt ad promovendum Devotionem fidelium, n. 16. Uti est venditio Candelarum, ibid. Omnes actus profani, profanaque colloquia in Ecclesiis sunt contra Immunitatem localem, num. 17. Eam specialiter lædunt, ac pœnis subjacent inferentes vim Ecclesiæ, vel eam consulentes &c. num. 18. F. eod. Contra Immunitatem localem non sunt actus pietatem respicientes, nec Disputationes publicæ, num. 19.

Immunitas Asyli.
Vide [illegible]

Immunitas [illegible] personalis quid? T. 49. num. 22[illegible] F. 646. Ea gaudent [illegible] Ecclesiæ, Ecclesiasticæque Personæ, eorumque res, num. 22[illegible] & seq. Etiam [illegible] quocumque [illegible] te, num. [illegible] F. eod. Gaudent eadem omnia Loca pia, Episcopi authoritate erecta, num. 231. F. 647. Atque Personæ Ecclesiasticæ tam sæculares, n. 232. Quam Regulares, num. 234.

Immunitas realis ac personalis est de Jure Divino, num. 235. F. 648. Unde non valet contra eam consuetudo, n. 236.

Immunitas realis & personalis à quibus oneribus, exactionibus, & præstationibus eximat. T. 49. n. 237. & seqq. F. eod. Eximit Ecclesias, Personasque Ecclesiasticas ab omnibus exactionibus, ac Tributis, & oneribus, quomodocunque nuncupatis, n. 237. In specie etiam à Tributis ordinariis, nu. 238. Quoad omnia bona etiam propria, n. 239. & seqq. Liberat etiam à vectigalibus, Teloniis, Gabellis, n. 248. F. 650. Nisi negotiationis causa aliquid deferatur, n. 249. & seq. Insuper eximit ab omnibus extraordinariis exactionibus, Collectis, Tributis, oneribus, &c. Etiam illis, quæ urgente necessitate publica imponuntur, n. 253. & seq. F. eod. Nisi sex concurrant conditiones, n. 254. Videlicet necessitas gravis, n. 255. F. 651. Communis Clericos æquè ac Laicos tangens, n. 256. Prævia [illegible] bonorum Laicalium, an sufficiant, nec ne, n. 257. Deliberatio Episcopi cum Clero, n. 258. Expressus consensus [illegible], n. 259. F. eod. Nisi sit periculum in mora, n. 260. Et tandem, ut Clerici non per Laicos, sed per Ecclesiasticos Judices compellantur, n. 261. Afferuntur plures declarationes Cardinalium pro materia Immunitatis, n. 262. & seqq. Demonstratur practicè, moderoam praxin Laicorum nulloniti fundamento, n. 270. F. 652. Ponitur per extensum Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex*: pro Immunitate Ecclesiastica omnium maximè faciens; dignissima lectu,

ctu, n.273. F.653. Enumerantur onera, ad quæ Ecclesiastici tenentur, n.275. F.657.
Immunitatis realis & personalis declarationes Cardinalium plures afferuntur. T.49. num. 262. & seq. Fol. 652. Ac specialis Bulla Urbani VIII. Romanus Pontifex numer. 274.
Immunitatis realis vel personalis Violatorum pœna est Excommunicatio latæ sententiæ. T.49. n.276 F.657. Quam incurrant omnes &, singuli etiam Regali vel Imperiali dignitate fulgentes, num.279. Illique que, qui onera imposita à Clericis sponte dantibus, accipiunt, num.280. Nec non qui per se, vel per alios directè. vel indirectè Consilio, auxilio vel favore contra immunitatem quidquam moliuntur, num.281 & seq. F.658. Ab hac pœna nullum Privilegium, nulla præscriptio, nullaque consuetudo, etiam immemorialis, nec alius titulus excusat, num.289. & seq. F.659. Ab eadem pœna nemo præter Romanum Pontificem absolvere potest, num. 291. & seq. F. eod. Facientes statuta, Decreta, Constitutiones contra immunitatem Ecclesiasticam absolvi non possunt, donec ea publicè revocent, num.294. Pœnæ Divinæ gravissimæ contra facientes statuta, aut leges immunitati contrarias, num. 295.
Imperatoris electi approbatio pertinet ad Romanum Pontificem. T.5.n.574. F.137.
Impuberes Patroni quando præsentare possint, & quando loco ipsorum præsentent Tutores. T.38. num. 38. & seq. F. 564.
Incapax possidendi est etiam incapax præscribendi rem aliquam. T.30. n.139. F.491.
Incendium si contingit, quis; & ad quid obligetur. T.18. n.70. & seq. F.267.
Incontinentiæ paternæ argumentum est, filius ambulans super terram. T.2. n. 20. F. 21.
Incorporatio quid. T. 37. num. 2. F. 556. Est duplex, una quoad temporalia; alia pleno jure, *ibid.* In beneficiis quoad temporalia tantùm incorporatis Abbas præsentat, & Episcopus instituit, num.3. In plenos Jure incorporatis Abbas utrumque habet, num. 4. In Parochia quoad temporalia tantùm incorporata Monasterio, debet constitui Vicarius perpetuus, num. 5. Et quidem sæcularis, num.6. & seq. In pleno Jure incorporatis solus superior deputat Vicarium, pro libitu amovibilem, n.8. eod. Regularis de Jure solus non potest esse in Parochia, n.9.
Incorporationis causa quæ, n.17. F.558.
Indebitum, ac debitum triplex. T.23. n. 68. F. 324.
Indebitum qui solvit, an & quomodo repetere possit, num.69. & seq.
Ind[illegible] præ alienigenis est præsubveniendum. T.17. nu.33. F.2[illegible]
Infideles gaudent Asylo. Tit. 49. numer. 77. & seq. Fol. 62[illegible]
Infidelium conversio quid. T.32. num. 1. F.534. Si ambo conjuges infideles convertantur, possunt & debent in matrimonio [illegible] cum impedimento Ecclesiastico contracto permanere, num.2 Si vir infidelis habuit plures uxores, debet retinere [illegible] primam, num.3. An & quando conversus alteri nubere possit, si conjux illius non convertatur, num. 4. & [illegible] Proles, cui Conjugi educando relinquitur, num.6. & seq. Ad Fidem nullus est cogendus invitus, Ibidem.
Infirmis famulis & officialibus, an & quando debeatur merces vel salarium. T.18. n 69. & seq. F.267.
Infirmitas Clericorum.
Vide *Clerici, ægrotantes.*
Infirmitas Monialis, quando sit causa ad egrediendam Clausuram. T.35. n.32. F.549.
Infirmitatis causa absens Canonicus lucratur præsentias. T.4. n.187. & seq F.57.
Ingratitudo est causa, ob quam revocari potest donatio. T.24. n.[illegible] & seq. F. 342.
I[illegible] quis. T.18. n.7. F.260.
I[illegible] hæredis.
[illegible] *Hæredis Institutio.*
I[illegible] in beneficiis & instituere quid & quotuplex. T.7. num. [illegible] seq. F.148. Sumitur latè, ibid. [illegible] propriè, n. 3. Quid [illegible] differat à Collatione & Præsentatione, num. 4. Alia [illegible] Collativa seu verbalis, num.5. & seq. Alia Authorizabilis, num.7. F.eod. Alia corporalis seu realis, num. 8. Quæ alio nomine vocatur investitura, installatio, &c. numer.9.
Institutio Canonica quæ, num.10. Requisita ad eam, num. 11, Præsentati à Patrono an necessario sint instituendi, num. 12. Debent prius examinari. Et quomodo, num. 13. & seq. nisi sint præsentati ab universitate ad beneficium simplex, num. 18. F. 249. Secus si ad Ecclesiam parochialem, n.19. Notoriè litterati excipiuntur ab examine & adhuc alii, n.20. in Parochialibus est de necessitate, non item in beneficiis simplicibus, n.21.
Instituere & Institutio quibus competat. T.7. num.22. & seq. F. 150. Collativa pertinet ad Episcopum loci, ibid. & seq. Item ad Vicarium Generalem, & Capitulum Sede vacante, quoad præsentatos à Patronis, num. 24. Aliis inferioribus non competit Institutio de jure, num. 25. & seq. Benè tamen ex privilegio. Ibid. & num. 27. Ac fundatione, num. 28. qualiter, num. 29. Item ex consuetudine, num. 30. F. 151. Atque præscriptione, num. 31. competit etiam illis, qui Ecclesiam pleno jure sibi subjectam habent, n.32. & seq. Laicis nullo modo competit Institutio in Beneficiis, num. 34. Pœnæ Instituentis Laici, & Instituti ab eo, numer. 35. Institutio Auctorizabilis de Jure pertinet ad Episcopum, num. 36. Nisi Prælatus inferior habeat Jurisdictionem quasi Episcopalem privativè ad Episcopum, num. 37. F. eod. & seq. Institutio Auctorizabilis an possit Archidiacono, vel aliis Prælatis Episcopo subjectis ei consuetudinis aut præscriptionis competere, num. 38. & seqq. Institutio corporalis de Jure pertinet ad Archidiaconum, nu. 43. F. 152. Secus de consuetudine multorum locorum, num.44. & seq. Institutionis corporalis & verbalis ritus qui? numer. 47. & seq.
Instituendi in Beneficiis quinam sint. T. 7. num. 61. & seqq. F. 154. Laici institui non possunt, ibid. Clerici possunt institui in Beneficiis certum ordinem requirentibus, licet istum nondum habeant, num. 62. dummodo tempore requisito acquirere valeant, num. 63. & seq. Regulariter institui possunt & debent viri litterati & idonei undecunque venientes, num. 65. Limitatur in Beneficiis patrimonialibus, num. 66. Quot institui possint ac debeant in Collegiis Clericorum ac Monasteriis Regularium, num. 67. & seqq. Intra quod tempus fieri debeat Institutio Præsentatorum in Beneficio, ac confirmatio Electorum, num. 72 F. 155. Quid si institutio plus justo differatur, n. 73.
Institutus in Beneficio quoad Titulum non potest propria auctoritate possessionem capere. T. 7. num. 52. F. 153. Benè tamen accedente consensu superioris, num. 53. Quid possit verbaliter institutus in beneficio? ibid. & num. seq. Possessionem Beneficii propria authoritate [illegible] modo puniatur, num. 55. & seqq Fol. [illegible] pans Beneficium amittit Jus, quod [illegible], numer. 59.
Institutus verbaliter acquirit Jus in re [illegible] ante traditionem possessionis, num. 77. Fol. 156. Postquam acceptavit institutionem, num. 78. Quæ acceptatio potest fieri etiam ab alio ejus nomine, num. 79. & seqq. Dummodo is habeat ad hoc speciale mandatum, numer. 81. Fol. eod. Alias acquiritur Præsentato [illegible] solummodo Jus ad rem, n. 82. & seq. Quòd per Episcopum auferri vel revocari non potest; n. 84. [illegible] in dona[illegible], & quare? n. 85. In ef[illegible] corporaliter, seu realiter acquirit actualem possessionem Beneficii, n. 86. Nullus seipsum instituere potest, num. 87. Neque per Delegatum à semetipso n. 88. & seq.
Interpretari legem & Privilegia ad quem pertineat? T.30. n. 77. F. 483.
Int[illegible] T. 27. n. 2. F. 450.
Intrusus in Beneficio quis censeatur. T. 5. num. 511. & seq. F. 127. talis generatim est, qui obtinet Beneficium Ecclesiasticum sine authoritate illius, ad quem de jure spectat Collatio, num. 513. & seq. F. 128. sive propria authoritate, num. 514. sive aliorum, num. 515. sive vi id faciat, num. 517. Ennarantur plures aliæ species Intrusionis, num. 518. & seq. Quinam intrusorum nomine veniant, quoad effectum Regulæ Cancellariæ, num. 526. F. 129. Effectus intrusionis in Beneficium sunt varii, num. 527. & seq. An valeat rescriptum motu proprio obtentum tacita intrusione, num. 518. F. 128.
Inventarium quid. T. 26. num.509. F. 418. quæ ja afferat privilegia, num. 5[illegible] Regulariter loquendo nemo tenetur facere inventarium, num. 511. limitatur in aliquibus casibus, num. 512. & seq. Inventarium quando inchoari & perfici debeat, n. 515.
Investitura quid & quotuplex in Beneficiis. T. 7. num. 9. F. 206. & num. 44. & seqq. F. 207. Ritus Investituræ, n. 47. & seq.
Investitura Feudi quid, coram quibus & quomodo fieri debeat. T. 20. n. 53. & seq. F. 302. quando peti ac renovari valeat, n. 113. F. 306. & n. 140. & seq. F. 309.

Invito Beneficium non tribuitur. Tit. 10. numer. 50. Fol.179.
Ipse dictio est personalissima. Tit. 49. num. 106. Fol. 630.
Irritatio testamenti quid & quomodo fiat. T. 26. num. 731. & seq. F. 440.
Irritatio voti quid, & à quo fieri possit, T. 34. n. 8. Fol. 540.
Judæi gaudent Asylo. Tit. 49. num.77. & seqq. F.625.
Judex solus non probat, nec soli creditur. T. 26. numer. 262. F. 388.
Judex in materia Feudali quis. T. 20. n. 161. F. 311.
Judex in materia Asyli occurrente jam dubio est solus Episcopus. T. 49. n. 193. & seq. F. 641.
Prælati Episcopo inferiores in dubio non possunt judicialiter cognoscere, num. 196. Benè tamen extrajudicialiter, ac pro informatione. Quod idem potest Judex sæcularis, num. 197. Episcopus non tenetur, nec potest stare processui, aut informationi per Judicem Laicum factæ, n. 198. F. 642.
Ut Episcopus decidere possit, aliquem non gaudere Asylo, debet judicialiter & certò constare de crimine excepto commisso, num. 199. In dubio, ac in conflictu Doctorum debet judicare pro Immunitate, num. 200. F. eod. Si certò constat de crimine excepto, debet reum tradere, non obstante hujus appellatione, num. 201. Judex sæcularis gravatum se sentiens, an possit appellare, ac petere, ut interea reus bene custodiatur, n. 202.
Judices Ecclesiastici debent judicare gratis, T. 1. numer. 59. Fol. 8.
Iurisdictio Capituli Sede vacante.
Vide *Capituli Jurisdictio.*
Jurisdictio contentiosa, necessaria, & voluntaria quæ. T. 9. n. 23. & seqq. F. 167.
Jurisdictionis voluntariæ actus coram quovis valet. T. 26. n. 25. F. 359.
Jus accrescendi quid. T. 26. num. 555. F. 421. Quibus competat, num. 556.
Ius Asyli quid? & quo Jure habeatur. T. 49. num. 20. & seqq. F. 619. Definitur, num. 20. Est constitutum Jure Civili, & Canonico, n. 21.
Non item naturali, n. 22.
Nec Divino positivo, num. 23. & seqq. Contrarium est probabile, n. 25. F 619.
Contra Jus Asyli valet consuetudo, num.26. Dummodo id non nimium lædat, num. 27.
Jus Asyli quibus locis competat. Tit. 49. num. 28. & seqq. F. 620
Eo gaudent omnes Ecclesiæ authoritate Ipiscopi erectæ, etiam non consecratæ: etsi interdictæ sint, & pollutæ, num. 28. Item omnia eisdem adhærentia loca & ædificia, uti Turris, Campanile, Porticus, Atrium &c. num. 29.
Adhærens muro Ecclesiæ, vel tenens januam ejus vel vectes, gaudet Asylo, num. 30. F.620. Existens intra 40. passus ab Ecclesia Majori, vel 30. Ab Ecclesia Minori gaudet Asylo, n. 31. & seq
Quomodo computentur passus dicti, si Cœmeterium Ecclesiæ contiguum est, numer. 33. Domus quoque Clericalis interjacens, non item Laicalis gaudet Asylo, numer. 34. F. 621.
Intra præfatos passus gaudet quis Asylo, sive ab extra illud fugiat, sive ab Ecclesia progrediatur, num 35. & seqq.
Cœmeterium gaudet Asylo, num. 39. Fol. 622. Etsi sit separatum ab Ecclesia, n. 40.
Dummodo authoritate Episcopi sit erectum, num. 41. Asylo gaudent Oratoria, n. 42.
Etiam in domibus privatorum, si authoritate Episcopi fuere erecta, n. 43. & seq.
Monasteria & omnia loca intra ejus septa Asylo gaudent, n.45. F. eod.
Non item loca extra septa, n. 46.
Omnia loca Religiosa, ut Hospitalia, Nosocomia &c. gaudent Asylo, num. 47. Fugientes ad SS. Eucharistiæ Sacramentum, dum portatur ad infirmum, gaudent Aylo, n.48. Etsi tantum se associent comitantibus, num.49.
Limitatur in reo, ad quem in Carcerem portatur SS. Eucharistia, num. 50. Domus Episcopi gaudet Asyl, n. 51. F.623.
Etsi non existat intra 40. Passus Ecclesiæ, num. 52.
Quid de domibus Cardinalium, num. 53.
Jure Asyli quænam personæ gaudent? T. 49. num. 54. & seqq. F. eod. gaudent illo Laici Catholici omnes num. 54. Etiam Excommunicati & interdicti, num. 155. & seq.
Non item Clerici secundum aliquos n. 57. & seq.
Contrarium de Clericis sæcularibus probabiliu est, num. 62. & seq. F. 624.
Religiosi non gaudent Asylo contra suos superiores, num. 72. & seq. F. 625.
Judæi ac Infideles gaudent, n. 77. & seqq. F. eod.
Item Hæretici, si non ob Hæresin fugiunt ad locum Sacrum, n. 80. & seqq. F. 626.
Item fugientes è carceribus, vel manibus Satellitum ad loca sacra, n. 154. F. 635.
Atque deducti per loca Sacra ad supplicium, num. 155.
Jus Asyli est Privilegium Locale, T. 49. num. 68. Fol. 624. Liberat à pœna: & qua? num. 69.
Jure Asyli, quæ crimina gaudeant, quæ non? T. 49. num. 82. & seq. F 626.
Refertur Bulla Gregorii XIV. ad propositum, n. 82.
Quæ obligat omnes & ubique in toto mundo, num. 83. & seq.
Etiam ubi non est promulgata, n. 86. & seqq. F. 628.
Omnia crimina specialiter non excepta gaudent Asylo, num. 88. F. eod.
Etiam fugientem è Carceribus vel manibus Satellitum, num. 154. F. 635.
Quid de delinquentibus ductis per loca Sacra ad supplicium? n. 155. Crimina excepta Asylo privantia recensentur, n. 89. & seqq.
Juris Asyli effectus & favores. T. 49. n. 156. & seqq. F. 626.
Rei debent recipi in loco Sacro, num. 156.
Ac de bonis loci Sacri sustentari num. 157.
Nisi propria habeant, vel facile habere possint, n. 158.
An & quomodo suaderi iis possit, ut discedant. Ibid. Nemo potest impedire, quo minus reus fruatur necessariis naturæ, num. 159. F. 627.
Non potest vi extrahi è loco Sacro, num. 160.
Bene tamen sponte egredi, & extra capi, num. 161.
Ad sponte exeundum falsa promissione inductus gaudet Immunitate, n. 162.
Secus, si solis Blanditiis absque promissione inducatur, num. 163.
Dolo, fraude & mendaciis ad sponte exeundum inductus, non gaudet Asylo, num. 164.
Nisi Judex ipse per se, vel per alium fraudem committat, num. 165.
Reus in loco Sacro existens non potest condemnari ad mortem, vel corporis pœnam, num. 166. F. 638.
Benè tamen si exeat, n. 167.
Pœna pecuniaria aut alia competenti potest, & debet etiam in ipso loco Sacro puniri Reus, num. 168. Et à quo Judice? num. 169.
Non potest spoliari bonis suis, secus in locum Asyli allatis, n. 170. F. eod.
Neque potest in loco Asyli carcerari, aut vinculis constringi, num. 171.
Jus Asyli violantes quas pœnas incurrant? T. 49. numer. 211. F. 644.
Inter illa est Excommunicatio, num. 214. latæ sententiæ, num. 215.
Pœnas incurrunt quicunque sine licentia Episcopi reum etiam criminis excepti capere, incarcerare, aut extrahere ausi fuerint, num. 216. F. 645.
Imo qui hoc tantum tentaverint, n. 217.
Nec excusantur, quòd reus consentiat, n. 218.
Etiam mandantes violationem subjacent pœnis, num. 219.
Quid si violatores appellent, num. 220.
Quis possit absolvere à pœnis violatorem Immunitatis, num. 221. & seqq.
Jus Civile est servandum etiam in foro Canonico, ubi expressè à Canone est correctum, T. 26. n. 133. F. 372.
Illud audire, an & quomodo prohibitum sit Clericis? T. 50. num. 8. & seqq.
Ius deliberandi in materia testamenti quid? & quare concedatur? T. 26. num. 507. F. 417. Etiam hodie conceditur petenti, n. 508.
Jus Patronatus quid & quot modis acquiratur? T. 38. num. 2. & seqq. F. 560. Juris Patronatus nomen variè accipitur n. 2. Definitur ad propositum, num. 3. Acquiritur dotatione, ædificatione, & fundatione, num. 4. & seqq. Fundare Ecclesiam quis dicatur? num. 6. Ædificare quis? numer. 7. Reædificans quando acquirat Ius Patronatus? nu. 8. F. 621. Dotatione quomodo acquiratur? num. 9. Si plures concurrunt ad fundandam vel ædificandam & omnes fiunt Patroni, n. 10. Acquiritur etiam Privilegio, n. 12. Juspatronatus quomodo probetur? num. 11. F. eod. Atque præscriptione, num. 13. & seqq.
Jus Patronatus jam semel acquisitum quibus in alios transeat, vel transferri possit? T. 38. num. 17. & seqq. F.561. Transfertur hæreditate, & quomodo? num. 18.

Jus Patronatus non tantum cum universitate bonorum, sed etiam cum re particulari transit, numer. 31. Transit etiam cum Feudo & Emphyteusi, numer. 32. Non item cum pignore & hypotheca, num. 33. F. 563. Benè tamen cum dote, num. 34. & seq.
Juris Patronatus capaces sunt Clerici, & Laici, T. 38. num. 36. Fol. eod. Masculi & fœminæ, num. 37. Etiam Impuberes: quando loco ipsorum præsentant Tutores, num. 38. & seqq. Infideles non sunt capaces Juris Patronatus, n. 43. F. 564.
Nec Hæretici de Jure communi: Quid in Germania? num. 44.
Ius Patronatus dividitur in activum & passivum, T. 38. num. 45. F. 565.
Reale, & Personale, num. 46. Hæreditarium, num. 47. Et gentilitium seu familiare, num. 48. Item in Ecclesiasticum, num. 49. F. eod.
Laicale, num. 51. Et mixtum, num. 52.
Quid Iuris de hoc? Ibid. & num. seqq.
Ius Ecclesiasticum prius Laicale, donatum Ecclesiæ evadit Ecclesiasticum, n. 50.
Ius Patronatus Ecclesiasticum & Laicale differunt: illud habet sex, hoc verò quatuor menses ad præsentandum, num. 54. Quando incipiat currere hoc tempus? numer. 55. F. eod.
Patronus Ecclesiasticus non potest variare, benè tamen Laicus, num. 57. Quomodo & quoties? Ibid. & numer. seqq. Ecclesiasticus præsentando indignum perdit Jus, non item Laicus num. 60. Beneficium Patronatus Ecclesiastici potest conferre & reservare Legatus à Latere; non item Patronatus Laicalis, n. 61. F. 566.
Per generalem reservationem aut unionem Beneficii à Papa factum derogatur Beneficio Iuris Patronatus Ecclesiastici; non item Laicalis, num. 63. Limitatur, num. 64. Parochiæ Juris Patronatus Clericalis debent necessariò per concursum conferri: non item Patronatus Laicalis, num. 65.
Ius Patronatus ob quas causas amittatur & extinguatur, T. 38. n. 125. F. 573.
Ius Præstationis in solvendis debitis.
Vide *Solutionis Ordo*.
Ius Retractus.
Vide *Retractus*.

L

LÆsæ Majestatis Crimen in personam Principis quando committatur ad hoc, ut privet asylo? T. 49. num. 139. & seqq. F. 634.
Nomine personæ Principis hic veniunt soli supremi in suo territorio superiorem non agnoscentes, num. 140. Enumerantur plures tales, num. 141. & seqq. Inter quos non sunt Cardinales & Episcopi, num. 143. & seqq. nisi sint Principes temporales, num. 145. Nec veniunt Principis, aut Regis Uxor, Filii, Frater, num. 146.
Neque eorum Consiliarii aut Ministri etiam primi, nu. 147. & seqq. F. 635.
Peccans contra statuam Principis, aut contra statum rebellando contra Principem non caret Asylo, numer. 150. sicut nec extraneus non subditus offendens Personam ipsam Principis. Ibid.
Læsio enormissima quid? T. 17. num. 358. F. 251.
Læsio ultra dimidium si non fit in emptione venditione non conceditur actio de jure Civili, Tit. 17. num. 326. & seqq. Fol. 247. neque de jure Canonico, loquendo de foro externo nu. 328. F. eod. succurritur tamen Læsis per denuntiationem Evangelicam num. 329. in foro interno etiam infra dimidium Lædens ad restitutionem tenetur, num. 330. nisi Læsio sit valde modica, vel jam præscripta, num. 331. ob Læsionem ultra dimidium competit actio venditori, num. 332. & Emptori, num. 333.
Læsio ultra dimidium in venditione quomodo computanda, num. 335. F. 248. quomodo in emptore? num. 336. debet in utroque æqualiter computari, num. 337. & seqq. solvitur instantia, num. 339.
Actio ob læsionem ultra dimidium competens est actio empti vel venditi, num. 340.
Emptor ultra dimidium Lædens tenetur, vel defectum pretii supplere, vel rem iterum restituere, num. 341. & seqq. idem proportionaliter de Venditore lædente dicendum, ibid. si Læsio facta est bona fide, & emptor iterum restituat rem emptam, potest fructus intereà perceptos retinere, n. 343. & seqq. F. 249.
Venditor tenetur emptori refundere meliorationes, si Læsio ultra dimidium bona fide contingit, n. 346.
Commoda & periculum ad emptorem pertinent in casu Læsionis ultra dimidium, num. 347.
Decipiens emptor ultra dimidium dolosè debet una cum re etiam fructus restituere, num. 348.
Actio contra lædentem ultra dimidium bona fide durat 30. Annis, contra Lædentem mala fide perpetuo, num. 349. F. 250.
Minoribus & Ecclesiis etiam infra dimidium Læsis conceditur actio, num. 350.
Et universaliter omnibus, quando Læsio facta est dolosè, num. 351.
Vel bona fide quidem, sed in pretio taxato seu Legitimo, numer. 351.
Læsis infra dimidium non competit actio, etsi per procuratorem contrahant, num. 353.
Læsis ultra dimidium actio negatur, si eidem renuntiarunt specialiter, num. 354.
Non item si generaliter tantùm, num. 355.
Specialis renuntiatio valet, etsi in continenti fiat, num. 356. & seqq. F. 251.
Nisi Læsio sit enormissima & quæ hæc? num. 358.
Læsis ultra dimidium negatur actio quando specialiter conveniunt, quid si quid de pretio deest, vel superflui, resarciatur vel restituatur, num. 360.
Cæterum Læsis ultra dimidium actio competit, etsi res authoritate, seu decreto Iudicis vendatur, num. 361.
Læsus ultra, vel infra dimidium quid Iuris? & quam actionem habeat.
Vide *Læsio ultra dimidium*.
Laici nequeunt Spiritualia tractare negotia, T. 30. num. 220. F. 488.
Latro publicus caret Asylo, T. 49. num. 90. F. 628.
Lavari, & refici vasa & paramenta Sacra a quibus debeant, & quomodo, T. 40. num. 57. F. 590.
Laudare Authorem quid, T. 17. num. 365. F. 252.
Laudemium de Jure Communi, T. 18. n. 221. F. 284.
Laudemium quomodo differat à relevio, T. 20. numer. 115. F. 307.
Legare quis, quid & cui possit, T. 26. numer. 633. & seqq. F. 431.
Possunt legare omnes, qui testari possunt, num. 633.
Illis, qui Hæreditatis incapaces sunt, legari nihil potest, num. 634.
Excipiuntur Fratres Minores, quibus legari potest moderata quantitas; etsi non possint esse hæredes, num. 635.
Dummodo licito modo fiat, & quis sit talis modus licitus, nu. 636. & seqq. F. eod.
Quævis res Testatoris legari potest, n. 669. F. 434.
Etiam aliena loquendo de Jure Civili, num. 670. & seqq. Imo etiam de Jure Canonico, num. 67. & seqq. Res propria Legatarii legari non potest, n. 677. F. 435.
Debitum quomodo Creditori legari possit, num. 678. Creditum debitori remittere legando potest testator, numer. 679.
Legatarius quid T. 26. n. 632. F. 431.
Habet actionem personalem, & hypothecariam, necnon hypothecam tacitam in bonis defuncti, numer. 686. Fol. 436. Non potest propria authoritate capere Legatum, numer. 687.
Legatum & Fideicommissum particulare sunt idem, & quid, T. 27. num. 29. & seqq. F. 430
Sumitur pro actu legandi, n. 631. F. eod.
Et pro relegata, num. 632.
Legatum est multiplex, num. 640. F. 431.
Aliud purum: aliud in diem ibid. & num. seq.
Legata fieri possunt in, & extra testamentum, oretenus & in scriptis, absolute & conditionate, numer. 639. & seqq. F. eod.
Ad legatum testamento insertum, eadem requiritur solemnitas, quæ ad testamentum, num. 663. F. 434.
Limitatur in quatuor casibus, n. 664.
Legatum sine testamento requirit quinque testes, num. 665.
Excipitur legatum pium, & casus, quo hæres fatetur defuncti voluntatem, n. 666.
Testes non necessario rogari, benè tamen simul præsentes esse debent, n. 667.
Sæpè expedit ita legata, & non testamentum facere, n. 668. Legatum revocari quomodo possit & revocatum censeatur, T. 26. n. 76; & seq. F. 443.

Legatum sub conditione quid sit. T. 26. num. 642. Fol. 431. Sub conditione *de futuro* quando valeat, num. 643. Sub conditione *si non nubat*, si fiat, habetur conditio pro non adjecta. n. 644.
Si Legataria nunquam adhuc fuit juncta Matrimonio: Secus si est Vidua, num. 645. & seqq. Valet Conditio, *si non nupserit Titio*, num. 647. Item valet conditio *si Cajo*, vel *uni certo nupserit*, num. 648. Quid Juris de Legato sub conditione *si nupserit: vel liberos acquisierit*, Casu quo legatarius ingreditur Religionem, aut Ordines Sacros suscipiat, n. 649. & seq. Conditio: Si *Religionem ingreditur*, vel *Clericatum assumit* nihil lego, vel minus lego, valet, n. 652. & seq. Pariter valeat conditio, Si *Religionem ingreditur*, vel *Clericus fit*, hæredem instituo, vel eidem plus lego, n. 654. F. 439. Idem quod de Legatis dicitur de hæreditate intelligc. n. 655.
Legatum sub modo quid, & quomodo fiat. T. 26. num. 656. F. eod.
Legatum sub causa quid. T. 26. n. 657. F. eod. Valet etsi causa non subsistat, n. 658. & seq.
Legatum cum demonstratione quid, Valet etsi falsa sit demonstratio. T. 26. n. 660. F. 433. Dummodo res legata existat, n. 661. F. eod. Et non sit error circa substantiam personæ, n. 662.
Legata Religiosis facta sub conditione ut ad eum & non Monasterium pertineant, quid Juris habeant, T. 35. num. 23. & seqq. F. 347.
Legata pia ad certum usum, an & quomodo post mortem Legantis possint mutari, & ad alium usum pium applicari. T. 26. n. 804. & seq. F. 448.
Legata pro pauperibus in genere relicta quomodo, quo ordine, & quibus distribuere debeat Executor, T. 26. n. 811. & seq. F. 449.
Legati Dominium, fructus, T. 26. num. 680. F. 435. Dominium acquiritur legatario post aditam hæreditatem, Ibidem. Fructus, qui sunt pars legati, pertinent ad legatarium, num. 661. F. 433. Quid Juris de aliis fructibus, n. 682. & seq.
Legatum repudiare an possit Prælatus sine consensu Capituli.
Vide *Repudiatio Legati*.
Legatum quando, & quomodo acquiratur Legatario, num. 46. eod.
Leges Civiles disponentes de Ecclesiis, & earum personis etiam in earum favorem non valent. T. 49. num. 78. F. 626.
Legi Diœcesanæ Regulares non sunt subjecti, T. 39. num. 12. F. 575.
Leges Romæ promulgatæ obligant ubique. T. 49. n. 86. & seq. F. 628.
Legitima quid? T. 26. n. 445. F. 411. Debetur liberis & quanta. Ibid.
Legitima Nepotibus quando & quanta debeatur, num. 446. & seq.
Legitima parentibus quando & quanta debeatur, num. 449. & seq. Fratribus quando & quanta debeatur, num. 452. F. 412. Liberis & parentibus Legitima relinqui debet titulo institutionis, num. 453. Etiamsi in vivis portionem suam jam acceperint, num. 454. Quid Juris, si pars aliqua titulo institutionis relicta Legitimam non attingat, num. 455.
Legitima sine onere debet relinqui, num. 456. Sub conditione potestativa, ac favorabili relinqui potest, n. 457. F. 412. Doctrina practica, num. 458. Legitima debetur & computatur ex omnibus, & solis bonis Testatoris deducto ære alieno, num. 459. & seqq. Hæres pro libitu aliquid loco legitimæ arripere non potest. num. 461. Nisi Testator expressè disponat, num. 462. Ad computationem legitimæ conferuntur etiam bona, quæ Hæredes necessarii in vivis jam receperunt, num. 463. Limitatur hæc doctrina, n. 464. F. 413.
Legitimi, & Legitimati liberi qui? T. 27. num. 10. & seq. F. 451.
Liberi illegitimi, Naturales, Spurii, ex damnato coitu, qui. T. 26. n. 410. F. 406. An & quando succedant Parentibus, vel possint esse hæredes? Ibid. & n. seq.
Liberi legitimi, Naturales, Legitimati per Matrimonium, vel rescriptum Principis aut Comitis Palatini, Spurii ex damnato coitu qui? T. 27. n. 9. & seq F. 451. Liberi an & quando sine consensu Parentum Religionem ingredi, & suscipi possint? T. 31. n. 77. F. 509.
Liberi prioris Matrimonii habent tacitam Hypothecam in bonis parentis iterum nubentis. T. 22. num. 23. F. 313.
Liberos habere dicitur, qui unicam prolem habet, Tit. 26. n. 623. F. 429.
Libri Feudorum an sint authentici? T. 20. n. 29. F. 299.
Litterati æquiparantur nobilibus, T. 25. n. 79. F. 354. Debetur eis major sustentatio quam aliis ibid.
Litigiosa res emi non potest, T. 17. n. 49. F. 219.
Locationis conductionis natura, & de iis, qui Locare & conducere, rebusque quæ Locari vel Conduci possunt, Tit. 18. n. 2. & seq. F. 260.
Locatio conductio definitur. ibidem.
Locari, & conduci possunt non tantùm res utendæ, & fruendæ, num. 3. F. eod. Sed etiam personæ, seu Labores ipsarum, num. 4. In locatione certum debet intervenire pretium, num. 5. Quod est pecunia; improprie etiam alia res, num. 6.
Locatio emptioni simillima, in quo ab ea differat? num. 8. Locare & conducere potest quis si à Jure specialiter non prohibetur, num. 9. F. 261. Conducere prædia prohibentur milites, num. 10. Curiales, num. 11. Clerici, n. 12. Tutores, & Curatores, donec tutelæ, & Curæ rationem reddant, nu. 13 Fabri, & alii streperam artem exercentes non possunt prope Scholas publicas, & Monasteria conducere domos, num. 14. Res quæ vendi, etiam locari potest, n. 15. Aliena quoque res locari potest: & quomodo, n. 16. & seq.
Locator rei alienæ restituere debet conductori pretium, si res evincatur; ac etiam interesse, nisi bona fide locasset, n. 18. Servitutes reales, non item personales locari prohibentur, num. 19. Res fungibiles non nisi ad pompam locari permittuntur, num. 20. F. 261. Rem propriam pro se ipso conducere nemo potest, n. 21. Res Ecclesiasticæ mobiles absque Juris Solemnitate ultra triennium utile locari non possunt, num. 22.
Locatio rei Ecclesiasticæ diversimodè contingere potest, n. 23. & seqq.
Locatio ultra triennium facta nec quoad primum triennium valet, n. 25. & seqq. Clausula adjecta de repetenda Locatione post triennium non valet, n. 28.
Locatio rei Ecclesiasticæ saltem ad triennium an sine solemnitate fieri queat. T. 13. n. 42. F. 200. & seqq.
Locator quis. Tit. 18. num. 17. F. 261. Ejus obligationes & jura quæ, num. 30. & seqq. F. 263. In Locatione attendenda specialis conventio, & consuetudo Locorum, ibid. Locator rei debet facere, quòd Conductor ea liberè uti vel frui valeat, alias tenetur restituere mercedem, ac interesse, ibid. si absque culpa Locatoris Conductor impeditur re conducta frui, vel uti, mercedem remittere debet Locator, non item præstare interesse, num. 31. Locator tenetur reparare reparanda in domo, vel re locata, n. 32. Et refundere impensas, quas Conductor necessario, vel utiliter in rem fecit, num. 33. Expensas ordinarias pro colligendis fructibus factas non refundit Locator, num. 34. F. 263. Si expensas necessarias non refundat Locator, potest conductor re Locata uti, & frui, donec ei satisfaciat, vel meliorationes in rem. factas secum auferre, n. 35.
Locator debet vitia occulta rei locatæ manifestare conductori, n. 36. Alias tenetur ad damna inde secuta, ibid. tributa & alia onera rei locatæ imposita solvit Locator, numer. 37. Si propter sterilitatem, vel alios casus absque culpa Conductoris evenientes, Conductor nullos, vel paucos percipit fructus, merces ex toto vel pro rata eidem remitti debet, n. 38. & seqq. Nisi aliter specialiter conventum sit, n. 40. F. 264. Vel sterilitatis damnum fertilitate præcedentium, aut subsequentium annorum compensetur, n. 41. Aut si loco mercedis certa pars fructuum datur, num. 42. Seu si sterilitas est consueta, & proveniens ex vitio ipsius rei, nu. 43. Sicut, & si sterilitas proveniat ex culpa Conductoris, numer. 44. Et universaliter, si damnum in fructibus est modicum, nu. 45. Damnum in fructibus modicum quale censetur, n. 46. & seq.
Locatori adversus Conductorem competit actio ex locato, n. 49. Ante finitum Locationis tempus non potest Locator expellere Conductorem sine legitima causa, numer. 50. Legitima causa expellendi est, si debito tempore Conductor non solvit, n. 51. Item quando locator ipsemet indiget re locata, n. 52. Pro se, aut sibi proximè conjunctis, n. 53. F. 265. si res locata indiget reparatione, n. 54. Sicut etsi ea malè utatur, vel contra bonos mores, vel eam deteriorando agat Conductor, n. 55. Ob privatas Causas an propria authoritate expellere Conductorem possit Locator, n. 56.

Locatoris operarum, & Conductoris earundem obligationes, & Jura, T. 18. num. 86. & seqq. F. 269. Ii, qui operas suas aliis locant, tenentur ex justitia fideliter laborare, & in casu negligentiæ restituere. Ibid. atque resarcire damna inde secuta Domino, num. 87. F. 270. Custodes gregum, & aliarum rerum tenentur restituere, si eorum lata, vel levi, non item si levissima culpa res perit, vel perditur, num. 88. Tenentur probare quòd res perierit, & quod eorum culpa non perierit, 89. Famulus ante finitum locationis tempus discedens perdit totum salarium, teneturque ad damna Domino inde secuta, num. 90. Conductor alienarum operarum tenetur fideliter solvere pretium ac usuras ejus, si tempore debito non solvit, num. 91. Debet totum Salarium solvere, si absque legitima causa famulum ante tempus repellit num. 92. Nisi famulus aliud servitium pro æquali mercede statim acquirat, sicque damnum non sentiat, num. 93. F. 270. Conductor tenetur solvere personam conductam, etsi uti non possit opera ejus, si impedimentum ex parte ipsius Conductoris proveniat, num. 94. & seq. Excipitur casus quo interea persona conducta, aliis pro mercede operas præstat, num. 96. Si impedimentum ratione ipsius personæ conductæ proveniat, quo minus ejus opera uti possit Conductor, mercedem dare non tenetur, n. 97. Exemplificatur, n. 98. F. 271. Herus non tenetur mercedem dare famulo pro tempore, quo ægrotat, n. 99. Proponitur, & solvitur objectio, n. 100. & seqq. Si specialis habeatur conventio, aut loci consuetudo, etiam ægrotis merces, & salarium solvi debet n. 102. Talis consuetudo datur officialium, & Consiliariorum Principis, num. 103. Famulis modico tantùm tempore ægrotis de mercede detrahi nihil potest, n. 104. F. 272. Famuli, & Officiales non possunt occultè aliquid surripere, vel occulta compensatione uti, ex eo, quod probabiliter judicent salarium suum esse minus justo, num. 105. & seq. Secus est, si salarium est evidenter injustum, num. 107. Pretium, & Salarium justum in Locatione quid sit? num. 108. Debet attendi ad loci consuetudinem, num. 109. F. eod. Salarium justum est, pro quo alii parati sunt servire, etsi ad sustentationem Servientis non sufficiat, num. 110. Ob solam necessitatem operas suas locantis non potest constitui minus Salarium, num. 111. In assignando justo Salario quantitas, & qualitas laboris attendi debet, n. 112. Non verò an ad sustentationem Salariati sufficiat, vel non, num. 113. Doctrina practica pro Confessariis, n. 114. Casus, in quibus Salarium evidenter injustum censetur, n. 115. F. 273. Alia Doctrina practica pro Confessariis, n. 116.
Locus Religiosus quid? T. 36. num. 2. F. 554. Requiritur ad eum Authoritas Episcopi, numer. 3. Subest jurisdictioni ejusdem, num. 4. F. 555. Qui potest talia loca visitare, num. 5. Et ab administratoribus petere rationem, numer. 6. Loca pia authoritate Episcopi non erecta, ejus jurisdictioni non subsunt, num. 7. Potest tamen ab eorum administratoribus rationem exigere, num. 8 An & quomodo possit Episcopus mutare loca, & Causas pias ab uno in aliam usum n. 9. & seq. F. 555.
Ludi theatrales quomodo Clericis sint prohibiti? T. 1. n. 140. F. 18.

M

MAgister Novitiorum qualis esse debeat? T. 31. n. 88. F. 510. Quomodo educare, & in quibus instruere debeat Novitios, n. 89. Pœna recusantium Officium Magistri Novitiorum, & Præmium illud obtinentium in Ordine Seraphico, n. 91. F. 511. Summa cura adhibenda, ut optimi præficiantur Magistri Novitiorum. Ibid.
Major pars Capituli repræsentat totum, T. 11. n. 11. F. 181.
Major & sanior pars quæ? n. 20. F. 182.
Major pars quando non attendatur? n. 27. F. 183.
Majoratus, seu Primogenitura quid? T. 26. num. 610. Fol. 428.
Majorum & Parentum nomine qui veniant, T. 28. num. 11. F. 439.
Majus ubi conceditur, etiam minus concessum esse videtur. Quomodo procedat, T. 30. n. 153. F. 493.
Malefactores ad locum Asyli confugientes.
Vide *Rei*.
Mandans violare jus Asyli vel aliam Immunitatem Ecclesiasticam incurrit pœnas. T. 49. num. 219. F. 645.
Mandatum Apostolicum super collatione Beneficiorum quid, & quotuplex. T. 5. num. 167. & seqq. F. 75. Aliud est *in Forma pauperum*, aliud *in Forma communi* aliud *in Forma dignum* vel *Rationi congruit*, aliud, *in Forma gratiosa*, n. 169. & seq. Aliud *motus proprius*, aliud *si alteri*, aliud *si neutri*, aliud *si nulli*, n. 171. & seq. F. eod. aliud *perinde valere*, n. 173.
Mandati effectus potius imputatur mandanti, quam executori. T. 49. n. 103. F. 630.
Manuale Beneficium.
Vide *Beneficia Manualia*.
Manus Pontificiæ appositio.
Vide *Appositio manus*.
Maritus an accipiat quartam partem ab intestato. T. 27. num. 58. F. 457.
Masculini pronuntiatio utrumque sexum comprehendit. T. 18. n. 245. F. 290.
Matrimonium Clericorum.
Vide *Clerici Conjugati*.
Matrix Ecclesia quæ. T. 30. n. 103. F. 486.
Medicinam audire, & artem Medicam exercere, quomodo prohibeantur Clerici, & Monachi. T. 50. n. 8. F. 661.
Melioramenta in rem Emphyteuticam facta, quando ad Dominum, & quando ad Emphyteutam spectent. T. 18. n. 165. & seq. F. 279.
Meliorationes in rem Locatam factas an, & quomodo secum auferre possit Conductor. T. 18. n. 35. F. 263.
Melitensis Ordinis origo & initium. T. 31. n. 41. F. 504.
Membrorum suorum nemo est dominus. T. 22. numer. 13. F. 321.
Mendicantes Religiones quid & quæ. Tit. 31. numer. 27. F. 503.
Mendicantes Religiosi possunt habere bona in communi exceptis Fratribus Minoribus, n. 20.
Mendicantes possunt dispensare in omnibus votis, in quibus Jure ordinario possunt Episcopi. T. 34. n. 39. F. 542.
Mensa communis quid. T. 4. n. 164. F. 54.
Mensa Prælati vel Ecclesiæ, Capituli, &c. quæ bona ad eam pertineant. T. 18. n. 267. F. 292.
Mensis quot dies contineat. T. 12. num. 495. F. 126. Apostolicus Mensis quando incipiat & terminetur, n. 496.
Mercatores ob solutionis dilationem cariùs vendere possunt merces. T. 17. n. 161. F. 230.
Merx propriè quid. T. 17. num. 7. F. 214. Merces ultroneæ vilescunt, n. 166. F. 230. Earum copia, paucitas, raritas quando augent, vel minuunt pretium, n. 148. F. 228. & n. 163. & seq. F. 230.
Metus reverentialis quando censeatur sufficiens ad invalidandam Professionem. T. 31. n. 164. & seq. F. 620.
Militaris Ordo quid. T. 31. n. 29. F. 502.
Mimi & Arenarii qui? T. 26. n. 491. F. 415.
Minimorum Ordinis origo. T. 31. n. 56. F. 506.
Minor pars Capituli an, & quando quid possit. T. 18. n. 24. & 28. F. 183.
Minores & pupilli habent tacitam hypothecam in bonis Tutorum ac Curatorum. T. 21. n. 21. F. 313.
Minores Fratres.
Vide *Franciscani*.
Vide *Fratres Minores*.
Minoristæ Clerici quoad obligationem portandi Habitum & Tonsuram, Privilegium Fori & Canonis.
Vide *Clericorum obligatio portandi Habitum & Tonsuram*.
Miraculum quid? T. 45. n. 33. F. 604. Potest fieri à solo DEO. Ibid. Sancti moraliter tantùm faciunt Miracula, n. 34. Requisita ad Miraculum, n. 35. & præced. Miracula quare faciat DEUS, n. 36. Et per quos, n. 37. Instructio practica circa hoc. Ibid. An, & quomodo unum Miraculum sit majus altero, n. 38. & seq. F. eod.
Miraculum an necessariò fiat in instanti, n. 40. & seq. Episcopus examinare, & approbare potest Miracula, & quomodo, n. 42. & seq.
Miracula cum Fama Sanctitatis Defunctorum typis mandare, quomodo prohibitum. T. 45. n. 23. F. 603.
Missæ Sacrificium ubi fieri & audiri debeat. T. 41. n. 2. & seq. F. 591. Non nisi in locis Sacris fieri potest. Ibid. Regulariter loquendo non potest Episcopus concedere, quod Missa celebretur in loco non Sacro, n. 3. & seqq. F. eod. Regulares vi Privilegii non amplius possunt celebrare super Altari portatili in locis non Sacris, aut non benedictis, n. 5. Allegatur novissimum Decretum Clementis XI. Ibid. Per quod revocata sunt Privilegia Episcoporum & Regularium, num. 6. & seq. Fol. 592. Episcopus cohibere debet Regulares Missam in loco non Sacro celebrantes, num. 8. & seq. Urgente necessitate potest quivis in loco non Sacro celebrare, n. 12. Quæ sint tales necessitates? n. 13. F. 593. Infirmitas alicujus an talis sit, n. 14. & seq. An possit Episcopus dispensando concedere, ut in domo infirmi legatur Missa? n. 15. Ex dispensatione Pontificis potest celebrari in loco non Sacro, & quomodo? n. 16. Formulæ Dispensationis solitæ: & observanda circa eam, ibid. & n. seq.
Missam audiens in loco non Sacro satisfacit præcepto, num. 18. F. 594 Regulares possunt habere Oratoria privata, ibique & in Cellis, ac Cameris suis legere Missam, n. 19. & seq. In Regularium Oratoriis, non item in Cellis eorum possunt etiam alii legere & audire Missam, n. 21. F. 595.
Missæ Sacrificii applicationem pro Parochianis quoties, & quomodo debeant facere Parochi. T. 41. n. 22. & seqq F. eod. Parochi quando non teneantur Missam applicare pro ovibus, n. 26. & seq. F. 596. Plurimi peccant Missam pro ovibus non applicantes, n. 29. F. eod.
Missæ circa celebrationem & acceptationem bene observari debet Decretum Urbani VIII. Quod habetur. T. 41. numer. 30. F. eod. Et Clementis XI. citatum. T. 41. n. 5. F. 592.
Missarum numerus in fundatione appositus an, & quando reduci possit. T. 5. n. 114. F. 72.
Mixtione, quomodo non Sacra fiant Sacra. T. 40. num. 14 F. 585.
Mobilia quæ. T. 13. n. 7. & seq. F. 197. Præsertim pretiosa Ecclesiarum, n. 12. & seq. F. eod.
Mohatræ Contractus quid? & an licitus. T. 17. num. 298. & seq. F. 244.
Monachus quid, & quæ ejus occupatio. T. 31. n. 27. F. 502.
Monachorum nomine non veniunt Clerici Sæculares. Tit. 1. n. 13. F. 3. Benè tamen econtra, n. 12.
Monasteriorum nomine non veniunt Ecclesiæ Sæculares. T. 1. num. 13. F. 3. Ob eorum erectionem vel ampliationem cogi quis potest ad vendendam rem suam. T. 17. n. 35. F. 217.
Monasterii ædificatio.
Vide *Ædificatio Monasterii*.
Monasteria, an, & quomodo succedant in Emphyteusi. T. 18. n. 251. & seq. Item n. 259. F. 291.
Monetæ mutatio alia est intrinseca, alia extrinseca. T. 23. n. 29. & seq. F. 330. In qua specie Monetæ fieri debeat solutio in casu mutationis ejusdem, n. 30. & seq.
Moniales accedere & eorum Monasteria frequentare prohibitum est, & præsertim Clericis. T. 1. num. 43. & seqq. Fol. 7.
Moniales ante Professionem debent examinari ab Episcopo, & quomodo. T. 31. n. 184. & seq. F. 523.
Motus proprius tollit subreptionem. T. 8. n. 14. F. 159.
Mulieres fidejubere non possunt, & fidejubentes ad nihil tenentur, neque in conscientia. T. 22. n. 18. & seqq. F. 321. An possint renuntiare privilegio Senatusconsultus Vellejani, n. 23. F. 322.
Mulieres an, & quando possunt ingredi Monasteria virorum. T. 35. n. 71. & seq. F. 553.
Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. T. 10. n. 54. F. 179.
Muro Ecclesiæ adhærens gaudet Jure Asyli. T. 49. num. 30. F. 620.
Mutatio monetæ alia est intrinseca, alia extrinseca. Tit. 23. n. 29. F. 330 In qua specie Monetæ fieri debeat solutio, si fit mutatio ejusdem, n. 30. & seq.
Mutatio Testamenti.
Vide *Revocatio Testamenti*.
Mutatio ultimarum Voluntatum ad pias causas factarum, an, à quo, & quomodo mutari possint in alium pium usum post mortem Testatoris. T. 26. n. 804. & seq. F. 448.
Mutilatio in Ecclesia fieri quando censeatur, & privet Asylo, T. 49. n. 100. & seq. F. 630.

N

NAtivitas Christi, si in diem Veneris cadit, jejunare debent Fratres Minores, non item cæteri Christiani. T. 46. n. 3. F. 606.
Naturales liberi, qui. T. 27. n. 15. F. 452.
Necessitatis in casu receditur à regulis Juris communis. T. 26. n. 224. F. 383. Limitatur hoc, n. 227. F. 384.
Negatio quando reddat rem dubiam, & quando non. T. 2. num. 20. F. 21.
Negotiatio quid? T. 1. num. 131. F. 17. Quomodo, & quale prohibeatur Clericis? Ibid. & num. seqq. Non potest exerceri sine periculo peccati, num. 129. Clerici negotiantes tenentur ad vectigalia, & gabellas. T. 49. num. 249. & seq. F. 719.
Negotium sæculare quid? T. 50. num. 2. F. 660. Quale, & quomodo prohibitum Clericis ac Monachis? num. 3. & seq. *Nemo potest dare, quod non habet*. T. 26. numer. 359. Fol. 399.
Nepotes quomodo succedant? T. 27. num. 20. & seqq. Fol. 452.
Nisi dictio exceptiva. T. 3. n. 42 & seq. F. 31.
Nomina quid? T. 17. num. 58. F. 217. Possunt emi & vendi. Ibid.
Notarius publicus non est necessarius ad Testamentum solemne scriptum. T. 26. n. 37. F. 360. Neque ad solemne nuncupativum, n. 47. F. 362.
Notarius publicus, an, & quomodo prohibeatur esse Clericus T. 50. n. 5. & seq. F. 661.
Notorium quid, & quotuplex. T. 2. num. 16. F. 21. Vide *Novalia*.
Novalia propriè & impropriè quid. T. 30 n. 70. F. 482. Item num. 147. F. 492. Decimæ novalium spectant ad Parochum n. 148 Exceptis Novalibus Regularium, utpote de quibus Regulares non solvunt Decimas, num. 149. Item num. 70. F. 482. Si Novalia in confinio duarum Parochiarum existunt, Decimæ inter Parochos erunt dividendæ, num. 150. Fol. 492.
Novalium intra nullius Parochiæ limites existentium Decimæ ad Episcopum pertinent, num. 151. Privilegium percipiendi Decimas non extenditur ad Novalia, n. 152. & seqq. Privilegium percipiendi Decimas etiam Novalium, quomodo intelligendum, num. 154. & seq. F. 493. Privilegium eximens à solutione Decimarum extenditur etiam ad Novalia, n. 156. & seqq.
Novitiatus durare debet per annum integrum. T. 31. n. 92. F. 511. Limitatur in Ordinibus Militaribus, & Societate JESU, nu. 93. Annus Novitiatus debet esse completus de momento in momentum, n. 94. & seq. Solvitur objectio, & ostenditur, quòd non sit necesse differre Professionem in diem finito anno sequentem, n. 99. & seqq. F. 512.
Novitiatus annus debet esse continuus, num. 103. F. eod. Si Novitius per unicum diem vel horam interrumpit annum, debet de novo incipere, num. 105. & seqq. Non item, si de & sub obedientia Superioris etiam diu moretur extra Monasterium, n. 107. F. eod. Neque si tempore Novitiatus infirmetur, n. 108.
Novitiatus tempore nihil potest donari Monasterio de bonis Novitii, n. 120 F. 515.
Novitii testari possunt, & quomodo. T. 26. num. 361. & seqq. F. 399. Veniunt nomine Religiosorum, & gaudent eorum Privilegiis. T. 28. n. 20. F. 461.
Novitiorum libertas, Iura, & Privilegia. T. 31. n. 109. & seq. F. 513.
Novitii pro libitu deserere possunt Religionem, num. 109. Etiamsi firmiter permanere proposuerint, n. 110. Item etiamsi in ea permanere voverint, si bona fide judicant, hunc statum sibi minùs idoneum esse, n. 111. & seqq. Ex sola levitate, vel causa irrationabili deserens Religionem Novitius peccat graviter, n. 112. F. 514.
Novitius sine justa causa ejici non potest, n. 114. Quid si ejiciatur. Ibid. Novitii gaudent privilegiis Religionis, quam intrarunt, n. 115. Recitantes soli horas in Choro satisfaciunt obligationi Professorum, n. 116. F. eod.
Novitius tempore Novitiatus retinet Beneficium, num. 117. & seq. Tempore Novitiatus per alium Beneficii functiones præstare debet, n. 119.
Novitio egredienti, vel ejecto, omnia, quæ secum tulit, restitui debent, num. 120. Durante probatione de bonis ejus nihil potest donari Monasterio, num. 120. Limitatur in re modica & consuetis honorariis, num. 121. Habitus non restituitur Novitio egredienti, sed pretium ejus, n. 122. F. 515. Limitatur n. 123.
Novitiorum obligationes. T. 31. numer. 124. & seqq. Fol. 515.
Novitii nec ad tria vota, nec ad Regulam sub culpa tenentur, n. 124. Benè tamen ex honestate, & decentia, nu. 125. Ac sub pœna, n. 126.
Novitius Religionem deserens non tenetur ad expensas à Monasterio factas, nu. 127. Nisi de solutione earum fuerit pactum, aut ex consuetudine, n. 128.
Novitiorum Renuntiatio.
Vide *Renuntiatio Novitiorum*.

Novi-

Novitiorum Testamentum non subest Decreto Tridentino. T.31.n.136.F.517.

Novitius non tenetur facere Testamentum: potest illud facere omni tempore, n.137. F.eod.

Novitiis ab intestato quis succedat. Tit. 31. numer. 137. F.517.

Novitiorum Magister.
Vide *Magister Novitiorum.*

Nubentes Liberi sine consensu parentum an, & quando exhæreditari possint. T.26. n.499. & seq. F.416.

Numerus Canonicorum quis esse possit, ac debeat. T.7. num. 67. & seq. F.155. Quando diminui possit, num.72. & seqq. F.eod.

Nuptias & convivia debeat evitare Clerici. T. 1. num. 142. F. 18.

Nutrire proles, seu liberos, quamdiu quivis conjux teneatur. T.33. n.6. F.538.

O

OBedientialibus non indigent viri noti, à suspicione alieni, T.31. n.250. F.531.

Oblationes quid. T.30. n.179. F.496. Et quæ earum nomine veniant, n.180. Per se non obligant, n.181. & seq. Adducuntur casus, in quibus Oblationes obligant, n.183. Præsertim ubi est consuetudo, n.184. Per longum tempus, nempe 10. Annos, n.185. Saltem a majori parte populi introducta, n.186. Populus Oblationes ex consuetudine debitas omittens compelli potest per Episcopum, n.187. Non item per Parochum, n.188. F.497.

Oblationes omnes *de jure* pertinent ad Parochum Loci, num. 190. Fol.eod. Nisi aliud constet de intentione dantium, numer. 191. Aut obstet consuetudo loci, num. 192.

Observatio practica ad quem hodie Oblationes pertineant. num.193. Parochi omnium Oblationum ad se non pertinentium administrationem habent. Tit. 30. num. 194. F.498.

Oblationes in Ecclesiis Regularium factæ, ad Religiosos pertinent, n.195.

Obligatus ad factum, an, & quando satisfaciat præstando interesse. T.17. n.423. F.258.

Obventionum nomine quid veniat. Tit. 37. numer. 15. F.557.

Officia sæcularia exercere, quomodo prohibeantur Clerici. T.1. n 126. & seq. F.17.

Officiales minus salariati: Item ægroti.
Vide *Locatores operarum.*

Officium quid. T.5. n.36. F.64.

Onus reale, propriè tale quid. T.49. n.245. F.649. *Res transit cum onere suo:* quomodo intelligendum, ibid.

Onus non potest imponi beneficiis. T.22. num.4. & seqq. F. 185. Quid possit circa hoc Prælatus cum Capitulo, num.6. & seq.

Operarii, & operarum locatores.
Vide *Locatores operarum.*

Oratione magis defenditur Respublica, quàm labore & sudore. T.1. n.119. F.17.

Orationes sunt optima arma, & auxilium præsertim Clericorum, ibid

Oratorium privatum potest erigi sine consensu Episcopi. T.48. n.5. F.601.

Oratoria etiam privata authoritate Episcopi erecta gaudent Asylo. T49. n.42. & seq. F. 622. Regulares possunt habere Oratoria privata, ac in iis celebrare missas, & alii eam audire. T.41. n.19. & seq. F.594.

Ordo solvendi debita casu quo media non sufficiunt ad omnia solvenda.
Vide *Solutionis Ordo.*

Ordo successionis ab intestato.
Vide *Successio ab intestato.*

P

PActa emptionis Venditionis apposita.
Vide *Emptioni Venditioni pacta apposita.*

Pacta, an, & quando præjudicent Successoribus, T. 30. num. 118. F.288.

Pacta pignori, vel Hypothecæ adjecta quænam valeant. T.21. n.53. & seq. F.315.

Pactum Addictionis in diem quid: & quid Juris de eo. T.17. n.259. & seq. F.240.

Pactum Antichryseos quid. T.21. n.53. F.315. Est illicitum, & usurarium, n 54.

Pactum Legis commissoriæ quid, & quid Juris de eo. T.17. num. 253. & seq. F 240. Item. T.21. num.55. & seqq. F. eod.

Pactum retrovendendi, seu redimendi.
Vide *Emptioni Venditioni pacta apposita.*

Papa habet plenariam dispositionem super beneficiis totius mundi. T. 5. num. 150. & seq. Fol 76. & numer. 220. Fol.84.

Papæ electio requirit duas partes Cardinalium. T.11. num.33. Fol.183.

Paramenta Ecclesiastica de Jure solus Episcopus benedicere potest. T.40. num.49. F.589. Ex privilegio possunt idquoque Superiores Regulares, num.50. Etiam pro alienis Ecclesiis, num.51. F. eod. Potestas benedicendi paramenta non potest acquiri consuetudine, nec ab Episcopis aliis committi, n. 54 F. 590

Paramenta Ecclesiastica quando execrentur ita, ut nova Benedictione indigeant T.40. n.53. F.eod.

Pares Curiæ quinam. T.20. n. 57. F.302.

Paria sunt non esse, & non apparere. T.5. n. 348. F.99.

Parochia propriè, & impropriè quid. T.29. num.2. & seq. F. 471.

Parochus non potest alterius Parochi terminos intrare, ibid. Parochias erigere & dividere præter Papam solus potest & debet Episcopus, num.4. Ad Parochiam requiritur primò, ut authoritate Episcopi sit erecta. Secundò, ut habeat certum districtum, & populum, nu. 6. F. eod. Et perpetuum Parochum, n.7. Cum cura animarum, n 8. Jura Parochialia, quæ, n.9. F.472.

Parochiam mutare pro libitu potest Laicus, non item Clericus, n.11.

Parochiæ nova erectio requirit justam causam: & quam. T.48. n.4. & seq. F. 609. Item citationem Parochi antiqui, n.15. Competentem dotem pro novo Parocho, n.16. Et ut antiquo Parocho maneat jus Patronatus ad novam, n.17. F.eod. Ac debitus exhibeatur honor a novo, n.18. Debet etiam fieri cum consensu Capituli, n.19. Ac per Episcopum, vel per alium speciali mandato provisum, n.21.

Parochianus proprius, & alienus quis. Tit. 29. numer. 10. Fol.472.

Parochorum Residentia, quando & quomodo possint abesse ab Ecclesia.
Vide *Residentia Parochorum.*

Parochus quomodo possit uti opera Cooperatorum, seu Capellanorum. T.4. num.85. F.44. Non est ad nutum amovibilis, habet varia nomina. T.29. n.5. F. 471. Parochi Jura, quæ, n.9. F.eod.

Parochi Jure Divino tenentur Missam applicare pro Parochianis; & quoties. T.41. n.22. & seqq. F.595.

Patronus quis sit. T.38. n.2. F.559.

Patroni Jura ac favores sunt jus præsentandi: & quomodo. T. 38. num. 66. & seq. F. 567. Item honor & præcedentia in Ecclesia Patronata, n.110. F. 572. Non tamen ante Dominium territoriale, num. 111. Item Jus alimentationis pro se, uxore, liberis, & familia, numer. 112. Tempore inopiæ, num. 113. F. 572. Ita ut egens habeat actionem contra Ecclesiam pro alimentis, num. 114. Ecclesia tamen non nisi de superfluis tenetur succurrere Patrono egeno, n. 115.

Patronus non potest Ecclesiæ vel Beneficiato aliquod onus imponere, num. 120. F. 572. Nisi in fundatione cum consensu Episcopi fuerit impositum, num. 121. Nullam habet jurisdictionem aut dispositionem circa bona Ecclesiæ, num. 122. & seq. Nec potest instituere vel amovere Beneficiatum, nu. 124. F. 573.

Patroni onus est, ut tueatur Ecclesiam, attendendo, ne bona ejus dilapidentur. Tit. 38, numer. 117. Fol. 572. Quid agere possit, ac debeat Patronus, si deprehendat errorem? num. 118. Debet insuper Ecclesiam tanquam Advocatus defendere, num. 119. F. 572.

Pauperes habent maius jus ad bona superflua Clericorum, quam aliæ piæ causæ. T. 25. num 67 & seq. F. 353. Inter pauperes quinam præferendi? n. 71. F. eod.

Pauperum & miserabilium Personarum specialem curam habere tenentur Episcopi. T. 4. n. 33. F. 37.

Paupertas Religiosa, quomodo violetur retinendo, vel expendendo superflua. T.35. n. 16. & seq. F. 546.

Peculium Clericorum quid? T. 25. numer. 2. F. 344. Est quadruplex patrimoniale nempe, num. 3. Quasi patrimoniale, seu industriale, num. 4. Quænam ad hoc reducantur? n.5. & seq.

Peculium parsimoniale quid? num. 11. F. 345. Ecclesiasticum quid? n. 12.

Peculii, seu bonorum patrimonialium perfectum dominium habent Clerici, n.13. Idem est de quasi patrimonialibus, seu industrialibus, n.14. Atque parsimonialibus, n.15. F.345. Nec non de Ecclesiasticis bonis ad honestam sustentationem necessariis, n. 16. & seq.

Peculium Regularium quid? & quotuplex? T.34. num.2. F. 543. Propriè tale non possunt habere in privato Religiosi, n. 3. Benè tamen impropriè tale, n. 4. Si sunt deputati Officiales, seu Administratores rerum Monasterii, secus non, n.5. & seqq.

Pecunias habere quinam & quomodo possint Religiosi? T. 35. n. 2. & seq. F. 543.

Pedagium quid. T.39. n.39. F. 578. Quis possit imponere, n. 40. F. 579.

Pensio ut sic quid? T.5. n. 84. F. 69. Et quotuplex? n. 85. & seq. Clericus habens Pensionem tenetur recitare Officium parvum B. Virginis, n. 89.

Pensio quando Beneficium, & quando non, num. 90. & 92. ac seq. Potest acquiri ante annum decimum quartum, num. 94. F. 70. In materia favorabili venit nomine Beneficii, num. 97. & seq.

Pensio de Beneficiis quid, & an fieri possit? T.12. n.84. & seq. F. 193. Imponitur vel Beneficiato, vel Beneficio, n 85. F.eod. Papa potest utrumque, n.86. Inferior Papa pensionem perpetuam imponere, vel antiquam augere nequit, n. 87. Episcopus regulariter nequit conferre Beneficium sub reservatione pensionis, n.88. Ex causa tamen rationabili potest ad vitam Beneficiarii gravati consentientis, n.89. & seq. Secundum aliquos etiam cum obligatione successoris, n.91. & seq. Negativa est magis in Jure fundata, n. 93. & seqq. Solvuntur contraria, n.96. & seq. F. 194. Resignare Beneficium cùm conditione solvendi Pensionem est illicitum, n. 98. & seq. Refertur quoad hoc edictum non gravandi Ecclesias Parochiales, num. 100. F. 195. Probatur etiam rationibus, nu. 101. Ex gravi causa potest Episcopus resignanti constituere pensionem, n. 102. & seq. Potestque pro ea resignans supplicare Episcopo, num. 105. F. eod. Submittendo tamen se ejusdem dispositioni, n. 106. De Pensione Vide etiam. T.39. n.3. & seq. F. 575.

Peregrinis non licet cariùs vendere, quam indigenis. T. 17. n. 436. F. 259.

Periculum subire est pretio æstimabile. T. 17. n. 152. & seqq. F. 229. Ob id licet cariùs vendere, n. 156.

Periculum & Commodum, seu fructus ex re vendita.
Vide *Emptionis Venditionis pericula.*

Perinde valere quid? T. 5. n. 173. F. 78.

Permutatio rerum quid? & quotuplex? T. 19. n. 2. & seq. F. 293. Est contractus innominatus n.4. F.eod. Bonæ fidei, n.5. Ad Permutationem requiritur res certa in specie, num. 6. Et actualis traditio rei, num. 7. Antequam secuta sit licet adhuc resilire de Jure Civili, n.8. Non item de Jure Canonico n.9. Omnis res certa in numero, pondere, vel mensura consistens, quæ vendi, etiam permutari potest, n. 10. & seq. Excepta re aliena, quæ vendi quidem, non tamen permutari potest, num. 12. Res ad invicem permutandæ debent esse certæ ac fungibiles, n. 13. F. 294 Res spiritualis pro temporali permutari non potest, n. 14. Benè tamen pro alia re spirituali, n. 15. Et quomodo? n. 16. Bona Ecclesiastica cum debita Juris solemnitate permutari valent, num. 17. & seq. Quænam requiratur solemnitas? n. 19. Minor sufficit ad permutandam, quam vendendam rem Ecclesiasticam, n.20. Malè permutans ante traditionem non incurrit pœnas Juris, n. 21. F. eod. Mancipia & Servi Ecclesiastici, an, & qua ratione permutari valeant? n. 21. & seqq. Duæ Ecclesiæ vel Beneficia an, & quomodo permutari vel commutari valeant? n. 25. & seqq. In Permutatione Beneficiorum potest dimittenti pinguius Beneficium constitui Pensio, num.33. F. 295.

Permutare possunt omnes, qui specialiter non prohibentur, n.34. & seq. De Permutatione Beneficiorum remissivè, n.37. Propter gravem causam potest Episcopus cogere Beneficiatum ad permutandum Beneficium, n. 38. Etiamsi Beneficiatus sit sine culpa, n. 39. Si alia juvari potest, cogi non debet ad permutandum, n. 40.

Personæ Ecclesiasticæ nomine quinam veniant in ordine ad gaudendum Immunitate. T. 48. n. 232. & seq. F. 647.

Personæ Principis nomine qui veniant? T. 49. n. 140. F. 634.

Personatus quid. T. 5. n. 35. F. 64.

Perucam portare est Clericis prohibitum. T. 1. n. 90. F. 13.

Pestis tempore cautelæ parochis & eorum Vicariis. T.4. n. 106. F. 46.

Petitio hæreditatis quid. T.26. n. 517. F. 418.

Pignus & Hypotheca quoad naturam & divisionem. T.21. n.2. & seq F. 311. Accipitur varie, n.2. Definitur, n 3. F. eod.

Pignus & hypotheca largè conveniunt, propriè differunt, n.4. Quomodo, num. 5. & seq. Inter Pignus & hypothecam quoad actionem inde sequentem nulla est differentia, n. 7. Pignus & hypotheca aliud est expressum, aliud tacitum, aliud conventionale, n. 8. & seq. Pignus Prætorium, n. 10. Et Judiciale quid, n. 11. Hypotheca generalis quid, & quæ comprehendat, n. 12. F. 312. Recensentur ea, quæ generali Hypotheca non comprehenduntur, n. 13. & seq.

Pignus vel hypotheca specialis quid, num. 15. Tacitum & legitimum, seu legale quid, num. 16. Uxor ratione dotis habet tacitam Hypothecam in cunctis bonis mariti, cum jure Prælationis, num. 17. Ac etiam ratione bonorum Paraphernalium administrationi viri commissorum, sine Jure tamen Prælationis, num. 18. Maritus etiam habet tacitam Hypothecam in bonis uxoris pro dote nondum tradita, numer. 19. Et fiscus in bonis Contrahentium cum eo; ac bonis Officialium, num. 20. Item Minores & Pupilli in bonis Curatorum & Tutorum, num. 21. F. 313. Atque Ecclesiæ & causæ piæ in bonis Prælati, & Administratoris, num. 22 Liberi quoque priores Matrimonii in bonis parentis ad secundas nuptias transeuntibus, n. 23. Et Legatarii in bonis a Testatore relictis, n. 24.

Pupillus in re ex ipsius pecuniis empta, num. 25. Mutuas dans pecunias pro reficiendo ædificio ex ipsis in ædificio suis pecuniis refecto, numer. 26. Venditor in re vendita, donec pretium solvatur, n. 27. Locator in rebus, in prædium Urbanum invectis, 28. In Prædiis Rusticis speciale quid observatur, n. 29. & seq.

Pignus dare, vel Hypothecam, seu oppignorare qui possint. T. 21. n 33 F. 313. Prælati Ecclesiarum, an & quomodo oppignorare possint, n. 34. & seq

Pignori, vel Hypothecæ quæ res subjici possint. T.21. n.37. & seq. F. 314. Res, quæ vendi & emi, etiam oppignorari potest, n. 37. Res aliena absolutè oppignorari nequit, n.38. Benè tamen conditionatè, n. 39. Creditor pignus habens potest illud alteri oppignorare, nu. 40. Emphyteusis hypothecari potest, n.41. Instrumenta ad agriculturam spectantia non possunt oppignorari, n. 42.

Pignoris usus, & fructus. T.21. num.43. & seq. F. 315. Creditor invito Domino non potest uti pignore, num. 43. Bene tamen cum ejusdem expressa, vel prudenter præsumpta voluntate, num. 44. & seq. Fructus ex pignore Creditor quidem percipit, sed eos in sortem computare debet, num.46. & seq. Fructus quoque, quos percipere potuisset, & non percepit, restituere debet, n. 48. Et quidem in pignore Conventionali tenetur ex culpa levi, in Prætorio autem ex sola lata, n. 49. Dominus Feudi non tenetur computare fructus perceptos à Feudo, sibi in pignus dato; n. 50. Nec maritus possessiones pro securitate dotis promissæ in pignus datas, n. 51. Nec Clericus fructus beneficii à Laico injustè possessi, sibi in pignus dati, n. 52. F. eod.

Pignus & Hypotheca, quæ Jura, & quas obligationes pariat Creditori habenti pignus. T. 21. num. 66. & seqq. F. 317. Creditor habet jus reale in pignore, potestque illud actione Hypothecaria prosequi, ubicunque existit, numer. 66. Si pignus apud tertium existat, non potest contra illud agere Creditor, nisi prius debitorem principalem excusserit, n.67. Actio pignoratitia Creditori contra debitorem competit, num. 68. Creditor retinere potest pignus, donec totum debitum etiam cum expensis solvatur, num. 69 An & quando Creditor pignus vendere possit? num. 70. & seq. Pignora vendens debet prius specialiter oppignorata, & illis non sufficientibus generaliter Hypothecata vendere, num. 75. F. 318. Creditor pignus vendens pro se illud emere, nec per se, nec per alium potest, n. 76. Juri conformiter vendens pignora tenetur de evictione, num. 77. Creditori Hypothecario competit Jus Prælationis præ aliis Cre-

Creditoribus, num. 78. Si pluribus eadem res fuit oppignorata, potior est Iure, qui prior est tempore. Ibidem & n. seq. Præfertur tamen Creditor ille, qui mutuum dat ad conservandam, vel reficiendam rem oppignoratam, numer. 80. Vel ad emendam rem cum conditione, ut ei maneat oppignorata, num. 81. Item qui pignus per instrumentum publicè crectum probare potest, præcedit habentem instrumentum privatum, num. 82. & seqq. F. 318. De Jure Prælationis Creditorum remissivè, num. 83. Prioritas temporis circa constitutionem Pignoris attenditur ad horam, & momentum, num. 84. Creditor tenetur Pignus sibi traditum exacta diligentia tueri, & conservare, indeque resarcire damna, ejus culpa lata, vel levi illata, n. 85. Debito soluto, tenetur pignus una cum fructibus restituere, deductis priùs expensis necessariis, n. 86.

Pignus, & Hypotheca quid Juris? & obligationis pariat Debitori. T. 21. num. 87. & seq. F. 319. Debitor debito soluto potest petere pignus, & actionem contra non tradentem instituere, num. 87. Etiam in casu, quo alius pro illo solvit, vel quo Creditor solutionem non acceptat, num. 88. F. eod. Item, si debitum compensatione deletur: vel Creditori Creditoris solvitur, aut Administratori Creditoris, n. 89. Item si Creditori debitum tacitè, vel expressè remittit, n. 90. Debitor minus idoneum Pignus constituens tenetur idoneum substituere ac etiam impensas & damna ratione Pignoris illata resarcire, n. 91.

Pluralitas Beneficiorum.
Vide *Beneficiorum pluralitas*.

Pœnæ Violantium Jus Asyli. T. 49. nu. 281. & seqq. F. 545. Quis ab eis absolvat, n. 221. F. 645.

Pœnæ Violatorum Immunitatis realis, & personalis quæ. T. 49. num. 276. & seq. F. 654. Quis ab eis absolvere queat, n. 291. & seqq.

Pœnis in alternativis datur quandoque optio Reo, quandoque Judici. T. 1. n. 52. F. 8.

Pollutio seu violatio Ecclesiæ fit injuriosa sanguinis effusione, T. 40. num. 15. F. 585. *Et quali, num. 16.* & seqq. F. eod. Fit etiam per homicidium in ea commissum: & quale, n. 19. Item per illicitam seminis effusionem: & qualem, num. 20. F. 586. Ac per sepulturam excommunicati, aut infidelis, vel infantis non Baptizati, num. 21. Ob nullum occultum delictum polluitur Ecclesia, num. 22. Effectus pollutionis Ecclesiæ qui, num. 23. Si Ecclesia consecrata violatur, debet statim, & quidem per Episcopum reconciliari, num. 25. F. 587. Ex privilegio Papæ potest fieri per alios, num. 26. Præsertim Fratres Minores, quoad suas Ecclesias, n. 27. Si Ecclesia non consecrata, sed tantùm benedicta polluitur; potest, & debet statim à quovis sacerdote aqua lustrali reconciliari, n. 28.

Portio Canonica ratione sepulturæ, seu quarta funeralis quid. T. 28. num. 46. & seq. F. 464. Ejus quantitas, in quo consistat, num. 46. & seq. Debetur de omnibus & solis, quæ Ecclesiæ alienæ, vel ratione funeris, vel per ultimam voluntatem defuncti obveniunt, numer. 49. & seq. Limitatur in relictis causæ piæ, & in casu decedentis Novitii aut Servitialis Religiosorum, num. 51. F. 465. Ac ubi est consuetudo de aliquibus non dandi portionem, num 52. & seq. Sola Ecclesia aliena, in qua defunctus sepelitur, tenetur ad portionem Canonicam, n. 54. Regulares quamplures exempti sunt à portione Canonica, n. 55. F. eod Observanda circa usum privilegiorum in materia portionis Canonicæ annotantur, n. 56. & seq.

Portio Canonica debet solvi Parocho defuncti, nu. 44. & seq. F. 466.

Portio Canonica Episcopalis. T. 24. n. 59. F. 465. Quantitas ejus quæ, n. 60.

Portionem Episcopalem dare tenentur omnes Ecclesiæ, & loca pia, num. 61. F. eod. Limitatur in Monasteriis & Ecclesiis exemptis, n. 62. & in non exemptis casu, quo quis quid relinquitur pro fabrica, luminaribus &c. n. 63. Hæc portio passim sublata est per consuetudinem, n. 64.

Possessio, & possessorium rei spiritualis est quid temporale. T. 30. n. 162. F. 494.

Possessio immemorialis habet vim præsumpti privilegii, vel Tituli. T. 30. n. 144. F. 491.

Possessio pacifica beneficii. T. 5. n. 320. F. 96.

Possessionem beneficii propria authoritate vel violenter apprehendens qualiter puniatur. T. 7. n. 55. & seqq. & num. 59. F. 153.

Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum; hæc Regula locum non habet in beneficiis. T. 4. n. 6. F. 34.

Præbendæ nomine quid veniat & importetur. T. 5. num. 2. & seq. F. 60.

Vide etiam *Beneficium Ecclesiasticum*.

Prædia Rustica & Urbana quæ. T. 21. n. 32. F. 313.

Prædicatio illius contemnitur, cujus vita non est bona. T. n. n. 4. F. 20.

Præjudicium grave ad impediendum Monasterium quid, & quomodo probetur. T. 48. n. 43. & seqq. F. 614.

Prælationis Jus in solvendis debitis.
Vide *Solutionis Ordo*.

Prælatus in quibus indigeat consensu, vel consilio Capituli.
Vide *Consensus*, & *Consilium*.

Præmonstratensium Ordinis initium. T. 31. n. 39. F. 504.

Præsentatio à quo, circa quos, quando & quomodo fieri possit, ac debeat. T. 38. n. 66. & seq. F. 567.

Præsentatio competit patrono, num. 67. Limitatur in Ecclesia conventuali, ubi est Electio Prælati, num. 68. Beneficium patronatûm sine consensu patroni liberè conferre nemo potest, num. 69. Collatio tamen valet, nisi patronus contradicat, num. 70. F. eod. Patronus debet præsentare dignum, num. 71. Non potest se ipsum præsentare, num. 72. Benè tamen acceptare Collationem sibi factam, & rogare, ut eidem fiat, n. 73. Si plures sunt patroni, possunt unum ex se ipsis præsentare, n. 74. Item filium aut consanguineum, n. 75. & seq. Ad beneficium curatum debet præsentari dignior, non tantùm à patrono Ecclesiastico, n 77. Sed etiam Laicali, n. 78. & seq.

Præsentatio digni omisso digniori est valida, sed non licita, n. 81. F. 568. Ad beneficium simplex verò etiam est licita, n. 82. Patronus Ecclesiasticus scienter præsentans indignum, ea vice privatur Iure præsentandi, n. 83. F. 596. Secùs si ignoranter, n. 84. Patronus Laicus scienter præsentans, n. 85. & seq. Si Communitati competit Jus præsentandi, requiritur, ut omnes citentur, & præsentatus habeat majora, n. 91. F. eod. Si pluribus ut singulis competit Jus præsentandi, sufficiunt plura vota respectu aliorum præsentatorum, num. 92. & seq. Quid Juris, si plures à pluribus præsentati in votis sint pares, n. 94. & seq. Si plures æquè digni præsentantur ab eodem Patrono, potest Episcopus instituere, quem vult, n. 109. Si non sunt æqualiter digni, tenentur instituere digniorem, n. 107.

Præsentatio quando fieri debeat, num. 109. F. 571. Quis præsentet, si patronus est impubes, aut filius familias, n. 38. F. 564.

Præsentatio quando devolvatur ad Episcopum. T. 38. n. 56. & seq. F. 566. & n. 99. F. 570.

Præsentes quando censeantur Canonici, qui absunt. T. 4. nu. 185. & seq. F. 51.

Præsentiæ quid, & quid Juris de eis.
Vide *Distributione quotidiana*.

Præsentiæ, seu Distributiones quotidianæ an sint bona industrialia, T. 25. n. 8. F. 245.

Præsertim dictio est implicativa. T. 1. n. 38. F. 6.

Præstimonium quid. T. 5. n. 80. F. 69. Ex sua institutione non habet servitium in Ecclesia, n. 81. An & quando sit beneficium, n. 62. & seq.

Precarium quid, & quomodo sumatur. T. 14. num. 2. & seq. F. 204. Quomodo differat à Donatione, nu. 5. Et Commodato, n. 6. & seq. Potest constitui ad determinatum tempus n. 7. Obligatio ex ea proveniens, num. 9.

Precarium, sive precaria in singulari quid, n. 10. Contractus precariæ & precarii quomodo differant, n. 11. & seq. F. eod. Ad concessionem precariarum requiruntur solemnitates Juris, n. 15. Quando conceduntur ultra triennium, alias Secus, n. 16.

Precarium exspirat per mortem concedentis, n. 17. Ac illius, cui concessum est, n. 18.

Precaria in fœminino accepta exspirat, si elapso quinquennio non petatur renovatio, n. 21. F. 205. Qualis actio detur ex precariis, n. 22. & seq.

Preces Primæ Imperatoris.
Vide *Primæ Preces*.

Pretium rerum venalium quid, & quotuplex. Quando augeri & minui possit.
Vide *Emptionis Venditionis pretium*.

Primæ Preces Imperatoris. T. 5. numer. 570. & seq. F. 137. Quando, & unde acquisiverit Imperator potestatem interponendi primas preces ad Beneficia vacantia, num. 571. & seq. Potest iis uti Imperator Electus ante approbationem Papæ, num. 574. Valent tantùm in Beneficiis intra Romanum Imperium existentibus, num. 575. & seqq. Fol. eod. Et non nisi semel iis potest gravare Ecclesiam Imperator, n. 578. Quandonam censeatur Ecclesiam gravasse Imperator, num. 579. A primis precibus exemptæ sunt Dignitates Pontificales, ac majores in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis, num. 581. F. 138. Ac Beneficia Regularia, n. 582. Eximuntur etiam Beneficia patronatus Laicorum, n. 583. Et omnia Beneficia, quorum Collator ad minus quatuor non habet, numer. 584. Jus Commune & Concordata Germaniæ non obsunt primis precibus, numer. 585. An & quomodo possit Imperator eandem Personam nominare ad plura beneficia, n. 586. & seq.

Precista debet acceptare beneficium vacans intra mensem, num. 589. F. 139. Mensis iste quando currere incipiat, num. 590. Nulla facta insinuatione primarum precum post mensem quis conferat, nu. 591. & seq. Post acceptum semel Beneficium non potest precista variare, num. 593. & seqq. Fol. eod. Limitatur hoc in aliquibus casibus, numer. 596. Quid dicendum de Executoribus primarum precum, numer. 597. & seqq.

Primitiæ quid & unde. T. 30. n. 171. & seq. F. 496. Sunt quadragesima vel sexagesima pars, ibid. Secundùm substantiam sunt de Jure Divino, n. 175.

Primitiæ formaliter sumptæ quæ, & quantæ, numer. 176. Debentur adhuc, & quidem Parocho, ibidem, & num. seqq.

Primogenita quid. T. 30. n. 173. F. 496.

Primogenitura, vel Majoratus quid. Tit. 26. numer. 610. F. 428.

Principis personæ nomine in materia Asyli quinam veniant. T. 49. n. 140. F. 635.

Privatio Beneficii per sententiam. T. 5. numer. 369. & seqq. F. 101.

Privilegia præsertim Regularium Exemptiones à solvendis decimis quomodo intelligenda ac interpretanda sint. T. 30. num. 79. & seqq. F. 483. Quando cessent, numer. 76. Fol. 483. Non communicantur, num. 68. F. 482. Debent probari, num. 69. Practica instructio de his Privilegiis, n. 70. & seq.

Privilegia Senatus Consultus Vellejani an & quomodo renuntiare possint Mulieres. Tit. 22. numer. 23. & seqq. F. 322.

Privilegium Fori & Canonis quando competat Minoristis Clericis, item quando Clericis Conjugatis. Tit. 3. numer. 22. F. 29.
Vide *Clericorum obligatio deferendi habitum*.

Procuratio Ecclesiastica quid. T. 39. n. 49. Fol. 581. Tenentur ad eam omnes Ecclesiæ ac Monasteria Visitationi subjecta, num. 50. Exceptis Oratoriis privatis, numer. 51. Et Ecclesiis pauperibus, num. 53. Atque Civitates, ubi Episcopus Sedem habet, num. 54 Hospitalia, & alia loca pia pro pauperibus erecta non tenentur ad procurationem, numer. 55.

Procuratio quænam comprehendat, num. 56. F. 581. Debetur tantum moderata, num. 57. Licitum est loco procurationis pecuniam accipere, num. 59. & seqq. F. 582. Intuitu procurationis nullus potest munus, etiam gratis oblatum accipere num. 61.

Procuratio an & quomodo tolli possit consuetudine, num. 62. & seqq.

Proditorium Homicidium.
Vide *Homicidium Proditorium*.

Professio Religiosa quid. T. 31. num. 157. F. 520. Alia est expressa, alia tacita, num. 158. Ad valorem Professionis requiritur ætas annorum Sexdecim, num. 159. Annus probationis integer, num. 160. F. eod. Item ut fiat sine metu gravi incusso, num. 161. Adducuntur ea, quæ gravem metum causant, num. 162. An, & quando inter illa censeatur metus reverentialis, num. 164. & seqq. Ad valorem insuper requiritur acceptatio habentis potestatem recipiendi ad Professionem, num. 167. F. 521. Potestas hæc cui competat, num. 168. & seqq Ratihabitio subsequens quando locum habeat, num. 170. F. eod. Ad professionem expressam non requiritur certa verborum forma, nu. 171. Potest fieri etiam scriptis, & signis, num. 172. Etiam per procuratorem, num. 174. Ac sub conditione. Et quomodo, n. 175.

Professio & nomen profitentis debent annotari, n. 173.

Professio ex justa causa differri potest ultra annum, num. 181. F. 522. Et in articulo mortis ante finitum annum fieri, num. 182. Quæ tamen Novitium revalescentem non obligat. Parit ei nihilominus indulgentias plenarias, & alias gratias, n. 183.

Professio tacita quid. T. 31. n. 158. F. 520. Quomodo olim fiebat, n. 177. F. 522. Inducitur etiamnum post Concilium Tridentinum. n. 178. & seq. Ut tamen consistat, requirit certas conditiones, n. 180.

Professio Monialium licitè fieri non potest ante examen Episcopi. T. 31. num. 184. F. 523. Facta tamen subsistit, nu. 185. F. eod.

Professionis Religiosæ effectus. T. 31. numer. 186. & seqq. F. 524.

Professio est vinculum indissolubile, num. 186. Tollit omnes pœnas peccatorum, & dat indulgentias plenarias, nu 187. F. eod. Extinguit omnia vota antea facta, num. 188. Aufert irregularitatem ex natalibus, num. 189. Dirimit sponsalia, & matrimonium ratum, num. 190. Liberat à Patria potestate in odiosis, num. 191. Inhabilem ad actus temporales reddit habilem, num. 192. Impedit exhæreditationem, n. 193.

Professio Religiosa invalida quando, & quomodo impugnari & contra eam reclamari valeat. T. 31. numer. 194. & seqq. F. eod. Ad reclamandum contra professionem requiruntur certæ conditiones, & quæ, num. 842. & seqq. Reclamatio debet fieri intra quinquennium, numer. 200. & seqq. F. 525. Post quinquennium quando, & quomodo quis audiatur, numer. 204.

Professio invalida an & quomodo ratificari possit, ac debeat. T. 31. num. 205. & seqq. F. 526. Qui certò scit, se nulliter professum esse, & probare non potest, nec auditur, non tenetur professionem ratificare, sed in occulto discedere & dimitti potest, numer. 205. Nudè asserenti, etiam juranti non creditur, nisi circumstantiæ fidem mereantur, numer. 207. Nulliter professo, si absque scandalo discedere nequit, quid faciendum, num. 208. & seqq. Potest interea percipere alimenta, & ferre suffragia, num. 210. Nulliter professus, si professionem ratificare non vult, tenetur discedere, quam primùm sine scandalo potest, n. 211. F. eod. Quid faciendum dubitanti an validè professus sit, n. 212.

Professio ratificari potest tacitè & expressè, num. 213. Ad valorem ratificationis requiritur, quòd ratificans sciat priorem professionem esse nullam, num. 215 & seqq. Consensus novus Religionis ad ratificationem non requiritur, si professio solummodo fuit nulla ex defectu consensus in profitente, numer. 217. & seqq. Neque requiritur, si ex alia causa fuit nulla, num. 219. & seqq. F 527. Doctrina practica pro ratificantibus professionem, numer. 224. & seqq. F. eod.

Professio quæ fit finito anno, cui tantùm hora deest, invalida est. T. 21. n. 98. F. 511.

Proles à quo parentum nutrienda. T. 33. n. 6. F. 545.

Promissio Beneficii non vacantis.
Vide *Concessio, ac Promissio Beneficii non vacantis*.

Promulgatio Legis Romæ facta sufficit ad obligandum ubique. T. 49. n. 86. & seq. F. 628.

Proprietarius in Religione quando quis sit. T. 35. numer. 19. F 546.

Proprietarii pœnæ quæ, n 21. & seqq.

Provisio beneficii quid. T. 5. n. 125. F. 74.

Publicus Latro quis sit, & quando careat Asylo. T. 49. n. 90. & seqq. F. 629.

Pupillus non potest repudiare Legatum. T. 10. numer. 44. F. 178.

Purificatio post partum quid constitutum in SS. Canonibus habeat. T. 47. n. 1. F. 606.

Q

Quanti minoris actio.
Vide *Actio quanti minoris*.

Quarta funeralis.
Vide *Portio Canonica ratione sepulturæ*.

Quicunque dictio comprehendit omnia. Tit. 5. numer. 554. F. 135.

Quidagium quid. T. 39. n. 39. F. 578.

Quod quisque juris in alterum statuerit vel obtinuerit, uti eo & ipse debet. T. 26. numer. 163. F. 376. item T. 49. num. 65. F. 624.

Quoque dictio est continuativa. T. 31. n. 142. F. 517.

R

RAtificatio Professionis invalidæ an, quando, & quomodo fieri possit ac debeat. T. 31. n. 205. & seq. F. 526.

Ratihabitio quando locum habeat. T. 31. n. 170. F. 521.

Recipiendi ad Ordinem quas qualitates habere debeant. T. 31. num. 68. & seq. F. 508.

Reclamatio contra Professionem invalidam, quando, & quomodò fieri possit. T. 31. num. 194. & seqq. F. 524.

Reconciliatio Ecclesiæ, quando, à quo, & quomodo fieri possit, ac debeat. T. 40. n. 23. & seq. F. 577.

Redditus annui inter immobilia reputantur. T. 35. numer. 6. F. 545.

Redditus Beneficii quando possit reservare Episcopus, vel alius Collator pro se, vel pro alia causa justa. T. 12. num. 8. & seqq. F. 185.

Redemptio Voti quid, & quotuplex. T. 34. n. 7. F. 540.

Regula Religionum quotuplex? & quinam sub quavis militent. Vide *Religionum diversitas*.

Regula S. Francisci fuit divinitùs revelata, & instituta. T. 31. n. 47. & seq. F. 504.

Regulæ Cancellariæ quid, & quot sint. T. 5. num. 474. F. 114. Quosnam obligent, n. 476. F. eod. Unde habeant originem, n. 478. & seqq. Obligant statim post electionem novi Papæ. num. 480. Etiam ante publicationem, numer. 481. Ac quomodo, num. 482. Durant usque ad mortem Papæ; num. 483. F. 115. Unde vacante Sede cessant, & quomodo, n. 484. & seqq. Successu temporis in pluribus sunt mutatæ, n. 187. Ponitur per extensum tenor Regularum Cancellariæ Clementis Papæ XI. F. eod.

Regularum Cancellariæ quædam dubia solvuntur. T. 5. num. 489. & seq. F. 125.

Regulæ quomodo producendæ in judicio? Ibidem. Præsertim si fertur sententia, numer. 490. Clausula, *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis*, non derogat Regulis Cancellariæ, num. 492.

Regula Cancellariæ de Triennali, an excludat Ordinarium inquirentem de justo titulo Beneficii. T. 5. num. 349. F. 100. Qualiter computandum sit initium mensis & juxta Regulam IX. Cancellariæ n. 494. & seqq. F. 126. Beneficium vacans in mense Ordinarii potest conferri durante illius vacatura in mense Pontificio, num. 508. & seqq. F. 127. De intrusis in Beneficio quid statuant Regulæ Cancellariæ, nu. 511. Alia Regulas Cancellariæ concernentia, Remissivè, num. 533. F. 130.

Regulares, Vide etiam *Religiosi*.

Regulares non possunt ampliùs extra Monasterium legere Missas in Altari portatili. T. 41. num. 5. & seqq. F. 592. Benè tamen in Monasterii Oratoriis privatis, num. 19. & seq. F. 594.

Regulares quot possint ac debeant in Monasteriis recipi, & admitti. T. 5. num. 67. & seqq. F. 153.

Regulares à quibus Decimis solvendis, quinam, & quomodo sint exempti. T. 30. num. 62. & seqq. F. 481.

Relevium, & Laudemium quid, & quomodo differant. T. 20. num. 114. & seq. F. 307.

Religio quid, & quotupliciter accipiatur. T. 31. num. 2. & 3. F. 499. Ad eam requiritur, ut plures vivant in communi, n. 8. h. t. ut approbetur a Papa num. 9. Tria vota Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis sunt de essentia Religionis, & quidem Jure Divino, num. 11. & seqq. Ita, ut nec Papa dispensare valeat, quamvis ex Monacho possit facere non Monachum. Ibidem Præfata tria vota cur præ aliis præscripta, n. 13. F. 500. Solemnitas votorum, an sit de essentia Religionis, num. 14. Status Religionis, seu Religio fuit primùm à Christo Domino institutus, num. 14. & seq. Religiones plures in specie, accidentaliter diversæ, institutæ sunt ab hominibus, num. 22. F. 501.

Religionum diversitas, ac numerus. T. 31. num. 23. & seq. F. 501. Religiones omnes conveniunt in substantia, n. 23. Differunt tantùm accidentaliter, & in quibus, ibidem Religio alia est Contemplativa, alia Activa, alia Mixta, num. 24. Alia Clericalis, alia Monachalis, alia Mendicans, alia Militaris, n. 25. F. 502. Religio Monachalis quid, & n. 26. Mendicans Religio quid & quæ, n. 27. Militaris Ordo quid, n. 29. Ejus Professi, an & quomodo sint Religiosi, numer. 30. seqq. Quatuor tantum Regulæ Religionis, seu Religiosorum sunt, S. Basilii nempe, Augustini, Benedicti, & Francisci n. 34. F. 504. Regula S. Basilii quando inceperit? Et qui sub ea militent, num. 35. & seqq. Regula & Religio S. Augustini quando inceperit? Et quinam sub ea militent, num. 37. & seqq. F. eod. Regula & Ordo S. Benedicti, quando inceperit, & qui sub ea militent, num. 43. & seqq. F. 504 Regula S. Francisci ac Religio Ejusdem quando inceperit, & qui sub ea militent, num. 47. & seqq. Utile semper fuit Ecclesiæ, vigere in ea Religiones, num. 57. F. 505. Et quidem diversas, num. 58. Quamvis nimia Religionum, ac Religiosorum multitudo sit vitanda, num. 49. F. eod.

Religionum perfectio. T. 31. num. 60. F. 506. Contemplativa est perfectior Activa, Ibidem. Mixta est perfectior Contemplativa, num. 61. Respondetur ad textum: *Maria optimam partem sibi elegit*, n. 62. Fol. 507. Inter Mixtas Religiones quænam sit perfectior, num. 64. Adducitur summa perfectio Religionis Seraphicæ, n. 65. Status Religionis prælectæ Seraphicæ durabit usque ad finem Mundi, num. 66. & seqq. Fol. eod.

Religionem ingredi & in eam suscipi, quinam possint. T. 31. n. 68. & seqq. Fol. 508. Non quivis ad Religionem recipi potest, num. 68. Sed debet habere suscipiendus certam ætatem, ibid. Requiritur etiam, ut sit liber, & non mente captus, num. 69. & seq. Nec infamis, num. 71. Nec obnoxius ratiociniis, num. 72. Aut gravatus nimio ære alieno, num. 73. Aut corpore vitiatus, vel infirmus, num. 74. Vel Hermaphroditus, num. 75. Fol. 509. Nequit recipi Episcopus sine licentia Papæ, num. 76. Nec proles, cujus ope graviter indigent parentes, num. 77. Quandonam liberi sine consensu parentum possint & debeant ingredi Religionem, num. 78.

Religiosus, seu Regularis quid. T. 31. num. 10. F. 500. Non tenetur actu esse perfectus, num. 4. Benè tamen tendere ad perfectionem, & quidem sub mortali, num. 5. Quando, & quomodo peccet Religiosus, non servans statuta, ibid.

Religiosos invalidè Professus, an, & quomodo Professionem ratificare, aut Religionem deserere possit. T. 31. num. 205. & seqq. Fol. 583.

Religiosorum Professorum Ejectio legitima de causa fieri potest. T. 31. n. 226. fol. 528. Hodie non nisi incorrigibiles ejiciuntur, num. 227. Incorrigibilis quis sit, ibid. & num. seqq. Ejici non potest, nisi sit ter correctus. vel condonatum crimen, n. 220. Atque per annum fuerit incarceratus in pane & aqua, n. 231. Fol. 529. Quibus Superioribus competat potestas ejiciendi incorrigibiles, n. 233. & seq. Admonitiones ac instructiones S. Congregationis, & S. Bonaventuræ pro Superioribus ejicientibus Professos, num. 236. Nulliter Professus: quando, & quomodo ejici possit, num. 238. & seq.

Religiosi ejecti subsunt jurisdictioni Episcopi loci. T. 31. num. 240. F. 529. Tenentur suo modo ad tria vota, num. 241. Tenentur etiam ad præcepta Regulæ sub culpa obligantia, nu. 242. & seqq. Item tenentur se corrigere, & ad Ordinem redire, num. 244 Emendatos tenetur Religio recipere, num. 245 & seq. F. 530.

Religiosi fugitivi qui. T. 31. num. 247. F. 531. Sunt tales etiam illi, qui prætextu ad Superiores, vel Romam pergendi discedunt è Conventu, num. 248. Etsi injustè vexentur à Superioribus, n. 249. Fugitivorum Religiosorum, & recipientium tales, pœnæ, num. 253. & seqq. Potestas & obligatio Religionis erga fugitivos, n. 258. & seq F. eod.

Religiosi transitus ad aliam Religionem. Vide *Transitus ad Religionem*.

Religiosus solus in Parochia esse non potest. T. 37 n. 9. F. 557.

Religiosi non gaudent jure Asyli. Tit. 49. numer. 72. & seqq. F. 625.

Religiosi quinam, & quid donare valeant, Vide *Donatio Episcoporum Prælatorum &c.*

Reliquiæ Sanctorum quid. T. 45. n. 24. F. 604.

Reliquiæ Sanctorum numerantur inter mobilia pretiosa. T. 13. n. 13. F. 197.

Reliquiarum Sanctorum ac Beatorum veneratio. T. 45. n. 24. & seqq. Fol. 604. Cultu publico non possunt coli noviter inventæ, nisi priùs legitimè approbentur, n. 26.

Reliquiæ Sanctorum absolutè non sunt necessariæ ad consecrationem Altaris. T. 40. n. 40. F. 588. Possunt approbari etiam ab Episcopo, & quomodo, n. 27. Reliquias necdum Beatificati approbare pro cultu publico non potest Episcopus, n. 28. F. 604. Licitum tamen est, eas, antequam approbentur, colere cultu privato, n. 29. Specificantur tales cultus privati, n. 30. Reliquiæ extra capsam non sunt ostendendæ, num. 31. Transferre Corpora & Reliquias Sanctorum quis possit, n. 32.

Renuntiatio hæreditatis quid. T. 26. n. 532. F. 419. Est multiplex, num. 533. Renuntiatio futuræ hæreditatis in genere, vel personæ incertæ valet, n. 534. Renuntiatio & pactum circa hæreditatem adhuc viventis, cum hujus consensu valet, n. 535. & seqq. Dummodò consensum non revoces, n. 537. Consensus debet præstari tunc, quando fit Renuntiatio, n. 538. & seq. Debet esse consensus expressus, n. 540. F. eod. Renuntiatio de hæreditate viventis, sine hujus consensu facta non valet, num. 541. Et si juramento sit confirmata, n. 542. Et alicubi contraria sit consuetudo, n. 543. Renuntiatio hæreditatis plurium, uno absente aliis præsentibus, valet quoad præsentes solos, n. 545. Renuntiatio matris quando noceat liberis, n. 546. & seq. F. 521. Renuntiatio est strictè interpretanda, n. 548. Non extenditur ad Feudalia bona, n. 549. Renuntians hæreditati Paternæ potest eam a fratre, vel alio iterum acquirere, n. 550. Ac retinet jus ad alimenta, n. 551. Renuntiatio sub conditione, vel ex certa causa, quando deficiat, n. 552. & seqq.

Renuntiatio Novitiorum, & eorum, qui ingredi volunt Religionem, quos actus comprehendat. T. 31. n. 129. & seq. F. 516. Comprehendit omnes contractus, quibus læditur voluntas Novitii, n. 130. In specie donatio magni momenti, n. 131. Remissio debiti, vel obligationis, n. 132. Item Renuntiationes rerum, & jurium, quæ habentur, & quæ sperantur, n. 133. Limitatur in rebus modicis, n. 134.

Renuntiationes sine forma Tridentini factæ, sunt nullæ, num. 135. Renuntiatio & donatio facta ante ingressum absque intuitu ingressus, non subest Tridentino, n. 138. & seq. Nec contractus illi, quibus tantùm recipit Novitius, quantum dat, n. 140. F. 517.

Renuntiatio ante ingressum in Religionem, intuitu tamen illius facta nulla est, nisi fiat juxta formam Concilii Tridentini, n. 141. & seq. Ad valorem Renuntiationis Novitii, vel ingressuri Religionem requiritur, ut fiat cum licentia Episcopi, n. 153. F. 519. Et intra duos proximos menses ante Professionem, n. 154.

Reparare Ecclesiam quinam, & quomodo teneantur. T. 48. n. 22. & seq. F. 609. Qui reparare tenentur Ecclesiam, etiam ad reparandam domum Parochialem, & Ecclesiæ paramenta tenentur, n. 26. F. 638. Observatio practica, n. 27. Specialia de reparatione Ecclesiæ Cathedralis, n. 18.

Repudiatio Legati. Vide *Hæreditatis Repudiatio*.

Repudiatio Legati absque consensu Capituli secundum aliquos fieri nequit. T. 10. n. 35. & seq. Contrarium est probabilius, n. 38. F. 177. Probatur multiplici ratione. Ibid. & n. seq. Repudiare Legatum non est alienare, n. 41. & 45. Nisi fiat per pupillum, n. 44. Repudiatio Legati Ecclesiæ facti est illicita, & obligat repudiantem ad restitutionem, n. 53. & 55. F. 179.

Res domino suo perit, quomodo intelligendum? T. 17. n. 214. F. 271.

Res domino suo fructificat &c. n. 236. F. 238.

Res transit cum onere suo: quomodo intelligendum. T. 49. n. 245. F. 649.

Rescripta in *Forma pauperum*: in *Forma communi*: in *Forma dignum*: vel *ratione congruit*: in *Forma gratiosa*: quid? T. 5. n. 169. & seq. F. 78.

Reservatio Beneficiorum. Vide *Beneficiorum reservatio*.

Reservationes mentales quid. Et quid Juris de eis. T. 8. n. 37. & seq. F. 162.

Residentia Clericorum Beneficiariorum. T. 4. n. 2. & seq. F. 33. Residere in Ecclesia, vel Præbenda quid. Ibid. & n. seq. Nihil aliud est, quàm deservire Ecclesiæ in Officio Divino, n. 3. Existens in loco Beneficii, sed nihil præstans, residet materialiter, non verò formaliter. Ibidem, & n. seq.

Residentia debet esse laboriosa, non otiosa, n. 5. Est duplex: vera, & ficta, n. 7. Spectato Jure communi omnia Beneficia postulant Residentiam, n. 8. F. 34. A qua tamen Beneficia simplicia eximuntur per generalem consuetudinem, n. 9. Episcopi, & alii Beneficiati Curati Jure Divino tenentur ad Residentiam, n. 10. Beneficiati non Curati verò Jure duntaxat Ecclesiastico, n. 14. F. 35. Dantur Beneficia ad Residentiam non obligantia, num. 15. Juramentum de continua personali Residentia quomodo intelligendum, n. 17. Non obligat in casibus Jure communi exceptis. Ibidem & n. seq. Pœnæ Clericorum non residentium, n. 19. F. 35. Non residentes sunt in primis citandi, & monendi, ut resideant, num. 20. Præfixo tempore si non redeant, proceditur contra eos Appellatione remota. Ibidem, & n. seq. Debet autem citatio fieri personaliter, quando scitur, ubi sit, n. 22. Alioqui in Ecclesia, ubi Beneficium existit, debet publicari Edictum trinæ citationis, & quomodo? n. 23. Beneficiarius propter absentiam privatus Beneficio debet restitui, si post reditum justam probat absentiæ causam, n. 25. F. 36. Clericorum non residentium ordinaria pœna quæ, n. 26. & seqq.

Residentia Episcoporum. T. 4. n. 29. & seqq. F. 27. Est facienda in loco, ubi est Ecclesia Cathedralis, Ibidem. In quo consistat? n. 31. F. eod. Tenetur vi Residentiæ ad certa Munera. n. 32. Præsertim ad specialem pauperum & miserabilium personarum curam, n. 35. Possunt tamen Episcopi singulis annis duobus, vel tribus mensibus abesse, n. 34. Et quomodo? Ibidem, & n. seq. Ultra tres menses non possunt abesse sine legitimis causis, n. 38. F. 38. Et licentia Papæ, n. 39. & seq. Causæ excusantes Episcopum à Residentia quæ? num. 41. & seq. Causæ excusantes Episcopum à Residentia quæ? n. 41. & seq. F. 38. Sunt Christiana charitas, n. 43. Urgens necessitas, n. 44. Debita obedientia, n. 46. Evidens Ecclesiæ utilitas n. 47. Vel Reipublicæ, n. 48. Et quando quævis harum contingat? Ibidem. Propter servitia in Curia Regum aut Principum sæcularium non excusantur a Residentia Episcopi sine licentia Papæ, n. 49. F. 39. Pœnæ Episcoporum non residentium quæ? n. 50. & seq. Non residentes non faciunt fructus suos. Ibid. Ideoque tenentur ipsos restituere, n. 51. Privantur Episcopatu, n. 52. Et quomodo, n. 53. & seq F. 40.

Residentia Canonicorum. T. 4. nu. 107. & seq. F. 47. Canonici Cathedrales, & Collegiati tenentur ita residere, ut non possint ultra tres menses singulis annis abesse. Ibidem. Nec satisfaciunt, nisi cantent in Choro, cæteraque Officia personaliter peragant, n. 108. rigor tamen iste non ubique est usu receptus, n. 109. Valetque consuetudo contraria, n. 110. De Jure Communi tenentur omnibus Horis singulis diebus interesse, n. 111. & seqq. Excepto Trimestri, n. 113. F. 48. Quo tamen Trimestri non lucratur Præsentias. Ibidem. Ad absentiam trium mensium non requiritur allegatio causæ, vel petitio licentiæ, n. 116. Dummodo non omnes Canonici simul absint, n. 117. & n. 114. Potest Episcopus ob legitimam causam dare licentiam, ut Canonici absint per quatuor menses. n. 118. F. eod. Ubi est specialis Ecclesiæ constitutio, vel consuetudo diutiùs, quam per tres menses residere, tenentur ei stare Canonici, n. 119. & seq. Quæ sint causæ excusantes Canonicum à residentia personali? n. 122. Ex causa justa absens non tenetur relinquere substitutum n. 123. Pœnæ Canonicorum non residentium quæ, n. 124. & seq. Illicitè absentes Canonici non tenentur restituere fructus ante sententiam condemnatoriam, n. 125. F. 49. Ad incurrendum tamen privationem fructuum non est opus prævia monitione, ut resideat, n. 126. Fructus hi, quibus debeant applicari, n. 127. Episcopus pœnam privationis fructuum non potest in totum remittere; benè tamen sententiam minuere, n. 128. Canonici non residentes non statim possunt privari Beneficiis, cùm intra terminum sibi præfixum non redierint, n. 129. & seq. Sed expectandus est lapsus trium annorum, ac servandi gradus pœnarum à Concilio Trident. præscripti, n. 131. & seq.

Residentia Parochorum, & aliorum Curatorum, T. 4. num. 57. F. 41. Quid intelligatur per eam? Et quæ pœnæ per Tridentinum non residentibus sint impositæ? Ibid. Parochi, & Curati, tenentur residere Jure Divino, n. 58. Non residentes peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem fructuum, n. 59. Quomodo compellendi ad residentiam, nu. 63. F. 42. Parochus non residens; an ipso Jure sit privatus Beneficio? num. 66. Non potest abesse per duos menses absque licentia Episcopi, n. 67. Et quidem in scriptis obtenta, n. 68. Proponuntur, & solvuntur rationes in contrarium, n. 69. & seq. F. 42. Quanto tempore Parochus abesse possit de licentia Episcopi, num. 76. & seq F. 43. Ex legitima causa potest per unum vel alterum diem abesse sine licentia Ordinarii, n. 78. Imo per sex aut septem dies, non verò per hebdomadam, n. 79. & seq. Absens ex justa causa tenetur relinquere Vicarium idoneum, n. 82. F. 44. Sine justa causa absens peccat graviter. n. 81. Potest Episcopus Parochis prohibere, ne ultra biduum sine licentia absint, n. 84. Ratione residentiæ tenentur Parochi per se, & non solummodò per Capellanos exercere Munera Pastoralia, n. 85. Possunt tamen unum vel plures habere Cooperatores, dummodo etiam ipsimet aliquid præstent, n. 86. & seq. F. eod. Causæ excusantes Parochum a residentia, seu quòd possit abesse, n. 88. & seq. Est inter alias Christiana charitas, n. 90. Urgens necessitas, n. 91. Capitalis inimicitia, n. 92 F. 45. Debita obedientia, n. 93. & seq. Evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas, n. 96. Enumerantur aliæ causæ, n. 97. & seq. An, & quando propter grassantem pestem vel hostilem incursum excusetur Parochus a residentia personali, n. 102. & seq. F. 46. Cautelæ tempore pestis a Parochis eorumque Vicariis observandæ, n. 106. F. eod.

Residentia Clericorum simplex duntaxat Beneficium habentium an obliget? T. 4. n. 133. F. 49.

Residentiæ ab obligatione causæ quædam excusantes. T. 4. nu. 134. & seq. F. 50. Inter eas est absentia studiorum causa. Ibid. Etiam in Curatis, n. 135. Etiam quamdiu, ac ob quale studium. Ibid. & n. seq. Ad hanc tamen absentiam requiruntur plures conditiones, n. 137. & seq. Videlicet, ut Beneficiarius non sit ultra triginta annos, n. 182. Et accedat licentia Episcopi, n. 139. Atque constituatur Vicarius, si Parochus abest, n. 140. Et absens studeat in Universitate, n. 141. F. 51. Theologiæ, vel Juri Canonico, num. 142. Quoad Parochos privilegium absentiæ ratione studii hodie est sublatum, & quomodo? num. 144. & seqq. Non item quoad Canonicos, ac alios Beneficiarios simplices, num. 148. & 149.

Inter causas absentiæ Canonicorum est servitium Episcopi, n. 149. F. 52. Ita absentes censentur præsentes, & lucrantur fructus & quomodo? Ibidem. Etiamsi nunquam accedant ad Ecclesiam, n. 150. Duo canonici etiam inviti compelli possunt ad inserviendum Episcopo, n. 152. Non tantùm Cathedrales, sed etiam Collegiati, n. 153. & seq. Idem est de aliis Clericis inferioribus, exceptis tamen Curatis, n. 157. F. eod. Consuetudo non excusat à Residentia, num. 157. & seq. In Beneficiis Curatis non excusat. Ibidem. Etiamsi sit immemorialis, n. 158. Benè tamen in Beneficijs simplicibus, & quomodo? n. 160. F. 53. An & quomodo consuetudo non residendi excuset in Dignitate constitutos Canonicos? n. 162. & seq.

Residere in loco Beneficii non idem est ac interesse Divinis. T. 4. n. 170. F. 54.

Resignare Beneficium cum reservatione Pensionis an, à quo, & quomodo fieri possit T. 12. n. 68. & seq. F. 191.

Retractus quid, & quotuplex. T. 17. n. 286. & seq. F. 254. Alius conventionalis, num. 390. F. 255. Alius legalis, scriptus, & consuetudinarius, n. 391. Retractus propter dominium directum competit Domino Emphyteusis, & Feudi, n. 392. Retractus ratione Crediti quid, & cui competat, n. 393. Ratione Communionis, & Societatis quid, n. 394. Retractus ratione Territorii quid, n. 395. Retractus ratione sanguinis, seu gentilitius, quid, n. 396. Retractus competens Fisco ratione Metallorum, n. 397. Quinam Retractus de Jure adhuc valeant; n. 389. Et qui non, n. 399. In Germania valet Retractus gentilitius seu jure sanguinis, n. 400. Sola bona immobilia retrahi possunt, n. 401. F. 255. Legitimè retrahere volens, debet una cum expensis dare totum pretium à priore Emptore sine dolo oblatum, n. 402. Etsi majus justo sit, n. 403. Item debet Emptori refundere factas interea in rem impensas necessarias, & utiles, non item voluptarias, n. 404. Debet intra annum & diem retrahere, n. 405. Idque suo non alterius nomine aut commodo, n. 406. Retrahere possunt omnes Venditoris consanguinei, etiam *Clerici*, non item Religiosi, n. 407. Qui proximior est sanguine, reliquos præcedit, n. 408. *Si est legitimus.* Ibidem. Quid si plures in gradu æquales, n. 409. Potest quis renuntiare juri Retractus, n. 410. F. 256. Tacite, & expresse, n. 411. Tacitè quando censeatur renuntiare, n. 412. & n. præc. Retractus locum non habet, quando contractus est nullus, n. 413. Compendiosa collatio eorum, quæ de Jure Retractus statuta Bavariæ disponunt, n. 414.

Revelationes cum fama sanctitatis Defunctorum Typis mandare, quomodo prohibitum? T. 45. n. 23. F. 603.

Revocatio, ac mutatio Testamenti à quovis fieri potest. T. 26. n. 738. F. 441. Dummodo in secundo Testamento mentionem faciat, quod non obstante tali obligatione velit revocatum Testamentum, n. 739. & seqq. Qui juravit, se non revocaturum Testamentum, revocare illud non potest, n. 741. F. eod. Limitatur hoc, n. 742. Quomodo revocari possit Testamentum nudis verbis, n. 743. & seqq. Et quomodo Facto, n. 746. Revocatur Facto, Cancellatione, Inductione, Inussione, Destructione &c. Ibidem, & n. seq. Quando, & quomodo censeatur revocatum per Deletionem unius vel plurium in testamento positorum, n. 749. & seq. F. 442. Testamento Facto revocatur per posterius, etsi non sortiatur suum effectum, num. 754. F. 443. Et in priori sit institutus hæres ex *Asse*, in posteriori autem in re certa, n. 755. Dummodo posterius sit ritè factum, n. 756. Testamentum prius solemne revocatur, & rumpitur per posterius privilegiatum, n. 757. & seq. Ad Acta datum revocatur posterius in absentia Actorum erectum, n. 759. F. eod. *Specialis* Constitutio circa Revocationem Testamenti parentum inter liberos n. 760. & seq. Practica instructio circa Revocationem Testamenti n. 762.

Revocatio aliarum voluntatum præter Testamentum etiam fieri potest. T. 26. n. 763. & seq. F. 443. Et quomodo? n. 764. & seq. F. 413.

Reus ad locum sacrum confugiens, debet recipi. T. 49. num. 156. F. 636. De quibus bonis sustentari debeat? num. 157. Non potest extrahi è loco sacro n. 160. F. 637. Nec ibi etiam consentiens capi num. 161. Neque carcerari aut vinculis constringi, n. 171. F. 638. Habet etiam alios favores n. 162. & seq. F. 638.

Rei ad locum sacrum confugientis custodia. T. 49. nu. 172. & seqq. F. 639. Gaudens Asylo non potest, nec debet custodiri aut carcerari in loco sacro, n. 172. Benè tamen extra illum n. 173. Quando dubium est, vel constat, crimen esse exceptum tenentur Rectores Ecclesiæ custodire Reum, ne elabatur, si fuerint requisiti num. 174. Ipsa tamen Curia sæcularis in ipso loco sacro custodire Reum non potest, num. 175. Nisi à Rectore Ecclesiæ fuerit requisita, n. 176. Aut Rector Ecclesiæ requisitus custodire recuset, n. 177. F. eod.

Rei quando, & quomodo extradi Curiæ sæculari debeant? T. 49. num. 178. F. eod. Rector Ecclesiæ Reum invitum tradere non potest Curiæ sæculari num. 178. Secùs si ipse exire velit, num. 179. Tradere etiam possunt, & debent Reum criminis excepti, si fuerint requisiti num. 180. Absque hoc, quòd petant juramentum de non inferenda pœna mortis, aut protestationem faciant, n. 181. Nec est necessaria licentia Episcopi ad talem traditionem, n. 182. & seqq. Dummodo certo constet, crimen esse exceptum, n. 184. F. 640. Et requirantur à Potestate sæculari, n. 185. Quando per Episcopum tradi possint, & debeant, n. 198. F. 642.

Rei extractio è loco sacro an, quando fieri possit per Curiam sæcularem? T. 49. n. 186. & seq. F. 641. Quomodo cum Extracto procedere possit, & debeat potestas sæcularis, n. 188. F. eod. Compendiosa, & practica instructio circa materiam Asyli occurrente dubio de crimine excepto, n. 189. & seq.

Rei malè extracti, aut extraditi restitutio. T. 49. num. 203. & seq. F. 643. Vi extractus absque licentia Episcopi debet iterum restitui, n. 203. Etsi notoriè constet, Reum commisisse crimen exceptum, num. 204. Reus etiam licitè extractus iterum restitui debet, si pro eo judicet Episcopus, num. 205. F. 644. Et quidem eidem Ecclesiæ, vel loco, à quo fuit extractus, n. 206. Nec sufficit, eum restituere Episcopo, vel Vicario Generali, n. 207. Restitutio debet eidem Ecclesiæ fieri publicè, n. 208. F. eod. Non sufficit excarceratio Rei n. 209. Debet etiam fieri restitutio bonorum, & resarcitio damni, n. 210.

Restitutio Rei malè extracti. Vide *Rei malè extracti restitutio.*

Ruptio Testamenti quid, & quomodo fiat, T. 26. nu. 734. & seq. F. 441.

S

SAcerdotes sunt Patres & Magistri populi, imo Regum & Principum. T. 1. n. 6. F. 2. *Vocantur in Scriptura Dii & Angeli* n. 7. & 8.

Sacramentum Eucharistiæ comitantes, vel ad id confugientes gaudent Asylo. T. 49. n. 48. & seq. F. 622.

Salarium & pretium Locationis justum, ac injustum quid? Et unde dignoscatur, T. 18. n. 108. & seq. F. 272. Vide *de salario etiam*, Vide *Locatores operarum*.

Sanctus quis sit, & dicatur, T. 45. num. 2. F. 600. Sancti coli possunt cultu publico, & privato, num. 17. F. 601.

Sanguinis causam, vel judicium tractare Clericis est prohibitum, & quomodo, T. 50. n. 12. & seq. F. 661. An, & quomodo in casu sanguinis consilium dare possint, n. 13. Et quomodo aliis causam committere, n. 14. Interesse executioni sanguinis, an, & quomodo prohibeantur Clerici, n. 15.

Sartores ad emendum missi, an & quando sibi retinere possunt illud, quo minus rem emunt. T. 17. n. 434. F. 259.

Satisdatio quid, & quando fieri debeat. T. 21. n. 93. & seq. F. 319.

Scandali vitandi causa desistendum est de Jure. T. 19. num. 39. F. 296.

Scriptura seu Instrumentum scriptum quare adhibeatur, T. 17. n. 17. F. 215.

Sedes vacans quid, T. 9. num. 2. F. 164. Vacare pluribus modis in Jure accipitur, num. 4. & seq. F. eod. Vacatio Sedis Episcopalis & Abbatialis quamdiu duret, nu. 6. & seq. Vacatio cæterorum Beneficiorum quamdiu duret, num. 12. & seqq. F. 165. Regula *Ne Sede vacante aliquid innovetur* quomodo sit intelligenda, num. 13. & seqq. Sedis vacantis tempus non est conveniens ad agendum, seu tractandum super statu Ecclesiæ n. 15. Eo tempore non valet Processus Judiciarius super rebus Ecclesiæ, num. 36. & seqq. Possunt tamen recipi testes senes & valetudinarii, n. 38. Potestque agi super juribus Ecclesiæ, si magna urget necessitas, num. 39. Item de casibus specialibus, qui necessario, vel melius tractantur Sede vacante, n. 40. & seq.

Seminarium habet jus ad subsidium, & quale, T. 39. num. 37. F. 578.

Sepelientes indignum, quas pœnas incurrant, T. 28. num. 84. & seq. F. 469.

Sepulchrum Altaris quid, T. 40. n. 39. F. 588

Sepultura quid sit, & ubi fieri debeat, quando non eligitur. T. 28. num. 2. & seq. F. 458. Sepultura variè accipitur, num. 2. Definitur, num. 3. Locus sepulturæ ordinariè est Cœmeterium, num. 4. Quod ab Ecclesiis remotum esse debet n. 5. In Ecclesiis olim nemo poterat sepeliri n. 6. Dissuadetur abusus hodiernus. num. 7. & seq. F. 459. Si nulla eligitur sepultura, quivis sepelitur in sepulchro Majorum, num. 9. & seq. Quid Juris, si Majores in diversis jacent sepulchris? num. 11. Qui non habet sepulturam Majorum, sepelitur in sua Parochia, num. 12. F. 460.

Sepultura Clericorum sæcularium, & Religiosorum, T. 28. num. 13. & seqq. F. eod. Clerici Beneficium non habentes ibi sepliuntur, ubi Laici, num. 13. Beneficiati verò, ubi Beneficium habent, etsi alibi domicilium habeant, num. 14. & seq. Religiosi sepeliuntur in suo Monasterio, si ibi vel extra in loco tamen propinquo moriuntur, si in remoto loco, ibidem, vel sepultura electa sepeliuntur, num. 18. F. 461. Si è loco propinquo deferuntur ad Monasterium, nihil debetur Parocho loci, num. 19. Novitii sepeliuntur in Monasterio, n. 20. Religiosorum domestici & servitiales in eorum Ecclesia, vel Cæmeterio sepeliuntur, n. 21.

Sepultura uxoris viduæ, hæc sepelitur in sepulchro viri, etsi post mortem mariti in aliam parochiam secedat, T. 28. n. 22. F. eod. Uxor ligata, ubi sepeliatur? num. 23. Idem quod de uxore, etiam reciprocè de marito dicendum est ratione sepulturæ, n. 24. & seq.

Sepultura peregrinorum transeuntium est propria parochia, si illud commodè portari valent; Secùs parochia loci, ubi decedunt. T. 28. num. 26. & seqq. F. eod. Peregrini & advenæ diu alicubi habitantes sepeliuntur in loco, ubi moriuntur, num. 28. F. 462.

Sepulturæ jus, quibus locis, & quomodo competat ad hoc, ut defunctorum cadavera ibidem sepeliri possint, ac debeant. T. 28. num. 29. & seqq. F. eod. Competit Ecclesiæ Parochiali, num. 29. & Minoribus, & Prædicatoribus ex privilegio, num. 30. Invitis Regularibus apud eosdem nemo sepeliri potest, num. 31. Ad eligendam alicubi sepulturam nemo potest induci, n. 32. Pacta inter Superiores locales, & Clericos sæculares circa sepulturam observari debent, n. 33. F. eod. Quænam observanda circa sepulturam, casu quo quis eam apud sæculares eligit? num. 34. & seqq.

Sepulturæ electionem facere quivis potest. T. 28. num. 39. F. 463. In quovis loco Religioso, etiam in privata Capella, n. 40. Impuberes tamen prohibentur sibi eligere sepulturam, n. 41. Religiosi subditi quoque non possunt sibi eligere sepulturam: benè tamen Prælati supremi, num. 42. Ac Novitii. Item Professi in remotis decedentes, num. 43. Quid Juris. & quæ observanda. casu quo quis eligit sepulturam apud Regulares? nu. 34. F. 462. ibi sepeliri quivis debet, ubi sepulturam elegit, n. 9. F. 459.

Sepulturæ pro loco, & actu an aliquid exigi possit? vel debeatur? T. 28. num. 65. & seqq. F. 466. Pro terra sepulturæ deputanda nondum benedicta aliquid exigi, vel accipi potest, num. 65. Non vero pro terra jam benedicta, num. 66. Nisi adsit consuetudo, vel liberaliter quid offeratur, n. 67. F. 467. Ratione situs & honoratioris loci aliquid peti potest, num. 68. & seq. Parochus neminem cogere potest ad dandum aliquid pro officio sepulturæ, Exequiis &c. numer. 67. Benè tamen liberaliter datum recipere; & ubi dandi consuetudo est, Episcopum convenire, ut ad dandum compellat, n. 71. & seq. Abusus parochorum in petendo aliquid pro sepultura & Exequiis, n. 73. & seq. F. eod.

Sepultura quibus concedi, & negari debeat. T. 28. numer. 67. & seqq. F. 468. Omnes Fideles, baptizati, etiam damnati ad mortem (exceptis suspensis, & Rotæ affixis (in loco sacro sepeliri debent, num. 76. & seq. Sepultura privantur omnes in notorio peccato mortali decedentes, num. 90. Si Excommunicatus denuntiatus, aut Infidelis si sepelitur in loco sacro, polluitur Ecclesia, debetque corpus iterum exhumari, num. 91. An etiam reliqui indigni exhumari debeant, & per eorum sepulturam polluatur Ecclesia, n. 92. & seq. F. 470. Pœnæ sepelientis indignum, num. 94. & seq. Per sepelientes quinam intelligantur, n. 96.

Sequestrum sive sequestratio quid. T. 16. n. 5. F. 210.

Servire Episcopo quomodo excuset à Residentia. T. 4. n. 149. F. 52.

Seu dictio facit sensum declarativum. T. 39. n. 63. F. 582.

Sigillum Altaris quid. T. 40. n. 39. F. 588.

Sigillo totius Ordinis S. Francisci solus Generalis Franciscanorum uti potest. T. 31. n. 51. F. 505.

Simonia realis & confidentialis in Beneficiis, quas pœnas inducat. T. 5. num. 361. & seq. F. 100. Item, n. 367. F. 101.

Solidus quid. T. 24. num. 15. F. 338.

Solutio quid? & à quibus præstanda? T. 23. num. 2. & seqq. F. 328. Solutio latè sumpta quid, num. 2. Propriè quid, n. 3. Omnis, qui debet, per se, vel per alium solvere tenetur, n. 4. Qui non est solvendo, tenetur cedere bonis, n. 5. *Qui non habet in ære, luat in cute*, quomodo intelligendum, n. 6.

Solvendo non existens Clericus non tenetur cedere bonis, nec potest propterea incarcerari vel molestari, nu. 7. Limitatur tamen hoc in aliquibus casibus, num. 8. & seqq. Qui rerum suarum administrationem non habet, validè solvere non possunt, n. 13. F. 328. Procurator tam specialis, quam universalis pro debitore solvere potest, nu. 14. Potest quivis pro alio etiam invito solvere, n. 15. Successor Ecclesiasticus tenetur solvere debita ab Antecessore contracta pro utilitate Ecclesiæ, n. 16. Non item alio titulo contracta: num. 17. Ut successor teneatur solvere debita Antecessoris, debet priùs Creditor probare, ea in Ecclesiæ utilitatem, vel necessitatem esse conversa, num. 18. F. 329. Aut saltem tunc temporis adfuisse Ecclesiæ necessitatem. n. 19.

Solutio ante omnia fieri debet, ac potest Creditori etiam invito, si administrationem bonorum suorum habet, num. 20. Ei verò, qui administratione caret, solutio fieri nequit, n. 21. Fieri tamen potest ejusdem Tutori aut Curatori, n. 22. Procuratori tam generaliter, quàm specialiter ad solutionem deputato rectè solvitur, n. 23. & seqq. Idem est de servis & filiis familias specialiter vel generaliter ad id deputatis, n. 25. F. 330. Creditori Creditoris etiam sine hujus consensu rectè solvitur, n. 26.

Solutio de qua re, & quomodo fieri debeat. T. 23. n. 27. & seq. F. eod. Solvi debet ad ipsum in specie Monetæ, n. 28. Quid Juris, & in qua specie Monetæ fieri debeat solutio, casu quo fit mutatio Monetæ, num. 49. & seqq. Si debitor est in culpabili mora solvendi, contingente mutatione Monetæ, damnum ad ipsum solum pertinet, n. 38. F. 331. Regulariter loquendo totum, quod debetur, simul & semel solvi debet, num. 41. Ponuntur quatuor limitationes, num. 41. Si quis ex pluribus causis debet, & aliquam solutionem faciens non exprimat, quodnam debitum solvere velit, censetur semper solutum debitum magis onerosum, n. 43. Si una cum Capitali debentur usuræ, censentur hæ priùs solutæ, nu. 44. Si Conventione tempus solutioni præfixum est, potest debitor ante illud solvere, n. 46. F. 332. Si nullum tempus determinatum est, potest Debitor differre solutionem, donec petatur, n. 47. Ponuntur duæ limitationes, nu. 48. In quo loco solutio fieri debeat, num. 49. & seqq. Debitum etiam absque solutione tollitur acceptilatione, num. 55. F. 333. Restituens Chirographum, censetur tacitè remittere debitum: non item si pignus restituatur, nu. 56. An, & quando fieri possit solutio per compensationem tam publicam, quam occultam, n. 57. & seqq.

Solutionis Ordo deficientibus ad solvenda omnia debita mediis servari debet. T. 23. n. 79. & seq. F. 335. Et *Primo* restitui debent res alienæ, n. 79. *Secundo* solvi debent sumptus Judiciales, n. 80. F. eod. *Tertio* impensæ funebres, ac illi Creditores, qui ad has aliquid subministrarunt, num. 81. In hac classe veniunt, qui ad insinuationem Testamenti, vel confectionem Inventarii aliquid dederunt, n. 82. *Quarto* veniunt Pharmacopæi, Medici, & Chirurgi, n. 83. Si tempore infirmitatis ultimæ succurrebant, nu. 84. His æquiparantur, qui ad reficiendam domum, vel aliud ædificium, pecunias aut materialia dederunt, n. 85. *Quinto* uxores quoad allatam dotem jam solutam, nu. 86. & seq. *Sexto* Pupilli, Minores, & Causæ piæ, quoad bona suorum Tutorum, Curatorum, & Administratorum, nu. 88. *Septimo* Fiscus quoad bona eorum, qui cum illo contraxerunt, vel bona illius administraverunt, n. 89. F. 336. *Octavo* Creditores Hypothecarii expressam Hypothecam habentes, n. 90. & seq. *Nono* Creditores Chirographarii, qualis Ordo inter ipsos, n. 92. Ordo solvendi de Jure Bavarico præscriptus, n. 93.

Solutionis dilatio an, & quando sit causa cariùs vendendi, T. 17. num. 140. & seqq. F. 229. Solutionis obtinendæ difficultas est justa causa augendi pretium, T. 17. n. 159. & seq. F. eod. Non item ejus anticipatio, n. 169. F. 230.

Spiritualia & Ecclesiastica an, & quando permutari valeant. T. 19. n. 14. & seq. F. 294.

Spurii propriè & impropriè tales, quid. T. 27. n. 16. & seq. F. 452.

Status Religiosus fuit primùm à Christo Domino institutus, T. 31. n. 18. F. 501.

Statuta Religiosorum non observare, an, & quando peccatum. T. 31. n. 5. F. 499.

Statuta facientes contra Immunitatem Ecclesiasticam sunt excommunicati, & absolvi non possunt, donec publicè revocent. T. 49. n. 294. F. 654.

Statutum in præjudicium Clericorum inferiorum non potest facere Episcopus. T. 30. n. 136. F. 490.

Sterilitatis ob causam an, & quando remittere mercedem debeat Locator. T. 18. n. 40. & seqq. F. 264.

Stolæ fructus seu redditus an sint bona industrialia. T. 25. n. 5. F. 344.

Studiorum causa an, & quando abesse possint Beneficiarii. T.4. n. 134. & seq. F. 50.
Stylus Curiæ habetur pro Lege. T. 35. n. 77. F. 554.
Subscriptio qualis requiratur, quando super actis Capitularibus erigi debet instrumentum. T. 11. n 17. F. 182.
Subsidium Charitativum quid. T.39.n.19. F. 576. Possunt illud in sua Diœcesi exigere Episcopi, n.20. & seqq. Non item Prælati, & Episcopo inferiores, num. 22. F. eod. Benè tamen Administratores seu Coadjutores; Item Capitulum Sede vacante, & Generales Ordinum, nu 23. Ad hoc Subsidium tenentur soli, & omnes Clerici Beneficiati, num. 24. & seq. Exceptis pauperibus, n. 26. Monasteria, & eorum Ecclesiæ Regulares, non item sæculares incorporatæ sunt exemptæ, n 27. & seqq. Subsidium Charitativum, ut ritè exigatur, requiritur justa causa, num. 29. F. 577. Quænam tales censeantur, n.30. Si Episcopo redditus sufficiunt, non potest exigere Subsidium Charitativum, nu. 31. Quantitas Subsidii determinatur arbitrio Episcopi, n. 32. Potest exigi sæpiùs, num.33.F.eod. Cum consensu tamen & consilio Capituli, n. 34. Modus exigendi illud, nu. 35. Existente dubio & controversia inter Episcopum & Clerum circa Subsidium, quid Juris, num. 36. Et quid de Subsidio ad Seminarium? Ibidem.
Substitutio quid, & quotuplex, T. 26. n. 557. & seqq. F. 422. Alia est directa, alia indirecta, n. 558. & seqq.
Substitutio Vulgaris quid. T. 26. n.561. F.eod. Valet, sive Institutus nolit, sive non possit adire hæreditatem, num 562. Vulgariter Substitutus consequitur totum id, quod Institutus habuisset, num.563. F.423. Substitutio Vulgaris expressa continet tacitam Pupillarem, n. 564. Facit ex hærede suo voluntarium, numer. 565. Expirat post aditam hæreditatem, n. 566. Limitatur hoc, num. 567. & seqq. Expirat etiam, si Substitutus ante Institutum, vel ante aditam ab ipso hæreditatem moritur, n. 569.
Substitutio Pupillaris quid. T. 26. num. 570. F. eod. Alia est expressa, alia tacita, num. 571. F. eod. Solis impuberibus in potestate patria Testatoris constitutis fieri potest pupillaris Substitutio, n.572. Mater non potest facere substitutionem pupillarem, n.573. Requisita ad validam substitutionem Pupillarem, n. 574. Substitutus pupillariter succedit tam in bonis pupilli, quam Testatoris substituentis, n. 575. Substitutio pupillaris expressa continet tacitam Vulgarem, n.576. F. 424. Excludit matrem à successione impuberis, num.577. Enumerantur casus, in quibus substitutio pupillaris expirat, num 578 & seq. Etsi expiret substitutio pupillaris expressa, per hoc nondum expirat tacita, n.583. F 425.
Substitutio Exemplaris quid? T. 16. num. 583. F. eod. Potest fieri tam à matre, quam a patre, nu. 584. Substitui quinam possint ac debeant, num 585. & seqq. Substitutio Exemplaris variè fieri potest, n.587. Habet eosdem effectus, quos pupillaris, n. 588. Ita ut etiam excludat matrem furiosi, vel amentis, num. 589 F. eod. Expirat, si ille, cui fit, per notabile spatium liberatur à sua infirmitate, n. 590. & seqq. Item, si ameati posteà nascantur liberi n. 592.
Substitutio Reciproca, seu breviloqua, quæ? T 26. nu.593. F. 426. Non requirit certam formulam, num. 594. Pro diversitate modi, quo fit, diversas continet alias substitutiones, n. 595. Juxta quarum naturam etiam expirat, n.596. F.eod. Substitutio Compendiosa quæ, & cujus effectus? T.26.n.597. F eod.
Substitutio Fidei-Commissaria quid. T. 26. num. 598. F. eod. Potest fieri in, & extra Testamentum, num. 599. Conditionatè, vel absolutè, num. 600. Inducit veram obligationem restituendi hæreditatem juxta voluntatem Testatoris, num. 601. & seq. Quibus verbis fieri valeat, n. 603.
Successio *ab intestato* quid? T. 27. num. 3. F.450. Est duplex, una in stirpes, altera in capita, n. 4. F. eod. succedentium ordo breviter enarratur, nu. 5 Computatio graduum in linea recta in ordine ad successionem, nu.6. Et in linea transversali, num. 7. Graduum computatio Civilis pro successione hæreditaria etiam à Jure Canonico servatur: & computatio pro Matrimonio Canonica servatur in Jure Civili, n. 8. F. 451.
Successio liberorum *ab intestato*. T 27. n.9. & seqq. Fol. eod. Liberi legitimi, & naturales simul quomodo succedant? n. 10. F. eod. Et quomodo Legitimati per Matrimonium, n. 11. Quomodo Adoptati? num. 12. Quomodo Legitimati per Rescriptum Principis, vel Comitis Palatini, num. 13. Quomodo Naturales? n 15. Quomodo spurii, n.16. F.452. Liberi ex damnato coitu parentibus non succedunt, alimenta tamen ab eis percipiunt, n. 18. His comparantur Liberi parentis læsæ Majestatis rei, n. 19.
Successio Nepotum *ab intestato*, T.27. num.20. F.eod. Nepotes cum liberis existentes succedunt in stirpem. Ibidem. Sicut etiam, si soli sine liberis existant, & a diversis parentibus proveniant, n.21. Si filius superstes succedere aut nolit, aut non possit, succedunt nepotes, num.21. F.eod. Nepotes naturales legitimati quomodo succedant? num. 23. Naturales non legitimati succedunt Aviæ maternæ, n. 24. Utrùm verò paterno Avo succedant? controversia est, n.25. & seq. Circa successionem *ab intestato* attendenda sunt statuta ac consuetudines locorum, præsertim in Bavaria, n.27.
Successio Ascendentium *ab intestato*. T.27. numer.28.& seqq. Fol.453. Deficientibus descendentibus, & fratribus germanis succedunt soli ascendentes, ibidem. Et quidem æquales in gradu in stirpes æqualiter, n.29.& seq. Si cum ascendentibus existunt Fratres germani, succedunt omnes in capita, num.31. F. 454. Fratres uterini vel consanguinei soli excluduntur ab ascendentibus, num. 32. Germanorum proles, non item nepotes succedunt cum ascendentibus, n. 33. An præmortui Germani proles sine aliis germanis existentes succedant cum parentibus, controvertitur, n.34. & seqq. Ascendentes quando succedant naturalibus? n.36. F.eod
Successio Collateralium *ab intestato*. T. 27. num.37. & seqq. F.eod. Descendentibus, & Ascendentibus deficientibus succedunt Fratres & sorores germani, num.37. Eorumque præmortuorum proles ita tamen, ut hæ in stirpes, & illi in capita veniant, exclusis uterinis, num. 38. Soli defuncti præmortuorum fratrum existentes liberi succedunt in capita, n. 39. & seqq. Si existunt cum eis defuncti fratres uterini, vel consanguinei tunc liberi Germanorum succedunt quidem, sed in stirpes, n.41. F.455. Deficientibus Germanis & liberis eorum succedunt uterini, vel consanguinei cum eorum liberis, n.42. Et quidem fratres & sorores æqualiter, non habita ratione, an a patre vel matre bona provenerint, n.43.& seqq. Nullis existentibus fratribus & sororibus nec liberis eorum, succedunt cæteris Collaterales sanguine juncti juxta gradus prærogativam, n.47. Quomodo succedant Collaterales legitimi tantùm, seu adoptivi, n.48.F.456. Fratres item naturales ac spurii, nu.49. & seq. Nati ex damnato coitu ab omni successione excluduntur, n.51.
Successione Conjugum *ab intestato*, T. 27.n.52. & seqq.F.eod. Omnibus deficientibus Consanguineis defuncti, succedit Conjux. Ibid. Si matrimonium fuit legitimum: nec adfuit divortium tempore mortis, n 53. Et nisi in contrarium adsint pacta dotalia, n.54. Uxor pauper accipit quartam partem, vel partem virilem *ab intestato*, n.55.F.457. Nisi obiit divortium nu 56. Aliunde sufficientia bona habens excluditur à successione per sanguine junctos, n.57. An Maritus pauper uti uxor accipiat partem quartam *ab intestato*, n.58.
Successio *ab intestato* in bona Clericorum patrimonialia, vel quasi competit consanguineis. T.27. n 6 F. 454. His deficientibus Ecclesia, in qua Beneficium habuit, n. 62. Si non habuit, Fiscus Episcopalis, n.63. F.eod. In bona Clericorum merè Ecclesiastica *ab intestato* succedit Successor: & quomodo, n 64. Consuetudo, vi cujus succedunt consanguinei in bona mere Ecclesiastica, illicita & invalida est, n.65. Clerici tenentur facere Testamentum ad causas pias, vel bona superflua in easdem causas adhuc in vivis erogare: & quare? n. 66.
Successor an, & quando teneatur solvere debita Antecessoris. Vide *Solutio quid, & à quibus?*
Superflua habens, vel expendens Religiosus etiam de licentia Superioris peccat contra paupertatem. T. 35. nu. 16. F. 546. Non tamen est proprietarius, n.17 In dubio, an quid sit superfluum, vel inconveniens, statur judicio Superioris, n. 18.
Superiores an possint secum ipsis dispensare? vel Confessariis committere Officium cum ipsis dispensandi, aut eos absolvendi. T. 7. n. 90. & seqq. F. 157.
Supernumerarii Canonici qui, & quid Juris de eis? T.8. n.23. & seq. F. 100.
Supressio Beneficii quid? T. 12. n. 32. F. 188. Est prohibita. Ibidem. Canonicatus potest supprimi per Episcopum; non per ejus Vicarium, nec per Capitulum Sede vacante, n.34. Dignitas sola authoritate Pontificis potest supprimi, n. 35.
Sustentatio honesta Clericis, quæ comprehendat. T 5. n.232. & seq. F. 84.
Sustentatio Clerici quæ dicatur. T.25.num.76.& seqq. F.254. Nobilibus, & litteratis major debetur sustentatio, n.78. & seqq. In computanda honesta sustentatione attendi etiam potest, ac debet circumstantia temporis, & loci, n. 80. Item consuetudo prudentum, ac timentium Deum, n.81. Hospitalitas quoque, honesta recreatio, ac alia ad sustentationem decentem quæ pertinent, n.82. Clerici in computanda honesta sustentatione sua memores esse debent, quod vivant de patrimonio Christi & pauperum, n. 83. Error circa hoc n. 84.

T

Tabellio esse de Jure non potest Clericus. T.50.n.5. & seq.
Taciturnitas beneficii præhabiti vitiat Rescripta Beneficiaria. T.5. n.257. F. 88.
Talia quid? T.39. nu. 38. F.578.
Tangere vasa, & paramenta Ecclesiastica quibus, & quomodo prohibitum? T.40.n.55.& seq.F.590.
Templariorum Ordinis origo, & interitus. T.31.n.46. F.504.
Tempus breve & longum quid? T.18.n.186. F.281.
Tempus quando currat ignoranti? T.31. n.102. F.525.
Terciarii Religionum an, & quando veniant nomine Clericorum? T.1. num. 27. F.5.
Tertiariorum Ordo, origo, Regula quæ? T.31. n.55.F.506.
Testamentum quoad naturam & divisionem quid? T.16.n.2. & seq. F.355. Testamentum definitur, n.2. De ejus essentia est hæredis institutio, nu.3. Requiruntur ad illud certæ solemnitates, n.4.F.356. Testamentum aliud est publicum, aliud privatum, n.5. Aliud solemne, aliud non solemne seu privilegiatum, n.6. Aliud Scriptum seu clausum, n.7. Aliud nuncupativum, n.8.
Testamenti solemnis scripti seu clausi natura & solemnitates de Jure Civili. T.16.n.9. & seqq. F eod. Natura declaratur, n.9. Requisita summariè recensentur, num.10. F 357. Testamentum solemne scriptum debet esse in scripturam redactum, & manu propria Testatoris scriptum, vel subscriptum, nu.11. Requirit septem testes idoneos; & quinam hi? n.12. Religiosi & Confessarii possunt esse testes, num.13. Quamvis pro possibili abstinere debeant à ferendo Testimonio. Ibid. Hæres non potest esse testis in Testamento, nec pater hæredis, nec fratres ejusdem necdum emancipati, n.14. F.eod. Benè tamen consanguinei hæredis, & famuli ac domestici ejusdem, n.15. Item Legatarii, & Fide Commissarii particulares, n.16. An, & quando filius possit esse testis in Testamento patris, & econtra? Et an fratres? nu.17. Possunt plures ex eadem domo etiam consanguinei in eodem Testamento agere testes, num. 18. Testis inhabilis, qui communiter creditur habilis non invalidat Testamentum, n.19. F. 358. Requiritur, & sufficit, quòd testes tempore, quo fit Testamentum, sint habiles, num. 20. In testamento scripto testes debent esse rogati: & quomodo? nu. 21. Debent esse debitè præsentes, ita ut Testatorem non tantùm audiant, sed & videant, n.22. Testator coram testibus contestari debet in papyro, quam subscribendam exhibet, contineri suam voluntatem, num. 23. Debet etiam se subscribere, vel octavum testem loco ipsius subscribentem adhibere, num.24. Testes omnes manu propria subscribere debent: Limitatio aliqua pro Rusticis, n.25. Qualis subscriptio de Jure Bavarico requiratur? nu. 16. F.eod. Testes non tantùm suum, sed etiam Testatoris nomen in subscriptione exprimere debent, n. 27. Et quomodo? nu. 28. Debent etiam signare Testamentum proprio sigillo, vel alieno, nu.19. & seqq. Qualis subsignatio, & quale sigillum de Jure Bavarico requiratur? num.31. & seqq. Totum negotium debet uno contextu absolvi, nullo actu extraneo interveniente, n.33. F. 360. Exceptis actibus corporalis necessitatis, nu.34. Compendiosa notitia & instructio de condendo Testamento solemni scripto? num.35. & seq. Non requiritur ad illud Notarius Publicus, quamvis consultum sit, ut adhibeatur, num.37. Dissuadetur Testamentum solemne scriptum, & quare? num.39 Testamentum solemne scriptum invalidum valet in vim Nuncupativi, n. 68. F.364. Si hujus solemnitates habet, n.72.
Testamenti solemnis Nuncupativi solemnitates, & requisita de Jure Civili. T.26. n.40. & seqq. F. 361. Requiruntur ad hoc septem testes idonei, num.40. Et ad id rogati, n.41. Coram quibus Testator voluntatem suam palàm pronunciet, n. 42. F.361. Quacunque dein formula, num. 43. Nec refert, an per se, vel per alium, oretenùs, vel in scriptis voluntatem suam manifestet, n.44. Dummodo testes moneat, quòd velit testare solummodo Nuncupativè, num.45. Brevis instructio in faciendo testamento Nuncupativo, num.46. Notarius ad illud necessarius non est, benè tamen valde utilis, num. 47. Testamentum Nuncupativum cum relatione ad schedam vel scripturam, an valeat? num. 47. & seq. Valet Testamentum Nuncupativum, etsi nomen hæredis non exprimatur, n. 52. F. 362. Dummodo alio indubitabili signo, digito v.g. præsens demonstretur. Ib. & n. seq. Testamentum scriptum cum relatione ad Codicillum valet, n. 85. F. 366. Testamentum ad interrogationem alterius variis modis fieri potest, num.56. & duobus seq. An, & quando Testamentum ad interrogationem alterius factum, valeat? n.59. & seqq. Doctrina practica ad propositum, num. 67. F. 364. Testamentum in ratione scripti invalidum, valet in vim Nuncupativi, n.68. & seqq. Testamentum invalidum non valet in vim Codicilli nisi clausula Codicillaris expresse apposita sit, num. 71. F. eod. Testamentum Scriptum ex defectu solemnitatis invalidum, nec in vim Nuncupativi valet, neque hujus solemnitates habet, n.72. & seq.
Testamentum ad interrogationem alterius, an, & quomodo fieri possit, ac valeat. T.26. n. 56. & seq. F. 363.
Testamenti solemnitas qualiter necessaria in Foro externo? T. 26. n.74. & seqq. F. 364. Solemnitates in Foro externo sunt de substantia Testamenti, num.75. Doctrina practica, n.76. F.eod. Testamentum defectu solemnitatis nullum, valet quoad Legata, si hæres *ab intestato* fatetur, se ipsum audivisse defuncti voluntatem, num. 77. & seqq. Si negat, se aliquid à Testatore audivisse, potest ei offerri juramentum, nu. 79. & seq. Si hæres *ab intestato* non interfuit ultimæ voluntati, tunc corruente Testamento corruunt etiam Legata, n.81. & seqq. F. 366. Testamentum minus solemne valet etiam in Foro externo, casu quo hæres *ab intestato* ipse percepit, & fatetur defuncti voluntatem, n 83. & seq. Leges solemnitatem præscribentes fundantur in præsumptione fraudis, n. 87. & seqq. Hinc non se extendunt ad Testamentum confessatum à parte adversa, n. 87. & seqq. Neganti hæredi *ab intestato* se interfuisse Testamento, potest offerri juramentum, n. 90.
Testamenti solemnitas quomodo necessaria pro Foro interno? T. 26. n.91. & seqq. F. 368. Enarrantur Doctores docentes, solemnitates pro Foro interno esse necessarias, nu.92. F. eod. Probatio eorum, n.93. & seq. Doctores, & fundamenta docentium solemnitates Testamenti etiam Foro interno esse necessarias, n.94 Allegatur sententia media, n.96. Statuitur sententia Authoris, videlicet, quòd in casu, quo ipse hæres *ab intestato* interfuit Testamento, defunctique voluntatem percepit, valeat in Foro interno Testamentum solemnitate carens, n.97. & seqq. Etsi id neget, dummodo reverà interfuerit, & audiverit voluntatem defuncti, n.99. F. 369. Valet in Foro interno tam quoad Legata, quàm quoad hæreditatem n.101. & num.98. Hinc potest tam hæres institutus, quàm Legatarii tuta conscientia relictam in tali testamento hæreditatem, vel Legata accipere, vel retinere, num.102. Teneturque hæres *ab intestato* ea illis restituere, n.103. Quod, si non faciat, possunt hæres, & Legatarii scripti uti occulta compensatione, vel agere contra eum, n.104. & seq. Testamentum solemnitate carens, cui hæres ab intestato non interfuit, valet in Foro interno, nisi hæres *ab intestato* excipiat, n.106. F.369. Parit obligationem naturalem testamentum solemnitate carens, n.207. & seq. Probatur per extensum, quod testamentum solemnitate carens valeat in Foro interno. Ib. & seqq. Testamentum solemnitate carens, post Judicis sententiam, nec in Foro conscientiæ ampliùs valet, num 118. F.370. Corollarium & doctrina practica, n.131. & seq.
Testamenti solemnitas de jure Canonico requisita. T.26.n.133. & seq. F. 372.
Testamentum privilegiatum ad pias causas quid? T.26. n.139. F. eod. Est in utroque Foro privilegiatum, n. 118. & seqq. Etiam de Jure Civili testamentum ad pias causas est privilegiatum, n.242. F.374. In testamento ad pias causas requiruntur saltem duo testes legitimi, casu quo aliunde non constat de voluntate testatoris, nu. 143. Duo testes non sunt de substantia testamenti ad pias causas, num. 144. & seqq. Debent in eo adesse saltem ea, duæ requiruntur de jure, n.156. F. 375. Valet, quando sine omni teste adest manus propria testatoris; vel si hæres *ab intestato* ipsemet audivit defuncti voluntatem, num. 147. Item si hæres institutus pius, v.g. pauper solus audivit defuncti voluntatem, num. 148. Doctrina practica ad propositum, n.149. Valet etiam, solo nutu ad interrogationem alterius factum, num. 150. Ac etiam, si incertum hæres instituitur, vel alterius arbitrio committitur num.151. Si aliunde non constat de voluntate Testatoris, necessariò requiruntur duo testes, num. 152. Doctrina practica pro Confessariis, n.153. Testes testamento pio non necessariò debent esse rogati, n.154. F. eod. Potest etiam mulier esse testis, n. 155. An, & quando sufficiant testes, qui solo Jure Civili, non item jure naturali sunt inhabiles ad testificandum, n. 156. & seq. Ubi valet testamentum ad pias causas, valent etiam Legata profana inserta, n.164. & seqq. F. 376. Corruente testamento profano, valent Legata pia eidem inserta, nu.164. & seqq. Testamentum imperfectum dupliciter dicitur ratione voluntatis, & ratione solemnitatis, n. 166. & seqq. F. eod. An, & quando valeat ad causas pias, n. 168. & seq. Testamentum ad pias causas, est magis privilegia-

giatum, quàm inter liberos, n.175.F.377. Doctrina practica, num.176. Quomodo faciliter fieri possit testamentum ad pias causas? n.177. Testamentum ad pias causas est mixti Fori, n.178. F. eod. valet, si in eo non est institutus hæres aliquis, n.179.

Testamentum imperfectum quid, & quotuplex? T.26. num. 166. & seq. F.376. An, & quando valet ad causas pias? num.168. & seqq.

Testamentum privilegiatum parentum inter liberos quid? T. 26.n.180.F.378. Est privilegiatum pro utroque Foro, n.181. Requiritur tamen ad illud solemnitas aliqua Civilis, num. 182. Designatæ in eo portiones pro liberis non debent numeris Arithmeticis, sed distinctis verbis exprimi, n.183. Requiritur etiam, ut dies & annus, nec non propria liberorum nomina clarè apponantur, si in scriptis fit testamentum, n. 185. Patris subscriptio non est necessaria, si ipse totum testamentum scripsit, num.185. Si alius scripsit, sufficit & requiritur, ut vel parens subscribat, vel omnes liberi, n.186. & seq. F.379. testamentum Nuncupativum inter liberos requirit duos testes, n.188. Qui non necessariò debent esse rogati, possuntque esse fœminæ, num.189. F.eod. Potestque parens liberos inæqualiter instituere, num.190. & seq. Dummodo cuivis legitimam relinquat titulo hæredis, num.192. testamentum inter liberos requirit aliquas Juris solemnitates, num.193. Inter quas est dicta legitima portio, num.194. & seqq. testamentum inter liberos non valet, in quo nullus est institutus hæres, n.199. F.380. Aliud est, quærere, an valeat testamentum in quo nullus est hæres: & aliud, ubi unus vel plures ex liberis non instituuntur titulo hæredis, n.200. & seq. F.eod. Quando testamentum inter liberos non valet in vim testamenti, valet tamen ut Codicillus, nu.202. testamentum minùs solemne inter liberos non valet quoad extraneas personas institutas pro hæredibus, nu.203. Valent tamen Legata in eo extraneis facta, nu. 204. & seqq. Testamentum Patris inter liberos illegitimos non est privilegiatum, num.208. F.381. Benè tamen testamentum matris. num. 209. Practica instructio circa testamentum inter liberos, n.210.

Testamentum privilegiatum militis nullam requirit solemnitatem, si in expeditione bellica fit. T.26. num.212. F.382. Qui Urbem obsident, vel obsessam defendunt, in expeditione bellica esse censentur, n.213. Militis testamentum in castris quidem, sed absque expeditione bellica existentis requirit saltem duos testes, n.214. Extra castra factum exigit ordinarias solemnitates, n.215. Factum etiam in expeditione bellica requirit duos testes, si non aliunde quàm per testes probari potest, n.216. Enumerantur alia privilegia testamentis militum competentia, n.217.

Testamentum privilegiatum Rustici requirit septem testes si haberi possunt, aliàs sufficiunt quinque, T.26.n.218. & seq. F.383. Quales debent esse in testamento Rustici, n.220. & seq. F.eod. Privilegio testamenti rustici, an etiam gaudeant Nobiles, n.222. & seq.

Testamentum privilegiatum tempore pestis secundum aliquos nullam requirit solemnitatem, n.224. Secundùm alios requirit quinque testes, num.225. Verius est, requiri septem testes, n.226. F. eod. Tempus pestis & tempus belli non sunt idem, n.228. Si pestis ita sævit, ut septem testes haberi nequeant, sufficiunt pauciores, n.229. & seqq. Quid de Iure Bavarico, n.232. F. 384.

Testamentum privilegiatum Principi oblatum vel coram eo factum quid? T.26.n.233. F.385. Potest etiam coram deputatis à Principe fieri, vel eis offerri, n.234. Propriè loquendo testamentum Principi oblatum, & coram Principe factum non est idem, num.235. & seq. Utrumque tamen valet absque omni solemnitate, n.237. Dummodo constet & probari possit, quod sit oblatum, n.238. F. eod. Ad quod probandum sufficiunt duo testes, n.239. Potest Principi offerri testamentum etiam clausum, n.240. & seq. Quomodo oretenus fieri possit, ac debeat testamentum coram Principe? n.242. & quo modo in scriptis eidem offeratur, n.243.

Testamentum privilegiatum ad acta datum, vel coram actis factum seu judiciale quid? T.26.n.244. F.386. potest fieri coram quovis judice, n.245. F. eod. Etsi Assessores, vel Actuarium secum non habeat, num.246. & seqq. Validè etiam fit coram judice incompetente, num.248. Doctrina practica, n.246. Validum est testamentum ad acta, quod coram deputatis à Judice extra domum Judicii in domo testatoris v.g. fit n.350. & seq. ut ritè fiat testamentum coram Judice debet is requiri, num.255. Testamentum ad acta valet absque omni solemnitate, nu.256. Dummodo aliunde constet, quòd re vera datum sit ad acta, n.257. F.387. Testamentum in loco judicii coram Judice consistente in communitate factum, non requirit testes ad probandum, quod sit ad acta datum, n.258. Idem est si fit extra locum judicii coram deputatis, nu.259. Sufficit, quod duo ex communitate deputentur etiam sine actuario, n.260. Vel unus sine actuario, adhibitis tamen duobus testibus, n.261. Si testamentum coram Judice particulari personam publicam vel assessores secum non habente fiat, debent adhiberi duo testes, n.262. Et quare, n.263. F.388. Testamentum coram solo Judice non valet, n.264. Testamentum coram solo actuario, vel etiam coram privato an valeat si duo adhibeantur testes? n.265. & seqq. Testamentum potest etiam in scriptis clausum dari ad acta, n.268. Ac etiam per Procuratorem vel alium tertium ad acta mitti, n.269. & seqq. Quamvis in praxi tutius sit ut ipse testator tradat, n.273. F.389. Testamentum ad acta suadetur, n.274. Et ostenditur, quomodo practicè tam in scriptis quàm oretenùs in, & extra locum judicii fieri possit, n.275. & seq. Etiam ille, qui legere & scribere nescit testamentum in scriptis clausum ad acta dare potest, n.278. F.390.

Testamentum facere quisnam possit? T.26.n.279. & seq F.eod. Potest quilibet, qui de Jure non prohibetur, n.279. Factio testamenti competit de jure naturæ & gentium, nu.280. Jure naturæ testamentum facere nequeunt infans, n.261. & seq. Furiosi & omnes alii usu rationis carentes, n.283. Tempore quo carent usu rationis, n.284. Possunt facere testamentum tempore lucidi intervalli, n.285. Et quomodo? n.285. F.391. Quomodo probandum & judicandum lucidum intervallum? n.287. & seq. Muti & surdi an & quando possint facere testamentum? n.289. & seq. Cæci valide testantur, n.291. F.eod. De Iure Civili testari non possunt impuberes, n.292. & seq. Neque authoritate Tutoris, n.294. Filiifamilias etiam cum consensu Patris nequeunt testari de bonis profectitiis, vel adventitiis, n.295. & seqq. Benè vero de peculio castrensi vel quasi castrensi, n.298. F.392. Mancipia ac servi proprie dicti testari non possunt, n.299. Capti ab hostibus an & quando facere possint testamentum? n.300. & seq. Obsides non possunt testari, nisi eis permittatur, n.302. De Clericis & Religiosis remissivè, n.303. F.393. Damnati ob libellum famosum testari nequeunt, n.304. Idem est damnatis ad mortem, n.305. Quamvis hodie contrarium etiam probabile sit, num.306. Incarceratus ad mortem ante sententiam validè testatur, imò etiam post illam, si ab ea appellavit, num.307. Deportati & Banniti a Cæsare testari nequeunt, n.308. Benè tamen relegati & Banniti ab Imperii Principe, n.309. Rei criminis læsæ Majestatis & proditores non possunt testari, num.310. F. 393. Idem est de Hæreticis, n.311. Excipe Hereticos in Germania Ibidem. Testari non possunt percutientes Cardinalem n.312. Usurarii manifesti, n.313. Nisi ante mortem restituant vel cautionem præstent, n.314 & seq. Item contrahentes incestuosum matrimonium, n.316. Prodigi, n.317. & seqq. Excommunicati tamen & infames testari possunt, n.319. F.394. Ex natura inhabiles ad testandum etiam ad causas pias testari nequeunt, n.320. De Jure Civili tantum inhabiles possunt testari ad causas pias de bonis, quorum dominium retinent, num. 321. & seqq.

Testamentum Clericorum Sæcularium. T.26. n.326. & seq.F. 397. Clerici testari possunt de bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus, seu industrialibus, n.326. ac patrimonialibus n.327. & seq De bonis Ecclesiasticis superfluis nec ad causam piam testari possunt de jure, n.329. Bene tamen de consuetudine 330. & duobus seqq. Ad causas profanas de Bonis Ecclesiasticis superfluis vi consuetudinis nec validè nec licitè testari possunt Clerici sæculares, n.333. & seq. F.eod. Consuetudo ad causas profanas testandi cur prohibentur, n. 350. F. 398. Probabilius est, eam nullibi inveniri, n.351. Hæredes profani nec ex testamento nec ab intestato accipere vel retinere possunt bona Ecclesiastica superflua, n.353. F.399. si sciunt, vel prudenter præsumere possunt, ea esse talia, n.354. Secus si ignorant, n.355. Doctrina practica ad hoc, n.356.

Testamentum Religiosorum. T.26.n.347. & seqq. F.eod. Religiosus nequit facere testamentum, Ibid. Neque ad causas pias. n.358. Neque cum licentia Superioris, n.359. Nec aliam ultimam voluntatem facere possunt Religiosi, n.360. F.eod. Religiosi non Professi seu Novitii testari possunt, n.561. Non tenentur ad formam Conc. Trid. n.362. & seqq. Testamentum ante professionem factum post professionem subsistit, n. 364.

Testamentum præsertim reciprocum, seu mutuum conjugum. T.26. n.365. & seqq. F.400. Testamentum reciprocum inter conjuges quid? n.36. Potest fieri reciprocum etiam à non conjugibus. Ibid. Conjuges in testamento reciproco possunt vel se invicem instituere heredes, n.366. F.eod. Vel sibi invicē usufructū relinquere, n.367. debent tamē Prolibus relinquere legitimā. Ib. In ordine ad quā, quomodo utiliter clausulare possint testamentū conjuges, demōstratur practicè, n.368. & seq.

Te-

Testamentum reciprocum inter conjuges condendi modus & formulæ, num.371. & seq. F.401. Dispositio de usufructu omnium bonorum quomodo intelligenda, n.373. Non comprehendit legitimam, n.374. Si unus conjux alteri relinquit usum fructum omnium bonorum, quomodo interpretanda dispositio, n.375. & seq.

Testamentum reciprocum à quovis conjuge pro parte sua liberè revocari potest, etiam inscio ac invito altero, n.381. F.402. Si una pars clandestinè revocat, censetur etiam plerumque ab altera tacitè revocatum testamentum, n.382. Varii modi, ac instructio practica faciendi testamenta conjugum tam reciproca, quàm alia, usque ad n.393.

Testamenti Destitutio quid, & quomodo fiat. T.26. n.731. & seq. F.440.

Testamenti irritatio quid, & quomodo fiat. T.26. n.731. & seq. F.eod.

Testamenti Revocatio & Mutatio.
Vide *Revocatio Testamenti*.

Testamenti Ruptio quid, & quomodo fiat. T.26.num.735. & seqq. F.441.

Testes in testamento solemni scripto quinam esse possint, & quomodo habere se debeant.
Vide *Testamenti solemnis scripti natura & solemnitas.*

Testes in Testamento privilegiato ad causas pias. T.26. n.144. F.374. & n.152. ac seq. F.375.

Testes ad Testamentum militis, rustici, & tempore pestis, quot & quales requirantur. T.26. n.16. & seq. F.358.

Teutonici Ordinis origo & initium. T.31.n.42. F.505.

Tonsura Clericorum.
Vide *Clericorum obligatio deferendi habitum.*

Transitus de una Religione ad aliam defacto paucis licitus est. T.31. n.260. F.532. Quamvis de Jure communi valeat, nu. 261. Si fit ex bono fine, n.262. F. eod. Ad Religionem strictiorem, nu. 63. Sive ex Regula, sive ex statutis talem, n. 264. A Religione S Francisci ad nullam aliam transire licet, num. 265. Ut transitus aliàs sit licitus, debet fieri sine infamia & detrimento Religionis deserendæ, n. 266. Et cum petita licentia Superioris prioris, n.267. F.eod. Quæ licentia, si indiscretè negatur, non impedit transitum, n.168. Practica instructio circa modum petendi licentiam, nu.269 & seq. Superior sine licentia Papæ ad nullam aliam transire potest, n.271. Ut transitus ritè fiat, debet priùs constare, quod Religio strictior Transeuntem recipere velit, num.272. Et Transiens exhibeat Dimissorias, num.273. Regulariter non expedit ab una Religione ad aliam transire, num.274. F.533. Causæ ob quas expedit à minus stricta ad strictiorem transire, n.267. & seq.

Trebellianica. Vide *Falcidia*.

Tributum quid, & quotuplex? T.39.n.38. F.578. A quo, & ob quam causam imponi possit. n.40. & seq. Quandonam obligent in conscientia, n.43. & seq. 579.

Tributum solvere est signum subiectionis T.490.n.230.F.647. & n.242. F.649. A præstandis Tributis immunes sunt Ecclesiæ, Ecclesiasticæque Personæ bonaque earum. num.237. F.648. Tam ordinariis, n.238. Quàm extraordinariis, num. 253. F.650.

Triennalis Regula non excludit Ordinarium inquirentem de beneficii Titulo. T.5.n.349. F.100.

Turpis persona quæ dicatur. T.26. n.418. F.407.

Turpitudinem propriam allegans non creditur. T.13. num.60. F. 219.

V

V Acare Beneficium, & vacatio ejusdem apud Sedem, vel in Curia quid. Et quid Juris de ea. T.3.num.433. & seq. F. 110.

Vacatio Beneficiorum, vide *Beneficiorum Vacatio* potest fieri, & intelligi multipliciter. T.8. n.2. & seq. F.158.

Vacatio Sedis. Vide *Sedes Vacans*.

Variare quomodo, & quoties possit Patronus Laicus. Tit.38. n.57. & seq. F 566.

Vasallus ratione Feudi quas obligationes & jura habeat. T.20. num.210. & seqq. Quando amittat Feudum, n.130. & seqq. F. 308.

Vectigal quid. T.39.n.39. F.578. Solus Princeps imponit, nu. 40. F.579. Et ex qua causa, n.41. An, & quando obliget in conscientia, n.43. & seq. Ab eo solvendo quandonam eximantur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ. T.49.n.248. & seq. F.650.

Vel dictionis natura est, quod ponatur inter diversa. T.5.n. 409. F.106.

Vel dictio subinde sumitur pro Et. T.38. n.5. F.559.

Verba Legis in propria significatione accipienda sunt. T.49. n. 117. F.632.

Veritas requirit adminicula Legis. Tit.26. numer. 128. Fol. 372.

Verò dictio est adversativa præcedentium in Iure & facto. T.5. n.555. F.135.

Vestis Talaris quid. T.1. n.97. F.14. Virgata, & partita quæ, n.108. F.15.

Vicaria & Vicariatus quid. T.5. n.67. F.68. Alia est perpetua, alia temporalis, ibid. Temporalis non est propriè beneficium benè tamen perpetua, n.68.

Vicarius Ecclesiæ quis. T.5. n.66. F. eod. Quotuplex, nu.6?. & seqq. In beneficiis Curatis constituuntur perpetui, n.70. F. eod.

Vicarii Generalis potestas quoad Beneficia. T.5. num.197. & seqq. F.81. Potest eidem ab Episcopo delegari potestas conferendi beneficia quæcunque vacatura in genere, T.8. n.51. F.164.

Vicarius Capitularis quando debeat constitui. T.9. num.60. F.171. Ejus potestas, n.61. & n.49. ac seqq. Potest plura, quam Vicarius Episcopi, & cur, n.69. F.172.

Victus & alimentationis nomine quæ veniant. T.38. n.14. F. 575. & T.39. n.56. F.582.

Violantes jus Asyli quinam sint, & quas pœnas incurrant. T. 49. n.211. & seq. F.645. A quo absolvi possint, num.221. & seq. F. eod

Violatores Immunitatis realis, & personalis quinam sint, & dicantur. T.49. num.279 & seq. F.658 Tenentur ad restitutionem, num.276. Sunt ipso facto excommunicati, n. 278 Nec possunt absolvi, nisi à Papa post præstitam satisfactionem, n.291. & seq. F.659. Aliæ eorum pœnæ à Deo infligi solitæ, n.295.

Visitatio, & visitare quid. T.39 num.64. F.583. Episcopi per se, vel per alios singulis annis tenentur visitare Diœcesin, vel saltem quolibet quinquennio, n.65. Ecclesias omnes, & Monasteria non exempta, num.66. An, & quando Monasteria exempta, num.67. & seq. Episcopus in visitatione tenetur etiam populum visitare quoad delicta & scandala, illaque avertere, n.69. & seq. F.583.

Visitatio non potest præscribi, n.71.

Ultima voluntas est ambulatoria usque ad mortem. T.26. n. 174. F.377.

Unio Beneficiorum quid. T.12. num.36. F.189. Alia est perpetua, num.37. Alia temporalis, num.38. Subinde ex duobus fit unum, n.40. Et hæc Unio dicitur extinctiva, n.41. Subinde fit una Ecclesia superior, altera inferior, n.42. In quo casu superior censetur Mater, & inferior filia, n.43. Hæcque assumit naturam & consuetudinem illius, nu.44. F.100. Item in hoc casu inferior desinit esse beneficium, n.45. Fitque prædium alterius, n.46. Nec debet ampliùs exprimi in impetratione beneficii principalis. num.47. & seq. Captaque possessione principalis habetur possessio illius, n.49. Nihilominus debet in beneficio unito Officium Divinum more solito peragi, n.50. Alio modo uniuntur duo beneficia principaliter, n.51. F.190.

Unio Beneficiorum a quo fieri possit, n.52. Episcopatus solus Papa potest unire, n.53. Episcopus verò Beneficia suæ Diœcesis, n.54 Etiam Papæ reservata, n.56. Demptis exemptis beneficiis, n.55.

Uniones Beneficiorum ad tempus facere potest solus Papa, n.58. Episcopus nequit unire beneficia unius Diœcesis Beneficiis & Monasteriis alterius Diœcesis, n.60. Parochias non potest unire Monasteriis, nu 61. F.191. Beneficia Regularia non possunt uniri præbendis tenuibus, n.62. Legatus à Latere potest unire Beneficia suæ Provinciæ, num.63. Sicut & Capitulum Sede vacante, nu.64. An etiam Vicarius Generalis, n.65. Et alii Prælati Episcopo inferiores, n.66. Solemnitates ad Unionem beneficiorum requisitæ, n.67. & seq. Requiritur ad eam justa causa, ibid. De qua inquiri debet, etsi Papa uniat, n.68. F.eod. Justa causa uniendi quæ, & quotuplex, num.69. Si fit sine causa, est nulla, n.71. Ad eam debent citari interesse habentes, num.72. Ut Collator. num.73. Patronus, num.74. & seq. Non tamen Plebs, num.76. F.192. Requiritur ad eam consensus Capituli, num.77. Quid si contradicat, num.78. Ad eam non requiritur consensus Rectoris Ecclesiæ, num.79. Benè tamen pro dismembratione Ecclesiæ, n.80. In unione beneficii non constituitur defensor Ecclesiæ, n.81.

Unio beneficiorum est quædam alienatio, non tamen vera & propriè dicta. T.12. n.68. F.191.

Vo-

Vota Tria essentialia Religionis per dispensationem Monacho non potest auferre Papa, licet ex Monacho possit facere non Monachum. T. 31. n. 11. & seq. F. 499.
Voti irritatio quid, & à quo fieri possit. T. 34. num. 8. F. 540. Superiores Regulares irritare possunt vota omnia subditorum, num. 9. & seq. F. eod. Excepto voto intrandi Bristiorem Religionem, num. 11. Parentes & Tutores irritare possunt omnia vota liberorum & pupillorum impuberum, num. 12. Etiam post pubertatem, nisi ea puberes facti, debitè ratificent, num. 13. & seq. Doctrina practica circa hoc, num. 15. Possunt etiam puberum vota irritare, & quæ, nu. 16. Maritus potest irritare vota uxoris, & quæ, n. 17. & seq. Econtrà Uxor potest irritare vota mariti, & quæ, nu. 19. F. 541.
Voti Redemptio quid, & quotuplex. T. 34. n. 540.
Usus fructus omnium bonorum per dispositionem ultimam concessus, quomodo intelligendus. T. 26. num. 373. & seq. F. 401.
Usufructuarius est dominus fructuum. T. 35. num. 3. Pag. 545.
Utile per inutile non debet vitiari, quomodo intelligendum. T. 18. n. 29. F. 261.
Utilitas Ecclesiæ evidens tribuit Canonico absenti præsentiæ. T. 40. 198. & seq. F. 58.
Uxor pauper accipit quartam partem, vel partem virilem ab *intestato*. T. 27. num. 55. & seqq. F. 457. Ratione hæc habet tacitam Hypothecam in cunctis bonis mariti quæ ipse prælationis. T. 21. num. 17. F. 313. Ac etiam in omnibus bonorum paraphernalium administrationi viri commissorum, n. 18.

F I N I S.